Sedan

I. LVDOVICVS

DE LA CERDA

E SOCIETATE IESV.

IN

TERTVLLIANVM

Ant 3 x
Ant 2 m
11 of 5

LVDOVICVS

DE LA CERDA

E SOCIETATE IESV

IN

TERTVLLIANVM

Q. SEPTIMII FLORENTIS

TERTVLLIANI PRESBYTERI CARTHAGINIENSIS OPERA.

Argumentis, Explicationibus, Notis illustrata.

AVTHORE

IOANNE LVDOVICO DE LA CERDA,
TOLETANO THEOLOGO SOCIETATIS IESV,
Primario olim Rhetorica Professore.


Cum Indice locupletissimo Rerum & Verborum.



BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

LVTETIAE PARISIORVM,
Sumptibus MICHAELIS SONNII, via Iacobæa,
sub Scuto Basileensi.

M. DC. XXIV.
Cum Priuilegio Christianissimæ Majestatis.



CLARISSIMO HEROI

D. ANTONIO DE LA CERDA

ATANCONIS, POCI, OLMILLORVM

TOPARCHÆ, PIOZII, EIVSQVE ARCIS

Deſpotæ, Mæcenati, ac fratri ſuo amantiſſimo,

IOANNES LVDOVICVS DE LA CERDA S. D.

MAGNA ingenij tui comitas & beneuolentia, Heros clariſſime, cæteraque virtutes multorum præconiis celebratæ me impulerunt, vt hoc Tertulliani Opus omnibus priſcæ eruditionis pigmentis politiſſimum, lucubrationibus meis haud nihil illuſtratum, ſub nominis tui lenocinio diuulgarem. Nam & officia à te omni tempore profecta ſunt tanta, quanta in eum, qui arctiſſimis amicitiæ, ac neceſſitudinis vinculis aſtrictus ſit, eſſe potuerunt maxima, & ea tibi à me debentur, quæ amens ſim ſi inanibus orationis fucis, gratijſq; perſoluere me poſſe exiſtimem. Neque verò minimũ apud me valuit ſanguinis coniunctio, quòd arctiſſimis fraternitatis vinculis me tibi aſtrictum eſſe cognoſcerem, ex illuſtri familia quam pulcherrimis priſcæ virtutis ac gloriæ ornamentis fulgentem, tu in dies virtute tua clariorem reddere elaboras. Enimvero tantùm abeſt vt à maioribus tuis omni dignitate, ac nobilitate affluentibus ad te ornandum quidquam haurias, vt etiam in te ſit, quod ad immortalem eorum famam, ac decus redundet. Nam ſi ingenti gloriæ æſtro percitus aliunde laudis materiam petere velles, vnde maiora, aut illuſtriora habere poſſes præconia, quàm à maioribus tuis, maximéque à D. Ioanne de la Cerda germano fratre Ludouici illius, quem Methymna cæli inter Comites ſuos tertium indigitat? Hic enim familiæ tuæ principium dedit, Turre quadrata nepotibus ſuis ad perpetuum ſucceſſionis decus, ac monumentum relicta. Et ſtatuerat ille quidem Guadalacharæ ſibi in Coniugem cooptare D. Violantillam de Zuniga clariſſimis natalibus ortam, vt præclaros nepotes orbi daret, ſtirpiſque ſuæ famam ad perpetuam poſteritatis gloriam, ac memoriam diffunderet. Sed illo tamen leuibus de cauſis, vt fieri ſolet, diſturbato, non defuere ei filij, qui paternum decus præſtanti virtute ac gloria tuerentur. Inter quos Antonius Lucinæ beneficio, & admirabili morum elegantia, ac amœnitate primus paternam hereditatem adijt, quam cum cenſu quodam Toletano Comitis de Cifuentes commutauit. Et ne tam illuſtris familiæ decus

aliquibus aut vetuſtatis, aut obliuionis tenebris obſoleſceret, Guadalacharæ coniugem duxit Agnetem Gomez filiam primogenitam Aluari Gomez & Catharinæ, ad quos ditio Piozi, Pozi, Atançonis, Telamorum, atque Olmillorum ſpectabat. Ab his genitus Franciſcus paternæ non fortunæ modò, verùm etiam virtutis ac gloriæ heres, familiæ ſuæ honorem ab interitu, & fati iniuria ad certam immortalitatis ſpem vindicauit. Iam verò quid de Ioanne dicam auguſtiſſimæ Eccleſiæ Toletanæ Canonico peramplis Sacerdotijs ornato, qui quidem illum Maioratum fundauit, quo hodie potiris? Hunc enim inter generis tui ſidera numeras natum ad omne genus laudis, cuius pietate effectum eſt, vt nouum poſteris omnibus decus ſplendorque adijceretur. Neque verò Antonij, qui Franciſco ſucceſſit, virtutem, laudéſque vlla vmquam obſcurabit obliuio, quamuis ſucceſſore caruerit. Hoc enim diſpendium præſtanti ſobole abunde penſauit Franciſcus ſecundus Franciſci filius, qui ducta Guadalacharæ D. Hieronyma de Zarate felicibus auſpiciis ſuum genus propagauit. Fuit in illo viro mirifica virtutis indoles, fuit animus excelſus & ad magna natus, ſed inter omnia nobilitatis ſuæ, ac virtutum monumenta nihil potuit relinquere illuſtrius, quàm effigiem comitatis, ac beneuolentiæ ſuæ in animo tuo impreſſam, quas tu optimi Parentis virtutes velut ampliſſimum patrimonium non modò conſeruaſti, verùm etiam auxiſti. Cùm enim nullum tibi genij, aut ingenij ornamentum à natura negatum eſſet, eáque in te cumulatiſſimè congeſſiſſet, quæ veram hominibus gloriam, ac nobilitatis famam ſolent conciliare, decreuit Senatus Regius, vt omnibus quoque fortunæ muneribus afflueres, & Atançonis, Piozij, reliquarúmque ditionum Toparcham ſuis ſententijs declarauit hominem ex ea Aluari Gomez familia ortum, cuius nomen præclaris factis, & priſca Maioratus inſtitutione partum multis iam ſæculis fama per omnes oras diſſeminauit. Nam magna opum, atque auri copia circumfluere, oppida, arceſque omnibus belli præſidijs inſtructas tenere, ſummos Hiſpaniæ dynaſtas neceſsitudine attingere, ſunt hæc quidem eiuſmodi, quæ te vulgi numero exemptum ampliſſimis laudibus in cælum efferant: Sed tamen inter ea bona numerantur, quæ in fortunæ poteſtate poſita varijs vitæ caſibus, & grauiſſimis periculis obiecta ſunt, quæque ad tui diſſimiles etiam deuolui poſſunt. At omnes vitæ rationes ſic conſtitutas habere, vt nullis ambitionis fluctibus agiteris, curas omnes, mentiſque cogitationes ad integritatis ac prudentiæ perpendiculum exigas, actiones denique omnes, ac vitæ conſilia perfecti officij, ac virtutis ratione metiaris, hæc quia magno ſtudio efficis, omnes te veræ nobilitatis inſignibus ornatum admirantur. Itaque quaſi hæc fortunæ ludibria nihil ad te ſpectent, id agis vt liberis tuis nobiliſſimum virtutum patrimonium tradas, & quantum honeſtatis à maioribus tuis acceperis, tantùm ipſe, aut plus etiam poſteris tuis relinquas, ne ab integritatis, ac virtutis curriculo deflectant. Quod etſi arduum ſit, ac difficile in tanta illecebrarum affluentia, quæ mortales falſa vitiorum dulcedine delinitos à veræ nobilitatis ſtudijs ſolent auertere, omnia tamen à Franciſculo tuo præſtantis animi Iuuene expectamus, freti ea conſtantia, cuius clariſſimum iam pridem in humanitatis, ac politiorum literarum ſtudiis ſpecimen præbuit. Neque verò eiuſmodi

est illius indoles, aut laus tam angustis circumscripta terminis, sed studiis equestribus, & omnibus nobilitatis ornamentis se effert. Ludouicus verò præclara indole puer, natus ad familiæ decus, planéque te patre dignus, quantum tibi in secundis iuxta ac aduersis ornamenti, quantum lætitiæ ac voluptatis affert? Quid tres filiæ pulcherrimis naturæ donis affluentes, quarum vna repudiatis fluxarum voluptatum illecebris Religioni nomen dedit? Reliquæ cœnobij septis inclusæ, tantam sorori gloriam inuidentes, si qua in pios inuidiæ labes possit cadere, animum ad eadem pietatis studia adijciunt. Quæ enim industria præstantior, aut quæ sollicitudo laudabilior, quàm quæ in animo virtutibus excolendo consumitur; cùm id vnum inflammato studio consectantur, ne mortalis fortunæ tela, quibus vita nostra omni tempore proposita est, cœlestium gratiarum præsidio munitæ pertimescant? Ne circumstrepentibus ambitionis vndis agitatæ in certum animæ exitium rapiantur; sed in tantis cupiditatum, quibus alij in omni vita iactari solent, velut fluctibus ac procellis iucundissimo religionis portu cum summa animi quiete, ac malacia perfruantur? Quamobrem illa ipsa quæ à fortunæ arbitrio pendent, quia maximis pietatis præsidiis circumuallasti, firmiora sunt aduersus fortunæ vim, & humanarum rerum vicissitudinem. Arces enim tuas, omnémque ditionem non tam saxa, & murorum moles, quàm beneuolentia, & virtus tuetur. Cui enim pro summis erga se meritis omnia debere videatur, cùm quis est tam inhumanus qui non summo studio complectatur? De me sanè sic velim existimes, nihil vnquam tot à te beneficiis cumulatum maiori aut sollicitudine curæsse, aut voluptate cogitasse, quàm vt me tui studiosissimum, & illorum meritorum gratia si non referenda, at habenda memorem cognosceres. Patere ergo me illud ab humanitate ac modestia tua impetrare, vt hoc opus sub nomine tuo in lucem veniat, perpetuum vel meæ in te voluntatis argumentum, vel grati animi, si non omnino quale velim, at quale possum hoc tempore monumentum.

DOCTOR PENIA CASTELLANVS SVO
IOANNI LVDOVICO DE LA CERDA.

ΧΡΗΣΤΑ παλαιόπατος Τερπυλλιανὸς πάιδ' ἐγραψεν,
Αὐτὰρ τοὶ ζοφερᾷ νυκτὶ καλυπτόμενα.
Ες φάος, ἠγεμόνος σοῦ, κοινῷ τ' ἤλυθε χρεῖαν,
Κτησὶς οὐ ἀυτῶν, Κέρδα, σὺ μᾶλλον ἔσῃ.

IN LAVDEM R. P. LVDOVICI DE LA CERDA,
EPIGRAMMA.

LIber, & nitido decoratus pumice frontem,
Gaudia ne populi longa morere tui.
Te Gangem, & Thales vada trans ferre vltima pridem
Alta coronatis gloria geſtit equis.
Occurrent, lætæque dabunt tibi baſia gentes,
Theſpiadum fontes, antraque quotquot amant.
Poſtque cothurnatum maior te fama Maronem
Tollet, & æternus ſidera tanget honos.
Nec tibi purpureo deerunt vaccinia ſucco,
Téque roſis ſparget, téque Thalia croco.

P. GERARDVS MONTANVS
S. I. S.

Ad Commentaria
R. P. IOANNIS LVDOVICI DE LA CERDA
E SOCIETATE IESV.

In Septimium Tertullianum Hendecasyllabi.

MATRITI aërias superba ad arces
Halans Pierios suada flores,
Dum campis vagâ, roridísque lucis,
Et lucis vaga, floridísque campis
Actæi saturas liquore mellis
Iactat doctisonas ad astra voces,
Qua fragrantibus hinc, & hinc cyperis,
Et vernantibus inde, & inde oliuis
Raucos aureolâ superbus vrnâ
Manzanarius eliquat madores:
Soluentem facili videns Minerua
Scripta Septimij inuoluta CERDAM
Pindi delicium, decúsque CERDAM,
Ter caput quatiens, quatérque honestum:
Quis, inquit, niueis. propinqua pennis
Olor fata procul canit disertus?
Ter sophos modulánsque Tullianum,
Sed sonis, numerísque Tullianis
Tardat attonitos, tenétque fluctus?
Huc rosas manibus, crocúmque plenis
Pindi Castalides iugo canoræ,
Huc ferte Assyriis amoma campis;
Huc & malobathrum, thymúmque olentem.
Et quidquid volucris beata Phœbi
Lucis Æthiopum legit remotis
Vitam proijciens, necísque ab ipso
Ducens perpetuam rogo iuuentam,
Nam Cycnum hunc aliter nefas obire est.

P. GERARDVS MONTANVS
S. I. S.

ELEGIA

DE FAMA ET HONORE OPTIME MERITO IN doctiſſimi Tertulliani Commentariis, ab eruditiſſimo & obſeruantiſſimo Patre IOANNE LVDOVICO DE LA CERDA in lucem proditis, ac ſtudiosè elaboratis.

DOMINVS IOANNES OSSORIO DE ZEPEDA.

LAVRVS celſa parat cantu monumenta perenni,
Tempora qui ſuperet laudis auara tuæ.
Nomen inextinctum Pario de marmore ſtructum
Aſpiciet fama ſecula tarda graui.
Cæſaris euertit regalia tecta ruina,
Et proſternit humi mœnia, templa, domos.
Nocte ruunt Priami turrita palatia magni,
Troiaque funeſta voce ſuperba cadit.
Sed nunquam ingenium celeri memorabile curſu
Ingratè periit, gloria parta manet.
Gratum opus æternis celebrabit laudibus Orbis:
Summus inoblita mente canetur honos.
Fama ſuper nubes velocibus eriget alis
Ardua ſcripta manu, numine plena ſacro.
Hîc pandis nitidi veſtigia fulgida cæli,
Et miſeræ vitæ lora ſoluta ligas.
Edoctus retegis fallacis gaudia mundi,
Prærumpens Erebi vincula dira feri.
Tu reſeras, Ludouice, viam radiantis Olympi,
Præmia qui roſeo ſtemmate larga dabit.
En incautus homo pelagus cum fraudibus horrens:
Conſilio ſtabilis defuge noctis iter.
Si fluxas contemnit opes, qui quærit ouantes
Diuitias, libros perlege, diues eris.
Auratas fugies veſtes, ſi feruidus artes
Exequeris, ſuperis pallia trita placent.
Si præcepta legas clari doctiſſima patris,
Thure Deos fictos non tua vota colent.
Auxiliare Poli numen veneraberis alti,
Conſcendeſque pia ſydera celſa fide.
Corripies vitij rapidas obſtrictus habenas,
Ardentes motus dura catena premet.
Tandem lector eris flammantis victor Auerni,
Et celebris virtus firma columna Dei.
Soluamus meritas Cerdæ pro munere grates,
Cuius opus docto pectine Muſa canit.
Nunc Heliconis honos ſublimia carmina pangat,
Temporibus nectat ſerta decora tuis.
Calliope Aonij quæ tangit fluminis vndas,
Cantibus extollat nomen ad aſtra tuum.

APPROBATIO ET FACVLTAS PRÆPOSITI Prouincialis Prouinciæ Toletanæ.

EGO Petrus de Alarcon Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana potestate ad id mihi facta à R. admodum P. N. MVTIO VITELLESCHI Generali Præposito, facultatem concedo, vt Argumenta, Explicationes, Notæ in Tertullianum, quæ omnia vicem gerunt commentationis, à P. Ioanne Ludouico de la Cerda Societatis nostræ Presbytero composita, & eiusdem Societatis Patrum Franciſci à Guado, Ferdinandi de Salazar, & Emanuelis Suarez iudicio examinata & approbata, typis mandentur: in quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & officij nostri sigillo munitas dedimus. Matriti 15. Iulij, anni 1621. PETRVS DE ALARCON.

APPROBATIO PRO REGIO SENATV.

LIBENS excepi Libros Argumentorum, Explicationum, & Notarum in Q. S. F. Tertullianum, quos eruditißimus P. Ioannes Ludouicus de la Cerda Presbyter Societatis IESV *contexuit & confecit, & mihi legendos Regius Senatus commiſit. Opus ſanè altißimæ eruditionis, Tertulliano lucem, nobis intelligentiam, Eccleſiæ bonum, Deo honorem impertiens. Quare non tantùm ſine offenſione curret: verùm vt communi bono omnes accurrent ei: mouens, trahens ſic & rapiens religio Societatis* IESV *ſtudioſos quoſque vel vno iſto crine (aliàs Cerda) colli ſui. Matriti apud S. Martini Benedictinorum Cœnobium, pridie Calendas Auguſti, anni* 1621. F. ANT. PEREZ.

Facultas & Approbatio Præpoſiti Prouincialis Franciæ.

IGNATIVS Armandus Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico Magno 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiusdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Præpoſitorum ipſius conceſſu imprimant, Michaëli Sonnio Bibliopolæ ac Ciui Pariſienſi permitto, vt Librum cui titulus eſt, *Argumenta, Explicationes, ac Notæ in Tertullianum*, à P. Ioanne Ludouico de la Cerda compoſitum, & trium Theologorum iudicio approbatum, imprimere ac liberè diuendere poſſit. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & noſtri officij ſigillo munitas dedimus. Flexiæ 24. Iulij 1623. I. ARMANDVS.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno, aliisve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos decem annos à die Impreßionis primæ inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur Librum, qui inſcribitur, Argumenta, Explicationes, ac Notæ in Tertullianum, à P. Ioanne Ludouico de la Cerda *compoſitum, præter Michaëlem Sonnium Bibliopolam Pariſienſem, aut illos quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreßis. Datum S. Germani in Laya, 8. Auguſti* 1623.

Signatum, De mandato Regis, RENOVARD.

ELENCHVS OPERVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

De Pallio, ſiue liber I.	pag. 1.
Apologeticus, ſiue liber II.	49.
De Teſtimonio Animæ, ſiue liber III.	230.
Ad Scapulam, ſiue liber IV.	244.
De Pœnitentia, ſiue liber V.	256.
De Oratione, ſiue liber VI.	294.
Ad Martyras, ſiue liber VII.	325.
De Patientia, ſiue liber VIII.	344.
De Spectaculis, ſiue liber IX.	398.
De Idololatria, ſiue liber X.	478.
De Habitu Muliebri, ſiue liber XI.	551.
De Cultu Fœminarum, ſiue liber XII.	577.
Ad Vxorem liber I. ſiue in ordine XIII.	602.
Ad Vxorem liber II. ſiue in ordine XIV.	629.
De Corona Militis, ſiue liber XV.	645.
De Velandis Virginibus, ſiue liber XVI.	705.

DE PALLIO,

DE PALLIO, SIVE LIBRI I.

ARGVMENTVM.

CVM Tertullianus factus aliquando obuiam cuipiam, qui illum impetebat, quòd religionem Christianam suscepisset: hoc versu, itáne à toga ad pallium? *opus hoc nimiùm satyricum & cum aceto ad eum scribit, cùm iam nomen dedisset Christo sub L. Septimio Seuero Aug. in quo probat efficacissimis rationibus id muneris vertendi officij & commutandarum rerum perstitisse in orbe semper, ex quo primùm fundatus à Deo est: ac propterea mirum non videri se à toga ad pallium transisse: in quo miræ laudes Pallij insunt, cuivis potiùs spectandæ quàm scribendæ.*

CAP. I. ARGVMENTVM.

Adhibet tunicam & pallium, quo olim vsi Carthaginienses, & quo nunc.

TERTVLLIANVS.

1. 1. PRINCIPES semper Africæ, viri Carthaginienses, vetustate nobiles, nouitate felices, gaudeo vos tam prosperos temporum, cùm ita vacat ac iuuat, habitus denotare pacis. Hæc & annona & ocia ab imperio & à cœlo.

EXPLICATIO.

1. GAVDET gratulatúrque suos ciues tam prospera temporum fortuna vti, vt vacet ac iuuet denotare & suggillare habitus pacis, scilicet tunicam & pallium Christianum. Sed quare *Principes semper Africæ?* quia *vetustate nobiles*, qua Romanos vincitis, & *nouitate felices*, quam deductione colonia Carthaginiensis sortiti sunt ab Augusto. *Cùm ita vacat ac iuuat*, quando ita vobis vacuum à bellis tempus est ac iucundum. *Hæc annona ab imperio* Augustorum, Seueri, Bassiani, Getæ; *hæc ocia à cœlo*: Vt dicat annonam prouenire ab Imperatorum beneficio, ocia à cœli clementia.

2. 2. Bene est. tamen & vobis habitus olim aliter: tunicæ fuêre, & quidem in fama, de subteminis studio, & luminis consilio, & mensuræ temperamento: quòd neque trans crura prodigæ, nec intra genua inverecundæ, nec brachiis parcæ, nec manibus arctæ, sed nec cingulo sinus diuidente, expeditæ, atque quadratæ instita.

2. Bene se habet, quòd ita prosperi estis. Memineritis tamen, quòd vobis aliter olim fuerint habitus: & primùm de tunicis, quæ quidem tunicæ, fuere, nempe *in fama*, id est, in laude & gloria, *de subteminis studio*, quòd essent tenui filo, siue subtili, textæ perstudiosè. *De* autem est propter; vel *de subteminis studio*, nihil est aliud, quàm, subteminis studio. *Et luminis consilio*, quasi habito consilio cum purpura, quo luminosissimi purpurei coloris tinctæ essent. Præterea etiam temperamentum quæsitum est, quòd neque essent trans crura *prodigæ*, nimiùm dimissæ: *Nec intra*, id est, supra, *genua inuerecundæ*, non tegentes ea quæ natura tegi voluit: *Nec brachiis parcæ*, non strictè brachia vestientes: *Nec manibus arctæ*, non arctantes manus: *Sed nec cingulo sinus diuidente*, nec cinctu, aut cinctione aliqua: *Expeditæ, atque quadratæ instita*: & sic expeditæ erant tunicæ cùm carerent cinctione, & præterea quadratæ cum instita & fascia, quæ extremã partem tunicarum ambiret. Sic concipe tunicas. Erãt illæ gloriosæ propter studium subteminis, & purpureum lumen, adeo vt iretur in consilium purpuræ; & temperamentum mensuræ, quia nec trans crura fluentes & demissæ, nec supra genua inverecundæ, nec brachiis parcæ, nec manibus arctæ; præterea etiam carebant cingulo, atque adeo erant expeditæ & totæ quadratæ cum fascia ambiente.

3. 3. In viris autem pallij extrinsecus habitus & ipse quadrangulus, ab vtroque laterum regestus, & ceruicibus circumstructus, in fibulæ morsu humeris adquiescebat. Instar eius, hodie Æsculapio iam vestro sacerdotium est.

3. Dicit, Pallium virorum, quod extrinsecus gestabatur, fuisse quoque Punicis quadratum siue quadrangulum, *ab vtroque l.* vtrimque, dextra & læua remeans, & ceruices ambiens, adquieuisse humeris in morsu fibulæ: ad exemplum eius quod iam hodie Æsculapij vestri sacerdotibus est. Dixit autem *in viris*, ad discrimen Pallij muliebris, quæ palla est. Ergo sensus est: Vos non Christiani læditis Christianos tunicatos & Palliatos, cùm vos priùs tunicati & Palliati essetis.

4. Sic & in proximo soror ciuitas vestiebat. & sicubi alibi in Africa Tyros. At cùm secularium sortium variauit vrna, & Romanis Deus maluit: soror quidem ciuitas suopte arbitrio mutare properauit, vt adpulsum Scipionem antè iam de habitu salutaret, Romana præcoqua.

4. Ait, Vticam coloniam vtique Tyriorum eodem habitu vsam, fuisse quidem tunicatam & palliatam. *Et sicubi alibi in Africa Tyros*, scilicet Adrymetum Tyriorum colonia: *At cùm*, &c. At cùm potentissima domina fortuna variauit, & Deus Romanis fauit, Vtica suo arbitrio, & vltrò mutare tunicam Carthaginiensem Romana, & pallium toga properauit, vt adpulsum Scipionem Æmilianum missum ad bellum Punicum III. *antè iam*, antè ius coloniæ Romanæ salutaret, *Romana præcoqua*, ante tempus facta iuris Romani, præcociter facta Romana. Vel esse potest sensus, vt mutaret pallium in togam, vt cùm appulisset Scipio, salutaret in habitu togæ illum præcociter facta Romana: itaque *antè iam*, vel est, ante ius coloniæ, vel ante appulsum Scipionem.

5. Vobis verò post iniuriæ beneficium, vt senium non fastigium exemptis, post Gracchi obscœna omina, & Lepidi violenta ludibria, post trinas Pompeij aras, & longas Cæsaris moras, vbi mœnia Statilius Taurus impositit, solemnia Sentius Saturninus enarrauit, cùm concordia iuuat, toga oblata est.

5. Adhibet tempus, quando illis oblata est toga à Romanis, scilicet quando ciuitas restituta est post excidium. Cùm verò ista pendeant à Notis, illic rem tractabimus.

6. Proh quantum circummeauit, à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos, vt ab humeris sublimioris populi Carthaginienses complecteretur. Exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante suspenditis, & pallii iam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis: & si quid præterea conditio, vel dignitas, vel temporalitas vestit. Pallium tamen generaliter vestrum immemores etiam denotatis.

6. Ponit notas, quibus Romana toga vagata humeros Carthaginiensium complecteretur. A Pelasgis ad Lydos, ab Lydis ad Romanos, vt inde ab humeris præpotentis populi vestiret Carthaginienses. Exinde tunicam Romanam longiorem vestra suspenditis *cinctu arbitrante*, id est, arbitrio cinctus, ne scilicet ea longior aut breuior sit, sed in mensuræ temperamento: & Pallij vestri redundantiam iam teretis, perampli, ac rotundi, non, vt olim, quadranguli, fulcitis multitudine tabularum siue tiliarum, id est, multiplici plicatura sustinetis; quæ plicaturæ instar sunt tabularum inuicem sibi superpositarum. *Si quid præterea vestit conditio*, id est, genus vitæ; *vel dignitas*, quæ posita est in magistratu; *vel temporalitas*, hoc est, in tempore belli, pacis, ludorum, nuptiarum, *&c.* Tamen hæc est conditio humana vt pallium *generaliter vestrum*, id est, quo olim vsi quadrangulo, & nunc tereti, & redundanti, immemores etiam denotetis, carpatis, suggilletis. itaque ponit quid exinde vestierint Carthaginienses: in primis tunicam iam coërcebant cinctione, cùm priùs carerent cinctu; & cùm pallium priùs gestarent quadrangulum, nunc redierunt ad Pallium iam teres & rotundum. Itaque verterunt Pallium in aliam speciem: nam rotundum est, & cum multis strigis & plicaturis, cum multis tiliis & tabulis, verè toga. Cùm igitur nunc gestent pallium, insurgunt tamen in illud, in illud (inquam) conuersum iam in togam.

7. Et quidem haud miror præ documento superiore. Nam & arietem (non quem Laberius reciprocicornem, & lanicutem, & testitrahum; sed trabes machina est, quæ muros frangere militat) nemini vnquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago *studiis asperrima belli* prima omnium armasse in oscillum penduli impetus, commentata vim tormenti, de bile pecoris capite vindicantis. Cùm tamen vltimarent tempora patriæ, & aries iam Romanus in muros quondam suos auderet, obstupuere illico Carthaginienses vt nouum extraneum ingenium, *Tantum æui longinqua valet mutare vetustas.* Sic denique Pallium agnoscitur.

7. Equidem haud mirum hoc est, cùm exstent huius rei superiora & clara vestigia, quæ nos errare non sinunt. Cùm constet superius quoddam & supremum argumentum. Nam & arietem (non quem Laberius mimographus describit reciprocis cornibus, & cute lanata, & testiculos grandes trahentem quasi onera; sed trabes est machina (inquam) bello, cuius munus est muros frangere & subruere) quem nemo vnquam librauit armauitque in alium: nam hoc inuentum primitus Afrorum est, imò Carthaginiense; *illa* enim *dicitur Carthago armasse in* oscillationem *penduli*, & pendentis, ac comminantis *impetus*, *commentata vim tormenti de bile*, de ira *pecoris vindicantis* se *capite*. Cùm tamen tempora patriæ meæ vltima iam appropinquarent, & *aries* ille *iam Romanus* factus *auderet in muros* Carthaginienses, stupuere *illico Carthaginienses* viri, vt ingenium & machinam nouam, & extraneam: *Tantum æui*, &c. Sic factum est, vt nec Pallium agnoscatur.

NOTÆ.

8. 1. PRINCIPES SEMPER AFRICÆ.] Saluian. de Gubernat. 7. loquens de Afris: *Sed potentiſsimi quique ac ſublimiſsimi.* & ibid. *Africæ ciuitates, & præcipuè illic Reginam & quaſi dominam.* Apul. 1. Florid. *Principes Africæ v. c.* & 3. *Is laudator mihi apud Principes Africæ viros exiſtit.* Addit autem *ſemper*, tum propter Vticam, quæ eum principatum optabat, nec obtinuit tamen; tum, quia etſi diruta à Romanis Carthago, ſemper tamen metropolis Africæ. Quin apud Scriptores huius ævi, *Principes ſemper Africæ* dicuntur Conſules Africani. Vel: dici poteſt, *ſemper principes Africæ* fuiſſe Carthaginienſes, quia ante excidium & poſt excidium ciuitatis. Ante excidium probare non eſt opus: Poſt verò ipſe paullo infrà clarè oſtendit, cùm ait: *Poſt iniuriæ beneficium vt ſenium non faſtigium exemtis.*

9. 1. VIRI CARTHAGINIENSES.] Notat VVouer. in Minut. ignorari ſæpè hāc particulam *viri*, ideo Minutius ipſe dixit, *Athenienſes viri.* Etenim vindices erant acerrimi contemtæ religionis, qua ſpreta aut ſublata ſciebant omnia miſceri, & imperia euerti. Sunt autem Carthaginienſes clariſſimi. Stephanus illos facit metropolin Libyæ, & clariſſimos. Καρχηδὼν μητρόπολις Λιβύης διασημοτάτη πόλις. Leo Papa IX. ep. 4. *Carthaginienſis Epiſcopus non incongruè dici poteſt Metropolitanus, propter Carthaginem Metropolin totius Africæ.* Saluianus ita de Africa loquitur lib. 7. *Vna tantùm vniuerſarum illic vrbium principe & quaſi matre contentus ſum, illa ſcilicet Romanis arcibus ſemper æmula, armis quondam & fortitudine, poſt ſplendore & dignitate. Carthaginem dico, & vrbi Romæ maximè aduerſariam, & in Africano orbe quaſi Romam.* Nihil dici illuſtrius potuit.

1. HABITVS DENOTARE PACIS.] Reprehendit iſtos reprehenſores pacis, & meritò: *Eſt enim pax* (inquit magnus Dionyſius lib. de diuinis nominibus c. 11.) *quæ omnia coniungit, atque inter omnia concordiam connexionémque & gignit & abſoluit. Itaque eam omnia expetunt, quòd diuiduam ipſorum multitudinem ad totam coniunctionem traducat, inteſtinúmque bellum huius diuerſitatis ad eiuſdem generis domicilium coniungit.* Correctio autem hæc *habitus denotare. Pacis*, inſipida eſt, & iam diu exploſa à Doctis. & *denotare* eſt idem quod carpere, & ſuggillare; & *habitus pacis* eſt tunica & Pallium Chriſtianorum: & ſtupeo Marcilium ita initio offendiſſe, vt obiectum totius libri minimè viderit, cùm *habitus pacis* de toga Romana explicuerit, forſitan quia inter Romanos toga erat pacis nota. Et hoc verè antequam pallium Chriſtianum innoteſceret, quod verè eſt habitus pacis.

2. BENE EST.] Καλῶς ἔχει. Formula eſt bene rei geſtæ. Prudent. in agone Laurentij:

Bene eſt, quod ipſe ex omnibus
Myſteriarches incidit.

10. 2. TVNICÆ.] Adrianus Behotius fruſtra eſt lib. Apophoretorum 3. c. 1. contendens hanc vocem delendam. Non ita eſt, nam vult ſignare tunicam & Pallium, quo Chriſtiani vtebantur, & in quorum laudem hoc opus concipit Tertullianus. & quidem tunica vſos Carthaginienſes probat Hamilcar apud Iuſtinum lib. 17. *Procedit ſordida ſeruilique tunica diſcinctus.* Et ſcribit, *prodigè, inuerecundè*, &c. cùm ſcribendum ſit *prodigæ, inuerecundæ*: vt apparebit ſtatim. Vide Taubmannum in Bacchid. Plauti, vbi & *cinctu*, & *cinticulo*, quibus Græci olim vſi pro tunica.

2. ET QVIDEM IN FAMA.] Ita probè legendum: & *in fama*, eſt, in laude, in honore, in gloria. Similiter errauêre, qui legunt *in famina*, & qui *infamata*, non aſſecuti ſenſum Tertulliani. Probè itaque laudat tunicam, & magnificè extollit.

2. DE SVBTEMINIS STVDIO.] Aliqui legunt *de ſubtegminis ſtudio*, & perperam intelligunt duplicaturam vulgo. Sed Tertul. *ſubtemen* ſcripſit. ſubteminis propria eſt ſubtilitas. Plaut. Mercat. *ſubtemen tenue.* Poſſet tamen legi, *de ſubtegminis ſtudio*, hoc eſt, de optimo tegendi ſtudio. Nam præcipua laus tunicæ eſt optimè tegere: itaque non ſignificatur duplicatura, ſed tegmen. Ergò tria laudat in hac tunica, tegmen, lumen purpureum, & menſuræ temperamentum. Nec video cur ſtare ſententia ſic non poſſit. Aliqui putant otiosè poni diſcrimen inter *ſubtegmen*, & *ſubtemen*, cùm res eadem. in his eſt Caſaubonus in Notis ad Capitolinum. 11.

2. LVMINIS CONSILIO.] Errarunt, vt puto, qui reſcripſere, *& luminis conſilio*, ducti etymologia, quam attingit Varro lib. 5. nec mihi placet Salmaſius qui ita ſcribendum ſerio affirmat in Notis ad Trebellium. Veriſſimè Tertull. ſcripſit, *& luminis conſilio*, & intelligit, quòd Tyriæ & tinctæ eſſent, quaſi capto conſilio cum lumine ſiue purpura. Seneca de Breuit. cap. 12. *Dum de ſingulis capillis in conſilium itur.* Et *lumen* dixit de purpura. ſic Trebellius Pollio, *Chlamydes veri luminis* dixit in Claudio, & intellexit veræ purpuræ. Arnob. l. 5. de pomis loquens: *iccirco illis color eſt purpurei luminis ſuffectione ſubluteus.* Et Statius 4. Siluar. *Contentus arcto lumine purpuræ.* Vbi lumen dixit de purpura, & anguſtum clauum intellexit. & Virg.

luménque inuentæ Purpureum.

2. QVOD NEQVE TRANS CRVRA PRODIGÆ.] Temperamentum hoc ita verbis aliis Ambroſius l. 3. de Virg. *Incincta ſinu quo pudorem tegerent, nec greſſum impedirent.* Et Sidon. dixit epiſt. 18. lib. 4. *Vix appropinquans poplitibus exertis.* Conſtantinus ad Porphyrogenitum filium μέχρι γονάτων, *vſque ad crura.* Hanc verecundam tectionem dici à Græcis ἐυχειμωνεῖν aliqui adnotarunt. Vide & Plaut. *Euſchemè aſtare*, non vno in loco. Sunt autem *veſtes prodigæ*, quas *fluxas* dicunt Latini. Ambroſ. ſerm. 7. *Remiſſis ac fluentibus tunicis.* Paulinus lib. 2. in vita ſancti Martini, 12.

--- tenui veſtis fluitaret amictu.

Clemens Alex. 2. Pædagog. cap. 10. τὸ δὲ σύρειν τὰς ἐσθῆτας ἐπ' ἄκρους καθιεὶς τοὺς πόδας, κομιδῇ διαζόνικόν: *Trahere autem veſtes ad ſummos vſque pedes demiſſas, valde eſt arrogans.* Omnino legendum *prodigæ, inuerecundæ, parcæ, arctæ*: non, *prodigè, inverecundè*, &c. Explicui *intra* idem eſſe, quod *ſupra.* Clemens Alex. vbi ſup. ἐπὶ γὸ ὑπὲρ γόνυ, καθάπερ τὰς Λακαίνας φασὶ παρθένους, ἱστὸν ἰδεῖν καλόν: *Neque enim ſicut Lacænas Virgines, ſupra genu veſtiri honeſtum eſt.* Eſt autem *intra* Phraſis Punica, ita vt difficilè parem inuenias.

2. NEC MANIBVS ARCTÆ.] Quia manicæ non indutui, ſed ornatui. Tales Punicæ. Fecere etiam χειρόδυτας, quæ ſtringebant brachia. Demum ἄχειρα ſine manicis. Tales Romanæ viriles. 13.

2. NEC CINGVLO SINVS DIVIDENTE.] Sic optimè conſtat ſententia, & defenditur lectio antiqua: aliqui tamen, *nec cingulo ſinus diuidente expeditæ.* id eſt, erant tunicæ expeditæ, quòd non diuideret eas cingulum. Poſſunt. Nam ità poſtea, *exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante ſuſpenditis*, cùm ſcilicet iam conceſſiſſent Rei Romanæ.

2. EXPEDITÆ.] Sunt agiles habiléſque ad motionem, vt dixit Prudent. Hymno 1.

Vile cenſent expeditis Ferre dextris ſpicula.

14. 2. ATQVE QVADRATÆ INSTITA.] Ita scripsi optimè, & meliùs credo, quàm *quadrata instita*, atque etiam *quadrata* habet Pamelius. Quadratas tunicas Varro agnoscit, & alij. Discernit verò à tunicis Romanis Punicas. Nam Romanæ cum instita purpurea, quod non accidit Punicis. nam quid instita purpurea, vbi tota tunica purpurea? suprà verò audisti, *luminis consilio*, quo indicatur fuisse purpureas tunicas. Salmasius in notis ad Vopiscum legit: *Et quadratæ in viris stabant*. Est instita, qualem pingit Ouid.

Quæque tegis medios instita longa pedes.

Et quidem hæc apponitur tunicis, vt quadratæ optimæ sint, & expeditæ etiam. Memini apud nostrates fœminas apponi solitas pro instita & fascia storeas quasdam intus, quæ facerent vestem rotundam; Ergo si illæ quadratæ essent, facerent quadratas, & expeditas faciléque ad motionem. Bulingerus legit cap. 29. lib. 1. de veste Pontif. *expedita, atque quadrata instita.*

15. 3. IN VIRIS AVTEM PALLII EXTRINSECVS HABITVS ET IPSE QVADRANGVLVS.] Tale pallium describit quale Persicum Dionysius, πετράγωνον τῷ σώματι, lib. 3. Et qualis vestis *impluuiata*, quæ quatuor quadrata lateribus, quæ forma est impluuiorum in Cauædiis. Do integra Dionysij: *vestem purpuream auro insignitam, & amiculum purpura varium, qualia gerunt Lydorum Persarumque Reges, nisi quòd figura quadrangulum non erat, vt illa, sed hemicyclij forma.* Et Appianus 5. Ciu. suggillauit Antonio, ᾗ στολὴν εἶχε τετράγωνον Ἑλληνικὴν αὐτὶ τῆς πατρίου: *Stolam habuit quadrangulam Græcorum more, spreta patria.* Audiui quendam susurrantem hoc loci esse quadrangulum non quatuor angulis expressum, sed quadratum, ad eum modum quo *res quadratas* dicimus, id est vndecumque habiles, & aptatu faciles. Sed hæc quadrare cum verbis eiusdem cap. vltimi minimè possunt. Verba excipe: *Omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur.* Ecce verè quadrangulam vestem, quam exhibet Tertullian. indicem studiorum liberalium.

16. 3. REGESTVS.] Est hoc quod Hieron. de Muliere septies icta, *paludamento in ceruicem retorto totas expedit vires*. Dicit quippe, Lictorem, vt expeditior esset ad feriendum, paludamentum regessisse, & veluti circumtulisse in ceruicem, & *circumstuxisse*, vt hîc loquitur Tertullianus. Et hæc est fortasse forma illa Pallij, coniecti in collum Epidici, apud Plautum. Vide interpretes ad ea verba: *Palliolum in collum coniice.* Sic olim, pone regerebant apicem, ne grauis esset summis æstatis caloribus. Dicimus enim *Pallium gerere.* Atqui *regerere Pallium*, erit, iterum in ceruices coniicere: veriùs duplicare & conduplicare, & hoc est regestum Pallium vtrinque ad ceruices. Peccant verò, qui legunt postea *circumstrictus*, nam vt cap. 5. dicturus est, in Pallio nihil circumstringitur.

3. IN FIBVLÆ MORSV.] Idem est Atticè quod morsui fibulæ, siue addas *in*, siue demas. Iunius perperam *infibulæ morsu*, vnica dictione, cùm scribendum sit *in fibulæ morsu* dictione duplici: & *in* inquit, phrasi Græca (vt ait Marcilius) vt in Græco Epigrammate, ἐν βέλει πλαγείς, *in telo percussus*, id est, telo. Et in litteris sacris, vt Lucæ 22. κύριε, εἰ παταξομεν ἐν μαχαίρᾳ; *Domine, si percutiemus in gladio?* id est, an percutiemus gladio? Et in Genesi cap. 48. ἔλαβον ἐν μαχαίρᾳ μου καὶ τόξῳ: *Cepi in gladio meo, & arcu.* Sic lib. de Veland. Virg. cap. 12. *in acu lasciuiore*, prò, acu. Non hîc sumas *fibulam* pro ornamento muliebri, qualem Virgilius describit in Didone, sed pro insigni nobilitatis, quæ connectit quadratam tunicam constructam humeris. Hunc honorem fibularum esse antiquum, & maximum, ex historia Machabæorum discès: *Et factum est, vt audiuit Alexander sermones istos, addidit adhuc glorificare Ionatham, & misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis Regum.* Hieronym. de muliere septies icta, *fibulam, quæ chlamydis mordebat oram.* Zeno Veronens. *morsus* dixit de forcipibus, sermone de somnio Iacob. Sed vbinam iste *morsus* fibulæ? Ego puto gestari hanc fibulam, siue morsum fibulæ, eo loci quo à nostratibus gestantur, à collo, inquam. Sic enim ambiret Pallium multo meliùs vtrunque humerum, & simul scapulas. Nescio autem an Bulengerus legat in cap. 1. lib. 1. de veste Pontif. *in fibula.*

17. 3. ÆSCVLAPIO IAM VESTRO.] Quare *vestro*? Aiunt, quia Virgilius dixit *Pœnigena*, lib. 7. Sed Virgilius tantùm *Phœbigenam*. Ergo *vestro*, quia non solùm Pergami, & Romæ, aliisque locis colitur, sed præcipuè Carthagine.

3. SACERDOTIVM EST.] Vult Marcilius esse genitiuum pluralem, nam in iure est frequentissimè *hereditatium, parentium, ciuitatium, facultatium, ætatium, seruitutium.* Esto hoc verum sit, sed ego puto non hoc irrepsisse in animum Tertulliani. Itaque *sacerdotium* hic erit rectus singularis. Vt dicat, *instar eius, hodie sacerdotium est*, & ceremonia *vestro Æsculapio.*

4. SOROR CIVITAS.] Soror Carthaginis Vtica. Quoniam Tyriorum colonia, & par quodam modo. Mela cap. 7. lib. 1. *Vtica & Carthago, ambæ inclytæ, ambæ à Phœnicibus conditæ.* Dicit *vestiebat*, eodem modo quo Liuius lib. 22. *Præda ingens parta est, & præter equos virosque, & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum extat, nam ad vestiendum facto perexiguo vtique militantes vtuntur.*

18. 4. IN AFRICA TYROS.] Solinus cap. 30. *Adrymeto atque Carthagini auctor est à Tyro populus.* Ille qui voluit *quàm in Africa Tyros*, longè falsus est, malèm quidem irrepsisse in litteram *Tyros*, cùm videatur *Tyros* redundare. Deinde quid si legendum, *& sic vbi alibi in Africa Tyros?* ita vt sit, sic vestiebat vbi alibi in Africa est Tyros, scilicet Adrymetum. Porro Adrymetum non posuit, quia non tantum visa est ciuitas vt poneret.

4. SECVLARIVM SORTIVM VARIAVIT VRNA.] Plin. lib. 2. cap. 7. *Fortunæ omnia expensa, omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtranque paginam facit.* Cæterùm codices omnes habent, *At cùm secularium sortium domina Fortuna, & Romanis Deus maluit*: & bene; sed vnus Pamelius, *variauit vrna.* Fortasse sic legendum: *At cùm secularium sortium omina fortunare Romanis Deus maluit*: ita vt à *Domina* solùm adimas litteram (d) & (*fortuna*&) facias *fortunare.* Ratio. Quia alia lectio facit Fortunam & Deum æquales: quæ non Christianum sapit: at hæc Deum facit supra omnem Fortunam: quæ sapit verè Christianum. Vide etiam Epitomam Flori lib. 49.

4. ET ROMANIS DEVS MALVIT.] Sine dubio Hellenismus est, &, *Deus maluit*, est, Deus his præ aliis maluit. Notabis cum Marcilio in *Romanis Deus maluit* subaudiri *factum.* Quippe, *factum alicui velle*, dixit M. Cato in orat. pro Rhodiis apud Agellium lib. 7. cap. 3. *Quod cùm & vtiles essent, & vellent Regi esse factum.* Symmachus lib. 60. lib. 1. *Gelasius cui factum volo.* Apul. Apol. 1. *Sicinium Pontianum priuignum meum, cui factum volo.* Id est, euenire quæ vult, cupio. Ad hoc itaque exemplum Tertullianus dixit, *malle alicui*, id est, *factum.*

19. 4. SOROR QVIDEM CIVITAS.] Quod Synesius dixit orat. de frater. amicit. de Roma, & Constantinopoli, τ' πόλεων ξυωρεῖδα, *bigas vrbium*; sic de Carthagine & Vtica, *soror quidem ciuitas.* Integrum dabo Synesium: ὦ βασίλειε Ζεῦ, ὦ πάτερ ἀνθρώπων, ὦ πολιοῦχε, ᾗ τ' ἑῴας Ῥώμης, ᾗ τ' ἑσπερίας, φυλάττοις μὲν τ' πόλεων ξυωρεῖδα. *O regalis Iupiter, ô pater hominum, ô præses vrbium, Romæ Orientalis & Occiduæ, seruato geminas vrbes.*

4. VT APPVLSVM SCIPIONEM.] In aduentu A P. Scipionis Iunioris, qui Carthaginem funditus deleuit, quique dictus est Scipio Æmilianus.

5. POST INIVRIÆ BENEFICIVM.] ὀξυμώρως. Summum beneficium fuit vobis illata iniuria. Sic Rutilius Numatianus itinerarij lib. 1.

Profuit iniustis te dominante capi.

Vt enim, cùm coluber se stipat inter fruteta, ac senectam, non fastigium relinquit; sic vobis iniuria hæc, summum beneficium fuit, ademit quidem senium, non fastigium. Optimè Rhenanus mutauit *fastidium* in *fastigium*. Est autem dictum Atticè *exemtis senium, non fastigium*, pro, exemtis senio, non fastigio.

20. 5. POST GRACCHI OBSCOENA OMINA.] Carthago XII. anno postquam per Scipionem Africanum Iuniorem funditus excisa fuerat, in vestigiis magnæ Carthaginis beneficio Populi Rom. reædificari iussa est, & à C. Graccho Tribuno plebis deductis eò coloniis Romanorum (teste Solino) Iunonia cognominata, sed non sine prodigio aut *omine*, vti auctor loquitur. Nam mensores (inquit Orosius lib. 5. cap. 12. & ante eum Appianus sub finem libri de bello Libyco) ad limitandum Carthaginiensium agros missi, stipites terminorum fines, nocte à Lupis reuulsos, mordicúsque corrosos repererunt, quod obscœnum omen. B

5. LEPIDI VIOLENTA LVDIBRIA.] M. Æmilium Lepidum Cos. notat, hominem temerarium, ac violentum, rerumque nouarum per insolentiam cupidum, qui ad rescindenda Syllæ acta bellum ciuile excitauit, & à Q. Catulo collega eiectus vrbe, in Ethruriam, & inde in Sardiniam fugit, vt commodiùs Africa abuteretur. Ludibria autem ea dicuntur, quúd ciuile istud bellum, *penè citius oppressum est, quàm inciperet*, ait Florus lib. 3. C

21. 5. POST TRINAS POMPEII ARAS.] Post tres triumphos Pompeij. In omni triumpho frequens ararum mentio. Iuuenal. Sat. 10.

--- duc in Capitolia magnum,
Cretatúmque bouem.

Ouid. 3. Pont. 3.

--- totámque per vrbem
Omnis odoratis ignibus ara calet.

Turbauit verò tempora Tertullianus, cùm triumphos Pompeij secuta fuerint ludibria Lepidi: vel scriptor malè dispositi, & legendum, *Post trinas Pompeij aras, & Lepidi violenta ludibria.*

5. ET LONGAS CÆSARIS MORAS.] Cæsaris Octauiani, qui deduxit Carthaginem & Corinthum colonias. Et *mora* illæ *longæ* annorum 16. fuerunt. Vide Marcilium.

22. 5. VBI MOENIA STATILIVS TAVRVS IMPOSVIT.] Statilius Taurus in Africa anno 1225. instaurationi Carthaginis præfuit, & mœnibus cinxit nouam coloniam, ea parte qua eam Lepidus diruerat. D

5. SOLEMNIA SENTIVS SATVRNINVS ENARRAVIT.] Verbo *enarrauit* includit quidquid ceremoniarum est in hac re. Augur iste docuit ritus ducendæ coloniæ, vti deberet aratrum circumduci, vti auspicia & lustratio fieri. Itaque quod alij *effari*, & Græci ἐφοσιῶν, noster voluit, *enarrauit*.

5. CVM CONCORDIA IVVAT.] Lectio proba secus est illa, *Pro concordia Iouis*, atque è mala manu, sed & qui *iuuit* pro *iuuat*, malè etiam.

6. PROH QVANTVM, &c.] Dionysius lib. 3. Plinius cap. 5. lib. 3. Artemidorus cap. 3. libr. 2. Potuisset spatiari hilariùs nominans Persas, Pelasgos, Arcadas, Lydos, Hetruscos, Romanos. Per hos ambitus Romana toga circummeauit. Fortasse *Lydos* cùm dicit, *Hetruscos* intellexit, imitans Horatium,

Lydorum quicquid Hetruscos Incoluit fines.

6. SVBLIMIORIS POPVLI.] Romanorum character, quem à potentia & sublimitate describes. Egi iam variis in locis Æneidos.

6. CINCTV ARBITRANTE SVSPENDITIS.] Suprà, *Sed nec cingulo sinus diuidente expeditæ*, iuxta aliquorũ lectionem. In arbitrio cinctionis res erat posita, aut bona, aut mala. Cæsar irrisui fuit, quòd malè cingeretur. Xiphilinus in Nerone: Παρδυόμενος ὁ Νέρων ἀζώστους χιτῶνας ἐν τῷ δημοσίῳ ἐνδύεσθαι: *Indutu vestis incincta per publicum Nero legem præuaricabatur.* Et inde est illud, *Discinctos Afros.* Et Horat. 1. Epod. *Discinctus nepos.*

6. PALLII IAM TERETIS REDVNDANTIAM.] 23. Intelligendus est hic locus (me auctore) de toga, necessariò. Aduertendum Tertullianum nimiùm satyricè, & cum aceto loqui. q. d. Quid putatis vos gestare nunc, cùm Pallium Christianorum sugillatis quadrangulum, & quale ego gesto, & reliqui Christiani? certè Pallium geritis. Nam togam istam rotundam & prolixam (id enim est *teres*, prolixum & rotundum) quid putatis esse, nisi Pallium? Pallium est, ô mi viri, Pallium (inquam) ex quadrangulo rotundum, ex breui prolixum: nam talis est toga vestra. Summa est, illos gestare togam, quam Pallium possit nuncupare. Et ita *Pallij* nomine togam intelligit. Ac perinde tunicam, quæ antea carebat cinctione, iam suspenderunt cingulo, & Pallium, quod supra tunicam, quod priùs quadrangulum, & breue; iam rotundum, & prolixum, & cum plicaturis gestabant in togam conuersum. Hęc vox non intellecta obscuritatem dedit huic loco, & pars magna de Pallio ex ea pendet. Atque adeò Cornutus in Satyr. 5. Persij: *Toga est purum Pallium.* Quod statim probat productis argumentis adeò clarè, vt nihil dubites.

6. TABVLATA CONGREGATIONE.] Est hoc, quod Apuleius dixit, *multiplici contignatione*, metaphoricè ab ædium trabibus.

6. VESTIT.] Turnebus, *vertit*. Acquiescerem, *vestit*.

7. TESTITRAHVM.] Variè deformatur hæc vox, cùm Laberius intellexerit animal testes grandes naturales habens, omnino quod Petron. Sat. *habebat enim inguinum pondus tam graue, &c.* Et Martial. 7.

Sed meus (vt de me taceam) Lecania, seruus
Iudæum nulla sub cute pondus habet.

Textibrabum, vel *textitrahum*, vel *vestitrahum* lectiones omitto, vt quæ falsæ & malæ.

7. FRANGERE MILITAT.] Helleniſmus, τειχομαχεῖν πολεμεῖν. Aliqui *minitat*, malè. Sententia est, qua vtuntur milites in frangendis muris.

7. IN OSCILLVM.] De oscillo & oscillatione 24. Turnebus lib. 7. cap. 20. & lib. 20. cap. 24. (consentiuntque Germanus in Virgilium, & Mercurialis lib. 3. Gymnast. cap. 10. Leopardus lib. 6. Emendat. cap. 14.) ait fieri solitas pensiles quasdam gestationes de arboribus, in quibus per lusum iactabantur: quæ iactatio dicta est oscillatio, quâ se mutuò homines alternis & leuabant, & deprimebant. Hoc genus lusus per sex Latinarum feriarum dies celebrare solebant in imaginem vitæ humanæ, in qua altissima interdum deprimuntur, & infima in altum feruntur: sic enim & memoriam redintegrabant motus primi lunarum. Has gestationes Græci αἰώρας dixerunt, & αἰωρεῖσθαι: Galenus autem ἀώρημα. Latini, cernuationes. Huius lusus meminere Athenæus lib. 14. Pollux, Hesychius, alij. Ab Athenienſibus translatæ sunt Romam cernuationes istæ, & celebratæ in feriis Latinis, quas tamen in Liberalibus exhibet Virgil. 2. Georg. Fiebant verò hæ iactationes, aut ligno transuersum appenso ex arbore, aut certè fune & resti, aut vtroque, vt Higinio placet. Reliqua vide ad 2. libr. Georg.

7. AVDERET.] Verbum hoc ſimpliciter poſitum pro facinus edere apud Latinos ſcriptores. Stat.

Ceu primum auſuræ trans alta ignota biremes.

Gratius Cynegetico:

Reſtat equos finire notis, quos arma Dianæ
Admittant, non omne meas genus audet in artes.

7. SIC DENIQVE PALLIVM AGNOSCITVR.] Alij legunt, *Sic denique neque Pallium agnoſcitur.* Et melius. Sed vbi conſtat de ſententia, non opus mutare.

CAP. II. ARGVMENTVM.

25. *Non debere videri nouam veſtis mutationem ex mundi ipſius varia mutandi ratione.*

TERTVLLIANVS.

1. SIT nunc aliunde res, ne Pœnicum inter Romanos aut erubeſcat, aut doleat. Certè habitum vertere naturæ totius ſolemne munus eſt: fungitur & ipſe mundus interim iſte quem incumbimus. Viderit Anaximander, ſi plures putat; viderit ſi quis vſpiam alius ad Meropas, vt Silenus penes aures Midæ blactit, aptas ſanè grandioribus fabulis. Sed & ſi quem Plato æſtimat, cuius imago hîc ſit: etiam ille habeat neceſſe eſt proinde mutare. Quippe ſi mundus, ex diuerſis ſubſtantiis officiiſque conſtabit, ad formam eius quod mundus hic eſt. Neque enim mundus, ſi non vt mundus. Proinde diuerſa in vnum, ex demutatione diuerſa ſunt. Denique diuerſitatis diſcordiam vices fœderant. Ita mutando erit mundus omnis, qui & diuerſitatibus corporatus, & vicibus temperatus.

EXPLICATIO.

26. 1. SIT nunc aliunde argumentatio. *ne Pœnicum*, id eſt, Carthaginienſem. *erubeſcat*, quaſi exprobrata leuitate. aut *doleat*, quaſi exprobrata ſeruitute. *Fungitur, &c.* Eo munere vertēdi habitum fungitur mundus. *interim*, eo ipſo tempore, quo natura, vere aſſiduè. *incumbimus*, incolimus. *Viderit Anaximander, &c.* Phyſicus philoſophus plures mundos putabat, viderit ergo ſi mundus ipſius habitum vertebat. *Viderit ſi quis, &c.* Si quis eſt alius qui ſimile portentum garriat, dicens apud Meropas eſſe alium mundum, quod iam olim Silenus apud aures Midæ narrat, aptas ſanè grandioribus fabulis, vtpote aſininas. *Sed et ſi quem, &c.* Sed etſi mundus iſte verus eſt, quem Plato verum eſſe exiſtimauit, & mundum hunc noſtrum eſſe imaginem illius, conſimiliter ille habeat mutationes neceſſe eſt. *Quippe ſi mundus, &c.* Quippe ſi mundus eſt ille Platonicus, ex diuerſis ſubſtantiis, vt cælo, ſtellis, mari, terra; & officiis, vt conuerſionibus cæli ac ſiderum, conſtabit. *Ad formam eius quod mundus hic eſt*, id eſt, ad ſimilitudinem eius mutare, quod mutare eſt hic mundus, id eſt, ad ſimilitudinem eius mundi qui conſiſtit in mutatione. vel *eius* neutraliter, & ſic *quod* legitimam habet grammaticam. *Neque enim mundus, &c.* Neque enim erit mundus, ſi non habeat mundi ſimilitudinem & mutationem. *Proinde diuerſa, &c.* Conſimiliter *diuerſa in vnum* ſunt & conueniunt ex varia & diuerſa demutatione. Hic ſenſus eſt, non alius. *Denique diuerſitatis, &c.* Denique viciſſitudo, qua res aliæ aliis ſuccedūt, diſcordiam illam *fœderant*, id eſt, concordem faciunt. *Ita mutando, &c.* Ita mundus omnis, ſiue noſter, ſiue Platonicus, mutatione ipſa erit mundus, qui ex variis & diſcordantibus corporibus, & ex varia conſtet viciſſitudine.

27. 2. Noſtra certè metatio (quod clauſis, vel in totum, Homericis oculis liquet) totum verſiforme eſt: dies & nox inuicem vertunt; ſol ſtitionibus annuis, luna modulationibus menſtruis variat: ſiderum diſtincta confuſio interdum deijcit quid, interdum reſuſcitat; cæli ambitus nunc ſub diuo ſplendidus, nunc nubilo ſordidus; aut imbres ruunt, & ſi qua miſſilia cum imbribus, deinde ſubſtillum, & denuò ſudum.

2. Exemplum ponit in hoc ipſo mundo. *Metatio*, habitatio tota eſt verſiformis, ſed helleniſmum facit, id eſt, vertit formam, & habitum. Et *certè* dicit, quaſi ſaltem, cùm dicant alij diuerſos eſſe orbes, ſaltem hic noſter vertit & mutat formam. *Quod clauſis, &c.* Quod clauſis oculis Homericis omnino liquet, quippe Homerus clauſis fuit oculis: vnde & nomen ὁμηρος. *Sol Stitionibus, &c.* Stitiones ſolis videntur eſſe ſolſtitia & reliqui ambitus ſolis. *Luna modulationibus, &c.* Modulationes lunæ videntur eſſe moderata & modulata menſtrua. *Deijcit quid*, ad mortem, in corruptionibus: *reſuſcitat* ab eadem, in generationibus. *Sub diuo*, cùm ſerenum eſt, & extra tectum. *Si qua miſſilia*, grandines. *Subſtillum*, ſtillans guttatim, & *ſudum*, ſerenum, vel potiùs ſine vdo.

28. 3. Sic & mari fides infamis, dum & flabris æquè mutantibus, de tranquillo probum, de fluſtris temperatum, & extemplo de decumanis inquietat. Sic & terram, ſi recenſeas, temporatim veſtiri amantem, propè ſis eandem negare, memor viridem, cùm conſpicis flauam, mox & viſurus canam. Cæterùm quoque eius ornatus quid? Non aliud ex alio mutat, & montium ſcopulæ decurrendo, & fontium venæ ebullando, & fluminum viæ obumbrando?

3. *Sic & mari, &c.* Dicit & mari fidem esse infamem, dum in tranquillo est probum, in flustris & malacia temperatum, in decumanis autem fluctibus & vltra modum assurgentibus inquietum. *De*, hoc loco est, (in) vel (ob) vel (propter.) Vide Notas. *Sic & terram, &c.* Terra item mirum in modum variat. Nam *si recenseas*, quasi illam in censum voces, siue in examen; *Propè sis*, parum absis quin possis negare te illam vidisse in verno virore, cùm flauam in æstate conspicias, ac statim mox visurus es illam in hyeme canam niuibus. Est *temporatim*, per quatuor anni tempora. Per montium *scopulas*, explica vertices. Itaque & ex montibus decurrunt vertices & scopulæ, fontium venæ ebullant nouæ & scaturiunt, viæ fluminum & aluei obumbrant, natis ibi arboribus, humectatione & cursu fluminis.

29. 4. Mutauit & totus orbis, aliquando aquis omnibus obsitus: adhuc maris conchæ & buccinæ peregrinantur in montibus; cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse: sed & enatando rursus infima mutauit, rursus orbis alius. Idem mutat & nunc localiter habitus, cùm situs læditur; cùm inter insulas nulla iam Delos; arenæ Samus; & Sibylla non mendax. Æon in Atlantico, Libyam aut Asiam adæquans quæritur nunc. Italiæ quondam latus, Hadria Tyrrhenóque quassantibus, medio tenus interceptum, reliquias Siciliam facit: tum tota illa plaga discidij, contentiosos æquorum coïtus angustiis retorquens, nomen vitij mari induit, non expuentis naufragia, sed deuorantis. *Genes.* 7. 8. 9.

30. 4. De generali cataclysmo. *Etiam ardua fluitasse*, non tantùm campos, vt Plato asseruit, sed & vniuersum orbem, & montes altissimos: *Sed & enatando, &c.* Sed emergendo ex illutione rursus mutauit infima, & planitiem aridam reddens; & sic factus est orbis alius. *Idem mutat & nunc, &c.* Mutat nunc localiter habitus suos, tanquam vestem, cùm aliquid in eo situm læditur & perit, verbi gratia, cùm inter insulas nulla iam Delos, Samus arenæ, & Sibylla non mendax. id est: nulla est Delos, & Samus ipsa est arenæ, nã Sibylla nõ mẽtitur. *Aeon in Atlantico, &c.* Æon in Atlantico mari, qui, vt dixit Plato, Libyam & Asiam adæquabat, quæritur nunc, nam disperiit. *Italiæ quondam, &c.* Quin latus quondam Italiæ cùm Hadriaticum & Tyrrhenum mare concuterent, vtrinque medio tenus interiectum interceptúmque ab vndis, facit reliquias suas, id est, id quod superfuit, Siciliam insulam. Dicit porrò *medio tenus*, quia non totum latus auulsum fuit, sed medio tenus; si enim totum latus auulsum esset, totam etiam secum magnam Græciam traxisset. Pergo. *Tum*, id est, deinde, *tota illa plaga discidij*, id est, discindens & diuidens Italiam & Siciliam, contentiosos illos æquorum fluctus, congressus, coïtus, præ angustia spatij vtriusque littoris, retorquens, nomen vitij mari imposuit, non expuentis sed deuorantis naufragia, Charybdin puta, quæ absorbet, vel deglutit res naufragas.

31. 5. Patitur & continens de cælo, aut de suo. Aspice ad Palæstinã, quæ Iordanis amnis finium arbiter, vastitas ingens, & orba regio, & frustra ager est, & vrbes retrò, & populi frequentes, & solum exaudiebat: dehinc vt Deus censor esset, impietas ignium meruit imbres: hactenus Sodoma, & nulla Gomorra, & cinis omnia, & propinquitas maris iuxta cum solo mortem bibit. Ex huiusmodi nubilo & Tuscia Vulsinios pristinos deusta, quo magis de montibus suis Campania speret, erepta Pompeios. Sed absit. Vtinam & Asia secura iam sit de soli ingluuie: & Africa semel voraginem pauerit, vnicis castris fraudatis expiata. *Genes.* 18. & 19.

32. 5. *Patitur, &c.* Patitur de cælo, aut de suo. de cælo primùm. Itaque dicit: Continens etiam patitur calamitates de cælo, & de suo. De cælo, nam *Aspice ad Palæstinam*: de suo, *nam vtinam & Asia, &c. Finium arbiter* inter Arabiam Petræam & Samariam, inter Moabitidem & Iudæam. *Frustra ager est*, quo frustra agas sine labore, vtpote sterilis. Ager enim ab agendo dicitur. *Vrbes retrò*, olim vrbes quatuor. *Solum exaudiebat*, solum erat fertile. Summa est, triplex oppositio, videlicet *vastitas ingens*, & *vrbes retrò*: Dein *orba regio*, & *populi frequentes*: tandem *frustra ager est*, & *solum exaudiebat*. Procedo. *Dehinc, &c.* Deinde tamen cùm populi frequentes essent, & solum esset fertile, voluit Deus censor esse, & imbres pluere propter impietatem eorum. Meruere itaque peccata Deum habere censorem, vt esset nimirum & haberetur, atque innotesceret Deus vindex impietatis. *Hactenus Sodoma*, scilicet hactenus vsque ad imbres illos: & iam non est. *Propinquitas maris*, propinquitatem maris vocat aquas, quæ ebullierunt è puteis, & Sodomam inundarunt, quas cùm videret non esse propriè mare, sed vicinitatem cum mari habere, non mare, sed propinquitatem maris appellauit. *Mortem bibit*, sterilis fuit, id est, propinquum mare sterile est, vt solum etiam sterile est. *Deusta*, Græca constructio, deusta est Vulsinios. Itaque dicit: Ex huiusmodi nubilo & cæli fragore Thuscia ingemit, cui pristini Vulsinij arsere; quo magis metuere Campania de suis montibus potest, cùm præsertim illi abrepti sint Pompeij Vesuuio inundante fumo & flammis. *Campania speret*, metuat Campania de suo Vesuuio. *Erepta Pompeios*, cui iam ereptum Pompeij oppidum. Græca pariter constructio. *Sed absit*, auertant superi omen. *De soli ingluuie.* En iam illud, *de suo*, id est, suopte ingenio. χάσμα terræ, id est, hiatum intelligit. *Vnicis castris fraudatis expiata*, purgata vnicis castris Cambysis fraudatis, nimirum, prandio.

33. 6. Multa & alia huiusmodi detrimenta habitum orbis nouauêre, sitúsque mouêre. Bellis quoque plurimum licuit. Sed piget tristia non minùs quàm regnorum vices recensere, quotiens & ista mutauerint à Nino Beli progenie: si tamen Ninus regnauit primus, vt autumat superiorum profanitas (fermè apud vos vltra stilus non solet) ab Assy-

Geneſ.1. rijs, ſi fortè æui hiſtoriæ pateſcunt. Qui verò diuinas lectitamus, ab ipſius mundi natalibus compotes ſumus.

34. 6. *Habitum*, vt veſtem. *Sitúſque mouere*, multa ſitus verterunt incendiis, flammis, ignibus. *Bellis quoque:* quid dicam de bellorum æſtuante impetu? *Sed piget, &c.* Pigritia verò mihi eſt, & tædium triſtia certamina referre, non minùs quàm varias viciſſitudines regnorum. Pariter me diuexant bellorum ac regnorum viciſſitudines. *Quotiens & iſta, &c.* Proh dedecus, quotiens regna mutarunt à Nino Beli filio. *Si tamen Ninus regnauit, &c.* Si Ninus rex fuit primus, vt putant Gentiles (nam vltra illum vos non Chriſtiani, nullum regem agnoſcitis) qui regnauit in Aſſyriis, & fortaſſe incipiunt hiſtoriæ ab illo. *Qui verò, &c.* Sed nos aliter inſtructi ſumus à mundi natalibus.

35. 7. Sed læta iam malo, quippe & læta mutant. Denique ſi quid mare diluit, cælum texit, terra ſubduxit, gladius detotondit, aliàs verſura compenſato redit. Nam & primitus maiore ambitu terra caſſa, & vacans hominum, & ſicubi aliqua gens occuparat, ſibimet
Geneſ. 47. ſoli erat. Itaque cogitans omnia ſibi domum, intelligens alibi ſtipantem, alibi deſeren-
Pſalm. 113. tem, runcare atque ruſpare conſuluit, vt inde velut ex ſurculis & propaginibus populi de populis, vrbes de vrbibus per vbique orbis pangerentur. Tranſuolauêre redundantium gentium examina: Scythæ exuberant in Perſas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt, Chaldæum ſemen in Ægyptum educatur. De hinc cùm inde traducitur Iudæa gens eſt. Sic & Herculea poſteritas, qui Temeno pariter Peloponneſum occupando producunt. Sic & Iones Nilei comites Aſiam nouis vrbibus inſtruunt. Sic & Corinthij cum Archia muniunt Syracuſas.

36. 7. *Malo* referre. *Denique* cùm comparet ſe ad læta narranda, prius ait. quæ accidunt triſtia, alibi proſperis compenſari. Et ita, ſi quid mare diluit, &c. aliàs verſura redit compenſatò. *Diluit*, inundauit. *Texit* fulminibus, aut ignitis iaculis. *Subduxit* hiatibus ſuis. *Detotondit*, armis & bello. *Verſura*, commutatio, ita *verſura* eſt neceſſariò in nominatiuo. Et *compenſatò* eſt aduerbium, quaſi dicat, verſura & commutatio redit compenſata. Velut partem terræ, quam mare abſorbuit, ruinam compenſando, alibi detexit. *Primitus* antequam homines propagarentur & diſpergerentur per terram. *Caſſa*, inanis. *Et ſicubi, &c.* Si aliquando gens aliqua occupauerat aliquid terræ, ſibimet ſoli reſeruabat eam partem terræ, ſine aliarum vſu & fruitione. *Itaque, &c.* Cogitans itaque totum orbem eſſe ſibi domum à natura conſtitutam, & intelligens, alibi homines ſeſe comprimere præ multitudine; alibi deſertam eſſe terram hominibus; conſuluit ſuam multitudinem *runcare*, id eſt, euellere; & item *ruſpare*, id eſt, quærere alias terras, vt inde veluti ex ſurculis & propaginibus vrbes & populi de vrbibus, & populis propagarentur per vbique orbis terrarum partes. *Tranſuolauêre, &c.* Ponit variarum gentium tranſmigrationes & examina, Scytharum in Perſas, Phœnicum in Africanos, Phrygum in Romanos, Chaldæorum in Ægyptios. Notentur verba ab volatu, partu, eductu. Quid plura potuit? Cùm dixit *exuberant* ſumpſit locutionem ab arboribus, quæ dicuntur exuberare, cùm plenæ ſunt. *Educatur*, educitur. *Sic & Herculea, &c.* Ita poſteri Herculis producunt in lucem cum Temeno pariter occupando Peloponneſum, id eſt, cum Temeno profecti occupant Peloponneſum. *Sic & Iones, &c.* Aſiam occupant Iones cum Nileo Codri filio. Et Corinthij cum Archia duce ſuo muniunt Coloniam Syracuſas, & condunt. Aliqui hîc, *mœniunt Syracuſas.*

8. Sed vanum iam antiquitas, quando curricula noſtra coram. Quantum reformauit orbis ſeculum iſtud; quantum vrbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præſentis imperij triplex virtus, Deo tot Auguſtis in vnum fauente? quot cenſus tranſcripti? quot populi propaginati? quot ordines illuſtrati? quot barbari excluſi? Reuera orbis cultiſſimum huius imperij rus eſt, eradicato omni aconito hoſtilitatis, carecto & rubo ſubdolæ familiaritatis, conſitum & amœnum ſuper Alcinoi pometum, & Midæ roſetum. Laudans igitur orbem mutantem, quid denotas hominem?

37. 8. *Sed vanum, &c.* Sed omnia antiqua vana ſunt, quando noſtra coram ſunt. *Quantum reformauit, &c.* Quot partes orbis reformauit hoc ſeculum? *Quantum vrbium, &c.* Tria ponit membra, produxit, auxit, reddidit; quia triplex virtus. *Deo tot Auguſtis in vnum fauente.* Sententia eſt: Seuero, Baſſiano, Geta in vnum, ſic vnitis vt quaſi vnum ſint. *Quot cenſus tranſcripti?* Melius, in tabulis cenſualibus perſcripti. *Quot populi propaginati?* Deductionibus coloniarum. *Quot ordines illuſtrati?* Reſtituti antiquo ſplendori, delectu habito. *Quot barbari excluſi?* Firmatis imperij clauſuris, ac limitibus. *Reuera, &c.* id eſt, verè orbis Romanus eſt cultiſſimum rus huius imperij. *Omni aconito hoſtilitatis*: aconitum herba eſt venenata, ſcilicet victo Peſcennio & Albino. *Carecto & rubo ſubdolæ familiaritatis*, Plautinianæ. *Laudans*: Cùm igitur non Chriſtiane laudes mutantem orbem, quid ad infamiam denotas & fugillas hominem mutantem togam Pallio?

NOTÆ.

38. 1. RES.] Pro argumentatione, πραγματεία. Plaut. Rudente, *iam reperi rem, quo pacto nec fur, nec ſocius ſies.* Tullius Paradox. 4. *Rebus ad vineam neceſſarijs.*

1. POENICVM.] Pro Pœno: ſic dicitur *Germanicum*, & *Ibericum*, pro Germanis & Iberis. Thucydides ſæpè ἰλλυριὸς pro ἰλλυρεῖς. Falſa illa lectio Richerij, *ne Pœni, cùm inter, &c.* Aut, vt mauult, *Pœni-*

cum, pro Pœnicus, vt Glycerium. Omnia abeunt à Tertulliano.

1. HABITVM VERTERE.] Seneca epist. 58. *Timemúsque nequando moriamur, cùm omne momentum mors prioris habitus sit.* Etenim solemne est vti hac metaphora in rebus aliis, ad eum modum quo dixit Eusebius Gallic. Epis. loquens de sancto Latrone: *Dies refugo lumine, quomodo potest, sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu more lugentis induitur; & sicut tota cæli facies Dominicæ natiuitatis gloriam noua luce testatur, ita Crucis iniuriam noctis tenebris detestatur.*

39. 1. FVNGITVR ET IPSE MVNDVS INTERIM.] Non est *fungitur*, paullatim interit, vt vult Pamelius, sed fungitur, sensu obuio. Et *interim* non est interdum, vt vult Iunius, non enim mundus agit vices suas interdum, sed assiduè. Itaque est interea, q.d. Natura habitum vertit, & interea mundus fungitur. Addúcam hîc locum Athanas. orat. contra Gentes, loquentis de mundi habitu: Ἡλίου γὰρ, &c. *Sole enim sub terra agente, lucis conspectu, telluris vmbra interuentu adimitur: lunam autem diurno tempore sui splendoris iubare sol occultat: fructus terræ subinde grandine cliduntur: ignis, si fiat aquarum inundatio, extinguitur. Hyemem ver expugnat: æstas porro non sinit vernale tempus suos limites transire: ipsa quoque vicissim ab Autumno prohibetur ne terminis suis exeat.*

40. 1. AD MEROPAS VT SILENVS.] Ælianus lib. 3. ait, Silenum Midæ Phrygio persuasisse, existere extra hunc mundum continentem immensam, & homines qui Meropes dicerentur. Tertullianus etiã contra Hermogenem cap. 25. Rectè autẽ *blactit*, non *blattit*, quippe à βλαξ, βλακὸς. Legendũ *fabulis*, nõ *fabulas*, hoc quippe nolẽti Tertulliano obiicitur. Midæ fabula nota est. Ad eam alluśit sanctus Nicephorus Constantinop. in breuiario Historiæ: φιλόχρυσος δὲ ὢν ὁ μισόχρισος νέος Μίδας Κωνσταντῖνος ἀναδείκνυται: *Sed cùm auri mirum in modum in Constãtino cupiditas flagraret, nouũ se Midam exhibuit.* Hic enim cùm, vt purgaret crimẽ, in amnem Sardium iret, à Baccho missus; fortè Phœbus à Pane vocatus in certamen canendi, & illius victor, vnus Midas restitit. Quamobrem cecinit Ouidius in 11. Metamorph.

----non Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram:
Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet,
Instabileque illas facit, & dat posse moueri.
Cetera sunt hominis, partem damnatur in vnam,
Induiturque aures lentè gradientis asselli.

41. 1. HABEAT NECESSE EST PROINDE MVTARE.] Debeat mutare. Marius Victorinus, Afer etiam ipse, lib. 1. in Arrium: *Sed dixit, exinaniuit semetipsum. Rectè, qui habebat induere hominem.* Id est, debebat. Ambrosius lib. 1. de Virgin. *Habemus præstare.* Cyprianus de Orat. *Manifestari habeat.* In Concil. Chalcedonensi Act. 4. τὶ ἔχω ποιῆσω: *Quid habeo facere.* Nazianz. orat. 20. πωτομώτερον εἰπεῖν ἔχω: *Habeo breuius loqui*, id est, compendio loquar. Alexander Epis. Alexandrin. in epist. πολλὰ λέγειν ἔχω: *Multa habeo dicere.*

1. QVIPPE SI MVNDVS.] Vt legi, legendum. Itaque post hæc, *quippe si mundus*, apponendum statim comma, vt dicat, quippe si mundus est ille Platonicus, oportet constet conuersionibus & officiis.

1. SVBSTANTIIS OFFICIISQVE.] οὐσία & δυνάμεις pertinent ad substantias, ἔργα & πάθη ad officia. Quæ sequuntur, ita legit Iunius, *si non vt mundus proinde: diuersa, in vnum ex demutatione diuersa sunt: denique diuersitatis discord.* &c. Sed perperam, nec vim rationis intellexit, cùm in Tertulliano *proinde* sit, consimiliter.

42. 2. METATIO.] Sunt qui propriè notent *metatores* à re castrensi dictos, qui præcedentes castris locum eligunt: propriè προσημαίνειν, sunt illi qui dicuntur definire metis positis, describere, adsignare. Vegetius, Iustinianus, Isidorus.

2. CLAVSIS VEL IN TOTVM HOMERICIS OCVLIS LIQVET.] Id est, (explicatore Andrea Brugensi in formulas Prouerbiales) res clara, & clarior meridiana luce. Adducitque Augustinum: *Quæ tandem vis, nisi cæcitas & vanitas animi cogit hominem clausis, vt dicitur, oculis, tanquam in alterum iacere, quod cùm in eum iecerit, continuò redeat?* Et Hieronymum: *Melius est tamen clausis (quod dicitur) oculis, Ardabatarum more pugnare, quàm directa spicula clypeo non repellere veritatis.* De Homero quid dicam? Id clarum vel ex vno Martiano Capella, qui lib. 1. sic ait: *Cæcutientisque Mæonij suauiloquam senectutem*, subaudi, sicuti. Id si vellent studiosi Tertulliani, paginam daremus Auctorum.

2. TOTVM VERSIFORME EST.] ὅλον πρόσωπόν ἐστι. Malè Casaubonus in Notis ad Spartianum legit: *Nostra notatio, totum versiforme est.* Capella lib. 6. de nuptiis Philolog. de Ioue ait: *Versiformis cupitor.*

43. 2. SOLSTITIONIBVS ANNVIS.] Duplex certè vox, non vna. Et intelligit solstitia æstiua, τροπὰς θερινάς. Nam sol vnico cursu, qui annuus est, peracto stat, & annum efficit. Neque enim opus est trahere Tertullianum ad duo solstitia, cùm omnes boni Latini vnum agnoscant, æstiuum scilicet, & illud opponant Brumæ. Vide me in 1. Georg. Vnde Prudentius in Agone Romani, vnum videtur agnoscere, cùm ait:

Per solis ignes iuro, qui nostros dies
Reciprocatis administrat cornibus,
Cuius recursu lux & annus ducitur.

Idem omnino dicit, quod Tertullian. & in Hymno Petri & Pauli,

Vt teres orbis iter flexi rota percucurrit anni.

44. 2. LVNA MODVLATIONIBVS MENSTRVIS VARIAT.] *Modulationibus menstruis*, id est, mensuris. Et verbum *modulari*, dictum vt libro de Oratione cap. 11. *& Dominica Passione modulantes.* Vtique quod Macrobius in Somn. Scipionis, *dispensationibus.* & fortasse vsus *modulationibus*, quia noctu peragit iter Luna, hominibus otians. Quam ad rem apta sunt verba Luciani in Bis accusato hæc. Ἡ σελήνη δὲ ἀγρυπνεῖ καὶ ὅλη παρίεκεται, φαίνουσα τοῖς κωμάζουσι: *Luna autem in somnis, & ipsa circumit comessantibus lumen indulgens.* Aut dicitur illa, *modulationibus menstruis* variare, quia certa mensura, veluti numerorum ratione, & concentu variando mensem efficit (Hispanicè, *à compas.*) Sic aquæ Baptismi in cap. 3. dicuntur ab eodem *modulatrices aquæ*, & cap. 8. Deum ait, *modulari sublimitatem.* & cap. 32. aduersus Hermogen. illa verba Prouerb. 8. *Cum eo eram cuncta componens*, vertit, *cum ipso modulans*, & cap. 18. *cum ipso compingens*, & Irenæus reddit, *aptans.* Ac perinde erit idem *modulationibus, compositionibus, compinctionibus, aptationibus.* Et Eusеb. Gallic. Epist. de Ascensione Domini: *Præeuntes Archangeli modulata exultatione respondent, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Ergo Sol efficit stationibus annum, & Luna modulationibus mensem, & sic variant.

2. DEIICIT QVID, &c.] In paraphrasi sumsi de cælesti influxu, quo res generantur, & corrumpuntur. Qui velit tamen, dicat, siderum distinctam confusionẽ interdum aliquid deiicere, scilicet Cometam: qui cùm similitudinem stellæ referat, quasi cadere videtur, & deiici è cælo. Quem interdum resuscitat, cùm ipsius materiam, videlicet exhalationem à tellure extrahit cælestis influxus. Deinde, quid si multiscius Tertullianus, quod gloriatur Alphonsus inuenisse, priùs illo reperit, & assecutus est motum trepidationis, quo sydera modò in hanc partem inclinant, quod

est *deiicere aliquid*, rursus attolluntur supernè librata in aliam partem, quod *resuscitare quid*. Si mauis, accipe motum proprium Planetarum modò vergẽtium in Meridiem, modò in Septentrionem: Sicut motus Solis inter duo solstitia, item & Lunæ. Dedi tibi vberrimam segetem interpretationum in loco difficili.

45. 2. SVBDIVO.] Vnica dictio, est propriè serenitate proliciente extra tectum. Glossæ, *subdiuum*, ὕπαιθρον, καὶ ὑπαίθριος. Scio aliis esse diuersas voces, sed Græca compositio facit me vt hoc putem. Idem omnino quod Faustus Homil. de sancto Maximo Lirinensi Episcopo (nam esse Fausti vincit me Dinamius, eius vitæ scriptor) dixit: *Sub nudo axe cæli trium dierum ac trium noctium imbribus, sicut & ipse sum testis.*

2. MISSILIA.] Pamelius *fulgura* capit. Nihil tamen video similitudinis cum missilibus Romanorum. Sueton. Calig. *Sparsit & missilia variarum rerum.* Et Nerone: *Sparsa & missilia omnium rerum.* Potius est vt grandinem accipias, quæ cum imbribus.

2. SVBSTILLVM.] Festus: *Substillum tempus* B *ante pluuiam iam penè uuidum, & post pluuiam non persiccum, quod iam stillaret, aut nondũ desiisset.* His accipio dubium aërem serenum & pluuium. Cato autem de re Rust. cap. 156. *Nunc de illis, quibus agrè lotium it, quibúsque substillum est:* Quæ verba Turneb. accipit libr. 10. cap. 19. de patientibus stranguriam, quam appellat *substillum*, quòd guttatim cadat vrina, & stillatim. Glossæ, ὑποστάζω, *substillo.* Dehinc *sudum* oppositum illi, id est, sine vdo.

46. 3. SIC ET MARI FIDES INFAMIS.] Horatius Od. 3. lib. 1.

Infames scopulos Acroceraunia.

Nazianz. orat. 17. ad incrementum ita est locutus. Πτειχωρεῖ τὰ πάντα ῥᾳδίως καὶ μεταχωρεῖ, καὶ ἀπικνδίφατα, ὡς αὖρις εἶναι μᾶλλον πιστεύειν, ἢ ἀνθρώπων ξυνηθείᾳ: *Omnia enim in orbem facilè feruntur, atque in diuersum migrant, sibique inuicem aduersantur, vt ventis fides magis* C *haberi posse videatur, quàm hominum felicitati.* Thales Milesius, ἄπιστον ἡ θάλασσα: *mare infidum.* Et Petron. Sat. *Subsiti ergo tristis, cœpique nitentibus oculis maris fidem inspicere.* Seneca: *Non est necesse mari tentare, nec sequi castra* Greg. Nyssenus in orat. funebri Placillæ Imperatricis, θάλασσα κυματωδὴς τῇ λαίλαπι τῆς συμφορᾶς ἐκ βυθῶν ἀνατέτραπται: *mare turbine calamitatis commotum ab imo fundo euertitur.* Periodum autem mihi visum est apponere Ciceronis ex Academicis: quo luculenter ostenditur quàm sit hæc fides maris infida. Inquit igitur: *Mare illud, quod nunc Fauonio nascente, purpureum videtur, idem huic nostro videbitur: nec tamen assentietur, quia nobismetipsis modò cæruleum videbatur, nunc flauum: quodque nunc quia à Sole colluces, albescit & vibrat, dissimileque est proximè ei continenti.* Idem igitur mare, quod tam varios emittit colores, quale speras futurum, flante Aquilone, quod priùs lene & mite fuerat? Latinus Pacatus in Panegyrico D Theodosij, *maria æstibus inquieta sunt.*

47. 3. DE TRANQVILLO PROBVM.] Debeo locum istum explicare, qui multis visus est vitiosus. Dicit maris fidem infamem, quia *extemplo de decumanis inquietat.* Itaque *probum* est mare *de tranquillo*, id est, ob tranquillum: deinde propter fluctra *temperatum.* Sunt *fluctra* cùm in mari fluctus non mouentur, sed est malacia, & mari ea temperies vt vix naues moueantur. Itaque optimè Raderus in Martialem lib. 6. epig. 39. *Fluctra dicuntur in mari fluctus immoti, stabiles, & iacentes, stupentesque, quam Græci μαλακίαν vocant.* At postea tamen subitò mare ita tenue *de decumanis inquietat*, id est, propter fluctus decumanos. De enim præpositio errare fecit omnes, cùm tantùm significet, in tranquillitate esse probum: id quod alibi ostendam clariùs. Ergo *de* pro *in*, vel *ob* ponitur. Quemadmodum Plautus in fine Mostellariæ posuit *ob* pro *ad*, eo versu: *Ait sese metuere in conspectum illius occedere*, pro, accedere. Vide Taubmannum. Et loco *pro* dixit Agellius *ob*, lib. 11. c. 16. *Talentum magnum ob vnã fabulam datum esse*, pro, vna fabula. Itaque, qui legit *pronum*, is est Latinius: & qui *prosum*, id est procellosum, is est Mercerius: & qui *prohibum*, scilicet à portu, is est Marcilius; isti omnes nihil ausi sunt: & verò libri communes meliùs habent *probum.* Vt noster *de decumanis inquietat.* Minutius Felix, vt *semper mare etiam positis flatibus inquietum est.* Et Cyprianus Epist. 1. cum respectu ad mare, *inquietantes seculi turbinibus.* Sunt *decumani fluctus*, decimi, id est, maximi, quod Græci τεικυμίαν: illi ad numerum tertium confugiunt, nos ad decimum. Ouid. 11. Met. Silius lib. 14. demum Seneca, Lucanus, Valerius, alij.

48. 3. TERRAM TEMPORATIM VESTIRI AMANTEM.] Turnebus legit, *Terram temporatim verti variantem.* Cùm tamen Ammian. dixerit lib. 11. *Vt rebus amat fieri dubiis & turbatis.* Tria autem tempora notat, ver colore *viridi*, æstatem *flauo*, hyemem *cano.* Potuit Autumnum *vario* colore depingere: omisit. Dixit terram *vestiri*, similitudine idonea, & frequenti Poëtis: quin Simocatta lib. 4. Hist. Mauricij cap. 8. τὰ δένδρα ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις τὰ ἱμάτια ἀπεδύσαντο: *Diebus istis arbores suas vestes deposuerunt.* id est, frondes. Est *temporatim* secundùm tempora: quod astruit Gretserus in defensione capitis 14. Bellarminij, lib. 2. vt verò noster *temporatim*, sic occurrunt in libris *Morsicatim, filiatim, passeratim, anseratim, mucronatim, meatim, quadrupedatim, continuatim, summatim, nostratim, alternatim, cossim* pro *coxim* à coxa, *purpussim*, &c. Multa dabo in Apologetico cap. 35. vbi ait *cateruatim*: quem locum vide: pleraque autem horum aduerbiorum sunt apud Charisium.

49. 3. MVTAT.] Legunt aliqui *mutant*, possunt, nam ita legunt: *Ceteri quoque eius ornatus, quid non aliud ex alio mutant?* Is est Ianus Rutgersius.

3. SCOPVLÆ.] Laudo Marcilium ita scribentem, qui ait inde corruptam vocem in *scapula*, & verè *scopulas* is scripsit. sunt istæ speculæ summæ & acumina seu vertices montium, idem quod *diluuium*, vt habes in Æneide, *diluuio ex illo.* siue, vt Ouidius 15. Metam.

---diluuio mons est deductus in æquor.

Itaque *scopula* est σκοπή, siue specula. Et textura huius Pallij omnino est Græca magis quàm Latina. Itaque quamuis vsũ nostro non sit scopula, potuit hic vir mutatione Græca desumere. Potest etiam intelligi per scopulas, nix vel pluuia: de quibus propriè dicas decurrere, nam aliter diceret, *ruendo.*

50. 3. FLVMINVM VIÆ OBVMBRANDO.] Malè scripsere aliqui *obambulando.* Itaque nominat alueos *vias fluminum*, vt Ouid. 15. Met. dixit,

--- tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut exsiccata resistunt.

Et mutatio in hoc consistit, quòd prouoluantur ex montibus vertices aquarum, quòd nouæ passim venæ aquarum exsiliant, quòd sint arbusta vbi priùs erat flumen. Ianus Rutgersius lib. 3. Variarum cap. 14. legit, *ebombilando*, voce, inquit ille, aptissima ad exprimendum erumpentis fluminis impetum. Et licèt habeat aliquid saporis hæc lectio, censeo tamen nihil mutandum in Tertulliano. Alicui videbitur legendum, *obundando.*

4. ADHVC MARIS CONCHÆ ET BVCCINÆ, &c.] Optimè ista Marcil. Ouid. lib. 15. Met.

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: Vidi factas ex æquore terras:
Et procul à pelago conchæ iacuêre marinæ,
Et vetus inuenta est in montibus ancora summis.

Etiam Plutar. lib. de Isid. θάλασσα γὰρ ὠὴ ἡ Αἰγυπτος. διὸ πολλὰ μὲν ἐν ταῖς μετάλλοις, καὶ ταῖς ὄρυξιν εὑρίσκεται μίγδε

πᾶσι κοχλία ἔχειν: *Mare enim Aegyptus erat. Quocirca multa in metallis & montibus hodie inueniuntur conchylia.* Xenophanes Colophonius apud Origenem lib. φιλοσοφουμένων: *In medio terræ & in montibus concharum testæ inueniuntur.* Orosius cap.3.lib.1.ait, *ex lapidibus, quos in remotis montibus, conchis & ostreis scabros, iuueneris, conijci adhuc posse coniecturam diluuij.*

4. ETIAM ARDVA FLVITASSE.] Aliqui, *& in ardua fluitasse*, malè, & non ex intellecto Tertulliano.

51. 4. INFIMA MVTAVIT.] Alij, *in forma mutauit*, consentientibus quibusdam Codicibus, iuxta duplicem mutationem in forma & loco. Vt dicat mutationem totius orbis aquis obsiti esse in forma, cùm emersit, & redditus est suæ formæ pristinæ absque mutatione loci. De loci mutatione statim dicit. Et sic ferri potest hæc lectio. Adde, verbum *mutauit*, quo absolutè vtitur auctor, & nullo casu, eadem forma esse hîc, & suprà, *mutauit & totus orbis*, etiam absolutè: qua enim ratione dices *rursus infima mutauit*, cùm suprà dixerit, *mutauit & totus orbis?* Sed cùm postea dicit, *mutat & nunc localiter habitus*, cum accusatiuo, anceps sum lectionis, & in hoc dubio positus elegi lectionem Pamelianam istam, *infima mutauit*, cum oppositione ad *ardua*.

4. RVRSVS ORBIS ALIVS.] Pithœus legit lib.1.Aduers.cap.4. nouè satis, *orbis idem mutat & nunc localiter habitus.* Quid velit non satis dignosco.

4. CVM SITVS LÆDITVR.] Capitolinus in Gordianis: *Fuit terræ motus eò vsque grauis imperante Gordiano, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent.* Trebellius Pollio in Gallienis. *Quo motu multæ fabricæ deuoratæ sunt cum habitatoribus.* Aliqui inscienter scribunt, *idem mutat & nunc localiter, habitus cum situ læditur.* Verè enim dicit, orbis mutat habitum suum per loca, cùm læditur aut disperit ciuitas aut regio, quæ erat sita in eo. ita Marcilius.

52. 4. INTER INSVLAS, &c.] Sic olim legebatur in libris antiquis & communibus: atqui Pamelius non satis intelligens mutauit ita: *Cùm inter insulas nulla iam Delos, arenæ Samus, & (si ille non mendax) Æon in Atlantico*, &c. Voluit delere nomen *Sibyllæ*. Omitto, sicut etiam illam, *inter insulas nulla iam Delos, Rhene, Samos:* & satis habeo firmare meam lectionem. In libris Sibyllæ versum hunc habes lib.4.

Δῆλος οὐκ ἔτι δῆλος, ἀδηλὰ δὲ πάντα τὰ Δήλου:
Delos non iam paret, & omnis Delos adelus.

Quod ad Samum pertinet, ita lib. 3.

Ἔσται καὶ Σάμος ἄμμος, ἔσεῖται Δῆλος ἄδηλος:
Fiet arena Samos, Delos deleta latebit.

Dicit ergo inter insulas nulla iam Delos, arenæ Samus, nec Sibylla mendax est. Non quòd tunc non essent, addo etiam, & nunc visuntur: sed quòd futuro tempore nullæ erunt, & obruentur; hoc quippe Sibylla dixit, cuius sententiam refellere nemo potest. Imo ideo adduxit Sibyllam, vt credamus. Hoc vnicè Marcilio debes. Ea quippe quæ Sibylla dixit, verissima putabant. Dio Chrysostomus εἰ δὲ ἀληθέστερα λέγω τῶν Σιβύλλης, ἢ Βακίδος: *Ne si veriora quidem dixero quàm Sibyllæ dicta sint, aut Bacidis:* Tibullus lib. 2. eleg.5.

Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est.

Augustus apud Sueton. c. 31. *Solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis, sub Palatini Apollinis basi.* De Stilicone Imperij grassatore sic cecinit Rutilius 2. itiner. cùm iussit cremari illos libros,

Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit Imperij.

4. ÆON IN ATLANTICO.] Hinc incipit noua periodus, & Æon dicit, id est, mundus: de quo in Critica Plato satis multa.

A 4. QVÆRITVR NVNC.] Petronius Sat. 53.
Quærit se natura, nec inuenit. Ouid. 11. Met.

Dumque vbi sint digiti, dum pes vbi quærit, & vngues,
Aspicit in teretes lignum succedere suras.

4. HADRIA TYRRHENÓQVE QVASSANTIBVS.] Est hoc quod Mela dixit lib.2.cap.7. *Siculum fretum angustum & anceps, alterno cursu modò in Thuscum, modò in Ionium pelagus perfluit, atrox, sæuum, & Scyllæ Charybdisque sæuis nominibus inclytum.*

4. RELIQVIAS SICILIAM, &c. Attingit etymon Siciliæ. dicta est, quia ab Italia abscecta, inde *sicilire prata*, secare. & Nazianzenus orat. 20. νῦν ἀρπαζόμενα. Post hæc scripta vidi Cluuerium, qui hac de re satis multa in Antiqua Sicilia.

4. TVM TOTA ILLA PLACA DISCIDII.] Mutaui lectionem, & mutat Rossas, familiaris meus, cui in re longè maiore credas. Scribitur
B enim in vulgatis libris, *Cùm tota illa*, &c. quibus sic scribentibus, nec Grammatica, nec sensus constat. Et ante istam periodum adhibui duo puncta, quibus constat sermo perfectus vndique. Neque verò est est aliquid hic de Rhegio, vt perperam volunt Pamelius, Iunius, Marcilius; sed tantùm sermo est de freto illo angusto diuidente Italiam & Siciliam.

4. NOMEN VITII MARI INDVIT.] Vt- 54.
delicet & vestem & habitum; ideo induit.

4. SED DEVORANTIS.] Charybdim notat, de qua Virg.3. Æneid.

Sorbet in abruptum fluctus.

Seneca ad Martiam loquens de Charybdi, *hiatu magno profundóque nauigia sorbentem.* Et Tragicus in Medea,

Quæ Scylla, quæ Charybdis Ionium mare,
Siculumque sorbens.

Cicero: *Quæ Charybdis tam vorax!* Sidonius lib. 9.
C epist. 6. *Sumtuositas domestica Charybdis abligurisset.* Sed de hac re vide lib. 3. Æn. Vbi rem istam copiosè. Et præsertim Philippum Cluuerium in Sicilia, qui rem istam disertissimè tractat.

5. ASPICE AD PALÆSTINAM.] Existimo meliùs dici, ista pertinere ad illud, *de suo*: quæ verò consequuntur, *dehinc vt Deus censor esset*, ad illud, *de cœlo.* Non est ingratum quod de Cataκεκαυμενε regione tradit Strabo, lib.13. Geograph. combusta scilicet regione, & arboribus prorsus carente, siquidem camporum superficies tota est cineritia, montana, & saxo nigri coloris, velut ex adustione fulminum. Inter autem illam terræ maciem, & ingratam cœli inclementiam, vitis ramos viridissima explicat, & fœcundos satis. Neque esset absonum audire quæ de hoc argumento scripsit Poeta recens, & eximiæ indolis, dignúsque legi vbique. Sed abstineo, remittens lectorem ad caput 76.lib.1. nostri Caussini.

D 5. FINIVM ARBITER.] Porrò vt arbiter, sic est Iordanis. Cicero.5. Tuscul. *Quorum controuersiam solebat tanquam honorarius arbiter iudicare Carneades.* Et lib. de Fato: *Chrysippus tanquam honorarius arbiter.*

5. VRBES RETRO.] Hæc particula vsu Ter- 55.
tulliani frequentissima est pro *olim*. Sunt qui legant, *at vrbes retro.* Hîc Lectorem placet remittere ad Delrium, Adagiali 103. *Terra deuorat habitatores suos.*

5. ET SOLVM EXAVDIEBAT.] Mirè variatum. Aliqui, *& solus audiebat*, nimirum Lot iustus, & iustitiæ præco. Alij *& solum audiebat.* Carrio ex coniectura, *& sol sua videbat.* Ego cum Latinio, *solum exaudiebat*, id est, viuebat, erat fertile. Oseæ 2. *Et erit in die illa: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram: Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum.* Id est, fertile erit. Inde mox Tertullianus, *Et propinquitas maris iuxta cum solo mortem*

bibit. clarè opponens.

5. DEHINC VT DEVS CENSOR,&c.] Aliqui sic legunt: *Dehinc vt Deus censor esset impietatis, ignium meruit imbres.* Quæ lectio ipsa secum affert quid in ea dissentiat.

56. 5. HACTENVS SODOMA, &c.] Greg.Nyssen.contra Fatum mirè ab eo loco, ἀπὸ τούτων, &c. vbi inter alia (omitto Græca, sunt enim multa) sic ait: *Quid, inquam, calamitates bellicæ, terræ motus, vrbium ruinæ, maximarum naufragia onerariarum, inundationes, deflagrationes, hiatus terræ, aliáque huiusmodi exitij genera? quàm multa nostra, quàm multa patrum memoria contigerunt? vt diluuium ætate Noë, exustio Sodomorum, suffocatio Ægyptij exercitus in mari rubro consecuta, alienigenarum iugulatio, & cædes,* &c. Tacitus: *Cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herba tenus aut flore, seu solitam in speciē adoliuere, atra & inania vel vt in cinerem vanescunt.* Solinus: *Apud quæ oppida pomum gignitur, quod habeat speciem licèt maturitatis, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus fa-* B *uillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ velleui tactu pressa, fumum exhalat, & fatiscit in vagum*
57. *puluerem.* Hegesippus lib.4.cap.18.*Spectes illic ad speciem poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent spectantibus cupiditatem: si carpas, fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem, fumúmque excitant quasi adhuc ardeant.* Demum Iosephus lib. 5. Antiq. cap. 5.sic ait: *In ea diuini reliquias ignis & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore sunt edulibus similes, carpentium verò manibus in fumum et cinerem soluuntur.* Aduerte vocem *hactenus* phrasi propria Tertulliani, id est, *iam non est.* Sic lib. aduers. Hermogenem, cap.34. *Quum surrexerit, scilicet confringere terram. Sed & paludes, inquit, arefaciam : & quærent aquam, nec inuenient; etiam mare hactenus.*Id est, mare non erit vlteriùs.Licèt enim in vulgatis legatur *mare Oceanus*, Pamelius C tamen notat legi in codice *mare hactenus.*Iunius etiam sic legit.

58. 5. ET PROPINQVITAS MARIS.] Mare istud è puteis scaturiuit bituminosis, vnde & nomen sortitum est, & mare appellatum, quòd *Mortuum* dicitur, quod nulli rei aptum est, non nauigationibus, & piscibus, neque irrigandæ terræ. Cassianus Collat.6.cap.1.*In Palæstinæ partibus iuxta Thecue vicum, qui Amos Prophetam meruit procreare, solitudo vastissima est vsque ad Arabiam, ac mare Mortuum, quò ingressa deficiunt fluenta Iordanis, & cineres Sodomorum amplissima extensione porrecti.* Quæ lectio verissima est, & mare Tertulliani & Cassiani, idem est mare: nec probè Ciaconius legit *mare rubrum*: hi enim authores se inuicem defendunt. Andreas Masius in lib. Iosue: *Quia post memorabilem omnibus seculis quinque vrbium deflagrationem, loca circumquaque vicina, retro virosarum aquarum vapore & halitu quali illa perpetuò fumant, ita continuò inficiuntur, vt* D *penitus sterilia, atque hominibus simul & pecudibus alendis infesta sola maneant.* Videas hîc illud, *iuxta cum solo.*Ad viam.Tacitus etiam ait: *Eum lacum grauitate odoris accolis esse pestiferum.* Et infrà: *Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magnisque vrbibus habitatos, fulminum iactu arsisse, & manere vestigia, terrámque specie torridam, vim frugiferam perdidisse.*
59. Philo lib.2.de Moysis vita: *Extant in hodiernum vsque diem monumenta cladis illius inenarrabilis, ostendúntúrque ruinæ in Syria mistæ cinere, fumo, sulphure. Lambentibus hæc interdum flammis tenacibus, sicut fit in reliquiis incendij.* Est autem qui putet non legendum *propinquitas maris*, sed, *proh iniquitas maris.*Ipse viderit. Quamuis non longè abs re videatur, cùm nullum ibi antea mare fuerit, quod propinquum posset dici, sed paradisus Dei, vt scriptura dicit, & A amœna vernatio. Imò post terræ calamitatem, addit auctor maris infelicitatem & iniquitatem, quod cùm solo simul mortem biberit, vnde *Mortuum* dicitur.

5. DEVSTA.] Græca constructio. Valerius Max. 60.
lib.1.cap.8. *Deusto sacrario Saliorum.* De ipso Volsiniorum oppido Plinius cap. 52. libri 2. *Volsinij oppidum Thuscorum opulentissimum, totum concrematum est fulmine.*Est locus Plinij alterius de isto tremore Campaniæ lib.6.epist. hic: *Præcesserat per multos dies tremor terræ, minùs formidolosus, qui Campaniæ non solùm castella, sed & oppida vexare solitus.*

5. SPERET.] Pro timere. Lampridius in Alex. *Illemetu perterritus & sperans non posse euadere.* Sophocles in Trachin. de Deianeira: Κακὸν δύσαγον ἐλπίζουσαν αἶσαν: *Sperantem fatum malum & infelix.* Thucydides lib. 8. Ἐλπὶς τοῦ φόβου: *Spem timoris.*

5. EREPTA POMPEIOS.] Cui erepti Pompeij sunt. Xiphilinus in Tito. ἡ Θεσσάλη ἡ πόλεις δύο ὅλας, τήν τε Ἡρκουλάνεον καὶ τὸν Πομπήϊον, ἐν θεάτρῳ τῷ ἰδίῳ ἀμήχανόν τινα κατέχωσε: *Duásque vrbes vniuersas, Herculanum & Pompeios, populo sedente in theatro, penitus obruit.* Loquitur de incendio Vesuuij in Campania. ait igitur: Quo magis Campania speret de montibus suis, cui Campaniæ erepti sunt Pompeij.

5. DE SOLI INGLVVIE.] Ingluuies soli, 61.
& vorago,& chasma diuersa sunt à terræ motu.Narrauêre interpretes varios terræ motus, narrassent meliùs varias voragines, quales sæpe habuit Asia.

5. AFRICA.] Credo Marcilio asserenti hîc tangi historiam, quam Herodotus lib. 3. narrat, de castris Cambysis obrutis in Africa, cùm vellent prandêre, ita vt dicat, *fraudatis* prandio.

6. SI TAMEN NINVS REGNAVIT PRI- 62.
MVS.] Est *si fortè*, idem quod *fortassè*, in hoc auctore. Itaque sensus iste, quem dat Marcilius, si fortè à Nino sumta est regnorum origo, non à Iudæis, qui C tamen primi omnium regnarunt, vbi inuoluit cum Nino Iudæos, falsus est, vt patet ex infinitis locis Tertulliani: vbi *si fortè* solùm est forsitan. Neque hic locus aliqua eget mentione Iudæorum: sunt enim Iudæi separati à Nino: postea enim ait: *Qui verò*, &c. Inde loquitur Diodorus lib.2. πρῶτος τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμας παρεδεδομένων Νῖνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων: *Primus eorum qui missi in historiam & monumenta, Ninus est Assyriorum rex.* Et sic cæteri: neque video necessitatem aliquam coniungendi, vt dicat: *Si tamen fortè ab Assyriis, potiùs quàm à Iudæis.* Cùm ait *forsitan* videtur dubitare, & dubitatio nulla est alia (Auctore Saliano anno mundi 1931.) quàm propter patrem Belum, qui Babyloniis regnauit, Ninus autem filius Assyriis. quasi dicat: Si tamen Ninus regnauit primus, cùm prior illo regnaret pater Belus: hoc discrimine, quòd Belus Babyloniis, Ninus Assyriis regnauerit. Maluit autem vti hac locutione, quòd sciret absolutè Ninum primum Regem Assyriorum dici. Etenim Belus, qui idem est cum Nembrot, siue Nemrod, primus Babylonis fundator exstitit, & filio reliquit regnum, modò Babylonium, modò Assyrium nuncupes. Auctores huius rei adducit Salianus dicto loco, Seruium, Isidorum, Augustinum, alios: Et præsertim sequenti anno, vbi adducit magnam segetem auctorum, pro Rege Babylonio. Addo ego, hunc Belum eundem esse cum Ioue: Augustinus qq. in Iudices, *Belos* vocari Punicè *Ioues* scimus. Diodorus lib. 2. Διὸς, ὃν καλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον: *Iouis, quem Babylonij Belum vocant.*

7. SI QVID MARE DILVIT.] Iunius ma- 63.
lè, *deleuit.* Petrus Ciaconius pari censura postea *cælum adusit.* Pari quoque Mercerius de Pallio, *compensato reddit.* Denique pari Marcilius, loco, *primitus, primitiis.* Meliùs habent libri communes, qui *diluit, texit, redit,*

redit, primitus. Denique vt nihil relinquamus intactum, *maiore ambitu* legunt aliqui *maiorem ambitum*, quia sic Cicero, nulla tamen necessitate.

67. VERSVRA.] Est in nominatiuo, malè enim in ablatiuo ponitur à Marcilio. Et nihil in hoc de fœnore, cùm hìc agat de simplici rerũ mutatione & compensatione: tametsi de fœnore nihil dubitem, dummodo non propriè accipias, sed metaphoricè.

7. ET SICVBI ALIQVA GENS OCCVPARAT, SIBIMET SOLI ERAT.] Mihi placeret legendum, *& sicubi aliqua gens occuparat, ibimet soli erat.* vt dicat, ibi tantum fuisse solum, vbi occupatum esset, neque aliud solum terrámue quæsiuisse mortales. itaque accreuit littera (*s*) quæ adimenda est. Moueor vt hoc putem, nam tritissimum est, *solum vertere, solum mutare*, & in hoc opere, & præcipuè in hoc capite maxima messis est vertendi soli.

64. 7. COGITANS OMNIA SIBI DOMVM.] Nescio cur tantopere abhorreant ab hac lectione, qui Critici sunt, & legant, in primis Marcilius, *Cogitans omnia sibi. Demum intelligens*, &c. Cùm constet sensus iste, *cogitans omnia sibi domum, intelligens*, &c. Ad eum modum quo explicui. Partem aliquam Alexander Magnus fecit firmando imperio: de quo ita Diodorus: *Vt ciuitatum aliarum in alias migrationes fierent, itémque hominum traiectiones ex Asia in Europam, & ex hac in illam, vt gentes connubijs commerciisque, & amicitia inter se iungeret.* In Panegyrico Flauiensium nomine Constantino A. dicto: *Ob hæc igitur merita & prisca Diuus pater tuus ciuitatem Heduorum voluit iacentem erigere, perditámque recreare, non solùm pecuniis ad Calendaria largiendis, sed & metœcis vndique transferendis, vt esset illa ciuitas prouinciarum velvt vna mater, quæ reliquas vrbes quodammodo Romanas prima fecisset.*

7. RVNCARE, ATQVE RVSPARE.] *Runcare* est herbas inutiles elidere. Glossæ βοτανίζω, *runco*. Isidorus. *Ruspare*, est scrutari, exquirere, & gallinarum more scalpere. Accius Nictegressia apud Noniũ,

Iube nunc attentare, iube nunc animo ruspari Phrygas.

65. Iterum Meleagro,

Vagant ruspantes syluas.

7. EDVCATVR.] Pro *educitur*. Nam veteres indifferenter *ducere* & *ducare* pronuntiarunt. Ammianus lib. 22. *Agnoscebat quosdam ab Eusebio ducatos Episcopo.* In lege quemadmodum §. si nauis. ad leg. Aquiliam, *ducator nauis*. Glossæ veteres, *ducator*, ἀγὸς, πεζηγούμενος. Tertullianus, aduersus Iudæos: *Cùm ducator eius in ea pati haberet.* Et in Glossis, *ducare*. Et in vita Ægyptiacæ Paullus Diaconus vertit *ducatrix*.

7. TEMENO.] Malè rescribunt, *Herculea posteritas, qui à Temeno, pariter*, &c. Proprius est, vt legi, & sententia est, qui cum Temeno in Peloponnesum profecti, eam occupando producunt. Vel, *occupando*, quasi de obscuritate producunt in frequentiam lucémque. Mihi placeret legendum, *cum Temeno*. De comitibus Nilei videndus Pausanias in Achaicis. Et nonnihil Plinius cap. 39. lib. 5.

66. 8. IMPERII TRIPLEX VIRTVS.] Malè censent qui alios accipunt quàm Seuerum, Antoninum, Getam. Herodianus, τὰς υἱέις κοινωνοὺς τῆς βασιλείας, καὶ αὐτοκράτορας ἀποδείξας. Sed & Xiphilinus Plautiano sic obiectum ait, τί τρέμεις, τί δ' ὠχριᾷς; πλεῖον ἢ τρισὶν κέκτησαι. *Quid tremis? quid palles? plusquam tres habes.* Statim subiicit quos populus intelligeret: τρεῖς δ' ἐνέφαινον, τόνδε Σέβηρον, καὶ τοὺς υἱέας αὐτοῦ, Ἀντωνῖνον καὶ Γέταν: *Dicebant autem tres, Seuerum & filios eius, Antoninum, & Getam.* Vide & Spartianum. In quadam inscriptione est, *Fundator imperij*, de Seuero, quod affine huic, *quantũ reformauit orbis.* Adducit hanc inscriptionem Casaubonus in Notis ad Spartianum.

8. QVOT CENSVS TRANSCRIPTI.] Censet Baronius in Apparatu Annalium, hanc census descriptionem, eandem esse quam testatur Euangelista de Augusto, cùm iussit scribi totum orbem; quæ ratio causam præbuit cur Virgo & Ioseph ierint in Bethleem, de quo loquitur idem Tertullianus, lib. 4. contra Marcionem cap. 7. *De censu Augusti, quem testem fidissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiunt.* Casaubonus in Notis ad Spartianum refert ad censuarias ordinationes.

B 8. REVERA ORBIS.] Accipiunt ita, *orbis* Romanus *cultissimum huius imperij rus est.* Vt velint. Potest tamen, *orbis* poni in gignendi; vt dicat, *rus huius imperij est cultissimum* totius *orbis*. Id est, Imperium hoc est pars totius orbis cultissima.

8. ERADICATO OMNI ACONITO HOSTILITATIS.] Transfero hoc venia tua ad animum, prolato loco Eusebij Gallicani Episc. Homil. 8. ad Monachos: *Sed in primis mentem extirpatione vitiorum mundare conemur, circumcidere mores, excidere passiones, eradicare superbiam, plantare humilitatem, effodere iram, fundare patientiam, amputare inuidiam, inserere benenolentiam, & huiusce modi virtutibus agrum cordis, quasi quibusdã bonæ frugis fœcundare seminibus.* De aconito quid dicã? Eustathius in περιήγησιν Dionysij: περὶ δὲ τὴν τῶν Μαριανδυνῶν γῆν βοτάνη φύεται δηλητηριώδης, τὸ ἀκόνιτον: *Circa terram Mariandynorum nascitur aconitum herba venenata.* Aliqui quòd ἐν πέτραις ἀκόναις nascatur, volunt nominatam, cui parti fauet Ouid. 7. Met. 67.

C *Quæ quia nascuntur dura viuacia caute,*
Agrestes aconita vocant.

Pantheras strangulare dixit Nicander in Alexipharmaco, ideo vocat aconitum παρδαλιαγχές.

8. CARECTO.] Sic scribendum est, nam *cacto* vox est insolens. Ea dicitur in Plinio esse, sed mihi inconsulta. Etenim *cacto* per compendium dicitur, & sonat carectum. Scio Vulcanium scribere in Tertulliano, *cacto*, & astruit Hermolaum in Dioscoridem, qui ait frequentem esse in Sicilia, & *cactum* dicit vocari Cardum. Donec autem allucescat vox, Marcilio hęserim legenti *carecto*.

8. ALCINOI: MIDÆ.] Alcinoi meminit præter obuios Themistius Euphrada, orat. 2. in Patris obitum, τῶν Ἀλκινόου ὀπώραν. Midæ autem præter solitos Tertullianus ipse, de Corona Militis, & Herodotus lib. 8. Vide & adagium 91. Hadriani Iunij Cent. 4. vbi multa.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Probat idem tum ex varia animantium natura, quibus insitum est mutare vestem; tum maximè ex homine, quòd hic vestem mutarit pro necessitate, & demum pro deliciis.

TERTVLLIANVS.

1. MVTANT & bestiæ pro veste formam. Quamquam & pauo pluma vestis, & quidem de catacliſtis; imò omni conchylio depressior, quà colla florent; & omni patagio inauratior, quà terga fulgent; & omni syrmate solutior quà caudæ iacent; multicolor, & discolor, & versicolor; nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa quando alia, totiens denique mutanda, quotiens mouenda.

EXPLICATIO.

1. PRo *veſte*, iuxta veſtem. Itaque dicit, mutant beſtiæ formam iuxta veſtem, vt accidit ſerpenti, quamuis vnus pauus aliter ſe habet, mutat enim formam non mutata veſte & pluma. *De cataclistis*, dicam in Notis. *Imò omni*, &c. Imò omni conchylio & purpura depreſſior & nitidior, quà colla florent, colorum varietate: & inauratior omni patagiata tunica, ſiue auro clauata, qua parte terga fulgent: & qua caudæ iacent, nec arrectæ ſunt, omni ſyrmate protractior. *Multicolor*, multitudine colorum: diſcolor varietate, verſicolor mutatione. *Nunquam ipſa*, &c. Nunquam ipſa veſtis, & ſemper alia, etſi ſemper ſit ipſa eadem quando alia apparet: Totiens demique mutanda colore, quando mouenda motu paui.

69. 2. Nominandus eſt & ſerpens, licèt ponè pauum. Nam & quod ſortitus eſt, conuertit corium & æuum. Siquidem vt ſenium perſenſit, in anguſta ſe ſtipat, paritérque ſpecum ingrediens, & cute egrediens, ab ipſo ſtatim limine eraſus, exuuiis ibidem relictis nouum ſe explicat: cum ſquammis & anni recurantur. Hyæna, ſi obſerues, ſexus annalis eſt, marem & fœminam alternat. Taceo ceruum, quòd & ipſe ætatis ſuæ arbiter, ſerpente paſtus, veneno langueſcit in iuuentutem.

2. *Nominandus*, &c. Dignus quoque ſerpens eſt qui nominetur, licèt poſt pauum, cùm vnus deformis ſit, alter formoſus. *Nam & quod*, &c. Quod ſortitus eſt à natura, conuertit corium & æuum. *Siquidem*, &c. Serpentis ingredientis ſpecum, & relicta cute & pelle ſua egredientis, hiſtoriam hîc habes, mirè explicatam: & Hyænæ, quæ ſexum annalem habet: cerui etiam langueſcentis, ſed in iuuentutem; nam tametſi ſit languidus ex veneno, illi in ſalutem eſt.

70. 3. Eſt & *quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera.* Teſtudinem Pacuuianam putas. non eſt; capit & alia beſtiola verſiculum, de mediocribus oppidò, ſed nomen grande: Chamæleontem qui audieris, haud antè gnarus, iam timebis aliquid amplius cum leone; at cùm offenderis apud vineam fermè ſub pampino totum, ridebis illico audaciam & Græciam nominis: quippe nec ſuccus eſt corpori, qui minutioribus multo licèt. Chamæleon pellicula viuit: capitulum ſtatim à dorſo: nam deficit ceruix. Itaque durum reflecti: ſed circumſpectu emiſsitii ocelli, imò luminis puncta vertiginant. Hebes, feſſus vix ſe à terra ſuſpendit, molitus inceſſum ſtupens, & promouet, gradum magis demonſtrat, quàm explicat, ieiunus ſcilicet ſemper & indefectus: oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus. Tamen & Chamæleon mutare totus, nec aliud valet. nam cùm illi coloris proprietas vna ſit, vt quid acceſsit, inde ſuffunditur: hoc ſoli Chamæleonti datur, quod vulgo dictum eſt, *de corio ſuo ludere.*

71. 3. Totum ſe ad Chamæleontis formam conuertit, quam ego paraphraſi explicabo. *Tardigrada*, tardo greſſu. *Agreſtis*, in agris degens. *Humilis*, parum de terra extans. *Aſpera* tergo. Teſtudinem Pacuuianam putabis eſſe (quippe eo verſus Pacuuius teſtudinem depinxit) ſed non eſt ea. *De mediocribus*, &c. Vna de admodum mediocribus (hoc enim ſonat *oppido*) ſed nomen eius grande. *Ridebis*, &c. Illico ridebis audaciam & Græciam nominis, id eſt, ridebis illico audaciam nominis Græci. *Quippe*, &c. Quippe nec ex cibo ſuccus eſt corpori, qui tamen aliis multò minutioribus licèt, & verè eſt. *Chamæleon*, &c. Nihil eſt aliud quàm pellis, nam capitulum iunctum dorſo ſtatim eſt, & ceruix deficit. Quamobrem durum eſt reflecti, ſed emiſſitij oculi ad circumſpiciendum, qui huc & illuc excurrunt omnia curiosè intuentes; imò veriùs luminis & oculorum puncta vertigine mouentur, rotantur, κύκλῳ φέρονται. *Hebes*, &c. Hebes eſt, vix ſe ſuſpendit tantillum ægrè & molitione magna, & quaſi ſtupens incedit, & tamen promouet aliquantum, gradum magis demonſtrat molitione ſua quàm explicat antrorſum, ſcilicet ieiunus & indefectus cibo. Oſcitabundus atque aperto ore veſcitur auris, pellicula ſua tanquam folle ruminat, de vento cibus eſt ei. *Tamen &*, &c. Hoc tamen animal totum mutat, nec aliud valet. *Nam cùm*, &c. Etſi ei propriè vnus color ſit viridis dilutus, ſiue ex viridi palleſcens, *vt quid acceſſit*, id eſt, vt tamen ad rem aliquam ſe applicuit, inde ſuffunditur & offunditur. Hoc nimirum datum Chamæleonti quod ſpecie prouerbij dicitur, *de corio ſuo ludere*, & facere quicquid collibuit.

72. 4. Multa dicendum fuit, vt ad hominem præſtructim peruenireturus. hunc quo-
Geneſ. 2. quo primordio accipitis, nudus certè & inueſtis, figulo ſuo conſtitit: poſt demum ſapientiam haud dum licitam præreptam potitur. Ibidem quod in nouo corpore indebitū adhuc pudori erat, protegere feſtinans, ficulneis foliis interim circumdat. Dehinc
Geneſ. 3. Ibidem. cùm de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi vt metallo datur.

4. Multa dicere oportuit de beſtiarum mutatione, quaſi gradibus perſtructis, ſiue, gradatim, vt ad hominem tandem peruenireturus. *Hunc quoque*, &c. Hunc certè hominem quocumque primordio accipitis exſtitiſſe vos non Chriſtiani, nudus certè, vt nos Chriſtiani ſcimus, & *inueſtis*, id eſt, ſine veſte & nudus conſtitit figulo ſuo. *poſt demum*, id eſt, pòſt tandem præreptam potitur ſapientiam, quæ nondum licuerat.
73. Dicit videlicet præripuiſſe primum hominem ſapientiam, & ea potitum; quia primùm ſciebat bonum; deinde poſt peccatum, factum eſt vt ſciret malum, quod ſibi non erat licitum. *Ibidem*, &c. *Ibidem*, in loco originis, *protegere*, id eſt, admodum tegere feſtinans membrum illud, quod nondum pudori erat debitum, eo quòd in nouo corpore neque vnquam puduerat, circumdat foliis ficulneis. *Dehinc*, &c. Demum ex hoc cùm cedit loco vt peccator, datur orbi pellitus, vt metallo, id eſt, tanquam ſeruus pœnæ in orbē mittitur, & relegatur ex paradiſo voluptatis, ad eū modū quo ſerui alij dantur in metallū & fodinam.

74. 5. Sed arcana iſta, nec omnium noſſe. Cedo iam de veſtro, quod Ægyptij narrant, & Alexander digerit, & mater legit, ea tempeſtate Oſiridis, qua ad illum ex Libya Hammon vaſit ouium diues. Denique cum ipſis Mercurium autumant forte palpati arietis mollitie delectatum diglubaſſe oueculam: dúmque pertentat quod facilitas materiæ ſuadebat, tractu proſequente filum eliquaſſe, & in veſtis priſtinæ modum, quam philyra tenui vinxerat, texuiſſe. Sed vos omnem laniti diſpenſationem ſtructurámque telarum Mineruæ maluiſtis, cùm penes Arachnen diligentior officina.

5. Atqui narrationes iſtæ in arcanis noſtrorum librorum ſunt, nec aperiendæ ſunt profanis. *Cedo iam de veſtro*, id eſt, age, videamus veſtras fabellas: (eſt enim *cedo*, dic, φέρε δή, vel, εἰπέ) *quod Ægyptij narrant*, & quod Magnus *Alexander digerit* in epiſtola ad matrem Olympiadem, & illa *legit*, nimirum ea tempeſtate Oſiridis (tales ſunt fabellæ) qua ad illum Oſiridem peruaſit ex Libya Hammon ouium diues. *Denique* cum Alexandro, & matre Olympiade Mercurium aiunt Ægyptij velliſſe ouiculam, delectatum fortè mollitie attrectati arietis lanati, dúmque vult experiri *quod facilitas* & mollitudo *materiæ ſuadebat*, *tractu* lanæ *proſequente* manum trahentis, *filum eliquaſſe*, id eſt, quaſi de materia liquida vt aqua duxiſſe, & texuiſſe illam in modum veſtis priſtinæ, quam factam ex pellibus ferinis *tenui philyra*, id eſt, vinculo tiliæ, vinxerat. *Sed vos*, &c. Hanc fabulam narrant Ægyptij de inuentione veſtis: ſed tamen nimis addicti ô Carthaginienſes Græcis fabellis, cùm inter duas fœminas Græcas Mineruam & Arachnen diſceptatio eſſet, *maluiſtis* quidem Mineruam reiecta Arachne, penes quam *diligentior officina* ſemper fuit. Vel, *maluiſtis* quidem Mineruam præ Mercurio, cùm tamen ſi ad fœminam decurrendum eſſet, potiore iure debuiſſetis Arachnen eligere.

75.

76. 6. Exinde materia. nec de ouibus dico Mileſiis & Selgicis & Altinis, aut quîs Tarentum, vel Bætica cluet, natura colorante. Sed quoniam & arbuſta veſtiunt, & lini herbida poſt virorem lauacro niueſcunt: nec fuit ſatis tunicam pangere & ſerere, ni etiam piſcari veſtitum contigiſſet. nam & de mari vellera, quæ muſcoſæ lanoſitatis lautiores conchæ comant. Prorſus haud latet, Bombycem (vermiculi genus eſt) quæ per aërem aliquando araneorum more ſcopis ſe diſtendit, dehinc deuorat, mox ſe quieti reddere: proindeſi necaueris iam animata ſtamine aluo.

77. 6. Deinceps agendum nobis de materia veſtium: vt ſentit Marcilius, qui ponit materiam in auferendi, & legit *exhinc de materia*. vel vt ego, in nominando caſu cum Pamelio. Nec agēdum de materia petita ex ouibus Mileti, nec ex Selgicis, & Altinis ex agro Veneto, vel illis quibus Tarentum magnæ Græciæ, vel Bætica Hiſpanienſis, *cluet*, id eſt, excellit præſtátque *colorante natura*. Sed dicendum quod eſt maiorum deliciarum, *quoniam arbuſta veſtiunt*, & *lini herbida* tranſacto virore, & iam arida *niueſcunt*, vt niues. Nec fuit ſatis ad delicias arbores pangere, de quarum lanis tunicæ fierent, aut ſerere; nam etiam piſcari placuit veſtitum, cùm etiam ſuppetat de mari vellus, quod inſtar muſci lanoſum, etiam conchæ quaſi comam producunt. *Prorſus haud*, &c. Sciunt omnes eſſe bombycem, quæ araneorum inſtar ſe diſtendit per ſcopas, ſcilicet frondentes ramos, vt illis paſcatur; mox foliola *deuorat*, id eſt, decoquit in ſtomacho, vel ore paſtum aſſumit, & poſtea ſe reddit quieti dormitura, ac *ſi necaueris, animata iam aluo ſtamine*. Porrò *bombycem* regit verbum infrà poſitum, *mox ſe quieti reddere*: eſt enim perſona agens. Neque intelligas Tertullianum ita perſtudioſum fuiſſe; vt rationem integrè cōſequatur, qua hodie apud noſtrates opus bombycinum conficitur. Porrò fuit inſtituti illius varietatem tantùm rerum, non ordinem conſectari: qui eſt huiuſmodi, granum priùs calore animatur in vermem; ter deuorat folia, & dormit, quo paſtu mirè excreſcit. Demum aſcendit bombylion ore factura, quo elaborato, ipſa bombyx incluſa quaſi ſopita quieſcit; & niſi calida ſuffocetur, bombylion corrodit, & inſtar columbulæ euolat, iam ex verme volucris.

78. 7. Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque veſtificinæ proſecuta (primùm tegendo homini, quà neceſſitas præceſſit, dehinc & ornando, imò & inflando, quà ambitio ſucceſsit) varias indumentorum formas promulgauêre: quarum pars gentilitus inhabitantur, ceteris incommunes: pars verò paſsiuitus omnibus vtiles, vt hoc Pallium, etſi Græcum magis, ſed lingua iam penes Latium eſt, cum voce veſtis intrauit: atque adeo ipſe qui Græcos pellendos vrbe cenſebat (litteras eorum vocémque ſenex iam eruditus) idem Cato iuridicinæ ſuæ in tempore humerum exſertus, haud minùs palliato habitu Græcis fauit.

79. 7. Hanc igitur paraturam materiæ proſecuta ſunt ingenia *veſtificinæ* (varia molimina ſunt artis ſartoriæ) & promulgarunt varias formas indumentorum. Explica parentheſin. *Primum tegendo homini, quà*, id eſt, quatenus, *neceſsitas*, id eſt, nuditas, *præceſſit*: Deinde *& ornando*, ad decorum, *imò & inflando*, ad ſpecioſam pompam, quatenus *ſucceſſit ambitio*. Redeo ad textum. *Quarum* formarum *pars gentilitus*, id eſt, pro gentium varietate, *inhabitantur*, vt ædes quæ *incommunes* perinde ſunt *cæteris*. Dicit ſcilicet non eſſe communes aliis nationibus ſi *inhabitantur gentilitus. pars verò* illarum *paſsiuitus*, paſſim, *vtiles omnibus, vt hoc* ipſum *Pallium*, quod tametſi lingua eſt Græcum, ſed iam lingua eſt Latina: & cum lingua vſus intrauit. Ac proinde Cato humero extra togam cùm ius diceret, quaſi palliato habitu, Græcis fauit, fecítque vt admitteretur: qui ſanè ſenex iam multùm Græcas litteras didicit.

NOTÆ.

80. 1. PAVO PLVMA VESTIS.] Vox *pauo* eſt in datiuo: eſt enim pauus, paui. Ennius, *Memini me fieri pauum.* Eſt etiam pauo, pauonis. Perſius Sat. 6. *pauone ex Pythagoreo.* Lectio autem *pluma* proba eſt. Erhardus, *plumen.* Abeat. Petron. Arbiter ſat.

Tuo palato cluſus pauo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.

Horat. lib. 2. ſat. 2. hanc veſtem ita,

--- picta pandat ſpectacula cauda.

Et Perſius 4. ſat.

Ante diem blando caudam iactare popello.

Sed & in genere *plumæ* de auibus. Seneca epiſt. 91. *Non auium plumæ in vſum veſtis conſeruantur.* Optimè Prudent. Hamartig.

--- hunc videas laſciuas præpete curſu
Venantem tunicas, auium quoque verſicolorum
Indumenta nouis texentem plumea pennis.

Hinc ipſi textores *plumarij.* Varro de liber. educ. *Nulla quæ non didicit pingere, poteſt iudicare quid ſit bene pictum à Plumario.* vide Vvoueren. Animad. ad Petron. Cetta in ſerm. de Transfig. Domini, ſic legit, vt ſuſpicor, non animaduertens *plurima veſtis*, & explicat, veſtit vt vult pauus. Legendum tamen *pluma.*

81. 1. CATACLISTIS.] Hunc locum debes Marcilio, cuius coniecturam apprimè teneo. Delent (inquit) *de*, & mutant, *& quidem cataclitis.* Tum explicant, *cataclita, veſtes ſtragulæ, quæ in cataclitis*, ſiue lectulis accubitoriis, ſiue tricliniaribus. Diſtorta correctio & interpretatio. Scripſit Tertullianus, *& quidem de cataclitis. Cataclitæ* veſtes quæ ſint, pateſcent ex Seneca lib. 1. c. 1. de Tranq. *Non ex arcula prolata veſtis, non ponderibus ſplendere cogentibus preſſa.* Duplex nota veſtis cataclitæ. Vna ex arcula vbi fuerat incluſa; altera, ponderibus & tormentis preſſa, vt ſplenderet. Preſſæ enim illæ veſtes primùm, deinde incluſæ arcis, vnde καταλειστά. Ammianus lib. 28. ait: *Solitis preſſoriis veſtes luce nitentes arbitra diligentia explorat.* Apuleius lib. 11. *Eas amœnus lectiſsimæ iuuentutis, veſte niuea & cataclitta prænitens, ſequebatur chorus*, &c. Hinc itaque Fortunatus Venantius de vita Sancti Martini lib. 4.

Quæ manus artificis cataclitica fila rotauit.

Hanc notam debes etiam Frontoni Ducæo ex Noſtris, in Notis ad Baſilium; qui Marcilij ingenium mirè approbat; tum alia huic rei conducit. Videſis illum. Et Cauſſinum Noſtrum, qui *cataclitis* ſcribit lib. 11. Vnde licèt ſcribat in Parallelis lib. 15. credibile eſt irrepſiſſe errorem, cùm dixit *cataclitis*: debes etiam Salmaſio in notis ad Vopiſcum, vbi apertè *cataclitas* nominat; & Bulengero lib. 1. de veſte Pontif. cap. 56. qui etiam hanc vocem firmant ex Venantio, lib. 3.

Cycladis aut qualis cataclitæ purpura raſæ.

Malè extulit hanc vocem Claud. Rangolius Comment. lib. 1. Reg. cap. 1. verſ. item 1.

82. 1. OMNI CONCHYLIO DEPRESSIOR.] Ioan. Chryſoſt. καταμαθὲ τῶ ταὼ τὸ σῶμα τὸ ποικίλον, καὶ πᾶσαν ὑπερβαίνον βαφὴν, τοὺς πορφυρέοντας ὄρνιθας: *Conſidera pauonis corpus varium, & omnem excedens infecturã, purpurantéſque auiculas.* Seneca Nat. Queſt. lib. 1. cap. 5. *Variis coloribus pauonum ceruix, quoties aliquo deflectitur, nitet.* Dicit *depreſſior*, quaſi ſplendidior ipſa depreſſione. Hiſpanè dicas, *mas brunnido.*

83. 1. QVA COLLA FLORENT.] Clemens Alex. loquens de luſcinia': νεοσσὸς ἐδήτος ὄρνιθος ἐξαυθεῖ βαφῇ πνα πτερῶν: *Noua veſtis inſtar quandam pennarum tincturam tanquam flores emittit.* Flores mihi videtur in pauone agnoſcere Aldhelm. cap. 4. de Virginitate. *Licèt verſicolor pauonis gloria tereti circulorum rotunditate præcellat, cuius pulchritudo crocea qualitate flaueſcit, aut purpurea venuſtate rubeſcit; nunc coloris virore fulgeſcit, aut flaua auri ſpecie ſplendeſcit.* Vide etiam Senecam epiſt. 76. Floris etiam in vaſis meminit Greg. Nyſſen. orat. de Mortuis, his verbis: τί γὰρ κοινὸν ἔχει πρὸς τὸ τῆς τροφῆς χρήσιμον, ὁ διάλυθος ἀργυρος χρυσῷ καὶ λίθοις ἐπαιζόμενος; *Quid enim alendo corpori proſunt argentea vaſa, auro gemmiſque tanquam floribus diſtincta?* Sed ne abeat inauditus Conſtantinus Manaſſes, qui de Pauo loquens in Annal. ita ait:

Τὸ κάλλος ἐπεδείκνυτο ταὼς ὁ χρυσοπτέρυξ.
Ελλαμπε βάμμασι πολλοῖς, ἐχρύσιζε τὸ πτίλον,
Εστίλβεν ἁλουργόχροον ἐν τῷ ταὼνι χρῶμα,
Επήνθει μέσον, καὶ χρυσὸς ὡς ὀφθαλμὸς μαρμαίρων,
Καὶ κῆπον περιφύτευτον ἐηγάζετο τὸ ζῶον.
Pulchritudinem ſuam oſtentabat pauus, alas habens aureas:
Lucebat coloribus multis, & aurum in plumis referebat:
Fulgebat in eodem & purpureus color,
Florebat & medium, & auro ſplendens inſtar oculi,
Et hortus plumatus apparebat animal.

1. PATAGIO.] *Patagium*, inquit Feſtus, *quod ad ſummam tunicam adſui ſolet, quæ & patagiata dicitur: & patagiarij, qui eiuſmodi opera faciunt.* Nonius: *Patagium, aureus clauus, qui pretioſis veſtibus immitti ſolet.* Patagium enim honeſtis matronis erat, quod clauus viris. Plagula enim his clauis erat conſita; in Senatoribus quidem, latioribus; in equitibus, anguſtioribus. Et integra hæc plagula *clauus* dicebatur, *Græcis* ἔμπωμα. Simile planè in piſcibus Plinius obſeruat, lib. 9. cap. 18. vt enim Tertullianus pauum facit patagiatum. id eſt, clauatum: ita ille loquens de piſcibus lacus Larij, & Verbani, ita ait: *In quibus piſces omnibus annis Vergiliarum exortu exſiſtunt ſquammis conſpicui crebris atque præacutis, clauorum caligarium effigie.* Sunt autem *claui caligares*, quia caligis militaribus ſuffixi; de quibus Iuſtinus lib. 38. *Argenti certè aurique tantum, vt etiam gregarij milites caligas auro ſuffigerent.* Et Iuuen. Sat. 16. 84.

--- offendere tot caligatos
Millia clauorum.

Ad rem. vt à Plinio ſquammæ piſcium comparantur cum clauis aureis, ita maculæ pauorum ab Tertulliano. Alij notiore voce ad gemmas eunt in pauone laudando, & *gemmantes*, id eſt, ſplendentes, inducunt. Et Ouid. in Cantilena Polyphemi, *Landato pauone ſuperbior.*

1. INAVRATIOR.] Epiphanius: ὁ ταὼς τῷ χρυσίῳ καὶ ἀργυρίῳ καταπλάσας τὰς πτέρυγας κέκληται: *Pauo enim aureas argenteaſque habet alas.* Iterum ſubdit: ὅτι ὁ ταὼς τερπόμβριον ὄρνεον πρὸς πάντα τὰ πετεινά. ὅτι δὲ μορφόχροος καὶ πτερύγων ὡραίων. θεωμένων γὰρ ὁρᾷ αὐτὸν τερπόμβριον: *Pauo inter omnes volucres auis eſt iactabunda: corporis enim forma atque alis eſt pulcher. cùm ambulat, ſe ipſe lætitia exultans intuetur.* 85.

1. OMNI SYRMATE SOLVTIOR.] Tragica veſtis: inde & mulieres tragicè quoque induebantur ſolutim & laxim. Vopiſcus in Carino: *Si aniæ Pallio aurato atque purpurato pro ſyrmate vteretur.* Et Silius epiſt. 9. lib. 8. *Et rugas tibi ſyrmatis profundi.* Martial. lib. 12.

Aptaſti tragicum tu quoque ſyrma tibi.

1. MVLTICOLOR, ET DISCOLOR, ET VERSICOLOR.] Satis hæc notant pulchritudinem paui. Simocatta in Epistolis: τὸ Μηδικὸν ὄρνεον ὁ ταὼς, ἢ τῶν Μήδων τῷ ὑπερηφάνῳ κεκλήρωται, μέγα τι ἢ ὑπέρογκον ἐπὶ τῷ κάλλει φρονῶν: *Pauus Medica auis, Medorum etiam superbiam velut hæreditario iure adepta, immensum ob pulchritudinem superbit.* Synesius lib.de Imperio, ad Theodosium Iuniorem, ποικιλώτατον ἢ πάγχρων ὥσπερ οἱ ταὼ: *Maximè varium & omnicolor Pauonum instar.* Idem loquens de Dione Pruseo, qui delectabatur argumentis Sophisticis: ἐκείνοις ὑπηρέζει καὶ ὠρεύζεται, καθάπερ ὁ ταὼς τοῖς θριαθρῶν ἑαυτὸν, καὶ οἷον γαννύμενος ἐπὶ ταῖς ἀλλαίαις τοῦ λόγου: *In illis resupinus gloriatur, in illis decorem ostentat, pauonis in morem seipsum circumlustrans, & quasi superbiens orationis splendore.*

86. 1. ETSI SEMPER, &c.] Horat. in carmine seculari, *aliúsque & idem nasceris.* Iuuenal.Sat.16.

---altera fiet
Cras domus, atque eadem.

De Polypode Nazianz.orat.27. ἄλλοτε ἄλλος γινόμενος, καὶ πολλὰς μεταλαμβάνων χροάς: *Alias alios mores induens, ac nouos subinde colores assumens.*

2. NOMINANDVS ET SERPENS.] Lege Homer. 22. Iliad. Virg. 2. Æn. Statium 4. Theb. Theophylactum in cap.10.Matth. Silium lib.17.Hos omnes iam dedi ad Virgilium.Vnum tantùm hîc dabo.Cyrillus Hierosolym. Cateches.2. εἶτα ὄφις μὲ ἀποτίθεται τὸ γῆρας, ἡμεῖς δὲ οὐ ἀποθησόμεθα τὴν ἁμαρτίαν; *Si potest serpens deponere senectutem, cur nos peccatum non deponamus?* Et Cateches. 3. πᾶς γὰρ ὄφις εἰς στενὸν ἐνδύων, ἀποτίθεται τὸ γῆρας, καὶ τὴν παλαιότητα διὰ τῆς ἀποθλίψεως ἐκδυσάμενος, νεάζει λοιπὸν τῷ σώματι: *Quilibet enim serpens in angustum intrans, deponit senectutem, & vetustatem per coarctionem exsuit, corporéque denuo renouatur.* Hinc Elias Cretens. orat. 4. in Greg. Nazianz. ait Æsculapium Ophiuchi nomine in cælo assistere cum serpente in manu, in signum videlicet reuocationis corporum morbo confectorum: quoniam serpens senium exsuit atque innouatur.

2. RECVRANTVR.] Legunt aliqui *recursantur*, malè. & alij *recusantur*, & possunt: est enim *recusare*, aliquid sponte repellere.

87. 2. HYÆNAM.] Clemens Alex. 2. Pædag. c.10. τὴν δὲ ὕαιναν ἐναλλὰξ ἀμείβειν τὸ ἄῤῥεν εἰς τὸ θῆλυ. *Hyænam autem vicissim singulis annis masculinum sexum mutare in fœmininum.* De qua Ouid.

Alternare vices, & qua modò fœmina tergo
Passa marem, nunc esse marem miremur Hyænam.

Orus Apollo in Hieroglyphicis: ἀυτὴ γὰρ (ὕαινα) ὁτὲ μὲ ἄῤῥην γίνεται, ὁτὲ δὲ θήλεια: *Hæc enim* (Hyæna) *nonnunquam mas est, nonnunquam fœmina.* Et deinde multa meminit de Hyæna. Vide Plinium & reliquos Geographos. Addítque Plinius illam sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, noménque alicuius addiscere; quod cùm assecuta est, illum foras euocatum protinus lacerat, discerpit, deuorat. Vide Ælianum lib.1.de Animalib.cap. 15. Omitto illos, qui id negant, & reijciunt ad fabulas. De nomine, est quod te moneam, *belbum* dici. Capitolinus in Gordiano 3. *Belbi, id est, hyænæ, Deum.* Vide Roscuydum in Appendicem ad vitas Patr.num.5.

88. 2. CERVVM.] Tatianus Assyrius contra Græcos: θεραπεύεις δὲ μᾶλλον αὐτὸν, ὥσπερ ὁ μὲ κύων, διὰ πόας, ὁ δὲ ἔλαφος, δὲ ἐχίδνης, ὁ δὲ σὺς, διὰ τῶν ἐν ποταμοῖς καρκίνων, ὁ δὲ λέων, διὰ τῶν πηδήκων: *Sed tu potiùs te ipsum medicaris, vt canis gramine, viperâ ceruus, sus cancris fluuialibus, leo denique simiarum cibo sibi medetur.*

2. LANGVESCIT.] Rescribit Iunius *longescit*, aut, *longiscit*: quia Ennius apud Nonium, *neque corpora firma longiscunt quicquam.* Sed perperam, ait Marcilius: nam tametsi illa vox proba sit, sed hîc non facit; nam sententia est, ceruum serpente pastum languere, siue ægrotare, sed ipso languore iuuenescere. Hanc enim historiam neque Aristoteles, neque Plinius, neque alij physiologi narrauere; Theologi verò nostri eam magni fecêre; vt S.Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus, in Physiologo suo, cap.5. narrat, ceruum, comesto serpente, ni intra trihorium, siue, tres horas, sitim in aqua restinxerit, emori: aliter autem eo quasi medicamento ad annos rursus alios quinquaginta vitam producere. Substituo hîc verba Epiphanij, quæ non affert Marcilius: postquam enim dixit Epiphanius ceruum comedere serpentes, subdit: φέρει γὰρ ὁπὴ ταὶς πηγαὶς τ' ὑδάτων, καὶ ἕως μὴ τρεῖς ὧραι γένωνται τὸ ὕδατος, τελευτᾷ. ἐὰν δὲ εὕρῃ ὕδωρ, πάλιν ζᾷ ἔτη πεντήκοντα: *Accurrit autem ad aquarum fontes: quòd si trium horarum spatio aqua sese explere non potest, moritur: sin autem aquæ potus obtingat, ad annos denuo quinquaginta vitam protrahit.* Vnde Oppianus 2.Cyneget.

Ζώει δ' αὖτ' ἔλαφος δηρὸν χρόνον, ἀτρεκέως δὲ
Ἀνθρώπων ἥβην τις ἐφημίσει τετρακόρωνον:
Longæua est ceruis vita, & complere putatur,
Vt fert fama, quater cornicis secula longa.

Orus Apollo Hieroglyphicis, de ceruo loquens: ζωγραφούμενον δὲ πολυχρόνιον σημαίνει: *Depictus autem longissimam vitam significat.* Vide insuper Plinium, Ioannem Stobæum, & Iuuenalem, sat.14.

3. TESTVDINEM.] Feram sonoram vocat Statius lib.1. Syluar. eo versu, 89.

Tu quoque muta ferax volucer Tegeæe sonora
Terga premas.

3. TIMEBIS ALIQVID AMPLIÙS CVM LEONE.] Iuuen. sat. 8. aliquid simile,

Nomen erit Pardus, Tygris, Leo, siquid adhuc est
Quod fremat in terris violentius.

Sic inquit qui latet sub sarmento in vinea, máius aliquid timendum est, ac si esset leo, est enim chamæleo.

3. AVDACIAM, ET GRÆCIAM NOMINIS.] Legunt aliqui, *audaciam egregiam nominis.* Alij, *audaciam & gratiam nominis.* Sed omnino legendum *audaciam & Græciam nominis.* Neque enim nouum est duplex substantiuum legi in Auctoribus, vt adnotat Meursius ad Lycophron. Sic Horat. *Adriam mare*, Arnobius, *sexum marem* pro masculino, Tertullianus de Pallio, *audaciam Græciam*, Propertius, *Horatia pila.* Prudentius, *Lucinas horas.* Martialis, *Libyam palæstram*: Venantius in Phœnice, *Oceanas aquas*; Velleius, *Græciam iuuentutem.* Sic Catoni, *Syracusis soleæ*, pro, soleæ Syracussanæ. in Trin. Plauti, *Ficus Zacyntho*, pro, ficus Zacynthiæ. Varroni, *cultri Bithynia*, pro, cultri Bithynici. Lucil. *Mensa Libano*, pro, mensa cedrina è monte Libano. Seneca de Benefic.lib.5. cap. 24. *Macharam Hispaniam*, pro, Hispanicam. Quin Casaubon. legit, *audaciam Græciam*, & vocat Tertullianum, inculpatæ Latinitatis auctorem. Vide præterea Plautum, & commentatorem Taubmannum in Asinaria, vbi Plautus *Rete iaculo*; ibi enim infinitos profert Taubmannus, qui vsi duplici substantiuo, pro substantiuo & adiectiuo, intérque omnes Tertullianum nominat, & adducit istud exemplum, legitque *audaciam Græciam.* Adiungo nouam lectionem *audaciam & Græci iam nominis*; iuxta quam stare potest sensus, vt dicat, audaciam etiam Græci nominis.

3. QVI MINVTIORIBVS, &c.] Alij, in his Iunius, legunt, *qui minutioribus multo licet chamæleonte. Pellicula*, &c. Hæc lectio distorta est. Alij rursum loco *licèt*, relegunt *cluet*, satis insipidè. 90.

3. CHAMÆLEON PELLICVLA VIVIT.] Insigniter ad rem faciunt verba Plinij lib. 8. cap. 33. *Figura & magnitudine lacertæ erat, nisi crura essent recta*

& excelsiora, motus tardior, vt testudini, corpus aspe- A *rum, vt crocodilo, oculi in recessu caui, tenui discrimine prægrandes, corpori concolores: nunquam eos aperit, nec pupillam mouet, sed totius oculi versatione semper aspicit. Solus animalium nec cibo, nec potu, neque alio quàm aëris alimento nutritur.*

3. EMISSITII OCELLI.] Plautum æmulatur Aulul.

Exeundum hercle tibi hinc est foras
Circumspectatrix, cum oculis emissitijs.

Pene *emissitios oculos* agnoscit Plutarch. in Sylla, ἐξέρσεις ὀμμάτων : *proiectiones oculorum.* Apul. 2. *Cuncta curiosis oculis arbitrabar.* Petron. *Quartilla per rimam applicuerat oculum curiosum.* Tali ferè forma Plaut. dixit Pœnul. *tunicas demissitias.* Et Seneca epist. 104. *Socratem perpessitium senem,* παθητόν.

91. 3. ET PROMOVET.] Multi enixè legunt, *nec promouet.* Possunt. Sed multò melior est lectio communis, vt dicat, *molitur incessum, & promouet.* Certum est enim promoueri. Itaque in hunc quadrat il- B lud Plauti Epidic. *pedibus pulmoneis,* & illud aliorum, *pulmo prius venisset*: quod conuenit in cessatores, nam pulmo cùm perpetuò moueat, nunquam tamen promouet.

3. ET INDEFECTVS.] Aliqui legunt *inrefectus*, malè. Alij, *nuntius indefessus*, malè item. Denique alij dupliciter *inde fessus*, malè quoque. Lectio proba est *indefectus.* Nam l. de veland. Virgin. c. 8. *nulla sui parte defectum.* hinc ergo, *indefectus*, qui deficiens non est, qui viget. Propositio est è contrariis, sicuti illa, *molitur incessum stupens, & promouet.* Qui vult, *irrefectus*, videat esse eandem sententiam cum *ieiunus.*

3. FOLLICANS RVMINAT.] D. Hieronymus describens vitam luxuriosorum, ad Eustochium: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant: si pes laxa pelle non folleat.* Ibidem: *Laxæ manicæ, caligæ follicantes:* C Quia, vt auctor est Marianus, Scholiastes Hieronymi: *Follicare, instar est follium, vento incluso moueri; quod euenit laxis calceamentis.* Quod Græcè dicitur, νεῖν ἐν ταῖς ἐμβάσι : *natare in soccis.* Et Ouidius in Amorib.

Nec vagus in laxis pes tibi pelle natet.

Et Sidonius:

Laxo pes natet altus in cothurno.

Sed ista obiter. *Follicans ruminat*, nempe auras, tanquam folliculo suo acceptas. Sic Apuleius dixit, *follicantes nares.* Legendum vtique, *follicans ruminat, de vento cibus. Tamen & chamæleon mutare totus*, &c. Cùm enim Tertullianus mutationis meminerit, vt in qua pondus rei, videtur scribendum littera maiuscula. Et hoc est quod Plinius asserit: *Et coloris natura mirabilior: mutat namque eum subinde, & oculis, & cauda, & toto corpore; redditque semper quemcumque proximè attigerit, præter rubrum candidumque.* Nazianz. orat. 3. ἀλλ' ὥσπερ τὸν χαμαιλέοντα λόγος πανοῦργον D γίνεσθαι ῥᾴδιος, καὶ πάσας μὲν ἀναλαμβάνειν χροιάς, πλὴν μιᾶς τῆς λευκότητος : *Chamæleontem in quoduis facilè mutare aiunt, atque omnes subinde colores, candore vno excepto, suscipere.* Socrat. cap. 3. lib. 1. ὡς χαμαιλέοντες μετέβαλλον: *Vt chamæleontes sese mutabant.* Redeo ad verbum, in quo sum. *Folliculum* pro corpore Lucillius posuit (vt atteſtatur Turnebus lib. 3. c. 20.) his verbis: *Ego, si qui sum, & quo folliculo nunc sum indutus, non queo. quo folliculo*, id est, quo corpore. Sequitur, *vt quid accessit.* Sensus potest esse quem explicui. nisi malis, *vt quid accessit*, id est, si qua res ad illum accessit, induit statim colorem rei accedentis.

92. 3. DE CORIO SVO LVDERE.] Martialis lib. 3.

Vt velles corio ludere cerdo tuo.

Et lib. 7. Epig. 9.

De cute quid faciat ille vel ille sua.

4. MVLTA DICENDVM FVIT.] Græcus sermo. Virg. *Pacem Troiano ab Rege petendum,* αἰτητέον εἰρωλῶ. Sic Lucret. lib. 1. *Æternas quoniam pœnas in morte timendum.* Varro de re Rust. *Haras substernendum palea.* Est enim, *multa dicendum fuit,* πολλὰ εἰρητέον.

4. INVESTIS.] Esse, *inuestem*, nudum & sine 93. veste, clarum est. Etenim *in* negat in hoc auctore: quod simillimis efficit Gretserus in defensione capitis 14. Bellarminij lib. 2. nam in eodem *infœderatus*, est non fœderatus. Ita etiam *incriminatio, inalienus, inbonus, inuerus*, vbique enim negat particula *in*: Ita etiam *inorum* & *inorem* pro sine ore. *innubem* pro claro, & *inclarum* pro non claro.

4. PELLITVS ORBI VT METALLO DATVR.] Elegans locutio, & stricta, vnde cùm Adamum atque Euam vocauit *restitutionis candidatos*, siculneis intellexit indutos. Sed de hac locutione alibi vberiùs, ne te hîc onerem. Est hîc *metallum* fodina. Vide Delrium in cap. 3. Geneseos.

5. QVOD ALEXANDER DIGERIT, ET 94. MATER LEGIT.] Ista omnia manifesta fiunt ex Augustino lib. 8. cap. 5. de Ciuit. vbi sic ait: *In eo genere sunt etiam illa, vt aliquid de Numa mitiùs suspicemur, quæ Alexander Macedo scribit ad matrem, sibi à magno Antistite sacrorum Aegyptiorum quondam, Leone, patefacta*, &c. Vbi illud patefactum ait Alexander ad Matrem Olympiadem, de Diis Ægyptiorum, omnes mortales esse. Et licèt in ea epistola non narret de veste facta à Mercurio, quia ad propositum Augustini nihil conducebat, tamen Tertullianus narrat, Mercurium palpasse arietem, & ex palpato eo eliquasse vestem, quod credibile quoque in ea epistola fuisse. Est etiam locus alius. Nam lib. 12. eiusdem operis, cap. 10. ita ait: *Illa Epistola Alexandri Magni ad Olympiadem matrem suam, quam scripsit, narrationem cuiusdam Aegyptij sacerdotis insinuans; quam protulit ex litteris quæ sacræ apud illos haberentur*, &c. Cyprianus etiam de Idolorum vanitate ita meminit: *Hoc ita esse Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit*, &c. Loquitur de regibus Afrorum. Minutius etiam ita scribit: *Alexander ille Magnus, insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suæ potestatis proditum sibi de Dijs hominibus à sacerdote secretum.* Demum Athenagoras huius epistolæ meminit. Iuxta hæc liquida est sententia, quam nec Pamelius, nec Marcilius intellexêre; nam loco *mater*, quæ est in duplice Vaticano, legunt *Afer*, & explicat Marcilius tropicè hunc locum, dicens, *Alexander*, explicandum de Alexandrinis, & *Afer* de Africanis; cùm clarè Tertullianus scripserit, *quod Aegyptij narrant, & Alexander digerit, & mater legit.* Ad eum modum quo infrà est, *denique cum ipsis*, Marcilius explicat, *deinde cum Osiride & Hammone*, cùm clarè dicat, denique cum Ægyptiis & Alexandro. Lectionem, vt ego repræsentaui, habet Salmasius in Notis ad Spartianum, nulla re addita quo illam probet. In his autem Notis dicit se elaborasse librum de Pallio, & prope diem visurum lucem: vtinam iam vidisset.

5. EA TEMPESTATE.] Malè legit *de tempestate* Marcilius, iuxta sensum expositum.

5. HAMMON OVIVM DIVES.] Dictus Hammon ab arenis, Sidonius carmine 9.

Non hic Cyniphius canetur Hammon,
Mitratum caput eleuans arenis.

Cùm ait, *vasit*, loquutus est ex ingenio. Bulengerus quidem lib. 1. de vest. Pontif. hunc locum sic legit, ca. 56. *Cùm Ammon ouiũ dines è Libya Osiridem inuisit.* Falsò, vt autumo. Etenim Tertullianus *vasit* scripsit.

5. DENIQVE.] Particula, quæ redit ad propo- 95. situm. Dixerat, *Cedo iam*, &c. ait, *denique cum ipsis*, nempe Alexandro, Olympiade, autumant Ægyptij Mercurium, &c. q.d. cum ipsis, inquam, autumant

siue narrant. itaque, *denique* est loco, *inquam*. Locus A est simillimus Apologetici 16. quem apponam: *Alij planè humaniùs & verisimiliùs solem credunt Deum nostrum. Ad Persas si fortè deputabimur, licèt Solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum vbique in suo clypeo. Denique inde suspicio*, &c. Qui cùm dixerit, humaniùs & verisimiliùs aliquos credidisse Solem esse Deum nostrum, mox huius humanitatis & verisimilitudinis reddit rationem, quòd interposuerit illud de Persis. Locus est planè isti germanus, aduersus Hermogenem cap. 18. *Sophiam suam scilicet. Hæc denique sola cognouit sensum Domini.* Vbi sententia est, Deum habuisse sapientiam suam cõsiliariam in mundi creatione. Hæc, inquam, sola cognouit sensum Domini. Alij tibi passim occurrent.

5. DEGLVBASSE.] Alij *delibasse*, aut *delibrasse*, aut *dilabasse*, aut *deglubisse*, aut *diglabrasse*. Verè Tertullianus, *deglubasse oueculam*, sermone antiquo, vbi *deglubasse* pro deglubisse. Ædhelm. de Virg. *Tunc* B *iustam buculam imperant deglubere, vt recentis corij cruditate nuda martyris membra cingerentur.* Et *oueculam* pro ouiculam. nam, vt ait Constantinus ad Porphyrogenitum, πολλάκις μεταφθείρουσι τὰ ὀνόματα, videlicet σαυήθεια, *vsus corrumpit sæpe nomina.* Habentur cap. 29.

96. 5. TRACTV PROSEQVENTE.] Est tracto licio, vel tracto lanarum glomo: hoc enim est, tracta lana. Varro apud Non. in *Tractus*, sic ait: *Etiam suis manibus lanea tracta ministrasset infector.* id est, glomus laneus.

5. ELIQVASSE.] Est hoc quod Paulinus lib. 3. S. Martini: *Amictus ductus vellere.* Et *eliquasse*, ait, vt etiam Vopiscus in vita Aureliani: *Aurum per varios bractearum, filorum, & liquationum vsus perire.* Lucret. 2. *Filatim distrahere.* Etenim *eliquasse*, est μύειν trahere κατὰ λεπτὸν, aut ex aqua; malè vtique *elicuisse*. Idem omnino quod *fluo*, de quo Statius in Syluis,

--- cœlóve peractum
Fluxit opus.

Post recensitas opiniones Gentilium, duxi hîc apponere quod ait Genebrardus de Noëma, in Genesim. *Noëma istorum soror, ingeniosa fœmina, ideóque nominata in scriptura, præter eius consuetudinem, quæ non solet in generationibus mulieres commemorare, nisi sint virtute vel mysterio singulares: Lanificij & texturæ inuentrix, linum in fila traxit, & pannum texuit, cùm antea pellibus bestiarum, lanis similibusque materiis consutis, contortis, vel deductis, ad tunicas, vestes, stragula, atque huiusmodi alia vterentur.* Non est animus tamen improbare quæ hîc Tertullianus scripsit, quæ alij tradidêre.

97. 5. PHILYRA TENVI VINXERAT.] Legunt aliqui *iunxerat*. Cùm tamen Tertullianus scripserit, *vinxerat*. Nimirum primam vestem fuisse è pellibus ferinis, reuinctis philyra siue tilia. Est enim D tiliæ optimus cortex & aptus ad vincula. Theophrast. lib. 1. de Plant. εὔκαμπτος ἡ φιλύρα διὰ τὸ γλίσχρον ἔχειν τὴν ὑχρότητα: *Flexibilis est philyra, siue tilia, quòd habet humiditatem viscosam.* Affert etiam Marcilius Plinium, lib. 6. cap. 14. cuius hæc sunt: *Inter corticem & lignum tenues tunicas multiplici membrana: è quibus vincula, tiliæ vocantur.* Certè inde prouenit, quod habet corticem papyraceum φυτὸν ἔχον φλοιὸν βύβλωπα, vt ait auctor etymologici.

5. MINERVAM.] Arnob. lib. 5. *Pro aquis, Neptunum; Liberum patrem, pro vino; Cererem, pro pane, Mineruam, pro stamine.* Et Virg. 7. Æn.

--- non illa colo calathisque Mineruæ
Fœmineas assueta manus.

Et 8.

Cui tolerare colo vitam, tenuique Mineruæ.

5. CÙM PENES ARACHNEN, &c.] Dupliciter carpit Carthaginienses: Primo, quia cùm lanitij inuentionem Ægyptij, Alexander & Olympias, rectè adsignarint Mercurio, (sic dicendum est, non Alexandrini Afriue, vt malè Mercerius) ipsi transcripserint eam Mineruæ: altero, quia laudem illam ipsi fatentur debitam Arachnæ puellæ, & tamen Græcanicas fabellas secuti eam Mineruæ tribuunt. Putarunt scilicet isti, quæ de Arachne dicuntur, esse telas aranearum, de quibus ita loquitur Theodoritus Cypri Episcopus, de Prouident. lib. 6. τῶν ὑπ' αὐτῶν πλεκομένων κατηγορίαν, ἰστὸν ἀράχνης ἀποδείξωμεν: *Accusationem ab illis contextam, araneæ telam esse ostendamus.* Et Proclus Constantinopolitanus Episc. ὄντως ἰστὸν ἀράχνης ὑφαίνουσιν οἱ ταῦτα λέγοντες: *Qui ista garriunt, verè telam araneæ contexunt.* Græcè, vt vides, est *Arachne.* 98.

6. EXHINC DE MATERIA.] Præclara proculdubio correctio, & breuiloquentia: acturus enim de materia, optimum principium elegit. De materia verò agit Prudent. Hamartigenia,

Vt quæque est natura fera mollissima tactu,
Pectitur: Hunc videas lasciuas præpete cursu
Venantem tunicas, auium quoque versicolorum
Indumenta nouis texentem plumea telis.

6. NEC DE OVIBVS DICO MILESIIS.] Oues Mileti, ac proinde vellera, in magno pretio. Columell. lib. 1. cap. 2. *Generis eximij Milesias.* Plinius lib. 8. cap. 48. *Tertium locum Milesiæ obtinent.* Alexij apud Athen. lib. 12. πρόβατα ἐκ Μιλήτου: *Oues Mileti.* Aristophanes in Ranis, φάμαι Μιλησίοις ἀμπεταμμένος: *Instratis Milesiis reuolutus.* Vide plura apud Virgilium. 99.

6. ET SELGIÇIS.] Videtur dicere Asiaticas, quæ dicuntur Erythrææ, Plinio lib. 8. cap. 4. Selga Pisidiæ oppidum apud Strabonem lib. 12. non immeritò censet Marcilius legendum *Gallicis*, de quibus C Columell. lib. 7. c. 2. *Nunc Gallicæ pretiosiores habentur, earúmque præcipuè Altinates.* Vbi sicuti Gallicas & Altinates coniunxit, ita Noster.

6. ALTINIS.] Vide superiorem Notam; & adijce Martialem,

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat opus.

6. TARENTVM.] Martialis lib. 5. 100.

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galesi mollior Phalantini.

Quem in locum Heraldus notat in pretio esse Tarentinarum pecudum vellera, quia pellibus integebantur ad teneritudinem conseruandam, vt notat Porphyrion ad Od. 6. lib. 2. *Fauorinus etiam: itémque quidam Tarentinas oues, vel nuces dicunt, quæ sunt Tarentinæ, à tenero, quod est Sabinorum lingua, Molle.* Sic Polybio dicuntur, μαλακὰ πρόβατα. Et Æliano, μαλακὰ ἴδια. Et Casperius notat, Tarentum ob id ipsum vocari *mite* ab Statio: D

--- & tua mitis
Ora Taras.

Lanæ enim mitius quid præbent ad fouendum corpus. Et Taubmannus notat per *pellitas oues* Horatium lib. 2. Od. 6. intelligere Tarentinas, cùm ait,

Dulce pellitis ouibus Galesi.

Dicit autem hoc in illud Plaut. Trucul.

Qui oues Tarentinas erat mercatus de patre.

6. CLVET.] Plautus Amphitryone scen. 2. Act. 2.

--- vt meus victor vir belli clueat.

Vbi Taubmannus: *Victor nominetur, & omnium sermone celebretur,* ἀπὸ τοῦ κλύειν. Prudentius in Psychomachia:

Christe graues hominum semper miserate labores,
Qui patria virtute cluis.

Et Damasus Papa hymno Andreæ Apost. *In te Crucis*

mysterium Cluit gemello stigmate.

101. 6. NATVRA COLORANTE.] Claudian.1.in Ruffinum ad finem,

--- nec murice tinctis
Vellera quaretur honos, sed sponte rubebunt
Attonito pastore greges, pontúmque per omnem
Ridebunt virides gemmis nascentibus algæ.

Etenim res hæc, vt bene notat Tertull. in lib. de Habit. Mulieb. fabulam sapit. quem locum vide ibi.

6. HERBIDA.] Claudianus 2.in Ruffinum,

Herbida collecta facili velamina nodo.

Sidon. Apollin. carm. 22.

--- herbosis quæ vernant marmora venis.

Idem omnino quod in Surrentino Pollij dixit Stat. de viride marmore Lacedæmoniorum,

Hic & Amyclæi casum de monte Lycurgi
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.

Apuleius lib.11. *Byssina quidem, sed floridè depicta veste conspicuus.* Martianus Capella, de nuptijs Mercurij & Philologiæ lib. 1. *Floridam discolorémque vestem herbida palla contexuerat, in qua totus gemmarum metallorúmque census, atque omnium prouentus frugésque sationum, larga admodum vbertate ferebantur.* Stat. 2. Syluar.

Texta legens, modò puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc viuis digitos accendere gemmis
Gaudebat.

102. De hoc colore latè & doctè differit Claudianus, de Consul. Olybrij & Probini, ad finem. Omitto. Lineis vestibus & hac herbositate vtebantur Ægyptij sacerdotes, & cotonio, quod Xylon appellant. quamobrem Xylina induebantur, quibus nulla sunt in candore molliciáve præferenda. Vnde λινοστολίας, *ornamenta è lino*, Plutarchus dat sacerdotibus Isidis in lib. de Isid. & Osiride. Herodotus lib. 2. ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἱ ἱρέες λινέην μούνην: *Vestem gestant sacerdotes lineam vnicam.* Apuleius Apolog. *Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modò indutui & amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui in rebus sacris vsurpatur.* Adde Philostratum in vita Apollonij: Huic viro apud Domitianum principem crimini datum, quòd vestitu lineo vteretur. Bene autem ait *herbida*; herba enim propriè est segetis, ac perinde tritici, hordei, lini, & similium. Hoc iam agitaui in Georgica, & hîc adiicio Maximum, Homilia 2. de Pentecoste: *Ex eo surculus viresçit in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem.*

103. 6. TVNICAM PANGERE, ET SERERE.] Metaphora elegans. Non dissidet illa Lucret. lib. 5. *serere vulnera.* Nec illa Plauti Menæchmis,

Hisce ego iam sementem in ore faciam, pugnásque obseram,

Et propriùs ad rem Prudentius in Hamartigenia:

Additur ars, vt fila herbis saturata recoctis
Illudant varias distincto stamine formas.

6. CONCHÆ COMANT.] Byssus marinus de pinnis, quarum lana mollitie non inferior serico. Est *como, comas*, quod non est in vsu, licèt inde *comatus* existat; est autem comam producere, & gignere. Illud, *muscosæ lanositatis*, est quod Virg. 7. Eclog. *musco corticis.*

104. 6. BOMBYCEM.] Illustratura sunt ista Clementis Tertullianum, ὃς σκώληξ φύεται τὸ πρῶτον· εἶτα ἐξ αὐτοῦ διαδοσία ἀναφαίνεται κάμπη. μεθ' ὃν εἰς τρίτην μεταμόρφωσιν νεοχμοῦται βόμβυλον. οἱ δὲ νεκύδαλον αὐτὸ καλοῦσιν. ἐξ οὗ μακρὸς πίπτεται νῆμα, καθάπερ ἐκ τῆς ἀράχνης ὁ τῆς ἀράχνης μίτος: *Est autem primum* (bombyx) *vermis: deinde aspera ex eo nascitur eruca, postquam in tertiam metamorphosin innouatur bombylius, quem nonnulli vocant necydalon, ex quo longum stamen nascitur, quem-*

A *admodum ex aranea tela araneæ.* Heliodorus etiam lib. 10. Hist. μετὰ τοῦτον καὶ οἱ Σηρῶν πρεσβεύονται φέροντες αὐτοῖς ἀράχνια νήματα καὶ ὑφάσματα, τὰ μὲν φοινικοβαφῆ, τὰ δὲ λευκοτάτα ἐδῆτε, θαυμάζοντες: *Post hunc & Serum adducebantur legati, araneorum, qui sunt apud illos, stamina & texturas, vestem alteram purpureo colore tinctam, alteram candidissimam afferentes.* Simocatta lib. 7. Historiæ de his Indis loquens: οἱ δὲ σκώληκες, ἐξ ὧν τὰ Σηρῶν καθίστηκε νήματα, παύ παρὰ τῷ τοιούτῳ ἔθνει πολλὰ ἐκαλεῖτο: *Bombycũ, vnde fila serica, magna & diuersicolor apud eos copia.* Lege Plinium lib. 11. cap. 22. & Arist. de hist. animal. lib. 5. cap. 19. Vide me 2. Georg.

105. 6. SCOPIS.] Accepi *scopas* de ipsis ramis, quibus pascitur bombyx: hoc enim insinuat clarè Tertullianus, cùm dicat mox deuorare & digerere in stomacho, seu pasci. Hoc monui: nam nostrates ramos illos non nominant *scopas*, sed *scoparum* nomine intelligunt, cùm iam se reddunt quieti; quæ cùm præcedant in Tertulliano, esse nequeunt, quæ verè scopæ nuncupantur, sed rami quibus pascitur: inquit enim, *scopis se distendit*, vt edat: *mox deuorat*, en cibus: demum, *mox se quieti reddere*, &c. quod contingit apud nostros, in scopis, non apud Tertullianum.

6. MOX SE QVIETI REDDERE.] Aliqui legunt *mox aquè reddere.* Quid isti velint, explicent. Aliqui rursum *mox aquæ reddere*, & explicant, *in aqua statuere.* Clara emendatio Tertulliani est, *mox se quieti reddere*: atque adiicit, *proinde si necaueris.* Nunquam enim emoritur vermis, sed dormit, ac si necatus sit. Ianus Rutgersius legit hunc locum ita: *Mox aquè reddere perinde ac si neueris.* Ea, inquit, arte reddit, vt hominem id neuisse putes. Non displicet; tamen hærerem textui. Est qui sèriò legat, *Prorsus haud latet, Bombycem (vermiculi genus est) quæ per aërem aliquando araneorum more scopis idoneis distendit, dehinc deuorsat, mox aquè rodere: proinde si necaueris, animata iam stamina volues.* Hoc sensu: Haud latet Bombycem, ea quæ per aërem araneorum more in scopis distendit (ita vt *quæ* non referat ad Bombycem, sed opera Bombycis) dehinc deuorsat, addita (*ſ*) verbo deuorat, (in speciem glomi conuoluit, Hispanè, *deuana*) mox æquè rodere (fame enim adacta bombyx exitum quærens rodit stamina, nisi morte præuenias,) ideo subiungit, *proinde si necaueris, animata iam stamina volues* (sana & integra, non ipsa, quasi è contrario dicat, si non necaueris, disrupta inuenies.) Hoc qualecunque sit, nolui te, Lector, lateret.

106. 6. ANIMATA MOX STAMINE ALVO.] Multi legunt, *animata iam stamina volues.* Desinunt videlicet in versiculum. Sed ista lectio praua est. Lectio enim Tertullianica spectat, vt bombyx *tendat, deuoret, quiescat, pariat.* Et *animata mox stamine aluo*, videlicet *necydalo.* vt inquit Clemens Alex. *Ex necydalo stamen.* Clementi enim ex verme eruca, ex eruca bombylius, qui & necydalus, *ex quo*, inquit, *stamen vt ex aranea filum.* Ex Tertulliano itaque & Clemente intelligi potest aliam esse rationem Assyriis ingeniis, quæ illi prosequuntur; aliam nostratium. *deuorat* autem est, vel prandet, vel pransa decoquit.

7. TANTAM IGITVR PARATVRAM.] Greg. Nyssen. orat. de Mortuis, hanc paraturam his verbis prosequitur: ἢ πίνος χαίειν ἐπιδέδεται τὸ ἱμάτιον χρυσοῦ νήματος, καὶ τῆς ἐναπδύσεως προφυείσης, καὶ τῆς ὑφαντικῆς ζογραφίας, δι' ἧς πόλεμοι, καὶ θῆρες, καὶ τὰ τοιαῦτα τοῖς χιτῶσι τε καὶ τοῖς ἐνδύμασι παρὰ τῶν ὑφαντόντων ἐνζωγραφοῦνται; *Quem vsum afferunt vestes aureis purpureisque filis cõtextæ, & varia elaboratæ pictura, quâ & prælia & venationes, & aliæ res huiusmodi in tunicis & indumentis ab artificibus describuntur?* Omitto in re amplissima Græcorum lumina.

107. 7. INGENIA QVOQVE VESTIFICINÆ.]

Machinamenta. Lib. de Resurrect. carnis cap. 8. *ingenia pœnarum.* de spect. cap. 10. *artium ingenia.* inde hodie *ingenia* pro machinis. Et *ingeniatores* pro machinicis. Sic itaque *ingenia vestificinæ*, pro inuentis & molitionibus vestificum. Vt etiam *caussidicina, iuridicina, mundicina, indicina.*

7. INHABITANTVR.] Legunt nonnulli *inhabituantur*, nec vident sermonem esse de ædibus. Potest videri verbum compositum ab Auctore, ab *habitu*, vt à *Pallio*, *depallior*. itaque erit idem quod, Gentilitus induuntur.

7. PASSIVITVS.] Promiscuè, apud omnes, à voce *passim*. Sic Apuleius *passiuam congeriem* dixit lib. 6. Et Iulius Firmicus, *passiuam venerem*, publicam & promiscuam. Hieronymus in cap. 16. Ezechielis, *passiuam libidinem*. Et in cap. 10. Matth. *passiuam interpretationem*, quæ communis & vulgaris esset.

108. 7. CVM VOCE VESTIS INTRAVIT.] Vult *Pallij* nomen Græcum esse. Gloss. *Pallium* πάλλιον. Sic certè à *palla Pallium*; *palla* autem ὑπὸ τῦ πάλλειν. scio in nonnullis esse dissidia. Sed *intrauit* non vulgò omnibus, sed aliquibus: dicente Plinio lib. 4. epist. 11. *Idem cùm Græco Pallio amictus intrasset (carent enim togæ iure, quibus aqua & igne interdictum est) postquam se composuit, circumspexitque habitum suum, Latinè, inquit, declamaturus sum, dicens tristia & miseranda.* Dicuntur hæc de Valerio Liciniano. Itaque ait Plinius, quòd qui aqua & igne interdicebantur, togis exuebantur, & Palliis amiciebantur, quasi peregrino induendi modo. Ideo dixi, (non vulgò omnibus,) sed (aliquibus.) Vide de hac re Baronium tomo 1. Annal.

109. 7. CATO HVMERVM EXSERTVS.] Ridiculè quidam Catonem palliatum faciunt, non togatum, cùm ius diceret Romæ Prætor: è quorum placito est Baronius, tomo 1. Annal. pag. 90. sententia enim est, vt vult Marcilius, exserto humero, siue aperto, Græcis fauit non minùs quàm si palliatus esset. A Oratores sanè humero extra togam erant, iudices verò intra togam, sic enim decentiùs agebant; atqui exseruisse humerum Catonem cùm esset cum toga, insolitum videbatur; eo itaque habitu Græcis fauit. Hæc est genuina explicatio Tertulliani. Non ingratum fecero, si addam hîc Turnebum, asserentem lib. 7. cap. 3. illud Ciceronis pro Cælio: *Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus, & vt exercitatione ludóque campestri tunicati vteremur.* Vbi dicit, eo anno quo sumebatur toga virilis, modestiam ab adolescentibus seruatam, & pudorem: qui enim brachium toga eximeret eo anno, inuerecundus habebatur. Igitur ait Tertullianus, Prætorem, cùm ius diceret, eundē seruasse tenorē ac adolescentes primo anno togæ; ac propterea Catonem, qui humerum exseruit contra institutum, fauisse Græcis. Addo ego nihil mirandum, eum, cùm ius diceret, eo habitu fuisse, cùm de illo dicat Asconius in Orat. pro M. Scauro: *Cato Prætor iudicium, quia æstate agebatur sine tunica, exercuit campestri sub toga cinctus.* Quid B alij? Sedul. lib. 1. 110.

Qualiter assueti varias producere sectas
Impugnant sua dicta viri, qui brachia nudis
Ostendunt exserta humeris.

Ammianus Marcellinus lib. 26. *Eóque vt expeditiùs loqueretur, brachio exsertante.* Plautus in Milite, *expapillare* dixit, vel, vt alij melius legunt, *expalliare*. Et quidem loqui nostrum de humero extra togam, certum, cùm dixerit Seneca lib. 1. Controuers. *Apud patres nostros, qui forensia stipendia auspicabantur, nefas putabatur extra togam exserere.* Est verò aculeus in Catonem, Græcorum hostem, & tamen se toga sua, vt par erat, non continentem. Nihil verò ad hunc Pallij locum, quæ obtrudit Iunius de Prætura Catonis in Hispania, quæ nulla fuit: neque fauet locus Val. Max. lib. 4. cap. 3. Cùm ait *iuridicina*, amat antiquitatem, vt alibi *vestificinam* dixit, & Ammianus *caussidicinam*, lib. 30. Ait enim: *Ad vltimum; id habet caussidicina cum ceteris metuendum & graue.*

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Habitus mutationem tunc esse probri pœnam, si naturæ & disciplinæ fiat; commemorátque ethnicorum pudenda facta.

TERTVLLIANVS.

111. 1. QVID nunc? si est Romanitas omnis alia, alia nec vestis, tamen admodum Græci estis. Annon ita est? Vnde gentium in prouinciis meliùs exercitis, quas natura agro potiùs eluctando commodauit, studia palæstræ malè senescentia, & incassum laborantia, & lutea vnctio, & puluerea volutatio, & arida saginatio? Vnde apud aliquos Numidas, etiam equis cæsariatos, iuxta cutem tonsor, & cultri vertex solus immunis? Vnde apud hirtos & hirsutos tam rapax ab ala resina, tam furax à mento volsella? Prodigium est hæc sine Pallio fieri: illius est tota res Asiæ. Quid tibi Libya & Europa cum exoticis munditiis, quas vestire non nosti? Reuera enim quale est Græcatim depalliari magis quàm amiciri? Habitum transferre, ita demum cultus probrum est, si non consuetudo, sed natura mutetur: sat refert inter honorem temporis, & religionem Dei: debet consuetudo fidem tempori, natura Deo.

EXPLICATIO.

112. 1. *Quid nunc*, &c. *Quid nunc* dicam de vobis? *si alia omnis Romanitas* vobis est, *nec alia vestis* quàm toga, nihilominus *tamen admodum Græci estis*? hoc est, moribus & luxu munditiisque Græcos imitamini, & Græcamini? *Annon*, &c. Probat modò & explicat quibus in rebus sint Græci, Græcanicos ritus imitentur: cùm tamen vestis sit Romana. Incipit ab interrogatione: *Annon ita est? vnde* ergo *gen-*

tium in prouinciis exercitis, meliùs ad ciuilem cultum, *quas natura potiùs eluctando*, id est, excolendo agro, commodas fecit, quàm studiis & artibus Græcanicis, vigent studia palæstræ, quæ malè & nunquam seneſcunt, potiùs viuunt & vegeta sunt illa studia, & inaniter & incassum laborant? Et *lutea vnctio*, id est, oleum legitimum, & ceroma palæstræ, & voluptatio pulueris? Et *arida saginatio* victúsque athleticus, vtique ξηροφαγία? *Vnde apud aliquos*, &c. Numidæ dicuntur etiam equis cæsariem alentes. Vnde ergo cùm isti sint cæsariati, etiam in equis, vtuntur tonsore iuxta cutem, reseruata solùm cæsarie capitis; nisi à Græcia & Asia? Quî fieri potst vt hi qui hirti sunt natura, & hirsuti cultu, ament rapacem resinam ab ala, scilicet resinam, quæ mordacitate sua subtrahat pilos, id est, curent tantopere ne hircus cubet sub ala? adhibéantque furacem volsellam à mento, id est, forficulam pilos barbæ auferentem? *Prodigium est*, &c. Hæc res tota est Pallij, tota Asiæ. quamobrem totus in Libyam atque Europam inuehitur; quæ exoticas & peregrinas delicias amet, & tamen nesciat Pallio vti, id est, vestiri & tegi, vt sequentia probant. *Reuera enim quale est Græcatim depalliari magis quàm amiciri?* Id est, reuera vos magis Græco ritu depalliamini & denudamini, quàm amicimini: magis vtimini Pallio non quadrangulo, sed rotundo & tereti, & hoc est malè & non conuenienter amiciri. quasi & Græcum, & nec Græcum. Atque ita vos non tam palliati & amicti Græcatim, quàm depalliati. *Habitum transferre*, &c. Probrosum est habitum transferre, naturam mutando, non consuetudinem. Probat. nam refert multum inter honorem cultúmque qui debetur tempori, & religionem quæ debetur Deo: & quidem consuetudo, est temporis; natura, Dei.

113. 2. Naturam itaque concussit Lariſſæus Heros in Virginem mutando: ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis consilium, quandoquidem labiis vacuerat ab vberum gustu: ille apud rupicem & syluicolam, & monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus. Feras in puero matris sollicitudinem. patiens certè iam vstriculas, certè iam virum alicuius clanculò functus, adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effœminatus, quod illi apud Sigæum statua seruat. planè postea miles est. necessitas enim reddidit sexum. De prælio sonuerat, nec arma longè. *Ipsum* (inquit) *ferrum virum attrahit.* Ceterùm si post incentiuum quoque puella perseueraſſet, potuit & nubere. Ecce itaque mutatio, monstrum equidem geminum, de viro fœmina, mox de fœmina vir, quando neque veritas negari debuisset, neque fallacia confiteri. Vterque habitus mutandi malus; alter aduersus naturam, alter contra salutem.

114. 2. *Naturam itaque*, &c. Incipit itaque ab mutatione naturæ, quæ dirior & probrosior, adducens in exemplum Achillem, quem ab vrbe Lariſſa Thessaliæ vocat Heroem Lariſſæum. Ille itaque naturam mutauit, qui Achilles dictus est, quasi ἄνευ χλοῦ, quòd ab vberum gustu vacauerat (noster altiùs & magis Tragicè, *vacuerat*) & id quidem in schola scrupea apud rupiconem & syluaticum, ac magistrum Centaurorum Chironem. *Feras in puero*, &c. Ferre possis in puero Achille matris Thetidis sollicitudinem, qua puerum occultabat, muliebri habitu. *Patiens certè*, &c. erumpentem iam malarum lanuginem vstriculis aduri. De hac sententia anxius sum. Vide Notam. *Certè iam*, &c. Certè *functus* erat *virum*, id est, virilitatem iam functus erat, iam erat vir & alicuius fœminæ clanculò & in secreto. Intelligit Deidamiam filiam Lycomedis Regis, quem Achilles clanculò stuprauit, & Pyrrhum ex ea genuit. Atqui tamen sustinet stolatus esse vt puella, illámque fundere ac demittere, comam digerere acu comatoria, & calamistris inurere, cutem cerussa ac purpurisso fingere, speculum de facie sua & cultu consulere, collum demulcere monilibus, aurem quoque foratu effœminare, susp enſis inde inauribus: quod hodie statua seruat apud Sigæum Promontorium Troiæ. *Planè postea*, &c. Hactenus puella perstitit, cùm subitò crepitantibus armis in militem mutatus est. *De prælio sonuerat, & ferrum virum attrahit*, vt magnes ferrum. *Ceterùm si*, &c. Esto perseueraſſet puella; nubere vt puella posset, etiam post cantum illum tibicinis Vlyssei, quo vocatus ad bellum est. *Ecce itaque*, &c. Ponit iam duplicem mutationem, de viro fœmina, & mox de fœmina vir: quandoquidem oportebat veritatem non negari, quòd Achilles esset vir, & fallaciam confiteri, quòd esset fœmina. Quia vterque habitus mutationis malus fuit, alter de viro in fœminam, contra naturam, alter de fœmina in virum, contra salutem Achillis perituri in bello.

115. 3. Turpiùs adhuc libido virum cultu transfigurauit, quàm aliqua matrem formido; tametsi adoratur à vobis, qui erubescendus est, scytalosagittipelliger ille, qui totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensauit. Tantum Lydiæ clancullariæ licuit, vt Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur. Vbi Diomedes, & cruenta præsepia? vbi Busiris, & bustuaria altaria? Vbi Geryon ter vnus? Cerebris adhuc eorum claua fœtere malebat, cùm vnguentis offunderetur. Vetus iam hydræ Centaurorúmque sanguis in sagittis, pumice speculi excludebatur, insultante luxuria, vt, post monstra transfixa coronam forsitan fuerent. Ne sobriæ mulieris quidem, aut viraginis alicuius scapulæ, sub exsuuias bestiæ tantæ introire potuissent, nisi diu mollitas & euigoratas, & exodoratas: quod apud Omphalem balsamo, aut telino spero factum. Credo & iubas pectinem passas, ne ceruicem eneruem

inureret ſtiria leonina, hiatus crinibus infarſos, genuinos inter antias adumbratos, ne tota oris contumelia mugiret, ſi poſſet. Nemea certè (ſi quis loci genius) ingemebat: tunc enim ſe circumſpexit leonem perdidiſſe. Qualis ille Hercules in theriſtro Omphales fuerit, iam Omphale in Herculis ſcorto deſignata deſcripſit.

116. 3. *Turpiùs adhuc*, &c. Adducit exemplum aliud Herculis, quem enormior libido & fœdior transfigurauit, quàm formido matris Thetidis, quæ pro filio ſollicita natum abſcondit. qui tamen Hercules adoratur à vobis, cùm erubeſcendus ſit; *Scytaloſagittipelliger* dicitur, quòd clauam, ſagittas, & pellem geſtaret: σκυτάλη Græcis dictus eſt *baculus* aut *claua*. Totámque hanc menſuram cum muliere Omphale commutauit. *Tantum Lydiæ*, &c. Lyda fuit fœmina, & clandeſtino cum Hercule concubitu. *Proſtitueretur*, veluti à lenone aliquo. *Vbi Diomedes*, &c. Adducit aliquos Herculis labores, qui puduiſſent viſo tunc Hercule. Breuiter aperiam. Diomedes rex Traciæ, cùm viuos homines equis obijceret, Hercules eundem iiſdem equis obiecit epulandum, & hæc ſunt cruenta præſepia. Buſiris Ægypti rex, Ioui hoſpites immolabat, ſed eandem ipſe carnificinâ expertus eſt, & hæc ſunt buſtuaria altaria, in quibus ſacrificati & vſti quaſi in buſto. Geryon Hiſpaniæ rex triplex fingitur à poëtis. *Cerebris adhuc*, &c. Claua cùm vnguentis offunderetur ab Omphale, mallet ipſa fœtorem priſtinum conſeruare, glorioſior exiſtimatione mortalium: *Vetus iam Hydræ*, &c. Aridus iam & vetus
117. ſanguis Hydræ Lernææ, Centaurorúmque in ſagittis Herculis, *excludebatur*, id eſt, expungebatur & extergebatur pumice, quo ſpeculũ ſuũ leuigare ſolita erat Omphale. Et ita inſultabat exſultabátque luxuria, vt poſt mõſtra trãsfixa, & Stymphalidas, coronã ipſæ ſagittæ fuerent, quæ imponenda eſſet capiti Omphales. *Ne ſobriæ mulieris*, &c. Nulla ſobria & ſicca & dura mulier, nulla aliqua Virago ſubmittere ſcapulas ſuas tãtæ beſtiæ magnitudini poſſet, niſi eſſet beſtia *euigorata*, id eſt, amiſſo vigore & aſperitate; & *exodorata*, id eſt, graui leonis odore purgata: & credo factum id ab Omphale, balſamo & telino vnguento. *Credo & iubas*, &c. Iubæ quoque credi poſſunt ſubiiſſe pectinem, ne leoninæ ſtiriæ ceruicem Omphales pungerent. Credi etiam poteſt, hiatus grandes & rictus leonis, crinibus (hos crines ipſius Omphales eſſe puto, induerat enim exſuuias leonis) infarſos, & genuinos adhuc dentes inter antias dependulóſque crines adumbratos, ne tota contumelia totóque oris conuitio erumperet, etiam ſi poſſet, in mugitum Leo. *Nemea certè*, &c. Tunc enim ad tale probrum Nemea de ſe & de ſuo leone actum exiſtimauit, ſi quis loci genius, qui perſentiſcere poſſet. *Qualis ille*, &c. Qualis Hercules fuerit in theriſtro, id eſt, in multitia & æſtiua tunica Omphales, iam Omphale ipſa deſcripta à me ad viuum inter ſcortilla Herculis, deſignauit. Clariùs. Vultis ſcire, quis fuerit Hercules in Omphalem commutatus? vtique quod ipſa Omphale (indignum ſcortillum) à me deſcripta. Tam enim pudendum fuit Herculi muliebrem cultum aſſumere, quàm Omphalæ leonina pelle cingi.

118. 4. Sed & qui arte Tyrinthium acceſſerat pugil Cleomachus, poſt Olympia cùm incredibili mutatu de maſculo fluxiſſet, inter cutem cæſus, & vltra inter fullones iam Nouianos coronandus, meritóque mimographo Lentulo in Catinenſibus commemoratus: vtique ſicut veſtigia cæſtuum viria occupauit, ita & endromidis ſolocem aliqua multitia ſyntheſi extruſit. Phyſconem & Sardanapalum tacendum eſt, qui, niſi inſignes libidinum, aliàs reges nemo noſſet. Tacendum autem ne quid & illi de Cæſaribus quibuſdam veſtris obmuſsitent, pariter propudioſis: nec magnæ fortè conſtantiæ mandatum ſit, impuriorem Phyſcone, molliorem Sardanapalo, Cæſarem deſignare: & quidem ſub Nerone.

119. 4. *Sed &*, &c. Proponit alium qui mirè commutatus eſt; is eſt Cleomachus pugil. *Qui arte* Herculem *acceſſerat*, id eſt, fuerat imitatus Herculem, pugil. Cleomachus Magneſius, poſt Olympionicos cæſtus & labores, ecce ſtatim incredibiliter mutatus eſt, fluxítque in fœminam; nam cæſus eſt inter cutem, ſiue intercutitus eſt, præpoſteræ libidini & pæderaſtiæ ſeruiens: *& vltra*, id eſt, exinde *iam inter fullones Nouianos* (Nouius poëta Atellanus fabulam ſcripſit cui nomen (Fullonis,) & in hoc verbo ineſt nefanda obſcœnitas) *coronandus*, obſcœna coronatione dignus, vt inſignis pathicus: & meritò mimographo Lentulo commemoratus in fabula, cui nomen (Catinenſes:) *Vtique ſicut veſtigia cæſtuum*, quibus affectus fuerat, *viria*, id eſt, armillæ, occuparunt, *itu etiam* pariter *ſolocem endromidis* (curſoriæ veſtis pinguem & craſſam lanam intelligit) *extruſit*, excluſit & commutauit, *aliqua multitia ſyntheſi*, id eſt, aliqua veſte domeſtica, & ex diuerſis lanarum coloribus compoſita, quæ *multitia* eſſet, id eſt, ſubtiliſſimis filis contexta, vt notauit etiam Salmaſius in notis ad Vopiſcum. *Phyſconem*, &c. Silentio prætermittam Phyſconem & Sardanapalum (cùm ait, *tacendum eſt*, Hellenicè loquitur) quos *nemo noſſet reges, niſi inſignes libidinum* (alter helleniſmus) fuiſſent. ideo autem prætermittam ſilentio, ne illi de Cæſaribus veſtris contrà muſſitent, non minùs laſciuis ac propudioſis vtique καταπύγοις. *Nec magnæ conſtantiæ mandatum ſit*, id eſt, in quo exſequendo magna non opus conſtantia & labore, vt facilè poſſim inuenire aliquem Cæſarem Phyſcone impuriorem, Sardanapalo molliorem; *& quidem ſub Nerone*, id eſt, & quidem Neronem ipſum dabo, vel, Neronem; poſt quinquennium.

120. 5. Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis induuiis, etiam viro ſaluo. Calor eſt omnis affectus, verùm cùm in affectationem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor eſt. Habes igitur ex iſto fomite æſtuantem magnum Regem, ſola gloria minorem. Vicerat Medicam gentem, & victus eſt Medica veſte. Triumphalem cataphracten amolitus, in captiua ſarabara deceſsit: pectus ſquammarum ſi-

gnaculis diſculptum, textu pellucido tegendo nudauit, anhelum adhuc ab opere belli: & vt mollius ventilante ſerico extinxit. Non erat ſatis animi tumens Macedo, ni illum etiam veſtis inflatior delectaſſet. Niſi quòd & philoſophi puto ipſi aliquid eiuſmodi affectarent. Audio enim & in purpura philoſophatum. Si philoſophus in purpura, cur non & in baxea Tyria? Calceare niſi aurum minimè Græcatos decet. atquin alius & ſericatus, & crepidam æratus (dignè quidem vt Bacchantibus indumentis aliquid ſubtinniret cymbalo) inceſsit. Quòd ſi iam tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cœnulentis pedibus, vt thori Platonici ſciunt, ſed omnino totus Empedoclem in adyta Cloacinarum detuliſſet: vt qui ſe cœlitem delirarat, ſorores priùs ſuas, dehinc omnes Deos ſalutaret.

121. 5. *Nec tepidior*, &c. Eſt iam in exemplo Magni Alexandri, qui Medos vicit, & Medica veſte victus eſt. *Nec tepidior* (inquit) quàm libidinis & effœminatorum, eſt *vis vanæ gloriæ* ad induuiciarum mutationem, ſaluo adhuc viro, neque mutato in alienam naturam. *Calor eſt*, &c. Affectus omnis leuis eſt febricula; poſtquam autem appetitu gloriæ tanquam flabello in affectationem, id eſt, oſtentationem & acre deſiderium excitatur, iam leuis illa febricula manifeſtus eſt ardor. *Habes igitur*, &c. Iuxta hunc igitur ſcopum metire Magnum Alexandrum, *ſola gloria* victum & *minorem*, qui ſanè modus loquendi eſt efficax & exaggerans. q. d. Alijs quidem in rebus Alexandrum verè fuiſſe magnum, ſola ſua fama fuiſſe minorem, quia non illum extulit ac merebatur, maior ſcilicet in ſe, quàm ipſa ſui fama. nouo certè exaggerandi modo: nam fama nuſquam auara laudandi, amplificat potiùs res geſtas, quàm minuit. Hic igitur qui victor Medorum & Perſarum, victus tamen eſt illorum veſte.

122. Nam amolitus exſutuſque triumphalem cataphracten & loricam, deceſſit mortuus in captiua Perſarum Sarabara. *Pectúſque diſculptum*, &c. Ait enim *pectus* illud *diſculptum* impreſſúmque *ſquammarum* loricæ *ſignaculis nudauit, tegendo* illud tela translucida & tenuiſſima (hic eſt *textus pellucidus*) & multitia Sarabara, *anhelum adhuc* & viuum *ab opere belli*, & vana illius gloria. Hiſpanè: *Cubriendo le con un velo tranſparente, y aſſi lo deſcubria. Et vt molliùs*, &c. Et *extinxit*, id eſt, non reſtinxit quidem ad tempus, ſed prorſus & omnino extinxit, *ventilante ſerico* Sarabaræ, vt molliùs, id eſt, multo molliùs quàm faceret veſtis lanea. *Non erat ſatis*, &c. Non ſatis Alexander inflatus erat, niſi *inflatior* adhuc *veſtis* Perſica illum delectaſſet, iucundior & ſuauior Macedonica: & eſt Helleniſmus. *Niſi quòd*, &c. Dicit hanc excuſationem tumentis animi fuiſſe Alexandro, quòd Philoſophi ipſi etiam affectant talem veſtis mutationem. *Audio enim*, &c. Nam audio Gorgiã, aut Hippiam, Philoſophos, 123.
in purpurea veſte philoſophiam ediſſertaſſe; quid ergo mirum ſi Alexander hos æmulans, in veſte inflata & purpurea vellet apparere? *Si philoſophus*, &c. Opponit ſtatim Tertullianus, *ſi philoſophus in purpura, cur nõ in baxea Tyria?* id eſt, in crepida coccinea? Reſpondet illi ſtatim, *calcare niſi aurum minimè Græcatos decet*. q d. Baxea purpurea eſt, atquin color eſt luteus, & minimè quidem decet Græcatos, quales ſunt philoſophi, aliud quàm aurum. Et *Græcatos* dicit palliatos, ſautè & opiparè viuentes, Græcorum more incedentes: vt enim hanc lautitiam exprimeret, vſus voce *Græcatos* per ironiam. illico Tertullianus: *Atquin alius & ſericatus, & crepidam æratus inceſſit*: id eſt: Quid ais, auro incedere Græcatos, & non baxea Tyria? nonne Empedocles cùm in Ætnæos ignes incidit, & ſericatus, quod fateris; & crepidam æratus, quod diffiteris, inceſſit? & addit: *Dignè quidem* ſic *inceſsit*, vt tanquam Bacchi furore percitus indumentis ſuis Empedocles aliquid adſtreperet veluti cymbalo. Eſt enim κύμβαλον inſtrumentum, quo vſi perciti. Ergo ait, crepidis æratis inceſſit, vt illis ſonantibus adſtreperet, veluti aliquo cymbalo in Orgiis Bacchi. *Quòd ſi*, &c. Addit, ſed eſto Diogenes iam tunc latrans vixiſſet, non certè cœnulentos habens pedes, *vt thori Platonici ſciunt*, & lectulus quem affatim conculcauit, ac ſi conculcaret ſuperbiam Platonis (ſic enim dicebat) *ſed omnino totum* ipſe Diogenes *detuliſſet Empedoclem in adyta Cloacinarum* Dearum, verè in Cloacas, *vt qui cælitem delirarat, priùs ſorores ſuas*, id eſt, merdas, *ſalutaret*, dehinc alios Deos.

124. 6. Tales igitur habitus qui de natura & modeſtia transferunt, & acie figere, & digito deſtinare, & nutu tradere, meritò ſit. Prorſus ſi quis Mæandrico fluxu delicatam veſtem humo protrahat, audiat ponè ſe quod & Comicus: *Qualem demens iſte chlamydem diſperdit?* Enimvero iam dudum cenſoriæ intentionis epiſcynio diſperſo, quantum denotatui paſsiuitas offert, libertinos in equeſtribus, ſubuerbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in vrbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in militaribus. Veſpillo, leno, laniſta, tecum veſtiuntur.

6. *Tales igitur*, &c. Habitus ergo illos qui de natura & modeſtia transferunt, meritò ſit *acie figere* oculorum, vt impudicos, *digito* intento *deſtinare*, vt infames, *nutu tradere* irridendos. *Si quis* verò *Mæandrico* & tortuoſo *fluxu humi veſtem protrahat, audiat ponè ſe, qualem*, &c. *Enimuero*, &c. Atqui *iam dudum diſperſo* tanquam nebula ſupercilio (nam hoc eſt *epiſcynium*) animaduerſionis *cenſoriæ*, & remiſſa nebula ſeueritatis, *quantum offert* obuia paſſim morum corruptela & inconſtantia denotationi ad infamiam? *libertinos* videas inter equites veſtiri; *ſubuerbuſtos* verberonéſque inter liberales; *dedititios* loco ingenuorum; *rupices* & agreſtes homines miſtos vrbanis; *ſcurras* cœnipetáſque, inter forenſes patronos & negotiatores; demum *paganos* ipſos vulgo dictos, & vrbanos, & Quirites, inter viros militares. *Veſpillo* ſandapilariúſque, *leno* deductórque meretricum, *laniſta* magiſtérque gladiatorum, *veſtiuntur* vt tu, qui es nobilis.

125. 7. Conuerte & ad fœminas. Habes ſpectare quod Cæcina Seuerus graniter ſenatui impreſsit, *matrona ſine ſtola in publico*. Denique Lentuli Auguris conſultis,

qua

quæ ita ſe exautoraſſet, pro ſtupro erat pœna. Quoniam quidem indices cuſtodéſque dignitatis habitus, vt lenocinii factitandi impedimenta, ſedulò quædam deſuefecerant. At nunc in ſemetipſas lenocinando, quò planius adeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & caliendrum, ipſas quoque iam lecticas & ſellas, queis in publico quoque domeſticè ac ſecretè habebantur, eierauere.

126. 7. *Matrona ſine ſtola in publico*, id eſt, matrona ſine ſtola eſt publica. *Denique*, etiam conſiliis Lentuli. *Quæ ſe ita exautoraſſet, pro ſtupro erat pœna*, quæ ſe ita dignitate matronæ exuiſſet, pœna erat tanquam ſtupratæ. Scilicet quoniam ſtolam, qui erat habitus tãquam index cuſtóſque retinendæ dignitatis, vt impedimentum factitandi lenocinij, *ſedulò quædam* matronæ ſubiecerant. *At nunc*, &c. Diſcriminat inter has veteres & iſtas nouas matronas. Nunc autem *lenocinando in ſemetipſas*, quò de plano & magis facilè adeantur, *ſtolam & ſupparum*, indumentum ſcilicet quod ſub ſtola: *crepidulum & caliendrum*, capitis ornamenta: *ipſas quoque lecticas & ſellas*, quibus in *publico*, tanquam domi *domeſticè & ſecretè habebantur*, repudiauêre tanquam iuratæ ſe his ampliùs non vſuras.

127. 8. Sed alius extinguit ſua lumina, alius non ſua accendit. Aſpice lupas popularium libidinum nundinas, ipſas quoque fricatrices (etſi præſtat oculos abducere ab eiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis) aſpice tamen vel ſublimis, iam matronas videbis, cùm latrinarum antiſtes ſericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem monilibus conſolatur, & armillis, quas ex virorum fortium donis ipſæ quoque matronæ temere vſurpaſſent, omnium pudendorum conſcias manus inſerit, impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum. Cur iſtas non ſpectas? vel illos item habitus, qui nouitate veſtitus religionem mentiuntur, cùm ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ, & priuilegium galeri, Cereri initiantur: cùm ob diuerſam affectionem tenebricæ veſtis, & tetrici ſuper caput velleris in Bellonæ montes fugantur: cùm latioris purpuræ ambitio, & Galatici ruboris ſuperiectio Saturnum commendat: cùm ipſum hoc Pallium moroſiùs ordinatum, & crepidæ cretatæ Græcatim Æſculapio adulantur.

128. 8. *Sed alius*, &c. Ex antecedenti conſtat hic verſus, & annectitur ſubſequenti. *Sed alius extinguit ſua lumina*, vt matronæ, quæ ſuam dignitatem & ſplendorem abdicant, vt habitum in ſuperioribus: *alius non ſua accendit*, vt lupæ, quæ ſibi non debitum ſplendorem arrogant, de quibus ſtatim. Ergo *aſpice lupas libidinum popularium nundinas, ipſas quoque fricatrices* & τριβάδας publicas, & quæ ſecum & inter ſe ipſas fricant, & exercent libidinem. *Etſi*, &c. Scio tamen placitum tibi ab illis oculos auertere, vt quæ caſtitatem iugularint, adeo ſunt propudioſæ & infames. *Aſpice tamen vel*, id eſt, aſpice tamen has lupas vel nolens, id eſt enim limis & ſublimis oculis. *Cùm latrinarum antiſtes*, &c. Apponit ergo balneorum & lauatrinarum antiſtitem ornantem ſuas lupas. Ait itaque: Lenonem videas lauatrinarum, ſericum ventilantem facili flatu; *& immundiorem ceruicem loco* & fornice, *monilibus & armillis* conſolantem ac demulcentem; quas armillas *ex virorum fortium donis ipſæ* veriſſimæ *matronæ temere vſurpaſſent*, non audentes attingere rem illam vt ſacram. Quid præterea facit antiſtes? *manus inſerit* luparum, vt ſe ornent, *manus* (inquam) *omnium pudendorum conſcias*; & *impuro cruri calceum* antiſtes *inducit purum*, id eſt, album, aut mullei coloris. *Cur iſtas non*, &c. Iſtæ tibi ſpectandæ ſunt. Illi etiã *habitus* lenonum, *qui mentiuntur religionem nouitate* & inſolentia *veſtitus: cùm ob cultum omnia candidatum*, ob cultum omnino & prorſus candidum: ſed *omnia* eſt helleniſmus. *Ob notam vittæ*, quòd vittati ſint. *Ob priuilegium galeri*, propter galerum, quo ſunt tanquam comites Cereris, quærentis filiam Proſerpinam. *Cereri initiantur*, nihil commodius, cùm initiationes omnes Cereri ſint ſacræ, vt participes fiant myſteriorum Cereris, & initiationum. Ceritos autem notat, & lymphaticos. *Cùm ob*, &c. Hæc diuerſa affectio, contraria eſt ſuperiori: in Bellonæ etiam fugabantur montes huius Deæ miniſtri, tenebricoſam furuámque veſtem geſtantes, & tetricum ac nigrum ſupra caput vellus. *Cùm latioris*, &c. Tranſit ad habitum Saturni, hic latiori purpura clauata conſtabat, & *pallio coccinato*, vt ipſe inquit cap. 2. de Teſtimonio animæ, quem tamen hic *Galaticum ruborem* nominat. *Cùm ipſum*, &c. Cùm demum *ipſum hoc Pallium*, de quo præſenti opere diſputamus, *moroſiùs ordinatum*, id eſt, rotundatum ac tiliatum: & crepidis cretatis candidiſque induti Græco ritu adulantur Æſculapio, placeréque illi volunt, quia ſic ille indutus & calceatus inceſſit, vt potè Græcus. 129.

130. 9. Quantò tunc magis arguas illud? & vrges oculis etiam ſimplicis & inaffectatæ tamen ſuperſtitionis reum. Enimvero cùm hanc primùm ſapientiam veſtit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit: tunc certiſſimè Pallium ſuper omnes exuuias & peplos auguſta veſtis, ſupérque omnes apices & titulos ſacer ſuggeſtus deducit oculos. Suadeo, reuerere habitum, vnius interim erroris tui renuntiatorem.

9. *Quanto tunc*, &c. Quanto magis argueres illud ſi vteremur, *cultum omnia candidatum*, ſi *diuerſam affectionem*, &c. *Et vrges*, &c. Et nunc *oculis vrges* me, id eſt, denotas ad infamiam *reum*, vt tu ais, *ſimplicis &*

inaffectatæ superstitionis: sic nempe vocas religionem Christianam, quæ Pallio vestit simplici & inaffectato. *Enimverò*, &c. Cùm vestit sapientes nos, qui *vanissimis superstitionibus* obuiam imus, tunc vestis illa est in honore, &c. reliqua clara sunt. *Suggestus*, est indumentum.

NOTÆ.

131. 1. QVID NVNC?&c.] Latinius: *Quid nunc? si est Romanitas omnis alia, nec vestis tantùm? admodum Græci estis: annon ita est.* Iunius sic: *Quid nunc? si & Romanitas omnis, alia nec vestis, tamen admodum Græci estis: aut, ni ita est, vnde gentium* &c. Mercerius: *Quid nunc, si est Romanitas omnis alia, nec vestis tamen? At non ita est. admodum Græci estis.* Marcilius tamen legit, vt ego. Etenim vox *alia* addenda est, & ita superstruitur sensus commodus. Et si est Romanus ritus omnino idem, vt vestis Romana omnino eadem; tamen admodum Græci estis. Quin *si* pro *etsi* passim. Plautus Captiu. *Si nos solutos sinat*, id est, etsi. Terent. Adelph. *Si maxima fateatur, non est vtile hanc illi dari.* Notandum verò est, verba hæc vsque ad illud, *alia nec vestis*, esse posse Carthaginiensium: quasi dicat, quid nunc commendas nobis tu Pallium, cùm totus orbis tum vsu tum vestitu Romanus sit? Verba autem illa, *tamen admodum Græci estis*, iam sunt Tertulliani, quibus probat Carthaginienses magis esse Græcos, quàm Romanos, munditiis scilicet & deliciis. Hæc varietas sententiæ ad locum istum Notarum reseruanda est.

132. 1. GRÆCI ESTIS.] Moribus, vita, licentia. Iuuenal. sat. 3.

--- non possum ferre Quirites
Græcam vrbem, quamuis quota portio facis Achæe.

Vbi *Græcam vrbem*, est, Romam. Et Horat. nobili epist. ad Cæsar. lib. 2.

Vt primùm positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum,
Marmoris aut eboris fabros, aut æris amauit.

Quid de moribus dicam? Audire licet Polybium 6. lib. Hist. *παρὰ μὲ τοῖς Ελλησιν ἐαὰν τάλαντον μόνον πιστωθῶσιν αὐτῷ χρεωφειλὴς ἔχοντες δέκα, ἢ στρατιώτας τοσούτους, ἢ μάρτυρας ἀξιολογίους, ἃ δώσουσι πιστὴν πρὸς πίστιν: Apud Græcos si cui vel vnum duntaxat talentum creditum sit, adhibitis decem antigraphis, & sigillis totidem, duplóque pluribus testibus, fidem non seruant.*

133. 1. AGRO POTIVS ELVCTANDO.] Cum agro potiùs luctari debebatis. Adducit enim quod commodius erat vitæ humanæ. Et *eluctari* inquit ad eum modum quo Virg. *Fortes inuertant tauri.* Et Theophrast. cap. 25. μεταβάλλω, & ἀριτρέπω. Lege Virg.

1. STVDIA PALÆSTRÆ MALE SENESCENTIA.] Pet. Faber lib. 3. Agon. c. 7. legit *stadia*, licèt vulgatæ hæreat. Quæ sint illa, exponit Cæsar apud Lucanum,

--- Graijs delecta iuuentus
Gymnasijs aderit, studioque ignaua palæstræ,
Et vix arma ferens.

Malè autem *senescentia*, est, idem quod non senescentia: nam, *malè*, in compositione negationem significat, vt 2. Æn.

Statio malè fida carinis.

id est, non fida. Porro palæstræ explebantur cibis, etiamsi aridis, affatim. ad quem modum Philostratus loquens de Rufo, ait, illum durasse corpus, roborando illud gymnastica sagina: Ελέγετο δὲ ἡ γυμναστικὴ κρατύνειν τὸ σῶμα, αὖα κακοφαγῶν ἀεὶ, ἢ διακονῶν ἀυτὸ παραπλησίως τοῖς ἀγωνιζομένοις: *Dictus fuit consueuisse corpus roborare gymnastica sagina, semper illud aridis explendo, & non aliter fatigando, quàm solent luctatores.* Hanc igitur spectauit Tertullianus satietatem palæstrarum: quam ob rem palæstritas reprehendit, quòd immoderato cibo vterentur.

134. 1. LVTEA VNCTIO.] Ceroma intelligit, A quo palæstritæ & athletæ vtebantur. Seneca in epist. *Aequè luctatores & totam oleo & luto constantem scientiam expello, ex istis studiis liberalibus.* Plinius lib. 35. c. 13. *Plura de hac parte non sum dicturus, non Hercules magis, quàm de terræ vsu in ceromatis, quibus exercendo iuuentus nostra corpora, vires animorum perdidit.* Iuuenal. Sat. 6. *Fœmineum ceroma.* Ceroma fiebat ex oleo & terra, quæ imitatur lutum, vnde appellatio. Martial. lib. 11.

Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus.

Et *lutea* propriè accipitur, quia ceroma ex luto: aliàs autem metaphoricè vt cùm Apuleius dixit lib. 8. *Pedes luteis induti calceis.* Et Catull. *Luteum pede soccum*, quia luteus siue croceus color, amoris est. Et ideo res indigna viris. Varro apud Nonium: *Sed Cynicis inuolucrum, & Pallium luteum non est.* Nam luteus color B mulierem decere, non virum debet, nedum Cynicum quidem. Vnde insignis contumelia ab Apuleio lib. 8. coniicitur, cùm ita effertur: *Cingulo subligati pedes, luteis induti calceis.* Nam viros quî hoc decet? Ne abeat inobseruata nota Vlpiani in orationem Demosthenis contra Leptin. vbi munus præbendi olei refert ad gymnasiarcham. Ait enim: γυμνασιάρχης δὲ ὁ παρέχων τὸ ἔλαιον τοῖς γυμναζομένοις: *Est gymnasiarcha qui oleum præbet*, &c. Alluſit ad ceroma Ruffinus cap. 22. lib. 2. de vitis Patrum: *Nisi fortè quis possit in verbo instruere, & velut athletas in agone positos, sermones consolatione perungere.*

135. 1. ET PVLVEREA VOLVTATIO.] Palæstritæ puluere se aspergebant post vnctionem, vt firmiùs lubricos alioquin artus tenerent, inquit Vvouerenius in animaduersionibus ad Petronium. Theagenes apud Heliodor. lib. 10. his se parat luctæ: C *καὶ ἅμα κόνιν αἰωρούμενος, καὶ ὥσπερ τι, ἢ πάχνην ἐπὶ τοῖς τῆς Σουλπικίας ἱδρῶσι γενομένην ἐπιχαίνων, πλὴν μὴ τοσοῦτον ἀποσκιάζων, τοσοῦτόν τε ἐκπάλαι τῷ χρῶτι: Simúlque sumpto puluere, & humeris atque vlnis adhuc à bouis circumactione sudore madentibus inspersò, ac eo qui non adhæserat, excusso, obycit porrectim manus.* Apuleius lib. 9. *In modum pugilum, qui puluisculo perspersi dimicant.* Petron. sat. *Arenarius aliquas aceto edit, aut perfusus puluere multo, aut histrio scenę ostentatione traductus.* Statius:

Postquam oleo gauisa cutis, petit æquor vterque
Procursu medium, atque hausta vestitur arena,
Tum madidos artus alterno puluere siccant.

Hinc frequens puluueris notitia apud Auctores. Horatius od. 1. 2. Carm.

Audire magnos iam video duces
Non indecoro puluere sordidos.

D Martialis lib. 8.

Hîc stetit Arctoi formosus puluere belli,
Purpureum fundens Cæsar ab ore iubar.

Seneca de vita Beata, cap. 7. virtutis simulacrum puluerulentum fuisse describit, his verbis: *Virtutem in templis inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus.*

136. 1. ARIDA SAGINATIO.] Victus athleticus qui olim, nempe ficus caricæ, siue ficus aridæ; ξηροφαγίαν Græci dicunt. Plinius lib. 12. *Nam augescunt corpora dulcibus atque pinguibus & potu; minuuntur siccis & aridis, frigidisque ac siti.* Ioan. Chrysost. orat. de diabolo tentatore athletam illum improbat, qui sit τὸν μαστιμαρίας διεφθαρμένος, *inglnuie vĕtris corruptus.* Nã hic inquit ἰκελωμένος, ἢ ἐνδεικνύμενος, ἐνενευρισμένος: *cõtẽptus, victus, enneruatus.* Huic opponitur ab eodẽ εὐεκτῶν, id est, athleta *bene habito corpore.* Et proculdubio intelligit

aridis ſaginatum, vt quem opponat χαριμαρύῳ. Sic etiam Hom.1.ad popul. σώματα ἐυεκτοῦντα καὶ ὑγιᾶ, *corpora valida & ſana*. Ibidem: ἐυεκτοῦντες τῶν ἀθλητῶν: Nã locutus de athletis. Cyprianus epiſt.ad Donatum loquens de gladiatoribus: *Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam cariùs pereat.* Vbi
137. proculdubio, *fortiores cibi ad ſaginam*, ſunt aridi, & qui præbent ſuccum ſolidum, non obeſitatem. Conſona Cypriano Baſilius; qui explicans illud Pauli, *qui in ſtadio currit, ab omnibus ſe abſtinet*, ſic ait: *Cùm athletæ ſegregentur ad ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis latioribus, à potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur.* Eſt genus athletarum, qui ſiccis alerentur, fermè ante Pythagoram (nam is primus athletas ad carnes tranſtulit, vt ſcribit Plinius cap.7.lib. 13.) Neque verò eſt cur mirêre ariditatem coniungi cum ſaginatione, nam & Palæſtrio apud Plaut.in Mil. volebat amicam *ſiccam ſuccidam*, id eſt, vt cum ſiccitate haberet etiam B ſuccum. Ab Xerophagia non differt homophagia, eſt enim *homophagus* qui crudis veſcitur, vt oleribus. Inde Caſſianus lib.4.cap.22. *Non enim magno labore corporis fatigantur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum, vel coctionis impenditur; quippe qui maximè xerophagiis vel homophagijs vtuntur.* Vtique *corpulentiores* cibi, vt loquitur idem cap.5.lib.7. & *eſculentiores*, vt Hieronymus in epiſt.ad Euſtoch.& Tertull. lib.de Ieiunio cap.5.

1. APVD ALIQVOS NVMIDAS,&c.] Intelligit Numidiam, quæ eſt inter Carthaginem & Mauritaniam Cæſarienſem. Et qui contermini erant huic Numidiæ, cæſariem nutriebant, vnde hos *Cæſariatos* vocat, etiam *in equis*.

138. 1. IVXTA CVTEM TONSOR.] Εν χρῷ κουρεὺς, ſiue tonſor ſtrictim, non per pectinem. Plaut.in captiuis: *Sed vtrùm ſtrictim ne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem?* Eáque tonſura, ακάριον. Interpres Ariſto- C phanis in Auibus: Quẽ Feſtus *raſorẽ* vocat. Saluian.de Gubernat.8 *Non ſine cauſſa itaque iſtud fuit, quòd intra Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & reciſis comarum fluentium iubis ad cutẽ tonſum videre, tam infelix ille populus, quàm infidelis, ſine cõuitio atque exſecratione vix poterat.* Sanctus Maximus Epiſcopus Taurinenſis, id genus hominum vocat, *fractum*, tanquam pudeat eſſe viros: ſic enim ait Homilia circumciſionis: *An non omnia quæ à miniſtris dæmonum illis aguntur diebus, falſa ſunt, & inſana, cùm vir, virium ſuarum vigore mollito, totum ſe frangit in fœminam, tantóque illud ambitu atque arte agit, quaſi pœniteat illud eſſe quod vir eſt?*

139. 1. ET CVLTRI VERTEX SOLVS IMMVNIS.] Κουρὰ φθιριοχλάτου. Qua vtuntur Arabes, Iudæi, Numidæ, & Romæ ſerui, & hodie quoque Indi. Marcilius. De hac Plutar.in Theſeo: ἐκείρατο δὲ τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον, ὥσαπερ Ὅμηρος ἔφη τοὺς Ἀβαντας. καὶ D τοῦτο τῆς κουρᾶς τὸ γένος Θησηὶς ὠνομάσθη, δι' ἐκεῖνον: *Secuit anteriora ſolum capitis, vt de Abantibus Homerus refert. atque hoc eſt genus tonſuræ Theſeis ab illo nominatum.* Suetonius de Nerone, cap. 51. *Circa cultum habitúmque adeo pudendus, vt comam ſemper in gradus formatam peregrinatione Achaicâ, etiam pone verticẽ ſummiſerit.* Porrò de his qui ignominiæ cauſſa abraſione vſi ſunt, plenè & copioſè Baron. quem vide tom. 1.Annal.pag. 540.

1. TAM RAPAX AB ALA RESINA.] Fuit apud veteres Græcos viri fortis indicium habere fruticantem pilorum ſyluam ſub axillis. Inde cùm ad ſuffragia ferenda in concionem venirent, denudabant eam partem, vt cerneretur horriditas pilorum. Apud Ariſtophanem in Concionantib. mulier quædam, quæ volebat haberi pro viro, ait,

---ἔχω τὰς μασχάλας
Λοχμῆς δασυτέρας:
---*habeo alas*
Horridiores ſylua.

Vbi Scholiaſtes, ἔθρεψαν γὰρ τείχας, ἵνα ὅταν χειροτονῶσι, 140.
δοκῶσιν ἄνδρες εἶναι: *Nutriebant pilos, vt cùm venirent ad ſuffragia, viderentur eſſe viri.* Et intelligendus quidem de pilis ſub ala; nam de ipſa re Comicus loquitur infrà, vbi ait, inter ſuffragia ſolitum attolli ἕτερον βραχίονα: *alterum brachium.* Mihi verò non dubium quin ad hunc morem aſpirauerit ſcientiſſimus Tertullianus. q.d. Eſtis molliſſimi Numidæ, vt quibus nulla indicia veteris virtutis Græcorum. Quod prædicat Manil. lib. 5.

---*ſterilèſque optare lacertos.*

Græci δρωπακιστὰς: nam Gloſſ. *Alipilarius*, δρωπακιστής. eſt enim *alipilus* qui pilos alarum vellit. Iuuenalis, de puero & verè puero, Sat.11.

Nec vellendas iam præbuit alas.

Seneca epiſt.66. *Alipilum cogita, tenuem & ſtridulam vocem exprimentem, nec vnquam tacentem niſi cùm vellit alas.* Ad rem hanc *reſinam* quidem vſurpabant, vt euellendo efficacem. Quamobrem Plinius: *Pudet fateri maximum honorem eius* (de *reſina* loquitur) *in euellendis corporum virorum pilis.* Sed præſertim loquitur in Prefatione ad lib. 29. *Ac pilorum euiratio inſtituta reſinis eorum.*

1. TAM FVRAX A MENTO VOLSELLA.] 141.
Iulius Firmicus lib. 8. Matheſ.cap.7. *Hi etiam demtis pilis corpus ſuum in fœminei corporis imaginem transferunt.* Sed copioſiùs hac de re Clem.Alex.lib.2.Pedag. c.3. μισότειχας, ἀτείχας, τὸ αὐθος τὸ ἀνδρεῖκὸν μυσαττόμενοι: *Pilis infectos, glabros, florem virilem abhorrentes* Et ſtatim: διὰ τοῦτο γοῦν πλήθει αἱ πόλεις πιθοκώπων, ξηρεμώπων, παρατιλλόντων τὸν θηλυδρίαν τοῦτο: *Propter hos plenæ ſunt ciuitates his qui effœminatos hos picant, radunt, vellunt.* Demum hi in toto illo capite ſpectantur tanquam principes. Seneca epiſt.47. *Deſtrictis pilis, aut* 142.
penitus euulſis, tota nocte pernigilant. Et pater huius, Controuerſia 1. *Capillum frangere, & ad muliebres blãditias vocem extenuare, mollicie corporis certare cum fœminis, & immundiſsimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Suetonius in Othone, cap. 12. *Faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum: idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus vnquam eſſet.* Et de Iulio, cap.45. *Circa curam moroſior, vt non ſolùm tonderetur diligenter ac raderetur, ſed velleretur etiam.* Plautus Aululár.

Glabriorem reddas quàm volſus ludius eſt.

Lucill.

Rador, ſubuellor, deſquammor, pumicor, ornor.

volſellis id faciebant; Mart.

---*purgèntque ſanè cana menta volſellæ.*

Inde apud Plaut.Curcul.leno iurat per eã quę ſibi cariſſima ſunt,

At ita me volſellæ, pecten, ſpeculum, calamiſtrum meũ
Bene me amaſſint, &c.

Nec ſolum mentum, ſed totum corpus hac leuitate euirabant, & euibrabant. Manil.hac de re, lib.5.

Pumicibúſque cauis horrentia membra polire,
Atque odiſſe virum.

Sunt enim volſellę inſtrumenta comptoria, euellendis ſtirpitus pilorum radicibus comparata, quę Paullo Æginetę dicuntur τειχολαβίδες, & τειχολάβια, ceteris μασθήσια. Et pſilotro quidem ad hanc rem vtebantur, quo non lauabant, ſed leuabant corpus: Ideo apud Mart.epiſt.74.lib.3. legendum, *pſilotro faciem leuas*, &c. Quò reſpexit Auſon. epig.123.

Inguina quòd calido leuas tibi dropace, cauſa eſt:
Irritant volſas lauia membra lupas.

Sequitur enim in Martiale, *& dropace caluam*: quod ſanè argumentum certo eſt certius.

143. 1. ILLIVS EST TOTA RES ASIÆ.] Plinius 33. *Asia deuicta primum luxum misit in Italiam, eadem domata grauiùs afflixit mores.* Iustinus 36. *Asia facta Romanorum, cum opibus suis vitia quoque Romã transmisit.* Valerius Max.lib.2.cap.6.vbi de Lycurgi legibus,quibus prohibebãtur Spartani in Asiam progredi: *Audierat enim lautitiã inde,& immodicos sumtus, & omnia non necessariæ voluptatis genera fluxisse.* De Assyriis,Asiaticis & Persis sic loquitur Claudianus,

--- seu prima Semiramis astu
Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, læuésque genæ se prodere possent,
Hos sibi coniunxit similes: seu Persica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis vmbram.

Petron. Satyrico.

Persarum ritu malè pubescentibus annis
Subripuêre viros: exsectáque viscera ferro,
In venerem fugere.

Id quod pertinet ad Iustinum & Valerium, tribuit nobis Mercerius.

144. 1. EXOTICIS MVNDITIIS.] Peregrinis: quo sensu Apuleius 1.Asini,Agellius lib.13.cap.5.Prudentius in Psychomachia, Ennodius in Panegyrico, Isidorus lib.19.cap.22.Cassiodorus lib.9.cap.23.Plautus Mostellaria,*olere vnguenta exotica*,Seneca epist.8. flexu isto, *Varius lapis gentis alienæ*, id est, marmor exoticum,peregrinum.Plinius lib.18.cap.10.*Externa* dixit,quæ alij *exotica*. Cicero nominat *aduentitia* vnguenta. Et Suetonius in Vitellio, *aduentitia cœna*, de piscatu marino. Prudentius *peregrinum* dixit,

Illum pigmentis redolentibus, & peregrino
Puluere fœmineas spargentem turpiter auras.

Idem Prudentius in Psychomach. hoc vitium notat, cùm ait:

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria,extincta iam dudum prodiga famæ,
Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
Perdita deliciis.

Cùm enim ait, *occiduos fines*, exoticas delicias notat. Quid si *viatica cœna* Plauti in Persa eadem est? Dixit enim, *sorori meæ cœnam hodie volo dare viaticam*; videtur enim cœnam exoticam & peregrinam notare.

145. 1. QVAS VESTIRE NON NOSTI?] Argumentatio ex repugnantibus. Admisistis exoticas munditias, cur tamen illis non aptastis vestem,videlicet pallium?

1. DEPALLIATI.] Legit Iunius: *Reuera enim quale est Græcatim? depilari magis quàm amiciri?* Refértque sententiam ad rationem amouendi capilli. Nihil infelicius ea lectione. Mercerius etiam *depilari* habet.Alij *depallari*, vel *depalari*.Demum *expapillato*,vel *exfibulato*.Sententia verè est,non tam palliamini Græcatim vos, quàm depalliamini. siue: non pallium vobis quadrangulum est, sed teres:non sine tabulis & simplex, Græco ritu, sed tabulatum. quasi Græcum,& nec Græcum.Atque ita vos non tam palliati & amicti Græcatim,quàm depalliati. Firmat verò Marcilius hanc suam probam lectionem, loco Plauti Milit.vbi inquit *expalliato brachio*.

146. 1. HABITVM TRANSFERRE.]Seneca: *Non videntur tibi contra naturam viuere, qui commutant cum fœminis vestem?* Et Ioan.Chrysost. Homil.19.ad populum,grauiter reprehendit, qui τὸ θῆλυ γένος ἐπιχειρεῖν βιάζεται: *in fœmineum genus transire conetur.* Sed in hanc rem latissimè inuehitur Iulius Firmicus de errore profanæ religionis,cap.4.qui de Assyriis & Afris loquens,sic ait: *Dic mihi,hoccine est, quòd in viro fœminam quærunt, cui aliter seruire sacerdotum suorum chorus non potest, nisi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem sexum ornatu muliebri dedecorent? Videre est in ipsis templis cum ipso gemitu miseranda ludibria, viros muliebria pati, & hæc impuri & impudici corporis A gloriosa ostentatione detegere. Publicant facinora sua, & contaminati corporis vitium cum maxima delectationis macula confitentur. Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti vestibus vix caput lassa ceruice sustentant. Deinde, cùm sic se alienos à viris fecerint, adimpleti tibiarum cantu, vocant Deam suam, vt nefario repleti spiritu vanis hominibus quasi futura prædicant.*

1. DEBET CONSVETVDO.] Quo malo fato factum est, vt abesset *debet*, quod esse, & in primis legi debet?

2. NATVRAM ITAQVE.] Saluian.de Gubernat.lib.7.*Quis credere aut audire etiam possit, cõuertisse in muliebrem tolerantiam viros, non vsum suum tantùm atque naturam, sed etiam vultum, incessum, habitum, & totum quidquid penitus aut in sexu est, aut in vsu viri?* Quintil. lib.11.cap.1. *Vt monilibus ac margaritis,ac veste longa, quæ sunt ornamenta fœminarum,deformamenta viri.* Seneca in epist.123.*Non videntur tibi contra naturã viuere,qui commutant cum fœminis vestem?* B

2. FERARVM MEDVLLIS EDVCATVS.] Ostendit vnam etymologiam nominis Achillei. Aiunt enim appellatum Achillem διὰ τὸ μὴ δίγειν χείλεσι χηλῆς, ὅ ἐστι, τροφῆς: *Ob id quòd labiis nutrimentum non attigerit.* Sed potiùs μυελοῖς ἔλαφων τε καὶ λεόντων τοῖς ὠμοῖς ἐκτρεφόμενος, inquit Nazianz.orat.20. *Fabulosis ceruorum ac leonum medullis enutritus.*

2. NOMINIS CONSILIVM.] Malè aliqui, *nominis concilium.* Similiter aliqui *vacauerat*, cùm legi debeat *vacuerat*. Et Claud. Rangolius non benè *coaluerat* in cõment. lib.1. Reg.cap.1.ver.23.Quem lege differentem, vti pueri maternis vberibus & lacte debeant ali, non externæ committi.

2. RVPICEM, ET SYLVICOLAM, ET MONSTRORVM,ERVDITOREM.]Nazianzenus orat.20. ὃ Θεσσαλικὸν τι καὶ ὄρειον ἄντρον ἀνχῶν, ὡς ἀρετῆς ἐργαστήριον, καὶ τινα Κένταυρον ἡμίζονα τῶν κατ' αὐτὸν ἡρώων διδάσκαλον, καὶ πῶλους βάλλειν, ἢ καταπέχειν νεβρῶν, ἢ θηρεύειν ἔλαφους, ὥσπερ αὐτὸς διδασκόμενος, ἢ τὰ πολεμικὰ κράτιστος εἶναι, ἢ πωλοδαμνεῖν ἄριστα, τῷ αὐτῷ πώλῳ καὶ διδασκάλῳ χρώμενος: *Non Thessalicum & montanum quoddam antrum, quasi virtutis scholam & officinam iactãs, nec arrogantem quendam Centaurum Heroum sui temporis præceptorem. Nec verò ab eo artem percipit, qua lepores sagittis configat, vel hinnulos cursu insequatur, vel ceruos venetur, vel in rebus bellicis excellat,vel feroces equos optimè domet, eodem videlicet & equo vtens & magistro.* Hæc ille de Magno Basilio. Ait porro *rupicem*, id est, rusticum.Saluianus lib.1.de Gubernat.loquens de tabulis lapideis, vbi inciſæ leges Moysi, *rupices paginas, saxeum volumen.* C

2. SCRVPEA SCHOLA ERVDITVS.]Non malè quidam intelligit locum fultum religione: nam inquit *scrupea*, quæ vox religionem sapit vsu auctorum: Virgilij, D

Spelunca alta fuit, vastóque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris,

Attij,

Reijcis à te religionem, scrupeæ imponas.

Erat autem religiosa (vt fabulantur) Deorum schola, in qua Æsculapius,Achilles,& Centauri instituti.Pacuuius Niptris apud Priscianum lib.6. *Aduenio in scrupulosam specum.* Eôdem pertinent verba Nazianz. superiore Nota adducta.

2. FERAS IN PVERO MATRIS SOLLICITVDINEM,&c.] Integrum locum sic legit Iunius: *Feras in puero, matris sollicitudinem pati: at certè iam vt striculus, certè iam virum*,&c. Et quidem *striculus*,monitore Turnebo, puer grandior appellatur. Ea lectio vsurpatur Arnobio lib. 5. *Facit sumere habitum puriorem, & in speciem leuigari nondum duri atque striculi pusionis.* Marcilius verò legit *hirticulus*, quod nos *vstriculus*. Ego verò retinui *vstriculas*,secutus Pamelium, vt dicat aduri vstriculis.Sed si placent

147. 148. 149. 150.

cuique ſua, adhuc cum lectione eadem, quam ſeruo, ſententiam muto, vt dicat, *patiens certè vſtriculas*, id eſt, vredines, igniculos, carnis pruritum, appetentem in fœminas amorem, & iam virum agens, furtiuo amore etiam perfunctus, quis ferat vt adhuc ſtolam fundat, *&c*? Nam *vſtriculis aduri* non intelligo quid ſit, præſertim ad eradendã lanuginem, quod ſine diſcrimine pellis fieri non poteſt. Itaque potiùs videtur, naturam poſuiſſe, quàm artificium aliquod. *Vſtriculæ* enim quæ ab *vro* ſunt, vt ſignificent inſtrumentum illud, quo vritur lanugo, nemo mihi perſuadebit. Caſaubonus in Auguſtum Sueton. cap. 68. aliter interpretatur, videlicet mulieres, quarum opera vti moris erat ad comburendos pilos, quod credo dixit, impatiens vſtricularum Pamelij. Sed quòd abſona ſit quoque ſententia, ex eo patet, quòd eo ipſo ſe fœminis prodidiſſet. Præterea obſtat ſignificatum ipſum *vſtri-*
151. *cularum*. Ceterùm ſententiam ſic Petronius Sat. *Quid ille alter, ô dij: qui tanquam togæ virilis ſtolam ſumpſit, qui ne vir eſſet, à matre perſuaſus eſt*? Et ipſe Achilles in Achilleide apud Statium:

--- quônam timidæ commenta parentis
Vſque feres? primùmne imbelli carcere franges
Florem animi? &c.

Addo præcedentibus, ferri poſſe *vt hiſtriculus*; & erit idem quod Arnobij *ſtriculus*, ex vſu veterum, qui dictionibus amputabant ſyllabam aliquam. Plaut. Truculent. cùm diceret ſeruus ad ancillam, *Rabonem habeto*, & illa admiraretur, & vt, *arrabonem* diceret, dictitaret, ille reſpondit: *Facio lucri, Præneſtinis conia eſt ciconia*. Itaque vt *conia* dicunt pro *ciconia*, & *rabo* pro *arrabo*: ita Tertulliani *hiſtriculus*, erit Arnobij *ſtriculus*.

2. STOLAM FVNDERE.] Ipſe Achilles in Achilleide Statij vocat hæc *fœda tegmina*: cùm ait,

--- neque enim hos cultus, aut fœda ſubiſſem
Tegmina.

Ceterùm *ſtolam fundere* dixit ſermone proprio veſtium. id eſt, dimittere. Stat. 3. Syluar. ad comas Earini,

Sic ornat crines, Tyrios ſic fundit amictus.

Sic, ait Caſperius, *humeros fundere*, dixit in 1. Achilleid.

--- quantum ceruice comiſque
Emineat, quantúmque humeros ac pectora fundat.

Neque audiendus eſt, qui mutat verſum; nam paullò antè dixerat,

Submittitque graues humeros, & fortia laxat
Brachia.

In Terentij Eunucho eſt etiam:

Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum,
Quas matres ſtudent demiſſis humeris eſſe, vincto pectore
Vt graciles ſient.

152. 2. COMAM STRVERE.] Vvouerenius explicat, faſtigiare, ſed in ſummum verticem aſtringere, in modum turris aut galeri. Iuuen. ſat. 6.

--- tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput.

Tertullian. *ſtructores capillaturæ*. Hieronymus ad Demetriad. *Ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere*. Quod ſequitur *cutem fingere*, aliqui mutant in *pingere*, ſed malè mutant: aliqui peiùs, in *tingere*.

2. AVREM QVOQVE FORATV EFFOEMINATVS.] Morem hunc ipſis Afris dat Cicero. Macrob. 7. Saturn. cap. 3. *Octauius qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitant ait: Non audio quæ dicis: Ille reſpõdit: Certè ſolebas bene foratas habere aures. Hoc eô dictum eſt, quia Octauius Libya oriundus dicebatur.*

153. 2. IPSVM (INQVIT) FERRVM VIRVM ATTRAHIT.] Liuius Andronicus in Odyſſea: *Ipſum nãque virum ferrũ attrahit*. Hemiſtichiũ eſt Homeri ex Odyſſ. 15. itaque *inquit* eſt Liuius Andronicus.

2. INCENTIVVM.] Non eſt ab *incendo*, vt placuit Iſidoro; ſed ab *incino*, vnde & *incentor* & *incentior*, quod eſt bellicum, & cum aliqua modulatione canere ad incitandos milites, vt ſolent illi incentione tubarum ad bellum acui. Et Tertullianus propriè vſus eſt. Metaphoricè autem eſt acuere ad vitia. De quibus Ambroſius lib. 6. Hexam. *odiorum incẽtiua*. Hieronymus ad Nepotianũ & Ruſticũ, *pubertatis incẽtiua*. Et ad virtutes etiã, vt *incentiuũ laudis, honoris, gloriæ, caſtitatis*. Etenim ſi eſſet ab incendo, incenſor malorum diceretur, non incentor. Atqui Caſſianus collat. 7. cap. 8. *incentores malorum* dixit. Et ibidem cap. 32. *Incentores eſſe libidinum atque luxuriæ quoſdã ſpiritus*. Et Paullinus epiſt 10. ad Seuerum: *Itaque luctuoſo ambitu trium funerum comes vidua pariter & orba Romam venit cum vnico ſuo incentore potiùs quàm ſolatore lacrymarum*. Et Euſebius Gallican. Epiſ Homilia 1. ad Monachos: *Cùm iacere ante ſe vacuum ſalutis ac lucis infelicem commilitonem ſuum viderit, incentorem pariter ac deceptorem, cum quo de arena mundi huius per flagitium ſuum victa diſceſſit.*

3. TVRPIÙS ADHVC LIBIDO VIRVM CVLTV TRANSFIGVRAVIT.] Qui non locuti de Omphale, & veſana illa Herculis transfiguratione? Plutarch. in Theſeo: ἡ κτείνας Ἴφιτον, εἰς Λυδίαν ἀπῆρε, καὶ συχνὸν ἐκεῖ χρόνον ἐδούλευε παρ' Ὀμφάλῃ: *Cùm interfeciſſet Iphitum, receſſit in Lydiam, vbi diuturna hæſit ſeruitute apud Omphalem.* 154.

3. SCYTALO-SAGITTI-PELLIGER.] Hæc ratio componendi vſitata. Petronio, *veſti-contubernium*, & *embaſi-cœta*. Phædro, *memori-cultrix*. Cæſari, *veſti-cibaria*. Plauto in Perſa: *Argenti-ex-tenebronidem*, ſiue, vt corrigunt *Argenti-ex-terebronidem*. Hadrianus Iunius in Adagiis, Συπώχιον reddit, *incurui ceruicis*. Et Plautus Pœnulo ad explicandum Italum dixit, *pulti-fagonidem*, quòd Itali olim pulte veſcerentur. In Græcis Epigramm. (notat Pamel.) eſt ὀρεζυγοκαμψιμίτωπος, id eſt, *feræ & flexiungæ frontis*. In Conſtantino ad Porphyrogenitum cap. 42. vidi παραθαλασσοκαρδιδάπους. In Catone *vitilitigatores*, ex vitio & litigatoribus. in Plauti Moſtell. *ferricernum*, ſiue vt emendant, *ferriteribium*. Sic enim vocat carceres & catenas, quòd ferrum teratur. In eiuſdem Bacchid. *dentifrangibula*, & *nucifrangibula*. Ibidem, *treunos*, pro tres vnos, tres ſolos, ita accipit Meurſius, & librarij malè correxerunt tres vnos. In Aulul. *ſalutigeruli, nugigeruli*. Et in Trinum. *Turpilucricupidum*. Ibidem: *veſtiſpicas*; & *Sandaligerulæ*. Seruæ quæ inſpiciunt & curant veſtes, quæque gerunt ſandalia. Lucillius *cortinipotentis* dixit lib. 7. de Apolline, ex emendatione Scaligeri.

3. TANTVM LYDIÆ, &c.] Repræſentat apprimè Seneca Tragicus hanc formam; ideo appingam eius verſus ex Hercule Furente: 155.

Fortem vocemus, cuius ex humeris, leo,
Donum puellæ factus, & claua excidit,
Fulſitque pictum veſte Sidonia latus?
Fortem vocemus, cuius horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani mouit ſonum,
Mitra ferocem barbara frontem premens?

3. CVM MVLIEBRI CVLTV.] Veſtitu, Plaut. *exerce vocem per quam viuis & colis*. Lucanus lib. 10.

Diuitias Cleopatra gerit, cultúque laborat.

3. HYDRÆ.] Caſſianus lib. 1. de incarnatione Chriſti, cap. 1. ſic incipit: *Tradunt fabulæ Poëtarum, deſectis quondam hydræ capitibus, numeroſiùs renaſcentem per ſua damna creuiſſe: ita vt nouo inauditóque miraculo, multiplicato mortibus ſuis monſtro, lucri genus eſſet amiſſio, ſcilicet dum quicquid ferrum ſecantis abſcinderet, totum id fœcunditas prodigioſa germinaret; donec laborans atque æſtuans cœptæ illius defectionis induſtrius appetitor, caſſatis toties inefficaci opere virtutibus, fortitudinem belli armaret arte conſilij, & admotis* 156.

(*vt aiunt*) *ignibus, multiplicem portentosi corporis prolem feruenti gladio desecaret: ac sic ambustis intrinsecus medullis, cùm rebelles venas improbæ fœcunditatis exureret, tandem parturitio monstrosa cessaret.* Placuit hãc fabellam dare verbis Cassiani, omissis infinitis aliorũ.

3. OFFVNDERETVR.] Sic malui, non nego tamen scribi bene, *offenderetur.*

157. 3. PVMICE SPECVLI EXCLVDEBATVR.] Malè interpretatur *pumicem speculi* Iunius, id est, *pumice lauissimo ac politissimo*, siue, *speculo pumicato.* Nam quî potest speculo pumicato sanguis & sanies sagittarum excludi? Tertullianus tantùm ait, pumice illo quo speculum læuigatur. Et *excludebatur* est in propria significatione, pro extergebatur: vt dicat, pumice speculi sui extergebatur sanguis ille, & sanies sagittarum tollebatur & mundabatur, vt ita possent coronam efficere, quam sibi aptaret Omphale. Pumicare est polire. Glossæ: *Politor*, μίκτης. Paschal. de Corona lib. 1. cap. 8. *pumice speculi elidebatur*, quod ferri B potest. Non omittam lectionem Salmasij viri docti. is in Notis ad Capitolinum, legit, non *speculi*, sed *spiculi*, vt dicat, spiculum esse acum matronalem, qua suebantur coronæ, & sagittas Herculis esse instar huius spiculi matronalis, quod pumice læuigabatur ad extergendum sanguinem.

158. 3. LVXVRIA.] A re syluestri. Zeno Veronensis in Psal. 79. *At vbi adoleuerit in vitem perfectam, ad iugúmque peruenerit, eius* (vitis) *omnes crines luxuriosi tondentur.* Huius obseruationis pleniſſimus Plinius. Eam metaphorã sic circumscribit Constantinus Imperator, in proœmio ad opus suum. Καταμιαθείη τὸ τέλεχος τῆς ἡβους αὐτῆ πλυγονίας φύλλοις, ἢ ἡ σκιὰ τῆς καρπου̃ αὐτῆ ἐπικαλύψαι ὄρη βασίλεια: *Adumbretur stipes eius fœcundæ sobolis foliis, & vmbra fructus eius occultet montes regios.*

3. SVERENT.] Martial. lib. 5.

Frontem sutilibus ruber coronis.

Et lib. 9. C

Ornentúrque rosis tempora sutilibus.

vtique ῥαπτὸς στέφανος.

3. EVIGORATAS.] Sic legendum, quod est, demto vigore. Marcil. mauult *erigoratas*, quod est, demto rigore.

159. 3. APVD OMPHALEM.] Nicetas Choniates in vita Alexij lib. 3. cap. 4. Ἦ τις Ὀμφάλη, ἐπιτέριμμα ἐρώτων καὶ κακότεχνον γύναιον, ὅπως σοι ὑβριστικῶς προσενήνεκται: *Quæ Omphale, exercitata meretrix, & malefica muliercula, tam superbè tecum egit?*

3. TELINO.] Legit Mercerius *Delino*. De *Telino* legendus Plinius lib. 13. cap. 1. vnguentum esse dicit, & mirè id laudat. Videndus etiam Taubmannus in Plauti act. 1. scen. 2. Curcul. in Bdellio. Isidor. lib. 4. cap. 12. *Vnguenta autem quædam dicuntur à locis, vt telinum: cuius meminit Iul. Cæsar dicens, corpus suauitelino vngimus.*

3. CREDO ET IVBAS, &c.] Cõsona Tertulliano D verba hæc Sidonij, cap. 2. lib. 2. *Sex fistulæ prominentes leonũ simulatis capitibus se effundunt, qua temerè ingressi, venas dentium crates, miros oculorum furores, certas ceruicum iubas imaginabuntur.* Furor in dicendo certè idem. Statius in Surrent. Pollij.

Impexis vtrinque iubis horrere leonem.

160. 3. STIRIA LEONINA.] Aliqui legunt *stira leonina*. Aliqui *stria*. vt velint, ego retinui vsitatam vocem, & quam primitus in leone agnosco. Claudianus etiam de leone dixit:

--- fluens adstringit stiria setas.

Et interpretor scirrhum, quia coalescentes pili in iuba leonina, sunt quasi stiria aquæ frigore concretæ.

161. 3. HIATVS CRINIBVS, &c.] Aberrant aliqui in lectione, legũt enim: *hiatus crinibus infarsos, geminos inter antias, adumbratos, ne tota oris contumelia mugiret.* Aliqui verò sic: *hiatus crinibus infarsos, geminos inter antias adumbratos, tota oris contumelia rugiret, si posset.* Lectio hæc ferri potest, & debet, si sic scribas: *adumbratos. Tota oris*, &c. cùm dicat Pamelius addidisse voculam *ne*: & profectò optimus erit sensus, vt dicat, mugiret vtique leo si posset præ dolore infamiæ, certè Nemea gemebat, quæ poterat. Cùm verò *contumelia* sit, ex Seneca cap. 10. de Constantia, quælibet vocis iniuria, metaphoricè dixit, *oris contumelia* pro voce aspera, horrisona, insuaui. ergo *genuinos inter antias adumbratos*, qui sint *genuini dentes* sciunt omnes; hos dicit *adũbratos inter antias*. Sunt *antiæ* penduli crines capitis. Apuleius aliquis diceret *antependuli*. Glossæ: τείχες αἱ μεταξὺ τ̃ κεράτων τ̃ βοῶν. Antiæ, *crines qui inter boum cornua.* Festus, *antiæ, muliebres capilli demissi in frontem.* Cùm verò nulli dentes detractam pellem comitentur, non malo iudicio amicus meus Rossãs, pro *genuinos* legit *geminos*, vt dicat *hiatus geminos* oculorum, qui inter antias iacent, quæ B sunt proximiores oculis quàm dentes. Et, *si posset*, adiungo præcedenti clausulæ, vel deleo. Tametsi quî deleas, cùm particula sequens *certè* firmet lectionem? illud Behotij in Apophoretis lib. 3. cap. 5. *adumbratos. Ne tota oris contumelia mugiret, si posset*; ridiculum profectò est, cùm constet addi *ne* à Pamelio, vnde *ne* vice alterius otiosum erit.

3. NEMEA CERTE', &c.] Satis cantata fabula. Seneca in Furente: 162.

--- Maximus Nemeæ timor
Gemuit lacertis pressus Herculeis leo.

Non te prætereat id quod tradit Ptolemæus Hephæstion, qui septem libros scripsit de nouis ad variam eruditionem historijs, inquit enim, ὅτι Ἡρακλῆς ἀπεξεσάντος αὐτῷ τ̃ δακτύλων ἑνὸς ὑπὸ τ̃ Νεμαείου λέοντος, ἐνεαδάκτυλος γέγονε, καὶ ἔστι λόφος τὸ ἐκκεκομμένου δακτύλου. Nõ enim inculpatus fuit leo, id est, *Herculẽ deuorato à Nemæo leone digito vno, nouem solum digitos habuisse; extaréque tumulum digiti auulsi.* Vnde ait, ille leo extat impositus tumulo Herculei digiti; & hinc elicit morem statuendi leones in tumulis mortuorum. Sed hæc præter rem.

3. SI QVIS LOCI GENIVS.] Non dubium, 163. quin intelligat dæmonem, nam hic est genius. Glycas par. 4. in Anastasio imperatore: *Erat his temporibus Rex Persarum Coades, qui cùm in castello quodam gemmas magni pretij didicisset, ac quominus potiretur ab incolis loci geniis impediretur, omni genere præstigiarum vsus est. Nam & Iudæos, & quosuis alios accersitos adhibebat; neque tamen illorum quisquam aliquid efficere potuit. Tandem antistes eius loci solo crucis signo dæmonẽ expulit.* Ecce, quem priùs *genium* vocauit, mox dæmonem appellauit. Et Symmachus in Relatione sua: *Suus cuique mos, suus cuique ritus est; varios custodes vrbibus cunctis mens diuina distribuit; vt animæ nascentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur. & obsessis Hierosolymis audita vox est, numen vrbis aliò migrare, id est, Genium.* Arnob. lib. 1. *Qui Faunos, qui statuas, ciuitatúmque Genios, qui Pausas reuerentur atque Bellonas.* Claud. Epist. ad Serenam:

Quid non proficient scribentis voce Serenæ,
Vel Genius regni, vel pietatis Amor?

3. QVALIS ILLE HERCVLES.] Rogo te, qualis esset Hercules descriptus hîc à Tertulliano? Tritum est illud Herculis ad Bacchum prepostere indutum τί κόθορνος καὶ ῥόπαλον ξυνηλθέτην; *Quid conueniunt cothurnus, & claua?* Idem possis Herculi accinere: *Quid claua conuenit cum his crinibus?* Sicut enim cothurno Bacchi claua non conuenit, sic neque Herculis clauæ infarsi crines.

3. LOCI GENIVS.] Seruius in 1. Georg. *Genium dicebant antiqui naturalem Deum vniuscuiusque loci, vel rei, aut hominis.* Prud. 2. in Symm.

Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis vnum,
Cùm portis, domibus, thermis, fabulis, foleatis
Assignare suos genios, pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos Geniorum millia multa?

164. 3. THERISTRO.] Aldhelm.lib.2.de Virginit. cap.28. dat Iudith *theristrum viduitatis.* Hieronym. Comment.in Isaiam: *Habent mulieres & theristra, quæ nos palliola possumus appellare; quibus obvoluta est & Rebecca, & hodie quoque Arabiæ & Mesopotamiæ operiuntur fœminæ: quæ dicuntur Græcè theristra, ab eo quòd in θέρει, hoc est, in æstate, à caumate corpora protegant fœminarum.* Inde Aristides orat.in eliminatores, Ἡρακλῆς ἐν Λυδοῖς ὠρχήσατο, *Hercules inter Lydos saltauit.* Quo innuitur eius inuerecundia cum Omphale inuerecunda. Porrò illud *theristro*, Hadrianus Iunius mutat in *serico*, nihil tamen mutandum. Illud enim pallium, quo Rebecca velauit se, cùm occurrit Isaaco, Septuaginta vocant *theristrum.*

B

165. 3. QVALIS ILLE HERCVLES,&c.] Ad rem fecero,si Lucianum in libello,quomodo historia scribenda sit, transcripsero: πάλιν αὖ ὁμοίαν αὐτῷ ἐξεργάσασθαι τῷ ἐν Λυδίᾳ Ἡρακλεῖ. ἐωρακέναι γὰρ που σε εἰκὸς γεγραμμένον, τὴν Ὀμφάλῃ δουλεύοντα, παύν ἀλλόκοτον σκευῇ ἐσκευασμένον. ἐκείνῳ μὲ, τὰ λέοντα ἀπὸ φρικεδληκιδίῳ, καὶ τὸ ξύλον ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσαν, ὡς Ἡρακλέα δῆθεν ὄντα. αὐτὸν δὲ, ἐν κροκωτῷ, καὶ ποφυρείδι, ἔρια ξαίνοντα καὶ πιόμυρον ὑπὸ τῆ Ὀμφάλης τῷ σανδάλῳ: *Statim eam similem reddideris Herculi in Lydia. Nam verisimile est, te vidisse eum pictum, Omphalæ seruientem, valde alieno cultu & absurdo. Illam quidem exsuuio leonis ipsius amictam, & clauam manu tenentem, & Herculem referentem; eúmque in crocotula è purpurea veste lanam facientem, & ab Omphale vapulantem sandalio.* Vides ad viuum descriptam Omphalem. Adducam & Paullinum, epist.4. ad Seuerum, qui ita loquitur de Samsone: *Vtinámque tam prudens ad cauendam mulierem, quàm fortis ad strangulandum leonem, sed carnali victus illecebra, qui gratia Spiritali vicerat, cùm prænaluisset forti, ab infirmitate superatus est.*

166. 3. SCORTO.] Sicut pellex, ita scortum. Vnde *pellicea tunica* & *scortea*, idem. Auctores sunt, Fest. & Varro.

4. SED ET QVI ARTE TYRINTHIVM ACCESSERAT PVGIL CLEOMACHVS.] Proculdubio legendum *arte* pro *ante.* nam illud γνήσιον Tertulliani est. De hoc Strabo lib. 14. ᾧ Κλεόμαχος ὁ πύκτης ὃς εἰς ἔρωτα ἐμπεσὼν παιδίσκης ὑπὸ παιδίσκου τεθρυμμένης, ἀπεμιμήσατο τὼ ᾠδῶν τὰ ἐρωτικὰ τοῖς παιδίοις διαλέκτων, καὶ τῆς ᾠδοποιίας: *Et Cleomachus pugil, cùm in cinædi amorem incidisset, & ancillæ quæ illum enutrierat, cinædorum voces, & mores imitatus est.*

4. DE MASCVLO FLVXISSET.] Prudent. Hamart.

--- cernas mollescere cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aspera membra
Finxerat, & rigidos durauerat ossibus artus:
Sed pudet esse viros, quærunt vanissima quæque
Queis niteant.

Seneca Pater Controuersia 1. *Capillum frangere, et ad mulierum blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est.*

167. 4. INTER CVTEM CÆSVS.] Cicero 3. in Verrem: *Cæde, concide; verba ad omne genus nequitiæ commodata.* Et *cædere* apud Plaut. idem quod diuidere, ait Mercer. Pers.

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.

Quin in ludo Priapi,

Qui quondam ruber & valens, solebam
Fures cædere quamlibet valentes.

4. ET VLTRA INTER FVLLONES IAM A NOVIANOS CORONANDVS.] Malè Marcilius puerorum corruptorem & fractorem facit, cùm inter corruptos & pathicos ipse sit numerandus. Est vtique *fullo* γναφεὺς, siue κναφεύς, qui pannos tingit & lauat. Videndus Pollux lib.7.cap.11. vbi latè. Nomen igitur huic erat à pannis, qui lauantur à fullonibus, id est, ab his qui succumberent, nõ ab his qui incumberent. erat nimirum succubus, non incubus. & hoc est inter fullones numerari & pathicos. *Fructus fullonius* in Plauti Pseud. est de re obscœna, ipsissima nimirum, quam hic tangit.

4. MERITOQVE MIMOGRAPHO LENTVLO IN CATINENSIBVS.] Hieronymus ad Sabiniam: *Hæc tibi ridicula fortè videantur, qui comœdis & Lyricis scriptoribus, mimis, & Lentulis ad sectaris.* Apologeticus cap. 15. *Dispicite Lentulorum & Hostiliorum venustates.* Iuuenal.sat.8.

Sic tenerum attritus Catinensi pumice lumbum.

Hinc sequitur legendum *Catinensibus*, non *Catiniensibus.* Est Catina vrbs Siciliæ, vbi enormia luxuriæ & lasciuiæ inquinamenta.

4. VESTIGIA CÆSTVVM.] Hæc sunt *flagellorum vestigia* apud Petron. sat. & apud Ouid. 3. Amor. 168.

Cerne cicatrices veteris vestigia pugnæ.

Legendum proculdubio *vestigia*, non *fastigia.* Et Turnebus Pameliúsque legunt *vestigia.* De cæstibus consule Notam nostram in Virgilium 5. Æneid ad versum illum,

--- manibúsque inducere cæstus.

Vnde ridebis Cuichium in Virgilium, qui nescio quæ lora bubula appendit cæstibus; & Gazæum, in Cassiani lib.5. cap. 18. illa amplectentem. Tertullianus etiam aduersus Gnosticos cap. 6. nihil adiuuat, qui tantùm, *pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniat, flagella dilacerant.* Neque Ambrosius in Psalm. 36. vbi cùm ait, *alij qui cæstibus aduersus se decernunt, & dilaceratis capitibus cruentantur.* Intelligit capita pugnantium dilacerata, & cruentata ijsdem cæstibus, vt quę petebantur acriùs. *Cæstus* enim solùm fuere chirothecæ bubulę, ferreis clauis intextę, quibus manus intexebantur, & extremę partes brachiorum, quæ manui adiacent. Vide prędictam Notam.

C

4. VIRIA.] Sic legit doctissimus Turnebus, & Grial in Isidorum, & Marcilius, qui addit, legendum fortasse *viriola*, diminuente nomine, vt apto his elegantiis, vt Domitij Vlpiani L.R.S.de aur.argent.leg. & in Glossis, *viriola*, κλαυίον, ψέλεον. Et *viriolæ*, φορχέρεια, ψέλια. Et *viriolæ* ψέλια. Et βραχάλιον *viriola.* Est autem *viriola*, diminutiuum à viria; qua voce vtitur Ambrosius lib. de Abraham cap. 9. *Has inaures habebat, quæ non grauarent aures: has virias quæ manum non materiali auro ornarent, sed spirituali actu leuarent.* Isidorus: *Armillæ autem propriæ virorum sunt, collatæ victoriæ caussa militibus ob armorum virtutem.* 169.

D

Vnde & quondam vulgò viriolæ dicebantur. Viriolæ in antiquo lexico exponuntur brachiales. Itaque in Tertulliano idem est, modò legas *viria*, modò etiam *viriola.* Non possum improbare Salmasij lectionem in notis ad Vopiscum, vbi legit non *viria*, sed *birrus*: nam cùm vestigia, & cicatrices cęstuum, verè vulnera essent in ore & auribus, necessariò debuit *birrus* legi, non *viria*: vt pileus obtegeret caput deformatum vulneribus. De *birro* autem cùm significat vestem episcopalem, aliàs sermo erit latior, si vitam dederit qui potest Deus.

4. ENDROMIDIS SOLOCEM ALIQVA MVLTITIA] SYNTHESI EXTRVSIT.] Solox, ἕειον παχὺ, vt aiunt Glossę, *pingue vellus, crassa lana. Solox* itaque, *Endromis*, id est, cursoria erat vestis, hirta, & villosa. Symmachus epist.1.lib.1. *Quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam.* Ita legit Vulca- 170.

nius,& rectè. Dicitur Sulpicio Seuero Dialogo 1.cap. 15.*burrus*. Festo & aliis *solox*. Hanc ita Cleomachus *extrusit* (Sic enim legendum, cum Turnebo & Marcilio, vel ex verbo *occupauit*) *multitia syntheſi*. Eſt *syntheſis*, elegantior & lautior veſtis, qua Romanus populus vtebatur certis diebus, vt Saturnalibus. Mart. lib. 5.

Vndecies vna ſurrexti Zoile cœna,
Et mutata tibi ſyntheſis vndecies.

Eam Tertullianus *multitiam* vocat, quòd tenuiſſimis filis eſſet contexta; & Flauius Vopiſcus in Aureliano *Multitias tunicas*. Hic itaque Cleomachus abiecta ſoloci endromide emicabat molli cultu ſyntheſeos multitiæ. De qua veſte vide longum excurſum Claudij Salmaſij in Notis ad Vopiſcum. Longum item Bulengeri lib.1.de veſte Pontif.cap.56. Qui malè legit hunc locum,demit enim *ſyntheſi*,& legit *extruxit*. Itaque ait: *Endromidis ſolocem aliqua multitia extruxit.* Vt ego legi, legendus eſt locus. Sed & *endromis* (vt hoc annectam) Turnebo lib 3.cap. 17. videtur eſſe apud Iuuenalem idem quod *trechedipna*, eo verſu Sat. 3.

Ruſticus ille tuus ſumit trechedipna Quirine.

Ratio,quia ſtatim ſequitur,

Et ceromatico fert niceteria collo.

Atqui idem Iuuenal. Sat. 6. dixit,

Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma.

Vt ergo hîc endromidem, & ceroma coniunxit, ita ibi iocoſo vocabulo, intelligens gymnaſticam veſtem, de qua agit. Legit autem Turnebus lib.23.cap. 19.

Endromidis colorem, &c.

171. 4. PHYSCONEM.] Phyſcon Ptolemæus à Lago ſeptimus,qui ſe Euergetem & Sotera iubebat dici,ab Alexandrinis κακεργέτης contrario ſenſu dicebatur, qui eorum multitudinem gladio vaſtandam obiecerit,idque non ſemel, vt auctor eſt Strabo. Dicitur & ἀπὸ τῆς φύσεως de nomine craſſi inteſtini appellatus Phyſcon *ventroſus* propter ſtudium abdominis. Eius facinora Iuſtinus commemorat lib.38. *Quæ fœditas in eo* (inquit Andreas Brugenſis in Formulas prouerbiales Tertulliani) *pellucidæ veſtis ſubtilitate, quaſi de induſtria,ſiue potiùs ex intemperantia,augebatur.* Hinc Alcæus Poëta Lyricus Pittacum Mytilenæum (inquit Hadrianus Iunius cent.1. Adag. 11.) φύσωνα καὶ γάστρωνα vocat, quòd pinguem haberet aqualiculum, vt notat Laërtius. Vide Salianum in Scholia anni mundi 2669. vbi comparat illum cum Eglon, qui erat *craſſus nimis*,vt ait Scriptura in libro Iudicum.

172. 4. SARDANAPALVM.] Clemens Alex. lib Pædag.cap.11.Sardanapalum vocat σηλυδέαν, *effœminatum.* Vide & Themiſtium orat.16. Hic inter ſcortorum greges inuentus eſt, purpuram colo nere, & muliebri habitu,cùm mollitia corporis, & oculorum laſciuia omnes fœminas anteiret; penſa inter virgines partiri: adeo vt eius cognomen ob inſignem mollitiem in prouerbium abierit apud Græcos & Latinos: vnde & poſtea Adagium (nam eò confert Brugenſis) de eo eſt, *molliorem Sardanapalo.* Sed nemo meliùs Conſtantino Manaſſe illum deſcribit in Annalibus, à quo vocatur Σαρδανάπαλος γάστρης αὐτὴρ, *Sardanapalus vir guloſus:* πρυτηλὸς, *voluptarius:* λαγὼς, *ſalax:* γυναικεῖος, *effœminatus:* ἐκθηλύνας ἑαυτὸν, *ſeipſum euirans:* γυναιξὶ συγκλείσας, *occludens ſe inter fœminas:* ἐκτήρατε προσώπου, *pingebat vultum:* ἔβαπτε τοὺς ὀφρυας, *ſupercilia colorabat:* ξύρει καὶ τὸ γένειον μέχρις ἐπιθερμίδος: *radebat barbam vſque ad cutem extimam:* ἐδείκνυ καὶ τὰς παρειὰς ἐψιμυθιωμένας, *oſtendebat & genas ceruſſa fucatas:* καὶ πᾶν τὸ πρόσωπον ἀπλῶς εἶχεν ἑλλαβρύνον, *totam faciem mutatam habebat:* μάχλος ὢν, *ſecors erat:* μαλακὸς, *mollis:* χαῦνος, *libidinoſus:* σηλυδέας, *fœmineus.* Multas denique contumelias adiicit in hunc ſemiuirum. Arrianus hanc partem inſcriptionis exhibet ſtatuæ Sardanapali. σὺ δ' ὦ ξένε, ἔσθιε, καὶ πῖνε, καὶ παῖζε, ὡς τἄλλα τὰ ἀνθρώπινα οὐκ ὄντα τοσοῦτα ἄξια: *Tu verò hoſpes ede, bibe, lude,cùm cetera res humanæ tanti non ſint.*

4. INSIGNES LIBIDINVM.] Seneca epiſt. 173. 55. de Valia ignauiſſimo mortalium. *Nulla alia re quàm ocio notus,conſenuit.* Iuuen.Sat.4.

A vitiis æger,ſolâque libidine fortis.

Nazianz.funebri orat.Magni Baſilij ait,Maximinum Imperatorem, peruerſiſſimis moribus effeciſſe vt omnes qui præceſſerunt principes,etiamſi crudeliſſimi, tamen præ illo haberentur φιλανθρωποι, id eſt, mites atque humani, quaſi ille ſolus malitia notus eſſet.

4. MANDATVM.] Auguror vel delendum eſſe, cùm illo abſente ſenſus conſtet: vel mutandum in *mendacium*, vt dicat, nec fortè erit mendacium rei maximè conſtantis, & de qua non eſt dubium deſignare aliquem Cæſarem, &c.

4. ET QVIDEM SVB NERONE.] Diſſimulanter & Socraticè & perargutè (inquit Marcilius) 174. non audens Neronē ipſum nominare: quaſi duo Nerones Cæſares,quo tempore Cæſar Nero,vnus poteſtate Cæſar,alter prodigium orbis ſub Nerone illo. Lusítque ad Neronis quinquennium,vt quinquennio fuerit Nero Cæſar, ſub Nerone illo quinquennali fuerit prodigium orbis. Aurelius Victor in Nerone, *procul diſtare cunctos principes à Neronis quinquennio.* Hæc luculenta interpretatio Tertulliani: alia quæ iactatur de Vitellio, impropria ſatis. Fuit enim Nero diſſolutiſſimæ vitæ; vnde Bunduica Britannorum Regina apud Dionem Caſſium lib.62.Neronem Imperatorem muliebriter effœminatum vocat,non Neronem, ſed Neronidem, Νερωνίδιον Δομιτίαν. Mihi hæc placent. ſed cur non eſſe Domitianus poſſit? Nam cùm non nominet,poſſum ego,quem velim,intelligere.q.d. *Cæſarem deſignare*, deſigno autem illum Domitianum, qui ſub Nerone eſt. Quippe Domitianus æmulatus eſt dici ſe Neronem,quod vt clarum omiſit Tertullianus, & contentus eſt dicere, illum qui ſub Nerone eſt,qui alter eſt Nero,videlicet Domitianus. Iuuenalis enim de Domitiano ſcripſit ſat. 4.

— & caluo ſeruiret Roma Neroni.

Et Auſonius de 12.Cæſaribus, 175.

Et Titus imperij felix breuitate, ſecutus
Frater, quem caluum dixit ſua Roma Neronem.

Breuiùs dicam; vtrumque breuiter perſtrinxit Tertul. & Neronem, & qui ſub Nerone eſt, Domitianum.

5. NEC TEPIDIOR VIS.] Pamelius ſic legit: *Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis induuiis,etiam vero ſaluo calor eſt*,&c. Iunius verò ſic: *Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis induuiis. Etiam vero ſaluo,calor eſt*,&c. volo debeas hunc locum Marcilio, qui, *Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis induuiis, etiam viro ſaluo. Calor eſt*, &c. Induuiæ & exuuiæ cõtrariæ ſunt; *induuiæ*, ab induendo; *exuuiæ*,ab exuendo. Plaut. Menæchmis, vbi de palla muliebri veſte: *Induuiæ tuæ atque vxoris exſuuiæ roſa.* Illud verò *viro ſaluo*, eſt,etiã ſine corruptela ſexus. Mox arguit: *Calor eſt omnis affectus*, &c. Et præclarè *calor*, omnis quippe affectus hac voce exprimitur. Hilarius aduerſus Arianos, *calor fidei.* Et ad Conſtantium Auguſtum, *non ego calens equuleum metuiſſem.* Quamuis autem mutauerim *viro ſaluo*, volo etiam Pamelij lectionem *vero ſaluo* declarare, vt dicat vanam gloriam mutare induuium ſic; omnis affectus gloriæ,etiam vero affectu ſaluo, eſt calor: verùm cùm iſte calor naturalis glorię flabellatur in affectationem, iam propter incendium non eſt calor, ſed ardor gloriæ.

5. VERVM CVM IN AFFECTATIONEM FLABELLATVR.] Affectatio Alexandri,de quo eſt ſermo,& flabellum iſtud,ex iſtis Arriani liquet,lib.2. 176.

Hist. scripsit enim Epistolam ad Darium, & pars illius hæc est: *De reliquo, quando ad me scribes, ὡς περὶ βασιλέα τὸν Ἀσίας, ad Asiæ Regem, scribere memineris: neque tanquam ad parem scribe, sed veluti omnium rerum tuarum κυρίῳ, domino, significa si quid petas. Sin aliter feceris, ego de te tanquam iniuriam inferente decernam. si verò, quod ad regni possessionem attinet, contradicis, aliud pro eo prælium experiri paratus, ne fugias.* Vide, quod istud flabellum gloriæ, quæ affectio Regis, quàm insolens exacerbatio laudis!

5. EXISTO FOMITE ÆSTVANTEM MAGNVM REGEM.] Quo fomite ambitionis arderet Alexander, ex istis poteris rimari. Narrat Arrianus lib. 1. Hist. τὸν Κέλτικοὺς δὲ καὶ ἥρετο, ὅ,τι μάλιστα δεδιότες ἐν τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις ἦσαν· ἔφασαν ὅτι μέγα ὄνομα τὸ αὐτῶν, καὶ ἐς Κελτικοὺς καὶ ἔτι πρόσω ἥκει· καὶ ὅτι αὐτὸν μάλιστα πάντων δεδιέναι φήσουσι. *Celticos percunctatus est Alexander, quid in rebus humanis maximè extimescerent: ratus sui nominis splendorem ad Celticos multóque ulteriùs penetrasse; quódque ipsum præ rebus omnibus timerent, responsuros.*

5. VICTVS EST MEDICA VESTE.] Hanc innuit, quam postea *Sarabaram* nominat. Arrianus lib 4. ἐδῆτά τε ὅτι Μηδικὴν αὐτὴ ἡ Μακεδονικὴν ἡ καὶ πατρίου, Ἡρακλείδης ὢν, μετέλαβεν, οὐδὲν τούτων ἐπαινῶ: *Neque illud probauerim, quòd vestem Medicam pro Macedonica ac patria, cùm ex Heraclidarum genere esset, assumpserit.* Curtius 6. Hist. *Patrios mores, disciplinámque Macedonum Regum salubriter temperatam, & ciuilem habitum, velut leuiora magnitudine sua ducens, Persicæ regiæ par Deorum potentiæ fastigium æmulabatur. Iacere humi venerabundos pati cœpit, paulatimque seruilibus ministeriis tot victores gentium imbuere, & captiuis pares facere expetebat. Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circundedit, vestémque Persicam sumpsit, ne omen quidem veritus, quòd à victoribus insignibus in deiecti transiret habitum.*

178. 5. CATAPHRACTEN.] Hæc vestis est ferrea, eadem quæ posteà, *squammarum signaculis*; cuius est egregia descriptio in Niceta Choniate in vita Manuelis lib. 5. cap. 3. ἀ μόνον δὲ οἱ ἄνδρες μετεῖχον τῶν ἀκριβῶν ὁπλισμοῦ καὶ πανοπλιακοῖς, ἀλλ' ὧν ὁρᾷν καὶ τὰ ἵππων αὐτῶν διαδήματα, μαχαλισπᾶς περιφαινόντων καὶ φρικεμβόλων περιστιδία καὶ περιστερίδων βλημάτων ἐρύματα· *Nec viri tantùm armis egregiè ad pedes vsque muniti, sed & equorum pectora & frontes ferro contra ictus armabantur.* Sed in primis elaborata sanè descriptio est in Heliodoro lib. 9. Æthiopidos: cuius ego hîc paginam apponam, quòd neminem viderim, qui cum eo possit conferri. Ait itaque, Latinis sermonibus, Græca enim, quòd multa sint, omittimus. *Galea à vertice vsque ad collum totum, præter oculos, transpiciendi causa, tecta, dextram quidem armat conto maiori quàm hasta, sinistra autem regendis habenis vacat: gladio verò ad latus suspenso, non tantùm pectus, sed etiam totum corpus lorica munitum habet. Lorica autem ita conficitur: Laminis æreis & ferreis, quadrangula forma, magnitudine palmi ductis, aliam super aliam ad extremitates laterũ aptantes (vt inferiori parte subiecta, in transuersum autem conuersa, proximam semper continua serie conscendant) & futuris subter commissuras texturam connectentes, tunicam quandam*
179. *squammatam efficiunt: quæ sine vlla molestia corpori incumbit, & vndequaque adhæresci. Circumscribit autem vnumquodque mẽbrum, & sine vllo impedimento in motu contrahitur & extenditur. Est enim manicata, & à collo vsque ad genu demissa, in solis femoribus, qua parte tergum equi conscenditur, necessitate ita postulante, discincta. Lorica igitur est talis, tela retundens, & omnis generis ictibus resistens. Ocrea verò à summa planta à genu pertingit, conserta cum lorica. Consimili apparatu & equum muniunt: pedes ocreis circumligantes; & frontibus caput prorsus operientes: à tergo verò, ad ventrem circa vtrumque latus, tegumentum ferreis nexibus constans, suspendentes, vt simul & armet, & propter interceptum vacuum, spatium & cursum minimè impediat.* Hæc ille; & postea ait, σιδηροῦς τις αὐτὸς φαινόμενος, ἢ καὶ σφυρήλατος ἀνδριὰς κινούμενος· *vt ferreus vir, aut statua quædam malleis compacta moueri videatur.* Est hæc illa egregia descriptio cataphracti militis, & nescio an alicubi clarior. sunt hi quos *Clibanarios* appellat Ammianus lib. 16. qui tota specie ferrea sic contegantur, vt tanquam panis, sic ipsi clibano vndique obtecti obductique videantur. Lege quæ statim ad illud, *squammarum signaculis disculptum.*

5. IN CAPTIVA.] Virg. 2. Æn. 180.

Craterésque auro solidi, captiuáque vestis.

Et Tacitus lib. 14. *cruore captiuo.*

5. SARABARA.] Optimè Suidas, σαράβαρα, ἐσθὴς Περσική: *Sarabara, vestis Persica.* Isidorus lib. 19. *Sarabara fluxa & sinuosa vestimenta.* Aliqui *braccas* interpretati. Id alio dicendi genere Athenæus, lib. 12. Ἀλέξανδρος ὃς τὴν Ἀσίαν ἐκυρίευσεν, Πέρσικῆς ἐχρῆτο στολῆς: *Alexander, deuicta Asia, vsus est stola Persica.* Iustin. lib. 20. *Post hæc Alexander habitum Regum & diadema insolitum hactenus regibus Macedonicis, velut in leges eorum quos vicerat, transiret, assumsit.* Et iterum: *Quæ ne inuidiosius in se vno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auream purpureámque sumere iubet, vt luxum quoque, sicut cultum, imitaretur Persarum.* Valerius Max. lib. 9 cap. 6. *Tædio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumsit.* Idem omnino quod Lucian. dixit in Bis accusato ad finẽ: ἐπεὶ τὴν ἄλλων ἕνεκα, ἂν οἶμαι, μέμψαιτό μοι, ὡς θοιμάτιον τὸ Ἑλληνικὸν ἀφιππάσας, αὐτὸς βαρβαρικὸν μετενέδυσα: *Nam ceterorum causa haud quaquam puto, accusauerit me, quòd veste hac Græca detracta, barbaricã induerim.* Ad finem moneo *sarabalta* eadem esse eum *sarabaris*, teste Hieronymo: *Lingua autem Chaldæorum, saraballa, crura hominum, vocantur tibiæ. ὁμωνύμως braccæ eorum quibus crura teguntur & tibiæ, crurales & tibiales appellatæ sunt.* Hæc ille in Danielem, & in epist. de Muliere septies icta eandem vocem assumit.

5. DECESSIT.] Antonius Fernandius visione 181. 24. legit, *processit.* Vt verum fatear, nescio quam ad rem *decessu*, & hic nulla Alexandri necesse morte. Itaque audeo dicere scribendum *processit*; & satis est luculentum testimonium Antonij Fernandij è Nostris vnius.

5. SQVAMMARVM SIGNACVLIS DISCVLPTVM.] Corrigunt alij *discalptum*, sed frustra: nam in idem recidit. Idem autem dicit, quod suprà *cataphracten.* Et quod Claudianus de 6. Consulat. Honorij, *ferrati venere viri.* Talem describit Plutar. Masistium in Aristide: ἀ μόνον στέρνα, καὶ κεφαλὴν, ἀλλὰ καὶ τὰ γόνατα χρυσῷ, καὶ χαλκῷ καὶ σιδήρῳ καταπεφραγμένος: *Non tantùm pectus & caput, sed & reliqua membra habebat munita auro, ære, ferro.* Claud. 2. in Ruff.

--- credas simulacra moueri
Ferrea, cognatóque viros spirare metallo.

5. TEXTV PELLVCIDO TEGENDO NVDAVIT.] Id est, nudum reliquit textu pellucido; videlicet dicit, textu illo pellucido relictum nudum: etenim pelluciditas illa nihil obstabat quominus vitia corporis paterent. Petronius: 182.

Aequum est induere nuptam ventum textilem?
Palam prostare nudam in nebula linea?

Quasi vestis esset ventus, & instar nebulæ, verè ac si nuda esset. Etiam Tibull. *ventum* pro tenui nebula dixit lib. 3. eleg. 2.

Post hæc carbaseis humorem tollere ventis.

Horatius lib. 1. Sat. 2.

--- Cois tibi pene videre est

Vt nudam.

Hieronymus ad Eluidium: *Vt nudam ingrediuntur expolitæ libidinis victimæ, & tenuitate vestium nudæ*
183. *oculis ingeruntur.* Seneca Pater Controuers.6. *Vestem nihil in matrona tecturam concupiuit.* Plinius lib. 11.de Coa: *Vt denudet fœminas vestis.* Seneca Pater Controuers.8. *Vt tenui veste perspicua sit.* Et Philosophus, de Beneficiis, lib.1.cap.9. *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. Quibus sumtis mulier praua liquidò se nudam non esse iurabit.* Et lib.1.cap.3. Gratias
184. *pellucida veste* exornat, & mox explicat quid sit *vestis pellucida*, cùm ait, *pellucidis autem, quia beneficia conspici volunt*, quasi dicat: Ideo dixi *pellucidis vestire Gratias*, quia eo vestitu nudæ apparent. Philemon apud Clem.Alex. ἱμάτια διαφαίνοντα. Iustinus lib.38.vbi de Physcone Ptolemæo: *Quam fœditatem* (obesi ventris scilicet) *nimia subtilitas, & pellucida vestis augebat prorsus: quasi æstu inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda pudibundo viro erant.* Hæc magna ex parte & in Petronium Vvouerenius, & in Tertullianum Mercerius, & Bulengerus lib.1. de veste Pontif. cap.56.adnotarunt. Idem vtique quod σωειάζειν, quod adnotat Hadrian. Iunius Cent. 1. Adag.47. quod & Pausanias asserit interpretans, σωειάζειν, παραγυμνοῦσθαι. Anacreon, ἐκδὺς τὰ χιτῶνα σωειάζει: *Exuta tunicam Doricè ingreditur.* Sic & Spartanæ puellæ incedebant olim incinctæ, καὶ ἀχίτωνες, supparum habentes vtroque humero quinis fibulis astrictum. Eôdem spectat Lacænas dictas φαινομηρίδας, quòd incederent nudis feminibus. Vide etiam suprà, vbi *victus est Medica veste*, testimonium Curtij. Adiungatur his omnibus Ouid.

Vellera mollibant nebulas æquantia tactu.

Et Prudent in Symm.

---sed Eoo ex orbe petitis
Ramorum foliis fluitantes sumere amictus.

Salisberiensis in Polycratico lib. 8.c. 2. *Dum omnia gelu constricta vigent, tenui sudat in cyclade, & illius delitias etiam bombycinus vrit pannus, aut premit.* Martialis lib.8.epig.8.

Fœmineum lucet sic per bombycina corpus.

185. 5. VENTILANTE SERICO EXTINXIT.] Legunt aliqui, *restinxit.* Sed malè: nam nō restinctū, sed extinctum omnino voluit. Potoris adhuc explicare hunc locum sic: Anhelum adhuc pectus & viuum ab opere belli, & vt hoc opere molliùs ventilante, & non extinguente, ipse Alexander serico extinxit. Porro *ventilat* dixit mirè Fulbertus Carnotens. Episcop. *At si talia confessus es, quæ & priùs postmodum ore vulgi ventilata sunt, ea nos occultare nequimus.* Quin Prudent.in Agone Romani, ita tyrannum facit adloquentem Sanctum Martyrem,

Infame monstrum, vilis, inestabilis,
Tu ventilator vrbis, & vulgi leuis
Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne se imperita turba dedat legibus.

186. 5. ANIMI TVMENS.] Hellenicè loquitur, vt Plautus, *discrucior animi.* Et in Epidic. *Despiebam mentis.* Et Cicero lib.4. Tuscul. *Pendet animi.* Sed & *tumens* est ὀργῶν, à Græcis. Itaque *tumens Macedo* est, vt tumescunt gemmæ in arboribus, cùm appetunt eruptionem. Ita illud Maronis, *vêre tument terræ*; & illud Statij 2.Theb.

---tumida iam virginitate iugari.

187. 5. VESTIS INFLATIOR.] Accipe hanc vestem, vt *fluctuatim ire ad bellum*, dixit Afranius, pro iactanter & solutè, vt bene Nonius. Ita Virg. de Ciri lasciuiente inter choros saltantium,

Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans.

Ita idem 2. Georg.

Et iuuat vndantem buxo spectare cytorum.

A Ita Plaut.Epidic. Act.3. scen.3.

Sed hic quis est, quem huc aduenientem conspicor?
Suam qui vndantem chlamydem quassando facit?

Et Papinius lib. 7.

---belli fluitantis imago.

Curtius 6.lib.hist. *Et ille* (Alexander) *se quidem Persarum spolia gestare dicebat, sed cum illis quoque mores induerat, superbiámque habitus animi insolentia sequebatur.*

5. AVDIO ET IN PVRPVRA PHILOSOPHATVM.] De Hippia Eleo intellige, aut Gorgia 188.
Leontino, inquit Marcilius; nam ait Ælianus in variis: Ἱππίας καὶ Γοργίας ἐν πορφυρεαῖς ἐδόκουν ἐμφαίνεσθαι διαβρεῖς λόγους: *Fama est, Hippiam & Gorgiam in vestibus circatuisse purpureis.* Qui de Aristippo accipiunt, minùs aptè; nam is in purpura non tam philosophum gessit, quàm aulicum parasitum.

5. CVR NON ET IN BAXEA TYRIA.] Apuleius 2.de Asin. *Palmeis baxeis indutum.* Isid.lib.2.*Baxea, calciamentum comœdorum erat, sicut Tragœdorum cothurni. Quos quidam etiam (callones) appellat, eo quòd ex salice fierent. Nam Græci, vt diximus, lignum* (κάλον) *vocabant.* Turneb.lib.7.cap.20. *Baxea, calceus philosophicus, philosophica crepida.* Ait, si philosophus in purpura, cur non in baxea purpurea? statim ille, *calcare nisi aurum, minimè Græcatos decet*, pro eo quod erat, *cur non in baxea Tyria calciare*, sensu planè imperfecto, nec satis intelligibili. Postea deleo primum *incessit*, & conseruo alterum, & verba media parenthesi includo. In illis autem, *atquin alius*, &c. quasi ἀνθυποφορᾶν, mimicum illum versum refellens, respondet, quid tu ais, non nisi aurum calcare? Atqui Empedocles ipse, præsignis philosophus, æs, non aurum calcauit. In illis, *atquin alius & sericatus, & crepidam æratus*, &c. Intelligit Empedoclem, qui ita indutus erat, vt narrat Ælian.lib.12. variæ hist.c 32.

5. BAXEA TYRIA.] *Baxea* fuit crepida philosophorum, vt iam Turnebus, & nunc vidi Balduinum, de Calceo, cap. 14. Vnde Apuleius Philosophi habitum depingens, lib. de Asino aureo: *Ne quid pallio baculóque & baxeis, & hircino barbitio Philosophum fingeret.* Idem in Floridis: *vestem de texterna emere, baxeas de suterna præstinare.* Plaut. Menæch. *Quî extergentur baxeæ?* Iunius ait, *baxeas*, esse crepidas, & dici, ἀπὸ τῆς βάσεως. Cur *Tyria* dixerit, in promptu est; insignes enim esse potuerunt iam purpureo colore, iam albo, aliisque. 189.

5. GRÆCANICOS] Dicit ironicè *Græcanicos*, ad eum modum quo posset dicere *Romanos*, aut *Italos*: non quòd vox ipsa nata sit huic rei; nam Suetonius in Domitiano cap 4. cùm scripsit, *purpurea amictus toga Græcanica*, verè scripsit, & absque vlla ironia, cùm sacris certaminibus in Græcia Domitianus amictu Græco præsideret. Similiter Horat. lib. 2. sat. 2. cùm scripsit,

---vel si Romana fatigat
Militia assuetum græcari. 190.

Vbi *græcari* est, exercitationibus disci, & pilæ, aliisque Græcorum nationis exercitationibus vti.

5. CREPIDAM ÆRATVS.] Philostratus, Diogenes, & Ælianus *crepidas* has *æratas* dicunt; his credo, non Alexandro Neapolitano ferreas asserenti. Afferam verba Diogenis Laertij de Empedocle cùm in Ætnam insiliit; quem ait, *in ignis crateres se iniecisse, ibique dum fidem cupit facere, famámque adstruere, quòd Deus effectus sit, ignibus consumtum esse, postea vt sese res haberet innotuisse; vna ex illius crepidis vi flammæ ex intimis ad exteriora reiecta, quippe calciari solebat ære.* Quid verò Ælianus lib. 12. Var. Hist. Ἐμπεδοκλῆς δὲ ὁ Ἀκραγαντῖνος ἁλουργεῖ ἐχρῆτο, καὶ ὑποδήμασι χαλκοῖς: *Empedocles Agrigentinus purpura vtebatur, & calceis æreis.* Hesychius Milesius, quem conuersum habe-

mus opera Hadriani Iunij de claris viris, sic ait: *Empedocles multas puellas populares suas, indotatas, ex priuatis opibus dote addita, locupletauit: propterea purpuram sumsit, & aureo strophio vsus fuit; adhæc crepidas æreas induit.*

5. DE DOLIO LATRARET.] Latrantes philosophos, & in primis Diogenem inducit in dialogis Lucianus, & per latratum istum, pugnam omnem intelligunt aduersus vitia, σφενδόμαι ἐπὶ ταῖς ἡδοναῖς, inquit ille, in vitarum Auctionibus, *pugno aduersus voluptates.* Itaque malè aliqui legunt, *intraret.* De dolio idem in Fugitiuis, & vocat πίθον. Tatianus Διογένης πιθάκνης καυχώμενος, τῷ ἀυτάρκεια σεμνυνόμενος: *Diogenes dolio suo iactabundus, tanquam sorte sua & ipse contentus.*

191. 5. IN ADYTA CLOACINARVM.] *In adyta* Cloacarum. Prudentius in Apotheosi:

Nemo Cloacinæ, aut Hippo super astra deabus
Dat solium.

Cyprian. de idolor. vanit. *Deam quoque Cloacinam Tatius & inuenit, & coluit.* Lactant. cap. 20. lib. 7. *Cloacinæ simulacrum cloaca maxima repertum Tatius consecrauit.* Accepêre omnes à Minutio. Notum quid dicat Liuius & Plinius lib. 36. cap. 15. ex cuius verbis maximum Æternæ vrbis apparet miraculum. vide Taubmannum in Curcul. Act. 3. ad *Cloacinæ sacrum*: vbi quæpiam adnotat scitu digna. In fine noto variantem lectionem, *sorores priùs suas, dehinc homines, Deas salutaret*, videbis in libris omnibus. Apage monstrum lectionis, & lege vt ego, & Marcilium sequere, & mirare Tertullianum, qui verniliter iocatur in istos miseros, non aliter ac Plautus Curculione.

Non magis curo, quàm ancillam, quæ latrinam lauat.

192. 5. QVI SE COELITEM.] Horat. hoc tetigit in Arte,

---Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam Insiluit.

Tatianus contra Græcos: Ἐμπεδοκλέους γὸ τὸ ἀλαζονικὸν αἱ κῶμαι τῶν Σικελίαν τὰ πυρὸς ἀναφυσήσεις ἀπέδειξαν, ὅτι μὴ θεὸς ὢν, τὸ ὅπερ ἤθελε εἶναι, κατεψεύδετο: *Empedoclis autem arrogantiam, Ætnæ crateres in Sicilia coarguerunt: quòd cùm homo esset, Deum se ab hominibus credi falsò mentiretur.* Claud. in Paneg. Manlij Theodori.

Alter in Aetnæas casurus sponte fauillas, &c.

Plinius lib. 36. cap. 15. eiusdem meminit, iuxta Petrum Fabrum cap. 10. lib. 1. semestrium, cùm inquit: *Enimuero plerique veterum vel ob conscientiam criminis, vel tædio vitæ, vel dolore, id est, valetudinis aduersæ impatientia, vel iactatione, vt quidam Philosophi, mortem sibi consciscebant.* in *iactatione* enim cum Philosophiæ mentione Empedoclem intellexit. vnum tamen Hesychium inueni Milesium, qui de Empedocle ita: *Postremò ad festum sollemne dum curru inuectus Messanam petit, prolapsus crus perfregit, vnde contracto morbo decessit, vti Cleanthes Cyzycenus litteris consignauit.*

193. 6. ET ACIE FIGERE.] Hoc affectu dixit Demosthenes orat. 3. in Philip. μέλλομεν, καὶ μαλακιζόμεθα, καὶ πρὸς τὸν πλησίον βλέποντες ἀπιστοῦντες ἀλλήλοις: *Cunctamur & effœminati sumus, & ad proximos respicimus, aliis alij diffidentes.* Seneca controu. 8. *Quotiescunque tumultus aliquis exortus est, in me ciuium diriguntur oculi.* Et Seneca Philosophus 3. de Benef. cap. 17. *Pœna est, quod omnium designatur oculis, aut designari se iudicat.* Græcè, ἀτιμίας ὄψεως. Virgilius, *oculos horrenda in virgine fixit.*

6. ET DIGITO DESTINARE.] Ioan. Chrysost. orat. de Baptism. Christi, Λέξη ὥσπερ δακτύλῳ: *indicaret tanquã digito.* Greg. Nyssenus, Epist. ad Flauianum: ἡμᾶς ἀποβλέποντες, διὰ τῶν δακτύλων ὑποδεικνύοντες: *intuentur nos & ostentant digitis.* Lucianus de Gymnasiis: καὶ τὸ ἐπισημότατον ἡγεῖσθαι, καὶ δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ ἄξιον εἶναι ἢ καθ' ἑαυτὸν δικοῦντα: *Et esse clarissimum, & demonstrari digito hunc esse sua opinione præstantissimum.* Tertull. de Veland. Virg. *Digitis demonstrantium titillatur.* Horat. Od. 3. lib. 4.

Quòd monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

Ouid. 3. Am. eleg. 5.

En digitis designor adultera virgo.

6. ET NVTV TRADERE.] Andreas Hoyus 194.
indicat legendũ *traducere.* est deridentium, & improbantium aliquid interse clanculum, quod palam facere non sit impune vel decens: cùm neque coniectis in hominem rémve oculis, neque protentis digitis id facere licet: tum clancularío saltem adnutu demonstrari potest.

6. MÆANDRICO FLVXV.] Coniecit Pamelius satis sic legendum, cùm priùs legeretur *Menandrico fluxu*, aut *confluxu.* Et dixit *Mæandrico fluxu*, pro tortuoso ac variante flexu, & reflexu syrmatis, vnde non temere coniicio legẽdum *Mæandrico flexu*, vix enim, inquit Mercerius, mentio est Mæandri fluminis, quin etiam sit flexus. Cicero in Pisonem, *quos in Mæandros, quæ diuerticula flexionésque.* Dio Chrysost. orat. 35. Μαίανδρος πολὺ παίτων τῶν ποταμῶν δεινότατος καὶ σοφώτατος, ἐλίττων μυρίας καμπάς: *Mæandrus longè omnium fluuiorum diuinissimus iuxtà & sapientissimus inuoluit sexcentas flexuras.* Prudentius:

Qui mille per Mæandros,
Fraudésque flexuosas.

Quin verbum *cucurrit* in Virgilio ad flexum facit, non ad fluxum. & Nicetas Choniates de hoc flumine in vita imperatoris Manuelis lib. 1. cap. 6. ἔστι δ' οὗτος καὶ ἕτερον μὲ ἅπαντα χεῖνον, ὑ ῥᾴδιος ἀπαντᾶν τῷ φραίωσιν, τοῦτο ὃ καὶ τέλεον οὐ ἄπορος: *Est autem hic omni tempore ob vortices & varios flexus non vbique facilè superabilis. tum planè transiri difficilis.*

6. DELICATAM VESTEM HVMI PRO- 195.
TRAHAT.] Concilium Gangrense, vbi subscribunt Episcopi. *Et habitum simplicem ac viliorem vestem pro corporis diligentia infucatam, laudamus; sicut etiam solutas anfractas in vestibus processiones reprobamus.* Alibi per verbum *fluo.* Liuius Andron. *Asiatico ornatu fluere.* Non abit Cic. *Mollitia & luxu fluere.* Terent. *Diffluere luxuria & lasciuia.*

6. PASSIVITAS.] Aldhelm. de Virginit. c. 1. *Passiuus oculorum obtutus*, id est, frequens. In Apolog. Tertull. *Suppeditante materia passiuitate luxuriæ.* Dicam alibi de hac voce fusiùs.

6. LIBERTINOS IN EQVESTRIBVS.] 196.
Equestria locus in scena equitibus destinatus fuêre quatuordecim ordines. Seneca lib. 7. de Benef. c. 12. *Si quod amici est, meum est, liceat mihi vendere. Non licet; nam nec equestria. & tamen communia tibi cum ceteris equitibus sunt.* Est verò Petronij locus geminus Tertullianico: *Ego, etiamsi ancilla sum, nunquam tamen nisi in equestribus sedeo.* An verò Tertullianus *equestria* dixerit, an *equestres*, dubitari potest, genere neutro, vel masculo. Certè vtrunque probabile est, pro masculino genere stante hoc loco Lampridij in Alex. Seuero: *Libertinos quoque nunquam in equestrem locum redegit, asserens seminarium senatorum equestrem locum esse.*

6. SVBVERBVSTOS IN LIBERALIBVS.] στίγματίας intelligit: & notans fronte, Martial. lib. 8.

Proscriptum famulus seruauit fronte notatus.

Sic dicebantur, quia verberibus vsti; petulantia comica. sic Horat. sat. 7. lib. 2. *Vri virgis.* & od. 4.

Epod. *Ibericis peruſte funibus latus.* Idem omnino quod dixit idem Horatius,

Sectus flagellis hic triumuiralibus.

Plautus in Comœdia, cui non titulus: *vlceroſam, compeditam, ſubuerbuſtam, ſordidam.* Et Vlpianus: *ſi magiſtratus municipalis ſeruum meum loris ruperit.* Iterum: *Quòd ſi abfuerit, Præſidi offerendus eſt, qui eum flagris rumpat.* Vt *fuſtuarium mereri* dixit Liuius lib. 5. & Polybius ξυλοκοπεῖσθαι. Neſcio autem quid incidit Lipſio lib. de Amphit. cap. 15. qui ſic legit, *libertinos in equeſtribus, ſubuerbuſtos in liberalibus ſedere.* Addit *ſedere* contra ſidem, addo & contra ſententiam; nam hîc de veſtitu, non de ſeſſu, diſputatio eſt. Adducitque locum Spartiani in Iuliano diſſidentem omnino. Cùm ait in *liberalibus*, notat Marcilius ſumtum pro *hominibus liberis.*

197. 6. DEDITITIOS IN INGENVIS.] Cape eos, qui dediti ſunt hoſtib⁹ ignominioſè, iſti enim deditit. B

6. RVPICES IN VRBANIS.] Iuuenal. *montanum vulgus* vocat. Sat. 2.

Montanum poſitis audiret vulgus aratris.

6. SCVRRAS IN FORENSIBVS.] *Scurræ* olim fuere vrbani, comes, delicati, mites, vtique non ruſtici. vnde Plaut. Trinum. *Vrbani aſſidui ciues, quos ſcurras vocant.* & Moſtell.

Tu vrbanus verò ſcurra, deliciæ popli,
Rus mihi obiectas.

Et Epidico, Hominem militarem opponit ſcurræ. vide Douſſam centur. lib. 2. cap. 13. & Scaliger ad Catull. ait, Scurras & vrbanos eoſdem eſſe. Cùm autem hi dicteria effunderent, vt delicati; factum vt hi qui iocularia iactarent epularum gratia, dicerentur *ſcurræ & vrbani.* Addo & mimos. vnde Iuuenal.

---mimum agit ille
Vrbani qualem facundus ſcurra Catulli.

Vbi *Mimum* ſcurram vocat, & *Vrbanum* mimographum Catullum. vide Taubm. Epidico.

6. PAGANOS IN MILITARIBVS.] *Pagani* ſunt propriè, non milites, vt dico alio loco, vbi differentiam conſtituo in voce. C

6. VESPILLO, LENO, LANISTA.] *Veſpillo* tetra eſt indutus veſte. Sidonius Epiſt. 11. lib. 1. *Solus Curio meus, in transfugarum perfidiam inuectus, cùm adueſperaſceret, per cathedrarios ſeruos veſpillonibus tetriores domum raptus ac reportatus eſt. Lenones* colorati erant. Tertull. de Spectacul. cap. 23. *Coloratus vt leno*; quem locum vide. *Lanistæ* nullo peculiari habitu indutos reperi, credibile tenuiter veſtitos. Et tamen hi tres adſpirarunt ad gloriam magnificentiſſimarum veſtium.

7. HABES SPECTARE, &c.] Par locus in cultu fœminarum: *Aut quid minus habent infeliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ: quas ſi quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coercebant, iam certè ſeculi improbitas quotidie inſurgens honeſtiſſimis quibuſque fœminis vſque ad errorẽ dignoſcendi coæquat?* D

7. SINE STOLA.] *Stola* erat indumentum fœ-
198. mineũ, loco togæ apud fœminas. Ouid. primo de Arte,

Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Quam ad rem, dices? Quia *ſtolam* adimos pedes demiſſa inſtita ambiebat: inde Horat. 1. Serm. Sat. 2.

--- ſunt qui nolunt tetigiſſe niſi illas,
Quarum ſubſuta talos tegit inſtita veſte.

Clarè Ouid. lib. 1. de Arte.

Ecquid ab hac omnes rigidè ſubmouimus arte
Quas ſtolæ contingi, ſumtáque vitta vetat?

Et Horatius eodem loco;

Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla:

Dio Chryſoſt. in ornatu fœmineo, Orat. 1. πολλὰ ἂν κατέῤῥηκτο τῆς στολῆς: *Stola quoque multis in partibus erat diſrupta.* Id tamen intelligendum eſt, non priſco, ſed nouo tempore. Varro lib. 8. de Ling. Lat. ſic loquitur de nouo tempore: *Similius ſequemur, vt virilis tunica ſit virili ſimilis, item togæ: ſic mulierum ſtola ſtolæ proportione, & pallium pallio ſimile.* De priſco æuo ita Nonius, citans eundem Varronem lib. 1. de vita populi R. *Præterea quòd in lecto togas antè habebant: antè enim olim fuit commune veſtimentum & diurnum & nocturnum, & muliebre & virile.* A

7. EXAVCTORASSET.] Auctoritatem de- 199.
rogaſſet. *Matrona* (inquit Marcilius) *quæ ſtolam ſumit, quaſi auctorat ſiue verdit ſe ſtolæ ac pudicitiæ: eadémque cùm ſtolam miſſam facit, exauctorat ipſa ſe, ſiue auctoritatem ſibi matronalem detrahit.* Auctorat ſe qui ſe domino vendit ad ferrum ſiue ad gladium. Nam ius ſuum omne, & auctoritatem vitæ ac necis, vendit ei cui auctoratur. Etenim *exauctorati milites* ſunt cum iniuria demiſſi ab exercitu; & id plerumque eſt: aliquando autem *exauctoratio* erat citra iniuriam. Videndus Turnebus lib. 3. c. 3.

7. PLANITVS.] Ædes priùs à veteribus (inquit Scal. in Feſt.) dictæ ſunt, quæ à Græcis οἰκήματα, hoc eſt, ædificia quæ de plano adeuntur. vel, vt ait Tertull. *planitus.* Hoc etiam ſi verum ſit, tamen *planitus* ſignificare magis vt de plano adeantur, perſpicuum eſt. Horatij verſus Serm. lib. 1. Sat. 2. miri ſunt ad hanc rem, quibus vtitur Mercerius,

Matronæ præter faciem nil cernere poſſis,
Cetera (ni Catia eſt) demiſſa veſte tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata (nam te
Hoc facit inſanum) multæ tibi tum officient res,
Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ,
Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla

Contrarij ſunt verſus: ponit enim impedimenta & obſtacula, quibus ne adiri poſſint: contrarium autem dicit Tertullianus, has fœminas omnia ſibi obſtacula ademiſſe. Ceterùm *vt planitus* Noſter, ita *bullitus* Vitruuius lib. 8. cap. 3.

7. SVPPARVM.] Feſtus, *veſtimentum puella-* 200.
rum lineum, quod & ſubucula (id eſt, camiſia) dicitur. Afranius: *Puella non ſum, ſupparo ſi induta ſum.* Lucanus lib. 2.

Colla monile decens, humeríſque hærentia primis
Suppara, nudatos cingunt anguſta lacertos.

Lege etiam cap. 7. de Cultu fœminar.

7. CREPIDVLVM ET CALIENDRVM.] Turneb. legi vult *crepidulam*, Feſtus tamen *crepitulum*: additque *ornamentum capitis: id enim in capitis motu crepitum facit.* Addit, *caliendrum.* Turnebus eſſe dicit capitis operimentum, à Græco κάλυπτρον. eius meminit Arnobius lib. 6. *Falciculæ, clauis, caliendra, fomites, talaria.* & Horat. Sat. 8. lib. 2.

---altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno riſuque iocóque videres.

7. LECTICAS ET SELLAS.] Otiosè putat, 201.
qui eaſdem eſſe exiſtimat, cùm Tertullianus diſcriminet, & Martialis.

Lecticam ſellámque ſequar? nec ferre recuſo,
Per medium pugnans ſed prior ire lutum.

Videndus hac de re Mercurialis cap. 11. lib. 3. de Arte Gymnaſtica. Vbi copiosè diſſerit de geſtatione in lectica, & ſella.

8. ASPICE LVPAS POPVLARIVM LIBIDINVM NVNDINAS.] Arnobius lib. 1. *In ciuitatibus maximis, atque in potentioribus populis ſacra publicè fiunt ſcortis meritoriis quondam, atque in vulgarem libidinem proſtitutis.* Tertullian. de cultu fœminarum: *Publicarum libidinum victimæ.* Firmicus Aſtron. lib. 4. cap. 6. *Erit publica meretrix, & quæ vitæ ſubſidia, in publico conſtituta loco corporei pudoris iactura quærit.* Hieronymus de Monogamia ad Geruntiam: *Si ſcortis melior ſit, ſi publicarum libidinum*

num victimas superet, si vni sit prostituta non pluribus. Libet hîc Porphyrionis auis castitatem narrare, quę si solùm aspexerit meretricem, emori creditur, si Aristoteli & Æliano fides habenda est.

202. 8. LVPAS.] Inde sumpsisse nomen Lupam certum est, quæ Romanis Principibus lac præbuit. Lactãtius lib.1.cap.20. *Romuli nutrix Lupa honoribus est adfecta diuinis, & ferrem si ad animal ipsum fuisset, cuius figuram geris: Auctor est Liuius, Laurentiã esse simulacrum, & quidem non corporis, sed mentis & morum.*

8. FRICTRICES.] Vox impudica fœminarum. *Fricatrices* enim dicuntur fœminæ quæ secum cubant, inde *frictum*. Iuuenal. Sat. 6.

Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat.

Et Mart. *Hic vbi vir non sit, vt sit adulterium.*

203. 8. OCCISÆ IN PVBLICO CASTITATIS.] Hac locutione vsus Greg. Nyss. in re simili virtutum, loquens de inimicitia, in opere de perfecta Christiani forma, ait, Χριστὸς ἦλθεν ἀπέκτινε: *Christus hostilitatem interfecit.* Eandem iterum νεκρὰν vocat, *mortuam.* &, παρὰ τῆς θεοῦ νεκρωθεῖσαν, *occisam à Deo.* Apuleius dixit lib. 5. *Interfecta virginitatis.* Cassianus lib. 5. cap. 16. *Illud enim est cunctorum luctaminum, velut quoddã solidissimum fundamentum, vt primitus carnalium desideriorum incentiua perimantur.* Zeno Veronens. serm. de Spe, Fide, & Charitate: *Supra dicti amoris malè dulcibus venenis occisum, infernæque fedi submersum.* Plaut. Pseud. *Occisa est hæc res.*] Cato: *vita humana prope vti ferrũ est. si exerceas, cõteritur: si non exerceas, tamẽ rubigo interficit. Itidẽ homines exercendo videmus conteri, si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimẽti facit quàm exercitatio.* Cõtrarium erit, salua virtus, salua castitas, id est, viuẽs & vegeta. Ad eũ modũ quo Plaut. Cassin. *Salua spes est.* Sed & Horat. 4. od. 4. *occidit spes omnis.*

8. ASPICE TAMEN.] Sic Apologetic. 6. *Videó & inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum.* Ni cui placebit legere mox, sublimes. Retineo tamen *sublimis*, vt dicat, *sublimis*, id est, oculis, aut limis oculis. Itaque *limis oculis* intueri, id est, auersis oculis & nolens. Adhibétque compositum ad exaggerationem, & dicit oculis *sublimis*. Etenim *limi oculi*, sunt oculi venerei. Quinctilianus lib. 2. cap. 3. *Quadam voluptate suffusi, aut limi & vt sic dicam, Venerei.* Apul. 2. *Ad me conuersa limis & morsicantibus oculis.* Terentius, & Plautus, *limulis* inuenêre. Ille Eun. *limulis adspicere.* Hic Bacch. *Viden, limulis obsecro vt intuentur.* Et Tertullianus, *subìimis* dixit. Ergo Marcilius, qui *sublimes matronas* intellexit, locum hûc non cepit, & insolentia vocis turbauit hominem. Etenim vt *limus* oculus dicitur, ita *sublimus*. Compositis enim pro simplicibus sæpius vtitur. vt *retractare* pro tractare, *respondere* pro spondere, *conuersari* pro versari, *appareo* pro pareo, *abutor* pro vtor.

204. 8. MATRONAS VIDEBIS.] Discrimen inter *lupas* & *matronas* hoc statuit Zosimus lib. 2. Hist. Κωνσταντῖνος ἐξ ὁμιλίας γυναικὸς ὑὸς σεμνῆς, ὑὸς κατὰ νόμον συνελθούσης Κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ γεγονώς. Et paulo pòst: ἐξ ἀσήμου μητρὸς γεγονότ: *Constãtinus natus ex muliere, quæ mater familias non esset, nec in manũ imperatori Constantio legitimè conuenisset. Qui muliere non matrona genitus esset.* Intellige cum *comite* has lupas, quæ factæ matronæ, iuxta Notam Ræuardi lib. 4. cap. 17. qui docet matronas omnes cum comite semper in publico visas.

8. IMMVNDIOREM LOCO CERVICEM MONILIBVS CONSOLATVR.] Propriè enim *monile*, quod ad collum & ceruices. Zeno Veronens. serm. de Iuda: *Monile, fratres dilectissimi, lex est, quæ salutaribus monitis, diuersis virtutibus, diuersoque charismate omnium credentium non colla sed corda decorare cõsueuit.* Et Plaut. in Milit. *Cerulcem meretriciam ipsa lenonis domo immundiorem.* Et *consolatur* ait, nam ipse Plaut. ibid. *Nam ego hãc macharam mihi cõsolari volo.*

205. 8. ARMILLIS.] Sequiori sexui antiquitus in vsu tantùm, mox etiã glisccnte luxuria ad viros traductæ. Suetonius in Caligula: *Sæpè depictas gemmatásque indutus penulas manuleatus & armillatus in publicũ processit.* Necnon à Seneca lib. 2. in sapientem non cadere iniuriã, *hos ipse pellucidus, crepidatus, armillatus.* Æmilius Probus in Artaxerxe: *Optima veste contexit, quam Satrapæ Regis gerere consueuerant. Ornauit torque atque armillis aureis, ceteróque regio cultu.* Cyaxares apud Xenophon. lib. 2. Pædiæ. ἡ χλανὶς λαβὼν, ἣ τρεπτὸν φοιτᾷ. Inde Meursius corrigit illud Plauti Epidic. *Armeam ad te adferre:* nam *armea* est armi ornamentum, inde diminutiuum *armilla.* Vulgares habent *inaurem ad te adferre.* quæ lectio Plauti proba est. non autem damnandi qui legunt, *armeam.*

8. MANVS INSERIT.] Sic rectè scriptum est in libris, malè quidam *manus inserit impuro cruri, purum aut mulleolum inducit calceum.*

8. IMPVRO CRVRI PVRVM AVT MVLLEOLVM INDVCIT CALCEVM.] Dixi iam *purum calceum*, esse album: *mulleolum calceum*, esse mullei coloris. De *puro calceo* res clara: nam quas Plutarchus dixit in Catone, ἐδήτους καθαρὰς, *puras vestes*; easdem in Pompeio vocauit λευκὰς, *albas.* Eustathius in Amoribus lib. 8. in finem λήθων ἢ τοὺς πόδας κεκόσμημαι: *ornatus eram calceo verè:* id est, albo. Virg. 206.

Puráque in veste sacerdos,

Id est alba. Martialis.

Sordidior cœno cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi Cinna niue.

Apuleius lib. 7. *Calceis fœmininis, albis illis & tenuibus indutus.* Ouid. 3. de Arte.

Pes malus in niuea semper celetur aluta.

De *mulleo calceo* sic legitur apud Vopiscum in Aureliano: *Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederaceos, viris omnibus abstulit, mulieribus reliquit.* Apud Plinium lib. 9. cap. 17. *Nomen his Fenestella à colore mulleorum calceamentorum datum putat.* Festus ait, *mulleos calceos* fuisse Regum Albanorum, deinde patriciorum; quos sic appellatos refert à mullando, hoc est, fuendo. Addit tamen Turnebus lib. 19. 24. *Quid tamen si vocati sunt à rubro mulli colore, cùm purpurei essent?* Istud Turnebi verius est, & conformius Isidoro, cui fauet Dio, qui ἐξυδροχόῳ calceatum Iulium refert. Dicit *impuro cruri inducit*, quia apud Romanos calcei magnã crurum partem velabant. Ouid. lib. 3. Amorum.

Pes malus in niuea semper celetur aluta,
Arida nec vinclis crura resolue tuis. 207.

Horatius sat. 6. lib. 1.

Nam vt quisque insanus nigris medium impedit crus
Pellibus.

Horum mentionem facit Heliodorus lib. 3. Hist. Æthiopicæ: κρηπὶς μὲ ἀμφὶς ἰμάντι φοινικῷ διάπλοκος ἀμφὶ ἀστράγαλον ἐσφίγατο: *Ocreæ quidẽ ipsis purpureo loro intertextæ supra talos contrahebantur:* etiamsi *Ocreas* vocet. Et Nicetas Choniates in Andronico, lib. 1. cap. 7. καὶ φορὴν ἡ πάλιν ἠμύνω ἔποχος, μετ' αὐχενίδος σωτηρίου ὁπλίσω στεμμάτων, καὶ πολλῶν κομψῶν θρυλλίων χρυσῷ, ἐς ἄντυγα ἀποληγόντων ἀστράγαλον: *Mulo quidẽ per vrbem vehebatur, cũ pallio quod à tergo nodus astringebat, & elegantibus calceolis auro vsque ad talos interpunctis.* Titinnius. *Iam cũ mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.* Illis vsi sunt Albanorum reges, deinde patricij, vt auctor est Festus. Qui citat verba hæc M. Catonis: *Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, alij vncinatos, ceteri perones;* vt habeas obiter mentionem aliam mulleorũ in re nobili. Porro quos *tibiatim* dixit Titinnius, *suratim* dixit Aldhelm. de Virginit. cap. 19. Dixit præterea *impuro & purum*, alludens credo ad puritatem & impuritatẽ tantopere celebratã veteribus. Plato Phædone, μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ: *Non puro purum nefas sit contingere:* vnde arripuit Synesius in Epistolas: μὰ δῆτα κενὸν εἶναι παθῶν τὴν ψυχὴν, ἢ μέλλουσιν ἔσεσθαι θεῖον θεοῦ. μὴ καθαρῷ γὰρ φησι καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ θεμιτὸν

ꝑ. Animam Dei conceptaculũ futurã, vacuã eſſe oportet ab affectibus; impuro nãque (inquit Plato) *purũ contrectare fas nõ eſt.* Illud denique vſurpauit Clemens Alex. 2. Pædag. & Nazianz. variis in locis, vt meritò poſſim credere ad illud ſpectaſſe Tertullianũ. Perones intelligit Ræuar. per *puros calceos*, non cum Seruio *ruſticos*. Porrò ſi velis exemplum huiuſce mali, in promtu eſt Plaut. apud quem in Caſina Stalino Senex promittit Pardaliſcæ ancillulæ:

Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo, & annulum in digito Aureum, & bona plurima.

Nam videlicet ingenuorũ erãt ſoleæ, & annuli aurei: pro quibus ſerui atque ancillæ geſtabãt ſculponeas, & ferreos annulos. Quòd ſculponeæ eſſent horũ, clarum ex Catone, qui vbi ait familiæ procuranda veſtimenta, inquit: *Sculponeas bonas alternis annis dare oportet*: de aureo annulo id clarũ; aurũ quidẽ habere in peculio ancillę poterãt, nõ tamẽ eo vti in manu; ideo *in digito* ait.

209. 8. OB CVLTVM OMNIA CANDIDATVM.] Ouid. 6. Met. *---Cereriſque ſacerdos*
Alphitus, albenti velatus tempora vitta.
Ouidius in 4. Faſt.
Alba decent Cererem, veſtes Cerealibus albas
Sumite; nunc pulli velleris vſus abeſt.
Ob cultum omnia candidatũ, id eſt, per omnia. Sic Codex Palatinus illud Trebellij Pollionis legit (auctore Salmaſio) *felix omnia, infeliciſſimus Imperator*, quæ Græca locutio eſt, ἡγεμὼν τὰ πάντα εὐδαίμων, τὰ πάντα ἄριστος, *Cætera Graius.*

8. OB NOTAM VITTÆ.] Malunt aliqui *vitæ*. Poſſunt. Sed ego tamen *vittæ* malui. quippe vittæ Cereris celebratæ. Iuuen. ſat. 6.

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.

Et Tertullianus ipſe de Teſtimonio Animæ cap. 2. *& vitta Cæreris redimita.*

210. 8. OB PRIVILEGIVM GALERI.] Sunt qui putent legendum *galericuli*; quoniam ius galeri datũ tantùm flamini diali. Sed quidẽ initiantes Cereri præſignes fuiſſe galero tanquã comites Cereris quærẽtis filiã, res eſt nota. Viantiũ eſt enim. Suetonius cap. 26. Neronis: *Poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo, vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec ſine pernicie tamen.*

8. CERERI INITIANTVR.] Ceritos intelligit, id eſt, lymphaticos. Etenim olim tam Bacchus quàm Ceres pro conuitio ingerebantur in aliquem, cui malè cupiebant. Huiuſmodi homo & *Bacchus* & *Ceres* dicebatur. Apud Plaut. Amphit. *--- tu Bacchus es,*
Haud Amphitruo, quoties tibi dictum vis?
Nominabantur autem *Bacchi*, qui Orgia celebrabant. Suidas. Βάκχος. οὔτως οὐ μόνον τὸν Διόνυσον ἐκάλουν, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια: *Dicebantur Bacchi non ſolùm Dionyſius, ſed & omnes qui Orgia celebrabant.* Similiter qui Cererem colebant *Ceriti* & *lymphatici* dicebantur. Apparet hoc ex Plauto Amphit. vt inquit Meurſius in Mantiſa.

Am. *Quis te miſit Furcifer?* So. *Qui me rogat.*
Am. *Quando gentium?* So. *Dudum, iam pridem, modò, Vbi cum vxore domi rediſti in gratiam.* Am. *Bacchus te irritaſſit.*
So. *Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem.*

Quaſi dicat: neque à Baccho, Bacchus, neque à Cerere, Ceritus nuncupari volo.

211. 8. DIVERSAM AFFECTIONEM VESTIS.] Veſtis quippe affectum indicat, nam qualis illa, talis affectio. Greg. Thaumat. dixit orat. 2. Annũt. σωφροσύνης ἄσπιλον χιτῶνα: *immaculatã temperantiæ veſtem*, indicãs ſcilicet affectũ tẽperantię, verè affectationẽ. *Affectio* enim pro affectatione ſumitur his auctoribꝰ. Sic Seruius *affectores ſtupri* dixit 3. Æn. pro affectatoribꝰ in Phinei fabula.

8. TENEBRICÆ VESTIS.] De hoc inſaniendi more Lactant. lib. 1. c. 12. ita ait: *Alia ſacra virtutis, quã eandẽ Bellonã vocãt; in quibus ipſi ſacerdotes, nõ alieno, ſed ſuo cruore ſacrificãt. Sectis nãq; humeris, & vtraque manu diſtrictos gladios exerẽtes, currũt, efferuntur, inſaniũt.* Mart. l. 11. *Alba nimis ſæuis lacerantur brachia cultris,*
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.
Alluſit Horat. ſat. 3. lib. 2. -- *gaudens Bellona cruentis.* 212.
Et Ammianus, apud quem Iulianus: *Incertúſque de militum fide, placata ritu ſacratiore Bellona.* De his etiam ſacris Tibull. eleg. 6. lib. 1.

Hæc vbi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.

Seneca lib. de Vita beata: *Cùm aliquis ſecandi lacertos ſuos artifex, brachia & humeros ſuſpẽſa manu cruentat.*

8. GALATICI RVBORIS SVPERIECTIO.] De Teſtim. animæ: *pallio Saturni coccinata.* Coccineus enim color (quẽ *Galaticũ ruborẽ* appellat, quia granũ id Galatiæ frequẽs) ſanguinis & cædiũ eſt, ideóque & Imperatoris olim paludamẽtis, ait Plinius, dicatũ coccum. Vidẽdus Lipſ. in Saturn. Fornarius etiã ait, cap. 127. *Galatico rubore* intelligi coccinũ proculdubio. Ab aliquibus legi *Galetici*, quod à Galecia Hiſpaniæ ducunt, teſtificatur Bulẽgerus lib. de venat. Circi. cap. 7. ſed malè: cùm nõ ſolũ in Galecia Hiſpanię, ſed in Galatia coccũ granũ naſcatur. Plinius lib. 16. cap. 8. *coccum Galaciæ rubens granum.*

8. PALLIVM HOC IPSVM MOROSIVS ORDINATVM.] Eſt hoc quod cap. 1. *Palliũ teres, & redundans, tabulata congregatione fuliũ.* Æſculapius etiã (hoc obiter) erat veſte aſtricta & ſuccincta, nõ laxa & duplicata. Inquítque Soranus in eius vita, Senem hũc, ne in operatione impediretur, ſolitũ, pallium in caput reiicere, complicatum. Hinc Statius de Apolline & Æſculapio. *--- ritu ſe cingit vterque Pæonio.*
Et Virg. 12. Æn. de alio medico, *---ille retorto*
Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu, &c.

8. ET CREPIDÆ CRETATÆ.] Legũt aliqui, *& crepidæ* 213.
Græcatæ Græcatim Aeſculapio adulantur. Proculdubio peſſimè, & lectio communis eſt idonea. Neque enim *Græcatas*, ſed *cretatas* dixit Tertullianus: & *adulantur*, quod eſt palponum. Eſt enim *adulari*, accedere & adludere, vt inquit Feſtus. Quin Aeſculapius ita erat dũ viueret. Fuere illæ *cretatæ*, id eſt, candidæ, vt *faſcias cretatas* ad Atticum dixit Cicero lib. 2. Epiſtolarũ. Quin albas interpretatur Ioſephus Vicecomes lib. 5. de Baptiſmo cap. 18. Sed *cretatas* dixit à creta, qua veſtes dealbabantur.

8. GRÆCATIM ÆSCVLAPIO.] Nã crepidæ 214.
Græcorũ calceamenta fuere. Perſius ſat. 1. *Non hic qui in crepidis Græcorũ ludere geſtit.* Ita Suetonius (inquit Baldwinus de Calceo c. 14.) de Tiberio loquens c. 13. *Depoſito patrio habitu redegit ſe ad palliũ & crepidas.* Tiberius enim relicto patrio & Romano habitu Græcũ vſurpauit. Sic Liuius de Scipione lib. 2. *Ipſius Imperatoris nõ Romanus modò, ſed ne militaris quidẽ cultus abſtabatur, cũ pallio crepidiſque inambulare in gymnaſio.* Et *Græcatim* ait, forma diminuente, quaſi dicat, Græculo ritu. Forma verò, ſi quis quærat, qualis fuerit crepidarũ, ea fuit qua nunc cernimus Capucinorũ ſoleas & ſandalia. Docet autẽ Ioſephus Vicecomes, vbi ſuprà, quemadmodum initiatis Æſculapio, calceamenta dabãtur, ita etiã calceamẽta data catechumenis initio naſcentis Eccleſiæ; de quibus ita loquitur Rupertus Abbas lib. 7. c. 1. vbi agit de ritibus bapt. *Proculdubio calceamẽta accipit in pedibus; calceamẽta nãque de mortuis animalibus fiunt, & hæc manifeſtè Dominicæ mortis inſignia ſunt.* Agit de Catechumeno. Hæc ſeptẽ diebus geſtabãt, poſtea deponebantur ad ſacrũ fontẽ baptiſmi; deſitus autem eſt mos, introducto in Eccleſia paruulorum & infantium baptiſmo. Lege eundem; eſt enim doctum caput.

9. QVANTO TVNC MAGIS ARGVAS 215.
ILLVD?] Legunt aliqui, *quanto tunc magis vrgeas illud, & vrges oculis*, &c. Ineptiſſima reſcriptio, & lectio communis veriſſima. Quanto tunc magis argue-

res nos, si vt vos in vestris, sic nos in nostris sacris tam variè habitum mutaremus, & modò albati, modò atrati, rursus coccinati, deinde palliati & crepidati essemus, vt vos in sacris vestris Cereris, Bellonæ, Saturni, Æsculapij? & ecce quasi pro noxio vrgetis me, quòd mutauerim togam pallio. vocat verò, *simplicis & inaffectatæ superstitionis*, Christianam. Est verò ac si diceret: quam vos superstitionem dicitis, cùm sit religio. Ita fermè Marcilius.

9. VRGES OCVLIS.] Heliodor. lib. 1. Hist. Æthiop. ἐξωὺ ἐπιβάλλει τὸν ὀφθαλμόν. *Acrem iniecit oculum.*

9. ENIMVERO CVM HANC PRIMVM SAPIENTIAM VESTIT, &c.] Nam antiqui Philosophi pallio induebantur. Apul. lib. II. *Qui pallio baculoque, & baxeis, & hircino barbitio Philosophum fingeret.* Photius post adductam Damasii opinionem, subdit ipse, ὥστε ἰῶ καὶ πείθων ῥητορικὸς, ὡς καὶ φιλόσοφος: *Quare Pallium fuit oratorium vt & Philosophicũ.* Epictetus apud Arrianum. Multi, inquit, ἐυθὺς ἀναλαβόντες τρίβωνα, καὶ πώγωνα καθέντες, φασὶν, ἐγὼ φιλόσοφός εἰμι: *statim arripientes pallium, & barba promissa se ostentãtes, inquiunt, philosophus ego sum.* Sed de hac re alibi.

9. SVPERSTITIONIBVS.] Aduertatur vox hæc in malã partem; nam aliquãdo in bonã sumitur. Itaque cùm ait Cicero lib. 1. de Diuinat. *Superstitiosas ariolationes*, vaticinationes sunt diuinæ & fatiloquæ. nam *superstitiosus* pro fatiloquo frequẽs est veteribus.

216. 9. SVPERQVE OMNES APICES ET TITVLOS SACER SVGGESTVS.] Vox *titulos* ferenda est, magis tamen placet, vt legas *tutulos*. Sacerdotes caput operibãt tutulis, qui & inde *tutulati* apud Varronem. Tria enim genera pileorum fuerunt antiquis, sacerdotibus, *Apex. Tutulus, Galerus. Apex*, fuit lanata virgula in summo pileo eminens: *tutulus* pileum lanatum metæ figura: *Galerus*, pileus ex pelle hostiæ cæsæ. *Suggestus* quidem pro quauis textura. Glossæ, *suggestũ*, σῶμα, ὕφος. & ὕφος, *textura*. Sic itaque, *suggestus* pro textu pallij lanei. Sæpissimè Tertull. pro quauis veste.

9. RENVNTIATOREM.] Conatur persuadere Iosephus Vicecomes, lib. de Baptismo 2. cap. 22. Pallium indutum Tertulliano, cùm erat catechumenus, ac propterea dictum: *Suadeo, reuerere habitum, vnius interim erroris tui renuntiatorem.* Quò trahit illud 6. cap. *Gaude pallium & exulta, melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cepisti.* Huc confert illud Seueri Sulpitij in vita S. Martini: *Martinum in veste horrida, nigro & pendulo pallio circumtectum.* Adducit etiam Nyssenum & Nazianz. qui idem videntur dicere. Contenditque, non solùm Tertulliano, sed vniuersim omnibus hoc indumentum fuisse. Sed frustra contendit: nam tametsi demus Tertulliano illud sumptum, cùm erat catechumenus, & in Africa fortasse id vsus erat; sed de omnibus non procedit argumentum; cùm clarè constet, Christianos, cùm erant catechumeni, eodem habitu quo priùs fuisse, nulla re mutata, vt iam à me alibi probatum est.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Molestiam Togæ, simplicitatem ac facilitatem Pallij indicat.

TERTVLLIANVS.

217. 1. TAmẽ inquis: *ita à toga ad Palliũ?* Quid enim si & à diademate, & à sceptro? An aliter mutauit Anacharsis, cùm regno Scythiæ philosophiã præuertit? Nulla in melius transgressus sint signa: est habitus iste quod faciat. Priùs etiam ad simplicem specta telam eius: nullo tædio constat, adeò nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totúmque contracti vmbonis figmentum custodibus forcipibus assignet: dehinc diluculo (tunica priùs cingulo correpta, quam præstabat moderatiorem texuisse) recognito rursus vmbone, & si quid exorbitauit, reformato, partem quidem de læuo promittat, ambitum verò eius ex quo sinus nascitur, iam deficientibus tabulis, retrahat à scapulis, & excusa dextera in læuam adhuc congerat cum alio pari tabulato in terga dimoto, atque ita hominem sarcina vestiat.

EXPLICATIO.

218. 1. *TAmen*, &c. Post tot audita adhuc regeris, *ita*, &c. Est *tamen*, inquis, tamen; non: inquis, tamen ita, &c. *Quid enim*, &c. Quid mirum si transitus fit à toga ad Pallium, cùm fiat etiam *à diademate & sceptro?* vt accidit Anacharsi, *cùm regno Scythiæ philosophiã præuertit* & anteposuit? *Nulla in*, &c. Esto nihil significet pallium, nulla sint transitionis huius signa, cùm toga mutatur pallium; atqui est aliquid in quo vtile sit pallium. *Priùs etiam*, &c. Respice ante omnia simplicitatem eius (*la hechura llana y sencilla*) *nullo constat tædio* & morositate, neq; opus est *artifice* aliquo, qui *pridie*, id est ante diem sumẽdæ togæ, *rugas ab exordio* de nouo *formet*, & inde rugas illas faciat deorsum latiores tibias, *totúmque contracti vmbonis figmentum* quà sunt tiliæ, *assignet forcipibus*, quæ custodiant opus illud tiliatum & vmbonatũ. *Dehinc diluculo*, &c. Mox verò *diluculo* eius diei, quo imponẽda toga, (*cingulo priùs* succincta *tunica, quam* oportuerat breuiorem *texuisse*, ne opus esset ea cinctione) *recognito vmbone*, id est, parte illa togæ circa collum tiliata, & si qua tilia turbata est & *exorbitauit*, reformata, *partem quidem* vmbonis *de læuo* humero deorsum mittat, *ambitum verò eius* vmbonis, *ex quo sinus* (id est, pars togę nõ tiliata) *nascitur, deficientibus tabulis* (vbi nullæ iam tabulæ, siue tiliæ) *à scapulis retrahat, & excusa* extra ambitũ *dextera* scapula, *in læuũ adhuc congerat, cum alio pari tabulato* reiecto in terga, *atque ita hominem* non tam vestis quàm *sarcina* tabularum ante & retro *vestiat*. Est *sinus togæ*, quicquid redundat in toga, cùm hominẽ vestit. Quod fit palam ex historia Suetonij in Iulio, cap. 82. qui ait de illo, *toga caput obvoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quò honestiùs caderet.*

219. 2. Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te priùs in toga sentias, indutúmne an onustum? habere vestem, an baiulare? Si negabis, domum consequar, videbo quid statim à limine properes: nullius profectò alterius induméti expositio quàm togæ gratulatur. Calceos nihil dicimus, propriũ togæ tormentũ, immundissimá pedũ tutelá, verùm & falsã. Quẽ enim nó expediat in algore & ardore rigere nudipedé, quàm in calceo vncipedé. Magnũ incessui munimentũ sutrinæ Veneriæ prospexêre, perones effœminatos.

220. 2. *Conſcientiam denique*,&c. Te ipſum rogabo,*ſentias* ne magis te *onuſtum*, *an indutum?* Quod ſi negas, *domum* ego te perſequar, & videbo quid priùs geſtias deponere. proculdubio nihil aliud quàm togam. *Properes*, ſupple deponere. *Gratulatur*, grata eſt. *Calceos nihil*, &c. Nihil loquar de calceis,qui *tormentum* ſunt togatorum, quoniam pedum tutela ſunt immunda, nam illos geſtantibus olidi ſunt pedes ſudore; & adhuc falſa, quoniam à figura pedis diſcrepant. *Quem enim non expediat* in ſummo rigore,& ſummo ardore ſiccari nudo pede, quàm vnco pede in calceo repando? *Magnum* quippe (ſatyricè hoc & mordaciter) inuenêre *munimentum* ſutrinæ Deæ Veneris cùm inuenere *effœminatos perones*,calceóſque illos verè effœminatorũ. Dicit quippe *effœminatos* calceos virorum,quia tegebant totũ pedem,vt calcei fœminarum. Inde etiam *Veneriam ſutrinam* vocat,id eſt, Romanam,quia calcei virorum erant inſtar fœminarum. Pedes enim magis nudos vocat infrà *viriles*. Ergo *pedes effœminati* ſunt fœminarum,qui erant vt noſtrates; *pedes viriles*, qui tantùm ſolea tegebantur, & deſuper nudi erant. Increpat itaque viros, quibus totus pes erat tectus.

221. 3. At enim Pallio nihil expeditius, etiamſi duplex; quod, Cratetis more, nuſquam veſtiendo componitur. Quippe tota molitio eius operire eſt ſolutim, id eſt, vno circumiectu, licèt quidem nuſquam inhumano; ita omnia hominis ſimul contegit. Humerum velãs, exponit, vel includit: cetero quà in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumſtringit, nihil de tabularum fide laborat, facilè ſeſe regit, facilè reficit. etiam cùm reponitur, nulli cippo in craſtinum demandatur. Si quid interulæ ſupereſt, vacat zonæ tormentum: ſi quid calceatus inducitur, mundiſsimum opus eſt, aut pedes nudi magis, certè viriles magis quàm in calceis.

222. 3. Hactenus narrauit togæ & calceorum incommoda, nunc Pallij vtilitates. Quo *expeditius nihil, etiãſi* ex panno duplici, *quod* Cynico *Cratetis more* geſtatur, *nuſquam*, id eſt, nulla ſui parte *componitur* tiliis ad veſtiendum. *Quippe tota eius molitio* dum ſumitur, in hoc eſt poſita vt operiat *ſolutim*, id eſt, vnico *circumiectu*; qui quidem circumiectus nulla ſui parte inhumanus eſt: *ita* videlicet *omnia hominis* membra *contegit*. *Humerum velans*, &c. Imprimis in humero acquieſcens, *exponit vel includit*, id eſt, *exponit* illum in publicum, ſi velit domo exire; *vel includit* domi; ita bene ornatus eſt *vno circumiectu* Pallij. Ceterùm *qua* parte *in humerum adhæret*, *nihil circumfulcit* humeris, *facilè ſe ſe regit* ac continet ſine vllius rei cura, *facilè reficit* ſine forcipibus. Cùm domi aſſeruatur, nulli preſſorio committitur vt ſplendeat. Si interula tunicáve longiuſcula eſt, nihil opus cingi eam, quia tota pallio tegitur. Si genus aliquod calceamenti *inducitur* pedibus, *mundiſſimùm opus eſt*, nempe ſandalium; aut dici poſſunt *pedes nudi* cum ſandalio, *certè viriles magis quàm in calceis* effœminatorum peronibúſque. vel legi poſſet ita: *Si quid calceatus inducitur, mundiſſimum opus eſt; aut pedes nudi, magis; certè viriles magis quàm in calceis*. Vt ſententia ſit: Si quid inducitur calceamentorum, quale ſandalium, mundiſſimum eſt opus; aut ſi nihil omnino geſtat in pedibus, ita vt nudi ſint, hoc magis mundum eſt opus; ſi autem neges hanc munditiem, certè non poteris negare virilitatem; virilius eſt enim nudo omnino pede ambulare, quàm calceatum.

223. 4. Hæc pro Pallio interim, quantum nomine concitaſti. Iam verò & de negotio prouocat. Ego, inquit, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio advigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſeruo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, cauſſas non elatro, non iudico, non milito, non regno, ſeceſsi de populo. Imò vnicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo quàm ne curem. Vita meliore magis in ſeceſſu fruare quàm in prõptu: ſed ignaua infamíque: ſcilicet patriæ, & imperio, reíque publicæ viuendum. Errat olim iſta ſententia: (Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi.) Certè cùm ad Epicuros & Zenonas ventũ eſt, ſapientes vocas totum quietis magiſterium, qui eam ſummæ atque vnicæ voluptatis nomine conſeruauêre.

224. 4. *Quantum*, in quantum, quatenus tu id. *Nihil officio aduigilo*, non ſurgo media nocte ad ſalutationes antelucanas. *Prætoria*, in quibus Prætor ius dicit: vt Cicero orat. 7. in Verrem: *Procedit iſte repentè è prætorio*. Sequitur: *Cancellos*, tabularia populi, archia principis: vulgus vocat *cancellariam*. *Cauſſas non elatro*, vt rabulæ forenſes. *Vita meliore*, &c. Meliore, inquit, via & vita fruare in ſecreto, quàm in publico. *Sed ignaua*, &c. Sunt verba Togæ obiectantis, verum eſſe in ſecreto frui melius vita quàm in publico; ſed ignaua erit ea vita & via, & ſatis infamis, cùm ſcilicet ſeruiendum ſit patriæ, imperio, reip. *Errat olim*, &c. Reſpondet Pallium pro ſe, vel, ſi mauis, Tertullianus. *Errat* exerrátque *olim iſta ſententia*: nam certè qui *ſibi moriturus* eſt, *alij* non *naſcitur*. Præſertim cùm, ſi Epicureos conſulas & Zenonas Stoicos, inuenias magiſtros eſſe ſapiẽtiæ, qui in quiete viuunt, & quietem *conſeruauere nomine* ſummæ atque vnicæ *voluptatis*.

225. 5. Tamen propemodum mihi licebit in publicum prodeſſe. Soleo de qualibet margine vel area medicinas moribus dicere: quæ feliciùs publicis rebus & ciuitatibus & imperiis bonas valetudines conferent, quàm tuæ operæ. Quippe ſi pergam ad acuta tecũ, plus togæ læsêre remp. quàm loricæ. Atquin nullis vitiis, nullis veternis parco, nulli petigini adulor, adigo cauterẽ ambitioni; qua M. Tullius quingẽtis millibus nũmum orbem citri emit, qua bis tantũ Aſinius Gallus pro menſa eiuſdẽ Mauritaniæ numerat.

226. 5. *Margine vel area*, loco ſuperiore, vel plano. *Nullis vitiis*, *nullis veternis parco*. Nulli cauſſationi & ignauiæ parco. *Nulli impetigini adulor*, glorioſæ procerum loquacitati, quæ quaſi impetigo eſt, nulla laudatione blandior. *Adigo cauterem*, &c. Applico cauterium, & quaſi vrentem obiurgationem, ambitioni, qua Tullius emit menſam citream quingentis millibus num-

morum, aureis quaſi decies mille. *Qua bis*, &c. Aſinius Gallus nobilis Orator & Poëta, bis eandem pecuniam numerat pro menſa citrea eiuſdem Mauritaniæ: vnde ſuam quoque ſumpſit Cicero.

227. 6. Hem, quantis facultatibus æſtimauêre ligneas maculas? Item qua lances centenarii ponderis Sulla molitur. Vereor ſanè ne parua ſit iſta trutina, cùm Druſillanus, equidem ſeruus Claudii, quingenariam promulſidem ædificat, ſuprà ſcriptis fortaſſe menſis neceſſariam; cui ſi officina extructa eſt, debuit & triclinium. Immergo æquè ſcalpellum acerbitati ei qua Vedius Pollio ſeruos murænis inuadendos obiectabat, noua ſcilicet ſæuitia delectatus, teneræ beſtiæ, exedentulæ, & exunguis, & excornis: de piſcibus placuit feras cogere, vtique ſtatim coquendis, vt in viſceribus earum aliquid de ſeruorum ſuorum corporibus & ipſe guſtaret.

228. 6. *Hem*, vox iraſcentis. *Item qua lances*, &c. Legunt aliqui fortaſſe meliùs, *qua lance lances*, &c. vt dicat, item quanta lance C. Cornelius *Sulla lances molitur.* quanta bilance eſt opus ad *lances centenarij ponderis* moliendas. *Seruus Claudij*, fuit Druſillanus libertus Claudij Imperatoris, Hiſpaniæ procurator. *Promulſidem*: eſt promulſidaria lanx, ſiue lanx ad promulſidem, condimentum dulce. *Suprà dictis*: M. Ciceronis, & Aſinij Galli. *Inuadendos*, vt à feris in arena. *Feras cogere*, per vim facere beſtias quaſi amphitheatrales. *vtique ſtatim coquendis*, ſtatim coquuntur piſces; ac perinde credibile eſt, cùm ſtatim poſtquam cocti ſunt, inijciuntur in ſtomachum, aliquid hominem guſtare de carnibus hominum.

229. 7. Præcidam gulam, qua Hortenſius orator primus pauum cibi cauſſa potuit occidere; qua Auſidius Lurco primus ſagina corpora vitiauit, & coactis alimentis, in adulterinum prouexit ſaporem; qua Aſinius Celer mulli vnius obſonium VI. H. S. detulit: qua Æſopus hiſtrio ex auibus eiuſdem pretioſitatis, vt canoris & loquacibus, quibuſque ſexcentorum millium patinam conflauit: qua filius eius poſt tale pulpamentum potuit aliquid ſumptuoſius eſurire: margarita namque vel ipſo nomine pretioſa dehauſit, credo ne mendiciùs patre cœnaſſet.

230. 7. *Præcidam gulam*, Tranſit ad ſartaginum pernicies, offularum carptores, gularum abliguritores, gurgitum tuburcinatores, denique ad illos qui verè ſunt aſſertores ventris. *Sagina*, fartura, *corpora* pecudum *vitiauit. Prouexit*, eſt, porro vexit, & longè mutauit *ſaporem. Mulli vnius*, id eſt, triglæ vnius VI. H. S. id eſt, ſex nummorum ſeſtertiorum millibus, quaſi aureis CCLXXV. *detulit* verò, eſt, quaſi domum tulit. *Quibuſque ſexcentorum millium*, omnis generis hominibus *ſexcentorum millium patinam* confecit. *Filius eius*, Aeſopus. *Margarita namque*, vniones vel ipſo nomine pretioſos, (ſic dictos quòd vnici reperiantur in conchis,) dilutos aceto ebibit atque hauſit.

231. 8. Taceo Nerones, & Apicios, & Rufos. Dabo catharticum impuritati Scauri, & aleæ Curii, & vinolentiæ Antonii. Et memento iſtos interim ex multis togatos fuiſſe, quales apud Pallium haud facilè. Has purulentias ciuitatis quis eliciet & exvaporabit, ni ſermo palliatus?

8. Taceo Neronem Imperatorem, Apicios tres, Rufum vnum. Dabo purgatiuum medicamentum nequitię Mamerci, Scauri, & aleę Q. Curij, & vinolentiæ III. viri Antonij, Antonij (inquam) qui fuit triumuir. Et tu interim togate mineris multos ex his togatos fuiſſe, nec facilè in Pallio inueneris. Quis igitur tandem purulentæ ciuitatis immunditias eliciet, quis illas vt minùs ſint olidæ, exvaporabit, niſi ſermo philoſophicus & Chriſtianus?

NOTÆ.

232. 1. A TOGA AD PALLIVM.] Sermo prouerbialis, & hunc firmat tota ſatyra antecedens. Nicetas Choniates in vita Iſaaci lib. 3. cap. 2. τὸ κατὰ Χριστὸν ἀνθρώπειον: *Induit Pallium Chriſtianum. Tamen*, coniungo cum *inquis.*

1. ANACHARSIS.] Videndus Herodotus in Melpomene, Lactantius lib. 3. c. 24. Hic enim tutor regni Scythici futurus depoſuit eam curam. Sidonius Paneg. Anthemij.

Quidquid laudatum eſt, Scythicis Anacharſis in aruis. Etenim pro ſymbolo ponitur humanarum rerum, ſic Cappadocia improbitate morum infamis, Baſilium verè Magnum tulit, & huic parem Nazianzenum.

1. SCYTHIÆ.] Tertullianus in Marcionē, *Scytha tetrior* dixit. De efferatis moribus Scytharum luculentum extat teſtimonium ab vno Ouidio: ſed non id quæritur ab legentibus Tertull.

1. EST HABITVS, &c.] Legit Iunius hunc locum: *Eſt habitus iſte quod faciat prius? etiam ad ſimplicem ſpectatelam eius*, & vnica dictione *ſpectatelam* legit. Nulla ſatis verba eſſe poſſunt, quibus vituperem hanc lectionem, cùm textum confundat, & longiſſimè recedat à ſenſu Tertulliani. Legi poſſet, *eſt habitus iſte quod faciat prius; etiam ad ſimplicem ſpecta telam.* Vt dicat: Eſto nulla ſint ſigna Pallij trāsgreſſus in melius, tamen eſt habitus iſte quod faciat prius, id eſt, melius & præſtantius, quàm toga. *Etiam ad ſimplicem*, &c. vel, ad ſimplicem telam eius ſpecta, &c. 233.

1. NEC ARTIFICE NECESSE EST, &c.] Idem Iunius *artificem*, & ſubaudit verbum *habere.* Nō eſt neceſſe. & Atticè loquitur, quo *neceſſe eſt*, pro, opus eſt, accipit, ἔστι τεχνίτου χρεὼ. Sic Iliad. 9.

--- βουλῆς χρεὼ πάσης Ἀχαιοῖς
Ἐσθλῆς ἠδ' ἁπλοΐης·

Bono & ſapiente neceſſe eſt conſilio cunctis Græcis. Sic Marcilius. Qui ſanè artifex componat rugas. Sunt *rugæ* inchoatæ, tiliæ ſiue philyræ perfectæ. Macrob. lib. 3. c. 23. vbi de Hortenſio effœminato : *Togam corpori ſic applicabat, vt rugas non fortè, ſed induſtria locatas artifex nodus aſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens modo lateris ambiret.* Apuleius lib. 11. Iſidis pallam deſcribens: *Palla nigerrima, ſplendeſcens atro nitore, quæ circum circa remeans, & ſub dextrum latus ad humerum læuum recurrens, vmbonis vice, deiecta parte laciniæ, multiplici contabulatione dependula, ad vltimas oras nodulis ſimbriarum decoriter conſluctuabat.* Hæc Apul. ex
234. cuius verbis, *quæ circum circa remeans*, & ſtatim *recurrens*, &c. percipi poteſt (ait Marcilius) quemadmodum in toga duplex circumiectio ſit, cùm Pallij vna, vt poſtea dicturus eſt Tertullianus. Eſt *vmbo* ſinus togæ: ſed quia ſinus eſt precipua togæ pars, & in pectore, atque anteriùs in oculos incurrens, toga ipſa dicitur quoque *vmbo*. Dictus verò *vmbo*, quia quod eſt vmbo B in clypeo, id eſt in toga ſinus, nempe medium, & quaſi vmbilicus. Quoniam itaque (inquit idem) toga tota *vmbo* dicitur, Tertullianus tabulatam eius partem diſtinguens à ſinu ſiue vmbone propriè dicto, *vmbonem* vocauit *contractum*, quia duplex vmbo, vnus contractus in tilias, alter explicatus in ſinum. Et hoc totum vmbonis figmentum forcipibus aſſignatum; nam, vt ait Quintilianus, lib. 11. cap. 3. *Ipſam togam rotundam eſſe, & aptè caſam velim; aliter enim multis modis fiet enormis.* Hic ſcilicet (inquit Mercerius) eſt vſus forcipum. *Forcipes* enim ſunt fibulæ, quibus redundantia togæ circa humeros reprimebatur colligebatúrque. Niſi dicas, *forcipes cuſtodes* eſſe, quod infrà ait *cippus*, metaphoricè pro prælo.

235. 1. DEHINC DILVCVLO, &c.] Similis formæ argumẽtum, etiamſi mutata materia, tractat Seneca lib. de Breuit. vitæ, cap. 12. vt enim hîc ait Tertullia- C nus, ſummo mane recognoſci veſtem, vt ſi quid exorbitauit, reformetur; ita Seneca ſcribit fieri à nonnullis in curando capillo, *quibus apud tonſorem multa horæ tranſmittuntur, dum decerpitur ſi quid proxima nocte ſuccreuit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut diſiecta coma reſtituitur*, &c.

1. TABVLIS.] Nunc dicit *tabulas*, quas ante *tilias*. Et inepto diſcrimine aliqui res differentes fecêre. *Tabula* autem à re ruſtica ſumitur. Zeno Veronenſ. ſerm. in Pſalmum 79. *At vbi vindemiæ venerit tempus, decore diſſipato paſſim vbi detrahitur, in torcularique operariorum pedibus ſubiecta calcatur, prælo premitur, duabúſque tabulis vehementer vrgetur, donec omnis dulcedo medullitus exigatur.*

1. ET EXCLVSA DEXTERA IN LÆVAM ADHVC CONGERAT CVM ALIO PARI TABVLATO.] Ammianus lib. 14. *Alij ſummum decus in carrucis ſolito altioribus, & ambitioſo veſtium* D *cultu ponentes, ſudant ſub ponderibus lacernarum, quas in colli exſerta fibulis ipſis adnectant, nimia ſub tegminum tenuitate perunia, filis extantes crebris à locis omnibus, maximéque à ſiniſtra: vt longioris ſimbriæ tunicæ perſpicua luceant varietate liciorum, effigiatæ in ſpecies animalium multiformes.*

236. 1. IN TERGA DIMOTO.] Alij, *in tergo deuoto*, ferendum eſt, ita vt dicat, *in tergo deuoto*; in tergo addicto & deuoto illi ſarcinæ, cui ſarcinæ deuotum eſt tergum. Ad eum modum quo narrat Athen. lib. 6. eos homines, qui cum Rege Galliæ viuunt, ab eius voluntate nunquam diſcrepare; ita vt parati ſint, illo mortuo, mori quoque: hos *deuotos* dicunt Latini.

1. SARCINA.] Legit Iunius *farcinam*: cui lectioni nemo Tertulliano meliùs obuiam it, cùm ſtatim ait, *onuſtum*. Ammianus lib. 14. *Sudant ſub ponderibus lacernarum*, &c. Terentius Phormione. *Humerum hũc onero pallio*. ita legendum, non *exonero*, vt malè Glareanus. Poteſt eſſe *ſarcina* ablatiuus, ita vt artifex veſtiat hominem ſarcinâ.

2. BAIVLARE.] Βαστάζειν, ſic *baiuli*, βαστάζοντες. *Tu veſtem non habes, ſed baiulus es, immenſi ponderis.* Non diſſidet ſententia Ambroſ. qui lib. 1. de Virginit. loquens de fœminis, quæ plenæ auro, gemmis, monilibus, ita ait: *Certè laceræ vulneribus aures, & depreſſæ onera miſeræ cerui cis, non ſunt alleuamenta pœnarum, ſed diſcrimina metallorum. Hinc collum catena conſtringit, inde pedes compes includit. Nihil refert auro corpus oneretur aut ferro. Si ceruix premitur, ſi grauatur inceſſus, nil pretium iuuat.*

2. TORMENTVM.] Ambroſ. lib. de Virgin. Ornatus nimios *tormenta* vocat.

2. QVEM ENIM NON EXPEDIAT, &c.] Satis innuit nudos pedes geſtare ſolitos, qui propriè eſſent Chriſtiani. Id ſatis ex Luciano conſtat, qui habitum Chriſtiani deſcribens, vt irrideat in Philop. *Pallium putre, ſine calceis & tegmine, capite detonſo incedens.* & Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 11. *Optimum genus exercitationis eſt nudis vti pedibus, & ad ſanitatem, & ad expeditam facilitatem, vbi non prohibeat neceſſitas.* Hîc breuiter adnota, Dominum, apud Matthæum, miſiſſe Apoſtolos abſque calceis, & ſine virga; apud Marcum verò, ſandaliis calceatos & cum virga. Etenim Marcus interpres fuit Matthæi: & quia miſit illos Dominus cum ſandaliis; dixit Marcus calceatos; quod tamen calcei genus, cùm ſolùm plantam tegeret, & vile eſſet, abſque calceis dici potetant mitti à Matthæo. & quia virga eſt duplex; vna ad cædendum & pulſandum, altera ad ſuſtentandum; prima eſt prohibita, altera conceſſa. Hæc latiùs Auguſtinus lib. 2. de Conc. Euangeliſtarum, cap. 29.

2. VNCIPEDEM.] Erant quippe Romani calcei 237.
vncinati, & repandi, ac perinde pes cogebatur eſſe vn- C cus ad formam vnci calcei, qui erat ad calcaneum altus & præcelſus, ad digitos inflexus & depreſſus. Hi calcei viſuntur in antiquis ſignis. Erant etiam & Deorum. Certè Iunoni hoſpitæ *calceos repandos* dat Tullius lib. 1. de Nat. Deorũ. Tales hodie videri Sarmatũ calceos atteſtatur Iunius. Cùm hoc ſit veriſſimum, nequeo ferre Ioſ. Scaligeri emendationem, qui ita in Catone legit apud Feſtum : *Qui magiſtratum curulem cepiſſet, calceos mulleos, alij vncinatos, ceteri Romani perones.* Sententia eſt, mulleos fuiſſe magiſtratuum curulium; vncinatos, magiſtratuum non curulium; perones, reliquorum Romanorum. Hoc (inquam) falſum eſt: nam neque vncinati fuerũt aliquorũ, ſed vulgò omnium Romanorũ: neque perones fuerunt vulgò vſurpati. Itaque duplex eſt error. Vides enim in Tertulliano dici *calceos vncinatos* proprium tormentum togatorum, id eſt, Romanorum. Vulgò ergo vſurpati ab omnibus. Deinde cur *vncinati calcei* eſſent mi- D
nùs illuſtrium, cùm vſurparentur etiam à Diis, vt vi- 238.
ſum iam ab Tullio? & hîc integrum repeto, quia neceſſarium: *Noſtram Soſpitam nunquam ne in ſomnis quidem vides, niſi cum haſta, cum ſcutulo, cum calceis repandis.* Sanè Catonis locus legendus eſt, vt repræſentatus à me eſt, ad lib. 7. Æneid. vbi de peronibus ſum locutus. Hi porro *vncinati calcei* videntur perſeueraſſe longo deinde ſequente æuo; nam inter decreta Concilij Senonenſis (ait Balduinus lib. de Calceo) ita leges c. 24. *Non caligas partitas, aut ſcacatas* (Clerici) *aſſumant, neque circa genu diſſutas: non lunatis, ſeu cornutis, ac nimis feneſtratis calceis vtantur.* Quinam obſecro calcei *cornuti*, niſi repandi, reflexi, vncinati, & ad tormentum pedis? Ad finem moneo, eſſe aliquem, qui legat (auctore Balduino de Calceo c. 12.) *vngipedem*, cuius adhibet hanc rationem, vt ſic eam vngendorum pedum perſtringat conſuetudinem. Sic Lucretius cùm dixit lib. 4.

Vnguenta & pulcra in pedibus Sicyonia rident.

Etenim veteres ſolebant vnguento, antequam calcearentur, pedes vngere; vt ex Athenæo conſtat: qui morem hunc ad mollitiem transfert. A

239. 2. MAGNVM INCESSVI, &c.] *Pero* fuit ruſticum calceamentum, vt Perſ. Sat. 5.

Peronatus arator.

Et Iuuenalis Sat. 14.

Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi.

Peales Hiſpanos poſſes nuncupare. *Pero* tamen inter delicata calceamenta. Vides hîc *perones effœminatos*, qnales videlicet hodie noſtrorum omnium ſunt calcei, ita vt tegant totum pedem; hos fœminæ ferebant, vt nunc etiam. Reprehendit verò viros qui vterentur calceis fœmineis: quorum eſſet alia ratio, vt ſatis explicui. Tert. de Habit. Mul. *Latent in cingulis ſmaragdi, & cylindros vaginæ ſuæ ſolus gladius ſub ſinu nouit, & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt.*

240. 3. CRATETIS.] Nam duplex erat Cynicis Pallium vt Crateti; vnde Horat. lib. 1. epiſt. 17. B

Contra quam duplici panno patientia velat.

Omnes autem clamant, Cratetem nuptiis hoc pallium vſurpaſſe. Tatianus. Τίς δὲ αὖ ὀπμαρτυρήσει τῇ Κράτητος κοινογαμίᾳ; ᾗ οὐ μᾶλλον παραιτησάμενος τὸν ἔντυφον τῆ ὁμοίων ἀπτῶ γλωττομανίαν ὁπὶ τὸ ζητεῖν τὸ καθ' ἁλήθειαν ἀπυδεῖον πρέψει); *Quis autem ſubſcribat communibus nuptiis, quas Crates probauit: & non potiùs reiecta eius & ſimilium ſuperba inſanáque loquacitate, ad inquirenda verè bona ſtudióque digna ſe conuertat?* Attende autem ſenſum: illa *Cratetis more*, inter duplicem diſtinctionem conieci. Itaque nuſquam Cynici componebant pallium: tantùm ait, pallio nihil eſt expeditius, etiam ſi ſit duplex, quod Crates Cynicus geſtabat. Finge abeſſe ea verba, & dicere, *At enim pallio nihil expeditius, etiam ſi duplex, quod nuſquam veſtiendo componitur.* Ergo, *Cratetis more*, eſt, quod Crates geſtabat. Aduerte etiam, ad eos philoſophos reſpexiſſe Paullinum epiſt. C 1. ad Seuerum; qui duplex pallium geſtabant; cùm ait: *Curres, & non laſſaberis: ambulabis, & non deficies: non te virga, non pera, non ſaccului prægrauabit: non calceamenta, nec duplex veſtis impediet.* Reſpexit, inquam, ad Cratetem, & Cynicos; nam cum veſte duplici ponit reliquum apparatum philoſophorum. Creſolius Noſter lib. 3. Rhetor. cap. 16. adducit etiam Antipatrum, qui διπλοΐδα dixit, & διπλάσιον,, & δίπλοον εἶμα σοφοῦ. & Heſychium, qui δίκολον χλαῖναν, hoc eſt, διπλῆ, & Plutarchum qui δίκολλαν: & Laertium qui de Diogene, πρῶτον διπλώσας τρῖβωνα: *Pallium primus duplicauit.* Notat etiam hoc genus duplicis Pallij dictum *Abollam.* Quam ad rem adducit Seruium, qui 5. Æneid. illud Iuuen. Satyr. 3. *Maioris abollæ*, duplex Pallium eſſe ait, ex Scholiaſte. Et Taubmannus illud Virgil. 5. Æn. *duplicem ex humeris reiecit amictum*, explicat, *abollam.*

241. 3. HVMERVM VELANS, EXPONIT VEL D INCLVDIT.] Velato humero, ille aptus eſt vt exponatur in publicum, vel domi ſe contineat. Itaque non eſt ſenſus, vt vult Marcilius, quòd nudet hominẽ, vel celet. Quippe *velare* & *celare* non ſunt contraria, nec poſſunt ſimul intelligi, vt pallio in humerum impoſito veletur & celetur. Quid ſi audeas dicere, *humerum vel exponit, vel includit.* Nec opus eſt Oedipode in hac lectione. in eo, quod ſequitur, *facilè ſe ſe regit*, forſitan legendum, *facilè tegit.*

3. CIPPO.] Non eſt loculus, vbi veſtes reponuntur, vt locutus Pamelius; non palus iugo transuerſus, in quo ſuſpenduntur veſtes, vt locutus Iunius: ſed eſt preſſorium, vt Ammianus vocat lib. 28. *Solitæ*, inquit, *preſſorio veſtes*, id eſt, in preſſorio ſolitæ haberi, vt ſint catacliſtæ. Talia Marcilius.

3. VACAT ZONÆ TORMENTVM.] Notanter. Nam Apocalyp. 1. *præcinctum ad mamillas Zona aurea.* Itaque cinctione ipſa & tortione *tormentum* ſignatur. Quòd ſi velis ſubtiliùs Tertullianum interpretari, per *zonam*, intelligere poſſis caſtigationem, matrem caſtimoniæ; illa verò zona Apocalyptica, teſte Pannonio ibidem, *ipſum opus luxuriæ, ſed & cogitationes arcet.* Hi verò qui Tertulliani tempore Pallio vtebantur, ita erant caſtigati, vt *vacaret zonæ tormentum*, cùm eſſent Angelis perquam-ſimiles caſtimoniæ dono. Sed hæc, vt velis, dixi.

3. AVT PEDES NVDI MAGIS, &c.] *Nudi* 242. *pedis* commoditatem ſic proſequitur Muſonius apud Stobæum: *Ac nudis pedibus incedere melius eſt, quàm calceatum. Propemodum enim dixerim calceatum eſſe, perinde ac vinctum & conſtrictum eſſe: ſine calceis autem valdè expediti & agiles ſunt pedes, præſertim ſi adſit vſus. Vnde tabellarios videre eſt non vti calceamentis in itineribus, atque ex athletis curſores celeritatem eandem non ſeruare, ſi currendum eſt calceatis.* Nolui Græcis ſtrepere, ſi quæras, initium hoc eſt, ᾗ τοῦτο ὑποδεῖσθαι τὸ ἀνυποδητεῖν τῷ δυναμένῳ κρεῖττον. Cùm addit *viriles*, credo ab Tullio traxit, qui 1. de Oratore: *Si mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non vterer, quamuis eſſent habiles & apti ad pedem, quia non eſſent viriles.* Facit etiam ad ſententiam, ſicuti & illud Scholiaſtæ Iuuenalis: *Illo enim tempore* (id eſt, initio Romæ) *nec dum Senatores nigris calceis vtebantur, ſed nudis pedibus, vel puluerulentis*, &c. Tacitus 2. Ann. vbi loquitur de Germanico: *Sine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, primi Scipionis æmulatione; quem eadem feciſſe apud Siciliam, quamuis flagrantẽ adhuc Pœnorum bello, accepimus.* Quod de Græcis ait Tacitus, firmat Plutarchus loquens de Phocione in eius vita: *Qui nudis pedibus ruri, & in caſtris incedebat.*

4. PROVOCAT.] Malè qui legit *prouocas*, neque intellexit.

4. FORO.] Quadrat in hanc ſententiam verſiculus Martialis, apud quem *Syntheſis* (genus eſt togæ) C ita loquitur,

Nec fora ſunt nobis, nec ſunt vadimonia nota.

Notetur locus Ambroſij lib. 3. de Virg. vbi paria de 243. foro, cui dat *lites, iniquitatem, obtrectationem, fraudem, perfidiam, circumuentiones*, &c. Nam forum & loca ſimilia adducuntur pro argumento vitæ perditæ. Hieronym. ad Nepotianum: *Illi cordi eſt verboſitas, attrita frons, cui nundinæ, cui fora placent, & plateæ, ne medicorum taberna.* Ioann. Chryſoſt. Homil. 10. ad populum, de foro ait, habere οὐδὲν χρηστὸν, *nihil boni.* Et iterum foro dat ἀμφισβητήσεις, ᾗ μάχας, *rixas & pugnas.* Et adhuc χῆτα, ᾗ φθαρτὰ, *terrena & corruptibilia.* Hilarius can. 20. in Matth. *calumniarum iniuriarúmque contentiones.* Et *ſtrepitum* dat Paullinus lib. 1. Epiſt. 1. *Et à fori ſtrepitu remotus, ruris otium, & Eccleſiæ cultum, placita in ſecretis domeſticis tranquillitate celebrani.* Caſaub. in Theophraſt. charact. ait: *Homo* ἀγοραῖος eſt, *qui forum totos dies occupat.* Quémque comici appellant ἀγορᾶς ἅρτιμμα: Latini veteres *Hominem ordinarium*, teſte Feſto; vel *ſubroſtranum*; Cicerone; vel *ſubbaſilicanum*, Plauto captiuis.

4. CAMPO.] Campus Martius Romæ celebris, & comitiorum, quæ in eo habebantur, frequentia, & ludorum exhibitione, & athletarum ac palæſtritarum exercitatione.

4. CVRIÆ.] Vbi ἡ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων φροντὶς, ait Chryſoſt. Homil. 10. ad Popul. *Ciuilium negotiorum cura.*

4. CANCELLOS.] Sidonius lib. 1. Epiſt. 2. *Ne* 244. *obſtrepat, eliminatur*; ſicque *pro foribus immurmurat excluſa velis, incluſa cancellis.* Suidas. Κιγκλιδάριοι οἷς τὰ ἀρχεῖα ἐπιφέγγεται, ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις εἴσοδος εἴη: *Cinclidarij cancellorum cuſtodes, ſine can-*

cellarij, quibus commissi cancelli archiorum, vt arcerent turbam. Ammianus lib. 30. *Cùm intra cancellorum venerint septa, & agi cœperint alicuius fortunæ vel salus.* Cassiodor. lib. 12. Var. *Si enim prope nostros cancellos agitis, si læsorum impia claustra soluatis.* Alibi: *Respice quo nomine nuncuperis, latere non potes, quod inter cancellos egeris. tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas, & quamuis studiosè claudas, necesse est vt te cunctis aperias.* Sunt itaque *cancelli* veluti claustra quædam è tabulis. Non attigit scopum qui legit, *cancellos non adorior.* Sed Salmasius in notis ad Vopiscum legit *canales non adoro*, nam *fori cancelli* dicebantur etiam *fori canales*: inde *canalicolæ* dicti sunt homines forenses, auctore Festo. Agellius etiam sic dixit: *Qui iurabat cauillator quidam, & canalicola, & nimis ridicularius fuit.*

245. 4. SVBSELLIA NON CONTVNDO.] Seneca epist. 56. *Tunc ergo scito te esse compositum, cùm ad te nullus clamor pertinebit.*

4. IVRA NON CONTVRBO.] Totam conturbati iuris rationem vides in Cypriano epist. ad Donatum: *Quis inter hæc verò subueniat? Patronus? sed prænaricatur & decipit. Iudex? sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex.* Est turbatio legum propria. Seneca epist. 28. *Num quid tam turbidum fieri potest, quàm forum?*

4. CAVSSAS NON ELATRO.] Varro Atacinus: *Latrant fora, classica turbant.* Hieronymus ad Rusticum: *caninam facundiam.* Nec abeunt verba Ioannis Chrysost. qui de re eadem, *mordere, & comedere.* Homil. 3. ad Popul. ἀλλήλους δάκνομεν, καὶ κατεσθίομεν. Seneca in Fur.

Hîc clamosi rabiosa fori
Iurgia vendit improbus, iras
Et verba locat.

Afranius in Persa: *Gannire ad aurem nunquam didici.*

4. NON REGNO.] Vide Ioann. Chrysost. Homil. 10. ad Popul. vbi latè narrat vitia, quibus expositæ ædes Regiæ.

4. IMÒ VNICVM, &c.] Videatur epist. 68. Senecæ, quæ tota est de otio philosophorum, & secreto loco.

246. 4. VITA MELIORE MAGIS IN SECRETO FRVARE, QVAM IN PROMPTV.] Greg. Nyss. de magno fratre: Καταλιπὼν ὅπως τὸν ἐν ἄστει θορύβους, καὶ τὰς ὑλικὰς ταύτας περιηχήσεις. καὶ ὡς ὅπι ἐσχατιᾶς, περιφιλοσοφῶν τῷ Θεῷ: *Reliquit etiam hic vrbanos tumultus, & materiales hos strepitus vndique circumsonantes; & erat in solitudine, diuinæ philosophiæ addictus.*

4. NEMO ALII NASCITVR, &c.] Talis fermè sententia Senecæ Tragici in Thyeste,

Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

Nec dissimilis Ouidij præceptio. 3. Trist. 4.

Viue tibi, & longè nomina magna fuge.

Multa sumi possunt à Magno Basilio sermone celebratissimo, πρόσεχε σεαυτῷ: *attende tibi*, Atque etiam ex Zenone Veronensi, qui sermonem quoque elegantissimum confecit de his item verbis, *Attende tibi.* Multa etiam ex Nysseno Homil. 2. in Cant. vbi inter alia, ἀσφαλέστατόν ἐστι φυλακτήριον, τὸ ἑαυτὸν μὴ ἀγνοῆσαι: *Tutissima conseruandi ratio est, se ipsum non ignorare.* Ambros. in obitu fratris Satyri: *Est prudentis agnoscere se ipsum.* Zeno etiam Veronens. sermone 4. in Genes. *Nihil est, fratres dilectissimi, ante omnia homini nato tam necessarium atque conueniens, quàm vt se ipsum nouerit. Etenim genus insaniæ est, eum rationem secreti naturæ disquirere, qui vitæ suæ non possit reddere.* Lactant. lib. 1. c. 1. *Prauitatis est caussa, ignoratio sui.* Themist. orat. 16. λάθρα βιώσας: *occultus vi uens.*

4. EPICVROS ET ZENONAS, &c.] Plinius lib. 9. c. 4. *Primus hoc instituit Athenis Epicurus otij magister.* De Stoicis Plutarchus lib. de Animi tranquillitate. Ἀπραγμονας εἶναι τοὺς σοφούς· ἐκκλίνειν γὰρ τὸ καθῆκον: *Otiosos esse sapientes, nam eos declinare officium.* Etenim Epicurei existimabant, Deum, omni rerum humanarum cura remota, securum agere æuum; negotium nec habere ipsum, nec alteri exhibere. At Stoici benignam ac beneficam naturam Deo tribuebant, cùm irasci posse negabant. Inde Tertullianus de Anima c. 46. *Vana in totum somnia Epicurus iudicauit, liberans à negotiis diuinitatem.* Vtriusque meminit Seneca lib. de vita beata: *Duæ maximè in hac re dissident sectæ Epicureorum & Stoïcorum; sed vtraque ad otium diuersa via mittit. Epicurus ait, non accedet ad rem publicam sapiens, nisi si quid interuenerit: Zenon ait, accedet ad rem publicam sapiens, nisi si quid impedierit. Alter otium ex proposito petit, alter ex caussa.* 247.

5. MARGINE.] Scribit Turneb. *imagine*, sed frustra est; nam Glossæ: *Margo, & Margos, κρηπίς. Margos* pro Margus. *La orla.* Modò scribas *area* aut *ara*, eadem est ratio; vide Iunium, olim enim *ara* dicebatur pro *area.* Varro enim de vuis loquens: *Alia in amphoram picatam defundat, alia in aram.* vbi apertè *aram* dixit pro *area.*

5. MEDICINAS MORIBVS DICERE.] Pallium efficit moralem medicum. Capitolin. in Antonino Philosopho: *Nam duodecimum annum ingressus, habitum philosophi sumsit, & deinceps tolerantiam, cùm studeret in pallio, & humi cubaret.* Et quid mirum cùm Philosophi illo vterentur? Ex hesternis Lucianus in Cynic. Τὸ γὰρ ἐμὸν ἦθος τοιοῦτόν ἐστιν, αὐχμηρὸν εἶναι, λάσιον εἶναι, πώγωνα ἔχειν, κομᾶν, αὐτοδιδάκτῳ: *Cultus verò meus huiusmodi est, squallidum esse, hirsutum, pallio amiciri, promittere comam, sine calceis ingredi.* & in Antisthenem Socrates teste Laertio, ὁρῶ σου ἔφη, διὰ τῆς τρίβωνος κενοδοξίαν: *Video per pallium tuam vanitatem.* Nostros verò quis numeret? Hoc sibi dat Iustinus Martyr & Philosophus ὁ δή μου τὸ ἱμάτιον λαβόμενος, *retinens me* (Trypho) *pallio*, & initio eiusdem dialogi, ait se esse philosophum, agnitúmque à pallio quod gestabat. Et Ambros. lib. 3. de Virginit. *Dimittas ei & pallium; id est, insigne philosophiæ suæ.* Iterum eodem lib. dicit esse *pallium, vestitum & amictum philosophiæ.* Ioann. Chrysost. Homil. 19. ad Populum: *Itaque externorum philosophi scenicis & mimorum ludis vacantibus, nihilo melius se habent* (τῆς τρίβωνος δή, τοῦ πώγωνος, καὶ τῆς στολῆς) *pallio, & barba, & stola nihil amplius exhibere valentes.* & Homil. 17. ποῦ νῦν εἰσὶ οἱ τοὺς τρίβωνας ἀναζευγνύοντες; καὶ βαθὺ γένειον δεικνύντες, καὶ ἐσπαλα τῇ δεξιᾷ φέροντες οἱ τῶν ἔξωθεν φιλόσοφοι; *Vbi nunc sunt pallia gestantes, & profundam ostentantes barbam, & baculos dextra ferentes externorum philosophi?* & lib. 1. contra Gentil. ῥάκει τριχαλλόμυος: *Lacero ac vili panno obtectus.* & hos ait Sidon. lib. 9. epist. 9. *Non pallio, aut claua, velut Sophisticis insignibus gloriari, aut affectare de vestium discretione superbiam, nitore pompam, squallore iactantiam.* Concilium Gangrense cap. 12. *Si quis virorum, propter continentiam, qua putatur, amictu pallij vtitur, quasi per hoc habere se iustitiam credens,* &c. 248.

5. AD ACVTA.] Alibi Tertullianus, *dimicare ad certum.* Ouid. de Arte, 249.

Ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Plautus Cassin.

--- ita rem natam intelligo,
Necessum est vorsis gladiis depugnare.

Horat. Od. 4. lib. 4.

--- curæ fugaces

Expediunt per acuta belli.

Nazianz. orat. 32. ὑπὲρ τῶν αὐτῶν, καὶ κατὰ τῶν αὐτῶν ἐναντίος: *& aduersus eosdem, & pro iisdem in acie stans.*

1. PLVS TOGÆ LÆSERE.] Alluſit Cyprian. ad Demetrianum: *Hoſtem quereris exurgere, quaſi, etſi hoſtis deſit, eſſe pax inter ipſas togas poſſit.* Iuuen. Sat. 6. aliquid,

Nunc patimur longæ pacis mala, ſæuior armis
Luxuria incubuit, victúmque vlciſcitur orbem.

Similiter *toga* & *ferrum* coniunxit Statius 1. Syluar. ad Soteria Rutilij Galli: *Et ferrum mulcere toga.* Sic 5. Syluar. *Ferríque togæ conſilia.* & Salluſtius *paludamentum* oppoſuit *togæ*, cùm dixit: *Togam paludamento mutauit.*

250. 5 M. TVLLIVS.] Plinius lib. 13. c. 15. *Atlas mons peculiari proditur ſylua, de qua diximus. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri* (ſic legendum, non cedri) *& menſarum inſania, quas fœminæ viris contra Margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo æuo emta* H. S. 10. (ſic legendum, non empta H. S. decem) *memoratur & Gelli Aſinij* H. S. CIↃ. (ſic legendum, non H. S. XI.) Hæ porro certiſſimæ ſunt lectiones, non *quindenis*, aut *quinquagenis.* Auctor Martial. lib. 12.

Mauruſiaci pondera rara citri.

Plinius lib. 5. c. 1. *Et quidem minùs miror incomperta quædam eſſe equeſtris ordinis viris, iam verò & Senatorij, nil demirantibus quam luxuriam, cuius efficaciſſima vis ſentitur atque maxima, cùm ebori citróque menſæ exquirantur.* Vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad 5. Satyr. 1. *Menſis citreis, quas antiquitus in pretio habebant, aut de ebore.* Cicero 6. in Verrem: *Maximam & pulcherrimam menſam, citream à P. Lutatio Diodoro omnibus ſcientibus abſtuliſti.* vide etiam Petronium Sat. vbi *menſæ citreæ* peculiaris mentio.

Tertullianus porro *cibillam menſam* intelligit. Quòd hi porro *nummûm*, alij *non vnum*, malè. Sed & Meurſius cap. 9. de Luxu Romanorum ita legit in Tertulliano, *quingentis millibus non vnum orbem citri emit.* Sed legendum *nummûm orbem citri emit.*

251. 6. MACVLAS.] Quibus arbor variegatur. Seneca de Benef. lib. 1. c. 9. *Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum cenſu Senatoris, eo pretioſius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torſit.* Plinius lib. 13. c. 15. *Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in cortice variis; illud oblongo euenit diſcurſu, ideóque tigrinæ appellantur; hoc intorto, & ideo tales pantherinæ vocantur: ſunt & vndatim criſpæ maiore gratia, ſi pauonum caudæ oculos imitantur.* Poſtea: *Muræna nigro tranſcurrens limite, variiſque corticum punctis apprehenſus papauerum modo, & in totum atro propior color, maculæque diſcolores.* Seneca de Tranquill. c. 1. *Placet menſa non varietate macularum conſpicua.*

Lucan. lib. 1.

--- menſáſque priores
Aſpernata fames.

& lib. 9. *In nemus ignotum noſtræ venere ſecures,*
Extremóque epulas menſáſque petiuimus orbe.

Petron. Satyr. *--- Ecce Afris eruta terris*
Citrea menſa, greges ſeruorum, oſtrúmque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilius aurum.

Denique in omni materia pretioſæ. Seneca epiſt. 115. *Nos* delectant *ingentium maculæ columnarum, ſiue ex Ægyptiis arenis, ſiue ex Africæ ſolitudinibus aduectæ.*

6. ITEM QVA LANCE.] De hoc ſic Plinius lib. 33. c. 11. *Quæ omnia expiauit bellum Syllanum.* Paullo enim antè factæ ſunt lances centenis libris argenti. Hinc illud Tertull. lib. de anima: *Quod lancibus ſplendidiſſimis Syllanis effertur.* Notauit Pamelius.

252. 6. CVM DRVSILLANVS.] Plinius lib. 33. c. 11. *Claudij principatu ſeruus eius Druſillanus, nomine Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ Citerioris, quinquagenariam lancem habuit, cui fabricandæ priùs officina exædificata fuerat.* Vocat *lancem*, quam Noſter *promulſidem*, qua videtur ſignificare ipſum promulſidarium, inquit Rhenanus. Eſt enim *promulſis* genus cibi delicatioris mulſo conditum, ſiue, quod ante mulſum ſumeretur, & prior pars cœnæ. Petron. Satyr. *Hoc tam rude, inquit, bene cras in promulſide libidinis noſtræ militabit.* Plinius vbi ſuprà, *lancem* nominat: & ait: *Lances è centenis libris argenti tunc ſuper quingentas numero Romæ fuiſſe conſtat.* Accipe demum, vt intelligas Noſtrum, cum Macrobio lib. 3. Satur. c. 13. *Antecœnam*, ſic enim vocat *promulſidem.* Sit hoc antecœnium, quid cœna ipſa?

6. IMMERGO ÆQVE SCALPELLVM.] 253. Scalpella vel etiam ſcalpellum, σκαλέοτομον. Cicero pro Seſtio: *Non ea eſt medicina, cùm ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur. Voce*, (ait Brugenſis in formulas) *acerbitati, videtur cholerici humoris in Vedio abundantia ſignificari: itaque lanceola chirurgica fortaſſe innuitur.*

6. VEDIVS POLLIO] Res triſtiſſima: Plinium dabo, qui lib. 9. cap. 23. *Inuenit in hoc animali documenta Vedius Pollio eques Rom. ex amicis Auguſti, viuariis earum immergens damnata mancipia, &c.* Lego, *noua ſcilicet ſæuitia delectatus.* & *tenera* pro *terrena.* illud *exedentulæ*, explico vt Turnebus: non enim conuenit Tertulliano cum aliis ſcriptoribus, qui eam dicunt dentatam & truculenti morſus: accipit enim Tertullianus *lampretas.* Nec eſt eadem de qua Æſchylus in Oreſte loquitur, 254.

Μύραινα γ' ἡ ἔχιδνα ἔφυ.
Muræna viperáve extitit.

Habet enim dentes Muræna vncinatos & acutos, quibus infeſtat piſcatores. Vnde & in meretricem comico ſale effertur à Comico, ὦ προδότι ἡ πατέρωγε ἡ μύραινα σύ: *O proditrix, productrix, & tu muræna.* Qui *tenera beſtiæ, exedentulæ, exunguis, excornis*, intelligunt ipſum Vedium, verè ipſi ſunt falſi, hos non refello, tu poteris.

7. PRÆCIDAM GVLAM.] Notetur ſequens oratio tota in gulam acerbiſſima, & adiungantur verba Hieronym. ad Nepotianum. reprehenditis quoque hanc lurcoſitatem: *Noui & nomina & genera piſcium, in quo littore concha lecta ſit calleo, ſaporibus auium diſcerno prouincias, & ciborum me raritas, ac nouiſſimè damna ipſa delectant.* Certè quæ ſequuntur in Tertulliano mera ſunt *ventris prodigia*, vt loquitur Plinius c. 4. lib. 19. 255.

7. HORTENSIVS.] Plinius c. 20. lib. 10. *Pauonem cibi gratia Romæ primus occidit orator Hortenſius.* Varro 3. lib. de re Ruſt. lib. 6. *Primus hos pauos Q. Hortenſius augurali aditiali cœna poſuiſſe dicitur.* Vide & Ælian. de animal. c. 25. lib. 5.

7. AVFIDIVS.] Varro vbi ſuprà, *ex his M. Aufidius Lurco ſupra ſexagena millia nummûm in anno dicitur capere.* Pauos intelligit. *in adulterinum ſaporem*, legunt alij *in adulterium ſaporem.* id eſt, in corruptelam & mangonium. Rectè ergo colliges cum Hieronymo ad Saluinam: *Procul ſint à conuiuiis tuis aues, quibus ampliſſima patrimonia auolant.* 256.

7. QVA ASINIVS CELER.] Seſtertia enim ſex idem conſtituunt quod ſex millia nummûm; & Rhenano credimus. Res hæc non conuenit inter auctores, & Hadrianus Iunius lib. 5. Animaduerſ. cap. 10. cenſet corrigendum Tertullianum ex Plinio, ſcribente ſic lib. 9. c. 17. *Aſinius Celer è Conſularibus, hoc piſce prodigus, Claudio principe vnum mercatus octo millibus nummûm.* Vbi ſeſtertia, idem caput conſtituunt, quod octo millia nummûm. Macrobius lib. 2. c. 12. *Aſinius Celer vir conſularis, mullum vnum*

ſeptem millibus nummûm mercatus eſt. Iuuenal. verò Sat. 4. ait,

--- Mullum ſex millibus emit
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Itaque Seſtertiis ſex millibus emit, niſi malis mouerì Plinij auctoritate, & iuxta Hadrianum Iunium, & Ioannem Meurſium lib. de luxu Romanorum cap. 13. dicentes patinam emtam Celeri ſeſtertiis octo millibus. Etenim piſce olim victitabant aſſiduè Romani, gulæ appetentes, vt Hortenſius orator, qui piſcinam apud Baulos habebat, & Lucullus, vt memorat Plinius lib. 9. vt non immeritò Cicero dixerit lib. 2. ad Atticum: *noſtri autem principes digito ſe cœlum putant attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant, alij autem negligant.* modò intelligat veros piſces, modò allegoricè palpones. Plinius lib. 1. c. 17. *Mullum exſpirantem verſicolori quadam & numeroſa varietate ſpectari proceres gulæ* B *narrant, rubentium ſquammarum multiplici mutatione palleſcentem, vtique ſi vitro ſpectaretur incluſus.* De hac exſpirantis mulli varietate in coloribus effingendis, diſertè proculdubio Seneca lib. 3. Nat. Quæſt. cap. 17. ab eo loco, *Quantò incredibiliora ſunt opera luxuriæ*, &c.

258. 7. SEXCENTORVM MILLIVM PATINAM CONFLAVIT.] Alij legunt, omnino malè, *centum millium patinam confiſcauit*, cùm Plinius dicat cap. 51. lib. 10. patinam hanc ſexcentis ſeſtertiis taxatam. Qui etiam ait, *In qua poſuit aues cantu aliquo, aut humano ſermone vocales, millibus ſexcentis ſingulas coëmtas.* Rectè ergo Seneca epiſt. 95. *Quid eſt cœna ſumtuoſa flagitioſius, & equeſtrem cenſum conſumente?*

7. PATINAM CONFLAVIT.] *Conflata patina* C eſt, extructa & parata. Fortaſſe intelligit, condimento in ipſa patina paratos cibos, ad eum modum, quo *patinarium piſcem* apud Plaut. Aſinar. Explicat Turnebus lib. 2. c. 15. non aſſatum, neque elixatum, ſed iure in patina concoctum. Malè aliqui *patinam confiſcauit*, is eſt, Hadrian. Iun. in Adag.

7. QVA FILIVS EIVS, &c.] Plinius lib. 9. c. 35. *Prior id fecerat Romæ in vnionibus magnæ taxationis Clodius Tragœdi Æſopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres; ni in Triumviratu ſuo nimis ſuperbiat Antonius, pene hiſtrioni comparatus: & quidem nulla ſponſione ad hoc producto; quòd id magis regium erat: ſed vt experiretur in gloria palati quid ſaperent margaritæ: atque vt mirè placuêre, ne ſolus hoc ſciret, ſingulos vniones conuiuis abſorbendos dedit.* Horat. Flaccus lib. 2. Sat. 3.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies ſolidûm exſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam.

259. 7. SVMTVOSIVS ESVRIRE.] Contraria huic forma eſt illa Martialis lib. 7. *viliùs eſurio.* Itaque ille *ſumtuoſiùs eſurit*, qui rem magno pretio eſurit; ille *viliùs eſurit*, qui rem paruo. ita Hieronym. A dixit *viliùs non algebo*, in epiſt. ad Marcellam, id eſt, viliùs caleſcam, vel paruo mihi conſtabit non algere. Et quidem ad venales cœnulas ſpectauit Martialis cùm in prologo lib. 1. ſcripſit, *At mihi fama viliùs conſtet.* & cum Quintil. in declam. *Nemo munerario viliùs ſteterat*, vt verò Tertull. dixit *ſumtuoſiùs eſurire*, Hieronym. in epiſt. ad Euſtochium, *lucroſiùs perire.*

8. NERONES.] Intemperans ſupramodum. Conſtant. Manaſſ. lib. 1. Annal.

Ἦν δ' ἀσελγὴς, ἡδυλυγὴς, ἡδυπλήκτης ἀσωτίας,
Ἥδιων γαστρὸς, ἡδὺ γαστρὸς, φίλοινος, φιλοπότης:
Erat ille laſciuus, impurus, luxuriæ plenus,
Gulæ ventrique deditus, vinoſus, ebrioſus.

8. APICIOS.] Plin. 9. c. 17. *M. Apicius ad* 260. *omne luxus ingenium mirus.* Apollinar. epiſt. 1. lib. 6. *Apicios epulones.* Seneca Conſolat. ad Heluiam c. 10. ait *ſeſtertium nongenties* diſſipauiſſe, qui ſunt milliones quatuor cum ſemiſſe. Idem libro de vita Beata: *Aſpice terrarum & maris, vt iſti vocant, bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide hos eoſdem è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes: mollibus lenibúſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus, & ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur.* Martial. lib. 3. epig. 22. *Dederas Apici*, &c. Vide inſuper Athenæum, vbi latè de Apicio nefario gurgite. Certum eſt tres Apicios fuiſſe: primus veteri Republ. celebratus; alter de quo hîc ſermo, Auguſti & Tiberij ætate: tertius, Traiani. An etiam Ruffi? reponunt aliqui *Rullos*, & ac- C cipiunt de Seruilio Rullo, de quo Plin. lib. 8. c. 51.

8. DABO CATHARTICVM.] Paroemia eſt, 261. auctore Andrea Hoyo Brugenſi: eſt enim medicamentum ventrifluum, ſiue quod aluum deiicit. Hinc ὑπάλυτον dictum Hippocrati.

8. IMPVRITATI SCAVRI.] Tacit. 6. Annal. *Mamercus dein Scaurus rurſum poſtulatur, inſignis nobilitate, & orandis cauſſis, vita probroſus*, &c. Malè à Dione Μάρκος ſcribitur, cùm ſit Mamercus; neque is eſt M. Æmilius Scaurus, qui celebratus Salluſtio, vt etiam patet ex Seneca de benef. 4. c. 31.

8. CVRII.] Aſconius notauit Q. Curium aleatorem notiſſimum fuiſſe, & poſtea damnatum; quem celebrat Caluus Poëta eo verſiculo;

Et talis Curius pereruditus.

De alea nihil dicam in tam ſpatioſo campo, ὁ πολιὸς ἀναρρίψω τὸν κύβον, diceret Lucian. pro imag. *Non audebo aleam iactare.*

8. ANTONII.] Ad vinolentiam Antonij ſatis Cicero in Philippicis, qui eius compotationes abundè. Et Sidonius Paneg. Auiti,

--- profugiſque bibax Antonius armis.

De eo Plinius, & quinon?

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Ad Pallij occurſum improbè erubeſcunt, veſtítque omnes.

TERTVLLIANVS.

SERMONE, inquis, me ſuaſiſti, medicamine ſapientiſſimo. Verùm etſi eloquium 262. quieſcat, aut infantia ſubductum, aut verecundia retentum (nam & elingui philoſophia vita contenta eſt) ipſe habitus ſonat. Sic denique auditur philoſophus dum videtur. De occurſu meo vitia ſuffundo. Quis non æmulum ſuum cùm videt, patitur? quis oculis in eum poteſt, in quem mentibus non poteſt? grande pallij beneficium eſt,

ſub cuius recogitatu improbi mores vel erubeſcant. Viderit nunc philoſophia, quî proſit. Nec enim ſola mecum eſt.

EXPLICATIO.

263. 1. INQVIT toga, *ſermone* tuo ô Pallium, *ſapientiſſimo medicamine* perſuaſus ſum. *Verùm etſi*, &c. Verumtamen etiamſi eloquentia ſubſiſtat, aut impotentia ſubducta, aut pudore quaſi vinculo retenta, *ipſe habitus* Pallij *ſonat* & loquitur, *ſic denique auditur philoſophus* dum ſe oſtentat, ſatis eſt Pallium vidiſſe, eſt enim *vita contenta* hac *elingui philoſophia*. *De occurſu*, &c. Cùm ego Pallium occurro, ſtatim pudorem quem vitia afferunt, *ſuffundo*. Quis enim non perturbatur, vel ſolùm ad aſpectus contrarij notitiam? *Quis oculis in eum poteſt, in quem mentibus non poteſt*? id eſt, quis poteſt occurſum ac vultum eius ferre, quem cogitatione ipſa perhorreſcit? *Grande Pallij*, &c. Maximum eſt Pallij beneficium, cùm ad eius cogitationem improbitas omnis erubeſcit. Viderit nunc ô toga, quid proſit mea Pallij philoſophia. Nec verò ſolum philoſophum inſtruo, & veſtio, alias res ago.

264. 2. Habeo & alias artes in publico vtiles, de meo veſtiuntur, & primus informator litterarum, & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius, & Grammaticus, & Rhetor, & Sophiſta, & Medicus, & Poëta, & qui Muſicam pulſat, & qui ſtellarem coniectat, & qui volaticam ſpectat. Omnis liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur. planè poſt Romanos equites. Verùm & cerdones & omnis gladiatorum ignominia togata producitur. Hæc nimirum indignitas erit *à toga ad Pallium?* Sed iſta Pallium loquitur. At ego iam me illi etiam diuinæ ſectæ ac diſciplinæ commercium confero. Gaude Pallium & exulta, melior iam te philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.

265. 2. PRIMVS *informator litterarum*, Grammatiſta, ſiue abecedarius, ſiue elementarius. *Primus edomator vocis*, Phonaſcus. *Primus numerorum arenarius*, calculator. *Rhetor* Latinus. *Sophiſta*, qui Græcè rhetoricatur. *Qui muſicam pulſat*, citharista. *Qui ſtellarem coniectat*, qui regionem ſtellarem coniectat, vtique aſtrologus, Chaldæus, planetarius. *Qui volaticam ſpectat*, qui ex auium volatu diuinat, auſpex, & οἰωνοσκόπος. *Omnis liberalitas ſtudiorum*, &c. Omnes ingeniorum artifices quotquot ſunt, *meis quatuor* teguntur *angulis*. *Planè poſt*, &c. verba ſunt togæ contra Pallium. Sic planè eſt, ſed *poſt Romanos equites*. Veſtis quidem omnes, dummodò non ſint equites, ſed contemtiores. *Verùm & cerdones*, &c. verba ſunt Pallij. Verum hoc eſt Toga, ſed & *cerdones* tecum ſunt, id eſt, omnes ſordidi opifices, & veteramentarij, & calceorum veterum ſutores: *& omnis*, &c. Et tecum veſtiuntur omnes edicto prætoris infames. Itaque tui togati aliqui, ô toga, non ſolùm ſunt de infima plebe, vt palliati, ſed infra omnes infimos. *Hæc nimirum*, &c. Hanc tantam indignitatem tecum habes, vt deſinas mihi oblatrare, *à toga ad Pallium? Sed iſta*, &c. Nimirum locutum eſt Pallium hæc verba, quæ præceſſerunt. *At ego iam me*, &c. Hæc verba Tertulliani ſunt, atque iterum, *gaude pallium*, &c. gratificatur enim pallio, quòd à Chriſtiano ſuſceptum ſit. Vide Baron. 2. tom. Annal. pag. 252. *Commercium, confero me commercium*, & in commercium.

NOTÆ.

266. 1. MEDICAMINE.] Clemens Alex. lib. 1. Pædag. c. 1. Θεραπευτικὸν vocat verbum Dei, & illi dat quidquid pertinet ad ſanitatem faciendam. Euripides dixit λόγῳ μ' ἔπεισας φαρμάκῳ σοφωτάτῳ. Aliqui legunt, *inquit*. inf. *Videris nunc philoſophia*, &c. Senarius Græcorum, λόγῳ μ' ἔπεισας φαρμάκῳ σοφωτάτῳ.

1. SVFFVNDO.] Id eſt, pudore. Nam *ſuffundere* hanc habet notam, vt Ambroſ. lib. 1. de Virgin. *Pudor ſanctus verecunda ſuffuſus ora*

2. EDOMATOR.] Hic dicitur Cælio Aureliano *muſicus monitor* lib. 1. tar. paſſ. c. 5. & idem lib. 4. c. 7. *præceptor*. idem lib. 2. c. 6. *muſicus artifex*. & eodem lib. c. 13. *magiſter vocis, & cantus modulator*. Columellæ in præfatione ad Syluin. Qui primus in choris concinebat. *Præcentor chori* vocatur ab Apul. in Apolog. Greg. Turonenſi *vocalis* dicitur, de vita Patrum c. 3. *Valentinianus Diaconus Presbyter, atque vocalis*, id eſt, præcentor. Gloſſ. φωνασκὸς, *vocalis*. Sabar. in Sidon. lib. 6. epiſt. 11.

267. 2. PRIMVS NVMERORVM ARENARIVS.] Cur dixit *primus*? quia intelligi vult ludimagiſtrum, docentem pueros calculare, qualis Calculo in epig. vetere,

Indoctus teneram ſuſcepit Calculo plebem.

Auguſt. lib. 2. contra Academicos, *Librariorum & Calculonum profeſſio, velut quædam Grammaticæ infantia*. Hinc Horat. Sat. 6. lib. 1. eunt

--- pueri magnis è Centurionibus orti,
Læuo ſuſpenſi loculos tabulámque lacerto
--- Octonis referentes idibus æra.

Iidemque *calculatores* in iure ciuili paſſim, & *tabularij*, vt Vlpian. *Iam & librariis, & notariis, & calculatoribus ſiue tabulariis*. Eſt alius *numerorum arenarius* quaſi ſecundus, Arithmeticus, ſiue *numerarius*. Gloſſæ ἀριθμητικὸς, *numerarius*. hæc Marcilius. Claudianus conſulat. Theodoſij.

Inuenit ætherios ſignantem puluere currus;
Occurrit, ſcriptæque notas confundit arenæ.

Perſius Sat. 1.

Atque abaci numeros, & ſecto in puluere metas.

Demum Cicero 5. Tuſcul. de Archimede: *Hominem homunculum à puluere & radio excitabo*. Non autem is eſt Tertulliani *arenarius*.

2. RHETOR.] Alio nomine *Scholaſticus*. Tacit. de Orator. *Adoleſcentuli noſtri deducuntur in ſcenas Scholaſticorum, quos Rhetoras vocant*. Marius Vi-

ctor. Comm. ad lib. 1. Ciceronis de Inuent. ita definit: *Rhetor eſt, qui docet litteras, atque artes tradit eloquentiæ: ſophiſta eſt apud quem dicendi exercitium diſcitur.* Eſt etiam *ſophiſta*, qui docet Græcè Rhetoricam, vt Modeſtinus lib. 6. §. Grammatici. de excuſat.

268. 2. QVI STELLAREM CONIECTAT.] *Coniectores* dicuntur Græcè ἐξηγηταί. Theophraſt. in charact. καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν, ἐρωτᾷ τί χρὴ ποιεῖν. *Et ſi mus ſaccum farinæ arroſerit, it ad coniectorem, & rogat quid ſit faciendum.* Cedrenus nominat συμβολικὸν. Cicero lib. 1. Diuinat. *Iſiacos coniectores.* Idem de Aruſp. reſp. vocat, *portentûm explanatores.* Pollux *interpretes* appellat ἐξηγητάς.

2. VOLATICAM.] Sunt qui *Aſtronomiam*, ſunt qui *Geometriam* capiant, lege Pamel. & Iun. Ego verò cum Marcilio libêter accipio *Auſpicem*; is enim ſpectat *volaticam*, ex auium volatu & inuolatu.

2. QVATVOR MEIS ANGVLIS.] Adiice reliquis, quibus ſuprà vſus ſum ad probandos hos angulos, Deuteronomium c. 22. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallij tui.*

2. PLANE POST, &c.] Læua Critica locum hunc interpolare ſunt auſi, hunc in modum: *quatuor meis angulis tegitur planè: poſt Romanos equites verò, & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.*

2. OMNIS GLADIATORVM IGNOMINIA.] Prudent. 1. in Symm.

Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,
Cui cadit infauſta fuſus gladiator arena.

Et infrà:

Nam quid veſani ſibi vult ars impia ludi?
Quid mortes iuuenum? quid ſanguine paſta voluptas?
Quid puluis caueæ ſemper funebris? & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?

2. TOGA.] Sueton. in Claudio: *Induxit vnum ex nomenclatoribus ſuis, ſicut erat, togatum.* Et Capitolin. in Pertinace, de veſte Commodi vendita: *Toga, armáque gladiatoria gemmis auróque compoſita.*

2. AT EGO IAM ME ILLI.] Aliqui delent provocabulum *me*, veriùs tamen eſt ſcriptum à Tertulliano, *At ego iam mecum illi.* Vt ſententia, at ego mecum illi commercium confero. Sic corrigit Marcilius. Si licet aliquid mutare, ego *in illius* legerem.

FINIS LIBRI DE PALLIO.

APOLO-

APOLOGETICVS, SIVE LIBER II.

ARGVMENTVM.

TERTVLLIANVS, *quo tempore Seuerus Imperator cum Antonino filio res Romanas administrabat, cùm videret, Christianum dogma, initio quintæ persecutionis, exagitari diuexarique per orbem; ita vt Christiani indicta causſa necarentur diuersis suppliciorum generibus; nec posſet palam illis patrocinari, de solo nomine & ex præiudicio damnatis; Christianam religionem hac Apologetica oratione ad antistites Romanos missa defendit; in qua Iustinum & Aristidem æmulatur: ita tamen vt vtrumque maximo interuallo superaret.*

CAP. I. ARGVMENTVM.

Quòd religio Christiana damnanda non sit, nisi qualis priùs intelligatur.

TERTVLLIANVS.

1. 1. SI non licet vobis, Romani imperij Antistites, in aperto & edito ipso fere vertice ciuitatis præsidentibus ad iudicandum, palam dispicere, & coram examinare quid sit liquidò in causſa Christianorum; si ad hanc solam speciem authoritas vestra, de iustitiæ diligentia in publico aut timet aut erubescit inquirere: si denique, quod proximè accidit, domesticis indiciis nimis operata sectæ huius infestatio obstruit viam defensioni: liceat veritati vel occulta viâ tacitarum litterarum ad aures vestras peruenire.

EXPLICATIO.

2. 1. ADITVS plenus maiestate, quo causſam incipit aduersus gentes, & pro Christianis: in quo tripliciter disserit, quam ob rem velit hoc opus moliri; hunc in modum. *Si non licet vobis palam* & accuratè *dispicere & examinare*, vt qui in vertice imperij & rerum sitis; si ad hoc vnum genus causſæ Christianorum, *si ad hanc* vnam *speciem auctoritas vestra aut timet, aut erubescit, in publico inquirere; si denique infestatio* & amentia, qua nimis creduli multorum & domesticorum calumniis, diuinæ huic sectæ *obstruit viam* & aditum ad defensionem: *liceat veritati* erumpere per tacitas litteras, vt sic ad vos perueniat. illud, *domesticis indiciis*, &c. est, dans operam plus satis vt per domesticos contra ius commune indicia consequatur, quibus prodantur Christiani. Itaque triplicem causſam ponit, cur non pateat Christianis aditus ad iudices: Prima est, celsitudo iudicum, & humilitas nostra: secunda, præiudicium plebis: Tertia, infestatio & oppugnatio sectæ Christianorum.

3. 2. Nihil illa de causſa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. Scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facilè inimicos inuenire: ceterùm genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere: vnum gestit interdum, ne ignorata damnetur. Quid hîc deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam inauditam damnabunt veritatem? Ceterùm inauditam si damnent, præter inuidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiæ, nolentes audire quod auditum damnare non possint.

4. 2. Deprecatur, nihil rogat sibi à iudicibus gratis donari, quia non *miratur*, id est, non ignorat suam conditionem. *Scit se peregrinam*, &c. Ratio cur veritas multos hostes inueniat. *An hoc*, &c. etenim si *inauditam damnabunt veritatem*, nunquid excellentior erit illarum legum gloria? *Præter inuidiam iniquitatis.* Præter odium iniustum & iniquum erga *veritatem inauditam. Alicuius conscientiæ.* Non est sententia, *merebuntur suspicionem conscientiæ alicuius* hominis. Sed, *merebuntur suspicionem* aliqualis *conscientiæ*, id est, suberit suspicio conscientiæ aliqualis legum ipsarum: suspectas se reddent leges aliquid nosse, & non ignorasse, nolendo *audire, quod auditum damnare non possint.* ita vt *conscientia* hîc sit scientia & notitia.

5. 3. Hanc itaque primam caussam apud vos collocamus iniquitatis odij erga nomen Christianum. Quam iniquitatem idem titulus & onerat & reuincit, qui videtur excusare, ignorantia scilicet. quid enim iniquius quàm vt oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odium? Tunc enim meretur, cùm cognoscitur an mereatur. Vacante autem meriti notitia, vnde odij iustitia defenditur? quæ non de euentu, sed de conscientia probanda est. Cùm ergo propterea oderint homines, quia ignorant quale sit quod oderunt, cur non liceat eiusmodi illud esse quod non debeant odisse?

6. 3. *Hanc itaque*, &c. Sensus est: hoc itáque vobis primum crimen impingimus. Sed loquitur modestè, abstinens & à crimine, & impingo: & ait: *Hanc primam caussam apud vos collocamus.* q. d. deponimus caussam apud vos, nimirum odij iniqui, quod habetis *erga nomen Christianum:* quod odium, vel *quam iniquitatem* odij, ignorantia quæ videbatur *excusare, reuincit & onerat. Quæ non de*, &c. Non euentus rem probat, sed scientia. *Cùm ergo*, &c. *Cùm ergo homines oderint propterea quia ignorant quale* illud *sit quod oderunt*, quis scit si contingat fortasse illud tale esse *quod non debeant* odio habere?

7. 4. Ita vtrumque ex alterutro redarguimus, & ignorare illos dum oderunt, & iniustè odisse, dum ignorant. Testimonium ignorantiæ est, quæ iniquitatem dum excusat, condemnat; cùm omnes, qui retro oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare, cessant & odisse. Ex his fiunt Christiani, vtique de comperto, & incipiunt odisse quod fuerant, & profiteri quod oderant, & sunt tanti quanti & denotantur. Obsessam vociferantur ciuitatem; in agris, in castellis, in insulis Christianos; omnem sexum, ætatem, conditionem, & dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent.

8. 4. *Ita vtrunque*, &c. Conuincit alterum ab altero. *vtrumque*, inquit, redarguo *ex alterutro*, & ignorant *dum oderunt*, & *iniustè* oderunt, *dum ignorant. Testimonium ignorantiæ*, &c. q.d. testimonium clarum vestræ ignorationis (vt suprà diximus de ignorantia, quæ *onerat & reuincit iniquitatem*, *quam excusare videbatur*) est, *Cùm omnes qui retro oderant*, cùm desierunt ignorare, desierunt & odisse: nam qui priùs oderunt Christianam religionem, quia ignorabant, vt cessarunt ab ignorantia, cessarunt etiam ab odio: vos ergo damnandi, quamuis vtamini prætextu ignorantiæ, quia vultis ignorare. *Retrò*, est, antè. *De comperto*, de re non ignorata, sciunt comperiuntque qualis sit res Christiana, & ideo conuertuntur & fiunt Christiani. *Denotantur*, tanto numero sunt, quanto esse nos, vos ipsi animaduertitis & deprehenditis, vestra exclamatione, vociferantes *obsessam ciuitatem*, &c. *Quasi detrimento mœrent*, mœrent vt ad rem plenam detrimenti.

5. Nec tamen hoc ipso modo ad æstimationem alicuius latentis boni promouent animos. Non licet rectiùs suspicari, non libet propiùs experiri, hîc tantum curiositas humana torpescit. amant ignorare, cùm alij gaudeant cognouisse. Quanto magis hos Anacharsis denotasset, imprudentes de prudentibus iudicantes, quàm immusicos de musicis? malunt nescire, quia iam oderunt. Adeò quod nesciunt, præiudicant id esse; quod si sciant, odisse non poterant, quando si nullum odij debitum deprehendatur, optimum vtique sit desinere, iniustè odisse: si verò de merito constet, non modò nihil odij detrahatur, sed amplius acquiratur ad perseuerantiam, etiam iustitiæ ipsius auctoritate.

9. 5. *Nec tamen*, &c. etiam si videant ciuitatem, agros, castellos, insulas feruescere multitudine Christianorum, non tamen animos promouent ad inquirendum an fortè aliquid boni ibi lateat. *Non licet*, &c. Duplex oratio, nec licet, nec libet. *Quanto magis*, &c. Dixit Anacharsis malè *immusicos de musicis* iudicare. Ergo ille, malè *de prudentibus imprudentes*, dixisset. *Adeo quòd*, &c. clarè ita concipe: ignorantiam suam ducunt in præiudicium, putántque, rem, quam ignorant, dignam esse odio; quam si scirent, cessarent ab odio, imò non possent odisse. *Quando si*, &c. Ratio cur non possent odisse, quia, vbi nihil mali deprehenditur, nihil est obnoxium odio: ac perinde quisque iudicabit, optimum esse cessare ab odio illo, vt iniusto. *Si verò*, &c. Contra verò, si cõstet de merito odij, nõ modò hoc nõ iminuatur, sed augebitur amplius, exigente iam iustitia. vt odio habeantur, quæ odium merentur. Hoc cornuto argumẽto illos impetit.

11. 6. Sed non ideo, inquit, bonum, quia multos conuertit: quanti enim ad malum performantur? quanti transfugæ in peruersum? quis negat? tamen quod verè malum est, ne ipsi quidem quos rapit, defendere pro bono audent. Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Denique malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem, facilè aut semper confitentur. Certè condemnati mœrent, deonerant semetipsos, mentis malæ impetus vel fato, vel astris imputant: nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt.

12. 6. SED *non*, &c. Dicunt gentiles. Non ideo dici aliquod bonum potest, quia multos ad se conuertit & pertrahit, probat. Nam multi mortales validè præque aliis formantur ad malum, & *transfugæ* fiunt à bono *in peruersum*, id est, peruertuntur transfugientes transeunteque à bono in malum. vt voluptas multos habet sectatores, quæ non idcirco bona est. *Quis negat?* &c. Nemo hoc negabit, tamen ne ipsi quidem defendere pro bono audebunt, quos malum vt pestis rapit. quia malum omne natura fecit, vt timeretur, vt pudesceret. *Denique malefici*, &c. Catalogum longum exorditur eorum qui malefici sunt. Clara omnia.

13. 7. Christianus verò quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit. interrogatus, vel vltro confitetur; damnatus, gratias agit. Quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet? timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem. quid hoc mali est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna felicitas? Non potes dementiam dicere, qui reuinceris ignorare.

7. E contrario Christiani nihil dolent, nisi antè nō fuisse Christianos. & clarissima sunt quæ sequūtur.

NOTÆ.

14. 1. ANTISTITES.] πρεσβύτας. Intelligit ipsos summi imperij consiliarios. Columella cap. 1. lib. 11. *Cæterarum artium minùs vita necessariarum repertos antistites.* Symmachus lib. 3. epist. 43. *Vides certè, vt ille ipse qui Romanis rebus antistat, ad bonum publicum natus est.* Ita etiam Athenag. in Apologetico pro Christianis incipit, μεγάλοι βασιλέων, *Maximi Reges*, & postea μέγιστοι αὐτοκράτορες, *summi Imperatores.* & Iustinus Martyr, ἱερατῇ παιδείας, ac si dicat, *amatoribus eruditionis.*

15. 7. VERTICE CIVITATIS.] Capitolium intelligi vult Rycquius cap. 7. de Capitolio, quod in vertice ciuitatis Romanæ. & Augustinus 4. de ciuit. cap. 23. *Capitolium amplissimum, & celsissimum locum.* & Virgil. 8. Æneid.

In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis.

Quem in locum ita Seruius: *Bona ratione, vt in pictura, apta vnicuique rei loca distribuit. Ideo enim in summa parte clypei dicit esse factum Capitolium, quia hoc summo vrbis loco esse manifestum est.* Mamertinus in Paneg. Dioclet. & Maximiani: *O quanto nunc Impp. illa dies augustior, quanto magis hunc natalem suum diem Roma coleret, si vos stipatos vestro Senatu, in illa Capitolini Iouis arce conspiceret!* Statius lib. 8. Thebaid.

Nec fragor Ausoniæ tantus, cùm Iuppiter omni
Arce tonat. Denique nihil frequentius in ore Poëtarum, quàm Capitolium esse in vertice ciuitatis.

1. DISPICERE.] Quintilian. declamatione 253. *Facile est, ista in concionibus & consiliis dispicere dicendo.* Ammianus lib. 26. *Caussas dispiciens criminum maximorum.* Hæc est vera lectio, alij *despicere*, alij *despisere*, alij *describere*; notauit Heraldus.

16. 1. SOLAM SPECIEM.] Iurisconsultorum sermo. Tert. in exhortatione ad Castit. cap. 1. *Tamen quoniam in ista specie carnis necessitas cogitatum mouet.* Quin Heraldus Cyprianum quoque adducit, qui epist. 49. *Vt quando in vnum venerimus, de omnibus speciebus secundùm Ecclesiasticam disciplinam tractare possimus.*

1. AVCTORITAS VESTRA.] Per *auctoritatem* intelligit actum summum administrationis, summam in administrando imperio potentiam atque auctoritatem. Itaque *auctoritas* est institutoris, dispensatoris, procuratoris. Vt ergo isti indigent auctoritate summa, ita de præsidibus istis inquit, auctoritatem esse illorum, neminem timere & erubescere, quominus tutò possint iudicare.

1. DOMESTICIS INDICIIS.] Hæc est 17.
verissima lectio, non quam Heraldus voluit *iudiciis.* Liberius in epistola antequam iret in exilium: *Vos deuoti per omnia Dei milites etiam falsos fratres inimicos experti.* &c. Theodoritus lib. 1. cap. 6. ἡ τραγῳδίας, τὰ δραώμενα, καὶ θρήνων ἄξια ὡ. ὁ γὰρ ἀλλόφυλοι καὶ πολέμιοι, καθάπερ πάλαι τὰς ἐκκλησίας ἐπολιόρκουν, ἀλλ' ὁμόφυλοι, καὶ ὁμοῤῥόφιοι, καὶ ὁμοτράπεζοι, κ' ἀλλήλων αὐτὰ διατέμνον ἐκείνοις τὰς γλώττας. *Res autem gesta non tragœdia solum, sed lugubri etiam fletu dignæ visæ sunt. non enim peregrini & hostes, sicut olim, Ecclesias oppugnarunt; sed eiusdem tribus homines, eiusdem tecti, atque adeò eiusdem mensæ participes linguas contra se ipsi, hastarum loco, exacuerunt.* Vide eundem lib. 5. cap. 34. vbi grauissimè queritur læsos Christianos ab iis qui sunt fidei societate coniuncti. Quid, quòd Tert. ipse sæpe meminit, vt cùm cap. 7. huius Apol. ait, *Ex natura ipsi etiam domestici nostri.* & statim: *in ipsis plurimùm cœtibus & congregationibus nostris opprimimur.* & sæpe aliàs. Quid Iustinus Martyr? Hic Apologia prima pro Christianis: φονεύοντες γὰρ αὐτοὶ πνὰς ὅπι συκοφαντίᾳ ἢ εἰς ἡμᾶς, ἢ εἰς βασιλῆς εἴλκυσαν οἰκέτας ἢ ἡμετέραν, ἢ παῖδας, ἢ γυναῖκα, καὶ δι' αἰκισμῶν φοβερῶν, &c. *Nam ad sycophanticam aduersum nos calumniam nonnullos necantes ad tormenta pertraxerunt nostrorum seruos, aut pueros, aut mulierculas, vt per cruciatus horrendos,* &c.

Et Ruffinus lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 1. id expreſsè narrat, adeò vt intuenti dubium eſſe non poſſit.

1. OPERATA.] Hellenicè, vt Virg. primo Georg. *lætis operatus in herbis.* Sulp. Seu. dial. 2. *Senſit Martinus operandum.* Lucil. lib. 30. *Aut operatus aliquo incelebri cum æqualibus fano.* Niſi velis, cùm agat de obſtructione viæ ac defenſione, per *operatam* intelligere, moliri aggeres & munitiones nimis altè. Itaque verba ſic conſtant, *Domeſticis indiciis operata nimis infeſtatio huius ſectæ obſtruit defenſioni*, ſumpta metaphora ex re militari. Potes etiam decurrere ad ſacrificia; nam quemadmodum dicebant, *operari Sacris*, ſic etiam *operationes* ipſa ſacrificia. Ita cap. 15. *Cætera laſciuiæ ingenia etiam voluptatibus veſtris per Deorum dedecus operantur.* Dicit autem, ethnicos conatos ab iis qui familiariter cum Chriſtianis verſabantur, à famulis inquam & ancillis, inueſtigare crimina, de quibus vulgò infamabantur, nihilque vnquam deprehenſum eſſe.

19. 1. SECTÆ.] In bonam partem, vt etiam *Sector*, in epiſtol. decretali Stephani, *Et meliora ac Deo placita ſectari atque perficere concedat.* Idem omnino, quod Lamprid. in Heliogabalo, *Dicebat præterea Iudæorum, & Samaritanorum, & Chriſtianorum deuotionem illuc transferendam, vt omne culturarum ſecretum Heliogabali Sacerdotium teneret.*

1. OBSTRVAT VIAM DEFENSIONI.] Sic lego cum Pamelio, ita Hilarius dixit lib. aduerſus Arrianos: *Hæreticorum ingeniis aditus obſtruitur.* Itáque vtuntur Iuriſconſulti hoc verbo. Aliqui demunt accuſatiuum *viam*, quia ita vtuntur Iuriſconſulti. Poſſunt, ſic enim olim erat in Tertulliano, vt ait Puteanus.

2. MIRATVR.] Legit Meurſius *miſeratur*, in Criticis. Nihil tamen muto.

2. SCIT SE PEREGRINAM.] Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. 15. *Etiam in ſuis ædibus peregrinos ſe eſſe nouerunt* Chriſtiani.

20. 2. NOLENTES AVDIRE QVOD AVDITVM DAMNARE NON POSSINT.] Illud Firmici lib. 1. Matheſ. cap. 2. Heraldus aduocat: *Qui verò quærere aliquid, aut audire noluit, nec iudicium aurium ſuarum vera reſpondentibus commodauit, veritus ſcilicet ne rigidas cogitationes ſuas fides veritatis infringeret, iniquè facit.* Et nota, Firmicum appellaſſe *rigidas cogitationes* obfirmatam obſtinationem.

21. 3. CAVSSAM APVD VOS COLLOCAMVS.] Ius primum & crimen impingimus. Itaque eo modo dicitur *cauſſam collocare*, quo, *cauſſa cadere*, eſt in lite vinci. Cicero ad Trebatium: *Quod ſi ſcribere oblitus es, minùs multi iam te aduocato cauſſa cadent.*

3. INIQVITATIS ODII ERGA NOMEN CHRISTIANVM.] Sic legitur in codice Puteani, ſic Iunius, & Heraldus, non *odium*; & ſententia eſt, iniquum odium. Et nota egregiè dici *erga nomen Chriſtianum*: nam hoc eſt propriè odium, dicente Ariſtotele, cap. 4. lib. 1. Rhetoric. καὶ ἡ μὲν ὀργὴ ἀεὶ ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα, οἷον Καλλίᾳ, ἢ Σωκράτει. τὸ δ' μῖσος καὶ πρὸς τὰ γένη: *Ira quidem aduerſus ſingularem ſemper, vt Calliam, Socratem; odium verò etiam aduerſus genera.*

22. 3. QVID ENIM INIQVIVS.] Hanc partem ita proſequitur in Apologetico Athenagoras, omiſſis Græcis: *Neque enim iuſtitiæ & æquitati veſtræ decorum hoc fuerit, ſi aliorum nemo criminis, de quo inſimulatus eſt, condemnetur, niſi conuictus: aduerſum nos verò maior ſit vis nominis, quàm quæ iudiciis conueniunt, argumentorum & probationum.*

3. QVAM VT ODERINT HOMINES.] Minutius, *Vt antè incipiant homines, odiſſe, quàm noſſe.* Lactant. lib. 5. *Timent enim ne à nobis reuincti, manus dare aliquando, clamante ipſa veritate, cogantur. Obſtrepunt igitur & intercedunt, ne audiant; & oculos ſuos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. quo planè ipſi diffidentiam ſuæ perditæ rationis oſtendunt; cùm neque cognoſcere, neque congredi audeant, quia ſciunt ſe facilè ſuperari.* Greg. Nyſſenus ad Flau. ἐκ ἐν καλοῖς, ὦ ἄνθρωπε τῷ Θεῷ, τὰ ἡμέτερα. φερόμενα γὰρ τὰ κακὰ, ἐν τοῖς τὸ ἄδικόν τι ἢ ἀπροφάσιστον καθ' ἡμῶν πιμάσαι μῖσος, ἐκ ἔτι δὲ ζοχασμῶν τινῶν ὑπονοεῖται: *Non optimo ſunt loco res noſtræ, vir Dei; nam mala progredientia in iis qui nos iniuſto, & nullis de cauſſis proſequuntur odio, non iam ampliùs intra ſuſpicionum & coniecturarum ſeſe limites continent.*

4. QVALE SIT.] Ita in optimo manuſcripto, in vulgatis legitur, *quale eſſet.* Similiter. *ſimul deſinunt*, ablato *vt*: & *ceſſant*, pro ceſſent. 23.

4. DE COMPERTO.] Simili phraſi Mart. lib. 9. ep. 104.

Sæpe recuſatò Parthos duxiſſe triumphos.

Ammian. lib. 28. *Cognitóque eum iam pridem repertum in villa propria.* Liuius lib. 5. *Vt multò veriſimilior ſit compacto eam rem, & communi patriciorum fraude actam. Compacto* etiam, vel ſi mauis, *compecto*, à verbo compaciſcor, vtitur alicubi Plautus. Briſſonius in Parergo, iſta: *Cùm diſſimulaſſet comperto matrem ſuam deceſſiſſe*, ſic reddit, *cùm comperiſſet.* cùm ait poſtea, *& ſunt tanti, quanti & denotantur*, legit ex mſ. Schoppius, *& ſunt tanti, quanti denotamur.*

4. OBSESSAM VOCIFERANTVR CIVITATEM.] Ad Scapulam ſic ait Tertull. *Hoc ſi placuerit & hîc fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis,* &c. 24.

4. IN AGRIS, IN CASTELLIS, IN INSVLIS CHRISTIANOS.] Plinius de hac eadem re nota epiſtola conquerebatur: *Neque enim ciuitates tantùm, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt.*

5. CVRIOSITAS HVMANA TORPESCIT.] Quod vitium humanum eſt. Petronius Sat. *Vitio gentis humanæ concupiit ſcire quis aut quid faceret.* Eutyches Gram. *Curioſitas humanæ familiaris naturæ.*

5. ANACHARSIS.] Magnæ hic apud priſcos auctoritatis. Tatianus: ἢ τὸν Σκύθην Ἀνάχαρσιν μὴ ἀποσκορακίζοντες, ἢ νῦν μὴ ἀξιοπαθήσητε περὶ τοῖς βαρβαρικῇ νομοθεσίᾳ παρακολουθοῦσι παιδεύεσθαι: *Et qui Anacharſim Scytham non reiicitis, nunc etiam non indignamini inſtituti ab illis qui barbaram diſciplinam ſequuntur.* 25.

5. IMMVSICOS DE MVSICIS.] Videatur obiter adagium 48. Cent. 1. Hadriani Iunij, vbi *muſicum* accipit pro frugali & moderato.

6. INQVIT.] Pro, inquiunt, vſurpatum & vſitatum Tertulliano.

6. PERFORMANTVR.] Alij *præformantur* cum Pamelio, alij *reformantur* cum Heraldo. Ego Puteanum ſequor. 26.

6. NEC IPSI QVIDEM, QVOS RAPIT.] Vvoueren. legit, *quos capit defendere.*

6. OMNE MALVM AVT TIMORE.] Pacatus Paneg. *Habet oculos conſcientia carnifices, qui magis torquentur & lancinant vitalia, quàm cruces, quàm vulnera, quàm tormenta.* Ouid. 1. Faſt.

Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpémque metumque ſuo.

Sed augeamus ſententiam Tertulliani, Niſi Epiſcopi

auctoritate. is ſic ait : *Conſcientiam in omnibus malis boníſque factis pro lucerna eſſe , quæ oſtendat facinorum vel dignitatem vel turpitudinem.*

6. MALEFICI GESTIVNT LATERE.] Ambroſius lib. 1. de Abraham , cap. 2. *Latere criminoſæ conſcientiæ eſt.* Prudentius in hymno,

Verſúta fraus & callida
Amat tenebris obtegi ,
Aptámque noctem turpibus
Adulter occultus fouet.

Hilarius in pſal. 118. *Quis furari ſub teſte non metuit : Quis ad ſcelus niſi ſecretum eligit ? quis ad adulterium non aut ſolitudinem aut noctem optanit ?*

27. 6. DEONERANT SEMETIPSOS.] Sic lego cum Latinio , cùm omnes habeant , *Dinumerant in ſemetipſos.* Si autem legeretur , *Dinumerant intus ſemetipſos ,* optima eſſet ſententia, vt dicat , dinumerant , id eſt , recolunt , colluſtrant , & recenſent intus *ſemetipſos* , hoc eſt, acta ſua , verè *ſemet ipſos* ſcrutantur. *Numerare* enim eſt recenſere , teſte Virgilio 4. Georg.

Atque Chao denſos diuûm numerabat amores.

Quòd ſi penitiùs explices, *dinumerant*, eſſe poſſit, æſtimant ſe ; nam qui numeratur & cenſetur , in pretio aliquo eſt & cenſu. & alibi ſatis de verbo *cenſeo* , & *cenſus.* Fulcitur hæc coniectura , quòd qui Tertulliani ſcripta tranſtulêre , ſæpius errent omittendo aliquid quod ſcriptum erat , quàm addendo : & ſic non fuit expungenda particula *in* , ſed corrigenda, vt correximus. In verbo autem *dinumerant* , nihil fuit mutandum. Schoppius ex mſ. legit, *Enumerant in ſemetipſos mentis malæ ignauiam.*

28. 6. VEL FATO, VEL ASTRIS IMPVTANT.] De fato locus eſt elegans apud Gregor. Nyſſenum lib. contra fatum hic : παύτα λέγων ὑπειζεύχθαι τῇ τῆς εἱμαρμένης αὐάγκῃ· κἀκείνῳ ἐπιστατεῖν τῶν ὄντων , καὶ τῇ προσῇ ταύτης παύτα ὑποκύπτειν τὰ ὄντα , ζωῆς τε μέτρα , καὶ ἠθῶν διαφορὰς , καὶ βίων αἱρέσεις , καὶ σωμάτων κατασκευάς : *Omnia dicens fatali neceſſitati ſubiecta eſſe , domina rerum , cuius nutui obedirent vniuerſa , vitæ modus ac finis , diſſimilitudo rerum , diuerſa genera viuendi , corporum conſtitutiones.* & Paulinus ad Iouium : *Siquidem cùm & Fors verbum dubitantis ſit , & Fatum profantis expreſſio , & Caſus ſignificatio cadentium vel accidentium , tamen abuſu erroris antiqui ob ignorantiam Dei , rationis inopes , caſſa nomina (tamquam ideo nomina quæque ſint) in ſpeciem corporatam ſtultis cogitationibus fingunt , ſtultiúſque quàm qui finxerint , & donant honore diuino.* Etenim *fata* vocabantur Iouis verba . Sic de Ioue Statius ,

Pondus adeſt verbis , & vocem fata ſequuntur.

Inde Parcas faciebant adminiſtras & amanuenſes Iouis. Inde Martianus Capella lib. 2. *Clotho ve-* A *rò , Lacheſiſque , & Atropos , quoniam ſententiam Iouis orthographicæ ſtudio veritatis excipiunt , vtpote librariæ ſuperûm , archiuique cuſtodes.* Latinus Pacat. Paneg. *Vt illi* (ſcilicet Ioui) *tuæ maieſtatis participi Deo , feruntur adſiſtere fata cum tabulis , ſic tibi aliqua vis diuina ſubſeruit , quæ , quæ dixeris , ſcribat & ſuggerat.* Inde Poëtæ paſſim. Claudian. de Bello Gildon.

--- voces adamante notauit Atropos.

Martialis lib. 10. ep. 61.

Hîc feſtinata requieſcit Erotion vmbra ,
Crimine quem Fati ſexta peregit hyems.

Et Statius 5. Syluarum.

--- Fatum illud & ira nocentum
Parcarum , criménque Dei.

De *aſtris* verò , quæ addit , Iulius Firmicus lib. 1. cap. 1. *Sit iniquus , ſit perfidus , ſit maleuolus , ſit irreligioſus , quia hæc vitia mala Mercurij cum Marte perficit conſtellatio , iam non ſibi ſed impellentibus ſtellis vitio tribuat.* & *aſtris* , cùm ait , *ideo quia Mercurij cum Marte conſtellatio aſtrum efficit.*

29. 6. NOLVNT ENIM SVVM ESSE, QVIA MALVM AGNOSCVNT.] Adducit Heraldus Quintilianum lib. 3. orat. inſtit. cap. 8. *Neque enim quiſquam tam malus , vt malus videri velit. Sic Catilina apud Salluſtium loquitur , vt rem ſceleratiſſimam non malitia , ſed indignatione videatur audere.* Rectiſſimè Schoppius ex mſ. legit *quod*, cùm in vulgatis legatur *quia.*

7. DAMNATVS GRATIAS AGIT.] Tertullianus ipſe cap. 50. Apolog. eiuſdem , *Inde eſt , quòd ibidem ſententiis veſtris gratias agimus.*

7. TIMOREM.] Chryſoſtomus Hom. 8. ad populum : τοιοῦτον ἁμαρτανόντων τὸ ἔθος ὄφι , παύτα ὑφοπτεύουσι , παὶ παύτα φόφον δεδίκασι , καὶ ἕκαστον ὀπὶ βαδίζειν νομίζουσι : *Talis eſt peccantium conſuetudo , omnia ſuſpecta habent , vmbras tremunt , omnem ſtrepitum timent , quemcumque putant contra ſe venire.*

30. 7. QVID HOC MALI EST , CVIVS REVS GAVDET?] Theodoretus explicans verba illa Amos , *Sic erit malitia in vrbe ,* &c. ſic ait : Κακίαν γὰρ τὴν τιμωρίαν κέκληκε , τῷ κοινῷ ἔθει χρησάμενος· κακὰ γὰρ καλεῖν εἰώθαμεν καὶ τὰς νόσους , καὶ τὰς παιδείας , καὶ τὰς ἀώρους θανάτους , καὶ λοιμοὺς , καὶ πολέμους , καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια· ἐπειδὴ , φησὶ , τιμῶται κακὰ , ἀλλ' ἐπειδὴ τὴν ἀνθρώπων λύπην προξενοῦντα καὶ πόνους : *Malitiam vltionem vocauit , peruulgata vſus conſuetudine , mala enim ſolemus vocare & morbos , & ſupplicia , & mortes immaturas , peſtes , bella , atque his ſimilia , non quòd , inquit , hæc mala ſint , ſed quòd hominibus triſtitiam & luctum aduehant.* Cùm ait poſtea , & *pœna felicitas* , legit Schoppius , & putat elegantius , *& pœna victoria.* D

CAP. II. ARGVMENTVM.

Peruersitas quæ in damnandis & absoluendis Christianis obseruatur.

TERTVLLIANVS.

31. 1. SI certum est denique nos nocentissimos esse, curà vobis ipsis aliter tractamur, quàm pares nostri, id est, cæteri nocentes, cùm eiusdem noxæ eadem tractatio debeat interuenire? Quodcumque dicimur, cùm alij dicuntur, & proprio ore, & mercenaria aduocatione vtuntur ad innocentiæ suæ commendationem. respondendi, altercandi facultas patet: quando nec liceat indefensos & inauditos omnino damnari. Sed Christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniustum.

EXPLICATIO.

32. 1. SI *certum est*, &c. Cùm peccauerimus, cur non punimur? cur non tractamur vt alij nocentes? *Quodcumque dicimur*, &c. *Cùm alij dicuntur quodcumque* nos *dicimur*, videlicet scelerati & perfidi, tunc *proprio ore*, *&* aduocatorum *mercenaria aduocatione vtuntur ad* sui *commendationem*. Nota obiter aduocatorum elogium, qui *mercenarij* dicuntur: sic solet vir hic. *Respondendi*, &c. Illis licet respondere, & altercari, idque iure optimo, quando nec licet damnari indefensos, nec omnino inauditos. Inauditum qui damnat, iniustè damnat. *Sed Christianis*, &c. Nobis vnicè nihil permissum est loqui, quod &c.

33. 2. Sed illud solum expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando si de alio nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidæ, vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis (vt de nostris elogiis loquar) contenti sitis ad pronuntiandum, nisi & consequentia exigatis, qualitatem facti, locum, modum, tempus, conscios, socios. De nobis nihil tale, cùm æquè extorquere oporteret quodcumque falsò iactatur, quot quisque iam infanticidia degustasset, quot incesta contenebrasset, qui coci, qui canes affuissent. O quanta illius præsidis gloria, si eruisset aliquem, qui centum iam infantes comedisset.

34. 2. *Sed illud*, &c. Illud tantùm in nobis *solum expectatur* quod pertinet ad publicum plebis odium, & quod expetit plebs, videlicet *confessio* Christiani *nominis*, nulla *criminis examinatio*. *Quando si*, &c. Cùm enim vos cognoscitis de alio nocente & crimino so, puta non Christiano, non illico vt confitetur nomen homicidæ vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis (nam hæc similiter sunt nostra crimina, id est, quæ nobis affingitis crimina similia sunt istis) contenti estis ad pronuntiandum illum esse nocentem, nisi etiam examinetis consequentia, qualia sunt facti qualitas, locus, modus, tempus, conscij, & socij. *De nobis*, &c. At cùm nos vocamur in iudicium, nihil tale examinatis, cùm similiter tormentis extorquere oporteret, quod falsò de nobis iactatur, scilicet, quot quisque infantes solùm degustasset, quot tenebris incesta texisset, qui fuissent illarum epularum coci, qui comites canes, illi videlicet quibus vtebantur ad hæc maleficia, de quibus postea latè. O qualis esset gloria illius præsidis, illius iudicis, si eruisset aliquem Christianum centum infantium epulonem.

35. 3. Atquin inuenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cùm prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem, allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de Sacramentis eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo vt Deo: & ad conferendam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit, Hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos verò puniri oportere.

36. 3. In Christianos inquisitio prohibetur: nam cùm Plinius in eos sæuisset, scripsissétque ad Traianum Principem, quid fieri iuberet, ille rescripsit inquirendos non esse, verumtamen oblatos puniendos. Hæc satis pro claritate litteræ.

37. 4. O ſententiam neceſſitate confuſam. Negat inquirendos, vt innocentes; & mandat puniri, vt nocentes. Parcit, & ſæuit; diſſimulat, & animaduertit: Quid temetipſum cenſura circumuenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & abſoluis? Latronibus veſtigandis per vniuerſas prouincias militaris ſtatio ſortitur. in reos maieſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles eſt: ad ſocios, ad conſcios inquiſitio vſque extenditur. Solum Chriſtianum inquiri non licet; offerri licet: quaſi aliud eſſet actura inquiſitio, quàm oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requiſitum, qui puto iam non meruit ideo pœnam quia nocens eſt, ſed quia non requirendus inuentus eſt.

38. 4. Sententia hæc Traiani confuſa eſt neceſſariò, cùm neget inquiri vt innocentes, & mandet puniri vt nocentes. Hinc reliqui Tertulliani ictus in illum, quibus vrget & premit validè. *Latronibus veſtigandis*, &c. Operam dant ſtationarij milites inueſtigandis latronibus: ſimiliter in publicos hoſtes & reos maieſtatis, officium militare exercet omnis homo ad eos inquirendos: quæ inquiſitio extenditur ad omnes ſocios & conſcios. *Solum Chriſtianum*, &c. Atqui ſolus Chriſtianus inquiri non debet, & debet tamen oblatus & inuentus puniri, quaſi iniuſtè inquiratur, & iuſtè offeratur: quod probat neceſſariò ſententiam confuſam, & ſibi ipſi repugnantem. *Damnatis ergo*, &c. Igitur ex decreto Principis damnatis oblatum, quem nemo veſtrùm voluit requiſitum, qui non vt nocens meruit pœnam, ſed quia inuentus eſt non à vobis requirendus.

39. 5. Itaque nec in illo ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quòd cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum, cùm ſi malum eſſet, nos quidem negaremus, vos verò confiteri tormentis compelleretis. Neque enim ideo non putatis requirenda quæſtionibus ſcelera, quia certi eſſetis admitti ea ex nominis confeſſione. Quî hodie de confeſſo homicida, ſcientes homicidium quod ſit, nihilominus ordinem extorquetis admiſſi? quo peruerſius, cùm præſumatis de ſceleribus noſtris ex nominis confeſſione, cogitis tormentis de confeſſione decedere, vt negantes nomen, pariter vtique negemus & ſcelera, de quibus ex confeſſione nominis præſumſeratis.

40. 5. *Itaque nec*, &c. Concludit, in eo homine qui oblatus eſt, non adhiberi modum mali iudicandi; quòd cæteris adhibentur tormenta ad confitendum, vnis Chriſtianis ad negandum: cùm contrà eſſet: nam nos, ſi mala eſſet res Chriſtiana, negaremus illam; vos verò vt confiteremur, tormentis compelleretis. *Neque enim*, &c. Poterant Gentiles obiicere: Non quærimus tormentis de veſtris criminibus: nam ſatis eſt confeſſio Chriſtiani nominis, in quo latent omnia crimina: quia nullum eſt crimen, quod Chriſtiani non admittant: diluit hanc obiectionem hunc in modum: Quaſi dicat, Vos egregiè mentimini; nam ſi putaretis ideo non requirenda quæſtionibus noſtra ſcelera, quia certi eſſetis admitti ea ex Chriſtiani nominis confeſſione; *quî*, id eſt, quomodo hodie ſcientes de confeſſo homicida quòd admiſſum ſit homicidium, nihil extorquetis ordinem homicidij admiſſi? Solent quippe, imò debent iudices ab confeſſo homine ex tormentis extorquere circunſtantias alias, & ordinem delicti, vt ſciatur vbi, quando, quomodo, & quibus ſociis. Ait ergo Septimius, non putatis id quod obiicitis, nam aliter facitis in aliis reis. *Quo peruerſius*, &c. Ex obiectione, quam diluit, colligit peruerſitatem horum in iudicando. Alij iudices, & voſmet in aliis reis, ſoletis extorquere ab confeſſo homine circunſtantias delicti: in nobis aliter fit, cogitis enim tormentis, vt negemus Chriſtianum nomen: ac perinde peruertitis iudicium; nam facitis vt euaneſcant illa omnia ſcelera, quæ præſumſeratis ab ſolo Chriſtiano nomine confeſſo. Notabis, illud *quo* initij, poſitum pro vnde, aut, ex quo.

41. 6. Sed, opinor, non vultis nos perire, quos peſſimos creditis (ſic enim ſoletis dicere) homicidas. Negatis laniari iubere ſacrilegum, ſi confiteri perſeuerauerit. Si non ita agitis circa nos nocentes, ergo nos innocentiſſimos iudicatis: cùm quaſi innocentiſſimos non vultis in ea confeſſione perſeuerare, quam neceſſitate, non iuſtitia damnandam à vobis ſciatis. Vociferatur homo, Chriſtianus ſum. Quod eſt, dicit: tu vis audire quod non eſt. Veritatis extorquendæ præſides de nobis ſolis mendacium elaboratis audire. Hoc ſum, inquit, quod quæris, an ſim. Quid me torques in peruerſum? Confiteor, & torques: quid faceres, ſi negarem? planè aliis negantibus non facilè fidem accommodatis, nobis, ſi negauerimus, ſtatim creditis.

42. 6. Ironicè loquitur, cur ita nos tractatis, cur homines sceleratos non vultis perire, videmini nolle punire pessimos & malos homicidas, videmini nolle perire per quos alij pereunt. *Negatis laniari*, &c. Sacrilegus donec negauerit, torquetur, vt verò confiteri perseuerauerit, tollitur à tormentis, & seruatur pœnæ. Non ita agitis erga nos, quos nocentes existimatis, sed vultis vt statim ac negemus non esse Christianos, eruamur & à tormentis, & à periculis pœnæ, & sic nos innocentissimos iudicatis; cùm tamen sciatis vosmetipsi eam confessionem necessitate factam, non iustitia. *Vociferatur homo*, &c. Cùm est in tormentis Christianus, vociferatur, *Christianus sum*, dicit scilicet quod est, quod tu audire non vis. Inde fit, vt cùm præsides sitis veritatis extorquendæ, à nobis solis mendacium requiratis. *Hoc sum*, &c. Quod quæris, hoc sum, cur me torques? quid faceres, si negarem? Sanè cùm alij negant, non ita facilè soletis credere, nobis statim creditur vel si negemus tantillum.

43. 7. Suspecta sit vobis ista peruersitas, ne qua vis lateat in occulto, quæ vos aduersus formam, aduersus naturam iudicandi, contra ipsas quoque leges ministret. Nisi enim fallor, leges, malos erui iubent, non abscondi: confessos damnari præscribunt, non absolui. Hoc Senatusconsulta, hoc Principum mandata definiunt; hoc Imperium, cuius ministri estis. Ciuilis, non tyrannica dominatio est. Apud Tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur; apud vos soli quæstioni temperatur. Vestram illis seruate legem vsque ad confessionem necessariam. & iam, si confessione præueniantur, vacabunt. Sententia opus est: debito pœnæ nocens expungendus est, non eximendus. Denique nemo illum gestit absoluere, non licet hoc velle, ideo nec cogitur quisquam negare.

44. 7. Lectio, quam repræsentaui, verissima est: indicat enim eos agitari à malis dæmonibus, & ab insinceris spiritibus ad eruendum aliquid contra ordinem iudicandi, & formam. Hoc indicat verbum *ministret* positum in calce, vel, vt alij legunt *infestet*; hoc indicat etiam nomen *vis*: de quo vide Notas. Dicit enim non esse credibile homines sapientissimos ita furere spretis legibus, nisi vis aliqua dæmonum in occulto penetrasset. *Nisi enim*, &c. Hoc enim agitant leges contra malos dæmonas, vt illæ sinceræ sint. Hoc scilicet indicat verbis illis, *iubent*, *præscribunt*: hoc vult tota periodus grauitate verborum circumscripta, in qua sunt consulta Senatus, mandata Prin-
45. cipum. ἐντολαὶ Dio explicat. *Ciuilis*, *non*, &c. in nonnullis codicibus legitur, *Ciuilis non tyrannica dominatio vestra est*, vbi vox *vestra* eradenda est, Tertullianus enim loquitur non Imperatores, sed ministros Imperij, vt periodus ipsa palam est. Clara propè omnia sunt, vnum aut alterum explicabo. *Temperatur*, mensura est sola quæstio. *Expungendus est*, *non eximendus*, expungi debet debito, non eximi. id est, debet luere pœnam: nam hoc est, *non eximi*: sed non in tormentis: nam hoc est, *expungi* debet. Clariùs, *expungi debet*, est, tradendus est supplicio, & perficiendum de eo iudicatum, vt de reorum numero expungatur nomen ipsius, quemadmodum & debito absoluto expungitur debitoris nomen. Non autem est *eximendus* in salutem & libertatem, non vtique absoluendus & liberandus est. *Non licet hoc velle*. Nec velle licitum est: ideo quisquam non cogitur negare, sed sincerè manifestare quod est.

46. 8. Christianum hominem omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimas: & cogis negare vt absoluas, quem non poteris absoluere, nisi negauerit. Præuaricaris in leges. Vis ergo neget se nocentem, vt eum facias innocentem, & quidem inuitum iam, nec de præterito reum. Vnde ista peruersitas? vt etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse, quàm per vim neganti? vel, ne compulsus negare, non ex fide negarit: & absolutus, ibidem post tribunal de vestra rideat æmulatione, iterum Christianus.

47. 8. *Christianum hominem*, &c. Ille præuaricatur in leges, qui Christianum hominem vult vt neget nocentem esse, vt eum faciat innocentem: & quidem, quod absurdius est, inuitum: & adhuc, qui numquam fuit de præterito, & in præterito reus. Is ergo tot acerbitatibus cumulatus, & inimicus Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ demum ipsius, solùm si neget, absoluitur? *Vnde ista peruersitas*, &c. Quæ præterea ista peruersitas est, vt non sinat cogitare vos, magis credendum esse homini vltrò confitenti, quàm neganti per vim? *Vel ne*, &c. Ordo est, *vel ne* recogitetis quòd *compulsus negare*, *non ex fide negarit*. illud *negare ex fide*, non est negare fidem, sed ex animo negare. Itaque ait: Qui negat compulsus, non ex animo negat, neque interposita fide, οὐ πιστελάσας. Vel demum post absolutionem, redeat iterum Christianus, & rideat vos.

48. 9. Cùm igitur in omnibus nos aliter disponitis, quàm cæteros nocentes; id vnum contendendo, vt de eo nomine excludamur (excludimur enim, si facimus quæ faciunt non Christiani) intelligere potestis, non scelus aliquod in causa esse, sed nomen, quod quædam ratio æmulæ operationis insequitur, hoc primum agens, vt homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo sciunt. Ideo & credunt de

nobis quæ non probantur, & nolunt inquiri, ne probentur non esse, quæ malunt credidisse, vt nomen illius æmulæ rationis inimicum, præsumptis non probatis criminibus de sua sola confessione damnetur. Ideo torquemur confitentes, & punimur perseuerantes, & absoluimur negantes, quia nominis prælium est.

49. 9. Cùm ergo nos cum aliis nocentibus non confertis, id vnum enixè contendentes vt Christiani non simus, satis clarè liquet, non scelus in nobis esse, verùm quamdam rationem diabolicam nomen hoc insequi, hoc primùm agentem, *Vt homines nolint scire pro certo, quod pro certo sciunt se nescire:* hoc est, Christianum innocentem: quòd cùm certò sciant se nescirè an sit innocens, nolunt scire. Si enim scirent veritatem, non damnarent. Atque adeo debetis nos audire, vt certò sciatis, simus an non simus innocentes. Parenthesis verò ea est, vt dicat, *excludimur*, &c. id est, excludimur à numero nocentium si facimus quæ non Christiani scilicet, si Christianum nomen negamus, & viuimus vt non Christiani. *Ideo & credunt*, &c. Quamobrem & credunt, & nolunt quicquam de nobis inquiri. cur? ne probentur, quæ malunt credere, vt nomen damnetur. *Quia nominis prælium est*, quia tantùm ventilatio est de nomine, simus an non simus Christiani.

50. 10. Denique quid de tabella recitatis illum Christianum, cur non & homicidam? Si homicida Christianus, cur non & incestus? vel quodcumque aliud esse nos creditis? In nobis solis pudet, aut piget, ipsis nominibus scelerum pronuntiare? Christianus, si nullius criminis reus est; nomen valde infestum, si solius nominis crimen est.

10. Recitabantur olim de tabella nomen & sententia criminis capitalis. Dicit ergo, cur non ad Christianum adiungitis alia scelera? *In nobis*, &c. In nobis solis pudet, aut piget pronuntiari scelerum nomina? ne crede. *Christianus, si*, &c. Infesti sumus Christiani, & plurimùm, si solum nominis prælium & crimen est.

NOTÆ.

51. 1. CVM EIVSDEM NOXÆ.] Obseruauit Heral. illud Lucani,

Facinus quos inquinat, æquat.

Et Cyprianum, *Qui iunguntur in culpa, in pœna non separantur.*

1. QVODCVMQVE, &c.] Vt legi, ferri potest: sed vide an meliùs, *Quodcumque dicimur. Cùm alij dicuntur*, &c. Ita cap. 7. *dicimur sceleratissimi.*

1. MERCENARIA ADVOCATIONE.] Ouidius in Amoribus,

Turpe reos empta miseros defendere lingua.

Zeno Veron. serm. 2. de Maurit. *Diserti mercenaria ac duplici lingua.* Symmachus Iulianum commendat hoc nomine in epist. 37. lib. 1. Dicit enim, *Quòd numquam in mercedem linguæ ornamenta corruperit.*

2. ODIO PVBLICO.] Christiani hoc titulo nuncupabantur. Arnob. lib. 1. *Hostibúsque condignos odiis nos esse.* & sæpissimè Tertullianus.

52. 2. COGNOSCITIS.] Vox signata. Pet. Chrysol. serm. 45. *Non est creatoris pij, sed seueriſſimi cognitoris*, id est, iudicis. Iterum. *Addictus sic loquitur cognitori.* Eusebius Gallicanus Episcopus Homil. ad Pœnitentes: *Nullum quæso peccatum sit quod transgressuri gemitus prætermiserint: vt sub extremo illo tremendi cognitoris aduentu sola cum indulgentia gratia remunerationis inueniat.* & Prudentius in Agone Romani:

Sed credo magni limen amplector Iouis?
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Iuliæ,
Luet Seueram victus & Scantiniam,
Te cognitore dignus ire in carcerem.

Et iterum:

Tali repressus cognitor constantia.

2. NON STATIM CONFESSO EO NOMEN HOMICIDÆ.] Post confessionem sequebatur pronuntiatio; sic enim ait: Etenim confessio conuictum efficit, non damnatum. Quintilianus Declam. 114. *Lex quæ confessum puniri iubet, sententiam ipsi* (de Iudice loquitur) *reliquit.* Myrrha apud Ouid. 10. Metamor. post nefandum cum patre incestum,

--- O si qua patetis
Numina confessis, merui, nec triste recuso
Supplicium; sed ne violem viuósque superstes,
Mortuáque extinctos, ambobus pellite regnis,
Mutataque mihi vitamque necémque negate.

Ideo postea subiicit idem poëta:

Numen confessis aliquod patet, vltima certè
Vota suos habuere Deos

2. VT DE NOSTRIS ELOGIIS.] Omnes codices manu scripti habent *nostris*, & sic legendum proculdubio, tametsi Pamelius contra hanc fidem mutauit in *vestris.* Verùm legendum *nostris*, admonent Heraldus, & Petrus Faber lib. 3. Semest. cap. 5. & ratio est, quia hæc sunt elogia Christianorum, qui dicebantur *homicidæ, sacrilegi, incesti*, & *publici hostes. Homicidæ* propter infanticidia; *sacrilegi*, quòd honorem diis negarent; *incesti*, propter turpes mistiones; demum *publici hostes*, tamquam generis humani piaculum. Hæc videbuntur clarissimè in sequentibus, & Heraldus probat prolatis testimoniis. 53.

54. 2. ELOGII S.] *Elogium* in vtramque partem ſumitur. Zeno Veronenſ. Sermone in pſal. 100. *Gradatim pro meritis quaſi cum quibuſdam elogiis, pauciſſimis verbis totius humani generis iudicium deſignauit: etenim quantum intereſt inter impium & peccatorem, tantum intereſt inter peccatorem & iuſtum.* Et Arnob. lib. 4. *Maledictionis elogia.* Papias: *elogium titulus cuiuſlibet rei.*

2. INCESTA CONTENEBRASSET.] *Contenebrare inceſta*, nihil eſt aliud quàm tenebris inceſta tegere. Et mihi nihil eſt quærendum cur huic verbo caſum adiunxerit, cùm ſæpe defenderim, nullum verbum ἔχειν ἀμεταπτωσίαν. Cui opinioni quid obſtiterit, numquam vidi. Et cùm Varro lib. 2. Rei Ruſt. cap. 2. dixit, *quoad contenebrauit*, nihil eſt aliud, quàm quoad ſe contenebrauit. Sicut cùm audis, *nox præcipitat*, nihil eſt aliud, quàm nox ſe præcipitat. Sicut iam nos olim in inſtitutione Grammatica docuimus, quæ nunc titulo Antonij reformata editur.

55. 2. QVI COCI, QVI CANES AFFVISSENT.] Aiebant, Chriſtianos, cùm in vnum conueniſſent, infantem primò mactare, cuius & carne comeſta, & potato ſanguine, fœdus inter ſe ferirent: deinde poſt conuiuium cum quibuſuis mulieribus impudentiſſimè commiſceri. Id autem vt fieret commodiùs, ſolere canes ad candelabra alligari: qui ea, poſtquam proiectum eſſet ad eos panis aliquod fruſtum, ad id accurrentes, euerterent. Itaque luminibus extinctis facilem omnibus exercendæ libidinis rationem redderent. Hinc poſtea audies: *Dicimur ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidij, & pabulo crudæ, & poſt conuiuium inceſto, quod euerſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundia procurent.* Et Athenagoras, τρία ὀπτημίζειν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδαίους μίξεις: *Trium flagitiorum rumor de nobis ſpargitur, impietas quæ deos tollat, epulæ Thyeſteæ, concubitus inceſti.* Sunt qui referant ad homines imprudentes, ſunt qui ad homines inſtar canum ὠμοφάγους, ignari prorſus moris.

56. 2. O QVANTA ILLIVS ESSET, &c.] Athenagoras: ἀλλὰ κρίνεσθαι ἐφ' ὅσον αὐ ἐγ ὑυθύνητε, ἐγ ἢ ἀφίεσθαι ἀπολαυομένους τοῦ κατηγορεῖσθαι, ἢ κολάζεσθαι τοὺς ἀλιτηριωδέστατους πονηρούς: *Quin potius ſi ſtamur iudiciis vt à criminibus illis, quæcumque nobis intentantur, aut abſoluamur, aut, ſi conuicti fuerimus, puniamur.* Hoc petit Tertullianus. Eſt & Iuſtinus in hac cauſſa, Apolog. 2. ἀλλ' ἵνα μὴ ἄλογον φωνὴν ἐγ πολυπραγμοσύνῃ δόξῃ τις ταῦτα εἶναι, ἀξιῶμεν τὰ κατηγορούμενα ἡμῶν ἐξετάζεσθαι· ἐγ ἐὰν ὦσιν ἔχοντα ἀποδεικνύωνται, κολάζεσθαι, ὡς πρέπον ὄντι, μᾶλλον ἐ κολάζειν: *Verùm ne quis hæc dicta contra rationem temerè prolatam vocem eſſe exiſtimet, oramus vt quæ ipſis obiiciuntur, crimina inquirantur: atque ſi ita ſe habere probata fuerint, pro eo atque par eſt puniantur, ſeu potiùs acriùs etiam puniantur.*

2. ERVISSET.] Vox iuris, quæ *deprehendere* proculdubio valet. Symmachus lib. 9. epiſt. 6. *Debita ab obnoxiis ſeruis eruenda mandaui.* & lib. 10. epiſt. 72. *A quibus pleraque ſeruitia Palatinus Euſebius iuſſus eruere.* Vide Iuretum in lib. 8. Symmachi epiſt. 109. vbi inuenis longam ſegetem auctoritatum ex iure.

57. 3. ATQVIN.] Hilarius can. 11. in Matthæum. *Atquin Ioannes venturum, vt præitor nuntiauit.* & can. 21. *Atquin Iſrael non pœnituit.*

3. PLINIVS SECVNDVS.] Hæc inter alia Euſebius lib. 3. hiſtoriæ, cap. 27. ab illis verbis, A ποσῶν γε μὴν ἐν πλείοσι, &c. tantùm Latinè reddam: *In nonnullis locis id temporis, tanta quidem & tam acris contra nos intendebatur perſecutio, vt Plinius Secundus, qui inter prouinciarum præfectos facilè primas tulit, ingenti martyrum numero magnopere commotus, de multitudine eorum qui erant quotidie pro fide trucidati, Traianum Imperatorem certiorem faceret. In quo referendo illud pariter adiecit, ſe non aliquando in illis comperiſſe, quòd vel quicquam impietatis, vel quicquam contra leges omnino molirentur: præterquam quòd primo diluculo ſomno excitati, Chriſtum vt Deum hymnis celebrarent.* 58. *Quin etiam adulterium, homicidium, & alia nefanda peccata, quæ ſunt cum iis aliqua cognatione coniuncta, vetant, & omnia quæ ſunt legibus congruentia, ſedulò exequuntur. Quibus quidem adductus Traianus tale promulgauit edictum: Chriſtianos à nemine quidem inquirendos eſſe, oblatos autem puniri oportere.* Vide ipſiſſimam Plinij epiſt. lib. 10. quæ incipit, *Solemne eſt mihi, domine*, &c. B

3. DE SACRAMENTIS EORVM COMPERISSE.] Vulgares libri *de Sacris eorum comperiſſe.* abſtinui, nam Plinius dicto loco: *Sèque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent; ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.* Ita tamen abſtinui, vt cum nemine pugnem, ſi legat, vt vulgares legunt: potuit enim Tertullianus ſententiam ſeruare, non verba. Explicat Schoppius, *de Sacramentis*, id eſt, de coniurationibns. Sed hîc *Sacramenta* ſunt, occulta quædam.

3. COETVS ANTELVCANOS.] Eccleſiæ ritus, vt ſummo mane, *non paſſim* (inquit Cyprianus orat. Domin.) *ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè Deo, tumultuoſa loquacitate iactare.* Sed *antelucanam orationem* meminit Caſſianus lib. 3. cap. 5. *Ne purificationem noſtram confeſſione ſupplici & antelucanis orationibus acquiſitam, vel emergens quædam redundantia humorum naturalium polluat.* Baſilius epiſt. 63. *De nocte ſiquidem populus conſurgens, antelucano tempore domum precationis petit, inque labore, ac tribulatione, & lacrymis indeſinentibus, facta ad Deum confeſsione, tandem ab oratione ſurgentes, ad pſalmodiam inſtituuntur.* & Sidonius epiſt. 2. lib. 1. *Si actionem diurnam quæ eſt forinſecus expoſita, perquiras: antelucanos Sacerdotum ſuorum cœtus minimo comitatu expetit.* Extat Apoſtolica conſtitutio apud Clementem Romanum, lib. 8. cap. 34. *Precationes facite mane.* Athanaſius de Virginit. ſeu Meditat. *Oriens Sol videat librum in manibus tuis.* Cyprianus de orat. Domin. *Sed nobis, fratres dilectiſſimi, præter horas antiquitus obſeruatas, orandi nunc ſpatia, & Sacramenta creuerunt, nam & mane orandum eſt.* Demum Plinius ipſe: *quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire.* De *cœtu* eſt quod notes, ſolitam dari hanc vocem rebus ſacris. Hinc Meurſius illud Conſtantini Manaſſæ in Annalibus, 59. 60. C D

Οὗτοι γὰρ ἀθρόοντες αὐδεραις θεοφορήτοις,

ita reddit, *Nam hi religioſorum hominum cœtu coacto.* Dionyſius Exiguus hanc vocem dat interpretans in vita Sancti Pachomij, *Monachorum cœtibus aggregabat.*

3. CHRISTO VT DEO.] In vulgatis, *Chriſto & Deo*, repoſui *vt*, quia Plinius: *Carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem.* Neque abit narratio Euſebij. 61.

3. AD CONFERENDAM DISCIPLINAM.] Id eſt, quaſi fœdere, (inquit Heraldus) ac ſacramento ſimul & ὁμοδυμαδὸν ſanciendam.

Præfectus vrbis apud Prudentium in Martyrio Laurentij,

Hunc eſſe veſtris Orgiis
Morem, & artem, proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis,
Libent vt auro antiſtites.

3. PERFIDIAM.] In abnegatione depoſiti ſitam, explicat Heraldus: hoc enim indicat Plinij locus: verba eius, *ne depoſitum appellati abnegarent.* Et Euſebius interpretans hunc locum, ἀποστερεῖν κυριώτατα.

62. 3. OBLATOS VERÒ PVNIRI OPORTERE.] Traianus Plinio: *Conquirendi non ſunt: ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt.* Quod ergo Traianus dixit, *deferre & arguere*, Noſter *offerre*, verbo Iuriſconſultis noto, familiari etiam, Tertulliani ævo. Sic enim de fuga in perſecutione: *Ex inopinato apprehenſus & præſidi oblatus.* Idem vſurpat Cyprianus, & Hieronymus, de Muliere ſepties B ictа. Hæc diſſerit Heraldus, ſed dubio procul *argui* non eſt *offerri.*

63. 4. O SENTENTIAM, &c.] Hic ille Traianus Clementem Pontificem Romanum exilio multauit, poſt quod Martyrio coronatus eſt: Simonem fratrem Domini dictum, filium Cleophæ, in crucem egit: Ignatium, Antiochenum Epiſcopum, leonibus obiecit, & multos trucidauit, vt meritò queratur Tertullianus de ſententiæ huius perplexitate.

4. QVID TEMETIPSVM.] Fortaſſe meliùs, *quid temetipſam.*

4. LATRONIBVS VESTIGANDIS.] Statuit hoc bono publico Auguſtus. Suetonius in eius vita: *Igitur graſſatores, oppoſitis per opportuna loca ſtationibus, inhibuit.* Tiberius ſecutus exemplum eius eſt: nam idem Suetonius in eius vita: *In primis tuendæ pacis à graſſaturis ac* C *latrociniis, ſeditionúmque licentiâ, curam habuit. Stationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit.* Heraldus in Tertullianum.

64. 4. IN REOS MAIESTATIS ET PVBLICOS HOSTES.] Particula & hoc loco ponitur ἐξηγητικῶς, & tantùm cauſſa aſtruendæ ſententiæ; Iidem enim ſunt *hoſtes publici*, qui & *rei maieſtatis.* In hos enim facilè inuolare licebat, & cuilibet erat datum interficere. Guntherus ævo ſuo clariſſimus poëta ita cecinit,

Tunc proceres clarique viri, turbæque minoris
Ambitioſa manus, ſtudio deuota fideli,
Sacramenta dabant cunctas ſeruanda per orbes:
Principis Auſonij ius, famam, corpus, honorem
Nec ſe læſuros, & ſi quis ladere tentet,
Vſque vel ad mortem tota virtute reniti.

Capitolinus in Gordianis: *Hoſtes publicos qui occiderit, præmium merebitur.* Quintilianus ſæpe in eam- D dem ſententiam loquitur in Declamationibus. Eſt & aliquid ſimile in Appiano.

65. 4. MILES EST.] Miniſtri olim ſumendæ pœnæ & ſupplicij erant *milites.* Ioannes Chryſoſtomus orat. 3. ad Populum. ἀλλὰ συγχώμης ἀπόσης χωρεῖς ἐπὶ τὸ βάραθρον ἀπήγοντο, στρατιωτῶν ὑπόπλων ἑκατέρωθεν αὐτὸν πιεζόντων, & παραπεφυκότων μήτις ἐξαρπάσῃ τὸν καταδίκους: *Sed abſque omni venia ad barathrum abducebantur, militibus armatis vtrimque ipſos agentibus, & obſeruantibus ne quis reos eriperet.* Pontius in Cypriani martyris vita ita ſcripſit: *Et cùm exiret prætorij fores, ibat comes militum turba, & ne quid in paſſione deeſſet, centuriones & tribuni latus texerant.* Hieronymus in Muliere ſepties ictа, carnificem illum, qui fœminam percuſſit, vocat *ſpiculatorem.* verba eius: *Iam ſpiculator exterritus, & non credens ferro, mucronem aptabat in iugulum.* Iulius Firmicus lib. 8. cap. 26. *Spiculatores faciet qui nudato gladio hominum amputant ceruices.* Et Seneca, de ira lib. 1. *Tunc centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpiculatorem iubet.* Vide & Marcum cap. 15.

4. QVAM OBLATIO.] In vulgatis eſt 66. *quàm oblatio.* ſenſu perfecto: vrget enim illud, *ô ſententiam neceſſitate confuſam:* quaſi dicat, quaſi iniuſta eſſet inquiſitio, & iuſta oblatio. Cùm ſine dubio ſi alterutra iuſta ſit, vtraque iuſta ſit neceſſe eſt; & ſi iniuſta, pariter: ac perinde confuſa & repugnans erit ſententia: quod intendit probare Tertullianus. Neque enim poteſt dici *oblationem*, cùm *agere oblationem*, non ſit ex vſu Latij, & *facere* dicendum videretur. Niſi quis dicat, ita hoc in vſu Eccleſiaſticis, vt *Miſſas agere* pro celebrare dixit Valafridus lib. de Rebus Eccleſiaſtic. cap. 21. Cùm alioquin dicendum eſſet *Miſſas facere*: quam locutionem ipſe ſtatim vſurpat.

4. NON REQVIRENDVS.] Aliquis ſapor ad illud Ouidij, *tu non inuenta, reperta es.*

5. ITAQVE NEQVE IN, &c.] Huc ſpe- 67. ctat locus Cypriani ad Demetrianum: *Si pœnam tuam metuens, id quod priùs fueram, & quòd Deos tuos non colueram, mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuiſſem, tunc ad confeſſionem criminis vi doloris adigendus: ſicut in cæteris quæſtionibus torquentur rei qui ſe negant, crimine quo accuſantur, teneri, vt facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc cùm ſponte confitear & clamem, & crebris ac repetitis idemtidem vocibus Chriſtianum me eſſe conteſter; quid tormenta adhibes confitenti?* & Minutius: *Exercentes in iis peruerſam quæſtionem, non quæ verum erueret, ſed quæ mendacium cogeret.*

5. NEQVE ENIM IDEO, &c.] Notet 68. tria meus lector. Primò, duplicem negationem, quæ eſt initio, non affirmare, Latino more, ſed negare, Græco: deinde, explicuiſſe me *quî*, pro quomodo: tertiò, adhibitam à me interrogationem, qua carent omnes libri. Alij, vt volunt, capiant; mihi quidem ita conſtare perfectiſſimè ſenſus videtur. Sunt enim qui illud *ſcientes homicidium quod ſit*, legunt, *ſcientes homicidium quid ſit*, in quo nec ſaliuam tenent Tertulliani. Si quem autem capit delectatio vulgaris ſenſus, explicet ſic. Reſpondet tacitæ aduerſariorum rationi: qui poſſent dicere: Non inquirimus quæſtionibus ſcelera veſtra, quia certi ſumus ea admitti ex confeſſione nominis. Inquit ergo; fruſtra hanc cauſſam comminiſcimini, cùm hodie ex iure & conſuetudine ſcientes de confeſſo homicida, quòd ſit admiſſum homicidium, nihilominus iuris eſſe cenſetis, ordinem quoque ſceleris extorquere, ſcilicet quando, vbi, quomodo, & quibus ſociis.

6. SED OPINOR, &c.] Vt ego legi, ha- 69. bent communes libri, idonea ſententia. Alij ita legunt, *Sed, opinor, non vultis nos perire, quos peſſimos creditis. Sic enim ſoletis; dicere homicidæ, nega: laniari iubere ſacrilegum, ſi confiteri perſeuerauerit:* diuerſiſſima ſententia. Nota mihi illud *peſſimos*: ſic enim hoſtes Chriſtiani nominis vocabant Chriſtianos, *ἀνθρώπους ἀδεκοὺς ἀξίους, homines nihili, viles.* apud Iuſtinum Martyrem dialog. Tryphonis.

7. SVSPECTA SIT VOBIS, &c.] Communes libri legunt, *Suſpecta ſit nobis illa peruerſitas.* Aduertebam vocem *vis* facere ad meum ſenſum. Itaque Tertullianus de Anima: *Etſi poſt Deos, & cum Diis dæmonia deputantur, penes poëtas & philoſophos. Nondum enim Chriſtiana poteſtatis documenta præceſſerant, quæ vim iſtam perniciosiſſimam, nec*

vnquam bonam, antiqui erroris artificem, omnis veritatis auocatricem sola traducit. Ad sententiam in communi facit Nicetas Choniates libri secundi Manualis, capite tertio. Κἀπειδὴ ἄπιστα μῶμος ἢ τῶν ἀφανῶν, ὡς οἶδαμεν: *& nihil tam sanctum est, quod calumnia tentare non audeat, vt vidimus.*

70. 7. ERVI.] Nota duobus in locis Codicis, leg. 1. de non numeranda pecun. & leg. 2. si pignor. vbi habetur, *veritas seruetur*, legendum esse *veritas eruetur*. Lege Fabrum 3. Semest. cap. 10.

7. CIVILIS, NON TYRANNICA DOMINATIO EST.] Pessimè in libris fere omnibus scriptum, *ciuilis, non tyrannica dominatio vestra est*: quod optimè aduertit Heraldus: hoc enim, dicit, imperium, cuius ministri estis, ciuile est, id est, legibus & iure astrictum; non solutum impotentia & libidine tyrannica. Et *vestra* additum est ab iis qui Tertulliani mentem non intellexerunt. Apuleius libro B
10. *Vt rite & more maiorum iudicio reddito, & vtrinsecus allegationibus examinatis ciuiliter sententia promeretur, nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus.*

71. 7. TEMPERATVR.] Latinius legit *temperantur*, scilicet tormenta. Ea igitur tormenta ad cruentam veritatem adhibentur, qua patefacta, cessant. Huc confer Senecam in Oedipode,

Huc aliquis ignem, flamma iam excutiet fidem,
Per tam cruentas vera quærentis vias.

7. VACABVNT.] Sententia communiter sic legitur, *vacabunt sententia opus est*, nescio quo sensu.

7. EXPVNGENDVS.] Vnde sumatur hæc locutio (inquit Heraldus) ipse Tertullianus indicat, cùm ait *debito*. Apuleius Apol. *Cùm haud pridem Pudentilla de suo quinquaginta millia nummûm* C *in populum ea die expunxisset, qua puerulus vxorem duxit.* hæc ille. Taubmannus in Plaut. Cistell. *Expungitur nomen debitoris: & deletur cùm omnis pecunia persoluta est.* Hermogenianus L. XIII. de diuers. *Reipublicæ rationes subscriptæ & expunctæ.* Plautus:

--- volo persoluere,
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.

72. 7. NEC COGITVR QVISQVAM NEGARE.] Enthymemate absoluit rem istam Cyprianus, ad Demetrianum. *Quæ hæc est insatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido sæuitiæ? quin potiùs elige tibi alterum de duobus: Christianum esse, aut est crimen, aut non est. Si crimen est, quid non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? torqueri enim debui si negarem.*

73. 8. LEGVM, MORVM, NATVRÆ INIMICVM.] Præbet tibi segetem elogiorum, quæ D in Christianos iactabantur. Vide hîc longam operam Heraldi. Sed & Arnobius lib. 1. *Nec enim negauerim validissimam esse accusationem istam, hostilibusque condignos odiis nos esse, si apud nos esse constiterit caussas, per quas suis mundus aberrauit ab legibus.* Tertullianus ipse infrà cap. 32. *Publicorum hostium nomen Christianis dabant.* Et capite 37. *Ho-*

A *stes* (Christianos) *maluistis vocare generis humani.*

8. NON EX FIDE NEGARIT.] Notanda vnicè huius viri proprietas, est enim in iure, *non nego*, medium quiddam inter negantem, & verè affirmantem. Ideo illam tradit Christiano non neganti ex animo. Vide Schardium.

9. DISPONITIS.] διατάξετε. Totam sequentem periodum mutauimus; in vulgatis enim Pamelij sic legitur: *Hoc primum agentes, vt homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo sciunt. Ideo & credunt de nobis quæ non probantur, & non inquirunt ne probentur non esse. Quæ malum credidisse, vt nomen illius æmulationis inimicum*, &c. Lectioni nostræ, etiamsi aliam secutus est Pamelius, assensum præbet, & meritò, nam præcessit *ratio*, & sequitur *hoc agens.* Et in ratione dæmonis, vox *ratio* plurimùm valet. Tertullianus de Anima capite 37. *Omnem autem hominis in vtero serendi, struendi, fingendi paraturam aliqua vtique potestas diuinæ voluntatis ministra modulatur, quamcumque illam rationem agitare sortita.* Hanc nostram lectionem Heraldus tuetur, & in Puteani codice inuenitur. 74.

9. QVÆDAM RATIO ÆMVLÆ OPERATIONIS INSEQVITVR.] Intellexi per *æmulam operationem* ipsum dæmonem. Clarè Iustinus Apologia 2. οὐ κείσεις ἐξετάζετε, ἀλλὰ ἀλόγῳ πάθει καὶ μάστιγι δαιμόνων φαύλων ἐξελαυνόμενοι, ἀκρίτως κολάζετε, μὴ σφυτίζοντες: *Non legitimo examine iudicia exercetis, sed affectu præter rationem transuersum ducti, & malignorum dæmonum flagris incitati, caussa non iudicata, supplicia infertis, nihil pensi habentes.* 75.

9. IDEO TORQVEMVR, ET, &c.] Eusebius libro 8. Histor. cap. 3. de carnificina in Christianos ita loquitur: *Cæteri verò, quorum mens promptior & fides validior fuit, tormenta patiebantur. Plagis alij discerpebantur, alij vngulis fodiebantur, alij ignitis laminis vrebantur.*

10. TABELLA.] In martyrio Cypriani: *Et his dictis, decretum ex tabella recitauit, Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet.* Apuleius 1. Floridorum, *Enimuero ipse proconsul moderata voce rarenter, & sæpius de tabella legit. Quippe patronis vox garrula, ministerium est; proconsulis autem tabella, sententia est.* Pontius in Cypriani vita: *Legit itaque de tabula iam sententiam index, in qua dictus est, sectæ suæ signifer, & inimicus deorum, & qui suis futurus esset documento, & quòd sanguine, eius inciperet disciplina sanciri.* Demum animaduertit Heraldus idem esse *ex periculo*, idem *ex libello.* Denique scias aliter hunc locum legi à Iunio: *Denique quid de tabella recitatis illum Christianum, cur non & homicidam, si homicida Christianus? cur non & incestum?* &c. 76.

10. SI SOLIVS NOMINIS CRIMEN EST.] Ideo monet Athenagoras, ὁ τῶ κρινομένων ἐξεταζέσθω βίος, τὸ δ' ὄνομα παντὸς ἀφείσθω ἐγκλήματος: *Examinetur vita eorum, nomen ne culpetur.* Repræsentabo hîc lectionem Gasp. Schoppij, quam ille elegantissimam putat: sic itaque ex ms. *Si nullius criminis nomen est, valde ineptum, si solius nominis crimen est.* 77.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Titulus Christianitatis odiosus, id latè probat.

TERTVLLIANVS.

78. 1. QVid? quòd ita plerumque clausis oculis in odiũ eius impingunt, vt bonũ alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem? Bonus vir Caius Seius, tantùm quòd Christianus. Item alius: Ego Lucium sapientem virum repentè factum Christianum. Nemo retractat, ne ideo bonus Caius, & prudens Lucius, quia Christianus: aut ideo Christianus, quia prudens & bonus? Laudant quæ sciunt, vituperant quæ ignorant: & id, quod sciunt, eo quod ignorant, corrumpunt; cùm sit iustius occulta de manifestis præiudicare, quàm manifesta de occultis prædamnare.

EXPLICATIO.

79. 1. *QVid? quòd*, &c. Quid dicam, quòd ita nos odio prosequimini, vt tantùm clausis oculis in nos vagemini, & aliquem laudantes, in illud tantùm quòd Christianus, tanquam in malum intendere placeat? *Bonus vir*, &c. Dicitis, verbi gratia, *bonus vir Caius Seius* est: sed *tãtùm* (id quod miramur) est *Christianus*. Item: Lucius est sapiens, sed tantùm ego demiror in amentiam hanc incidisse vt Christianus fieret. *Nemo retractat*, &c. Nemo autem vestrûm expendit, numquid bonitas Caij, & prudentia Lucij, ex eo proueniant quòd sint Christiani; aut quia sunt Christiani, ideo bonus Caius, & prudens Lucius? *Laudant quæ*, &c. Inde est, vt quæ sciunt, laudent, & quæ ignorant, vituperent: scita etiã corrumpãt ignoratis, & ignorata scitis, cùm iustitia postulet, vt potiùs ex manifestis occulta præiudicentur, quàm manifesta de occultis prædamnentur.

80. 2. Alij, quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos nouerant, ex ipso denotant, quod laudant: cæcitate odij in suffragium impingunt. Quæ mulier? quàm lasciua, quàm festiua! qui iuuenis? quàm lasciuus, quàm amasius! facti sunt Christiani. Ita nomen emendationis imputatur.

81. 2. *Alij, quos*, &c. Sortem in contrarium metitur. Sunt enim alij quos ante susceptum baptisma, vagos, viles, improbos omnes nouerant; & ex ipso denotant in contumeliam, quod laudant. Ita illos præceps odiũ rapit ad suffragium contra nos ferendum. Verbi gratia, aliqua mulier, & aliquis iuuenis fiunt Christiani, statim isti calumniatores: Lasciua, & festiua mulier; lasciuus, & amasius iuuenis fiunt Christiani: hoc scilicet vult petulantia Christiana, hos comites, hos assecl as! belli comites, belli assecl æ. Ita nomen emendationis vitio imputatur, vertitur, & crimini est. Itaque illud, *facti sunt Christiani*, est nomen emendationis, emendantur enim & corriguntur, fœmina suæ lasciuiæ & festiuitatis; iuuenis suæ quoque lasciuiæ, & (sic dicam) amasietatis, quasi dicat, non iam est amatorculus, non amasius.

82. 3. Nonnulli etiam de vtilitatibus suis cum odio isto paciscuntur, contenti iniuria, dum ne domi habeant quod oderunt. Vxorem iam pudicam maritus iam non zelotypus, filium iam subiectum pater retro patiens abdicauit, seruum iam fidelem dominus olim mitis ab oculis relegauit. Vt quisque hoc nomine emendatur, offendit. Tanti non est bonum, quanti est odium Christianorum. Nunc igitur: si nominis odium est, quis nominum reatus? quæ accusatio vocabulorum? nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum. Christianus verò, quantum interpretatio est, de vnctione deducitur.

83. 3. *Nonnulli etiam*, &c. Tantum igitur est nonnullorum odium, vt illius causa de propriis etiam vtilitatibus aliquid remittãt, pellẽtes domo, quos oderũt. Quasi dicat: ita debacchamini in nomen Christianum, vt hac vna re contenti, nulla præterea alia, velitis odio habere quæ sunt vobis vtilia. Nam hoc est, *paciscì de vtilitatibus cum odio*. Quæ proposuit, firmat triplici exemplo, vxoris, filij, serui. hi tres vtiles sunt iam post acceptam fidem. Nam vxor, quæ priùs impudica, iam pudica; filius, qui priùs non subiectus, iam subiectus; seruus, qui priùs infidelis, iam fidelis; vide an magnæ istæ vtilitates? Atqui ea est odij magnitudo in nomen Christianum, vt vxorem & filium vir & pater abdicent, dominus releget seruum. Et adhuc tres laudes tibi expendẽdas relinquit. Nam vir non iam zelotypus, 84.
pater priùs patiens, dominus semper mitis. Inde concludit, *vt quisque*, &c. id est, quemquam offendere, vt emendatur, & addit, *tanti non est*, &c. tanti bonum non ducitur, quanti incitantur odio in Christianos, cùm maritus, pater, & dominus velint priuari coniuge, filio, seruo, bonis omnibus. *Nunc igitur*, &c. Nullum igitur potest esse odium in vocabula, nisi vox sonet *barbarũ*, βαρβαρικὸν; aut *infaustum*, δύσφημον; aut *maledicum*, βλάσφημον; aut *impudicum*, κακέμφατον. & *aliquà* dixit, id est, aliquo modo. *Christianus verò*, &c. Atqui Christianus tantum abest ab his; vt ab *vngendo* deducatur: sicut *Christus*, qui ab *vnctione* ducitur, χρίω enim est *vngo*, & χριστὸς *vnctus*, & inde Χριστιανός.

85. 4. Sed & cùm perperam Chrestianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis est notitia penes vos) de suauitate, vel benignitate compositum est. Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. At nunc secta oditur in nomine vtique sui auctoris. Quid noui, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? nonne philosophi de auctoribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pythagorici? Etiam à locis conuenticulorum & stationum suarum, Stoici, Academici? ne-

que medici ab Erasistrato, & Grammatici ab Aristarcho, Coci etiam ab Apicio? Nec tamen quemquam offendit professio nominis cum institutione transmissa ab institutore. Planè si qui probauit malam sectam, & ita malum auctorem, is probabit & nomen malum dignum de reatu sectæ, & auctoris. Ideoque ante odium nominis, comprobat priùs de auctore, sectam recognoscere, vel auctorem, de secta. At nunc vtriusque inquisitione & agitatione neglecta nomen denotatur, nomen expugnatur: & ignotam sectam, ignotum & auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia reuincuntur.

86. 4. *Sed &*, &c. Dicit *Chrestianos* perperam dici à suauitate vel bonitate: nã χρηστὸς, *bonus* est, inde aliqui *Christum* vocarunt *Chrestum*; sed hoc, vt dicit, perperam. *Oditur itaque*, &c. Inde ait odio haberi bonum nomen in bonis hominibus, si deducunt ὀπὸ τῦ χρηστοῦ, etiamsi perperam. *At nunc*, &c. Nunc autem hæc disciplina oditur, quia Christus odio habetur. *Quid noui*, &c. Nihil mirum videri debet, si aliqua disciplina cognomentum accipit à magistro: probat latè, nam Platonici à Platone, Epicurei ab Epicuro, Pythagorici à Pythagora: etiam à locis, in quibus conuentus fiunt, vt Stoa porticus, Stoicos, Academia Academicos dedit. Ita & medici dicuntur Erasistrati ab Erasistrato, & Grammatici, Aristarchi ab Aristarcho, coci etiam Apicij ab Apicio nobili coco. *Nec tamen*, &c. Non ideo irascimur. *Planè siqui*, &c. Dicit *siqui*, pro, siquis, ex vsu: *Ideoque*, &c. Et ideo antequam odio habeatur nomen, priùs probat, &c. *At nunc*, &c. Nunc autem omnia fiunt è contrario, nam vtriusque sectæ scilicet Christianæ & auctoritatis Christi, inquisitione neglecta, nomen ipsum palam traducitur & expugnatur. Itaque & ignota secta, & ignotus auctor Christus prædamnantur, solùm nomine, non quòd in aliquo reuincantur. 87.

NOTÆ.

88. 1. CLAVSIS OCVLIS.] *Clausi* dicuntur *oculi* & *impingere*, quemadmodum *cæci bello* qui in omnia impingunt. Dio Chrysostomus orat. 38. ἐν τοῖς πολέμοις, ὥσπερ ἐν τοῖς πένθεσι, ἢ συγκλειόμεθα ἔσω πυλῶν, ἢ δεδοικαμεν πάντα: *In bellis concludimur intra portas, vt solet fieri in luctu, & omnia timemus.* Timor quippe facit illos aberrare. Hinc Cicero pro Marcello: *Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar incluſam aperuisti.* Incluſa erat vita, & inde exposita cuiuis malo; incluſa, inquam, bello.

89. 1. BONVS VIR, &c.] In vulgatis ita legitur: *Bonus vir Caius Seius, sed malus tantùm quòd Christianus.* Pro quo legi: *Bonus vir Caius Seius, tantùm quòd Christianus.* Quæ lectio vera est, & verissima. nam tametsi illud intelligatur, & velit dicere, esse malum quòd Christianum, tamen non est nouum in hoc auctore aliqua reticeri, ad eum modum quo idem in hoc ipso exemplo lib. 4. aduer. Marcion. cap. 26. *Ad Deum autem nouum nemo serò pulsasset, tantum quod luceſcentem.* Et cap. 31. *Tantum quod innoteſcens, iam inuitans; tantum quod inuitans, iam in conuiuium cogens.* Quibus exemplis efficit Iunius lectionem, quam attuli; Heraldus etiam eodem modo legit, & in libris Puteani hanc lectionem inueniri conteſtatur Pamelius. Itaque his auctoribus licebit recedere à vulgata lectione, quam repræsentat etiam Baronius in Annalibus tomo 2. pag. 7. Libet apponere Optatum Mileuitanum lib. 3. vtentem his exemplis: *Cai Sei, aut Caia Seia, adhuc paganus es, aut pagana. Eum, qui ad Deum, se conuersum esse profeſſus est, paganum vocas?* &c. Et iterum lib. 6. *His enim verbis loqui non erubeſcunt, Cai Sei, Caia Seia, quamdiu te tenes? Hoc est dicere, iam meum debes sequi errorem, iam debes deserere veritatem. Quandiu te tenes, hoc est dicere, imitare lapsus meos, imtiare transitus turpes.*

90.

91. 1. EGO LVCIVM SAPIENTEM VIRVM REPENTE FACTVM CHRISTIANVM.] In vulgatis additur *defero*, quod verbum abstuli, quòd id non sit in optimis libris. Testimonia sunt eadem quæ in superiore Nota. Et ego non credo vllam delationem factam esse, sed desiderari verbum aliquod non dubito, fortasse *miror*, aut quid simile. Ceterùm, *Lucium* cùm audis, intellige Lucium Titium: is enim in Augustino est 2. de Ciuitate A cap. 24. *Deinde cùm esset in Asia bellum Mithridaticum gerens, per Lucium Titium ei mandatum est à Ioue, quòd esset Mithridatem superaturus.* Sic passim in libris Iurisconsultorum. Nota etiam *sapientem* hîc sumi pro homine prudente, vt in sequentibus explicat Tertullianus. Gaspar Schoppius ex ms. id lectionis exhibet: *Ego miror Lucium Titium sapientem virum repentè factum Christianum*: proculdubio bene.

92. 1. NEMO RETRACTAT.] Pessimè in libris omnibus scriptum littera minuscula, cùm plenus sit sensus, & incipiendum sit, *Nemo*, &c. & ellipsis sit elegans Hebræis, Græcis, & Latinis in vsu, dicatque, *nemo retractat*, refellitque sermones istos criminantium: dicendo: At heus tu, vide ne ideo bonus Caius, & prudens Lucius.

1. CORRVMPVNT.] Iunius legit *irrumpunt*, vt in quo sit maior emphasis, vt dicat, vim vltro faciunt conscientiæ suæ. Sed nihil mutandum.

93. 2. RETRO.] Antè, priùs. Cassianus in præfatione librorum: *Ita vt domini testimonio nullus ei similis retro actis temporibus extitisse, neque post eum surrecturus esse dicatur.* Abundant testimonia.

B 2. VAGOS, VILES, IMPROBOS.] Appellat *vagum* hominem per popinas, ac lustra, toros etiam illegitimos vagantem. Suet. Nerone: *Post crepusculum statim aceepto pileo vel galero, popinas inibat, circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen.* Capitolinus in Vero: *Atque in tantum vitiorum Caianorum, & Neronianorum, ac Vitellianorum fuisse æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria.* Martialis,

Legitimos esset cùm vagus ante toros.

94. Addit *viles*. Apuleius 1. Floridorum: *Quæ enim facilior res, quàm linguæ rabies, & vilitas morum; alter ex aliorum contemtu, alter ex sui? Nam viriliter semetipsum colere, contemtus est; barbarè alios insectari, audientium contumelia est.* Demum *improbos*, quibus nulla existimationis cura, quæ est imprudẽtiæ definitio. Demosthenes contra Æschinem: πίνα τῶν ἐν τῇ πόλει φήσατ' αὖ βδελυρώτατον εἶναι, καὶ πολίτης ὀλιγωρείας, καὶ ἀναιδείας μεστόν; Vides vt coniungat ὀλιγωρείαν, & ἀναίδειαν, simúlque doceat, quis sit βδελυρώτατος, nempe, ὁ πολίτης ὀλιγωρείας καὶ ἀναιδείας μεστός: id est, *improbissimus est is, qui plenus est plurimi contemtus & impudentiæ.* Hæc hausimus ex Heraldo.

2. EX IPSO DENOTANT, QVOD LAV-
95. DANT.] Vulgares habent, *ex ipso denotant, quo laudant.* Iunius sic, *eo ipso denotant, quod laudant.* Heraldus sic, *ex ipso denotant, quod laudant:* cui lectioni hæsimus, tantùm adiecimus interrogationis notam in *mulier*, & *iuuenis*, vt dicat, *quæ mulier? qui iuuenis?* Hæc porro est laus, appingit enim loco laudis, quòd mulier & iuuenis conuersi sunt, graues & docti, & hoc est, quod dicit *quod laudant.* postea addunt: *quàm lasciua, quàm festiua!* &, *quàm lasciuus, quàm amasius!* Hæc est denotatio. Qui porro legunt, *Qui iuuenis? qui Lucius, quàm amasius, facti*, &c. vt legitur in vulgatis exemplaribus Pamelij, ipsi sententiam eliciant, nos non possumus. Certè, vt ego legi, legit Latinius ex vetere codice Fuluij Vrsini. Gaspar Schoppius legit ex ms. *Qui iuuenis! quàm Lusius, quàm amasius.* & τὸ *Lusius* explicat dici forma prouerbiali, pro eo quod est, iucundissimæ vtilitatis ad-
B minister & artifex salutaris: sumtum à Lusis Arcadiæ, vbi Prœti filias curauisse Melampus dicitur in æde Dianæ, vt auctor est Pausanias.

96. 2. CÆCITATE ODII, &c.] Ideo *cæcum*, quia non videt veritatem. Itaque idem dicit quod Gregor. Theologus orat. 1. ὑπὸ μίσους φιλεῖ κλέπτεσθαι, ὡς τὰ πολλὰ, ἡ ἀλήθεια: *Plerumque veritas surripi odio solet.* Imò magna energia ait, *amat surripi*, φιλεῖ κλέπτεσθαι: Quasi istæ inimicitiæ veritatis atque odij notissimæ sint, & velut cognatæ. Constantinus Magnus in epist. ad Ecclesias apud Eusebium lib. 3. loquens de odio quo Iudæi flagrant in Christianos, dat illis *cæcitatem*, ἀκότῳ ταῖς ψυχαῖς οἱ μιαροὶ τυφλώττουσι: *cæco animarum errore sordidati meritò tenentur.*

2. QVAM LASCIVA, QVAM FESTIVA!] In voce *lasciua* inest aculeus, in voce *festiua*, alter aculeus, sed dissimulatus. Quasi dicat, verè *lasciua* est, aut
C potiùs *festiua*. ac dum excusat, veriùs pũgit. Fiunt hæc ex techna amatorum, qui dum proni sunt ad amandum aliquem, vitia excusant. De qua scripsi locum copiosum ad Virgilium. Similiter in iuuene, *quàm lasciuus*, aculeus est, *quàm amasius*, alter aculeus, iam excusans. Plautus Cassina, *Miserrimum hunc hodie ego habeo amasium.*

2. ITA NOMEN EMENDATIONIS IMPVTATVR.] Sic lego pro *emendationi*, cum Iunio.

97. 3. PACISCVNTVR.] Tertullianicum verbum, de velandis virginibus cap. 8. *Contenta erat veritas paciſci cum consuetudine, vt tacitè consuetudinis nomine frueretur se vel ex parte.* Græci, φιλικῶς πρὸς ἀυτοὺς πιθῆναι συνθήκας: *amicitiæ cum illis fœdera paciſci:* Constantinus de administrando imperio cap. 1.

3. VXOREM IAM PVDICAM MARITVS IAM NON ZELOTYPVS.] Cùm in textu non scripserim, tamen mihi non dubium quin verbum *repudiauit* inserendum sit, tunc quòd ad sententiam
D aptius, tunc quòd verbum *abdico* non hoc vsu inuenitur. Postea placuit, *filium iam subiectum*, legere, pro *filium subiectum*, vt dicat, iam postquam accepit fidem, subiectum.

98. 3. ABDICAVIT.] Suet. August. cap. 65. *Ex quibus Agrippam breui ob ingenium sordidum ac ferox abdicauit, sepositque Surrentum.* Sermo frequens apud Historicos, quo pater *filium abdicare* dicitur, & à bonis amouet, atque exhæredat.

3. SERVVM IAM FIDELEM.] Etenim istud contra pactum est & leges. Omnis enim dominus seruum suum honorat, si viderit recta agentem. Zeno Veronensis sermone in psalm. centesimum: *Nemo namque paterfamiliâs honesta fidelitatis suæ lucra offerentem suum seruum iudicat, sed honorat vt fidelem.*

99. 3. ODIVM CHRISTIANORVM.] Gentilium contra Christianos propriè est *odium.* Sic cap. 1. *Odium*
A *erga nomen Christianum.* Nazianzenus orat. 1. μισούμεθα ἐν τοῖς ἔθνεσι: *Odio apud gentes flagramus.* Ignatius Martyr epist. 12. Χριστιανὸς μισεῖται: *Christianus odio habetur.* Hilarius de Concilio Ariminensi: *Inuidia Iudæorum, odium gentilium.* Quod repetit Canone 25. Quò spectat idem Can. 6. in Matthæum, *Canes, de oblatrandi aduersus Deum rabie, gentes sunt nuncupatæ*; Vbi rabies ad odium me ducit. Athenag. loquens de hoc odio: τί γὰρ ἡμῖν τὸ ὄνομα πρὸς κακίαν τιλεῖ; *Quid enim ad malitiam nobis nomen confert?* Athanasius orat. contra gentes: ποῖα διαβάλλοντες Ἕλληνες κλευάζουσι, ἢ πλατὺ γελῶσι καθ' ἡμῶν: *Qualia per odium Ethnici obijciunt, & latè irridentnos.*

3. NVNC IGITVR SI NOMINIS ODIVM
100. EST, QVIS NOMINVM REATVS?] Hoc dicit: si nominis Christiani est odium, quis est reatus & culpa nominis? Placet audias Athenagoram, Latinè loquentem, cùm iam alius Græca tantùm ediderit: *Nullum nomen neque ex ipso, nec per ipsum, malum aut bonum iudicatur, sed propter subiectas sibi bonas aut malas actiones, stultas aut prudentes.* Vides vt nullum nomen ex se ipso bonum sit, aut malum, sed propter ea tantùm, quibus significandis inseruit. Paria Iustinus Apologetico 2. ἐξ ὀνόματος μὲν γὰρ οὐδὲν ἔπαινος, οὐ κόλασις, οὐκ αὖ ἔυλογος χρεία τοῦ: *Ex nomine ipso certè neque laus cuiquam, neque pœna rectè debetur.* Idem Athenag. ἡμῖν δὲ (ἵνα μὴ παροξύνητε, ὡς οἱ πολλοὶ, ἡ ἐξ ἀκοῆς τῷ ὀνόματι ἀπεχθάνεσθε) οὐ γὰρ τὰ ὀνόματα μίσους ἄξια, ἀλλὰ τὸ ἀδίκημα, δίκης καὶ τιμωρίας: *At vos (ne quæso hic etiam vobis quod vulgo hominum imponat, vel nomine tantùm audito auerseminí) nomina digna odio non sunt, sed scelus ipsum pœnam & supplicium meretur.*

3. NISI SI AVT BARBARVM.] Ita legit Pamelius, neque *si* vacat, vt putant aliqui, imò adimunt:
C Heraldum noto. Græci dicunt, πλὴν εἰ. Ouid. 5. Met.

---nisi si crudelis in ipsum
Exigis vt pereat.

Plin. lib. 6. *Nisi si exemplum vitiatum est.* Quantum attinet ad sententiam, videatur Iustinus Apol. 2. vbi: *At si quis profiteatur esse, cùm propter confessionem ipsam torquetis, cùm & præsentis iuxta & negantis vitam inquirere deberetis, vt ex operibus, qualis quisque esset, appareret.*

3. SONAT ALIQVA VOX.] Vvouerenius le-
101. git *aliquid*, & ita putat probam lectionem. Mihi tamen placuit Iunius scribens *aliqua*, id est, aliquo modo. In vulgatis est *aliqua.*

4. CHRESTIANVS.] Lactantius: *Exponenda huius nominis ratio est, propter ignorantium errorem, qui cum immutata littera Chrestum solet dicere,* &c. Etenim Gentiles cùm audiebant *Christum*, & nescirent illum ab *vnctione* dici, pro *Christo Chrestum* dicebant, quod nomen χρηστὸς *suauitatem* signat. Sic enim legendum
D apud Suetonium Gentilem scriptorem in vita Claudij cap. 25. *Iudæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Roma expulit.* In Pithœo lib. 2. Aduersariorum cap. 3. *Chriastianos* legitur: quod tamen intelligendum est, quasi Χριστιανὸς in nominatiuo.

4. DE SVAVITATE VEL BENIGNITATE
102. COMPOSITVM EST.] Iunius legit *impositum est*, sed perperam vt video. χρηστὸς autem *suauis* est, χρηστότης, *suauitas* & *benignitas.* Glossæ Philoxeni, χρηστὸς, *frugalis, suauis, vtilis, iucundus.* Vides vt inter alia nomina *suauitatem* det. Verba illa aduersus Marcionem lib. 4. Beati Lucæ: ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους, καὶ πονηρούς, sic reddit Tertullianus, *quia ipse suauis est aduersus ingratos & malos.* Verba adhuc illa Euangelij, ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστός, sic verte, *iugum enim meum suaue est.* Addit Tertullianus *benignitatem.* Equidem D. Hieronymus explicans verba ad Galatas 5. vbi χρηστότης, ait

Paulus, sic inquit: *Benignitas, siue suauitas, (quia apud Græcos χρηστότης vtrumque sonat) virtus est lenis, blanda, tranquilla, & omnium bonorum apta consortio, inuitans ad familiaritatem sui, dulcis eloquio, moribus temperata. Deni que & hanc Stoici ita definiunt, Benignitas est virtus sponte ad benefaciendũ expositа.* Hæc Heraldi visa sunt mihi necessaria, omissis aliis, quibus ille insudat.

103. 4. ODITVR ITAQVE.] Aliqui legũt, *oditur ergo*, est *itaque* in libris antiquis. In verbo *oditur* obserua delectari Tertullianũ antiquis verbis. Verba sequẽtia sic distinguit Iunius: *At nunc secta oditur: in nomine vtique sui auctoris:* Ita vt sit παρήλειψις & ὑποφορά. Sed non indiget locus hoc machinamento, & clariùs accipitur. Athenagoras ita in Apologetico suo: *Nostri tantùm qui Christiani vocamur vobis nulla cura est. Sinitis enim nos, qui nihil mali patramus, (imò omnium, vt in progressu sermonis nostri exponitur, piissimè iustissiméque cùm erga Deum, tum imperium vestrum nos gerimus,) exagitari, rapi, fugari, nomen duntaxat nostrum plerisque impugnantibus.* Græca incipiunt inde, ἡμεῖς δὲ λεγόμενοι Χριστιανοί.

4. QVID NOVI, SI ALIQVA DISCIPLINA DE MAGISTRO COGNOMENTVM SECTATORIBVS SVIS INDVCIT?] Talis est disciplina Christiana, cuius abundans testimoniũ est apud Ioannem Chrysostomum de sancto Luciano: πόθεν εἶ πατρίδος; Χριστιανός εἰμί, φησί. τὴν ἔγχειν ὁποίαν; Χριστιανός εἰμι. τίνας προγόνους; ὁ δὲ πρὸς ἅπαντα ἔλεγεν, ὅτι Χριστιανός εἰμι: *Quanam ex patria ortus es? Christianus sum, ait. quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus maioribus? ille verò ad omnia dicebat, Christianus sum.*

104. 4. STATIONVM SVARVM.] Valet *locorum*. Ita Lampridius accipit hanc vocem in Commodo: *quæ non erant stationis imperatoriæ.* Vbi *stationem, locum* interpretatur Turnebus lib. 25. cap. 17.

4. ERASISTRATO.] Huius meminit Plinius (inquit Iunius) lib. 29. cap. 1. & alibi. Vnde *schola Erasistratorum* dicitur Straboni lib. 12. sub finem.

4. ARISTARCHO.] Is tam castigato fuit iudicio, vt dicat Pamelius Homeri versum nõ probatum, nisi ipse probaret; quod testatur Ælianus. Inde est vt apud Horatium de Arte poëtica, & apud Tullium censor bonus dicatur *Aristarchus*. Tatianus illum numerat inter antiquissimos, oratione contra Græcos. Et Eusebius de præp. Euang. cap. vltimo libri 10. Suetonius de claris Grammaticis Cratetem, quem primum numerat, facit æqualem Aristarcho.

4. APICIO.] Nota huius viri luxuria à Iuuenale, & Martiale, atque Heliogabalo Imperatorum omnium sentina, cuius sectatorem esse confessus est, vt Lampridius narrat in eius vita. Seneca de Consolatione ad Albinam cap. 10. *Atqui Apicius nostra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit.* 105.

4. PLANE SI QVI PROBAVIT MALAM SECTAM.] Schoppius sic legit: *Planè si qui probet malum auctorem, & malam sectam, is probauit.*

4. NOMEN DENOTATVR.] Sic legendum existimo, non *detinetur*. Cyprianus de opere & eleemosyna: *Nam cùm denotarentur discipuli eius quòd ederant, nec priùs manus abluissent.* Sæpè Tertullianus. Scio Cyprianum vsum verbo *detineo*, sed vsum ita vt quilibet potuisset vti. In libro enim de Habitu Virg. Ait, *Peior adultera detineris*. Est autem *conuinceris*. Sed cùm sensus non mutetur, non pugnem in hac re, tametsi mihi placeat magis *denotatur*.

CAP. IIII. ARGVMENTVM.

Quòd leges principum & Senatusconsulta nonnunquam errare possunt, atque adeo repurgari.

TERTVLLIANVS.

106. 1. ATque adeo quasi præfatus hæc ad sugillandam odii erga nos publici iniquitatem, iam de caussa innocentiæ consistam, nec tantùm refutabo quæ nobis obiiciuntur, sed etiam in ipsos retorquebo qui obiiciunt: vt ex hoc quoque sciant homines in Christianis non esse, quæ in se nesciunt esse; simul vti erubescant accusantes non dico pessimi optimos, sed iam, vt volunt, compares suos. Respondebimus ad singula quæ in occulto admittere dicimur, quæ illos palam admittentes inuenimus, in quibus sceleśti, in quibus vani, in quibus damnandi, in quibus irridendi deputamur. Sed quoniam cùm (ad omnia occurrit veritas nostra), postremò legum adstruitur authoritas, aduersus eam, vt aut nihil dicatur retractandum esse post leges; aut ingratis necessitas obsequii præferatur veritati; de legibus priùs concurram vobiscum, vt cum tutoribus legum.

EXPLICATIO.

107. 1. *ATque adeò*, &c. Dicit præfatum se hæc tria capita, ad sugillandũ odium, notandũ & carpendum adeò conterendámque inuidiam, & labefactandam, qua laborant contra Christianos. *Consistam*: in armis stabo pro innocentia. *Vt ex hoc*, &c. Non esse in nobis, quæ in se ipsi sunt, quæ tamen illi ignorant, ideo ait *nesciunt*, sed scient me dicente & aperiente illorum vlcera. *Compares suos*, pessimos nos; ita enim dicebant Gentiles. *Sed quoniam*, &c. Cùm postremò legum astruatur authoritas aduersùm nos, quibus videtur non posse satisfieri, tamen ad omnia occurrit nostra veritas. Hæc legum authoritas duplicem vobis affert iniquitatem: Prima est, nihil à vobis velle disputari, an ea lex iusta sit, sed cæco quodam impetu illi paretis: altera, obsequium parendi vestris principibus, præferri veritati. Ait *necessitas obsequij*, notans contumeliam, qua seruilem in modum necessariò obsequuntur, non libere, vt ciues decet. Ait *ingratis*, quia sine gratia, & nullo inde cõmodo affulgente vtique gratuitò. Demum notetur lepor in verbis. Quia *occurrit veritas*, & nihil proficit, imò respuitur eius occursus peramicus, ego bello *concurram*; vt vbi non est locus pacifico occursui, sit militari concursui.

108. 2. Iam primum, cùm durè definitis, dicendo, non licet esse vos, & hoc sine vllo retractatu humaniore præscribitis, vim profitemini & iniquam ex arce dominationem, si ideo negatis licere, quia vultis, non quia debuit non licere: quòd si quia non debet, ideo non vultis licere, sine dubio id non debet licere, quod malè fit, & vtique hoc ipso præiudicatur licere, quod bene fit. Si bonum inuenero esse, quod lex tua prohibuit, nonne ex illo præiudicio prohibere me non potest, quod si malum esset, iure prohiberet? si lex tua errauit, puto ab homine concepta est, nec enim de cœlo ruit. Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda?

109. 2. *Iam primùm*, &c. Dicebant in primis isti, non licet esse Christianos, neque in mundo viuere, ac propterea persequimur. Etenim illud, *non licet esse vos*, iudicum erat contra Christianos, ac prohibentium defensionem, & minitantium dura omnia & acerba. *Cùm*, est *quando*. Ait ergo, cùm durè & intolerabiliter definitis, dicendo, non licet esse vos: Euertit propositionem dupliciter; Primò: Si hoc censetis exclusa omni humanitate, vim clarè profitemini, & iniquè ac securè ex arce vestra dominamini, si ideo negatis non esse licitum Christianos viuere, quia vultis, quod tyrannicum est, non quia non est licitum. Altero modo: si quia non debet licere, ideo non vultis licere, proculdubio id non debet licere, quod fit malè. Et vtique hoc ipsum est præiudicium & lex, vt liceat quod fit bene. *Si bonum*, &c. Cùm dixerit *præiudicatur licere*, refert sermonem ad istud præiudicium, quo vigente, dicit, ergo prohiberi se à bono non posse; cùm, si esset malum, prohiberetur. Vnde arguit sic: si bonum est quod illa lex tua prohibet, non potest lex me iure prohibere, si monstrauero id esse bonum: lex quippe non prohibet nisi malum: ergo si quod prohibet hæc, bonum est, non potest me iure prohibere. Clara conclusio. *Si lex*, &c. Huic malo expositæ leges, cùm ex humano procedant ingenio, neque de cœlo ruant.

110. 3. Non enim & ipsius Lycurgi leges à Lacedæmoniis emendatæ tantum auctori suo doloris incusserunt, vt in secessu inedia de semetipso iudicarit? nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & squalentem syluam legum nouis principalium rescriptorum & edictorum securibus truncatis, & cæditis? Nonne vanissimas Papias leges, quæ antè liberos suscipi cogunt, quàm Iuliæ permittunt matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem, heri Seuerus constantissimus Principum exclusit? Sed & iudicatos, in partes secari à creditoribus, leges erant. Consensu tamen publico crudelitas postea erasa est; & in pudoris notam capitis pœna conuersa est, bonorum adhibita proscriptione. Suffundere maluit hominis sanguinem, quàm effundere.

111. 3. *Non enim*, &c. Hæc est illa ἀποκαρτέρησις Lycurgi celebrata, qui se fame consumsit & inedia. Hoc exemplum adducit ad notandum esse potuisse errores in legibus conditos. *Nonne & vos*, &c. Vos etiam quotidie syluam legum cæditis, & inter tenebras antiquitatis affulget experientiæ lux. *Principalium rescriptorum, & edictorum*, sunt, principum rescripta & decreta. *Nonne vanissimas*, &c. Iuliæ leges permittunt ab anno duodecimo puellarum matrimonium contrahi. Atqui legis Papiæ id erat institutum, vt liberorum susceptione multiplicaretur genus humanum, vnde multo ante duodecimum puellarum annum dabant operam liberis: ea quippe lex præmia dabat his, qui tres quatuórve liberos suscepissent. inquit ergo Tertullianus, Seuerum imperatorem, leges Papias, quæ vanæ erant, exclusisse & abrogasse. Erant, inquam, vanæ: nam dabant operam liberis procreandis homines, cùm nondum per ætatem puellarum firma essent matrimonia, neque liberos possent suscipere. Neque verò Papias leges defendit, quę alias res solet, senectus. *Sed & iudicatos*, &c. Erat olim Romæ lex, quæ hominem miserè iubebat secari, & dare partes singulas creditoribus. Hæc lex mutata est publica auctoritate, & creditores iussi sunt esse contenti tum cessionis ignominia, tum bonorum proscriptione. Maluit quippe publica auctoritas suffundere sanguinem rubore publicæ cessionis, quàm cæde effundere. 112.

113. 4. Quot adhuc vobis repurgandæ leges latent, quas neque annorum numerus, neque conditorum dignitas commendat, sed æquitas sola? & ideo cùm recognoscuntur, meritò damnantur, licèt damnent cùm iniquas dicimus; imò, si nomen puniunt, etiam stultas: Si verò facta, cur de solo nomine puniunt facta, cùm in aliis de admisso, non de nomine probata defendunt? Incestus sum, cur non requirunt? infanticida, cur non extorquent? in Deos, in Cæsares aliquid committo, cur non audior, qui habeo quo purger? nulla lex vetat discuti, quod prohibet admitti: quia neque iudex iustè vlciscitur, nisi cognoscat admissum esse quod non licet: neque ciuis fideliter legi obsequitur, ignorans quale sit quod vlciscitur lex. Nulla lex sibi soli conscientiam iustitiæ suæ debet, sed eis, à quibus obsequium expectat. Ceterùm suspecta lex est, quæ probari se non vult: improba autem, si non probata dominatur.

114. 4. *Quot adhuc*, &c. Multæ leges repurgandæ à vobis, latent, æquitate sola, nulla re alia, commendatæ. *Licèt damnent*, &c. neque impedit, cùm *iniquas* illas dicimus, imò verò *stultas*, quia nomen tantùm pu-

niunt, nos ab illis damnari. q. d. Etiamsi vestræ leges vim habeant condemnandi Christianos, non inde euadent iniquitatem, quia scilicet iniquè condemnabunt: imo neque euadent stultitiam, si nomen tantùm puniunt; est enim stultissimum puniri Christianum hoc tantùm nomine, quòd Christianus sit, non secta ipsa examinata. Dices: Facta puniunt. Cur igitur in nobis de solo nomine puniunt facta, cùm in aliis de re admissa vlciscuntur probata? *Nulla lex*, &c. Si lex aliqua prohibet admitti aliquid, idipsum iubet discuti & videre quale illud sit. *Quia neque*, &c. Iudex non vlciscitur, nisi sciat peccatum esse contra legem, & ciuis non paret nisi sciat quid lex vlciscitur, & vetat. *Nulla lex sibi*, &c. Nulla sanè lex est, quæ sibi soli debeat punitorum scientiam & conscientiam; sed eis qui legi iubent parere. vel, eis quibus patrocinium habet. *Cæterùm suspecta*, &c. Suspecta omnino lex est, quæ non vult probari; si verò nec probatur, & tamen dominatur, improba omnino.

NOTÆ.

115. 1. ATQVI ADEO QVASI PRÆFATVS HÆC AD SVGILLANDAM, &c.] Heraldus legit *ideo*. Iunius autem ad *sigillandam*, mutata lectione, cùm tamen *sugillare pudorem*, non, *sigillare* dixerit Vlpianus, & optimum habeat sensum, cùm *sugillet, conterat, & affligat* iniquum odium. Cùm præsertim *sugillatio* sit propriè in facie: ex Budæo in Pandectas; vt vibices, in corpore.

1. CONSISTAM.] Verbum Forense. Martianus l. 8. de leg. Cornel. de falsf. *Nullo modo serui cum dominis suis consistere possunt*. Tertulliano vsurpatum. De idololat. cap. 13. *De hoc quidem primo consistam*. Apol. cap. 46. *Constitimus, vt opinor, aduersus omnium criminum intentionem*. est vtique militare.

1. SCIANT HOMINES IN CHRISTIANIS.] Alij meliùs *omnes*.

116. 1. ADSTRVITVR.] In vulgatis sic est, & mihi adeo placet vt non ausim mutare. Scio Iunium & Heraldum mutauisse in *obstruitur*. Parenthesi quippe clausi illa verba (*ad omnia occurrit veritas nostra*) sic enim manifestè lectio proponitur, & auctor intelligitur.

1. INGRATIS.] Accepi *gratis*; neque enim, *in*, priuat semper, sic Suetonius dixit *incœnare*, pro cœnare, aut interiùs cœnare, in vita Tiberij cap. 39. Præterea Plautus Rudente, *dy te ament cum irraso capite*. Vbi idem est, cum *raso*. Ita *impotens*, vsque ad inuidiam potens. Virgilius primo Georg.

Nunquam imprudentibus imber
Obfuit.

Vbi multorum expositio est, valde prudentibus. Sunt qui legant, *ingratiis*, eodem planè sensu, qua forma Cicero in Quintiana, & Actione 6. in Verrem. Plautus passim. & Lucretius lib. quinto dicit:

At nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula, tunc ingratiis insinuandum.

Sic etiam Plautus Epidico dixit, *gratiis* pro gratis. Et in Cistell. *ingratiis*, siue *ingratis*, pro gratis, id est, velim, nolim.

1. TVTORIBVS LEGVM.] Claudianus secundo in Eutrop.

--- Præsidium legum, genitórque vocatur
Principis.

2. IAM PRIMVM, &c.] Vulgati codices legunt, vt nos legimus, reliquas lectiones, quæ asserunt *quàm durè*, & *si sine*, omittimus, quæ Iunij sunt. Vvouerenius etiam legit alio modo.

117. 2. NON LICET ESSE VOS.] Absque dubio hoc decretum fuit potestatum & iudicum. Verbum enim *licet* solemne fuit. Horat. Satyra 3. lib. 2.

--- consulere, & mox respondet elicebit.

Vtebantur enim Iurisconsulti hoc sermone, *licet consulere*. Hinc Cicero pro Muræna: *Neque non modo beneficij collocandi spem, sed etiam illud quod aliquando fuit, licet consulere? iam perdidistis*. Sed & *licet* iudicum erat. Turnebus enim locum Ciceronis lib. 1. Epist. ad Atticum epistola prima à Victorio & aliis agitatum, vbi de Catilina loquitur, sic corrigit, lib. 8. cap. 24. *Si pronuntiatum erit, pridie nonas licere*. Id est, si absolutus sit, nec iam reus Catilina, inquit Turnebus. Illa enim omnia ænigmaticè dicuntur.

2. EX ARCE.] Hanc lectionem repræsentant 118.
omnes codices antiqui, & nescio quî discessum ab ea est in eo quod nunc legitur, *exercetis*. Etenim *ex arce* idem est quod ἐξ ἀκροπόλεως. Calpurnius Flaccus déclamat. *Iam pridem te arci nostræ tua fortuna minatur*. Etenim *exercetis dominationem*, constat sententia, non tamen omnino, quia potest exerceri dominatio etiam iustè, sed dicendo *ex arce*, alludit ad tyrannos, quales sunt Pisistratus & Dionysius, qui propter metum arcibus includebãtur, & inde dominabantur. Et proculdubio sic est in omnibus libris, prętęrquã in Pamelio, & qui illũ sequũtur. ad hæc Zephyrus mecũ est.

2. QVIA VVLTIS.] Vox tyrannica *volo*. Ammianus lib. 1. eorum quæ supersunt: *Et ciuili iustóque imperio ad voluntatem conuerso cruentam*. Seneca in Furente, *ius est in armis, opprimit legem timor*. Quare hoc? nisi quia volumus. Schoppius legit ex ms. *quia non vultis*. Et laudat.

2. SI BONVM INVENERO.] Quidni alludat 119.
B ad summum bonorum Deum? Plato in Timæo: Τὸν δὲ ποιητὴν καὶ πατέρα τόδε τὸ πᾶν εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν: *Opificẽ genitorémque vniuersitatis tam inuenire difficile, quàm inuentum impossibile, dignè profari*. Quæ verba Minutius sic reddit: *Quem inuenire difficile præ nimia & incredibili potestate, & cùm inueneris, in publicum dicere, impossibile præfatur*. Hîc dubito, an loco *nonne*, legendum sit *minimè*, vt omnes excusi habent, testante hoc Pamelio, quod minimè displicet. Addo ego, iuxta hanc lectionem tollendum *me non*, & simul interrogationem, ac perfectus erit sensus, hîc enim de prohibitione boni aut mali loquitur, non de persona. Hæc dicta sint vtcumque, nam nihil censeo mutandum.

2. NEC ENIM DE CÆLO RVIT.] Quintilianus, attestante Heraldo, lib. 1. Institutionum, cap. 6. *Non enim cùm primùm fingerentur homines, analogia de missa cœlo formã loquendi dedit: sed inuenta est postquã loquebãtur, & notatum in sermone quid quomodo caderet*.

C 3. EMENDATÆ.] Emendarunt leges Lycurgi Lacedæmonij ipsi, & inde Romani acceperunt: qua de re scripsit Cedrenus in Compendio Hist. Omitto, & affero Orosium lib. 1. cap. 13. *Ipso autem trecentesimo anno, hoc est, Olympiade nonagesima quinta, potestas Consulum Decemuiris tradita, constituendarum legum Atticarum gratia magnam perniciem Reip. inuexit*. Zonaras 2. Annal. *Tres viros in Graciam ad illorum leges & instituta miserunt*.

3. TENEBRAS.] Qui adducturus *syluam* ad ex- 120.
plicandam congeriem legum, optimè præmittit *tenebras*. Tenebræ enim perpetuæ sunt comites syluarum, adeo vt Grammatici dicant *lucos* dici, quia non lucent. Quam etymologiam ego in Virgilium exsibilaui. Sed esto hæc falsa, certè notissima est obscuritas syluarum. Nazianz. 14. Carm.

Φύγει δ' ὠμοβόρους τε κύνας, καὶ ἵππον ἐλαφρὴν,
Καὶ λόχμης πυκινῆς κεύθεται ἐν λαγόνι.
Crudiuoróque canes fugit, æripedémque caballum,
Et nemoris densi conditur in gremio.

3. SYLVAM LEGVM.] Indicatur multitudo legum. Sic etiam Hieronym. epist. ad Gerontiam *syluam* dixit de lege Moysi, propter præcepta, quibus scatebat. Græci χάδιον & χαδίασμα. Hinc verbum χαδιάζειν, pro *repentè aliquid dicere.* Hinc etiam accuratè Papinius suas syluas defendit, & subitò factas probat in epistola lib. 3. ita ait: *Tibi certè, Polli, non habeo probam diu libellorum istorum temeritatem, cùm scias multos ex his in sinu tuo subitò natos, & hanc audaciam stili nostri frequenter expauceas.* Etenim nisi eo feruore & subitaria opera caluissent, non iam syluæ sed libri possent appellari. A

121. 3. PRINCIPALIVM.] Principũ rescripta *principalia* dicta sunt in legibus. sed & Eusebius lib. 4. Vitæ Constantini, cap. 68. Augustum ita exornat. ἐντεῦθεν ἤδη τοὺς ἁπαντας χρηματίζειν Αὐγούστους, ὃ δὴ καὶ μέγιστον τῆς αἰωνοβίου βασιλείας γίγνοιτ' ἂν σύμβολον: *Omnes fecit Augustos nuncupari: quæ vox maximè cuiusuis dignitatis plenissima, celsissimi imperij propria nota est.* Vide ergo, an bene Cæsarum nomen dixerit, *Principale.* Sed & Prudentius in Hymno Romani Martyris ita exornat ipsum imperatorem: sic enim ait Præses ad sanctum Martyrem, B

Pro principali rite nobiscum Deos
Orate vita.

De *principali cordis*, & vnde dicatur, vide Notam in Cassianum.

3. TRVNCATIS.] Eodem verbo vsus est Ennodius epist. 8. lib. 1. *Solent falce truncari.* Schoppius legit ex ms. *rusticatis.*

122. 3. CÆDITIS.] Hilarius Canon. 2. in Matth. *In fructuosa arborum cæde.* Rabanus Maurus lib. de Pœnitentibus cap. 15. *In syluam ad ligna cædenda.* Plinius lib. 13. cap. 4. *Sunt & cæduæ palmarum quoque syluæ.* Et lib. 17. cap. 20. *Salix lætiùs cæsura prouenit.* Corippus lib. 4. . . . *ferro virides succidere syluas.* Demum Tertullianus de Præscript. hæret. *Quid in me agitis non mei? quo denique iure Marcion syluam meam cædis? mea est possessio.* sino quos advocat Taubmannus in Mostellariam Plauti. C

123. 3. QVAM IVLIÆ PERMITTVNT MATRIMONIVM CONTRAHI.] Hæc verba quæ visa sunt difficillima, correxi eo modo, quo vides, & secutus sum Vvouerenium; quæ in veteri libro reperisse se abundè testatur, vnde nihil iam difficultatis habent. Etenim vox *permittunt*, quæ augetur in hac editione, adimit omnem difficultatem, & *Iuliæ* est in plurali. Neque enim repeti potest verbum *cogunt*; nam Iuliæ leges non cogunt statim ab anno duodecimo puellas nubere, sed solùm permittunt. Vide de lege Papia Baronium tomo tertio Annal. pag. 201. & quid in ea denuo reformarit Constantinus. Neque verò Rangolius, qui in Comment. lib. 1. Reg. cap. 14. versu 45. pro *suscipi cogunt* legit *iubent suscipi*, sententiæ medicamen attulit; nam verè legendum *suscipi cogunt.*

124. 3. SENECTVTEM] Vix est aliquid quod non ita afficiant scriptores ad rem omnem antiquam declarandam: sic senectus vini, ædium, mundi, vestium, legum, arborum. &, quod mihi nouum, de fonte senectutem dixit Cyprian. lib. contra Demetrianum: *Fons, qui exundantibus priùs venis largiter profluebat, senectute deficiens modico sudore distillat.* D

3. HERI.] Latini sæpè coniungunt cum *hodie.* Catullus,

Sordebunt tibi villice
Concubinæ heri, atque hodie.

Atqui Tertullianus simpliciter dixit *heri*, omisso *hodie.* sic quandoque Græci χθὲς dicunt, omisso πρώην. Eusebius lib. 1. Hist. χθὲς καὶ οὐ πρότερον φασεῖσαν κατελαμβάνοισιν.

3. CONSTANTISSIMVS.] Lampridius in Commodo: *Seuerus Imperator grauis, & vir nominis sui.* 125.

3. IVDICATOS.] A calumnia Iunij defendit Tertullianum optimè Heraldus, non enim *adiudicatos* vel *addictos* legi debet, sed *iudicatos*, vt bene in vulgatis legitur, nam Glossæ Philoxeni, *iudicatus*, κατακεκριμένος. Et Liuius lib. 6. *Itaque cùm iam ex re nihil dare possent, fama & corpore iudicati atque addicti creditoribus satisfaciebant, pœnáque in vicem fidei cesserat.* Plaut. in Asinaria, *Malè cubandum est, iudicatum me vxor adducit domum.* Et Tertullianus de Spectaculis, *Vanum verbum iudicatum à Deo sciamus.* Schoppius laudat vt optimam hanc lectionem, *iudicatos retrò in partes.* 126.

3. ET IN PVDORIS NOTAM CAPITIS POENA CONVERSA EST.] Lysias in orat. pro Callia sacrilegij reo: οἰόμενος τὰ ἀκρωτήρια ζῶντος ἀποτμηθήσεσθαι: *Putans sectionem viuētis per extremas membrorum partes.* Alludit verò ad pudorem, quo facta bonorum cessio. An non pudibundum fuit, hominem cedentem bonis, insidere lapidi nudato ano? de quo genere cessionis vide Greg. Tolos. lib. 22. Syntag. cap. 8. num. 4. & eundem cap. 11. eiusdem libri num. 9. vbi multa de infamia, qua nudis ostentatisque natibus fiebat cessio apud pleraque gentes. Bonauitus lib. 5. Enchiridij cap. 105. ducit hos mores plenos contumeliarum, ab ipsis Romanis, qui leonem marmoreum ante Capitolij ianuam habebant positum, quem bonis cedentes percutiebant natibus. Vide ergo, an iure optimo Tertullianus meminerit suffusionis sanguinis ad explicandum incredibilem ruborem, quem cedens bonis contraxisset. 127.

3. SVFFVNDERE MALVIT.] Seneca lib. 2. de Benef. *Cùm homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubor.* 128.

4. PROBATA DEFENDVNT.] Vvouerenius sic legit: *probanda definiunt.* Veruntamen proba lectio est vulgaris: ideo nihil muto. Et *defendunt* est, vlciscuntur. De spectaculis, *defendunt Romulo Consualia*, & sæpe aliàs.

4. INCESTVS SVM.] Alias, *incestuosus sum.*

4. INFANTICIDA, CVR NON EXTORQVENT?] Est hæc querela Chrysostomi orat. 2. Aduersum Iudæos, χωρὶς λόγου καὶ ἐξετάσεως κολάζεται: *inauditus, & sine quæstione punitur.* 129.

4. CVR NON AVDIOR, QVI HABEO QVO PVRGER. Alij legunt: *si quid habeo quo purger.* Cæterùm in eamdem sententiã sic loquitur Themistius orat. 5. καίτοι τῆς φύσεως ἓν κλεῖθρον ἰσχὺ τοῦτο, ἡ τὸ ἀνθρώπειον, ὅτι τῷ ἀκοῦσαι ἐποίησεν αὐτὰ πεπταμένα, καὶ οὐχ ὥσπερ τὰ βλέφαρα καὶ τὸ στόμα ἐφ' ἡμῖν κλείειν καὶ ἀνοίγνυσθαι, οὕτω καὶ τὰ ὦτα, ἀλλ' αὐτὴ μόνη σχεδὸν καὶ ἡ αἴσθησις ἐκπέφευγε τὸ ἐφ' ἡμῖν ἐξουσίαν, καὶ δέχεται αὐλίζεσθαι παῦ τὸ πρόσπτον αὐτῇ, ὥσπερ οἴκημα ἄδυρον, καὶ ἀνεῳγμένον: *Atqui hoc erat naturam hominis arguere, quòd apertas ac patulas aures dedisset, nec quemadmodum palpebras atque os, sic etiam aures claudere aut diducere in potestate nostra esse voluisset: cùm fere hic vnus sensus potestatem nostram atque libertatem effugiat, ac quicquid in eum incurrerit, velut ianua carentibus & apertis ædibus, ita necessariò sint illi omnia suscipienda.* Breuiùs loquitur Theodoritus lib. 1. Hist. cap. 33. καὶ διδάσκων ὡς οὐ χρὴ μόνοις τοῖς κατηγοροῦσι πιστεύειν κἂν ἄλλα ὧσιν ἀξιόχρεοι, ἀλλὰ θατέραν τῶν ἀκοῶν τῷ κατηγορουμένῳ φυλάττειν: *Et doceam simul, non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus sit habenda fides, sed alteram aurem integram seruandam reo.* 130.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Imperatores Romani Christianum nomen qui probauerunt: & qui oderint.

TERTVLLIANVS.

131. 1. VT de origine aliquid retractemus eiusmodi legum, vetus erat decretum, ne qui Deus ab imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus. scit M. Æmilius de Deo suo Alburno. Facit & hoc ad caussam nostram, quòd apud vos de humano arbitratu diuinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit; homo iam Deo propitius esse debebit.

EXPLICATIO.

132. 1. RETRACTEMVS, pro tractemus vsu suo, *Qui* pro quis positum. *scit Marcus Aemilius*, &c. Dictum *scit*, pro, sancit, statuit, censet. Marcus enim Æmilius cùm fortè in Alburnum Deum incidisset, noluit illum priùs agnoscere, quàm ad vniuersum Senatum deferret. *Facit & hoc*, &c. Res ista ad caussam Christianorum facit. Etenim fœdum est, Deum ab homine pendere. quasi diuinitas astricta sit legi humanæ. Facit (inquam) in quantum excludit vos à iudicio huius caussæ, quippe homines cùm sitis, non estis idonei iudices diuinitatis. *Nisi homini*, &c. Cùm igitur diuinitas pendeat ab homine, nisi homini Deus placuerit, Deus non erit; ac perinde homo necessariò Deo debet propitius esse.

133. 2. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in seculum introiuit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quæ veritatem illius diuinitatis reuelarat, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatur periculum accusatoribus Christianorum.

134. 2. CVM *prærogatiua suffragij sui*, cum fauentia sua, qua annuit postulatis, dicens sibi placere, vt Christus Deus haberetur. Itaque non proposuit, vtrùm vellent recipere; sed vt reciperent imperauit, tanquam iam probatum.

135. 3. Consulite commentarios vestros. illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cùm maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferociisse. sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.

136. 3. TRIVMPHAT & gloriatur de primo persecutore Christianorum. Quid enim mirum, Neronem primum omnium ferociisse in hanc sectam & doctrinam? *Cùm maximè*, est, quàm maximè, aut, maximè, simpliciter. *Dedicatorem* appellat Neronem, quasi Pontificem immolantem sanguinem Christianorum.

137. 4. Tentauerat & Domitianus portio Neronis de crudelitate; sed quà & homo, facilè cœptum repressit, restitutis etiam quos relegauerat. Tales semper nobis insecutores iniusti, impij, turpes, quos & ipsi damnare consuestis, à quibus damnatos restituere soliti estis.

138. 4. PORTIO *Neronis de crudelitate*, id est, qua erat similis Neroni, tentauit; sed quà homo, destitit; designans nullam humanitatem in Nerone. *quà*, phrasis Tertullianica, & est, quia.

139. 5. Ceterùm de tot exinde principibus vsque ad hodiernum diuinum humanúmque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem, si litteræ M. Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut palam ab eiusmodi hominibus pœnam dimouit, ita alio modo palam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.

140. 5. DIVINVM *humanúmque*, &c. Seueri laus, quem humanis diuinisque litteris informatum prædicat. Edite (inquit) aliquem ex principibus sapientibus, vsque ad hodiernum, diuinum humanúmque sapientem. *Germanicã sitim*, &c. laborabat siti exercitus Romanus in Germania, & precibus Christianorum abundè pluuia secuta est: sed hoc in Notis. *Fortè*, hæc particula παρέλκει, & redundans est in hoc auctore, Cypriano, & aliis: neque substituenda est *certè*, illius loco. *Qui sicut*, &c. sicut enim palam dimouit pœnam à Christianis, ita quoque palam ab iisdem pœnam dispergendo transtulit in ipsos accusatores, adiecta ipsis tetriore pœna, vt scilicet iis crura frangerentur.

141. 6. Quales ergo leges istæ, quas aduersus nos soli exercent impij, iniusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator; nullus Vespa-

sianus, quamquam Iudæorum debellator; nullus Pius, nullus Verus impressit. Faciliùs vtique pessimi ab optimis quibusque vt ab æmulis, quàm à suis sociis eradicandi iudicarentur.

142. 6. QVAS *Traianus*, &c. hanc partem Historiæ recensuit 2. cap. sed vide hîc Notam. *Nullus Hadrianus*, &c. in locis omnibus *nullus* est nequaquam. *Curiositatum*, nulla ratio nos ducit, vt hîc maleficas artes & magicas intelligamus. *Impressit*, irrogauit. *Faciliùs vtique*, &c. Ratio clara, qua ait, faciliùs multo accidere vt optimi pessimos eradicent iudicéntque, quippe æmuli; quàm socij. Ac si dicat: Isti imperatores, si nos pessimos, vt dicitis, existimarent, delerent nos, quippe optimi; Nero autem, Domitianus, & reliqua amentium turba essent nostri socij: contrarium autem nobis accidit.

NOTÆ.

143. 1. VETVS ERAT DECRETVM, &c.] Eusebius lib. 2. Hist. cap. 2. παλαιὸν ὦ δόγμα, μηδένα θεὸν ὑπὸ βασιλέως καθιεροῦσθαι, πρὶν ὑπὸ τῆς συγκλήτου δοκιμασθῆναι: sic enim vertit Tertulliani verba, addito insigni elogio viri. Ioannes Chrysostomus homilia 66. ad Populum: *Sic enim & idololatria principium cœpit, cùm homines nimiæ supra meritum haberentur admirationi: ita tertium decimum Deum esse putauit Alexandrum Romanorum Senatus. Hic hanc habet potestatem Deos creandi & decernendi.* Prudentius lib. 1. in Symmachum,

---quæcumque fuant auctore Senatu,
Contulit ad simulacra fidem, dominósque putauit
Aetheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.

Liuius lib. 13. *In reliquum deinde Senatus consulto cautum est, nequa Bacchanalia Romæ, neue in Italia essent: si quis tale sacrum solemne & necessarium duceret, nec sine religione & piaculo se id omittere posse apud prætorem Vrbanum profiteretur, Prætor Senatum consuleret.* Hinc lex antiqua: *Separatim nemo sit habens Deos nouos, siue aduenas, nisi publicè adscitos priuatim colunto.*

144. 1. SCIT MARCVS ÆMILIVS.] Hæc est verissima lectio, & codicum omnium antiquorum. Pamelius scribit, *vt M. Aemilius.* Iunius verò insciti-simè, *fecit M. Aemilius.* Fateor ego in primis hanc esse lectionem Eusebij, bis enim posuit verbum ποιεῖν. & de M. Æmilio dixit, Μάρκος Αἰμύλιος οὕτως ποιέ πινος εἰδώλου πεποίηκεν Αλβούρνε: *Marcus Aemilius sic fecit de Deo suo Alburno.* Et postea repetit πεποίηται. Sed quidem ita, vt vellet reddere lectionem, quam vidit in Tertulliano: & quia bis offendit, *fecit*, ideo bis reddidit; nisi quis dicat, non intellexisse lectionem *scit*, & ideo mutauisse in *fecit*. Sed lectio, quam exhibui, pura & puta est, videlicet, *Scit M. Aemilius.* In primis eam retinet liber Puteani, vt hic attestatur Pamelius; deinde liber Delrij; vt ipsi vidimus manu scriptum; tertiò illam abundè reddit Heraldus, & probat. Nam in libro de Baptismo cap. 5. *Sciunt opaci quique fontes, & auij quique riui.* Et cap. 9. *Sciunt Pilati manus.* Sic & lib. de Anima cap. 6. *Scit Thales in puteum.* & infrà, *scit Chrysippus ad helleborum.* Neque obstat corrumpi hæc loca à nonnullis. Nam in Minutio frequentissima est locutio, vt *scit hoc Nepos & Cassius in historia.* Et alibi verbo pari, *Norunt, inculcant, insident.* Demum ita repetita est, vt pudeat eam mutare. Huic similis vox *nosco*, quam Turnebus explicat lib. 7. cap. 1. vt cùm dixit Cicero in Lucullo, *bene autem nosse Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur*, vbi explicat *nosse* Metrodorum fuisse discipulum Carneadis, atque adeo Carneadem diligenter auditum esse à Metrodoro. Inde Græci discipulos appellant γνωείμους.

145.

146. 1. HVMANO ARBITRATV.] Minutius: *Ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremò Deus est, cùm homo illum voluit, & dedicauit.*

147. 1. HOMO IAM DEO PROPITIVS ESSE DEBEBIT.] Eusebius sic vertit, οὕτως καταγε τοῦτο ἀνθρωπον θεῷ ἵλεων εἶναι προσῆκεν. Vide ἵλεων, & nota, Aristænetum lib. 1. epist. 4. eodem modo loquutum, ex correctione cuiusdam, ἐπίνευσον ὦ κλιή· οὕτω σοι εἴη ἵλεων τὸ πρόσωπον: *Annue ô formosa, sic tibi propitius sit puellus.*

148. 2. NOMEN CHRISTIANVM.] Pro Christianis. Arnobius lib. 1. *Postquam esse nomen in terris Christianæ religionis occœpit.* Et lib. 2. *Quibus inuisum est nomen Christi.* Augustinus de Ciuit. lib. 1. cap. 15. *Multo minùs nomen criminandum est Christianum.*

149. 2. IN SECVLVM INTROIVIT.] Eleganter dictum. Cassiodorus lib. 2. epist. 1. *Felix à Consule sumat annus auspicium, portamque dierum tali nomine dicatus annus tempus introeat.*

2. ANNVNTIATVM SIBI, &c.] Cap. 21. eiusdem meminit epistolæ: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiauit.* Eiusdem epistolæ Gregorius Turonensis mentionem facit lib. 1. hist. cap. 24. vbi sic ait: *Resurgens autem Dominus, per quadraginta dies cum discipulis de regno Dei disputans, videntibus illis in nube susceptus auectusque est in cælos, ad Patris dexteram residet gloriosus. Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de virtutibus Christi, quàm de passione, & resurrectione eius insinuat: quæ gesta hodie apud nos retinentur scripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recensuit; quod Senatus cum ira respuit, pro eo quòd non ad eum primitus aduenisset. Hæc etenim contra Christianos prima odiorum germina pullularunt.* Vide & Eusebium lib. 2. Hist. cap. 2.

150. 2. QVÆ VERITATEM.] Pamelius legit, *quod.* Et Eusebius ita reddit, vt nescias quæ fuerit eius mens. Verè legendum *quæ*, videlicet, *quæ Syria Palæstina*, &c. Sic legit Lipsius, & vetus liber. Cùm adijcit *illius diuinitatis*, intelligit, vt opinor, resurrectionem Christi, itaque emphaticè accipiendum *illius diuinitatis.* Quasi dicat, illius magnæ & admirandæ, & numquam antea auditæ inter mortales. Languidè sanè, vt videtur, Nicephorus: *Annuntiatam sibi ex Palæstina veritatem dogmatis ipsius, ibi enim prima initia sumpserat.* Si autem legas *quod*, vt Pamelius vult, non infeliciter coniectabis legendum sic, *quod illic veritas de illius diuinitate reuelauerat.* Nisi velis legere *quòd*, ita vt sit aduerbium, sed multo magis placet lectio quam sequor. Accepit autem *Syriam* pro Iudæa, quod alio loco illustriùs dicam.

151. 2. QVIA NON IPSE PROBAVERAT, RESPVIT.] In vulgatis Pamelij legitur, *quia non in se probauerat, respuit.* Iunius autem, & Heraldus *ipse*, & pro hac parte veritas. Si autem legas *non in se*, intellige, sine ipso probauerat, & sine ipsius auctoritate.

152. 3. NERONEM.] Hæc fuit persecutio Ecclesiæ, qua Petrus & Paulus occisi sunt: & quidem Tertullianus in Scorpiaco cap. 14. eiusdem persecutionis meminit. Quin, *abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus Chrestianos appellabat*, inquit Tacitus. Abolendo, inquam, rumori incendij Romani. Mox per-

quitur rem atrociter. ait enim cap. 16. *Afflicti ſupplicijs Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ ac maleficæ*, verè ipſe nouus & maleficus.

153. 3. CVM MAXIME.] pro, *quàm maximè*, tritum Tertulliano, vt paſſim videre eſt. ſed certè qui legeret, *tum maximè*, haberet fulcrum, cùm Cicero ſepiſſime id inculcet.

154. 3. CÆSARIANO GLADIO.] Certè *gladius* hoc loco pro omni inſtrumento accipitur, quo mors infertur. Nam non dubium quin Tertullianus loquatur cum reſpectu ad Petrum & Paulum: atqui Petrus non gladio vitam finiit. ſic video apud Hieronymum, qui in epiſtola ad Caſtrutium: *Quid Petro, quid Paulo ſublimius? Neronianum gladium cruentarunt.* ſic etiam in iure *gladius* ſumitur: Nam lib. 9. codic. tit. 9. lege 31. de viris, qui nubunt vt fœminæ, *iubemus in-*

155. *ſurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquiſitiſſimis pœnis ſubdantur infames.* vbi explicat *gladium vltorem* eſſe *pœnas exquiſitiſſimas*: ſic enim locum capit Cuiacius, non de vero gladio. Et quidem confectos Chriſtianos à Nerone non gladio, ſed multis cruciatibus, teſtis Tacitus lib. 15. vt perinde liqueat, *gladium* ſumi hîc à Tertulliano pro cruciatibus. An cùm Hieronymus in vita Pauli dixit, *voti tunc Chriſtianis erat pro Chriſti nomine gladio percuti*, de vno tantùm gladio intellexit? minimè, imò atrocia omnia. Ad hæc Berterius Diatriba 1. cap. 9. ita explicat: *Scribit Tertullianus in Apologetico Neronem in Chriſtianos Cæſariano gladio ferociſſe; ſed id nemo de ſola capitis amputatione intelligendum cenſeat.* Idque aliunde probat; cuius probatione mirè affectus ſum, cùm viderim alios eiuſdem eſſe ſententiæ.

156. 4. PORTIO NERONIS.] Saluianus epiſt. 1. *Deinde qui cùm me portionem veſtri exiſtimetis, neceſſe eſt eum qui mei portio eſt, veſtri quoque aliquatenus portionem eſſe ducatis.* Et lib. de Gubernatione, *Populi portionem.* Cyprianus de Habitu virginis, *fœmina viri portio eſt.* Et loquens de virginibus, *illuſtrior portio gregis noſtri.* ſic in lib. 5. D. de iis qui deiecer. vel effuder. *Edicti portio*, id eſt, ſimile edicti. Græci dicunt μέρος, ad eum modum, quo Iuſtinus Martyr dixit de anima, eſſe τῦ βασιλικοῦ μέρος, *partem imperantis*, id eſt, particulam Dei & portionem. Ad extremum notanda lectio Vvouerenij, *tentauerat Domitianus pro nomine Neronis* (legendum *præmonitu* Neronis) *eamdem crudelitatem. ſed quid? homo facilè cœptum repreſſit, tales ſemper nobis perſecutores.*

157. 4. DE CRVDELITATE.] Cap. 9. *ô Iouem Chriſtianum, & ſolum patris filium de crudelitate.*

4. QVA ET HOMO.] Iunius legit, *quia*, non attendens ad phraſim Tertulliani.

5. VSQVE AD HODIERNVM.] Ablegant multi illud *vſque*: poſſunt per me.

5. SI LITTERÆ M. AVRELII.] Hic fuit Philoſophus. Quamuis Tertullianus hæc aſſerat, tamen Euſeb. lib. 5. Hiſt. cap. 1. grauiſſimam perſecutionem narrat, quam vide in Baronio ad Martyrologium die Circumciſionis Domini.

158. 5. GERMANICAM SITIM.] Tametſi ſcriptores profani hoc miraculum ipſi tribuant Antonino, vt videre eſt in Capitolino, *Fulmen de cœlo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit, ſuis pluuia impetrata cùm ſiti laborarēt*, quamuis (inquam) hoc ei tribuant, veritas eſt, precibus Chriſtianorum hoc contigiſſe: qua de re copiosè Iuſtinus Martyr Apol. 2. pro Chriſtianis ita ſcribit loquens de Chriſtianis. ῥίψαντες γὰρ ἑαυτὸν ἐπὶ τὸν γῆν, οὐχ ὑπὲρ ἐμοῦ μόνον ἐδεήθησαν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῦ παντὸς γραπτῦ κόσμου, παρήγορον γνόντες ἔσεσθαι ἡμῖν ἢ λιμοῦ τῆς παρεύσης· πεμπόμοι γὰρ ὕδωρ ἐκ εἰλήφειμεν διὰ τὸ μὴ παρεῖναι. ἤλθε γὰρ ἐν τῷ με-

159. σημβρίᾳ τῆς Γερμανίας, ἢ τοῖς ὄρεσιν αὐτῶν. ἅμα δ' τῷ τάττοις ῥίψαι ἐπὶ τὸν γῆν ἑαυτὸν, καὶ εὔχεσθαι Θεῷ, ᾧ ἐγὼ

A ἠγνόουν, ὐδέως ὕδωρ ἀκολούθει οὐρανόθεν, ἐπὶ μὲν ἡμᾶς ψυχρότατον, ἐπὶ δ' τῶν Ρωμαίων ἐπιβούλους καλαζα πυρώδης: *Nam proijcientes ſe in terram, non pro me tantùm, ſed & pro exercitu, qui tum aderat, vniuerſo, precati ſunt: ita vt ſolatio nobis eſſent in præſenti fame & ſiti. In quintum enim iam diem aquam, quòd ea defeciſſet, non ceperamus; nam in meditullio Germaniæ, & in finibus hoſtium eramus. Simulatque verò illi in terram ſunt prouoluti, & Deum precatione inuocarunt, quem ego ignorabam, confeſtim aqua de cœlo eſt conſecuta, ad nos illa quidem frigidiſſima; in Romanorum verò imminentes hoſtes grando ignea.* Verba ſunt ipſius Antonini. 160.
Hiſtoriam quoque narrat Nicephorus ſub nomine Tertulliani cap. 12. lib. 4. & Euſebius lib. 5. cap. 5. vide hunc, & Oroſium lib. 7. cap. 15. Non omittam Federicum Sylburgium citantem iſta Tertulliani in Iuſtinum Martyrem, ita habere. Pro *ſi* initiali *ſe*, & poſtea pro *impetrato* pari mutatione *empetrato*. An mendum ſit in littera; an pro, i, ponatur, e, antiquo more, ita vt Tertullianus ita legerit, in dubio ſum.

B 5. TETRIORE.] Euſebius lib. 5. cap. 20. Ἀλλὰ 161.
ὁ μὲν δείλαιος περὶ κρίσεων τῶν δίκαια εἰσελθών, ὅτι μὴ ζῆν ἔξον ὡῒ, κῇ βαπλικὸν ὄρος, τὸν τῶν τοιῶνδε μίασμα, ἀυτίκα καταγνῦται τὰ σκέλη, Περεννίου δικασοῦ τοιαύτῳ κατ' ἀυτὸν ἐπενεγκάντος: *Ac ſtatim huic miſero & perdito intempeſtate in iudicium ad Chriſtianum accuſandum ingredienti, actutum, cùm capitalis pœna in eos eſſet conſtituta qui talia deferrent, ſententia à Perenni aduerſus eum lata, cruribus fractis periit.*

6. QVAS TRAIANVS, &c.] Arguit falſitatis Tertullianum & Hieronymum Noſter Biſciola tom. 2. Horar. lib. 2. cap. 19. dicens id non Traiano conuenire, ſed Neruæ, auctoribus Dione & Euſebio: atque adeò reponendum eſt, *Traianus Nerua*, vt in hiſtoria Martyrum, quam citat. Vide illum, vbi de Hieronymo loquitur.

6. NVLLVS HADRIANVS.] Explicui, *nun-* 162.
C *quam. Nullus* hoc ſignificat: etenim Raderus Noſter in Chronicon Alexandrinum, vbi ait: *Miſit illum ad Herodem, & Herodes eundem remiſit ad Pilatum, & ille rurſus ad Annam ſocerum Caiphæ*, in hæc verba, *& ille rurſus ad Annam ſocerum Caiphæ*, ſic ait notanter: *Hoc ordine nullus Matthæus rem narrat, neque alius.* Terentius Eunucho: *Memini, tametſi nullus moneas.* Plautus Aſinaria: *Libanum in tonſtrinam vt iuſſeram venire, is nullus venit.* Et Paullinus ad Macarium in fine: *Quod profectò facias, etſi nullus admoneam.* id eſt, etſi non admoneam. Omitto Ciceronem ad Atticum, Virgilium in Ciri. Poſſis explicare, *mortuus eſt.* Nam iſti omnes mortui. Ita Plautus Bacchid.

Anima eſt amica amanti: ſi abeſt, nullus eſt.

Ita explicat Scaliger in Catalectis, ad illud, *Et tu nul-* 163.
lus eris. Nam illud, quod additur, *nullus ſeuerus*, meritò abraſimus, vt Heraldus etiam. Nam perſecutiones à Seuero excitatæ occaſionem præbuerunt huic
D Apologetico. & præterea, viuebat Seuerus. Demum manifeſtè, id quod ait Baronius, docet Euſebius lib. 5. cap. 5. qui Tertulliani verba reddens, *Verum* ſcribit, non *Seuerum*. Etenim Seuerus licèt initio ſui mitiſſimus fuerit, vt tradit Nicephorus lib. 5. cap. 26. his verbis: *Cùm Seuerus ſucceſſit, tum quoque ſatis bono loco* 164.
res noſtræ fuere, in dieſque fidei profeſſio augmenta ſua cepit: eorum quos recenſuimus Scholaſticorum Doctorum ſcriptis atque doctrinis illam prouehentibus, idque in maximis potiſſimùm vbique vrbibus, nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, Aeliæ, & per Paleſtinam omnem, Epheſi, Cæſareæ, & occidentem verſus, Theſſalonicæ, Athenis, Corinthi, in Galliis, & Romæ maximè. Vniuerſæ enim multitudines & domus totæ ad fidem accedebant, quid vis facere aut pati paratæ, quàm vt quidquā cōtra religionem noſtram agerent, aut nouarent; licèt (inquam) initio ſui ita mitis fuerit, tamen procedente tempore

crudeliſſimè exarſit perſecutio, vt teſtatur idem Baronius tomo 2. Annal. pag. 280. & Tertullianus ipſe inſinuat lib. ad Scapulam cap. 4. *Nunc à præſide Legionis, & à præſide Mauritaniæ vexatur hoc nomen*, quæ ſciente Seuero facta ſunt: nam promulgato ab Seuero imperatore in Chriſtianos edicto, ſæuiùs furere cœpit perſecutio.

165. 6. CVRIOSITATEM.] Spartianus de hoc Principe: *Fuit enim poëmatum & litterarum omnium ſtudioſiſſimus, Arithmeticæ, Geometriæ, picturæ peritiſſimus. Iam pſallendi, & cantandi ſcientiam præ ſe ferebat.* Eadem Paulus Diaconus. Sunt qui referant has curioſitates ad artes magicas: in his eſt Baronius tomo 2. Annal pag. 92. Nam & magiam calluit, vt Dio & Spartianus teſtantur, & Matheſeos peritus fuit, vt Marius Maximus demonſtrat. Vtrunque tibi relinquo, licèt inclinem in primum.

6. VERVS.] Fuiſſe hunc, non Lucium Verum, ſed Marcum Verum, Baronius teſtatur 2. tomo Annalium pag. 134. vt facilè ex Theophilo Antiocheno demonſtratur. 166.

6. VTIQVE.] Sic in codice Puteani ſcriptum eſſe teſtatur Pamelius: eſt etiam in editione Veneta, & ita retinet Heraldus. In vulgaribus *itaque*.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Quantum à pietate & maiorum ſuorum legibus Romani defecerint.

TERTVLLIANVS.

167. 1. NVNC religioſiſſimi legum & paternorum inſtitutorum protectores, & cultores reſpondeant velim de ſua fide, & honore, & obſequio erga maiorum conſulta, ſi à nullo deſciuerunt? ſi in nullo exorbitauerunt? ſi non neceſſaria & aptiſſima quæque diſciplinæ obliterauerunt? quonam illæ leges abierunt ſumtum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra non ampliùs in cœnam ſubſcribi iubebant, nec ampliùs quàm vnam conferri gallinam, & eam non ſaginatam? quæ patritium, quòd decem pondo argenti habuiſſet, pro magno titulo ambitionis Senatu ſummouebant? quæ theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant? quæ dignitatum & honeſtorum natalium inſignia non temerè, nec impunè vſurpari ſinebant.

EXPLICATIO.

168. 1. INTERROGAT Magiſtratus vt aliquid ediſſerant, reſpondeántque de mutatione legum ſuarum circa fidem, honorem, & obſequium maiorum ſuorum. Clara ſunt omnia, per *religioſiſſimos* intellige ſuperſtitioſos, ironicè. *Sumptum & ambitionem*, ambitum interpretatur Pamelius, luxum Heraldus. Verè ſumptuarias leges intelligit, quæ modum in conuiuiis & ſumptibus finierunt: quales fuerunt Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Æmilia, Antia, Iulia, Cecilia, Oppia. Hæ fuerunt leges ſumptuariæ, quas hîc poſui, ne quid vltrà putes. *Subſcribi*: Dicit Tertullianus *ſubſcribi*, quaſi conuentione quadam deſtinare, ac collaturum ſe promittere. Adducit Pamelius Crinitum lib. 14. de Honeſt. diſcip. cap. 6. *Ludis Romanis, Plebeiis, & Saturnalibus, & aliis quibuſdam diebus æra centena in dies impendunto, & aliis diebus decem, in ſingulis menſibus trigena ſunto. Si quis plus faxit, dicta pœna damnatus eſto.* Procedit. *Argenti*, facti ſcilicet. *Stuprandis moribus*, propter meretriciam impudicitiam, quæ in theatris exhibebatur. *Quæ dignitatum*, &c. Dicit, inſignia natiuitatis cuiuſque, vt latum clauum, & alia ornamenta generis, non ab alio vſurpata, neque in communem vſum traducta. 169.

170. 2. Video enim & centenarias cœnas à centenis iam ſeſtertiis dicendas: & in lances (parum eſt ſi Senatorum, & non libertinorum, vel adhuc flagra rumpentium) argentaria metalla producta. Video & theatra, nec ſingula ſatis eſſe, nec nuda. Nam ne vel hyeme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonij penulam ludis excogitauerunt.

171. 2. *Video enim*, &c. Centum iam ſeſtertia in cœnas ſingulas erogabantur, à quibus meliùs dici *centenaria cœnæ* poſſent. Quin etiam lances ex argento produci, non modò Senatorum, nam hoc parum eſt, ſed etiam Libertinorum, & qui heri manumiſſi ſunt, & adhuc ſubijciuntur flagris: hi enim adhuc flagra rumpunt. *Video & theatra*, &c. Theatra etiam non ſatis ſingula vni vrbi, & ea non nuda, ſed cum velis & carbaſis. Neque hoc ſolùm, ſed veſtiti qui aderant (ſpectatores dico, non actores) penulis à Lacedæmoniis in id excogitatis, ne ſcilicet *voluptas impudica* frigeſceret.

172. 3. Video & inter matronas atque proſtibulas nullum de habitu diſcrimen relictum. Circa fœminas quidem etiam illa maiorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur, cùm aurum nulla norat præter vnico digito, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo. Cùm mulieres vſque adeo vino abſ-

173. tinerent, vt matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſui inedia necarint. Sub Romulo verò quæ vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata eſt. Idcirco & oſcula propinquis offerre neceſſitas erat, vt ſpiritu iudicarentur. Vbi eſt illa felicitas matrimoniorum de moribus vtique proſperata, qua per annos fermè ſexcentos

ab vrbe condita nulla repudium domus scripsit? nunc in fœminis præ auro nullum leue est membrum; præ vino nullum liberum est osculum; repudium verò iam & votum est, quasi matrimonij fructus.

174. 3. *Video & inter*, &c. Matronis & prostibulis nullum habitus discrimen relictum est: quæ veteres tamen pro lege habuerunt. *Modestiæ*, propter aurum, quod vno tantùm digito ferebatur. *Sobrietati*, propter vinum, quod fœminis non licebat bibere. *Quem sponsus*, &c. *Oppignorare digitum auro*, est, sponsaliorum pignus & arrhabon. Dabat scilicet sponsus in arrhabonem & pignus annulum, quem illa digito ferret.

175. *Ob resignatos*, ob auulsos & diuulsos loculos cellæ vinariæ. Fecit enim vt auellerentur promptuaria, vbi vinum seruabatur, idcirco à suis necata est. *Necessitas*, ius quippe erat offerre osculum, vnde fiebat vt spiritu & anhelitu iudicarentur. *Prosperata*, proprius sermo; nam in Apologetico Apuleius, notante Heraldo, *minimè prosperum matrimonium* dixit. *Nulla repudium domus scripsit*, πάππιν ἄτιον, *repudium mittere*. *Nullum leue est membrum*, nulla pars corporis est, quæ auro non prematur, tantum absunt vt vnico digito portent. *Præ vino*, &c. Sic ebriosæ sunt, vt non liceat eas osculari. *Votum est*, habent in votis repudium, quasi fructum.

176. 4. Etiam circa ipsos Deos vestros, quæ prospectè decreuerant patres vestri, ijdem vos obsequentissimi rescidistis. Liberum patrem cum mysteriis consules Senatus autoritate non modò vrbe, sed vniuersa Italia eliminauerunt: Serapidem, & Isidem, & Harpocratem cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos inferri, id est, curia Deorum pulsos, Piso & Gabinius Consules, non vtique Christiani, euersis etiam aris eorum abdicauerunt, turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes. His vos restitutis summam maiestatem contulistis.

177. 4. Vnico verbo, quoniam res ista ad Notas, dicit Romanos posteros rescidisse, quæ priores sanxerunt. Nam cùm priores eiecissent Roma & Italia Liberum & mysteria, posteriores reuocarunt. Præterea Serapidem, Isidem, Harpocratem, Cynocephalum, Deorum curia pulsos à prioribus: posteri tamen summam maiestatem contulerunt. Notentur *prospectè*, *obsequentissimi*, *rescindo*, *elimino*, & cetera omnia, quæ huius viri elegantiæ sunt.

178. 5. Vbi religio? vbi veneratio maioribus debita à vobis? habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proauis renuntiastis. Laudatis semper antiquitatem, & nouè de die viuitis. Per quod ostenditur, dum à bonis maiorum institutis decedi-tis, ea vos retinere & custodire, quæ non debuistis, cùm quæ debuistis non custoditis.

179. 5. *Instructu*. Notas mihi propria manu scriptas Scotthus misit, in quibus erat Delrij nota hæc, *instructum*, sumi pro supellectili: vnde in libris Iureconsultorum est, *instructus fundus*: quæ visa mihi idonea. *Ipso denique sermone renuntiastis*. Satis clarè indicat, iam sua ætate sermonis Latini vsum & elegantiam corruptam. *Laudatis semper*, &c. Pondus rationis. Quæ vestra est in laudanda antiquitate prudentia, si nouè de die viuitis? *Per quod ostenditur*, &c. Hinc ostenditur à vobis recedentibus à bonis maiorum institutis, ea retineri & custodiri, quæ non debuistis. Probat. nam non custoditis quæ debuistis.

180. 6. Adhuc quod videmini fideliſſimè tueri à patribus traditum, in quo principaliter reos transgressionis Christianos destinatis, studium dico deorum colendorum, de quo maximè curauit antiquitas (licèt Serapidi iam Romano aras restruxeritis; licèt Baccho iam Italico furias vestras immolaueritis) suo loco ostendam proinde despici, & negligi & destrui à vobis aduersus maiorum auctoritatem. Nunc enim ad illam occultorum facinorum infamiam respondebo, vt viam mihi ad manifestiora purgem.

181. 6. *Adhuc quod*, &c. Promittit se suo loco dicturum, quemadmodum cura erga colendos Deos despiciatur à Romanis, quorum maiores in hanc vnam rem impensè incubuerunt, neque verò seruatur à posteris, & in hoc illi præcipuè Christianos accusant: & nihil est illos aut Serapidi aras restruxisse, aut Baccho furores immolasse. Illud *proinde*, est ideo, vt dicat, quia vos iactatis fideliſſimos cultores Deorum vestrorum, *proinde*, id est, ideo ostendam suo loco non ita esse. *Nunc enim*, &c. Priùs verò ad occulta facinora respondet, purgata & mundata via ab his sceleribus, quæ illam impediebant.

NOTÆ.

182. 1. CVLTORES.] Codex Puteani habet *vltores*. & Schoppij.

1. SI A NVLLO DESCIVERVNT.] Ista ironicè. q. d. in multis exciuerunt, & exorbitauerunt.

1. EXORBITAVERVNT.] In exhortatione ad Castit. *Qui de monogamia exorbitat*. Sidonius epist. 11. lib. 8. *Vereor huiusmodi à Catholicæ fidei regulis exorbitaturum*. Iulius Firmicus de errore profanæ religionis: *Nec à salutaribus tuis legibus exorbitat nunc Consul noster Posthumius*.

1. QVONAM ILLÆ LEGES ABIERVNT.] Lipsius lib. 14. Annal. Taciti, hîc per *leges* accipit Senatusconsultum interpositum; quod hîc *legis* nomine intellexit.

1. CENTVM ÆRA.] Inde à Lucillio poëta *Centussis* 183.

tussis festiuè vocabatur hæc cœna: *assis* enim simpliciter pro *æs* accipitur.

1. VNAM INFERRI GALLINAM, ET EAM NON SAGINATAM] Plin.l.10.c.50. *Gallinas saginare Deliaci cœpere. Vnde pestis exorta opimas aues & suopte corpore vnctas deuorandi. Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum inuenio iam lege Fanny Consulis vndecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrũ poneretur præter vnam gallinam, quæ non esset altilis.* Vide Athenæum.

184. 1. QVÆ PATRICIVM, QVOD DECEM PONDO ARGENTI, &c.] Sidonius ep. 9.l.2. *Prandebamus breuiter, copiosè, Senatorium ad morem: quo insitum institutúmque multas epulas paucis paropsidibus apponi.* Ecce paucas paropsides. Plin.ca.11.l.33. *Nam propter quinque pondo notatum à Censoribus triumphalem senem, fabulosum iam videtur.* Refert autẽ Valerius Maximus, Censorem Fabricium Senatu mouisse Corneliũ Rufinum, duobus consularibus & dictatura speciosissima B functum, quòd tanquam malo exẽplo luxuriosus decem pondo vasa argentea comparasset. Ad hoc exemplum aspirauit Tertullianus.

185. 1. THEATRA STVPRANDIS MORIBVS ORIENTIA.] Locutus est de Spectacul. hunc in modum: *Sæpe Censores renascentia theatra destruebant, moribus consulẽtes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebãt.* Dio lib.57. *Histriones Tiberius Roma exturbauit, artéque ea interdixit, quia & mulieres ignominia afficerent, & turbas darent.* Valerius Max. lib. 2. cap. 4. *Theatra*
186. *inchoata quidem sunt à Messala, & à assio Censoribus; cæterùm auctore Scipione Nasica omnem apparatũ operis eorum subiectum hastæ vanire placuit.* Ephrem Syrus de Patientia, ita loquitur de cantibus meretricũ, quæ cantabant in Theatris: *Quando auditum nostrum flagitiosis rumoribus & cantibus meretricum accommodamus, an non ipsi nobis malum accersimus?*

187. 1. QVÆ DIGNITATVM, &c.] Aduersum Iudæos C cap.10. *Quis omnino regum insigne potestatis suæ humero præferat, & non aut capite diadema, aut manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam?* Lactantius lib.5. cap.6. *Altioréque se cæteris hominibus, satellitum comitatu, & ferro, & insigni veste faciebant.* Cæterùm in vulgatis scribitur *dignitatem*, reposuimus *dignitatum*, ex Rhenano & Vaticano codice.

188. 1. HONESTORVM NATALIVM INSIGNIA.] *Honesti natales* propriè sunt ingenui, & liberales; quẽadmodum *honestè geniti*, ingenuæ nec libertinæ conditionis. Firmat hoc Heraldus lib.2. in Arnobium, nam Liuius lib.26. *Cn. Fuluium Quiritium exercitum, honestè genitos, liberaliter educatos, seruilibus vitiis imbuisse.* Et lib.23. eos appellat *honestos* simpliciter: *Omnes satis honestos generosósque ducerent, quibus arma populus Romanus commisisset.* Zeno Veronensis sermone de spe, fide, charitate: *Huius est munus, quòd chara vxor, quòd generosi liberi, quòd veri sunt patres.* D

189. 2. FLAGRA RVMPENTIVM.] Parasiti, in quos omnes colaphos impingebant, *fractores ferularum* dicuntur Sidonio epist.13.lib.3. *Ita viuens paucis voluptati, nullis amori, omnibus risui, vesicarũ ruptor, fractorq; ferularum, bibendi auidus, auidior detrahendi, rabidus pariter, ore spirans cœnum, spumans vitiũ, loquens venenum; facit ambigi, putidior, temulentior, an facinorosior existimetur.* Et Iuuenal. Sat.6.

190. *---Hic frangit ferulas, rubet ille flagello,*
Hic scutica. Phædrus:
Ferro mulum tonsitant. Plautus Epidico,
Quod pol ego metuo, si senex resciuerit,
Ne vlmos parasitos faciat, quæ vsque attondeant.
Et Asinaria,
Nã me hodie senex seduxit solũ, seorsum ab ædibus,
Mihi, tibique interminatus est, nos futuros vlmeos,
Nisi hodie Argyrippo viginti essent argenti minæ.

2. ARGENTARIA METALLA PRODVCTA.] Tractus est sermo à marmoribus, aut ab ipsis metallis, quæ propriè dicuntur duci, aùt produci. Apuleius 1. Floridorum, apud quem Alexander iussit, ne quis effigiem suam, *temere assimilaret ære, colore, calamine: quin solus eam Polycletus ære duceret; solus Apelles coloribus delinearet; solus Pyrgoteles calamine excuderet.* Quin *laminæ* Græcis dicuntur ἐλάσματα, quòd malleis ducantur formentúrque in effigiem. Vide me ad illud, 191.

---viuos ducent de marmore vultus,

ad calcem 6. Æn.

2. NVDA.] Vt plurimùm theatra sine tecto & nuda fuêre, quare velis & carbasis tegi necesse fuit, ad arcendum vel frigus vel calorem. Chrysostom. homilia 4. in illud Isaiæ, *Vidi dominum*, ita ait: *Sudant in theatro, nudo capite Solis ardorem excipiunt, vt fiant captiui mortis, & scorti mancipia.* Maximus Tyrius sermone 38. Ἄτλας ὄρος ἀνεῳγὸς πρὸς τὸ πέλαγος, ὥσπερ τὰ θέατρα πρὸς τὸν ἀέρα: *Atlas mons apertus fuit versus mare, sicuti theatra in aërem aperta sunt.* Martialis lib.2. ait, Horatiũ spectauisse munus albis lacernis, cũ

Toto nix cecidit repentè cœlo,
Albis spectat Horatius lacernis.

Inde columbæ reuolabant, & in domum redibant hirundines, quia theatrum sine tecto & nudum erat. Inde igitur lacernæ frigoris caussa. Idem Martial.lib.14. epig.137.

Amphitheatrales nos commendamus ad vsus,
Cùm tegit algentes nostra lacerna togas.

Propert.lib.4.eleg.1.

Nec sinuosa vago pendebant vela theatro,
Pulpita solemnes non oluere crocos.

Quamobrem tunc lacernis & caussis tegebantur, vt idem Martial.lib.14. ait,

In Pompeiano tectus spectabo theatro,
Nam ventus populo vela negare solet.

C Id est, tectus mea lacerna. Aliquando autem fornice & tecto erant superstructa. Philostratus in Herode: ὅδε ἀνέθηκε καὶ τὸ ἐπὶ Ῥηγίλλῳ θέατρον, κέδρου σωθεὶς τὸν ὄροφον: *dedicauit theatrum in Rhegillo, & cedro tectum fecit.* Et statim: ἀνῆκε καὶ τοῖς Κορινθίοις θέατρον ὑπωρόφιον ἐδείματο: *ædificauit Corinthijs theatrum tectum.*

2. FRIGERET.] Claudius Salmasius in Notis ad Spartianum legit, *cessaret.* Nescio quid voluerit Ramiresius cùm scripsit *frigerent*, in lib.4.epig. Martialis. Illud bene addit, & à quouis laudandus, hîc *frigeret* positum non communi notione, sed vt frigus dicimus remissum amorem. vt Horat. dixit lib.2. Sat.1.

--- & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

2. PENVLAM.] Explicui *ad spectandos ludos, non* 192.
agendos: Hoc sentient mecum quique docti, non enim actores debuerunt crassa illa & pingui toga impediri, sed ad ludos spectandos adhibita est penula. Dio lib. D
57. ὑετοῦ ὄντος ἐν παιγνίῳ τινὶ ἡμφιεσμένου, φασὶν αὐτὸν λῶσαι ἐπενέδυ. καὶ τούτου ἕνεκα οὐδεὶς αὐτῶν ἄλλοθί ποτε ἐθέλησεν λαβεῖν ἐπὶ λώσει: *Ludis cùm plueret pulla ipse penula indutus effecit, ne quis etiam alius vestem inconcessam vsurparet.* Lampridius in Commodo: *& contra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, non togatos, ad munus conuenire.* Quia scilicet non pluuiæ tempore. Dicit inuentam à *Lacedæmoniis.* Nonius: *Penula est vestis, quã supra tunicã accipimus; à Laconibus reperta est, ne frigore cõtingerẽtur.* Has *penulas gausapinas* vocat Martialis: nã in epigrammate 145.lib.14. titulus est, *penula gausapina*, & subditur, *is mihi candor inest*, &c. & li.6.epig. 59.

Et dolet & queritur sibi non contingere frigus,
Propter sexcentas Baccara gausapinas.

An verò scribendum *penula*, an *pænula*, anxiè disquirunt aliqui.

2. LVDIS.] Aliqui *nudi.* Non probo, quia respicit voluptatem.

193. 3. VIDEO ET INTER MATRONAS.] Habes hoc totum in libro de Pallio, cap. 4. ab illis, *Conuerte & ad fœminas*, &c. Vbi grauiter queritur nullum discrimen inter matronas & prostibulas. Quibus annecte verba hæc de Cultu fœminarum: *Aut quid minus habent infelicissimæ publicarũ libidinum victimæ? Quas si quæ leges à matronis aut matronalibus decoramentis coërcebãt, iã certè seculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusq; fœminis usq; ad errorem agnoscendi coequauit.*

3. AVRVM.] Contrà docet Plinius, nam ex ferro, sic enim ait lib. 33. cap. 1. *Quo argumento etiam nunc sponsæ annulus ferreus mittitur.* Is annulus est, quem Tertull. vocat *pronubum*. Quid nunc dicendum? quæro effugium. Æuo Plinij ferreus, æuo Tertulliani, in quo luxuria patebat, aureus fuit. Sic quoque Pamelius quæstioni satisfacit.

194. 3. QVEM SPONSVS OPPIGNORASSET PRONVBO ANNVLO.] Iuuenalis Sat. 6. B

--- Iamque à tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.

Isidorus lib. 20. *Feminæ non usæ sunt annulis, nisi quos virgini sponsus miserat.* Idem in lib. 2. de diuinis officiis ca. 15. *Quòd in primis nuptys, annulus à sponso sponsæ datur, sit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel*, &c. Apud Photium Theosebius Philosophus vxori suæ dicit: πάλαι μέν σοι ἐπέδωκα δακτύλιον ἁρμοσθὴν παιδογόνου συμβιώσεως· τὰ νῦν δ' τοῦτον ἐπιδίδωμί σοι σωφρονιστήν: *Tibi olim dedi annulum pignus connubij ad prolem, iam tibi do hunc annulum temperantiæ pignus.* & deinde abstinuit consuetudine. Heliodorus lib. 4. μεμνῆσθαι δὲ πάντων τῶν συνεκτεθέντων σοὶ κειμηλίων δακτύλιόν τινα ἐπιζητεῖν, καὶ σαυτῇ προειπεῖν, ὃν πατὴρ ὁ σὸς ἐμοὶ παρὰ τὴν μνηστείαν ἐδωρήσατο: *Memineris autem ante omnia, vt inter pignora rerum exposita, annulum quemdam inquiras, & tibi vendices: quem pater tuus mihi cùm illi desponsarer, donauit.* Nicolaus Papa epist. ad Bulgaros: *& postquam arris sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit.* In fine moneo, verba hæc Tertulliani citari in libro & cultu fœminarum à Bulengero lib. 1. de Veste Pontif. cap. 33. Sed μνημονικὸν ἁμάρτημα non lædit hominem doctum. C

195. 3. VINO ABSTINERENT.] De fœminis ait, Arnobius li. 2. *Potionibus abstinent vini.* Philo de conuiuiis Christianorum: *Vinum habent pro veneno afferente dementiam.* Lactantius lib. 1. cap. 22. *Clodius in eo libro, quem Græcè scripsit, refert Fauni hanc* (Fatuã) *vxorem fuisse, quæ quia contra morem, decúsque regium clam vini ollam ebiberat, & ebria facta erat, virgis myrteis à viro vsque ad mortem cæsa.* Egnatius ait, vxorem

196. quòd vinum bibisset fusti interemtam, idque factum non modò reprehensore, sed etiam accusatore caruit. Plinius lib. 14. cap. 13. *Non licebat id* (vinum) *fœminis Romæ bibere.* Athenæus lib. 10. παρὰ Ρωμαίοις δ' ἀπείρηται γυναιξὶ πάντ' οἶνον, *apud Romanos interdictum est fœminis vinum bibere.* Valerius Max. lib. 2. ca. 1. *Vini vsus olim* D *Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquòd dedecus prolaberentur.* Inde Martialis epig. 105. lib. 11. ad vxorem sic scribit,

197. *Me iucunda iuuant tractæ per pocula noctes:*
Tu properas pota surgere tristis aqua.

Vide Isidorum Peluſiotam lib. 1. epist. 203. & Hieronymum lib. 2. aduersus Iouinianum, qui in genere loquuntur de vini abstinẽtia, & eundem in cap. 5. ad Galatas, & peculiariter de vino Clemens Alexandrinus ait lib. 2. Pædagogi: *Carnium & vini expertem cœnam.* Et Minutius in Octauio: *Conuiuia non tantùm pudica colimus, sed & sobria; neque enim indulgemus epulis, aut conuiuiũ mero ducimus*, &c. Vide Mercurialem lib. 1. Variar. c. 17. vbi ait, vino Passo nunquam abstinuisse fœminas Romanas, ex Polybio, Varrone, Agellio, quasi ab eo nullũ periculum ebrietatis immineret, quippe ex vuis passis fiebat, & explicat locum quendam Aristotelis. Lege præterea Claud. Rangolium lib. 1. Reg. ca. 1. versu 13. dissertantem hac de re. & Claud. Dausqueium lib. 7. Silij, vbi probat, olim, non vino, sed lacte, fieri libationem. Cæterùm omnes codices ante Pamelium, vt ipse testatur, habebant, *abstinerent*, pro quo ipse substituit *abstinerentur*.

3. RESIGNATOS.] In exhortatione Castit. *resignandos loculos*, dixit. de Habitu muliebri, *arboris illius resignatrix.* & lib. de Vel. Virgin. *Virginitatem resignasset.* 198.

3. OSCVLA PROPINQVIS OFFERRE.] Arnobius lib. 2. Aduersus gentes: *Affinibus & propinquis osculari eas ius est, vt sobrias comprobarent, atque abstemias esse.* Suetonius in Claudio, cap. 26. *Verùm illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per ius osculi, & blanditiarũ occasionem, pellectus in amorem.* Alludit verò Tertullianus ad id quod Cato sanxerat, vt suæ cognationis mulieres viri oscularentur, explorandi gratia, num temetum olerent. Vide Plutarchum in Quæst. Romanis, vbi quærit, διὰ τί ποτ' συνηθεῖς τῷ γένωνται φιλεῖν αἱ γυναῖκες; *Quare mulieres osculo salutant cognatos suos?* 199.

3. VBI EST ILLA FELICITAS, &c.] Idem scribit Dionysius, Valerius Max. Plutarchus, Agellius. Vidi in Kirkmanno li. 2. de Funeribus Romanorũ ca. 19. loco *scripsit* appositum *sensit*. Sententia est eadem. 200.

3. NVLLA REPVDIVM DOMVS SCRIPSIT.] Agellius lib. 4. primum repudiantem describit sic: *Quingẽtis amplius annis à V. C. nulla vxorię rei actiones cautionésque in vrbe; primus qui has necessarias fecit Sp. Carbilius fuit. auctor Sulpitius, de Dotibus. Vir ille nobilis, diuortium cum vxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerẽtur. Atque is Carbilius traditur, vxorem, quam dimisit, egregiè dilexisse, charisimámque nurum eius gratia habuisse; sed iusiurandi religionem, animo atque amore prævertisse, quòd iurare à Censoribus coactus erat, vxorem se liberorũ quærendorum gratia habiturum.* Valerius tamen Max. istum carpit lib. 2. *Qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum, coniugali fidei præponi debuisse arbitrabantur,* Quod hîc dixit, *repudium scribere*, alij dicunt *repudium dicere, mittere, renuntiare*, & Iuuenalis Sat. 6. 201. 202.

Collige sarcinulas dixit libertus, & exi.

3. REPVDIVM VERÒ IAM, &c.] Seneca 3. de Benef. cap. 16. *Nunquid iam vlla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, non cõsulum numero, sed maritorum, annos suos computant? & exeunt matrimonij caussa, nubunt repudij?* Martialis lib. 6. 203.

Aut minùs, aut certè, non plus trigesima lux est,
Et nubit decimo iam Thelesina viro. Et lib. 4.
Mense nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas. 204.

Plutarchus in vita Marij: ὧν ἦν καὶ ἡ Φανν[illegible] Τιννίου, τοῦτον διαζῶσα, τὴν φέρνην ἀπῄτει λαμπρὰν οὖσαν· ὁ δὲ μοιχείαν ἐνεκάλει: *Fannia in matrimonio fuerat cum Tinnio, quæ cũ diuortio facto, iam dotem, quæ lauta erat, repetebat; ille adulterium obiecit.* Appellat autem matrimonium *repudium*, quasi intentum præcipuè in contrahendo matrimonio. Notetur Festi etymon: *Repudiũ Verres ait dictum, quòd sit ob rem pudendam.* Clarè Cic. 2. Philip. *Mimam suas res sibi habere iussit: Ex XII. tabulis caussam addidit, exegit.*

4. RESCIDISTIS.] Verbum fori in Concilio Carthaginiensi est: *& ideo dico, si quid ab hæreticis motum aut factum fuerit, rescindi debere.*

4. LIBERVM.] Hi fuere Q. Martius Philippus, & Postumius Albinus. Augustinus li. 6. de Ciuit. ca. 9. *Sic Bacchanalia summa celebrantur insania. Vbi Varro ipse confitetur, à Bacchanalibus talia fieri non potuisse, nisi mente commota. Hæc tamen postea displicuerunt Senatui seniori, & ea iussit auferri.* Vide insuper Liuium, qui anxiè hanc historiam multis narrat, & demum absoluit lib. 39. *Edici præterea in vrbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti, ne quis qui Bacchis initiatus esset, coisse aut conuenisse caussa sacrorum velit,* 205.

neu quid talis rei diuinæ feciſſe. Ante omnia vt quæſtio de his habeatur, qui coierint coniurauerintve, quo ſtuprum flagitiúmve inferretur. Hæc Senatus decreuit. Cicero 1. de Legib. *Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæque noſtri, & auguſta illa myſteria, ſiquidem ſacra nocturna tollimus?* Firmicus de errore profan. relig. *Nec à ſalutaribus tuis legibus exorbitat Poſtumius Conſul noſter: nam ſicut in libris Annalibus inuenimus, Bacchanaliorum ſacra, Ebutio quondam adoleſcente deferente detecta ſunt.*

206. 4. SERAPIDEM ET ISIDEM.] Lucanus canit,

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſim,
Semideoſque canes, & ſiſtra inuentia luctus.

Arnobius lib. 2. *Quid? vos Aegyptiaca numina, quibus Serapis atque Iſis eſt nomen, non poſt Piſonem & Gabinium Conſules in numerum veſtrorum retuliſtis Deorum?* Cicero lib. 3. de Natura Deorum: *Si Dij ſunt illi quos colimus & accepimus, cur non eodem in genere Serapim & Iſim numeremus? quod ſi facimus, cur barbarorum Deos repudiemus?* Ægyptiorum autem Deorum multa in primis laſciuia fuit. De illis ſic Epiphanius in Anchorato: B

207. ἡ ὐυδὺς μὴν Οσίριδος ἐρῶσα τὸ ἰδίου ἀυτῆς ἀδελφοῦ, κὴ Τύφωνος τὸν ἄλλοις τῶν ἰδίων ἀδελφῶν φατεύουσα, πολλὴ ἦ αἰσχύνη Θεᾶς, τῆς μήτε αἰσχύλω ἰδίου ἀδελφὸς ἀδουλώτης, ἀλλὰ ἐξώστης μὲ, ἡ εως ἀν ἀγνοεμένης τοῖς ἐξωθεν αὐδρᾶσιν, ἀλλὰ ἡ ἕως τὸ ἰδίου ἀδελφοῦ φθανούσης· ὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ ἡ ἀδελφοκτονίαν διὰ τ ἰδίαν τ ἐπιθυμίας ἀκορεσίαν τοῖς φιλτάτοις ἐπιδεικνύσης: ἡ Ωρον μὲ ἕνα ἡμιν ἀ παῖδα: *Et ſi atim quidem Oſiridem amans, proprium fratrem ſuum, contra Typhonem alios proprios fratres armans. Multus verò pudor Deæ, neque pudicitiam propriy fratris reuerentis, ſed amantis quidem & non negantis extexis viris, imò etiã vſque ad proprium fratrem procedentis, non ſolũ autem, verùm etiam parricidium propter propriam libidinis inſatiabilitatem amiciſſimis oſtendentis: & Orum quidem vnicum filium parit.* Argutat de nomine Serapidis Iulius Firmicus, de errore profanæ religionis. Videſis illum. C

208. 4. CAPITOLIO, ID EST, CVRIA DEORVM.] Cùm in Capitolio omnia numina colerentur, dictum Capitolium eſt Deorum curia. Cyprianus epiſt. 55. *Quid ſupereſt, quàm vt Eccleſia Capitolio cedat?* id eſt, quid ſupereſt quàm vt Eccleſia tot ſanctis viris munita cedat Capitolio, in quo Deorum eſt cenſus? Prudentius etiam in Apotheoſi:

Ipſa ſuis Chriſtum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum. Et in Symmachum,
Et quaſcumque ſolent Capitolia claudere laruas.

Et in Agone Vincentij, *Tarpeia calcentur ſacra?*

209. Ita de ſtultitia Caij loquens Ioſephus lib. 19. Iudaicarum antiquitatum, ait, εἰς τὸ τῦ Διὸς φοιτῶν τὸ ἱερὸν, ὃ Καπιτώλιον μὲ καλοῦσι, πρωτεῖον ἦ παρ' αὐτοῖς ὄζὴν ἱερῶν, ἀδελφὸν ἐπάλμησεν ἀφροσυνεύειν τ Διὰ: *in templum Iouis cùm veniſſet, quod Capitolium dicitur, quodque omnibus aliis auguſtius eſt, ſe fratrem Iouis auſus eſt vocare.* Nihil videlicet dubitauit Caius, tantorum Deorum numero apponi. Et Suetonius in Galba cap. 18. meminit D Capitolinæ Veneris. Etenim qui Capitolium ducũt,

210. quod illud ſit Toli caput, videant propagandæ nobilitati affingi, cùm in veteribus auctoribus nulla ſit talis mentio. Itaq; Varroni, qui hoc de capite humano dixit, & aliis, poſſum opponere Iſidorũ in Etymologiis: *Capitolium Romæ vocatum, quòd fuerit Romanæ vrbis & Religionis caput ſummũ.* Et Lactantium lib. 1. cap. 11. *Sciant ergo Romani Capitolium ſuum, id eſt, ſummum caput Religionum ſuarum publicarum, nihil eſſe aliud quã inane monumentum.* Ac perinde optimè Tertullianus

211. dixit, *Capitolio, id eſt, curia Deorum*: nam in Capitolio omnes Dij colebantur. Non animo eſt damnare Catonem, Dionyſium, Liuium, Arnobium, qui illud de capite humano aſſerunt, ſed dico ſimplicius eſſe, quòd dicatur caput Religionis & Vrbis, vt ab *epiſtola, epi-* A *ſtolium.* Vtique quod Cedrenus dixit pag. 122. Καπιτώλιον, ὅπερ κεφαλὴ πόλεως σημαίνῃ: *Capitolium, quod vrbis caput ſignificat.* Mecum ſunt Scaliger in Coniectaneis, & Rycquius in opere de Capitolio cap. 10. Etenim licèt tribus numinibus Capitolium ſit dicatũ, Ioui, Iunoni, Mineruæ, tamen aliis omnibus, vt horum agalmata haberet. Vnde Conſul ita loquitur apud Liuium lib. 5. *Iuppiter Opt. Max. Iuno Regina, & Minerua, alij Dij Deæque obſidentur.* & Tacitus lib. 4. Hiſt. non ſolùm dixit, *Iouem, Iunonem, Mineruam*, ſed addidit, *Præſideſque Imperij Deos precatus, vti cœpta proſperarent.* Inde cùm apud Dionyſium lib. 4. & Ouidium 6. Faſt. legis tribus tantùm conſecratum, intellige ad eũ modum, quo Dionyſius latè ſcribit, vt eſſent ſub eodem laqueari & tecto in interiore cella; Cæterùm quòd deeſſet alia multitudo Deorum in templo, putare nõ debes: erant enim Dij cæteri tanquam ornamenta & agalmata.

4. PISO.] Huius meminit Macrobius primo Saturn. cap. 12. Lactantius lib. 1. cap. 6. Arnobius lib. 3. 212.
B Varro lib. 4. de Ling. Lat. in multis mentio eſt etiam Gabinij Cõſulis præſertim in Arnobio lib. 2. & in Andrea Schotto lib. altero de Bono Silentij cap. 1. vbi ait, horum Deorum aras dirutas à Piſone & Gabinio anno poſt Romam conditam ſexcenteſimo nonageſimo quinto.

5. VBI RELIGIO? VBI VENERATIO?] Ita Comentiolus in Chaganum inuehitur apud Simocattam lib. 1. cap. 5. 213.
οἱ σοῦ πατρὸς σου παροινοῦντες θεοὶ, ὅρκοι βιάζοντες, ἀσυνδέτοι καταλέλυνται: *Dij tui abs te laduntur, ſuſceptum ſacramentum violatur, fœdera franguntur.*

5. PER QVOD OSTENDITVR, &c.] Non 214.
eſt vnum ratio alterius, *Dum deciditis*, &c. *ideo retinetis*, &c. Sed tantùm ait, vos omnia pro libidine. Nam dũ à bonis inſtitutis deceditis, retinetis mala inſtituta. A quibus bonis inſtitutis deceſſerunt? ab quatuor illis, quæ dicta in hoc capite. Quæ mala inſtituta retinuerunt? Liberi, Serapidis, & aliorum. Quæ etiamſi eliminata, tamen reuocata iterum, ac perinde retenta. Igitur à bonis deceditis, mala retinetis, & hoc vno eodemque tempore; nam hoc eſt *dum.*

6. LICET SERAPIDI IAM ROMANO.] 215.
Quid ſi innuit Iouem Serapidem dici? Etenim Ruffinus 2. lib. Hiſt. Eccleſiaſticæ ita ait: *De Serapidis origine diuerſa fertur opinio. Alij Iouem putant, cuius capiti modius ſuperimpoſitus: vel quia cum menſura modóq; cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi.* Fortaſſe iſta quadrant in hunc locũ, melius tamen eſt multo, aſſerere, *diuerſos* à Tertulliano nuncupatos.

6. BACCHO IAM ITALICO.] Qui ergo priùs? Credo Sabum, aut Sabatium intelligi, vt dicat, quem priùs Sabum aut Sabatium habebatis, Italicum iam habetis, & furias immolatis. Euſthatius in Dionyſiũ. Ἥπαν ἡ ἔθνος Θρᾳκικὸν Σάβοι, ὅπερ τὸν Βακχεῖς δηλοῖ Φρυγία διαλέκτῳ. ᾗ κ ἡ ὁ Διόνυσος ἔοικε Σαβάζιος λέγεσθαι, διότι ἡ Βάκχος ὁ αὐτός: *Sabi Thraces fuere, quæ vox Phrygia dialecto Bacchos valet, ex quo & Dionyſius dici Sabazius videtur, quod & ipſe Bacchus.* Photius, Σαβάζιος ὁ Διονύσος, διὰ τ γινόμενον περὶ αὐτὸν τ θίασον. τὸ γὰρ εὐάζειν οἱ βάρβαροι σαβάζειν λέγουσιν: *Sabazius Dionyſius ob ſaltationes Bacchicas, quæ circa ipſum: Nam ſaltare barbari dicunt* σαβάζειν. Plutarchus Sympoſio lib. 4. q. 5. Σάββοις γὰρ ἔτι πολλοὶ τῶν Βάκχων κέχρηνται, ἡ τυπτόμενοι αὐλοῖς ἡ φωνῶσι, ὅταν ὀργιάζωσι τῷ θεῷ: *Sabbos namque & hodie Bacchos nominant, & hanc mittunt vocem, cũ agitant Bacchanalia.* Ad hunc locum enarrandum operam mihi commodauit Daũſqueius lib. 8. in Silium, quem vide de hac re longiùs diſſertantem.

6. VT VIAM MIHI, &c.] Vt ſcripſi ſcribit Puteanus in eleganti libro: hoc enim elogio Pamelius af- 216.
ficit. In vulgaribus eſt, *vt iã inde ad manifeſtiora pergã.*

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Inanis est fama, quæ Christianis obijcitur.

TERTVLLIANVS.

217. 1. DICIMVR sceleratissimi de sacramento infanticidij, & pabulo inde; & post conuiuium incesto, quod euersores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum & libidinum impiarum inuerecundia procurent. Dicimur tamen semper, nec vos quòd tandiu dicimur, eruere curatis. Ergo, aut eruite si creditis, aut nolite credere qui non eruistis. De vestra vobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Longè aliud munus carnifici in Christianos imperatis, non vt dicat quæ faciunt, sed vt negent quod sunt.

EXPLICATIO.

218. 1. DICIMVR *sceleratissimi.* In primis obiectabatur Christianis, quòd ederent carnes infantum, quos occidissent, post quod conuiuium in incestum procaces ruerent, quod incestum procurarent canes inuerecundi, euersores scilicet luminum, & lenones tenebrarum & impiarum libidinum. Dicit *de sacramento infanticidij*, quasi de mysterio & sacrificio infanticidij, quo dicerentur Christiani sacri-
219. ficare infantes. Deinde *euersores luminum*, quia illigati luminibus, & obiecta offula, deturbabant lumina. *Dicimur tamen*, &c. Hoc semper iactabatur de Christianis, neque iudices id curabant. Monet itaque, vt eruant, si credunt, aut nolint credere, si non eruunt. *De vestro*, &c. Præscribimus, inquit, vobis, & impingimus, *de vestra dissimulatione*, non certè est, quod nolunt ipsi iudices inquirere. *Longè aliud*, &c. Longè aliud vos facitis, nam carnifici imperatis, non vt Christiani dicant quæ faciunt, imò negent quòd sunt Christiani.

220. 2. Census istius disciplinæ, vt iam edidimus, à Tiberio est, cum odio sui cœpit simul veritas atque apparuit inimica esse. Tot hostes eius quot extranei, & quidem proprij, ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri. Quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus & congregationibus nostris opprimimur. Quis vnquam taliter vagienti infanti superuenit? quis cruenta vt inuenerat Cyclopum & Sirenum ora iudici reserauit? quis vel in vxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? quis talia facinora cùm inuenisset, cælauit; aut vendidit ipsos trahens homines?

221. 2. *Census* est principium phrasi Tertullianica. *Cum odio*, &c. Christiana veritas cœpit cum odio sui, atque apparuit inimica esse omnibus mortalibus: Vt cœpit, odibilis esse cœpit. *Tot hostes*, &c. Enumerat quotquot mortales erant, quibus inimica esset veritas. *Tot hostes eius quot extranei*, scilicet quot gentiles. & præter extraneos, etiam *prop ij*, vt Iudæi, ex propria & inuidente æmulatione: & milites iactabundi, assuetique concutere & percutere: & naturaliter
222. ipsi domestici nostri. Itaque nos omnes *proprios* dicit, vt vnius Dei cultores. *Quotidie obsidemur* à Iudæis, *prodimur* à militibus, & *in ipsis cœtibus ac congregationibus opprimimur* à nostris. *Quis vnquam*, &c. Quis *vagienti infanti* cùm prope carnificinam esset, superuenit, atque offendit nos? Quis vnquam reserauit iudici monstrosa nostrorum ora, quæ instar Cyclopum & Sirenarum inuolabant in pueros, deuoratura illos? Quis vnquam Ethnicus *in vxoribus* Christianis *deprehendit immunda vestigia*, vel tantilla, vt dicat paratas ad incestum? *Quis talia facinora cùm inueniisset, cælauit*; *aut trahens* lenocinio ipsos *homines*, *vendidit* illos accepto pretio, vt peccata subticeret?

223. 3. Si semper latemus, quomodo proditum est quod admittimus? imò à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis non vtique, cùm vel ex forma omnibus mysterijs silentij fides debeatur. Samothracia & Eleusinia reticentur. Quantò magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animaduersionem prouocabunt, dum diuina seruantur? Si ergo nō ipsi proditores sui, sequitur vt extranei; & vnde extraneis notitia? cùm semper etiā impiæ initiationes arceāt profanos, & arbitris caueāt, nisi si impij minùs metuunt.

224. 3. Inquit non posse sciri, quæ isti mentiuntur, cùm omnes *initiationes arceant profanos. Ex forma* omniū mysteriorum. *Samothracia*, vide Notas. *Quanto magis talia*, id est, præcipuè cùm hæc ipsa sacra nostra *talia* & tam horrenda sint, *quæ prodita, dum*, vt *diuina seruantur*, tunc etiam *prouocabunt* homines, vt in
225. ea animaduertant. Vult itaque infanticidium, quod ipsi gentiles aiunt seruari, vt diuinum & sacrum à Christianis, si semel proditum sit, debere acuere omnes mortales ad offensionem. *Cùm semper*, &c. Cùm omnes *initiationes*, quantumuis *impiæ*, *arceant profanos* quosque, *nisi impij minùs metuunt:* quod ridiculum est; tam enim vos qui impij estis, metuitis; quàm nos qui pij sumus. Vel solùm, vt *impij* referatur ad Christianos, nisi nos qui impij iudicio vestro sumus, minùs metuimus.

226. 4. Natura famæ omnibus nota est. Vestrum est,

Fama malum, quo non aliud velocius vllum.

Cur malum fama? quia velox? quia index? an quia plurimùm mendax? quæ ne tum quidem, cùm aliquid veri affert, ſine mendacij vitio eſt, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid? quòd ea illi conditio eſt, vt non, niſi cùm mentitur, perſeueret. & tandiu viuit, quandiu non probat. Siquidem vbi probauit, ceſſat eſſe; & quaſi officio nuntiandi functa, rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſquam dicit (verbi gratia) hoc Romæ aiunt factum; aut, fama eſt illum prouinciam ſortitum, ſed, ſortitus eſt ille prouinciam: &, hoc factum Romæ. Fama nomen incerti locum non habet vbi certum eſt. An verò famæ credat, niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto.

227. 4. Adducit famæ originem & principium ex verſiculo Virgiliano. *Cur malum*, &c. Dicit, *famam* dici *malum*, non quia *velox*, aut *index*; ſed quia *mendax*. Hoc verum. Reddit rationem, nam ſemper cùm aliquid nunciat verum, detrahit, adiicit, demutat. Quid? tandiu fama eſt, quandiu mentitur: Et ſtatim, quando efficit id quod nuntiauerat, iam non eſt fama. Ponit exemplum. Nemo dicit, *hoc Romæ aiunt factum*, ſed *hoc factum Romæ* eſt: Aiunt illum prouinciam ſortitum: ſed, ſortitus prouinciam eſt. *Fama nomen*, &c. Vbi certum eſt, fama locum non habet, quæ incerta eſt. Inconſideratus autem famæ credat, non credit ſapiens: quia non credit incerto, & illa incerta eſt. *Nomen*, eſt in nominatiuo, quaſi dicat: Fama, quæ nihil eſt aliud, quàm nomen.

228. 5. Omnium eſt æſtimare, quantacunque illa ambitione diffuſa ſit, quantacunque aſſeueratione conſtructa, quòd ab vno aliquando principe exorta ſit, neceſſe eſt, exinde in traduces linguarum & aurium ſerpat. & ita modici ſeminis vitium cætera rumoris obſcurat, vt nemo recogitet num primum illud os mendacium ſeminauerit: quod ſæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non noua ſed ingenita quibuſdam mentiendi voluptate.

229. 5. *Omnium eſt*, &c. Æſtimet quiſque ambitionem qua diffuſa ſit, aſſeuerationem qua conſtructa fama, quantacunque voluerit, modò ambitione diffundatur, modò aſſeueratione conſtruatur; æſtimet (inquam) quiſque neceſſe eſſe, quod exortum eſt ab vno aliquando principe & auctore, vt poſtea abeat in linguas omnium & aures, quod eleganter *in traduces linguarum & aurium ſerpat*. Procedit: & ita *vitium modici ſeminis*, quod inſperſerit ille princeps, *obſcurat* ceteras proprietates rumoris, *vt nemo* iam *recogitet*, *num primum illud os* principis *mendacium ſeminauerit*, quod quidem ſæpe fit, vel ab ingenio æmulante inuidentéque, vel ab arbitrio ſuſpicioſo illius auctoris, vel denique ab *ingenita mentiendi voluptate*, *non* quidem *noua*. Et iſtæ ſunt proprietates rumoris, quibus derelictis exiſtimatur pro vero quod dictum eſt à principe auctoreve. Summa eſt. Aliquem auctorem dicere ſolitum aliquod leue vitioſum in quempiam, & illud eſſe pro regula, itavt nequaquam examinetur contrarium, cùm aliunde poſſit oriri. 230.

231. 6. Bene autem, quòd omnia tempus reuelat, teſtibus etiam veſtris prouerbiis atque ſententiis; ex diſpoſitione naturæ quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat, etiam quod fama non diſtulit. Meritò igitur fama tandiu conſcia ſola eſt ſcelerum Chriſtianorum. Hanc indicem aduerſus nos profertis, quæ, quod aliquando iactauit, tantóque ſpatio in opinionem corroborauit, vſque adhuc probare non valuit.

232. 6. *Bene autem*, &c. *Tempus reuelat omnia*, quod aſſerunt veſtræ ſententiæ, idque *ex diſpoſitione naturæ* ordinantis, *vt nihil lateat*, etiam illa quæ *fama non diſtulit* & vulgauit. *Meritò igitur*, &c. Fama igitur, quæ mendax eſt, & nihil certi continet, conſcia eſt noſtrorum ſcelerum: *Hanc* vos *profertis indicem* & teſtem vnicam, quę certè *quod iactauit* in publicum, & tanto tempore annorum *corroborauit*, *vſque adhuc probare non* potuit.

NOTÆ.

233. 1. DE SACRAMENTO INFANTICIDII, &c.] *Sacramentum* ſemper dicit ſecretum aliquid, quo deuincti mortales. Cæterùm hanc partem illuſtrat Saluianus lib. 4. de Gubernat. *Siquidem etiam initia ipſa noſtræ religionis nonniſi à duobus maximis facinoribus oriri arbitrabantur. Primum ſcilicet homicidio, deinde, quod homicidio eſt grauius, inceſtu. Nec homicidio ſolùm & inceſtu, ſed quod ſceleratius quidem eſt inceſtu ipſo & homicidio: Inceſtu matrum ſacroſanctarum, & homicidio innocentium paruulorum, quos non occidi tantùm à Chriſtianis, ſed,* 234. *quod magis abominandum eſt, etiam vorari exiſtimabant.* Euſebius lib. 4. cap. 7. *Vnde accidit vt nefaria quædam opinio de vobis excitata, eáque ab omni ratione alieniſſima per infidelium animos longè latéque peruaderet; quòd videlicet tum nefando concubitu matres & ſorores violare, tum etiam ſcelerato quodam alimenti genere vti non vereremur.* Itaque *viſcerationem*, vt loquitur Iuſtinus Martyr; & *cœnas Thyeſteas*, τὰ τραγικὰ δεῖπνα Θυέστου, vt Athenagoras; & ἐψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα, καὶ Οἰδιποδείους 235. μίξεις, *mentiti ſunt nobis Thyeſteas cœnas, & Oedipodios concubitus*, vt Euſebius lib. 5. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ in epiſtola Gallicanorum Chriſtianorum; & *ſacramentum infanticidij, & inde pabulum*, vt Tertullianus: has (inquam) cœnas fuiſſe gentiles Chriſtianis impingebant, & falsò. Et quidem, auctore Nazianzeno orat. 3. huiuſmodi infanticidia ad animarum euo-

cationem erant. Verba eius: *Prætermittam etiam concauas & ſemotiſſimas aulæ partes, quaque etiam in lacubus & puteis & foſſis, malis theſauris myſteriſque ſcatebant, non modò diſſectorum puerorum & virginum, ad animarum euocationem & diuinationem, ſacrificiáque minimè legitima; ſed eorum etiam qui pietatis cauſſa in periculum vocabantur.* Quis ſcit ergo, an hæc homicidia eo fine Chriſtianis impingerentur? quæ tamen Tatianus contra Græcos hæc negat. παρ' ἡμῖν δὲ οὐκ ἔστιν ἀνθρωποφαγία, ψευδομάρτυρες οἱ ἐπιπλεύσαντες γέγονατε. παρ' ὑμῖν ὁ Πέλοψ δεῖπνον τῶν θεῶν γίνεται, καὶ Ποσειδῶνος ἐρώμενος, καὶ Κρόνος τὸν ὑὸν ἀναλίσκει, καὶ ὁ Ζεὺς τὸν Μῆτιν καταπίνει: *Apud nos non inuenitur hominum voratio, falſi teſtes hoc crimine contra nos confícto, deprehenſi eſtis: Apud vos autem Pelops Deorum epulis apponitur, & amatus Neptuno puer, & Saturnus filios, & Metin Juppiter deuorat.* Et Seneca ait in Thyeſte,

Ecquando tollet ignibus iam ſubditis
Spumante aheno membra? per partes eant
Diſcerpta, patrios polluat ſanguis focos,
Epulæ inſtruantur.

Philo in orat. de Dirarum imprecationibus, ἐπάρασθαι τροφὰς τὰ Θυέστου παιδία, καὶ συγκεχυμένα τοῖς ὑπὸ λαῖς τὰ συμφορῶν: *Execrandæ dapes Thyeſtei liberi inter graniſſimas calamitates adnumeratæ.*

238. 1. ET PABVLO INDE.] Latinius, *& pabulo crudæ.* Sed hæc omophagia Chriſtianis nunquam affícta; & ſanè Thyeſteæ epulæ fuere, quas Atreus coxit. In editione Veneta, *& pabulo Iudæ*; ſed cenſeo nihil mutandum. Etenim infantem farre contectum certatim confodiebant, ſanguinem lambebant, & membra ſingulis diſpertiebantur, vt narrant Minutius, Epiphanius, Euſebius.

239. 1. ET POST CONVIVIVM INCESTO.] Minutius Felix: *Sic euerſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involuunt per incertum ſortis: & ſi non omnes operâ, conſcientiâ tamen pariter inceſti, quoniam voto vniuerſorum appetitur, quicquid accidere poteſt in actu ſingulorum.* Athenagoras: πεῖα ἐπονειδίζουσιν ἡμῖν ἔγκλήματα, ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιπόδειους μίξεις: *Trium flagitiorum rumor de nobis ſpargitur, impietas quæ Deos tollat, epulæ Thyeſteæ, concubitus inceſti.* Iuſtinus Apolog. 2. ἐπεὶ δὲ παλαιὸν δαίμονες φαῦλοι, ἐπιφανείας ποικιλόμορφοι, καὶ γυναῖκας ἐμοίχευσαν, καὶ παῖδας διέφθειραν, καὶ φόβητρα ἀνθρώποις ἔδειξαν: *Quandoquidem & antiquitus peruerſi dæmones per ſpectra apparentes, mulieres conſtuprarunt, & pueros imminuerunt, & terriculamenta hominibus exhibuerunt.* Notabis *inceſtum* neutro genere.

241. 1. QVOD EVERSORES LVMINVM CANES.] Minutius: *Illic poſt multas epulas, vbi conuiuium caluit, & inceſtæ libidinis ebrietatis feruor exarſit, canis qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ, vltra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum pronocatur.* Euſebius contra Hieroclem, τῶν κυνῶν οἱ λύχνοι: *Canum lucernæ.*

242. 1. LENONES SCILICET TENEBRARVM.] Vvouerenius: *Lenones ſcilicet tenebras.* Nihil tamen muto. Minutius: *Quæ nocturnis congregationibus & ieiuniis ſolemnibus, & inhumanis cibis, non ſacro quodam, ſed piaculo fœderantur. Latebroſa & lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula,* &c.

243. 1. ET LIBIDINVM IMPIARVM INVERECVNDIA PROCVRENT.] Vvouerenius: *tum libidinum impiarum inuerecundiam procurent.* Heraldus: *& libidinum piarum inuerecundia procurent.* Iunius: *& libidinum inuerecundiæ procurent.* In iſta diſcordia hæreo textui, & *procurent* explico ad eum modum, quo Spartianus in Hadriano: *Fuerunt eius temporibus fames, peſtilentia, & terræmotus: quæ omnia, quantum potuit, procurauit; multiſque ciuitatibus vaſtatis per iſta, ſubuenit.* Is qui *inuerecundiam* legit, habet hunc ſenſum, quaſi canes extinctis luminibus procurent inuerecundiam, vt lenones ſcilicet tenebrarum, & libidinum impiarum.

2. CENSVS.] ἀρχὴ, phraſi Tertullianica, & dignitas. Aduerſus Hermogenem cap. 4. *Quis enim alius Dei cenſus, quàm æternitas?* Notandum autem, cùm Tertullianus agit de rebus noſtris, vti verbis honeſtis & honorificis; cùm autem loquitur de rebus gentilium, vti illum verbis abiectis & contemtibilibus. Sic dicit Chriſtianos colere ſapientiam, gentiles affectare. Hinc ergo ſuo more vtitur verbo *cenſus.* Perinde ac ſi dicat: Cenſeri cœpit, & eſſe in pretio, & æſtimatione. Quando enim cenſebatur populus Romanus, numerabatur ſecundùm cenſum & æſtimationem in claſſes, & hic erat cenſus. Inde de abiectiſſimo quoque dicebatur, *nullius cenſus homo.* 244.

2. PROPRII.] Mutant aliqui in *propria*, non placet, ſed dicit proprios eſſe hoſtes Chriſtianorum, & enumerat *Iudæos, milites, & domeſticos.* Certè hunc zelum nunc agnoſcas in Iudæis, quia adhuc increduli. Sed & Paulus de ſe ad Galat. 1. *Proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Quaſi omnes Iudæi hoc eſſent ardore, ſed Paulus ſupra cęteros. Et *proprij* quidem ex æmulatione Iudæi; nam illi vti & Chriſtiani, vnum & verum Deum colunt; gentiles autem non *proprij*, qui plures agnoſcunt & falſos. 245.

2. EX CONCVSSIONE MILITES.] Exiſtimo alluſum ad locum Lucæ 3. *Interrogabant autem eum* (Ioannem Baptiſtam) *milites, dicentes, quid facimus & nos: & ait illis, neminem concutiatis.* Etenim milites proterui eſſe ſolent & inſolentes: quod vitium illis obijcit Ioannes. Ergo ait Tertullianus: Milites, quorum natura inſolens eſt, & liberior, & impatiens perfectionis Chriſtianæ, more ſuo nos oderunt. 246.

2. EX NATVRA.] Si libeat, poterit hoc referri non ad domeſticos, ſed ad veritatem, præceſſit quippe *cum odio ſui cœpit veritas.* Vt dicat, naturale eſſe, veritati eſſe hoſtes, & illam eſſe in odio. Et vide, an naturale; nam *domeſtici*, hoſtes ſunt quoque. Q. d. ex natura odium comes eſt veritatis, ac perinde domeſtici noſtri ſunt hoſtes. Sed tamen refero ad *domeſticos*, vt dicat naturale eſſe domeſticis odium. Ex reſcripto Antonini, in quo apud Theophilum, φύσει ὁ δοῦλος τῷ δεσπότῃ πολέμιος: *Seruus hoſtis eſt natura domino.* Et prouerbium eſt apud Senecam, *Quot ſerui, totidem hoſtes.* 247.

2. CYCLOPVM ET SIRENVM.] Terriculamenta, quæ ſolent infantibus proponi, vt quieſcant à ploratu, aut quauis re alia, originem ſumpſere à Cyclopibus, quos aduocabant aduerſum puerulos. Verſus Callimachi ij ſunt, 248.

Αλλ' ὅτε κουρέων τις ἀπιδέα μητέει τεύχει,
Μήτηρ μὲ Κύκλωπας ἐῇ ἐπὶ παιδὶ κελεύει
Ἀργῶ, ἢ Στερόπῃ· ὁ δ' δώματος ἐκ μυχάτοιο
Ἔρχεται Ἑρμείης, σποδιῇ κεκονιμένος αἰθῇ.
Αὐτίκα τὸν κούρῳ μορμύσσεται· ἢ δ' τεκούσης
Δύσεται ἔσω κόλπους, θεμιδὸν ἐπὶ φάεσι χεῖρας.

Cùm puellarum aliqua proteruum quidpiam in matrem fecerit,
Mater quidem Cyclopas aduocat contra filiam ſuam,
Argem, aut Steropen. Ex ædibus verò interioribus
Mercurius exilit, carbone atro illitus.
Protinus ille puellam territat: illa verò ad genitricis 249.
Confugit ſinus, ponens manus in illius oculis.

Et Mercurius quidem præ aliis adeſt: quaſi illum remittant Cyclopes ad illa terriculamenta: nam

is communis est Deus : canente de illo sic Claudiano,

--- commune profundis
Et superis numen, qui fas per limen vtrumque
Solus habet, geminóque facit commercia mundo.

250. Itaque mittitur vt nuntius Manium ad terrores istos. Cyclopibus similes Titanes, qui puerulos terrebant, de illis Nicetas lib. 2. in Andronico cap. 2. ἢ ὀπτικῷ βλέμματι καὶ Τιτανικῷ ἐμβεβυσμένῳ μὴ ἐξέσησε τὰ φρονεῖν : *Aut oculo obiurgatorio, aut Titanico vultu terruisset.* Et quidem hæc pertinere ad pueros, statim inquit, cùm ait: παιδαγωγῷ γὰρ ἐμβεβυθὲς ἐοικὼς, ἅμα τῶν μειρακίων μεταφέροντι πρὸς σκυτάλην, εὐκαίρως ἀκαίρως ἐπεπλήκτην ἐφιστάμενος, καὶ πρὸς πᾶσαν ἀκολουθὲν ἀνάνευστον παροξύνετο : *Nam sæuo pædagogo similis, subinde flagellum in pueros quatienti, tempestiuè & intempestiuè obiurgabat, & ad quodlibet verbum suis auribus ingratum commouebatur.* De Sirenibus notior est fabula, quàm vt
251. multis indigeat. Illæ enim postquam homines cantu B demulserant, grauatos somno occidebant, vt latè Plinius lib. 10. Erant videlicet psaltriæ & meretriculæ hospitum illices, propter cantus suauitatem & dulcedinem, qua alienabant homines à reditus memoria. Hinc fabula excreuit de laniena in naufragos. Sed, quam dixi esse fabulam, verior est sentētia. Hinc Synesius in epist. ad Tertullianum fabulam allegoricè explicat : *Sirenas* enim denotare voluptates, quæ eis delinitos & captos postea interimunt. Atque vt pietatem coniungas cum eruditione, lege Maximum, homilia de passione & cruce Domini prima, vbi eam
252. vocat *fabulam, quæ facta, non facta est.* Cum *Sirenibus* appone *Lamias*; erant istæ, quæ obiiciebantur infantulis, vt tacerent, ac ne plorarent. Dio Chrysostomus orat. 55. ita ait : μόνοις δὲ θαυμάζει τοὺς λέοντας, καὶ τοὺς ἀετοὺς, καὶ τὰς σκύλλας, καὶ τοὺς Κύκλωπας, οἷς ἐκεῖνος ἐκήλει τοὺς ἀνοήτους, ὥστερ αἱ τίτθαι τὰ παιδία, διαρύ-
253. μῶναι πρὸς Λαμίαν : *Solos miraris leones, aquilas, scyllas, & Cyclopes, quibus ille stupidos homines demulsit, non aliter quàm solēt nutrices pueros, Lamiæ aduentum narrantes.* Etenim pueri statim vt audiebant, *Lamiam* venire, audientes erant. Igitur *Lamiæ*, si non sunt Sirenes ipsæ, certè non dissimiles ab illis. Dixi, non esse dissimiles à Sirenibus, quia vultus Lamiæ (ex eodem Dione) muliebris est, & eleganti forma prædita fœmina, pectus & vbera longè pulchertima, ceruix qualis neque mortalis virginis fuerit, neque adultæ nymphę, color nitidissimus qualem nullus vel psaltes vel pictor imitari queat; corpus reliquum scabrum & squaro-
254. sum, pars infima in anguem desinit. Hæc descriptio Lamiarum est in Hadriano Iunio cent. 2. Adagio 34. Hæc autem ad viuum forma est Sirenum. Diodorus Siculus scribit, ad rupis radices Lamiam reginam sedisse pulchritudine admirandam, sed feritate trucem: nam cùm omnes eius liberi à partu obirent, inuidens aliarum fœminarum felicitati, rapi ad cædem è ma- D trum vlnis & misero complexu iussit : ac propterea
255. infantibus obiici solitam Lamiam. Hinc patet Tertulliani alter locus aduersus Valentinianos : *Iam si & in totam fabulam initietur, nonne tale aliquid dabitur te in infantia inter somni difficultates à nutricula audisse, Lamiæ turres, & pectines Solis?* Quin Nicetas Choniates lib. 2. Andronici cap. 11. ait Demetrium Poliorcetem Lamiæ amore captatum. Et Ioannes Cassianus Collat. 7. cap. 32. Lamiarum meminit, & à Sirenibus discernit : ait enim : *qui Sirenæ, qui Lamiæ, qui Vlulæ.* apud Hesychium est *Lamia* mulier vel bellua. Strabo tamen lib. 1. hoc totum de Lamia fabulamentum esse ait : ἥτε γὰρ Λαμία μῦθός ἐστι, καὶ ἡ Γοργὼ, καὶ ὁ Ἐφιάλτης, καὶ ἡ Μορμολύκη: *Nam Lamia fabula est, vt Gorgo, vt Incubus, & Larua.* Debes ex his multa Hadriano Iunio variis in locis, & mihi non pauca.

256. 2. IVDICI RESERAVIT.] Multi præferunt *reseruauit*, Pamelius *reserauit*, quem sequor.

2. AVT VENDIDIT IPSOS TRAHENS HOMINES.] Sic Saluianus lib. 1. ad Ecclesiam Catholicam dixit *vendere peccata*, pro eo quod est, accepto pretio dissimulare peccata. Sic ὠνήσασθαι πλημμέλημα, *redimere delictum*, dixit Lucianus in sectis. Hoc nisi placeat, quod ego tamen vehementer credo, explica aliter; vt dicat : Quî credi potest, vt maritus aliquis trahat per vim ad lectum coniugij sui lenonem adulterúmve, & ita vendat castitatem vxoris?

2. CVM ODIO SVI COEPIT SIMVL VERITAS, ET APPARVIT ESSE.] Dicam ingenuè in hac nota, quam ad extremum tractus huius seruaui, licèt iam præcesserint quæ mihi negotium fecerint, & difficilem reddiderint hanc sententiam. Primò *sui* apparet esse referendum ad *disciplinam*, non ad *veritatem*. Secundò, desidero coniūctionem & ibi, 258.
simul & veritas. Tertiò, *simulatque* ponitur sæpè absque interpositione alicuius dictionis coniunctim. Quartò, illud *inimica esse*, ambiguè constat; potest enim referri ad *disciplinam* & *veritatem*. Cùm ergo auctor fecerit mentionem *odij*, suspicor lectorem curiosum addidisse in margine dictionem *veritas*, indicans causſam esse odij veritatē, & inde tractam in textum, sed à prudentibus extrudendam. Hæc dicta ingenuè sint contra veritatem, & pro hac lectione: *cum odio sui cœpit, simulatque apparuit inimica esse.*

3. SILENTII FIDES DEBEATVR.] Propriè (inquit Heraldus) nam Apuleius lib. 3. *Sacris pluribus initiatus nosti sanctam silentij fidem.* Et Horat. 259.

--- Est & fideli tuta silentio
Merces.

Et ego aduoco sanctum Chrysostomum epist. ad Innocentium : καὶ ἐπὶ ἐνταῦθα εἰσήκει τὸ δεινὸν, ἀλλ' ἔνθα τὰ ἅγια ἀπέκειντο, εἰσελθόντες οἱ σφαττόντων, οὐκ ἔνιοι, καθὼς ἔγνωμεν, ἀμύητοι ὄντες, πάντα τε εἶδον τὰ ἔνδον : *Neque hîc rerum finis erat; nam & locum in quo sancta condita seruabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia quæ intus erant.* Ecce queritur patefacta sacra mysteria profanis hominibus, nec dum baptismate initiatis.

3. SAMOTHRACIA ET ELEVSINIA.] In 260.
Samothrace insula remedia fuisse perhibentur periclitantibus. De his Ouidius secundo Artis,

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis?
Magnáque Threicia sacra reperta Samo?

Eleusinia etiam in silentio fuêre. Tertullianus : *Nam* 261.
& illa Eleusinia hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quòd tacent pudor est. Iccirco & aditum prius cruciant, diutius initiant quàm consignant; cùm epoptas ante quinquennium instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent, atque ita maiestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem. Sequitur iam silentij officium, attentè custodiunt, quod tardè inuenitur. Cæterùm tota in adytis diuinitas, tot suspiria epoptarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis reuelatur.

3. QVÆ PRODITA.] Explicui verba, vt omnes 262.
legunt, si tamen addas, vt visum aliquibus, non mihi, *vt prodita*, quæ exaggerāt vehementer impietatem illam impositam. q.d. quæ vt prodita prouocabunt humanam animaduersionem, quando non proditur, & dum diuina seruantur. Quid verò si *diuina* sit in auferendi? vt dicat, tunc humanam animaduersionem prouocabunt, dum diuina scilicet animaduersione & religione seruantur. Hic sensus videtur luculentus, & iuxta litteram.

3. EXTRANEI.] Pro gentilibus, quia extra Ecclesiam hi sunt. Chrysostomus epist. ad Innocentium: καὶ τί λέγω κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ; τί δὲ οὐ τοῖς ἔξω μὴ οὐδὲ δικαστηρίοις τοιαῦτα ἐτολμήθη πώποτε : *Et quid dico canones Ecclesiasticos? nihil in gentilium iudiciis attentè vsquam*

est. In Græco autem vides, *nihil extra est attentatum*. Vsurpat sæpè Tertullianus.

263. 3. ARCEANT PROFANOS.] Aristides in orat. ad Smyrnam: ὃς ἂν ῥᾳδίως τοὺς λόγους ἐκφέρειν ὥσπερ εἰς βεβήλους: *Non facilè sermones efferre tanquam in profanos*. Nazianzenus orat. 19. narraturus miraculum: παρῳδήσομαι δὲ πᾶσιν ἀκοαῖς τὸν λόγον. ψυχαῖς γὰρ βεβήλοις οὐδὲν τῶν καλῶν ἀξιόπιστον: *Sermonem hunc fidelium auribus commendabo: nam apud profanas animas nihil pulchri fides habebit*. Latiùs ita digessi 6. Æn. Tatianus: ὁ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι, λέγων. Lucianus de Amicit. ἀλλὰ εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ἄρεως τοῦτο εἰσελθόντες, ἐπικλείσαμεν τὰς θύρας, ὑμνήσωμεν, ἀκουσάτω δὲ μηδείς: *Quin potius hoc templum Martis ingressi, occlusis foribus iusurandum edamus, vbi nullus exaudiat*. Apuleius Apolog. *Hæc ad profanos annuntiare*. Vehementer autem assentior huic lectioni Heraldi: *cùm semper etiam piæ initiationes arceant profanos*: vt dicat, cùm omnes piæ initiationes arceant profanos, nisi si nos impij (sic enim soletis nos vocare) minus metuimus. Quæ lectio etiam Schoppij est.

264. 4. NATVRA FAMÆ OMNIBVS NOTA EST.] Quis hanc ignorat? Nicetas Choniates in Andronico lib. 1. cap. 1. φήμη ἀδυεάγλωσσος: *Loquax fama, & hac illac dissipans rumores*. In Alexio cap. 1. φήμη λάλος ὦν: *Fama loquax est*. Quin idem in Andronico lib. 2. cap. 9. ait: αὐτὸς μὲν οὖν παρεῖναι τοῖς τελουμένοις ἀπέφατο, ἐκκλίνων, ὡς ἔοικε, τὴν κωτίλον φήμην, ἣ τὰ ἐν κρυπτῷ δρώμενα διοφᾷ, καὶ τίθησι τοῖς ἅπασιν ἔκφορα: *Ac ipse quidem his nocturnis sacris interesse noluit, metu famæ, vt arbitror, quæ ea quæ in occulto fiunt, perspicit, & omnibus exarrat*.

265. 4. SINE MENDACII VITIO EST.] Ouidius in duodecimo famam sic describit,

E quibus, hi vacuas complent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt aliò, mensuráque ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adiicit auctor.

Statius 3. Thebaidos, *Facta, infecta loqui*. Claud. contra Alar.

Famáque nigrantes succincta pauoribus alas.

Cedrenus: ἐπίσαται γὰρ αὐτὴ τὰ μικρὰ μεγεθύνειν, καὶ τὰ πεφάτνωται τὸ φοβερώτερον ἐξαγγέλλειν: *Solet parua amplificare, & facta terribiliùs narrare*. Quamobrem Plutarchus in Quæst. Romanis ait: διὰ τί τοὺς τεθνάναι φημισθέντας ἐπ ξένης ψευδῶς; *Cur quos peregrè mortuos falsò fama nuntiauit?* Ergo Martialis vt suo principi lenocinetur, lib. 7. Epig. 5.

Credo tibi, verum dicere, Fama soles.

266. 4. FAMA NOMEN INCERTI LOCVM NON HABET.] Athenagoras in legatione: εἰς γοῦν τὴν σήμερον ἡμέραν, ἃ περὶ ἡμῶν λοιδοροῦσιν, ἡ κοινὴ καὶ ἄκριτος τῶν ἀνθρώπων φήμη, καὶ οὐδεὶς ἀδίκων χειστὰς ἐλήλυγκται: *Nam in hunc vsque diem quæ de nobis spargunter, promiscuæ incertæque famæ commenta sunt: neque Christianorum quisquam vllius criminis conuictus est*.

267. 5. QVOD AB VNO ALIQVANDO, &c.] Hæc lectio est satis idonea. Itaque errat Iunius. Heraldus tamen ita legit: *Quod ab vno aliquando principe exorta (sic necesse est) exinde in traduces linguarum & aurium serpit*. Vt autem hæream in sermone, dicit: Famam disseminatam ab vno principio (hic enim *princeps* est auctor siue principium) semper retinere illum saporem, & inficiari rem quamcunque contrariam, nec velle examinare res illas, ex quibus potest nasci.

268. 5. TRADVCES.] Significatio nota est: est enim *tradux* siue *rumpus* vitis, ramus ille vitifer, qui solet illigare plures arbores lib. 1. Apolog. *Exinde iam tradux proficit incesti*, & sæpè aliàs. Malè olim scribebatur *intra duces linguarum*, vt aduertit Beroaldus in lib. 8. Apulei.

269. 5. MENDACIVM SEMINAVERIT.] Caussas mendacij assignat, intérque eas *ingenitam mentiendi voluptatem*, quem morbũ Lucianus (inquit Heraldus) in φιλοψευδεῖ, vocat ἔμφυτον ἔρωτα πρὸς τὸ ψεῦδος: Et hæc est illa Sallustij censura de Q. Curio in Catil. *prorsus neque dicere, neque facere quicquã pensi habebat*. Et hæc illa Lysiæ de tribus fratribus orat. 16. οὗτοι οὐδὲν ἔπι ἡμῖν τῶν δικαίων ἐποίουν: *Nihil æqui ab his impetrare potuimus*.

6. BENE AVTEM.] Hæc particula cum magno lepore coniuncta est multis. Plaut. Sticho. *Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium*. Et Persa: *Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ*. Ouid. 2. Fast.

Et bene nos, bene te, patriæ pater optime Cæsar.

Tibull. lib. 2.

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.

Hinc apparet particulam esse hilaritatis & conuiuij, ac inde traductam à Tertulliano.

270. 6. OMNIA TEMPVS REVELAT.] Nazianzenus orat. 3. δυναστείαν vocat, cùm ait: τῷ τὸ χαιροῦ δυναστείαν οὐκ ἔφυγε: *temporis potentiam non effugit*. Horat.

Quidquid sub terra est, in apricum proferet ætas,
Defodiet condetque nitentia.

Adducitque Brugensis in formulas Prouerbiales illud: ὁ χρόνος πάντων βασανιστής: *tempus omnia explorat*: illud Sophoclis: χρόνος πάντ' ὁρῶν καὶ κλύων, καὶ πάντ' ἀναπύστειν: *omnia videre, & audire, etiam in apertum prolaturum*. Inde *veritas* dicitur *temporis filia*. Hinc illud: ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος: *At veritatem tempus in lucem eruit*. Et ego Simocattam lib. 3. cap. 8. qui de tempore ita loquitur; dicam Latinè tantùm, quia longus locus. *Cæterùm dum tempore omnia nouat, & adulterat, & transformat, & aliàs aliter fingit, perennique conuersionis gyro circumagit, & quod fixum ac firmum est, mobilitate & fluxu rerum humanarum ceu rotæ crudeliter versat ac circumvoluit; sempérque constantiam & stabilitatem odit, & eius caussa malè se habet, et vbi errorem sistat, non inuenit, & refluxus motu inæquali instabilitatem suam ostendit*.

271.

272. 6. DISTVLIT.] Hilarius can. 6. in Matth. *ventis differendus*. id est, agitandus, distrahendus. Iterum can. 14. *discipuli vento ac mari differuntur*. Cæterùm in omnibus est, *non distulit*, quod æquissimè dictum & sanissimè. Aliqui tamen putant esse contra mentem Tertulliani, quia nequit dissipare, & euulgare fama veritatem rerum; quippe fama incerta est, verum autem certum; incertum autem certum non potest diuulgare. Sed isti putant tantùm, nec probant reuera; quia illud de fama, quòd incerta est, falsum est verè: vnde & Tertullianus suprà cum cautu dixit, *vt plurimum mendax*, q. d. non semper mendax, etenim sæpè verax est, & vera nuntiat. Vnde Nicetas Choniates in vita Alexij Comneni lib. 1. cap. 4. cautè dixit: μὴ δεῖν ἀεὶ ταῖς φήμαις ἐπικλίνειν τὸ οὖς: *Non semper famæ credendas esse aures*. q. d. aliquando dandas. Et infrà ait: ἀλλὰ τῷ μὲν φήμῃ μὴ πάμπαν ἀποστρέφεσθαι: quo innuit famam non semper vanam. Et Sedulius Hyuernensis in Collectanea epistolæ prioris ad Thessalonic. sic inquit: *Nam natura famæ est, siue bonum vel malum nunciantis, vbique omni celeritate discurrere*.

273.

6. CHRISTIANORVM.] Schoppius addit ex mss. *Christianorum quod dicitur, semper est, quia quod est, desinit dici. Hanc*. Aitque argutè dictum, & vngue Tertulliani dignum. Mihi certè incognita hic arguties, fortasse non capio.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Flagitia quibus infamantur, nedum falsa sunt, sed de Christianis incredibilia.

TERTVLLIANVS.

274. 1. VT fidem naturæ ipsius appellem, aduersus eos qui talia credenda esse præsumunt, ecce proponimus horum facinorum mercedem, vitam æternam repromittunt. Credite interim. De hoc enim quæro, an & qui credideris, tanti habeas ad eam tali conscientia peruenire? veni, demerge ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium; vel, si alterius officium est, tu modò assiste morienti homini antequam vixit, fugientem animam nouam expecta, excipe rudem sanguinem, eo panem tuum satia, vescere libenter. Interea discumbens dinumera loca, vbi mater, vbi soror; nota diligenter, vt cùm tenebræ ceciderint caninæ, non erres. Piaculum enim admiseris, nisi incestum feceris.

EXPLICATIO.

275. 1. *Naturæ ipsius*, &c. Communis parentis omniũ. *Ecce proponimus*, &c. Fingite proponi premiũ horum enormium facinorum, itaque sibi Christiani *vitam æternam repromittunt*, & hoc volo vt interim credatis. *De hoc enim*, &c. Igitur quæro communem naturam parentem de hac re, an scilicet *qui credideris*, ex naturæ fide habeas tanti te peruenturum ad *vitam æternã*, vt ad eã aspires, cum tali támque abominanda conscientia sis contaminatus? *Veni, demerge ferrum*, &c. Verba sunt Tertulliani proponentis enorme facinus, & inuitantis alterum ad illud spectandum. Fin-
276. ge te, (me dicere) *veni, demerge ferrum in infantem*, quid hac re miserius? *nullius inimicum*, vt qui nulli iniuriam fecit; *nullius reum*, quia præ ætate paruula nulli potuit iniuriam addicere; *omnium filium*, vt qui natus est ex incestu & adulterio communi. Vel, omniũ amore & beneuolentia filium. (paruuli enim nescio quo amore ab omnibus amantur,) vt videatur *filius omnium*. Dices. Spectator tantùm adero. Igitur, si non tui muneris id est, sed *alterius officium, assiste morienti homini* antequam per ætatem gustauit vitam, ac tum cerne *fugientem animam* infantis ac recèns creatam, *excipe rudem* illum & incontaminatum *sanguinem*, eo 277.
panem tuum vsque ad saturitatem *satia*, quo facto *vescere libenter* eo pane. *Interea discumbens*, &c. Interim *discumbens* in cœna, *dinumera loca, vbi* sedet *mater, vbi* est *soror* infantis quem interfeciſti, *nota diligenter* ea loca, vt *non erres*, cùm inter tenebras illigatus canis se commouerit; nam scito *piaculum* te admissurum, *nisi incestum feceris* cum illis.

278. 2. Talia initiatus & consignatus viuis in æuum. Cupio respondeas, sit tanti æternitas? aut si non, ideo nec credenda? Etiam si credideris, nego te velle. Etiam si volueris, nego te posse. Cur ergo alij possunt, si vos non potestis? Cur non possitis, si alij possunt? Alia nos, opinor, natura, Cynophanes, aut Sciapodes: alij ordines dentium: alij ad incestam libidinem nerui. Qui ista credis de homine, potes & facere. Tu homo es & ipse, quod & Christianus. qui non potes facere, non debes credere; homo est enim Christianus, quod & tu.

279. 2. *Talia initiatus*, &c. Talibus, inquam, *initiatum, & consignatum* suppono te *in æuum* viuere, & in æternam vitam. Nunc itaque, respondè, *sit* ne *æternitas tanti* emenda, & tam enormibus flagitijs? *aut si non* emenda est tanti, *ideo nec credenda* sit? & *si credideris* æternitatem, conscientiam tuam appello, & *nego te velle* illam per hæc flagitia: sed esto velis, appello iam potentiam naturæ, & *nego te* illam consequi *posse*, nec enim fieri potest, vt tanta felicitas comparetur tam enormibus delictis: *cur ergo alij* qui sunt Christiani *possunt, si vos non* ita *potestis* vitam consequi æternam? *Cur non possitis*, hoc dicite, *si* Christiani *alij possunt?*
280. *Alia nos*, &c. Abludunt à mente Tertulliani, qui has voces his aut illis populis accommodant, & ex eis aucupantur similitudinem, cùm ista ducta sint ex argumento naturæ, quo affirmat, non magis fieri posse vt Christianus vitam æternam affectet, quàm *Cynophanes*, &c. Dicit ergo ironicè primum in genere *alia nos opinor natura* sumus, deinde ad tria illa respondet crimina, quæ intenduntur suo ordine. Dicit respectu infanticidii *Cynophanes, aut Sciapodes*, qui canina impudentia & improbitate spectemus infanticidium; hoc sibi vult *Cynophanes*, scilicet canis spectans; aut si non simus *Cynophanes*, simus *Sciapodes*, dum oculos nostros velamus pedibus ne spectemus barbarum mysterium. Tum de pabulo infanticidij *alij ordines dentium*, quibus exprimamus sanguinem. Postremò de incesto *alij ad incestam libidinem nerui*, puta quàm provt homini natura dedit. Hæc mens Tertulliani est, & gratias agimus Commentatori, qui illi lucem dedit, vtinam sic in aliis mentem dirigeret suam. *Qui ista credis*, &c. Conclusio clara, qua ait, qui ista credit, ista facere: id est, gentilis qui credit ista de Christiano, ista faciet. Vel si ipse non possit facere, nec debet credere, cùm tam ipse quàm Christianus sint homines.

281. 3. Sed ignorantibus subiicitur & imponitur. Nihil enim tale de Christianis assueuerari sciebant. Obseruandum vtique sibi & omni diligentia inuestigandum. Atquin volentibus initiari moris est, opinor, priùs patrem illum sacrorum adire, quæ præparanda sint describere. Tum ille: infans tibi necessarius, adhuc tener, qui nesciat mortem, qui

ſub cultro tuo rideat. Item panis, quo ſanguinis virulentiam colligas. Præterea candelabra, & lucernæ, & canes aliqui, & offulæ, quæ illos ad euerſionem luminum extendant. 282. Ante omnia cum matre & ſorore tua venire debebis. Quòd ſi noluerint, vel nullæ fuerint? Quid denique ſingulares Chriſtiani? Non erit, opinor, legitimus Chriſtianus niſi frater, aut filius. Quid nunc & ſi iſta omnia ignaris præparantur? Certè poſtea cognoſcunt, & ſuſtinent, & ignoſcunt. Timent plecti ſi proclament: qui defendi merebuntur, qui etiam vltro perire malint, quàm ſub tali conſcientia viuere. Age nunc timeant, cur etiam perſeuerant? ſequitur enim ne vltra velis id te eſſe, quod ſi priùs ſciſſes, non fuiſſes.

283. 3. Ponit nunc obiectionem, quòd illi, qui ingrediuntur in ſectam Chriſtianorum, nihil ſciunt eorum quæ intus gerantur, atque adeo hi miſeri infernè ſupernéque inuaduntur, id enim eſt, *ſubiicitur & imponitur*, 284. id eſt, infernè & ſupernè. Nihil enim tale de Chriſtianis audierant, nec ſciebant occiſionem infantum, non inceſtum virginum, non canes nocturnos. *Obſeruandum vtique*, &c. Soluit obiectionem, & ait, rem hanc egere diligentia & inueſtigatione. quamobrem qui volunt *initiari* in Chriſtianorum ſecta, debent priùs ſacerdotem adire & diſcere quæ debeant præparare ad ſacrum illud. *Tum ille: infans*, &c. Ponit longo catalogo quæ antiſtes dicturus, & omnia ridendo concipe, & ironicè; ait enim illum dicturum, vt *neceſſarius* ſit *infans* valde *tener*, *qui neſciat mortem*, & adhuc talis *qui rideat ſub cultro*. *Item panis* quo colligantur virulentiæ *ſanguinis* effuſi ex infante. Præterea neceſſaria ſunt *candelabra*, & *lucernæ* quæ ſupra illa, *canes aliqui*, tum *offulæ* quibus iactatis illi ad eas conſequendas ſaltu efferantur vſque ad ſubuerſionem luminis. 285. Videris autem te ante omnia venturum *cum matre*, & *ſorore tua* ad inceſtum. Dices: Nolunt venire vel fortaſſe nullæ ſunt, & Chriſtianus ſingularis eſt. Credo tunc (ridendo iſta) non erit *Chriſtianus legitimus*, ſi nullius Chriſtianæ erit *frater*, nullius Chriſtianæ *filius*. *Quid nunc*, &c. Quid verò, obiicies, ſi iſta *præparantur ignaris*, qui nihil tale ſciunt cùm eunt ad cœtus? reſpondet: Hoc nihil eſt, nam ſtatim vt ingrediuntur, *cognoſcunt* omnia, quæ agenda, *ſuſtinent* patienter, & etiam *ignoſcunt*. Nam *ſi proclament* de facinore illo, timebunt *plecti*, qui etiam *merebuntur defendi*, vt qui ad rem atrocem querantur, ideo digni omni defenſione; nam ipſi mallent centies mori, quàm *viuere cum conſcientia* inquinatiſſima talium facinorum. *Age nunc*, &c. Eſto igitur *timeant*, vt dicis, mortem: 286. ſed cur perſiſtunt in hac doctrina? Cur iterum frequentant? cur non decedunt? ſequitur enim bene vt nolis *id eſſe, quod ſi ſciſſes, non fuiſſes*. Iſte eſt textus, ac perinde arguitur falſitas illorum, qui dicebant Chriſtianos in ſuis conuentibus infantes cædere, & inceſtare matres. Nam verè ſciebant, & perſeuerabant, & ibant cum gaudio, & neminem cædebant, neminem inceſtabant.

NOTÆ.

287. 1. VT FIDEM NATVRÆ IPSIVS APPELLEM.] Scitè dixit Quintilianus l. 4. cap. 2. *Credibilis autem erit narratio ante omnia, ſi priùs conſuluerimus noſtrum animum, nequid naturæ dicamus aduerſum.* Iſto Quintiliani loco Heraldus probat rem Tertulliani. adiungo ego Lyſiam orat. 6. qui rem naturæ agit ab eo loco ἔπι ποίνω, quem vide; ego tibi Latinam verſionem afferam. *Præterea etſi nihil horum quæ timere par erat, veritus eſſem; qua ratione auſus fuiſſem, tot conductitijs operis eiſque omnibus mihi conſciis, tollere ſacræ oleæ truncum, cùm lucrum eſſet exiguum,* 288. *periculum verò immenſum: quod omnium eorum, qui prædium coluerant, intereſſet, oliuam cuſtodire ſaluam, vt, ſi à quopiam accuſati fuiſſent, dicere poſſent, cui per manus tradidiſſent. Qui nunc & me, vt apparet, abſoluunt; & ſe, ſi modò mentiantur, culpæ reos conſtituunt.* Ecce quomodo naturam aduocat in patrocinium ſui, cùm vix credi poſſit, hominem id auſum, quod periculum immenſum ſibi attuliſſet.

289. 1. HORVM FACINORVM MERCEDEM.] Saluianus lib. 4. *Inceſtu matrum ſacroſanctarum, & homicidio innocentium paruulorum: quos non occidi tantùm à Chriſtianis, ſed quod magis abominandum eſt, etiam vorari exiſtimabant, & hæc omnia ad placandum Deum, quaſi vllo facinore magis poſſit offendi: ad purgandum piaculum, quaſi vllum aliud maius eſſet: ad commendandum ſacrificium, quaſi vllam rem Dominus magis poſſet horrere: ad promerendam vitam æternam, quaſi verò etiam ſi poſſit his rebus accipi, tanti eſſet ad eam per ſcelera tam immania peruenire.*

290. 1. VENI, DEMERGE FERRVM, &c. Minutius: *infans, farre contentus, vt decipiat incautos, opponitur ei qui ſacris imbuatur. Is infans à tyrũculo, fratris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus prouocato, cæcis occultiſq; vulneribus occiditur. Huius (pro nefas) ſanguinẽ lãbũt, huius certatim mẽbra diſpertiũt, hac fœderãtur hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentiũ mutuum pignerantur. Hæc ſacra ſacrilegijs omnibus tetriora.* Gregorius Nyſſenus locum adducit elegantem hac de re his qui præmaturè abripiuntur: *Quòd ſi qui malè in vita verſantur, ac dedita opera conſulto que crudeles, truces atque tyrannici ſunt, omnibus libidinibus obnoxij, iracundia* 291. *præcipites, à nullo incurabili malo abſtinentes, latrones, homicidæ, patriæ proditores; ac ſi quid eſt his deteſtabilius, magisve nefarium & execrandum, veluti patricidæ, matrum pulſatores, liberorum interfectores, & quadam quaſi rabie mentis legibus vetitos concubitus ſectantes: qui cùm tales adeo ſint, in hac nequitia atque vitioſitate conſeneſcunt, quomodo dicet aliquis hæc congruere & conuenire cum his quæ ſuprà quæſita atque tractata ſunt?* Nimirum, cum gloria. Hæc adeo longa ſunt, vt noluerimus Græca inſerere, ſi quis tamen illis delectatur, videat ab eo loco: εἰ δέ τινες κακῶς ἐπήμουσῆτε τῷ βίῳ, &c.

1. ANIMAM NOVAM.] Quod hîc *animam nouam* vocat, ſequenti capite dicit *animam natam.* 292.

1. PIACVLVM ENIM ADMISERIS NISI INCESTVM FECERIS.] Iuſtinus Martyr dialogo aduerſus Tryphonem: τοῦτο δ' ἔστιν ὃ λέγω, μὴ ἐμὲ ὑμεῖς πεπιστεύκατε περὶ ἡμῶν, ὅτι δὴ ἐδίδουμεν ἀνθρώπους, καὶ μετὰ τοῦτο εἰλαπίνην ἀποτελοῦντες τὸν λύχνους, ἀσέπτοις μίξεσιν ἐγκυλιόμεθα; *Hoc autem eſt quod dico, an vos etiam de nobis creditis, homines nos vorare, & poſt epulum lucernis extinctis, nefario promiſcuè concubitu inuolui?*

2. ALIA NOS OPINOR NATVRA, &c.] 293. Cyrillus Hieroſolymit. catech. 5. ἄνθρωπος ὅμοιος ἡμῶν

ὁ Πέτρος, ἐξ αἵματος καὶ σαρκὸς συγκείμενος, καὶ ἐν τοῖς ὁμοίοις τροφαῖς διαιτώμενος: *Homo erat similiter Petrus, ex sanguine & carne compositus, & ex similibus cibis nutritus.* Clemens Papa lib. 4. Recognitionum ita ait: *Nunquid alterius sumus naturæ superioris alicuius?* Et statim: *Vnius eiusdem vobiscum naturæ sumus, sed religione differimus.*

294. 2. CYNOPHANES.] Heraldus, *Cynopennæ.* Vvouerenius, *Cyclopes.* Ego Pamelium sequor, & existimo nihil aliud latere in voce quàm quod dixi explicans *Cynophanem*, & *Sciapodem.*

295. 2. NERVI.] Hoc idem dixit Ambros. lib 1. de Virg. sed modestiùs. Ibi enim ita loquuntur Christiani: *Cum cæteris animantibus vnum eundémque vitalem aëris huius carpimus spiritum, vulgarem terreni corporis participamus statum, generandi quoque non discrepamus vsu.* Hieronymus etiam ita in Epist. ad Saluinam: *De eodem cuncti facti sumus luto, eisdem compacti exordiis; in serico & in pannis eadem libido dominatur.* Ioannes etiam Chrysostomus hom. 1. ad Pop. ait, Petrum & Paulum, qui nobis proponendi ad imitationem, non ἑτέρας αὐτῶν μετεσχηκέναι φύσεως, *fuisse participes naturæ alterius.* 296. Et κοινωνίαν φύσεως dixit. Videatur & locus consimilis Hieronymi; ab illis verbis lib. 2. Iouiniani: *Non aliter latro, aliter Martyr occiditur: nec alio modo de adulterio & prostibulis, alio de castis matrimoniis nascuntur liberi.* Cæterùm *neruus* est de membro virili. Iuuenalis sat. 3. & 4. Lucianus dialogo Mort. νεῦρα ἔντονα. Apuleius 2. *Et oppidò formido ne neruus rigoris nimietate rumpatur.* Hinc etiam sumitur pro vi & virtute. Zeno Veronens. serm. 1. de natiuitate. *Quibus omnibus exempla vel ratio, quam prosecuturi sumus argumentationis totius, vno ictu omnes neruos abscindet.*

297. 2. QVI ISTA CREDIS DE HOMINE, POTES ET FACERE.] Saluianus lib. 4. *Intelligere ergo possumus, aut quales essent Pagani, qui crediderint Christianos, qui talibus sacrificijs Deum colerent, aut qualem solicitent Deum ipsum, quibus hæc sacra docuisset.* Clariùs Minutius: *Illum iam velim conuenire, qui initiari nos dicit aut credit de cæde & sanguine. Putas posse fieri, vt tam molle, tam paruulum corpus fata vulnerum capiat, vt quisquam rudem illum sanguinem nouelli & vix dum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audire.*

298. 3. MORIS EST, OPINOR, PRIVS PATREM ILLVM SACRORVM ADIRE.] Apuleius lib. 11. *Nec minùs in dies mihi magis magisque arripiendorum sacrorũ cura gliscebat, summisque precibus primarium sacerdotem sæpissimè conueneram, petens, vt me noctis societate tandem arcanis initiaret. Patres sacrorum* hoc loco sunt sacerdotes & presbyteri. Alardus Gazæus in Diui Hieronymi præfationem, ad regulam sancti Pachomij: *Vocantur Patres, alias Abbæ, vel Abbates, Archimandritæ, Cœnobiarchæ, id est, Rectores & Præsides singulorum monasteriorum, qui etiam in Regula Pachomij dicuntur Principes monasterij.*

299. 3. QVÆ PRÆPARATÆ SVNT DESCRIBERE.] Ibidem Apuleius: *Instructum teletæ comparo, largitus studio pietatis, magis quàm ex mensura rebus collatis. Nec Hercules laborum me sumtuúmque quidquam pœniuit.*

300. 3. CANDELABRA ET LVCERNÆ.] Minutius: *Et de conuiuio notum est, passim omnes loquuntur: id etiam Circensis nostri testatur oratio. Ad epulas solemni die coëunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, & omnis ætatis. Illic post multas epulas, vbi conuiuium caluit, & incestæ libidinis ebrietate feruor exarsit, canis candelabro nexus est, iactu offulæ vltra spatium lineæ qua vinctus est, ad impetum & saltum prouocatur. Sic euerso & extincto conscio lumine, impendentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt per incertum sortis, & si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti.*

301. 3. OFFVLÆ.] Plutarchus Milite Glor. *Auferillam offam penitam.* Virg. 6. Æn. *Offam obiicit.* Græci κωάδα appellant. Mirum est vt canes abripiant offam. Synesius de Prouidentia cum verbo ἐλιχμᾶτο *deglutiebat* coniunxit σκυλακικῶν, *canino more.* Vide insuper Adrianum Iunium Cent. 4. Adag. 56. *Offula contentus.*

3. QVID NVNC ETSI ISTA OMNIA IGNARIS PRÆPARANTVR?] Sic legendum esse è veteribus libris admonet Heraldus, sententia satis commoda. In vulgaribus, *quid tunc?* &c.

302. 3. QVI DEFENDI MEREBVNTVR.] Dicit Iunius hos esse infantes cædendos, aut virgines stuprandas, & apparet illi non intellectum Tertullianum. Isti enim sunt Christiani qui adiguntur ad ea scelera, & dicit dignos esse omni defensione, propterea quòd querantur de re indignissima, vt est compelli illos ad occisionem puerorum, & reliquorum flagitiorum enormium.

303. 3. QVI ETIAM VLTRO, &c.] Hieronymus ad Demetriadem: *Hinc est quòd è contrario innocens etiam inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ securitate: & cùm de pœna metuat, de innocentia gloriatur.*

CAP. IX. ARGVMENTVM.

Quòd quæ Christianis obiiciuntur, in sacris ipsorum gentilium, tum in aperto tum in publico committantur.

TERTVLLIANVS.

304. 1. HÆc quò magis refutauerim, à vobis fieri ostendam partim in aperto, partim in occulto, per quod forsitan & de nobis credidistis. Infantes penes Africá Saturno immolabantur palam, vsque ad Proconsulatum Tiberij: qui eosdem sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum, votiuis crucibus exposuit, teste militia patriæ nostræ, quæ id ipsum munus illi Proconsuli functa est. Sed & nunc in occulto perseuerat hoc sacrum facinus. Non solùm vos contemnunt Christiani, nec vllum scelus in perpetuum eradicatur, aut mores suos aliquis Deus mutat. Cùm propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis vtique non parcendo, perseuerabat: quos quidem ipsi parentes sic offerebant, & libenter exponebant, & infantibus blandie-

306. bantur ne lacrymantes immolarentur: & tamen multum homicidio parricidium differt. Maior ætas apud Gallos Mercurio profecatur. Remitto Tauricas fabulas theatris ſuis. Ecce in illa religioſiſſima vrbe Æneadarum piorum, eſt Iuppiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. Sed beſtiarij, inquitis. Hoc, opinor, minus quàm hominis; an hoc turpius, quòd mali hominis? certè tamen de homicidio funditur. O Iouem Chriſtianum, & ſolùm patris filium de crudelitate.

EXPLICATIO.

307. 1. HÆc *quo*, &c. Ita colloca, vt intelligas, *quò magis hæc refutauerim*. Refutaui, inquit, ita, quò ſciatis quæ ad vos ſpectant, *partim in aperto, partim in occulto* admitti, & hæc eſt ratio cur tam enormia de nobis flagitia credidiſtis. *Infantes penes*, &c. Apud Africanos *infantes Saturno immolabantur vſque ad Proconſulatum Tiberij*, qui iuſſit ſacerdotes *in votiuis crucibus* exponi, qui erant in templi ſui aditu, flagitium hoc vltus, cuius rei teſtis eſt *militia* omnis Africana, quæ *ipſum munus functa eſt* in gratiam illius Proconſulis. 308. *Sed &*, &c. Sed ea eſt peruerſitas morum, vt *ſacrum* hoc & execrandum facinus perſeueret *in occulto*, inde *vos non ſolùm contemnunt Chriſtiani*, ſed & gentiles, cùm videant nunquam aboleri ſemina flagitiorum, aut *mores ſuos aliquis Deus* mutet. Dicit hoc propter ſequentem fabulam Saturni. *Cum propriis*, 309. &c. *Cùm Saturnus filiis propriis non pepercit*, nam eos auidus deuorabat, *vtique* nec *extraneis* abſtinebat, *non parcendo*, tantò abeſt, vt *aliquis Deus* mutet; & quia nemo mutabat, ait, *perſeuerabat*: nam in gratiam illius *parentes* proprios filios *offerebant*, *exponebant*, molliter & blandè tractabant ne lacrymarentur, putantes ſcilicet id ſacrum Saturno gratum, quod à placidis infantibus obiretur. *Et tamen multum*, &c. Et tamen *differt parricidium*, quale eſt horum, ab *homicidio*: nam vos Chriſtianis obiectatis ſolum homicidium, quolibet enim ſunt contenti. *Maior ætas*, &c. Maiores, non dico infantes, apud Gallos profecantur mactantúrque *Mercurio*. Vt relinquam *theatris fabulas Tauricas*, quibus Iphigenia Dianam placabat immitem Deam, mactatis hoſpitibus in eius gratiam. *Ecce in illa*, &c. Quid dicam vobis præterea? nonne 310. vrbs illa, quæ ab Ænea pio (non piè quidem) conſecrata eſt, *quidam eſt Iuppiter*, quem Latiarem vocatis, qui *humano ſanguine* proluitur? Sed ad beſtias damnati, *inquitis*, quaſi non ſit homo. Hoc dubito, an *minus quàm hominis* ſit, *an turpius quòd* ſcilicet ſit *mali hominis*. Vtcunque ſanguis ille, mihi eſt certum, *de homicidio* fundi. *O* verè *Iouem Chriſtianum* quia verè eſt infanticida, verè homicida, vt Chriſtiani. *Et patris ſolùm* Saturni *filius de crudelitate*, quia crudelis eſt, vt Saturnus.

311. 2. Sed quoniam de infanticidio nihil intereſt ſacro an arbitrio perpetretur (licèt parricidium homicidio interſit) conuertar ad populum. Quot vultis ex his circunſtantibus, & in Chriſtianorum ſanguinem hiantibus; ex ipſis etiam vobis iuſtiſſimis & ſeueriſsimis in nos præſidibus apud conſcientias pulſem, qui natos ſibi liberos enecent? Siquidem & de genere necis differt, vtique crudeliùs in aqua ſpiritum extorquetis, 312. aut frigori, & fami, & canibus exponitis: ferro enim mori ætas quoque maior optauit. Nobis verò homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſoluere non licet. Homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci. nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet; homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus omnis iam in ſemine eſt.

313. 2. *Sed quoniam*, &c. Dicit nihil intereſſe *de infanticidio*, modò neceſſitate ſacrorum, modò libera voluntate fiat. & in parentheſi ait, parricidium præſtare homicidio, eſſéque illo maius, ac perinde eſſe gentiles atrociores Chriſtianis, qui in filios ſuos parricidæ etiam erant. *Quod vultis*, &c. Sic ordina. *Quot vultis apud conſcientias pulſem ex his circunſtantibus*, &c. Inquit Tertullianus ſe velle conſcientiam multorum excitare, maximè ex his *præſidibus*, qui in Chriſtianos acerbiſſimi ſunt, & oſtendere ex eis multos, qui filios 314. *enecent*. *Siquidem*, &c. Eſt quidem differentia, nam acerbior multò mors eſt, *ſpiritum* elidere *in aqua*, aut exponere miſeros infantes *frigori*, *fami*, *& canibus*; quàm ferro illos abolere: ferrum enim viri etiam optant. *Nobis verò*, &c. Chriſtianis cùm ſemel interdictum eſt homicidium, *non licet* neque in *vtero diſſoluere* primum ſanguinem, cùm *adhuc delibatur*, & tenerrimus eſt, & prima ſui ponit fundamenta, vt mox excreſcat. *Homicidij feſtinatio*, &c. Prohibere aliquem 315. ne naſcatur, eſt feſtinare homicidium illius. Nihil enim refert vitam eripere iam *natam*, *an naſcentem* diſturbare. *Qui* enim *eſt futurus* homo, eo ipſo eſt, quoniam *fructus iam eſt in ſemine*. In illis, *homo eſt*, *&*, illud *&* eſt etiam.

316. 3. De ſanguinis pabulo & eiuſmodi tragicis ferculis legite necubi relatum ſit (eſt apud Herodotum, opinor,) diffuſum brachiis ſanguinem ex alterutro deguſtatum nationes quaſdam fœderi comparaſſe. Neſcio quid & ſub Catilina deguſtatum eſt. Aiunt & apud quoſdam gentiles Scytharum defunctũ quemque à ſuis comedi. Longè excurro. Hodie iſtic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus ſuis datur ſignatis; item, illis qui munere in arena noxiorum iugulatorum ſanguinem recentem de iugulo decurrentem exceptum, auida ſiti comitiali morbo medentes hauſe- 317. runt. Vbi ſunt item illi qui de arena ferinis obſoniis cœnant? Qui de apro, qui de ceruo petunt? Aper ille quem cruentauit, colluctando deterſit. Ceruus ille in gladiatoris ſan-

guine

guine iactauit. ipſorum vrſorum aluei appetuntur, cruditantes adhuc de viſceribus humanis. Ructatur proinde ab homine caro paſta de homine. Hæc qui editis, quantum abeſtis à conuiuiis Chriſtianorum? Minus autem & illi faciũt, qui libidine fera humanis membris inhiant, quia viuos vorant? minus humano ſanguine ad ſpurcitiam conſecratur, quia futurum ſanguinem lambunt? non edunt infantes planè, ſed magis puberes.

318. 3. *De ſanguinis*, &c. Omiſſo infanticidio pergit ad fercula gentilium, & in primis ait, ſanguinem & eiuſmodi tragicas epulas vſitatas apud illos fuiſſe, & ait, apud Herodotum *diffuſum brachiis ſanguinem, ex alterutro* fortè qui aderant, deguſtaſſe, & *fœderi* adhibendo *comparaſſe quaſdam nationes*. Itaque ait vnum eorum leuiter percuſſum, & hoc eſt *alterutrum*, & reliquos deguſtaſſe ex eo ſanguine. Il-
319. lud *necubi*, eſt, an alicubi. Quod ait de Catilina, & Scythis clarum eſt. *Longè excurro*, &c. *Hodie iſtic*, id eſt, inter vos, *Bellonæ*, id eſt, Bellonarij (eſt autem *Bellonarius* Sacerdos ſacratus Bellonæ, Deæ belli) *ſanguis ſacratus* (ſic vocabant) ex *femore* eius Bellonarij, & *exceptus in palmam* manus, *ſuis datur ſignatis*, id eſt, conſecratis in teſtimonium fidei. Vt etiam
320. illis, qui *in arena* fuſum *ſanguinem* gladiatoris peſſimi auidè inhiantes *hauſerunt*, putantes illum *comitiali morbo* mederi. *Vbi ſunt item*, &c. Tranſit ad cœnas. Sunt *qui de apro, qui de ceruo* petant, vt rem ſapidiſſimam, vt humano ſanguine aſperſam. Vbi verò eſt, inquiunt, *aper ille* mortuus, qui pugnando & *colluctando deterſit* lingua & deglutiuit ſanguinem eius, *quem cruentauit*, qui propterea erit ſapidiſſimus, cùm deterſione illa & deglutione ſit reſperſus
321. humano cruore. Vbi eſt *ceruus ille*, qui ſimiliter *iactauit* ſe *in* humano *ſanguine* moribundus. *Vrſorum aluei appetuntur*, cùm adhuc cruda eſt caro hominis in eis, vt ſic videantur appetere humanam carnem; & ſic abſoluit, *Ructatur proinde ab homine caro paſta de homine*. Summa eſt, ipſos appetere aprum, qui detergendo deguſtauit & aſperſit ſe ſanguine hominis *colluctando* cum eo: (lucta enim videtur aprorum pugna;) ceruũ, qui iacuit in humano sãguine; vrſum cruditatem eructantẽ de humanis viſceribus, inſtar aluei fluminis, qui piſculenta omnia conuoluit; vt ſic quo- 322.
dammodo dici poſſent epulatores hominum. Hæc qui edunt, longè abſunt à ſacris *Chriſtianorum conuiuiis*? *Minus autem & illi*, &c. Ad genus tranſit libidinis horrendæ, quam dicunt *irrumationem*, & ironicè loquitur. Obiectatis nobis infantes mortuos edere. *Nunquid minùs faciunt, qui libidine fera inhiant humanis membris*, cùm *viuos* vorent? *viuos* dicit *vorari*, quia humanum & impudicum membrum (quod pudor non ſinit proferre) viuum accipiunt, inſertántque in os mali irrumatores. Procedit: Obie- 323.
ctatis conſecrari nos *humano ſanguine* ad Chriſtianiſmum: Nunquid igitur *minùs ad ſpurcitiam humano ſanguine conſecrantur*, qui *lambunt ſanguinem*, non tunc ſanguinem, ſed *futurum*? non vtique minùs. Id enim non eſt edere *infantes*, *ſed puberes*. Pubertas enim ad enorme flagitium arridet.

324. 4. Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quomodo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admouetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quale eſt, vt quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis? niſi fortè ſuauiorem eum experti. Quem quidem & ipſum proinde examinatorem Chriſtianorum adhiberi vt foculum, vt acerram oportebat. Proinde enim probarentur ſanguinem humanum expetendo, quemadmodum ſacrificium reſpuendo: alioquin negandi ſi non guſtaſſent, quemadmodum ſi immolaſſent, & vtique non deeſſet vobis in auditione cuſtodiarum & damnatione ſanguis humanus.

325. 4. *Erubeſcat error*, &c. Dicit, erubeſcendum eſſe gentilibus apud Chriſtianos, qui Chriſtiani *ne animalium quidem ſanguinem* habent *in epulis* (id enim eſt ſuffocatum: iubebat enim Deus ne animalibus veſcerentur quæ ſuffocando peremiſſent (*& morticinis* abſtinent, ne contaminentur impuritate ſimili, vel ſepulta & recondita *intra viſcera*. *Denique inter*, &c. Botuli pleni ſanguine animalium offerebantur Chriſtianis comedendi cùm tentabantur, erántque in periculo, quia certiſſimum erat eos non guſtaturos, per quod nunc volebant eos *exorbitare* & à recta via decedere, hanc calumniam depromen-
326. tes: ac dicebant eos nunc humanum ſanguinem bibere. *Porro quale eſt*, &c. Vos ſi creditis *horrere* Chriſtianos *ſanguinem pecoris* in botulis, & non ſanguinem humanum, eſt, quia *ſuauiorem experti* eſtis hunc humanum præ illo pecorum. *Quem quidem*, &c. Atque adeo oportuiſſet *examinatorem Chriſtianorum* ipſum humanum ſanguinem adhibuiſſe *vt foculum, vt acerram*, ad probandos eos, ſic *enim probarentur humanum ſanguinem appetendo, quemadmodum ſacrificium reſpuendo*: *alioquin* eſſent *negandi* Chriſtiani *ſi non guſtaſſent, quemadmodum ſi immolaſſent*: & idcirco in illos nihil ſtatuendum eſſet, vt in gentiles. *Et vtique*, &c. Nec vobis *deeſſet ſanguis humanus*, quem porrigeretis, cùm audiretis cauſſas cuſtodiarum & vinctorum, & cùm damnaretis aliquem.

327. 5. Proinde inceſti qui magis, quàm quos ipſe Iuppiter docuit? Perſas cum ſuis matribus miſceri Cteſias refert: ſed & Macedones ſuſpecti, quia cùm primùm Oedipũ tragœdiam audiſſent, ridentes inceſti dolorẽ, ἔμεον dicebant εἰς πλὼ μιτέρα. Iam nunc recogitate quantum liceat erroribus ad inceſta miſcenda ſuppeditante materias paſſiuitate luxuriæ. Imprimis filios exponitis ſuſcipiendos ab aliqua prætereunte miſericordiæ

extraneæ, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Alienati generis necesse est quandoque memoriam dissipari, & simul error impegerit, exinde tradux proficiet incesti, serpete genere cum scelere. Tunc deinde quocunque loco, domi, peregrè, trans freta, comes est libido; cuius vbique saltus, facilè possunt alicubi ignari filios pangere,
328. vel ex aliqua seminis portione; vti aspersum genus per commercia humana concurrat in memorias suas, neque eas cœtus incesti sanguinis agnoscat. Nos ab isto euentu diligentissima & fideliſſima castitas sepsit, quantumque ab stupris & ab omni post matrimonium excessu, tantum ab incesti casu tuti sumus. Quidam multò securiores totam vim huius erroris Virgine continentia depellunt, senes, pueri. Hæc in vobis esse si consideraretis, proinde in Christianis non esse perspiceretis. Iidem oculi renunciassent vtrumque. Sed cæcitatis duæ species facilè concurrunt, vt qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt. Nunc per omnia ostendam.

329. 5. *Proinde incesti*, &c. Qui *magis incesti quàm* vos, *quos Iuppiter*, quem deorum patrem appellatis, *docuit? Persas cùm*, &c. Ctesias auctor est vobis *Persas misceri* solitos *cum suis matribus*, atque adeo incestuosi omnes sunt. Quo vitio non caruêre Macedones: nam cùm apud illos Oedipi tragœdia perageretur, ridentes vtiq; dolorem Oedipi ob incestam matrem, dicebant, *hic immixit in matrem*, cõstuprauítque illã. *Iam nunc*, &c. Quæso recogitetis *quantũ liceat erroribus* humanis ad
330. incestus, exuberante & vaga vbique luxuria. *In primis filios*, &c. Filios exponitis vt aliqua *misericordiæ extraneæ* præteriens eos alendos suscipiat, *vel adoptandos*, si maluerit, *emancipatis* & reiectis *melioribus parentibus*. *Alienati generis*, &c. Exinde necesse est, vt is qui est alienatus, *memoriam*, id est, generationem dissipet multiplicétque, & impingatis in ignotum, & extraduce filio, & serpat cũ genere scelus, vel genus incesto proficiat, & crescat generatio cum scelere. *Memoriam dissipari*, explicui, vt vidisti, quia infrà iterum reddit *ad memorias veluti generationis propinquas*. & *dissipari*, pro multiplicari, non pro euanescere, vt Zephyrus ait malè. *Tunc deinde*, &c. Quo dato casu vbicunq; mortales fuerint, quorum comes est libido, vix dici potest, 331.
quantum germinet saliendo in fœminas vt bestiæ; quantum filiorum pangent, aliqua parte seminis attingente propinquam & sanguini coniunctam: & sic cõcurret iterum *in memorias* & matrimonia sua humanum genus dispersum per varia loca, neque eas *memorias* & prolem *agnoscat cœtus*, id est, coitus incesti. *Nos ab isto*, &c. Quàm tuti sumus ab hoc malo Christiani, septi vndique castitate. Quidam etiam *pueri* & *senes continentia virgine* & spadonatu voluntario ab omni labe puri sunt. *Hæc in vobis*, &c. Si enim istos errores, 332.
quos dixi, hanc expositionem vestrorum liberorum, & alienationem consideraretis: perinde facilè quid esset *in Christianis* æstimaretis. *Oculi iidem vtrumque renunciassent*. Sed duplex cæcitatis species concurrit, quæ vos non sinit cernere; vna vt non videatis *quæ sunt* laudanda in nobis, altera vt decepti *videre* videamini vituperanda *quæ non sunt*. Itaque *nunc ostendam per omnia*, & ad indicanda alia transibo.

NOTÆ.

333. 1. INFANTES PENES AFRICAM.] Tertullianus aduersus Gnosticos: *Sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud seculum licuit.* Prudentius lib. 2. aduersus Symmach.

Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.

Lactantius l. 1. cap. 21. *Pescennius Festus in libris historiarum per Satyram refert, Carthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare: & cùm victi essent ab Agathocle rege Siculorum, iratum sibi Deum putauisse: itaque vt diligentiùs piaculum soluerent, ducentos nobilium filios immolasse.* Silius lib. 4.

Mos fuit in populis, quos condidit aduena Dido,
Poscere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris
(Infandum dictu) paruos imponere natos.

Minutius: *Meritò ei* (Saturno) *in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur.* Hieronymus in Isaiam lib. 13. cap. 46. *Saturni tanta fuit apud veteres religio, vt ei non solùm humanas hostias captiuorum, ignobiliumque mortalium, sed & suos liberos immolarent.* Plato in Politico. Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν, ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς, καὶ παῖδα ἕνιοι αὐτῶν ὑμεῖς τῷ Κρόνῳ, ὡς ἴσως καὶ ἀκήκοας. Plautus Amphit.

Faxo vt bũbulis coriis onustus sis Saturni hostia.

Ennius 7. Annalium.

Pœni sunt soliti sos sacrificare puellos Diuis.

Addit Plutarchus, de superstitione, qui non habebant filios, emere victimas liberorum à pauperibus. & extare matrem sacro rigidã & absque gemitu: si enim ingemuisset, iacturam faciebat & honoris & filij. Addit Diodorus lib. 20. *Caussabantur & Saturnum sibi aduersari; quòd cùm olim huic Deo filios præstantissimos immolarent,* ὕστερον ὠνούμενοι τῶν πενήτων ἐπρίαντο τὴν θυσίαν: *Postea clam pueros mercati, cùm enutrissent, sacris destinabant.* Quæ res magistratus adegit, vt de hac ipsa re quæstionem haberent, εὑρέθησαν τινες τῶν καθ' ἑκατὸν ἀνδρῶν ἐπιβολιμαῖοι γεγονότες: *Inuentique aliquot suppositiij immolati.*

1. PROCONSVLATVM TIBERII.] Hic vir 334.
doctus mauult legere, *vsque ad proconsulem Tiberij*, cùm de Tiberio nulla sit mentio, & à proconsule abolita sit illa Afrorum sæuitia. Claud. Salmasius in Notis ad Spartianum insurgit validè in hanc explicationem, & scripturam vulgarem defendit. Credo autem notare in Africa ipsam prouinciam Carthaginiensem, ita vt ibi immolarentur infantes: nam Optatus Mileuitanus lib. 3. sui fere temporis persecutionẽ cùm narraret, sic ait: *Ex quibus in prouincia Proconsulari (ante annos sexaginta, & quod excurrit) fuerat Annolinus, & in Numidia, Florus.* Vbi per prouinciam proconsularẽ intelligit Carthaginiẽsem. (Id enim Lector facilè colligit ex toto libro) vbi grassata persecutio. Dicit ergo Tertullianus, in proconsulatu Tiberij, qui fuit Carthagine, sæuitiam istam viguisse. Sciant pueri non istum esse Tiberium illum, qui mox fuit Imperator, sed cognominem alium. Nam qui de Tiberio Imperatore accipiunt, toto errant cœlo. Vide Claud. Salmasium dicto loco, & in sequentibus Notis id clarissimè apparebit.

1. ARBORIBVS TEMPLI OBVMBRA- 335.

TRICIBVS.] Olim ad fores templorum vſus fuit arbores pangere. Plinius l.12.c.1. *Hæ fuerunt numinum templa, priſcóque ritu ſimplicia rura etiamnum Deo præcellentem arborem dicant.* Thucydides l.6. τὰς δ' ἐλαίας ἐκκόπτοντες τὸ τεμένος: *Oleas excidentes phani.* Seuerus Sulpitius in vita S. Martini c.10. *Arborem pinum, quæ phano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere.* Apuleius l.6. *Vides dona ſpecioſa, & lacinias auro litteratas, ramis arborum poſtibúſque ſuffixas.* Legatur tota oratio ſexta Lyſiæ, in qua de ſacro oleæ trunco, quod excidiſſe accuſatus eſt.

I. VOTIVIS CRVCIBVS.] In Martyrologio de Paphnutio 24. Septembris: *Ipſe palmæ arbori affigitur, cæteri autem ferro necantur.* De Cupidine crucifixo Auſonius,

Eligitur mœſto myrtus notiſſima luco,
Inuidioſa Deûm pœnis. Et poſtea,
Huius in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem,
Deuinctum poſt terga manus, ſubſtrictáque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt.

Lipſius lib.1.de Cruce c.5. Hîc taxatur Tiberij crudelitas illius imperatoris non de quo hîc mentio, quæ tanta fuit, vt dicatur à Conſtãtino Manaſſe in Annal. πηλὸς αἵματι πεφυρμένος: *Lutum miſtum ſanguine.* Tales videlicet ſuffixi.

I. MILITIÆ PATRIÆ NOSTRÆ.] Apponit Schoppius ex mſ. *Militiæ patris noſtri*, & veriſſimum putat: nam Tertulliani pater Proconſul fuerat, in cuius militia veterani exſtiterant, qui Tiberiani illius facti meminiſſent: hinc apparet fieri non poſſe, vt Tiberius ille eſſet Imperator.

336. I. CONTEMNVNT CHRISTIANI.] Videan aliquo guſtu tuo legi poſſit, *Non ſolùm vos contemnunt Chriſtiani.* eſt *ſacrũ facinus*: deteſtabile facinus, vt *Auri ſacra fames.* Eſt in (*aliqui*) pro aliquis, ſapor Tertulliani.

I. CVM PROPRIIS FILIIS SATVRNVS NON PEPERCIT.] Proprios filios Saturnum comediſſe notior eſt fabula, quàm egeat explicatione. Inde tyrannidem dat illi Tatianus, Κρόνος τυραννοκτονεῖ: *Saturnus tyrannicè occidit.* Eſt autem τὸ ἀλλοτρίων μᾶλλον φειδόμενος διετέλει, Helleniſmus.

I. ET LIBENTER EXPONEBANT.] Eſt in Heraldo hæc lectio, *& libentes reſpondebant*, pro, ſpondebant: nam Ambroſ. de Abrahamo 2. ita ait: *Auguſtæ mentes inuitentur promiſſis, erigãtur ſperatis mercedibus. Bona mens quæ ſine reſponſi cœleſtis ſyngrapha certamen arripuit, geminæ laudis fructum adquirit ſibi.* Vbi *reſponſi* eſt *ſponſi.* Sed nihil mutandum, præſertim in excellenti ſenſu *exponebant.*

337. I. NE LACRYMANTES IMMOLARENTVR.] Eruditè ſimul & curioſè (inquit Heraldus) nam cùm mola ſalſa ſpargerẽt victimas, obſeruabant diligenter an conſperſionem iſtam lubentes & abſque vlla omnino voce paterentur. Seneca in Oedipode,

--- Hæc propere admoue,
Et ſparge ſalſa colla taurorum mola.
Placidóne vultu ſacra, & admotas manus
Patiuntur?

Blandiebantur igitur liberis ſuis Afri ne ſacra turbarentur. Minutius: *Meritò ei in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immolabantur; blanditiis, & oſculo comprimẽte vagitum, ne flebilis hoſtia immolaretur.*

338. I. MAIOR ÆTAS, &c.] Explicui *mactationem*, id veriſſimum. nam Lactantius l.1.c.21. *Galli Eſum atque Teutatem humano cruore placabant.* Lucanus lib.1.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrenſque feris altaribus Hæſus.

Et quidem Viues apud Auguſtinum l.7.de Ciuit.c.19. *Teutatem* explicat Mercurium. Tertullianus aduerſus Gnoſticos cap.7. *Sed enim Scytharum Dianam, Gallorũ Mercurium, Afrorum Saturnum humana victima placari apud ſeculum licuit.* Et Minutius: *Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere.* Et Cicero pro Fonteio: *Quidquam Gallis Sanctũ ac religioſum videri poteſt? Qui etiam quando aliquo metu adducti Deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtiis eorum aras funeſtant. Vt ne religionem quidem colere poſſint, niſi eam ipsã priùs ſcelere violarint. Quis enim ignorat, eos vſque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram conſuetudinem hominum immolandorum?* Hæc efficiunt veram explicationem. Si quis autem per *proſecantur* explicet *euirantur*, in prõptu eſt Martyr Cyprianus: *Videte contra fœdus iúſque naſcendi patientiã iniuſtæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares, omnis honor & vigor ſexus euirati corporis dedecore emollitur, pluſque illic placet quiſquis magis virum in fœminam fregerit.*

I. TAVRICAS FABVLAS.] Prudentius lib. 339.
1. in Symmach.

Incaſſum arguere iam Taurica ſacra ſolemus.

Sed Athanaſius abundè hoc in orat. contra Gentes: Σκύθαι δ', οἱ καλούμενοι Ταύρειοι, τῇ παρ' αὐτοῖς παρθένῳ καλουμένῃ τὸν ἀπὸ ναυαγίων καὶ ὅσοις αὐ λάβωσι τῶν Ἑλλήνων, εἰς θυσίαν ἀναφέρουσι: *Scythæ, qui Taurici dicuntur, virgini ſuæ* (ſic enim Dianam vocant) *naufragos, & quoſcunque ex Græcis ceperint, pro hoſtia iugulant.* Excurrit Athanaſius in modum, adducítque crudelitatẽ, qua illi interficiunt naufragos, quibus pepercit vnda. Nicetas in vita Andronici, l.F. c.10. ἢ τίνες Ταυροσκύθαι, ξενοκτονίαν νενομικότες: *Qui Tauroſcythæ, quorũ legibus mactantur hoſpites.* Lactãt. l.1.c.21. *Erat lex apud Tauros inhumanam & feram gentem, vti Dianæ hoſpites immolarentur: & id ſacrificium multis tẽporibus celebratũ eſt.* Lucianus de Amicitia, loquens de Pylade & Oreſte. οἵγε ἐπὶ σφᾶς ναυαγίᾳ πειπεσόντας οἱ τότε Σκύθαι συλλαβόντες ἀπῆγον ὡς τῇ Ἀρτέμιδι καταθύσοντες: *Ij qui naufragio eiecti ſunt, ab his qui tunc Scythiã incolebant comprehenſi, adductique vt Dianæ immolarentur.* Hyginus fab.120. *Taurorum fuit inſtitutum, vt qui intra fines eorum hoſpes veniſſet, templo Dianæ immolaretur.* Minut. *Tauris etiam Ponticis, & Ægyptio Buſiridi, ritus fuit hoſpites immolare.* Beſſis finitimis id dat Hieronymus, ſcribens ad Heliodorum: *Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce Crucis fregerunt melos.* Apponam denique verba Alexandri, quia continent quid peculiare: *Longum eſt exequi qui Taurorum mores fuerint, vt apud aram hominem ſiſterent, & poſt ſolemnes preces, hominis caput clauo ferirent, illudque cruci affigerent, truncumque corpus ex ingenti rupe in præceps darent.*

I. ECCE IN ILLA RELIGIOSISSIMA VRBE, &c.] Horrendi huius ſacri mentio paſſim. Minut. 340.
Hodiéque à Romanis Latiaris Iuppiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur. Et alibi loquens de Ioue: *Cùm Latiaris, cruore perfũditur.* Porphyr. l.2. περὶ ἀποχ. ἐμψ. ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν, τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τὴν τοῦ Λαπαιέως Διὸς ἑορτὴν ἀνθρωποθύτοις ἀθρώποις; *Quin & noſtro ſeculo quis neſcit, in magna ciuitate Iouis Latiaris feſto die immolari hominem?* Prudentius lib. 1. aduerſus Symmachum,

Funditur humanus Latiari in munere ſanguis:
Conſeſſuſque illic ſpectantum ſoluit ad aram
Plutonis fera vota ſui: quid ſanctius ara
Quæ bibit egeſtam per myſtica tela cruorem?

Athanaſius in orat. contra Gentes καὶ οἱ πάλαι ὑπὸ Ῥωμαίοις καλούμενον Λαπάριον Δία, ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον: *Priſci quoque Latini Jouem Latiarem cædibus venerati ſunt.* Tertullian. in Gnoſt. *Sed enim Scytharũ Dianam, Gallorum Mercurium, Afrorum Saturnum victima humana placari apud ſæculum licuit, & Latio ad hodiernum diem Ioui media in vrbe humanus ſanguis ingũſtatur.* Vnde illud Cypriani ſignatiſſimum de ludis theatricis, vbi Sacerdotis miniſterium *latrocinium* dixit, &

malè corrigunt *patrocinio Sacerdotis*. Locus quem indico, eſt: *Plura proſequi quid eſt neceſſe, vel ſacrificiorũ in ludis genera monſtroſa deſcribere? inter quæ nonnunquam & homo fit hoſtia, latrocinio Sacerdotis, dum cruor etiam de iugulo calidus exceptus patera, dum adhuc feruet, & quaſi ſitienti dolo in faciem iactatus crudeliter propinatur.* Vocat enim *latrocinium* Sacerdotis, quòd ſanguinem è iugulo victimæ fluentem excipiens patera Sacerdos, quaſi ſuffuraretur; aut veluti latro crudelis iugulum hominis cultro confoderet. Tatian. contra Græcos. εὑρὼν ὁ ὠμὸν Ρωμαίοις ἢ Λατιάριον Δία λύθροις ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον: Item apud Romanos Latiarem Iouem humano cruore & ſanguine per homicidia fuſo placari.

341. 1. BESTIARII.] Serui pœnæ, & damnati ad beſtias. de Claudio Suetonius c. 34. *Beſtiariis delectabatur.* Senec. epiſt. 70. *Nuper in ludo beſtiariorum, vnus è Germanis cùm ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus.* Ammianus l. 15. *Et quamquã vt beſtiarij obiiceremur intractabilibus feris.* Gloſſæ, θηριομάχος. Lucianus de Amicitia: τὸ μὲν πρῶτον, θηρία καταπονοῦμεν, καὶ ὑπὸ κυνῶν διωκόμεθα, καὶ ὅτι ἀνθρώπους δεδεμένους ἀφιέμεθα, κακούργους τινάς, ὡς εἰκάζομεν: *Ac primò quidẽ fera partim iaculis confixæ, atque à canibus agitatæ, partim in homines quoſdam vinctos emiſſæ, nocentes quoſpiã, vt coniiciebamus.* Ad hanc ſimilitudinem luſit Tertullianus lib. de Pudicitia c. 14. *Et puto nos Deus Apoſtolos nouiſſimos elegit, velut beſtiarios, quoniam ſpectaculũ facti ſumus huic mundo, & Angelis, & hominibus.* Ad quem modum Hieronymus, *hiſtrionum* dixit, æmulans Tertullianum; ſic enim ait ad Galatas cap. 4. *Mutabat Paulus vocem ſuam, & in hiſtrionum ſimilitudinem factus, ſiquidem theatrum mundo, & Angelis, & hominibus, habitũ in diuerſas figuras mutabat & voces.* Idem quod dixit Socrates l. 22. c. 7. Vocat enim παρόλους, quaſi *temerarios & audaces.* Itaque quod Paulus dixit *ſpectaculũ*, poſſis dicere *beſtiarios*; iuxta Tertullianũ, *hiſtriones*, iuxta Hieronymum, *temerarios*, iuxta Socratem.

342. 1. O IOVEM CHRISTIANVM.] Pari fermè emphaſi ſup. c. 6. *Serapidi iam Romano, Baccho iam Italico.* Ita Hieronymus vocat Iouinianum lib. 1. *Epicurum Chriſtianorum.*

2. PRÆSIDIBVS.] *Præſides* dicti quoque ſunt procuratores; erant autem qui nomine Imperatoris Prouinciam adminiſtrabant, ius reddebant, maleficos puniebant, colligebant prouentus, tuebantur armis ciues. Græcè ἡγεμόνες. De præſidibus Lucas Act. 23. *Claudius Lyſias optimo præſidi Felici ſalutem*, Græcè habetur ἡγεμών. De procuratoribus Lucæ 3. *Procurante Põtio Pilato Iudæam*, Græcè ἡγεμονεύοντος. Vide Salmeron tom. 1. proleg. 40.

2. VTIQVE CRVDELIVS IN AQVA SPIRITVM EXTORQVETIS.] Verſata eſt credo ante oculos Romuli & Remi pœna, quos in flumen proiici Amulius iuſſit. Hoc probare putidum erit. Legatur Iſidorus l. 5. c. 27. Greg. Nyſſenus lib. contra Fatum. οἷα δὴ πολλὰ τῶν γινομένων ὅτιν ὑπαιτίᾳ ἡ μοιχὰ διαβέβηκε, ἀπὸ τῶν μητέρων αἱ πορνεύουσαι κυήσασαι, τοῖς ἑαυτῶν χερσὶ διαχειρίζόμεναι, θανάτῳ τὸ ἔλεγχον κλείπουσιν: *Multi quippe ex adulteris aut meretricibus naſcuntur infantes, quos vt pote nothos ſuis ipſæ manibus matres obtruncant, cædèque flagitium ſupprimunt.*

2. AVT FRIGORI, ET FAMI, ET CANIBVS EXPONITIS.] Conſtantinus Manaſſes in Annalibus,

Ἄλλοις ἐκτεθραμμένον ἐκτὸς θησαυρείς χώρου,
Τὸν ἀπ' αὐτῆς Πάριδος Πάριον κεκλημένον:
Exponit eum in agrum ab aliis educandum,
Qui ager ab ipſo Paride Parius eſt appellatus.

Canace Macareo apud Ouidium,

Iamque dari paruum canibuſque auibuſque nepotem
Juſſerat, in ſolis deſtituique locis.

Et infrà eadem,

Cùm mea me coram ſyluas inimicus in altas
Viſcera montanis ferret edenda lupis.

Greg. Nyſſenus de his qui præmaturè abripiuntur, ἢ ἐκτιθεῖς, ἢ καταπιγεῖς, &c. *Vel expoſitus, vel ſuffocatus.*

2. FERRO ENIM MORI, &c.] Statius lib. 9. 343.

--- Ideo ne occumbere ferro
Non merui?

Apollonius lib. 2. Excidij Hieroſ. his inducit Ioſephum ducem Hebræorum:

--- tunc fundere vitam
Hanc ego non potui bello? & felicibus vmbris
Ire comes? cùm ſublato mihi Flauius enſe
Inſtitit, ingrati cùm me rapuere ſodales?
Tunc non vulneribus potui cecidiſſe pudendis?

Alcimus lib. 5. apud quem Iſraëlitæ, cùm vident in fuga venientes contra ſe Ægyptios, ita inclamant:

--- O tèrque quatèrque beati
Quos morte abſumptos calidis Ægyptus arenis
Condidit ante Patrum morientes ora ſuorum:
Digni habiti qui tam diros ſentire labores,
Nec ſtragem hanc poſſent, nec pignora cara videre.

An non illi ferro meliùs occumberent, de quibus Cõſtantinus ad Porphyrogenitum cap. 30. ὅπ τὰ ὑπομάστια τῶν Χρωβάτων φονεύοντες περιέρριπτον αὐτὰ σκύλακες: *Vt lactantes adhuc Chrobatarum pueros occidentes canibus obiicerent*, ſcilicet Franci.

2. OPTAVIT.] Liber Puteani habet, *optauerit.*

2. NOBIS VERÒ HOMICIDIO SEMEL INTERDICTO.] Lactantius lib. 6. c. 20. *Si homicidium fauore nullo non licet, nec intereſſe omnino conceditur ne conſcientiam perfundat vllus cruor, ſiquidem pupulo ſanguis ille præſtatur.* Athenagoras Apolog. pro Chriſtianis. ἀλλ' ἡμεῖς πλησίον εἶναι τὸ ἰδεῖν τὸ φονευόμενον τῷ ἀποκτεῖναι, νομίζοντες, ἀπορρεύσεσθαι τοὺς τοιούτους θεάς. πῶς οὖν μηδ' ὁρῶντες, ἵνα μὴ ἑαυτοῖς ἄρα καὶ μίασμα περιβαίνωμεν, φονεύειν δυνάμεθα; *At nos cùm proximum occiſioni eſſe iudicemus occidi videre, prohibuimus huiuſmodi ſpectacula. Quomodo igitur, cùm ne ſpectemus quidem, vt ne piaculo nos contaminemus & ſcelere, interficere poſſumus?* 344.

2. DELIBATVR.] Vult Iunius legendum *delibratur*, quem ſequi non placuit, nam & ſententia eſt optima, ſi legas *delibatur*, & fruſtra quæris aliud verbũ. Poteſt etiam explicari *delibatur*, cùm nondum bene coaluit, & eſt aliquantulũ diminutus, quemadmodũ Turnebus explicat verſum Lucretij, & Ciceronis locũ ad Herennium. Vide ſuprà dictum Turnebum l. 2. c. 12.

2. HOMICIDII FESTINATIO EST PROHIBERE NASCI.] Minutius: *Sunt quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciunt antequam pariant.* Hieronymus ad Euſtochium dixit, *& nondum nati hominis homicidium faciunt.* Cicero pro Cluentio: *Memoria teneo, Mileſiam quandã mulierem, cùm eſſem in Aſia, quòd ab hæredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi ipſa medicaminibus abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatã. nec iniuria, quæſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, hæredem familiæ, deſignatum Reipublicæ ciuem ſuſtuliſſet.* Quamobrem Auguſtinus ſermone de tempore III. *Nulla mulier potiones ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut iam natos occidat.* 345.

3. DIFFVSVM BRACHIIS SANGVINEM.] Legi poſſet, *defuſum.* Cæterùm Lucius Florus l. 4. c. 1. *Additum eſt pignus coniurationis ſanguis humanus, quẽ circumlatis pateris bibere, ſummum nefas, niſi amplius eſſet propter quod biberunt.* Mela l. 2. c. 1. *Nec fœdera quidem incruenta ſunt, ſanciant ſe qui paciſcuntur, exemptũque ſanguinem vbi permiſcuere, deguſtant. Id putant mãſuræ fidei pignus certiſſimum.* Capitolinus in Antonio philoſopho: *Quod cùm ad Chaldæos Marcus retuliſſet, illorum fuiſſe conſilium vt occiſo gladiatore, ſanguine illius ſeſe Fauſtina ſublaueret, atque ita cum viro concũberet.* Valerius l. 9. *Sariaſter aduerſus patrem ſuum Tigranem Armeniæ regem ita cum amicis cõſenſit, vt omnes dextris manibus ſanguinem mitterent, atque eum inuicem* 346.

ſorberent. Tacitus l.12. Annal. *Mos eſt regibus quoties in*
347. *ſocietatem coëant, implicare dextras, pollicéſque inter ſe vincîre, nodóque perſtringere. Mox vbi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.* Toxaris apud Lucianum: ἀφ' οὗ γὰρ ὀντεμόντες ἅπαξ τῶν δακτύλων, ἐνσπλάξαμεν τὸ αἷμα εἰς κύλικα, καὶ τὰ ξίφη ἄκρα βάψαντες, ἅμα ἀμφοτέρῳ ἐπῃρόμεθα, πίνωμεν, ἐκ ἔστιν ὅ, τι τὸ μὴ τῶν ἡμᾶς διαλύσειεν αὖ: *Etenim ſimulatque inciſis digitis ſanguinẽ in calicem diſtillauerimus, ſummiſque aut intinctis gladiis ambo pariter admouentes biberimus, non eſt quicquam quod deinde nos queat dirimere.* Theodoritus lib.3. Hiſt. Eccleſiaſticæ c.6. Ait in Heliopoli vrbe, gentiles interfeciſſe Cyrilli quendã diaconum, & πῶς γάρ ἐκ τιμώντες τὸ ἧπατος ἀπεγεύσαντο: *Diſſecto ventre eius iecur deguſtaſſe.* Hæc dixiſſe ſatis ſunt, ſed in fine non omittam tum lectionem Vvouerenij, legentis *nunc vbi relatum ſit:* Tum etiam præcipuè lectionem iſtam, *apud Herodotum opinor*, non videri firB mam, ſed è gloſſemate irrepſiſſe: nam Lipſius in 12. Annal. Taciti, & Scotthus in obſeruationibus lib.3.c. 10. citantes hunc locum, nullam eius mentionem faciunt. Ad hæc Zephyrus locum etiam prætermittit: & tametſi Plinius l.7.c. 2. meminit Scytharum, qui veſcuntur humanis corporibus, nullam tamen in Herodoto mentionem eius ſacri reperias. Quamobrem videtur locus iſte vbi eſt, *apud Herodotum opinor*, hac in parte eleuandus. nisi fortè parẽtheſis incipiat à *necubi*, vt dicat, (nec vbi relatum ſit, eſt apud Herodotum opinor) & ſic ſalua erit ſententia hæc: nec memini vbi ſit relatum, credo eſſe apud Herodotum. In quo non affirmauit rem, ſed opinari eſt falſus. Hæc ſentẽtia luculenta eſt, nec video quid obſtare poſſit.

348. 3. SVB CATILINA.] Salluſtius: *Fuere ea tempeſtate qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cùm ad iuſiurãdum populares ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circuntuliſſe, inde, cùm poſt execrationem omnes deguſtaſſent, aperuiſſe conſilium ſuum, atque eô dictitare feciſſe, quo inter ſe magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conſcij.* L. Florus de Catilina l.4. c.1. *Additum eſt pignus coniurationis, ſanguis humanus, quem circumlatum pateris bibêre.* Sidonius epiſt.1.l.2. *Rediit ipſe Catilina ſeculi noſtri nuper Aturribus, vt ſanguinem fortunáſque miſerorum, quas ille ibi ex parte propinauerat, hîc ex aſſe miſceret.* Minut. *ipſum credo* (nempe Saturnum) *docuiſſe, ſanguinis fœdere coniurare Catilinam.* Carmanorum morem narrat Athenæus lib. 2. mutuum ſanguinem in compotationibus propinare ſolitorum firmandæ amicitiæ. & Mela l. 2. c.1. Axiacorum, ait enim: *Ne fœdera quidem incruenta ſunt, ſanciant ſe, qui paciſcuntur, exceptúmque ſanguinem, vbi permiſcuêre, deguſtant: Id putant manſuræ fidei ſignum certiſſimum.*

349. 3. AIVNT ET QVOSDAM, &c.] De Scythis Lucianus de Amicitia. τεκμαίρομαι τοῖς τε ἄλλοις ἃ περὶ αὐτῶν (Σκυθῶν) ἀκούομεν, καὶ ὅτι κατεσθίουσι τοὺς πατέρας ἀποθανόντας: *Idque coniiciens ex aliis quæ de illis* (Scythis) *audimus, tum ex hoc quòd patres ſuos defunctos deuorant.* & de luctu, οἱ δὲ οἰνοχόοι ὑπακατόσφαξαν: Dolet videlicet mactatos pincernas. ibidem attribuẽs vnicuique mores in mortuis, ait, ὁ δὲ Σκύθης κατεσθίει: *Scytha autem deuorat.* Petronius Satyrico *Apud quaſdam gentes ſcimus adhuc legem ſeruari, vt à propinquis ſuis conſumantur defuncti, adeò quidem vt obiurgarentur ægri frequenter, quòd carnem ſuam faciant peiorem.* Nazianzenus ait orat.3. ſic amplificans: *Illi enim (vt vnum ex multis commemorem, quod etiam atheis horrorem incutere queat) virgines caſtas & mundo ſublimiores, quæque vix etiam vnquam viris in conſpectum venerant, in medium productas, veſtibuſque nudatas, vt per aſpectum contumeliam ipſis priùs inferrent, ac poſtea proſciſſas atque diſſectas (ô Chriſte, quomodo tuam illius temporis patientiam ferã)*

A οἱ μὲν καὶ ἰδίοις ὀδοῦσι κακῶς ἐστάθησαν, καὶ τῆς ἑαυτῶν κακοδαιμονίας ἀξίως ὠμῶν τῶν κρεῶν ἐμφορηθῶσαι, *partim propriis etiam dentibus comminutas ediſſe, atque, vt eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus ſeſe ingurgitaſſe feruntur, ac cibo illo perfunctos, communem & vſitatum admiſiſſe.* Tertullianus lib.3. aduerſus Marcion. *Scytha tetrior, Maſſageta inhumanior.* Vide Plinium lib. 7. cap. 2. & Sidonium lib. Paneg. Anthemij, qui

Sed Scythicæ vaga turba plagæ, feritatis abundans.

3. BELLONÆ.] Minutius: *& Bellonam ſeruum ſuum* 350.
hauſtu humani cruoris imbuere. Lactant. l.1. c. 21. *Alia virtutis, quam eamdem Bellonam vocant: in quibus ipſi Sacerdotes, non alieno, ſed proprio cruore ſacrificant. Sectis namque humeris, & vtraque manu diſtrictos gladios exerentes currunt, efferuntur, inſaniunt.* Dempſterus putat legẽdum *efferantur*, nam eſt feræ in modum debacchari, vt dixit Apuleius l.8. *Infandis inguinibus efferantur.* Redeo, Lampridius in Commodo Antonino:
B *Bellonæ ſeruientes verò execare brachium præcepit ſtudio crudelitatis.* In Iuuenal. vetus Scholiaſtes: *Bellonarium ſe* (Sergiolus) *fecerat, quo mos eſt in talibus ſacris lacertos ſuos ſecare.* Prudentius in Romano:

Votiuus & cùm membra detruncat dolor,
Cultrum in lacertis operit fanaticus:

Lucanus lib. 1.

--- *Quos ſectis Bellona lacertis*
Sæua mouet.

Vide inſuper Tibullum lib. 1. Eleg. 6. vbi ſatis ambitiosè deſcribit Bellonæ ſacra. in fine moneo variantẽ lectionem Schoppij, qui ſic putat legendum: *Vide iſtic Bellonæ ſecatos: ſanguis de femore proſciſſo palmula exceptus vſui datur ſignatis.* id eſt, qui Bellonæ initiari volunt, & acceperunt *profeſſionis ſignũ*, vt vocatur vulgò.

3. IN PALMVLAM EXCEPTVS SVIS DATVR SIGNATIS.] Legunt aliqui *parmulam*, vt accipiatur vas inſtar parmæ: *ſignati* autem ſunt ſacrati
C & electi, vt explicat Heraldus, adducto iſto teſtimonio Auguſtini de Ciuitate cap.26. *Perhibentur tamen in adoptatis ſuis ſecretiſque dare quædam præcepta de moribus quibuſdam velut electis ſacratis ſuis.* Turnebus l. 1.c.17. Ait *ſignata* eſſe *vota*, quibus incerantur Deorum genua, & ſic accipit Plinium lib. 10. epiſt. Ergo *ſignati* Bellonæ erunt, quibus hæc Dea enixè colitur, ita vt fermè incerent Deum: quemadmodum cecinit Iuuenalis Sat. 10.

Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

Incerabat enim Deorum genua, qui votum ſuſceptum ſignabat, & ceras appendebat genibus Deorum. Ego puto, reconditum quidpiam inſinuari à Tertulliano, ita vt à nemine hic ritus eſſet cognitus, niſi ab eo, qui eſſet initiatus. Quo ſenſu dixit Apuleius Apol.1. *Si qui forte adeſt, eorum ſolemnium mihi particeps, ſignum dato.* Signum hoc Arnobius appellat *ſymbola*, Clemens Alex. σωσήματα. Plaut. Mil. Glor. *Cedo ſignum, ſi harum Baccharum es.* Dempſterus in Paralip. ad cap. 10.
D lib. 4. Roſini, ſic legit, *ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, & ſuis datus, ſignat.* & putat ſic rectiorem & ſignificantiorem ineſſe ſententiam, verè falſus.

3. MVNERE.] Cyprianus in epiſt. ad Donatum de 351.
his ludis: *Et ſpectaculi licèt pretium largior muneris apparatus amplificat, vt mœroribus ſuis mater interſit.*

3. NOXIORVM IVGVLATORVM.] Non poſſum improbare lectionem mſ. quam ſe vidiſſe teſtatur Gaſp. Schoppius, *noxiorum rigulatorũ.* Etenim *rica, ricum, riculum, rigum, rigulum*, à (re) præpoſitione, id eſt, retro agendo dicebatur primum ſtrophium capitis (à quo & *ricinatus* Iuppiter Arnobio lib. 6.) deinde verò Sudarium, vt exponit Nonius, & inuolucrum linteum. Arenarij autem non ſolùm armis inſtructi, ſed & ſpongia ſiſtendo ſanguini, & rigulo ſiue riculo ad obliganda vulnera procedebant. Hinc *ricu-*

lati vel *rigulati* dicti, rigulo obligati vulnus.

3. COMITIALI MORBO MEDENTES HAVSERVNT.] Plin. l.28.c.1. *Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, vt viuentibus poculis, comitiales morbi. quod spectare facientes in eadem arena feras quoque horror est. At Hercule illi ex homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum spirantémque, & vnà ipsam animam ex osculo vulnerum, cùm plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas sit humana.* Minut. *& comitialem morbum hominis sanguine, id est, morbo grauiore sanare.* Aretæus Cappadox, de acutorum & diuturnorum morborum curatione lib.4.c.4. ita ait: ἐθεράπευσε δ' ἄνδρώπους γὲ νεοσφαγέος ἐπιθέντας φιάλῃ τῷ τρώματι, ἠδὲ ὑπαιμώσας, τὸ αἷμα πίνοντας: *Ipse autem vidi, qui subiecta patera hominis recèns occisi sanguinem è vulnere exceperint, exceptumque ebiberint.* Ipse autē Aretæus dubitat, istos sanitatem recipere, nam quî potest esse per malum medicina? Scribonius Largus cap. 12. vbi de remediis ad Comitialem morbum: *Item ex iecinore gladiatoris iugulati particulam aliquam nouies datam consumant.*

352. 3. VBI SVNT, &c.] Obiicit iam aliud argumentum crudelitatis. Appetebant veteres ad pabulum feras illas, quæ se humano sanguine proluissent, putantes has epulas iucundiores. Ergo ait, *vbi sunt illi, qui cœnant ferinis obsoniis de arena?* Quia feræ, quæ producebantur ad arenam, necessariò proluebantur humano sanguine; nam hic sparsus in arenam cadentibus illic multis gladiatoribus. Exemplum adhibet in apro, & ceruo. Apuleius lib.4. *Passim per plateas plurima cerneres iacere semiuiuorum corporum ferina naufragia. Tunc vulgus ignobile, quos inculta pauperies, sine delectu ciborum, tenuitate ventri cogit sordentia supplementa, & dapes gratuitas conquirere, passim iacentes epulas adcurrere.*

3. APER.] Apros integros totosque in vnam cœnam apposuerunt veteres. Iuuenal.

--- Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

Et quidem binos ternosque simul, imò & iam septem aut octo, teste Plutarcho: quin imò singulis conuiuis singulos appositos in Caiani conuiuio Athenæus narrat, nec vulgares, sed Erymanthæos. Hæc Lipsius 4. Poliorc.

353. 4. DETERSIT.] Iunius refert ad venabulum, quo transfixus aper, quod colluctans *detersit*, id est, disrupit; quia Cæsar de Massilienſibus, *remos transcurrentes detergere.* & Liuius lib. 36. *ab vtroque latere remos detergent.* Sed non credo; nam *detergeo* suum vsum habet. Lampridius in Commodo: *nam cùm in gladiatoris occisi vulnus malum misisset, ad caput sibi detersit.* Petronius Sat. *Chrysippus vt ad inuentionem sufficeret, ter helleboro animum detersit.* Ergo ait: Aper ille bonus est cibo, qui colluctans *detersit*, id est, lambit sanguinem & hausit, bestiarij quem cruentauit. Ad eum modum quo Sāctus Maximus homilia quarta de Apostolis, Petro & Paulo, dixit: *Ideo denique ab oculis eius veteris vmbra caligo detersa est.* Vbi *detersa caligo*, est abrasa & veluti deglutita. Et ceruus ille optimus erit esui, qui se iactauit proluítque in sanguine gladiatoris. Fortasse melius esset, *iacuit*, nisi velis dictum *iactauit*, ad maiorem ostentationem, vt illud Senecæ in Hercule Furente, *spolia iactantem patri*, sed requiri *se* certum est. Quibus in locis *ille* ponitur δεικτικῶς.

354. 3. IPSORVM VRSORVM ALVEI APPETVNTVR.] Minut. *Non dissimiles & qui de arena feras deuorant illicitas & infectas cruore, vel membris hominis, & viscere saginatas.* Apuleius 4. *Vrsam, quæ cæteris sarcina corporis præualebat, quasi cibo parandam portamus ad nostrum receptaculum.* Sunt qui legant *alui.* Nescio tamen quid grandius habet *alueus*: locus tamen Saluiani lib. 6. *alui* habet: *In spectaculis primum deliciarum genus est mori homines, impleri ferarum aluos humanis carnibus, cum circumstantium voluptate, & conspicientium lætitia.* Et quidem vrsos in arenam datos, testis est Claudianus in Paneg. Mallij, Symmachus l.2.epist.75. Xiphilinus. Primus, *Conuèniant vrsi.* Secundus, *Interèa nos vrsis sæpe promissis, & diu speratis sub ipso articulo muneris indigemus.* Tertius in Claudio, ἄρκτους τριακοσίους ἢ ἑτέρων Λιβυκῶν θηρίων.

3. MINVS AVTEM, &c.] Λειστιάζειν notat, & verbo *irrumo* passim vtitur Martialis, & ego quid addam non habeo in re plena ignominiæ.

4. NE ANIMALIVM QVIDEM SANGVINEM.] Minut. *Nobis homicidium nec videre fas, nec audire, tantumque ab hominum sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum sanguinem in cibis nouerimus:* Quin, vt notat Rhenanus, non ita dudum Christiani vescuntur suffocato, & morticina carne. Et in Pœnitentiario leges sunt statutæ, & indicta supplicia his transgressoribus. & Heraldus adducit illud epistolæ Lugdunensium & Viennensium apud Eusebiū, πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἔξεστιν; *Quomodo illi infantes comedent, quibus nec licet sanguinem edere brutorum animalium?* Et Tertullian. de Monogamia:: *Et sanguinis solius abstinentia.* Idem de Pudicit. *interdictum enim sanguinis, multo magis humani intelligemus.* Prudentius Cathemerin.

355.

Absit enim procul illa fames,
Cædibus vt pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum;
Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo
Pauerit innocuis epulis.

Quod autem Prudentius *innocuas epulas*, Hieronymus epist. 18. vocat *cibos innocentes.* Et Apuleius lib. 11. *inanimos cibos.* & hoc est, *de suffocato & sanguine non edere.* Et cùm Nyssenus dixit lib. de his qui præmaturè abripiuntur, κρεῶν τροφὴ, *carnis alimentum*, de cibis gentilium loquitur. Multi tamen (hoc omitto, vt rem non Tertulliani) explicant, non edere de homicidio & effusione sanguinis. Ista si velis, lege Geuerhartum in Minutium, qui magno pondere conciliorum & Sanctorum patrum id astruit.

356. 4. SVFFOCATIS.] Chrysostomus homilia 27. sic ait: *Deinde sicut de Adam dictum est, cùm illi omnia adesum valde libenter permissa essent, veruntamen carnem in sanguine animæ ne comedatis. Quid est caro in sanguine animæ? suffocatum. Bruti enim anima sanguis est. Quia igitur sacrificia perfecturi erant ex brutis, quasi docet illos, dicens, quia sanguis mihi segregatus est, vobis caro. Hoc autem facit ideo, vt primis illis temporibus comprimat illorum impetum, & propensionem ad homicidia. Et quòd hoc sit verum, quia per hoc eos magis pios facere voluerit, audi quæ sequuntur. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.*

4. BOTVLOS.] Arnobius lib. 2. *Saporum fastidia vt excuterent palato, vt in coquendis alitibus pinguitudinem nossent retinere labentem, vt spirulas, & botulos facerent.* Seneca epist. 56. *Iam libarij varias exclamationes, & botularium, & crustularium, & omnes popinarum institores, merum sua quadam & insignita modulatione vendentes.* Botelli alia est conficiendi ratio. Apicius lib. 2. cap. 5. ita describit: *Botellum sic facies ex oui vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cepam & porrum concisum, thusque crudum admiscebis cum pipere modico, atque ita intestinum facies, adiectóque liquamine, & vino decoques.*

4. PORRÒ QVALE EST, VT QVOS SANGVINEM PECORIS HORRERE CONFIDITIS.] Minutius: *Nobis homicidium nec videre fas,*

nec audire. tantúmque ab humano ſanguine cauemus,
357. *vt nec edulium, pecorum in cibis ſanguinem nouerimus.* Biblis Martyr apud Euſeb. Hiſt. lib. 5. quod ſuprà adduxi, πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἔξον; *Quomodo infantes illi comedent, quibus nec edere licet brutorum animalium ſanguinem?*

4. CRVORE DISTENTOS.] Zeno ſerm. *Attende tibi* ait: *Carnibuſque diſtenditur.* Idem vſurpat *diſrumpo*, ſerm. de duplici tentationum ſpecie: *Et quidem mihi videtur talis hæc paſſio animæ ſimilis eſſe his, qui tantùm gulæ indulgent, vt diſrumpi magis nimio cibo eligant, quàm alicui indulgere reliquias.*

358. 4. FOCVLVM.] ἑσχάραν ἀφιδρύτου, vel, vt dicit Plutarchus in Poplicola ἑσχαρίδα πῦρ ἔχουσαν. & Liuius in hiſtoria Scæuolæ, *accenſum foculum.* Seneca epiſt. 24. *Spectator diſtillantis in hoſtili foculo dextræ ſtetit.* Et epiſt. 67. *Stetit hoſtium flammarúmque contemtor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem proſpectauit.* Cicero, pro domo ſua, *foculo poſito in* B *roſtris, adhibitóque tibicine.* Foculum autem Genio Deo ſacratum ſcribit Arnob. lib. 4. *Et quid, quæſo, vt faciat, Præſidatum focorum Deus iſte ſortitus eſt? Per humani generis coquinas currit, inſpiciens & explorans quibuſnam lignorum generibus ſuis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus contribuit vaſculis, ne flammarum diſſiliant vi victa: curat vt ad ſenſum palati ſuis cum iucunditatibus veniant rerum incorruptarum ſapores, & an rite pulmenta condita ſint, Præguſtatoris fungitur atque experitur officio.*

4. ACERRAM.] Arnobius lib. 2. ad calcem: *Acerras omnes thuris plenis conficiatis altaribus.* Tertullian. lib. 1. aduerſus Marcion. *Quid non & in perſecutionibus ſtatim oblata acerra animam negatione laceratis?* Ouid. Eleg. 8. lib. 4. de Ponto.

Nec quæ de parua pauper Dis libat acerra
Thura, minùs grandi quàm data lance valent.

& 4. Faſt.

Cúmque meri patera thuris acerra fuit.

Virgilius 5. Æn.

--- Et cana penetralia Veſta.
Farre pio, & plena ſupplex veneratus acerra.

359. 4. ALIOQVIN NEGANDI SI NON GVSTASSENT, QVEMADMODVM SI IMMOLASSENT.] Sic legendus proculdubio locus, non vt Heraldus, & Vvouerenius, qui ſic: *Alioquin necandi ſi guſtaſſent, quemadmodum ſi non immolaſſent.* Quia *alioquin* dicit differentiam, & nulla eſſet inter *petere ſanguinem, & guſtare ſanguinem*; & inter *reſpuere ſacrificium & non immolare.* In lectione autem Pamelij eſt ſenſus integer, quia contraponitur *appetere ſanguinem & non guſtare*, & ſimiliter inter *reſpuere ſacrificium & immolare*, & id petit verbum *alioquin.* Itaque iſta non ſunt collutulata. Mitto oppoſitionem aliam, ſcilicet, *probarentur & negarentur.*

5. QVAM QVOS IPSE IVPPITER DOCVIT.] Hic nempe cum ſorore delicias habuit. D Virgilius, Ouidius, Flaccus, & qui non? Arnob. lib. 2. *Ex conuentu Iouis inſeminati & nati ſunt. Ex conuentu* (inquam) quaſi ex meretricibus. vt Plaut. Ciſtel. *Ex patribus conuentitiis.* & Plauti locus miras tragœdias excitat.

360. 5. PERSAS CVM SVIS MATRIBVS.] Minutius, *Jus eſt apud Perſas miſceri cum matribus.* Theodoritus contra Græcos orat. 9. ait Perſas cum matribus ex Zaradi inſtituto miſceri, & cum filiabus & ſororibus. ἀλλὰ κἂν τῶν Ζαράδου πάλαι Πέρσαι πολιτευόμενοι νόμοις, ταῖς μητράσι, καὶ ἀδελφαῖς, καὶ θυγατράσι μιγνύμενοι: *Perſæ Zaradi inſtituti legibus, matrum, ſororum, filiarúmque miſcebantur connubiis.* Gregorius Nyſſenus epiſt. contra fatum. Τίς γὰρ οὐ δέδοικε πάντως ἄλογος ἔρωτός ἐστιν ἡ θυγατρομιξία, καὶ ἀδελφογαμία, καὶ εἰς μητέρας πορνοκοιμίαι; τοῦτο τοίνυν εἰ κατά τινα μοῖραν ἀνάγκλιτον ἐγίνετο,

A πάντως ἂν καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς ἐτολμήθη τόποις· ἐπεὶ ᾧ μόνῳ τῷ ἔθνει Περσῶν καὶ τοῖς τὰ ἐκείνων νόμιμα διδασκομένοις τὸ τοιοῦτον ἄγος τολμᾶται: *Ad hæc quis ignorat, extremum malum eſſe, corpus cum filia commiſcere, & matrem violare? Quod ſi quadam ſortis neceſſitate fieret, vtique apud nos quoque fieret: nunc autem apud ſolos Perſas, & qui illorum edocti ſunt inſtituta, flagitium hoc perpetratur.* De Perſis loquens Agathias lib. 2. Hiſt. ita ait: οἱ μόνον ἀδελφῶν αὐτοῖς μιγνύμενοι, ἀλλὰ πατέρες τε θυγατράσι, καὶ τὸ δὴ πάντων ἀνοσιώτερον (ὦ νόμοι καὶ φύσις) υἱοὶ ταῖς τεκούσαις: *Non ſolùm cum ſororibus rem habentes, ſed patres cum filiabus, & quod omnium eſt ſceleratiſſimum (ô leges, ô natura) filij cum matribus.* Lexicon Alexandrinum moris initium ponit & moris incrementa: ſic enim ait, Νῖνος ὁ ἑαυτῆς μητέρα τὴν Σεμίραμιν ἔλαβεν γυναῖκα, ἧς οὗ Πέρσαι νόμος γαμεῖν τὰς ἑαυτῶν μητέρας, καὶ τὰς ἀδελφάς· Διὸ καὶ ἡ Πῖκος λαβεῖν τὴν ἑαυτῆς ἀδελφὴν τὴν Ἥραν γυναῖκα: *Ninus alter Saturni filius, qui matrem Semiramidem in vxorem duxit. Vnde Perſis accepta lex parentes & ſorores in conſortium tori adſciſcendi. Vnde Picus Iunonem ſororem matrimonio ſibi copulauit.* Porro *Picus*, alio nomine eſt Iuppiter. Lege Herodianum lib. 3. Hieronymum aduerſum Iouinianum lib. 2. cap. 36.

5. COMMISCERI.] Balſamo lib. 7. Meditat. 361.
μηδ' οὖν ἑνὸς γενέσθαι βαθμοῦ, διὰ τὴν ἔνσαρκον ἕνωσιν, καὶ συγχυθῆναι, καθὰ μελίκρατον: *Neque etiam vnius & eiuſdem gradus propter vnionem carnalem, vt inſtar mulſi commiſceantur.*

5. CTESIAS.] Meminit huius Agathias lib. 2. Hiſt. alij etiam.

5. SED ET MACEDONES SVSPECTI, &c.] Quidam noſtri æui adoleſcentulus ita ſcripſit: *Cùm Mimus Græcus in Macedonia Oedipum ſaltaret, & de inceſto cum matre doleret, riſere barbari, & de re non magna exclamarunt,* ἤμειν, &c. Quibus fi- C dem damus quam viri fabulis. Nullam prorſus.

5. Εμειν εἰς τὴν μητέρα.] In nonnullis eſt ἴμεναι, & Latinis litteris *emine.* Eſto hæc ſit vera lectio, & hanc furiam Macedones voluiſſe. Quænam iſta inſania? in matrem cœpit furere, & eam adamare. Aliqui eam probant, videlicet ἐμίνε, & eſſet *inceſtauit.* μιαίνω enim in hac re proprium, & μιαρὸς de inceſtu dicitur. Sed nihil laborandum eſt de his, cùm *commixit* ſatis ſit proprium. Perſius Satyra 6.

Patriciæ immeiêre vulnæ.

Catull. *Mixerit in gremium.* Sannazarus:

Vt ſcilicet liceret (heu ſcelus) patri
Natæ ſinum permingere.

5. PASSIVITATE LVXVRIÆ.] Saluianus lib. 7. *Quis coniugij fidem reddidit? immo quantum ad paſſiuitatem libidinis pertinet, quis non coniugem in numerum ancillarum redegit?* & infrà: *Atque illi de quibus ſcripta hæc legimus, & minore fortaſſe crimine, vt minore, vt reor, numero criminum ac paſſiuitate peccabant.* Iulius Firmicus lib. 4. Math. cap. 8. *Paſſiuos in coitu faciet, & nunquam in vxorum amoribus perſeuerantes.*

5. EXPONITIS.] *Expoſiti* porro vocantur *alumni* ἐριπτοὶ, τρόφιμοι. Plinius ad Traianum: *Magna* 362. *Domine & ad totam prouinciam pertinens quæſtio eſt de conditione & alimentis eorum quos vocant* ἐριπτούς. Sunt qui legant in Tertulliano, *exponitis ſuſcipiendos ab aliqua prætereunte miſericordia extranea.* Et id reuera magis placet, vt erat etiam in primis editionibus. Finge dicere, *ab aliqua prætereunte matre extranea*, & ſic molleſcit omnis difficultas. Minutius, *alienæ miſericordiæ frequenter exponitis.* Paullus lib. 4. de agnoſ. & alend. liberis: *Necare videtur non tantùm is qui partum præfocat, ſed & qui publicis locis, miſericordiæ cauſſa exponit, quam ipſe non habet.* Quin Rœuardus l. 1. Coniectan. c. 17. ma-

tre legit, non *misericordia*. Quamuis autem *misericordia*, vt in pluribus legitur, sit legendum, bonus est sensus, vt dicat, exponitis filios educãdos à melioribus, & magis misericordibus quàm vos. Fortasse *ad lactariã columnam* de qua sic Festus: *Lactaria columna in foro olitorio, dicta quòd ibi infantes lacte alendos deferebant.* Sed isti quàm falsi essent probat Lactantius, c.20.l.6. *Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus obiiciunt, & quantum in ipsis est, crudeliùs necant, quàm strangulassent. Quis dubitet, quin impius sit qui alienæ misericordiæ locũ nõ tribuit? Qui etiã si contingat ei, quod voluit, vt alatur, addixit certè signum suum vel ad seruitutem, vel ad lupanar.* Seneca declamatione dixit optimè: *Curatis quis ex solitudine infantes auferat, perituros nisi auferantur.* Cæterum *altellum* vocat Festus. Clemens Alexand.3. Pæd. cap. 3. ἐκτιθέντα παιδία.

363. 5. ADOPTANDOS.] Ait adoptari *parentibus melioribus*, sic contingit. Valerius Max. *Genitos nascendi sors, fortuitum opus; adoptatos verò & ascitos vniuscuiusque solido iudicio incocta voluntas producit.* Enratio, cur meliores parentes. Adrianus verò Imperator in oratione quam iam ægrotus habuit ad Senatum: *Multũ interest, nascatur an adoptetur filius, propterea quòd is qui nascitur, talis est, qualem eum fortuna dederit: eum verò qui adoptatur, vnusquisque sibi suo arbitrio probatum deligit. Ex quo fit, vt ille sæpe nascatur mutilus, & demens: hic (quod certo iudicio fit) integer & sanæ mentis deligatur.* Igitur, eò melior parens, quia diligit. Hinc versus Statij,

--- Interius noua sæpe adscitáque serpunt
Pignora connubiis.

Ait scilicet nouos semper & adscitos filios quales sunt adoptiui, interiùs & altiùs serpere, quàm connexi & naturales.

364. 5. EMANCIPATIS.] Festus: *Emancipati duobus modis intelliguntur, aut ij qui ex patris iure exierunt: aut ij qui aliorum fiunt Domini,* Veteres Glossæ, *emancipatio* ἐξοικείωσις, *emancipatus* χεῖρίστος, *emancipatio* χειροθεσία. In Epod.9. Horatij, *miles emancipatus fœminæ*, est sua sponte in seruitutem fœminæ traditus. Cicero in Cat. Maiore: *Ita senectus honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini emancipata est.*

5. ALIENATI GENERIS, &c.] Eleganter excurrit Clemens Alexand.l.3. Pædag.c.3. ἀλλ' οὐδ' σωίασιν οἱ παλαίπωρεις, ὡς τὸ ἄδηλον τῆς σωουσίας πολλαὶ ἐργάζεται τραγῳδίας. παιδὶ πορνεύσαντι, καὶ μαχλώσαις θυγατράσιν ἀγνοήσαντες πλάκας μίγνυσι πατέρες, ὑ μεμνημένοι τ ἐκτεθέντων παιδίων καὶ αὖ δεσποτικὴν τὸν γεγννηκότας ἀκρασίας ἐξουσία: *Sed neque intelligunt miseri quantas sæpe tragœdias excitet incertus coitus. Cum meritorio filio & meretricibus filiabus sæpe patres coeunt, expositorum filiorum immemores: & viros fieri eos qui genuerunt, efficit nimia libidinis licentia.* Lactantius l.6.c. 20. *Quæ autem possint vt soleant accidere in vtroque sexu vel per errorem, quis non intelligit? Quis ignorat? Quod vel vnius Oedipodis declarat exemplum, duplici scelere confusum. Tam igitur nefarium est exponere, quàm necare.*

5. MEMORIAM DISSIPARI.] Explicui, extẽdi generationẽ: non enim hic est, disturbari memoriã & recordationem, sed verè *dissipatur memoria*, est, extenditur generatio. Quemadmodũ dicimus, *fama dissipat*, id est, diuulgat & extendit. & *memoria* pro generatione statim est in hoc ipso auctore, cùm ait, *concurrat in memorias suas*, id est, in suam prolem. Si quis autem velit esse, *disturbare memoriam*, defendet se eo, quod sequitur, *& simul error impegerit*, vt dicat præcessisse errorem in dissipata memoria. Sed videat, bene stare posse *dissipatam memoriam*, id est, extentam prolem, cum eo, *& simul error impegerit.*

5. TVNC DEINDE QVOCVNQVE IN LOCO, &c.] 365. Hieronymus de regulis Monachorum cap. de Abstinentia philosophorum antiquorum, &c. *Omnia alia peccata extrinsecus sunt, & quod foris est, facilè abiicitur, sola libido insita est, & quadam lege naturæ in coitum gestit erumpere. Grandis igitur virtutis est, & sollicitæ diligentiæ, superare quod natus sis, & in carne non carnaliter viuere.* Sanctus Nicephorus Constantinopolitanus in Breuiario historiæ: Φώπος ἡ τὸν τέκνωμα, ὅσπερ αὐτὸς εἰς πλὴν σύζυγον ἐπιβουλευθεὶς ποτε καθυβρίζετο, εἰς τὰ βασίλεια σὺν πλήθει στρατιωτῶν ἐπῆλθε Φωκᾶν, αὐτίκα κατέσχε: *Dum hæc aguntur, Photius quidam, cuius vxori imperator stuprum obtulerat, cum magna militum manu in Palatium irrumpens, Phocam illico comprehendit.*

5. COMES EST LIBIDO.] Quid si Afros suos spectauit Tertullian. quorum est insignis libido, dicẽte de illis Saluiano l.7. de Prouidentia: *Quis nescit Africã totam obscœnis libidinum tædis semper arsisse, non vt terram ac sedem hominum, sed vt Ætnam putes impudicarũ fuisse flammarum?* Verè isti possent dicere, παιδίμου κύπριδος, vt dixit Marianus Scholasticus l. 4. Anthol. id est, *vulgiuaga Veneris.* Quin illud Martialis l.12. in istos conuenit, *Huic semper vitio pater fuisti. Esse patrem vitio*, est, esse falsum patrem & suppositicium.

5. SALTVS.] Sic legit Pamelius sumta metaphora ab animalibus irrationalibus, quæ saliẽdo fœminas in- 366. eunt, vt ait Varro. Non enim aliquid de sylua exuberante, vt malè Zephyrus. Nec lego *satus* cum Latinis, & Iunio. Hi sunt equi, vt plurimùm qui in equas insiliunt, & vox *saltus* Hispanico idiomate trita est. Quin in fœminis *saltum* dicunt pro *horto* muliebri. Plaut. Casina: *Vbi illum saltum video obseptum, rogo, vt alterò sinat ire.* & Curcul. *Pandit saltum suauiis.* Cùm in excusis legeretur hactenus, *Pangit saltum suauiis*, satis illepidè. Vide Taubmãnum. itaque, *Pandit saltum suauiis*, est, aperit hortum muliebrem suauiis, vel suauiis. & *ignari* legit Iunius. Et *coitus.* retinui tamen *coetus*, quia pro *coitu* sæpe apud Lucretium & alios.

5. QVIDAM MVLTO SECVRIORES TO, TAM VIM HVIVS ERRORIS VIRGINE CONTINENTIA DEPELLVNT.] Eleganter dictum *virgine continentia*, non *virginem.* Cæterùm hãc virginitatem (inquit Heraldus) Iustinus Martyr & Athenagoras testati sunt. Prior: ἔστι πολλοί τινες ἔστι πολλαὶ ἑξηκοντούτιδες καὶ ἑβδομηκοντούτιδες, οἵτινες παιδίων ἐμαυτὸν ἐπιδείξασθαι τῷ Χριστῷ, ἄφθορόν διαμένουσι· καὶ εὔχομαι ἐν παντὶ γένει ἀνθρώπων τοιούτους δεῖξαι: *Permulti profectò apud nos sexus vtriusq; & sexaginta & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti & cælibes perseuerant: & glorior me per omne genus hominum tales commõstrare posse.* Posterior: εὕροις ἂν πολλοὺς τ παρ' ἡμῖν καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας καταγηράσαντας ἁγνούς, ἐλπίδι τὸ μᾶλλον σωίσεσθαι τῷ Θεῷ: *Inuenias autem ex nostris plurimos & viros & fœminas, qui cælibes consenescant, quòd hac ratione Deo coniunctiores fore se sperent.*

5. OSTENDAM.] Est qui sic appingi malit, *ostendam*? vt dicat, quid opus est vt pertexamus singula? quid vt per omnia genera percurramus? Postea transit ad manifestiora. Non tamen admitto, nam sic transitus ad alia fit, & ita bene est abque interrogatione.

CAP. X. ARGVMENTVM.

Deos quos colunt non esse Deos.

TERTVLLIANVS.

1. NVNC de manifestioribus dicam. Deos, inquitis, non colitis, & pro Imperatoribus sacrificia non impenditis. Sequitur vt eadem ratione pro aliis non sacrifice-

mus, quia nec pro nobis ipsis, semel Deos non colendo. Itaque sacrilegij & maiestatis rei conuenimur. Summa hæc causſa, immò tota est: & vtique digna cognosci, si non præsumptio aut iniquitas iudicet, altera quæ desperat, altera quæ recusat veritatem.

EXPLICATIO.

1. AGIT iam Tertullianus de criminibus manifestis, quale erat dici ἄθεον, id est, Deos non colere, & deinde nec sacrificia impendere pro salute Imperatorum. *Sequitur vt*, &c. Quia inquit, *pro aliis non sacrificamus, nec pro nobis ipsis, Deos non* colentes. Hinc est, vt rei simus *& sacrilegij, & læsæ maiestatis. & hæc est summa* & sola *totáque* nostrorum delictorum. *Et vtique*, &c. *Digna* nostra causſa est quæ cognoscatur à vobis, *Si non præsumptio aut iniquitas iudicet*; *altera* præsumptio *desperat* veritatem, fortè quia iudex qui præsumit aliquid ita esse sicut ipse præsumit, etiamsi aliter se res habeat, difficilè diuelli potest à sua præsumtione: *altera* iniquitas *recusat* eandem.

369. 2. Deos vestros colere desinimus, ex quo illos non esse cognoscimus. Hoc igitur exigere debetis, vt probemus non esse illos Deos, & iccirco non colendos; quia tunc demũ coli debuissent, si Dij fuissent. Tunc & Christiani puniendi, si, quos non colerent, quia putarent non esse, constaret illos Deos esse. Sed nobis, iniquitis, Dei sunt. Appellamus & prouocamus à vobis ad conscietiam vestram, illa nos iudicet, illa nos damnet, si poterit negare omnes istos Deos vestros homines fuisse. Sed & ipsa in ficias si ierit, de suis antiquitatum instrumentis reuincetur, de quibus eos didicit testimonium perhibentibus ad hodiernum, & ciuitatibus in quibus nati sunt, & regionibus in quibus aliquid operati vestigia reliquerunt, in quibus etiam sepulti demonstrantur. Nec ego per singulos decurram tot, ac tantos; nouicios, veteres; barbaros, Græcos; Romanos, peregrinos; captiuos, adoptiuos; proprios, communes; masculos, fœminas; rusticos, vrbanos; nauticos, militares (ociosum est etiam titulos persequi) vt colligam in compendium, & hoc non quo cognoscatis, sed recognoscatis: Certè enim oblitos agitis.

370 2. *Deos vestros*, &c. Non colimus Deos hominum, ex quo cognoscimus non esse Deos. *Hoc igitur*, &c. Probandum nobis est, illos non esse Deos, ideo non colendos: si enim Dij essent, coli debuissent, ac demũ Christiani puniendi essent. *Sed nobis*, &c. Ad id quod dicitis, quòd *sunt Dij* vobis; *appellamus à vobis ad vestram conscientiam*, quæ nos iudicabit & damnabit, si potens est *negare omnes istos Deos fuisse homines. Sed & ipsa*, &c. Si autem ipsa negauerit, proculdubio *reuincetur instrumentis antiquitatum, de quibus didicit eos*, clarum *testimonium perhibentibus* vsque *ad hodiernum* diem, vbi *nati*, vbi *operati*, vbi *sepulti*. *Nec ego per*, &c.

371. Nec verò ego decurram *per tot ac tantos*, quos habetis, *nouos, veteres*, vt Amphiaraus, Saturnus: *barbaros, Græcos*, Phrygum & aliarum barbararum gentium, & quos Græcia venerata est: *Romanos, peregrinos*, vt Neptunus, & Isis: *captiuos, adoptiuos*, vt quos domitis vrbibus Romani captos acceperunt, & *adoptiuos* vt Antinous: *proprios, communes*: sunt *proprij* quos venerati sunt vt natos patrio solo; *communes* verò, vt Hercules & Bellona: *masculos, fœminas*, vt Iuppiter, & Iuno: *rusticos, vrbanos*, vt Fauni & Satyri, & qui nati in vrbe sunt: *nauticos, militares*, vt Leucothea, & Mars. *Titulos persequi*, est, nomina & officia: vt apud Augustinum de ciuitate Dei. Hos adigam *in compendium* non solùm vt *cognoscatis* qui Dij vestri fuerint, sed vt nolentes *recognoscatis*: agitis enim personas oblitorum; neque enim ignoratis. *Otiosum est enim titulos persequi*, vt si enarrem Deos Domorum, Culinarum, Mensarum, &c.

372. 3. Ante Saturnum Deus penes vos nemo est, ab illo census totius vel potioris vel notioris diuinitatis. Itaque quod de origine constiterit, id de posteritate conueniet. Saturnum itaque quantum litteræ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Cassius Seuerus, aut Cornelius Nepos, neque vllus commentator eiuscemodi antiquitatum, aliud quàm hominem promulgauerunt: si quæras rerum argumenta, nusquam inuenio fideliora, quàm apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones, postque Attica hospitia consedit, exceptus à Iano, vel Iane, vt Salij volunt. Mons quem incoluerat Saturnius dictus, ciuitas quam depalauerat, Saturnia vsque nunc est. Tota denique Italia, post Oenotriam, Saturnia cognominabatur. Ab ipso primùm tabulæ, & imagine signatus nummus, & inde ærario præsidet. Tamen si homo Saturnus, vtique ex homine, & quia ab homine, vtique de Cœlo & Terra.

373. 3. *Ante Saturnum*, &c. Vult liquidò ostendere initiũ diuinitatis inter gentiles, & ait ante Saturnum nullum fuisse, & ab illo copiam omnẽ *diuinitatis* extitisse *vel potioris vel notioris*. Atque adeo quod relatũ fuerit de Saturno, idẽ erit iudiciũ de posterioribus Diis. *Saturnũ itaque*, &c. Quod igitur attinet ad hunc Deum, nemo est commentatorum tam Græcorum quàm Latinorum, qui aliud de illo promulget, quàm esse verum hominem. *Si quæras*, &c. Etenim *rerum* vestigia & monumenta si quæruntur, nusquam certiora inuenias, quàm in Italia: *in qua post multas expeditiones*, & postquam Athenis fuisset, *exceptus* demum *à Iano* est, *vel à Iane*, vt canitur in carmine Saliorũ. *Mons quem*, &c. In testimonium est, *mons quem* incoluit, qui ab eo *dictus* est *Saturnius*; & *ciuitas*, quam positis palis fundauit, quæ etiam dicta est *Saturnia*. *Tota denique*, &c. Demum euidens argumentum est *Italia*, quæ dicta quoque *Saturnia* est, cùm priùs dicta esset *Oenotria*. *Ab ipso primùm*, &c. Docuit Saturnus litteras imprimere & instrumenta conficere, & hæ sunt *tabulæ* istæ. *Imagine*

eius *signatus* est *nummus*, & ob ipsum id *præsidet ærario. Tamen si*, &c. Dissérui qualis esset Saturnus, vtique homo, & ab homine, & quia ab homine, Cœli & Terræ filius.

374. 4. Sed cuius parentes ignoti erant facile fuit eorum filium dici, quorum & omnes possumus videri. Quis enim non Cœlum & Terram, matrem & patrem venerationis & honoris gratia apppellet? vel ex consuetudine humana, qua ignoti, vel ex inopinato apparentes, de Cœlo superueniſſe dicũtur? Proinde Saturnum repentino aduentu vbique cælitem contigit dici. Nam & Terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est. Taceo quod ita rudes adhuc homines agebant, vt cuiuslibet noui viri aſpectu quaſi diuino cómouerentur. Cùm hodie iam politi, quos ante paucos dies luctu publico, mortuos sint confeſſi, in Deos conſecrent. Satis iam de Saturno, licèt paucis, etiam Iouem oſtendimus tam hominem quàm ex homine, & deinceps totum generis examen tam mortale, quàm ſeminis ſui par.

375. 4. Dissertat iam in patrem & matrem Saturni. *Facile* enim *fuit dici eorum filium, quorum possumus videri*, quorum patres *ignoti* sunt. Nemo est enim qui Cœlum & Terram non appellet patrem & matrem venerationis & honoris gratia. *Cœlum patrem*, quia ignoti & ex improuiſo apparentes; inde est vt repentinus aduenies Saturnus dici potuerit cœleſtis. *Terram matrem*, quia vulgò ita vocantur omnes, quorum genus ignoratum est. *Taceo quod*, &c. Prætereo ignorantiam aliam rudis ſeculi, ſtatim enim atque aliquis apparebat non viſus, cuius aſpectu commouerentur ac ſi Cœleſtis eſſet. & ea ruditas apparet ex comparatione, cùm iam homines *politi*, eos ſtatim Deos appellent, vt conſecrati fuerint, quos paucis antè diebus, *luctu publico mortuos* vniuerſa ciuitas deplorauit. *Satis iam de*, &c. Qui oſtendimus de Saturno qui fuerit, *etiam Iouem oſtendimus*, nam videlicet hic illius filius, licèt paucis, ac perinde etiam totum generis examen, videlicet Iouis filios mortales & pares ſui generis.

NOTÆ.

376. 1. IMPENDITIS.] Corrigit Iunius *penditis*, bene tamen est *impenditis* (ait Heraldus) teſtimonio Tertulliani cap. 6. de Idololatria, *Colis autem non ſpiritu viliſſimi nidoris alicuius, ſed tuo proprio; nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua.*

1. SACRILEGII ET MAIESTATIS REI.] Arnobius lib. 1. *Ergone impiæ religionis apud vos rei ſumus? & quod caput rerum & culmen venerabilibus adimus obſequiis, vt cõnitio vtamur veſtro, infauſti & athei nuncupamur?* Et lib. 3. *Quantumlibet nos impios, irreligioſos vocetis, & atheos.* Et lib. 4. *Quoniam nos impios, irreligioſos vocatis.* Et lib. 5. *Audere vos dicere ex his atheum, irreligioſum, ſacrilegum, qui Deos eſſe omnino aut negent, aut dubitent.* Et Ruffinus lib. 4. in hiſtoria Polycarpi inculcat ſæpe, *tolle ſacrilegos*, pro, Chriſtianis. Suetonius Nerone: *Chriſtiani genus hominum ſuperſtitionis nouæ, ac maleficæ.* Prudentius περ. στεφ. hymno 14.

Hoc tu paraſti perdite ſpectaculum
Cladis cruentæ de necandis ciuibus,
Quos vt profanos, impiati & ſeculi
Reos, neceſſe eſt te magiſtro interfici,
Tu cauſſa mortis, tu malorum ſignifer.

Iuſtinus Martyr Apolog. 2. ἡμεῖς οὖν τὸ θεὸν ἀθέους πίστει τὴ κακὴν δικαίως λελογίσμεθα, εἰ μὴ κακίας ἔργα ἐλεγχόμεθα, ἀλλὰ πονηρίαν δεγκνύμεθα: *Noſtra quidẽ ratio est, à nemine nos quicquam mali poſſe pati, ſi nõ aut malefici coarguamur, aut praui iudicemur.* Minutius, *Etiam principibus & regibus, non vt magnis & electis viris (ſicut fas eſt) ſed vt Deis turpiter adulatio falſa blanditur, cùm & præclaro viro honor veriùs, & optimo amor dulciùs præbeatur. Sic eorum numen inuocant, ad imagines ſupplicant.* Malè Iunius legit *ſacrilegi*, cùm legendum ſit *ſacrilegij*.

377. 1. CONVENIMVR.] Pro accuſamur vſitatum. Apolog. 31. *Qui magis inimici & perſecutores Chriſtianorum, quàm de quorum maieſtate conuenimur in crimen?* Et cap. 35. *In ſecundum Sacrilegium conuenimur Chriſtiani.* Verbum est fori.

1. INIQVITAS.] Aduerte vocem diligenter, loquitur enim de infidelibus. Alcuinus in pſalmum ſecundum è ſeptẽ Pœnitẽtialibus: *Iniquitates quidẽ appellãt, quæ ante baptiſmũ fiunt: peccata, quæ poſtea perpetrãtur.*

1. DESPERAT.] Puteanus legit *diſperat* ſiue *diſparat*. Nam præſumtio, inquiunt, veritatem non recuſat ſimpliciter, ſed diſparat à perſona, de qua inceſſit opinio, & veritatem cauſſæ diuidit quadammodo: nihil tamen mutandum.

2. APPELLAMVS ET PROVOCAMVS.] Mirum est, vti Ceita ſcripſerit hanc periodũ, inquit enim, *Appellamus & prouocamur à vobis ad cõſcientiã veſtrã: illa vos damnet, ſi poterit negare, omnes Deos iſtos veſtros homines fuiſſe*, in ſermone de Feſto Trinitatis. Cùm *prouocamur*, pro, prouocamus: cùm *vos damnet*, pro, nos damnet: cùm omittit, *illa nos iuuicet*. Niſi fortè incidit in exemplar malum.

2. ILLA NOS IVDICET.] Facit quippe conſcientiã 378.
iudicẽ, & ideo forma iudiciali, *appellamus, prouocamus*. Ita de conſcientia Cyprianus aduerſ. Demetrian. *Qui alios iudicas, aliquando eſto tui iudex, conſcientiæ tuæ latebras intuere.* Et Ambroſ. in Exhortat. ad virgin. *Voluit* DEVS *omnes homines ſuorum delictorum eſſe cenſores, vt & qui publico teſtimonio non tenetur, ſe ipſum iudicẽ, qui in occultum lapſus eſt, erubeſcat.* Signatè etiam Hieronymus de conſciẽtia ad NEPOTIANŨ, *tua conſciẽtia iudicaris.* Et Hincmarus Archiep. Remenſis in epiſt. cõſcientiam vocat *iudicem*. Optimè dixit Eligius hom. 8. *Adſit accuſatrix cogitatio, teſtis cõſciẽtia, carnifex timor.*

2. DE SVIS ANTIQVITATVM INSTRVMENTIS REVINCETVR.] Proſper lib. 3. de vita Contemplat. c. 31. *De ſuis quoque litteris iſtorum reuincantur ineptiæ.*

2. BARBAROS.] *Dij barbari*, & Phryges ſunt, & alio- 379.
rũ barbarorũ proprij. *Carmen barbarum* apud Horat. 9. od. Epod. est, Phrygium. & apud Ciceronẽ *aſſãte ope barbarica*, id est, Troiana & Phrygia. & Ariſtides in 2. Platonica. βαρβάρων ὁ Πάρις καὶ ὀκνηρὸς, *barbarorũ Paris ignauiſſimus.* Iſocrates in Panegyrico loquẽs de Homero, πολεμήσαντας τοῖς βαρβάροις ἐπῃνηκώς ἐστι: *Laudauit eos, qui barbaros oppugnarunt.* Demoſthenes diſcriminans Græcos à Troianis, clarè ait, τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν βαρβάρων: Cur enim non ſentiam loquutum Tertullianum ex omni rigore? & præſertim cum oppoſitione ad Græcos? Cum hoc tamen bene ſtat, vt intelligantur etiam barbari alij, qui communiter appellãtur barbari.

2. CAPTIVOS.] Prudentius lib. 2. in Symmachum, 380.
Innumeros poſt deinde Deos virtute ſubactis
Vrbibus, ex claris peperit ſibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas,

Dextera victoris ſimulachra hoſtilia cepit,
Et captiua domum, venerans ceu Numina, vexit.
Arnobius lib. 3. *Nam ſolere Romanos Deos omnes vrbium ſuperatarum, partim priuatim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare.*

2. ADOPTIVOS.] Hic ipſe Antinous nemini poteſt latere, vt omittam in Tertullianum id aſſerere Pamelium, eſt in Apologetico cap.13.locus hac de re clarus, *Cùm de pædagogiis aulicis neſcio quem cinædum Deum facitis, licèt non nobiliores Dij veteres, tamen contumeliam deputabunt hoc, & aliis licuiſſe quod ſolis antiquitas contulit.* Quem locum vide, & etiam cap. 13. de Corona Militis, *Antinous infelix.*

381. 2. COMMVNES.] Accipe ex peculiari ritu Herculem, Martem, Victoriam, Bellonã, qui dicti Dij cõmunes: vel *Deos communes*, quorũ interuẽtu fit aliquid, quo dictũ ſenſu, *& Diis Communibus aras.* 12. Æneidos.

2. OTIOSVM EST.] Aliqui legunt ita, vt in *militares* punctum ſit. & mox incipiat, *Otioſum eſt etiã titulos perſequi, vt colligam*, &c. demta parentheſi. Minutius: *Otioſum eſt ire per ſingulos, & totam ſeriem generis iſtius explicare*: qui ſenſus mihi magis arridet. B

2. COLLIGAM IN COMPENDIVM.] Notetur locutio Hincmari Rhemenſ. Archi. qui ep. *Vt cuncta breuiter cingulo perſtringamus*: vnde allucet locutionem iſtam *breuiter perſtringere*, vſitatam Latinis Auctoribus, ſumptam à re veſtiaria, & præſertim à cingulo. Vnde & hîc Tertullianus ſignatè *colligam in compendium*, quaſi veſtes cingulo, ne diffluant. Neque à veſtibus abit locutio illa Senecæ, epiſt. 76. *Vt in arctum quæ dicta ſunt, contraham.*

382. 2. COGNOSCATIS.] Non vtcumque, ſed vt iudices *cognoſcatis & recognoſcatis*. Seneca Tragicus, *ſi iudicas, cognoſce: ſi regnas, iube. Cognitor* pro recuperatore, & iudice: *cognoſcere* pro iudicare: Quintilian. Decla. 300. *Nam ſemper erroris odium penes cognoſcentes eſt.* Idẽ Declam. 310. *Non putauerunt illi, qui cognoſcebant priorum iudicum reſcindendam eſſe ſententiam.* C

383. 3. ANTE SATVRNVM.] Lactant. cap. 23. lib. 1. *Ex hac temporum ratione manifeſtum eſt, ante annos non ampliùs quàm* M.D.CCC. *natũ eſſe Saturnũ, qui & Sator Deorũ omniũ fuit.* Conſtãtinus Manaſſes in Annalibus,

Ἐν τοῖς ἡμέρεσι Ἀβραὰμ ἦρξε Τ' Ἀσσυρίων
Βῆλος ἀνὴρ ὁ κρατιὸς, ὁ βιαιοχείρ γίγας,
Ὃν ὡς θεὸν ἐτίμησαν οἱ πεφωνακισμένοι,
Καὶ Κρόνον μετωνόμασαν:
Temporibus Abraham, Aſſyriis imperauit
Belus vir fortis, robuſtis manibus gigas,
Quem homines decepti tanquam Deum venerabantur,
Saturnumque nominabant.

Prudentius lib. 1. in Symm.

Num melius Saturnus auos rexiſſe Latinos
Creditur? edictis qui talibus imformauit
Agreſtes animos, & barbara corda virorum.
Sum Deus, aduenio fugiens, præbete latebras,
Occultate ſenem, nati feritate tyranni
Deiectum ſolio: placet hic fugitiuus, & exul
Vt lateam, &c. & infrà,
Inde Deos quorum patria ſpectata ſepulcra
Scimus, in ære hebetes informauere minores.

Minutius: *Saturnum principem huius generis & examinis omnes ſcriptores vetuſtatis Graci Romanique hominẽ prodiderunt. Scit hoc Nepos, & Caſſius in hiſtoria: Thallus & Diodorus hoc loquuntur.* Lactantius lib. 1. c. 13. *Omnes ergo, non tantùm poetæ, ſed hiſtoriarũ quoque & rerum antiquarum ſcriptores hominem fuiſſe conſentiũt, qui res eius in Italia geſtas memoriæ prodiderunt; Graci, Diodorus, & Thallus: Latini, Nepos, & Caſſius, & Varro.* Vide præterea quæ Pamelius affert ex Euſebio l. 2. de Præparatione Euangelij cap. 1. Virgilius 8. Æneid.

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.

A Rectè ergo Sanctus Antonius apud Athanaſium in eius vita reprehendit gentiles: *Pudeat Saturni fugæ & deuorationis crudeliſſimæ liberorum. Erubeſcite parricidium Iouis & inceſtum, erubeſcite raptum eius, & coitum mulierum atque puerorum.* Et multa deinde.

3. DIODORVS.] Iuſtinus Martyr in priore orat. 384. ad Græcos, Πρῶτον μὲν ἁπάντων νομοθέτην αὐτὸν Διόδωρος γεγραφὼς λέγει: *Primum enim eum omniũ legiſlatorem Diodorus fuiſſe teſtatur.* Et, Οὐ γὰρ λανθάνειν ἐνίους ὑμῶν οἶμαι ἐντυγχάνοντας πάντως που τῇ Διοδώρου ἱστορίᾳ: *Non enim veſtrũm aliquos latere puto, qui in Diodori hiſtoriam inciderunt.* Et iterum: καὶ ὁ ἐνδοξότατος ὑπὲρ ὑμῖν τὰ ἱστοριογράφων Διόδωρος, ὃς πᾶς βιβλιοθήκας ὑπετέμνων, ἐν τριάκοντα ὅλοις ἔτεσιν Ἀσίαν τε καὶ Εὐρώπην, ὡς αὐτὸς γέγραφε, διὰ πολλὴν ἀκρίβειαν περιελθών, καὶ αὐτόπτης τῶν πλείστων γενόμενος: *Et qui apud vos hiſtoricorum omniũ illuſtriſſimus eſt Diodorus, qui bibliothecas in compendium redegit, & triginta totis annis, quemadmodum ipſe ſcriptum reliquit, Aſiam & Europam propter exquiſitam diligentiam peragrauit, ſpectatorque rerum plurimarum fuit.* Et ſæpe eius meminit.

3. THALLVS.] Iuſtinus Martyr loco citato, Κάστωρ τε, καὶ Θάλλος, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ πολυίστωρ: *Et Caſtor, & Thallus, & Alexander Polyhiſtor.*

3. CASSIVS SEVERVS.] Extat de hoc elogiũ 385. in Tacit. Annal. lib. 4. *Relatũ & de Caſſio Seuero exule, qui ſordidæ originis, & maleficæ vitæ, ſed orandi validus.* Vide & Suetonium Vitellio c. 2. & Lipſiũ in Tacitum.

3. CORNELIVS NEPOS.] Vide Lactantium, Minutium vbi ſuprà.

3. SI QVÆRAS RERVM ARGVMENTA.] Heraldus legit, *ſi quantum rerum argumenta*, &c.

3. VEL IANE.] Alij dicunt *Eano*, vtcumque, id certũ eſt, veteres Salios ſuis in carminibus pronũtiare ſolitos antiqua nomina & priſca ſatis, ſic *orcula* pro, oſcula: ſic *mamariam* pro memoriã. Feſtus. *Hic Deus in Saliaribus Saturnus nominatur, videlicet à ſationibus.* Malè vulgò, *Satirnus*, vel *Saturnus*. Ita in Saturnalibus ait Lipſius l. 1. c. 2. & *redamptruare* dicebatur in Saliorum exultationibus, cùm præſul *amptruauit* quod eſt, motus edidit, & referũtur inuicẽ iidẽ motus. Lucillius.

Præſul vt amptruat, inde *& volgum redamptruat olli:*

Pacuuius promerendæ gratia (vt ait Scaliger)

Simul cùm videam Graios nihil mediocriter
Redamptruare, opibúſque ſummis perſequi.

3. SATVRNIVS.] Arnobius lib. 1. *Ciuitatis Sa-* 386. *turniæ Saturnus auctor.* Minutius: *& vrbem Saturniam de ſuo nomine.* Dionyſius l. 2. *Ad collem alterũ, qui nunc Romæ habitatur, tunc Saturnium ab incolis, nunc Capitolium appellatum.* Virg. 8. Æneid.

Hanc Saturnus condidit vrbem.

3. DEPALAVERAT.] Idem aduerſum Hermogenẽ c. 29. *Omnia opera ſua Deus conſummauit, incultis primò elementis depalans quodammodo mundum, dein exornatis velut dedicans.* Et aduerſum Marcionem lib. 5. c. 6. de Paulo Apoſtolo. *Nam quòd architectũ ſe prudentem affirmat, hoc inuenimus ſignificari depalatorem diſciplinæ diuinæ.* Rubenius vtique lib. 1. Electorũ c. 1. hæc loca affert, & comparat cum illo Liuij lib. 1. *Circa murum locum, quem in condendis vrbibus quondam Etruſci, quà murũ ducturi erant, certis circa terminis inauguratò conſecrabant.* Vide in eo plura. Ego exiſtimo Caſſianum Collat. 10. c. 8. idem dicere his: *Et idcirco nõ vereor notam proditionis vel leuitatis incurrere, ſi ea quæ in ſuperiore tractatu de perfectione orationis ediſſerens diſputationi ſubtraxeram, propalauero.* Hermes autem diſcipulus Pauli, clariſſimè in eodem ſignificato lib. 3. cap. 5. *Poſt aliquantum verò temporis venit Dominus eius, & ingreſſus eſt vineam, quam cùm depalatam vidiſſet decenter, ac circumfoſſam, & extractas herbas ab ea, & latas eſſe vites, ex facto hoc ſerui ſui gaudium cepit.* Supra iterum idem Hermes vſurpauit.

3. POST OENOTRIAM.] Dicta eſt Italia, 387.

Oenotria, ὑπὸ τοῦ οἴνου, *à vino*. non ab aliquo rege huius nominis: quæ opinio consentit cum Aristotele lib. 7. Polit. & cum Strabone lib. 6. qui nulla facta Oenotrij mentione, illam indigetant. Ista latiùs in Æneidem Virgilij.

3. SATVRNIA.] Ouidius primo Fastorum:

Inde diu genti mansit Saturnia nomen.

Ennius, --- *Saturnius illi*
Nomen erat, de quo latè Saturnia terra.

388. 3. PRIMVM TABVLÆ, ET IMAGINE SIGNATVS NVMMVS.] Cyprian. de idolorum vanitate: *Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit, vnde ærarium Saturni vocatur.* Dicit hoc Cyprianus: nam in æde Saturni ærariũ Romanum fuit: vt enim inquit Macrobius 1. Saturn. regnante Saturno numquam furtum commissum fuit. Lactantius lib. 1. cap. 13. *Hunc errantem atque inopem Ianus excepit: cuius rei argumenta sunt nummi veteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis, sicut idem Poëta subiecit,*

At bona posteritas puppim formauit in are,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Et Minutius: *Iani susceptus hospitio rudes illos homines & agrestes multa docuit, vt Græculus & politus litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere.*

3. VTIQVE EX HOMINE.] Minutius: *Homo igitur vtique qui fugit, homo vtique qui latuit, & pater hominis, & natus ex homine.*

389. 4. QVIS ENIM COELVM ET TERRAM, &c.] Lactantius lib. 1. cap. 11. *Minutius Felix in libro, qui Octauius inscribitur, sic argumentatus est: Saturnum, cùm fugatus esset à filio, in Italiámque venisset, Cœli filiũ dictum, quòd soleamus eos, quorũ virtutem miramur, aut qui repẽtè aduenerint, de Cœlo cecidisse, dicere: Terræ autẽ, quod ignotis parẽtibus natos, Terræ filios iudicemus.* Et Saturnus ipse apud Prudentium 1. in Symmachum.

Sum quianam Cœlo genitus.

Hinc est, vt Circam solis filiã vocemus, Plaut. Epidic.

Abi modò intro, atque hanc asserua Circam, solis filiam. Eos vulgò *quæsitos* in legibus appellat Ræuardus 2. Coniect. cap. 5.

390. 4. EX INOPINATO APPARENTES DE COELO SVPERVENISSE DICVNTVR.] Tibullus elegia 3. lib. 1.

Tunc veniam subitò, nec quisquam nuntiet antè,
Sed videar cœlo missus adesse tibi.

Apuleius lib. 9. *Sed ex his de Cœlo missus mihi sospitator argumentum explorandæ sanitatis tale commonstrat cæteris.* Vtique ἐγγαστριστοῦς. Cicero 7. in Verrem, de Cereris simulacro loquens, ait illud tale fuisse, *Vt homines, cùm illud viderent, aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris non humana arte factam, sed Cœlo delapsam, arbitrarentur.* Herodianus de vita Commodi lib. 1. ait simulacrum Cybeles delapsum ἐξ ἱεροῦ, *è cœlo.* Ammianus lib. 22. *Quo apud Constantinopolim comperto, effundebatur omnis ætas & sexus tanquam demissum aliquid visura è cœlo.* Claudian. Paneg. Probini,

--- Credas ex æthere Lapsam
Stare Pudicitiam.

Videtur Tertullianus, ait Hoyus, à scenis Tragicis id sumpsisse, ἀπὸ τῆς μηχανῆς θεός. Est enim *machina* supra scenã locus, vnde ex improuiso deus aliquis apparebat.

4. PROINDE SATVRNO REPENTINO ADVENTV.] In Puteani codice est, *Proinde Saturnum repentinum vbique cœlitem contigit dici.* Heraldus legit *Proinde Saturno repentino*, &c. & dici cum maiore emphasi id putant dempto *aduentu.* Vvouerenius ex optimo libro, *Saturno de repentino aduentu.*

4. TERRÆ FILIOS VVLGVS VOCAT.] 391.
Ouidius lib. 1. Metam.

Iuppiter è terra genitam mentitur, vt auctor
Desinat inquiri.

Quintil. lib. 3. cap. 8. *Multum auctoritatis adfert vetustas, vt iis qui Terra dicuntur orti.* Seruius ad lib. 1. Georg. *Achelous Terræ fuisse filius dicitur, vt solet de his dici, quorum per antiquitatem latent parentes.* Minutius: *Terræ enim & Cœli filius; quòd apud Italos esset ignotis parentibus proditus: vt in hodiernum inopinatò visos, cœlo missos: ignobiles & ignotos, Terræ filios nominamus.* Liuius lib. 1. *Deinde, ne vana vrbis magnitudo esset, adiiciendæ multitudinis caussa, vetere consilio condentium vrbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam è Terra sibi prolem mentiebantur.* Et γηγενεῖς apud Alexim Comicum *terrigenæ* dicuntur,

ὁ δ' ἕτερον τί ἂν τύχοιμι ὀνομάσας;
Βῶλος, ἄθρεσον, γηγενὴς ἄνθρωπος;
At alterum quo nomine obsecro feram?
Is ipse gleba est, stiua, & Terræ filius.

Quo nomine stupidum & ignobilem proscindit.

4. QVOS ANTE PAVCOS DIES LVCTV PVBLICO MORTVOS SVNT CONFESSI.] 392.
Iulius Capitolinus ita scribit de M. Aurelio: *Tantúsque illius amor ea die regij funeris claruit, vt nemo illum plangendum censuerit, certis omnibus quòd à Diis commendatus ad Deos rediisset.*

4. IOVEM.] Quis dubitet hunc hominem fuisse? Latinus Pacatus, *Terra Cretensis parui Iouis gloriata cunabulis.*

4. SEMINIS SVI PAR.] Infra, *quorum pares Deos.* Et de Patientia, *magnitudinis par.* Meursius legit *seminis sui pater.* 2. part. Criticar. Exercitat. cap. 24. adducto Virg.

Diuûm pater atque hominum Rex.

Sed nihil censeo mutandum.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Vanissimæ sunt causssæ, cur qui homines essent, facti sint Dij.

TERTVLLIANVS.

1. ET quoniam sicut illos homines fuisse non audetis negare, ita post mortem Deos factos instituistis asseuerare, causssas quæ hoc exegerint retractemus. In primis quidem necesse est concedatis esse aliquem sublimiorem Deum, & mancipem quendam diuinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit. Nam neque sibi illi potuissent sumere diuinitatem, quam non habebant, neque alius præstare eam non habentibus, nisi qui propriè possidebat. Cæterùm si nemo esset, qui Deos faceret, frustra præsumitis Deos factos auferendo factorem. Certè quidem si ipsi se facere potuissent, nunquam homines fuissent: possidentes scilicet melioris conditionis potestatem. 393.

1. NECESSE est *retractemus* agamusque causssas quæ *exegerint* & postulauerint. vt, &c. *Mancipem diuinitatis*, intelligit eum qui verè est deus potior, quique ipsam diuinitatem possideat, & possit aliis cõmunicare. *Nam neque*, &c. Non enim illi possent sumere, neque alius dare, nisi esset manceps. *Cæterùm si*, &c.

&c. Quamobrem frustra dicitis potuisse Deos fieri, si auferamus *factorem*. *Certè quidem*, &c. Etenim si ipsi se facere possent Deos, *nunquam fuissent homines*, cùm haberent meliorem potestatem & auctoritatem.

395. 2. Igitur si est, qui faciat Deos, reuertor ad caussas examinandas faciendorum ex hominibus Deorum, nec vllas inuenio, nisi si ministeria & auxilia officiis diuinis desiderauit ille magnus Deus. Primò indignum est, vt alicuius opera indigeret & quidem mortui, cùm digniùs ab initio Deũ aliquẽ fecisset, qui mortui erat operã desideraturus.

2. Igitur, *si est qui Deos faciat*, nullas inuenio caussas, nisi si auxilium aliquod diuinus opifex rerum rebus cœlestibus exoptauit. *Primò indignum*, &c. Hoc quidem *primo indignum* est, vt ille creator summus *indigeret opera alicuius* hominis *& quidem mortui*; cùm is *qui mortui esset operam desideraturus* in tempore, potuisset ab æterno cõdere opificem aliquem Deum, qui eius diuinam machinã esset promoturus & iuuaturus.

396. 3. Sed nec operæ locum video. Totum enim hoc mundi corpus siue innatum & infectum secundùm Pythagoram, siue natum & factum secundùm Platonem, semel vtique in hac constructione dispositum, & instructum, & ordinatum, cum omni rationis gubernaculo inuentum est. Imperfectum non potuit esse quod perficit omnia. Nihil Saturnum, & Saturniam gentem expectabat. Vani erunt homines nisi certi sunt à primordio & pluuias de cœlo ruisse, & sidera radiasse, & lumina floruisse, & tonitrua mugisse, & ipsum Iouem, quæ in manu eius imponitis fulmina, timuisse. Item omnem frugem ante Liberum & Cererem & Mineruam, immò ante illum aliquem principem hominem de terra exuberasse, quia nihil continendo homini prospectum post hominẽ potuit inferri. Denique inuenisse dicuntur necessaria ista vitæ, non instituisse: Quod autem inuenitur, fuit: & quod fuit, non eius deputabitur qui inuenit, sed eius qui instituit; erat enim antequam inueniretur.

397. 3. *Sed nec video* quamobrem vellet Deus huius operæ patrocinium: nam siue Pythagoram, siue Platonem sequaris, quorum vnus infectam hanc machinam, factam alter putauit, omnia dispositа sunt *in* eius *constructione*, instructa, ordinata, & certissimo *gubernaculo rationis* inuenta. Ratio. Quia mundus ille *qui perficit omnia*, & est perfectissimus, *imperfectus esse non potuit*. *Nihil* enim *Saturnum*, & eius posteros expectabat, vt terra verbi gratia frugem produceret. *Vani erunt*, &c. Falletur quisquis non certus est *à primordio & pluuias de cœlo ruisse*, *& sidera radiasse*, & *lumina* Solis & Lunæ coruscasse, *& tonitrua* instar mugitus insonuisse, *ipsum* etiam *Iouem timuisse fulmina quæ in manu eius imponitis*. *Item omnem*, &c. Quis nesciat item *exuberasse* & procreatam è terra *omnem frugem* ante omnes Deos, & ante quemcunque, quem vos fingitis primum tale quid inuenisse, quia post iam factum hominem, quæ illum deberẽt continere & sustinere facta non sunt; aliàs fuisset imperfectus mundus quem suprà perfectum iam statuit. *Denique inuenisse*, &c. Hoc quod sequitur, clarum est.

398. 4. Cæterùm si propterea Liber Deus, quòd vitem demonstrauit, malè cum Lucullo actũ est, qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgauit, quòd non est propterea consecratus, vt nouæ frugis auctor, quia inuentor & ostensor. Quamobrem si ab initio & instructa, & certis exercendorum officiorum rationibus dispensata vniuersitas constitit, vacat ex hac parte caussa allegendæ humanitatis in diuinitatem: quia quas illis stationes & potestates distribuistis, tam fuerunt ab initio, quàm & fuissent etiamsi Deos istos non creassetis.

4. Lucullus vt ostensor cerasorum in Italia, quæ priùs erant in Ponto, meruit dici Deus, non aliter ac Liber, qui Deus dictus est, solùm quod vitem ostenderat, *Quamobrem*, &c. Idcirco *si ab initio* orti mundi *cõstitit* distributa dispensatio rerum omnium, *vacat* est- que in *hac parte* otiosa *caussa* hominis allegendi attollendique in diuinum: quia quamcunque *stationem* huic homini *distribuistis*, *ab initio* orti mundi fuisse credite, non minùs ac si Deos istos, quos finxistis, esse non velletis.

399. 5. Sed conuertimini ad caussam aliam, respondentes collationem diuinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem. Et hinc concedetis, opinor, illum Deum Deificum iustitia præcellere, qui nec temere nec indignè, nec prodigè tantum præmiũ dispensarit. Volo igitur merita recensere, an eiusmodi sint vt illos in cœlum extulerint, & non potiùs in imum tartarum merserint, quem carcerem pœnarũ infernarum, cùm vultis, affirmatis. Illuc enim abstrudi solent impij, quique in parentes, & in sorores incesti, & maritarũ adulteri, & virginum raptores, & puerorum cõtaminatores, & qui sæuiunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicunque similes sunt alicuius Dei vestri. Quem neminem integrum à crimine, aut vitio, probare poteritis, nisi hominem negaueritis. Atquin vt illos homines fuisse non possitis negare, etiã istæ notæ accedunt, quæ nec Deos postea factos credi permittunt. Si enim talibus vos puniendis

præſidetis,ſi commercium, colloquium,conuictum malorũ & turpium probi quique reſpuitis, horum autem pares Deus ille maieſtatis ſuæ conſortio adſciuit, quid ergo dãnatis,quorum collegas adoratis?Sugillatio eſt in cœlo veſtra iuſtitia. Deos facite criminoſiſſimos quoſque,vt placeatis Diis veſtris, illorũ eſt honor conſecratio coæqualiũ.

400. 5. Subeat dixiſſe primam rationem, videlicet ſummum Deorũ allegiſſe *humanitatem in diuinitatẽ*, quia eius opera indigeret: & hanc hactenus cõfutauit: nunc deinde hanc affert,quia talem ſua merita mercedẽ expoſcebant,& hanc modò refutat, commendata priùs huius artificis excellentis ac Deifici iuſtitia,qui *tantum præmium* quale eſt diuinitas,*diſpenſarit*.Hoc præhabito accedit ad refutationem à verbis iſtis,*volo igitur merita*,&c.Quibus vult *merita recenſere*,an ea ſint, vt extollere *illos in cœlum* potuerint, an *potiùs* illos *in imum Tartarũ* demittere, qui dicitur eſſe reorum carcer.*Illuc enim abſtrudi ſolent impij, incesti, adulteri, raptores virginum,puerorũ contaminatores*,qui ſeui in alios ſunt, vt deceptores & fures,demum illi qui *ſunt ſimiles* Diis veſtris.Vnde cognoſcitur Deos veſtros qui fuerunt in ſimili noxa, in inferno potiùs quàm in cœlo locandos. *Quem neminem integrum*,&c. Neminem Deorũ dabitis purum ab ſcelere, niſi dicatis non hominem eſſe, ſed tantùm Deum; ac perinde potuit vt Deus, priuilegio quodam enormia edidiſſe.Sed tamẽ hos non poſſe vos affirmare,patet ex notis iſtis,quas iam dedimus, videlicet illos homines fuiſſe; & his accedit alia nota, qua conſtat non ſolùm *homines fuiſſe*, ſed nec poſtea *credi* potuiſſe *factos Deos*;videlicet quia cùm vos præſidetis, ſimiles his Diis caſtigatis, qui ſi Dij eſſent, duceretis potiùs colẽdos.Inde liquebat illos poſtea Deos factos non poſſe.*Quem neminem integrum*,id eſt,ex quibus neminem integrum.*Si enim talibus*,&c. Concluſio totius capitis.Si vos itaque homines malos, vt *probi*, habetis odio, Deus autem adſciuit in conſortium illos Deos, quibus ſimiles ſunt mali illi homines, quare in homines iraſcimini,quorum ſimiles ſunt Dij veſtri? Profectò vos ſugillatis & inuidiam facitis Diis.& notam infamiæ inuritis.*Deos facite*,&c. Quamobrem monet,vt *criminoſiſſimos quoſque* in cœlo extollant: ſic enim placebunt Diis ex *coæqualium conſecratione*.

401. 6. Sed vt omittam huius indignitatis retractatum,probi,& integri,& honeſti fuerint. Quot tamen potiores viros apud inferos reliquiſtis?aliquẽ de ſapientia Socratem, de iuſtitia Ariſtidem,de militia Themiſtoclem, de ſublimitate Alexãdrum, de felicitate Polycratem, de eloquentia Demoſthenem. Quis ex illis Diis veſtris grauior & ſapientior Catone?Iuſtior & militarior Scipione? Quis ſublimior Pompeio? felicior Scylla? copioſior Craſſo?eloquentior Tullio? Quantò digniùs iſtos Deos ille aſſumendos expectaſſet, præſcius vti que potiorum. Properauit, opinor, & cœlum ſemel cluſit; & nunc vtique melioribus apud inferos muſſitantibus erubeſcit.

6. Omittam tamen improbos fuiſſe,& demus probos,iuſtos,& honeſtos fuiſſe. Quis ferat apud inferos relictos alios proculdubio meliores? qualis eſt Socrates in ſapientia Græcorũ,&c. & qualis Cato inter Latinos,&c.Profectò Magnus ille ac Deificus Deus hos potiùs viros quàm Saturnum & Iouem accepiſſet. An credendum ſummum hunc Deum aut rationem perſonarum habere,aut imprudenter eligere,aut occluſiſſe ſemel cœlum, vt potiores apud inferos, quàm apud ſe cenſerentur? *Muſſitare* eſt,iniuriam conqueri quo poſſunt modo; &, *erubeſcit* eſt quod ſuprà explicat verbo *ſugillare*.

NOTÆ.

1. MANCIPEM QVENDAM DIVINITATIS.] 402. *Manceps*, ille eſt, in cuius poteſtate ſitum eſt diuinitatem aliis impertiri,vnde & conductores *mancipes* dicuntur,quia,vt Feſtus interpretatur,manu ſignificabant ſe auctores emptionis. Cicero in Verrem 1. *Digitum tollit Iunius patruus, iſti color immutatus eſt. Vultus,oratio, mens denique excidit. Quid ageret, cœpit cogitare,ſi res abiret ab eo mancipe*.Tertullianus de Idololatria,cap.1.*Sine dubio idololatriam admittit,quicumque delinquit; id enim facit quod ad idolorum mancipes pertinet*.Plinius lib.10. cap. 43. *Manceps proximæ ſutrinæ*.Lucifer Calaritanus Epiſcop.lib.2. pro Athanaſio: *Planè manceps latronum cognoſceris*. Sic appellat Conſtantium Imperatorem.

2. NISI SI MINISTERIA ET AVXILIA, 403. &c.] Aduerte Tertullianum dilemma conficere. Idcirco magnus Deus adiutorẽ ſibi poſtulauit, vel quia indigeret auxilio &miniſterio alicuius, ſine quo nõ poſſet hæc machina mundi fieri:vel quia hoc petebãt merita alicuius Dei.Non primum,quia indignum,& quia non *video operæ locum*:non ſecundum, quia nullus locus meritò attollendi in cœlũ, cùm ſint multa merita ſupprimendi ad Tartarũ. & hæc vis tota huius capitis.

3. IN HAC CONSTRVCTIONE.] Reponit ex ms.Schoppius, *in ipſa conceptione*,& putat neceſſarium.

3. IMPERFECTVM NON POTVIT,&c.] Diligentiſſimè cauendum eſt,ne Deus hîc intelligatur,ſed A mundus,vt dicat: Imperfectus eſſe nõ potuit mundus, quo facto cenſentur omnia perfecta. Nulla enim illius pars *Saturnum*,Iouem, aut aliquid illius *expectabat* ad conſummationem ſui.Legunt aliqui, *imperfectum non potuit eſſe quod perfecit omnia*.

3. LVMINA FLORVISSE.] *Flos* dicitur luminoſiſſimũ quodque, vt iam probauimus lib.7.Æneidos. 404. Et Tertullianus cap. 2. de Patientia. *Qui florem lucis huius ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit*. Vide & caput 18.de Idololatria. Et lib. 4. aduerſum Marcionem cap. 42. *Cœlum luminibus floruiſſet*. Denique, quodcumque præſtat *flos* dicitur. Sic Archeſtratus apud Athen.ἄνθεσι ἀνδρῶν. Et Cato, *ſalis florem*. Apuleius lib.8.*ſole florido*. Manilius lib. 5. dixit de templis B fulgentibus auro,

Lætiſque micare
Floribus.

Liuius lib.8.*Prima frons in acie florem iuuenum pubeſcentium habebat*. Lucanus,

Tunc flos Heſperiæ, Latij tunc ſola iuuentus.

Catullus,

O qui floſculus es iuuentiorum.

Vide dictum librum de Patientia. Quod autem dicitur *lumina* de Sole & Luna,cùm iam inter ſidera prædicta comprehenſa videantur,poteſt videri alluſiſſe ad caput 1.Geneſeos;vbi etiam ſeparatim mentio fit horum luminum, & ſtellarum deinde. Dicit enim,*luminare maius,& luminare minus, & ſtellas*.

3. TONITRVA MVGISSE.] Petrus Chryſologus ſerm. 21. *Se vndique furens ac perniciosius ingerit turbo, maria mugiunt.*

405. 3. IPSVM IOVEM QVÆ IN MANV EIVS, &c.] Κεραυνοφόλια ἡμεῖς τῷ Ioui tribuebat antiquitas, κεραυνοβόλια νυκτεινὰ Sumano. Vnde in publicis commentariis ſcriptum eſt: *Ioue tonante, fulgurante.* Itaque in manu eius fulmen imponebatur, & dicebatur *Fulgurator, Vltor*, &c. Hoc enim intelligendum de Ioue Capitolino. Minutius: *Iuppiter, cùm Ammon dicitur, habet cornua; & cùm Capitolinus, tunc habet fulmina; & cùm Latiaris, cruore perfunditur.* Iuuenalis, Sat. 13.

Per ſolis radios, Tarpeiáque lumina iurat.

Virgilius in deſcriptione montis Capitolini,

--- Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Iouem, cùm ſæpe nigrantem
Aegida concuteret, dextra nimboſque cieret.

B Et Plinius lib. 2. cap. 7. *Alij in ipſo Capitolio fallunt, & fulminantem peierant Iouem.* Etenim Tonantis Iouis magna paſſim mentio in Poëtis.

3. OMNEM FRVGEM ANTE LIBERVM, ET CEREREM, ET MINERVAM.] Cùm hîc tres Deos nominet, videtur adiicere animum ad frugum creationem, quæ conſtat vino, pane, olea.

406. 3. DENIQVE INVENISSE DICVNTVR, &c.] Athanaſius orat. contra Gentes, diſertim hæc: ἀλλὰ ταῦτας μὲν τὰς τοιαύτας ἐπινοίας, καὶ αὐτοῖς μόνοις ἔδει τοὺς ἀνθρώπους ἀναθεῖναι, ἀλλὰ τῇ κοινῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει, εἰς ὃν ἀτενίζοντες ἄνθρωποι, παρὰ τέχνας ἐφευρίσκουσι. τῷ γὰρ τέχνῳ μὲν οἱ πολλοὶ λέγουσι φύσεως εἶναι μίμημα. εἰ ποίνυν ἐπιτήμονες ὄντες περὶ ἃ ἐπονδάσαν τέχνας γεγόνασιν, ἃ διὰ τοῦτο C θεοὺς αὐτῶν νομίζειν ἀνάγκη, ἀλλὰ μᾶλλον ἀνθρώπους: *Sed has aliáſque non iſtis ſolis vt auctoribus, ſed communi hominum naturæ imputari, acceptáſque ferri oportuit. Siquidem eas artes dum fixis oculis naturam intuentur, deprehenderunt. Nam artem eſſe imitationem naturæ, vel vulgus deprædicat. Si igitur periti expertique euaſere earum diſciplinarum, quibus operam nauarunt, non ideo tamen eos Deos credere neceſſum fuit, ſed homines potiùs.* Iſta ratio Tertulliani ſpectat etiam vt Deus habeatur, qui inſtituit beneficia, propter meram voluntatem, non qui inuenit induſtria: is enim qui inſtituit, appellari Deus poteſt; reliquos, inuentores rerum dici ſatis eſt, non Deos.

4. VT NOVÆ FRVGIS AVCTOR, QVIA INVENTOR EST OSTENSOR.] Admonent aliqui vocem *inuentor* inducendam abolendámque eſſe, vel ſaltem tranſponendam: hoc ſenſu, *vt nouæ frugis auctor & inuentor, quia oſtenſor.*

407. 5. COLLATIONEM DIVINITATIS MERITORVM REMVNERANDORVM FVISSE RATIONEM.] Hoc eſt alterum membrum dilemmatis illius. Euſebius de præparat. Euangelij lib. 1. Θεοὺς ἐνόμιζον μεγίστους τοὺς τῷ βιωτικὴν χρείαν εὑρόντας, ἢ D κατά τι εὖ ποιήσαντας τὸ ἔθνη. Vt hinc appareat, eos factos Deos, aut quòd vitæ neceſſaria indagarint, aut quòd gentibus commonſtrarint.

5. QVEM CARCEREM POENARVM INFERNARVM, CVM VVLTIS, AFFIRMATIS.] Lege lib. 6. Æneid. Rectè enim Tertullianus ait, imum Tartarum eſſe carcerẽ, quia Tartarus pars eſt inferni depreſſior, quem vult eſſe carcerem. Prudentius Hamartigenia:

Præſcius ille pater liuentia Tartara plumbo
Incendit liquido, piceáſque bitumine foſſas
Infernalis aquæ furuo ſuffodit Auerno,
Et Phlegethontæo ſub gurgite ſanxit edaces
Perpetuis ſcelerum pœnis inoleſcere vermes.

5. ILLVC ENIM ABSTRVDI SOLENT IMPII QVIQVE IN PARENTES.] Sic legendus eſt abſque dubio locus, vt patet legenti. In nonnullis codicibus ita malè, *illuc enim abſtrudi ſolent impij quique in parentes.*

5. ISTÆ NOTÆ.] Ne fallare, non ſunt iſtæ notæ 408.
ſequentes, ſed præcedentes, videlicet, *illuc abſtrudi ſolent, impij in parentes*, &c. quæ ſanè notæ non permittunt eos Deos fieri.

5. DEOS FACITE CRIMINOSISSIMOS QVOSQVE, &c.] Sic legendum proculdubio eſt, & ita monet Heraldus. Pamelius ex ſuo mutauit, *Deos facitis criminoſiſſimos.* Cùm ſenſus ſit ironicus, q. d. Bene facitis cùm Deos hoſce facitis malos & peruerſos, criminibus variis plenos: ſic enim alij Dij gaudebunt.

6. QVOT TAMEN POTIORES, &c.] Simil- 409.
lima huic argumenta addunt Athanaſ. orat. contra Gentes ab illis verbis: ἢ εἰ διὰ τοὺς τῶν τεχνῶν εὑρέτας &c. Parco Græcis vt multis Latina hæc ſunt: *Quòd ſi ob inuenta artium operæ pretium eſt, eos Deos nuncupari: reſtat vt item aliarum artium inuentores Dij nuncupentur, ea nimirum ratione, qua illi digni ſunt viſi, qui in Deorum numero haberentur. Litteras autem inuenerunt Phœnices, Poëſim heroicam Homerus, Dialecticam Zeno Eleates, Rhetoricam Corax Syracuſius, apiaria emolumenta Ariſtæus, ſementem Triptolemus, leges Lycurgus Spartanus & Solon Athenienſis; litterarum verò ſtructuras, numeros, menſuras, & momẽta Palamedes excogitauit. Alij item alia vitæ emolumenta prodiderunt, vt teſtes ſunt hiſtoriographi. Si igitur ſcientiæ Deos faciunt, atque inde Dij ſculptiles emerſerunt; neceſſum fuit & eos qui poſt iſtorum ætatem aliarum rerum auctores ſeſe exhibuerunt, pro iſta ratione in Deorum claſſes recenſeri.* Et Prudentius in Agone Romani,

Miror, quòd ipſum non ſacratis Mentorem,
Nec templum & aras ipſe Phidias habet,
Fabri Deorum, vel parentes Numinum:
Qui ſi caminis inſtituiſſent ſegnius,
Non eſſet vllus Iuppiter conflatilis.

6. DE SAPIENTIA SOCRATEM.] Non 410.
modò hominũ exiſtimatione, ſed etiam Pythij Apollinis oraculo Socrates ſapientiſſimus eſt iudicatus. Aduerte concinnitatem optimi ſcriptoris, ſenos facit, ſex Græcos, ſex Latinos. Opponit etiam mirificè, Socratem, & Catonem, vtrumque clarum ſapientia; Ariſtidem, & Scipionem, iuſtitia; Themiſtoclem, & Scipionem, militia; Alexandrum & Pompeium ſublimitate; Polycratem & Scyllam felicitate; cui annectatur Craſſus: nã copia ad felicitatẽ pertinet; demũ Demoſthenem, & Tullium, vtrumque parem eloquentia.

6. DE IVSTITIA ARISTIDEM.] Hic ab Athenienſibus Δίκαιος dictus eſt, quòd eſſet iuſtus, & hoc ſolo nomine in exilium eſt miſſus.

6. DE IVSTITIA THEMISTOCLEM.] Ait 411.
Brugenſis in formulas Prouerbiales deeſſe vocem *militarior*, ſed fallitur: Themiſtoclis autem gloria emicuit bello Medico, pugna Marathonia, ſub auſpiciis Miltiadis. Et mox ipſe aliquot annis pòſt, dux Athenienſium, aduerſus Xerxis nauales copias ad Salaminam memorabili cum laude conflixit.

6. DE SVBLIMITATE ALEXANDRVM.] Ad paræmiam refert Brugenſis, quòd fleret Alexander nihil ab inuicto patre relinqui ſibi, quod ipſe perficeret; qui in Olympiis recuſarit currere, niſi cum Antagoniſtis regibus; qui Aſiaticũ regnum diſpertiri cum Dario, rebus integris, noluerit, qui cùm ab Anaxagora innumerabiles eſſe mundos audiiſſet, illacrymauerit, qui nedum vnius dominus eſſet factus.

6. POLYCRATEM.] Hic eſt ille tyrannus, qui in Samo inſula plurimum valuit felicitate. Res nota.

6. GRAVIOR ET SAPIENTIOR CATONE.] Catonem primum intelligit, cenſoriũ illum, cuius extant luculenta elogia apud Plinium lib. 7. cap. 27. & in libro de Senectute, qui Catonis huius nomine inſcribitur.

412. 6. IVSTIOR ET MILITARIOR SCIPIONE.] Intelligo Maiorem dici Scipionem; cùm enim nihil peculiariter differat, Maior intelligẽdus est. Etenim Maior siue Africanus Scipio vtraque laude excelluit. Simocatta lib. 1. cap. 14. hoc adhibet elogium Scipionis primi: τὸ ἡγεμονικώτατον: *præstantissimi bello ducis*, & extendit longiùs, narrans eius facinora. Mitto Liuium, qui plenus. Et tamen est verum vtramque virtutẽ attribui à Lælio Scipioni Minori, siue Æmiliano.

413. 6. FELICIOR SYLLA.] Etiamsi re belli plurimùm valuisset Sylla, is fuit tamen qui semper felicitate voluit audire. Sidonius lib. 2. epist. 13. *Nam dici nequit, quantum per horas fert in hac vita miseriarum vita felicium istorum, si tamen sic sunt pronunciandi, qui sibi hoc nomen, vt Sylla, præsumunt.* Solinus cap. 7. *Qui attingat ad titulum felicitatis, nec dum repertus est, & qui felix censeri iure debuerit. Namque Cornelius Sylla dictus potiùs est, quàm fuerit felix.* Mitto Plinium, Valerium, Ausonium in Gratiarum actione, Firmicum, Valerium Maximum.

6. COPIOSIOR CRASSO.] Fortean legendum *copiosior Cræso & Crasso.* Nam Hoyus in adagiis vtrumque coniungit: nam Cræsi Lydorum regis opulentia in prouerbium abijt, & M. Crassi apud Romanos, qui diuitis cognomentum habuit. Ego tamen censeo nihil mutandum, nam sic perit concinnitas. Et mihi non dubium quin error aliquis sit in littera, cui tamen non possum mederi, qui Scipionem in duplici virtute posui & annexui Crassum.

6. CLVSIT.] *Claudo*, vel *cludo*: vtrumque in vsu, tametsi illud frequentius, istud, grauius.

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Simulacra colere alienum est ab omni ratione.

TERTVLLIANVS.

414. 1. CEsso iam de istis, vt qui sciam me ex ipsa veritate demonstraturum quid non sint, cùm ostendero quid sint. Quantum igitur de Diis vestris, nomina solummodo video quorumdam veterum mortuorum, & fabulas audio, & sacra de fabulis recognosco. Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo, quàm materias sorores esse vasculorum instrumentorúmque communium, vel ex iisdem vasculis & instrumentis, quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis transfigurante, & quidem contumeliosissimè, & in ipso opere sacrilegè, vt re vera nobis maximè, qui propter Deos ipsos plectimur, solatiũ pœnarũ esse possit, quòd eadem & ipsi patiuntur vt fiant.

EXPLICATIO.

1. *CEsso iam*, &c. Cesso autem cùm sciam ostensurum me, & quidem *ex ipsa veritate*, *quid non sint* Dij vestri, *cùm ostendero quid sint.* Et quidem duo video, Deos, & simulacra. *De Diis, nomina* solùm *video veterum mortuorum*, & de his *fabulas*, & *de fabulis sacra*, nihil præterea aliud. Simulacra autem scio esse *sorores vasculorum, vel ex* ipsis *vasculis*, qui sanè Dij *fatum consecratione* mutant, & *licentia artis* transfigurant vasculum in Deum, tum contumeliosè, tum *sacrilegè*, vt reuera ipsi qui *plectimur*, quòd Deos vestros odio prosequamur, *solatium esse possit, eadem* pati, quæ Dij vestri *patiuntur vt fiant.*

415. 2. Crucibus & stipitibus imponitis Christianos, quòd simulacrum non priùs argilla deformat cruci & stipiti superstructa? in patibulo primùm corpus Dei vestri dedicatur. Vngulis deraditis latera Christianorũ; at in Deos vestros per omnia membra validiùs incumbunt asciæ, & ruscinæ, & scobinæ. Ceruices ponimus; ante plumbum, & glutinum, & gomphos, sine capite sunt Dij vestri. Ad bestias impellimur; certè quas Libero, & Cybelæ, & Cereri applicatis. Ignibus vrimur; hoc & illi à prima quidem massa. In metalla dãnamur; inde censentur Dij vestri. In insulis relegamur; solet & in insulis aliquis Deus vester aut nasci, aut mori. Si per hæc constat diuinitas aliqua, ergo qui puniuntur, consecrarentur, & numina erunt dicenda supplicia. Sed planè non sentiunt has iniurias & contumelias suæ fabricationis Dij vestri, sicut nec obsequia.

416. 2. *Crucibus & stipitibus*, &c. Incipit narrare vt fiãt Dij gentium conformiter ad tormenta, quæ patiuntur Christiani. In primis *crucibus & stipitibus* imponunt *Christianos*; sic, inquit, *argilla deformat* & conformat simulacra Deorum *superstructa cruci & stipiti: primùm* enim video *in patibulo corpus* Deorum dedicari. *Vngulis deraditis*, &c. Deinde vngulæ sæuiunt in Christianos, & illæ deradunt eorum corpora: atqui Deos vestros *asciæ* dolant, *runcinæ* lęuigant, *scobinæ*, à scobe limant. *Ceruices ponimus*, &c. Tertiò nos truncamur, & *ceruices* deponimus, atqui video Deos vestros *sine capite* esse antequam accedat *plumbum* & *glutinũ* quibus caput annectatur, & antequam *gomphi* proueniãt quibus affigatur reliquo corpori: *gomphi* enim claui sunt. *Ad bestias*, &c. Bestiis quartò obiicimur, sed Tigribus quibus Liberum duci vultis, aut leonem quibus Cybelem, aut anguibus quibus Cererem. *Ignibus vrimur*, &c. Quintò ignes quibus vrimur propria est illorum materia, nam *prima* illorum *massa* ignibus fit. *In metalla*, &c. Sextò, si *in metalla* abiicimur, *inde Dij vestri* compacti *censentur*, sunt enim ex metallis. *In insulis*, &c. Mittimur tandem in insulas (sic habent ms.) relegati, quot nati Dij vestri in insulis, aut mortui sũt? *Si per hæc*, &c. Si *diuinitas* hinc est, *qui puniuntur consecrarentur*, & ipsa *supplicia erunt numina. Sed planè non*, &c. Sed has *iniurias Dij non sentiunt, sicut nec obsequia*: neque enim iniuriis irritantur, nec obsequiis mulcentur. 417.

418. 3. O impiæ voces, ô sacrilega conuitia, infrendite, inspumate, iidem estis qui Senecam aliquem plurimis & maioribus de vestra superstitione perorantem non reprehendistis. Igitur si statuas & imagines frigidas mortuorum simillimas, non adoramus,

quas milui & mures & araneæ intelligunt, nonne laudem magis quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris? Possumus enim videri lædere eos, quos certi sumus omnino non esse. Quod si non est, nihil ab vllo patitur, quia non est.

3. Quòd si infrendatis & inspumetis dicentes, *ô impia voces, ô sacrilega conuitia*; vt lubet irascimini & exclamate; cùm *Senecam* de vestra superstitione, pluribus olim *& maioribus* intonantem non reprehenderitis, neque vos curo, aut vestras exclamationes. Nonne sapientiores sunt *milui, & mures, & aranea?* Etenim nos laudem merebamur, cùm intellexerimus, quæ illi cognoscunt: non mortem. Eos enim lædimus, *quos scimus* certissimè, *omnino non esse. Quod* autem *non est*, nihil pati potest ab aliquo. Ratio clara, *quia non est.* Schoppius qui habet, & putat verissimum, *nihil ab eo patitur, qui est*, quid dixerit videat.

NOTÆ.

419. 1. CESSO IAM DE ISTIS.] In nonnullis, *cesso iam de isto.*

1. QVID NON, CVM OSTENDERO QVID SINT.] Relegunt aliqui, & scriò: *Quod non sint, cùm ostendero quid sint.* Videtur pondus esse in verbis.

1. MATERIAS SORORES ESSE VASCVLORVM.] Præclarè dictum: cui par illud Georgij Palamæ: ἀδελφὰ φασὶ, τὴ ὁμόχροα, τὴ τῆς αὐτῆς κδαμύλας: *Germana sunt, quod aiunt, & concoloria, eiusdémque figlina.* Necnon illud Philonis de vita contemplatiua, afferente Heraldo: ὧν τὰ ἀδελφὰ μέρη τὴ συγγενῆ λουτροφόρει χερόνητι τὴ ποδονιπτῆρα. Prudentius in martyrio Romani,

Non erubescis stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia,
Quæ Diis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, peluis, cantharus, sartagines,
Fracta, & liquata contulerunt vascula.

Et Minutius: *Deus æreus vel argenteus de immundo vasculo, vt sæpius factum Aegyptio regi, conflatur, tunditur malleis, in incudibus figuratur: & lapideus cæditur, scalpitur, & ab impurato homine læuigatur.* Ridiculè Poëta dixit,

--- hodie tu Iuppiter esto,
Cras mihi truncus eris ficulnus, inutile lignum.

420. 1. FATVM CONSECRATIONE MVTANTES.] Minutius: *Imagines consecratas vulgus dicit publicè colere, dum opinio & mens imperitorum artis concinnata decipitur auri fulgore, perstringitur argenti nitore, & candor eboris hebetatur.*

2. CRVCIBVS ET STIPITIBVS IMPONITIS CHRISTIANOS.] Stipam hîc intelligit, *quæ amphoræ* (ait Festus) *cùm extruuntur, firmari solent.* Est nimirum *stipa*, crux seu patibulum, cui argillam imponunt plastæ, vt simulacra quæ velint deforment. Græci vocant κάνναβον, vt testis Iosephus Scaliger. Tertullianus infrà: *Diximus originem Deorum vestrorum à plastis in cruce induci.* Quam sanè *stipam*, Tertullianus hîc vocat stipitem. Accipe etiam sudes, aut vallos, palósve oblongos. Seneca enim ad Marciam cap. 20. loquens de his qui per sedem adacta sude intereunt, ita ait: *alij per obscœna stipitem egerunt.*

421. 2. SVPERSTRVCTA.] In Lipsio in Notis ad lib. de Cruce ad cap. 10. est, *superposita.* nihil censeo tamen mutandum. Porrò *argilla* maximum fuit Deorum falsorum instrumentum. Arnobius lib. 6. *Nemo est in rebus humanis tam stolidè cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam, deorum in numerum referat, ipsaque per se dicat vim habere atque obtinere diuinam.*

2. DEDICATVR.] Cur Iunius legat *deligatur*, assequi non possum. Nam tametsi Lucilius vtatur eo verbo, sed cur mutat in Tertulliano?

422. 2. VNGVLIS DERADITIS, &c.] Paulinus lib. 5. vitæ sancti Martini loquens de feritate Auiciani tyranni,

Cui feritas innexa minis, & sola voluptas
Vngula, carnifices, tortores, flagra, catenæ.

A Cyprianus, de Lapsis: *sed cùm durissimi iudicis recrudescēte sæuitia iam fatigatum, iam lassum corpus, nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret.* Prudentius in Romano Martyre,

Scindunt vtrinque milites teterrimi
Mucrone hiuleo pensilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta transuersis secant.

Idem in Agone Hippolyti:

Vngula fixa cauis costarum cratibus altos
Pandere secessus, & lacerare iecur.

Et hymno Emetherij & Chelidonij, *bisulcas vngulas.* Cyprianus de laude Martyrij: *Nunc præduratibus licèt guttis resultans vngula recurrat in vulnus.* Iustinus Martyr Apolog. 2. pro Christianis: τὸ δὲ δεῖ εἰδέναι ὑμᾶς λέγειν, ἃ τῶν ἄλλων οἱ τεχνῖται διαπλέκοντες, ξέοντες, τὴ τέμνοντες, τὴ χωνεύοντες, τὴ τύπτοντες, τὴ ἐξ ἀτίμων πολλάκις σκευῶν, διὰ τέχνης τὸ σῶμα μόνον ἐργάζεσθαι καὶ μορφοποιήσαντες, Θεοὺς ἐπονομάζουσιν; *Quid enim est opus, apud vos qui scitis, commemorare quomodo artificis materiam tractent, polientes eam, & incidentes, & conflantes, & pulsantes; & ex inhonestis sæpenumero vasis figuram tantùm mutantes & conformantes, atque exinde Deos cognominantes?*

2. AT IN DEOS VESTROS PER OMNIA MEMBRA VALIDIVS INCVMBVNT ASCIÆ, &c. Athanasius orat. contra Gentes: πολλάκις δὲ καὶ αὐτὸς ὁ ἀμαλλατοτὸς, ὥσπερ ὁπλαδύλμος, ὧν εἰργάσατο, τοῖς ἰδίοις ἔργοις περιέχεται. καὶ ἃ πρὸ ὀλίγου κατέξεε καὶ κατέκοπτε, ταῦτα μετὰ τῶν τέκνων θεοὺς προσαγορεύει: *Non infrequens quoque est, vt ipse statuarius quasi oblitus quid ipse elaborauerit, suis operibus preces affundat, & quæ paullo antè obradebat & concidebat, ea post artem inditā, Deos appellet.* Et Prudentius in Agone Vincentij,

Excisa fabrili manu,
Cauis recocta & follibus,
Quæ voce, quæ gressu carent,
Immota, cæca, elinguia.

423.

2. ASCIÆ ET RVNCINÆ, ET SCOBINÆ.] De *ascia* Prudent. in Hymno Romani Mart.

424.

Deasciato supplicare stipiti: Plaut in Mil. Glor. *Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset deasciari.* De *runcina* Minut. Octauio: *Deus ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur.* Turnebus explicat *runcinam* ῥυγχάνλω, ferræ est genus. De *scobinis* & omnibus simul Arnobius lib. 6. *Rasa, descobinata de limis, serris, furfuribus, aculeis, asciis, secta, dolata, effossa, terebrarum excauata vertigine, runcinarum leuigata de planis.* Nec te prætereat alter locus Minutij: *Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur. Nondum Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur. Tum postremò Deus est, cùm homo ille voluit, & dedicauit.* Hieronymus in Isaiam cap. 44. *Quis possit hoc credere, quòd ascia, lima, & teretio, malleóque formetur Deus: & vel in prunis simulacra fundantur, vel norma, runcina, & angularibus, circinóque in Deos repentè consurgant?* Prudentius in Agone Vincentii.

O veſtra inanis vanitas,
Scitúmque brutum Cæſaris,
Condigna veſtris ſenſibus
Coli iubentes numina
Exciſa fabrili manu,
Cauis recocta & follibus.

425. 2. CERVICES PONIMVS, &c.] Malè Pamelius ſcripſit: *ceruices ponimus ante plumbum & glutinum & gomphos: ſine capite ſunt Dij veſtri.* Malè item Ioſephus Scaliger in Sphæram Manilij: *ceruices ponimus ante plumbum; glutinum & gomphoſis capita ſunt Dij veſtri.* Cùm proculdubio ſic legi debeat: *ceruices ponimus: ante plumbum & glutinum & gomphos ſine capite ſunt Dij veſtri.* Senſus autem eſt, quem iam aperui. Vt ego legi, legit Iunius & Heraldus. Cùm ait *ceruices ponimus*, Græca phraſi κεφαλὰς ἀποπίθεσθαι loquitur. Vſurpat Chryſoſtomus ſermone ſancti Iuliani: ὁ Χριστὸς, ὅταν μὴ τὰς κεφαλὰς ἀπέθετο, τί ὁ ποιήσει; *Quid non* B *faciet Chriſtus, pro quo ceruices poſuerunt?*

426. 2. ANTE PLVMBVM, ET GLVTINVM, ET GOMPHOS, &c.] Arnobius lib. penultimo: *ô vtinam liceret in ſimulacri alicuius medias introire pendigines.* Et mox. *Iam dudum iſtos videritis Deos laminarum flatilium eſſe crates, particularum coagmenta deformium, à ruinarum caſibus, & diſſolutionis metu, ſubſcudibus, & catenis, vncis, atque anſulis retentari.* Cicero in fragmentis librorum de Rep. apud Macrobium: *virtus nõ ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphos areſcentibus laureis deſiderat.* Proſper lib. 2. de Promiſſis cap. 24. loquens de idolo Dagon: *vncis fortioribus validioribúſque defigunt.* Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

--- mollis ſi bractea gypſum
Texerit, infido rareſcit glutine ſenſim.

Baſilius homil. 24. de legendis libris gentilium: καὶ Ἔτι Μίλων ἀπὸ τῆς ἀληλειμμένης ἀσπίδος οὐκ ἐξωθεῖτο, ἀλλ' αὐτεῖχεν ὠθούμενος καὶ πίπτων, ἢ οἱ ἀνδριαντες οἱ τῷ μολύβδῳ συνδεδεμένοι: *Et Milo à ſcuto peruncto nulla vi, nulloque impulſu mouebatur, ſed quemadmodum ſtatua quædam plumbo conglutinata reſiſtebat.* Lucianus eleganter in Gallo: τοῖς μεγάλοις ἐκείνοις κολοσσοῖς, οἷοις ἢ Φειδίας, ἢ Μύρων, ἢ Πραξιτέλης ἐποίησεν. ἐκείνων γὰρ ἕκαστος τὰ ἐκτὸς, ὁ μὲν Ποσειδῶν, ἢ Ζεὺς ὅτι παγκαλος, χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος ξυνειργασμένος, κράνιον, ἢ ἀσπιδα, ἢ τέλαυναν ἔχων τῇ δεξιᾷ. ὧν δὲ ὑποκύψας ἴδοις τὰ ἔνδοθεν ὄψει μοχλοὺς πυκὰς, καὶ γόμφους, καὶ ἥλους διαπαλ ξ πεφορυμμένους, καὶ κόσμους, καὶ σφῆνας, καὶ πίσσαν ὑπόπλεων, καὶ τοιαῦτα πολλὰ ἀμορφίαν ὑποικουροῦσαν. ἐῶ λέγειν μυῶν πλῆθος, ἢ μυγαλῶν ἐμπολιτεύομενον αὐτοῖς ἐνίοτε. τοιοῦτόν τι καὶ βασιλεία θεῖν. *Vt grandibus illis coloſſis, quales aut Phidias, aut Myro, aut Praxiteles fecere. Nam horum quique extrorſum, aut Neptunus, aut Iuppiter eſt eximia pulchritudine, auro eboreve compaginatus, fulmen dextra tenens, aut fulgetrã, aut fuſcinam: introrſum autem capite miſſo inſpice, mox in* C *oculis tibi vectes, & gomphi, & claui quibus hinc inde confixi. Tum caudices, cunei, pix ſublutea, aliáque id genus, plurima fœditas, intus quaſi domi ſeruans. Mitto memorare muſculorum & muſarancorum popellos, quorum ſubinde ibi Reſpublica. Eiuſdem ſortis eſt fortuna regia.* Æſtimaui verſionem Marcilij.

427. 2. GOMPHOS.] Claui ſunt. Statius 4. Syluarum.

Tunc vmbonibus hinc & hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis.

In Agone Tyrſi: *Mundum iſta ſimulacra regere non poſſunt, quia magis ipſa reguntur gomphis ferreis, & plumbo, & ſaxo.*

2. CERERI.] In nonnullis eſt *Cœleſti.* Et quidem de Cœleſti Dea, dicam capite 24.

428. 2. IN METALLA DAMNAMVR.] Hoc quidem queritur Hilarius contra Conſtantium Aug. qui ipſos adhuc Epiſcopos huic operi damnauit. Verba eius: *Iuſſos à te Epiſcopos, quos condemnare nullus* A *audebat, etiam nunc in Eccleſiaſticis frontibus ſcriptos metallicæ damnationis titulo recenſere.* Et Lucifer Calaritanus Epiſcopus lib. 1. pro Athanaſio ad eumdem Conſtantium: *Quomodo dimiſiſti contractos in requiem, quando videas carceres, metalla, exilia vix iam capere poſſe Chriſtianorum numerum pro te damnatorum?* Et Vincent. Lirinenſ. cap. 6. Commonitorij: *Oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla.* Sed & damnatorum ad metalla mentio fit lib. 6. de Vitis Sanctorum Patrum cap. 12. Et ſanctus Antonius volebat *ſociari confeſſoribus, in metallis, vel in carceribus conſtitutis*, ait de illo Athanaſius. Et Caſſianus Collat. 18. cap. 7. *Temporibus ſiquidem Lucij, qui Arianæ perfidiæ Epiſcopus fuit, ſub Valentis imperio, cùm diaconiam noſtris patribus deferremus, his videlicet qui de Aegypto ac Thebaide fuerant, ob Catholicæ fidei perſeuerantiam metallis* B *Ponti atque Armeniæ relegati*: id eſt, effodiendis atque eruendis metallis. Ideo verò Chriſtiani damnati ad metalla, quia ſeruile opus. Plinius lib. 18. cap. 3. *Tales tum etiam viatores, quod ipſum nomen inditum eſt ſubinde, & ex agris ſenatum ducéſque accerſentibus. At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus exerunt.* Suetonius Caligula cap. 27. *Multos honeſti ordinis deformatos priùs ſtigmatum notis ad metalla, & ad munitiones viarum, & ad beſtias condemnauit.*

2. CENSENTVR DII VESTRI.] Sic ſuprà cap. 7. *Cenſus ipſius diſciplinæ à Tiberio eſt.* Et ſæpe. Origo Populi Rom. (monente Pamelio) qui, vt ait Cicero 3. leg. cenſores populi æuitates, ſoboles, familias, pecunias cenſebo. 429.

2. ALIQVIS DEVS VESTER, NASCI, AVT MORI.] Nonnulli legunt, *aliqui Deus*, &c. Et quidem ſæpe ſolet Tertullianus vti his modis. C

2. NVMINA DICENDA ERVNT SVPPLICIA.] Quia Deos efficiunt. ſic ad artificem idolorum, teſte Heraldo lib. de Idololatria cap. 7. *Plus es illis quàm ſacerdos, cùm per te habeant ſacerdotem. Diligentia tua numen illorum eſt.*

3. INFRENDITE, INSPVMATE.] Prudentius de Sancto Vincentio: 430.

His perſecutor ſaucius
Pallet, erubeſcit, æſtuat,
Inſana torquens lumina,
Spumáſque frendens egerit.

Clarum ſumi ab apro ſpumante & infrendente. Conſtantinus Manaſſes in Annalib.

Καθάπερ καπροὺς ἀφειτὰς ἀπήλασαν ἐκεῖθεν: *Spumantium aprorum in morem inde propulerunt.*

3. SENECAM.] Extat huius de ſuperſtitione fragmentum, quod affert Lipſius lib. 2. Elect. cap. 18. & ſumſit ex Auguſt. lib. 6. de Ciuit. cap. 10. D

3. ALIQVEM.] Sic lego, nam ſup. cap. 11. dixit, *aliquem de ſapientia Socratem.* Id eſt, egregium, præclarum. Et inf. cap. ait. *Aliqua Carthaginis conditrix.* Et lib. de Reſurrect. carnis cap. 3. *Vtar ego & ſententia Platonis alicuius pronuncian-* 431. *tis, omnis anima immortalis.* In laude hoc dicit, non pertingens, vt malè explicat Heraldus in Arnobium lib. 4. ad verba illa: *Hylam neſcio quis diligit.* Pamelius enim & Rhenanus in laude ponunt. His ſic aſſentio, vt tamen animus alrò ferat, nempe ad Lipſium, vbi ſuprà, qui legendum cenſeat, *aliquampluribus* vnica dictione. Sic Cicero in Verrinis legit *aliquammultos.* Vel (vt ego ſuſpicor) *aliquando.* Facilè enim fuit ſcriptori ſcribere, *aliqñ*, vnde Typographus legit *aliquem*, cùm legendum eſſet *aliquando.*

3. PLVRIBVS ET MAIORIBVS.] Legit Heraldus, *pluribus & amarioribus.*

432. 3. NON REPREHENDISTIS.] Sic præclarè A restituit hunc locum Vvouerenius. Vulgò legitur, *qui Senecam aliquem pluribus & maioribus de veſtra ſuperſtitione perorantem reprehendiſtis*, dempta negatione, quam apponi debere indicat ſenſus. Nam finge demi negationem, dicerent illi, reprehendimus quia pluribus & maioribus vſus eſt, quod non vos facitis. Appoſita autem egregius eſt ſenſus. Non vos curo, cùm olim Senecam non reprehenderitis, maioribus quidem & acrioribus perorantem contra vos.

433. 3. QVAS MILVI, ET MVRES, ET ARANEÆ INTELLIGVNT.] Lucianus in Gallo, καὶ τοιαύτῳ πνὶ πολλῷ, &c. Clemens Alexandrinus in Protreptico poſt huiuſmodi reptilium cateruam ait, παρ' ὧν οὐδ' ἀυτῶν τῶν ἀγαλμάτων ἐμμανθάνετε: *Neque ab illis vnquam didiciſtis ſimulacrorum ſtultitiam.* Arnobius lib. 6. *Ita, inquam, non videtis ſub iſtorum ſimulacrorum cauſſis ſtelliones, ſorices, mures, blattáſque lucifugas nidamenta ponere, atque habitare? ſpurcitias huc omnes, atque alia vſibus accommodata cõducere, ſemiroſi duritias panis, oſſa in ſpem tracta, pannos, lanuginem, chartulas nidulorum in mollitie ſollicitè miſerorum fomenta pullorum: non in ore aliquando ſimulacri ab araneis ordiri retia atque inſidioſos caſſes, quibus volatus innectere ſtridularum poſſint impudentiúmque muſcarum? Non hirundines denique intra ipſos adium circumuolantes tholos, iaculari ſtercoris plenas, & modò ipſos vultu, modò numinum ora depingere, barbam, oculos, naſos, aliáſque omnes partes, in quaſcunque ſe detulerint, deonerari proluuies podicis? Erubeſcite ergo* 434. *vel ſerò*, &c. Lactantius lib. 2. cap. 4. *Fures tam ſtulti ſunt vt Priapi tentiginem timeant, cùm aues ipſæ ſimulacris fabrefactis inſidant, nidificent, inquinent.* Auguſtinus Pſal. 113. *Quanto ergo magis vel meliùs mures atque ſerpentes, & id genus animantium colerent, quæ de ſimulacris gentium, ſi ita dicendum eſt, ſimulacris iudicant, in quibus quia non ſentiunt humanam vitam, non curant hominum figuram: itaque in eis plerumque nidificant, & niſi humanis motibus deterreantur, nulla ſibi habitacula munitiora conquirunt.* Dio lib. 41. ait de Põpeio, qui vt Dyrrachium obſedit, καὶ τὰ σημεῖα τὰ στρατιωτικὰ ἀράχνια κατέχον: *Araneæ ſigna militaria obſederunt.* Ælianus lib. 12. Variar. cap. 57. ἀράχνη ἐπὶ τοῦ προσώπου ἀγάλματος: *Aranea in facie ſimulacri.* Minutius: *Quanto veriùs de Dijs veſtris animalia muta naturaliter iudicant, mures, hirundines, araneæ.* Horus Apollo Hieroglyphicis, ait, qui murem pingunt, ſignificare interitum, nam hic πάντα ἐδίων, μιαίνει καὶ ἀχρηστοῖ: *Omnia corrodens inquinat, & inutilia facit.* Ariſteas: *Sunt enim peruerſorum morum muſtellæ, & mures, atque his ſimilia animantia, quorum tactum Deus prohibuit.* Hieronymus ad Lætam: *Auratum ſqualet Capitolium, fuligine & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta ſunt*, &c. Et adſtrepam illud Catulli, 435.

B

---*plenus ſacculus eſt aranearum.*

Plena nimirum idola quæ verè ſacculi. Et illud Africani apud Feſtum, *Arcula tua plena eſt aranearum.* Verè ergo Romanus Imperator, qui ſeruorum opera, decem millium pondo aranearum collegerat, teſtimonium perhibuit poſteris, quantum Romana idola ſqualoris haberent, cùm araneæ in hæc ſoleant commeare. Libri manu ſcripti habent *intellegunt*, quod ſapit vetuſtatem.

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

De ludibrio in Deos, tum domeſticos, tum publicos.

TERTVLLIANVS.

436. 1. SED nobis Dei ſunt, inquitis, Et quomodo vos è contrario impij & ſacrilegi & irreligioſi erga Deos veſtros deprehendimini? qui quos præſumitis eſſe, negligitis: quos timetis, deſtruitis: quos etiam vindicatis, illuditis. Recognoſcite ſi mentiar. Primò, quia cùm alij alios colitis, vtique quos non colitis, offenditis: prælatio alterius ſine contumelia alterius non poteſt procedere, quia nec electio ſine reprobatione. Iam ergo contemnitis quos reprobatis, quos reprobando offendere non timetis. Nam vt ſuprà præſtruximus, ſtatus Dei cuiuſque in Senatus æſtimatione pendebat. Deus non erat, quem homo conſultus noluiſſet, & nolendo damnaſſet.

EXPLICATIO.

1. IN hoc capite Tertullianus coniicit in aduerſarios crimen. Dicebant illi, *Nobis ſunt Dij.* Ille è contrario *impios, ſacrilegos, irreligioſos* nominat colentes illos Deos, quia negligerent, quos Deos eſſe præſumerent, &c. Placitum hîc in hæc capita percurrere. *Impij* eſtis, quia *quos præſumitis* Deos, *negligitis*, quod probat hoc primo tractu, ab illis verbis, *Primò quia*, &c. Deinde probat *ſacrilegos*, quia *quos timetis, deſtruitis*, quod probat ſecundo tractu, ab illis, *Domeſticos Deos*, &c. Tertiò demum eſſe *irreligioſos*, quia *quos vindicatis* & veſtros eſſe dicitis & fatemini, eiſdem *illuditis*, quod efficit in tertio tractu, *Sed enim*, &c. Incipit autem ab electione, qua alij alios colerent, quod ſine offenſione eſſe non poteſt & contumelia. Nam cùm Senatus diceret, aliquos Deos colendos, aliquos non colendos, neceſſarium Dij non colendi contumeliosè tractabantur. Omnia ſunt clara: itaque ſatisfacit primæ illi parti, *quos præſumitis eſſe, negligitis*; quæ hîc in impios detorquetur.

437. 2. Domeſticos Deos, quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis pignerando, venditando, demutando, aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerua, vt quiſque contritus atque contuſus eſt, dum diu colitur, vt quiſque dominus ſanctiorem expertus eſt domeſtica neceſſitate. Publicos æquè publico iure fœdatis, quos in haſtario vectigales habetis: ſi Capitolium, ſi olitorium forum petitur, ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione quæſtoris diuinitas addicta conducitur.

438. 2. *Domesticos Deos*,&c. Incipit recensere vsus malos & nequam, in quos conuertant Deos ipsos, inchoans à Diis domesticis, quos appellabant *Lares*, vt sic satisfaciat secundæ parti, *quos timetis, destruitis*, & sic ostendit *sacrilegos*: hos enim malè tractando, *pignerando*, (*empen'andolos*) & *venditando*, atque etiam *demutando* statuam Saturni *in cacabulum*, & statuam Mineruæ *in trullam* (vasa sunt nullius pretij) *vt quisque* Deus vsu quotidiano *contritus & contusus* erat; *vt quisque dominus* eorum experiebatur necessitatem domus suæ esse sanctiorem illis strictiorémque & vrgentiorem, & magis ex vsu rei domesticæ. *Publicos æquè*, &c. Quid dicam de Diis Publicis, quos æqua contumelia fœdatis habentes *vectigales in hastario* (locus est vbi proscriptorum bona venduntur) cùm deberent honestè seruari in templis. Itaque modò eatur *in Capitolium*, modò *in forum olitorium*, videre est Deos miseros, *diuinitatémque* eorum *addictam sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione* registrationéque *quæstoris*. Hæc deorum, quos timebant, immutatio, venditio, destructio, tota est sacrilega.

439. 3. Sed enim agri tributo onusti, viliores: hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis: Dij verò qui magis tributarij, magis sancti; imò qui magis sancti, magis tributarij: maiestas quæstuaria efficitur. Circuit cauponas religio mendicans, exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri: non licet Deos esse gratis: venales sunt. Quid omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? ædes proinde, aras proinde. Idem habitus & insignia in statuis. Vt ætas, vt ars, vt negotium mortui fuit, ita Deus est. Quo differt ab epulo Iouis silicernium? à simpulo obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet.

3. *Sed enim agri, &c.* Agri enim tributarij, *viliores* sunt: *Capita hominum censa stipendio, ignobiliora*, id est, homines quibus stipendium imponitur soluendum principi, ignobiliores sunt; nam illæ sunt infamiæ & *notæ captiuitatis*: Vos autem è contrario dicitis, & appellatis *Deos magis tributarios, magis sanctos; imò quò magis sancti*, maius vobis tributum conferunt: ac perinde *maiestas* vobis *quæstuaria efficitur. Circuit religio mendicans cauponas* omnes vrbis, & Sacerdotes Deorum mendicãtes circumeunt tabernas exigentes *mercedem pro solo templi, pro aditu sacri*: ac proinde *non licet esse Deos* gratos vobis ac beneuolos: sunt enim quæstuarij & *venales. Quid omnino ad*, &c. Recenset nunc parem tractationem Deorum & mortuorum, quo scilicet modo Dij mortui quoque intelligantur; & etiam vt ostendat illud, *quos etiam vindicatis, illuditis*. aitque *ædes proinde, aras proinde*, id est, *Aedes* Diis æquè confertis, *aras* æquè mortuis. Vlterius. *Idem est habitus, & insignia in statuis*, quod probo ab ætate, ab arte, ab negotio mortui; nam *vt ætas* est in mortuo, *vt ars, vt negotium, ita Deus est*. Nam nihil differt silicernium quod exhibetur senibus mortuis, *ab epulo* quod Ioui iam grandi; en de ætate. nihil differt *simpulum ab obba*, nisi solùm nomine, & simpulo fit Diis, obba mortuis, en ars. nihil differt *ab aruspice pollinctor*, cùm etiam aruspex apparitor sit mortuorum; & aruspice negotium Deorum fiat, pollinctore mortuorum, en negotium. Ac perinde sic Deos illudebant, quos ipsi vendicabant, vt etiam sequentibus ostendit. & sic *irreligiosos* manifestat: nam hæc omnia plena sunt irreligiositatis, cùm Diis illudebant, quos proprios asseruerant & vindicauerant. Quis autem neget, illudium esse Deorum, illos tributarios facere: & ea assumere ad eos colendos, quæ mortuis quoque præstarent? Ea omnia, quæ sequuntur, pertinent ad idem illudium, ac proinde ad irreligiositatem eorum, qui illudebant. 440.

441. 4. Sed dignè imperatoribus defunctis honorem diuinitatis dicatis, quibus & viuentibus eum addicitis: accepto ferent Dij vestri, imò gratulabuntur, quòd pares eis fiant domini sui. Sed cùm Larentinam publicum scortum, (vellem saltem Laïdem aut Phrynem) inter Iunones & Cereres ac Dianas adoratis, cùm Simonem Magum statua & inscriptione sancti Dei inauguratis, cùm de pædagogiis aulicis nescio quem cinædum Deum facitis, licèt non nobiliores Dij veteres, tamen contumeliam à vobis deputabunt hoc, & aliis licuisse, quod solis antiquitas contulit.

4. *Sed dignè*, &c. Cùm autem honorem, qui *viuentibus* Diis addicitur, datis & *imperatoribus* mortuis, proculdubio *Dij accepto ferent, imò* impensè vobis *gratulabuntur*, quòd videant se coæquari maioribus suis, qui sunt imperatores. *Sed cùm Larentinam*, &c. Cùm autem videant *Larentinam publicum* & infame *scortum* adorari *inter Iunones, Cereres, ac Dianas*; nonne stomachabuntur in vos? saltem eligeretis vnum aliud scortillum, *vt Laïdem aut Phrynem*, non ita infame. Quid est obsecro inaugurari, & *sanctum Deum* appellari *Simonem Magum*? quid Antinoum, aulicum pædagogium, & *cinædum* turpem, *Deum* fieri? huic quidem similes Dij, sed esto similes, *deputabunt* absque dubio hoc in grauem *contumeliam*, vobis nouis hominibus & neotericis licere tribuere aliis, *quod solis* ipsis *antiquitas contulit*.

442. 5. Volo & ritus vestros recensere. Non dico quales sitis in sacrificando, cùm enecta & tabidosa & scabiosa quæque mactatis, cùm de opimis & integris superuacua quæque truncatis capitula & vngulas, quæ domi quoque pueris & canibus destinassetis. Cùm de decima Herculis nec tertiam partem in aram eius imponitis. Laudabo magis sapientiam, quòd de perdito aliquid eripitis.

5. Superuacaneum eſt *recenſere*, efficiam tamen, *ritus veſtros in ſacrificãdo*. Non vos pudet *enecta* quæque, *tabidoſa, & ſcabioſa* mactare, cùm debeatis integra, ſana, & firma ad ſacrificium adducere? ſi qua verò ſunt integra & opima, tunc *capitula & vngulas* ad ſacrificium aſſumitis, *quæ domi* veſtræ *pueris & canibus deſtinaſſetis*. Iam verò decimam Herculi cùm debeatis, nec tertiam eiuſdem decimæ datis. tametſi hoc laudem, *cùm de perdito eripiatis aliquid*.

NOTÆ.

443. 1. INQVITIS.] Puteanus, *inquis*, quæ enallage vſitata huic auctori. Poſtea, *mentiar*, aliis eſt *mentior*.

1. PRIMOS, QVIA CVM ALII ALIOS COLITIS, &c.] Auguſtinus lib. 7. de Ciuit. cap. 1. *Qua in re non dico, quod facetiùs ait Tertullianus fortaſſe quàm veriùs, ſi Dij ſeliguntur vt bulbi, vtique cateri reprobi iudicantur*. Vide reliquum librum.

1. PRÆSTRVXIMVS.] Aliqui *perſtrinximus*, quia cùm hæc referantur ad caput quintum, breuiter ibi, *ne qui Deus ab imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus*, &c.

1. STATVS DEI CVIVSQVE, &c.] Vtitur hoc argumento contra gentes, nam turpe eſt diuina pendere ab humanis. Ita etiam Athanaſius in Apologia aduerſus gentes, vbi loquens de gentilibus, οὓς θέλουσιν αὐτοὶ, τέτους θεοὺς δοξαζέσθων εἶναι: *Quos ipſi Deos eſſe volunt, hos lege aliqua Deos faciunt*.

444. 2. DOMESTICOS DEOS, QVOS LARES DICITIS.] Quos *Lares* Tertullianus *domeſticos* dicit, Cato *familiares* nominat lib. de Re ruſtica; cùm ait: *Calendis, Idibus, Nonis feſtus dies cùm erit, coronam in focum indat, per eoſdémque dies Lari familiari pro copia ſupplicet*. Plinius *priuatos* opponens *publicis* lib. 21. cap. 3. *Honorem Deorum, & Larium publicorum, priuatorum, ac ſepulcrorum*. Ammianus, *fragiles*. Iuuenalis, *paternos* vocat, vt etiam Sophocl. in Oreſte, πατρῷων ἑστίαν. Idem Iuuenalis, Sat. 9. *Paruos*,

---ô parui noſtrique Lares.

Sic Horatius Ode 23. & Martialis lib. 9. Plautus Ciſtell. *Patellarios*, quia in patellis epulæ illis apponebantur. & etiam *Minutos*, ait enim:

Dij me omnes Magni, minutique & patellarij
Faxint.

Varro, *Oportet bonum ciuem legibus parere, & Deos colere, in patellam dare* μικρὸν κρέας.

445. 2. IN CACABVLVM DE SATVRNO.] Statuam Saturni vertitis in cacabulum. Explicui vas ſpurcitiarum, quia Saturnus fiebat ex rudi caudice, &, vt vſus ferebat, ad ventris onus exhauriendum imponebatur. Varro lib. 1. de Re ruſtica, *ſellam familiaricam* nominat, vt vult Iunius: Græcis ἀφεδρών. Hæc placent potiùs, quàm Pameliana, vt genus ollæ velit ſignificare, & ſit diminutiuum à Gacabo, licèt volenti non pugnem. Rectè autem Saturnum inter Lares nominat, quia, vt auctor eſt Auſonius, priuata religione domi cultos, *Lares* appellabant. *Deos cubiculares* vocat Suetonius in Auguſto. Inde Apuleius lib. 9. (quod adnotat Heraldus) Cererem domi conſtituit: inquit enim: *Iuro per iſtam ego ſanctam Cererem, me nunc etiam meis oculis de tali muliere minùs credere*. Signatè enim *per iſtam* commonſtrans digito, quam domi colebat. Et hoc fiebat eodem iure quo Penatibus: de quibus Iſidorus lib. 8. Orig. *Penates, gentiles dicebant, omnes Deos quos domi colebant*. Itaque hoc ſenſu Saturnus & inter Lares, & inter Penates erat.

446. 2. IN TRVLLAM DE MINERVA.] Facitis ſtatuam Mineruæ, trullam. Vas villarum. Cato de Re ruſt. cap. 10. *Villicum habere oportet vrnam quinquagenariam vnam, trullas tres*. Idem cap. 13. in torcularium vſui opus ſunt, *trullæ æneæ tres, amphoræ olearia duæ*. Siue immunditiarum, vt aliquis putauit ex iſto

A Martialis lib. 9.

Clinicus Herodes trullam ſubduxerat ægro.

Et Prudentij in Agone Romani:

Quos trulla, peluis, cantharus, ſartagines,
Fracta & liquata contulerunt vaſcula.

Non ego tamen: nam ſolùm notat furacem hominem; ſequitur enim:

Deprenſus dixit, ſtulte, quid ergo bibes?

Itaque *trulla* ſolùm fuit vas potorium. Pergo. Ab *trua* ducitur *trulla*, inde verbum *truare*. Vox eſt polyſema, inde multa ſignificat. Vide inſaniam. Aſſerit Plinius lib. 37. cap. 2. *Titus Petronius Conſularis moriturus, inuidia Neronis Principis, vt menſam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis emptam ſeſtertijs fregit*. Inſania eſt enim tanti conſtitiſſe trullam, & adhuc maior inuidia, fractam. Ibidem Plinius: *Alius hic furor H. S. centum quinquaginta millibus trullam* B (cryſtallinam) *vnam non ante multos annos mercatam à matre familias, nec diuite*. Id eſt, Carolinis ſeptem millibus quingentis. Proh ſtupor! Rectè Plinius, *Alius hic furor*. Vas villaticum tanti emitur! & illud emit fœmina non ſatis diues! Non minor eſt elegantia in Verre, de quo Cicero Verrin. 6. *Erat etiam vas vinarium ex vna gemma prægrandi trulla excauata cum manubrio aureo*. Videndus præterea Titinnius, Varro, & Feſtus: quos aduocat hîc Iunius. Et præter hos videndus Raderus in ſuprà dictum epigramma Martialis. Neminem attigi, ſolùm citaui, & Dempſterum in Paralipomenis ad librum 5. Roſini, & Alexandrum Neapolitan. lib. 3. Genial. cap. 10. vbi tractat locum Iuuenalis, & dicit vtique eſſe vas potorium. & demum Biſciolam Noſtrum tomo 2. Horar. Sub. C lib. 8. cap. 7. & Plautum Amphitrione ad eum verſum,

Lances detergam omnes, omnéſque trullas hauriam.

447. 2. VT QVISQVE DOMINVS SANCTIOREM EXPERTVS EST DOMESTICAM NECESSITATEM.] Latinius legit, *vt quiſque Dominum ſanctiorem expertus eſt, & domeſticam neceſſitatem*, quem ſequitur & defendit Iunius. Confutat hos Heraldus, & bene; eſt enim proba lectio, in qua Tertullianus Domini placitum obſeruari ait. Videtur autem alludere ad ærarium ſanctius, quod erat ἄθραυστον, inquit Appianus, nec niſi vrgente aliqua grauiore neceſſitate aperiebatur. Liuius lib. 27. *Cætera expedientibus quæ ad bellum opus erant, Coſſ. aurum viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruabatur, promi placuit*. D

2. PVBLICOS ÆQVE' PVBLICO IVRE FOEDATIS.] Deos fiſci intelligit, quia fiſco publicè venundantur. Vocantur igitur *Dij Publici*, qui erant in patrimonio fiſci. Propriè autem *fœdatis*, nam & fœdas actiones dicit Prudentius in Laurentio (inquit Heraldus.)

Addicta auorum prædia
Fœdis ſub auctionibus.

Dicam autem quod ſentio. Publici Dij non vendebantur ſub haſtario, vnde ſic exiſtimarem legendum locum. *Publicos æquè publico iure fœdatis. Quot in haſtario vectigales habetis?* vt faciat triplicem Deorum ordinem, *Domeſticorum, Publicorum, Vectigalium*. Domeſtici & Publici eodem iure erant; Vectigales verò habiti ab hoſtibus cultique, vendebantur à Romanis

ſub haſtario publico, & hoc etiam queritur, ſi bona A eſt illorum religio.

448. 2. HASTARIO.] Locus erat, in quo fiebat bonorum, qui proſcripti erant, venditio (*al moneda publica*) haſta prominente in ſignum venditionis, vt vult Turnebus lib.28. cap.5. & id credo. Alij eſſe volunt locum auctionis: inde locutiones illæ quas Cælius notauit cap. 17. lib.21. *Refrixiſſe haſtam*, cùm ceſſatum eſt ab auctione. Et *haſtam vibrare*, qui ſanguinariam hanc affectant auctionem: Et multas huiuſmodi ſimiles. Deos itaque quos ex prouinciis vectigalibus afferebant inter manubias, quos idcirco *vectigales* vocabant, queritur indecorè in *haſtario* poſitos, qui in templis eſſe debuiſſent. Inde *ſubhaſtatum* in Iulio Firmico de errore profanæ religionis cap.16. *Vendebatur Deus, vt prodeſſet emptori, & emptor ſupplicater adorabat, quicquid paullo antè viderat ſubhaſtatum.*

449. 2. SI CAPITOLIVM.] Dici *capitolium* à Toli B capite, Arnobius docet, quem tamen falſum eſſe cõiectat Ioſephus Scaliger. Vtriuſque operam iam contuli in Æneidem.

2. SI OLITORIVM.] Hoc forum dicitur, vbi olerum copia vendebatur.

2. SVB EADEM VOCE PRÆCONIS.] Apertè errant, qui præconem in militia ducunt ab vſu Græcorum, cùm eius vſus in Latinis auctionibus inueniatur: meliùs multò à Latinis ad Latinos itur. De hoc iam in Æneide lib.5. Ad rem eſt Claudian. de 4. Conſulat. Honorij,

---haſta refixas
Vendit opes, auiduſve emptor præcone citatur.

Sic enim corrigit verſum iſtum Barthius. adducit præterea Iuuenalem Sat. 8.

Præconem Charippe tuis circumſpice pannis.

Et Commentarium, vide in illo, ſimul & Lucianum Græcum.

C

450. 2. SVB EADEM HASTA.] Proponebant veteres haſtam, quoties auctio facienda eſſet, eandem (inquam) haſtam, quæ Diis ipſis ſceptrum erat. Iuſtinus lib.43. *Nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus haſtas coluere: ob eius religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Pauſanias in Bœoticis: τοῦτο οὖν τι σκῆπτρον σέβουσιν, δόρυ ὀνομάζοντες: *Venerantur hoc ſceptrum, haſtam nominantes.* Expendat Lector, quid eſſet, iiſdem Diis haſtas apponi ad venditionem, quas alias ferre pro inſigni magnifico ſolebant.

2. ANNOTATIONE QVÆSTORIS.] *Annotatio* forenſe vocabulum: ex Rhenano adducit Pamelius, quæſtorem illud quod vendebatur inſcribere cõmentario ſuo, aut rei elocatæ ac venditæ ſyngraphan dare. *Annotationem* dici vulgò *regiſtrationem* vult Iunius.

2. DIVINITAS ADDICTA CONDVCITVR.] D Optimè addicta, quæ vox notat ſeruitutem, aut captiuitatem. Caſſianus lib.5. cap.13. *A quo enim quis vincitur, ei & ſeruus addicitur.* Et Collat.13.cap.vltimo ait: *Tertium quoque ad Dei munera pertinere, vt acquiſitæ virtutis perſeuerantia teneatur, ſedita vt captiuitatem libertas addicta non ſentiat.* Zeno Veronenſ. ſerm. de Suſanna: *Stupet populus, quòd à ſupplicio ad iudicium repetendum reuocetur* (Suſanna) *addicta.* Denique frequentiſſimum eſt. Verbum *conducitur* eſt in foro, & ſolemne. & *addicitur.* Paull. *Prædia certo pretio addixerat.* Vlpian. *Sed nec cui bona addicta, ex conſtitutione Diui Marci.*

451. 3. SED ENIM AGRI, &c.] Agri & homines ſtipendiarij erant ignobiliores cæteris, homines autem dicebant *capita.* Vtrumque Appianus in Libycis expreſſit, & *capita* nuncupauit *corpora*, ait enim: *Hos præmiis afficiunt, ſocios nempe populos aut reges, aliis tributum definierunt* ἐπὶ τὴν γῆν, *in agros*, & ἐπὶ τοῖς σώμασιν, *in corpora eorum.* De *agro vectigali*, ſic Hieronymus epiſt.10. *Quis procedet ad publicum? quis reſpondebit agrorum tributis?* Et Ambroſius epiſt. 64. lib.5. *Quemadmodum enim fœmina, & quod eſt amplius vidua, poſſeſſionem regeret tributariam? quid ſibi profuturum, quod ſibi iura poſſeſſionis cederet, ſi maiora ex inculto agri ſubeunda ſibi damna arbitraretur?* De *capite* autem ſiue *capitali cenſu*, Græci vocant κεφαλικώνα, quaſi dicas, *capitationem.* Zonaras: κεφαλικῶνα καὶ τοὺς Ἰουδαίοις δουλικίους ἀυτοὺς. Abbo Floriacenſis in Vitaliano: *Afflictiones populo prouinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, vel Sardiniæ per digrapha, ſeu capita, atque nauticationes impoſuit.* Inde *Capitiarius* apud Fulbertum epiſt. 103. *Secundùm beneplacitum cordis tui conſtituit tibi alium theſaurarium, & capitiarium de bonis clericis.* Saluianus lib.5. de Prouidentia: *vt cùm poſſeſſio ab his abſceſſerit, capitatio non diſcedat.* Scio *capitationem* duo ſignificare, tum capitis tributum, tum ſtipendium. Quare autem dicatur *tributa in capita imperare*, pro, in ſingulos homines, natum eſt à præſtantia capitis, quod eſt veluti arx hominis. Sammonicus:

Principio celſa de corporis arce loquamur.

Et Manilius lib.4. de hominis præſtantia loquens,

---ſtetit vnus in arcem,
Erectus capitis.

De lectione eſt quod moneam, nam Claud. Rangolius in 1. Reg. cap.8. ver.15. legit, *Si agri*, &c. ſed nihil mouemur.

3. DII VERÒ QVI MAGIS TRIBVTARII, &c.] Expendendum quomodo *tributarios* appellet Deos, cùm tributa non pendant, ſed exigant per ſacerdotes: tamen appellat *tributarios* non reſpectu populi, ſed ſacerdotum, qui ipſorum nomine ſtipem mendicabant, quæ ſtipes in ſacerdotum lucra cedebat, & à Diis tribui putabatur, vnde *tributarij.*

3. CIRCVIT CAVPONAS RELIGIO MENDICANS.] Scilicet ſacerdotes matris Idææ ſtipem hoſtiatim cogebant. Iuuenalis Sat.8. 452.

Et reſupinati ceſſantia tympana Galli.

Ad tympanum enim pulſatum erogabant aliquid, & ſic cauponarios faciebãt Deos; quemadmodum Themiſtius Euphrada ait orat.5. Κάπηλον ἡ φιλοχρηματία, id eſt, ποιεῖ: *Auaritia cauponem facit.* Apuleius lib. 8. *Vnum de triuiali popularium face, qui per plateas & oppida cymbalis, & crotalis perſonantes, Deam Syriam circumferentes mendicare compellunt.* Sic enim Dij ipſi mendicabant, vt ait Nazianzenus oratione 1. ὥστε αὐτοῖς τι περιεργάσηται ἐκ τῆς καπηλείας: *Vt ipſi aliquid elucrarentur ex caupona.* Et de Matre Idæa inquit Halicarnaſſ. lib.2. ἱεράται ἡ ἀυτῆς αἰὴρ Φρὺξ, καὶ γυνὴ Φρυγία, καὶ περιάγουσιν αὐὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες, ὥσπερ ἀυτοῖς ἔθος, κύμβαλα τε περικείμενοι τοῖς σήθεσι, καὶ κατακλώμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῶα μέλη, καὶ τύμπανα κροτοῦντες: *Qui funguntur ſacerdotio Phrygij generis, vir, & mulier, eam per vrbem circumferunt, circulatorio ritu ſtipem Matri colligentes, & pectora plangentes, proſequentibus eos cum matroo carmine tibiis, & tympanorum pulſu.* Libauit rem hanc Minut. *Nudi cruda hyeme diſcurrunt, alij incedunt pileati, ſcuta vetera circunferunt, pelles cædunt, mendicantes vicatim Deos ducunt.* Alludit Clemens Alexandrinus, in Protrept. vbi loquitur de *Menagyrte*, quem ſic vocat, quia ſingulis menſibus ſtipem corrogabant, μηναγύρτην.

3. ÆDES PROINDE, ARAS PROINDE.] Explicui *Aedes Diis confertis, aras mortuis.* Etenim *Aedes* de Diis dici, quis ignorat? de *aris* illud certum, interdum ſumi de aris, quæ erant inferis & mortuis, vt altaria ſuperis. Gloſſæ optimæ: ἐπιθωμὶς *altare*, βῶμὸς *ara.* Quin vt altare ab eminenti forma, ἐπιθωμὶς: ita ara tantùm βωμὸς, quia aræ mortuorum depreſſiore 453.

forma. Hinc est, me obseruante, vt quoties fit in Auctoribus mentio de mortuis, in Græcis videam βωμὸν, in Latinis *aram*. Ita Cæsari apud Xiphilinum in eius honorem, βωμόν τε ἱδρύσω. Et apud Suetonium in Nerone cap. 50. de Sepulcro Neronis: *In eo monumento solium porphyritici marmoris, superstante Lunense ara.* Vides vt βωμὸς in illo, *ara* in isto dicatur de mortuis. Mitto poëtas, qui passim aras in re mortuorum. Inde Ouidius, *sepulcrales aras*, & centena.

454. 3. IDEM HABITVS, ET INSIGNIA IN STATVIS.] Vt scilicet statua Iouis cum fulmine, Neptuni cum equo, Palladis cum oliua; sic statuæ hominum cum insigni. De Diis clarum, de hominibus Virgilius 6. Æn. loquens de Miseno:

At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suáque arma viro, remumque tubámque.

Et Plinius lib. 7. cap. 30. *Prior Africanus Q. Ennij statuam sepulcro suo imponi iussit, clarúmque illud nomen, imò verò spolium ex tertia orbis parte raptum, in cinere supremo cum Poëtæ titulo legi.*

3. VT ÆTAS, &c.] In meo codice ita legitur, B *vt ætas, vt ars, vt negotium mortui; ita Dei est:* claro sensu, id est, vt habetur ratio ætatis in mortuo, ratio artis, ratio negotiorum; ita in Deo. Probat hoc sequentibus, verumtamen non multùm interest.

455. 3. QVO DIFFERT AB EPVLO IOVIS SILICERNIVM.] Spectat hoc ad primum membrum de ætate. *Epulum* cœna erat sacra Ioui, & quidem si Ioui, certè grandi, & virili (sic dicam) Ioui. Cùm enim sermo erat de hoc Deo, vt iam grandis semper dicebatur Iuppiter, cùm de eo non grandi, dicebatur *Veiouis*. Adrem. *Epulum* cœna erat sacra Ioui, id est grandi iam Deo. Pergo. *Silicernium* in re mortuorum multa significat, nunc accipio Nonium, qui ad rem meam: *Silicernium est propriè conuiuium funebre, quod senibus exhibetur.* Iterum: *Ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus.* Id est, πρεῖδειπνον. Ergo ait Tertullianus, nihil differt silicernium à Ioue iam C grandi æuo; en de ætate. Et nescio an aliter queat explicari Tertullianus, si consequenter debeat explicari.

456. 3. A SIMPVLO OBBA?] Nam vt simpulo vinum in sacrificiis libabatur, ita obba Diis manibus. *Simpulum, simpuuium*, & *simpinium* idem est, licèt postremum aliqui immeritò hinc reiiciant. Glossæ, *simpulum*, κύαθος. *Simpulones* hinc qui sponsum conuiuia discurrentem comitantur. Succius (alij Sutrius) Piscatoria,

Summates viri facti sunt simpulones ganei.

Isidorus in glossis, *simpulator, conuiua*. Fulgentius Placiades libello de prisco sermone, legit *simplones*: sic enim ait, *simplones dicuntur conuiuæ: nam & amicus sponsæ, quicum eo per conuiuia ambulat, simplator dicitur.* Arnobius lib. 4. *In ceremoniis vestris rebúsque diuinis, postulationibus locus est, & piaculis. dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiæ lapsum aut in curbo quispiam, aut simpinio deerrarit.* Vbi quod *simpinio* est, in aliis libris legitur *simpuuio*, in aliis *simpulo*. Varro πρεὶ μέθης: *Nonne vides ipsos Deos si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana, & tamen tum illi ipsi Libero simpulo vina dari?* Idem Varro, *à sumendo simpulum nominauêre.* Iuuenalis Sat. 6.

Simpuuium videre Numæ, priscúmque Catonem.

Demum lege Festum ex correctione Casauboni, Arnobium lib. 7. Ciceronem lib. 6. de Republ. & aliis locis. Inde *simpulatrices fœminæ*, quæ diuinis rebus operam dabant. De *obba* (vasè ventricoso, sic enim vocat Scaliger, & Hebræum facit ex origine) Varro nominans apothecas tricliniares ait: *Dolia, atque apothecas tricliniares, melicas, calenas, obbas, & Cumanos calices*, Glossæ veteres: obba, ἀμφὶς ὃν οἱ πρὸς τοὺς νεκροὺς ἀπένδουσιν. In quo vase sacrum fiebat Diis Manibus. Explicat Turnebus Comment. in lib. 2. de Legib. Fieri solitam obba *circumpotationem*, eámque in orbem, & in silicernio: quod conuiuium erat defunctorum. Et eò refert verba Tullij hæc: *omnisque circumpotatio*, quæ nimirum, obba fieret in orbem.

457. 3. AB ARVSPICE POLLINCTOR.] Quod pollinctor facit in humanis, id aruspex facit in rebus diuinis. *Pollinctoris* est curare cadauera. Glossæ vertunt ἐνταφιαστής. Iulius Firmicus lib. 4. cap. 6. *& pollinctores qui sepeliendorum hominum curam, cunctorum iudicio consensúque surriperent.* Et cap. 7. eiusdem lib. *funerarij & pollinctores.* Ammianus lib. 19. *Circáque eum lectuli decem sternuntur, figmenta vehentes hominum mortuorum, ita curare pollincta, vt & imagines essent corporibus similes, iam sepultis.* Horus Apollo Ægyptius in Hieroglyphicis, ἐνταφιαστὴν δὲ τῶν ἱερῶν, ἐπειδὴ καὶ οὗτος γυμνὰ καὶ ἀνατετμημένα θεωρεῖ τὰ ὑπ' αὐτῆς κηδευόμενα εἴδωλα: *Sacrorum verò pollinctorem, quòd & hic nuda & explicata spectat, quæ custodit mortuorum simulacra.* Institi vestigiis Caussini nostri in Obseruationi- 458. bus ad Horum. Sidonius lib. 3. epist. 13. *Etenim verò illa sordidior est atque deformior cadauere rogali, quod facibus admotis semicombustum, móxque sidente strue torrium deuolutum, reddere pyræ iam fastidiosus pollinctor exhorret.* Multa in primis pollinctorum munera affert, non nominato pollinctore, Eusebius lib. 7. cap. 17. ex epistola illa Dionysij Alexandrini. sic enim ait: *Quin etiam sanctorum corpora manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadauera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri obuoluere non grauati sunt.* Venustè satis complexus est charitatem fratrum, qui mortuos pestilentia (nam de his loquitur) ita fouebant. sed redeo ad institutum. A pollinceo venit *pollinctor*, seu potiùs à pollingo. Est νεκροκόμος, & νεκραλείπτης.

459. 3. NAM ET ARVSPEX MORTVIS APPARET.] Scilicet inspectis hostiis animalium mortuorum, futura prædicit. *Apparet* autem, est, ministrat, & hoc ipso indicat, quod sit munus pollinctoris.

4. SED DIGNÈ IMPERATORIBVS DEFVNCTIS, &c.] Exemplum huius rei satis est celebre in Imperatore Seuero apud Herod.

4. QVÒD PARES EIS FIANT.] In vno codice Pamelij, & Iunij scriptum est *ei*. Scripsi *eis* cum Heraldo.

4. DOMINI SVI.] Lampridius in Diadumeno de vnis Antoninis ait, *Antoninos pluris fuisse quàm Deos.*

4. LARENTINAM.] *Larentina*, siue *Larentia* (malim *Laurentina*, siue *Laurentia*) eadem est cum Flora, vnde dicta *Floralia*. res nota. aliqui distinguunt, Minut. *Sanè & Acca Larentia, & Flora, meretrices propudiosæ inter morbos Romanorum & Deos computandæ.* Quæ Pamelius de Acca Faustuli vxore, negligo.

4. LAIDEM, AVT PHRYNEM.] Lais & Phryne, hoc Athenis, Corinthi illud scortum nobile. 460. De Phryne Arnobius lib. 6. *Phryne illa Thespiaca (sicut illi referunt qui negotia Thespiaca scriptitarunt) cùm in acumine ipso esset pulchritudinis, venustatis, & floris, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt Venerum*, &c. Hanc referunt cùm iam defloruisset, à multis procis frequentatam, dicere se fæcem pluris quàm vinum vendere, propter inueteratam suæ formæ opinionem, πίω πεύγα πωλεῖσθαι πωλεῖν, διὰ πίω δόξαν. Plutarchus etiam lib. 2. de Alexandri fortuna, Phrynes statuam Delphis ait erectam.

4. SIMONEM MAGVM.] Hoc scriptis tradidit Iustinus Martyr, cuius hæc sunt: *Simon quidam Samaritanus, in vico cui nomen Githon est, natus; hic sub* 461.

Claudio Cæsare efficacium dæmonum arte in Imperiali urbe, vestra Roma, propter magicas, quas exhibuit, virtutes, Deus habitus est, & statua apud vos veluti Deus honoratus: quæ statua in amne Tiberi intra duos pontes est erecta, Latinam hanc habens inscriptionem, SIMONI DEO SANCTO. Et Irenæus etiam à quibus accepit Tertullianus, & eos postmodo sequutus est Eusebius. An verò hæc sit inscriptio Simonis Magi, an hi patres decepti fuerint Semone Sango: est enim huius inscriptio hæc, SEMONI. SANGO. DEO. FIDIO. SACRVM. in dubio relinquimus, propter auctoritatem Heraldi: nam August.lib.18. de Ciuitate cap.19. dixit: *Sabini etiam Regem suum primum Sangum, siue, vt aliqui appellant, Sanctum, retulerunt in Deos.* Et Dionys.2.Antiq. *Portius Cato nomen impositum Sabinis ait à Sabo Sanci filio: Sancum verò istum fuisse regionis genium, & à nonnullis Dium Fidium appellari.* Et lib. 4. ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσιν: *In templo Iouis Fidij, quem Sanctum Romani vocant.* Ouid. 6.Fast. videndus ad illud,

Quærebam Nonas Sancto, Fidio ne referrem?

Itaque videntur hi patres accipiendi de Semone Sango, aut Sancto; sed, vt dixi, relinquimus in dubio. Vide Salmasium in Notis ad Spartianum.

4. INSCRIPTIONE.] In libro de Idololatria cap.9. *Quorum nomina cœlo inscripsit.*

4. INAVGVRATIS.] Liuius lib. 40. *Religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dolabellæ.* Id est, consecrandi, quod addicentibus auibus fiebat.

462. 4. PÆDAGOGIIS AVLICIS] De hoc scriptum est in Athanasio orat. contra gentes satis luculenter, à verbis illis, ἀλλ' ἤδη καὶ τὸ Ῥωμαίων βασιλέως παιδικὸς Ἀντίνοος. Dicam Latinè tantùm integram sententiam: *Et nunc Antinous Adriani Imperatoris Romanorum amasius, quem non ignorari hominem fuisse & hominem nequaquam sanctum, sed potiùs stupris & propudiis plenum, ob metum præcipientis in cultu ac veneratione habent. Cùm enim profectus esset in Aegyptum Adrianus, defunctum ibi voluptatis suæ ministrum publico edicto statuit, vt sacrificiis colerent.* Spartianus in Adriano: *Antinoum suum, dum per Nilum nauigat, perdidit, quem muliebriter fleuit: de quo varia fama est, aliis eum denotum pro Adriano asserentibus; aliis, quod & forma eius ostentat, & nimia voluptas Adriani: & Græci quidem volente Adriano eum consecrauerunt, oracula per eum dari asserentes, quæ Adrianus ipse composuisse iactatur.* Prudentius lib.1. in Symmachum,

463. *Quid loquar Antinoum cœlesti sede locatum?*
Illum delicias nunc diui principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili?

Tertullianus *cinædum* dicit, & de *pædagogiis aulicis*, pædagogia enim, & cinædi infames fuerunt. Clemens Alexandrinus lib.3. pædagogij cap. 11. ὥσαφ ἑτέρους ὀφῶ κιναίδους ἐνθάδε πολλοὺς ἐν ἄστει καὶ πιπλοχοπωλοῦντας: *Quemadmodum multos video hic in ciuitate cinædos, vulsosque ac picatos.* Suetonius in Nerone cap. 28. *Super ingenuorum pædagogia, & matronarum concubinatus.* Senec.epist.124. *Omnium pædagogia velata facie vehuntur.* Dicit hoc, quod hi pueri delicatuli, ne infuscarentur sole, facie tecta & velata aduehebantur quoquoversum. Dicuntur *pædagogia*, quòd sub pædagogi cura: sic etiam vocat Plinius lib.33. & Tacitus lib.15. Annal. Martialis lib.8. *gregem* vocat:

Non grege de Domini, sed tua Cesle manus.

Verùm vt nuperum attingam Claudium Salmasium, is in Notis ad Spartianum ait legi in Codice, quem mirè laudat, non *Cinædum Deum*, sed *Synodi Deum*, & hanc esse scripturam optimam tuetur, vt dicat, nescio quem facitis Deum Synodi, id est, nescio quod in concilio Deorum allegitis, sic enim vocat Maro,

---quæ sint habitura Deorum
Concilia, incertum est.

Et in veteri inscriptione *Collegium Deorum*: item in alia, *Consessus Deorum.* Hoc itaque concilium, collegium, consessum, Tertullianus vocat *Synodum.* Improbare non possum, tametsi vulgata lectio mihi magis placeat.

5. VOLO ET RITVS, &c.] Reiiciunt aliqui ad sequens caput, hîc annexui secutus Pamelium.

5. CVM ENECTA ET TABIDOSA, &c.] 464. Describit proijcia, Festo sic appellantur, quòd profecta proiiciuntur, qualia olim Menander apud Athenæum lib. 4.

---ὡς θύουσι δ' οἱ τοιχώρυχοι
Κόπτας φέροντες ἐς γάμους, οὐχὶ τῶν θεῶν
Ἕνεκ', ἀλλ' ἑαυτῶν:
Vt parietum effractores hi sacrificant,
Lectos afferentes, & vini seriis, non Deorum
Gratia, sed sua.

Apud Lucianum in Ioue Tragœdo Iuppiter id queritur, sibique & quindecim aliis Diis gallum vnum tantùm, eúmque vetulum, & mucco plenum à Mnesitheo profectum: ἐνοῶν ἅμα τὴν Μνησιθέου τὴν μικρολογίαν, ὃς ἑκκαίδεκα θεοὺς ἑστιῶν, ἀγεκτρυόνα μόνον κατέθυσε, γέροντα κἀκεῖνον ἤδη καὶ κορυζῶντα: *Simul mecum sedula agitatione Mnesithei tenue ac frugale, ne dicam sordidum, conuiuium perpendebam, qui cùm sedecim Deos epulis acciperet, solummodo gallum sacrificauit, senem quidem illum, ac iam mucco ac pituita laborantem.* Pollux lib.1. cap.1. ait Diis offerendas hostias membris omnibus & artubus integras, non mutilas, non læsas, non distortas. Videndus Plutarchus ab illis verbis: δεῖ δὲ τὸ θύσιμον, &c. Vbi agit de probatione corporis & animi hostiarum, longus est, & iam Turnebus illius verba adducit lib.11. cap.1.

5. CAPITVLVM ET VNGVLAS.] Per dimi- 465. nutionem vocat *capitulum*, quo epulo Diis suis gentiles. Qui referunt historias Hispanicas, reiiciunt ad Græcos morem, quem Gothi ab illis arreptum ad nos transtulerunt, videlicet abstinendi Sabbatis à carnibus reliquis, & vescendi capite & aliis intestinis. Vide Ioannem Marianam lib.1. cap.24.

5. DECIMAM.] De esculentis Herculi decimam dabant, idque erat *pollucere* Herculi: & quod erat datum & consecratum dicebatur *pollutum.* Plaut. sticho: *Vt decumam partem Herculi polluceam.* De his qui furantur hanc decimam, habes exemplum apud Plaut. Trucul.

---de mina vna deminui
Modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.

Vel, vt alij legunt, *Herculanam.*

5. NE TERTIAM PARTEM.] Id est, eiusdem decimæ, nam si aliter, iam tertia hæc pars superauit decimam.

5. LAVDABO MAGIS.] Iunius legit, *imponitis, laudo magis sapientiam, quòd de perdito aliquid deripitis.* Nihil est opus.

CAP. XIV. ARGVMENTVM.

Quæ Poëtæ & Philosophi de Dijs ludibria scripserunt.

TERTVLLIANVS.

466. 1. SED conuersus ad litteras vestras, quibus informamini ad prudentiam, & ad liberalia officia, quanta inuenio ludibria? Deos inter se propter Troianos & Achiuos, vt gladiatorum paria, depugnasse. Venerem humana sagitta sauciatam, quòd filium suum Æneam penè interfectum ab eodem Diomede rapere vellet. Martem tredecim mensibus in vinculis penè consumptum. Iouem, ne eamdem vim à cæteris cœlitibus experiretur, opera cuiusdam monstri liberatum, & nunc flentem Sarpedonis casum, nunc fœdè subantem in sororem sub commemoratione, non ita dilectarum iampridem amicarum.

EXPLICATIO.

1. TAXAT iam librum, quo strenuè informantur ad liberalia studia: is est Homerus. In primis depugnatores Deos, instar gladiatorum, quis ferat? Quis Venerem contra Diomedem querimoniis plenam, quòd icta sit sagitta ab eodem, quòd rapere filium Æneam, ab eius impotentia voluerit? Dicit autem *ab eodem Diomede*, cùm eius facta non sit mentio, quia ab eodem ipso fuit penè interfectus Æneas, à quo liberatus à Matre. Quis Martem ab Oto & Ephialte ligatum forti in vinculo tredecim mensium spatia? Quis Iouem, ne eadem pateretur, liberatum ope & opera Ægeonis siue Briarei monstri? Quis eundem flentem Lyciorum regis Sarpedonis occasum? Demum quis hunc Iouem fœdè lasciuientem in sororem commemoratis Danaë, Semele, & reliquo agmine amicarum, quas iampridem, neque vt tunc Iunonem, amauerat?

467. 2. Exinde quis non Poëta ex auctoritate principis sui dedecorator inuenitur Deorum? Hic Apollinem Admeto regi pascendis pecoribus addicit, ille Neptuni structorias operas Laomedonti locat. Est & ille de lyricis (Pindarum dico) qui Aesculapium canit auaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum. Malus Iuppiter, si fulmen illius est, impius in nepotem, inuidus in artificem. Hæc neque vera prodi, neque falsa confingi apud religiosissimos oportebat. Nec Tragici quidem aut Comici parcunt, vt non ærumnas, vel errores domus alicuius Dei præfentur.

468. 2. Quis autem est Poëtarum, qui secutus principem suum Homerum, non Deorum numina blasphemet & contumelia afficiat? Hîc alius quispiam poëtarum addicit Apollinem pascendis gregibus occupatum, Admeti regis, alius Neptunum facit distentum in exædificanda Troia ad gustum regis Laomedontis. Quid dicam tibi? Est etiam inter Lyricos Pindarus, qui canit Æsculapium fulmine percussum à Ioue propter auaritiam: is enim Hippolytum restituit vitæ, auro victus. Sed esto fulmen sit Iouis, pessimus quidem est, quia *impius in nepotem* Æsculapium (fuit enim is Phœbi filius) & *inuidus in artificem* sanitatis. Hæc mõstra sunt, quæ neque vt *vera prodi* potuerunt, neque vt *falsa confingi*, præsertim *apud religiosissimos* suorum Deorum. Quid dicam de Tragicis, qualis est Sophocles; quid de Comicis, qualis est Aristophanes? qui vix incipiunt opus, absque præfatu alicuius calamitatis, quæ Deo acciderit?

469. 3. Taceo de Philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam Deorum, quercum, & hircum, & canem deierabat. Sed propterea damnatus est Socrates, quia Deos destruebat. Planè olim, id semper est, veritas odio est. Tamen cùm pœnitentia sententiæ Athenienses & criminatores Socratis postea afflixerint, & imaginem eius auream in templo collocarint, rescissa damnatio testimonium Socrati reddidit. Sed & Diogenes nescio quid in Herculem ludit, & Romanus Cynicus Varro trecentos Ioues, siue Iuppitres dicendum, sine capitibus introducit.

470. 3. Putat tacendum de Philosophis, vnico *Socrate contentus, qui in Deorum contumeliam quercum, hircum, & canem deierabat*, ne eam religionem diis falsis affinxisse videretur, putans tantundem esse iurare Iouem, quàm quercum, ac perinde putabat Iouem non esse: & idcirco damnatus est. *Olim* itaque, verum est illud, *veritas odium parit*, id semper esse certum est. Sed *tamen cùm Athenienses postea* damnauerint & *criminatores Socratis*, & *eius imaginem auream in templo collocarint*, liquet perinde satisfactum *Socrati, rescissa* eius *damnatione*. Quid dicam de Diogene, qualiter *in Herculem* & quàm facetè *ludit*, dicens se eius æmulatorem baculo per orbem discurrisse? Quid de Varrone Romano Cynico, qui *Ioues trecentos* (& qui maluerit *Iuppitres* nominet) introduxerit puros putosque homines, & instar monstri, vt qui sine capite? Hæc mera sunt deliria.

NOTÆ.

471. I. SED CONVERSVS AD LITTERAS VESTRAS, &c.] Augustinus lib.1. de Ciuitate, cap.3. ita ait: *Et nobis succensent cùm de Dijs eorum talia dicimus, nec succensent auctoribus suis, quos vt ediscerent, mercedem dederunt, doctoréque ipsos insuper & salario publico & honoribus dignissimos habuerunt.* Minutius: *Hic enim præcipuus bello Troïco Deos vestros, & si laudes facit, tamen in hominum rebus & actibus miscuit. Hic eorum paria composuit, sauciauit Venerem, Martem vinxit, vulnerauit, fugauit: Iouem narrat à Briareo liberatum, ne à Diis cæteris ligaretur: & Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus fleuit: & thoro Veneris illectum, flagrantiùs quàm in adulteras soleat, cum Iunone vxore concumbere.*

472. I. VT GLADIATORVM PARIA CONGRESSOS DEPVGNASSE.] Strabo lib.5. vocat ζεύγη μονομάχων, quia iuga pares habent equos. & Arrianus lib.1. Dissert. ζευγύει, de eodem hoc ludo. Latinis certè *paritas* placuit, non *iugatio*. Spartianus, *gladiatorum quingena paria*. Plinius lib.11. *Gladiatorum paria in Caij principis ludo fuerunt*. Demum ita omnes locuti. Sen.epist.76. & alij. B

I. VENEREM HVMANA SAGITTA SAVCIATAM.] Μυημονικὸν ἁμάρτημα nihil lædit Tertullianum: equidem Homerus Iliad.5.

Ἀκρὴν οὖτασε χεῖρα μετάλμενος ὀξέϊ χαλκῷ:
Summã vulnerauit manum insiliens acuta lãcea.

Nunquam enim Diomedes sagittarius in Iliade, &, si alicubi, non certè ibi. nisi *sagittam* sumit pro quouis missili. Cautior fuit Arnob.lib.4. qui Venerem facit vulneratam *mortalium manibus*.

I. MARTEM TREDECIM MENSIBVS,&c.] Habentur hæc 5.Iliad.

Τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος κρατερός τ' Ἐφιάλτης,
Παῖδες Ἀλωῆος δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ,
Χαλκείῳ δ' ἐν κειρὶ δέδετο τρεισκαίδεκα μῆνας:
Passus est quidem Mars, quando ipsum Otus fortisque Ephialtes, C
Filij Aloëi ligauerunt forti in vinculo,
Æreo autem in carcere ligatus erat tredecim menses.

Arnob.lib.4. *Mensibus in Arcadia tribus & decem vinctum*. Iulius Firmicus de errore profanæ religionis: *Oti & Ephialtæ edicto Mars bellipotens temporali exilio damnatus, ferrea catenarum vincula sustinuit.* Ouid.1. Amor.eleg.9.

Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.

Prudent.in Agone Romani: *Deos catenæ colligant adulteros.* Valerius Flaccus:

Tacitæ Martem tenuere catenæ.

Sed nullus finis adducendis Poëtis Latinis.

I. IOVEM, NE EAMDEM VIM,&c.] Multis hæc Græcus vates lib.1. D

473. I. NVNC FLENTEM SARPEDONIS CASVM.] Αἱματόεσσαι ψάδες, inquit Homerus Iliad.16. Iouem fleuisse *guttas sanguineas*. Iulius Fir. vbi sup. *Sarpedonem filium mortuum in Troia Iuppiter plangit.*

I. NVNC FOEDÈ SVBANTEM.] Testis est huius spurcitiæ Græcus vates Iliados 14.

Νῶϊ δ' αὖ' ἐν φιλότητι βαπείομεν εὐνηθέντε·
Nos autem in amore conuertamus nos subantes.

Postea autem catalogum infert amicarum, quas iam olim dilexerit Iuppiter. Hieronymus lib.2. aduersus Iouin. *Subantem in hortulis inter adolescentulas.* Arnob. lib.4. *Incestas nuptias cum sorore.* Firmicus vbi suprà: *Iunonem sanè, & ne huic deesset incestus, Iouis volunt ex sorore coniugem factam.* Itaque non immeritò Prudentius in Agone Laurentij *spurcum Iouem* dixit. Et statim:

Discede adulter Iuppiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebémque iam Christi fuge.

Potest sic scribi & distingui, *in sororem: sub commemoratione, non ita, dilectarum iam pridem amicarũ.* Quod est, non ita lasciuisse Iouem in sororem, quando deperibat amicas.

474. 2. HIC APOLLINEM.] Idem argumentum Cyprianus exsequitur de idolorum vanitate: *Apollo Admeti pecus pauit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit.* Idem & prior Minutius: *Et Apollo Admeto pecus pascit. Laomedonti verò muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit.* Prudentius in Agone Romani: *Conductus idem pauit alienum pecus.* Et lib.2. aduer.Symmachum,

Quàm Priami genitor conductis mœnia fabris
Extrueret.

Post sacros sequatur profanus in Hercule Furente,

Pastor Pheraos Delius pauit greges.

Postea in ms.est *Nuptuni*: sic enim loquebantur veteres Latini, vt monuit Varro.

2. PINDARVM DICO.] Athenagoras versus Pindari Græcos adducit in argumentum huius rei.

Ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφίᾳ δέδεται.
Ἐκτραπε κἀκεῖνον ἀγαύοιο μεθ' ὑψηχύου ἐν χερσὶ φαεινὰς.
Χερσὶ δ' ἄρα Κρονίων
Ῥίψας δ' ἀμφοῖϊν, ἀμπνοιὰν
Στέρνων καθεῖλεν
Ὠκέως, αὐδὴν δ' ἀπεραντὸς ἐνόσκηψε μόρσιμος:
Vincitur & sapientia lucri spe:
Cessit & Asclepius auro
Præsenti, opifer virum
Iam letho functum vt reuocaret.
Iratus at illos Saturnius
Atro fulmine traiecit;
Vnde viis spirandi clausis
Ambo interierunt statim.

Arnob. lib.4. *Aesculapium fulminis transfixum esse telis.* Iulius Firmicus vbi suprà: *& Aesculapius alibi fulminatur.*

2. VINDICATVM.] In nonnullis est, *iudicatum.*

475. 3. QVERCVM, ET HIRCVM, ET CANEM DEIERABAT.] Similia apud multos sunt. Quin *platanum*, & *anserem* inducunt. Theophilus ad Autolycum lib.3. ἢ Σωκράτην τὸ ὀμυύειν ἢ κύων, καὶ ἢ χῆν, καὶ ἢ πλάτανον. Vide hîc diligentem operam Heraldi.

3. SED PROPTEREA DAMNATVS EST SOCRATES, &c.] Seneca epist.104. *Obiecta est ei religionum violatio, & iuuentutis corruptela, quam immittere in Deos, in patres, in Remp. dictus est.*

3. VERITAS ODIO EST.] Sententia hæc pro fulcro habet Terentium Comicum, & Sidonium lib.4. epist. 22. *Periculosè vera dicuntur.* Abstineo à re trita.

3. ET CRIMINATORES SOCRATIS.] Particula *&* in multis deest, fuit autem in antiquis editionibus.

3. IMAGINEM AVREAM.] Fortaſſe *aream*, nam Diogenes Laërtius ſic ſcribit: Σωκράτη δ' χαλκῆς εἰκόνος ἐπιμώσαντο, ἐν ᾗ ἔφασαν ἐν τῷ Πομπείῳ, Λισίππου αὐτὴν εἰργασμένου.

476. 3. SED ET DIOGENES.] Pamelius, *Diagoras* vult legendum, vel ſubſtituendum aliud nomen. Cùm enim Diagoras eſſet in diuerſorio, & lignum nullum eſſet, quo excoqueret carnes, ad Herculis idolum conuerſus: *Age* (inquit) *decimum tertium ſubeas laborem, & excoquito carnes.* Hoc præclarum eſt, ſed malim tamen legere *Diogenes.* Etenim Diogenes & eius diſcipuli, neſcio quid in Herculem ludebant, quem ſectatorem habebant. Lucianus in βίων πρασ. &c. Mercator interrogat Diogenem, *Quem imitaris?* Reſpondet ille, *Herculem.* Statim Mercator: *Cur igitur & leoninam non induis? Nam baculo illum quidem refers.* Reſpondet Philoſophus: τοῦτό μοι λεοντῆ τὸ τείβωνιον· στρατεύομαι δ' ὥσπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τὰς ἡδονάς, οὐ κηρύττων, ἀλλ' ἐκούσιος, ἐκκαθάρειν τὸν βίον πειρώμενος: *Hoc quidem pallium leoninæ pellis vice mihi eſt. pugno autem non ſecus atque ille aduerſus voluptates; idque nemine imperante, ſed mea ſponte facio; ſic enim vitam meam repurgare conſtitui.* Lucianum ego priùs videram quàm Heraldum.

3. ROMANVS CYNICVS VARRO.] Dictus eſt Varro *Cynicus*, quòd liberè de Diis loqueretur. Et *Romanus* inquit, quaſi oppoſitus Græco Diogeni.

3. TRECENTOS IOVES.] Qui nec eſſent Dij (explicat Iunius) neque haberentur, neque afficerentur diuinis honoribus. Feſtus, *capita Deorum appellabantur faſciculi facti de verbenis.* Id eſt, frondibus feſtis ad aras coronandas ex loco puro decerptis, vt interpretatur Donatus. Senſus itaque eſt, vt vult Iunius, trecentos Ioues, qui puri puti homines fuiſſent, & omnia eſſent humana paſſi, protuliſſe. Hæc ille, verè nugator, & Feſtus nihil ad rem, licèt verum dicat. Senſus itaque eſt: *Sine capitibus*, id eſt, minuti capite, quorum nec conditionem, nec familiam, nec ciuitatem commemorat, quibus triplex diminutio capitis exprimitur. Et monſtra Deorum intelligit, & ideo *trecentos* pro millenos dixerit, & *ſine capitibus* vt qui nullo principio conſtarent. Arnob. lib. 3. *Fingamus enim vos Deos mille percolere, vel millia potiùs quinque*, &c. Iulius Firmicus, de errore profanæ religionis, *& à vanis Cretenſibus adhuc mortui Iouis tumulus adoratur.* Minutius etiam, *& ne longiùs multos Ioues obeam, tot ſunt Iouis monſtra, quot nomina.* Aduertatur lectio, *Iuppiceros* legunt aliqui, & codex Puteani *Iuppitros.* 477.

CAP. XV. ARGVMENTVM.

Quàm ſint fœda quæ in theatris ac ſcena de Diis repræſentantur.

TERTVLLIANVS.

478. 1. CÆTERA laſciuiæ ingenia etiam voluptatibus veſtris per Deorum dedecus operantur. Diſpicite Lentulorum & Hoſtiliorum venuſtates: vtrùm mimos an Deos veſtros in iocis ac ſtrophis rideatis: Mœchum Anubim, & maſculum Lunam, & Dianam flagellatam, & Iouis mortui teſtamentum recitatum, & tres Hercules famelicos irriſos. Sed & hiſtrionum litteræ omnem fœditatem eorum deſignant. Luget Sol filium iactatum de cœlo, lætantibus vobis: & Cybele paſtorem ſuſpirat faſtidioſum, non erubeſcentibus vobis: & ſuſtinetis Iouis elogia cantari, & Iunonem, Venerem, Mineruam à paſtore iudicari. Quid quòd imago Dei veſtri ignominioſiſſimum caput & famoſum veſtit? Quòd corpus impurum & ad iſtam artem effœminatione productum, Mineruam aliquam, vel Herculem repræſentat? Nonne violatur maieſtas, & diuinitas conſtupratur laudantibus vobis?

EXPLICATIO.

479. 1. ADIICIAM adhuc. Omnes fabricatores & artifices laſciuiæ operam ſuam nauant, & neruos intendunt in veſtris voluptatibus, per ſummum dedecus & Deorum ignominiam. *Diſpicite*, &c. Lentulus & Hoſtilius inſignes fuerunt mimographi; monet ergo vt videantur horum ſcripta & acumina, vtrùm in his magis mimi eorum, an Dij irrideantur. q.d. Magis Dij irridentur, quando in his Anubis inuenitur mœchus, Luna maſculus, Diana flagellis cæſa, Iouis mortui teſtamentum, triplex Hercules fame enectus, & omnes irriſi. Nomina ſunt fabularum, ideo ab iſtis inuenta, vt riſum mouerent. *Sed & hiſtrionum*, &c. Iam verò quæ ſcripta ſunt de hiſtrionibus, quis non videt omnem Deorum fœditatem ab illis deſignari? Quid magis indignum quàm Phaëthonta lugeri à Sole, & interim lætari omnes? Quid magis propudioſum, quàm Atyn amari vſque ad ſuſpiria Cybeles, quem Dea execuit, quòd ſe deſpiceret iam vetulam; & interim non illos erubeſcere? Quid Iouis crimina audiri cum cantu? Quid Paridem ſententiam ferre, vtra Dearum trium pulchrior eſſet, & paſtorem vnum litem hanc diſcernere? *Quid quòd imago*, &c. Quid dicam de impuritate & flagitio miniſtrorum, quos exornat habitus Deorum venerandus & religioſus, & veſtit vſque ad propudium? Quid dicam de laſciuia corporum, & ad iſtam artem exercendam effœminatione & mollitie impuriora reddita (fortaſſe fœminam intelligit, quæ Deam Mineruam, & Deum Herculem repræſentaret) vt Mineruam Deam maiorem gentium, vel Herculem aliquem repræſentent? Inde eſt violari & profanari maieſtatem Deorum, cum laude auditorum & plauſu.

480. 2. Planè religioſiores eſtis in cauea, vbi ſuper ſanguinem humanum, ſuper inqui-

namenta pœnarum proinde ſaltant Dij veſtri, argumenta & hiſtorias noxiis miniſtrantes, niſi quòd & ipſos Deos ſæpe noxij induunt. Vidimus aliquando caſtratum Atyn illum Deum ex Peſſinunte; & qui viuus ardebat, Herculem induerat. Riſimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Vidimus & Iouis fratrem gladiatorum cadauera cum malleo deducentem. Singula iſta, quæque adhuc quis poſſet inueſtigare, ſi honorem inquietant diuinitatis, ſi maieſtatis veſtigia obſoletant; de contemptu vtique cenſentur; tam eorum qui eiuſmodi factitant, quàm eorum quibus factitant. Sed ludicra iſta ſunt.

481. 2. Taxat irreligionem gentilium *in cauea*, nam illa, *religioſiores iſtis in cauea*, ironiam habent. Ergo ait, eſſe in *cauea*, id eſt, arena & ludis amphitheatralibus irreligioſos admodum, *vbi ſuper ſanguinem hominum*, quem effundunt verè, *ſaltant Dij*, id eſt, qui Deos agunt, *miniſtrantes argumenta & hiſtorias noxys, niſi quòd & noxij ſæpe induunt ipſos Deos*, itaque adiungit hanc irreligioſitatem Deorum, vt tum ipſi Dij materias ſuppetant, tum noxij & facinoribus pleni Deos induant. *Vidimus aliquando*, &c. Cùm aliquando caſtratio Atys Peſſinuntis peragenda eſſet, aſſumebatur noxius qui verè euirabatur. Cùm item Herculis Oetæi, noxius quoque qui arderet viuus. *Riſimus &*, &c. Si verò in ludicris certaminibus gladiatorum meridianorum adfuiſſemus, tum *Mercurium vidimus* qui titione ardente & *cauterio* mortuos examinabat; & Plutonem qui Iouis frater eſt, illos *deducentem* extrahentémque foras *cum malleo* & vnco ferreo. *Singula iſta*, &c. Hæc omnia, & quæ occurrunt reliqua, cùm honorem diuinitatis perturbent & imminuant *veſtigia maieſtatis*, reddántque obſoleta, contemptum & ignominiam eorum includunt qui faciunt, & quibus faciunt. Satis autem de ludicris proluſimus.

482. 3. Cæterùm ſi adiiciam quæ non minùs conſcientiæ omnium recognoſcunt, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque ædituorum & ſacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis & apicibus & purpuris thure flagrante libidinem expungi: neſcio plusne de vobis Dij veſtri, quàm de Chriſtianis queantur. Certè ſacrilegi de veſtris ſemper apprehenduntur. Chriſtiani enim templa nec interdiu norunt; ſpoliarent forſitan ea & ipſi, ſi & ipſi ea adorarent.

3. Omittit ludos, & ad conſcientiam vniuscuiuſque deſcendit, quæ ſcit vitam ſingulorum, ſcit *in templis* amores conſtitui, turpitudines exerceri, *adulteria componi*, frequentari ſtupra, & eoſdem ſacerdotes & flamines vittatos, pileatos, purpuratóſque libidinem expreſſiſſe. Cùm ait, *thure flagrante*, actionem diuini cultus & religioſi intelligit. Quamobrem certum eſt, Deos de ethnicis magis quàm de Chriſtianis conqueri. Noxij enim ſacrilegij & furti, de ethnicis ſunt; nam Chriſtiani templa Deorum nullo norunt tempore, non nocte ipſa, in qua veſtri ſacrilegi inueniuntur, cùm ibi habitent; nec interdiu. Fortaſſe & ipſi ea quoque diriperent, & ſacrilegi eſſent, *ſi adorarent*.

483. 4. Quid ergo colunt, qui talia non colunt? Iam quidem intelligi ſubiacet veritatis eſſe cultores, qui mendacij non ſint: nec errare ampliùs in eo, in quo erraſſe ſe recognoſcendo ceſſauerunt. Hoc priùs capite, & omnem hinc ſacramenti noſtri ordinem haurite, repercuſſis antè tamen opinionibus falſis.

4. *Quid ergo* Chriſtiani *colunt*, ſi Deos veſtros non colunt? Liquet vtique illos veritatem colere, cùm mendacium & idololatriam non colant: non errare eos, ex quo ſe ad bonam frugem receperunt. Quamobrem *capite hoc* & apprehendite, omnémque *ſacramenti* notitiam & *ordinem haurite*, ſi priùs tamen falſas opiniones repercuſſas amandetis.

NOTÆ.

484. 1. CÆTERA LASCIVIÆ INGENIA, &c.] Hinc incipiunt comœdiæ, quas hac ambage deſignat, & adiicit *voluptates*, vt verè laſciuiæ ingenia ſint, & cum voluptate coniuncta. Greg. Nazianzenus orat. funebri de laude Baſilij, hiſtriones vocat ἡδέας, à iucunditate. Et Tertullianus, de Habitu muliebri cap. 8. *Scenæ turpitudinibus*, quod conſentit cum laſciuia. Itaque laſciuia & voluptas vnicè faciunt ad Comœdias.

1. DEORVM DEDECVS.] Videndus Auguſtinus, epiſt. 5. ad Marcellinum, vbi latè de his *Deorum in theatro probris*, imò ait ille, *criminibus*. Arnob. lib. 4. *Et quod nefarium eſſet auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix, amans ſaltatur Venus, & per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari.* Iulius Firmicus de Errore profanæ religionis cap. 13. *O facinoroſæ cupiditatis triſte ſolatium. O hominum deflenda perſuaſio! ô infelicis initiationis cruenta meditatio. Scenam de cœlo feciſtis, & errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate duxiſtis, cùm hominibus peccare cupientibus, facinorum via de Deorum monſtratur exemplis.* Prudentius in Agone Romani,

Cycnus ſtuprator peccat inter pulpita,
Saltat Tonantem tauricornem ludius, &c.

Auguſtinus lib. 7. de Ciuit. cap. 26. *Quid ſunt ad hoc*

malum, Mercurij furta, Veneris lasciuia, stupra & turpitudines cæterorum, quæ proferremus de libris, nisi quotidie cantarentur, & saltarentur in theatris?

A

1. DISPICITE LENTVLORVM ET HOSTILIORVM VENVSTATES.] Lentuli mimographi meminit idem libro de Pallio cap.4. *Meritóque mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus.* Quem locum vide. Hieronymus etiam contra Ruffinum Apolog. 2. *Et quasi mimum Philistionis, vel Lentuli, ac Marulli stropham eleganti sermone confictam.* De Hostilio memini me legisse, & vbi ignoro. 485.

1. MIMOS.] Iuuenal.Sat.13.

---mimum agit ille
Vrbani qualem fugitiuus scurra Catulli.

Ouidius:

Scribere si fas est imitantes turpia mimos.

Sæpe mimi inter homines diobolares reponūtur. Herodot.lib.5. ὠνίοχισι τε, καὶ κωμῳδοῖς, καὶ μίμων, ὑποκειτῶν. Martialis lib.2.epig.41.

Mimos ridiculi Philistionis.

1. STROPHIS.] Stropha dicta est in carmine lyrico præcipuè, ait Casperius, lib. 2. in Statij Syluas cap. 11. vnde ait dictum Statio in Surrentino Pollij,

Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit
Carmina.

Vbi ait, *dissona* dici carmina propter Stropham, & Antistropham. Et posteà cùm ait de eodem Pollio,

At iuuenile calens plectrique errore superbus:

existimat poëtam loqui de errore plectri, quòd scilicet lyrici à læua in dexteram obuertebantur in Antistropha, à dextra verò in læuam in Stropha: itaque lyram pulsantes ab vno latere in alterum se verterent, & quasi errarent: vnde *plectri errorem*, Poëta dixit. Sic in epicedio patris,

---qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ.

1. MOECHVM ANVBIM, &c.] Idem est Deus Anubis & Cynocephalus, vnde Virg.dixit:

---Et latrator Anubis.

Et vtriusque forma colebatur Mercurius. Sunt autem istæ inscriptiones fabularum. Itaque *Anubis mœchus* edebatur, sicut Luna masculus, & cætera.

1. MASCVLVM LVNAM.] Ab orientalibus admonet Heraldus petitum sermonem, qui Lunam masculinis & fœmininis nominibus appellabant. Huc refert quæ dicuntur de Luna genitrice variorum monstrorum; de qua adeundus Politianus cap. 17. Miscellaneorum, & adiungendi versus isti Epimenidis poëtæ, 486.

Καὶ γὸ ἐγὼ γόος ἐιμὶ Σελήνης κῦκλομοιο
Ἣ δεινὸν σφίγξασ' ἐπεσείσατο θῆρα λέοντα,
Ἐς Νεμέαν διὰ πότνιαν Ἡραν:
Etenim ego genus Lunæ sum pulchricomæ,
Quæ grauiter sæuiens excussit belluam leonem
In Nemeam propter venerandam Junonem:

Verè ergo Luna *masculus*, quæ non solùm fœminas, sed mares etiam producebat. Eusebius etiam lib.3. de Præparatione Euangelij cap. 3. ait, Apollinopoli, quæ est vrbs Ægyptia, cerni speciem Lunæ, non forma muliebri, vt pingi solet, sed virili. Quem in locum Cassinus lib.1. de Parabolis, cap.13. ait: In Assyria Lunæ templum fuisse apud Carras, in quo, qui Lunæ muliebri supplicaret, hunc vxoris imperio subiici credebant; qui verò Lunæ virili sacrum faceret, illum vxorium non esse, sed suæ coniugi dominari. Itaque Lunam in viri speciem effingebant, eique Solis insignia adtexebant capiti, tum Lunum Deum inuocabant potiùs quàm Lunam, quem masculum Lunam appellat Tertullianus. Hæc Cassinus. vide insuper me.2. Æn.ad illud,

---ducente Deo.

Et Dempsterum de Fortuna virili Paralipom. ad caput 8. lib.4. Rosini. Et Bulengerum lib.1.de Oracul. cap.92.

1. DIANAM FLAGELLATAM.] Istud agnomen inuenit poëta in contumeliam Dianæ. Itaque poteris illud Lactantij lib.1. cap.21. insibilare: *O dementiam insanabilem! Quid illis isti Dij amplius facere possent, si essent iratissimi, quàm faciunt propitij? Cùm suos cultores parricidijs inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant.* Verè isti cultores spoliati erant humano sensu. 487.

1. IOVIS MORTVI TESTAMENTVM RECITATVM.] Homo ergo Iuppiter, & mortuus.

1. TRES HERCVLES FAMELICOS IRRISOS.] Voracitatem Herculis satis impetit Philostratus lib.2. Imaginum, vbi sic ait: ἀλλὰ τὸ θράσος ὀργίζεται τῷ Ἡρακλεῖ ὁ Θειοδάμας, ὅτι ἀρουμένῳ ἀυτῷ ὑποσᾶς, ἀποσφάξῃ τὸ ἕτερον τῶν βοῶν, καὶ σπεύσας, σφόδρα ἐδαὴς ὢν τοιούτου σιτίου: *Herculi Theiodamas iracscitur, quod aranti assistens bouem alterum iugulat, atque epulatur; huiusmodi cibo admodum assuetus.* Inde dictus est Herculeς βουφάγος, & βουθοίνας, quia deuorator boum. Nazianzenus etiam orat.3. ὁ Βουθοίνας τὸ γεωργὸν τυραννήσας, καὶ τὸ ἀροτῆρα βοῦν λαφύξας, καὶ πλὴν κλῆσιν λαβὼν ἐκ τῆς φαγέδαινης: *Buthœnas qui agricolæ vim attulit, & bouem aratorem vorauit, cognomenque ex hoc facto accepit.* Aduertit autem Gaspar Schoppius hæc verba deesse in manuscripto. B

1. SED ET HISTRIONVM LITTERÆ OMNEM FOEDITATEM EORVM DESIGNANT.] Hîc *histrionum* nomine communem designat nomenclaturam Comicorum & Tragicorum: Vel, vt ego iudico, superiores in hoc tractu fuerunt Comici, hîc autem Tragici incipiunt. Ergo *histriones* pro Tragicis solùm accepit: nisi aliquis insolens mutaret in Tragicos, quod non ausim. Continet autem Tragica fœditatem omnem. Meritò ergo Arnobius lib.4. *Quòd si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potiùs litteras, hos exurere debuistis olim libros, istos demoliri, dissoluere theatra hac potiùs, in quibus infamiæ nominum propudiosis quotidie publicantur in fabulis.* An non continet omnem fœditatem, cùm in tragœdia audias illud, *Pellices cœlum tenent?* Theophilus lib.3.ad Autolycum: *Nec cætera spectacula spectare audemus, ne oculi nostri inquinentur, & aures nostræ hauriant, aut profana quæ ibi dicantur carmina; nempe dum Thyestæ tragica facinora commemorant, & Terei liberos deuoratos recitant, nec fas nobis est audire adulteria Deorum, quæ suauicantu modulantur.* Ausonius: C D 488.

Necnon lasciui Floralia læta theatri,
Quæ spectasse volunt, qui voluisse negant.

Lactant.lib.6. cap. 20. *In scenis comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, & amoribus meretricum, & quò magis sunt eloquentes qui ista flagitia finxerunt, eò magis sententiarum elegantia persuadent.* Inde ludi scenici vocantur πόρναι, Nouella 103. Iustiniani: καὶ πέμπτῳ τε ποιήσει θεάσεσθαι τὸν ἐπὶ τὸ θέατρον ἀγῶνα, ὃν δὴ πόρνας καλοῦσι: *Quintum quoque processum in theatrum faciet, quas sanè pornas appellant.* id est, scorta. Videsis, an infamius possis de theatro excogitare.

1. ET CYBELE PASTOREM SVSPIRAT FASTIDIOSVM.] Arnob. lib. 4. *Saltatur & magna sacris compta cum infulis mater, & contra decus ætatis illa Pessinuntia Dindymene, in bubulci* 489.

vnius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire. A Minutius: *De Cybele Dindymene pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam & ipsa deformis & vetula & multorum Deorum Mater, ad stuprum illicere non potuit, execuit, vt Deum scilicet faceret Eunuchum.* Si quæras vnde tot querelæ? Quia, qui in Cybeles sacris erant, exectis seminalis vitæ fontibus, virilitatem amittebant. Itaque hominem mollem & parum virum, dicemus *in Cybeles sacrario euiratum*, ἐν τῷ Κυβελίῳ καπηλότα. Vide Hadrianum Iunium cent.1. Adag.30.

1. ELOGIA.] Non dubium quin hîc elogium signet crimen, sic idem, *elogium irreligiositatis.* &, *elogium reorum.* &, *elogium scindere.* Demum variis in locis. De his elogiis & criminibus audi Prudentium in Agone Romani; quem iam tenes:

Cycnus stuprator peccat inter pulpita,
Saltat Tonantem tauricornem ludius.

490. 1. PASTORE.] Paridem intelligit. Virgilius 7. Æneid. B

An non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor?

Quem locum vide. Ibi ex Maximo Tyrio, Horatio, Ouidio, Propertio, & Cicerone id probaui. Sed & Deas iudicasse, quod hîc asserit Tertullianus, certum est. Virgilius 1. Æneid. *Iudicium Paridis.* Dio Chrysostomus orat.20. ὡς ἐπίσχανε χρόνῳ ἄγων ἐν τῇ Ἰδῃ περὶ τὰ βουκόλια, τοιαύτης ἐννοίας καὶ ἐπιθυμίας αὐτῷ γιγνομένης, ὡς ἄρα εὐδαιμόν τι καὶ μακάριον τὸ τῶν παισὶν κληίσθω γυναῖκα ἔχειν: *Cùm enim ageret in Ida circa armenta, talis illi cogitatio & concupiscentia incidit, summam felicitatem beatitudinémque esse, si quis omnium pulcherrimam haberet.*

1. IMAGO DEI VESTRI.] Bene admonet Heraldus, Artemidorum scripsisse cap.13. lib.3. personas Deorum sæpe induisse Comicos, πολλάκις δ' καὶ θεῶν πρόσωπα ἀναλαμβάνουσι: *Sæpe Deorum vultus assumunt.*

491. 1. IGNOMINIOSISSIMVM CAPVT.] Est hic *impuratus homo*, quem vocat Minutius, loquens de fabrica idolorum. Idem Minutius sic loquitur: *Idem Deos vestros, induendo stupra, suspiria, odio dedecorat.* C

1. FAMOSVM.] Lampridius in Alexandro: *Famosus crimine furtorum.* Notes obiter, hoc nomen deinde vsurpatum ab scriptoribus medij æui, bonam in partem. vt cùm Hincmarus Archiepisc. Rhemensis scribens ad Pontificem Nicolaum I. ait: *Hæc autem de quibus clarissimæ sanctitati, & famosissimæ sapientiæ vestræ scripsi*, &c. Et in vita sancti Ludgeri lib.1. cap.5. *in Eboraica ciuitate famosus meritò magister scholam Alcuinus tenebat.* Et Aldhelmus lib. de Virgin.cap.23. loquens de sancta Lucia, *famosissimæ Christi tyrunculæ Luciæ.* Arnoldus in vita sancti Godethardi dixit, *famosus iuuenis*, in bonam partem.

492. 1. MINERVAM ALIQVAM.] Excellentem & insignem Deam & maiorum gentium. Vide cap.12. num.3.

1. LAVDANTIBVS VOBIS.] Hæc verba vim habere notat Heraldus. Perinde ac si dicat: *Non solùm spectantibus vobis, sed etiam probantibus, & impuros illos Deos plausu persequentibus.* Prudentius in Agone Romani,

Dicis licenter hæc poëtas fingere.
Cur tu piaculum tam libenter lectitas?
Cur in theatris te videnti id, plauditur?

Et ego adduco Lucianum, qui pro imaginibus, ἂν οὕτως ἀνθρωπος μείζων γίνεται, ὧν τις αὐτὸν θεῷ ἀπεικάζῃ, ὡς τὸ θεῖον ἀνάγκη ἐλαττοῦσθαι πρὸς τὸ ἐνδεὲς ὑπικλώμενον: *Neque enim perinde tantis incrementis hominis virtus augetur Deo comparati, quàm Dei magnitudo imminuitur, ad id quod vilius est, inæqualiter deriuata.*

2. NOXII INDVVNT.] Addit vim orationi; nam suprà, *ignominiosi & famosi*; nunc, *noxij & facinorosi.*

2. CASTRATVM ATYN.] In Amphitheatro, ea fuit crudelitas isque lusus, vt homo euiraretur, quem *Atyn* vocabant, & *Pessinuntium* esse fingebant; & alter histrio se Deam Cybelem assimulabat. Similiter Herculis Oetæi fatum repræsentabãt, quæsito noxio, qui arderet viuus. De his lusibus Martialis abundè in lib. de Spectaculis. De Pessinunte Cybele audi Iulium Firmicum, de errore profanæ religionis: *Phryges, qui Pessinuntem incolunt, circa Galli fluminis ripas, Terræ cæterorum elementorum tribuunt principatum, & hanc volunt omnium esse matrem.* De Gallo euirato Prudentius in agone Romani: 493.

An ad Cybellis ibo locum pineum?
Puer sed obstat Gallus ob libidinem,
Per triste vulnus, pérque sectum dedecus,
Ab impudicæ tutus amplexu Deæ,
Per multa matri sacra plorandus spado.

Et infrà ibidem:

Ast hic metenda dedicat genitalia
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum semiuir donum Deæ.

Arnobius lib.5. aduersus gentes: *Pinus illa sollemniter, quæ in matris infertur sanctum Deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua Atys virum demessis genitalibus abstulit?* Iterum: *Quid enim sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deum matris intermittis sanctuario?* Mitto Virgilium, Ouidium, Claudianum, alios.

2. QVI VIVVS ARDEBAT, HERCVLEM INDVERAT.] Oetæus Hercules viuus arsit: inde quæsiti noxij ad hoc spectaculum, qui reuera viui arderent. Quamobrem Turnebus verba Plinij corrigit, *Rostra Herculis tunicati, Oetæo habitu Romæ, torua facie sentientéque suprema, in tunica*; cùm priùs legeretur *Eleo*, habetur in Turnebo lib.16.cap.12. Illud *sentiente suprema* ad rem est. Vide totum Herculem Oetæum apud Senecam tragicum. Inde tyrannorum potestas efferbuit. Diodorus Sicul. lib. 14. ἔδησε Διονύσιος Φίλωνα πρὸς τὰς ὑψηλοτάτας μηχανὰς, οἱονεὶ ζαγκλῶν τραγικὴν λαμβάνων: *Obligauit Dionysius Philonem ad machinas altissimas, veluti tragicum supplicium sumens.* Euseb.lib.6.Hist. ὥσπερ ἐκ μαγγανίου τινὸς ἐς τὸ μέσον ῥιφείς: *Quasi ex machina quadam in medium deiectus.* 494.

2. MERIDIANORVM.] Suetonius in Claudio cap.34. *Bestiariis meridianisque adeò delectabatur, vt etiam prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie, dimisso ad prandium populo, persederet.* Seneca epist.1. *Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus expectans & sales, & aliquid laxamenti*, &c. Vide & Dionem in Claudio.

2. MERCVRIVM MORTVOS CAVTERIO EXAMINANTEM.] Petronius Satyr. *Mercurius enim, qui animas ducere & reducere solet, suis beneficiis reddidit mihi quod manus nata præciderat.* Non dubiũ quin huc alluserit Tertullianus: Vtis Mercurius, qui olim animas, in Romano lusu corpora cauterio examinaret. Quò alluserit etiam Prudentius his versibus in Symmachum, D 495.

Nec non Thessalicæ doctissimus ille magiæ
Traditur extinctas sumptæ moderamine virgæ
In lucem reuocasse animas.

Necnon Virgilius 4. Aeneidos,

---Hæc animas ille euocat Orco
Pallantes, alias sub tristia Tartara mittit.

Vnde Horatius lib. 2. illum vocat *Orci satellitem.* Græci vnico verbo πομπὸν, & πομπεῖον, & ψυχοπομπὸν: & sanctus Ambrosius *emissarium.* Vide Lilium.

2. DEDVCENTEM.] Nescio sanè quid velit Iu- 496.

nius ſcribens, *diducentem, id eſt, inſtructum malleo.* Cùm nihil interſit inter *deducentem* ac *diducentem* hoc in loco. Niſi me animus fallit, hîc *cum malleo deducere*, erit, vnco ferreo trahere extraheréque foras. Vnde hoc nomen *malleus* hanc ſignificationem habuerit, facile erit diuinare in auctore iſto, potuit malleus iſte eſſe forma vncinata.

2. VESTIGIA OBSOLETANT.] Aduertit Schoppius in ms. legi, *faſtigium adſolant*, & explicat, id eſt, deiiciunt eò vt à cultoribus reddantur ſolitarij. Ipſe autem autumat legi poſſe *adſellant*, quod Vegetio eſt in ſeceſſum cogere.

3. IN TEMPLIS ADVLTERIA COMPONI.] Ouidius lib. 2. de Arte,

Nec fuge Linigenæ Memphitica ſacra iuuencæ,
Multas illa facit, quod fuit ipſa Ioui.

Iuuenal. ſat. 6.

--- Iamque expectatur in hortis,
Aut apud Iſiaca potiùs ſacraria lena.

Idem ſat. 9.

Nuper enim, vt repeto fanum Iſidis, & Ganymedem,
Pacis, & aduectæ ſecreta palatia Matris,
Et Cererem (nam quo non proſtat fœmina templo?)

Et ipſe Tertullianus lib. de Pudicit. cap. 5. *Ego quidem Idololatria ſapiſſimè mœchiæ occaſionem ſubminiſtro. Sciunt luci mei, & mei montes, & viuæ aquæ, ipſaque in urbibus templa, quantum auertendæ pudicitiæ procuremus.* De hac re Minut. & Martialis lib. 1. Epigram. 68. & Suetonius in Tiberio cap. 44. cùm inter ſacrificandum impudicè ſpectarit Tiberius adoleſcentem, cui poſtea ſtuprum obtulit. Vide Rangolium comment. lib. 1. cap. 2. verſ. 22. vbi ex Epiphanio, Nazianzeno, Chryſoſtomo rem hanc locupletat.

3. SVB IISDEM VITTIS, ET APICIBVS,
497. ET PVRPVRIS.] Quæ hîc de *purpura* loquitur Iunius, infantiliter loquitur, cùm non Tertullianus eam det ſacerdotibus tantùm Saturni & Æſculapij, ſed generaliter loquatur. Vnde mentem illam hauſerit Iunius, ipſe dicat, ſatis illum confutat Heraldus, quem vide. De *apicibus* Fulbertus Carnotenſ. epiſt. 22. *Et ſummo, vt dicebat, dignitatis apice ſublimauit.* Erat *apex* inſigne, quod erigebatur in cono galeæ. Maro ita ceeinit,

--- apicem tamen incita ſummum
Haſta tulit.

Et Ennius apud Macrobium lib. 6. Saturnalium cap. 1. *inſigne* vocat, ait enim,

--- inde volans ſecum abſtulit haſta inſigne.

3. LIBIDINEM EXPVNGI.] Id eſt, perfici, &
498. compleri. Diximus ſatis ad Tertullianum. nunc ſat Minut. qui *libido defungitur.*

3. CERTE SACRILEGI DE VESTRIS SEMPER APPREHENDVNTVR.] Vide Valerium Maximum lib. 5. cap. vbi Dionyſij multa ſacrilegia, de amiculo aureo detracto Ioui Olympio, Æſculapio barbam auream, argenteis menſis atque aureis ſublatis de templo. Eſt in Diodoro lib. 13. facinus eorum qui templum Apollinis ἐσύλησαν. Eſt in Nicephoro Conſtantinopolitan. patriarcha in breuiario Hiſtoriæ inſigne facinus violati templi: ᾧ πλὴν μὲ ἐνδυτῷ διαῤῥηγνῦσι, καὶ τὸν ἱερὸν χῶρον αἰσχρῶς κατεῤῥύπωσαν· πάντε κλεῖς τῶν πυλῶν λαβόντες ἐπὶ κόντυ αἴρουσι, καὶ οὕτω τὴν πόλιν ἐξέρχονται θρίαμβον: *Ac cùm ſacram veſtem conſcidiſſet, & religioſiſſimum locum turpiter contaminaſſet, arreptis templi clauibus, atque è conto ſublatis, ſine mora tota vrbe peruagatur.* Cæcilius Baldus in Polycratico Saliſberienſis lib. 3. cap. 14. *Quis enim Deorum ei parcat à quo ſe deceptum intelligat? Quis non irruat in eum qui aureos Ioui oculos eruit?* Nicetas Choniates in 499.
vita Iſaaci Comnenij lib. 3. cap. 7. inſignia memorat flagitia ipſius Iſaaci, qui vaſis ſacris ex templo auulſis pro malluuiis vtebatur, crucium ornamentis pro torquibus. Eſt longiſſimus. Breuior eſt idem in vita altera eiuſdem, cùm recuperauit imperium cap. 1. ait enim: ὡς γὰρ χρημάτων ἐσπανίζε, καὶ τοῖς θείοις ἐπέφυν διὰ τοῦτο τεμένεσιν. ὧν γὰρ ἴδοιν, οὐ μόνον τὰς ἱερὰς εἰκόνας Χριστοῦ ἀξίνας ἐκκοπτομένας, καὶ χαμαὶ ῥιπτομένας, καὶ τὸν αὐτῶν κόσμοις μὴ σὺν φειδοῖ, ἀλλ' ὡς ἔτυχεν, ἐκ ἀσωμένους, καὶ πυρὶ παραπεμπομένους, ἀλλὰ καὶ σκεύη τὰ σεπτά τε καὶ παναγῆ ἀφριδαμβύτως ἐκ τῶν ναῶν ἁρπαζόμενα καὶ πυρούμενα, καὶ ὡς κοινὸν ἀργύριον καὶ χρυσίον τοῖς πολεμίοις χρατεύμασιν παρεχόμενα: *Nam cùm pecunia deſtitueretur, templa quoque inuaſit. Nec ſacræ tantùm Chriſti imagines ſecuribus excidebantur, & humi proiectæ, ſine vlla reuerentia, ornatu adempto in ignem conijciebantur: ſed & ſacroſancta vaſa abſque metu è templis rapta & conflata, vt vulgare aurum & argentum hoſtibus dabantur.* Sed vel lacrymas mouet, cùm cap. 13. Alexij Murziofli, narrat idem direptiones ſacrorum, interque alia, tum hæc: τὸ δὲ φρικῶδες καὶ ἀκουόμενον, ὧν ὁρᾶν τὸ θεῖον αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ κατὰ γῆς χεόμενον καὶ ῥιπτούμενον: *Quod cùm auditu horrendum eſt, id tum erat cernere, vt diuinus ſanguis & corpus Chriſti humi effunderetur & abijceretur.* In eandem ſententiam loquitur Chryſoſt. Epiſt. ad Innocentium: καὶ τὸ ἁγιώτατον αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐν τοσούτῳ θορύβῳ, εἰς τὰ τῶν πεφονευμένων στρατιωτῶν ἱμάτια ἐξεχέετο, καὶ ὡς ἐν αἰχμαλωσίᾳ βαρβαρικῇ πάντα ἐτολμᾶτο: *Quin & ſanctiſſimi Chriſti ſanguis, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effuſus eſt, fiebántque quaſi in barbarica captiuitate omnia.*

3. SPOLIARENT FORSITAN EA ET IPSI.] Latinius legit, *pollauerent forſitan ea & ipſi.* Nihil 500.
tamen cenſeo mutandum.

3. ADORARENT.] Moris fuit non ſolùm ipſa templorum Numina, ſed templa quoque adorare. Citat Heraldus Ioſephum lib. 13. qui περισκυνεῖν ναὸν, καὶ ἱερόν: tum etiam Valerium Maximum lib. 6. cap. 6. qui, *Tuas aras, tuáque ſanctiſſima templa, diue Iuli, veneratus oro.*

4. INTELLIGI SVBIACET.] Hellenifmus, διανοεῖσθαι ὑπόκειται.

4. MENDACII.] Hoc eſt idololatriæ. Paulus cap. 1. ad Romanos: *Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori.*

CAP. XVI. ARGVMENTVM.

Chriſtiani non caput Aſini colunt, non rectos palos, non Solem, non Ononychetem.

TERTVLLIANVS.

501. 1. NAm vt quidam ſomniaſtis, caput Aſininum eſſe Deum noſtrum: Hanc Cornelius Tacitus ſuſpicionem eiuſmodi inſeruit: Is enim in quinto hiſtoriarum ſuarum bellum Iudaïcum exorſus ab origine gentis, etiam de ipſa tam origine quàm de nomine & religione gentis, quæ voluit, argumentatus, Iudæos refert Ægypto expe-

ditos, siue, vt putauit, extorres, in vastis Arabiæ locis aquarum egentissimis, cùm siti macerarentur, onagris (qui fortè de pastu potum petituri æstimabantur) indicibus, fontibus vsos: ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque inde opinor, præsumptum, nos quoque vt Iudaïcæ religionis propinquos eidem simulacro initiari. At enim idem Cornelius Tacitus sanè ille mendaciorum loquacissimus, in eadem historia refert, Cnæum Pompeium cùm Hierusalem cepisset, propterea que templum adiisset speculandis Iudaicæ religionis arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. Et vtique si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis quàm in sacrario suo exhiberetur, eò magis quia nec verebatur extraneos arbitros quanquam vana cultura. Solis enim sacerdotibus adire licitum, & conspectus cæterorum velo oppasso interdicebatur. Vos tamen non negabitis & iumenta omnia, & totos cantherios cum sua Hippona coli à vobis. Hoc forsitan improbandum, quòd inter cultores omnium pecudum bestiarumque Asinarij tantùm sumus.

EXPLICATIO.

502. 1. HIc tractus continet Asininum caput, quod coli à Christianis pro Deo, gentes obiectabant, & eiusdem sententiæ euersionem, clarusque est; quamobrem omittam hoc in loco paraphrasin, contentus aliqua explicuisse. *Cornelius Tacitus*, &c. Dicam in Notis, quæ pertinent ad hunc locum. *Onagris (qui fortè*, &c. *Fontibus vsos*, *indicibus onagris*, qui fortè postquam saturati erant pastu, potum repetere credebantur. 503. *Superficiem*, tantùm superficiem & formam exteriorem. *In eadem historia*, &c. Propterea vocat illum *mendaciorum loquacissimum*, quia idem Pompeius in visendis arcanis auidus, nihil tale ibi reperit. *Totos cantherios*, &c. Non vtique *superficiem*, sed *totos* atque integros *cantherios*, *cum sua Hippona* stabulorum Dea. Est *cantherius*, equus castratus. *Hoc forsitan*, &c. Tantùm credo improbabitis nos, quòd *simus asinarij*, cùm vos omnes bestias & pecudes adoretis. Faceta est reprehensio.

2. Sed & qui Crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cùm lignum aliquod propitiatur. Viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit: viderit forma, dum id ipsum Dei corpus sit. & tamen quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Farrea, quæ sine effigie rudi palo & informi ligno prostant? Pars crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur, nos, si fortè, integrum & totum Deum
504. colimus. Diximus originem Deorum vestrorum à plastis de cruce induci, sed & victorias adoratis, cùm in tropæis cruces intestina sint tropæorum. Religio Romana tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus Diis præponit. O-
505. mnes illi imaginum suggestus insignes, monilia crucium sunt. Sypara illa vexillorũ &
506. Cantabrorum stolæ crucium sunt. Laudabo diligentiam, noluistis nudas & incultas cruces consecrare.

2. Hic iam tractus continet religionem Crucis. Inquit igitur: Qui nos putat religioni Crucis addictos, simili nobiscum gloria tenetur, *cùm lignum aliquod*, id est, Crucem, *propitiatur* & adorat, simili vtique religione in hoc nobiscum facit. *Viderit habitus*, &c. Nihil refert qualis sit habitus, *dum eadã sit materiæ qualitas*; nihil refert qualis sit forma, *dum corpus Dei sit*. Vtcunque *tamen quanto distinguitur à Crucis stipite* (verè à Cruce) *Pallas* illa, quæ Athenis culta; & Ceres illa, quæ far & fruges inuenit, quæ duo numina *prostant informi tantùm ligno*, *& palo sine* vlla *effigie*, quæ repræsentet numina? *Pars Crucis*, &c. Cùm *pars Crucis* sit *robur* illud, *quod* in terram *defigitur erecta statione*, & nos esto lignum colamus, certè *totum Deum colimus*, quia non stipitem tantùm erectum, sed stipitem integratum, qui est figura crucis, quia sic repræsentat Deum nostrum cruci affixum. Vel sic. Differimus in hoc à vobis, quòd vos lignum illud, *quod* in terram *defigitur erecta statione*, colitis, quæ Crucis pars est: nos ita in hoc tantùm erimus dissimiles, quòd vos partem Crucis nullo respectu Christi, nos integram crucem colimus, & vestra quidem opinione tanquam Deum. Clariùs: Vos partem, nos totum adoramus. Et particula *si fortè* est, vos partem, nos totum Deum adoramus. *si fortè*, id est, forsitan, quasi in dubio relinquat id quod certum est. Itaque *si fortè* idem est, quod forsitan, vt clarè dicat: Nos totum Deum adoramus certissimè. Vtitur tamen eo modo dicendi, & hæc est vera explicatio, cùm, *si fortè*, in hoc auctore, idem sit quod forsitan, & fortassis. *Diximus originem*, &c. Hoc suprà cap. 12. Dixit enim ibi originem Deorum gentilium ab artificibus & plastis assumpta cruce inchoari, & formari. *Sed & victorias*, &c. *Intestina* sunt trabes illæ interiores in modum crucis formatæ: spolia appensa erant in tropæis, siue trophæis (Græcissiat enim adimens aspirationem.) *Religio Romana*, &c. Nihil æquè miles Romanus veretur ac signa, per hæc iurat, hæc omnibus anteponit numinibus. Indumenta illa permagnifica, quibus vestiuntur imagines signorum, *sunt monilia* & ornamenta *crucium*. Etenim *suggestus* vestitus sunt & indutus. *Sypara illa*, &c. Vestem consecratam, & velamen Crucis vocat *Sypara vexillorum & stolas Cantabrorum*, & veluti (vt ait Baronius tomo 3. Annal. pag. 70.) velamenta illa, quæ in hastula transuersa Cantabri illigata sunt, & crucem vestire quodammodo videntur. Sunt autem *Cantabra* vox Persica: dicam in notis. Concludit, laudans *diligentiam* illorum, qui noluerint *nudas cruces*, sed vestitas. 507.

508. 3. Alij planè humaniùs & veriſimiliùs Solem credunt Deum noſtrum: Ad Perſas ſi fortè deputabimur; licèt Solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipſum vbique in ſuo clypeo. Denique inde ſuſpicio, quòd innotuerit nos ad orientis regionem precari: ſed & plerique veſtrûm in affectatione aliquando vt cœleſtia adorandi ad Solis ortum labia vibratis. Æquè ſi diem Solis lætitiæ indulgemus, alia longè ratione quàm religione Solis, ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipſi à Iudaico more, quem ignorant.

509. 3. Tertius tractus continet opinionem illorum, qui putabant Chriſtianos Solem adorare, & ſimul refellit: inquitque: *Alij planè credunt Solem* eſſe *Deum noſtrum*: perhumaniùs & verosimiliùs: quia humanitas noſtra id petere videtur & ius veriſimilitudinis, id eſt, quia ducuntur coniectura: dum nos animaduertunt ad orientem orare, & diem Solis colere. Hinc *deputabimur* fortaſſe *ad Perſas, licèt non adoremus Solem* in vexillis *depictum*, quia habemus illum præſentem vbique *in clypeo* ſiue in orbe & globo ſuo. Malè itaque parentheſis apponitur. Cùm habeamus vbique *in ſuo clypeo* aſpectuque Solem, *licèt non in linteo depictum adoremus*, quod faciebant Perſæ. *Denique inde*, &c. Reſpicit ad illud *humaniùs, & veriſimiliùs*; duas enim coniecturas dupliciter refellit. Primò, ſi idcirco dicimur adorare Solem, quòd certum ſit nos ad illum conuerſos *precari*: nonne & vos aliquando *vibratis labia* 510. *ad ortum Solis*, cùm affectatis adorare veſtra numina, *vt cœleſtia?* Cùm dicit *in affectatione*, indicat neſcio quid religioſitatis gentilitiæ. Quaſi tunc conuerterentur ad orientem, cùm vellent adorare numina impenſiore affectu. Notetur oppoſitio inter verbum *precor*, & verbum *vibro*. Perinde ac ſi dicat: Nos precamur, vos vibratis, tanquam magici & ſuſurrones. *Aequè ſi diem*, &c. Secundò: Si idcirco dicimur indulgere diei Dominico, *indulgemus* quidem *lætitiæ* ſpirituali, & hac *longè ratione*, non *religione Solis*, à Perſis *ſumus ſecundo loco*, id eſt, Dominico, *qui* Perſæ *diem Saturni*, id eſt, ſabbatum *decernunt otio & victui* indulgendum, minimè ieiunando, aberrantes ipſi etiam Perſæ *exorbitantéſque à Iudaico more, quem ignorant*. Breuiter. Dominico feriamur, vt Perſæ ſabbato.

511. 4. Sed noua iam Dei noſtri in iſta ciuitate proximè editio publicata eſt, ex quo quidam in fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit cum eiuſmodi inſcriptione, DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES. Is erat auribus aſininis, altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus & nomen, & formam. Sed illi debebant adorare ſtatim formæ numen, quia & canino & leonino capite commiſtos, & de capro & de ariete cornutos, & à lumbis hircos, & à cruribus ſerpentes, in planta vel tergo alites Deos receperunt. Hæc ex abundanti, ne quid rumoris irrepercuſſum, quaſi de conſcientia præteriſſemus. Quæ omnia conuerſi eam ad demonſtrationem religionis noſtræ repurgauimus.

512. 4. Quartus demum tractus continet nouam Romæ editionem circa Deum Chriſtianorum, poſtquam illam pictor propoſuit mirus *in fruſtrandis* & decipiendis *beſtiis*. vel mirus in fingendis ita beſtiis, vt mox fingit falſum iſtum Chriſtianorum Deum, cum inſcriptione huiuſmodi, DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES, id eſt, Aſinungulus, vel ex aſino & vngula. Is nimirum erat *Auribus aſininis, vngulatus pede, librum geſtans, & togatus*. Nos ſtatim *riſimus & nomen* Ononychitis, *& formam* qua exhibebatur. *Sed illi debebant*, &c. Quibus tandem incumbebat adorare hoc monſtrum ex Aſino & vngula? His nimirum qui adorarent omnia prodigia: de quibus vide Notas. *Hæc ex abundanti*, &c. Hæc veluti ſuperflua placuit repetere, *ne quid irrepercuſſũ* videatur, & prætermiſſum *de conſcientia*. Ideo autem iſta repurgaui, conuerſus iam ad litterarum noſtrarum munimen.

NOTÆ.

513. 1. HANC CORNELIVS TACITVS, &c.] Hãc opinionem iam olim Ioſephus lib. 2. contra Apionem confutauit, de Iudæis ipſis. Vide ab eo loco, *In hoc enim ſacrario Apion præſumpſit edicere, Aſini caput collocaſſe Iudæos*, &c. Sed dolendum eſt, Græcam in hac parte deſideratam phraſim. Quæ ait verò de Cornelio Tacito, habentur lib. 5. hiſtoriæ, his verbis: *Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cùm grex aſinorum agreſtium, è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes, coniectura herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit. Id leuamen, & continuum ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus, obtinuêre terras, in quibus vrbs & templum dicata ſunt. Moſes, qui ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus contrariòſque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illum, quæ nobis inceſta. Effigiem animalis, quo monſtrante, errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacrauere: cæſo ariete velut in contumeliam Hammonis.* Attigit hanc gentium calumniam in Chriſtianos Minutius: *Audio eos turpiſſimæ pecudis caput Aſini conſecratum inepta neſcio qua perſuaſione venerari.* Adducit Briſſonius verſus Rutilij, itinerario lib. 1. quibus Iudæos impetit,

Reddimus obſcœnæ conuitia debita genti,
Quæ genitale caput propudioſa metit.

1. IS ENIM IN QVINTO HISTORIARVM.] Legunt aliqui: *Is enim in quinta hiſtoriarum*. Nam infrà: *At enim idem Cornelius Tacitus in eadem hiſtoria refert*. Præterea ſic eſt in editione Veneta. Atque vt hoc obiter ſtringam, Tertullianus commodè *quinto hiſtoriarum* dixit, neque olim libri Taciti aliter digeſti, nec Tertullianus lapſus κατ' ἀμαρτίαν, vt malè vult Briſſonius, éſtque contra hunc optimum argumentum Tertullianus, Tacitum olim diuiſum, ſicuti nunc eſt. Vt hoc intelligas, opus eſt adire Briſſonium ad L. Dominico de Speculis. in Schoppio eſt *ni quarto*, & ita ait legi in ms.

1. EXTORRES.] Verba, quibus id aſſerit Corne- 514.

lius, sunt: *Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Occhorim, adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, vt inuisum Deis, alias in terras auehere iussum.* Nihil aliud est *extorris.*

1. AT ENIM IDEM CORNELIVS TACITVS.] In eodem libro ita refert Tacitus: *Romanorum primus Cneus Pompeius domuit, templumque iure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, nulla intus Deûm effigie vacuam sedem, & inania arcana.*

1. LOQVACISSIMVS.] Quia *Tacitus*, inde idem *loquacissimus*. Et videtur Sidonius nostro hæsisse, cùm dixit in Anthemio,

Qua pompa Tacitus nunquam sine fine loquendus.

Et in Narbone,

Et qui pro ingenio fluente, nulli
Corneli Tacite es tacendus ori.

516. 1. EO MAGIS, &c.] Pamelius legit, *eo magis, quia verebatur extraneos arbitros vana cultura.* Idem tamen Puteanum laudat scribentem, *quia nec verebatur*, &c. Ideo autem adieci *quamquam*, quia illam dictionem repræsentant Aldi, & Rhenani, & Heraldi codices.

1. VELO OPPASSO.] Aliàs, *oppanso.*

1. ET IVMENTA OMNIA, ET TOTOS CANTHERIOS CVM SVA HIPPONA.] Minutius Felix: *Inde est, quòd audire te dicis caput Asini rem nobis esse diuinam. Quis tam stultus vt hoc colat? quis stultior vt hoc credat? Nisi quòd vos & totos asinos in stabulis cum vestra Hippona consecratis, & eosdem asinos cum Iside religiosè deuoratis.* Scholiastes Iuuenalis, *Hippona dea mulionum est.* De nomine *Hippone*, an ita scribendum sit; an verò ita, *Epona*, dubium esse possit. Scribere malim *Epona*, breuibus primis. Tum quia sic scribit Iuuenalis sat. 8.

Solam Eponam, & facies olida ad præsepia pictas:

Et Prudentius in Apotheosi,

Nemo Cloacinæ aut Eponæ super astra deabus.

Quamuis in Prudentio *Hippo* quoque sit, & sic putet legendum Victor Giselinus. Heraldus tamen *Epone*, vt etiam in Minutio. Et in Apuleio lib. 3. de Asin. vbi sic: *Respicio pilæ mediæ, quæ stabuli trabes sustinebat, in septo fere medi tullio Eponæ Dea simulacrum, residens adiculæ, quod accuratè corollis roseis, & quidem à iacientibus, fuerat ornatum.* Eiusdem sententiæ est Carrio lib. 2. Emendat. cap. 18. & Turnebus in Aduersariis; & magnum pondus Plutarchus in Parallelis, qui scripsit: καὶ ὠνόμασεν Ἑπόναν. ὃν ἡ Θεὸς φεύγουσα ποιουμένη ἵππων.

517. 2. SED ET QVI CRVCIS NOS RELIGIOSOS PVTAT.] Rectè Gretserus reprehendit Iunium insciter ista explicantem in fine capitis primi in Notas Iunianas. Illa verò Minutij, *Cruces etiam nec colimus, nec optamus*, honestè idem explicat lib. 1. de Cruce cap. 60. in hunc modum, tantum enim negat, crucem à Christianis eo modo coli, quo eam putabant coli infideles, videlicet tanquam numen quoddam. Astruitur hoc ex sequentibus verbis: ait enim: *Vos ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, vt Deorum vestrorum partes forsan adoratis.* Itaque Minutius non tam Christianos Crucem, quàm eo modo, quo credebant Ethnici, colere & adorare negat. In suam sententiam Gretserus trahit Alanum Copum. Et ego Ambrosium orat. funebri de obitu Theodosij ad filium Honorium: *Habeat Helena quæ legat, vnde Crucem Domini recognoscat, inuenit ergo titulum, regem adorauit, non lignum vtique, quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum. Adorauit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Non enim Cruces adorantur à nobis, vt putant infideles. in quam sententiã loquitur Ambrosius. Aliàs mirum est, quæ sint sanctorum de cruce testimonia honorifica. Chrysostomus in Matthæum cap. 16. οὗτος γὰρ ὁ σταυρὸς τὴν οἰκουμένην ἅπασαν καὶ ἐπέτρεψε, τὴν πλάνην ἔξέλασε, τὴν ἀλήθειαν ἐπανήγαγε, τὴν γῆν οὐρανὸν ἐποίησε, τοὺς ἀνθρώπους ἀγγέλους εἴργασε: *Crux terrarum orbem conuertit atque sanauit, hæc errorem abegit, veritatem reduxit, terram in cœlum restituit, ex hominibus Angelos effecit.* Itaque crux, ex sententia Ambrosij adoranda est, propter Christum, qui in ea pependit, nam ipsa nullum habet numen. Vnde idem Chrysost. Homil. de Cruce & Latrone: *Crucifixus es? clauis retineris, & paradisum polliceris?*

518. 2. CONSECRANEVS.] Aliqui legunt *consectaneus*, non ita bene. Capitolinus in Gordiano 1. *Sacrati commilitones, imò etiam mei consecranei*, id est, sodales, eodémque iure sacrati.

2. VIDERIT HABITVS.] Phrasis Tertulliani, pro eo quod est, nihil refert habitus, nihil forma. Id est, nihil conducit ad rem, habeat se lignum hoc vel illo modo in signum crucis vel rudis stipitis, dummodo lignum sit. Nec forma, dum aliquod numen referat. lib. de Pallio cap. 6. *Viderit nunc philosophia quid prosit.* In libro de Pœnitentia cap. 2. *Viderit ergo in gratia hominum, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit.* Græci sic loquuntur. Lucianus in Dialogis Mortuorum: Ἀμφίλοχος μὲ οὗτος αὖ εἰδέναι ὅτι ἀπὸ ἀποκριτίου ἦσθ' ἀπὸ.

2. CRVCIS STIPITE.] Explicui crucem, etenim *crux*, si Lipsio credis lib. 3. cap 3. fuit propriè inferior defixusque stipes, & pars illa transuersa dicta est *patibulum.* Inde locutio illa, *patibulo crucis affigi*, quia patibulum pars crucis. Firmicus lib. 6. Mathes. cap. 31. *Scurra animaduertentis sententia patibulo suffixus, in crucem crudeliter erigetur.* Quod hic *crucem* dixit Tertullianus, infrà *partem crucis* vocauit: *Pars crucis, est omne robur quod erecta statione defigitur.* Tacitus præterea distinguit inter patibulum & crucem, cum ait: *Patibula, ignes, cruces.* Dicit nimirum subiectos ignibus suspensos in patibulis & crucibus; in patibulis, brachiis illigatis; in crucibus, reliquo corpore appenso. Seneca etiam cùm dixit: *Alij brachia patibulo explicuerunt*: Patibulo, inquam, crucis. Plautus Mostell. *Dispessis manibus patibulum habere.* Patibulum scilicet crucis, & dictum *patibulum*, quòd inde crux pateat. Vnde Tertullianus signatè, *cùm aliquod propitiatur lignum*, vbi *lignum aliquod*, quod hic *stipitem.*

519. 2. PALLAS ATTICA, ET CERES FARREA.] De Pallade, quę Athenis culta, ideoque *Attica*, nihil in auctoribus inuenio discriminis. De Cerere non sic. Puteanus enim *Faria* legit, vt citat Pamelius. Lipsius lib. 1. de Cruce cap. 5. *Faria*, aut *Pharia*. Vvouerenius in Minutium, *Pharia*. Faber lib. 3. Semest. cap. 3. *Phariam*, & coniicit in inscitiam librariorum corrigentium *Farream.* Tam Lipsius quàm Faber de Iside accipiunt, quæ culta in Pharo Ægypti, citátque Lipsius Apuleium, apud quem Isis ipsa ita ait: *Me primogenij Phryges Pessinuntiã matrem nominant, me Eleusinij vetustam Deam Cererem.* Sed me illi in sententiam suam non rapiunt; nescio enim cur *Farrea* dici Ceres non possit, cùm Far inuenerit & fruges. Quid quòd Gretserus vir omni iudicio maior Cereris Farreæ nummum & inscriptionem affert? Nummus Cereris stantis manibus in formam Crucis expansis, quæ à pectore in rudem palum, & informem truncum desinit. inscriptio verò hæc est: DEAI SEGETIAI. Quæ Æliano σιτὼ dicta est, & est eadem, quæ *Ceres Farrea.* Ad hæc Theodorus Canterus lib. 2. variarum lectionum cap. 25. *Farream* retinet, quam Σιτὼ meminit ποικίλης ἱστορίας lib. 1. cap. 27. Σιτοῦς ἄγαλμα Δήμητρος.

520. 2. RVDI PALO ET INFORMI LIGNO PROSTANT.] Lucanus lib. 3.

Simulacraque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

Venerem etiam Paphiam ita describit Tacitus lib. 2.

Simulacrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens, & ratio in obscuro. Pessinuntiam Deam, informem fuisse lapidem è cœlo lapsum, Herodianus memoriæ prodidit. Prudentius in Agone Romani de eadem Cybele,

Lapis nigellus euehendus essedo.

Arnobius lib. 6. ait, *coluisse informem Arabas lapidem.* Et Clemens Alexandrinus in Protrept. Idem ait de lapide Arabum, & addit, *ligna erecta* pro Diis. ξύλα ἱδρύοντο ὡρισμένα: *Ligna erigebant insignia.*

521. 2. NOS SI FORTE.] Explicui, vt vidisti. Explicabo interim alium locum Tertulliani, vt explicat Vasquius quæst. 69. art. 10. de Baptismo, vbi Tertullianus lib. 5. aduersus Marcionem, cap. 15. sic ait: *Calendæ si fortè Februariæ respondebunt illi pro mortuis petere.* Vbi reiecta Pamelij explicatione, astruit hanc, nimirum *Tertullianum inquirẽtem de institutione Baptismi corporalis gentilium; de qua loqui Paulum putat, sub conditione respondisse, si fortè illi, non quidem Marcioni, sed institutioni prædictæ respondebunt Calendæ Februariæ, in quibus similia lauacra esse consueuerunt. Vt* B *enim refert Beda lib. de Ratione temporum, cap. de Mense Februario, apud Romanos in more positum fuit lustrari ciuitatem, & apud Lupercos lauari corpora. Inquit igitur Tertullianus, si fortè prædictæ institutioni, scilicet pro mortuis petere Baptismum, hoc est, pro corporibus, respondebunt lauacra illa consueta, aut lustrationes mense Februario.*

522. 2. SED ET VICTORIAS ADORATIS, CVM IN TROPÆIS CRVCES INTESTINA SINT TROPÆORVM.] Minutius: *Trophæa vestra victricia non tantùm simplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur.* Iustinus Martyr Apolog. 2. ἐν τοῖς παρ' ὑμῖν ἐν σύμβολα ἐν τῷ σχήματος τούτου δυνάμων ὅλων ... λλωμεν ἐν τῷ τροπαίων δι' ὧν αὖτε περόδοι ὑμῶν παντα χοῦ γίνονται τῆς ἀρχῆς ἐν δυνάμεως τὰ σημεῖα ἐν τούτοις δεικνύτις, εἰ ἐν μὴ νοοῦντες ἐν τούτῳ περάπετε: *Quin & signa vestra figurę huius vim præferunt & declarant, & tropæorum, per quæ progressus à vobis in publicum quouis locorum fiunt, imperij & potestatis indicia in hisce ostendentibus: licèt hoc non intelligentes faciatis.* Aldhelmus de Laude virginitatis dixit Christicolas vocatos *crucicolas.* Inquit *tropæorum*, hanc enim formam seruant Latini sæpe. Silius lib. 6.

Æquorum iuxta decus, & nauale tropæum.

Et Tacitus de rebus Neronis: *Romæ tropæa de Parthis.* Sic è conuerso, à nobis gryphes, à Græcis γρῦπες, à nobis Cleophas, in Euangelio, qui Græcis est Κλεόπας.

523. 2. RELIGIO ROMANORVM TOTA CASTRENSIS SIGNA VENERATVR.] Claudianus secundo, in Ruffinum (inquit Herald.)

Augustus veneranda prior vexilla salutat.

Suetonius in Caligula: *Namque Artabanus Parthorum rex transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana, Cæsarumque imagines adorauit.* Dionysius lib. 6. πιμώτατα γὰρ τῶν Ρωμαίοις ἐπὶ στρατείας, ἃ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζονται: *Signa in magno sunt honore apud castra Romanorum, & veluti Deorum statuæ sacra putantur.* Herodianus lib. 4. εἰς τὸν νεὼν, ἔνθα τὰ σημεῖα, ἃ τὰ ἀγάλματα τῶ στρατοπέδου περσκυτεῖται: *In ædem, vbi signa & exercitus simulacra adorantur.* Postremos duos debes Claud. Dausqueio lib. 6. Silij.

2. SIGNA IVRAT.] Liuius lib. 26. *Et obstringere periurio, non se solum, suúmque caput; sed signa militaria & aquilas, sacramentique religionem.* Lucanus lib. 1.

--- Per signa decem felicia castris,
Pérque tuos iuro quocumque ex hoste triumphos,
Pectore si fratris gladium, iugulóque parentis
Condere me iubeas.

Propriè est consecrari. Hinc 4. Theb. Bacchi sacerdos,

Alium tibi Bacche furorem
Iurani.

Quem in locum vetus commentator Luctatius sic, *Bene de more militiæ, iurani, dixit, quia militæ sacramentum dicitur, & sacerdotio dicit iurasse non bello.* Idem Statius ad Soteria Rutilij,

--- Et sole sub omni
Promeruit iurata manus.

Id est, consecrata & iuramento deuota.

2. SIGNA OMNIBVS DIIS PRÆPONIT.] 524. Seneca epist. 96. *Quemadmodum primum militiæ vinculum est religio, & signorum amor, & deserendi nefas, tunc deinde facilè cætera exhibentur, mandantúrque ad iusiurandum adactis: ita in his,* &c. Hoc & similibus exemplis rem efficit Heraldus. Cui adnecte Virgilium 12. Æneid. vbi procedentes ad iusiurandum reges, & sic prior Æneas iurat,

---Tuque inclyte Mauors,
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques.

Ad Martem dirigit orationem. Et Polybij lib. 3. Ρωμαίοις ἦ διὰ λίθου κατά τι παλαιὸν ἔθος. ὅτι ἦ τότῳ τὸν Ἄρεω, καὶ τὸν Ἐνυάλιον. Ait, post Iouem lapidem, ex veteri more, adhiberi Martem & Gradiuum. Ambrosius serm. 43. *Nonne cùm adhuc gentilis esses, solebas signa perquirere? Quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Iam nunc nolo erres in numero: scito, quia in vno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas.* Notetur modus loquendi, quo signa *numerare*, id est adorare & venerari, dicebantur. Cicero 1. de Natura Deorum *sigilla numerantes.* Dicit Hansenius id factum, quoniam hastas olim adorabant, id est, numerabant intra ligneam columnam reconditas. Vide me in Virgilium. Nescio autem quare Dausqueius abstulit *signa*, cùm citaret istud Tertulliani lib. 6. in Silium. Rectè autem aduertit Schoppius in ms. legi *Deis*, & *Dei*, non *Dij.*

2. OMNES ILLI IMAGINVM SVGGESTVS INSIGNES, MONILIA CRVCIVM SVNT.] 525. Sensus est: Indumenta illa permagnifica, quibus vestiuntur imagines signorum vestrorum, sunt monilia & ornamenta crucium. Aquilas verò intelligit Rhenanus, vultus imperatorum, & genios. Hieronymus epist. ad Lætam: *Vexilla militum crucis insignia sunt, regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat.* Eusebius lib. 1. de Vita Constantini cap. 25. τὸ ἦ ὄρθιον δόρυ τῶν τῶ θεοφιλοῦς βασιλέως εἰκόνα χρυσῶν μέχρι στέρνων, ἔ τε ἀυτῶ παίδων ὁμοίως ἔφερε: *Erectum verò hastile imaginem pij Imperatoris auream pectore tenus expressam, atque vna filiorũ eius habebat.* Idem cap. 33. μέσῃ τῇ βασιλευούσῃ πόλει μέγα τρόπαιον τοῦτῳ κἀ ἔ πολεμίων ἐχθρῶν. διαρρήδην ἦ ἀνεξαλείπτως ἐγχαράξας τύποις, σωτήριον τοῦτῳ σημεῖον τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς καὶ τῆς καθόλου βασιλείας φυλακτήριον. Pergit aliis. Id est, *inque vrbe media, quæ præ cæteris facile principem locum inter reliquas obtinet, ingens istud trophæum contra hostes erexit, & hoc salutare signum characteribus, qui nullo modo deleri poterant, insculptis, Romanorum aliorúmque omnium imperio subiectorum propugnaculum esse demonstrauit.* Sunt qui legant, & scribo, 526. *Imaginum suggestus insignis*, nihil tamen permoueor Lipsij auctoritate. Illud bene asserit, suggestus esse imagines Cæsarum aureas & argenteas ad hastas gradatim, alias super alias adfixas. Hanc congeriem imaginum doctissimus scriptor *suggestum* vocat, quasi dixeris, contextum. Statius lib. 1. Sylu.

--- celsæ procul aspice gentis honores,
Suggestúmque comæ.

Glossæ veteres, *suggestum, ὄχος.* Tacitus 15. Annal. *Dein paucis diebus interiectis, magna vtrinque specie, inde equus compositus per turmas & insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere fulgentibus Aquilis, signisque, & simulacris Deûm in modum templi.* Aitque Lipsius Tertullianum dixisse *suggestus*, quod Tacitus, *signisque &*

simulacris Deum in modum templi. Ammianus lib. 16. A *Elatóſque vertice ſcanſilis ſuggeſtus, conſulum & priorum principum imitamenta portantes.* Iuuenalis *ordines* dixit 6. ſat.

---tanta eſt querendi cura decoris,
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
527. *Aedificat caput: Andromachen à fronte videbis,*
Poſt minor eſt, aliam credas.

Hoc genus capillamenti vocabant *comam in gradus fractam*, vt adnotat Caſperius in Notis ad Statium cap. 15. lib. 1. Ex Quintiliano lib. 1. qui ſic: *Comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc inuaſerint ciuitatem, non erit conſuetudo.* Et Sueton. Nerone, cap. 51 *Circa cultúmque habitumque adeo pudendus, vt comam ſemper in gradus formatam peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſubmiſerit.* Et Manilius lib. 5. Aſtron. dixit *crines in fluctum ponere*, quòd fluctus imitentur.

B *Illis cura ſui vultus, frontiſque decoræ*
Semper erit, tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis reuocare comas, & vertice denſo
Fingere, & appoſitis caput emutare capillis.

2. SYPARA.] Ea ſignificatione dicuntur *Sypara*,
528. aut *Suppara*, qua Nonius, Lucanus, & Seneca vela quædam nauium appellant. Veſtem conſecratam, & velamentum in ſignis militaribus cruci ſuperpoſitum *Syparum* vocatur à Tertulliano, vt Ioſephus Scaliger in Feſtum declarat, & conſentit Pamelius.

529. 2. CANTABRORVM.] Cenſet Ioſephus Scaliger legendum, *candes labarorum*, cùm *candes* veſtes ſint. Sed nihil permouemur, verè legendum *Cantabrorum*, nam Minutius ita imitatur Tertullianum: *Nam & ſigna ipſa & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inaurata cruces ſũt & ornatæ?* & tametſi aliqui in Minutio putent legendum non *cantabra*, ſed *labara*; nunquam tamen peruicerunt. Quid ſint *cantabra*, aut *contabra* in ancipiti eſt: ſtolas cruciũ eſſe, & ſi- C gnificari per illa Tertullianus clamat, ſed quid propriè ſint, in dubio eſt, Turnebo referente ad originem Latinam, Iunio ad Perſas, Gretſero ad Germanos; quid eligam, ignoro; forſitan verus eſt Baronius, qui ait *cantabra* appellata, quæ nunc *labara*. & quid etiam, ſi ab Hiſpanis deſumpta eſt vox, & à Cantabris deuictis ab Auguſto vox deſumpta eſt *Cantabrum?* Cur enim non potuerunt ab Cantabro Hiſpano *Cantabra* deſumi, difficili hoſte, & iugum ferre inſueto? Omitto veterem lectionem *candelabrorum*. Vide Matthæum Vacherum in Syntagmate de cruce, vbi doctè de Cantabris. Si *contabra* legeretur, facilior eſſet explanatio, vt à contis *contabra* dicerentur, vt à candela *candelabrum*.
530.

3. AD PERSAS.] His ignis & Sol in honore fuit. De igne ſanctus Chryſoſtomus, Homilia 4. ad Popul. Θεὸς παρὰ τοῖς Πέρσαις εἶναι νομίζεται τὸ πῦρ, καὶ τιμῶσιν αὐτὸ μετὰ πολλῆς τῆς θεραπείας οἱ βάρβαροι, οἱ τὴν χώραν ἐκείνην οἰκοῦντες ἕτι καὶ νῦν: *Deus apud Perſas ignis eſſe putatur, ipſumque multo cultu venerantur barbari etiam nunc regionem illam habitantes.* Chronicon Alexandrinum ait, Perſeum aliquando fulmine attonitum, ignem illum ſemper coluiſſe, ac delatum in Perſidem, illius ignis religionem coluiſſe: ὅθεν πῦρ καὶ ἕως τοῦ παρόντος ἐν τιμῇ ἔχουσιν οἱ Πέρσαι ὡς θεῖον: *Quem ſanè ignem hodie Perſæ vt diuinum venerantur.* Turci Perſarum ſucceſſores, auctore Simocatta lib. 7. cap. 8. τιμῶσι καπύπως τὸ πῦρ: *Stolidè ignem colunt.* Clemens Alexand. Strom. hanc maniam tribuit Hippaſo, ait enim: στοιχεῖα μὲν σέβουσι, Διογένης μὲν τὸν ἀέρα, Θάλης δὲ τὸ ὕδωρ, Ἵππασος δὲ τὸ πῦρ: *Colunt elementa, Diogenes quidem aërem, Thales, aquam, Hippaſus, ignem.* De ſole, Curtius, apud quem Darius lib. 4. Hiſtoriæ, precatur milites, *per fulgorem ſolis intra fines regni mei orientis.* Arnobius lib. 1. *Solem Deum cùm eſſe credatis, conditorem eius opificémque non quæritis?* Iulius Firmicus de errore profanæ religionis. *Adhuc deputant ignem, quaſi ſummum Deum:* agit de Ægyptiis, qui vt Solem Perſæ, ita illi ignem. Cyrillus Alex. Homilia 6. de feſtis Paſchalib. ἡλίῳ μὲν γὰρ πρέπει προσκυνεῖν ὑπολάμβανον: *Itaque & Solem pro Deo colendum eſſe cenſebant.* Videndus Clemens Papa lib. 4. Recognitionum, & Prudentius lib. 1. ad Symmachum, ab eo loco,

Eſt, qui conſpicuis ſuperos quæſiuit in aſtris,
Auſus habere Deum Solem.

Id autem tam crebrum eſt, vt pudeat perſequi.

3. HABENTES IPSVM VBIQVE IN SVO 531.
CLYPEO.] Hæc pars non intellecta eſt ab his qui referunt ad Perſas, verè referri debet ad NOS ſubintellectum, vt dicat, cùm nos habeamus ipſum Solem in ſuo clypeo, & in ſuo orbe, vtique cùm habeamus Solem: nam de Perſis iam dixit, *licèt Solem non in linteo depictum adoremus.* Quod autem clypeus ſit ipſemet Sol, in promptu eſt. Ouid. Metam. 15. vbi ſic,

Ipſe Dei clypeus, terra cùm tollitur ima,
Mane rubet, terráque rubet cùm conditur ima,
Candidus in ſummo eſt, melior natura quod illis
Aetheris eſt, terræque procul contagia fugit.

Ergo ait Tertullianus, cùm ipſum Solem nos ipſi habeamus *in ſuo clypeo*, hoc eſt, in ſe, *licèt non in linteo* & vexillo *adoremus depictum*, quod faciebant Perſæ. Itaque malè explicat Tertullianum, qui in illa verba Prudentij lib. 1. contra Symmachum,

--- clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat.

accipit Tertullianum de clypeo, quem Sol depingeret; malè item omnes alij. Non omittam lectionem, quam Vvouerenius præfert, qui legit, non *vbique* ſed *vtique*. Quæ tamen lectio mihi omnino non placet.

3. QVOD INNOTVERIT NOS AD ORIEN- 532.
TIS REGIONEM PRECARI.] Non iſta accipienda ironicè, quod malè cenſet Iunius, ſed veriſſimè dicit Tertullianus, *nos*, id eſt, Chriſtianos ad orientem verſos precari, vt bene in illum notauit Gretſerus cap. 10. Etenim Chriſtiani olim verſus orientem orabant, & ratio in aperto eſt, quia Dominus in cruce cõſtitutus verſus occaſum ſpectabat; inde illi tanquam conuerſi ad Chriſtum in cruce pendentẽ, in orientem reſpectabant. Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. cap. 13. *Dominus, cùm in cruce penderet, ad occaſum proſpiciebat, eoque nomine ita adoramus vt eum obtueamur.* Iuſtinus Mart. quæſtione ad orthodoxos: ἐπειδὴ παρ' ἡμῖν τὰ πρωτεῖα εἰς τιμὴν τοῦ Θεοῦ ἀφορίζομεν, καὶ ὃ τῶν ἀνθρώπων κατάλληλον τιμιώτερόν ἐστιν ἢ ἀνατολὴ τῶν ἄλλων μερῶν τῆς κτίσεως. διὰ τοῦτο ἐν τῷ καιρῷ τῆς προσευχῆς νεύομεν πρὸς ἀνατολὰς πάντες: *Quandoquidem apud nos præſtantiſſima quæque ad honorem Dei deſtinamus: opinione autem hominum præſtantior eſt oriens aliis creaturæ partibus, eam ob rem precationis tempore ad orientem omnes* D *conuertimur.* Clemens Alexand. Stromate 7. πρὸς τὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαί: *verſus orientem preces fiunt.* Inde Thaïſia meretrix, & Maria Ægyptiaca orientem reſpiciunt in oratione; vide earum vitas. Baſilius de ſpiritu ſancto, cap. 27. ait ad primam conditi orbis originem reſpici: *Omnes ſpectamus ad orientem, cùm precamur, pauci tamen nouimus quòd id facientes antiquam requiramus patriam, videlicet paradiſum quem conſtruit Deus in Eden ad orientem.* Vnde ſanctus Hieronymus ad cap. 6. Amos: *In myſteriis primùm renunciamus ei, qui in occidente eſt, nobiſque moritur cum peccatis: & ſic verſi ad orientem, pactum inimus cum Sole iuſtitiæ, & ei nos ſeruituros eſſe promittimus.* Sanctus Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 2. *Ad occaſum inuerſus, ſatanam abiurabis, rurſúſque ad ortum te conuertens* 533.
Deum confiteberis. Itaque ad occidentem conuerſi, diabolo renuntiabant, & rurſus ad orientem confitebantur Deum. Et ſanctus Ambroſius cap. 2. de iis qui myſteriis

ſteriis initiantur. *Ad orientem conuerteris. Qui enim renunciat diabolo, ad Chriſtum conuertitur, illum directo cernit obtutu.* Omitto Origenem & Athanaſium; illum Homil. 5. in Num. quem affert Baronius tomo. 5. Annal. pag. 532. hunc quæſt. 56. ad Antiochum. Omitto etiam conſtitutiones Apoſtolicas lib. 2. cap. 61. & Prochorum in vita Sancti Ioannis Euang. cap. 5. vbi ait, Ioannem contra orientem oraſſe cum gemitu. & Linum lib. 2. vbi idem de Paulo Apoſtolo. Sed præcipua ſeges auctorum eſt in profanis, qui ad ſolem orientem conuertebantur, putantes illum Deum ſuum. Apuleius lib. 2. *Tunc orientem obuerſus, & incrementa Solis Auguſti tacitus imprecatus.* Hyginus, de limitibus: *Antiqui architecti in occidentem templa rectè ſpectare ſcripſerunt: poſtea placuit omnem religionem eò conuertere, ex qua parte cœli terra illuminabatur.* Ita tamen vt profani eò ſpectent, quia ibi Deum eſſe exiſtimarent; at contrà pij, quia ibi Chriſtum Deum crucifixum intuerentur. Vnde Corippus lib. 1. ſic eecinit,

534.

535. *Hunc veterum primi ritum non rite colebant,*
Eſſe Deum Solem recta non mente putantes.
Sed factor Solis poſtquam ſub Sole videri
Se voluit, formámque Deus de virgine ſumpſit
Humani generis, tunc dempto Solis honore,
Eſt Chriſto delatus honos.

Latinus Pacatus Panegyr. *Diuinis rebus operantes, in eam cœli plagam conuertimus, à qua lucis exordium eſt.* Inde Beatus Ludgerus lib. 2. cap. 2. ad orientem verſus ſtetiſſe dicitur hoc contextu verborum: *In pago, quod Sudergo appellatur, matrona quædam nomine Siburg, colonum habuit vocabulo Riginoldum. Huius vxor longa*

536. *agritudine depreſſa, ſine aliqua ſpe recuperandæ ſalutis iacebat. Cùm igitur nocte quadam, inter ægra ſuſpiria, paululum membra defeſſa laberentur in ſomnum, vidit in ſomno quendam ſibi præcipientem vt cum Ludgero Epiſcopo loqueretur. At illa, vt poſtea narrare ſolebat, nec grauiter dormiens, nec perfectè vigilans, vidit illum ſtantem ad orientem verſus.* Quin Pilatus, rogatur à Iudæis vt Chriſtus affigeretur Cruci, ἐπιφαύσκει ἐπὶ τὴν τῆς ἀβατολῆς μέρη, καὶ αὐτὰς ὕδωρ ἐπὶ χειρῶν, ἐνίπτατο αὐτὰς τὰς χεῖρας. *Conuerſus ad orientem, petere aquam manibus, eáſque lauare cœpit*, inquit Theodoritus lib. 4. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 7. & Euſebius lib. 10. Hiſt. cap. 4. πρόπυλον πρὸς ἀνατολὰς ἀνοίγοντος ἡλίου ἀκτῖνας ἀναπέμπειν: *Atrium aperit ſeſe ad ipſos orientis Solis radios.*

537. 3. VT CÆLESTIA ADORANDI.] Reſcribunt &, non placent, retineo *vt*, ſenſu quo explicui, latétque contemptus in voce. quaſi dicat: Non ſunt cœleſtia, ſed vos adoratis vt cœleſtia. In voce *adorandi* inuenio diſcrimen, cuius me Pithœus monuit lib. 1. aduerſariorum cap. 7. qui ait, in vetere libro ſcriptum eſſe, *& cæleſtia adoriendi.* Quid ſit *adoriri*, clarum.

538. 3. VIBRATIS.] Notetur vox, ad orationem gentilium, qui tanquam ſuſurrones vibrabant labia. Inde Proſpero lib. de Promiſſis dicuntur *cinifes toto aëre vibrantes.* Itaque explicat ſuſurrum & murmur. Ita Perſius Sat. 2.

Illa ſibi introrſum & ſub lingua immurmurat.

Vtique quod Græci ἔνδον τὸ ὀδύνειν dicunt. in his Athanaſius, & Baſilius, vt notauit Caſaubonus. *Stridorem* dixit Tibull. *Iam ciet infernas magico ſtridore cateruas.* Apuleius: *Igitur & occulta non minùs quàm tetra & horribilis, plerunque noctibus vigilata, & tenebris abſtruſa, & arbitris ſolitaria, & carminibus murmurata.* Petronius Sat. *Itaque timidiſſimo murmure votum feci.* Iuuenalis Sat. 10.

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater.

Perſius: *labra mouere* dixit Sat. 1.

539. *Labra moues tacitus, recutitáque ſabbata palles.*

Plutarchus notat, ſolitos ſuperſtitioſos, εὐχὰς φωνῇ παλλομένῃ, καὶ χεῖρας ἐπιδυομένας πρεμώσας. Arnobius *fremor* vſurpat lib. 1. *Quicquid virium continet fremor illa verborum, atque adiunctæ neceſſitates; non inuidemus, adiiciant, non interdicimus, colligant.* Tibullus Eleg. 1. lib. 2. *Clam vocet.* contrà *precari & orare* dicebantur, qui rem omnibus plauſibilem petebant. Vt ne diſcedam à Tibullo, ille ſic ait,

Vos celebrem cantate Deam, pecoríque vocate,
Voce palam pecori, clam ſibi quiſque vocet.

Perſius in hoc inſiſtens Sat. 2.

Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & vt audiat hoſpes.

Hæc placuit adiicere ad Maronem lib. 6. Æneid. Cùm autem dixit *vibrari labia ad orientem*, intelligit ortum æquinoctialem, explicatore Bulengero lib. 3. de Templis cap. 7. quòd canat Sidonius lib. 2. epiſt. 10. *Ortum proſpicit æquinoctialem.* Ioannes Beletus, vetus Auctor: *Et omnino quoque neceſſarium eſt, vt ædificaretur verſus Orientem, hoc eſt, verſus ſolis ortum æquinoctialem; nec verò contra æſtiuale ſolſtitium, vt nonnulli & volunt & faciunt.*

3. AB EIS.] Perſis, inquam, non Iudæis. Perſæ nimirum ſabbata obſeruabant, quod occaſionem errandi Pamelio dedit. Etenim gentiles plerique diem Sabbati in religione habebant, vt & Romani: de quibus ita loquitur Tibullus lib. 1. Eleg. 3. 540.

Aut ego ſum cauſſatus aues, aut omina dira
Saturni ſacra me tenuiſſe die.

Et cùm Ouidius 1. de Arte Amandi ſcripſit,

Culta Paleſtino ſeptima feſta viro,

Omnes orientales populos intellexiſſe credendus eſt. Quid quòd Heraldus teſtimonium affert ſatis efficax, vt intelligamus, omnes ad orientem populos Sabbatum coluiſſe; hoc nimirum Philonis in libris de vita Moſis, τίς γὰρ τὴν ἱερὰν ἐκείνην ἑβδόμην οὐκ ἐκτετίμηκεν, αὐτὴν πόνων καὶ μοχθηρίων ἀνάπαυσιν καὶ τοῖς πλησιάζουσιν, οὐκ ἐλευθέροις μόνον, ἀλλὰ καὶ δούλοις, μᾶλλον δὲ καὶ ἀλλογενέσι διδοὺς: *Quis enim ſacram illam ſeptimam diem in maximo honore non habeat, qui laborum leuamen laxationémque tum ſibi tum familiæ cunctæ, nec liberis tantùm, ſed & ſeruis, imò & ſubingalibus largiretur?* Et diſertè hunc morem ex Actio Poëta vetere tradit Macrobius lib. 1. Saturnalium cap. 7. 541.

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis,
Cúmque diem celebrãt per agros, vrbéſque fere omnes,
Exercent epulis læti, famulóſque procurat
Quiſque ſuos, noſtrique itidem, & mos traditus illinc
Iſte, vt cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Vnde mox cùm ſubiicit Tertullianus, *Exorbitantes & ipſi à Iudaico more, quem ignorant*, vnicè quadrat Perſis, qui cùm Sabbatum colerent, exorbitabant tamen & aberrabant ab vero, neſcientes quanam ratione Iudæi colerent. Et quî verba illa, *quem ignorant*; capi queunt de Iudæis? Ignatius Martyr epiſt. ad Magneſianos μηκέτι σαββατίζωμεν Ἰουδαϊκῶς, καὶ ἀργείαις χαίρεντες: *Non ſabbatizemus Iudaico more, velut otio gaudentes.* Quin, quod mirere, Sabbatum apud Ægyptios monachos in honore fuit, & pari cum die Dominico conſuetudine. Quod tradit diſertè Alardus Gazæus ad Ioannis Caſſiani verba, quæ habentur cap. 6. lib. 2. vbi, *In die vero Sabbati vel Dominico*, &c. Dicit itaque in pari honore ac veneratione habitum vtrumque diem, & fere eiſdem ceremoniis obſeruatum. Lege prædictum locum Gazæi. Et eundem in cap. 9. lib. 3. ad ea verba, *Abſolutio ieiunij præſumitur.* Et cap. 12. eiuſdem libri, vbi tradit Alardus, ex conſuetudine totius Orientis, Sabbatum habitum in honore. Ac demum idem Collat. 2. cap. 21. tradit: *Die Dominico, vel Sabbati, vtroque nimirum apud Orientales feſtiuo & ſolemni, vt alibi ſæpius notatum, quibus pro reuerentia feſtiuitatis, aliquid ſubinde,* &c. Lege mira de flumine Sabbatio Syriæ (de quo Plinius, *In Iudæa riuulus ſabbatis omnibus ſiccatur*) 542. 543. 544.

in Cauſſino cap. 53. lib. 1. Lege (inquam:) quoniam quæ ibi dicuntur de hoc flumine Sabbatis quieſcente & arido, puto pertinere ad legem veterem; in Sabbato enim requieuit Deus ab opere.

545. 3. DIEM SATVRNI.] Ita Sidonius epiſt. 2. lib. 1. *De luxu autem illo Sabbatario narrationi meæ ſuperſedendum eſt.* Vbi *luxus Sabbatarius* eſt, dies feſtus, dicatúſque à Gotthis in omnem luxuriam, vt Sirmondus Noſter interpretatur. Diem videlicèt, vt addit Turrianus lib. 1. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 21. in quo non ieiunabant, ſed victui & otio indulgebant. *Diem* autem dixit, vt Statius *noctem.* 12. Thebaid.

Nocte velut Phrygia cùm lamentata reſultant
Dindyma.

Dixit de nocte, qua Phryges peragebant ſacra Cybeles. Idem de nocte, qua Hercules genitus, *Ter noctem Herculeam*, &c.

546. 4. SED NOVA IAM DEI NOSTRI, &c.] Videntur hi ad Anthropomorphitas contendere, & eò ampliùs. Sic enim hos hæreticos appellat Hieronymus epiſt. 61. & Auguſtinus lib. de Hæreſibus, citans Epiphanium. Erant hi hæretici craſſo ingenio, qui humanam Deo tribuebant effigiem; hi autem ferinam; quamobrem ampliori, quàm illi, cæcutiebant errore.

547. 4. IN ISTA CIVITATE.] Putat Baronius ciuitatem hanc eſſe Romam non Carthaginem, ducitque argumentum. Vide illum tomo 2. Annal. pag. 270. & quidem videtur optimè coniectare, donatiuum illud, quod extat libro de Corona Mil. cap. 1. eodem hoc anno accidit, quo ſcripta hæc ſunt: in donatiuo autem illo Romæ fuit Tertullianus. Vnde Pamelius, qui hoc opus editum ait Carthagine, à vero abiiſſe videtur. In iſto quoque commentario multa ſunt, quæ cùm ipſis Romæ Antiſtitibus, & in ipſa Roma, ſcripta apparent: & in hoc proculdubio hæremus Baronio.

548. 4. EX QVO QVIDAM IN FRVSTRANDIS BESTIIS MERCENARIVS NOXIVS.] Hæc verba prorſus fugerunt Zephyrum, & Pamelium qui gladiatorem acceperint; & Heraldum, qui neſcio quem de Marſis & Pſyllis intelligit: cùm ſcriptor omnino ſignet nebulonem, qui tales picturas populo exhibebat, & edebat. Quid autem ſignet iſta fruſtratio beſtiarũ, in dubio ſum, an quòd illas deluderet & fruſtraretur, dum appetentes corpus, ab eis ſcitè & falsè omnes fugerit; an quòd fruſtraretur illas, & ita pingeret, vt vnas quidem Capricornos faceret, alias, Hippoceruos, has, Hippocentauros, illas, Satyros, demum tales, quales effinxit illam, quam Deũ Chriſtianorum vocauit, & quæ nequeunt reperiri in rerum natura; hæc enim maxima eſt fruſtratio beſtiarum. Hic adnoto *quidam* ſcribendum, non *quidem*, vt habent libri. Quòd autem mercenarius hic pictor vocatur, & videatur *noxius*, non videtur damnandum: quia fortaſſe inter noxios deputatus eſt, & propter alia ſcelera mulctatus. Quid verò ſi Tertullianus aliter ſcripſit, nõ à *fruſtra*, ſed à *fruſtum*, *fruſti*, & dixerit vnica dictione, *infruſtandus.* vt ſententia ſit, diſſecandus à beſtiis propter hanc picturam, digniſſimus qui diſſecaretur & fruſtaretur. Hæreo tamen lectioni veteri.

4. ONONYCHITES.] Iunius legit *onocorſites.* 549. Non tanti id eſt, vt nos debeat mouere, cùm poſſit quoque *Aſinungulus* nominari, & id meliùs, quàm à capite Aſinino, quum tale caput non haberet, ſed aures tantùm Aſini.

4. QVIA ET CANINO ET LEONINO, &c.] 550. Talia gentes adorabant, nimirum monſtra illa ex diuerſis ſpeciebus coniuncta, οἷοί εἰσιν (verba Athanaſij adduco orat. contra Gentes) οἱ παρ' Αἰγυπτίοις κυνοκέφαλοι, καὶ ἀμφικέφαλοι, καὶ ὀνοκέφαλοι, καὶ ὁ παρὰ Λίβυσι κριοκέφαλος Ἄμμων: *Quales ſunt apud Ægyptios Cynocephali, Serpenticipites, Aſinicipites: & apud Libyas Hammon verucino capite.* Inde Prudent. lib. contra Symmachum:

Quos penes omne ſacrũ eſt, quicquid formido tremendũ 551.
Suaſerit; horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monſtra Deos.

Recte Chryſoſtomus Homilia. 5. ad Populum, ὄντως ἐματαιώθησαν (arripit verba Pauli) ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἀσυνέτος αὐτῶν καρδία, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν: *Verè euanuerunt in cogitationibus eorum, & obtenebratum eſt inſipiens eorum cor; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* 552. Dicit hoc de illis qui acceperunt in Deos ſimiam, crocodilum, canem; quæ animalia vocat, τὰ εὐτελέστατα ζώων: *viliſſima animalium.* Porphyrius περὶ ἀποχ. λέγει δὲ εἰς τὴν θεοποιΐαν παρελάβον πᾶν ζῶον, καὶ ὁμοίως πῶν ἀνέμιξαν θηρίων καὶ ἀνθρώπων, καὶ πάλιν ὀρνέων σώματα καὶ ἀνθρώπων: 553. Loquitur de Ægyptiis. *Ad Deorum fabricam omne animal vnà cum homine aſſumpſerunt, in qua & pecudum & hominis, & auium item & hominis corpora commiſcuere.* Et commeminit nomina λεοντοπολίτων, λυκοπολίτων. Pomponius Mela lib. 1. c. 9. *Ægyptij colunt effigies multorum animalium.* Minutius ſic: *Item boum capita, & capita veruecum & immolatis & colitis: de capro etiã & homine miſtos Deos, & leonum & canũ vultus Deos dedicatis:* Arnobius lib. 5. *Inter Deos videmus veſtros leones toruiſſima facie,* &c. Porro cùm ait *& planta vel tergo alites Deos receperunt,* Mercurium intelligit alatum Deum talis & humeris. 554.

4. EX ABVNDANTI.] Dicit hoc, quia hoc poſtremum diluere non fuerit neceſſarium. Senecam, Quintilianum, Hieronymum tibi exhibebit Heraldus. 555.

4. CONVERSI.] Eſt qui legit *conuerſuri.* nõ placet.

CAP. XVII. ARGVMENTVM.

Quòd Deus vnus ſit, multis argumentis probari poſſe.

TERTVLLIANVS.

1. QVOD colimus nos, Deus vnus eſt; qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo, quo iuſſit; ratione, qua diſpoſuit; virtute, qua potuit; de nihilo expreſſit in ornamentum maieſtatis ſuæ: vnde & Græci nomen mundo κόσμον accommodauerunt. Inuiſibilis, etſi videatur; incomprehenſibilis, etſi per gratiam repræſentetur; inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur; adeo verus, & tantus eſt. Cæterùm quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & ſenſibus quibus inuenitur. Quod verò immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt: hoc quod eſt, Deum æſtimari facit, Deum æſtimari non capit. 556. *Deuter. 6. Eſai. 40.*

Ita eum & vis magnitudinis & notum hominibus obiecit, & ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.

EXPLICATIO.

557. 1. DEVS *est vnus*, ô Christiani, vester; ne vos absque Deo esse intelligatis. *Qui totam* hanc machinam *elementorum, corporum, spirituum de nihilo* concipit *in ornamentum* sui: vnde & Græcis κόσμος dictus, quia Deo tribuit suum ornatum; & hanc machinam, *verbo, ratione, & virtute* condidit, nam iubente illo, disponente, & ponente vniuersa. Videtur initio posuisse cœlestem tantùm machinam, & mundum absque hominibus, qui constat elementis, corporibus cœli, angelicis spiritibus: Deinde aliquot genera caussarũ: *verbo, quo iussit*, en quasi, influxum decernentis: *ratione, qua disposuit*, en exemplarem seu finalem caussam: *virtute, qua potuit*, en efficientem: *de nihilo expressit*, en materialem, vel potiùs negationem materiæ. *Inuisibilis*, &c. Hîc iam homines comprehenduntur. Esto videatur humanis effectis, *inuisibilis* est; esto hominibus *per gratiam repræsentetur, incomprehensibilis* est; esto *humanis sensibus æstimetur, inæstimabilis* est; *adeò* est *verus, adeò est tantus*. In quantum *videri*, repræsentari, *æstimari* potest, *verus*: in quãtum *inuisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis* sensu hominis, *tantus*. hæc vera huius loci interpretatio. *Cæterùm*, &c. *Cæterùm quod* videtur *communiter*, comprehenditur, æstimatur, (loquitur de aliis rebus, non de Deo) *minus est oculis, quibus* cernitur, *manibus, quibus* comprehenditur; *sensibus, quibus inuenitur*, minus inquam est obiectum potentia comprehendente illud, *Quod verò*, &c. Immensus cùm sit, sibi soli innotescit; & *æstimari facit*, dum capax non est humanæ æstimationis, id est, nulla æstimatione capitur, ac perinde est supramodum æstimabilis. *Ita eum*, &c. Sic enim factus est notus & ignotus vi *magnitudinis* suæ. Extollit enim admirabilem & æstimabilem magnitudinem Dei, quæ eum *obiecit*, & manifestauit *hominibus*, notum, & ignotum. *Et hæc est*, &c. Quam ob rem summum delictum est, non agnoscere, quem notum, quem visibilem, quem comprehensibilem, quem æstimabilem *non possunt* homines *ignorare*. 558.

559. 2. Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur, vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? Quæ licèt carcere corporis pressa, licèt institutionibus prauis circumscripta, licèt libidinibus & concupiscentiis euigorata, licèt falsis Diis exancillata, cùm tamen resipiscit, vt ex crapula, vt ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo quia propriè verus hic vnus Deus, bonus, & magnus. Et, quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum, Deus videt, &, Deo commendo, &, Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit. Nouit enim sedem Dei viui, ab illo, & inde descendit.

560. 2. *Vultis* numquid & testimonium animæ? nimirum opus quo *continemur, sustinemur, oblectamur*, etiam *exterremur*. q.d. vultis probem vobis Deum esse quo continemur, & sumus, idque *ex animæ testimonio*. Quæ tametsi inclusa in hoc corpore, vt in carcere, & omni genere concupiscentiarum, dempto mentis vigore, & falsorum Deorum ancillula, cùm tamen ad se aliquando redit, & ex longa tanquam ægritudine *patitur suam sanitatem, Deum* nescio quo instinctu *nominat*, Deum (inquam) *verum, bonum, & magnum*. Quin vox est omnium communis, *quod Deus dederit*, id tandem fiet. *Iudicem quoque*, &c. Et adhuc anima aliquo malo oppressa, Deum *contestatur* vt *iudicem*, his vtens, *Deus videt, Deo commendo, Deus mihi reddet*. O anima naturaliter Christiana! Quæ dum anima pronuntiat, *non ad Capitolium* Iouis se conuertit, *sed ad cœlum respicit*, hærétque. Scit quippe naturaliter illic esse Deum, *ab illo*, & inde descendere.

NOTÆ.

561. 1. QVOD COLIMVS NOS, DEVS VNVS EST.] Alij longè meliùs adimunt *nos*. Minutius: *Nobis verò ad intellectum pectus angustum est, & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Eloquar, quemadmodum sentio: magnitudinem Deo, qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non nouit.* Multis demum hanc paginam sectatur Prudentius in Apotheosin,

Non putat esse Deum summum, & super omnia solum.

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. πρῶτον τοίνυν ὑμῖν τεθεμελίσθω δόγμα τὸ περὶ Θεοῦ ὅτι ὁ Θεὸς εἷς ὃν μόνος ἀγέννητος: *primùm igitur dogmatis de Deo vobis fundamentũ iaciatur, Deum vnicum esse ingenitum*, &c.

1. VERBO QVO IVSSIT.] Minutius: Qui vniuersa quæcumque sunt, *Verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat*. Videtur ab vtroque innui Trinitas diuina. Ab eodem dicitur: *Quid aliud & à nobis Deus, quàm Mens, & Ratio; & Spiritus prædicatur?* Pari assensu Trinitatis.

1. IN ORNAMENTVM.] Ne putetis mundum hunc esse veluti corpus Dei, vel aliquid essentiæ eius, sed extrinsecum quid velut ornamentum.

1. INVISIBILIS.] Non abeunt verba Ambrosij lib. 4. in Lucam cap. 5. *Quam* (diuinam generationem) *licèt mens humana non queat planè rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur*. Pergit similimis. Hæc *inuisibilis* est in se, *etsi videatur* per opera, vt illud, *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Idem est *incomprehensibilis, & si per gratiam repræsentetur*, &c. Minutius: *Hic nec videri potest, visu clarior est, nec comprehendi, tactu purior est, nec æstimari, sensibus maior est, infinitus, immensus, & soli sibi tantus, quantus est notus*. Huc pertinent ista eiusdem: *Nec mireris, si Deum non videas: vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & sub oculos tamen non venit ventus, & flatus. Solem adeò qui videndi omnibus caussa est, intueri non possumus: radiis acies submouetur, obtutus intuentis hebetatur, etsi diutius inspicias, omnis visus extinguitur*. Cassianus lib. 8. cap. 4. *Qui inuisibilis, ineffabilis, incomprehensibilis, inæstimabilis, simplex, & incompositus, sanctarum Scripturarum auctoritate definitur*. 562.

1. INCOMPREHENSIBILIS.] Nyssenus orat. de Mortuis: ἀλλὰ πάντων τούτων, καὶ τοιούτων ὑφωμέ- 563.

Θέντων, νοεῖ γῆ, καὶ ἄϋλον, καὶ ἀναφὲς, καὶ ἀσώματον καὶ ἀδιάστατον χεὶ πάντως νοεῖν τὸ λειπόμενον: *Sed his omnibus earúmq; similibus rebus summotis, est quiddã quod mente constat, materiæque est expers, nec tangi potest, & corpore vacat, & omni dimẽsione caret.* Loquitur videlicet de Deo. Cyril. Alex. in Amos: Θεοῦ γὰρ φύσις τὸ πάντων ἐπέκεινα, καὶ οὐ τοπικοῖς ὑφώμασιν, ἀλλὰ τῇς τῆς ἐυκλείας ὑπερογκίᾳς, καὶ ἀσυγκρίτῳ δυνάμει πάντὸς ἡμῖν τοῦ μέτρου ὑπερκείμενον: *Dei quippe natura supergreditur vniuersa, nec altitudine secundùm locum, sed gloriæ exsuperantia, & incomparabili virtute omnem modum mensurámque cuiuscunque quod ortum est, excedit.* Videatur Ioannes Chrysostomus de incomprehensibili Dei natura oratione secunda.

1. REPRÆSENTETVR.] Fortè legendum *reprehensetur*, vt respondeat suo opposito *incomprehensibili*, & sic idem erit, quod comprehenditur per gratiam, scilicet fidei, spei, & charitatis, vel, si mauis, Eucharistiæ, vbi corpus Dei contrectamus. Verumtamen nihil mutandum.

564. 1. INÆSTIMABILIS.] Lactant. lib. 1. c. 7. *Cuius nec virtus æstimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi: cùm ad illum mentis intentio, & acumen, & memoria peruenerit, quasi subductis, & consummatis omnibus viis subsistit, hæret, deficit: nec est aliquid vlterius quò progredi possit.* Prudentius hymno 10.

Deus perennis res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur.
Excedit omnem mentis humanæ modum.

1. ADEO VERVS ET TANTVS EST.] Codex Puteani habet, *Ideo verus & tantus est*, accipit Heraldus, & defendit Puteanum.

565. 1. CONTAMINATVR.] Id est, tractatur, tangitur, ista enim vis vocis huius, & potestas est, imò hęc propria. Ambrosius, de Instit. Virgin. cap. 16. *Ne quæso tetigeris, ne attaminaueris, quæ sunt istius seculi, sed semper in psalmis, in hymnis, & canticis spiritualibus abducas te ab huius seculi conuersatione.* Id est, ne tractaueris. Hæc (inquam) vis horum verborum *contamino* & *attamino* à tactu. Inde deriuantur ad sordulentias, nam frequens tactus adducit vesti, aut rei cuipiam, sordes, & inde *contamino* & similia, sunt inquinare. Cassianus collat. 21. cap. 26. *Quamobrem omni nobis cautione curandum est, si tamen vim prædicti versiculi opere volumus adimplere, vt ita primos matutinarum cogitationum ortus solers vigilantia tueatur, ne quid ex eis festina præsumptio libentis attaminet inimici, nostráque primitias tanquam viles iam atque communes à Domino faciat reprobari.* Quid esset *tama* id est, cùm sanguis in crura descendit, notauit iam Festus ex Lucillio.

566. 1. NON CAPIT.] ὡς ἐνδέχῃ. Hellenismus est. De Habitu muliebri: *Sed hæc non capit æstimare.* Postea, *ita eum vis magnitudinis*, legit Vvouerenius, *tanta enim vis magnitudinis.* Postea *obiicit*, Puteanus legit *obiecit.*

2. ANIMÆ IPSIVS TESTIMONIO COMPROBEMVS.] Vide de Testimonio animæ.

2. CARCERE CORPORIS.] Iustinus Martyr dialogo Tryphonis de animis inclusis in corpore, dicit ἐνδεσμεύεσθαι: sumpta locutione à carcere & vinculis. Seneca epist. 65. *Nam corpus hoc, animi pondus ac pœna est, premente illo vrgetur, in vinculis est, nisi accessit philosophia.* & infrà, *animus in hoc tristi & obscuro domicilio clusus.* & epist. 102. *Corporis vinculo* dixit. Themistius orat. 2. loquens cum anima, ὡς τύχοι τὸ δεσμοῦ τῆς φύσεως ἀπολυθῆς: *quemadmodum celerrimè naturæ vinculis exsolutus es.* Simocatta lib. 1. Mauricij cap. 2. τῷ κοινῷ τῆς φύσεως νόμῳ Τιβέριος, εἰ καὶ βασιλεὺς ἐπύγχανεν ὤν, ἐπείθαρχησεν, ἀπίστητ τῆδε, καὶ οἷα σκηνὴν τῆς ψυχῆς καταλελοίπει τὸ ἀχθοφόρον τοῦτο καὶ χθόνιον χρημάτιον: *Tiberius quantumuis imperator legi naturæ communi obsecutus, & hac oneroſa terrenáque tunicula exutus, & tanquam è tabernaculo suo liber gressus est* Sanctus Maximus Episcop. Taurinensis *vasculum* appellauit Homil. 1. de Aduentu Domini: *Et anima illius, quæ priùs vasculo corporis ferebatur, postea corpus suum ipsa vtiliùs circumferet.* Saluian. epist. *Terrestris vasculi infirmitatem.* Sanctus Paulinus de obitu Celsi, *vas animæ.* Ambros. lib. 2. off. c. 28. *Melius fuerat, vt vasa viuentium seruares, quàm metallorum.* Paulus 2. Cor. c. 4. *vasa fictilia* appellat. & Paulinus epistola 13. ad Seuerum: *In tabernaculo istius corporis constituti.* Adde hæc iis quæ diximus 6. Æneidos. Et addo Varronem, qui *corticem* appellat. verba sunt: *Sic inuitata anima corporeum corticem facilè relinquit.* & Seneca epist. 78. vocat *saccum.* Notat Doüsla *pilas* antiquitus homines dictos, quòd Dij cum hominibus vt cum pilis ludant, adducitque Festum & Plautum ad hanc rem. Quem vide Captiuis in Prologo.

2. EVIGORATA.] Confirmat hæc lectio contra Marcilium, lectionem libri de Pallio cap. 4. 567.

2. EXANCILLATA.] Iunius habet *exanculata*, id est, exhausta & confecta assiduo falsorum Deorum ministerio. Vide Festum. Non censeo mutandam lectionem, est enim commoda.

2. CVM TAMEN RESIPISCIT.] Est hoc, quod de anima Seneca epist. 65. *Subducit interim se custodiæ, qua tenetur, & cœlo reficitur.* Iterum: *Animus in hoc tristi & obscuro domicilio clusus, quoties potest apertum petit.* Pergit talibus. & Minutius: *Audio & vulgus, cùm ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt; & Deus magnus est; & Deus verus est, & si Deus dederit. Vulgi iste naturalis est sermo, an Christiani confitentis oratio?*

2. VT EX CRAPVLA.] Aduerte diligenter, ne temulentiam putes; coniungit enim cum valetudine. Aristoteles sectione 3. Problemate. 17. ἔστι γὰρ ἡ κραιπάλη ξέσις τις, καὶ φλεγμασία λήγουσα: *Est enim crapula, feruor quidam & desinens inflammatio*: itaque, cùm ex hoc morbo & feruore euadit anima. Et postea explicat temulentiam esse ἐξίσωσιν, quæ dimouet animam de statu. Non enim dicit, cùm ex hac temulentia liberam se sentit anima, sed cùm ex illa ægritudine. 568.

2. PATITVR.] Latinius legit *potitur.* censuerim tamen pro communi lectione.

2. HOC SOLO.] Propter hoc solum, quia propriè verus hic vnus Deus, quem diximus, bonus & magnus est. Apponam hîc lectionem ms. quam adhibet Schoppius: *Deum nominat hoc solo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, & quod.*

3. DEVS VIDET.] Plautus Captiuis, *Est Deus in cœlo, qui quæ nos gerimus, auditque & videt.*

2. O TESTIMONIVM ANIMÆ NATVRALITER CHRISTIANÆ.] Propter prouidentiam scilicet, vt rectè astruit Feuardentius in Irenæum. Nam Irenæus ipse lib. 2. aduersum Hæres. c. 5. dixit: *Ignotus autem nequaquam, propter prouidentiam.* Dicit, Deum nequaquam esse ignotum. & in lib. de spectac. ita ait Tertullianus: *Neminem negare, quia nemo ignorat, quod vltro natura suggerit, Deum esse vniuersitatis conditorem.* Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolycum: *Cæterùm ex prouidentia, qua singula ordinat, suisque operibus aspicitur, & apprehenditur. Quemadmodum si quis cernat nauem suis armamentis instructam sulcare mare, & in portum appellere, certè credit aliquem à quo gubernetur, in ea esse gubernatorem, sic certè*, &c. 569.

2. DENIQVE PRONVNTIARIS HÆC NON AD CAPITOLIVM, SED AD CÆLVM RESPICIT.] Arnobius lib. 2. *Da verum iudicium, & hæc omnia circumspiciens, quæ videmus, magis an sint Dij cæteri, dubitabit, quàm in Deo cunctabitur, quem esse omnes naturaliter scimus: siue cùm exclamamus,* 570.

â Deus; siue cùm illum testem Deum constituimus impro- borum, & quasi nos cernat, faciem subleuamus ad cælum.

CAP. XVIII. ARGVMENTVM.

De opera Ptolemæi Philadelphi, qua in Græcam linguam tralatæ sunt sacræ scripturæ.

TERTVLLIANVS.

571. 1. SED quò pleniùs & impressiùs tam ipsum quàm dispositiones eius & voluntates adiremus, instrumentum adiecit litteraturæ, si qui velit de Deo inquirere, & inquisitum inuenire, & inuento credere, & credito deseruire. Viros enim iustitia & innocentia dignos Deum nosse & ostendere, à primordio in seculum emisit spiritu diuino inundatos, quò prædicarent Deum vnicum esse, qui vniuersa condiderit, qui hominem humo struxerit (hic enim est verus Prometheus, qui seculum certis temporum dispositionibus & exitibus ordinauit) exinde quæ signa maiestatis suæ iudicantis ediderit per imbres, per ignes, quas demerendo sibi disciplinas determinauerit, quæ ignoratis & deseritis: Sed & obseruantibus quæ præmia destinarit, vt qui producto æuo isto iudicaturus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem: profanos in ignem æquè perpetem & iugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recensitis ad vtriusque meriti dispunctionem. Hæc & nos risimus aliquando. De vestris fuimus; fiunt non nascuntur Christiani.

EXPLICATIO.

572. 1. HÆC pars clara est admodum: percurram. *Impressiùs*, facta maiore impressione. *Instrumentum*, testamentum vetus. *Viros enim*, notat sacros prophetas. *Hominem humo*, tangit etymologiam. *Exinde quæ*, Notæ & signa iudicis extremi ex imbrium & ignium affluentia. *Demerendo*, in bonam partem: dicimus enim, *demereri aliquem*, id est, bonis meritis prosequi: *Quæ ignoratis & deseritis*, ista omnia fugiunt vos & deserunt. *Producto*, porrò ducto, siue perducto. *Profanos*, opponitur *obseruantibus & cultoribus*, æquè vtrique. *Perpetem* perpetuum. *Reformatis*, vnitis iterum corporibus & animabus. *Meriti*, in vtramque partem, bonam, & malam. *Dispunctionem*, rationum confectionem pro officiorum meritis, quæ vterque præstiterit in vita. *Hæc & nos risimus aliquando*, quippe gentilis risit, & irrisit. *De vestris fuimus*, rectè in præterito. *Fiunt*, in baptismo, & per generationem spiritualem.

573. 2. Quos diximus prædicatores, prophetæ de officio præfandi vocantur. Voces eorum itemque virtutes, quas ad fidem diuinitatis edebant, in thesauris litterarum manent: nec istæ nunc latent. Ptolomæorum eruditissimus (quem Philadelphum supernominant) & omnis litteraturæ sagacissimus, cum studio bibliothecarum Pisistratum (vt opinor) æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetustas, aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu Demetrij Phalerei grammaticorum tunc probatissimi, cui præfecturam mandauerat, libros à Iudæis quoque postulauit, proprias scilicet atque vernaculas litteras, quas soli habebant. Ex ipsis enim ad ipsos semper prophetæ perorauerunt, scilicet ad domesticam Dei gentem ex patrum gratia. Hebræi retro, qui nunc Iudæi. Igitur & litteræ Hebrææ, & eloquium.

574. 2. *Quos diximus*, Declarat prophetandi munus, & vnde dicti prophetæ, quasi procul fantes, ea enim dicunt quæ sunt futura & procul à se dissita. *Voces eorum*, &c. Voces virtutesque perpetuas dicit. *Ptolemæorum*, &c. Ptolemæus Philadelphus Lagi filius, Ægypti rex tertius post Alexandrum, libros à Iudæis petiit. *Supernominant* autem est Græco sermone *cognominant*, ἐπονομάζουσι. in hac re imitatus est Ptolemæus Pisistratum, qui primus omnium Athenis publicam bibliothecam instituisse legitur. *Ex suggestu*, &c. Demetrius hic Phalereus suggessit Ptolemæo, intulitque hanc mentem. Qui maximo honore functus est Athenis (Diogene Laertio teste) postea inuidia pulsus, susceptus à Ptolomæo est, & bibliothecæ præfectus, qui librum inscripsit Rhetoricorum, & hinc à Tertulliano dictus est Grammaticorũ probatissimus. Etenim grammatici olim, non vt nunc, bene audiebant apud omnes, & *Rhetoricorum magistri* dicti sunt Grammatici, & Scriptores quoque, vt Saxo Grammaticus. *Ex ipsis*, &c. Ad Iudæos semper, vt ad gentem Dei domesticam, prophetæ perorabant, & sermocinabantur. *Hebræi retro* &c. Qui nunc sunt Iudæi, olim & *retro Hebræi* dicebantur. Inde est vt litteræ ipsæ & eloquium scripturarum Hebræum esset.

575. 3. Sed ne notitia vacarent, hoc quoque Ptolemæo à Iudæis subscriptum est, septuaginta duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoque philosophus prouidentiæ vindex de sententiæ communione suspexit. Affirmauit hæc vobis etiam Aristæas. Ita in Græcum stylum ex aperto monumenta reliquit. Hodie apud Serapæum Ptolemęi bibliothecæ cum ipsis Hebraïcis litteris exhibentur. Sed & Iudæi palam lectitant, vectigalis libertas vulgi aditur, sabbatis omnibus. Qui audierit, inueniet Deum, qui etiam studuerit intelligere, cogetur & credere.

576. 3. *Sed ne*, &c. Dicit additos Ptolemæo à Iudæis in gratiam & fauorem septuaginta duos interpretes, quos idem Ptolemæus instruxit cellulis separatis, vt notitia Iudaïcarum rerum in Græcum stylum conuersa apud ipsos maneret. Intellige hos interpretes, Iudæos fuisse, & indultos Ptolemæo. *Quos Menedemus*, &c. Fuit hic non Cynicus, qui dictus quoque Menedemus est, Lampsaceni discipulus, sed Socraticus Phædonis filius de familia Theopropidarum. Cùm autem dicit (vt aduertit Iunius) hunc prouidentiæ vindicem fuisse, fateor, non tamen vt sententia Pamelij mutetur. Itaque dicit, Hic *vindex prouidentiæ suspexit* illos spirantes communem interpretationem: quamobrem vertant stylum Heraldus & Iunius. *Affirmat hæc*, &c. Aristæas item hoc vobis scriptum reliquit. *Ita in*, &c. ita factum est, vt apertissimè & clarissimè monimenta Hebræa in Græcum stylum permanerent. *Reliquit* autem, est, ipse Ptolemæus. *Hodie apud*, &c. Quin hodie quoque in templo Serapidis lectitantur sacri libri Hebraïcis litteris & Græcis. *Sed & Iudæi*, &c. *Judæi palam* sabbatis omnibus *lectitant*, soluentes annuam pensitationem, quæ *vectigalis libertas* dicitur, vt possint liberè conuenire in cultum suum atque in Synagogas. *Qui audierit*, &c. Hinc liquidum, illum inuenturum esse Deum, *qui audierit*; & illum etiam qui voluerit *intelligere*, cogi necessariò ad credendum.

NOTÆ.

577. 1. ET INQVISITVM INVENIRE.] Heraldus legit, *& inquisito inuenire*; dicítque hanc phrasim esse Tertulliani, pro quo, qui illam ferre non possent, legerunt *inquisitum*. Nos de eorum sumus numero, qui non ferimus *inquisito*. nisi astruas, *venire in inquisito*.

1. SPIRITV DIVINO INVNDATOS.] Ioannes Chrysost. orat. 4. aduersus Iudæos, πνεύματος ἐπληρεῦντο dicit de prophetis, *spiritu diuino replebantur*. & de iisdem Ignatius Mart. ad Magnesianos, ἐμπνεύμενοι ἀπὸ τῆς χάριτος: *gratia inspirati*. Petrus Apost. 2. epist. cap. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Athenagoras, ἔχομεν προφήτας μάρτυρας, οἳ πνεύματι ἁγίῳ ἐκπεφωνήκασι καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ, καὶ περὶ τῆς Θεοῦ: *Habemus prophetas testes, qui diuino spiritu locuti sunt de Deo ac de Dei rebus*. Et statim prophetarum ora vocat ὄργανα. & *inundatos* dicit, qualis S. Fr. Xauerius noster, qui Spiritu sancto inundatus, dicebat. SATIS EST DOMINE, SATIS EST. Vt qui magnus Propheta.

1. VERVS PROMETHEVS.] Eodem modo locutum esse lib. 1. aduersus Marcionem, & in lib. de Carne Christi Pamelius ex Rhenano notat.

578. 1. EXINDE QVÆ, &c.] Totum hunc locum sic reddit Vvouerenius ex coniectura: *Exinde qui signa maiestatis suæ vindicandæ ediderit per imbres, per ignes, quas demerendo sibi disciplinas determinauerit, quibus ignoratis, aut desertis, & obseruatis his quæ pramia destinarit, qui producto quo*, &c. Heraldus locum istum obscurissimum putat, nec leuiter corruptum, ipse nihil pronuntiat. Hæc cùm videam quid obmussitem nescio, ita mihi in comparatione aliorum facilis apparet.

1. PRODVCTO ÆVO ISTO.] Heraldus legit *producto*, id est, consumpto & peracto, à verbo *prodigo*. Conformátque alia loca Tertulliani. Nos scripturam seruauimus, indignati hanc licentiam.

579. 1. PROFANOS IN IGNEM ÆQVE PERPETEM ET IVGEM.] Cyprianus contra Demetrianum, de re eadem loquens, *Manet postmodum carcer æternus, & ingis flamma, & pœna perpetua*. Lactant. lib. 8. cap. 21. *Ignem sempiternum*. Gaudentius: *inextinguibiles flammas*. Cyprianus ad Demetrianum: *viuaces flammas*. *Perpes* pro perpetuus, Plautus Amphitryone: *Neque hac nocte, longiorem me vidisse censeo, nisi item vnam verberatus, quam pependi perpetem*.

1. REFORMATIS.] Id est, vnitis. Ambrosius enim 3. de Virginit. ridens Gentilium fabulas, *dent Æsculapio, quòd mortuum reformauerit*.

1. DISPVNCTIONEM.] Alij *dispositionem*, sed illa vox Tertulliani est. De Patientia cap. 8. *Nam omnis iniuria seu lingua, seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum*. De spectaculis cap. 18. *Agonisticam scenam dispungunt*.

1. FVIMVS.] Puteanus habet *fumus*. longè meliùs *fuimus*, de præterito. Vide illud 2. Æneid. 580.

--- Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

1. FIVNT, NON NASCVNTVR CHRISTIANI.] Ambrosius lib. 2. de Virg. *Hoc nos magisterium non inuenimus, sed accepimus, sic instituit mystici carminis doctrina Christi*. Inde propriè Christiani dicuntur non *nasci*, sed *renasci*, vt locutus est Hieronymus in epitaphio Nepotiani: *Nec virtutes, nec vitia parentum liberis imputantur: ab eo tempore censemur, ex quo in Christo renascimur*. Vbi *renasci* est Tertullianicum, *fiunt*. & in epist. ad Furiam: *Non est eius, cui nata est, sed cui renata*. Venantius Fortunatus lib. de Orat. *Homo renascendo per baptismum, effectus est Dei filius*. Inde propriè Cyprianus lib. de Orat. baptismum vocat *secundam natiuitatem*. In Concilio Chalcedonensi Act. 2. dicuntur *regenerati*. Verba sunt: τῇ φωνῇ πάντων ἀναγεννωμένων: *voce omnium regeneratorum*. Arator lib. 2. Hist. Apostolicæ.

Et lympha genitrice fati meruere renasci.

2. PTOLEMÆORVM, &c.] De Ptolemæo Philadelpho, Pisistrato, Demetrio Phalereo, abundè hunc in locum Pamelius. Vide etiam de Ptolemæo Philadelpho Constantinum Manassem in Annalibus, vbi recenset libros, quos collegit ad quater centena millia. Aristæas lib. de septuaginta interpretibus in proœmio ita ait: *Nam præsentibus nobis, cùm ab eo peteretur, quot librorum millia congregasset: inquit, Rex supra ducenta millia iam in bibliothecam redacta sunt, breuique numerum adimplebo, qui ad quingẽtorum millium summam ascendat. Nunciatur quoque mihi Judæorum leges transcriptione dignas esse, & quæ in bibliotheca tua habeantur.* 581.

582. 2. SAGACISSIMVS.] In epistola Synodi Tricassinæ ad Nicolaum Papam I. habentur hæc: *Atque ideo ampliora scribere sagacitati vestræ supersedimus.* Vnde apparet hoc verbi assumptum esse ad cumulum laudis. Festus: *Sagæ anus dictæ, quæ multa sciunt.* Paulinus Panegyrico Celsi:

Gaudebant trepidi præsago corde parentes.

Inde *præsagia* vaticinia sunt, & *præsagi* augures.

2. PATROCINABATVR.] Aliàs, *patrocinatur*, non placet.

2. PROPRIAS SCILICET, &c.] Deleo *scilicet*, vt est in Puteani libro.

2. AD DOMESTICAM DEI GENTEM.] Elogium peculiare Hebræorum. Saluianus lib. 3. de Gubernat. *Sicut apud Hebræos quondam, id est, peculiarem ac propriam Dei gentem, cùm iudiciarius honor in potestatem Regiam transcendisset, probatissimos & lectissimos viros per vnguentum Regium Deus vocauit in regnum.*

2. RETRO.] Hieronym. ad Demetriadem: *Rhetorum disciplina est, ab auis, ab atauis, & omni retro nobilitate ornare, quos laudant.* Sidonius lib. 4. epist. 4. *Cùmque ab hinc retro iuuenes eramus in pila, in tesseris, saltibus, cursu, venatu, natatu, sancta semper ambobus, quia manente charitate, contentio.* Tertullianus contra Marcionem: *Ceterùm etsi retro decucurrit.* Phœbadius contra Arrianos: *Recondita retro sacramenta.*

583. 3. PROVIDENTIÆ VINDEX.] Nimirum diuinam ex his Dei prouidentiam intuens, quòd omnes in eandem sententiam conueniissent: quod certè non fuisset mirum, nisi separatim eandem scripturam essent interpretati. Itaque separati fuerunt septuaginta interpretes: id quod tradit Irenæus l. 3. c. 25. *Ptolemæus autem experimentum eorum sumere volens, & metuens, ne fortè consentientes, eam veritatem quæ esset in scripturis, absconderent per interpretationem, separans eos ab inuicem, iussit omnes eandem interpretari scripturam, & hoc in omnibus libris fecit.* Idem insinuat Clemens Alex. 1. Stromat. *Cùm autem vnusquisque sigillatim ex sua propria interpretatus esset prophetia, conspirarunt omnes simul collatæ interpretationes & sententiis & dictionibus.* Eadem tradit Cyrillus Hierosolym. catechesi 4. clarissimè. Signata sunt: *Singulis interpretibus singulas domos distribuit.* & licèt aliqui contradicant, eos non curamus. Hæc est clara Tertulliani mens, cùm dicit de Menedemo, illos suspexisse *de communione sententiæ.* Nam quare suspexit, nisi quia in separatis cellulis? Nam Hieronymus cùm ait præfatione in Pentateuchum, à quopiam mentitum de hac re, verba eius, *Nescio qui primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit*, dicere possumus, id Hieronymo non satis indagatum. Vide sequentem Notam.

3. ARISTÆAS.] Codex Puteani legit, *Aristæus*, & credo ita legendum. An verè cellulæ illæ fuerint separatæ, quas Iustinus Mart. se vidisse in Pharo refert, quem sequuntur multi; an, vt scribit Hieronymus Apolog. aduers. Ruffinum, in vna basilica congregati sint, & adducit testem hunc eumdem Aristæum, difficile est scire: mihi probabilior videtur mens Iustini, cùm præsertim post Hieronymum sequantur illum Chrysostomus, Hilarius, & Theodoretus, alij etiam. Vide de hac re prolegomenon quintum Salmeron, vbi plenè hæc omnia tractantur, latiùs multò quàm à Pamelio: ideo enim breuitati consului in hac & superiore Nota. An verò *Aristæas*, an *Aristæus* sit efferendum, multi disquirunt. Ego *Aristæum* dicerem cum Iustino, Epiphanio, Eusebio. & *Aristæam* credo corruptum. vide de hac re prolegomenon sextum Salmeron.

3. EX APERTO.] Pro *apertè*, nam Liuius lib. 1. 584.
Luce prima subiit tumulos, vt ex aperto atque interdiu viam per angustias facturus. Vel admittatur correctio Latinij *exerta*. vel Schoppij ex ms. *exaperta*, voce vnica, id est, aperta valde.

3. SERAPÆVM.] Est hoc templum Serapidis, cuius illustris mentio est in Theodoriti libro 5. Ecclesiasticæ historiæ cap. 22. quem vocat μέγιστον πάντων, καὶ κάλλιστον: *maximum & pulcherrimum.* De hoc Hieronymus ad Lætam: *Iam & Ægyptius Serapis Christianus factus est.*

3. VECTIGALIS LIBERTAS.] Huius tributi meminit Xiphilinus in Vespasiano: *Ex eo constitutum est, vt Iudæi, qui patrios ritus seruare vellent, didrachmũ quotannis Ioui Capitolino inferrent.* Suetonius in Domitiano cap. 12. *Præter cæteros Iudaicus fiscus acerbissimè actus est, ad quem deferebantur, qui veluti professi, Iudaicam intra vrbem viuerent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent.*

3. ADITVR.] Lipsius in codice manu scripto *inditur*. Non placet, significat enim introitum in Synagogas: Nec Baronius, qui *editur*, multò melius est *aditur*.

CAP. XIX. ARGVMENTVM.

Quòd antiquitas scripturarum posit ex Mosis ætate, & supputatione temporum facilè probari.

TERTVLLIANVS.

585. 1. PRIMAM instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vendicat. Apud vos quoque religionis est instar, fidem de temporibus asserere. Omnes itaque substantias, omnésque materias, origines, ordines, venas veterani cuiusque styli vestri, gentes etiam pleraſque & vrbes insignes, historiarum caussas & memoriarum, ipsa denique effigies litterarũ indices custodésque rerum: & (puto adhuc minus dicimus) ipsos inquã Deos vestros, ipsa templa, & oracula, & sacra, vnius interim Prophetæ scrinium seculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus Iudaici sacramenti, & inde etiã nostri.

EXPLICATIO.

586. 1. ANTIQVITATEM Mosis declarat scriptoris summi sacrarum litterarum, cuius summa antiquitas facit vt illæ in admiratione sint. *Apud vos*, &c. Apud prophanos etiam religiosum est, fidem & veritatem asserere & vindicare iuxta rationẽ temporum. *Omnes itaque*, &c. *Scrinium* & *scriptura* (nam idem est in hoc auctore) Mosis vincit nõ vno, sed multis seculis cuiuscumque styli vestri & scripturæ etiam veteranæ & antiquæ partem: superat etiam antiquissimas pleraſque vrbium, quascumque caussas & historias memoriarum, quæ toto orbe leguntur; ipsos etiam characteres & effigies litterarum, in quibus res custodiũtur: & (minus sanè dico & nihil pro vetustate) superat adhuc *Deos vestros*, illos (inquam) in quibus fiduciã habetis, *ipsa templa, oracula, & sacra.* Percurro. *Substãtias*: metaphoram sumit à partibus humanis, substantia, materia, origine, ordine (id est situ partium) & venis. *Indices*, quia litteræ indicant res, & custodiũt, ac seruãt. *Prophetæ*, Moseos. *In quo*, quia summa *Sacramenti Iudaici*, ac perinde Christiani, in illis est reposita.

587. 2. Si quem audiſtis interim Moyſem, Argiuo Inacho par eſt ætate: quadringentis penè annis, (nam & ſeptem minus) Danaum & ipſum apud vos vetuſtiſſimum præuenit; mille circiter cladem Priami antecedit. Poſſem etiam dicere, quingentis amplius & Homerum, habens quos ſequar. Cæteri quoque Prophetæ, etſi Moyſi poſtumant, extremiſſimi tamen eorum retroſiores deprehenduntur primoribus veſtris ſapientibus, & legiferis & hiſtoricis.

588. 2. Moſes itaque par ætate eſt cum Inacho vetuſtiſſimo Rege Argiuorum: Danao deinde quadringentis penè annis prior, nam ſeptem annis minùs: excidium Troiæ & Priami cladem millé fermè annis anteceſſit: Quin Homero quingentis & eò amplius prior, ſic enim atteſtantur viri non pœnitendæ eruditionis. *Cæteri quoque*, &c. Reliqui Prophetæ, qui ſequuntur, tametſi Moyſe inferiores ſunt ordine, tamen nouiſſimi antiquiores antiquiſſimis veſtris conditoribus & legum doctoribus computantur.

589. 3. Hæc quibus ordinibus probari poſſint, non tam difficile eſt nobis exponere, quàm enorme: nec arduum, ſed interim longum. Multis inſtrumentis cum digitorum ſupputatoriis geſticulis aſſidendum eſt, reſeranda antiquiſſimarum etiam gentium archiua, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum: aduocandi etiam municipes, per quos notitia ſubminiſtrata eſt, aliqui Manethon Ægyptius, & Beroſſus Chaldæus: ſed & Hieronymus Phœnix, Tyri rex: ſectatores quoque eorum Mendeſius Ptolemæus, & Menander Epheſius, & Demetrius Phalereus, & Rex Iuba, & Appion, & Thallus, & qui iſtos aut probat, aut reuincit, Iudæus Ioſephus antiquitatum Iudaïcarum vernaculus vindex.

3. Probari hæc non eſt ita *difficile* vt *enorme*; neque ita *arduum*, ſed *longum* tamen. Itaque temporis multum terendum, & aſſidendum eſt cum plicatione & ſubductione digitorum; hic enim digitorum geſtus ſiue geſticulus eſt: itaque dicit digitis numerandum eſſe. Niſi quis malit legere cum Schoppio *aſſerendum*, quod ille longè melius putat. me autem inuitat *aſſidendum*. Hîc ſiſto, & reiicio te ad Notas, in quibus notitia harum rerum.

590. 4. Græcorum etiam cenſuales conferendi, & quæ quando ſint geſta, vt concatenationes temporum aperiantur, per quæ luceant annalium numeri. Peregrinandum eſt in hiſtorias & litteras orbis. & tamen quaſi partem iam probationis intulimus, cùm per quæ probari poſſint, aſperſimus. Verùm differre præſtat, ne vel minùs perſequamur feſtinando, vel diutiùs euagemur perſequendo.

4. Ad harum gentium cumulum Græcorum etiam tractatus & libri multi erunt *conferendi*, vt ſtatuantur *temporum concatenationes*, quibus luce clariùs pateſcant *Annalium numeri. Et tamen partem*, &c. Impleuimus iam partem probationis, cùm ſcriptorum nomina, vnde teſtimonia petenda ſunt, ſummatim propoſuimus. *Verùm differre*, &c. Quaſi dicat, præſtantius commodiuſque eſt differre tractationem antiquitatis. Prima ratio cur differat, *ne vel minùs perſequamur feſtinando*, nam feſtinans non poteſt ad viuum rem tractare, & perſequi omnia. Altera. *vel diutius euagemur perſequendo*, nam qui omnia vult perſequi & ad viuum tractare, diutiùs neceſſariò euagabitur.

NOTÆ.

591. 1. FIDEM DE TEMPORIBVS ASSERERE.] In multis libris eſt *finem*, vt in libro Iunij, & nonnullis Pamelij, aliiſque. Fortaſſe iſto ſenſu: In ſermone temporum initium defendere. Clariùs, cùm ſermo eſt de temporibus, ſemper initium vindicandum aſſerendúmque eſt, quanta poſſit longinquitate. Nam quo longiùs trahitur initium, eo res præſtantior. Etenim *finis* de vtroque extremo dicitur, nimirum & de initiali. Sicut *vltimum*. Vnde & Catull. *Vltima ex origine*. & Græci ὕστατον ad ſignificandum vtrunque extremum. Vide me Æneid. lib. 7. Sic *ſupremum* (quod iam Scalig. in Feſt.) dicitur de vtroque extremo. Nam Plaut. *Me ſupremum habuiſti ſemper in omnibus rebus tuis*. Id eſt, primum. quòd autem etiam ſignificet extremum, nullo opus eſt teſtimonio, vbi eſt, *ſupremus honor*, id eſt, extremus, qui defunctis datur.

1. HISTORIARVM CAVSSAS ET MEMORIARVM.] Iuſtinus Mart. orat. ad Gentes: *Vt intelligatis, omnibus veſtris ſiue ſapientibus, ſiue Poëtis, ſiue hiſtoricis, & legiſlatoribus multò antiquiorem fuiſſe primum religionis noſtræ doctorem Moſen, ſicuti nobis Græcæ declarant hiſtoriæ*. In Puteani autem libro legitur, *hiſtoriarum & canas memoriarum*, Fortaſſe autem intelligit antiquas memorias, quaſi παλαιάς. Vnde & Apuleius lib. 3. Floridorum dixit, teſte Heraldo: *Libro etiam conſcripto plenius gratias, canatiúſque libro mandabo, vti*, &c.

592. 1. IPSAS DENIQVE EFFIGIES, &c.] Plinius lib. 7. cap. 56. *Litteras ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe: ſed alij apud Ægyptios à Mercurio, vt Gellius: alij apud Syros repertas volunt. Vtique in Græciam intuliſſe è Phœnice Cadmum ſedecim numero: Quibus Troiano bello Palamedem adieciſſe quatuor*. Ecce Plinius, cùm Aſſyrias dicat, & Troiano bello adiectas quatuor à Palamede,

nec ita credibile hunc adiectorem post inuentionem illarum factam ab Assyriis extitisse, fit vt multò antè Moses floruerit.

1. IPSOS INQVAM DEOS VESTROS.] Eusebius præfat. sua in Chronicon, ita refert, vt testis est Pamelius: *Nam Moses, quos Græci antiquissimos putant, senior deprehenditur, Homero scilicet & Hesiodo, Troianóque bello; ac multò superior Hercule, Musæo, Lino, Orpheo, Castore, Polluce, Æsculapio, Libero, Mercurio, Apolline, & cæteris Diis Gentium, sacrisque vel vatibus; ipsius quoque Iouis gestis, quem Græcia in arce diuinitatis collocauit, etiamsi Cecropis tempore vixisse putetur.*

593. 1. VNIVS INTERIM PROPHETÆ SCRINIVM SECVLIS VINCIT.] Clemens 1. Stromat. *Plurimis ergo, qui apud Græcos coluntur Diis, non solùm iis qui dicuntur sapientes & Poëtæ, ostensum est nobis Mosen esse antiquiorem.*

1. SCRINIVM.] Prudentius in Apotheosi:

--- Percurre & scrinia primi
Scriptoris: quem non bardus pater, aut auus augur.

1. THESAVRVS COLLOCATVS IVDAICI SACRAMENTI.] Elogium magnum, à quo non abeunt infinita, vt cùm Cyrillus Alex. Homil. 2. in festis Paschalibus vocauit μακάριον. & num. 1. in Oseam ἱεροφάντην *sacrorum doctorem.* Et num. 4. πανσόφως *sapientissimi.* Constantinus Manasses in Annalib. θεόπτην, *spectatorem Dei.* & θεῖος, *diuinus.* Et talem vt ferret munera Iudæorum εἰλικρινῶς *sincero corde.* Et Chrysostomus Epist. 2. ad Olympiadem, τὸ προφητῶν τὸ κεφάλαιον: *caput & vertex prophetarum.* Quid referam Latinos Patres? Hoc infinitum duxi.

1. ET INDE ETIAM NOSTRI.] Codex Puteani, *& inde iam & nostri.*

594. 2. ARGIVO INACHO PAR EST ÆTATE.] Vide in hunc locum, Pamelium. Eusebij Chronicon Inachum facit Iacobo Patriarchæ æqualem, à quo nata est Io, quæ Ægyptiis est Isis. Puteanus etiam habet, *Argino Inacho pariter ætate est.* Quem Hellenismum elegantem agnoscit Iunius, Ἰνάχῳ τῷ Ἀργείῳ πολὺ ἡλικίαν ἴσα ὄσῃ. Clemens Alex. 1. Stromat. *Prius autem quod erat consequens, iam dicendum est de temporibus Mosis, per quæ ostenditur citra vllam controuersiam, Hebræorum philosophiam esse quauis philosophia longè antiquiorem.*

2. QVADRINGENTIS PENE, &c.] De hoc, & de clade Priami, & de Homero eleganter locutus est Pamelius. Ab nemine plura requirenda sunt.

2. HABENS QVOS SEQVAR.] Theopompum scilicet, de quo locutus est Clemens Alex. 1. Stromat. & Euphoriõ, qui Gygi σύγχρονον Homerum facit.

2. MOYSE POSTVMANT.] Posteriores sunt Moyse. De Resurrect. carnis: *Etsi ordine postumat, effectu anticipat.* De verbo *postumo* dixi plenè 6. Æneidos.

595. 2. EXTREMISSIMI TAMEN EORVM RETROSIORES DEPREHENDVNTVR.] Pamelius adiicit, *non*, vt necessariam negationem, cùm nulla priùs esset in Tertulliano, quam necessitatem non video. Etenim *retrosior* est antiquior in hoc auctore, vt ex infinitis locis possum probare, in quibus *retro* pro antè, & id ipsum astruit Gretserus in defensione capitis 14. Bellarmini lib. 2. sicut *absolentes* dixit Tertullianus, pro, solitum vsum (ait idem Gretserus) abdicantes; cur ergo legas *non retrosiores*? absit. Ad sententiam pertinet illud Theophili lib. 3. ad Autolycum, qui ait, Zachariam, qui nouissimus est Prophetarum, tempore Darij fuisse, qua ætate Solon primus legislator vixerit, à quo ferè suas historias inceperint Herodotus, Thucydides, Xenophon. Adnectam ad verbum sumptam locutionem ab Iustino Martyre, qui in Dialogo Tryphon, loquens de prophetis, ait:

A ἐγένοντο πρὸ πολλῶν χρόνων παντὸς τοῦ τόπου νομιζομένων φιλοσόφων παλαιότεροι, μακάριοι, καὶ δίκαιοι, καὶ θεοφιλεῖς, θείῳ πνεύματι λαλήσαντες, καὶ τὰ μέλλοντα προεπόντες, ἃ δὴ καὶ γίνεται· προφῆται δ' αὐτοὺς καλοῦσιν: *Extitere multa ante tempora, & antiquiores omnibus his qui habiti sunt philosophi, beati, iusti, Dei amantes, diuino spiritu loquentes, & futura vaticinantes, quæ nunc ad rem conferuntur: prophetas eos vocant.* Quæ sententia adimit necessariò negationem *non*, de qua initio. huc accedit Meursius, qui etiam adimit, part. 2. Criticar. exercitat. cap. 24.

596. 3. NON TAM DIFFICILE, &c.] Malè in vulgatis legitur, *Non tam difficile est nobis exponere quàm enorme nec arduum, sed interim longum*, nulla interpunctione: cùm legendum ita sit: *Non tam difficile est nobis exponere, quàm enorme: nec arduum, sed interim longum*; quæ sententia est commoda. Est *enorme* id quod excurrit extra scribendi normam. *Interim* hoc loco est *tamen*, quod Iunius monuit.

B 597. 3. MVLTIS INSTRVMENTIS CVM DIGITORVM, &c.] Attingit & rem hanc Hieronymus in epist. ad Gerontiam, vbi ait: *Tricenarius fœdera nuptiarum, ipsa digitorum coniunctione testatur.* In quem locum vide Erasmum. Et lib. 1. contra Iouinianum: *Centesimus numerus de sinistra transfertur in dextram, & iisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læua nuptæ significantur, & viduæ, exprimit virginitatis coronam.* Seneca epist. 89. *Numerare docet me Arithmetica, & auaritiæ commodare digitos; potiùs doceat nihil ad rem pertinere istas computationes, non esse felicem cuius patrimonium tabularius lassat.* Sidonius Apollin. epist. 9. lib. 9. *Chrysippus digitis propter numerorum indicia constrictis.* Ambrosius de Tobia cap. 7. *Ambobus in digitis vsurarum reperitur sæpius calculatio.* Apuleius in Apolog. *Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu erraſſe: quos circulare debueris digitos aperuisse*, &c. Spartia-

C nus in Iuliano: *E Senatu in Capitolium pergenti populus obstitit, sed ferro vt vulneribus, vt pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat ipse Iulianus, vt fidem faceret, commotus atque depulsus est.* Marmorea tabula, quæ est Romæ in palatio Columnensium ex fide Petri Ciaconij, quam adducit in Notis ad Cassianum: *Sub exagio pecora vendere, quam digitis conludentibus, tradere.* Hæc ratio numerandi in Plinio est lib. 34. cap. 7. *Præterea Janus Geminus à Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, vt trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per significationem anni, temporis, & aui se Deum indicaret.* & alter Plinius lib. 2. epist. 10. *Componit vultũ, intendit oculos, mouet labia, agitat digitos, cõputat diu.* Calasiris apud Heliodorum lib. 3. Histor. ψήφους πρὸς ἀλλήλας κατειθμίσας ἐπὶ δακτύλων σωθείς: *Calculos quosdam nihil numerantes in digitis composuissem.* Nazianz. orat. 3. τὸ πυκτεύειν δὲ, ἢ ἀριθμεῖν, καὶ λογίζεσθαι δακτύλοις: *Calculis vti, & numerare, & digitis supputare.* Hæc addidisse

D non piguerit testimoniis, quibus vtitur Colerius, & Lilius. præterea hanc rem tetigit Beda, cùm ait: *Cùm dicis vnum, minimum in læua digitum inflectens in medium palmæ figes: cùm duo, secundum à minimo flexum ibidem impones: cùm tria*, &c. & sic deinceps longo ordine pertexit, quemadmodum digitis omnes numeri constent, & significatio eorum ordinetur, & hanc esse digitorum supputationem & gesticulationem non dubito. Demum Iuuen. Sat. 10.

--- atque suos iam dextra computat annos.

598. 3. ARCHIVA.] A Græcis dicuntur *Grammatophylacia* siue *Chartophylacia*, à Latinis *Tabularia* siue *Tablina.* Id verbi est in Trebellio Pollione in triginta tyrannis, *Quam ego repertam in archiuis, inferendam putaui.* Balsam. in Medit. καὶ ἐπιγνωσθέντα τοῖς δημοσιακοῖς καὶ ἐκκλησιαστικοῖς ἀρχείοις καὶ κώδιξι: *Et receptum tam in Reipublicæ, quàm in Ecclesiarum archiua & codices.*

ALIQVI MANETHON.] Est *aliqui*, idem quod *aliquis*. Et sic legendum est. Puteanus qui legit, *Aduocandi eorum municipes per quos notitia subministrata est alioquin*, id est, alia insuper ratione præter archiua, tabulásque publicas, non placet, quia nunquam seruata est ad extremum orationis particula *alioquin*. Addo, in omnibus libris legi *aliqui*, & Iunius qui defendit lectionem *alioquin*, valeat. Scripserat autem Manethon περὶ Ἀρχαϊσμοῦ καὶ περὶ βασιλείας: *de Archaïsmo & Regno*. Meminit Porphyrius l. 2. περὶ ἀποχῆς. Vide reliqua in Pamelio.

599. 3. BEROSVS CHALDÆVS.] Huius patriam Babylonem, quid scripserit, à quibus citetur, vide Pameliũ.

3. HIERONYMVS PHOENIX, TYRI REX.] Hic fuit Ægyptius, non Phœnix; sic enim citatur à Iosepho l. 1. Antiquit. c. 4. Pamelius ait forsitan falsum fuisse Tertullianum cùm nomine Hirã Phœnicis, qui ab Theophilo l. 3. Hieronymus appellatur. Iunius ait legendum ex coniectura, *Hieronymus ad Phœniciæ & Tyri res*, supple aduocãdus sit. Heraldus autem *Syriæ rector*, adducitque Iosephum l. 1. contra Appionem, scribentem, Ἱερώνυμος τὴν Συρίαν ἐπετρόπευε: *Hieronymus Syriã procuranit rexitque*. En discrimina: donec alluceat mens melior, Heraldo hæserim; nam quòd fuerit Rex, & Phœnicius, falsissimum, negante id Iosepho.

3. MENDESIVS PTOLEMÆVS, &c.] De sectatoribus superiorum istis legendus est Pamelius.

3. AVT PROBAT, &c.] Pamelium exhibui, Iunius exhibet ista Puteani, *Et Thallus & (si qui istos probat, aut reuincit) Iudæus*, &c.

3. APION.] Lege Pamelium & adiunge ista Clementis 1. stromat. integra: *Apion itaque Grammaticus* 600.
qui πλειονίκης, *id est, sapientissimè victor, est cognominatus, in quarto historiarum Ægypti, etsi esset infensus Hebræis, vtpote genere Ægyptius, adeo etiã vt aduersus Iudæos librũ scripserit, Amosis Ægypti regis mentionem faciens, eius rerum gestarum testem adducit Ptolemæum Mendesium. Eius autem verba sic habent. Effodit autem Amosis Athyriam, qui fuit tempore Inachi Argiui, vt scribit in temporibus Mendesius Ptolemæus*: & reliqua.

4. CENSVALES.] Illa ætas *censuales* dixit librarios, scribas tabellionesq; Inde titulus in Codice l. 10. conceptus, De tabulariis, scribis, logographis, & censualibus. Capitolinus Senatusconsultum ita describit: *Vt non scribæ, non serui publici, non censuales illis actibus interessent; Senatores exciperent, Senatores omnia officia censualiũmque complerent, nequid fortè proderetur.*

4. QVASI PARTEM PROBATIONIS IAM INTVLIMVS.] Puteanus *patrem*: Iunius defendit, & probat istam lectionem, perperam meo iudicio, Tertullianus enim *partem* voluit, recensito catalogo isto auctorum, vnde probationes sumerentur. 601.

4. ASPERSIMVS.] Iunius *aspeximus*, Heraldus in Martialis epigramma 16. libri primi, *aperuimus*.

4. DIFFERRE.] Martialis dicto loco,

Non benè distuleris, videas quæ posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.

CAP. XX. ARGVMENTVM.

602. *De maiestate & diuinitate scripturarum ex rerum euentu, quas prædicunt.*

TERTVLLIANVS.

Matth. 25. 1. IAM offerimus pro ista dilatione, maiestatem scripturarum, si non vetustatem; diuinas probamus, si dubitatur antiquitas: neque tardiùs, aut aliunde discendum; coram sunt quæ docebunt mundus, & seculum, & exitus.

EXPLICATIO.

1. DIXIT in superiore capite *verum differre præstat*, &c. Ergo ait, pro ista dilatione plus do, quàm petis: non probo vetustatem, quam tu vis, at offero maiestatem; *dubitatur antiquitas*, atqui succedat diuinitas: *neque* hoc *tardiùs discendum*, & aliunde, & longè petitis rebus, ecce *mundus* omnis, *seculum*, *& exitus*, id est, ἀποβασις euentúsque eorum quæ fuerant prædicta.

603. 2. Quicquid agitur, prænuntiabatur; quicquid videtur, audiebatur. Quòd terræ vorant vrbes, quòd insulas maria fraudant, quòd externa atque interna bella dilaniant, quòd regnis regna compulsant, quòd fames, & lues, & locales quæque clades, & frequentiæ plerumque mortium vastant; quòd humiles sublimitate, sublimes humilitate mutãtur; quòd iustitia rarescit, & iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit, quòd etiam officia temporum, & elementorum munia exorbitant, quòd & monstris & portentis naturalium forma turbatur, prouidenter scripta sunt. dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur.

604. 2. Agitur de frequenti mutatione rerum: & sic incipit, quicquid prænuntiabatur, iam nunc agitur; & quicquid audiebatur, iam nunc videtur. Clara sunt omnia & perspicua, tãtùm notulas dabo. *Quòd terræ vorant vrbes.* Id quod agitur, id quod videtur, est *quòd terræ vorant vrbes, que las tierras se tragan las ciudades*; & sic deinceps. *Quòd insulas maria fraudant*, id est, quòd maria ingrediuntur insulas, & contractis terminis eas in breuius stringunt. *Quòd regnis regna compulsant* regna regnis decertant, seque compellunt, & detrudunt. Pamelius tamen esse vult *regnis* datiuum. *Munia exorbitant*, temporum & elementorum officia extra viam & orbitam feruntur.

605. 3. Idoneum, opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eædem voces sonant, eædem litteræ notant, idem spiritus pulsat. Vnum tempus est diuinationi futura præfanti: apud homines, si forte, distinguitur dum expungitur; dum ex futuro præsens, dehinc ex præsenti præteritum deputatur. Quid delinquimus, oro vos, futura quoque credentes, qui iam didicimus illis per duos gradus credere?

606. 3. Veritas diuinationis & prophetiæ est idoneum testimonium diuinitatis. *Hinc igitur*, &c. Igitur apud Christianos *tuta* iam est & salua *fides futurorũ*, vt quæ probata sunt, quia scilicet *quæ quotidie probantur cum illis prædicebantur. Eadem voces*, &c. *Eadem voces sonãt*, & feriunt aures nostras, dum loquuntur ea quæ completa iam sunt, & quę nondum completa. *Eadem litteræ* sunt quæ extant hodie, de rebus completis iam aut non completis. *Idem spiritus* tam ea quæ iam exitum sortita sunt, prænuntiauit, quàm quę adhuc futura sũt. Ergo, vt exitum habuerunt iam completa, sic habebũt quæ non completa sunt. Atque adeò quæ completa sunt, astruere debent fidem futuris. *Vnum tempus*, &c. Id est, præsens, nam propheta omnis, quæ vaticinatur, præsentia habet, & videt vt præsentia. Neque impedit loqui prophetam aliquando de futuro, nam quicquid futurum, ipse videt vt præsens. Grammatica est, Vnum tempus est prophetiæ & diuinationi præfanti futura. *Apud homines*, &c. Possibile est distingui ab homine (hoc enim est *si fortè*) *dum expungitur*, id est, dum ratio temporum habetur in prophetia præsentis, præteriti, & futuri. *Dum ex futuro*, &c. En distinctio illa, cùm enim adimpletur prophetia fit *ex futuro præsens*, quia quæ dicta de futuro iam sunt præsentia: similiter *ex præsenti præteritum deputatur*, quia vt adimpletur res, vaticinium præteritum iam cognoscitur esse verum, quando est præsens. *Quid delinquimus*, &c. In quo ergo delinquimus, in quo peccamus, si futuris credimus, cùm iam didicerimus futuris illis *per duos gradus*, præteritum & præsens, *credere*?

NOTÆ.

607. 1. MAIESTATEM SCRIPTVRARVM.] Heraldus hunc locum ita habet: *Si non vetustate diuinas probamus, si dubitabitur antiquitas* hoc sensu. Quoniam igitur scripturarum nostrarum vetustatem pluribus non astruimus, τὸ νεωτέρον, ecce plus offerimus; nam earum maiestatem proponemus, vnde diuinas eas esse efficiemus, si fortasse de antiquitate dubitetur. Scio hoc esse Puteani, ego tamen Pamelium astruxi ratus illius verba clariora multò esse.

2. QVÒD TERRÆ VORANT VRBES, &c.] Longum esset adducere similia vrbiũ naufragia, & reliqua, quæ hîc luculenter scribuntur, vnum in primis Gregorium Magnum, qui de iudicio Dei vt instanti sæpissimè.

2. ET FREQVENTIÆ PLERVNQVE MORTIVM VASTANT.] Sic Pamelius reddit, cùm tamen Rhenanus primò edidisset *frequentium montium*, & secundò *efferuentium montium*. Zephyrus verò, *frequentia mortuæ*. Dicit *frequentia mortium*, pro eo quod est, *frequentes mortes*.

2. QVÒD HVMILES SVBLIMITATE.] Gregorius Theologus orat. 38. etiam opponit ταπεινωσιν ὑψώσει, *humilitatem sublimitati*.

608. 3. IDONEVM, OPINOR, TESTIMONIVM, &c.] Tertullianus de Anima c. 28. de Mose ita loquitur, *Satis probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis*. Adducit Heraldus Origenem contra Celsum.

3. HINC IGITVR APVD NOS, &c.] Arnobius l. 1. *Quòd si hominum nullus est qui quæ dudum gesta sunt, nostris audeat temporibus imputare; quemadmodum possumus miseriarum esse præsentiũ caussæ, cùm noui fiat nihil, sed sint omnia vetera, & nullis antiquitatibus inaudita?*

3. EÆDEM VOCES SONANT, &c.] Pamelius mutauit, *Eadem voces sonant, eadem litteræ notant*, cùm in Tertulliano sit, *eædem* in vtroque. Sed cur retinuit, *Idẽ spiritus pulsat*? vt ergo, *idem spiritus*, sic *eædem voces, eædem litteræ*. Sic enim legunt Iunius, & Heraldus.

3. VNVM TEMPVS EST, &c.] Sic legit Heraldus: *Vnum tempus est diuinitati futura præfandi: apud homines si fortè distinguitur dum expungitur; dum*, &c.

3. EXPVNGITVR. [Id est, completur; quod sumitur à ratione, etenim cùm initur ratio, expungitur numerus, & tunc completum est. Vetus Scholiastes in illud Persij, *Proximus expungam*, sic ait: *Tractum à militibus, qui expuncti dicuntur dum foras à militia emittuntur*. Plaut. Curc. *Miles pulcrè centuriatus est expuncto in manipulo*. id est, deleto in manipulo. Nam quemadmodum scribebantur milites, ita non milites delebantur.

CAP. XXI. ARGVMENTVM.

De Christo Domino.

TERTVLLIANVS.

609. 1. *Luc.* 3. SED quoniam edidimus antiquissimis Iudæorum instrumentis sectam istam esse suffultam, quam aliquanto nouellam (vt Tiberiani temporis plerique sciunt) profitentibus nobis quoque, fortasse an hoc nomine de statu eius retractetur, quasi sub vmbraculo insignissimæ religionis, certæ licentiæ aliquid, & propriæ præsumptionis abscondat? vel quia præter ætatem, neque de victus exceptionibus, neque de solemnitatibus dierum, neque de ipso signaculo, neque de consortio nominis cum Iudæis agimus, quod vtique oporteret, si eidem Deo manciparemur. Sed & vulgus iam scit Christum, vt aliquem hominum, qualem Iudæi iudicauerunt, quo faciliùs quis nos hominis cultores existimauerit. Verùm neque de Christo erubescimus, cùm sub nomine eius deputari & damnari iuuat, neque de Deo aliter præsumimus. Necesse est igitur pauca de Christo, vt de Deo totum.

EXPLICATIO.

610. 1. SED *quoniam*, &c. Cùm Christiani dicerent, se eundem Deum colere, quem & Iudæi; negabant hoc Iudæi ipsi, imò dicebant Christianos hoc prętextu multa peccare licentia. & prætextu illustrissimæ legis Iudæorũ. Ait ergo Septimius: Quoniam iam scripsi nostram *sectam suffultam* instrumentis Iudæorum (nisi quòd nouella tantũ est, vt ab eo Tiberij, quod & nos profitemur) vultis ne, de illa tractẽ ac disputẽ, amoliẽs & refellens, quod nobis Iudæi obiiciũt, scilicet nostrã legem *licentiæ* multum *& præsumptionis* capere ad vmbram tantæ legis? Percurro quædam. Sunt *instrumenta* scripturæ sacræ. *Secta* hîc in bonam partem, vt sępe aliâs. Dicit *nouellam* ea forma, qua Arnobius dixit de thure, *nouella enim propemodum res est*. Ait enim *hoc nomine* cum respectu ad nouitatem, quæ tamen habet fulcrum in magna

lege Iudæorum. In voce *ſtatu* reſpicit ad ſtatus cauſſarum. *Vel quia præter*, &c. Dicebant deinde Iudæi: Non mancipamini eidem Deo, cui & nos. Nam (mittimus ætatem ſectæ veſtræ, quę nouella eſt) nihil commune habetis nobiſcũ, neque in victus, neque in ſabbato, neque in circunciſione, neque in nomine. Ait ergo Tertullianus: Vultis vt diſputem, nos eidem Deo mancipari, cui & vos, etiam ſi nihil habeamus vobiſcum commune? *Exceptiones* ſunt, quod Latini dicũt, *accipere* & *excipere victu, cibo, poculo*. *Sed & vulgus*, &c. Addit Tertullianus: Tantum abeſt vt vulgus putet nos mancipandos eidem Deo, quem Iudæi habent, vt potiùs putet nos cultores eſſe hominis, quia ſcit *Chriſtum* fuiſſe, *vt aliquem hominum* reliquorum, qualem Iudæi ipſi iudicauerunt. *Verùm neque de*, &c. Gloriamur potiùs, non *erubeſcimus* de homine, qui Chriſtus eſt. Et vide an erubeſcamus, nam iuuat nos deputari inter reos, & damnari extremo ſupplicio ſub eius nomine. Pergit. *de Deo* verò *non aliter præſumimus*, quàm Iudæi: eidem Deo mancipamur, cui & illi. *Neceſſe eſt*, &c. Totum hoc opus Apologeticum eſt de Deo vero colendo. Ait ergo: vt totum hoc opus de Deo eſt, ita neceſſe eſt, vt *pauca* quoque *de Chriſto* homine, vocante nos occaſione. Vel ita: Neceſſe eſt loquamur *de Chriſto pauca*, vt *totum* opus *de Deo* abſoluamus. Notitia enim Dei Chriſtianorum (qui verè Deus) haberi nequit perfecta ſine notitia Chriſti.

612. 2. Iudæis erat apud Deum gratia, vbi & inſignis iuſtitia, & fides originalium auctorum, vnde illis & generis magnitudo, & regni ſublimitas floruit, & tanta felicitas, vt Dei vocibus quibus edocebantur, de promerendo Deo, & non offendendo præmonerẽtur. Sed quanta deliquerint, fiducia patrum inflati ad declinandum, deriuantes à diſciplina in profanum modum, etſi ipſi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipſorum. diſperſi, palabundi, & cœli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine homine, ſine Deo Rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur. Cùm hæc illis ſanctæ voces præminarentur, eadem fere ſemper omnes ingerebant, fore vti ſub extimis curriculis ſeculi ex omni iam gente, & populo, & loco cultores ſibi adlegeret Deus multò fideliores in quos gratiam transferret, & pleniorem quidem ob diſciplinæ auctoris capacitatem. Venit igitur qui ad reformandam & illuminandam eam venturus à Deo prænuntiabatur Chriſtus ille filius Dei.

613. 2. *Iudæis erat*, &c. *Erat gratia Iudæis apud Deum*, & apud eundem quoque erat *iuſtitia, & fides* primorum parentum ſuorum. *Vnde felicitas* eis accidit nunquam hactenus viſa, vt ſcilicet Dei vocibus *præmonerentur*, &c. *Sed quanta*, &c. Eſt *quanta* in accuſatiuo, & *deliquerint* eſt peccauerint. *Deriuantes* inſtar aquæ. *Sine homine*, qui ducem ſe præbeat. *Sine Deo rege*, vt olim *Salutare*, dicentes,

Salue fatis mihi debita tellus,

aut aliquid tale. *Cùm hæc illis*, &c. Denique oracula diuina nuntiabant fore tẽpus, quo Deus ſibi fideliores adlegeret ſeruos, &c. *Eadem fere ſemper*, nimirũ opera.

614. 3. Huius igitur gratiæ diſciplinæque arbiter & magiſter, illuminator atque deductor generis humani filius Dei annuntiabatur, non quidem ita genitus, vt erubeſceret in filij nomine: aut de patris ſemine: non de ſororis inceſto, nec de ſtupro filiæ, aut coniugis alienæ Deum patrem paſſus eſt, ſquamatum aut cornutum aut plumatum amatorem, aut in aurum conuerſum Danaïdis. Iouis iſta ſunt, & numina veſtra: Cæterùm Dei filius nullam de impudicitia habet matrem, etiam quam videtur habere, non nupſerat. Sed priùs ſubſtantiam ediſſeram, ita natiuitatis qualitas intelligetur.

615. 3. *Igitur* tantæ *diſciplinæ & gratiæ* Dominus vnigenitus *Dei filius* prænuntiabatur, nec *ita genitus, vt in filij nomine erubeſceret, aut de patris* alicuius *ſemine*, quod nullum eſt ſortitus: nec *de ſororis inceſto*, vt Iuppiter ex Iunone: aut *de ſtupro filiæ*, vt idem ex Venere; aut *cõiugis alienæ*, vt idemmet ex Helena, Deum patrem habuit. Eſt *deductor*, doctor, παιδαγωγός. *Squamatum aut*, &c. Non, inquit, *ſquamatum* habuit *patrem Deum*, qualiter Iouem conuerſum in ſerpentem multos filios generaſſe aiunt; nec *cornutum*, vt eundem Iouem fingit antiquitas cum capite arietino, in Libya; nec *plumatum*, qualem Iouem in olorem verſum paſſa eſt Helena, quæ inde procreauit Pollucem & Caſtorem; aut *in aurum* verſum *Danaïdis*, id eſt, ineptæ alicuius iuuenculæ Danaem imitantis, quæ auro capta eſt, niſi ipſammet ſignificet Danaen. Hæc enim *ſunt Iouis, & veſtra Numina*. *Cæterùm Dei*, &c. *Nullam habet matrem de impudicitia*, & mater illa, *quam videtur habere* de impudicitia, non eſt de impudicitia, nec nupſit, id eſt, virũ non cognouit. Gẽtes quippe putare poſsũt, matres omnes fuiſſe corruptas. Atqui Dei mater corrupta nõ fuit, quãuis quia mater, videatur eſſe corrupta.

616. 4. Iam ediximus Deum vniuerſitatem hanc mundi verbo & ratione & virtute molitum. Apud veſtros quoque ſapientes, λόγον, id eſt, ſermonem atque rationem, conſtat artificem videri vniuerſitatis. Hunc Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in diſpoſitione formauerit, eundem & fatum vocari, & Deum & animum Iouis, & neceſſitatem omnium rerum. Hæc Cleanthes in ſpiritum congerit, quem permeatorem vniuerſitatis affirmat: & nos etiam ſermoni atque rationi, itemque virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam ſubſtãtiam ſpiritum inſcribimus, cui & ſermo inſit pronuntianti, & ratio adſit diſponenti, & virtus præſit perficienti. Hunc ex Deo prolatũ didicimus, & prolatione generatum, & iccirco filium Dei & Deum dictũ

ex vnitate

ex vnitate ſubſtãtiæ:nam & Deus ſpiritus. Etiam cùm radius ex ſole porrigitur,portio ex ſumma,ſed ſol erit in radio,quia ſolis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia , ſed extenditur. Ita de ſpiritu ſpiritus,& de Deo Deus, vt lumẽ de lumine accensũ, manet integra & indefecta materiæ matrix , etſi plures inde traduces qualitatis mutueris: ita & quod de Deo profectũ eſt,Deus eſt & Dei filius,& vnus ambo. Ita de ſpiritu ſpiritus,& de Deo Deus modulo alternũ numerũ gradu nõ ſtatu fecit,& à matrice nõ receſſit,ſed exceſſit.

617. 4. Æternam filij generationem deſcribit, vt inde temporalem natiuitatem perſequatur. *Verbo & ratione & virtute*,hęc triplicitas congruit τῷ λόγῳ. *Sermonẽ* autem infrà dat. *Hunc Zeno*,id eſt,hunc λόγον. *Factitatorem*,opificem & diſpoſitorẽ. *Animum Iouis*:eo animo hoc,quo ſolent Iouẽ pro Deo accipere. *Hæc Cleãthes*,hæc ſcilicet vniuerſa. *In ſpiritum cõgerit*,dicit profluxiſſe,& ordinata ab ſpiritu. *Permeatorẽ*,quod ſuprà dixerat *factitatorẽ*, opificem,& diſpoſitorem. *Propriã ſubſtantiam ſpiritum inſcribimus*,id eſt,*ſermonem* illum, *rationem*,& *virtutem*,qua cuncta Deus condidit,quæque omnia λόγος includit, dicimus *ſpiritum, propriam* nimirum *ſubſtantiam* eius, *cui* & ſpiritui & ſubſtantiæ inſit *ſermo pronuncianti*, quia cum ſermone ineſt pro-
618. nuntiatio;*ratio adſit diſponenti* , quia diſpoſitio rerum propriè ex ratione;& *virtus præſit perficienti*,quia conſummatio & perfectio propriè ex virtute. *Hũc ex Deo*, &c. Hunc *ſpiritum,ſermonem,rationem,virtutem*,hunc inquam dicimus *Deum prolatum ex Deo, & prolatione* ipſa *generatum* , & ideo vocatur filius Dei & Deus *ex vnitate* videlicet *ſubſtantiæ* , quippe *Deus ſpiritus* eſt. *Etiam cùm*,&c. Aſtrue ſolẽ,& radium,qui *ex ſole porrigitur, portio* hæc radij pars eſt ſummæ portionis , ita tamen vt *ſol in radio* ſit, *quia ſolis* ipſius *eſt radius*; quapropter non *ſeparatur ſubſtantia* radij ,*ſed extenditur. Ita de ſpiritu ſpiritum,& de Deo Deum* non ſeparari oportet,ſed extendi,id eſt,communicari. *Vt lumen*, &c. Conſimile exemplũ adducit,videas *lumen* accendi *de lumine* , *matrix* materque *materia indefecta & integra manet* , *etſi inde plures* lucernas tanquam *traduces mutueris* & ſumas. Dicit quippe *qualitatis* , id eſt,luminis,nam lumen eſt qualitas. *Ita &*,&c. Ita de Deo oportet aſtruere, &c. *Modulo alternũ numerum gradu non ſtatu fecit:modulo*,id eſt,ſecundùm modum deitatis,*gradu alternus numerus*, id eſt,filius,extat,videlicet *Deus de Deo;non ſtatu*, quia cõditione & ſubſtantia nõ differt à patre filius. *Et à matrice*,&c. Perſiſtit in adducta comparatione arboris,quam *matricem* vocat,ſicut ramos & propagines *traduces*.

619. 5. Iſte igitur Dei radius vt retro ſemper prædicabatur,delapſus in virginem quandã,& in vtero eius caro figurata naſcitur homo Deo miſtus. Caro ſpiritu inſtructa nutritur,adoleſcit,affatur, docet,operatur,& Chriſtus eſt. Recipite interim hanc fabulam, ſimilis eſt veſtris;dum oſtendimus quomodo Chriſtus probetur , & qui penes vos eiuſmodi fabulas æmulas ad deſtructionem veritatis iſtiuſmodi præminiſtrauerint. Sciebant & Iudæi venturum eſſe Chriſtum, ſcilicet quibus prophetæ loquebantur : nam & nunc aduentum eius expectant. Nec alia magis internos & illos compulſatio eſt,quàm quòd iam veniſſe non credunt. Duobus enim aduentibus eius ſignificatis;primo,qui iam expunctus eſt in humilitate conditionis humanæ ; ſecundo,qui cõcludendo ſeculo imminet in ſublimitate diuinitatis exertæ : primum non intelligendo,ſecundũ quem manifeſtiùs prædicatum ſperant,vnum exiſtimauerunt. Ne intelligerent priſtinum , crediturí ſi intellexiſſent,& conſequuturi ſalutem ſi credidiſſent,meritum fuit delictum eorum. Ipſi legunt ita ſcriptum, mulctatos ſe ſapientia & intelligentia,& oculorum & aurium fruge.

620. 5. Hæc ſatis clara ſunt. *Operatur* miracula. *Et qui pene*, &c. Alludit ad fabulam Iouis conuerſi in aurum, vt deciperet Danaën : hæc mens Pamelij. *Scilicet quibus*,&c. Ex affatu frequentiſſimo prophetarum *ſciebant Chriſtum venturum. Compulſatio*,concertatio. *Expunctus*,adimpletus. *Concludendo*,finiendo. *Exerta*,manifeſtæ, ab *exero*, quod eſt manifeſto. Hîc nævus aliquando ſedit in Suetonio , qui *exercuiſſe* pro *exeruiſſe*. Viderunt iam dicti. Pergo. *Primum non*,&c. Confuderunt vtrunque,& vnum exiſtimauere,qui *primum* non intellexere,*ſecundum* autem cognouerunt palã & manifeſtioribus ſignis prædicatum. *Priſtinum*,primũ. *Meritum fuit delictum eorum*,meruit eorum delictũ. *Mulctatos*,&c. Quid mirum, cùm ipſi legant quod *ſcriptũ* eſt,*mulctatos ſe ſapientia atque intelligentia*, ne ſaperẽt & intelligerent. Et inſuper *fruge*,id eſt,fructu *oculorum* quibus vident, *& aurium* quibus audiunt: nec quæ vident, nec quæ audiunt, intelligunt.

621. 6. Quem igitur ſolum hominem modò præſumpſerant de humilitate,ſequebatur vti magnum æſtimarent de poteſtate. Cùm ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret,leproſos purgaret,paralyticos reſtringeret, mortuos denique verbo redderet vitæ,elementa ipſa famularet, cõpeſcens procellas,& freta ingrediens, oſtendens ſeſe verbum Dei, id eſt, λόγον, illud primordiale progenitũ virtute & ratione comitatum,& ſpiritu inſtructum, eundem qui verbo omnia & faceret & feciſſet. Ad doctrinam verò eius qua reuincebantur magiſtri primoréſque Iudæorum , ita exaſperabantur , maximè quòd ad eum ingens multitudo deflecteret , vt poſtremò oblatum Pontio Pilato,Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia ſuffragiorum in crucem IESV dedi ſibi extorſerint. Prædixerat & ipſe ita facturos. Parum hoc, ſi non & prophetæ retro etiam. Tamen ſuffixus multa mortis illius propria oſtendit inſignia. Nam ſpiritum cum verbo ſponte dimiſit præuento carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbis ſignãte Sole, ſubducta eſt. Deliquium vtique putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in archiuis veſtris habetis. Tunc Iudæi detractum & ſepulchro conditum, magna

etiam militari manu cuſtodiæ diligentia circumſederunt, ne quia prædixerat tertia die reſurrecturum ſe à morte, diſcipuli furto amoliti cadauer, fallerent ſuſpectos. Sed ecce die tertia concuſſa repente terra, & mole reuoluta quæ obſtruxerat ſepulchrum, & cuſtodia pauore diſiecta, nullis apparentibus diſcipulis, nihil in ſepulcro repertum eſt præterquam exuuiæ ſepulcri. Nihilominus tamen primores, quorum intererat & ſcelus diuulgare, & populum vectigalem & famularem ſibi ad fidem reuocare, ſurreptum à diſcipulis iactauerũt. Nam neque ille ſe in vulgus eduxit, ne impij errore liberarentur, vt & fides nõ mediocri præmio deſtinata difficultate cõſtaret. Cum diſcipulis autẽ quibuſdam, apud Galilæam Iudææ regionem ad quadraginta dies egit, docens eos quæ docerent. Dehinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem circumfuſa nube in cœlũ eſt receptus, multò veriùs quàm apud vos aſſeuerare de Romulo Proculi ſolent.

Marc. 16. Luc. 24. Act. 1.

623. 6. *Quem igitur*, &c. Si eſſent Iudæi ſapientes, commodum erat, vt is quẽ *humilitate* ſolummodò apparebat homo, æſtimaretur Deus magnis patratis miraculis. *Reluminaret*, propriè: nam verbum eſt, iterum luminare. *Paralyticos reſtringeret*, quippe paralyſis diſſoluit & diuertebrat hominem. *Famularet*, cogeret ſibi elementa famulari. *Compeſcens*, comprimens. *Primordiale*, ab æterno. *Retro etiam*, priùs dixiſſent. *Tamẽ ſuffixus*, edidit notas multas & peculiares illius mortis. *Præuento carnificis officio*, ideo enim crura frangebantur, vt ſi non aliter, ea ſaltem ratione, exſpirarent. *Eodẽ momento*, eodem tẽpore *ſubducta eſt dies*, apparuerúntque tenebræ, cùm ſol eſſet in medio cœli. *Deliquium*, qui neſcierunt rem, putarunt ſolem deficere, deliquiũque illud in ruinã orbis augurati ſunt. quẽ ſanè mundi occidentis occaſum archiua veſtra & tabularia referunt. *Suſpectos*, ſuſpicaces. *Cuſtodia*, militibus. *Vectigalem & famularem*, cui vectigal & famulatum imponebant. *In vulgus eduxit*, palam ſe non omnibus oſtẽdit, ne illorum impietas, vt merebatur, libera eſſet *errore*: deinde *vt fides conſtaret difficultate non mediocri præmio deſtinata*, id eſt, vt fides difficilem ſe exhiberet, cui præmia ingentia conſtituta. *Docens eos quæ docerent*, repetitio honeſtatis plena. *Proculi*, Iulius Proculus recepti in cœlum Romuli falſus fuit teſtis.

624. 7. Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe iam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nuntiauit. Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares nõ eſſent ſeculo neceſſarij, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares. Diſcipuli quoque diffuſi per orbẽ ex præcepto magiſtri Dei paruerunt. Qui & ipſi à Iudæis inſequentibus multa perpeſſi vtique pro fiducia veritatis libenter, Romæ poſtremò per Neronis ſæuitiam ſanguinem Chriſtianũ ſeminauerunt.

7. *Sed & Cæſares*, &c. Sunt *neceſſarij* hoc loco, homines amici ſeculi, deuincti ſeculari obſequio, & vitioſo. Ergo ait, *credidiſſent Cæſares* in Chriſtũ, niſi deuincti eſſent vitiis ſeculi, quæ longè abſunt à Chriſto: Inde ſequitur, *aut ſi Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares*, id eſt, ſi lex Chriſti pateretur vitia, quibus dediti Cęſares. Vnico verbo. *Credidiſſent Cæſares* ſi Chriſtus & ſeculum in vnum conueniſſent, ſeculũ (inquam) plenum vitiorum, & quale agitabant Cæſares. De epiſtola illa Pilati vide & Euſeb. lib. 2. Hiſt. cap. 2.

625. 8. Sed demonſtrabimus vobis idoneos teſtes Chriſti, ipſos illos quos adoratis. Multum eſt ſi eos adhibeam vt credatis Chriſtianis. Interim hic eſt ordo noſtræ inſtitutionis: hunc edidimus & ſectæ & nominis cenſum cum ſuo auctore. Nemo iam infamiam incutiat, nemo aliud exiſtimet, quia nec fas eſt vlli de ſua religione mentiri. Ex eo enim quòd aliud à ſe coli dicit quàm colit, negat quod colit, & culturam & honorem in alterum transfert, & trãsferendo non colit iam quod negauit. Dicimus, & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati & cruenti vociferamur: Deũ colimus per Chriſtum. Illum hominẽ putate, per eum & in eo ſe cognoſci vult Deus & coli. Vt autem Iudæis reſpondeamus, & ipſi Deũ per hominem Moyſem colere didicerũt: Vt Græcis occurram, Orpheus Pieriæ, Muſæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ initiationi-

626. bus homines obligauerunt: Vt ad vos quoque dominatores gentium adſpiciam, homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operoſiſſimis ſuperſtitionibus onerauit. Licuerit & Chriſto cõmentari diuinitatem rẽ propriam; non qui rupices & adhuc feros homines multitudine tot numinum demerendorum attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret, quod Numa; ſed qui iam expolitos & ipſa vrbanitate deceptos, in agnitionem veritatis ocularet. Quęrite ergo ſi vera eſt iſta diuinitas Chriſti. Si ea eſt, qua cognita ad bonum quis reformatur, ſequitur vt falſæ renuntietur; comperta in primis illa omni ratione, quę deliteſcens ſub nominibus & imaginibus mortuorum, quibuſdam ſignis & miraculis & oraculis fidem diuinitatis operatur.

627. 8. *Teſtes*, dæmonas. *Multum eſt*, &c. Nonne mirũ eſt & multũ adduci dæmonas ab eo, qui teſtimoniũ præbet veritatis, & qui ſimiles Deos ridet? *Cenſum*, cenſionẽ, catalogũ, ordinẽ. *Nemo iam infamiam incutiat*. Nemo rumuſculos illos, qui ad infamandã religionẽ noſtram diſſipantur, incutiat, opponat, obiiciat. *Quia nec fas*, &c. Mentiri enim de religione fas non eſt, quia eo ipſo negat iã religionẽ. *Illũ hominẽ putate*. Exiſtimate illũ vt hominẽ, & loquentẽ ad vos vt hominem, nã de diuinitate poſtea aget, in illis, *Licuerit &*, &c. Itaque tantũ vult vt audiatur vt homo. Cõcedit ergo illis per hominẽ Chriſtũ nobis de vera religione cõſtare, hoc tamen nõ obſtare veritati, quia ſcilicet *per eum* hominẽ, *& in eo Deus vult ſe cognoſci & coli*. *Orpheus Pieriæ*. Pierus, ſiue Pieria regio eſt ſub Helicone mõte, vbi Orpheus ſacra intulit. *Muſæus*, filius fuit Orphei, qui primus Athenis ſacra diuulgauit. *Melãpus*. Melãpodẽ ait Euſebius lib. 2. Præp. Euang. cap. 5. ab Ægypto in Græciã luctũ Cereris reportaſſe. *Trophonius Bœotiæ*, Oracula Bœotię Trophonij fuere inſignia. *Licuerit &*, &c. Liceat Chriſto *diuinitatẽ* ſuã profiteri & docere, nõ enim rapinã arbitratus eſt. Aduerte elegãter Euãgeliũ vocat *cõmentum diuinitatis*, quod Chriſto, vt res propria tribuitur. *Ocularet*, oculos daret hominib⁹ politis; & vrbanitate ipſa deceptis. *Operatur*. ſc. fidẽ falsã emẽtitã, falſis numinib⁹ *deliteſcẽs ſub nominib⁹ mortuorũ*

NOTÆ.

628. 1. NOVELLAM.] Ita etiam in religione vsurpat hanc vocem Rabanus Maurus in Epilogo libri Pœnitentium: nam de Christianis loquens ait: *rudes & indomitos animos nouellæ gentis*. Quo sensu eandem vocem accipit Arator lib. 2. Hist. Apostolicæ. Et auctor vitæ sancti Godethardi cap. 4. *Nouellus nouæ religionis tyro*, de vita Monastica, Cassianus lib. 2. cap. 2. *Nouelli Monasterij*: Eusebius Gallicanus Episcop. de Beato Latrone, *Nouella fides*. Ita etiam de aliis sectis, nam Hilarius de Ariana, *nouella & teterrima lues*. Et Albertus Pighius lib. 1. Ecclesiasticæ Hierar. cap. 16. *Nouella contagia, nouella perfidia, nouella curiositas, nouella impietas*, ita scilicet de religione hæreticorum. Et Cassianus Collat. 10. cap. 2. in re doctrinæ *nouella persuasio*. Quod hi *nouella*, Hieronymus ad Saluinam dixit, *rudem Christi ecclesiam*, vt etiam lib. 1. aduers. Iouinianum.

629. 1. PROFITENTIBVS NOBIS QVOQVE.] In vno Pamelij, *vobis*, qui sensus constare potest.

1. FORTASSE AN HOC NOMINE DE STATV, &c.] Pamelius habet, *profitentibus nobis quoque fortasse*, *an sub hoc nomine*, &c. insigni mendo.

1. VMBRACVLO INSIGNISSIMÆ RELIGIONIS.] Ita etiam vocat legem Mosæ Aldhelmus, de Virgin. cap. 3. *Furuo faces site veteris instrumenti vmbraculo, & clarè coruscante Euangelij gratia*. Similiter Cyrillus Alexand. Homil. 6. de festis Paschalibus, σκιαν, *vmbram*; vbi loquitur de Iudæis. Adiicio *nubilum* de lege Mosæ, vt auctor est Eusebius Gallicanus Epis. Homil. 2. de Natali Domini, sic inquiens: *Hic est ille qui sub nubilo legis coruscans, scripturarum omnium claues in se aperiens & claudens, ac testamenti veteris vmbras aduentus sui luce discutiens, verbum caro factum venit in mundum, non deposita, sed sepositа maiestate: perfectus Deus, & verus Homo, vnus Christus: non alter ex Patre, alter ex virgine; sed aliter ex Patre, aliter ex virgine.*

630. 1. CERTÆ LICENTIÆ ALIQVID.] Iunius, Heraldus, & Puteanus habent, *certè licitè, aliquid propriæ præsumptionis abscondat*: Secutus sum tamen lectionem Pamelij, nam concinnitas hoc postulat, ait enim *certæ licentiæ, & propriæ præsumptionis*, vbi sicut *propria præsumptio*, ita *licentia certa*.

1. PRÆTER ÆTATEM.] Hoc loco *ætas* est, quod suprà *nouellam* dixit.

1. EXCEPTIONIBVS.] *Exceptiones victus* sunt, victus quo excipimur: ita & Græci δοχὴν dicunt de epulis: & illis συνδοχεὺς est & ξεναπάτης. Vide me 3. Æneid.

Illos porticibus Rex accipiebat in amplis.

Suetonius Calig. *Lautiùs inuitati acciperentur.*

1. NEQVE DE SOLEMNITATIBVS DIERVM.] Tryphon apud Iustinum Martyrem eadem obiectat Christianis: ἐν τῷ μήτε τὰς ἑορτὰς, μήτε τὰ σάββατα τηρεῖν, μήτε πίλον περίτομὴν ἔχειν, καὶ ἔτι ἐπ' αὐθρωπον σωρωθέντα τὰς ἐλπίδας ποιούμενοι, ὅμως ἐλπίζετε τεύξεσθαι ἀγαθοῦ τινὸς παρὰ τοῦ Θεοῦ, μὴ ποιοῦντες ἅπερ τὰς ἐντολάς: *Qui neque festos dies, neque sabbata seruetis, neque circunciſionem habeatis, atque insuper in homine crucifixo spem collocetis, confidere nihilominus, consecuturos esse boni quicquam à Deo, mandata eius non exsequentes.*

631. 1. SIGNACVLO CORPORIS.] Hîc obuium pro circumcisione, vt dicam in lib. de Pœnitentia. Sciendum tamen sumi pro vulua ab Eusebio Gallicano Episcopo, Homil. 2. de Natali Domini: *Ecce iam nunc iannis clausis processit in mundum materni pudoris signaculo minimè resignato.* Et Homilia 10. de Pascha: *Hic est ille qui interipsa adorandæ natiuitatis suæ sacra primordia, ad nos inuiolato maternæ integritatis signaculo, natura stupente processit.* hoc ἐκ παραδόξου.

1. QVALEM IVDÆI IAM IVDICAVERVNT.] Vt erant stupidi: hoc enim vitium illis dat Cyrillus Alexand. lib. 1. Glaphyrorum, ἐμβροντησίαν.

1. QVO FACILIVS QVIS, &c.] Iunius legit, *quò facilius qui nos hominis cultores existimauerint.*

1. NEQVE DE CHRISTO ERVBESCIMVS.] Quasi satisfaciat obiecto natiuitatis, obiecerant enim *nouellam sectam*. Non erubescimus in Christo nouellæ huius sectæ auctore, & doctore. Ratio in Arnobio lib. 2. *Religionis auctoritas non est tempore æstimanda, sed numine: nec colere qua die, sed quid cœperis, conuenit æstimare.* Illi enim qui vetustis hærent, si non proba, improbè faciunt. Talia aspernanda, abiicienda. Clemens in epitoma vitæ sancti Petri: οὐ πάντως φυλάσσειν τὰ πάτρια δεῖν, ἀλλὰ φυλάσσειν μέ, ἐὰν ἦ εὐσεβῆ, ἀποστέλλεσθαι δὲ μὴ οὕτως ἔχοντα: *Non peruicaciter seruanda patria, sed seruanda quidem si pia, aliter repudianda.* Faciunt hæc pro nouella Christi secta. Sicut & illa Pauli ad Roman. cap. 1. *Non enim erubesco Euangelium.* Et illud cap. 9. Lucæ: *Qui me erubuerit coram hominibus, & filius hominis erubescet eum coram Angelis Dei.* Præclarè Augustinus in Psal. 141. *Vsque adeo de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.* Et quæ sequuntur digna lectu.

632. 1. NEQVE DE DEO ALITER PRÆSVMIMVS.] Concipit Iunius sic legens: *Neque de Deo aliquid præsumimus aliter.* Arnob. dixit lib. *spem præsumitis.* Virg. in 10.

Arma parate animis, & spe præsumite bellum.

1. NECESSE EST IGITVR, &c.] Vvouerenius Codicem antiquum laudat, in quo scriptum: *Necesse est igitur pauca de Christo, vt de eo. Tantum Iudæis erat.*

633. 1. SED QVANTA DELIQVERINT, &c.] Ait Baronius 2. tomo Annal. Iudæos, vt olim sub Hadriano, sic nunc sub Seuero, patrio solo excluſos, ac magna pœna exercitos: de quibus etiam loquitur aduersum Iudæos, cap. 11.

2. DELIQVERINT.] Omnes *dereliquerint*, quod Pamelius notat.

2. FIDVCIA PATRVM INFLATI.] Sæpe hoc Gregorius Mag. in libris Moralium, loquens de prædicatione, quæ à Iudæis transiit ad Gentiles. Iactabant enim se *Abrahæ progeniem, populum sanctitatis*, & vt ait Petrus Chrysologus serm. 4. & serm. 5. Iudæis dat *tumorem*. Zeno Veronensis serm. 10. & 11. de Exodo, dat illis *gloriam, tumorem, exultantiam*, propter magna & ingentia illa, quibus illum populum Deus olim decorauit. Et Cyrillus Alex. de festis Paschalibus Homil. 1. σωματικὴν λατρείαν, *cultum corporeum*, & veluti (vt ait Salmatia interpres Cyrilli) *vmbraticum*, quo se inflarunt. Audiatur etiam Aug. in Expositione epistolæ ad Galatas: *In Iudæis erat per transgressionem legis confirmanda superbia, qui gloriantes de patre suo Abraham, quasi naturalem iactabant se habere iustitiam, & merita sua incircumcisis cæteris gentibus, tanto perniciosiùs, quanto arrogantiùs, præferebant.*

634. 2. DERIVANTES.] Zephyrus *declinantes*. Iunius *deuiantes*; quam confirmat Fuluius Vrsinus.

2. DISPERSI, PALABVNDI.] Vide diuinum supplicium, & hoc certè ex odio quo Iudæi inuisi omnibus mortalibus. Nam in Concilio Constantinopolitano in Trullo, Canone 11. iubetur vt nemo παρὰ-

κειούδω, ἢ ἐν νόσοις παρακαλείδω, καὶ ἰατρείας παρ' αὐτῶν A λαμβανέτω, ἢ ἐν βαλανείοις τούτοις παντελῶς συλλουέδω: quale hoc odium! Id est, *familiaris sit, vel in morbis aduocet, & medicamenta ab ipsis suscipiat, vel nullatenus cum ipsis lauetur.* Et adiicit pœnam grauissimam excommunicationis laicis omnibus, qui secus fecerint. Ambrosius serm.17.dixit: *Iudæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio, est magna pollutio. Dispersi* autem propter peccatum, quod commiserunt in cruce Christi Seruatoris. Prudentius in Apotheosi:

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede reuulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine respersus commista piacula soluit.

2. QVIBVS NEC ADVENARVM IVRE, &c.] Tertullianus cap.13.aduersus Iudæos: *Et exinde, quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Iudæorum.*

635. 2. ADLEGERET DEVS MVLTO FIDELIORES.] Gregorius Thaumaturg. serm. 2. in An- B nuntiationem, tractans illud, καθεῖλεν δυνάστας ἀπὸ θρόνων, & ὕψωσεν ταπεινούς: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*, hunc locum egregiè persequitur. relictis Græcis, Latina sic habent: *Quibus sanè verbis Iudæorum electionem, & gentium introductionem breuiter innuit. Iudæorum enim seniores ac scribæ in lege, & qui reliquis prærogatiuis ac priuilegiis diuites erant, quòd malè suis diuitiis & potentiis vsi essent, hinc eos ab omni sede deposuit, prophetiæ nimirum ac sacerdotij, legislaturæ atque doctrinæ, opulentiæ hæreditariæ, sacrificiorum ac festiuitatum copiæ, dignitatisque regiæ. His omnibus illi spoliati, profugi, ac nudi in captiuitatem electi sunt; & illorum loco humiles, qui ex gentibus populi iustitiam esuriebant, exaltati sunt*, &c.

636. 2. IN QVOS GRATIAM TRANSFERRET, ET PLENIOREM QVIDEM OB DISCIPLINÆ AVCTORIS CAPACITATEM.] Pamelius C ita legit hunc locum: *In quos gratiam trãsferret pleniorem quidem ob disciplinæ auctoris capacitatem*, & ipse in Puteano *auctioris* fatetur. Rhenanus *altioris*, retinui lectionem Iunij.

2. VENIT IGITVR, &c.] Verissimus reformator humanæ vitæ Christus fuit, illuminator, doctor, & qui cœlestem vitam in terris plantauit. Grauiter Ambrosius lib.1. de Virginib. *Posteaquam Dominus in corpus hoc veniens, contubernium diuinitatis & corporis sine vlla concretæ confusionis labe sociauit, tum toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cœlestis vsus inoleuit.* De hac re grauiter quoque Nyssenus de perfecta Christiani forma, vbi ait, vel ipsum Christi nomen esse nobis διδάσκαλον καὶ ὁδηγόν: *magistrum, & ducem*, ad bene beatéque viuendum. Cui nomini dat δύναμιν καὶ μέ- D γεθος, *excellentiam & magnitudinem.* Et totus cursus orationis hoc demum puncto clauditur, illum fore perfectissimum, qui vitam suam ad Christi vitam conformet. Tertullianus in lib.de Oratione cap. 7. *Vt legem in melius reformaret.* Nota etiam, quemadmodum dicat, Hebræis primò illuxisse Deum, mox Christianis, quod etiam lib. Recognitionum Clemẽs asserit. *Quod ergo fuit proprij muneris à Deo erga Hebræorum gentem, hoc nunc videmus dari etiam his qui ex gentibus conuocantur ad fidem.*

637. 3. ILLVMINATOR ATQVE DEDVCTOR.] Gregor. Thaumat. serm.1.in Annunt. σήμερον τὸ ἱλαρὸν ἡμῖν ἔαρ Χριστὸς ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος φαιδρῷ τῷ φωτὶ ἡμᾶς περιέλαμψεν, καὶ ταῖς τῶν πιστῶν ψυχαῖς ἐφώτισεν: *Hodie lætum nobis ver, Christus sol iustitiæ effulsit, ac claro nos lumine collustrauit, fideliumque mentes illuminauit.* Iterũ: ὅτως καὶ ἐκ ταύτης τῆς ἀενναόου καὶ ἀειζώου πηγῆς προέρχεται τὸ φῶς τῷ κόσμου τὸ ἀέννασον καὶ δηνδιηνὸν Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν: *Sic ex hoc perẽni ac semper viuo fonte progreditur perennis, ac vera lux mundi Christus Deus noster.* Nyssenus de perfecta Christiani fama: φῶς γὰρ δηνδιην καὶ τοῦτο ψεύδει ἀπρόσιτον νοήσαντες & Χριστὸν, τοῦτο μανθάνουδι, ὅτι χρὴ καὶ τὸν ἡμέτερον βίον ταῖς τοῦ δηνδιηνοῦ παρρησίαις καταφωτίζεδαι: *At Christum esse lucem veram, & à mendacio remotissimam considerantes, discimus vitam quoque nostram veræ lucis radiis illustrari oportere.* Cyprianus tractatu de Idolis, ad verbum, *qui per prophetas omnes retro illuminator & doctor humani generis prædicabatur.*

3. DEDVCTOR.] Explicui παιδαγωγῶν. Rectè 638. enim post illuminationem sequitur doctrina, sua quippe nos luce ducit. Ita lux Christi est dux hominum. Hanc explicationem docet me Dionysius Areopagita in epist.ad Demophilum, vbi ait: *Sed Christi, qui verè bonus est & optimus, beneficos radios in mentis tranquillitate accipientes, ab eis ad diuina benignitatisque plena eius opera illustrati deducamur.* In Græco est φωταγωγηδῶμεν, id est, *ducamur ab eius luce.* Vides, vt præmissis radiis Christi, subijciat nos ab eius luce duci. Rectè ergo Tertullianus, postquam dixit *illuminator*, subiecit *deductor.* Sic & Drogon Episcop. Hostiensis de Deo loquens, *custodiat, & illuminet, & perducat te.* Cyprianus de orat. *Luce gratiæ luminati iter vitæ (duce & rectore Domino) teneremus.* Et quid obsecro ducit, si non lux? Nonne & Dei populo dux fuit columna ignea? Sic contrà tenebræ viam impediunt, quia nescias quò eas. Inde signatè in forma fidei, quæ facta ab Episcopis Gallicanis: *Secularis imperitiæ tenebris detenti.* Signatè (inquam) *detenti*, non *obscurati*, aut quid simile. Hinc Cyprian. *teneremus.*

3. NON DE SORORIS INCESTO.] Ceita 639. sermone de Incarnat. Domini legit: *Non de fratris incestu.* Nihil moror. Quid quòd omnes codices habent *sororem?*

3. SQVAMATVM.] Cyprianus epist. ad Donatum: *Exprimunt Iouem illum suum, non magis regnis quàm vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris auibus prosilire.* Tertullianus ipse lib. de Carne Christi cap. 4. *Apud seculi sapientiam facibus creditur Iuppiter taurus factus, aut cygnus, quàm verè homo Christus penes Marcionem.* Iul. Firmicus de errore profanæ religionis: *Adulterio delectatur aliquis, Iouem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quòd Deus suus in cycno fallit, ludit in satyro, quòd inclusam regiam virginem auro largiter fluente corruperit*, &c. Athanasius orat. contra Gentes: οἷον γὰρ οἷόν ἐστιν ἰδεῖν τοὺς περὶ ποιητὰς τὸν Διὸς ἔρωτας, καὶ ταῖς ἀσελγείαις, οἷόν ἐστιν αὐτὸν ἀκούειν, ἁρπάζοντα μὲν τὸν Γανυμήδην: *Vt in Iouis amoribus libidinibusque apud Poëtas videre licet: cuius generis est, dum audis eum Ganymedem rapere*, &c. Et iterum: καὶ διὰ ταύτας (γυναῖκας) ἐν ἀλόγοις ζώοις τετράπουσί τε καὶ πλωτοῖς ταῖς φαντασίαις παρακινδυνεύοντα: Et *propter illas* (mulieres) *in brutorum animantium imagine quadrupedum volucriumque suam ipsius speciem in periculum adducere.* Prudent. lib. contra Symmachum,

Quódque nouo ingenio versutus Iuppiter, astus
Multiplices varióque dolos texebat, vt illum
Vertere cùm vellet pellem faciémque, putarent
Esse bouem, prædari Aquilam, confingere cycnum,
Et nummos fieri, & gremium penetrare puellæ.

Seneca de vita Beata cap.26. *Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Iuppiter Opt. Max. ineptias poëtarum, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit, & abnoctantem.* Triplicis porro meminit fabulæ, Ledæ, Europæ, & Danaes. Sicut etiam Statius lib.1. Syluar.

Falsas huic pennas, & cornua sumeret æthræ
Rector, in hanc vero cecidisset Iuppiter auro.

Videndus Athenagoras in Legat. pro Christianis.

3. IOVIS ISTA SVNT ET NVMINA VESTRA.] Iunius, *Iouis ista sunt, hæc numina vestra.* Vvouerenius: *Iouis enim ista sunt numina vestri.*

3. NVLLAM DE IMPVDICITIA HABET MATREM.] In litteris Synodicis Leonis Papæ ad Flauianum Archiepiscop. Constantinop. *Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, carnis materiam ministrauit.* Græcè sic habent: χαινῇ δὲ τῇ γενέσει τεχθεὶς, ἐπεὶ τοῦ μὴ ἀγαμίας παρθενία ἐπιθυμίαν μὲ ἐγέννησεν, τῷ δὲ τῆς σαρκὸς ἐχορήγησεν ὕλην.

641. 4. IAM EDIXIMVS, &c.] Pro huius tractus declaratione adduco Athenagoram in Legatione pro Christianis, & tantùm Latinè, ad euitandam longitudinem. *Verùm satis enim mihi demonstratum est, non* B *negare nos numen, qui vnum illum ingenitum, æternum, inuisibilem, impassibilem, qui nec loco includi potest, nec aliter quàm sola mente & ratione comprehendi, qui luce, pulcritudine, spiritu, & potentia ineffabili continetur, à quo facta sunt omnia per verbum ipsius, per quod & digesta sunt, & stabiliuntur, hunc (inquam) vnum prædicamus Deum, quin & Dei filium mente complectimur. Neque enim est, quòd aliquis ridiculum putet, Deo filium à me attribui. Non enim, vt poëtæ fabulantur, qui nihilo meliores hominibus suos Deos faciunt, vel de Deo patre, vel de filio sentimus. Sed filius Dei, est verbum Dei patris in idea & efficacia. Ab ipso enim, & per ipsum facta sunt omnia, cùm pater & filius vnum sint, ita vt filius sit in patre, & pater in filio, per vnionem & potentiam spiritus, si-quidem mens & verbum Dei, filius Dei est,* &c. Prosequitur in eundem modum multa.

642. 4. ARTIFICEM.] Id est, opus. *Artifex* operatorem significat. Prudent. lib. 1. cont. Symmachum, C

Aut elementorum naturam, quæ Patris ars est
Omnigeni, summa pro maiestate sacraret.

4. HVNC EX DEO PROLATVM, &c.] Iustinus Martyr Dialogo cum Tryphone: τὸ γὰρ ἀγέννητον τῷ ἀγεννήτῳ ὅμοιόν ἐστι, καὶ ἴσον καὶ τοιοῦτον, καὶ οὔτε δυνάμει, οὔτε τιμῇ προκριθεὶη ἂν θατέρου τὸ ἕτερον: *Ingenitum enim ingenito simile est, & æquale, idémque adeò cum eo; ac neque potestate, neque dignitate alterum altero præferatur.* Ignatius in epist. ad Magnesianos Christum vocat, τὴν ἀρχιερέα τῶν ἀγεννήτου Θεοῦ: *sacerdotem Dei ingeniti.* Adducit Heraldus hæc eiusdem in eadem epist. ὅτι εἷς Θεός ἐστιν ὁ παντοκράτωρ, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητὸς, ἀλλὰ οὐσιώδης. οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γνωστὴ, ὃς πάντα κατεσκεύασεν τῷ πέμψαντι αὐτόν: *Vnus Deus est omnipotens, qui seipsum manifestauit per Iesum Christum filium suum, qui est ipsius verbum, non pronunciatum, sed substantiale: nec enim est* D *articulati sermonis vox, sed diuinæ efficaciæ genita essentia, qui omnia grata & placita reddidit ei, qui se miserat.* Athenagoras pro legatione: ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς νοῦς
643. ἀΐδιος ὤν, εἶχεν ἀϊδίως ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν: *A principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in se ipso habet verbum æternum, cùm rationalis ipse æternum sit.* Tertullianus Carnotens. Episcopus epist. 1. *Incomprehensibilem enim diuini consilij altitudinem, sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest; quia dum mens nostra vltra se præcipitanter erigere vsque ad inaccessibilem secretorum Dei visionem appetit: infirmitatis suæ obstaculo reuerberata, & intra ignorantiæ suæ angustias coarctata, nec quod vltra se est, valet comprehendere, nec quod intra se est, æstimare.*

4. SED SOL ERIT IN RADIO.] Iunius A legit, *sed Sol exit in radio*, quod postea interpretatur, cùm ait *extenditur.* Videtur hoc consentire cum illo aduersus Praxeam, cap. 4. *Hæc erit probola veritatis, custos vnitatis, quia prolatum dicimus filium à Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet, sicut radix fruticem, & fons fluuium, & Sol radium.* Et Hippolytus Martyr Homilia de Deo trino & vno: *Cùm alium dico, non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, & aquam ex fonte, aut radium à Sole.* Quæ sequuntur, *ita de spiritus spiritu, & de Deo Deus*, abesse in ms. admonet Schoppius, & certè videntur incommodè dissecare sententiam auctoris, & ex sequentibus posteà fortasse librarius intulit.

4. MODVLO ALTERNVM NVMERVM, &c.] Legit sic Vvouerenius: *Modulo alterum, non numero; gradu, non statu fecit.*

5. DEI RADIVS.] *Radium* appellat Christum, dans illi nomen sublime. Optimè dixit Nyssenus nihil interesse hoc, vel illo afficias nomine, in Catechet. orat. cap. 5. τοῦτο δ' εἴτε λόγον, εἴτε σοφίαν, εἴτε δύναμιν, εἴτε Θεὸν, εἴτε ἄλλό τι τῶν ὑψηλῶν τε καὶ πρώτων ἐνομάσειν τις ἐθέλει, οὐ διισχυριζόμεθα: *Hoc autem verbúmne, an sapientiam, an virtutem, an Deum, an aliquid aliud ex sublimibus & præclaris nominibus velis appellare, nihil laborabimus.*

5. PRÆDICABATVR.] Aliàs *prædicebatur*, & laudo.

5. DELAPSVS IN VIRGINEM QVANDAM.] De incarnatione verbi ita Arator lib. 1. Hist. Apost. 64

Venit ad occiduas carnaliter editus oras
Humana sub lege Deus, qui temporis expers
Principium de matre tulit, nec vile putauit
Maiestate potens terreni sumere formam
Corporis, atque opifex hominum, pars esse, suóque
Nos pretio reuocare sibi, &c.

Constantinus Manasses in Annalib. ita graphicè,

Εἰσδὺς γαστρὸς τῆς καθαρᾶς νεανίδος ἀφθόρου,
Τῶν σαρκῶν συνεπήξατο τούτῳ ἐκ τῶν αἱμάτων:
Castam incorruptæ iuuenculæ aluum ingressus,
Ex eius sanguine carnem sibi compegit.

5. CARO FIGVRATA.] Multi legunt, *figuratus*, vt illud, *& verbum caro factum est*, & sic erat in primo exemplari; mutauit autem Pamelius: sic verò astrue, *homo Deo mistus figuratus caro.*

5. NASCITVR.] Hic est Natalis ille Christi IESV, quo nullus opulentior, vberior, ditior. De quo Chrysostomus Homilia 31. ἡ πασῶν ἑορτῶν σεμνοτάτη καὶ φιλοσοφωτάτη, ὥς ἄν τις εἰκότως μητρόπολιν πασῶν τῶν ἑορτῶν προσειπών: *Omnium solemnitatum augustissima & maximè stupenda, quam haud errarit, qui metropolin festorum omnium dixerit.* 645.

5. MISTVS.] Locutio hæc est Cypriani lib. de Idolorum vanitate, vbi de Christo ita ait: *Carnem spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur.* Etiam Augustini patris Theologorum. Nam Epist. 3. ita ait: *Quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permistus sit; vt vna fieret persona Christi.* Et post pauca: *Sicut in vnitate personæ anima vnitur corpori vt homo sit, ita in vnitate personæ Deus vnitur homini vt Christus sit. In illa ergo persona, mistura est animæ & corporis; in hac persona, mistura est Dei & hominis.* Deindè adhuc creberrimè repetit. Et ne quis absurdè locutionem capiat, se satis explicat, cùm ait: *Si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, vt neuter seruet integritatem suam.* Si enim *mistionem* capias hoc modo in Christo, absurdissimum erit, adeo vt neque in homine capienda sit permistio animæ & corporis. Ergo in hoc sensu Michaël

Syngelus in vita Sancti Dionysij : μὴ τῆς ἀμεταβόλου καὶ ἀσυγχύτου τῶν οἰκείων ἰδιότητος : *Nulla tamen propriæ naturæ facta mutatione, aut confusione.* Et in 1. parte Concilij Ephesini : ὁ γὰρ λόγος σὰρξ ἐγένετο, συνῆλθον αἱ φύσεις, καὶ ἀσύγχυτος ἕνωσιν ἢ ἕνωσις : *Verbum enim caro factum est, duæque in vnum coïerunt naturæ ; at id citra vllam omnino confusionem.*

646. 5. CARO SPIRITV EIVS INSTRVCTA NVTRITVR, &c.] Nyssenus in epist. ad Eustathium: διὰ τοῦτο ὅσα τῆς φύσεως ἡμῶν ἰδιώματα ἀνεπιμιξιάτως καὶ πρὸς αὐτὴν ἰσορεῖ ἡ γραφὴ, πῶς βρῶσιν, καὶ ὕπνον, καὶ κόπον, πῶς προϊὼν, πῶς προκόπτων, τῆς σωματικῆς ἡλικίας πῶς αὔξησιν. παύτα δι' ὧν ἡμετέρα χαρακτηρίζεται φύσις, πάλιν τῆς κατ' ἁμαρτίαν ὁρμῆς : *Propterea non erubescit scriptura omnia de eo narrare, quæ sunt naturæ nostræ propria, esum, potum, somnum, lassitudinem, cibi sumptionem, progressum corporeæ staturæ, incrementum ; omnia denique per quæ character naturæ nostræ exprimitur, excepta propensione ad peccatum.* Et rursus in orat. in diem Natalis Christi: καὶ ἡ μὲ καθαρότης ἐν τῷ ἡμετέρῳ γίνεται ῥύπῳ, ὁ δὲ ῥύπος τῆς καθαρότητος οὐ προσάπτεται : *Puritas quidem ad nostras sordes sese demisit, sordes tamen ipsæ puritatem non attigerunt.*

5. FAMVLAS ÆMVLAS.] Vide Delrium nostrum Adagiali 134. *Esse in prouerbium ac fabulam.*

5. MERITVM FVIT DELICTVM EORVM.] Euidentissimum est ad sententiam. Nec scio quare Rhenanus posuit, *meritum delictorum.*

647. 6. QVEM IGITVR SOLVM HOMINEM MODO PRÆSVMPSERVNT DE HVMILITATE, SEQVEBATVR VTI MAGNVM ÆSTIMARENT DE POTESTATE.] Hoc habuit Dei filius: quem ad locum diligens est ac pia Eusebij Episcopi Gallicani cõsideratio, Homilia 6. post Pascham: *Similis mihi æqualitate substantiæ vel naturæ, sed innocentiæ ac iustitiæ puritate dissimilis : vt de meo haberet vnde persolueret, & de suo vnde penitus in nullo debitor appareret. De meo ergo habuit, vnde crucifigeretur, de suo vnde glorificaretur : de meo vnde caderet, de suo vnde resurgeret. De nostro itaque dedit peccati hostiam, de suo indulgentiæ tribuit gratiam: de nostro est quicquid in passione damnatur, de suo est quicquid beatitudinis ex resurrectione confertur. Nullum ergo habuit Saluator noster originale peccatum, quia nullum est virilis generationis passus exordium, & ideo repulit mortem omnibus debitam, dum solus soluit indebitam : ac sic per indignissimam passionem, quia non habebat peccata propria, redemit aliena.*

6. MAGNVM.] Alij legunt, *magum*, sed absurdè: nam (vt aduertit Iunius) non hoc loco diluit calumnias.

6. OSTENDENS SESE, &c.] Iunius legit, *ostendens se esse.* Et Vvouerenius addit, λόγον, *id est, verbum Dei* quod mihi magis probatur; sequitur enim, *primordiale.* Ad sententiam pertinet illud Eusebij Gallicani Episcopi Homilia 1. de Natali Domini: *Quid ergo est, Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis ? Natus est nobis, qui sibi erat ; datus est ergo ex diuinitate, natus ex virgine. Natus, qui sentiret occasum : datus, qui nesciret exordium. Natus, qui & matre esset iunior : datus, quo nec pater esset antiquior. Natus, qui moreretur ; datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic qui erat, datus est : qui non erat, natus est : illic dominatur, hic humiliatur. Sibi regnat, & mihi militat.*

6. QVA REVINCEBANTVR.] Ita distinguit Iunius : *Qua reuincebantur, magistri primoréque Iudæorum ita exasperabantur.*

648. 6. MAXIME QVOD AD EVM INGENS MVLTITVDO DEFLECTERET.] Notat inuidiam : quod vitium Iudæorum contra Christum. Hilarius de Concil. Ariminens. *Inuidia Iudæorum, odium Gentilium, furiæ hæreticorum.* Et Can. 12. *Inuidia facti Pharisæos commouet, & aduersus eos ineunt consilium, quia contuentes hominem in corpore, Deum in operibus non intelligebant.* Hanc illorum inuidiam notat verbis aliis Can. 23. *De malitiæ affectu in omnem se inquisitionem reperiendæ accusationis extendunt.* Petrus Chrysologus serm. 1. *Sæuam Iudaicæ gentis inuidiam.* Et serm. 4. pleniùs: *Hæc inuidia Abrahæ progeniem, populum sanctitatis ad auctoris sui cædem, ad mortem Saluatoris armauit.* Et serm. 19. comparat cum auibus dæmones : *Qui in pectoribus scribarum malitiæ suæ nidos fecerunt, vbi tota nequitiæ suæ germina procrearent.* Et serm. 48. eidem genti dat : *Liuoris nubilum, malitiæ fumum.* Ibidem veluti antonomasticè, *Iudaicus liuor.* Et serm. 50. *Pharisaicus liuor.* Zeno Veronens. sermone 2. de Abraham : *Ad Iudæos remansit sola damnatæ voluntatis inuidia.*

649. 6. SYRIAM.] Imò Iudæam. Nam Syllanus erat Syriæ præses, Pilatus autem erat præses Iudææ, vt constat ex Iosepho lib. 18. cap. 3. & 4. Sed Cyprianus Tertullianum sequitur. Sed Philippus Berterius Diatriba 1. cap. 4. apertè dicit Syriam à Tertulliano dici pro Iudæa, nec esse potest in hoc lis vlla.

6. IN CRVCEM IESVM DEDI.] Merito optimo dicuntur Iudæi à Chrysostomo orat. 2. contra illos, λύκων ἀπιστων χαλεπώτεροι : *Lupis omnibus sæuiores,* vt qui mansuetissimam ouem, Christum scilicet, ad carnificinam adduxerint. Cæterùm eadem continenti filo Ignatius Mart. in epist. ad Magnesianos : *Hæc est crux illa & mors propter quam insultabunde in Christianos increduli.* Augustinus tomo 10. sermone 1. de Paulo : *Nolo erubescamus de Christi nomine. Insultet nobis quod credimus in crucifixum.* Lactantius lib. 4. cap. 6. *Venio nunc ad ipsissimam passionem, quæ velut opprobrium nobis obiectare solet, quòd & hominem, & ab hominibus insigni supplicio adfectum & excruciatum colimus.* Minut. *Hominem summo supplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia, eorum ceremonias fabulantur.* Fulbertus Carnotens. Episcop. *Idem quippe Dei filius, qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus est.* Cyrillus Alexand. Homilia 4. de festis Paschalibus : ἐν τῷ ἐναντίων σταυρῷ προσηλώκασιν οἱ παῖδες τῶν Ἰουδαίων λαοὶ, καὶ πᾶσι εἴδεσι ἐπενεγκόντες κακίας τε ὁμοῦ, καὶ ἀπιστίας, θανάτῳ παρέδωκαν : *Contrà prorsus Iudæorum sceleratissima gens cruci affixit, omniquè genere cruciatuum simul & ignominiæ affectum morte multauit.* Et Homilia 8. *At Iudæi quidem infelices diaboli imperio vbique obsequentes, Dominum, Dominum gloriæ ἐσταύρωσαν, crucifixerunt.* Cesso, est enim vber campus.

6. PARVM HOC.] Heral. sic, *Parum, si non & prophetæ retro. Et tamen.*

650. 6. SVFFIXVS.] Hoc est esse passibilem Christum, est enim passus mortem acerbissimam; nam extrema respicit Tertullianus. Marius Victorinus Afer lib. 1. aduersus Arium : *Et idcirco de filio dicitur, quòd impassibilis, & passibilis ; sed in progressu passio, maximè autem in extremo profusionis, hoc est, cùm fuit in carne.* Et Eusebius Gallicanus Episcop. Homilia 1. de Natali Domini : *De nostro est quod appendit, de suo est quod donauit. Meum testor esse, quod de cognata mihi carne processit, vt meum sit quod triumphauit. Meum, inquam, testor esse quod cecidit, vt meum sit quod resurrexit. Meum, inquam, quod iacuit intra tumulum, vt meum sit quod ascendit in cœlum.*

651. 6. PRÆVENTO CARNIFICIS OFFICIO.] Origenes lib. 3. cõtra Celsum, quẽ adducit Heraldus: καὶ κρύψας

φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, προλαβὼν τοὺς ἐπὶ τῶν αὐ- A
σχολοπιζομένων δημίους ὑποτέμνοντας τὰ σκέλη τῶν σταυρωθέντων,
καὶ διὰ τοῦτ' ὑποτέμνοντας, ἵνα μὴ ἐπὶ πλέον τιμωρίαν πάσω-
σιν: *Et clamans voce magna exſpirauit, præueniens carnifices crucifixorum, ſecturos eorum crura; & ideo ſecturos ne diu anxiè torquerentur.* Lactantius lib.4.cap.26. *Suffixus itaque Chriſtus cùm ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putauerunt oſſa eius ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat.* Arnobius lib.1. *Quia vinculis corporis non naturali diſſolutione digreſſus eſt, ſed vi illata diſceſſit.*

6. CASVM.] Alij legunt *caſſum*, à carendo dictum.

6. ARCHIVIS.] Legit Heral.in *arcanis.*

6. CVSTODIÆ DILIGENTIA.] Cuiacius legit, *cuſtodia diligenti*, contra codicum fidem.

6. SVSPECTOS.] Suſpicaces, actiua ſignificatione, vt conſideratus, & talia. Sic ὕποπτος, apud Græcos: vt Dio lib. 59. βάσιλικος δὲ καὶ ὕποπτος πρὸς πάντας ὁ- B
μοίως ἦν: id eſt, *omnibus inuidebat, atque omnes pariter ſuſpicabatur.* Apuleius lib. 9. *Iam ſaxo fores verberat, & ipſa tarditate magis magiſque ſuſpectus dira comminatur.* Monuit Heraldus: ſic è contrario actiuum pro paſſiuo, quod monet Turnebus in lib.30. cap.19. vt apud Maronem lib.1.

---olim voluentibus annis.

Et apud eundem lib. Georg.

Tardàque Eleuſinæ matris voluentia plauſtra.

Et apud Lucretium lib.5.

Multáque per cœlum Solis voluentia luſtra.

In his omnibus valet, quæ voluunt ſe, vel quæ voluuntur.

652. 6. SED ECCE DIE TERTIA.] Cyrillus Alex. Homilia 8.de feſtis Paſchalibus: *Sedfieri non poterat, vt qui natura vita Deus erat, mortis vinculis detineretur. Proinde ſpoliatis inferis, abditiſque diaboli penetralibus vndequaque vaſtatis ac direptis, poſt triduum reſurrexit, factus humana naturæ via, initium, & C ianua, per quam feſtinare ad vitam, mortiſque laqueos perrumpere liceat.* Euſebius Gallicanus Epiſ.Homilia 7.de Paſcha: *Obſtupeſcit natura rerum: ecce contra leges ſuas hodie de inferis vita proceſſit, & per eas quæ reditum non habebant, in vitã morte remeauit. Quin imò mors ipſa in ſua regione captiua expauit ſubitò talem mortuum, & quæ debitorem ſuum putabat, creditorem atque exactorem eſſe cognoſcit.* Et de Aſcenſione Domini: *Nõ minùs illud nouum eſt, quòd poſt glorioſæ paſſionis triumphum ad inferna deſcendens, portas æreas & vectes ferreos dominantis auctoritate effringens, peregrinum tenebris diem terribili regioni expaueſcendus ingeſſit.*

653. 6. AD FIDEM REVOCARE.] Reponunt ex codicibus præcedentibus Iunius, & Heraldus, *à fide reuocare*; & Iunius ita conſtruit, primores, quorum intererat, ſcelus cuſtodiæ diuulgare, & quorum item in- D tererat, populum vectigalem & famularem ſibi reuocare à fide Chriſti: hi ergo ſurreptum à diſcipulis iactitauerunt.

6. FIDES NON MEDIOCRI PRÆMIO DESTINATA DIFFICVLTATE CONSTARET.] Fidem alibi *impudentem* vocat, cùm inquit *impudentia fidei.* Verè abrumpit quæuis difficilia, & obſtantes dæmonum cateruas euincit. Sed hoc alibi iam expendi. Ab Euſebio Gallicano Epiſcop. Homilia de Epiphan. & fratribus Machab. dicitur fides *artifex.* Quo non vtitur artificio ad eruendam veritatem, & erutam amplectendam?

6. PROCVL I.] Tropus vulgaris. ſic ſequenti capite, *ſciunt Cræſi, ſciunt Pyrrhi*: neque enim quæ hîc Heraldus diſſerit, placent. Cyprianus de Idolorum vanitate, *Romanorum enim vernaculos Deos nouimus: eſt Romulus peieranti Deus factus.* Lactant.lib.1.cap.15. *Ob hoc deſiderium faciliùs creditum eſt Iulio Proculo mentienti, qui ſubornatus à patribus eſt vt nuntiaret plebi ſuæ, vidiſſe ſe regem humano habitu auguſtiorem.* Minutius: *Peierante Proculo Deus Romulus.* Et Tertullianus lib.4.contra Marcionem cap.7. *Romulus aſcenſus ſui in cœlum habuit Proculum affirmatorem.* 654.

7. PRO SVA CONSCIENTIA CHRISTIANVS.] Hîc miri ſunt concionatores, cùm Tertullianus ſolùm dicat, Pilatum impensè fauiſſe Chriſto, & fuiſſe ſollicitum pro illo interiore affectu animi.

7. NERONIS.] Clemens Papa in epiſt. ad Iacobum, *tyrannum mundi* vocat, & *beſtiam feram.* Methodius in martyrio ſancti Dionyſij: καὶ τύραννος καὶ ἀσεβὴς Νέρων, τῷ ὄντι καὶ τῷ θάλασσαν οἰόμενος καθυποτάξαι τῇ ἑαυτοῦ τυραννίδι, ὀργῇ ἀπωλείας ἑαυτὸν, καὶ ὑπερμέτρῳ μανίᾳ λυσσήσας, κατὰ δούλων τοῦ Χριστοῦ ἐξήφθη: *Tyrannus & impius Nero, qui ſe tyrannidi ſuæ terram & mare ſubacturum ſperaret, furore crudelitatis ſuæ, vique amentiæ in rabiem adductus in Chriſti ſeruos exarſit.* Themiſtius, de eo loquens, orat.5. ἐμὴ γὲ ἤδειν ὅτι θηρίον ἐν μορφῇ ἀνθρώπου: *Sciebam enim ſub hominis figura latere belluam.* Prudentius in Symmachum lib.2. 655.

Illius inſtinctu primus Nero matre perempta
Sanguinem Apoſtolicum bibit, ac meſtrage piorũ
Polluit, & proprium facinus mihi ſæuus inuſit.

Tertullianus contra Gnoſticos, *Cæſarum legimus vitas, orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit.* Lino Papæ lib.1.de Actis Petri & Pauli, vocatur, *Perditionis caput, & Antichriſtus Nero.* Conſtantinus Manaſſes in Annalib.

Οὗτος πολλοὺς ὑπήγαγε θανάτοις πικροτάτοις:
Multos acerbiſſimis mortibus affecit.

8. VT CREDATIS CHRISTIANIS.] Heraldus, *vt credatis Chriſtiani*, id eſt, Chriſtiani effecti. Reliqua quæ adiicit, mihi non ſunt tanti. 656.

8. DOMINATORES GENTIVM.] Oroſius lib.1. Hiſt. cap. 2. *Romanos fieri rerum dominos bonis communibus non obſtare.* Auguſtinus de Ciuit. lib. 3. cap.13. etiam vocat *rerum dominos.* Vt & Arnobius lib.4. Fulcrum habent in Virg.1. Æneid.

---Romanos rerum dominos.

8. REFORMATVR.] Informat denuò vitam, & aliam formam dat. Prudent. Hymn.6.

Nec vitam rapit illa, ſed reformat.

8. SEQVITVR VT FALSÆ, &c.] Sic legit Vvouerenius, ex antiquo codice, *ſequitur vt falſa renuntiet quæuis alia contraria comperta, in primis illa.* Concilium Carthaginienſe ſub Cypriano Epiſcopo: *Et ideò venientes ad Eccleſiam hæreticos, integro & Catholico baptiſmate baptizari debere, manifeſtum eſt, vt à blaſphemiæ ſuæ præſumptione purificati, poſſint ſpiritus ſancti gratia reformari.* Cõcilium Toletanum tertium circa tempora Gelaſij, *per aſſumptam tamen à filio humani habitus formam, à damnata progenie reformamur ad beatitudinem priſtinam.*

CAP. XXII. ARGVMENTVM.

De Dæmonibus, eorúmque viribus & actionibus.

TERTVLLIANVS.

657. 1. ATQVE adeò dicimus, esse substantias quasdam spiritales; nec nomen nouum est. Sciunt dæmonas Philosophi, Socrate ipso ad dæmonij arbitrium expectante. Quidni? cùm & ipsi dæmonium adhæsisse à pueritia dicatur? Dehortatorium planè à bono omnes sciunt Poëtæ. Etiam vulgus indoctum in vsum maledicti frequentat. Nam & Satanam principem huius mali generis, proinde de propria conscientia anima eadem exsecramenti voce pronuntiat. Angelos quoque, etiam Plato non negauit. Vtriusque nominis testes esse vel Magos asserunt. Sed quomodo de Angelis quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens dæmonum euaserit, damnata à Deo cum generis auctoribus, & cum eo quem diximus principe, apud litteras sanctas ordine cognoscitur. Nunc de operatione eorum satis erit exponere.

EXPLICATIO.

658. 1. SVBSTANTIAS, angelos. *Socrate:* Dæmon Socratis cui ignotus? *Dehortatorium*, est dæmon dehortans à bono, persuadénsque ad malum. *Exsecramenti voce*, locus difficilis, ego sic explico. *Nam & anima proinde de propria conscientia voce eadem exsecramenti*, exsecraminisque *pronuntiat principem huius mali generis Satanam*, id est, aduersarium execrandum. Vide Notam. *Sed quomodo*, &c. Dæmones ab Angelis (quos filios Dei arbitrabantur per fraudem decepti verbis Genes. 6.) procreati fuere ex opinione veterum, quam opinionem à Iudæis ipsis ad Christianos vsque propagatam obseruat Pamelius in paradoxis Tertulliani. Itaque vocat *gentem dæmonum corruptiorem*, angelos illos, qui visis mulieribus peccauerunt, iuxta falsam quorumdam sententiam.

659. 2. Operatio eorum est hominis euersio, sic malitia spiritalis à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; animæ verò repentinos, & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad vtramque substantiam hominis adeundam subtilitas & tenuitas sua. Multum spiritalibus viribus licet, vt inuisibiles & insensibiles in effectu potiùs quàm in actu suo appareant. Si poma, si fruges nescio quod auræ latens vitium in flore præcipitat, in germine exanimat, in pubertate conuulnerat, ac si cæca ratione tentatus aër pestilentes haustus suos offundit Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio dæmonum & angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus & amentiis fœdis, ac sæuis libidinibus cum erroribus variis: quorum iste potissimus, quòd eos ipsos captis & circumscriptis hominum mentibus commendat, vt sibi & pabula propria nidoris & sanguinis procuret simulacris ac imaginibus oblata: & quæ illi accuratior pascua est, hominem à cogitatu veræ diuinitatis auertat præstigiis falsis: quos & ipsos quomodo operetur, expediam.

660. 2. *Vtramque substantiam hominis*, corpus, & animam. *Multum*, &c. Quantum licet spiritibus vt potiùs *effectu* quàm *actu* sint in hominibus? *Si poma*, &c. Comparatio fructuum, quos leuis aura corrumpit, *in flore* quidem *præcipitat* disperditque penitus; *in germine*, etsi conualescat in flore, *exanimat*; iam si flos & germen sibi gratiam concilient, certè pubertas vulnus accipit; & ita pestiferos halitus *offundit*, *ac si* esset *tentatus aer* quasi morbo, ignota quadam *ratione*: nescis enim vnde afflatus ille veniat, & corrupta aura. Diuina pariter in contagio spirituum, quas *corruptelas* excitant, quas libidines commouent, quas spurcitias exagitant, quas amentias præcipitant; quorum hæc est maior, vt se dæmon ipse insinuet hominum mentibus, vt habeant se principem, illúmque per nidorem homines aucupentur. Litteram sic expones, potissimus error est, *vt & sibi pabula propria nidoris & sanguinis procuret, simulacris & imaginibus oblata, quod captis & circumscriptis hominum mentibus commendat*, id est, quod dæmonas hominibus ab ipsis deceptis cõmendat. itémque vt homines auertantur à vero Dei cultu fallaciis & præstigiis.

661. 3. Omnis spiritus ales est. Hoc Angeli & dæmones. Igitur momento vbique sunt. Totus orbis illis locus vnus est, quid vbique geratur tam facilè sciunt quàm enuntiant. Velocitas, diuinitas creditur, quia substantia ignoratur. Sic & auctores interdum videri volunt eorum quæ annuntiant. Et sunt planè malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Dispositiones etiam Dei, & nunc prophetis concionan-

tibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur diuinitatem, dum furantur diuinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in euentus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi. Cæterùm testudinem decoqui cum carnibus pecudis Pythius eo modo renuntiauit quo suprà diximus. momento apud Lydiam fuerat. Habent de incolatu aëris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium cœlestes sapere paraturas; vt & pluuias, quas iam sentiunt, repromittant. Benefici planè & circa curas valetudinum: lædunt enim primò, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum noua, siue contraria, post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur. Quid ergo de cæteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ spiritalis ediſſeram? Phantasmata Castorum, & aquam cribro gestatam, & nauem cingulo promotam, & barbam tactu irrusatam; vt numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur.

662. 3. *Ales est*, velocissimus est, & quouis alite velocior. *Hoc*, idem sunt Angeli. *Totus orbis*, totum orbem habent pro vnico loco. *Velocitas*, ab ignorata substantia dæmonum vna *velocitas creditur* esse *diuinitas*. *Et sunt*, &c. Et aliquando *auctores* sunt malorum *quæ annuntiant*, non semper; nam si nuntient, alluuione aut terræmotu perisse quampiam vrbem, esse potest à natura, & à dæmone: *bonorum tamen numquam* sunt *auctores*, etiamsi nuntient. *Dispositiones*, sciunt quæ Deus disponat; audiunt enim quæ dicant prophetæ, & quæ passim in sacris *lectionibus* sunt. Quamobrem assumunt inde *temporum quasdam sortes*, dicúntque hæc vel illa debere contingere, & sic *æmulantur diuinitatem, dum diuinationem*, quæ Dei est, *furantur*. *In oraculis*, nullibi magis astuti sunt, quàm in edendis oraculis, attemperandáque ambiguitate eorum, quæ accident: quod *Crœsi & Pyrrhi sciunt*. Vide Notas. *Cæterùm*, Crœsus cum agnina carne decoxerat testudinem, idque clàm, vt in Clio Herodotus commemorat, quod Pythia diuulgauit, nec mirum; fuerat enim in Lydia momento temporis. *Habent de*, &c. Cùm circa aërem peregrinentur, & illum incolant, cùm sideribus vicini sint, & nubibus commorentur, *sapiunt* quidem habéntque *paraturas*, id est, quod paret apparétque cœlum, recognoscunt, inde est, pluuiam *repromittant*. *Benefici*, &c. Iam se quomodo beneficos ostentent, audi. Lædunt primò, deinde præceptis quibusdam remediis siue nouis, siue contrariis, *desinunt lædere, & creduntur curasse*, cùm non curent. De Castoribus, & quæ sequuntur, dicam in Notis.

NOTÆ.

663. 1. SOCRATE IPSO, &c.] Cyprianus de Idolorum vanit. *Hos & Poëtæ dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat.* Minut. *eos spiritus dæmonas esse poëtæ sciunt, philosophi differunt, Socrates nouit, qui ad nutum & arbitrium assidentis sibi dæmonis vel declinabat negotia, vel petebat.* Chalcidius in Platonis Timæum: *Socrati dicitur à pueritia comes dæmon rerum agendarum præceptor fuisse, non vt hortaretur eum ad aliquem actum, sed vt prohiberet, quæ fieri non expedirent: propterea quoque, quæ in hominis potestate sunt, si per imprudentiam agantur, cùm agi ea sit inutile, cladem afferunt: quod à Socrate arcebat beneuolum numen.*

1. DEHORTATORIVM.] Sic multi legunt: *Dehortatorium planè à bono omnes sciunt. Poëtæ, etiam vulgus indoctum, in vsum maledicti frequentant.*

664. 1. ANGELOS QVOQVE PLATO NON NEGAVIT.] Minut. *Quid Plato, qui inuenire Deum negotium credidit, nonne & Angelos sine negotio narrat, & dæmonas? & in sympostio etiam suo naturam dæmonum exprimere conniti tur? vult enim esse substantiam inter mortalem immortalémque, id est, inter corpus & spiritum, mediam, terreni ponderis, & cœlestis leuitatis admistione concretam*, &c. Theodor. orat. 4. de Materia & Mundo, Plato (inquit) Θεοὺς δὲ καὶ δαίμονας κέκληκεν, οὓς ἡμεῖς ἀγγέλους προσαγορεύομεν: *Deos autem & dæmonas dixit, quos nos Angelos appellamus.*

665. 1. NAM ET SATANAM PRINCIPEM.] Pamelius legit, *ex sacramenti* dictione duplici. Mihi hoc videtur obscurum: nam qua ratione, si anima *de propria conscientia* loquitur, additur statim, *voce sacramenti*, & refert sermonem ad testimonium animæ, quod naturale est? His intelligo *eâdem*, esse cum voce, non cum anima. Et *exsecramentum* vnicam esse dictionem, pro, execramen execratióque. Itaque non A scribendum est, *ex sacramenti*, vt in omnibus, duplici dictione, sed *execramenti* vnica. Dicitque *eâdem voce*, quia *in vsum maledicti*. Nisi quis hoc fateatur, debet mutare impensè lectionem. Non tamen ita adhæreo meæ sententiæ, vt non putem dici posse, eandem animam loqui, & *de propria conscientia*, & insuper etiam *de voce sacramenti*, quæ erat formula institutæ animæ per baptismum. Sed si me rogas quid hac de re sentiam, dicam naturaliter loqui animam nulla institutione. Addo tamen defendi posse vocem *exsacramenti* duplici dictione, dummodo hæc non sit formula diuini sacramenti, vt Heraldus vult; sed sit sacramentum naturale, id est, mysterium & secretum, vt dicat: Anima, licèt nulla doctrina, de conscientia sua, ex naturalis sacramenti & mysterij voce pronuntiat, Satanam esse principem huius dæmoniaci generis. Et sic retineri potest lectio. Quare autem noluerim eam B seruare in codice, quiuis, me tacente, diuinabit. Huc accedit, quo impensè delectatus sum, esse in codice ms. *exsecramenti*, vt admonet Schoppius, dictione vnica.

666. 1. ANIMA EADEM.] Aliqui sic: *Proinde de propria conscientia animæ, eadem & sacramenti voce pronuntiat.*

1. VTRIVSQVE NOMINIS TESTES ESSE VEL MAGOS ADSERVNT.] Cyprianus, de Idolorum vanitate: *Et Magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus.* Minut. *Magi quoque non tantùm sciunt dæmonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt: illis aspirantibus, & infundentibus præstigias edunt: vel quæ non sunt, videri; vel quæ sunt, non videri.* Hîc mutant lectionem, *testes vel Magi adserunt.* Vel ita: *Vtriusque nominis testes ecce vel Magi adsunt.*

667. 1. VALETVDINES.] Cyprianus vbi suprà:

Spiritus insinceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt; & à vigore cœlesti, terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Minut. *Morbos fingunt.* & de vatibus: *inde adeò pleni, & misti Deo vates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus leuamentum.* In vita Beatæ Angelæ de Fulgino cap. 19. hæc habentur: *Non est in me membrum, quod non sit percussum, tortum, & pœnàtum à dæmonibus.* Sed de morbis, qui opera dæmonum infliguntur, vide Sprangerum apud Delrium Nostrum Quæst. Magicarum lib. 3. part. 1. Quæst. 4. sect. 5. Vide insuper Valesium Hispanum, de sacra Philosophia cap. 28. vbi ait, dæmonem esse causſam externam morborum, excitatis illis ad cuiuscumque personæ habitum.

2. INFLIGVNT.] Videtur mihi spectari ad ministros publicos, qui puniunt homines, qui infligunt verbera, qui homines excarnificant. Quemadmodum Ioannes Chrysostomus, orat. de Diabolo tentatore, vocat diabolum ipsum ἀσώματον δήμιον. q. d. *carnificem incorporeum.* Et huc ille confert illud Dei ad diabolum, ἅψαι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ: *Tange carnem eius.* Id est, constituo te ad infligenda vulnera publicum carnificem.

668. 2. CASVS ACERBOS.] Est hoc quod dixit Minutius: *Vitam turbant, somnos inquietant.* Et Isidorus lib. 3. Sentent. cap. 6. *Plerumque dæmones in noctibus occurrentes humanos sensus per visiones conturbant, vt formidolosos & timidos faciant.* Hi nimirum sunt *acerbi casus.* Apuleius de Deo Socratis: *Curant singula, vel somniis confirmandis, vel extis fossiculandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis, vel fulminibus iaculandis, cæterisque adeò per quæ futura dignoscimus.* Esse possunt etiam *acerbi casus* intemperiæ quędam abominandæ. Plaut. Aulul. *Nescio pol quæ illum intemperia tenent, peruigilat noctes totas.* Idem: *Larua hunc, atque intemperia, insaniaque agitant senem.* Porrò *intemperia* sunt, quasi malefica quædam numina. Cato in lustratione agri: *Vastitudinem, calamitates, intemperiásque prohibessis.*

669. 2. VT INVISIBILES.] Declaro magis hanc partem. *Vt*, id est, *itavt* illæ vires fuisse *inuisibiles* appareant, non tam *actu*, id est, cùm homini furorem inspirant, quàm *effectu*, id est, cùm iam præceps fit homo in furorem illum. Clariùs. Cùm aliquis iam in apertos furores præcipitatur, apparet necunde potuisse tantam illam amentiam prouenire, quàm à malis spiritibus inuisibilibus. Vel sic. Spiritus isti tantùm prævalent, vt eorum effectus & opera occultiora nobis & abstrusiora sint, quàm ipsimet spiritus, & eorum actus & substantia. Et hoc probat comparatio sequens; nam sicut poma malus aër corrumpit, nescis tamen qualitatem eius, sic, &c.

2. INSENSIBILES.] Ita vocat, quia *à tactu nullo* sensili sese dæmon insinuat. Ita enim loquitur Virg. 7. Æneid. in sermone de Furia,

---voluitur à tactu nullo.

Et Ouidius 4. Metam.

---nec vulnera membris
Vlla ferunt, mens est quæ diros sentiat ictus.

2. TENTATVS AER.] Virgilius,

Non insueta graues tentabunt pabula fœtas.

670. 2. CORRVPTELAS AGIT.] Lactantius lib. 2. cap. 14. *Hi, vt dico, spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent.* Minutius: *Isti igitur spiritus postea quàm simplicitatem substantiæ suæ onusti & immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suę non desinunt perditi iam perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere, & alienati à Deo inductis prauis religionibus à Deo segregare.*

2. AMENTIIS FOEDIS.] Dæmones fœditatis nomine & spurcitiæ sæpe in auctoribus notātur. Ruffinus in vitis Pat. *immundos* spiritus & *immundissimos* vocat. Et præsertim lib. 3. cap. 36. sic ait: *Veniebant autem porci sordidissimi, & morbo pleni, & volutabant se inter eos. Dæmones enim in specie porcorum delectabantur, per superfluum, & vaniloquia eorum.* Deinde ad fœditatem incitatio illorum 1. Dionysius Exiguus in vita Pachomij: *Apparebant illi in habitu pulcherrimarum mulierum specie differentium, & procaci ac fœda nuditate conspicuæ eidem astare videbantur.*

2. SÆVIS LIBIDINIBVS.] Omnis libido 671.
sæua est & carnifex. Vel ex vno Nerone disces, qui vir libidini & carnificinæ satisfecit. Et ex Oroondate apud Heliod. lib. 7. Hist. θυμοῦ καὶ ἐπιθυμίας ἅμα ὡσὰν εἰς ἀρχὴς ἐμπεπλημένος: *In retia simul iræ & cupiditatis iniectus.* Itaque non temperauit Noster ab acri verbo, quod temperauit Scriptura sacra, de quo in Exodo: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Hîc enim *ludere*, παίζειν est, *fornicari*, vt interpretatur Cyrillus Alex. Homil. 1. de festis Paschalib. Sed scriptura sacra, dum honestati seruit, obtexit *ludi* nomine. Non sic Tertullianus; verè est carnifex. &, vt ipse Cyrillus ibidem nominat, ἐπιθυμίαν αἰσχύνης, *inuerecundam cupiditatem.*

2. CIRCVMSCRIPTIS.] Ambrosius lib. 1. de Virginib. *Non fallit veritas, non circumscribit iustitia, non decipit virtus.*

2. COMMENDAT.] Hæc est lectio, qua nulla melior. Itaque Pamelius, qui legit *comedat*, nescio quid elegerit.

2. PABVLA PROPRIA NIDORIS ET 672.
SANGVINIS PROCVRET.] Non ad sacrificia, quibus animæ euocabantur, referenda sunt cum Pamelio, sed generatim ad omnia sacra. Prudentius lib. 1. contra Symmachum:

Sint hæc barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum
Suaserit, horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monstra Deos, quos sanguinolentus edendi
Mos iuuat, vt pinguis luco lanietur in alto
Victima, visceribus multa inter vina vorandis.

Minutius Felix in Octauio: *Vt nidore altarium, vel hostiis pecudum saginati remissiùs, quæ constrinxerant, curasse videantur.* Prudentius:

Quin ipsa odoris qualitas,
Aduста quam reddit cutis,
Diuersa vtrosque permouet;
His nidor, illis nectar est.

Idem in Apotheosi:

Nec de corporeo nidorem sordida tabo
Aura refert.

Porphyrus de dæmonibus περὶ ἀποχ. οὗτοι οἱ χαίρουτες λοιβῇ τε, κνίσῃ τε, δι' ὧν αὐτῶν τὸ πνευματικὸν παίνεται: *Ij sunt qui libatione & nidore oblectantur, quibus spirituale, corpus ipsorum pingueſcit.* Cùm videam id diabolum efficere, vt adoretur vt supremus Deus, libet exclamare cum Hieronymo in vita Malchi: *O nihil vnquam tutum apud diabolum! ô multiplices & ineffabiles eius insidiæ!*

2. ACCVRATIOR PASCVA EST.] Fœminini generis *pascua*, *pascuæ*, quæ propria Tertulliani phrasis.

3. TOTVS ORBIS ILLIS LOCVS EST 673.
VNVS, &c.] Athanasius in vita Antonij: *Si quis à Thebaide, aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci, et hunc dæmones viderint in itinere ambulantem, pernicitate memorata possunt prædicere venientem. Ita & de Nili inundatione solemni, cùm multas in Aethiopia viderint pluuias, è quibus fluuius intumescens, vltra alueũ*

effluere consueuit, præcurrentes ad Aegyptum, nuntiant amnis aduentum.

3. ENVNTIANT.] Melius, *annuntiant*. Idque habent plures.

674. 3. VELOCITAS, DIVINITAS CREDITVR, QVIA SVBSTANTIA IGNORATVR.] Quid dicat, clarum; nimirum dæmones velocitate ipsa Numen aucupari. Sed ego aliud scrutor, non solùm ipsi dæmones velocitate sua mentiuntur diuinitatem, sed velocitate quam aliis rebus præbent, ipsos quærere diuinos honores. Narrat Arrianus lib. 1. Hist. Alex. hunc in modum: *Alexandro enim adhuc Halicarnassum obsidente, & sub meridiem quiescente, ferunt hirundinem dormientis caput circumuolitasse, magnos garritus edentem, & modò in hoc, modò in illud lectuli latus insedisse, turbulentiùs quàm illius auis consuetudo fert, canentem: ipsum præ defatigatione à somno excitari non potuisse: sed quum vlteriùs strepitu molesta esset, leuiter manu hirundinem repulisse: illam tantum abfuisse vt repulsa auolaret, vt ipsius capiti insidens non priùs cantare destiterit, quàm Alexander penitus experrectus fuerit.* Lege ab illis verbis, ἔτι δὲ πολιορκοῦντος. Vnde ergo hæc celeritas in auicula, & sollicitudo in excitando Rege? Nullam certè ego inuenio, quàm dæmonem ipsum, qui voluit coli ab Alexandro pro Deo: ille hirundinem acuebat ad insolitos strepitus edendos. Sic & cùm ait Dionysius lib. 9. *Exercitum eorum obuallare aggressus, à dæmonio (ὑπὸ δαιμονίου) prohibetur Valerius, namque procedenti, iamque operi instanti, oboriuntur cœlo tenebræ, imber multus, fulgetra, duri tonitrus.* Vt merito posteà dixerit Tertull. *Et sunt planè malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam.*

675. 3. TEMPORVM SORTES.] Ita concipio vt dicat, non sinentes præterire tempora, & occasiones temporum, quas semel sortiti sunt. Opportunè rem gerunt adepti & veluti sortiti occasionem. Itavt græcizet; nam, *sumentes temporum sortes*, est, λαβόμενοι τῶν καιρῶν.

3. ÆMVLANTVR DIVINITATEM DVM FVRANTVR DIVINATIONEM.] Optimè Hieronymus in vita Hilarionis asserit, *semper fallaces esse dæmones, & ad simulandum esse callidos*: quòd si calliditas illis proficua est, maximè in vsurpanda re diuina.

3. SCIVNT CROESI.] Affert Pamelius Eusebij de Præparat. Euang. cap. 10. lib. 5. hæc: *Crœsus imperium Lydiæ à maioribus successione susceptum, pietate in Deos, maiores suos statuens superare, vt eorum patrocinio tutior esset, te Apollo maximè coluit, templúmque tuum Delphice auro atque argento ita ornauit, vt ditissimum templorum omnium, & sit, & videatur. Vnde iure tuæ beneuolentiæ fretus aduersus Persas arma mouere statuit, neque id absque consilio tuo; tu enim ea de re interroganti sic respondisti,*

Intrepidus si Crœsus Halym transmiserit amnem,
Imperium perdit magnum, regnúmque superbum.

Hac responsi ambiguitate, tui numinis cultorem, qui te suis opibus ditauit, euertisti, & regnum Lydiæ, quod longissima successionis sorte in eum deuenerat, in Persas transtulisti. Non sponte opinor. Non enim tam pium religiosumque regem, & præcipuè tibi amicum decipere vnquam voluisses: sed futurorum ignorantia id factum arbitror. Nam si tanquam Deus futura cognosceres, non latuisset te, non intellecturum oraculi ambigua Crœsum. Et Delrius Noster notat in Quæst. Magicis lib. 4. cap. 2. Quæst. 3. Dæmonem in iis ambiguis responsis, si coram doctis loquatur, exili sono, & obscuro vti, & adeò perplexo, vt vix intelligatur: si verò res sit cum ignaris & simplicibus, & qui fucum non possint deprehendere, tùc illum palam mentiri. Aduocat vtriusque technæ exempla.

676. 3. SCIVNT PYRRHI.] Minutius in Octau. *De Pyrrho Ennius Apollinis Pythij responsa confinxit, cùm iam Apollo versus facere desisset: Cuius tunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum, cùm & politiores homines, & minùs creduli esse cœperunt: & Demosthenes, quòd sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur.*

3. PARATVRAS.] Pontius in Cypriani vita: *Et iam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat.* Adducit Heraldus.

3. VALETVDINVM.] Vt videas qua ratione dæmones circa curam valetudinum lasciuiant, dabo partem Paracelsi medici antiquissimi. Is itaque agens de morbis Hyperphysicis, ita præcipit: *Fabricet medicus ceream imaginem ad similitudinem patientis, & in nomine eius, aut conformet ceream particulam, similem affectæ parti, idque indubitata fide & forti imaginatione credat, per illam, sanitatem ægro restitui posse: actandem additis precatiunculis ceream illam imaginem in ignem proiiciat. Ac si fortè ex doloris acerbitate vel partis affectæ, vitæ periculum metuatur, integram imaginem certis verbis admurmuratis comburat medicus, & liberabitur ager.* Videsis stultitiam hominum, & dæmonis vafri lusum. 677.

3. LÆDVNT ENIM PRIMO, &c.] Minutius: *Vt nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis, quæ constrinxerant, curasse videantur.* 678.

3. PHANTASMATA.] Intellige mentem scriptoris; non ait visos Castores, sed phantasmata illorum; ad eum modum, quo Athanasius in vita Antonij ait: *Dehinc non vt antè in phantasmate, sed ingentem auri massam iacentem in itinere conspexit.* Et mox probat, verum aurum fuisse. Itaque ait simulacra & dæmonia apparuisse, quæ Castores repræsentarent. Inde Paulinus ad Romanianum, opponit *veritati*, sic inquiens: *Et tunc verè eris ille non phantasmate somniatus, sed ab ipsa veritate formatus consul & pontifex.*

3. CASTORVM.] Hæc phantasmata sunt ea, quæ Florus narrat lib. 2. cap. 12. *Quippe eodem die, quo victus est Perses in Macedonia, Romæ cognitum est: duo iuuenes candidis equis apud Iuturnæ lacum pulueren & cruorem abluebant. Hi nuntiare, Castorem & Pollucem fuisse creditum, quòd gemini fuissent: interfuisse bello, quòd sanguine maderent; à Macedonia venire, quòd adhuc anhelarent.* Et rursùm lib. 3. cap. 1. *Quippe eodem die, quo gesta res est, visi pro æde Castoris & Pollucis iuuenes laureati prætori litteras dare, frequensque in spectaculo rumor victoriæ Cimbricæ feliciter dixit. Quo quid admirabilius, quidque insignius fieri potest?* Hi creditì sunt Castor & Pollux. Ex his locis ad primum, proculdubio alludit interprete Minutio, qui *cum equis Castores viderentur.* Et alibi: *Testes equestrium fratrum in lacu, sicut se ostenderant, statuæ consecratæ, qui anheli spumantibus equis atque fumantibus, de Perse victoriam eadem die, qua vicerant, nuntiauere.* Iuuat Curopalates in Compendio historiarum, qui similem Syracusarũ subuersionem narrat, quam dæmones attulerãt. Sic enim inquit: *Lacus est in Peloponneso, qui vocatur Palus, propter syluę, quę ibi est, densitatem, hoc sortitus cognomentum. Hìc Romanorum classis in statione erat. Quadam igitur nocte cùm dæmones illic inhabitantes, inter se colloquerentur, audierunt pastores heri captas & solo æquatas Syracusas: diuulgatáque ab alio in alium fama ad Adrianum quoque peruenit; qui accersitis pastoribus, diligentérque interrogatis, comperit quæ audierat, illorum verbis confirmata. Cùmque vellet suis auribus ipse ea percipere, per ipsos dæmones percunctatus, audiuit iam captas Syracusas.* Vel, si velis alterum expendere, per me poteris, cùm præsertim ij ipsi Castor & Pollux dæmones essent. Accedit Dionysius lib. 6. Antiquit. qui ait Castores visos esse pro Romanis pugnantes, sudorémque equorum abluentes. Et Vale- 679. 680.

rius Max.lib.1. cap.8. dicit: *Castorem verò & Pollucem etiam illo tempore pro Imperio populi Rom. excubuisse cognitum est, quòd ad lacum Iuturnæ suum equorúmque sudorem abluere visi sunt.*

AQVAM,&c.] Tusciæ, aut Tucciæ, facinus narrat Valerius Maximus lib.8. cap.1. his verbis: *Eodem auxilij genere Tuccia virginis Vestalis incesti criminis reæ castitas infamis nube obscurata emersit: quæ conscientia certæ sinceritatis suæ, spem salutis ancipiti argumento ausa petere est. Arrepto enim cribro; Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admoui manus, effice, vt hoc hauriam è Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audaciter & temere iactis votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit.* Plinius lib.28. cap.2. *Extat Tuccia Vestalis incestæ precatio, qua aquam in cribro tulit.* Eadem meminit Augustinus lib.10. de Ciuit. cap.16. & Dionys.Halicar. lib.2.

681. 3. NAVEM.] Relatum ab Herodiano est lib.1. Hist.nauigium, quo Pessinuntia Dea Tiberi aduehebatur, subitò diuina quadam vi substitisse, nec inde vllis viribus moueri potuisse, donec astitit sacerdos Vestalis (ipse non nominat, sed dictam Claudiam Ouidius in Fastis canit, & scribit Liuius lib.29.) Ea cùm argueretur virginitatem polluisse, damnationémque metueret, petiit à populo, vt iudicium de se Deæ Pessinuntiæ committerent. Quo impetrato, clarè Deam precata est, vt si se esse intemeratam Dea sciret, nauem progredi iuberet. Quo dicto zonam recinxit, & nauigio illigauit, quod statim ducentem manu virginem consequutum est. Lactantius lib.2.cap.7. *Claudia quoque proponitur in exemplo miraculi. Nam cùm ex libris Sibyllinis Idæa mater esset ascita, & in vado Tiberini fluminis nauis, qua vehebatur, hæsisset, nec vlla vi commoueretur: Claudiam ferunt, quæ semper impudica esset habita, ob nimios corporis cultus, Deam submissis genibus orasse, vt si se castam iudicaret, suum cingulum sequeretur. Ita nauim, quæ ab omni iuuentute non valuit commoueri, ab vna muliere esse commotam.* Minut. *Vt cingulum matronæ nauicula sequeretur.* Et alio loco: *Testis mater Idæa, quæ aduentu suo & probauit matronæ castitatem, & vrbem metu hostili liberauit.* Sidonius Carm.24.

Qualis nec Phrygiæ dicata veste,
Quæ contra fatis Albulam tumentem
Duxit virgineo ratem capillo.

Dixit autem *capillo*, eodem iure quo Claudianus cecinit,

Claudia virgineo cunctantem crine Cybelæ.

3. BARBAM.] Suetonius in vita Neronis cap.1. 682.
Aenobarbi auctorem originis, itémque cognominis habent L.Domitium, cui rure quondam reuertenti iuuenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem maiestatis adeò permulsisse malas, vt è nigro rutilum ærique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit & in posteris eius, ac magna pars rutila barba fuerunt. Vox ipsa in Hieronymo est ad Lætam, vbi, *capillum irrufes.* De *barba aurea* vide Turnebum lib.1. cap.16. Numquid si eò spectauit Tertullianus? Sed dissimulo.

CAP. XXIII. ARGVMENTVM.

De Phantasmatibus Magiæ, & Dæmonibus.

TERTVLLIANVS.

683. 1. PORRO si & Magiæ phantasmata edunt, & iam defunctorum declamant animas; si pueros in eloquium oraculi eliciunt, si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt, si & somnia immittunt, habentes semel inuitatorem Angelorum & dæmonum assistentem sibi potestatem, per quos & capræ & mensæ diuinare consueuerunt: quantò magis illa potestas de suo arbitrio & pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienæ præstat negotiationi?

EXPLICATIO.

684. 1. MAGIA porro miraculis plena est tota & phantasmatibus, iam enim inclamant *animas defunctorum*; iam *pueros*, quos sopierant Magi, *eliciunt* iterum ad confabulationes; iam variis miraculis & *præstigijs* circulatores ludunt, & illudunt mentes; iam *somnia immittunt* plena potestate & Magica, qua Angeli & dæmones inuitati & aduocati promittunt illis euentura quæ somniauerint prolapsi in somnos; & eadem potestas Magica inuenitur in capris & mensis, cùm ea loquuntur successus varios: Cùm ergo Magia tam potens sit & aduigilet pro alienis negotiis, credimus dæmonum liberam potestatem tardam pro se esse? certè multò magis pro se, quàm pro aliis aduigilabit. Vnico verbo: Magi multa pro aliis, plura pro se dæmones.

685. 2. Aut si eadem & Angeli & dæmones operantur, quæ & Dij vestri; vbi est ergo præcellentia diuinitatis, quam vtique superiorem omni potestate credendum est? Non ergo dignius præsumetur, ipsos esse qui se Deos faciant, cùm eadem edant quæ faciant Deos credi: quàm pares Angelis & dæmonibus Deos esse? Locorum differentia distinguit (opinor) vtà templis Deos existimetis, quos alibi Deos non dicitis: vt aliter dementire videatur, qui sacras turres peruolat, aliter qui tecta viciniæ transilit: & alia vis pronuntietur in eo qui genitalia vel lacertos, alia qui sibi gulam prosecat. Compar exitus furoris, & vna ratio est instigationis.

686. 2. *Si eadem Angeli dæmonésque*, & eadem *Dij vestri, operantur*; dicite, in quo præcellat diuinitas, quæ superior necessariò est, *omni potestate*? His porro diluit, quæ illi dicere possent, hæc quæ diximus fieri ab Angelis & dæmonibus, superiora, verè à Diis. *Non ergo*, &c. Dignius profectò erit, vt præsumatur, dæmonas &

nas & Angelos illa opera facere, *quàm Deos esse pares Angelis & dæmonibus* & illa facere. *Locorum*, &c. Nũquid loci Deos à dæmonibus (quod non credibile est) distingunt, vt existimetis illum qui se præcipitat ex sacra turre, meliore Deo agi, quã qui præceps ex aliquo tecto *viciniæ* suæ? aut illum minore Furia horrescere, qui Gallus aut Archigallus in honorem Matris Deorum sibi *genitalia* abrumpit, aut in honorem Bellonæ, sibi *lacertos* prosecat, quàm qui furore percitus sibi *gulam* demetit? Mihi credite pari dæmonio aguntur, & vno impetu furoris feruntur & instigantur.

687. 3. Sed hactenus verba, iam hinc demonstratio rei ipsius, qua ostendemus vnã esse vtriusque nominis qualitatem. Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi cõstet. Iussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. Æquè producatur aliquis ex ijs qui de cœlo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructãdo curantur, qui anhelando præfantur. Ista ipsa Virgo Cœlestis pluuiarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, aliàs demorituris socordij & denatij & asclepiadoti subministrator, nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est. Virtus illi sua assistit, nihil suspicari licebit, magia aut aliqua eiusmodi fallacia fieri. Dictis non stetis,
688. si oculi vestri & aures permiserint vobis. Quid autem inniti potest aduersus id quod ostenditur nuda sinceritate?

3. Dicam sensum primùm: deinde trãscurram breuiter. Dicit differentiam nullam inesse, si tribunalia adeantur, in eo quem verè *dæmone agi constet*, & in eo *qui de cœlo pati existimatur*, quémque Pythonem vocant: æquè enim vterque fatebitur Christiano, se dæmonem esse: quod argumentum euidentissimũ est in eos, qui dicunt hominem pati Deos & diuina. *Sub tribunalibus*, rem vocat ad tribunalia, quò lis meliùs iudicetur. *Iussus à*, &c. Is qui vero dæmone agitur, dũ spiritus loquitur, iussus à Christiano quis sit dicere, fatebitur clarè & apertè, se esse dæmonem, non minùs ac aliàs falsò se Deum. *Æquè producatur*, aduocat ad iudicium, alium qui Pythonem habet, & quem gentiles dicebant Deum pati. *Qui aris*, hi porrò *nidore* ipso carnium dicebant numen concipere. *Qui ructando curantur*, eructatione ipsa sæpiùs repetita dicebantur curari. *Qui anhelando præfantur*,

---sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument.

Ista ipsa, &c. Adhuc vrget. *Ipsa virgo Cœlestis*, quam vos Iunonẽ esse dicitis, quæ vobis pluuiã de vero pollicetur; *iste ipse Æsculapius medicinarũ* inuentor, qui iam agentibus animam & certè demorituris, solet socordium, & denatium, & asclepiadotum subministrare ne moriantur, hi (inquam) omnes affirmabunt profectò, se esse veros dæmonas. Quod nisi palam confessi fuerint, interficite interrogantem Christianum. De his medicaminibus dicam in Notis. *In medio est*, veritas in medio posita nõ effugit vtriusque probationem, virtus sua veritati assistit.

689. 4. Si altera parte verè Dei sunt, cur sese dæmonia mentiuntur? an vt nobis obsequantur? Iam ergo subiecta est Christianis diuinitas vestra, nec diuinitas deputãda est, quæ subdita est homini, & si quid ad dedecus facit æmulis suis. Si altera parte dæmones sunt vel Angeli, cur se alibi pro Dijs agere respondent? Nam sicut illi qui Dij habẽtur, dæmones se dicere noluissent, si verè Dij essent, scilicet ne de maiestate se deponerent: ita & isti, quos directò dæmonas nostis, non auderent alibi pro Diis agere, si aliqui omnino Dij essent quorum nominibus vtuntur. Vererentur enim abuti maiestatem superiorem sine dubio, & timendorum. Adeò nulla est diuinitas ista quam tenetis, quia si esset, neque à dæmoniis affectaretur in confessione, neque à Diis negaretur. Cùm ergo vtraque pars concurrit in confessionem, Deos esse negans, agnoscite vnum genus esse, id est, dæmonas. Verùm vtrobique iam Deos quærite. Quos enim præsumpseratis, dæmonas esse cognoscitis. Eadem verò opera nostra ab eisdem Diis vestris non tantùm hoc detegentibus, quòd neque ipsi Dei sint, neque vlli alij: etiam illud in cõtinenti cognoscitis, qui sit verè Deus; & an ille, & an vnicus, quem Christiani profitemur, & an ita credendus colendúsque, vt fides, vt disciplina disposita est Christianorum.

690. 4. *Si altera*, &c. Id est, cũ producitur aliquis ex his qui existimantur de Deo pati. *Si altera parte dæmones*, &c. Cùm editur aliquis quem dæmone agi cõstet. Dicit ergo: Si Dij sunt, cur se dæmones fatentur? Nũquid vt obediant nobis? Profectò ista *diuinitas* non est, *quæ subiecta est homini*, & quidem quod *facit* ad contumeliam *æmulis suis*. Si verò *dæmones sunt*, cur alibi se Deos venditant? *Nam sicut*, &c. Clara sunt, tantùm illud, *neque à dæmonijs affectaretur in confessione, neque à Diis negaretur*, explica, *neque à dæmoniis* auidè exoptaretur *in confessione* quam edunt extra tribunalia, cùm scilicet *alibi pro Diis agere respondent: neque à Diis negaretur in confessione* tribunalitia, cùm à Christianis adacti, vtrùm Dij sint, an dæmones; respondent dæmonas esse, negántque diuinitatem. *Eadem verò*, &c. Eodem studio cætera perspicua sunt.

691. 5. Dicent ibidem, ecquis ille Christus cum sua fabula: si homo communis conditionis, si Magus, si post mortem de sepulcro à discipulis surreptus, si nunc denique

penes inferos; si non in cœlis potiùs, & inde venturus cum totius mundi motu, cum horrore orbis, cum planctu omnium, si non Christianorum, vt Dei virtus, & Dei spiritus, & sermo, & sapientia, & ratio, & Dei filius. Quodcunque ridetis, rideant & illi vobiscum: negent Christum, omnem ab æuo animam restituto corpore iudicaturum. Dicant hoc pro tribunali, si fortè Minoem & Rhadamantum secundum consensum Platonis & poëtarum hoc esse sortitos: suæ saltem ignominiæ & damnationis notam refutent. Renuntient se immundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum, sanguine & fumo & putidis rogis pecorum, & impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuerit. Renuant ob malitiam prædamnatos se in eundem iudicij diem cum omnibus cultoribus & operatoribus suis.

692. 5. Hunc tractum persequar explicans. *Dicent ibidem*, dæmones in eodem tribunali dicent. *Ecquis ille Christus cum sua fabula*, nunquis ille Christus est fabulosus? Non dicent, imò verebuntur: nec dicent hominem esse communis conditionis, non Magum, non surreptum à sepulcro, neque nunc apud inferos. *Si non in*, &c. Potiùs dicent in cœlis esse, venturúmque ad iudicandum, *cum horrore* omnium, *cum planctu, non* tamen *Christianorum, vt Dei virtus*, &c. *Quodcunque ridetis*, &c. Quod vos non Christiani ridetis, rideant & illi dæmones vobiscum, atqui non rident: negent Christum, &c. atqui non negant. *Dicant hoc pro*, &c. Dicant hoc in *tribunali*, rogati à Christianis *si fortè* sortiti sunt hoc Minos & Rhadamanthus in furorem iudices, hoc (inquam) vt iudicent vniuersos, quod Plato & poëtæ illis dederunt. Grammatica hæc est. *Dicant, si fortè* possunt, *Minoem, & Rhadamantum hoc esse sortitos*: quod nunquam dicent. *Suæ saltem ignominiæ*, &c. At saltem suæ infamiæ notam refutent, quod non faciunt. *Renuntient se*, &c. Dicant potiùs se esse spiritus omnium immunditiarum, quod liquet ex, &c. *Renuant ob*, &c. Dicant non se damnatos, non dicent, imò cum *omnibus cultoribus suis & operatoribus* affirmabunt *se prædamnatos in* extremum *diem iudicij*.

693. 6. Atquin omnis hæc nostra in illis dominatio & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi à Deo per arbitrum Christum imminentia expectant. Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subijciuntur seruis Dei & Christi. Ita de contactu déque afflatu nostro contemplatione & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. Credite illis cùm verum de se loquentur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potiùs ad honorem. Magis fides plena est in aduersus semetipsos confitentes, quàm pro semetipsis negantes. Hæc denique testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueuerunt, quia plurimum illis credendo, in Deo Domino credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant. At colitis illos, quod sciam, de sanguine Christianorum. Nollent itaque vos tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere, vel ne à vobis quandóque Christianis fugentur, si illis sub Christiano volente vobis veritatem probare, mentiri liceret.

694. 6. Coniicit hic tractus dominationem Christianorum in dæmonas, in Christum Iesum. *Imminentia*, futura, *expectant*, loquitur de iudicij die. *Ita de*, &c. Nostræ cedunt voluntati, *inuiti* quamuis *& dolentes*, cedentes *de corporibus* solùm contactu & afflatu nostro. *Credite illis*, &c. Cur non credatis loquentibus veritatem & de se, qui *mentientibus* soletis credere? cùm *nemo* præsertim *in suum dedecus* mentiatur. Et hæc illorum dæmonum fides magis creditu digna est, cùm aduersum se, quàm si pro se loquatur. *Hæc denique*, &c. *Hæc testimonia* fecerunt *Christianos*, quorum è numero ego sum (se enim insinuat vnum ex istis,) accendúntque fidem nostram. *At colitis illos*, &c. Soletis illos colere nostro sanguine, hinc est vt à vobis tam proficuis sibi, nollent diuelli, ne posteáquã Christiani sitis, vestro imperio cogantur excedere corporibus, cùm non liceat illis *mentiri sub Christiano volente veritatem probare*.

NOTÆ.

695. 1. DEFVNCTORVM INCLAMANT ANIMAS.] ψυχῶν ἀνθρωπίνων κλήσεις. Vocat *inclamationes defunctorum* Iustinus Apolog. & ψυχαγωγοὺς appellatos docet Maximus Tyrius Dissert. 22. Tertullianus de Anima cap. 57. *Sic & in illa alia specie Magiæ, quæ iam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est operatior sanè, quia & phantasma præstatur, quia & corpus adfingitur.* Plinius lib. 30. cap. 2. *Nam quæ & ex aqua, & sphæris, & ex aëre, & stellis, & lucernis, ac peluibus, securibúsque, & multis alijs modis diuina promittit præterea vmbrarum inferorúmque colloquia, quæ omnia ætate nostra princeps Nero falsa vanáque comperit.* Hæc ille ex Osthane Persa inuentore. Vide insuper me lib. 1. Æneid. ad ea verba, *nec iam exaudire vocatos*. Aliqui habent *infamant*, pro inclamant.

696. 1. SI PVEROS IN ELOQVIVM ORACVLI ELICIVNT.] Apuleius Apolog. 1. hoc puerorum oraculum ita persequitur: *Igitur ad præscriptũ opinionis & famæ confixere puerũ quempiam carmine cãtatũ, remotis arbitris, secreto loco, arula, et lucerna, & paucis conscijs testibus; vbi incãtatus sit, corruisse; posteà nescientẽ sui, excitatũ, nec vltra isti quidẽ progredi mẽdacio ausi. Etenim*

fabula vt impleretur, addendũ etiam illud fuit, puerum eundem multa præsagio prædixisse. Et posteà: *Puerũ in aqua simulacrum Mercurij contemplantem, quæ futura erant, centum sexaginta versibus ceciniſſe.* Extremam hanc speciem Magiæ Spartianus ita in vita Iuliani: *Et ea quæ ad speculum dicuntur fieri, in quo pueri præligatis oculis incantati vertice respicere dicuntur.* Propert.

Rettulit in triuijs omina certa puer.

Iustinus Apolog. 2. ait adhiberi ad vaticinationem, ἀδιαφθόρων παίδων ἐποπτεύσεις : *Impollutorum puerorum inspectiones.* Nicetas ad Greg. Nazianzenum ait, Antiochiæ puerum oracula reddidisse. Traditum est, puerum Trallibus, in aqua Mercurij contemplantem oracula panxisse versibus centum sexaginta.

1. SI MVLTA MIRACVLA CIRCVLATORIIS PRÆSTIGIIS LVDVNT.] Miracula sunt artes illæ magicæ præstigiatorum. Vide me ad cap. 9. lib. de Idololatria ad illud, *miraculis operatur.* Firmicus lib. 5. Astron. cap. 5. *Magicas operationes.* Tertullianus de Anima: *Magicas fallacias & præstigias.* Hieronymus in Danielem lib. 1. cap. 2. *Dæmoniacas artes, atque præstigias Magorum.* Dixit, *ludunt*, verbo commodo. Minutius: *Sed etiam quicquid miraculi ludunt, per dæmones faciunt.* Arnobius lib. 1. *Ergone illa, quæ gesta sunt, dæmonum fuere præstigiæ, & Magicarum artium ludi?* παίγνια Græci dicunt. Irenæus apud Epiphanium hæresi 34. Ἀναξιλάου παίγνια: *Ludicra Anaxilai.* Curtius lib. 7. *Erat in eo conuiuio Cobares natione Medus, sed magicæ artis (si modò ars est, non vanissimi cuiusque ludibrium) magis professione quã scientia celeber.* Cyprian. de Idolis: *Et Magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus.* Vide Heraldum in Arnobium lib. 1.

697. 1. SI SOMNIA IMMITTVNT.] Adducit Heraldus Sarisberiensem, de nugis Curialium lib. 1. cap. 10. *Et quidem Magi sunt, & ob magnitudinem nominis sic appellantur. Qui domino permittente elementa concutiunt, turbant mentes hominum, immittunt somnia.*

1. INVITATORVM.] Lactant. lib. 2. cap. 15. *Magorum quoque ars omnis ac potentia, horum aspirationibus constat, à quibus inuocati, visus hominum præstigijs occæcantibus fallunt, vt non videant ea quæ sunt, & videre se putent illa quæ non sunt.*

1. POTESTATEM.] Rectè *Magica* ipsa, *potestas* dicitur. Apuleius lib. 3. *Tunc protinus inexpugnabili Magicæ disciplinæ potestate, & cæca numinum coactorum violentia, illa corpora, quorum fumabant stridentes capilli, spiritum mutuantur humanum.* Et Apologia prima: *Nunc, si videtur, credamus Aemiliano, solere pisces etiam ad Magicas potestates adiuuare.* Arnobius lib. 1. *Aut si vtile aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorum quos inuocant, potestate.*

698. 1. CAPRÆ ET MENSÆ DIVINARE CONSVEVERVNT.] Clemens Alex. in Admonitione ad Gentes: συμπορεύει τῆς ὑ τῆς γοητείας αἵρεσις, αἱ ὅτι μαντικὴν ἠσκημέναι, καὶ κάπρους αἰθρώπους χρᾶν ὑπὸ αἰθρώπων διδασκόμενοι: *Ad harum præstigiarum mercaturę societatem adducuntur capræ, quę sunt ad diuinationem exercitatę; & corui, qui hominibus responsa dare ab hominibus docẽtur.* Hæc iisdem verbis narrat Eusebius lib. 2. Præparat. Euang. à Clemente mutuatus. Gregorius lib. 7. ep. 7. & lib. 3. Dialog. cap. 26. & 28. ait, Longobardos vsos capite caprino ad diuinationem, cui diuinum posteà honorem haberent. Capras primũ oraculum feciſſe Delphis scribit Diodorus lib. 16. Mensæ etiam ad eandem diuinationem ascitæ sunt à Gẽtilibus, & opera dæmonum loquutæ. Virg. 2. Æneid.

-- hucvndique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensęque Deorum.

De illis loquitur, quæ profani insuerunt. Ammianus lib. 29. *Instruxisse ad cortinæ similitudinem de laureis virgulis hanc mensulam.* Mensam hãc Sozomenus *tripodem* vocauit lib. 6. cap. 35. Demum alia quibus vocem negauit natura, vocem per istos adepta sunt. Clemens vbi suprà, ἀδυτα τοίνυν ἄθεα μὴ πολυπραγμονεῖτε, οὐδὲ βαράθρων σώματα, τρεπτίας ἔμπλεα, ἢ λέβητα Θεσπρωτικὸν, ἢ πεῖσμα Κιρραῖον, ἢ Δωδωναῖον χαλκεῖον: *Impia ergo adyta ne inuestigetis, nec barathrorum ora præstigijs plena, aut lebetem Thesprotium, aut tripodem Cirrhæum, aut æs Dodonæum.* Quin Castalij, & Colophonij fontis, ibidem meminit Clemens.

2. DISTINGVIT.] Sic melius quàm *distinguitur*, & laudo Vvouerenium.

2. DEMENTIRE.] Esse dementem. Apuleius: 699.
Confessa est sese me magia in amorem inductam dementire. Item: *Et ex sacro cœpisse dementire potius.* Monuit Heraldus. Inueni & hoc in vita Basilij, quam Amphilochius scripsit, vbi eius interpres Vrsus, ait: *Pater itaque eius dementatione constitutus*, id est, amentia, & dementia. *eius*, nimirum puellæ.

2. QVI SACRAS TVRRES PERVOLAT.] Apul. lib. 8. *Et ab ingressu primo, statim absonis vlulatibus constrepentes, fanaticæ peruolant.* Huius rei exemplum est in Niceta Choniate apprimè optimũ, quem reddam cum interprete Volfio, Latino sermone, ne bis audias locum longum. Is itaque in vita Manuelis lib. 3. cap. 5. ita ait de quodam Saraceno Magiæ dedito: *Stabat igitur Saracenus in turri, tanquam in carceribus, ampla & promissa admodum veste candida indutus, quæ vinculis in orbem succincta, sinuosa efficiebatur. Putabat enim se, veluti velo nauem, ita lacinijs illius aëre expletis ad volatum instructum fore. Omnium igitur oculi in eum conuertuntur, rident spectatores, ac subinde clamant, Volato, volato: &, quamdiu nos suspensos tenes Saracene, & aërẽ ex turri libras? Imperatore hominẽ ab eo conatu deterrente, ipso verò Sultano inter spem & metum suspenso, nequid populari suo accideret. Is verò aërem subinde captans, & ventum explorans, spectatorum spem eludebat, ac manibus sæpe, alarum instar, ad volatũ expansis & libratis vt plus venti colligeret; cùm is tandem aptus & secundus aspirare videretur, instar volucris sese agitat: & dum per aërem incedere nititur, Icaro miserabiliùs, in cœlo volitat. Neque enim corporis grauitas humum tendentis alta eum tenere sinebat, donec prostratus expirauit, manibus, pedibus, & omnibus ossibus confractis.* Et lib. 4. eiusdem Manuelis cap. 6. ait, dubitare se, an præstigiæ eius sint virtutis vt hominem possint facere πτόμβον, *volantem.*

2. GENITALIA VEL LACERTOS.] Diuisi sensum, & *genitalia* ad matrem Deorum, *lacertos* ad Bellonam retuli. Lucan. lib. 1. 700.

--- quos sectis Bellona lacertis
Sæua mouet, cecinere Deos.

Qui voluerit, possit quoque ad Gallos referre, dicente Tertulliano, cap. 25. de Archigallo, *lacertos quoque castrando libabat.*

2. COMPAR EXITVS FVRORIS EST, ET VNA RATIO INSTIGATIONIS.] Minutius: *Hi sunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates & ipsi absque templo sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur. Par & in illis instigatio dæmonis, sed argumentum dispar furoris.*

2. EDATVR HIC ALIQVIS, &c.] Duplex testimonium: & hoc de dæmone apertè, quem qui habet, restitat palam, ferocit, singultat; quem *arreptitium* vocat Cassianus Collatione 7. capite 11.

3. IVSSVS A QVOLIBET CHRISTIANO.] De his qui torquentur, Prudentius in Agone Vincentij: 701.

Clamant fatentes denique
Pulsi è latebris corporum,
Virtute Christi & nomine,
Diuique, & ijdem dæmones.

Et in Apotheosi,

---torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest, agitant miserum tot verbera linguæ.

Cyprianus ad Demetrianum: *Quando à nobis dæmones adiurantur & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis, de obsessis corporibus eiciuntur.* Iulius Firmicus cap. 29. de errore profanæ religionis: *Ecce dæmon est, quem colis: cùm Dei & Christi eius nomen audierit, contremiscit, & vt interrogantibus nobis respondeat trepidantia verba, vix se colligit: adhærens homini laceratur, vritur, vapulat, & statim de commissis sceleribus confitetur. Ne hunc colas, ne huic supplices, ne prostratus huic flectas genua, interdicto venerandæ legis iuberis.*

3. ÆQVÈ PRODVCATVR ALIQVIS, &c.] Ad Pythonas Pythonissasque deuenit: hæ enim fœminæ Deo abripi existimatæ sunt à Gentilibus. Heliodorus lib. 2. οὐ γὰρ δὴ μαντικόν με τόδε τὸ σπήλαιον ἀπέδειξε, καθάπερ τὸ ἄδυτον τὸ Πυθοῖ, καὶ ἐν τεθεωρεῖσθαι λόγος θεοφορεῖν τὰς εἰσβαίνοντας: *Neque enim me fatidicum hoc antrum effecit, quemadmodum adytum Delphicum; & sicuti iis, qui Trophonij specum subierunt, vsu venire ferunt, vt diuino furore afflati vaticinentur.* Sunt isti qui *petentibus hominibus futura prædicunt*, ait Firmicus lib. 6. Mathes. cap. 31. & Lucan. lib. 6. 702.

Qui stimulante metu fati prænoscere cursus,
Impatiensque moræ, venturisque omnibus ager,
Non tripodes Phœbi, non Pythia consulit antra.

Cessò ab vbere & poëtis inculcata materia.

3. QVI DE COELO PATI EXISTIMANTVR.] Exemplum rei huius adducam: Ioannes Chrysostomus de Pythia sic ait: λέγεται τοίνυν αὕτη ἡ Πυθία γυνή τις οὖσα, ὑπακαθῆσθαι τῷ τρίποδι, διαρροῦσα τε, εἶτ' οὖν πνεῦμα πονηρὸν κάτω τε ἀναδιδόμενον, καὶ διὰ τῶν γεννητικῶν αὐτῆς διαδυόμενον μορίων, πλησθῆναι τὴν γυναῖκα τῆς μανίας, καὶ ταύτῃ τοὺς τοίχους λούσαι, λοιπὸν ἐκβακχεύεσθαι τε, καὶ ἀφρὸν ἐκ τοῦ στόματος ἀφιέναι. καὶ οὕτως ἐν παρουσίᾳ ἡρωμένῃ, τῆς μανίας φθέγγεσθαι ῥήματα: *Dicitur hæc Pythia fuisse fœmina, quæ super tripode diuaricatis cruribus, malignum spiritum inferiùs emissum, parteſque genitales subeuntem excipiens, furore repleretur, & crinibus passis, spumansque, ore debaccharetur, funderétque insana oracula.* Ista, & similia pati de Deo existimarunt. Quos Tertullianus ait *pati*, Augustinus lib. 11. de Ciuit. *arreptitios*, & *arreptos spiritu*: Græci vocant ἱεροπαθεῖς, & θεοφορουμένους. Vulcatius in Cassio *aruscatores*, sic enim inquit: *Audisse te arbitror, quod aruscatores de eo nuntiarent.* Græci insuper ἐνθουσιαστάς, ἐνθουσιακοὺς, ἐνθέους, ἐνθαστικούς. Lucianus etiam ἱεροδούλους vocat, quasi *templorum ministros*. 703.

3. QVI ARIS INHALANTES NVMEN DE NIDORE CONCIPIVNT.] Hinc Heraldus dictos ait *ariolos*. Nam Isidorus lib. 8. *Arioli vocati, propter quòd circa aras idolorum nefarias preces emittũt, & funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt.* Sic etiam *phanatici* à phano & templo. Firmicus 3. Mathes. cap. 7. *Facit etiam in templis manere sordidè, & sic semper incedere, & qui nunquam tondeant comam, & quasi aliquid velint quasi à Diis dictum hominibus nuntiare: quales solent esse in templis, qui vaticinari consueuerunt.*

3. QVI RVCTANDO CVRANTVR.] Explico, coluntur, suntque in veneratione, cùm ructant & anhelant, nam tunc dicuntur esse Deo pleni. Vel *curantur*, id est, sanantur, cum oppositione ad verbum *pati*, quod præcedit. Perinde. Qui patiuntur, curantur eructando. Nam videlicet qui erant enthusiastæ, conabantur anhelitu illo, & eructatione Deum excutere. Apuleius lib. 8. *Inter hæc vnus ex illo bacchatur effusius, ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens, velut numinis diuino spiritu repletus simulabat sauciam vacordiam.*

3. ISTA IPSA VIRGO.] Loquitur profectò de Cæleſti Dea, quam colebant Afri, de qua Pithœus, & quam alibi Iunonem dici commenti sumus. Cur autem *virginem* appellet, cùm Iuno filias plures habuerit, dicam sequenti capite. 704.

3. ÆSCVLAPIVS MEDICINARVM DEMONSTRATOR.] Arnob. lib. 1. de Æsculapio: *Custodem nuncupauistis, & præsidem sanitatis, valetudinis, & salutis.* M. Capella lib. 2. de Nuptiis: *Comminuendæ frugis farisque fragmenta Pilumno signat Italia, adscribit Æsculapio Græcia medicinam.*

3. SOCORDII, &c.] Pamelius legit *scordij*, quia medicamen est, in Plinio lib. 25. cap. 6. Sed tamen legi *socordij* tam Iunius quàm Heraldus me monent. Est verò *socordium*, quo iuuantur ægri sontico morbo exhausti, & veluti corde vitáque defecti. Oboluit aliquando legendum esse *scordali*, vt legit in epist. 84. Seneca, quod est, alliatus illuuie, squallore fœdus, impurus sordibus. Qualem Plautus Mostell. depingit, B

Germana illuuies oboluisti allium.

Denatium verò ægris præbetur denascentibus, id est, moribũdis, & iamiam morituris: est enim *denasci* idem quod mori. Cassius Hemina lib. 2. Annal. *Quæ nata sunt, ea denasci aiunt.* Varro lib. 4. de Lingua Latina: *Qui denascitur, ignem amittit, ac frigescit.* Demũ *Asclepiadotum* est, singulare donum Æsculapij, quo gratiosos solùm aspergit & beat, neque aliis communis est medicina. Hæc aliis debeo, neque puto me risum mereri. Schoppius sic legit hanc periodum ex ms. *Alia die moriturus socordio, & thanatio, & asclepiadoto vitæ subministrator, nisi se dæmonas.* Et existimat hanc esse probam lectionem.

3. NISI SE DÆMONES CONFESSI FVERINT, &c.] Minutius: *Ipse Saturnus, & Serapis, & Iuppiter, & quicquid dæmonum colitis, victi dolore, quot sunt, eloquuntur: nec vtique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus esse eos dæmonas de se verum confitentibus credite: Adiurati enim per Deum verum & solum inuiti miseris corporibus inhæresciunt, & vel exiliunt statim vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat.* Iulius Firmicus de errore profanæ religionis: *Ecce dæmon*, & cætera, quæ iam adducta sunt. Lactant. lib. 2. cap. 15. *Iustos autem, id est, cultores Dei, metuunt. Cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, non modò dæmones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa, quæ in templis adorantur, & quod plerumque coràm cultoribus suis faciunt, non vtique in opprobrium religionis, sed honoris sui. Quia nec Deo, per quem adiurantur; nec iustis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itáque maximis sæpe vlulatibus editis, verberari se & ardere, & iam iamque exire proclamant.* Et lib. 5. cap. 21. *Cùm corpora hominum occupant, animásque diuexant, adiurantur ab his, & nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt, exclamant, & vri se verberarique testantur, & interrogati qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur; sic extorti & excruciati virtute diuini numinis exulant.* Ipse dæmon apud Athanasium in vita Antonij apertè confitetur: *En nullum iam habeo locum, nullam possideo ciuitatem, iam mihi nulla sunt arma, per omnes nationes cunctásque prouincias Christi personat nomen; solitudines quoque monachorum stipantur choris.* 705.

3. SIMPLICITAS VERITATIS IN MEDIO EST.] Quæ est pretiosior omni re. Clemens Papa lib. 1. Recognitionum: *Certissimum namque est, quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque regni sublimitas homini debet esse pretiosior veritate.* Optatus Mileuitanus lib. 1. *Veritas non desiderat argumenta, ægroti est remedia quærere, inertis & imbecilli est auxilia comparare.* 706.

3. QVID AVTEM INNITI POTEST, &c.] Cùm dicat, nulla ratione obsisti posse veritati, iuuat eius sententiam Dionysius Areopag. in epist. ad Polycarpum, vbi ait: *At verò veritate ipsa rectè posita, atque ita manente, vt à cæteris omnibus refelli non possit, omne quod omni ex parte ita se non habet, ipsum per se ipsum ab inuicta germanæ veritatis stabilitate prosternitur.* Vterque idem dicit, sed Noster sumit locutionem à fœmina, cui sincera, simplex, & nuda pulchritudo, & cui nullus color in facie ascititius, aut fucus: Dionysius ab scopulo erecto, nam ὀρθὸς & μέγιστος, ad cuius stabilitatem & firmitudinem prosternuntur fluctus. De lectione non te prætereat; est enim qui legat *inici*, quod explica *injici*, vt *obici* pro *obiici*.

707. 4. SVBIECTA EST CHRISTIANIS DIVINITAS VESTRA.] Cyprianus, contra Demetrianum: *Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas.* Augustinus in Psalm. 103. de Diabolo victo virtute Christi, hunc versiculum accipit: *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei: iam tu illude draconi; ad hoc enim hic factus est draco.* Diaboli impotentiam idem explicat egregia similitudine, sermone 197. de Tempore: *Alligatus est tanquam canis innexus catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* Alia item comparatione vtitur Pachomius: *Diabolum vinxistis vt passerem, & sub vestris pedibus allisistis eum, per Dei gratiam conculcantes vt puluerem.* Et ipsi dæmones ibidem: *Illudamur vt passeres.* Cassianus Collat. 7. cap. 23. *Virtute crucis etiam deserta penetrante, & vbique eius gratia coruscante, retusa est nequitia dæmonum.* In vita Pachomij ipse Diabolus sic fatetur, loquens cum illo: *Nullus enim me, sicut tu, sine viribus reddidit.* Et in vita sancti Abrahæ: *Heu, heu me! quid tibi de cætero faciam, nescio. Ecce enim in omnibus me superatum ac victum intelligo* (verba sunt Satanæ) *et vniuersas vires meas esse despectas, & me vndique conculcatum.* Vnde & Petrus Damianus loquens de sancto Hilarione lib. 6. cap. 17. *Ecce dæmonibus imperat.* Augustinus de Ciuitate lib. 10. cap. 22. *Vera pietate homines Dei aeream potestatem, inimicam contrariamque pietati, exorcizando eiciunt, non placando.*

708. 4. DEDECVS FACIT.] Editio Egnatij & Rhenani *decus*.

4. SVPERIOREM.] Iunius: *Maiestate superiorum fine dubio, & timendorum.* Heraldus verò: *Vererentur enim abuti maiestate superiore fine dubio, & timendorum.*

4. PRÆSVMPSERATIS.] Verbum elegans ad rem. Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. *Armis à collega suo Cinna dissidens, præsumpsit animo ea re significari exitium suum.* Et cap. 7. *Itaque magis spe quàm somnio deceptus, cœnauit Syracusis captiuus, non, vt animo præsumpserat, victor.*

4. ETIAM ILLVD, &c.] Caue scribas sic: *neque vlli alij. Etiam illud*, &c. Sed, *neque vlli alij: etiam illud*, &c.

709. 5. SI NON CHRISTIANORVM.] Habent libri Puteani, & manuscripti alij *sed*, pro *si*, sed hæreamus scripturæ veteri, in qua est *si*, & explicemus *sed*.

5. MINOEM ET RHADAMANTHVM.] Vide me 6. Æneidos ad illa,

Quæsitor Minos vrnam mouet, ille silentum
Conciliúmque vocat, vitásque, & crimina discit.

Tum ad illa:

Gnoßius hæc Rhadamãthus habet duriſſima regna,
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri,
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula noctem.

Hæc enim tum illic sudabamus, tum scimus non hæc quæri ab studiosis Tertulliani. Adducam tantùm verba Athenagoræ: nam & Tertullianus meminit Platonis in Legatione pro Christianis. Πλάτων μὲν οὖν Μίνω καὶ Ραδάμανθυν δικάσειν καὶ κολάσειν τοὺς πονηροὺς ἔφη· ἡμεῖς δ' οὐδ' ἂν Μίνως τὶς, οὐδ' Ραδάμανθυς ἦ, οὐδ' ὁ τούτων πατὴρ οὐδὲ τοῦτον φαμὲν διαφεύξεσθαι τὴν κρίσιν τοῦ Θεοῦ: *Plato à Minoë & Rhadamantho indicandos puniendosque malos pronuntianit: nos verò neque si Minos aliquis fuerit, aut Rhadamanthus, aut horum etiam pater, iudicium Dei ab illo vitari posse asserimus.*

5. QVOD VEL EX PABVLIS EORVM, &c.] 710. Minutius: *Intende templis ac delubris Deorum, quibus Romana ciuitas & protegitur & ornatur*, &c. Lege sequentia.

5. PVTIDIS ROGIS PECORVM.] Veterum contumeliis oneratos dæmonas notum est. Sulpitius de sancto Martino: *Quid hic*, inquit, *adstas cruenta bestia? Nihil in me, funeste, reperies.* Similia conuitia cùm exorcizantur. Prudentius Apotheosi,

Intonat Antistes Domini: fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:
Mancipium Christi fur corruptissime vexas.

6. NOSTRA HÆC OMNIS IN ILLOS DOMINATIO.] Tertullianus de Anima, cap. 57. *Ratio fallaciæ* (Magicæ) *solos non fugit Christianos, qui spiritualia nequitiæ, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia nouimus; nec inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ.*

6. ET POTESTAS DE NOMINATIONE CHRISTI VALET.] 711. Arnobius lib. 1. *Christus* (Christi) *nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, aruspices inconsultos reddit.* Nazianzenus carmine 61.

Οὐ μέγα, καὶ γὰρ ἐγὼ Χριστοῦ λάχες, οὐνόμα σεπτὸν
Πολλάκι μωμόων ἔφπον. ὁ δ' ὤχετο πλόδι δαίμων
Τρύζων, ἀολλόων τε, βοῶν δέπος ὑψιμέδοντος:
Nec mirum, namque ipse etiam sors inclyta Christi,
Prolato ipsius vel solo nomine sæpe
Dæmonas eieci, strepitu dum numina clamant.

6. DEQVE AFFLATV NOSTRO.] Prudentius in Agone Romani,

Ingressus ille, vt hos paratus perficit,
Insufflat, ipsos ceu videret dæmonas.

Alibi de hoc: est enim contumelia hæc iactata in dæmonas.

6. INVITI ET DOLENTES.] Cyprianus ad 712. Demetrianum: *O si audire eos velles, & videre, quando à nobis adiurantur & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis, de obsessis corporibus eiiciuntur: quando eiulantes & gementes, voce humana & potestate diuina flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur.*

6. QVI MENTIENTIBVS CREDITIS.] Adducit Sylburgius hæc Tertulliani in ista Iustini Martyris, οὐ βουλόμεθα ζῆν ψευδολογοῦντες: *Nolumus viuere mentientes.*

6. MAGIS FIDES PRONA EST IN ADVERSVS SEMETIPSOS CONFITENTES.] Ambrosius de Iuda Serm. 15. *Quem alter iudicat, potest vtcunque esse excusabilis; reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur: quem alter iudicat, potest quoque à suo iudice sperare indulgentiam; qui se ipse iudicat à quo indulgentiam postulabit?* Et statim: *Omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia, sua sententia condemnatur.*

6. FVGENTVR.] Vvouerenius legit *fugarentur*. Minutius: *Hæc omnia sciunt plerique vestrûm ipsos dæmonas de semetipsis confiteri, quoties à nobis & meritis verberum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur.* Vide Tertullianum in cap. 27. huius Apologetici.

CAP. XXIV. ARGVMENTVM.

Quòd Christiani non incurrant crimen læsæ religionis, sed ipsi potiùs qui Deos colunt longè diuersos.

TERTVLLIANVS.

713. 1. OMNIS ista confessio illorum qua se Deos negant esse, quáque non alium Deum respondent præter vnum, cui nos mancipamur, satis idonea est ad depellendum crimen læsæ maximè Romanæ religionis. Si enim non sunt Dei pro certo, nec religio pro certo est: si religio non est, quia nec Dij, nec pro certo rei sumus læsæ religionis.

EXPLICATIO.

1. ARGVEBANTVR Christiani læsæ religionis Romanæ, depellit hoc crimen ex confessione dæmonum. Est, *mancipamur*, addicti sumus, tradimur, committimur. *Si enim*, &c. Nam vbi non est Deus, nec religio est, & sic nequit esse crimen læsæ maiestatis.

714. 2. At è contrario in vos exprobratio resultauit, qui mendacium colentes, veram religionem veri Dei non modò negligendo, quin insuper expugnando Deum verum, committitis crimen veræ irreligiositatis. Nunc vt constaret illos Deos esse, nonne conceditis de æstimatione communi, aliquem esse sublimiorem & potentiorem velut principem mundi, perfectæ peritiæ & maiestatis? nam & sic plerique disponunt diuinitatem, vt imperium summæ dominationis esse penes vnum, officia eius penes multos velint. Vt Plato Iouem magnum in cœlo comitatum exercitu describit deorum pariter & dæmonum. Itaque oportere & procurantes, & præfectos, & præsides pariter suspici. Et tamen quod facinus admittit, qui magis ad Cæsarem promerendum, & operam & spem suam transfert, nec appellationem Imperatoris in aliquo principum confitetur, cùm capitale esse iudicetur alium præter Cæsarem & dicere, & audire?

2. Exprobrat in illos & refundit crimen veræ & manifestæ irreligiositatis. Nam cùm liquidò constet necessariò debere esse aliquod numen potentius & perfectius è multis, ad quod summa diuinitatis pertineat, vt multi è vestris fatentur, Plato etiam; fit perinde vt vos debeatis è multis Diis vnum eligere, ad quem potestatem deuoluere debeatis, neque omnes pariter simul colere: hoc enim clara est irreligiositas. Nam *quod* obsecro *facinus admittit*, qui solum Cæsarem Imperatorem summum confitetur, *cùm alium dicere & audire Cæsarem* non possit? Est verò efficacius *transfert*, quàm confert, quasi relictis aliis omnem curam transfert ad vnum colendum Imperatorem.

715. 3. Colat alius Deum, alius Iouem: alius ad cœlum supplices manus tendat, alius ad aram fidei: alius (si hoc putatis) nubes numeret orans, alius lacunaria: alius suam animam Deo suo voueat, alius hirci. Videte enim ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere quem nolim. Nemo se abinuito coli vellet, ne homo quidem: atque adeò & Ægyptiis permissa est tam vanæ superstitionis potestas auibus & bestiis consecrandis, & capite damnandis qui aliquem huiusmodi Deum occiderit.

3. Adducit conclusionem ad probandum cuique licitum esse adorare quem velit, atque adeo alius adoret Deum verum, alius falsum, vt puta Iouem: *alius ad cœlum supplices manus tendat*, quod veræ religionis est; *alius ad aram fidei*, quod falsæ: alius *dum orat, nubes numeret*, si vis, hoc enim crimine infamabantur Christiani, qui cùm verum Deum orarent, & ita ad cœlum oculos tollerent, dicebant Gentiles eos nubes numerare; *alius* ad tholos templorum & *lacunaria* oculos attollat, quod falsæ religionis est: *alius* demum *animam suam Deo* vero *voueat*, quod faciunt Christiani; *alius hirci* animam, quod faciunt Gentiles: Cur non Christianis liceat, quod licet gentibus? *Videte*, *ne* dum Christianis adimitis *libertatem* adorandi suum verum Deum, in *irreligiositatis* crimen incurratis. Reliqua clara sunt.

716. 4. Vnicuique etiam prouinciæ & ciuitati suus Deus est, vt Syriæ Astartes, vt Arabiæ Disares, vt Norici Belenus, vt Africæ Cælestis, vt Mauritaniæ Reguli sui. Romanas, vt opinor, prouincias edidi, nec tamen Romanos Deos earum, quia Romæ

non magis coluntur, quàm qui per ipſam quoque Italiã municipali cõſecratione cenſentur: Cruſtuminienſium Beluentinus, Narnienſium Viridianus, Aſculanorum Ancaria, Volſinienſium Nerſia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliſcorum in honore eſt, pater Curis, vnde accepit cognomen Iuno. Sed nos ſoli arcemur à religionis proprietate. Lædimus Romanos, nec Romani habemur, quia non Romanorum Deum colimus. Bene quod omnium Deus eſt, cuius velimus aut nolimus omnes ſumus. Sed apud vos quoduis colere ius eſt, præter verum Deum, quaſi non hic magis omnium ſit Deus cuius omnes ſumus.

717. 4. En aliud exemplum ad idem probandum. Nam cùm *vnicuique prouincia* Romanæ aut *ciuitati ſuus Deus* colatur, qui tamen Romæ non colitur; & Municipiis quoque ſuus ſit Deus, qui tamen Romæ non agnoſcitur, ſoli Chriſtiani ab hoc iure communi religionis arcentur, nec ſinuntur colere proprium & verum Deum, quod ſummæ eſt *irreligioſitatis*. Videndæ Notæ.

NOTÆ.

718. 1. MANCIPAMVR.] Liberius Pap. in Epiſt. ad Epiſc. Catholicos: *Totúmque ſe fidei Apoſtolicæ & Catholicæ vſque ad Nicenæ ſynodi conuentum de integro mancipet.*

2. QVIN INSVPER EXPVGNANDO DEVM COMMITTITIS CRIMEN VERÆ IRRELIGIOSITATIS.] Aliàs Vvouerenius: *Quin inſuper veram religionem expugnando, in Deum verum committitis crimen veræ irreligioſitatis.*

2. IRRELIGIOSITATIS.] Vox vſurpata eſt Patribus. Sanctus Maximus Epiſcop. Taurinenſis Homilia de defectu Lunæ: *Nam cùm ante dies pleroſque de veſtræ auaritiæ cupiditate pulſauerim, ipſa die circa veſperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligioſitas eius pulſaret ad cœlum. Quod cùm requirerem, quid ſibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quòd laboranti Lunæ veſtra vociferatio ſubueniret, & defectum eius ſuis clamoribus adiuuaret.*

2. NVNC VT CONSTARET.] Explica *vt*, eſto conſtaret, vel etiam ſi conſtaret. B

2. ALIQVEM ESSE SVBLIMIOREM, &c.] Indicat opinionem illam gentilium, qui dicebant ſublimiorem fuiſſe aliquem Deum, aliorúmque Deorum factorem, quod Dionyſ. Areopag. dixit in epiſtol. ſed alio ſenſu quàm illi, bonum, ἀγαθοποιῶ, καὶ θεοποιῶ: *quod bonos faceret, quod Deos faceret.* Et infrà, θεούμεθα, καὶ ἀγαθυνόμεθα.

2. PERFECTÆ PERITIÆ ET MAIESTATIS.] Alij, *perfectæ potentiæ & maieſtatis*, & laudo.

719. 2. VT PLATO IOVEM.] Platonis verba hæc ſunt apud Athenag. Legat. pro Chriſtian. ὁ δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα, καὶ ἐπιμελούμενος. τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων: *Magnus vtique dux in cœlo Iuppiter, citans alatum currum, primus incedit, exornans cuncta, prouidéque diſponens: hunc ſequitur Deorum dæmonumque exercitus.*

2. NEC APPELLATIONEM IMPERATORIS.] Pamelius ita ſcribit, *appellationem Dei ita vt Imperatoris*, quæ verba, nimirum, *Dei ita vt*, libenter adimo, vt etiam Iunius, vt quæ extra argumentum. Sed ſi quis velit legere, non reſiſtam, nam obiter hos ſtylo pungit Gentiles. Perinde eſt ac ſi dicat: Qui Imperatorem vult demereri, non dat alteri hoc nomen; imò neque Dei nomen dat alteri, niſi illi. Clariùs: Neget alteri nomen *Dei ita vt Imperatoris*. Sed obiter, inquam, illud de Deo, pungens illos & irridens. Porro Iunius, qui alterum *vt* adhibet, otiosè adhibet.

2. CÆSAREM.] Clarum teſtimonium, quo conſtat Imperatores omnes non ſolùm ante Traiani ætatem, ſed etiam poſtea dictos *Cæſares*. Lamprid. in Alex. Seuero: *Alexander Auguſte Dij te ſoruent, Cæſar noſter, Auguſte noſter, Imperator noſter, Dij te ſeruent.* A

3. COLAT ALIVS DEVM, &c.] Vide vt explicui, nec facilè cedam. Etenim conſecutio ipſa facit, vt putem, quatuor mẽbra opponi quatuor membris: itaque Deus & Iuppiter opponuntur, cœlum & ara fidei, nubes & lacunaria, anima hominis & anima hirci. Mecum eſt Zephyrus in paraphraſi. Itaque Deus & lacunaria non poſſunt reſpondere eidem Deo, vt vult Heraldus; ait enim, Chriſtianos, cùm in cœmeteriis cogebantur orare, dici nubes numerare; eoſdem dici lacunaria numerare, cùm in conuenticulis ſuis orabant. Ergo verſus Iuuenalis, legente ſic Scaligero, 720.

Nil præter nubes, & cœli lumen adorant,

ſolùm de Chriſtianis intelligendus eſt. Illud, *alius ad cœlum ſupplices manus tendat*, illuſtra ex Ambroſ. lib. 1. de Virgin. *Tendere Chriſto inter ignes manus.* Et 3. *Dum manus tuas tendas ad Chriſtum, fidelem tua geſta inſpirabunt odorẽ.* Illud de fide, ex Cicerone de officiis, cùm ait: *Fidem in Capitolio vicinam Ioui Opt. Max. maiores noſtri eſſe voluerunt.* atque ex [illegible]o:

Ille etiam qua priſca Fides ſtat regia, nobis
Aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe.

Illud verò de vouente Deo animã ſuam, illuſtrabis ex Caſſiano Collat. 9. cap. 11. Iam illud de anima hirci, ſatis explicat Pan apud Lucianum in Bis accuſato, vbi ſic, ὁπλεξάμηνοι τράγον ἕνορχον, θύουσί μοι: *ſegregantes hircum coleatum, mihi ſacrificant.*

3. VOVEAT.] Dedicet conſecrétque. Luctatius vetus interpres Statij, ad ea verba, 721.

---quæris ne meos Sperchïe natatus,
Promiſſáſque comas,

Sic inquit, *conſuetudo erat apud antiquos, vt quis prout libitum erat, diuerſis Deabus, aut fluminibus, crinem,* C *aut barbam ſuam voueret.*

3. ADIMERE LIBERTATEM RELIGIONIS.] Themiſtius orat. 12. ad Iouin. Imperatorem: καὶ οὗτος ζηλῶν τὸν θεὸν, ὃς τὸ μὲν ἔχειν πρὸς εὐσέβειαν ὑπηδείου, τῆς φύσεως κοινὸν ἐπίνοσε τῆς ἀνθρωπίνης· τὸν τρόπον δ' τῆς θεραπείας ἐξῆψε τῆς ἐν ἑκάστῳ βουλήσεως. ὁ δ' πρεσβύτερος ἀνάγκλω, ἀφαιρεῖται τῷ ἐξουσίαν ᾧ ὁ θεὸς συνεχώρησε: *Hac in parte Deum imitatus, qui cùm naturalem quandam ad religionem propenſionem communem omniũ hominum feciſſet, rationem tamen modúmque colendi Numinis in vniuſcuiuſque voluntate ac libertate ſitam voluit. Quiſquis verò vim ac neceſſitatem infert, is conceſſam à Deo poteſtatem eripit.* Quamobrem rectè ait Elias Cretenſ. in orat. 3. Greg. Theologi: *Regium enim eſt neminem cogere; tyrannicum autem, per vim attrahere; ſeruile verò atque ignauum, ſpecie quadam & figmen-*

tis, ac verbis potiùs ad persuadendum comparatis Christianos à pietate deducere videri.

722. 3. ÆGYPTIIS.] Lucianus pro imaginibus: τὸ γὸ τὸν Αἰγυπτίοις, οἷσπερ καὶ δεισιδαιμονέστατοί εἰσι πάντων, ὅμως τοῖς θείοις ὀνόμασιν, εἰς κόρον ἐπηχοῦσιν: *Vt silentio præteream Aegyptios, qui tametsi ex omnibus gentibus Deos habeant infelicissimos, diuinis tamen nominibus ad satietatem vsque vtuntur.* Clemens Alexand. lib.3.Pædagog.cap.2. quem Latinè tantùm do, quod pluscula: *Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad eius quod est præstantius spectaculum properans, imaginem quæ templum habitat, quæsieris, sacerdos quispiam ex iis qui in templo sacrificant, graui & venerãdo vultu aspiciens, & Aegyptiorum lingua Paeanem concinens, cùm veli aliquantulum contraxerit, tanquam Deum ostensurus, magnam suppeditat occasionem irridendi numinis: neque intus inuenitur Deus, qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua eiusmodi bellua quæ templo quidem est indigna; sed antro, spelunca, ac cæno magis congruit. Apparet Deus Aegyptiorum, bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur.* Minutius: *Nonne & Apim bouem cum Aegyptiis adoratis & pascitis? nec eorum sacra damnatis, instituta serpentibus, crocodilis, & belluis cæteris, & auibus & piscibus; quorum aliquem si quis occiderit, etiã capite punitur.* Ruffinus 2.lib.de Vitis patr. *Canes enim, & simias, atque alia portenta venerati sunt.* Videndus Clemens Papa lib.1.Recognit. qui eadem de Api narrat. Et Firmicus, de errore profanæ religionis cap.2. Mille bestias narrat Constantinus Manasses in Annalib. vt sunt,

---ἐλλούρους, καὶ πιθήκους
Ἴβεις, καὶ τράγους, βόας τε, κύνας, καὶ κροκοδείλους,
Καὶ τ' ἄλλα προσομοιώματα τῆς σφῶν φρενοβλαβείας:
---*feles, simias,*
Ibes, hircos, boues, canes, crocodilos,
Abominationes alias ab errore mentis profectas.

Et Cyrillus Alex. Homil.1.de Festis Paschalibus meminit πτηνῶν, τετραπόδων, ἑρπετῶν: *Volucrum, quadrupedum, serpentium.* Quin singulæ Ægyptiorum vrbes, singulos Deos colebant, Tentyretę accipitrem, Combitæ crocodilum, lupum Lycopolitani, carnem Bubastij, ouem Saitæ, Capram Mendesij, hircum Theniuitæ, & omnes denique Ægyptij Nilum fluuium. Heliodorus lib.9.Æthiopidos, θεοπλαστοῦσι τὸν Νεῖλον Αἰγύπτιοι: *Deum esse fingunt Nilum Aegyptij.* Obserua Vvouerenium. in Minutium legere, *Occiderint.*

723. 4. VNICVIQVE PROVINCIÆ, &c.] Athanasius, orat.contra Gentes: καὶ ὅλως ἑκάστη πόλις καὶ κώμη τῶν ἐν γειτόνων οὐκ εἰδῶλα θεοὺς, ἀλλ' ἑαυτῆς προκρίνει, καὶ μόνους τούτους εἶναι νομίζει θεούς: *In summa, qualibet ciuitas & vicus vicinorum numina non agnoscens, sua præstituit, eáque sola Deorum loco habenda existimat.* Et infrà: καὶ ὅλως πάντων τῶν ἐν εἰδώλοις μανέντων ἐθνῶν, διάφορός ἐστιν ἡ δόξα, καὶ ἡ θρησκεία, καὶ οὐ τὰ αὐτὰ παρὰ τοῖς αὐτοῖς εὑρίσκεται: *Vt compendio dicam, omnium idololatrarum gentium dissimilis est religio & existimatio, neque eadem apud illos reperiuntur.* Deos hos, qui peculiari cultu vniuscuiusque prouinciæ coluntur, *municipes* appellat Minutius. Catalogum texit Lactantius lib.1. & Prudent.2. in Symmachum, & Sidonius aureis versibus, quorum initium,

Dodonetibi, Iuppiter, sacrata est, &c.

724. 4. SYRIÆ ASTARTES.] Huius Deæ vberrima mentio est in libris Regum, vbi ea dicitur Dea Sidoniorum, sed cùm Tertullianus Syrorum vocet, in promptu est Tullius, lib.3.de Natura Deorum, qui vbi de quatuor Veneribus: *Quarta Syria* (inquit) *Tyróque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.* Artemidorus lib.1.cap.9. inquit, Mossynos pisces edere, πλὴν Σύρων τινῶν τῶν τὴν Ἀστάρτην σεβομένων: *Exceptis Syris quibusdam, qui Astartem colunt.* Minutius: *Inde adeò per vniuersa imperia, prouincias, oppida videmus singula, sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere, municipes, vt Eleusinios, Cererem; Phrygas, Magnã Matrem; Epidauros, Aesculapium; Chaldæos, Belum; Astartem, Syros; Dianam, Tauricos; Gallos, Mercurium: vniuersa, Romanos.* Sed enim ea præcipuè vt dicebã, Sidoniorũ Dea vocatur. Cedrenus fol. 79. ἡ ὅτε ᾠκοδόμησε Σολομὼν ναὸν τῷ Χαμὼς εἰδώλῳ Μωάβ, καὶ τῇ Ἀστάρτῃ βδελύγματι Σιδωνίων: *Tunc Salomon ædificauit delubra Chamos Moabitarum idolo, & Astartæ abominandæ Sidoniorum.* Achilles Tatius initio Historiæ Clitophontis & Leucippes: ἔθυον τῇ τῶν Φοινίκων καλουμένῃ αὐτῶν Ἀστάρτῃ οἱ Σιδώνιοι: *Coluerunt Deam Phœnicum, quam Sidonij vocant Astartem.* Xiphilinus sermone εἰς τὸν τῆς γαμετοῦ προσκύνησιν ait, καὶ προσκυνήσουσι τὴν Ἀστάρτην καὶ τὸν Χαμὼς, ὅ ἐστι Σιδωνίων βδέλυγμα: *& adorauerunt Astartem, & Chamos idolum Sidoniorum.* Dici autem hanc Venerem, certum est. Suidas: Ἀστάρτη ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη, Θεὸς Σιδωνίων: *Astarte Dea Sidoniorum, quæ dicta est à Græcis Venus.* Cedrenus vbi suprà, *est Astarte à Græcis dicta Venus.* Græcè, ἡ μὲν οὖν Ἀστάρτη ἐστὶν ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη. Cæterum sic legendum in Tertulliano, non *Assarte*, vt legit Rangolius, in Comment.lib.1.Reg.cap.7.vers 4. Multi putant eam esse Iunonẽ; intérque eos est Historia Scholastica ad libros Regum. Hebraica vox *Astar* significat gregem ouium, inde fama est, Phœnicios & Iouem coluisse, sub Ammonis, id est, arietis, specie, & Iunonem sub ouina. Porrò eandem esse Astartem, quæ & Astaroth, Noster putat Mariana cap.2. in Iudices, & prior illo Augustinus quæst. 16. in librum Iudicum.

4. ARABIÆ DISARES.] Huius regionis Disares, siue malis Dysares, Dij appellati sunt, dicente Eusebio apud Pamelium, *Arabes Dusarim & Obdum pro Deo colebant.* Itaque sub nomine Dysarum continentur Dusaris & Obdus. 725.

4. NORICI BELENVS.] Dei Beleni, id est, Apollinis, sic dicti à iactu radiorum; quo tamen impensè gaudebat teste Homero lib.1. meminit Ausonius his versibus,

Tu Baiocasi stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis è templo genus.

Item alibi dans huic Deo Aremoricos,

Nec reticebo senem nomine Phœbicium,
Qui Beleni edituus, stirpe satus Druidum
Gentis Aremoricæ.

Ac ne videar solum dedisse Pamelium, is enim meminit Ausonij, adiicio Capitolinum, qui in Maximinis duobus, sic scribit: *Cùm igitur frustra obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem vrbem misit. Quibus populus penè consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam Deum Belenum per aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum.* Debes Pithœo huius loci correctionem, cùm priùs malè legeretur *Tibilenem*, lib.1.Aduers.cap.4. Inde matrem Aureliani sacerdotem Beleni, id est, Apollinis autumat bene Salmasius. Huius Dei meminit Herodianus lib.8. in quo legendum Βέλενον, non Βέλιν, vt testatur Bulengerus lib.1.de Oraculis cap.26.

4. AFRICÆ COELESTIS.] Huius Deæ numen fuit in Carthagine præcipuum: eius meminit Victor Vticensis Episcop. lib.1.Hist. vbi ait: *Nam et hodie si quæ supersunt, subinde desolantur, sicut ibi Carthagineo dignam theatro ædem Memoriæ, & viam quam Cœlestis vocitabant, funditus deleuerunt.* Et plures alij. Quid autem per *Cœlestem* intelligatur, in dissidio est, Turnebo Vraniam dicente: Philastrio, Fortunam; Pithoeo, Cererem; Pamelio, Venerem; Baronio (conferente in tomo 5. Annalium pag. 93. numismata) Cy- 726.

belem; Lipsio, Epistolicarum quæstionum lib.5. epistola 22. Iunonem ; cui & nos hæremus hærétque Pet. Faber lib. 3. Semest.cap.2. Argumentum Lipsij est,nam in tota antiquitate Iuno maximè Carthagini præfuit, ita vt nulla conferri cum ea possit in tuenda ea vrbe. Apuleius lib.6. sic ait: *Magni Iouis germana & coniuga,siue tu Sami, quæ querulo partu tuo vagituque gloriatur,tenes vetusta delubra, siue celsæ Carthaginis, quæ te virginem vectura leonis cœlo commeantem percolit, beatas sedes frequentas.* Vbi virgo *cœlo commeans* cœlestis est proculdubio,& illa nominis caussa. Vnde præcedenti capite *virginem* illam appellat: *Ista ipsa virgo cœlestis pluuiarum pollicitatrix.* Et quæ obsecro pluuias pollicetur, nisi Iuno? Et sequenti capite Tertullianus,cùm inquit: *Vellet Iuno Punicam vrbem posthabita Samo dilectam ab Aeneadarum vtique genere deleri?* Nonne ipsa est cœlestis ? Hoc argumento conuictus Faber est, vt putaret *cœlestem* Deam esse Iunonem. Est etiam locus Statij in 10. loquentis de Iunone Virgine,

Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis,
Expers coniugij, & timidè posítura pudorem,
Lumine demisso pueri Iouis oscula libat.

Ergo dicamus, vt erga Iouem puerum veneratio est, ita Carthago Iunonem Virginem coluit, quam *cœlestem* nuncupauit. Vnde cùm Saluianus lib.8. de Gubernat.dixit: *Habebant quippe intra muros patrios inteſtinum scelus,cœlestem illum scilicet Afrorum dæmonem dico, cui ideo, vt reor, veteres pagani tam speciosæ appellationis titulum dederunt, vt quia in eo non erat numen,vel nomen aliquod esset,* Iunonem intellexit. Similiter Capitolinus in Macrino, vbi: *Vates cœlestis apud Carthaginem,quæ Deo repleta,solebat vera canere.* Et in Pertinace: *Deinde Proconsul Africæ factus est,in quo Proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur, vaticinationibus earum quæ de templo Cœlestis emergunt.* Augustinus 2.ciuit.cap.4. *Cœlesti virgini, & Berecynthiæ matri Deorum omnium ante eius lecticam, die sollemni lauationis illius,talia per publicum cantitabantur à nequissimis scenicis, qualia,* &c. Scio dissidia esse,sed non tanti, quæ me cogant sententiam mutare; is est Ambrosius contra Symmachum: quem lege ipse. Et Baronius, tomo 5. Annal. in quo nota falsum illud esse, quod à multis iactatur, hanc non Deam, sed Deum esse masculino genere, *Cœlestem* dictum. Et Rangolius,qui putat esse Astartem,falsus omnino,vt liquet ex Tertulliano, discriminãte vtramque Deam. Is enim locum Saluiani citat, qui loquitur de Cælesti, & illum confert in Astartem.

4. MAVRITANIÆ REGVLI SVI.] Cyprianus,de Idolorum vanitate: *Mauri verò manifestè reges colunt, nec vllo velamento hoc nomen obtexunt. Inde per gentes & prouincias singulas varia Deorum religio mutatur, dum non vnus ab omnibus Deus colitur, sed propria cuique maiorum suorum cultura seruatur.* Et Minutius: *Iuba Mauris volentibus Deus est, & diui cæteri reges,qui consecrant non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis. Inuitis his denique hoc nomen adscribitur. Optant in hominem perseuerare, fieri se Deos metuunt,& etiamsi senes,nolunt.* Accinat his Iulius Firmicus, qui de errore profanæ religionis ita exclamat cap. 2. *O misera & caduca mortalitas, vt regibus tuis per annos singulos funestas mittas inferias, neglecto Deo summo, qui omnia diuini artificij moderatione composuit,& spem tuam perdis & vitam.* Vide etiam Arnobium lib. 3. per initia, vbi agit de *Regum cultu.* Vide Thomam Bozium, lib.2. cap. 10. qui affert Lactantium. 727.

4. ROMANAS, &c.] Sensus integer est, neque in Romanis prouinciis, neque in municipiis Italiæ coli Deos illos, qui Romæ coluntur: nam & prouinciæ & municipia habent Deos alios ab Romanis. Prouinciales Deos numerauit hactenus,iam numerat municipales. Qui sint ij, videndæ Notæ Pamelij, & Iunij; ego enim quid addam non habeo ; aut si habeo non tanti est,vt debeam illud adscribere.

4. ANCARIAM.] *Ancarios* putare possumus esse furiosos (inquit Turnebus) ab *Ancaria* furore immisso: nam vt de furioso Lucillius loquitur apud Nonium in *quiritare* his versibus,

Hæc eadem rudet è rostris atque ciulitabit,
Concursans velut Ancarius,clarèque quiritans,

vt *Bellonarius est*, Bellonæ furore correptus, vtique θεοφορούμενος.

4. SED NOS SOLI ARCEMVR A RELIGIONIS PROPRIETATE.] Ita Athenagoras, legat. pro Christianis post enumeratas multas sectas veterum, & Deos quos coluit gentilitas, subdit: *ὅταν οὖν αὐτοὶ αὐτοῖς διαφωνῶσι περὶ τῶν κατ' αὐτοὺς θεῶν, τί ἡμῖν καὶ συμφερομένοις ἐπικαλοῦσι: Cùm igitur ipsi inter se de suis diis dissentiant, quid est quod in nobis non assentientibus vituperent?* 728.

4. CVIVS VELIMVS, AVT NOLIMVS. Drogon episc. Hostiensis serm. de passione Domini: *Attamen velimus, nolimus; certè sustinendus est, certè transmeandus.* Seneca epist.53. *Illum vellet,nollet,coëgi.* Augustinus, epist.121. *Seu velimus,seu nolimus, vtique veniet.*

CAP. XXV. ARGVMENTVM.

Quòd magna fuit præsumptio Romanorum, credentium ob religionem Deorum suorum se impertum mundi occupasse.

TERTVLLIANVS.

627. I. SATIS mihi quidem videor probasse de falsa & vera diuinitate, cùm demonstraui quemadmodum probatio consistat, non modò disputationibus & argumentationibus, sed ipsorum etiam testimoniis, quos Deos creditis: vt nihil iam ad hanc caussam sit retractandum. Quoniam tamen Romani nominis propriè mentio occurrit, nõ omittam cõgressionem, quã prouocat illa præsumptio dicentium Romanos pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum sublimitatis elatos, vt orbem occuparint; & adeo Deos esse, vt præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciant. Si ista merces Romanis à dijs pro gratia expensa est, Sterculius, & Mutinus & Larentia prouexit imperium: peregrinos enim Deos non putem extraneæ genti

magis fautum voluiſſe quàm ſuæ,& patrium ſolum,in quo nati, adulti, nobilitati, ſepultíque ſunt, transfretanis dediſſe.

EXPLICATIO.

730. 1. DIuinitas ſiue vera putetur, ſiue falſa, ſatis à me comprobata eſt *diſputationibus & argumentationibus*, atque etiam teſtimoniis dæmonum, qui clarè fatebuntur ſe Deos non eſſe: quamobrem nihil iam à me expecta. *Quoniam tamen*,&c. Sed cùm quæſtio hæc prouocet præſumptionem illam, qua dici Dij debent, qui Romanos ad culmen maieſtatis euexerint, hanc agitabo. Vt verò ſententia illa, quæ continetur in illis verbis, *& adeo Deos eſſe*, &c. intelligatur,ſic ſupplendum erit: *Et adeo Deos eſſe*, qui fecerint, *vt præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciant. Si iſta merces*, &c. Si verum eſt, hanc gratiam Deos Romanis retribuiſſe, proculdubio *imperium* Romanum *Sterculius*, *& Mutinus*, *& Larentia* prouexerunt, qui Romani Dij proprijſſimè: quid enim *Deos* extraneos & *peregrinos* dicam *extraneæ* & peregrinæ *genti* fauiſſe? An opinor illos amplexatos fuiſſe hos, & non potiùs terram altricem? Contemno interim eos, qui ſcribi volunt *factum*, non *fautum*.

731. 2. Viderit Cybele ſi vrbem Romanam vt memoriam Troiani generis adamauit, vernaculi ſui ſcilicet aduerſus Achiuorum arma protecti, ſi ad eos vltra tranſire proſpexit, quos ſciebat Græciam Phrygiæ debellatricem ſubacturos? itaque maieſtatis ſuæ in vrbem collatæ grande documentum noſtræ etiam ætati propoſuit, cùm M. Aurelio apud Sirmium Reipublicæ exempto, die decimo ſexto Kalendarum Aprilium Archigallus ille ſanctiſſimus die nono Kalendarum earumdem, quo ſanguinem impurum,lacertos quoque caſtrando libabat pro ſalute Imperatoris Marci iam interempti,ſolita æquè imperia mandauit. O nuntios tardos! ô ſomniculoſa diplomata, quorum vitio exceſſum Imperatoris non antè Cybele cognouit! Næ Deam talem riderent Chriſtiani.

732. 2. Dixerat, credi non poſſe peregrinos Deos voluiſſe fauere magis genti extraneæ, quàm ſuæ. Poſſet aliquis obiicere Tertulliano, credi hoc poſſe; nam Cybele, cùm eſſet Phrygia,tamen Romanos amauit, ad eóſque voluit tranſire, quia ſciebat vernaculum ſuum Æneam à ſe protectum *aduerſus arma Achiuorum*, qui iam Italiam occupauerat; præterea ſciebat Romanos fore vindices Græcorum, qui Phrygiam patriam ſuam euerterant. Qua ſanè obiectione diuinitas Cybeles commendatur. Hoc euertit Tertullianus, adducto ſucceſſu M. Aurelij Imperatoris. Perinde ac ſi dicat: Ita illa hoc futurum nouerat, vt nuper M. Aurelij mortem cognouit, cui ſeptimo die poſt eius obitum, Archigallus Deæ tanquam viuenti Imperatori vota perſoluit. Id eſt: Neque illud ſciuit,neque hoc. Incipit autem ab irriſione, nam particula *viderit*,mera eſt irriſio. Nouitius ſic ordinet. *Viderit Cybele,ſi vrbem Romanam adamauit, vt memoriam generis Troiani* & Phrygij, in qua ſcilicet vernaculus ſuus Æneas Phrygius locatus erat, quem ipſa defenderat à Græcorum armis, ſi multo antè *proſpexit tranſire ad eos*, id eſt, Romanos, *quos ſciebat ſubacturos Græciã debellatricem Phrygiæ*. q.d. viderit ipſa,quæ hæc multo antè proſpexit, cur non cognouit mortem M. Aurelij.

733. 3. Sed non ſtatim & Iuppiter Cretam ſuam Romanis faſcibus concuti ſineret, oblitus antrum illud Idæum, & æra Corybantia,& iucundiſſimum illic meretricis ſuæ odorem. Nonne omni Capitolio tumulum ſuum præpoſuiſſet, vt ea potiùs orbi terra præcelleret, quæ cineres Iouis texit? Vellet & Iuno Punicam vrbem poſt habita Samo dilectam ab Æneadum vtique genere deleri? quòd ſi

---hîc illius arma,
Hîc currus fuit, hoc regnum Dea Gentibus eſſe,
Si quà fata ſinant, iam tum tendítque fouétque,

miſera illa coniux & ſoror aduerſus fata non valuit. Planè *fato ſtat Iuppiter ipſe*. Nec tantum tamen honoris Romani dicauerunt fatis dedentibus ſibi Carthaginem aduerſus deſtinatum votúmque Iunonis, quantum proſtitutiſsimæ lupæ Larentinæ.

734. 3. Adducit deinde Iouem & Iunonem in teſtimonium eiuſdem rei. Ne puta Iouem in tantum oblitum ſuæ patriæ, & tinnitus illius Corybantum dulciſſimi, & ſuauiſſimi odoris nutricis ſuæ Capræ Amaltheæ,vt vellet ſtatim *Cretam concuti Romanis faſcibus*: Proculdubio *tumulum* illum Cretæum, in quo ille ſepultus eſt, *omni Capitolio* excellentius iudicaſſet. Quid Iuno? vellet ne illa *vrbem* Carthaginem deletam eſſe, quam Samo, vbi illa nata, nutrita, & impensè culta eſt, prætulit? Quod ſi verum eſt, in Carthagine regnum ſuum locaſſe, *miſera* profectò fuit Iuno, & *nihil valuit contra fata*. Neque minùs victa eſt ac Iupiter, qui fato nequit obſiſtere. *Nec tantùm tamen*, &c. Nec Romani tantum honoris & dignitatis decreuerunt *fatis ſibi Carthaginem dedentibus* contra voluntatem Iunonis, *quantum lupæ Larentinæ*.

735. 4. Plures Deos veſtros regnaſſe certum eſt. Igitur ſi conferendi imperij tenent poteſtatem, cùm ipſi regnarent, à quibus acceperant eam gratiam? quem coluerant

Saturnus, & Iuppiter? aliquem, opinor, Sterculium. Sed Romæ poſtea cum indigenis ſuis etiam ſi qui non regnarunt, tamen regnabatur ab aliis nondum cultoribus ſuis, vt qui nondum Dij habebantur. Ergo aliorum eſt regnum dare, quia regnabatur multo antè quàm iſti Dij inciderentur. Sed quàm vanum eſt faſtigium Romani nominis religioſitatis meritis deputare, cùm poſt imperium ſiue adhuc regnum religio profecerit. Age iam rebus religio profecerit. Nam etſi à Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulacris aut templis res diuina apud Romanos conſtabat Frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipſe nuſquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum, atque Tuſcorum, fingendis ſimulacris vrbem inundauerant. Ergo non antè religioſi Romani, quàm magni: ideoque non ob hoc magni quia religioſi.

736. 4. *Plures Deos veſtros* Romulum & Cæſares *certum eſt regnaſſe.* Igitur ſi qui Dij ſunt, habent eo ipſo vim vt conferant imperium, Dij illi cùm regnarunt, *à quibus* acceperunt *eam gratiam regnandi*? *Iuppiter & Saturnus* cùm regnarunt, quem coluerunt? neminem dabitis præter *Sterculium* infamem Deum. Cùm poſtea Romæ Aboriginibus (nam hi ſunt *indigenæ*) *ſi qui* illorum *non regnarunt* (vt certum eſt multos Aborigines nunquam regnaſſe) *regnabatur tamen ab aliis* (puta Auſonibus & Sicanis) qui nondum coluerant Saturnum & Iouem, vt qui nondum Dij habebantur. *Ergo regnum dare aliorum eſt*, neque pendet ab iis qui Dij habentur, ſed altius habet principium, quia *multò antè regnabatur*, cùm nondum Saturnus & Iuppiter inciſi inſculptíque fuerant. *Sed quàm vanum eſt*, &c. Vanum itaque eſt, imperium, (ſiue regnum vocetis, tunc enim ad imperij magnitudinem non coaluerat,) religioni aſcribere, cùm res iſta aliunde pendeat. Iam verò ſi demus à religione pendere, nihil efficietis profectò. *Nam* eſto *à Numa* religio in ordinem perfecta fuerit, & *curioſitas* ſuperſtitionis *concepta, nondum tamen apud Romanos ſimulacris & templis res diuina conſtabat.* Itaque tunc religioſiſſimi erant, neque dum magni. Continebat ſe religio intra Italiam, *pauperes* erant cultus, nullum Capitolium, ſed tantùm è viuo *ceſpite*, temere facta *altaria*, ſubitaria, & ad præſentem neceſſitatem exſtructa; Samiorum vaſa in pretio tantùm erant, pro aureis quibus nunc, & ex illis nidor, Deus verò nuſquam. Nondum enim eruperant ingenioſi Græci & Tuſci, qui fabricarent Deorum ſtatuas.

737. 5. Atquin quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de irreligioſitate prouenit? Ni fallor enim omne regnum vel imperium bellis quæritur, & victoriis propagatur. Porro bella & victoriæ captis & euerſis plurimum vrbibus conſtant. Id negotium ſine Deorum iniuria non eſt. Eædem ſtrages mœnium & templorum, pares cædes ciuium & ſacerdotum, nec diſſimiles rapinæ ſacrarum diuitiarum & profanarum. Tot igitur ſacrilegia Romanorum, quot trophæa: tot de Diis, quot de gentibus triumphi: tot manubiæ, quot manent adhuc ſimulacra captiuorum Deorum. Et ab hoſtibus ergo ſuis ſuſtinent adorari, & illis imperium ſine fine decernunt, quorum magis iniurias, quàm adolationes remuneraſſe debuerant. Sed qui nihil ſentiunt, tam impunè læduntur, quàm fruſtra coluntur. Certè non poteſt fidei conuenire, vt religionis meritis excreuiſſe videantur, qui, vt ſuggeſſimus, religionem aut lædendo creuerunt, aut creſcendo læſerunt. Etiam illi quorum regna conflata ſunt in imperij Romani ſummam, cùm ea amitterent, ſine religionibus non fuerunt.

738. 5. Ex ſuppoſitione probauit creuiſſe imperium ex religione: iam nunc probat è contrario potiùs creuiſſe ex irreligioſitate. quia cùm bella propagentur ex victoriis, victoriæ autem conſiſtant ex cæde hoſtium, & euerſione vrbium; hoc autem fieri non ſine ſtrage & piaculo diuinarum ſimul & humanarum rerum potuit. Hæc latè probat. Omittimus vt clara. Concludit. Quid quòd non ſine religione dici exiſtimabantur, qui regna amittebant, vnde coaluit imperium?

NOTÆ.

739. 1. ROMANOS PRO MERITO RELIGIOSITATIS DILIGENTISSIMÆ.] Hoc argumentum multis dilatat Prudentius lib. 2. aduerſ. Symmach.

Sed multi duxere Dij per proſpera Romam,
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo age bellatrix, quæ vis ſubiecerit, ede, &c.

Minutius: *Attamen iſta ipſa ſuperſtitio Romanis dedit, auxit, fundauit imperium, quum non tam virtute quàm religione & pietate pollerent.* Et alio loco: *Sic eorum* (Romanorum) *poteſtas & auctoritas totius orbis ambitus occupauit: ſic imperium ſuum vltra ſolis vias, & ipſius Oceani limites propagauit, dum exercent in armis virtutem religioſam, dum vrbem muniunt ſacrorum religionibus, caſtis virginibus, multis honoribus ac nominibus Sacerdotum.* Et cætera: multa enim loquitur in hanc ſententiam. Cum mendacio Valerius lib. 1. *Non mirum igitur, ſi pro eo imperio augendo cuſtodiendóque pertinax Deorum indulgentia ſemper excubuit,* &c. Vide Oroſium lib. 6. cap. 1. Lectionem

animaduerte *diligentissimæ*, quod alij *diligentissimè*.

1. SI ISTA MERCES, &c.] Codex Puteani habet: *Scilicet ista merces Romanis à Diis pro gratia expensa est*, quam lectionem Heraldus pro speciosa habet. Iunius insuper eam declarat, vt Dij sint proprij, non peregrini.

740. 1. STERCVLIVS ET MVTINVS ET LARENTIA.] *Sterculius* is est Deus, *qui stercorandi agri rationem primus induxit*, ait Lactant. lib. 1. cap. 20. Quid si legendũ *Sterculinus*, saltẽ *Stercilinũ* legi in M. Catonis, de re Rustica, libro. Pet. Victorius, & Geor. Fabricius constanter adiuuant. Prudentius legit, *Sterculus* in agone Laurentij, fortasse metri caussa. Heraclitus dixit, νέκυες κοπρίων ἐνέλπτοτεροι: *mortui stercilinio abiectiores*. Strabo lib. 17. κοπρία ἤγουν τὰ νεκρὰ σώματα, καθάπερ Ἡράκλειτος φησὶ, νέκυες κοπρίων ἐνέλπτοτεροι: *Cadauera eodem loco habent quo fimum, veluti Heraclitus ait, mortui stercore abiectiores. Et Mutinus in cuius sinu pudendo nubentes præsident, vt illarum pudicitiam prior Deus delibasse videatur*, ait ibidem idem Lactant. Larentina, aut Laurentina, est, quæ nutriuit duos fratres Romulum & Remum; quæ quia omnibus se exhibebat, dicta est lupa. Cyprian. de Idolor. vanit. *Acca & Flora meretrices*. Hæc est porro Acca Larentia. Contendit in Cyprianum Pamelius dicendum *Larentia*, non *Laurentia*, cùm Græci λαρεντίαν dicant. Hæc satis sunt in tanta luce aliorum. Attexam hîc titulos totius capitis. Primo, si ista merces Romanis à Diis pro gratia expensa est, Sterculius, & Mutinus, & Larentia prouexere imperium. Secundo, Iuppiter Cretæ potiùs, quàm Latio fauisset, est enim è Creta. Tertio arguitur ex illorum concessione, *fato stat Iuppiter ipse*. Ergo Dij ipsi fatis coacti concessere in imperium Romanum. Quarto, regnarunt plures Dij; à quibus igitur accepere imperium? Quinto, religio profecit post acceptũ imperium, cui igitur deputatis imperium? Sexto, ædes Deorum diruistis, quomodo ergo illi fauerunt vobis? Vide Rangolium in caput quintum lib. 1. Regum, qui capita ista latiùs.

741. 1. PEREGRINOS ENIM DEOS, &c.] Prudentius vbi suprà,

Stirpis Iuleæ ductore, exercitus ardens
Prænaluit, gelido quem miserat Algidus axi,
Non armata Venus, non tum clypeata Minerua
Venere auxilio, non Diuûm degener ordo,
Et patria extorris Romanis adfuit armis,
Victus & ipse priùs, inimica nec agmina iuuit,
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.

1. ET PATRIVM SOLVM.] Sic libenter, non *solium* lego: placétque Iunius, & Heraldus.

2. SI AD EOS VLTRA TRANSIRE, &c.] Multi præferunt eam lectionem, *si ad vltores transire prospexit*, tanquam euidentissimam. Et quidem ea improbanda non est, sed non est necessaria, cùm idem sit *ad vltores*, & *debellatricem subacturos*. Itaque illam in medio relinquimus. Diem adiicit Imperatoris mortis Dio Cassius vnum tantùm, τῇ ἑπτὰ καὶ δεκάτῃ τοῦ Μαρτίου μετὰλλαξεν.

2. ARCHIGALLVS ILLE SANCTISSIMVS.] Erant Galli, & Archigalli (quasi principes Gallorum) qui castrabantur in nomine & cultu Cybeles. Iulius Firmicus: *Venus in decimo ab horoscopis loco faciet Eunuchos & Archigallos*. Lactantius lib. 5. cap. 9. *Immemores quid nati sint cum fœminis patientia certant, qui sanctissimam corporis quoque sui partem contra fas omne polluant, vt profanent: qui virilia sua ferro metant, &, quod est sceleratius, vt sint religionis antistites*. Nazianzenus orat. 3. ἢ Φρυξὶ καταπεπωκέναι τὸν ἀυλῶν κηλουμένοις: *Aut apud Phryges castrari tibiarum dulcedine delinitos*. Athanas. orat. contra Gentes: αὖδρες δὲ τὸν φύσιν ὑφηρημένοι, καὶ μηκέτι εἶναι θέλοντες ἀῤῥενες, τὸν γυναικῶν πλάνοντα φύσιν, ὡς ἐκ τούτων καταθύμια καὶ τιμὸν τῇ μητρὶ τῇ παρ' αὐτοῖς λεγομένων Θεῶν ποιοῦντες: *Viri quoque abdicato sexu, nec se ampliùs mares esse ferentes, mulierum naturam affectauerunt, tanquam ita honorifica gratáque Matri Deorum facturi essent*. Meritum autem Cyprianus isti ascribi propter elegantiam, 15. epist. 1. de Spectat. ita ait: *Videte contra fœdus iusque nascendi patientiam incestæ turpitudinis elaboratam, euirabantur mares, omnis honor & vigor sexus eneruati corporis dedecore molitur, plusque illis placet, quisquis virum in fœminam magis fregerit*.

742. 2. LACERTOS QVOQVE CASTRANDO LIBABAT.] Tertullianus lib. 1. contra Marcion. cap. 13. *Magnam matrem in terram, seminalia demissam, lacertis aratam, lauacro rigatam*. Arnob. lib. 5. *Aut si ea quæ dicimus, non sunt ita, vos edissertate, vos dicite, euirati illi mollésque, quos interesse vobiscum in istius numinis videmus sacris, quidnam istic habeant negotij, sollicitudinis, curæ: & cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos, & fortunam imitentur in lamentabili constitutorum sorte?* Apuleius lib. 8. *Et nonnunquam morsibus suis incursantes musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecat*. Seneca de Vita Beata cap. 27. *Cùm sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur: cùm aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa cruentat*, &c. Prudent. in Agone Romani,

Sunt sacra, quando vosmetipsi exciditis,
Votiuus & cùm membra detruncat dolor,
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque Matrem brachijs placat Deûm.

Seneca in Agamemnone,

Tristis lacerat brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti
Pectora rauco concita buxo
Ferit, vt Phrygium lugeat Atyn.

Martialis denique lib. 11. Epigram. 85.

Alba minùs fauis lacerentur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios Enthea turba modos.

743. 2. INTEREMPTI.] Heraldus legit *intercepti*, & probat, quia in Glossis, *interceptus*, est ἀποθανών. Sueton. in Tiberio: *Mox dissedit, & aliquanto grauiùs, vt etiam perpetuò secubaret. Intercepto communis filij pignore, qui Aquileiæ natus infans extinctus est*. Idem in Claudio: *Vnde existimo nonnullos tradere ausos, suspectum eum Augusto, reuocatúmque ex prouincia, & (quia contaretur) interceptum veneno*.

744. 2. DIPLOMATA.] Vel oracula intelliguntur, exquisito dicendi genere; vel loquitur auctor metaphoricè; vt aduertit Pamel. quasi dæmonis missis diplomatibus, Imperatoris obitum seriùs nuntiarent; vel erunt, auectiones equis celeribus factæ, vt vult Iunius, per nuntios instructos diplomatis. Sunt *diplomata*, litteræ sigillis principum obsignatæ, inde *succincto diplomate*, in Sidonio, id est, breuibus litteris. Et Suetonius dixit in Nerone cap. 41. *Quibus post editam operam diplomata ciuitatis Romanæ singulis obtulit*.

2. NÆ DEAM TALEM.] Næ, est, profectò. Scribit verò Pamelius irrepsisse mendum in libros, & *Deum*, scriptum, pro quo ipse correxit *Deam*. Sed forsitan in Tertulliano *Deum*, est, & intelligit Cybelem, idque scripsit more Græcorum, quibus Θεὸς tam Deus quàm Dea intelligitur. Athenæus lib. 5. ἐν ᾧ μαρμάρεον ἄγαλμα τῆς Θεοῦ: *In quo* (templo) *erat marmoreum simulacrum Dei ipsius*, id est, Veneris. Euripides in Troadibus, τὸν Θεὸν κολάζει: *ipsum Deum obiurga*. Vbi vides in Græco esse Θεὸν, non Θεάν, addito tamẽ articulo fœmineo. Vnde Virgilius, *ducente Deo*, id est, Venere, vt volũt docti quique. Et Caluus Poëta,

Pollentemque

Pollentemque Deum Venerem.
Leuinus, *Venerem igitur almum adorans.* Eadem nomenclatura gaudent Pallas, Luna, Nemesis, Pales Dea pastorum. De quibus singulis vide quæ latè scripsi in 2. Æneid.

745. 3. ROMANIS FASCIBVS CONCVTI SINERET.] Multi referunt *facibus*, & pugnant cum verbo *concuti*. Multi etiam legunt *illum*, interiecto inter *fascibus*, & *concuti*. Secuti sumus lectionem manifestam, & fortasse Tertullianus, vt vult Heraldus, *illam* scripsit, non *illum*, Hebraïca phrasi Afris scriptoribus non incognita. Apuleius Apologia: *Videlicet quòd animi partem rationalem, quæ longè sanctissima est, eam violet.*

3. ANTRVM ILLVD.] Cyprian. de Idolor. vanit. *Antrum Iouis in Creta visitur.* Athenag. Legat. pro Christianis: ἐκ δὲ Κρόνου τε καὶ Ρέας, Ζεὺς, Ηρά τε, καὶ πάντες, οἷς ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν, ἔτι τε τούτων ἄλλους ἐκγόνους: *Ex Saturno & Rhea, Iuppiter, & Iuno, & reliqui, quos eorum fratres quotidie memorari audimus, nati dicuntur.* Itaque nati illi sunt in eo antro, cuius extat mētio in Virgilio 4. Georgicorum, B

Dictæo cœli regem pauere sub antro.

746. 3. ÆRA CORYBANTIA.] Ad Corybantum sonitus pertinent Lucretij versus lib. 2.

Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum,
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cùm pueri circum puerum pernice chorea
Armati, in numerum pulsarent æribus æra.

Et Gregorius Nazianzenus orat. 39. *Non sunt hæc partus, & furta Iouis Cretensium tyranni, neque Curetum soni & plausus, armataque saltationes, Dei vagientis clamorem obruentes, vt crudelem patrem effugeret.* Hoc vltimum pertinet, vt intelligas, cur Corybantes adhibiti, nimirum vt vagitus Iouis occultaretur, neque in illum pater sæuiret. *Corybantes* autem iidem sunt, qui & Curetes, vnde & Strabo lib. 10. *Curetas* dictos ait, C quasi κουροτροφήσαντας, quòd Iouem aluerint. Nam Euphorio, Eratosthenes, Orpheus, & Callisthenes; ex recentioribus autem Scaliger, in libro de Arte poëtica, & Lambinus in 2. Lucretij, eosdem faciunt. Verùm & ab aliis distingui, vt à Seneca in Oetæo, & ab Ouidio. Quare autem dixerit *æra* certum est, itaque *æs* signatè capiendum, non aliud metallum, vnde *Corybantes* dictos χαλκάσπιδας, auctor est Strabo lib. 10.

3. ET IVCVNDISSIMVM ILLIC NVTRICIS SVÆ ODOREM.] Capræ Amaltheæ. Arat. in Phænomenis,

Αἶξ ἱερὴ, τήν ῥα μέντε λόοις Διὶ μαζὸν ἐπιχεῖν: *Sacra Ioui Capra est, quòd præbuit vbera puero.*

747. 3. CAPITOLIO.] Ouidius 3. de Ponto:

Cùm domus Augusti Capitoli more colenda,
Læta (quod est, & sit) plenáque pacis erit.

Huc alluisse nobilem Poëtā in Carthaginiēsis sacrarij religione putat Rycquius lib. 1. de Capit. 46. cùm ait, D

--- hîc illius arma,
Hîc currus fuit, hoc regnum Dea gentibus esse
(Si quà fata sinant) iam tum tenditque fouétque.

748. 3. QVÆ CINERES IOVIS TEXIT.] Iouem, vt natus in Creta est, ita ibidem sepultum referunt, vt auctor est è nostris Lactantius, Nazianzenus, Irenæus; ex aliis verò, penè nullus est qui non affirmet. Vnius tantùm Chronici Alexandrini adducam verba: ἐν ᾧ χρόνῳ Πίκος, ὁ ἐκ Διὸς, ἐτελεύτα, ἐκέλευσεν τὸ λείψανον αὐτοῦ ταφῆναι ἐν τῇ Κρήτῃ νήσῳ. ἐκ κτίσαντες αὐτῷ ναὸν οἱ αὐτοῦ παῖδες, ἔθηκαν αὐτὸν ἐκεῖ ἐν τῇ Κρήτῃ κείμενον ἕως τῆς παρούσης· ἐν ᾧ ἐπιγέγραπται, ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΘΑΝΩΝ ΠΙΚΟΣ ΚΑΙ Ο ΖΕΥΣ ΟΝ ΚΑΙ ΔΙΑ ΚΑΛΟΥΣΙΝ: *Moriturus Picus seu Iuppiter exuuias corporis sui in Creta insula reponi iussit, vbi condito illi tēplo à posteris est situs, iacétque hodie in Creta, cum hoc epigrammate: HIC SITVS IACET PICVS A MORTVVS, QVI ET IVPPITER, QVEM IOVEM VOCANT.*

3. PVNICAM VRBEM.] Cyprian. de Idolorum vanitate: *Et Iuno vel Argiua, vel Samia, vel Pœna.* Virg. 1. Æn. *--- hoc regnum Dea gentibus esse,*
Si quà fata sinant, iam tum tenditque, fouétque,
Et Prudentius lib. 2. in Symmachum,

--- concessit & ipsa
Juno suos Phrygijs seruire Nepotibus Afros,
Et quam subiectis dominam Dea gentibus esse.
Si quà fata sinant, iam tum tenditque, fouétque.

3. POSTHABITA SAMO.] Apuleius lib. 6. de 749. Samo ait: *querulo partu, vagitúque, & alimonia Iunonis gloriatur.* Idem 2. Florid. *Donarium* (Iunonis) *perquā opulentum.* Ab hoc cultu Sami in Iunonem (ait Athenæus lib. 14.) ἐπὶ τὰ νομίσματος τῶν Σαμίων τοιοῦτόν ἐστιν: *Samiorū nummis imprimitur pauo.* Lactant. lib. 1. cap. 15. *Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanū, Naxos Liberum Apollinem Delphi.*

3. QVOD SI.] Heraldus legit, *quod sciam*, & probat, nam suprà cap. 23. *Colitis illos, quod sciam, etiam sanguine Christianorū.* Et lib. 2. ad Vxorem cap 3. *Quod sciam, nō sumus nostri, sed pretio empti.* Apuleius cap. 6. *Quod sciam, soles prægnantibus periclitantibus vltrò subuenire.* Minutius: *Sine corpore hoc, quod sciam.* Hæc vera sunt, non tamen efficiunt aliquid contra præsentem lectionem.

3. HIC CVRRVS FVIT, &c.] De interpretatione horū versuū vide quæ ego copiosè in lib. 1. Æn.

3. FATO STAT IVPPITER IPSE.] Gentilitia regula, quam sic repræsentat Iustinus Martyr Apolog. 2. καθ' εἱμαρμένην πάντα γίνεται: *Fato omnia fiunt.*

4. SED ROMÆ POSTEA, &c.] Legi, vt vidisti: 750. itaque nec retineo lectionem Iunij legentis, *nec Romani*, &c. neque interpunctionem Pamelij, qui sic ait: *Sterculium, sed Romæ postea cum indigenis suis: etiamsi qui non regnarunt, tamen*, &c. Verè scribendum est, vt à me scriptum. Sciendum enim varias Gentes Romam, vel ea loca, vbi nunc Roma, confluxisse, & principatum ibi tenuisse. Virgilius 8. Æneid.

Tum manus Ausoniæ, & gentes venere Sicanæ,
Sæpius & nomen posuit Saturnia Tellus.

Eximo scrupulum; dicet aliquis æuo Aboriginum nō fuit Roma, ergo ineptè. Respondeo, vel *Romæ* hîc capi pro loco, vbi postea Roma. Neque insciturn, neque insolens debet videri, nam Virg. 8. Æneid.

Tum Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Vel sequi potuit aliam opinionem. Nam Romam ante Romulum fuisse non leues scriptores asserunt. Videndus Plutarchus in vita Romuli, & Dionysius lib. 1. certè Sallustius Romam agnoscit æuo Troianorum, quod longè ab æuo Romuli. Verba eius: *Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere à principio Troiani, & cum his Aborigenes.* Quæ verba ad hoc ipsum probandum aduocat Seruius Danielis, lib. 6. Aeneid. videsis illum. Et notabis Aborigines nominari à Sallustio *cultores Romæ*, sicuti etiam à Tertulliano. Schoppius putat optimè legi *cum indigitamentis*, & explicat libros Pontificales, qui Sterculo seruiebant, Gloss. *Indigitamenta*, βιβλία ἱερατικά.

4. INCIDERENTVR.] Non incommodè legi posset *indicerentur.*

4. CVM POST IMPERIVM, &c.] Nam Ro- 751. mani admiserunt turbam omnem Deorum, postquam potiti sunt rerum. Id satis supérque explicat Cyprianus de vanitate Idolorum. Lege & Prudentium lib. 2. in Symmachum ab eo loco,

Innumeros post deinde Deos virtute subactis
Vrbibus ex claris peperit sibi Roma triumphis:
Inter fumantes templorum armata ruinas,
Dextera victoris simulacra hostilia cepit.

Addit, *siue adhuc regnum*, nam priùs regnum fuit, Ro-

mulus quippe,& sequentes alij vsque ad Tarquinium, reges fuerunt. Itaque iam Reges fueratis, iam Imperatores, cùm religio profecit inualuitque apud vos: non ergo regnum vestrum, aut Imperium deputandum Diis.

752. 4. CVRIOSITAS SVPERSTITIOSA.] Hic velim capias *curiositatem* vulgari sensu: si quis tamen referat ad curiosas artes, non refragabor. Numa enim notatus est hoc genio fuisse, vt dæmonem, quem Ægeriam vocabat, haberet sui adiutorem. Valerius Max. lib. 1. cap. 2. *Numa Pompilius, vt populum R. sacris obligaret, volebat videri sibi cum Dea Aegeria congressus esse nocturnos, eiusque monitu accepta, Diis immortalibus sacra instituere.*

4. FRVGI RELIGIO, &c.] Prudentius 2. in Symmachum,

Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluisse Deos, rarisque sacellis
Contentum paucas posuisse in collibus aras.

Iuuenal.

Hanc rebus Latiis curam praestare solebat
Fictilis, & nullo violatus Iuppiter auro.

Ouidius in Fastis:

Iuppiter exigua vix totus stabat in Aede,
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.

Seneca de Consolatione ad Eluiam: *Quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis renidebant: itaque tunc per fictiles Deos religiosè iurabatur.* Hæc paupertas mansit in templis, *vsque ad deuictam Asiam*, vt inquit Plinius lib. 34.

753. 4. PAVPERES RITVS.] Arnob. lib. 6. *O vtinam liceret in simulacris alicuius medias introire pendigines! imò, ô si nunc liceret Olympicos illos & Capitolinos Ioues deducere in sua membra resolutos: omnésque illas partes, quibus summa concluditur corporum, discretas & singulas contueri!*

4. ET NVLLA CAPITOLIA CERTANTIA COELO.] Martialis,

Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quaque nitent cœlo proxima templa suo.

Et Silius lib. 3. apud quem Iuppiter prædicat de templo Domitiani,

Aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe,
Et iunget nostro templorum culmina cœlo.

Horat. lib. 3. Odarum.

--- flet Capitolium Fulgens.

Sidonius in Panegyrico Maioriani,

Et Regum aspicient Capitolia fulua catenas.

Ausonius in Encomio Narbonis,

--- postremus & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar.

Audi etiam Bassum declamatorem in Controuersijs apud Senecam patrem: *Fastigiatis suprà tectis auro fulgens prælucet Capitolium.* Et Dionysium lib. 6. Antiq. vbi ait: *Aram statuerant in summo vertice, in quo castrametati fuerant, quam à terrore, quo tunc correpti fuerant, lingua vernacula nominarunt* Διὸς Δειμαπου, *Jouis Terrifici.*

754. 4. TEMERARIA ALTARIA.] Ita dixit *temeraria altaria*, vt Apuleius lib. 9. *temerarium cachinnum*, dicit Heraldus. Hæc altaria βωμοὺς ἀυτοχεδίους, dixit Iamblichus lib. 1. Horatius Od. 11. lib. 2. *cur non iacentes sic temere.* Et *temeraria altaria* sunt, facta per violentiam & temeritatem & inconsiderationem, vt illud lib. 1. de Natura Deorum. *Quid enim est temeritate fortius?* Id est fortius inconsideratione & vehementia. Schoppius ex ms. reponit *temporaria.*

4. VASA ADHVC SAMIA.] Hadrianus Iunius lib. 2. Animaduersorum cap. 10. dicit *Samia vasa* esse quæ Cicero dixit Paradoxo 1. *Quid autem Numa Pompilius? minùs gratas Diis immortalibus capedines, ac fictiles vrnas fuisse, quàm filicatas aliorum pateras arbitramur?* Dixit (inquam) *caped nes*, nam Samia figlina erant, à luto eius insulæ fictilibus conuenientissimo. Inde apud Ausonium dicitur Agathocles Rex oneratse abacum *Samio luto*, fictiles lances intelligi cùm vellet. Et Galli Matris Deûm sacerdotes Samia testa virilitatem amputabant, vt lib. 35. dicit Plinius. Includit autem omne fictile in Samiis. Itaque hîc quadrat illud Ouidij 3. Fastorum,

Iuppiter exigua vix totus stabat in Aede,
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.

Et Propertius lib. 4.

Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat.

4. NIDOR EX ILLIS.] Gaspar Schoppius apponit ex ms. *nidor exilis.* Non caret lepore.

755. 5. QVIBVS MAGNITVDO DE IRRELIGIOSITATE PROVENIT.] Sic legendum proculdubiò, & antequam in Heraldo, & Iunio viderem hanc lectionem, ego iam in meo Codice posueram, ductus hoc Saluiani loco lib. 6. de Gubernat. *Quis enim existimare possit quid primum in his, de quibus diximus, accusandum sit, irreligiositas, an stultitia, an luxuria, an amentia. Totum quippe in illis est. Quid enim aut irreligiosius, quàm petere aliquid iniuria Dei: aut quid stultius, quàm quid petas, non considerare? aut quid tam perditi luxus, quàm in luctu res desiderare luxuriæ: aut quid amentius, quàm in malis esse, & malorum intelligentiam non habere?* Vt enim ibi Saluianus Treuiros vocat *irreligiosos*, quòd cladibus affecti, ludos tamen Circenses postularent; sic Tertullianus vocat *irreligiosos* Romanos, quibus omne patrimonium accessit ex irreligiositate Deorum. In aliis est, *quibus magnitudo de religiositate prouenit*, malè vt puto. Sed malè Schoppius, *eadem strages & mœnium & templorum.*

756. 5. TOT IGITVR SACRILEGIA ROMANORVM, &c.] Minut. *Toties ergo à Romanis impiatum est, quoties triumphatum: tot de Diis spolia, quot de gentibus & trophæa Igitur Romani non ideo tanti, quòd religiosi; sed quòd impunè sacrilegi.*

5. MANVBIÆ.] Spolia sunt manu capta, iactus etiam fulminum. Vide me 1. Æneidos. Fulgentius vult esse *manubias*, regum ornamenta, aduocato Petronio: *Tot Regum manubiæ penes fugitiuum reperta.*

5. ILLIS IMPERIVM SINE FINE DECERNVNT.] Fortasse alludit ad Virgilium,

Imperium sine fine dedi.

5. ADOLATIONES.] Veteribus olim vsitatum fuit *adolationes* dicere pro *adulationibus*, ex conuersione litterarum. Neque mirum est Tertullianum ex ingenio amante antiquitatem, in eam vocem erupisse.

757. 5. NIHIL SENTIVNT.] Vnicum elogiũ Deorum Gentilium, nam carent sensibus, iuxta illud Dauidicũ: *Os habent, & non loquuntur*, &c. Lactant. lib. 2. cap. 4. *His opimas & pingues hostias immolant, quibus est quidem os, sed carent officio dentium: his peplos & indumenta pretiosa, quibus vsus velaminis nullus est.* Et cap. 7. eiusdem libri: *Frustra igitur homines auro, ebore, gemmis Deos excolunt, & exornãt, quasi verò ex his rebus vllam possint capere voluptatem.* Idẽ scriptor lib. 6. cap. 13. *Deorum cultores simulacra insensibilia excolunt, & quicquid pretiosi habent in ea conferunt, quibus nec vti possunt, nec gratias agere.* Arnob. lib. 1. *Templa felibus, scarabeis, & buculis, sublimibus sunt elata fastigiis, silent irrisa numinũ potestates, nec liuore afficiuntur vllo, quòd sibi comparatas animantium vilium conspiciunt sanctitates.* Cassiodorus Tripartitæ Histor. lib. 9. cap. 27. *Reliquit vnum tantummodo simia simulacrum, iubens id publicè proponi atque seruari, ne sequenti tempore Pagani negarent, tales se adorasse Deos.* Posteà, *non potest fidei conuenire*, legit Schoppius *fides.*

CAP. XXVI. ARGVMENTVM.

Quòd ſolus Deus, cuius eſt orbis terrarum, regna contulit.

TERTVLLIANVS.

758. 1. VIDETE igitur, ne ille regna diſpenſet, cuius eſt & orbis qui regnatur, & homo ipſe qui regnat. Ne ille vices dominationum ipſis temporibus in ſeculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit, & ſeculum corpus temporum fecit. Ne ille ciuitates extollat aut deprimat, ſub quo fuit aliquando ſine ciuitatibus genus hominum.

EXPLICATIO.

1. DIſpenſator regnorum Deus eſt, *cuius eſt & orbis* qui regitur, *& homo* qui regit. Dominantium *vices* Deus ordinat, qui *ante tempus* ſeculum & tempus fuit, quod eſt *corpus temporum*, & in quo conſiſtit tempus. Ille ciuitates extollit aut deprimit, ſub quo fuit gens mortalis, adhuc cùm nullæ erant ciuitates.

759. 2. Quid erratis? prior eſt quibuſdam Diis Sylueſtris Roma: antè regnauit, quàm tantum ambitum Capitolij extrueretur. Regnauerunt & Babylonij ante Pontifices, & Medi ante Quindecimviros, & Ægyptii ante Salios, & Aſſyrii ante Lupercos, & Amazones ante Virgines Veſtales: poſtremò ſi Romanæ religiones regna præſtant, nunquam retro Iudæa regnaſſet deſpectrix communium iſtarum diuinitatum. Cuius & Deum victimis, & templum donis, & gentem fœderibus aliquandiu Romani honoraſtis, nunquam dominaturi eius, ſi Deo non deliquiſſet vltimò in Chriſtum.

2. Erratis profectò vos, nam Roma illa, cùm erat *Sylueſtris*, *prior* fuit *quibuſdam Diis*: & antequam ambitus ille *Capitolij extrueretur*, regnauit. Poſtea aſſumit quoſdam, qui ante Romam, ne ſomniatam quidem, floruerunt, vt inde eliciat Romanam religionem regna non dare. De his in Notis. *Retrò*, eſt, ante. *Si Deo non deliquiſſet vltimò in Chriſtum*, ſic concipio, ſi Deo non deliquiſſet delinquendo vltimò in Chriſtum, quia Iudæi deſerti tandem à Deo ſunt, propter Chriſtum cruci affixum. *Delinquere Deo*, eſt præcepta Dei tranſgredi: *in Chriſtum* verò, eſt peruicaciter in perſonam Chriſti delinquere, illum cruci affigendo.

NOTÆ.

760. 1. CORPVS TEMPORVM] Ita hoc dictum, vt à Capitolino in Maximinis: *Sed occiſo Alexandro, Maximinus primùm è corpore militari, & nondum Senator, ſine decreto Senatus, Auguſtus ab exercitu appellatus eſt.* Et Ammianus lib. 15. circa finem: *Rhodanus ſpumens Gallico mari concorporatur per patulum ſinum,* Et lib. 19. circa medium: *Inflabant itidem has malorum ciuilium buccinas potentes in Regia, ea re, vt damnatorũ petita bona ſuis accorporarent, eſſétque materia per vicinitates eorum latè graſſandi.* Sic Caſſianus cap. 2. Collationis 12. *Hoc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructum.* Idem lib. 1. cap. 3. *Corpus fraternitatis.* Eodem tenore Paullinus ad Iouium dixit: *Proinde ventos & omnia quæ intra mundum partes molis eiuſdem, & quaſi viſcera corporis ſint, non ad alterius regimen eſſe referenda.* Demum ſic Græci; nam Theodoritus cap. 9. lib. 5. dixit, *corpus eccleſiæ*, in Græco eſt σῶμα τῆς ἐκκλησίας.

2. SYLVESTRIS ROMA.] Ita appellat Romam, cùm nondum ea extaret, neque in molem erecta, ſed caperet oues & boues paſtura, Virg. in 8. Æn.

Hinc ad Tarpeïam ſedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim ſylueſtribus horrida dumis.

Propertius eleg. 1. lib. 4.

Hoc quodcunq; vides hoſpes, quàm maxima Roma eſt,
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.

Taceo infinitos, quos collegi in Æneidos lib. 8. tu videſis. Verum eſt tamen à Iuſto Rycquio cap. 1. de Capitolio ſcribi, abeſſe à veteri libro vox illa *Sylueſtris*, & locum ſic legit, *prior eſt Diis ſuis Roma.* Iuxta quam lectionem plenus eſt ſenſus de Roma illa, quæ hodie eſt.

761. 2. AMBITVM.] Arnobius lib. 1. ex Ioue loquens: *Cùmque illi auguſtiſsimas ſedes & Capitolia conſtituerimus immania.* Liuius lib. 1. de Capitolio: *Concepit animo* (Tarquinus Superbus) *eam amplitudinem Iouis templi, quæ digna Deùm hominumque Rege, quæ Romano imperio, quæ ipſius loci maieſtate eſſet.* Tacitus, 3. Hiſtoriæ: *Ea magnificentia Capitolium regium fuiſſe dedicatum, quam immenſa poſtea populi Romani opes ornarent potiùs quàm augerent.* Cæterùm amator antiquitatum hoc voluit. Veteribus enim indiſcreta hæc genera. Itaque illi, & *ambitus* & *ambitum*: præterea *Senatus*, & *Senatum*: & *gelu* & *gelum*, &c. De hac re copiosè ego in Virgilium.

2. PONTIFICES.] *Qui quidem lingua eorum ab vno opere quod faciunt* (inquit Dionyſ. lib. 2.) *pontem ligneum reficientes, Pontifices appellantur. Sunt autem maximarum rerum domini, etenim diiudicant ſacras omnes cauſas, priuatiſque, & magiſtratibus, & miniſtris Deorum.* Et latè exequitur illorum poteſtatem, conditionem, attributa.

2. MEDI.] Minutius: *Et tamen ante eos Deo diſponente diu regna tenuerunt Aſſyrij, Medi, Perſæ, Graci etiam, & Aegyptij, cùm Pontifices & Aruales & Salios, Veſtales & Augures non haberent.*

2. QVINDECIM VIROS.] Auguſtinus lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 4. inter vnum & quadraginta Varronis antiquitatum libros, enumerat tres qui ad homines pertinebant, vt primus eſſet de Pontificibus, ſecundus de Auguribus, tertius de XV. viris ſacrorum, ad quos haud dubiè hîc Tertullianus reſpicit. Hæc Pamelius, à quo & Iunius.

2. SALIOS.] Horum originem latè exſequitur lib. 2. Dionyſ. his verbis: *Sexta autem pars inſtitutionis circa diuina his diſtributa eſt, qui vocantur à Romanis Salij. Quos Numa ex patriciis creauit, iuuenes duodecim ſpectatiſsimos deligens, quorum ſacra manent in palatio, vocantúrque ipſi Palatini. Hi quidem Agonales, à quibuſdam verò Collini vocati Salij. Quorum quidem ſa-* 762.

crarium est in monte Collino, post Numam conditum ab Hostilio rege ex voto, quod idem bello Sabino nuncuparat. Hi autem Salij omnes saltatores quidem sunt, & laudatores armatorum Deorum. Mox ait, de sollemnitatibus eorum, choreis, succinctione, accinctione, etymo, & multis aliis, quæ ad rem faciunt.

763. 2. LVPERCOS.] Tractaui satis locum istum ad eum locum qui est lib. 8. Æneidos.

--- gelida monstrat sub rupe Lupercal.

Item ad illum eiusdem libri,

Hinc exultantes Salios, nudósque Lupercos.

Hîc adnota *Crepos* esse Lupercos; dicti sunt à crepitu plagarum, quæ obuij dabant.

2. AMAZONES ANTE VIRGINES VESTALES.] De Amazonibus satis fusè in Æneidem Virgilij: De Vestalibus, paucis. Scribit Dionysius lib. 2. initio tantùm quatuor constitutas à Numa, deinde sex factæ vsque ad sua tempora. Tertullianus lib. 1. ad vxorem sic scribit: *Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ cum ipso dracone curantes, de virginitate censentur.* Eadem retractat Augustinus. Vesta ignem figurabat.

2. DEVM VICTIMIS.] Scribit Iosephus lib. 2. cap. 16. Antiquit. (referente Heraldo) M. Agrippa Θεῷ ἑκατόμβην κατέθυσεν: *Deo Hecatomben sacrificauit:* cùm scilicet esset Hierosolymis inuitatus ab Herode.

2. FOEDERIBVS.] De hoc in libris Machabæorum abundè. Vvouerenius habet *aliquando ô Romani.* Postea euidentius multò est in ms. ex fide Schoppij, *si non vltimò deliquissent in Christum.*

CAP. XXVII. ARGVMENTVM.

Quòd dæmones incitent contra Christianos, gentes, quia licèt subÿciantur illis, sunt tamen serui contumaces.

TERTVLLIANVS.

764. 1. SATIS hæc aduersus intentionem læsæ diuinitatis, quòd non videamur lædere eam quam ostendimus non esse. Igitur prouocati ad sacrificandum, obstruimus gradum pro fide conscientiæ nostræ, qua certi sumus, ad quos ista perueniant officia, sub imaginum prostitutione, & humanorum nominum consecratione. Sed quidam dementiam existimant, quòd cùm possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus. Datis scilicet consilium, quò vobis abvtamur.

EXPLICATIO.

1. CVm igitur diuinitas hæc Deorum nulla sit, satis à me probatum est, nihil inquam nos peccare in læsam diuinitatem. Inde à vobi *prouocati* ad sacrificium, *obstruimus gradum*, & nolumus, ac continemus nos, certi ex conscientia nostra officia hæc peruenire non ad Deos sed ad dæmonas, qui latent in ista *imaginum* abominanda *prostitutione, & consecratione* hominum, quos vt Deos colitis. *Sed quidam*, &c. Appellamur tamen dementes, qui *cùm & sacrificare* tutò *possimus* dum iubemur, & sic nos eripere atque *illæsi abire* ab ista tormentorũ carnificina, tantum *proposito* apud nos fidei nostræ veræ *manente*, dicunt nos præferre *obstinationem saluti* nostræ. En *consilium, quò vobis abutamur*, decipiamúsque. Nam quid est, *abuti alio*, quàm illum decipere?

765. 2. Sed agnoscimus vnde talia suggerantur, quis totum hoc agitet, & quomodo nunc astutia suadendi, nunc duritia sæuiendi, ad constantiam nostram deiiciendam operetur. Ille scilicet spiritus dæmoniacæ & Angelicæ paraturæ, qui noster ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus, de mentibus vestris apud nos præliatur, occulta inspiratione, modulatis & subornatis ad omnem, quam in primordio exorsi sumus, & iudicandi peruersitatem & sæuiendi iniquitatem.

2. At consilium hoc vnde oriatur scimus Christiani, & qui vos instiget aduersum nos, blanditiis suasionis, iam tormentis excarnificationis. *Ille* (dico clarè) *spiritus* dæmoniaci & Angelici machinamenti, *qui noster* est *æmulus* ex diuortio, *& inuidus* ex Dei gratia; ille (inquam) *præliatur* aduersum *nos occulta inspiratione* de mentibus vestris *modulatis*, conspiratis, *& subornatis ad omnem iudicandi peruersitatem, & sæuiendi iniquitatem, quam* initio huius libri Apologetici *exorsi sumus*, dum primo & secundo capite latissimè Romanorum peruersa iudicia & aduersum nos, & sæuam iniquitatem persequuti sumus.

766. 3. Nam licèt subiecta sit nobis tota vis dæmonum, & eiusmodi spirituum, vt nequam tamen serui, metui nonnunquã contumaciam miscent, & lædere gestiunt, quos aliàs verentur; odium enim etiam timor spirat; præterquam & desperata conditio eorum ex prædamnatione solatium reputat, fruendæ interim malignitati de pœnæ mora. Et tamen apprehensi subiguntur, & conditioni suæ succidunt: & quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant. Itaque cùm vice rebellantiũ ergastulorũ, siue carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis seruitutis erumpunt aduersum nos, in quorum potestate sunt (certi & impares se esse, & hoc magis perditos) ingratis resistimus vt æquales, & repugnamus perseuerantes in eo quod oppugnant, & illos nunquam magis detriumphamus, quàm cùm pro fidei obstinatione damnamur.

767. 3. Dicit videlicet ſubiectos eſſe Chriſtianis dæmonas & ſpiritus immundos; & licèt ſic ſubiecti, vt eſt nequam ſeruorum conditio, cõſpirare illos aduerſum ſuos dominos, miſcere *contumaciam* & metum cõtra illos; geſtire illos *ledere, quos aliàs verẽtur*; timor enim, licèt faciat vt ſe deprimant, interdũ erumpere in apertum odium. Quid quod *deſperata eorũ conditio reputat ſolatium ex prædanatione*, qua ſe vident in imis Tartari flammis, & in hac mora pœnæ frui illos malignitate ſua, videlicet gaudio quo exultãt ob noſtra mala? Itaque apprehenduntur, *ſubiguntur, ſuccidunt* (à cado) miſerrimi *conditioni ſuæ*, & *de proximo obſecrant* nos, *quos* tamen *de longinquo oppugnant. Itaque cùm*, &c. Hoc loco *ergaſtula, carceres*, & *metalla* accipit pro ſeruis, qui ſunt in ergaſtulis, in carceribus, & metallis, ſicuti etiam *cuſtodia* dicitur de eo qui habetur in cuſtodia. Ergo ait, *erumpunt* dæmones contrà nos inſtar ſeruorum, qui ſolent ex ergaſtulis, ex carceribus, aut metallis, id eſt, fodinis, aliiſque eiuſmodi pœnalibus ſeruitutibus rebellare aduerſus ſuos dominos, nam illi ſunt in noſtra poteſtate, quibus nos obſiſtimus & *reſiſtimus* gratuitò, quia veluti æquales illis; omnino gratis, quia contra noſtrum decorum. Vide ſuprà cap. 4. *Et repugnamus* perſeueramuſque in acie, quaſi cum legitimo hoſte, & nunquã magis meliúſque de illis triumphamus, quàm cùm obſtinati ſumus vſque ad mortẽ. *Detriumphamus*, eſt, triumphamus cum augmento. Parentheſis reſpicit verbum *erumpo*. Perinde. Erumpunt vt ſerui in dominos, nam nequeunt aliter conari aduerſum nos; ſunt *certi ſe eſſe impares*, ac perinde ſe putant *perditos* perdendóſque à nobis: Quod ergo conſilium? Eruptio ſeruilis.

NOTÆ.

768. 1. INTENTIONEM.] In lib. de Pallio cap. 4. *Enimuero iam dubium cẽſoria intentionis epiſcynio diſperſo.* Et Apologet. cap. 46. *Conſtitimus, vt opinor, aduerſus omnium criminum intentionem, qua Chriſtianorum ſanguinem flagitant.*

1. OBSTRVIMVS GRADVM.] Ita in gladiatura. Inde aduerſus Marcionem, *de gradu pellere*. Et Præſcriptione aduerſus Hæreticos, *cedere de gradu*. Et Seneca de Conſolat. ad Polybium, *an in ſtatu & in gradu ſteteris*. Lucanus, ſiue quis ille, ad Piſonem,

Inque gradu clauſis libuit conſiſtere membris.

Similes locutiones præbet Lipſius lib. 2. Saturn. cap. 20.

1. PRO FIDE.] Alias *perfidiæ*, & ſic explicat Hoyus ad formulas Prouerbiales: *Anteuertimus ne perfidia irrepat mentibus noſtris*. Quod Cicero dixit, *obſtruere perfugia improborum.*

B 1. ABVTAMVR.] *Abuti aliquo* eſt, vti malè illo, & decipere. Quæ ſignificatio quadrat rei præſenti.

2. SVGGERANTVR.] In agone Macræ virginis (referente Heraldo) formula hæc extat, *Conſule tibi*, ſic enim inquiebant infideles virgini. Quandoque *miſerere tui*, vt extat in agone Vincentij. Euſebius lib. 4. Hiſt. cap. 15. in agone Germanici: χρὴ ἀκμαῖον ὄντα ἑαυτῷ λαζεῖν. Et in agone Polycarpi, αἰδέσθητί σου τὴν ἡλικίαν: *reuerere etatem tuam*. Tertullianus in Scorpiaco, cap. 11. *Ipſi denique præſides, cùm cohortantur negationi, ſerua animam tuam, dicunt*; &, *Noli animam tuam perdere*. Hæ ſunt ſuggeſtiones dæmonicæ.

769. 2. SVBORNATIS.] Ornatis & ad omnem malitiam inſtructis. Cicero, de Legibus 1. *Homo à natura ſubornatus in vitam venit*. Tertullian. de Præſcrip. aduerſus Hæretic. *Ipſæ denique hæreſes à philoſophia ſubornantur*. Ammonius Alexandrinus in Harmonia Euangelica: *Subornant tum Phariſæi diſcipulos, qui ſimulcum Herodianis ad Ieſum profecti, de tributo Cæſari pendendo interrogarent*. Rurſus: *Quod vbi reſciuerunt Iudæi, excogitato commento ſubornarunt pecunia, qui dicerent furtim IESVM è monumento noctu ſublatum*. Petronius in Satyrico: *Vltimò cinædus ſuperuenit myrtea ſubornatus gauſapina* (aliis gauſapila) *cingulóque ſuccinctus*.

3. SVBIECTA SIT NOBIS TOTA VIS DÆMONVM.] Cyprianus ad Demetrianum: *Quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus eiiciuntur*. Lactant. lib. 5. cap. 22. *Sic extorti & excruciati virtute diuini numinis exululant.*

3. VT NEQVAM TAMEN SERVI, &c.] Non abeſt à ſeruitute latrociniũ, quod illis dat Athanaſ. in vita Antonij: *Et quod in pectoribus malæ mentis & pauoris ſemen inuenerint, quaſi latrones qui deſerta obtinẽt loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam.*

A 3. PRÆTERQVAM ET DESPERATA.] Aliàs, *præterquam quòd deſperata.*

3. SOLATIVM REPVTAT, &c.] Hæc eſt conditio, vt putent, παραμυθίαν (verba ſunt Ioannis Chryſoſtomi orat. de Ira:) τὴν οἰκείας συμφορᾶς τὰς ἀλλοτρίους δυσημερίας: *alienam infelicitatem eſſe ſolatium propriæ calamitatis.*

3. FRVENDÆ INTERIM MALIGNITATI DE POENÆ MORA.] Pamelius habet *malignitatis*, ſed abſque dubio legẽdum *malignitati*. Cùm verò dicat, dæmones frui ex malignitate ſua noſtris pœnis, dũ illi morantur, expectantque ſuppliciũ, reſpicit fortaſſe ad locũ Epiſtolæ ſancti Petri, quem ita tractat Auguſtinus, lib. 11. de Ciuit. cap. 33. *Peccaſſe autẽ quòſdã Angelos, & in huius mundi ima detruſos, qui eis velut carcer eſt, vſque ad futurã in die iudicij vltimam damnationẽ, Apoſtolus Petrus apertiſsimè oſtendit, dicens, quòd Deus Angelis peccãtibus non pepercerit, ſed carceribus caliginis inferni detrudẽs tradiderit, in iudicio puniẽdos reſeruari.* Vbi reſeruari vides dæmonibus vltimam damnationẽ ad diẽ vſque iudicij. Ergo ait Tertullianus, dæmonas in hac mora pœnæ frui malignitate ſua, videlicet gaudio, quo exultãt ob noſtra mala. Poteſt etiã reſpicere ad locũ Apocal. cap. 16. vbi: *& deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eos: & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris*. Quem in locum vide nuperum Alcaſarem. Obſerua hîc verbum *fruor* dici hîc de re non bona: quo vſu verbũ ἀπολαύειν in Areopagitici epiſt. ad Demophilum: nam loquẽs de ſeruo illo, qui non remiſit debitũ ſuo conſeruo, ait, τῶν οἰκείων ἀπολαύειν. Ait ſcilicet, illũ debere frui crudelitate, qua vſus in conſeruum. Poſteà, *conditioni ſuæ ſuccidunt*, putat Schoppius ex ms. grauiùs legi & accuratiùs, *conditioni ſuæ parent & ſuccedunt.*

C 3. ERGASTVLORVM, &c.] Non dubiũ quin loquatur cum reſpectu ad Romanas hiſtorias, in quibus tritum eſt, ſeruiles homines ſæpe reuelaſſe: videndus Plutarchus in vita Craſſi, vbi cõſpirant homines πωμαγχθέντες, *vincti*. Et hi quidem ἐκ τινος ὀπωπανείου κοπίδας ἀράμενοι, καὶ ὀβελίσκους: *ſumptis cultris & verubus coquinariis ex popina quapiam*. Videndus eſt Salluſtius, apud quem ſe homines nihili Catilinæ adiungunt, ſcilicet *omnes vndique parricidæ, ſacrilegi, conuicti iudiciis*. Iuuenal. ſat. 6.

pueros omnes, ergaſtula tota.

Plin. lib. 18 cap. 3. ad finem: *Sed nos miramur ergaſtulorũ non eadẽ emolumenta eſſe, quæ fuerint imperatorum*. Et cap. 6. *Coli rura ergaſtulis, peſſimum eſt, & quicquid agitur à deſperantibus.* Tales itaque dæmonas, ait Afer: ſerui enim ſunt Chriſtianorum, & tamen reuelant. Ponit autem *ergaſtula*, pro hominibus vinctis in ergaſtulis, ſicut poſtea *metalla*, pro hominibus damnatis ad metalla. Ad hunc modum Martialis lib. 9. epig. 23.

781.

Et ſonet innumera compede Thuſcus ager,

Vbi *compedem innumerum* dixit, pro ſeruis innumeris

vinctis ad compedes. Ammianus lib.14. vocat, *seruos ergastularios*. Hîc *vice* est idem quod instar.

782. 3. INGRATIS.] Interpunctio Iunij indicat hunc locum ab eo non intellectum. Integra sententia est. Cùm instar rebellantium seruorum erumpant dæmones aduersum nos, in quorum sunt potestate, *nos ingratis restitimus vt æquales*. Id est, cùm sint nostri serui, restitimus omnino, & præter nostrum decorum, & ideo *ingratis*, q.d. Cũ seruis fustuario debuissemus agere, & ideo non æqua est pugna. Nihil autem ad rem A pertinet legas *ingratis*, aut *ingratiis*, est enim idẽ quod *gratuitò*, apud Sallustium, qui de Catilina, *ne per odium torpescerent manus, aut animus; gratuitò malus atque crudelis erat*.

3. OBSTINATIONE.] In bonam partem. Cyprianus de Habit. Virg. *Neque enim fas est virginem ad speciem famæ suæ comi, aut de carne, & eius pulchritudine gloriari; cùm nulla sit illis magis quàm aduersus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obstinata certatio.*

CAP. XXVIII. ARGVMENTVM.

Quòd gentes propriam religionem parui pendant, timentes magis Imperatorem quàm Iouem.

TERTVLLIANVS.

783. 1. QVONIAM autem facile iniquum videtur, liberos homines inuitos vrgeri ad sacrificandum (nam & aliàs diuinæ rei faciendæ libens animus indicitur) certè ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem Deorum, quos vltro sui caussa placare deberet, ne præ manu esset iure libertatis dicere, Nolo mihi Iouem propitium, Tu quis es? Me conueniat Ianus iratus ex qua velit fronte. Quid tibi mecum est? Formati estis ab iisdem vtique spiritibus, vt nos pro salute imperatoris sacrificare cogatis. Et imposita est tã vobis necessitas cogendi, quàm nobis obligatio periclitãdi.

EXPLICATIO.

1. HInc est vt vos pestifera dæmonis vis informet vt sacrificemus Cæsari, próque eius salute piacula Diis offeramus, quoniam *iniquũ* est Diis mortuis sacrificare, quoniã *ineptũ* est aliquẽ inuitũ cogi, *ad honorẽ* illi exhibendũ, cui possit *dicere, Nolo Iouem propitium, Tu quis es*, qui me cogis ad honorem Ioui præstandum? &, licèt *Ianus ex qua velit fronte* (cùm antè, & retro videat) me *conueniat*, & petat sacrificium, dicam illi, *quid tibi*, ô Iane, *est mecum*, qui Deus non es? Quamobrem vobis imposita est hæc necessitas ab ijsdem dæmonibus vt cogatis ad sacrificium Cæsaris, & nobis hæc *obligatio periclitandi*. Si pareamus, quippe miscent caussam suam cum caussa Cæsaris.

789. 2. Ventum est igitur ad secundum titulum læsæ augustioris maiestatis; siquidem maiore formidine, & callidiore timiditate Cęsarẽ obseruatis, quàm ipsum de Olympo Iouem, & mẽritò si sciatis. Quis enim ex viuẽtibus non cuilibet mortuo potior? Sed nec hoc vos ratione facitis potiùs quàm respectu repræsentaneæ potestatis, adeò in isto irreligiosi erga Deos vestros deprehẽdimini, cùm plus timoris humano dominio dicatis, citiùs denique apud vos per omnes Deos, quàm per vnum genium Cæsaris peieratur.

2. Sum igitur in altero titulo *læsæ maiestatis augustioris* quidẽ & diuinioris, quando apud vos in maiore pretio est læsa diuinitas Cæsaris quàm ipse Iuppiter *de* (in) *Olympo. Et meritò si sciatis*. Omnes enim viuentes potiores sunt quolibet mortuo Deo. Sed erga hunc Cæsarem vos repræsentanea maiestate ducimini, potiùs quàm ratione aliqua, hinc est vt *irreligiosi* sitis in ea affectanda, *cùm plus timoris dicatis esse humano dominio* sacratis. citiùs enim apud vos Dij omnes pessundantur quàm leuiter vnus genius dæmoniúmque Cæsaris falsò assumatur ad iuramentum.

NOTÆ.

790. 1. VIDETVR.] Aliàs, *videretur*, idq; habet Heraldus. A

1. FACIENDÆ.] *Facio* pro sacrificio tritum, Virg. Eclog. 3. *Cùm faciam vitula pro frugibus*. Apud Græcos, δρᾶν & ῥέζειν, pro eodẽ sumuntur. Athenæus lib.14. παλαιὸν τὸ θύειν δρᾶν ὀνόμαζον: *Veteres sacrificare dixerunt, facere*. Pindar. Od.10. Pythior. Θεῶ ῥέζοντας: *faciẽtes Deo*. Dio quoque lib.37. ποιεῖν, quod est etiã *facere* vsurpauit, ὑπὲρ τῦ δήμου ποιεῖσθαι, *sacrificare pro populo*. Plaut. Curculione, *Rem diuinam feci*. Ammian. lib.22. *Cùm Ioui faceret rem diuinam*. Varro lib. 1. Rusticorum. *Dij facientes adiuuent*, id est, operantes sacris.

a. SI QVIS AB ALIO COGERETVR AD HONOREM DEORVM.] Eusebius in vita Constãtini lib.2. cap.58. ἄλλο γὰρ δεῖ τὸν ὑπὲρ ἀθανασίας ἆθλον ἑκουσίως ὑπαιρεῖσθαι· ἄλλο τὸ μὴ πιθοῖς ὑπαναγκάζειν: *Aliud est enim certamen pro immortalitate sponte susciperе, aliud supplicis metu cogi*.

1. EX QVA VELIT FRONTE.] Prudent. in Agone Laurentij,

Ianum bifrontem, & Sterculum
Colit Senatus: horreo
Tot monstra patrum dicere,
Et festa Saturni senis.

2. VENTVM EST IGITVR, &c.] Non omittam elegantem locum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, in breuiario Hist. describentis Chosroëm regem in summo solio: Verba eius: ἐφ' ἑνὸς δὲ τῶν εὑρημάτων Χοσρόης ἑαυτὸν θεοποιήσας. ἐν τῇ τοῦ θεμελίου καθημένου ὡς ἐν οὐρανῷ ἀνεκήλωσεν. ἀστραπὰς καὶ Ἥλιον καὶ Σελήνην συγκατασκευάσας, ἀγγέλους περιεστῶτας ὑπτῷ, καὶ βροντὴν διὰ μηχανῆς ποιεῖν, καὶ ὕειν ὁπόταν θελήσειεν: *Horum in vno* (oppido imperator Heraclius) *Chosroïs simulacrũ reperit diuino habitu consecratum. Nam in huius tecto tanquam in cœlo quodam sedentem se collocauerat. Expressæ erant fulgurum, ac Solis, & Lunæ species, circumstante Angelorum turba. Præter hæc machina erat, qua fulmina cùm vellet, aut pluuias, mitteret*. Hoc habitu fuit Caligula, aut certè non dissimili; de quo Dio. Similes formas dabant sibi imperatores, vt Dij haberentur. 791.

2. CVILIBET MORTVO POTIOR.] Vvouerenius legit, *quolibet mortuo*. Et bene illud *repræsentaneæ potestatis*, explica potestatem repræsentandi proponendique pœnas contemptorum imperatoriæ maiestatis, vt alibi latiùs dicam. Sequitur, *plus timoris*, quasi dicat, plus religionis. Etenim timor & metus religionem signat. Damascius: θέαμα τοῦτο, καὶ φύσεως ἔργον σεμνὸν καὶ φοβερώτατον. οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ἀνὴρ, ὃς ἰδὼν οὐκ ἂν πληρωθείη σεβασμίου φόβου: *Spectaculum hoc & naturæ opus augustum & horrendum; nemo est quin conspicatus repleatur timore.* Lucanus lib. 6.

---superúmque sibi seruare timorem.

2. CITIVS DENIQVE APVD VOS, &c.] Minutius: *Et est eis tutius per Iouis genium peierare quàm Regis.* Suetonius in Claudio: *Iusiurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quàm per Augustum.* Horatius:

Iurandáque tuum per nomen ponimus aras.

Et *citius* ait, nam qui Deum peierasset, in eum nulla erat constituta pœna, tantùm notabatur à censoribus, vt eo rubore abstinerent, vt ait Cicero lib. 4. de Republica. Qui autem Principis vitam, grauissimè puniebatur. Vlpianus lib. 13. de Iureiurando: *Si quis iurauerit in re pecuniaria per Genium Principis, dare se non oportere, & peierauerit,* &c. *Imperator noster cum Patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei superdici,* περιπετῶς μὴ ὄμνυε: *petulanter ne iurato.* Est *genius* Cæsaris, dæmonium Cæsaris, vt ipse ait cap. 23. *Nescitis genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia?*

CAP. XXIX. ARGVMENTVM.

Dij nec Cæsarem nec alium iuuare possunt: quare meritò Cæsar magis honorandus quàm illi.

TERTVLLIANVS.

792. 1. CONSTET igitur prius, si isti quibus sacrificatur, salutem Imperatoribus, vel cuilibet homini impertiri possunt, & ita nos crimini maiestatis addicite. Si Angeli aut dæmones, substantia pessimi spiritus, beneficium aliquod operantur, si perditi conseruant, si damnati liberant, si denique (quod in conscientia vestra est) mortui viuos tuentur, iam vtique primo suas statuas, & imagines, & ædes tuerentur: quæ (vt opinor) Cæsarum milites excubiis suis salua præstant. Puto autem hæ ipsæ materiæ de metallis Cæsarum veniunt, & tota templa de nutu Cæsaris constant: multi denique Dij habuerunt Cæsarem iratum. Facit ad causſam, si & propitium, cùm illis aliquid liberalitatis, aut priuilegij confert. Ita qui sunt in Cæsaris potestate, cuius & toti sunt, quomodo habebunt salutem Cæsaris in potestate, vt eam præstare posse videantur, quam faciliùs ipsi à Cæsare consequuntur?

EXPLICATIO.

1. ID in primis statuatur, si illi possunt salutem imperatori, aut cuilibet mortali dare, id si est verum, *nos crimini addicite,* & reos facite. *Si Angeli & dæmones, pessimi spiritus* in *substantia*; aliquid *operamur* in salutem humanam, priùs certè ædes suas tuerentur, quas Cæsar & milites eius tuentur. Quid quòd ipsæ illorum *materiæ & templa, Cæsaris* voluntate & *nutu* fiunt? Demum *multi Dij* & numina *habuerunt iratum Cæsarem,* multi etiam Dij propitium. Quomodo ergo, si illi sunt *in potestate Cæsaris, salutem Cæsaris* habent?

793. 2. Ideò ergo committimus in maiestatem Imperatorum, quia illos non subiicimus rebus suis? quia non ludimus de officio salutis eorum, qui eam non putamus in manibus esse plumbatis? sed vos religiosi qui eam quæritis vbi non est, petitis à quibus dari non potest, præterito eo in cuius potestate est. Insuper eos debellatis, qui eam sciunt petere; qui etiam possunt impetrare, dum sciunt petere.

2. *Ideò ergo* & nos *committimus* crimen læsæ Augustæ maiestatis, quia Augustos *non subiicimus* idolis suis? Ideò irreligiosi quia nobis nullus est lusus de salute eorum, quia non putamus illam esse *in manibus* fultis plumbo? id est, non natura herentibus & viuis, sed arte ferruminatis & mortuis? *Vos* contrà *religiosi* estis, qui eam petitis à Diis, *præterito* illo qui potest dare: & nos insuper persequimini qui scimus *petere*; & adhuc *impetrare,* cùm petimus.

NOTÆ.

794. 1. ADDICITE.] Verbum iudiciorum ac fori, ac propterea à Sedato Episcopo datum iudici in Epist. ad Ruricium: *Apertè inuidet, abiectè fingit, seruiliter superbit, indicit vt dominus, exigit vt tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus, toto die à metu armatus, ab auaritia ieiunus, à cupiditate terribilis, à vanitate crudelis.*

1. QVÆ (VT OPINOR) CÆSARVM MILITES EXCVBIIS SVIS SALVA PRÆSTANT.] Dij quippe erant in furto, ideò obseruabantur à militibus. Extat Martialis epigramma in compilatorem Priapi lib. 6.

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum:
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacua manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

Iustinus Martyr epist. ad Diognetum: οὐ πολὺ μᾶλλον ἐκ τοῦ χλευάζετε καὶ ὑβρίζετε; τὸν μὲ λιθίνοις καὶ ὀστρακίνοις σίδηρον ἀφυλάκτου· τὸν δ' ἀργυρέους καὶ χρυσοῦς ἐγκλείοντες τοῖς νυξὶ, καὶ τοῖς ἡμέραις φύλακας παρακαθίσαντες, ἵνα μὴ κλαπῶσιν: *An non multò magis quàm illi irridetis & iniuria afficitis? dum lapideos quidem & testaceos veneramini, custodibus carentes: argenteos autem & aureos includitis noctu, ac interdiu custodes apponitis, ne furto auferantur?* Cyprianus ad Demetrian. *Sic illos laesos vltio vestra defendit, quomodo & clausos ne pereant tutela vestra custodit.* Allusit Cassiodorus lib.7. epist. *Nam quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela seruandi, quali & cura videntur affixi.* Sed clarè Ambrosius lib.2. de Virgin. *Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi Dij, nec abscondere quasi homines possunt?* Et Cyprian. ad Demetrianum: *Pudeat te eos colere, quos ipse defendis? pudeat tutelam de his sperare, quos tu ipse tueris?* Et suprà dixerat: *Si autem ijs quos colis maiores, non tu illos colere, sed ab ipsis potiùs coli debes, & timeri vt dominus.*

1. IRATVM, &c.] *Iratum*, & *propitium*, sermo est in hac re. Cicero pro Cælio: *Huic homini ego fortasse & pauci Deos propitios, plerique autem iratos putabunt.*

2. QVIA ILLOS NON SVBIICIMVS REBVS SVIS?] Cyprianus dicto loco: *Vel si quid tui numinis & potestatis est, ipsi in vltionem suam surgant, ipsi se sua maiestate defendant: aut quid praestare colentibus possunt, qui se de non colentibus vindicare non possunt? Nam si eo qui vindicatur pluris est ille qui vindicat, tu Diis tuis maior es.*

2. PLVMBATIS.] Fulcro plumbi interdum ferruminabantur statuæ, vnde *plumbatæ manus* sunt, quibus additum plumbum, ne hiscerent & soluerentur. Vnde Prudentius 1. in Symmachum loquens de duobus fratribus Castore & Polluce, 795.

---magnique triumphi
Nuntia suffuso fingunt vestigia plumbo.

Vide cap. 2. Apologetici.

2. RELIGIOSI.] Elegi hanc lectionem, quam habet Heraldus, & in quam Iunius inclinat. Pamelius habet *irreligiosi*, & ita est in ms. ex fide Schoppij.

CAP. XXX. ARGVMENTVM.

Imperatores à Deo esse, quorum salutem Christiani à Deo vero supplices petant, qui eam dare est solitus.

TERTVLLIANVS.

796. 1. Tim. 2. 1. NOs enim pro salute imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum; quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium, sciunt quà homines quis & animam. Sentiunt eum Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes Deos. Quidni? Cùm super omnes homines qui vtique viuunt, & mortuis antistant. Recogitant quousque vires imperij sui valeant, & ita Deum intelligunt; aduersus quem valere non possunt, per eum se valere cognoscunt. Cœlum denique debellet Imperator, cœlum captiuum triumpho suo inuehat, cœlo mittat excubias, cœlo vectigalia imponat: Non potest: ideò magnus est, quia cœlo minor est. Illius enim est ipse, cuius & cœlum est, & omnis creatura. Inde est Imperator, vnde & homo antequam Imperator; inde potestas illi, vnde & spiritus.

EXPLICATIO.

797. 1. LITTERA est perspicua, vnum aut alterum explicabo. *Sciunt quis illis dederit imperium*, &c. Cùm imperium principibus sit à Deo vero traditum, certè & ipse Deus est, quem pro eorum salute adorari atque inuocari oportet. *Sciunt quà homines*, &c. *Quà* sunt *homines* sciunt etiam se *animam* accepisse à Deo. *Cœlum denique*, &c. Non potest cœlum debellare, neque *captiuum* ducere in *triumpho*, neque illi *excubias* imponere & *vectigalia*; *non potest*, inquam, *quia* illo *est minor*, & ita *magnus*, solius enim cœli magnitudinem agnoscit. An ita amentem facies imperatorem, vt illum conari talia effingas?

798. 2. Illuc suspicientes Christiani manibus expansis quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus: precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum: quæcunque hominis, & Cæsaris vota sunt.

2. *Illuc* enim, id est, in cœlum *suspicientes Christiani precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus*, &c. Et hoc, *manibus expansis*, quia scilicet innocuæ sunt & puræ ab omni malo, quia tunc sumus in similitudinem crucis; *capite nudo*, vt qui *non erubescimus*, vt gentiles qui velato capite; *sine monitore*, qui nobis suppeditet nomina & potestates Deorum, & præeat verba & formulam precandi, quia tantùm *oramus de pectore*. Postrema verba hunc sensum habent, *quæcunque* sunt *vota hominis* cuiuslibet, eadem *sunt & Cæsaris*. Nihil petit Cæsar pro se, quàm quæ petit pro Cæsare quilibet hominum de vulgo.

799. 3. Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo me scio consequuturum, quo-

niam & ipſe eſt qui ſolus præſtat, & ego ſum cui impetrare debetur, famulus eius qui eum ſolum obſeruo, qui propter diſciplinam eius occidor, qui ei offero opimam & maiorem hoſtiam, quàm ipſe mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de ſpiritu ſancto profectam. Non grana thuris vnius aſſis, Arabicæ arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec ſanguinem reprobi bouis mori optantis, & poſt omnia inquinamenta etiam conſcientiam ſpurcam: vt mirer cùm hoſtiæ probantur penes vos à vitioſiſſimis ſacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipſorum ſacrificantium examinantur?

800. 3. *Qui ei offero opimam*, &c. Notanda verba peculiaria in hac re: *opimam* dicit *& maiorem*, pro ea quod eſt *opimam* & maximam, *quàm* ſcilicet *mandauit ipſe*, ea autem maxima hoſtia eſt, *oratio de carne pudica, de anima innocenti, de ſpiritu ſancto profecta.* Non enim ea opima & maxima hoſtia referenda eſt ad mortem, qua occidor, ſed ad orationem. Quia cùm plures maximæ ſint hoſtiæ in Eccleſia Chriſti, placuit Tertulliano ſic appellare *orationem*, in capite de Oratione. *Non* offero *grana thuris*, quæ ſunt propriè lacrymæ *Arabicæ arboris*, & pretium eius grani vnicum as: *nec duas guttas meri*; vtitur forma in hac re ſeruata: neque offero *ſanguinem bouis* moribundi, ac penè confecti, hoc enim eſt quod ait, *mori optantis*; & *reprobi* cùm dicit, nihil eſt aliud, quàm arcendi & reprobandi, cùm probantur hoſtiæ, vt enectus & tabidus. Reliqua clara ſunt.

801. 4. Sic itaque nos ad Deum expanſos vngulæ fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, beſtiæ inſiliant; paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani. Hoc agite boni præſides, extorquete animam Deo ſupplicantem pro Imperatore. Hîc erit crimen vbi veritas & Dei deuotio eſt.

4. Exhortatur præſides; vt omne genus carnificinæ in Chriſtianos exerceant, vnicè addictos ſaluti Imperatorum.

NOTÆ.

802. 1. NOS ENIM PRO SALVTE IMPERATORVM, &c.] In Concilio Chalcedon. Act. 4. ſic habetur: *ἵνα τῆς ἁγίας πίστεως σπειχθείσης, καὶ πάλιν διὰ τῶν ἁγίων, διωκοδομῆται ὁ ἐπίλοιπον χρόνον τῆς ζωῆς ἡμῶν σωφρόνως καὶ δικαίως ζῆν, καὶ εὐαρέστους εἶναι τοῖς συνήθεις καὶ ἀδιαλείπτοις εὐχαῖς αἴρεσθαι τῷ Δεσπότῃ Χριστῷ ὑπὲρ τῆς διαμονῆς τῆς αἰωνίου ὑμῶν κράτους, τῷ καὶ ἀφράστως τὴν ἰδίαν εὐδοκίαν χαρισαμένῳ ὑμῖν τὸ βασίλειον διηνεκέστατον Δεσπότου*: *Vt interim per ſanctos patres ſancta fide confirmata poſſimus reliquum tempus vitæ noſtræ caſtè & piè viuere, & in pace inceſſanter conſuetas orationes offerre Domino noſtro Chriſto pro diuturnitate æterni veſtri imperij, qui in ſua bona voluntate inuiſibiliter vobis donauit imperium diuiniſſimi Auguſti.* Aſpectat credo ad illud Timothei 1. cap. 2. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietem, & tranquillam vitam agamus in omni pietate & poteſtate.*

803. 1. ANTE OMNES ET SVPER OMNES DEOS.] Nota diligenter, particulam *ſuper*, hoc loco, & infrà, non eſſe idem, quod *ſupra*. Nam imperator nullum habet ius ſupra mortuos: ſed eſt idem quod ſuperior & maior: nam quilibet viuens antiſtat mortuis.

1. QVIDNI, &c.] Senſus eſt: Quidni imperatores ſint ſuper omnes Deos, cùm etiam ſint ſuper omnes homines? Atqui omnes homines, vt qui viuunt, antiſtant mortuis. q. d. Imperatores qui ſunt ſuper omnes viuentes, potiore iure erunt, ſuper omnes Deos, nam hi mortui ſunt.

1. ANTISTANT.] Verbum Ennij, quem Hieronymus citat in Epitaphio Nepotiani,

Plebes in hoc regi antiſtat loco, licet
Lacrymare plebi, regi honeſtè non licet.

Lucretius lib. 5.

Herculis antiſtare autem ſi facta putabis.

Mela lib. 2. cap. 5. *Sed antiſtat omnes Attacinorum Deumanorumque colonia.* Verba Fulgentij ſunt: *Antiſtare dicimus, præcellere.* Verum eſt in ms. Tertulliani legi *anteſtant.*

1. IDEÒ MAGNVS EST, QVIA CŒLO MINOR EST.] Cyrillus Alex. ad Theodoſium: *ἑρμηνεία δὲ τὸ ἀκρόδαστον τῆς οὕτω θεοφιλοῦς καὶ εὐαγγελικῆς ὑμῶν βασιλείας, αὐλὸς ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. οἱ γὰρ βασιλεῖς βασιλεύουσι, καὶ οἱ δυνάσται γράφουσι δικαιοσύνην, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἔστι γὰρ αὐτῷ παιδαγωγὸς τὸ θέλημα, καὶ ἐν τῷ καταπέτασμα μένων ἡ παῖς πλήρωσις ἀγαθοῦ*: *Supremum autem piiſſimi clariſſimi Imperij veſtri firmamentum eſt Dominus* IESVS *Chriſtus. Per hunc enim, vt ſcriptum eſt, reges regnant, & potentes decernunt iuſtitiam. Cuius voluntas eſt potentiſſima, omniſque boni, ſi ſolùm annuat, copia.* Themiſtius orat. 9. *οἶδας γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἀκριβῶς, ὅτι δεῖ μὲν καὶ θυμοῦ μέγεθος ἐνυπάρχειν τῷ βασιλεῖ, ἀλλὰ μέγαν ὄντα τὸν θυμὸν εὐήκοον εἶναι τῷ λόγῳ*: *Hoc enim optimè intellexiſſe videris, etſi ingentes in Principe animos ineſſe oporteat, tamen ingentes illos animos obedientes eſſe debere rationi.*

2. ILLVC SVSPICIENTES, &c.] Cum toto hoc loco cõgruit Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis agenda, cap. 5. *Nam & orantes de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt; quamuis eorum inuiſibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota ſit: nec ille indigeat his indiciis, vt humanus ei pandatur animus: ſed his magis ſe ipſum excitat homo ad orandum, gemendúmque humiliùs atque feruentiùs.* Dionyſius Areopag. de Diuinis nomin. cap. 3. *Ante omnem actum & in Theologia maximè, ab oratione nobis inchoandum eſt.* 804.

2. MANIBVS EXPANSIS, QVIA INNOCVIS.] Explicui in ſimilitudinem crucis; tunc enim ſunt innocuæ manus. Tertullianus lib. de Orat. cap. 11. ſignatè: *Nos verò non attollimus tantùm, ſed etiam expandimus, & Dominica paſſione modulamur.* Prudentius in Agone ſancti Fructuoſi, 805.

Nexus denique, qui manus retrorsus A
In tergum reuocauerant reuinctas,
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas
In morem crucis ad patrem leuandas:
Soluit brachia quæ Deum precentur.

Maximus Homilia 2. de Passione Domini: *Ipsius enim incessus hominis, cùm manus leuauerit, crucem pingit: atque eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citiùs nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Dixit *manibus expansis*, vt Virgilius 3. Æneidos,

Cœlo palmas cum voce tetendit.

Et Lucretius,

---pandere palmas.

Et Liuius lib. 5. *Dicitur manus ad cœlum tollens ita precatus.*

806. 2. CAPITE NVDO, QVIA NON ERVBESCIMVS.] Mos veterum, erant enim capite nudo, nisi cùm orarent. Plautus Curculione: *Quis est hic, qui operto capite Aesculapium salutat?* Curtius lib. 4. *Ille in candida verbenas manu præferens capite velato, præibat preces Regis.* Suetonius in Vitellio, cap. 2. *Idem miri in adulando ingenij, primus C. Cæsarem adorari vt Deum instituit, cùm reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato.* Etenim *caput velare*, in re superstitiosa fuit. Itaque Fabius lib. 5. cap. 1. *Ita neque illum probauerim, qui, cùm esset cruentus gladius eius ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subitò ex subselliis vt territus fugit, & capite ex parte velato, cùm adagentem ex turba prospexisset, interrogauit, an iam ille cum gladio recessisset. Fecit enim risum, & ridiculus fuit.* Sed & cùm oratur ad Deos id præcipuè ad morem pertinet. Verba Plutarchi sunt hæc in Rom. quæst. 10. τὸν δὲ Θεοὺς οὕτω προσκυνοῦσι, καταπεπονῶντες ἑαυτὸν τῇ σκιρύδει τῆς κεφαλῆς, μᾶλλον ὑλακούμενοί τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπρεπῆ καὶ δύσφημον: *Deos operto capite adorauerunt, vel quòd ea tectione animi demissionem ostenderent, vel potiùs verentes, ne qua vox mali ominis foris accideret.* Ergo ait, nos contrà sumus, oramus nimirum aperto capite, non operto. Et *quia non erubescimus*, inquit, se ipsum inferens in certamen. Enarrator Demosthenis in Olynth. 2. obseruat dici ab oratore ἡμετέραν εὐήθειαν, *nostram fatuitatem* non ὑμετέραν, *vestram*. Addit rationem διὰ τὸ ἐπαχθὲς, *quia odiosum*. Ergo Tertullianus, *non erubescimus*, & in reliquis seipsum intrudit, vt addat animos legentibus.

807. 2. DENIQVE SINE MONITORE, QVIA DE PECTORE ORAMVS.] Adducit Heraldus hæc Apuleij, lib. 6. *Per ego te frugiferam tuam dexteram istam deprecor, per lætissimas meßium cerimonias: per tanta sacra cistarum, miserandæ Psyches animæ supplicis tuæ, subsiste.* Atque hæc Senecæ verba, quæ in lib. de Superstitione sanctus Augustinus excerpsit: *In Capitolium perueni. Pudebit publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit officij. Alius nomina Deo subjecit, alius horas Ioui nuntiat, alius lictor est*, &c. Lipsius sic existimat legendum, non *numina*, sed *nomina*, tanquam Diis astiterint sui nomenclatores. Et ego illa Arnobij lib. 2. *Vt enim Dij certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates: neque eorum ab aliquo id quod eius non sit potestatis ac licentiæ, postulatis.* Vbi nomine *potestatis* hanc rem intelligit. Dicit autem *sine monitore*, vt Latinus Pacatus in Paneg. *Tiberis quondam hospitis monitor Aeneæ, mox Romuli conseruator expositi.* Et Symmach. lib. 3. Epist. 13. *Nullam certè Nestor tertiæ ætatis suæ militiæ vacationem poposcit, nec Achilli excusauit ætatis suæ frigus Phœnix monitor.* Stat. in Epicedio Patris lib. 5. Sylu.

Hinc tibi vota patrum credi, generosáque pubes
Te monitore regi.

Hic ergo *monitor* est ille, inquit Tertullianus, qui præibat formulam precandi, non aliter atque in bello tironibus quispiam præerat, quem *magistrum* vocauit Ælianus lib. 2. Hist. cap. 6. & *doctorem* Valerius Max. lib. 2. cap. 1. & *patres duros tironum.* Horat. lib. 1. Sat. 2. eo versu,

Sub patribus duris tironum.

Et demum *circumspectorem* Capitolinus in Maximino: & quidem *monitorem* Sallustius Iugurth. *Sumat aliquem monitorem officij sui.* Et Curtius lib. 3. *Monens* his verbis: *Ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen: vir viro, arma armis conserta sunt: ad nutum monentis intenti.*

2. PRECANTES SVMVS SEMPER PRO OMNIBVS IMPERATORIBVS.] Hoc etiam faciebant Gentiles. Martialis lib. 8. epig. 2.

Addas Iane, tuam, pater, rogamus.

B 2. VITAM ILLIS PROLIXAM, IMPERIVM SECVRVM, &c.] In Concilio Constantinopolitano, in litteris ad Theodosium: ὁ δὲ Κύριος σωτείρῃ σου τὴν βασιλείαν ἐν εἰρήνῃ καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ παραπέμψῃ ἡμέραις ἡμερῶν, καὶ καθεδεῖται τῷ ὑπηκόῳ κράτει, καὶ τῆς βασιλείας τῆς ἐπουρανίου τύχῃ ἀπόλαυσιν: *Dominus autem imperium tuum in pace & iustitia stabiliat, & producat in multas ætates, & generationes, atque ad terrenum imperium cœlestis quoque regni gaudium & fructum adijciat.* Theodoritus lib. 2. cap. 19. ἱκετεύοντες (scilicet οἱ ἐπίσκοποι) ὑπὲρ τῆς βασιλείας τε καὶ σωτηρίας καὶ εἰρήνης, ὡς ἂν θείοτης εἰς τὸ διηνεκὲς σοι χαρίσηται: *Orántque sedulo episcopi pro tuo imperio, salute, & pace, quam Deus tibi sempiternam benignus largiatur.* Eusebius lib. 4. de Vita Constantini cap. 45. οἱ δὲ μὴ διὰ τούτων χωρεῖν οἷοί τε, θυσίαις ἀνιμίοις καὶ μυστικαῖς ἱερουργίαις τὸ θεῖον ἱλάσκοντο, ὑπὲρ τῆς κοινῆς εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ, αὐτῆς τε βασιλέως, ὑπὲρ τοσούτων αἰτίου, παίδων τε αὐτῆς θεοφιλῶν ἱκετείοις εὐχαῖς τῷ θεῷ προσαναφέροντες: *Alij qui horum nihil poterant efficere, incruentis sacrificiis & mysticis obsecrationibus diuinum numen placabant, & supplices Deo preces pro communi pace, pro ecclesia Dei, ipsoque imperatore, harum præclarissimarum rerum auctore, quoque eius Deo charis liberis offerebant.* Iustinus Martyr in Apologet. ad Anton. *Pro inimicis oramus, & qui nos iniquo persequuntur odio, suasione flectere conamur, vt secundùm honesta vitæ præcepta, vitam agentes bonam, spem habeant eadem se nobiscum à Deo omnium dominatore præmia esse consecuturos.* 808.

C 2. EXERCITVS FORTES.] Cyprianus ad Demetrianum, *& tamen pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis, vel temperandis aduersis, rogamus semper & preces fundimus.* Arnobius lib. 4. *Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis*, &c. Dicit autem *fortes* sermone proprio, quod notat Heraldus, vt apud Vopiscum in Aureliano, *felices ac fortes exercitus Senatui, populóque Romano.* 809.

D 2. ORBEM QVIETVM.] Prudentius in Agone Romani,

Ductor quietum frænet orbem legibus.

3. SOLVM OBSERVO.] Heraldus legit *solus obseruo*, & recta, vt videtur, sententia.

3. OPIMAM ET MAIOREM HOSTIAM.] Hostiæ aliæ maiores, aliæ lactentes dicebantur. de maioribus, id est, maximis, est locus Ciceronis 2. Orat. in Rullum: *Erant hostiæ maiores in foro constitutæ, quæ ab his Prætoribus de tribunali, sicut à nobis Consulibus, de consilij sententia probatis ad præconem et ad tibicinem immolabantur.* Porro *maiores hostiæ* siue victimæ (sic enim licenter omnes vocant) erant tauri, nec enim 810.

nunc discrimen illud inter oues & tauros constituo. A Quod liquidum ex ipso Tertulliano, infrà, cùm ait: *Vt mirer cùm hostiæ probantur penes vos à vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipsorum sacrificantium examinantur.*

811. 3. ORATIONEM DE CARNE PVDICA, &c.] Eusebius lib.4. de Vita Constantini, cap.10. *Hunc homo procumbens inuoco, omnem sanguinem execrandum, & odores ingratos ac detestandos abhorreus, omnem terrestrem è sacrificio flammam fugiens: quibus omnibus turpiter pollutus nefandus & inexplicabilis error, multas gentes & omnes ferè nationes ad profundissima Tartari proiecit. Nam quæ huius vniuersitatis Deus ad humanæ prouidentiæ necessarium vsum benignitate quadam sua in lucem edidit, hæc ad cuiusque cupiditatem nullo modo partitur:* καθαρὰν δὲ μόνην διάνοιαν καὶ ψυχὴν ἀκηλίδωτον παρ' ἀνθρώπων ἀπαιτεῖ, τοῦ τῆς ἀρετῆς καὶ εὐσεβείας θεσπέσιος ἐν τούτῳ σωφρόνως: *Puram solummodo* B *mentem & animum ab omni labe vacantem ab hominibus flagitat, quibus ille virtutis & pietatis actiones ponderat.* Minut. *Hostias & victimas Domino offeram, quas in vsum mei protulit? vt reiciam ei suum munus. Ingratum est, cùm sit litabilis hostia, bonus animus, & pura mens, & sincera conscientia. Igitur qui conscientiam colit, Domino supplicat: qui iustitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt.* Plinius Panegyr. ad Traianum: *Animaduerte etiam Deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia & sanctitate lætari? gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castámque mentem, quàm qui præmeditatum carmen intulerit.* Prudentium hîc inferam, qui rem hanc venustè. Is igitur in Agone Romani,

Aedem sibi ipse mente in hominis condidit,
Viuam, serenam, sensualem, flabilem,
Solui incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus.

812. 3. NON GRANA THVRIS.] Plaut. Pœnul. Act.2. Scen.1.

Quiue vllum thuris granum sacrificauerit.

Ouidius lib.4. Fastor.

Detis & in veteres thurea grana focos.

Ipsum etiam thuris granum contusum & elisum dabatur, & tunc dicebatur *mica*. Ouidius 3. Tristium eleg.12.

Micáque sollemni thuris in igne sonet.

Et Plinius lib.12. cap.18. *Aestimentur posteà toto orbe singulis annis tot funera, aceruatimque congesta honori cadauerum, quæ Diis per singulas micas dantur.* Videndus etiam lib.2.Arnob. Quin & *thus tangere*, etiam si non in ignem mitteretur, pro idololatria habebatur. D Prudent. Hymno 3. sic ad Virginem Eulaliam:

Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis,
Thuris & exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis,
Pœna grauis procul abfuerit.

3. VNIVS ASSIS.] Non hîc sumas *assem*, vt continet illas vncias, & magni est ponderis: sed in alia significatione ærei nummi, de quo Horat. loquitur, lib.1.Sat.1.

Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.

813. 3. ARABICÆ ARBORIS LACRYMAS.] Doctè, nam thus solùm fert Arabia; vel, si alibi, Arabicum certè magnitudine & pulchritudine pollet. Tibull.eleg.2. lib.1.

Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
Quos tener à terra diuite mittit Arabs.

Est in Arnobio aliquid simile de lacrymis lib. 7. *Nam ne fortè ignoretis, quid aut vnde sit thus illud; viscum est è corticibus profluens, itaut ex amygdalo, cerato, lacrymabili distillatione coalescens.* Hac de re Græcis est prouerbium, πᾶν ὅλον Ἀραβίαν ἀποπνεῖν: *totam spirare Arabiam.* Festus, *Arabicè colere.* Seneca in Furente,

Arabésque odoris quicquid arboribus legunt.

Sed ego hac de re copiosè lib.2.Georg. ad illud,

Solis est thurea virga Sabais.

3. NEC DVAS MERI GVTTAS.] Est hoc quod Arnobius lib.7. dixit: *Vini exigui rorem super viuidam iecoris atque instillaueris prunam.* Quod enim hîc *vini exigui rorem instillare*: Noster, maiore emphasi, duas meri guttas. 814.

3. NEC SANGVINEM REPROBI BOVIS MORI OPTANTIS.] Elegi lectionem Heraldi, quâ & explicui; ea est enim in omnibus libris ante Pamelium excisis, & eam iuuat locus antehabitus Apolog. cap.13. *Non dico quales sitis in sacrificando, cùm enecta, & tabidosa, & scabiosa quæque mactatis.* At enim Pamelius mutauit *bouis* in *hominis*, refértque sententiam ad ea quæ dicta sunt cap. 9. Cui certè non fauet quod sequitur, *mori optantis*, nisi dicas, hominem illum optare mortem, priùs quàm in mortem miseram perueniat. Hinc autem abeat lectio Iunij legentis, *nec sanguinem reprobi bois mori optantis.* Nam esto Plautus Asinaria dicat,

Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias.

nihil efficiet, & solùm ostentandi ingenij gratia, id factum arbitror. Sunt qui legant ex ms. *reprobi bonis*, vt dicat, sanguinem hominis reprobati bonis omnibus, in datiuo, quia omnes boni cupiunt illum hominem abolitum iri.

3. CONSCIENTIAM SPVRCAM.] Non spurcam conscientiam, imò puram volebant sacra. C Suidas ex auctore incerto, γνησίῳ καὶ καθαρᾷ συνειδότι μετιχειζων τὰ περὶ τῶν Θεῶν: *Cultum diuorum pura & sincera conscientia administrans.*

3. VT MIRER CVM HOSTIÆ PROBENTVR PENES VOS, &c.] Probatio hostiæ in sacris sollemnis fuit. Plinius lib.8.cap.45. *Quamobrem probatio victimarum in vitulo, vt articulum suffraginis cõtingat, breuiore non litant.* Tacitus de Vitellio: *Concionanti (prodigiosum dictu) tantum fœdarum auium superuolitauit, vt nube atra diem obtunderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disiecto sacrificij apparatu, longè, quàm vbi feriri hostias mos est, confossus.* Liuius lib. 21. de Flaminio Consule: *Paucos post dies magistratum iniit, immolantique ei vitulus iam ictus è manibus sacrificantium sese cùm proripuisset, multos circumstantes cruore respersit. Fuga procul etiam maior apud ignaros quid trepidaretur, & concursatio fuit: id à plerisque in omen magni terroris acceptum.* 815.

4. SIC ITAQVE NOS, &c.] Vide seriem tormentorum, quibus affligebantur Christiani. Minutius: *Ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, & iam non adoranda, sed subeunda cruces: ignes etiam, quos & prædicitis, & timetis.*

4. EXPANSOS.] Dicunt hoc *extendere*. Eusebius Gallicanus Episcop. Homil.11. de Pascha: *Improbam dexteram vetitæ arbori importunus ingessit, extendamus pro illo innocentes in cruce manus.* Et Homilia de sancto Latrone: *Sacrarum manuum in lignum crucis extensio, & reuerenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Euæ manus ad interdictum ligni cibum ingeniscenda seculi trangressione porrectas*: Ruffinus lib.3.in vitis Pat.cap.207. *Extendere manus.* Et adhuc *expansos*, cum similitudine crucis Christi: ita enim solitus stare Pachomius, vt in eius vita testatur Dionysius Exiguus: *Consueuerat autem stare in oratione, manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minimè colligebat, sed extensione diutina, veluti cruce confixum corpus retinebat immobile, & sic animum suum ad vigi-* 816.

landum in precibus excitabat. Cassianus cap. 7. cap. 2. *Ac rursus erecti expansis manibus eodem modo quo prius stantes orauerant.*

817. 4. VNGVLÆ FODIANT.] Suspensos in equuleo vngulæ (ferramenta bifida, vt animalium) fodicabant. In vita Theodori, quæ legitur Nouemb. *Vngulis excarnificatus dum costa nudarentur.* In vita Priscæ nobilissimæ Virginis Romanæ, quæ celebratur 18. Ian. *In ergastulo trium dierũ inedia afflicta in equuleo suspenditur, & vngulis ferreis excarnificata in rogum injicitur.* In vita sancti Epicteti Martyris, ipsum Epictetum & Beatum Astionem: *Latronianus iussit eos in equuleum leuari, & fortiter vngulis ferreis radi.* Valerianus Epis. Homil. 16. *Quare autem ille flammas non securus aspiciat, aut quare tortoris vngulas expauescat, quem tam pretiosa gratia remunerationis exspectat?* Prudent. hymno 3. περ. στεφ. ad Virginem Eulaliam:

Et latus vngula virgineum
Pulsat vtrinque.

Quin in faciem inuolabant vngulæ, & eam fodiebant. Idem in Agone Romani,

Charaxat ambas vngulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis.

Iniustè aliqui confundunt cum *laminis*. hæ enim tantùm erant ferreæ velut crustæ, quæ candefactæ admouebantur corpori noxiorum. Prudent.

Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle venas exedit.

818. 4. CRVCES SVSPENDANT.] An significet *clauis*, an *funibus* in dubio sum. Certè, *funibus alligare* iam Lipsius monuit lib. 2. de Cruce cap. 8. Ausonius Cupidinem facit,

Deuinctũ post terga manus, substrictáque plantis
Vincula mœrentem.

Et Artemidorus lib. 2. cap. 58. σταυροῦσθαι αἰδοῖ ἀγάμῳ, γάμον προπαροξύει διὰ τὸν δέσμον: *Crucifigi viro cœlibi, nuptias designat, ob ligaturam*, quia scilicet ligno iungitur copulaturque. In Agone Andreæ iussit Abdias *quæstionarijs vt ligatis manibus et pedibus, non clauis affixus, suspenderetur, quo diutino cruciatu deficeret.* Metaphrastes de Philippo Apostolo: *Flagris cædunt & verberant, deinde cùm funibus à talis vinxissent, sublimem suspendunt præcipitem.*

819. 4. IGNES LAMBANT.] Notetur proprietas verbi. Crucifixis enim ignis apponebatur, vt lamberet, & sic diutino cruciatu perirent. Hac de re Lipsius lib. 3. de Cruce cap. 10. Cicero ad Q. Fratrem lib. 1. epist. 2. *Quid opus fuit eiusmodi litteris, quas ad ipsum misisti? Illum crucem sibi constituere, ex qua tu eum antè detraxisses: te curaturum fumo vt comburatur, tota plaudente prouincia.* Verba Quincti & minæ eò spectant, vt homo in cruce fixus vsturetur fumo. Lampridius etiam in Alex. narrat quendam sic affectum quasi compare pœna: *Ad stipitem ligari præcepit, & fumo appositio, quem ex stipulis & humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente, Fumo punitur qui vendidit fumum.* In Agon. Pionij martyris: *Confixus clauis in cruce aggestis lignis, flamma combustus est.* Eusebius lib. 4. cap. 15. μελλόντων δ' αὐτὸν καὶ προσηλοῦν, εἶπεν, ἄφετέ με οὕτως. ὁ γὰρ διδοὺς ὑπομεῖναι τὸ πῦρ, δώσει καὶ χωρὶς τῆς ὑμετέρας ἐκ τῶν ἥλων ἀσφαλείας, ἀσκύλτως ὑπομεῖναι τὴν πυρᾶ· οἱ δ' οὐ κατήλωσαν, προσέδησαν δ' αὐτόν: *Cùm pararent eum cruci suffigere, dixit: Relinquite me sic, qui enim dedit exspectare ignem, dabit & sine vestra clauorum firmitate solutum manere rogo. Illi autem non fixerunt eum, sed liganerunt*: vbi sermo est de Polycarpo. Inuenio & in Vulcatio hoc genus tormenti, sic enim in Auidio Cassio: *Nam primùm milites, qui aliquid prouincialibus tulissent per vim, in illis ipsis locis in quibus peccauerant, in crucem sustulit. Primus etiam id supplicij genus inuenit, vt stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id est, materiam; & à summo vsque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incensisque alijs alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret.* Et in Nicephoro Constantinopolitano quidpiam est simile. Ita enim de quodam, μετεώρεσιν χοινίοις αὐφρῶν καὶ ἀπύρεσις πειρατηρίων: *quos sublatis funibus extentos stipularum fumo cruciabat.* Et in vitis Pat. lib. 3. cap. 200. Ruffinus sic ait: *Ligantes eos* (scilicet Sarraceni monachos) *pedibus suspenderunt, multisque iniurijs afflictos, ad extremum focum subtus eos de herbis amarissimis congesserunt, vbi incredibiliter cruciati, lumen oculorum ex amaritudine fumi amiserunt.* Et Augustinus in Ioannem: *Non occisus est citò, sed cruciatus est in igne, diu vinere permissus est, imò non diu viuere permissus est, sed tardè mori compulsus est.*

820. 4. BESTIÆ INSILIANT.] Saltus proprius bestiarum. Homerus 17. Iliad. ἀγλαὸν ἐμβήμονα, dicit de Leone. Et Cyrillus Alex. Homil. 8. de festis Paschalibus: πῶλον ἀπήκτοις ἀναπιδῶντα σκιρτήμασι: *Pullum temere saltibus lasciuientem.* Et Virg. lib. 9.

Vt fera, quæ densa venantum septa corona
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injcit, & saltu supra venabula fertur.

821. 4. PARATVS EST AD OMNE SVPPLICIVM IPSE HABITVS ORANTIS CHRISTIANI.] Hunc habitum mirè describit Eusebius in vita Constantini lib. 4. cap. 15. Ipse enim princeps: ἑστὼς ὀρθὸς ἐχάφετο, ἄνω μὲν εἰς οὐρανὸν ἐμβλέπων· τὼ χεῖρε δ' ἐκπεπταμένος, εὐχομένου σχήματι: *Erecto statu pingebatur, sursum in cœlum contemplans, & precantis forma sursum manus tollens.* Cæterùm Benedictus Fernandius vnus è Nostris locum hunc ita legit: *Paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani: præsto sum, necte & plecte, si vis, aut certè miserere.* Et addit, sic Tertullianus. Vnde patet, illum aliquem codicem nactum, vnde scripserit ea verba, *præsto sum, necte*, &c. Nisi dicas ictum hominem feruore dicendi.

822. 4. HOC AGITE.] Forma veterum fuit, *hoc age*: de qua iam ego in Æneide. Hîc adiicio Tertullianum lib. 4. Aduers. Marcion. *vt dici solet, ad quod venimus, hoc age.* Et Plutarchum in Coriolano: ὅταν δ' ἄρχοντες ἢ ἱερεῖς παρέλθωσι τὴ τῶν θείων, ὁ κῆρυξ παύσει μεγάλη φωνῇ βοῶν (οὐκ ἄγε) σημαίνει δ' φωνὴ, τοῦτο παρέλθε, παύσειν κελεύουσα τοὺς ἱερεῖς, καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξὺ, μηδὲ χρείαν ἀσχολίας: *Quando namque principes aut sacrificii rei diuinæ operantur, præco accedens alta voce exclamat, Hoc age, quod sonat, Hoc fac. Quo dicto iubentur sacris esse intenti, nec interim operis alicuius fatagere, aut negotium suscipere.*

4. VBI VERITAS.] Prudentius in Agone Romani,

Desiste, iudex seculi, tantum nefas
Viris iubere, fortibus & liberis,
Nil est amore veritatis celsius.

Eusebius in vita Constantini lib. 1. cap. 11. τὸν δ' ἐκ τῆς ἀληθείας μαρτυρηθέντας Θεοῦ ἄξιους. Et Prudent. iterum Hymno 1. περ. στεφ. *Veritas crimen putatur.*

CAP. XXXI. ARGVMENTVM.

De oratione pro inimicis, & Principibus.

TERTVLLIANVS.

823. 1. ADVLATI nunc ſumus Imperatori, & mentiti vota quæ diximus, ad euadendam ſcilicet vim. Planè proficit iſta fallacia: admittitis enim nos probare quodcunque defendimus. Qui ergo putas, nihil nos de ſalute Cæſarum curare, inſpice Dei voces, litteras noſtras, quas neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt. Scito ex illis præceptum eſſe nobis, ad redundantiam benignitatis, *Matth. 6.* etiam pro inimicis Deum orare, & perſequutoribus noſtris bona precari. Qui magis inimici & perſecutores Chriſtianorum, quàm de quorum maieſtate conuenimur in crimen?

EXPLICATIO.

1. DICES nos adulari Imperatori, ſed vt euadamus *vim*. Video hac ratione, vobis proficere iſtam fallaciam, quando admittitis noſtram probationem. *Qui* autem iſta & ita *putas*, vt videas, nos minimè adulari, ecce in noſtris libris eſt, vt oremus pro noſtris hoſtibus, nam hæc eſt noſtra bonitas pro perſecutoribus noſtris *orare*. *Conuenimur* autem *in crimen*, eſt, accuſamur.

824. 2. Sed etiam nominatim atque manifeſtè: Orate, inquit, pro regibus, & pro prin- *1. Tim. 3.* cipibus, & poteſtatibus, vt omnia tranquilla ſint. Vobiſcum enim concutitur imperium, concuſſis etiam cæteris membris eius: vtique & nos (licèt extranei à turbis æſtimemur) in aliquo loco caſus inuenimur.

2. Nec ſolùm pro inimicis, *ſed nominatim pro regibus* iubemur orare, *vt tranquilla ſint omnia*. Nonne & mundus concutietur, *concuſſis* vobis qui præfecti eſtis mundo? Tunc enim nos & aliqua fortuna elidet proculdubio, *licèt* à vobis *extranei* iudicemur, neque eiuſdem ſectæ & opinionis.

NOTÆ.

825. 1. ADVLATI.] Adulatorum mores pro effugienda vi clari ſunt, quos *decreſcere* ait Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 11. vide ibi elegantem locum. Arnobius lib. 7. *Tum deinde ſalutet acclinis, ancillulæ aut ſeruuli pauibundas tripidationes imitatus.* De Stephano dixit Demoſthenes accuſatione prima: ἅτε γὰρ νῦν μὲν σωφρονεῖν ἐυτυχεῖν Αεισολόχῳ τῷ τραπεζίτῃ, ἅμα βαίνων ἐξάδιζεν ὑποπεπωκὼς ἐκείνῳ: *Hic enim cùm res Ariſtolochi florerent, eum aſſectabatur, & continuis atque æquis paſſibus comitabatur, ei ſeſe demittens & ſubiiciens.* Nicetas Choniates in vita Andronici, lib. 2. cap. 7. ἔνδον τοι ἡ ἐκκλησιάσας, τὸ φίλιον ἐκείνῳ σύστημα, ἢ τῶν δημοσίων ὁπόσοι χρημάτων ὦσιν, ἢ τῷ βασιλικῷ ἀφιππεύοντες τράπεζαν, καθάπερ οἱ γύπες τὰ θνησιμαῖα: *Itaque amicorum & mercenariorum iudicum concilio coacto, qui menſam Imperatoriam, vt vultures cadauera, conſectabantur.* Quin ipſa reges adulatio euertit. Vide Gruterum in Notis ad Paroemias.

826. 1. AD EXTRANEOS TRANSFERVNT.] *Extranei* ſunt in hoc Auctore ſæpe, non eiuſdem ſectæ homines, & ipſi Gentiles. Apolog. 7. *Si ergo non ipſi proditores ſui, ſequitur vt extranei, & vnde extraneis notitia?* Inde in lib. de idololatria cap. 14. opponit pro gentilibus extraneos, & pro Chriſtianis fratres. Sic enim ait: *Quòd ſi nobis nullum ius eſt communionis in eiuſmodi cum extraneis, quàto ſceleſtius eſt hæc inter fratres frequentari?* Et alibi ſæpiùs: ſic contrà reſpectu Gentilium & ipſi Chriſtiani, de quo poſteà, *Licèt extranei à turbis æſtimemur.* Ait *transferunt*, quia multa è noſtris ad Gentiles peruenerunt, cuius rei ſeges magna in Eugubino.

1. SCITO.] Cum hoc ſtat *admittitis*. Etenim Afri ſcriptores his mutationibus libenter aſſueuerunt: quod Heraldus efficit vno Apuleio, qui lib. 1. ſic ait: *Quid tam magnis pretiis piſces friuolos venditatis, & florem Theſſaliæ regionis inſtar ſolitudinis & ſcopuli edulium caritate deducitis?*

1. REDVNDANTIAM BENIGNITATIS.] In Philone videmus φιλανθρωπίαν, in lib. de Humanitate.

1. PRO INIMICIS DEVM ORARE.] Habentur hæc Matthæi 6. in orat. Dominica.

1. CONVENIMVR IN CRIMEN.] Apologetici 10. *Itaque & ſacrilegij & maieſtatis rei conuenimur.*

2. SED ETIAM, &c.] Libenter ſequor Puteanum hanc partem annectentem ſuperiori capiti.

2. PRO REGIBVS ET PRINCIPIBVS, &c.] Paulus 1. Timoth. 2. ita ait: *Pro regibus & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.*

CAP. XXXII. ARGVMENTVM.

Quamobrem Christiani orent pro Romano Imperatore, & iurent.

TERTVLLIANVS.

827. 1. EST alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu imperij, rebúsque Romanis, quòd vim maximam vniuerso orbi imminentem, ipsamque clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem, Romani imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus.

EXPLICATIO.

1. NOBIS qui imbuti sumus mysteriis Dei, noua adhuc caussa accedit, cur debeamus orare pro incolumitate Romani imperij, atque eius Imperatoris; scimus enim ex nostris litteris Antichristum tunc futurum, cùm cesset Romanum Imperium. Itaque clausula illa toti orbi imminens cum pernicie & horrendis calamitatibus tunc aderit, cùm cesset commeare & procedere Romanum Imperium. Quamobrem cùm securi simus harum calamitatum ipso stante imperio, necessariò eius *diuturnitati fauemus.*

828. 2. Sed & iuramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis. Nescitis genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia? Nos iudicium Dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id enim in eis scimus esse, quod Deus voluit: ideo que & saluum volumus esse quod Deus voluit, & pro magno id iuramento habemus. Cæterùm dæmonas, id est, genios, adiurare consueuimus, vt illos de hominibus exigamus; non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.

2. Dicit Christianos iurare *non per genios Cæsarum*, nam hoc est iurare per dæmonia; sed *per salutem* Cæsarum, quæ augustior & sanctior est. Clarissima hæc sunt. *Adiurare*, est, exorcizare: *deierare* autem est, diuinum nomen cum honore tractare in iuramento.

NOTÆ.

829. 1. QVOD VIM MAXIMAM.] Heraldus ex veteri libro legit, *Qui vim maximam.*

1. CLAVSVLAM.] Tertullianus aduers. Gnosticos loquens de præcursore Domini: *Ipse clausula legis, & Prophetarum, nec Prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellæ saltica lucar.* Dicit *lucar*, quia *lucar* erat merces saltatorum & histrionum. & lib. de idololatria cap. 9. *Nam & thus illud, & myrrham, & aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis & gloriæ secularis.* Lucifer Calaritanus in opere de non parcendo delinquentibus, *clausulam orationis* appellat, quæ est instar Epilogi.

830. 1. ROMANI IMPERII COMMEATV SCIMVS RETARDARI.] Alludit ad locum Pauli ad Thessal. cap. 2. epist. 2. inquit enim Paulus, *Nam mysterium iam operatur iniquitatis, tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus.* Vbi sententia est, iam nunc Neronem operari mysterium iniquum Antichristi, vt qui nunc tenet fidem, teneat, donec de medio fiat exigatúrque; tunc enim reuelabitur Antichristus. Sic clanculum Paulus Antichristum designauit: ad quem alludit hîc Tertullianus, vt aliàs sæpe, præsertim de Resurrect. Carnis cap. 24. vbi: *Iam enim arcanum iniquitatis agitur: tantùm vt qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis? nisi Romanus status, cuius absessio in decem reges dispersa Antichristum superducet, & tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit apparentia aduentus sui.* Sic etiam intellexit locum Pauli Hieronymus in epist. ad Algasiam, Chrysostomus, Ambrosius, & reliqui omnes. Ego hîc vnius Methodij Patarensis Episcopi adducam verba, qui etiam consentit Tertulliano. Is igitur ita ait, postquam subiicit epistolam Pauli: *Quid igitur est de medio tolli, nisi Romanorum imperium? Omnis enim principatus & potestas destruetur absque hoc. Nam ab hoc expugnantur & superantur omnia regna, quia & omnes gentes, quæ cum eo confligunt, conterentur & consumentur ab eo, & obtinebit, donec vltima eius hora præueniet manus eius cum Deo.* Quibus ait, imperium Romanum duraturum vsque ad orbis clausulam. & infrà post multa: *Et cùm hic apparuerit filius perditionis, ascendet tunc Rex Romanorum sursùm in Golgota, in quo confixum est lignum sanctæ Crucis,* &c. *Et ipsa crux incipiet apparere ante eum in aduentu ipsius, ad arguendam perfidiam infidelium:* &c.

831. 1. COMMEATV.] Florescente Romano Imperio, commeantéque prosperè. Cyrillus Alexand. de festis Paschalib. Homilia 7. ἰδοὺ, ποταμίοις νάμασιν ὅλην ἐπέκλυσε τὴν γῆν· ἰδοὺ, τῆς συμφόρου χορηγίας δι' ὑπερβολὴν ἀπόλαυσιν ἁμαρτάνουσιν ἔτι χαίζουσι: vertit Antonius Salmatia. *Ecce fluuialibus vndis vniuersam tellurem irrigauit, ecce abundantiorem quàm solitus sit, commeatum adhuc peccantibus largitur.* Vbi quod Latinè est, *commeatum*, Græcè habet, ἀπόλαυσιν, quod est *fruitio*, & *delicia*. Paulinus, epist. ad Pammachium: *Ideo Dauid viuente filio fleuit, defuncto gratulatus est: quia spirantis adhuc commeatum poterat precibus & lacrymis impetrare*: id est, ἀπόλαυσιν.

832. 2. GENIOS CÆSARVM.] Cauebant Christiani ab hoc iuramẽto, dicente Apuleio, de Deo Socratis: *Iusiurandi honor proprius est summi Dei.* Per *genios* autẽ iurare, est quod græci dicũt τὴν τύχην. Euseb. l. 4. hist. c. 15. in Agone Polycarpi, ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην: *iura per*

Cæſaris genium. Apuleius autem vtrunque coniungit lib. 8. *Per fortunas veſtroſque genios.* Origenes contra Celſum lib. vltimo, modò τύχω vſurpat, modò δαίμονα. Plura his Heraldus. Seneca epiſt. 12. *Iurat per Genium meum ſe omnia facere, in nulla re ceſſare curam ſuam.* Apuleius lib. 9. *Genium Principis contendebant.* Lactantius lib. 2. cap. 19. *Soli ſpiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur: itaque omnia inſidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent. Adhærent enim ſingulis hominibus, & omnes hoſtiatim domos occupant, ac ſibi Geniorum nomen adſumunt. Sic enim Latino ſermone dæmonas interpretantur.* Horatius ſic,

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Iurandáſque tuum per numen ponimus aras.

Et Martialis lib. 7. epigram. 11.

Ludimus innocuis verbis, hoc iuro potentis
Per Genium Famæ, Caſtalidumque gregem.

853. 2. PER SALVTEM EORVM.] Licitum erat Chriſtianis iurare, non per Genium Cæſaris, ſed per ſalutem, quod non tam eſſe iuramentum Magnus Baſilius in pſal. 19. notat, quàm genus quoddam obteſtationis, quo auditorum animi conciliarentur. Ait enim εἰσὶ δέ τινες λόγοι, ῥήματα μὲν ὅρκων ἔχοντες, οὐχ ὅρκοι ὄντες, ἀλλὰ διαβεβαίωσις πρὸς τὸν ἀκούοντας: *Sunt autem quidam ſermones, ſpeciem quidem iuramenti habentes, qui tamen non ſint, ſed obteſtatio ad eos qui audiunt.* Et aduocans Ioſephi plures, cùm erat in Ægypto, tunc hunc, νὴ τὴν ὑγείαν ὀμνὺς Φαραώ: *Iurabat per ſalutem Pharaonis.* Compluria Heraldus. Quid Iuretus in Symmachi epiſtolam 55. lib. 3. Millies adducit hanc ſalutem publicam, aitque ideo iuratum per illam, & citat Tertullianum & Arnobium lib. 4. in fine. Salus enim principis cùm priuatorum ſit ſalus, nihil mirum iurent per illam. Incidi poſtea in Hanſenium, qui ait Zonaram in principio, & Suetonium pluries, & Plinium Nepotem lib. 10. epiſt. à Nicenſibus rogatum publicè per æternitatem & ſalutem Traiani obſecratum. & Cedrenum, qui *per ſalutem meam, quæ mihi mea carior extat.* Denique & recenſet multos, & deinde in cap. 29. Inde conſuetudinem natam; nam multis cautum erat nunquam iurare. Liuius lib. 31. docet: *C. Valerius Flaccus, quem præſentem creauerant, quia Flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat.* Idem aſſerit Plutarchus in Problem. cap. 43. & adducit hanc rationem, ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐποιμώξεως: *Iuſiurandum periurio affine eſt.*

834. 2. NESCITIS GENIOS DÆMONES DICI.] Hinc interpretes boni quoties in Græco eſt *dæmones*, Latinè vertunt *genios.* Vt cùm in Græco Heliodori lib. 1. Hiſt. Æthiop. eſt δαιμόνων ἀλαστόρων, interpres reddit, *malis Geniis.* Et quod in Græco Conſtant. Man. eſt,

Οὗτος καθεῖλε τοὺς βωμούς, ἔκλαυσε τὸ τεμένη,
Ἐν οἷς θεσπέσιον Ἕλλωες δαίμοσι τοὺς θυσίας:

Hæc ſic vertit Meurſius,

Hic & aras euertit, & delubra clauſit,
In quibus ethnici malis geniis hoſtias offerebant.

Et cùm in Niceta Choniate in Andronico lib. cap. 10. eſt, ἐμπνέων de Erinnybus, interpres Volfius reddit, *in-feſti humanæ vitæ genij.* Inde cùm Plinius ait lib. 2. cap. 7. homines ſibi aptaſſe Iunones & genios, intelligendus eſt de dæmonibus, nam virorum erant genij, fœminarum Iunones. Inde de viro molli Iuuenalis Sat. 2. declarante Turnebo lib. 3. cap. 20.

Et per Iunonem domini clamante miniſtro.

Etenim mulieres, vt inquit Petronius, Iunonem ſuam iurabant. Genius autem erat virorum; apud Terentium enim in Phormione, *ſuum defraudans genium*, dixit vir. & in eadem Comœdia, cùm dicit,

Memini relinqui me Deo irato meo:

De Genio intelligendus eſt: quod eſt, dæmon hominis. Aduerte etiam, *dæmonas*, in malam partem ſumi, quod ſecus fermè eſt in profanis ſcriptoribus, apud quos *dæmones* in bonam partem ſumuntur, *dæmonia* autem in malam. Sic ſtatim: *Cæterùm dæmonas, id eſt, genios adiurare conſueuimus, vt illos de hominibus exigamus.* Quod faciebant Gentiles ſcriptores ignoratione veritatis.

2. NOS IVDICIVM DEI SVSPICIMVS IN IMPERATORIBVS, QVI GENTIBVS ILLOS PRÆFECIT.] Narrat Manaſſes in Annalib. portentum viſum fratri Marciani futuri Imperatoris, qui quidem frater Marcianum adhuc dormientem conſpicit, volucrum verò Reginam explicatis alis vmbram ei præbentem. Adeò magnum, inquit, & auguſtum quiddam eſt imperium, vt ipſa quoque bruta honorem ei deferant; adeo volucres etiam crudiuoræ venerantur hominem, cui diuinitus eſt conceſſum, vt imperio potiatur. Et infrà idem ait;

Καὶ βλέπει πρᾶγμα δύσπιστον Μαρκιανὸν κατακοιμᾶται,
Καὶ δυσμηχάνητον αὐτῷ σκιὰν σκεπάζουσαν
Τὸ πέραν ἀετῶν. Loquitur iam de Gizericho:

Et cernit incredibile quiddam, dormientem Marcianũ,
Et vltra fidem, vmbram præbentem ipſi
Alis expanſis Aquilam.

835.

836. 2. ADIVRARE.] Simpliciter eſt, iurare, ſeu potiùs, declaratore Pithœo lib. 2. Aduerſariorum cap. 8. exorcizare. Etenim Iſidorus ait, exorciſtas verti Latinè *adiurantes.* nunc *coniurantes* dicimus non ita aptè. Hæc Pithœus: cui adnectatur Cyprianus ad Demetrianum: *ô ſi audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritalibus flagris.* Apuleius lib. 9. *Idque per ſpes proſperas eius orabat adiurans.* Prochorus in vita Ioannis, cap. 36. *Nec multò poſt aſcendit de flumine lupus, dixitque illi Ioannes, adiuro te ſpiritus immunde, dic quot annos in hoc habitaſti loco? dæmon reſpondit, ſeptuaginta.* Vnde rectè Stephanus Durantus lib. 1. de Ritib. Eccleſ. cap. 19. ait: *Tertio exorcizamus, ſiue adiuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando:* ſunt hæc, verba Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Theodoſio, quæ ad rem ſuam ibi aduocat Durantus. Vide inſuper Alardum Gazæum, qui ἐξορκίζω, diſertè explicat per verbum *adiuro*, & de dæmonibus dici ait in Collationem 15. Caſſiani cap. 7. Et ego huc refero Gregorium Magnum lib. de Sacram. de Sabbat. Paſchæ, *hic ſufflat tribus vicibus aquam.* & Seueri Alexand. de Ritib. baptiz. *hîc ter inſufflat Sacerdos in aquam, in figura crucis, & pronus ait, collidatur.* Hîc enim verbum *collidatur*, eſt, abeat dæmon, & abiuretur.

CAP. XXXIII. ARGVMENTVM.

Imperatorem hominem esse, non Deum.

TERTVLLIANVS.

837. 1. SED quid ego ampliùs de religione atque pietate Christiana in Imperatorem? quem necesse est suspiciamus, vt eum quem Dominus noster elegit: vt meritò dixerim, noster est magis Cæsar, vtà nostro Deo constitutus, itaque vt meo, plus ego illi operor in salutem. Si quidem non solùm ab eo postulo, eam qui potest præstare, aut quòd talis postulo qui merear impetrare, sed etiam quòd temperans maiestatem Cæsaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subiicio: subiicio autem, cui non adæquo. Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici, si homo sit: interest homini Deo cedere. Satis habeat appellari Imperator. Grande & hoc nomen est quod à Deo traditur. Negat illum Imperatorem, qui Deum dicit, nisi homo sit, non est Imperator.

EXPLICATIO.

1. SED *quid ego ampliùs dicam*, &c. *Elegit*, vox signata, Deus enim eligit imperatorem. Ideo postea, *à nostro Deo constitutus*. Procedit. *Itaque vt meo plus ego illi operor in salutem*, operor illi sacrificiis, & orationibus ad consequendam salutem. *Siquidem*, &c. Quando ego ab eo postulo, *qui potest eam* salutem *præstare*; aut quòd eius sim meriti, vt possim impetrare: vel saltem ob hoc, &c. Itaque tres rationes ponit. Qui potest præstare, is Deus est; qui potest impetrare, id meriti est; cui impetretur salus, id imperatoris est, temperata illius maiestate. Reliqua clara sunt, sed extrema aliquid habent difficultatis. Ille qui Deum dicit Imperatorem, eo ipso dicit non hominem, ac perinde neque imperatorem, cùm hic necessariò debeat esse homo.

838. 2. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, Respice post te, Hominem memento te. Et vtique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat, si tunc Deus diceretur, quia non verè diceretur: maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet.

2. Sollemne hoc est in Imperatoribus triumphantibus, vt carnifex veheretur à tergo, qui admoneret esse hominem. *Quia non verè diceretur*, imò falsò diceretur Deus.

NOTÆ.

839. 1. ITAQVE VT, &c.] Vvouerenius sic legit, *Itaque & in eo plus ego illi operor in salutem, quòd non solùm*, &c. Nihil tamen est necesse mutare, cùm integer constet sensus.

1. OPEROR.] Illa significatio huius verbi permagnifica est, qua traducitur ad sacrum aliquod. Ambrosius lib. 1. Officior. cap. 30. *Nisi fortè, vt ille Zachæus, reddas quadruplum priùs ei, quem fraudaueris: & gentilitatis vitia fidei studio, & credentis operatione compenses.* & 29. dixerat: *Ecclesia autem quædam forma iustitiæ est, commune ius omnium: in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur.* & lib. 3. officior. c. 1. *Ergo Moyses in silentio loquebatur, & in otio operabatur.* Cyrillus Hierosolym. Cateches. 4. de Spiritu sãcto ait, ἐνεργοῦ, *operari.* & statim· τὸ ἐπὶ τῷ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς καταλῦσον, τὸ ἐν νόμῳ καὶ προφήταις ἐνεργοῦσαν: *Qui super Dominum* IESVM *Christum, in specie columbæ descendit, qui in lege & in prophetis operatus est.* In vita Sancti Ludgeri cap. 6. *Dans ei comitem, & cooperatorem verbi Dei.* Paulinus lib. 6. in vita Sancti Martini, *operatio Martyris.* in Liturgia Iacobi fratris Domini: *Nosque conserues insontes & inculpatos in hac sacra tuorum diuinorum mysteriorum operatione.* Vide insuper quæ dedi in illud Virg. *Lætis operatus in herbis.*

1. EAM QVI POTEST PRÆSTARE.] Iunius sic legit: *Non solùm ab eo postulo eam, quia potest præstare.* Quæ lectio facit ad sensum meliùs præstandũ.

1. NON ENIM DEVM IMPERATOREM DICAM.] Hoc nomine non Imperatores solùm, sed alij etiam ornabantur. Pium Metellum apud Valerium Max. lib. 3. *In Hispania aduentus suos ab hospitibus aris & thure excipi passum.* Arsinoë quoque apud Iustinum lib. 24. *Prægressa igitur virum, diem festum vrbi* (Casandreæ) *in aduentum eius indicit, domos, templa, cæteráque omnia exornari iubet, aras vbique hostiásque disponi.* Quin Domitianus (auctore Tacito lib. 3. Hist.) *Mox imperium adeptus, Ioui Custodi templum ingens, seque in sinu Dei sacrauit.* 840.

1. INTEREST HOMINI.] Debuisset dicere *hominis*, sed phrasis hæc Tertulliani est, vt contra Zephyrũ monuit Pamelius, & ante ipsum Rhenanus. Cæterùm ad sententiã facit illud Augustini ser. 6. de verbo Domini:

Maior poteſtas. Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur.

1. SATIS HABEAT APPELLARI IMPERATOR.] Horat. od. 6. lib. 3. *Diis te minorem quòd geris, imperas.*

841. 1. GRANDE ET HOC NOMEN EST.] Cyrillus Alexand. ad Theodoſium τῆς μὲν ἐν ἀνθρώποις εὐκλείας τὸ αὐτοκράτωρ, καὶ ἀσυγκρίτως διαφορᾶς τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνεγκλητός τε καὶ ὑπερκείμενον, ὑμεῖς ὦ φιλόχριστοι βασιλεῖς: *Supremum humanæ gloriæ culmen, Chriſtianiſſimi Imperatores, longè maximo diſcrimine cæteris omnibus antecellens præſtansque.* Themiſtius orat. 5. διὰ τοῦτο δὲ, ὡς ἔοικε, βασιλείαν ἐκ τῶν θεῶν καταπεμφθὲν εἰς τοῦτο γῆς ὁ Θεὸς, ὅπως ἂν εἴη καταφυγὴ τῷ ἀνθρώπῳ ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀκινήτου ἐπὶ τὸ ἔμπνευν: Ratio præcipua cur hoc nomen grande ſit: id eſt: *Hæc enim cauſſa videtur eſſe, ob quam regia poteſtas à Deo in terris è cœlo tranſmiſſa ſit, vt ab immota conſtantique lege ad ſpirantem atque viuam hominibus eſſet perfugium conſtitutum.*

842. 2. SVBLIMISSIMO CVRRV.] Zonaras tomo 2. Annal. vbi agit de Camillo: *His triumphator peractis, currum conſcendebat, neque bellicis, neque iis ſimilem, quorum in ludis vſus eſt, ſed inſtar turris rotundæ confectum.* Appoſui & Græca, ſiquis delectetur. τὸ δὲ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστείῳ, οὔτε πολεμιστείῳ ὠφελεῖς, ἀλλὰ πύργου τροχηρεῖς τρόπον ἐξείργαστο. Et de curru triumphali Cicero pro Reditu in Senatum: *Sed equis inſignibus, & curru aurato reportati.* Vnde cùm Horat. od. 9. Epod. dixit,

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, videtur *aureos* pro auratos voluiſſe.

Neque enim aurei videntur fuiſſe currus. Ad eum modum quo dixit Simocatta lib. 6. cap. 11. ἁρμάμαξαν συμπήξασθαι χρυσοκόλλητον, *currum inauratum.* & Ouid. 1. Amor. eleg. 2.

Ibis inauratis aureus ipſe rotis.

& Propert. lib. 1. eleg. 16.

Cuius inaurati celebrarunt limina currus.

In Aureliani triumpho currus vnus fuit Odenati, argento, auro, gemmis operoſus, atque diſtinctus: alter verò, quem Rex Perſarum Aureliano dedit, ipſe quoque pari opere fabricatus. Apud Plinium lib. 33. cap. 11. Diocletiani triumphatoris currus aureus gemmatúſque fuit.

2. RESPICE POST TE, &c.] Iuuenal. Sat. 10. 843.

--- & ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſeruus portatur eodem.

Zonaras vbi ſuprà: *Vnus item publicus miniſter in ipſo curru vehebatur, coronam auream gemmis interpolatam ſupra caput eius tenens, & retro videre iubens. quo monebat, vt reliquæ vitæ curſum prouideret, nec eo honore elatus ſuperbiret.* Plin. lib. 33. cap. 1. *Et cùm corona ex auro Hetruſca ſuſtineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis, & ſerui fortaſſe coronam ſuſtinentis.* Hieronym. in epiſt. ad Paulam de obitu Bleſillæ: *Monitor quidam humanæ imbecillitatis apponetur, in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat, per ſingulas acclamationes ciuium dicens, hominem te eſſe memento.* Dixi hunc ſeruum eſſe *carnificem.* Sic enim expreſsè Iſidorus cap. 2. lib. 18. & indicat Plinius lib. 28. cap. 4. *Similis medicina linguæ, vt ſit exorata à tergo fortuna gloriæ carnifex.* Bulengerus tamen credit in lib. de Triumpho cap. 17. fuiſſe ſeruum publicum, ſic enim vocat Zonaras οἰκέτην δημόσιον, non carnificem, quem non modò foro, ſed etiam cælo hoc ac ſpiritu, cenſoriæ leges, atque vrbis domicilio carere voluerunt, vt ait Cicero pro Rabirio.

CAP. XXXIV. ARGVMENTVM.

Non dominum appellandum eſſe Imperatorem, niſi more communi, nunquam verò Deum.

TERTVLLIANVS.

844. 1. AVGVSTVS imperij formator, ne dominum quidem dici ſe volebat: & hoc enim Dei eſt cognomen. Dicam planè Imperatorem dominum, ſed more communi, ſed quando non cogor vt dominum Dei vice dicam. Cæterùm liber ſum illis: Dominus enim meus vnus eſt, omnipotens, & æternus, idem qui & ipſius. Qui pater patriæ eſt, quomodo dominus eſt? Sed & gratius eſt nomen pietatis, quàm poteſtatis: etiam familiæ magis patres, quàm domini vocantur.

EXPLICATIO.

1. DICIT Auguſtum nec *dominum* adhuc *dici* voluiſſe, quod tamen ipſe Tertullianus non accipit; nam dominum vult dicere, ſed communi ſenſu. *Cæterùm liber ſum*, &c. Quippe dominus dicit oppoſitionem ad ſeruum. Ergo ait: Non ideo ſeruus ero, ſed liber reſpectu illius. Nam omnipotens Deus, & Deus æternus, dominus meus eſt, ſeruúſque ego illius, cui ſeruituti etiam ſubiicitur Imperator. *Qui pater*, &c. Pater & dominus nequeunt dici pariter: ſi ergo pater eſt Imperator patriæ, non dominus. Quid quòd *gratius eſt nomen pietatis pater*, quàm nomen *poteſtatis* Dominus? inde eſt vt patrem familiæ dicamus, non Dominum familiæ.

845. 2. Tanto autem abeſt, vt imperator Deus debeat dici, quod non poteſt credi, non modò turpiſſima, ſed & pernicioſa adulatione. Tanquam ſi habens imperatorem alterum appelles, non ne maximam & inexorabilem offenſam contrahes eius quem habuiſti, etiam ipſi timendam, quem appellaſti? Eſto religioſus in Deum, qui vis illum propitium Imperatori. Deſine alium Deum credere, atque ita & hunc Deum dicere, cui

Deo opus est? Si non de mendacio erubescit adulatio, eiusmodi hominem Deum appellans, timeat saltem de infausto. Maledictum est, ante apotheosin Deum Cæsarem nuncupare.

2. Habito iam, dominum dici non posse imperatorem, nisi communiter, excludit nullo modo dici Deum posse, nisi *turpissima adulatione*. Probat à Cæsare, quo viuo, neminem appellabis Cæsarem, nisi cum maxima contumelia eius: quod quidem timendum erit illi, quem de nouo appellas, ne fortè Cæsar audiat, & recidat in illum malum. Perinde ac si dicat. Appellatio ista nocumento erit, tam tibi appellanti, quàm appellato. Vterque enim contrahetis grauem offensionem illius, qui verè est Imperator. *Desine alium*, &c. Cur is Imperator Deus appelletur, *cui Deo est opus?* Erubescendum tibi est tum de mendacio, danti eam nomenclaturam alteri; tum de infausto, cùm maledictum sit *Cæsarem Deum* appellare, antequam is in numerum Deorum relatus sit.

NOTÆ.

846. 1. AVGVSTVS IMPERII FORMATOR.] Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 68. in ipsa adhuc voce firmitudinem imperij constitutam ait: ὡς εἰς μακρὸν ἥξειν, μὴ Καίσαρσιν, ἀντιτύπως δ' ἤδη τοὺς ἅπαντας χρηματίζειν Αὐγούστους, ὃ δὴ καὶ μέγιστον τῆς αὐτοκράτορα βασιλείας γίγνοιτ' ἂν σύμβολον: *Ac non multò pòst, non iam eos Cæsares solùm, verumetiam Augustos omnes nuncupari volebat, quæ vox maximè cuiusdam dignitatis plena celsissimi imperij propria nota est.* Et *formator* ait, quia (teste Heraldo) Iulius tantùm inchoauit imperium, at Augustus formauit, vnde *reformatorem* eundem appellat lib. de Anima cap. 46. Ammianus verò lib. 26. vocem *Imperij formator* accipit pro principe ad capessendum imperium apto. Nam in orat. Valentiniani, sic ait: *Quod erat igitur in manu positum vestra, nondum electo imperij formatore, vtiliter & gloriosè complestis.*

847. 1. NE DOMINVM QVIDEM DICI SE VOLEBAT.] Suetonius in Augusto cap. 53. *Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronuntiatum esset à mimo, ô Dominum æquum & bonum, & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent, statim manu vultúque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto: Dominúmque se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò vel ioco passus est, atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* De eodem Orosius lib. 6. Hist. c. 21. *Dominum se appellari passus non est, quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus est.* Lampridius idem narrat de Alexand. Seuero: *Dominum se appellari vetuit; epistolas ad se, quasi ad priuatum scribi iussit, seruato tantùm nomine Imperatoris.* Non sic reliqui principes. Eusebius enim lib. 4. Historiæ ait, Polycarpo dictum, nihil esse mali si diceret, κύριε Καῖσαρ: *Domine Cæsar.* Ab Themistio orat. 5. Princeps dicitur, τὸ νόμου κύριος: *Legum dominus.* A Victore Diocletianus: *Primus omnium post Caligulam Domitianúmque, Dominum se palam dici passus est.* Sueton. de Domitiano, ait libenter audire acclamatorem istum, *Domino & Dominæ feliciter.* Citat Iuretus Anianum veterem interpretem legum. & Symmachum, qui lib. 10. epist. 36. *Sciui meliorem esse iudicum causam quæ rerum dominis reseruatur.* & Sidonium, qui Paneg. Maioriani:

---mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis.

Vide illum epist. 8. lib. 1.

1. ET HOC EST DEI COGNOMEN.] Adi sacram scripturam, in qua abundè.

1. CÆTERVM LIBER SVM, &c.] Dixi opponi dominum & seruum. Mart. lib. 1.

E seruo scis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dicis Dominum Sosibiane patrem.

848. 1. QVI PATER PATRIÆ EST.] Coripp. lib. 1. de Iustino,

---Patrem Respublica penàit & orbis,
Non dominum.

Clementia maximum est fulcrum principis: Inde tam effusè Themistius laudat Theodosium ab humanitate, φιλανθρωπίαν vocat, orat. 5. Et iterum: φιλάνθρωπον, καὶ ἡ εὐσεβῆ, καὶ ἡ σωτῆρα: *amantem hominum, pium, & seruatorem.* & orat. 6. adducit vocem Titi Imperatoris. ὅτι σήμερον οὐκ ἐβασίλευσα, οὐδένα γὰρ εὐεπόησα: *hodie non imperaui, nihil enim boni cuiquam feci.* Idem orat. 9. grauiter: καὶ οὗτοι πάντες τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως σοφιζόμενοι, ὅτι μηδὲν πρὸς εὔνοιαν ἐπαγωγώτερον εὐεργεσίας, καὶ ὅτι βέλτιστον βασιλεῖ τὸ δι' εὐνοίας ὑπηκόους, καὶ μὴ δι' ἃ φύσιν κρατεῖν: *Qui quidem omnes præclarè naturam hominum assecuti, id intellexerunt, nihil ad alliciendam beneuolentiam efficacius esse benignitate ac beneficentia, longeque id optimum esse principi amore ac gratia subditos allicere, non metu ac terrore dominari.* Inde est, vt Vopiscus dicat de Aureliano: *Aurelianum quidem multi neque inter bonos, neque inter malos principes ponunt, idcirco quòd ei clementia, imperatorum dos prima, defuerit.* Simocatta lib. 3. Historiæ cap. 16. ὃς ἦ ὄγκον τῆς τυραννίδος μισήσας, εἵλετο συμβασιλεύειν αὐτῷ τὸ ὑπήκοον, ἢ τοὺς ἰθυνομένους τυραννικώτερον αὐθαδιζόμενος, παντὶ ἐξέλεγεν, ἢ δεσπότης ὑπὸ τῶν ὑπηκόων αἰσχρῶς ἐκαλεῖτο. Loquitur de Tiberio Imperatore. Id est. *Qui regni fastum exosus, maluit secum regnare subiectos, quàm quibus ipse præesset, per tyrannicam importunitatem seruitute multari, & pater magis à suis ciuibus quàm Dominus audire.*

849. 1. ETIAM FAMILIÆ MAGIS PATRES, QVAM DOMINI VOCANTVR.] Seneca epist. 47. *Ne illud quidem videtis, quàm omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? Dominum, patrem familiæ appellauerunt: seruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares.*

2. IMPERATOR DEVS DEBEAT DICI.] Victor de Diocletiano, Primus omnium passus est *adorari se appellarique vti Deum.* Martial. agens de Domitiano,

Et dictum Domini, Deique nostri.

De Augusto Valerius Max. in prologo Historiæ: *Te igitur huic cœpto, penes quem hominum Deorúmque consensus, maris ac terræ regimen esse voluit, certissima salus Cæsar inuoco.* & infrà ingenti adulatione: *Mea paruitas eò iustiùs ad fauorem tuum decurrerit, quòd cætera diuinitas opinione colligitur: tua præsenti fide paterno nuitóque sideri par videtur.* Et Iulium Cæsarem eadem ambitione prosequitur lib. 1. cap. 8. *Non occideras tu quidem Cassi Cæsarem, neque enim extingui vlla diuinitas potest.* Simocatta de vanissimo Rege Chosroë lib. 4. cap. 8. vbi describit titulos superbos huius, tum hunc: ὃν δὴ τοῖς ἀνθρώποις Θεὸς ὑπεφάνισατο: *inter homines autem Deus illustrissimus.*

2. DESINE ALIVM DEVM CREDERE.] Ita legit Heraldus. Pamelius insuit verbum aliud, *Desine alium Deum credere, aut colere*, &c.

850. 2. DE MENDACIO ERVBESCIT ADV-

LATIO.] Sidon. lib. 3. epist. loquens de sectatore epularum ob adulationem : *Tales enim cùm aliquid volunt, priùs laudant, postmodo postulant.*

2. DE INFAVSTO.] De malo & tristi omine. Tacitus lib. 1. histor. *Introitus in vrbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infaustus omine; atque ipsis etiam, qui occiderant, formidolosus.* Vnde postea sequitur *maledictum*, quia *benedicere*, & *bona verba dicere* iubentur, qui acclamant alicui faustam ominationem.

2. MALEDICTVM.] Dicit infaustum esse auspicium, & omnino ἀφημίαν, si quis appellet Cæsarem Deum, ante ἀποθέωσιν. Heraldus adducit illud Taciti 15. Annal. *Nam Deûm honor principi non antè habetur, quàm agere inter homines desierit.* Vide in illo plurima. Porro *apotheosis* est, quam *consecrationem* vocat Cicero lib. 1. ad Quintum Fratrem epist. 1. vbi ait, *tuas virtutes consecratas.* & reliqui omnes, *Deum facere*, præsertim Poëtæ, inter quos Martialis lib. 8. epigr. 24. videsis illum.

CAP. XXXV. ARGVMENTVM.

Quòd Christiani maiores & veriores honores exhibent Imperatoribus, quàm Gentiles.

TERTVLLIANVS.

851. 1. PROPTEREA igitur publici hostes Christiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia veræ religionis homines etiam sollemnia eorum conscientia potiùs quàm lasciuia celebrant. Grande videlicet officium focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hęccine sollemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? Qui obseruant disciplinam de Cæsaris respectu, ij eam propter Cæsarem deserunt: & malorum morum licentia pietas erit, occasio luxuriæ religio deputabitur? ô nos meritò damnandos! Cur enim vota & gaudia Cæsarum casti, & sobrij, & probi expungimus? Cur die læto nos laureis postes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est & sollemnitate publica exigente induere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris.

EXPLICATIO.

852. 1. PVBLICI *hostes*. maximum erat peccatum Christianorum dici *hostes publicos*, idcirco coniungit *hostes publicos* cum *honoribus vanis, mentientibus, & temerariis.* quî potest fieri vt Christiani dicantur *hostes publici*, cùm imperatoribus nec *vanos*, nec *mentientes*, nec *temerarios* dicent honores? qui *potiùs* cum *conscientia*, *quàm* cum *lasciuia celebrent sollemnia* vota Cæsarum? Hæc autem vota sunt, quæ celebrantur in die Natalis imperatoris: aperit autem Tertullianus probra quæ fierent in illis festiuitatibus. Reliqua clara sunt, tantùm dabo notulas. *Focos & thoros in publicum educere*, id est, lectisternia educere in publicum, hi enim sunt thori, & cum suis focis & culinis, vt publicus conuiuantium apparatus strepat per vias. *Vicatim epulari*, est, per compita & vicos epulas celebrare, per tribus, per familias, per vicinias. *Ciuitatem tabernæ habitu abolefacere*, insigni dedecore ciuitatem tabernariam efficere, & abolere, ciuitatem ganeum reddere vnius tabernæ habitu. *Vino lutum cogere*, exprimit furoris & insaniæ genus, quo coacto luto vinoso luditur per procaciam. *Expungimus*, implemus, & perfungimur: hoc enim verbo in hoc significato passim vtitur, nec debemus illud traducere ad aliam significationem. *Infringimus diem infringere* est, lucernis accensis veluti diem imminuere & perdere, ita vt præ earum fulgore, quæ elatissimæ & clarissimæ sunt, vt infrà dicit, diei fulgor non appareat. Ingens exaggeratio. *Lupanaris*, domus publicæ, quæ seruit stupris. Etenim lupanaria coronabantur, ramis ornabantur, facésque accendebantur & lucernæ.

853. 2. Velim tamen in hac quoque religione secundæ maiestatis (de qua in secundum sacrilegium conuenimur Christiani, non celebrando vobiscum sollemnia Cæsarum, quo more celebrari nec modestia, nec verecundia, nec pudicitia permittunt, sed occasio voluptatis magis, quàm digna ratio persuasit) fidem & veritatem vestram demonstrare, ne fortè & istic deteriores Christianis deprehendantur, qui nos nolunt Romanos haberi, sed hostes principum Romanorum. Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem conuenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana? Testis est Tiberis, & scholæ bestiarum. Iam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset, cuius non præcordia insculpta apparerent noui ac noui Cæsaris scena in congiario diuidendo præsidentis? etiam illa hora qua acclamant,

De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos.

2. Dissertat iam cum fautoribus Romanorum de hac secunda Cæsarum religione : & quidem difficilis est: istam habet sententiam. Velim in hac secunda *religione secundæ maiestatis* Cæsarum fidem respectu Dei, & veritatem vestram respectu hominum omnibus manifestam & palam facere, fortè ne *istic* & in hac caussa *deprehendantur deteriores Christianis*, illi, *qui nolunt nos Romanos*, imò qui nos iudicant *hostes principum Romanorum*. Quæ præcesserunt inclusi parenthesi ad maiorem & meliorem explicationem. Itaque non fuit mutandus, sed explicandus Tertullianus. Ergo legendum, *vestram*, non *nostram*, vt Iunius; vult enim manifestare fidem & veritatem Gentilium. & *istic*, non *istis* cum eodem. & *Christianis*, non *Christiani*, vt idem vult. & particula illa *ne fortè*, explicanda *forte an*, vel *forte ne*. & sic liquida est sententia, ita vt dicat, velim scire an ista caussa inueniantur ipsimet *deteriores Christianis*, qui nos iudicant alienos à Cæsare. & *deteriores* inquit ironicè. q.d. ipsi deterrimi sunt, non Christiani. Vt igitur ostendat hoc, procedit iam hunc in modum. Ipsosmet *Quirites* & Romanos inuoco, *ipsam vernaculam* & Romanam plebem, *septem collium* habitatricem, *an parcat illa lingua* alicui Cæsarum? *Testis est Tiberis*, in quem sunt tracti & deiecti maledici: testis schola omnis *bestiarum*, quæ pasta carnibus maledicentium. *Iam si natura* (en vulnus, quo ferit Gentiles) *specularem materiam* & transluentem nostris *pectoribus* dedisset, proculdubio *insculpta apparerent* scena quædam nouum ac subinde nouum principem desiderantium, qui illis præsideret, & congiarium diuideret. & hoc accideret *illa hora, qua acclamant, De nostris*, &c. Vide illa, *noui ac noui*. in scena enim vnus post alium partes agit.

855. 3. Hæc Christianus tam enuntiare non nouit, quàm de nouo Cæsare optare. Sed vulgus, inquis, vt vulgus. Tamen Romani: nec vlli magis depostulatores Christianorum, quàm vulgus. Planè cæteri ordines pro auctoritate religiosi, ex fide nihil hosticum de ipso Senatu, de equite, de castris, de palatiis istis spirant. Vnde Cassij, & Nigri, & Albini? vnde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? Vnde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exercent? Vnde qui armati palatium irrumpunt omnibus Stephanis, atque Partheniis audaciores? De Romanis, ni fallor, id est, non de Christianis. Atque adeò omnes illi sub ipsa vsque impietatis eruptione & sacrificabant pro salute Imperatoris, & genium eius deierabant, alij foris, alij intus, & vtique publicorum hostium nomen Christianis dabant.

856. 3. Hæc pars clara est, si quid difficile, solum dabo. *Planè cæteri*, &c. Sed *cæteri ordines* præter vulgus, qui sunt *religiosi, pro auctoritate*, id est, quanta est eorum auctoritas, tanta & religio, nec vnquam aliquid hostile cogitant, &c. *Vnde Cassij*, &c. cæteros mihi religiosos ordines infers, vnde igitur sunt *Cassij*, *& Nigri, & Albini*, quorum primus in Antoninum, duo postremi in Seuerum conspirarunt? Certè ex his speciosis ordinibus. *Vnde qui inter duas lauros obsident Cæsarem*? De insidiis Commodi, vt puto, intelligit, qui obsessus est *inter lauros*, quem locum duarum laurorum nomine insignit, nisi legas, *diras lauros*; &, quod magis credo, *diuas lauros*. Vide Notam. *Vnde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exercent*? Commodi mortem iam designat. Vide Notam. *Vnde qui armati*, &c. Pertinacem notat, quem constat cæsum in foribus Palatij à Prætorianis irrumpentibus, qui quidem *audaciores Stephanis atque Partheniis*: in quo alludit ad Domitiani mortem, qui à Stephano & Parthenio est interfectus. Vide Notam. Hi omnes erant Romani principes, atque adeo orabant *pro salute* Cæsarum, *& deierabant eius genium* intra & extra Palatium, donec adueniret tempus, quo constituerant illum interficere.

857. 4. Sed & qui nunc sceleratarum partium socij aut plausores quotidie reuelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes quàm recentissimis & ramosissimis laureis postes præstruebant? quàm elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabant? quàm cultissimis & superbissimis toris forum sibi diuidebant? non vt gaudia publica celebrarent, sed & vota propria iam ediscerent, & in aliena sollemnitate exemplum atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen principis in corde mutantes.

858. 4. Dicit, post victum Albinum Seueri hostem, quæ quidem *vindemia* fuit *parricidarum*, (sic vocat conquisitionem illorum, qui interfecere Pertinacem) adhuc superesse *racemationem* quandam, quæ quotidie reuelabatur, quique *socij* erant & *plausores sceleratissimarum partium*. Hi verò tum fores coronis & floribus ornabant, tum *lucernis vestibula* nebulabant, tum etiam *toris forum diuidebant*. Notentur epitheta, quibus rem exornat. Cùm autem hæc faciebant, non eo erant animo, *vt gaudia publica celebrarent, sed iam vota propria* ediscebant, *& in aliena sollemnitate* inaugurabant *imaginem* alterius principis, & quò intus tendebat spes, eò spectabant ianuæ laurus, lucernæ forium, lectisternia publica, nam videlicet *in corde* mutauerant principem.

859. 5. Eadem officia dependunt & qui astrologos, & aruspices, & augures, & magos de Cæsarum capite consultant. Quas artes vt ab Angelis desertoribus proditas, & à Deo interdictas, ne suis quidem caussis adhibent Christiani. Cui autem opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi à quo aliquid aduersus illam cogitatur vel optatur? aut post illam speratur & sustinetur? non enim ea mente de charis consulitur, qua de dominis. Aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter seruitutis.

5. Astrologiam damnat, aruspicinam, auguratum, Magiam, quas artes inuenere dæmones, & Deus interdixit. *Sustinetur*, differtur.

NOTÆ.

860. 1. PROPTEREA IGITVR PVBLICI HOSTES CHRISTIANI.] Hæc est persecutio quæ in fideles desæuiit, de qua idem loquitur suprà: *Crucibus & stipitibus imponitis Christianos, unguibus deraditis latera Christianorum, ceruices ponimus ante plumbum & glutinum & gomphos, ad bestias impellimur, ignibus vrimur, in metalla damnamur, in insulas relegamur.* Appellat hîc Christianos *hostes publicos* voce atroci. Sic suprà cap. 2. *In reos maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* De hoc elogio vide Heraldum. Maximus Episcopus in sermone, qui inter Ambrosianos est decimus quartus, ita hanc imperatorum festiuitatem exprimit: *Lætitia quanta sit, quantusque concursus, cùm Imperatoris mundi istius Natalis celebrandus est, bene nostis: quemadmodum duces eius & principes omnes, etiã militantes, accuratè sericis vestibus accincti, operosis cingulis, auro fulgente pretiosis ambiant solito nitidiùs in conspectu Regis incedere. Credunt enim maius esse Imperatoris gaudium, si viderit maiorem suæ apparitionis ornatum; tantumque illum lætum futurum, quanto plus fuerint in eius festiuitate deuoti: vt quia Imperator tanquam homo corda non conspicit, affectum eorum circa se probet, vel habitum contuendo. Ita fiet, vt splendidiùs se accuret, quisquis Regem fideliùs diligit.* Aduerte quibus probris Tertullianus diem hunc exprimit, cùm tamen Gentiles aliter. Plinius enim ad Traianum lib. 12. epistolar. ita: *Diem in quem tutela generis humani felicissima successione translata est, debita religione celebrauimus, commendantes imperij tui auctoribus, & vota publica, & gaudia.*

861. 1. SOLLEMNIA.] intelligit *vota sollemnia*, de quibus *nuncupare, & suscipere vota.* Capitolinus in Pertinace, *Tertio Nonarum die, votis ipsis.* Caius iure Consultus de verb. signif. *Post Calendas Ianuarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.* Dixit *sollemnia*, quæ vox addita est à Plinio ad Traianum: *Sollemnia vota pro incolumitate tua, qua salus publica continetur, & suscepimus & soluimus: precati Deos, vt velint ea semper solui, sempérque signari.* Et *sollemnia* solùm, vt Noster, dixit Tacitus lib. 4. Annal. *Cæsar sollemnia incipientis anni Calendas Ianuarias epistola precatus.* Hoc Lipsij placet potiùs quàm addere Decemnalia, Vicemnalia, Tricemnalia, quæ addit Pamelius: propterea quòd ipse Tertullianus in lib. de Corona Milit. *Ecce annua votorum nuncupatio*, de istis intelligit, quæ fiebant in principio anni.

862. 1. FOCOS ET THOROS IN PVBLICVM EDVCERE.] Hoc elegi, non *Choros* pro *thoros*. Sic enim eligit Pamelius, Lipsius, Heraldus, vt per *focos & thoros* signentur conuiuia publica & lectisternia. Sic enim inf. cap. 42. *Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema cœnantibus mos est.* & Tacitus (afferente Heraldo) lib. 15. Annal. *Ipse, quo fidem adquireret, nihil vsquam perinde lætum sibi, publicis locis struere conuiuia, totáque vrbe quasi domo vti.* & Minutius (quem ego) *Conuiuia publica absque vobis*, cùm dixit *publica* huc spectat. Videor non immeritò illud Nysseni eligere epist. ad Eustathiam, ἢ τί βέλτιον ἢ τὰ χαμαιῶν θυσιαστείων ἀντεξαγωγή; *Quid sibi volum noua hæc aduersum nos erecta altaria?* Et illud Constantini Imperat. ad filium Porphyrogenitum cap. vlt. οἱ δὲ πολῖται ἀσμένως πάντα δεξάμενοι εὐφραίνοντο καθὼς παρηγέλθησαν. & statim: εὐφραίνοντο δὲ πανοικί: *Ciues autem libenter omnia accipientes epulabantur, vti iussi erant. Epulabantur autem per omnes passim ædes.* Hanc celebritatem videtur attingere Constantinus.

863. 1. VICATIM EPVLARI.] Iosephus lib. 7. Belli Iudaici cap. 22. τρέπεται δὲ τὰ πλήθη πρὸς εὐωχίαν, καὶ κατὰ φυλὰς, καὶ κατὰ γένη, καὶ γειτονίας ποιούμενοι τὰς ἑστιάσεις, πανήγυρις

A τῷ Θεῷ παρέδοντες, αὐτὸν δὲ ἐπὶ πλεῖστον χρόνον Οὐεσπασιανὸν ἐπιμεῖναι τῇ Ρωμαίων ἠγεμονίᾳ: *Vertunt autem se ad epulas turbæ, perque tribus, & cognationes, & vicinias conuiuia exercentes, Deo libabant, & ab eo precabantur ipsum Vespasianum quàm plurimùm temporis in Romano Imperio perseuerare.*

1. CIVITATEM TABERNÆ HABITV ABOLEFACERE.] Martial. lib. 7.

Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina seruant.
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Emendat Vvouerenius in Minutium, *halitu*: nihil tamen mutandum. Sed nihil obfuerit hæc omnia scribere, vt habentur in ms. ex fide Gasp. Schoppij, sic itaque: *Ciuitatem in tabernæ habitum demutare, vinolentiam facere, cateruatim cursitare, ad iniurias, ad impudicitias, ad libidinum ludibria. Sic enim exprimitur publicum gaudium per dedecus publicum.*

1. VINO LVTVM COGERE.] Cùm in hu- 864.
B iusmodi sollemnitatibus soleant fontes vini fieri, proculdubio ad hos alludit, cùm eo sparso lutum vinolentum decerpatur, quo homines sese impetant ludibundi, nisi quis ad seria colligat pauperculus, vt domui suæ prouideat.

1. CATERVATIM CVRSITARE AD INIVRIAS.] Affert Heraldus simillima hæc ex cap. 39. *Inde discedit non in caterua cæsionum, neque in classes discursationum, neque in eruptiones lasciuiarum.* vox *cateruatim* vt suprà *vicatim*. Aliquid exemplorũ dabo. Ab animantibus Nigidius *Canatim, Bouatim, Suatim.* Varro dixit *Frustratim, Frustillatim.* Cæcilius *Ossiculatim.* Saxo *Fictim* & *Arctuatim.* Cicero ad Attic. 12. *Arctim.* Plautus & Næuius *Assulatim.* Sisenna *Celeratim, Enixim, Dubitatim.* Pomponius *Festinatim.* Titinnius *Semitatim.* Plautus *Tuatim.* Laberius *Manicatim*, nisi legendum *Manicatim.* Plautus *Perplexim.*

C 1. OCCASIO LVXVRIÆ RELIGIO DEPVTABITVR.] De idololatria: *Quæ enim idololatriæ sollemnitas sine ambitione cultus & ornatus? in illa lasciuiæ & ebrietates, quum plurimum victus, & ventris & libidinis causſa frequentantur.*

1. LAVREIS POSTES NON OBVMBRAMVS.] Infrà in hoc capite: *Quam recentissimis & ramosissimis laureis postes præstruebant.* Ammianus lib. 12. *Militaris & omnis generis turba cum lumine multo, & floribus votisque faustis Augustum appellans, & Dominum, duxit in regiam.* Seneca in Thyeste, 865.

Ornetur altum culmen, & lauro fores
Lætæ virescant: dignus aduentu tuo
Splendescat ignis.

Catullus de Nup. Pelei,

Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.

Iuuen. Sat. 6.

Ornentur postes, & grandi ianua lauro.

Rutil. 1. itinerar.

D *Exornent virides communia gaudia rami.*

Latinus Pacatus in Paneg. Theodosij: *Quid portas virentibus sertis coronatas?* Lucanus lib. 2.

Festa coronato non pendent limine serta,
Infuláque in geminos discurrit candida postes.

Tert. lib. de Corona Milit. *At enim Christianus nec ianuam suam laureis infamabit, si norit quantos Deos etiam ostiis Diabolus affixerit.* Euripid. Ion. actu 1.

--- πόρδοις ἢ δάφνης
Στέφεσι δ' ἱεροῖς ἐσόδους φοίβου
Καθαρεύσας θήσομεν:

Lauri ramis ac sertis sacra vestibula Phœbi pura ponemus. Xiphilinus, de reditu è Græcia, Neronis, εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἐκεῖθεν εἰς τὸ παλάτιον, πάσης μὲν τῆς

πόλεως ἐστεφανωμένης καὶ λυχνοκαυτέσης καὶ θυμιώσης : *Ascendit in Capitolium, & inde in Palatium, vniuersa ciuitate coronata, & lucernis ardente, & stupente odoribus.* Statius in Surrentino Pollij 4. Syluarum.

Augustáque fores, assuetáque tecta grauamus
Frondibus.

Verbo *obumbramus* respondet Valerius Max. lib. 1. cap. 7. periodo illa: *Natúmque Cyrum exponi iussit, quia similiter quietis temporibus exístimauerat genitali parte Mandanes enatam vitem eousque creuisse, donec dominationis suæ partes inumbraret.*

866. 1. NEC LVCERNIS DIEM INFRINGIMVS.] Ioan. Chrysost. Homil. 20. ad Populum: ὥσπερ οὖν τότε ἐποιήσατε στεφανώσαντες τὴν ἀγορὰν, καὶ λύχνους ἅψαντες, καὶ στιβάδας πρὸ τῶν ἐργαστηρίων στρώσαντες, &c. *Quod igitur feciſtis forum coronantes, & lucernas accendentes, & lectos ante officinas componentes,* &c. Tertullianus inf. in hoc cap. *Quàm elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabant.* Solinus cap. 3. *Initio annum decem mensibus computabant, à Martio auspicabantur, eiúsque die prima de aris vestalibus ignem accendebant, mutabántque veteribus virides laureas.* Martial. epig. 6. lib. 10.

Quando erit illa dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta feneſtra nuru?

Herodian. lib. 4. δαδουχίας τε καὶ ἀνθέων βολαῖς ἐτίμων τὸν βασιλέα: *Colebant principem lucernis & sparsione florum.* Euseb. lib. 10. Hist. postquam huiusmodi celebritatem descripsit, sic concludit, ὥστε ἡμέραν ἅπαντα: *Omnia autem plena erant luce.* Canon Apostolicus 70. *Si quis Christianus oleum tulerit ad sacra Gentilium, vel Synagogam Iudæorum, festis ipsorum diebus, aut lucernas accenderit, de societate pellatur.* Prudentius contra Symmachum,

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Sustinuit, cadit vltrici succisa bipenni.

Latinus Pacatus in Paneg. Theodosij: *Quid aulæis tardantes plateas, accensisque funalibus auctum diem.* Explicat hic *diem infringere* Tertulliani, cùm ait *auctum diem.* & potiùs Horat. od. 7. lib. 2. cùm ait:

Cum quo morantem sæpe diem mero fregi.

Vt enim, qui de die conuiuatur, frangit diem, cùm frangit & detrahit partem diei, quæ tota impendi debet negotiis: ita est, qui frangit diem lucernis.

867. 1. HABITVM ALICVIVS NOVI LVPANARIS.] Tertullianus lib. 2. ad vxorem: *Et procedit de ianua laureata & lucernata, vt de nouo consistorio libidinum publicarum.* Ianua ipsa meretricis sic loquitur apud Propert. lib. 1. eleg. 16.

Nunc ego nocturnis pictorum saucia rixis,
Pulsata indignis sæpe queror manibus.
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, & exclusi signa iacere faces.

Nec aliter domum describit, certè putidam, Apul. lib. 4. *Domus tota lauris obsita, tædis lucida, strepebat hymenæum.* Iuuenal. mentionem facit lucernarum in lupanaribus,

Obscurisque genis turpis, fumóque lucernæ.

2. SACRILEGIVM CONVENIMVR.] Propter hoc Christiani viui comburebantur. Saluianus de Prouident. lib. 7. *Latro aut sacrilegus cum flammis exuritur.* Vlpian. L. 6. D. ad l. Iul. pecul. *Scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam, viuos exussisse.*

2. FIDEM ET VERITATEM VESTRAM, &c.] Iunius sic legit: *Fidem & veritatem nostram demonstrare, ne fortè & istis deteriores Christianis deprehendantur,* absonâ proculdubio sententiâ. Non enim vult fidem nostram & veritatem, sed illorum, diuulgare & palam facere, an forsitan illi sint deterrimi, quod ironicè dicit. Perinde ac si dicat: volo probare vos esse deterrimos *istic*, id est, in hac caussa, & pios A esse Christianos.

2. IPSAM VERNACVLAM SEPTEM COLLIVM PLEBEM CONVENIO.] De hoc 868.
iam latè dixi lib. 6. Æn. ad illud,

Septémque vna sibi muro circumdabit arces.

Vbi cultissimè Poëta *arces* nominat. Hîc adnotandum cum Heraldo, *plebem conuenire*, dictum, ex ingenio plebis ad procacitatem omnem effusæ. Tacit. lib. 3. Hist. *Vt procacia vrbanæ plebis ingenia, petulantibus iurgiis illuserant.*

2. TESTIS EST TIBERIS.] Sic scripsi, non & cum Pamelio. Locus est, in quem deferebantur & trahebantur maledici. Quæ enim aptior pœna quàm proiicere in Tiberim? Vulcatius in Auidio Cassio: *Idem denos catenatos in profluentem mergi iubebat, vel in mare.* De quodam Nicephorus Constantinop. ἄλλους ἐν τῷ βυθῷ πάκκοις ἐμβαλὼν ἀπέρριπτε: *Alios in equuleum insutos in profundum mergebat.* Nicetas Choniates in Andronico lib. 2. cap. 5. κατὰ τὸν Ῥυνδακοῦ ποταμοῦ ἀκοντίσειν χαλεπήνας ἠπείλησεν: *In Ryndacum amnem abiecturum minatus est.* Idem in Alexio, cap. vlt. ait, miserrimum corpus Alexij Imperatoris Constantinopolitani interfecti, iussu Andronici in profundum aquarum mersum esse: καὶ τὸ μὲν λοιπὸν σῶμα κατὰ δικάζεται ῥεύμασι βυθῷ: & Simocatta, alterius Imperatoris Mauricij corpus & filiorum pariter, iussu Tyranni Phocæ, cap. 12. lib. 8. ait, τὰ μὲν οὖν σώματα τῶν τεθνεώτων ὀπίσω πυίγιον τοῖς τῆς θαλάσσης ἀκοντίζον τοῖς κύμασι: *Occisorum corporum, flebile ludibrium, fluctibus maris obiecta sunt.* & eiusdem cap. 15. lib. 5. est casus ille, quo Chosroas Bindoëm, τοῖς τῆ Τίγριδος ἰγκάτοις κατέθετο: *in medium Tigridem demersit.* Sed & Sancti Martyres damnati sunt hac pœna. Prudent. hymno 7.

Summo pontis ab arduì
Sanctæ plebis Episcopus,
In præceps fluuio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.

Quin hac pœna affectos post mortem Sanctos Martyras, qui Lugduni passi sunt (quorum eximia mentio) testatur Euseb. Gallican. Episcop. Homilia de sancta Blandina? *Quicquid itaque ex humana substantia auis rapuerit, bestia deuorauerit, vnda* (Rhodani) *sorbuerit, etiam si tumulo non clauditur, intra mundi gremium continetur.*

2. SCHOLA BESTIARVM.] Prope est vt 869.
legam *bestiariorum* cum Iunio, & præcipuè cum Marcilio; ita vt intelligat vniuersa collegia bestiarum, quibus damnati proiiciebantur. Verumtamen retineo *bestiarum*; dici enim optimè potest *schola* locus vbi eruditiuntur feræ vel ad mansuetudinem, vel ad crudelitatem. Nouella 105. dicuntur θεάτρου κυνηγία, & θεάτρου κυνηγέσια, à Cicerone *venatio*, & à Trebellio in Gallienis *venatio ludicra.* Ammiano lib. 14. *ludicra cruenta.* à Prudentio *vesanus ludus.* à Lampridio *venatus*, à Seneca epist. 71. *ludus bestiariorum.* & à Cassiodoro lib. 5. epist. 42. *ludus crudelis, sanguinaria voluptas, religio impia, humana feritas.* dignissima sanè est epistola illa, quæ à quouis legatur ad detestandos hos ludos. Redeo. Similis est pœna, qua Constantius apud Ammian. lib. 14. afficiebat maledicentes sibi: *Si quis enim militarium vel honoratorum, aut nobilis inter suos, rumore tenus esset insimulatus fouisse partes hostiles, iniecto onere catenarum, in modum belluæ trahebatur: & inimico vrgente vel nullo, quasi sufficiente hoc solo quòd nominatus esset, aut delatus, aut postulatus, capite vel multatione bonorum, aut insulari solitudine damnabatur.*

2. IAM SI PECTORIBVS AD TRANSLVCENDVM, &c.] Est hoc omnino quod Cyprianus epist. 2. *ô si possis in illa sublimi specula constitutus* 870.

oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare; aſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſet aſpicere frons pudica. Vt verò videas, quemadmodum ſibi doctores conſonent, ſicuti Tertullianus optat in humanis pectoribus ſpecularem materiam ad translucendum: ita Hieronymus ad Saluinam ait, *Scintilla vigoris paterni lucet in filio, & ſimilitudo morum per ſpeculum carnis erumpens*, &c. in re verò Tertulliani teſtimonium eſt Themiſtij orat. 14. καὶ τοι μέλλων γε ἅπτεσθαι καὶ διηγεῖσθαι τῶν ἀνάκτων ξένον τι ἀτεχνῶς ὑποδύομαι, καὶ ἄπιστον πάθος· διανοίγεται γὰρ μοι τὸ στῆθος καὶ ἡ καρδία, καὶ διαυγεστέρα γίνεται ἡ ψυχὴ, καὶ τὰ ὄμματα ὀξύτερα τῆς διανοίας: *Quanquam dum ego ea aggredi atque attingere volo, quæ in Imperatore reperiuntur, mirum quiddam in me atque inuſitatum experior. Etenim pectus mihi & cor ipſum aperitur, & pellucidior animus, & oculi mente perſpicaciores penetrabiliorésque ſunt.* & Valerianus Epiſcopus Homil. 6. *Nam ſi aliquis poſſet humani pectoris ſecreta perquirere, inueniret ad ſingulos ſonos fiſtulæ corda infelicium ſuſpirare.* & Fauſtus Rhegienſ. Epiſc. *O ſi iam nunc faciem peccatoris animæ liceret oculis cordis aut corporis intueri, & conſcientiæ noſtræ vultum in oculorum præſentiam permitteremus adducere?* In fine noto Meurſium legere part. 2. Criticar. exercit. cap. 24. *quoddam ſpeculare*, adducto Iuuenale, & Martiale, aliiſque, qui vtuntur ea voce. neſcio tamen quare Tertullianus non potuerit vſurpare, *quandam ſpecularem materiam.*

871. 2. CVIVS NON PRÆCORDIA, &c.] Exoſculor Vvouerenij notam, legentis, *Cuius non præcordia inſculpta apparerent noui ac noui Cæſaris ſcena in congiario diuidendo præſidentis.* Etenim *ſcena* legendum eſt, quia *præcordia inſculpta* eſſent *ſcena*, & dicit *ſcena* quaſi theatro quodam, in quo mirabilis eſſet pictura noui ac noui principis præſidentis in congiario diuidendo: Etenim nunquam dicebatur, *ſcenam diuidere*, ſi de ſcena ſtrictè accipiendum ſit, reſtat vt de imagine quadam & theatro accipiatur. Itaque malè, qui *ſcenam* hactenus excuſere, & hi ſunt omnes Rhenanus, Pamelius, Heraldus. Inſuper Liuineius Belga in Notis ad Panegyricum octauum pag. 349. qui ſic legit: *Iam ſi pectoribus ad translucendum quandam ſpecularem materiam natura obduxiſſet, cuius non præcordia inſculpta apparerent noui ac noui Cæſaris ſcenam congiariis diuidundo præſidentis, etiam illa hora qua acclamant*, &c. Malè vtique.

872. 2. IN CONGIARIO DIVIDENDO.] *Congiarium*, eſt munus ac ſumma pecuniæ, qua Imperator populum vniuerſum afficiebat; & *donatiuum*, quo milites. Si quando verò in congiario aliquid præter pecuniam dabatur, apponebatur. Vt cùm Lampridius de Alexandro Seuero ait, *Congiarium populo tertedit, donatiuum militibus ter, carnem populo addidit.* infrà ait: *Quirites, vicimus Perſas, milites diuites reduximus: vobis congiarium pollicemur, cras ludos Circenſes Perſicos dabimus.* Capitolinus in Antonino Pio: *Congiarium populo dedit, militibus donatiuum addidit.* Diſcrimen quod poſui inter *congiarium*, & *donatiuum*; vt illud eſſet quod populo daretur, iſtud quod militibus, firmum eſſe debet magna ex parte: nam aliquando variant auctores. Spartianus enim in Adriano ait, *Donatiuum populo ac militibus expendit.* Sic contrà de congiario Capitolinus & in Antonino Pio: *Congiarium militibus ac populo de proprio dedit.* Aliquando pecunia ſpargebatur vniuerſis. Nicephorus Conſtant. τῆς δὲ βασιλικῆς πρόοδου κατὰ τὸ εἰωθὸς ἐπὶ τὸν καθολικὸν ἐκκλησίαν γενομένης, ἐστατείαν ἐποίησαν, καὶ τοῖς παρελθοῦσι χρήματα δίνειμαν, ἐν τῷ Παλατίου αφέδρωσι μέχρι τῆς ἐκκλησίας τοῦτο ἐπιτελοῦντες: *Cúmque vt Imperatorum mos eſt, in Eccleſiam Catholicam procederent, ingenti populum largitione facta pecuniam à Palatio ad templum vſque ſparſerunt.*

2. DE NOSTRIS ANNIS, &c.] Ambroſius in obitu Valentiniani Imperatoris: *Quam noſtræ vitæ temporibus fulcire cuperemus, vt de noſtris annis viueret, qui fungi non potuit ſuis.* Nicephorus Conſtant. in breuiario Hiſt. καὶ κατήρχοντο εὐφημοῦντες τοὺς βασιλεῖς: *Ita imperatoribus feliciter comprecantes receſſerunt.* Simætas etiam apud Ælianum lib. 1. var. hiſtoriæ cap. 32. Artaxerxem Memnonem compellans, inquit, ὦ βασιλεῦ Ἀρταξέρξη, δι' αἰῶνος βασιλεύοις, Corippus lib. 2. 873.

Iuſtinum, Sophiámque pares, duo lumina mundi
Eſſe ferunt, Regnate pares in ſecula, dicunt.
Felices annos dominis felicibus orant.
Inſonuit vox illa diu, tandémque quieuit.

Et lib. 3. ſic ait,

Auguſti vitam lætis clamoribus optant.
Poſt ſenium dicunt ſeſe iuueneſcere, mundus
Gaudet, & antiquæ repetit primordia formæ.

B In Concil. Chalcedonenſi act. 4. πολλὰ δ' ἔτη τῷ βασιλέων, πολλὰ δ' ἔτη τῆς Αυγούστης: *Multi anni Imperatoribus, multi anni Auguſtæ.*

3. SED VVLGVS, INQVIS, VT VVLGVS, &c.] Accommodat Heraldus huic Tacitum lib. 3. Hiſtoriæ: *Et vulgus eadem prauitate inſectabatur interfectum, qua fouerat viuentem.* Et ego illud Nicephori Conſtant. in breuiario hiſt. πολλῶντε παρὰ πλήθους τὰ θεωρήματα ὕβρεων αὐτοῖς καὶ ἐμπυσμάτων, οἷα φέρει τὸ ὀχλῶδες καὶ ἀγελαῖον συμβαίνειν εἰώθει, κατηχθέντων, ὥτω δὴ ἀθέσμου ἐκεῖνον καὶ αἰσχροῦ δήλωσιν δίκαιον: *Atque ij multis ab ſpectante populo contumeliis ac ſputis etiam dehoneſtati, cuiuſmodi ab incondita forenſique plebe par eſt fieri, infando illo ac turpi curriculo perfuncti ſunt.* & Agathiam, lib. 2. Hiſt. qui vulgaribus hominibus, οἵ τε ἀκριβῶν σοφίζεσθαι πεφυκότες: *neſcientes accuratè res perpendere.* Sed potiùs inquit, ἐς ῥᾳστώνην ἐμβεβληκότες, καὶ πρὸς τὸ ἡδὺ μόνον τῆς γνώμης ἅπαντα κρίνοντες: *Otio ignauiæque immerſi omnia iudicant ad guſtum.* & lib. 3. ait, πρέπον μὲν τοῦτο καὶ ἄλλως τοῖς πολλοῖσιν, οἷς δὴ τὸ νεωτερισμῷ, καὶ τοῖς μεταβολαῖς τῶν πραγμάτων: *Familiare eſt multitudinis vitium, vt nouitati ſtudeat, rerúmque mutationibus delectetur.* 874.

C

3. DEPOSTVLATORES.] Similiter in Scorpiaco cap. 8. Danielem inquit *à Chaldæis delatum ac depoſtulatum.* Euſebius lib. 4. cap. 15. τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα.

3. DE IPSO SENATV.] Locutio Afri huius, vt aliàs viſum, qui mirè commutat vſum præpoſitionum *de* pro *ab.* ita vt *ſpirare de Senatu*, nihil ſit aliud quàm *ſpirare ab Senatu.* id eſt, ab ordine Senatorio; ſic *ab equite*, id eſt, ab equeſtri ordine. 875.

D

3. VNDE CASSII, ET NIGRI, ET ALBINI.] Coniurauit in Antoninum Caſſius, cuius extat in Vulcatio vita, & hæc crudelitatis exempla: *Quoniam de ſeueritate eius dicere cœpimus, multa extant crudelitatis potiùs quàm ſeueritatis eius indicia: nam primùm milites, qui aliquid prouincialibus tuliſſent per vim, in ipſis locis in quibus peccauerant, in crucem ſuſtulit. Primus etiam id ſupplicij genus inuenit, vt ſtipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id eſt, materiam, & à ſummo vſque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incenſiſque aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. idem denos catenatos in profluentem mergi iubebat, vel in mare. Idem militibus deſertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites, dicens maius exemplum eſſe viuentis miſerabiliter criminoſi, quàm occiſi.* Hæc etiam adducit Baronius tomo 2. Annal. vt intelligamus Tertullianum de iſto Auidio Caſſio loqui, non de alio; quapropter à me quoque adducta ſunt. Peſcennius autem Niger, & Albinus in Seuerum conſpirarunt; vitam Nigri Spartianus, Albini Capitolinus perſequitur. Mitto Herodianum Græcum, & omnes qui vitas Imperatorum ſcripſerunt, & aſſumo verba Concilij 4. Toletani hæc, quæ ad rem:

Quicunque ergo ex nobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gotthorum statu, vel conseruatione Regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, anathema sit, &c. Similia verba sunt in Concilio Toletano 7. cap. 18. Quæ verba mihi adducta in testificationem Tertulliani.

876. 3. VNDE QVI INTER DVAS LAVROS OBSIDENT CÆSAREM?] Hic locus multorum ingenia exercuit, cùm Tertullianus clarè intelligat Commodum; quod vidit optimè Heraldus. Hic enim de obsesso tantùm loquitur, & postea vbi necem describit Commodi, ait *eius*, referens ad superiora, vnde cùm sequentem partem accipiunt de nece Commodi, restat vt hanc accipiant de obsesso Commodo; & Tertullianus sui æui principes notat. & Iunius qui de duobus triumphis loquitur, effugium tantùm quærit. Cùm ergo esset in Laureto lauris consito Commodus; quòd ea regio esset salubrior, Cleander ita rem disposuit, vt pene obsessus dici queat Imperator, vt narrat Herodianus lib. 1. Omitto: ea enim omnia latè adducit Heraldus. Difficile autem in primis est, quî dixerit Tertullianus *inter duas lauros*? nam quamuis duarum laurorum mentio in Martyrologio occurrat, is locus quo præfocatus est Commodus, nõ debuit sic nominari, dicente Herodiano de Laureto μαίστις κατάσκιον δασυφόρετε ἄλσεσιν, quòd scilicet esset *syluis laurorum opaca regio*. Mihi quidem aut *diras lauros* scriptum esse videtur, aut *diuas lauros* speciali quadam ratione diuinitatis, quæ esset in illis, vnde *diuæ lauros* tutelares Cæsarum intellige. inde & *laurum sacram* appellauit Poëta 7. Æneid. eo versu,

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multoque metu seruata per annos.

Vnde & ludi dicti sunt *sacri*, quos Romani habebant, & in quibus magnum stabiliti imperij pondus ponebant, in quibus ludis coronati lauro spectabant & Imperator, & Senatores. Vide hac de re, quæ dico in dictum locum Virgilij.

877. 3. VNDE QVI FAVCIBVS EIVS EXPRIMENDIS PALÆSTRICAM EXERCENT?] Notat iam Commodi mortem. Aurelius Victor in Commodo. *Ad extremum ab immisso validissimo palæstrita compressis faucibus expirauit.* Lampridius in eius vita. *Primùm ei venenum* (scilicet Ælius Lætus præfectus, & Martia concubina eius) *dederunt; quod cùm minus operaretur, per athletam cum quo exerceri solebat, eum strangulauerunt.*

3. VNDE QVI ARMATI PALATIVM IRRVMPVNT?] Pertinacem intelligit, qui in ipsis foribus Palatij ab irruentibus militibus interfectus est. Capitolinus in eius vita: *Sed ille declinatis militibus, per porticus egressus, adoperto capite, domum se contulit. Verùm cùm ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit, eósque longa & graui oratione placauit. Sed cùm Tausius quidam, vnus è Tungris, in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit, atque à cæteris confossus est.* Herodianus lib. 2. καὶ δὴ τῆς δωματίας προελθὼν, ὡς αὐτόμολος ἀπῆει: *Igitur cubiculo egressus, factúsque obuiam irruentibus,* disseruit, cur se vellent interficere, & in eodem loco, ὑπ' ἀρεσβύτου ὑπεσπάντες φονέυσι, *irruentes senem interfecerunt.*

878. 3. OMNIBVS STEPHANIS ATQVE PARTHENIIS AVDACIORES.] Cur hic *Sigerios*, & *Cornelios*, & *Chæreas* admittam, cùm clarè constet ad-

A luderead mortem Domitiani, qui ab Stephano & Parthenio interfectus est? Suetonius in eius vita c. 17. *Stephanus Domitillæ procurator, legenti traditum à se libellum, & attonito suffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius, & Maximus Parthenij libertus, & Saturius decurio cubiculariorum, & quidam è gladiatorio ludo vulneribus septem contrucidauerunt.* Videndus Dio. De Stephano Zosimus lib. 1. Historiæ. Δομιτιανὸς ὠμότητι καὶ ἀσελγείᾳ καὶ πλεονεξίᾳ πάντας ὑπερβάς, καὶ πάντε καὶ δέκα τὸν πάντας ἐνιαυτὸν τῷ πολιτεύματι λυμηνάμενος, ἀνῃρέθη ὑπὸ Στεφάνου ἀπελευθέρου ἐνὸς, ἔδοξε δίκας τῆς πονηρίας ἐκτίνειν: *Domitianus, crudelitate, luxuria, anaritia cunctis superior, Republica per totos quindecim annos vastata, trucidatus à Stephano liberto, pœnas improbitatis luere visus est.* Alluſit Ammianus l. 15. *Arcessebantur enim ministri fuisse Galli ferocientis, pèrque eos Domitianus discerptus credebatur.*

4. POST VINDEMIAM PARRICIDARVM RACEMATIO SVPERSTES.] 879. Metaphora optima, qua à Seuero conquisiti sunt, qui Pertinacem, & se voluerunt interficere. Nihil hîc de Plautiano. Zosimus de hac re lib. 1. Historiæ. καὶ πρὸς ἁπάντων τοῖς φαπώτας τοῖς αὐτοκράτορα Περτίνακα, καὶ Ἰουλιανῷ παραδοῦναι τὴν βασιλείαν, πικρῶς ἐτιμωρήσατο: *Ante omnia* (Seuerus) *de militibus, qui Pertinacem necauerant, & Iuliano tradiderant imperium, acerba supplicia sumpsit.* Scio Baronium de Plautiano hæc capere tomo 2. Annal. pag. 264. Cui vt refrager, impulit me auctoritas aliorum, quos sequor, Heraldi, & ante omnia Zozimi.

4. ENVBILABANT.] Aliàs *nebulabant*; quod congruit cum illo Persij Sat. 5.

--- vnctæque fenestræ
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernam.

5. ET QVI ASTROLOGOS, &c.] Attingit hoc crimen Tertullianus, quia sub Seuero multi propter Astrologos periere. Spartian. in Seuero: *Multos etiam quasi Chaldæos, aut vates de sua salute consuluissent, interemit.* Quod Seuerus fecit (admonente Heraldo) quia ipse pene eodem crimine, cùm priuatus adhuc esset, absumptus est: referente sic Spartiano: *In Sicilia quasi de Imperio vel vates, vel Chaldæos consuluisset, reus factus, apud præfectos prætorio, quibus audiendus datus fuerat, absolutus est, calumniatore in crucem acto.* Cæterùm de iis criminibus adeundus liber de idololatria.

5. QVAS ARTES VT AB ANGELIS DESERTORIBVS PRODITAS.] 880. Iustinus Martyr in Dialogo cum Thryphone eisdem Angelis has artes imputat; eos enim vocat, τὰ τῆς πλάνης πνεύματα, καὶ δαιμόνια: *impostura spiritus atque dæmonia.* & Tertullianus lib. de idololatria cap. 9. *Vnum propono, Angelos esse, illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam huius curiositatis.* Quem locum vide. Cassianus collat. 8. cap. 21. vocat Angelos apostatas.

5. PERSCRVTARI.] verbo *quæro* istud Tacit. 3. Annal. *Adiiciebantur adulteria, venena, quæsitúmque per Chaldæos in domum Cæsaris.*

5. ALITER CVRIOSA SOLLICITVDO SANGVINIS, ALITER SERVITVTIS.] Hinc cùm Seruilia accusaretur, prætendit vim sanguinis, nõ Principem, apud Tacitum lib. 16. Annal. *Vetera hæc. Sed recens discrimini patris filiam connectebat, quòd pecuniam Magis dilargita esset. Acciderat sanè pietate Seruiliæ (id enim nomen puellæ fuit) quæ charitate erga parentem, simul imprudentia ætatis, non tamen aliud consuluerat, quùm de incolumitate domus, & an placabilis Nero, an cognitio Senatus nihil atrox adferret.*

CAP.

CAP. XXXVI. ARGVMENTVM.

Tenentur Christiani diligere non solùm Imperatorem, sed & omnes homines.

TERTVLLIANVS.

881. 1. SI hæc ita sunt, vt hostes deprehendantur, qui Romani vocabantur, cur nos qui hostes existimamur, Romani negamur? non possumus & Romani non esse, & hostes esse, cùm hostes reperiantur, qui Romani habebantur: adeò pietas & religio & fides Imperatoribus dedita non in huiusmodi officiis consistit, quibus & hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi, sed in iis moribus quibus ciuilitas tam verè in Imperatorem, quàm circa omnes habet exhiberi: neque enim hæc opera bonæ mentis solis Imperatoribus debentur à nobis.

EXPLICATIO.

1. HÆc cùm ita sint, & Romani illa admisisse dicantur, non est cur nos Romani esse negemur, etiamsi infanda illa admiserimus. *Non possumus*, &c. Duplex negatio affirmat. q. d. Possumus & Romani esse, & hostes esse. *Adeò pietas*, &c. *Pietas* enim *& religio*, quæ debetur Imperio, non sita est in his rebus, *quibus fungi* malitia *potest ad sui velamentum, sed in iis moribus, quibus ciuilitas* vtitur, veriùs vti debet *in Imperatorem*, sicuti in alios omnes, cùm hæc opera non solùm respiciant Imperatores: *Ciuilitas* enim propriè est, pax, & concordia ciuium.

882. 2. Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis præstamus, qui non ab homine aut laudis aut præmij expensum captamus, sed à Deo exactore & remuneratore indifferentis benignitatis. Iidem sumus imperatoribus, qui & vicinis nostris. Malè enim velle, malè facere, malè dicere, malè cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcunque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam: quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est.

2. Nihil facimus boni cum *exceptione personarum*, quia videlicet nobis ipsis facimus, qui non homines, sed Deum habemus remuneratorem. Quamobrem cùm nemini malè cupiamus, & optemus, multò minùs id licebit *in Imperatorem*, vel quòd à Deo electus est, atque adeò bonitas & benignitas nostra ex æquo omnes respicit.

NOTÆ.

883. 1. QVI HOSTES.] Aliàs *quia hostes*, & nescio vti placeat.

1. EXISTIMAMVR.] Nam minus est existimari, quàm deprehendi. Si ergo Romani sunt, qui deprehenduntur hostes, cur non Romani erimus qui existimamur tantùm hostes?

1. NON POSSVMVS ET ROMANI NON ESSE.] Heraldus legit, *Romani nos esse*.

1. ADEÒ, &c.] Hactenus refutauit illos ex propria ipsorum opinione, nunc clarè ait, pietatem, & religionem, & fidem debitam Imperatoribus non esse positam in his officiis & rebus, quibus velatur, tegitur, dissimulatur hostilitas, vt faciùt Gentiles, qui cùm dicant palam esse Romanos, clam tamen insidiantur. *Pietas & religio*, etiam coniunguntur à Valerio Max. lib. 1. cap. 1. *Sed pij simul ac religiosi animi laude fraudandus non est.*

1. DEDITA.] Aliàs est *debita*, & placet.

1. SED IN HIS MORIBVS, &c.] Pamelius sic habet: *Sed in his moribus quibus diuinitas imperat tam verè quàm circa omnes necesse habet exhiberi*: quorum verborum hęc erit sententia: In quibus ergo moribus consistit pietas, religio, & fides debita Imperatoribus? Certè in illis quos imperat diuinitas, & quos *habet exhiberi*, id est, quos iubet exhiberi, *tam verè, quàm circa omnes*, id est, verè & circa omnes. Sed quî illud *quibus imperat*? nam Grammatica petit, quos imperat diuinitas. defendetur Helleniſmo. Sic Virg.

Cui Remulo cognomen erat:

Quam notam vide 9. Æneid. vbi abundanter hoc.

2. INDIFFERENTIS BENIGNITATIS.] Id est, quam indifferenter sine exceptione personarum præstamus omnibus ex æquo. Sic explicant, & bene. Schoppius putat ex ms. legendum *indifferentia*, & putat Tertullianeum.

CAP. XXXVII. ARGVMENTVM.

Quòd ad Christianos pertinet neminem ledere, quamquam pro multitudine possent se vindicare.

TERTVLLIANVS.

884. 1. SI inimicos (vt suprà diximus) iubemur diligere, quem habemus odisse? item, si læsi vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, quem possumus lædere? Nam de isto ipsi recognoscite. Quotiens enim in Christianos desæuistis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quotiens etiam præteritis vobis suo iure nos inimicum vulgus inuadit lapidibus vel incendiis? Ipsis Bacchanaliũ furiis nec mortuis parcunt Christianis; quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis

Matth. 6.

iam alios, iam nec totos auellant, diſſecent, diſtrahant. Quid tamen de tam conſpiratis vnquam denotatis, de tam animatis ad mortem vſque pro iniuria repenſatis? Quando vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret.

EXPLICATIO.

885. 1. QVi iubentur *inimicos diligere*, quem debent *odiſſe*? qui læſi prohibẽtur *vicem referre quem* debent *ladere*? ideò verò prohibentur, ne malè agendo pares ſint. *Nam de*, &c. Teſtes vos eſtis, quoties deſæuire *in Chriſtianos* placitum ſit, vel inſita animorum proteruia, vel, vt legi veſtræ pareatis? Teſtes vos eſtis? quoties hanc rem vulgus pro ſua capiat, & *lapidibus* nos atque *incendijs* impetat, vobis præteritis neque conſultis? *Ipſis Bacchanalium*, &c. In ipſis verò Bacchanalibus, quos inſtar furiarum celebratis, ſuntne Chriſtiani in ſepulcris tuti? qui eſſe debebant, vt qui iam tranſierint ad immunitatem illã, & aſylum mortis, ac perinde ſint alij. temperatisne ab auulſione, diſſectione, diſtractione cadauerum ſemiputrefactorum? hoc eſt enim, *iam nec totos*. Pergit. *Quid tamen de*, &c. Falsò iactatis nos conſpirare; nam ſi hoc eſſet, denotaretis nobis hoc crimen, at nunquam *denotatis*. Si ita conſpiramus, vt nec mortem timeamus, certè iniuria hæc repenſanda, eſſet magnis ſuppliciis: atqui nunquam damnamur propter hoc crimen, non ergo conſpiratores ſumus. Certè niſi nobis vindicta omnis eſſet interdicta (hoc enim eſt *malum malo diſpungi*, de qua vberiùs alibi) pauculæ faces poſſent iniuriam depellere à nobis, & vobis incendium mittere.

886. 2. Sed abſit vt aut igni humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim & hoſtes exſertos, non tantùm vindices occultos, agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorũ & copiarum? Plures nimirũ Mauri, & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcunque vnius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quàm totius orbis? Heſterni ſumus, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, nõ prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere.

887. 2. Nolumus tamen diuinam religionem *humano igni* vindicare, nolumus tormentis repugnare quibus probamur. *Si enim*, &c. Eſto enim hoſtes manifeſti & exferti eſſe vellemus, non tantùm vindices occulti, *deeſſet* nunquid *nobis vis* ingens *numerorum* militarium *& copiarum*? *Plures nimirum Mauri*, &c. Quos modò Seuerus debellauit Mauros, Marcomannos, Parthos, pluresne ſunt *quàm* Chriſtiani *totius orbis*? Pluresne nationes & gentes ſuis finibus deſcriptæ, quantaſcunque mihi numeres, etiam grandes, vt Hiſpanos Germanóſque, quàm Chriſtiani totius orbis? non hoc dabis. *Heſterni ſumus*, &c. Heri orti ſumus, & totum pene orbem occupamus, & *ſola* idolorum *templa vobis relinquimus*. Si libenter trucidamur, credite idoneos nos fore, & promptos bello, etiam ſi *impares copijs*. Sed habemus doctrinam, quæ iubet, vt ſinamus nos occidi, & neminem occidamus.

888. 3. Potuimus & inermes nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes ſolius diuortij inuidia aduerſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtique dominationem veſtram tot qualiumcunque amiſſio ciuium. imò etiam & ipſa deſtitutione puniſſet: proculdubio expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum & ſtuporem quemdam quaſi mortuæ vrbis, quæſiſſetis quibus in ea imperaſſetis. Plures hoſtes, quàm ciues remanſiſſent. Nũc enim pauciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum pene omnium ciuium, pene omnes ciues Chriſtianos habendo.

889. 3. Quin potuimus *inermes*, & non *rebelles* aduerſus vos dimicare, tantummodo diuertendo à vobis & ſecedendo in locum aliquem. Si enim à nobis abruptio facta eſſet in locum alium, vtique dominatio veſtra & imperium verecundiam contraheret ex amiſſione tot ciuium, qualeſcumque illi ſint. Quin imò punitio eſſet iſta diſceſſio; nam ſtatim pauor vos occupaſſet in ſilentio & ſtupore, & *quaſi mortuæ vrbis* reliquias ſcrutari placeret ad exercendum imperiũ; & in receſſu noſtro remanerẽt vobis plures hoſtes in nobis quàm ciues veſtri: nunc autẽ pauciſſimi hoſtes ſunt veſtri exuberãte numero Chriſtianorũ, quorũ poteſtatẽ habetis.

890. 4. Sed hoſtes maluiſtis vocare generis humani potiùs quàm erroris humani. Quis enim vos ab illis occultis & vſquequaque vaſtantibus mentes & valetudines veſtras hoſtibus raperet? à dæmoniorum incurſibus dico, quæ de vobis ſine præmio, ſine mercede depellimus. Suffeciſſet nobis hoc ſolum noſtræ vltioni, quòd vacua exinde poſſeſſio immundis ſpiritibus pateret. Porrò nec tanti præſidij compenſationem cogitãtes, non modò non moleſtum vobis genus, verùm etiam neceſſarium, hoſtes iudicare maluiſtis: qui ſumus planè, non generis humani tamen, ſed potiùs erroris.

4. Adhuc inſolentia veſtra hæc eſt, vt Chriſtianos *generis humani* ruinam & *hoſtes*, non *erroris humani* appelletis. Quis enim vos liberaret à dæmonum poteſtate niſi Chriſtiani? Quis vos eriperet *ab incurſibus dæmoniorum*, quæ in veſtras mentes & ſalutes debacchantur? Etenim illud ſatis ad vltionem nobis eſſet, ſi patêre vos tam diro malo ſineremus. Vnde ciuitatibus Chriſtiana natio non grauis aut moleſta videri debet, ſed neceſſaria potiùs & gratioſa, nec appellari *hoſtes humani generis*, ſed *erroris humani*.

NOTÆ.

I. QVEM HABEMVS ODISSE.] Ita Vlpianus, *habere laborare*. Marcellinus, *habere operari*. Ita Tertullianus aduerſ. Valent. *Nec habens ſuperuolare crucem*. Itaque *quem habemus odiſſe*, eſt, quem odimus, vel quem debemus odio habere.

I. RECOGNOSCITE.] Verbum iuris. Valerius Max. *Tot ſacrilegia ſunt* (inquit lib. 1. cap. 1.) *quot iam recognoſcimus*.

I. VVLGVS INVADIT LAPIDIBVS ET INCENDIIS.] Duo arma vulgi notiſſima. Tacitus 14. Annal. *Multitudine ſaxa ac faces minitante*. Nazianzenus in epitaphio magni Baſilij, deſcribens ſubitum ciuium furorem: αἱ δᾷδες ἐν χερσὶν, οἱ λίθοι περιβεβλημένοι: *Faces ad manus, lapides ad iactum*. Simocatta lib. 3. cap. 1. ἃ μὲ λίθοις ἐπιφερόμενα, ἃ δ' καὶ ξίφεσι: *Pars lapides iactantes, pars gladios diſtringentes*. Magnus Poëta 1. Æneid.

Iamque faces & ſaxa volant.

Conſule locum hunc.

I. BACCHANALIVM FVRIIS.] Valerius Max. lib. 1. cap. 3. *Bacchanalium ſacrorum mos nouus inſtitutus, cùm ad perniciem iretur, ſublatus eſt*. Sollemnis fuit iſte Bacchantium mos. De Chariclea ait Heliod. lib. 1. Hiſt. Æthiopicæ: ἡ δὲ τῆς κόμης ὑπὸ τῷ στεφάνῳ βάκχειον στεφομένης, καὶ τοῖς νώτοις πλεῖστον ὅσον ὑποστρεχούσης: *Et capillus ſub corona Bacchico more iactaretur, & magnam tergi partem occuparet*. Eandem notam adhibet lib. 6. βάκχειόν τι οἰστρηθεῖσα, ταῖς τε κόμαις ἀφειδῶς λύεται, καὶ θοιμάτιον περιρρήξαμένη: *Bacchico furore percita, capillos ſoluit, nihil illis parcens, & veſtem ſcidit*. Sed quæ illæ furiæ? Audi Pachorum in vita Ioannis cap. 39. vbi de Bacchanalium furiis: *Mos erat, in ſollemni quadam die conſtituta, viros & mulieres ſine pueris introire, & bibere & manducare, & poſt crapulam impetum ad alterutrum facere more inſanientium equorum; & per inſanum deſiderium viros cum mulieribus ſuccũbere*.

893. I. NEC MORTVIS PARCVNT CHRISTIANIS.] Spartian. in Antonino Caracalla. *Tractáque ſunt eorum per plateam cadauera ſine aliqua humanitatis reuerentia*. Digna ſunt quæ legãtur illa Caſſiodori lib. 6. Var. 8. *Defunctorum quin etiam ſacram quietem, æquabilia iura tuæ conſcientiæ commiſerunt, ne quis veſtita marmoribus ſepulchra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligioſa temeritate præſumeret, ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis, aut voraci flamma conſumptos ſcelerata perſcrutatione detegeret, ne corpus, quod ſemel reliquerat moleſtias mundanas, humanas iterum pateretur inſidias*. Hoc idem vitium tribuit Nicetas Choniates in vita Alexij lib. 1. cap. extremo, ipſi Alexio: καὶ ἐπυμεωρυχωῦτο οὑῶ τὰ μνήματα· ὡς τοῖς πώποτε Ῥωμαίων ἄρξασι, καὶ ὅσοις αἱ περέξεις πεπόδεξοι, τὸν λαΐνοις πεπελεκῆσθαι μόνον χιτῶνας, τὸ ψυχρὸν καὶ τελευταῖον κώλυμα τοῦτο, παντὸς μεγιστωμάτου ἐπικοσμήματος τιμήφοις: *Itaque ſepulchra effodiuntur: nec vllis Romanorum Imperatoribus, quantum ob res geſtas claris, quicquã præter ſaxeas tunicas, frigidum & extremum illud propugnaculum, relinquitur, omni pretioſo ornatu ſpoliatis*. Quint. Declamatione 14. *Facinus quod dicitur inquietare ſuperos, ſidera diris agitare carminibus, tumulos buſtáque ſcrutari, & amputatis cadaueribus ipſas inſcelera armare manus*. Apuleius lib. 2. *Nam nec mortuorum quidem ſepulchra tuta dicuntur à lamijs, ſed & buſti rogis reliquiæ quædam, & cadauerum præſegmina ad exitiabiles viuentium fortunas petuntur, & cantatrices anus in ipſo momento choragij funebris, præpeti celeritate alienam ſepulturam anteuertunt*. Hæc eò pertinent, vt ad maleficos vſus inquietarentur corpora defunctorum.

894. I. DE REQVIE SEPVLTVRÆ.] Demoſthenes, vel quis alius, contra Ariſtogitonem: ὡστε ἀπηνθρακότα δέξασθαι: *neque mortuum exceperit*. Chryſoſt. Homil. 2. aduerſus Iudæos: καὶ γὰρ οἱ λῃσταὶ τὰ πλευρὰ κατεξαίνονται, καὶ τυμβωρυχοι, καὶ γόητες: *Nam latronibus raduntur latera, & monumentorum perfoſſoribus, & præſtigiatoribus*. Ambroſius epiſt. 31. *Vbi tunc erat iſta ſententia, cùm direptis Chriſtianorum omnium facultatibus, ipſos vitales anhelitus, ſpiritus inuiderent, & nullis vſquam negata defunctis, inhiberent ſuprema commercia ſepulturæ?* Et *quietem* dicit de ſepultura. Apul. lib. 2. *Deſine iam precor, deſine; ac me in meã quietem permitte*.

2. QVID TAMEN DE TAM CONSPIRATIS VNQVAM DENOTATIS.] Heraldus legit, & Vvouerenius, *denotaſtis*: & ſtatim Heraldus, *largitur*, vbi nos *largitatem*. Ad ſententiam facit illud Luciferi Calaritani in opere, cui eſt titulus, Moriendum eſſe pro filio Dei; ſic enim loquitur aduerſum Conſtantium conſtantiſſimè: *Hinc eſt quod crimen tua crudelitas noſtris illudit corporibus, cur magni æſtimemus fidem, cultoréſque Dei nos eſſe nõ abnegemus; totis in nos incumbis carnificinæ tuæ viribus, arbitratus nociturum te nobis, ignorans probationis noſtræ nos gaudere occaſionibus: hi videlicet qui felicitatem noſtrã hanc exiſtimemus maximam, ſi in hoc iuſtitiæ agone tua carnifice manu nobis contingat pro Dei ingulari filio: ſtabiles contra tuam religioſa mente perſtamus inſaniam, vincente ſcilicet in nobis eo pro quo patimur*. Satis ne cõſtans & animatus videtur eſſe ad Martyrium, & conſpirans, vt ipſe ait Tertullianus? & infrà maiori auiditate Martyrij: *Feriant licet per te diabolici fluctus, & pulſent latè vagantes mundi turbines, magis magiſque immobilis, vt eſt, erit virtus, nec vndis tuarum infeſtationum circumſpumãtibus ſuccumbemus operti, ſed contra omnia crimus ſemper erecti pericula; ſiquidem non ſit Chriſtianus animus abiectus, qui ſternatur & iactetur ad vitia; ſed eò vſque ſit generoſus ac nobilis, vt contra omnia tentamenta immobilis victórque permaneat. Non ſumus Chriſtiani cogitantes præſentis fragilis vitæ dulcedine perfrui, ſed ſumus, adipiſci cupientes æternæ ſecuritatis & felicitatis gloriã, perpetuæ beatitudinis poſſeſſionem*. Et adhuc infrà: *Martyrij cogit dignitas, vt vitam Chriſtiani morte cõtemnamus*. Et: *Creſcit Conſtanti crudelitatis tua pugna, ſed creſcere aduerte & Chriſti militibus gloriam; nec retardamur denique ab acie tormentorum metu, ſed ipſi magis tuis tormentis ad aciem prouocamur. Hic ita eſſe negare non poteris, quando conſpicias pari & ſimili calore virtutis Chriſtianos toto in orbe ad gerendum certamen animatos, quãdo videas militem Chriſti incorruptam fidei firmitatem, quod non deteſtandæ tuæ blanditiæ decipiant, non minæ furoris tui terreãt, non cruciatus tuæ carnificinæ, ac tormenta tuæ crudelitatis deuincãt, illo videlicet in nobis manente, & nobiſcum ſemper conſtituto, qui ad beatos Apoſtolos dixerit, Vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*. Et: *ſtetimus & ſtamus, & quoadusque conſumas corpora noſtra, ſtaturi ſumus ſalutari Chriſti clypeo muniti, lorica pietatis eius circumdati, ſanctò ſpiritu gubernati, immobiles & magis magiſque in omnibus victores, pellentes omnem vocem ſeruitutis. Dilacerati toto corpore, vtique nos patimur, probantes nihil congruere ſapientium grauitati atque conſtãtiæ, quàm nullis terroribus de ſententia & propoſito depelli, ſed eſſe vtiliſſimum pro Deo cruciari*. Et: *Cæterùm quantum ad exitum, nihil intereſt, clauo per te an lancea moriar, reſtrictis poſt terga manibus an porrectis ſparſiſque, vtrùm, pronum, incuruum, an rectum, & editum, nihil refert: vtrùm quieſcentem me in lectulo occidas, an ceruicem mihi ſtanti incîdas gladio, an ſecuri caput auferas: an ad palum me, an ad crucem alliges, igne torreas, an viuum*

humo condas, saxo præcipites, an in maria mergas. Demum post multa absoluit: *Nihil iudico ad me pertinere, alitesne an canes meum corpus lanient, hæreant corpori meo fera, luminibus illis crudelibus te spectante, insiliant, iacens humi vnguibus dentibúsque ad ossa vsque rediger, cùm post hæc omnia Deo saluus sim.* Multis processi, nec mirere; ea enim in Lucifero Episcopo est Martyrij cupiditas, vt mihi etiam frigenti animos dederit, ad similem tormentorum carnificinam perferendam.

897. 2. VIS NVMERORVM ET COPIARVM.] Nempe militarium numerorum. Mihi tamen videtur legendum *animorum*, ne in tautologiam incidat, & sic videtur in paraphrasi legisse Zephyrus, in quo est, *siue ad copias, siue ad deuotionem animorũ respiciatis.* Quid quòd statim probat *copias*, cùm ait, *Hesterni sumus, & vestra omnia impleuimus: & animos*, cùm subdit: *Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copijs, qui tam libenter trucidamur?*

2. PLVRES NIMIRVM MAVRI, &c.] Vide Baronium Annal. tomo 2. pag. 159. vbi de his hostibus. Neque enim Tertullianus incassum locutus est.

2. HESTERNI SVMVS.] Pamelius legit *externi*, illum sequitur Baronius 2. tomo Annal. pag. 98. quia ex vna Iudæa exierũt Christiani. Nos asseruimus veterem lectionem cum Heraldo, & Iunio. Cæterùm ad rem pertinet, quod scribit Iustinianus Noster, Tertullianum spectauisse ad id quòd Paulus ait cap. 2. ad Romanos, vbi gratias agit pro Romanorum fide. Ad quam rem adducit Cyprianum, epist. 31. *Antiqua hæc apud nos seueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua, quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset, dicendo: Quia fides vestra prædicatur in toto mundo*, &c. Et posteà Ambrosium paria dicentem.

898. 2. MVNICIPIA.] Erant hæc, vrbes iure ciuitatis Romanæ donatæ: etsi donatæ, non habebantur tamen pro veris ciuibus; & equites municipales pro ignobilibus equitibus ponebãtur; quòd eorum splendor & diuitiæ non essent conferendæ cum Romanis. Iuuenal. Sat. 8. *---municipalis eques,*
de Cicerone dixit; & Tacit. lib. 4. *Municipalem adulterum*, pro ignobili & obscuro; inquit enim: *séque ac maiores & posteros municipali adultero fœdabat. Conciliabula verò*, loca in quibus ius dicitur, atque in concilium conuenitur, foris tamen ipsis inferiora erant. Interdum tamen in municipis ius ascendebant. Frontinus de limit. agror. *Hoc conciliabulum fuisse fertur, & posteà in municipis ius relatum.* Cùm ait posteà *Palatium*, nihil aliud intellige quàm domum Cæsarum: & cũ audis *Palatinos ludos* in Suetonio (Caligula, 56.) domi Cæsarum factos puta: cùm esset ita ampla domus: eius meminit Tertullianus. *Forum*, is locus erat negotiationis & nundinationis, vbi etiam ius dicebatur: vt forum Flaminij, forum Iulij, forum Licinij. Hæc sunt difficiliora, reliqua clara sunt.

899. 2. CASTRA, &c.] Aduertit Baronius tomo 2. Annal. cùm dicit: *Castra, tribus, decurias, palatium & senatum* replesse; planè ostendere Christianos iam domi & militiæ honores & magistratus administrasse. Quod vt probet, adducit ista Vlpiani I. C. de Proconsulis officio lib. 3. *Eis qui Iudaicam superstitionem sequuntur, diui Verus & Antoninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitiones eorum non læderent.* Quæ verba de Christianis esse intelligenda, accuratus interpres admonuit.

2. PALATIVM.] Domos Cæsarum adierant Christiani. Irenæus lib. 4. cap. 49. *Qui autem & hi qui in regali aula sunt fideles? nonne ex eis, quæ Cæsaris sunt, habent vtensilia, & ijs qui non habent, vnusquisque eorũ secundùm suam virtutem præstat?* Iam Mammiæ familiaritatem cum Christianis caussam fuisse vt Alexander multos haberet fideles in comitatu, nemo est qui dubitet; ex quibus multos occisos esse à Maximino eius successore, credibile est, cùm dicat Capitolinus: *Cæteros etiam sine iudicio, sine accusatione, sine delatione, sine defensore omnes interemit, omnium bona sustulit, & plusquam quatuor millibus hominum occisis, se satiare non potuit.* Quis dubitet ex his multos fuisse Christianos?

2. SOLA VOBIS RELINQVIMVS TEMPLA.] *Templum* in hoc auctore & in aliis propriè Gentilium dicitur, quod visum sæpius, & nunc offero Cæcilium, apud Minut. *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla simulacra?* Origenem lib. 8. contra Celsum: Κέλσος φησὶν, μὴ βωμοὺς, ἢ ἀγάλματα, ἢ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν: *Celsus ait, nos aras, simulacra, templa ponere nolle.* Aurelianum, apud Vopiscum: *Miror, vos, patres Sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorũ Ecclesia, non in templo Deorum omnium, tractaretis.* Et Ammianum, lib. 15. *Tunc annus quædam orbata luminibus cùm percontando quinam esset ingressus, Julianum Cæsarem comperisset, exclamauit, hunc Deorum templa reparaturum.* Obiter notetur, à Dionysio Afro ἐν πεζῳ. *templum* dici μέλαθρον absolutè, & nulla re addita: verba eius:

Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον.

Fortasse ab nigrore fumi, qui ex thure & sacrificiis. Et illud Varron. lib. 6. *Templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auspicio, ab similitudine. Naturâ in cœlo, auspicio in terra, similitudine sub terra.* In Ennio leges: *Cœli templa*, &, *Acherusia templa.* Quin Plaut. Mil. Glor. *templum* vocauit mare:

Quæ me in locis Neptunis templisque turbulentis
Seruabit, sæuis fluctibus sum afflictata multum.

Ennius etiam dixit *Neptunia templa* de mari.

3. EXPAVISSETIS AD SOLITVDINEM VESTRAM.] Hoc argumentum ad rem aliam traducit Basilius in epist. ad Tarsenses, quam Federicus Metius interpretatus est: *Vt soli relinquantur blasphemi, atque ita vel pudore ad veritatem adducantur; vel, si in peccato maneant, ob paucitatem indigni putentur, quibus fides habeatur.* Sed proprius est Tacitus lib. 3. Hist. de Vitellio quærente latebras: *Terret solitudo, & tacentes loci.* Orosius lib. 2. cap. 19. *Horror quatiebat animos, silentia ipsa terrebant, siquidem materia ipsa pauoris est raritas in spatiosis.* Virg. 2. Æn.

Horror vbique animos, simul ipsa silentia terrent.

Ad quem locum dicebam plura.

3. AD SILENTIVM RERVM ET STVPOREM QVENDAM QVASI MORTVÆ VRBIS, QVÆSISSETIS, QVIBVS IN EA IMPERASSETIS.] Iunius legit, *quasi mortuæ vrbis reliquias quæsissetis.* Heraldus sic, *quasi mortui, vrbes quæsissetis, quibus imperaretis.* Videtur facere lectio Heraldi ad claritatem; sed revera non ita est; nã mortui si essent, non quærerent: at mortuæ ciuitatis, hoc est, ciuibus suis destitutæ, possunt aliunde quæri, quibus in ea imperent.

4. INCVRSIBVS.] Vox propria; Cyprianus ad Donatum: *Vt quis expiatus & purus nulla incursantis inimici labe capiatur.* Tertullianus de Anima cap. 8. *Et pluribus notum est dæmoniorum opera & atroces & immaturas fieri mortes, quas incursibus deputant.* Et propriè dicit, quis vos raperet & eriperet à dæmonibus? Et enim dæmon, vt est apud Metaphrasten 1. Februarij interrogatus à Tryphone viro sancto, cur in puellam Gordiani Imperatoris filiam irruisset, respondit, dæmones in illos habere potestatem, qui opera iisdem grata exercent, qualia sunt, simulacrorum seruitus, blasphemiæ, adulteria, veneficia, inuidiæ, cædes.

4. SINE PRÆMIO, SINE MERCEDE DEPELLIMVS.] Chrysologus serm. 18. *Pelluntur à nobis dæmones.* Verba illa *sine præmio*, habet Heral-

900.

901.

dus in Notis, *ſine pretio*; adducit inſuper verba Irenæi apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 17. ὡς γὰρ ἀνθρωπου εἶλκυσε παρὰ Θεοῦ.

4. NON GENERIS HVMANI, &c.] Adducit Heraldus hanc lectionem ex veteribus editionibus: *non generis humani, ſed potiùs tamen erroris.* Et placet. Schoppius hanc: *non generis humani hoſtes, ſed potiùs erroris*: & rectam putat.

CAP. XXXVIII. ARGVMENTVM.

Chriſtianorum ſectam neque deputandam eſſe inter factiones licitas.

TERTVLLIANVS.

902. 1. PROINDE nec paullò leniùs inter licitas factiones ſectam iſtam deputari oportebat, à qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri ſolet. Niſi fallor enim, prohibendarum factionum cauſſa de prouidentia conſtat ac modeſtia publica, ne ciuitas in partes ſcinderetur: quæ res facilè comitia, concilia, curias, conciones, ſpectacula etiam æmulis ſtudiorum compulſationibus inquietaret, cùm iam & in quæſtu habere cœpiſſent venalem & mercenariam homines violentiæ ſuæ operam. At enim nobis ab omni gloriæ & dignitatis ardore frigentibus nulla eſt neceſſitas cœtus, nec vlla magis res aliena quàm publica.

EXPLICATIO.

903. 1. ABSOLVIT iam ſecundam criminationem, quam Gentiles iactabant in Chriſtianos, & tertiam incipit illorum qui dicebant ſodalitia Chriſtianorum admittenda non eſſe, quaſi ſubeſſet aliquid in principes, & vocabant *factiones*, voce ignominioſa, quòd in vnum coniungerentur, tãquam coitionem aliquã facturi in principem. Incipit igitur: *Proinde nec paulò leniùs*, &c. Proinde oportebat ſectam iſtam deputari inter licitas factiones: *nec leniùs paulò*: nec in hoc tam leniter cum hac ſecta ageretis vt ſuperaretis minimam lenitudinem. Vulgo: *no ſeria eſto hacerle a nueſtra ſecta mas corteſia, quelamenos que le podeis hacer. A qua nihil tale*, &c. Ratio cur iſta ſecta inter licitas deputari debeat, quia ſcilicet *nihil tale* in ea *committitur quale de illicitis factionibus timeri ſolet. Niſi fallor*, &c. Nam ratio cur diſiiciantur factiones, eſt cauſſa publica proueniens è *prouidentia ac modeſtia, ne ciuitas* ſcindatur *in partes*, quibus facilè omnia conturbarentur, cùm quiuis vel pretio operam ſũam & laborem venalem addixiſſet & mercenarium, & vi auri commotus poſſet irrumpere in quoduis flagitium. Hæc autem ratio in nobis & in noſtra factione friget: frigent enim nobis ardores gloriæ & dignitatis, quibus homines ad hæc flagitia impelluntur, nec vllam cum rebus publicis habemus Chriſtiani vicinitatem.

904. 2. Vnam omnium Rempublicam agnoſcimus mundum, æquè ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cùm & ipſis rebus de quibus tranſiguntur præterſumus: nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu cum inſania Circi, cum impudicitia Theatri, cum atrocitate Arenæ, cum Xyſti vanitate. Quò vos offendimus, ſi alias præſumimus voluptates? ſi oblectari nouiſſe nolumus, noſtra iniuria eſt, ſi forte, non veſtra: ſed reprobamus quæ placent vobis, nec vos noſtra delectant. Sed licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, id eſt, animi æquitatem & ampla negotia.

905. 2. Rationem ponit, cur Chriſtiani vicinitatem non habeant cum rebus publicis. Chriſtiani quippe *vnam* habent *Rempublicam*, vniuerſum ſcilicet *mundum, ſpectaculis* renuntiant, & *eorum originibus*, quæ conceptæ ſunt *de ſuperſtitione*; & cùm deinde ſint præter res *quibus tranſiguntur*: verbi gratia: Circus tranſigetur *cum inſania*, Theatrum *cum impudicitia*, Arena *cum atrocitate*, Xyſtus *cum vanitate*, ab his longè Chriſtiani abſunt. *Quò vos*, &c. In nullo. *Si oblectari*, &c. *Si nolumus oblectari* in cognoſcendo fabulas, quæ aguntur in Theatris, nec noſſe volumus inſaniam illam Circi, &c. Damnum illud non ad vos, ſed ad nos pertinet; nihil inde vobis deperit, ſed nobis, ſi tamen quicquam deperit. Tantumdem habemus, ſi nos veſtra reprobamus, vos noſtra. *Sed licuit*, &c. An nobis non licebit, quod *Epicureis licuit*, qui cùm ab Epicuro didiciſſent ſummum bonum eſſe voluptatem, illis fraudi non fuit, ſi eam intellexiſſe vellent, non quæ eſt in huiuſmodi lucris, ſed quæ procedit ex æquitate, & ex maximis rebus præclaréque geſtis?

NOTÆ.

906. 1. LICITAS FACTIONES.] Nomen contumelioſum. Minut. *Quid homines (ſuſtinebitis enim me impetum ſuſceptæ actionis liberius exerentem) homines, inquam, deploratæ, inlicitæ, ac deſperatæ factionis graſſari in Deos non ingemiſcendum eſt, qui de vltima fæce collectis imperitioribus, & mulieribus credulis ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ coniurationis inſtituunt?* Multa Heraldus. Omitto. Optatus Mileuitanus lib. 2. *Quid eſt, quod toti Afri & peregrini in illa ciuitate ſibi ſucceſſiſſe noſcuntur? non apparet dolus? non factio, quæ mater eſt ſchiſmatis?* Infrà idem Minut. *Sacraria teterrima impiæ coitionis.* Heraldus mutauit in *illicitas factiones*, ſenſu vt videtur alieno.

1. DE PROVIDENTIA CONSTAT AC MODESTIA PVBLICA.] Tertullian. de Spect. *Nam sæpe censores renascentia cùm maximè theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia præuidebant.* Legunt aliqui, *de prouidentia constat modestiæ publicæ.* Mihi videtur legendum, *de prouidentia ac modestiæ publicæ,* quasi sit veluti exemplum quoddam totius prouidētiæ modestia publica, ac proinde, *ac,* erit, veluti & quasi modestiæ publicæ: vt, *facit perinde ac si Rex esset,* id est, veluti si Rex esset. Apuleius lib. 4. *Et vocat confestim puerum suum, pinnatum illum, & satis temerarium, qui malis suis moribus contempta disciplina publica flammis & sagittis armatus, per alienas domus nocte discurrens, & omnium matrimonia corrumpens, impune committit tanta flagitia.* Ioan. Chrysost. Hom. 19. ad Populum: οὐ γὰρ ἐπιτιμῶντες τῷ ἐργασίαν, καθάπερ οἱ τὴν πόλιν ἡμῖν οἰκοῦντες, ἀλλὰ ἐπιτιμῶντες τῷ ἀργίαν, μαθόντες, B ὅτι πᾶσαν ὀνείνη τὴν κακίαν ἐδίδαξε, καὶ διδάσκαλος πονηρίας ἐγένετο ἡ ἀργὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτήν: *Non enim erubescunt cultura, sicut vrbem nobiscum habitantes, sed erubescunt segnitie, quoniam didicerunt omnem illam docuisse malitiam, & ab initio se diligentibus nequitiæ fuisse magistram.*

2. MVNDVM.] Iunius legit, *mundum æque.* Pamelium secuti sumus.

907. 2. SPECTACVLIS VESTRIS IN TANTVM RENVNTIAMVS, &c.] Est hoc quod Chrysostomus dicit loco suprà adducto, ἐν τῇ σκηνῇ καὶ μίμων παιδιαῖς. Videlicet fugiebant Christiani scenam & mimorum ludos. Cyprianus quoque: *Conuertere hinc vultus ad diuersi spectaculi non minus pœnitenda contagia.* Et latè dilabitur. Lactantius lib. 6. cap. 20. *In scenis quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, & amoribus meretricum,* &c. Subdit multa. Et postea iterum: *Vitanda ergo spectacula omnia, non solùm nequid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata & pacifica esse debent; sed ne eius nos voluptatis consuetudo deliniat, & à Deo atque à bonis operibus auertat.* Deinde alia.

1. CVM INSANIA CIRCI.] Prudent. in Hamartigenia,

---nec equum vesania feruida Circi
Auctorem lenitatis habet, rapidive fragoris.

Statius lib. 3. Syluarum:

---certè lasciuia cordi
Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia Circi,
Aut intrat sensus clamosi turba Theatri.

Tertull. de Spectac. cap. 16. *Cùm ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam à Circo, vbi propriè furor præsidet.* Quem librum vide.

908. 2. CVM IMPVDICITIA THEATRI.] Tertullianus Aduers. Marcion. lib. 1. *Quid non frequentes tam sollemnes voluptates Circi furentis, & caueæ sauientis, & scenæ lasciuientis.* Idem Tertullianus de Spectaculis: *Quonam leges illæ abierunt, quæ Theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant?* Cyprianus: *Cothurnus est Tragicus priscæ facinora carmine recensere, de parricidis & incestis horror antiquus expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne seculis transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est.* Subiicit multa. Et Lactantius vbi suprà: *Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent, & instigant?* Pariter multa. Augustinus lib. 2. de Symbolo cap. 2. *Alius fortassis Theatri amator admonendus sit, quid fugiat, & quo delectetur,* &c. Et post aliqua: *Illic intuentur spectatores propositum nescio quem confictum Deum Iouem, & adulterantem & tonantem.* Varro de lingua Latina: *Obscenum à scena, quod nisi in scena palam dici non debet.* Sidonius epist. 13. lib. 3. *Quorum sermonibus prostitutis ac Theatralibus nullas habenas, nulla præmittit repagula pudor.*

2. CVM ATROCITATE ARENÆ.] Sal- 909.
uianus lib. 6. *In spectaculis primum deliciarum genus est mori homines, impleri ferarum aluos humanis carnibus cum circumstantium voluptate, & conspicientium latitia. Atque hoc fiat, orbis impendium est. Adeuntur loca abdita, lustrantur inuij saltus, peragrantur syluæ inexplicabiles: &, vt deuorari possint homines, non licet naturam rerum habere aliquid secretum.* Hieronymus 9. tomo epist. ad Demetriadem, si illius est: *Ad consulatum eorum diuersæ totius orbis prouinciæ, ad quas domus vestræ potentia extenditur, peregrinas feras & ignota animalia transmiserunt, quæ crudelis Arenæ solum vel suo vel hominum sanguine eruentarent.* Idem in vita Hilarionis: *Non Circi furoribus, non Arenæ sanguine, non Theatri luxuria delectabatur.* Arnob. lib. 2. Amphitheatra vocat, *loca sanguinis, & publicæ impietatis.* Petron. Satyr.

Quæritur in syluis Mauri fera, & vltimus Ammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua dente
Admortes pretiosa suas: premit aduena classes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Vt bibat humanum populo plaudente cruorem.

Irenæus lib. 1. aduersus Hæreses cap. 1. ita vituperat hoc spectaculum: καὶ ἐπὶ πᾶσαν ἑορτάσιμον τῶν ἐθνῶν τέρψιν εἰς πιλῶ τῶν εἰδώλων γινομένῳ, παρέστηκε σωτῆρα· ὡς μηδὲ τῆς περὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων μεμιγμένης τῆς τῶν θηριομάχων καὶ μονομαχίας ἀδεοφόνου θέας ἀπέχεσθαι ἐνίους αὐτῶν: *Atque ad omnia Gentilium festa & oblectamenta, quæ ad Idolorum honorem cultúmque celebrantur, primi confluunt: adeò vt nonnulli eorum, ne à sanguine quidem & funesto, Deóque & hominibus inuiso spectaculo, in quo cum feris dimicatur, vel gladiatores inter se pugnant, abstinendum sibi esse putent.*

2. CVM XYSTI VANITATE.] Tertullia- 910.
nus, de Pudicitia cap. 7. *Perit igitur & fidelis elapsus in spectaculum quadrigarij furoris, & gladiatorij cruoris, & scenicæ fœditatis, & Xystici vanitatis.* Et de Spectaculis, cap. 18. *Non probabis vnquam vanos cursus, & iaculatus, et saltus vaniores.*

2. SI OBLECTARI NOVISSE NOLVMVS.] Aliàs est, *si oblectari nouissimè nolumus,* & laudo.

2. NOSTRA INIVRIA EST, SI FORTÈ, NON VESTRA.] Lectio clara. Pamel legit,

Nostra iniuria est, si fortè, nostra non vestra.

Iniuria hîc damnum est. Infrà cap. 40. *Hæc vtique non sine iniuria incolentium accidere potuerunt.* Quem locum vide.

2. SED LICVIT EPICVREIS, &c.] Mihi Iunij lectio non probatur, sed neque hærens; nam illud *ampla negotia,* quis deuoret? Vvouerenius adducit hanc, cui insistendum, dum aliud alluceat: *Sed licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem,* ἀπραξίαν, καὶ ἀπραξίαν, *id est, animi æquitatem, & à publicis negotys requiem.* Adiungitque Heraldus locum hunc è Spectaculis cap. 18. *Delicatus es Christiane, si & in seculo voluptatem concupiscis; imò & nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Philosophi quidam hoc nomen quieti & tranquillitati dederunt, in ea auocantur, in ea gloriantur, Tu mihi metas, & scenas, & pulueres, & arenas suspiras.*

CAP. XXXIX. ARGVMENTVM.

Disciplina Christianorum, vbi dilucidè & clarè ponit omnia quæ peragi solita sunt in Ecclesia.

TERTVLLIANVS.

911. 1. EDAM iam nunc ergo ipse negotia Christianæ factionis, vt qui mala refutauerim, bona ostendam. Corpus sumus de conscientia religionis & disciplinæ vnitate & spei fœdere. Coïmus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta precationibus, ambianus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinâ præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu. Summúmque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentus & omnis sancti commercii relegetur.

EXPLICATIO.

912. 1. HOc caput admirandum est, vt in quo tractatur de negotiis Christianæ religionis, post dilutas criminationes Gentilium: & quoties illud lego occurrit animo, quid si talis essem! Clarissima autem sunt omnia, ideo vnum aut alterum apponam. *Corpus* dicit pro congregatione & collegio Christianorum. *De conscientia religionis*, eiusdem conscij religionis, siue, corpus sumus de religione conscij, vel scientes simul eamdem religionem. *Coïmus* de eiusmodi congregationibus dicitur. *Quasi manufacta*, copiis in vnum coniunctis. *Orantes* ad Deum. *Pro mora finis*, vt iudicij extremi dies non adueniat, & moretur. *Qualitas*: potest contingere tale accidens, vt illud nos impellat ad capiendum consilium. *Certè fidem*, &c. Illustrissimum hoc, etenim fides pascitur *sanctis vocibus*, *spes* erigitur, *figitur* in Deum *fiducia*. *Disciplinam*. præcepta diuina repetuntur, inculcantur, & veluti addensantur à nobis, ne labascant. *Vt apud certos de Dei conspectu*, sic iudicant vt qui visuri sunt certissimè Deum. *Relegetur*: hæc est excommunicatio.

913. 2. Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Nec enim pretio vlla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria summa quasi redemptæ religionis congregatur: modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi depositа pietatis sunt, nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandísque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iámque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, duntaxat ex caussa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.

914. 2. *Præsident probati quique seniores*, notat Episcopos & presbyteros. Et *probati* ait, nam ante ordinem, oportebat illos probari à tota fraternitate. *Etiam si quod arcæ*, &c. Ad arcam, quæ communis est, descendit. Non in hanc injicitur summa, quæ titulo honoris constet, quasi in pecunia religio Christiana ematur & redimatur. Si vult semel in mense dat, & cùm vult dat, &c. *Voratrinas* vocat helluationes, in quas non dispensatur hæc pecunia. *Domesticis senibus*, sunt hi senes, qui propter ætatem imbecillam domi coguntur remanere. *Metallis*, fodinis. *Custodiis*, carceribus. Et hi omnes Christianæ religionis caussa. *Alumni*, vt scilicet quique sit alumnus & nutricius suæ confessionis.

915. 3. Sed eiusmodi vel maximæ dilectionis operatio, notam nobis inurit penes quosdam. Vide, inquiunt, vt inuicem se diligant: ipsi enim inuicem oderunt. Et vt pro alterutro mori sint parati: ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt. Sed & quòd fratres nos vocamus, non aliàs, opinor, infamant, quàm quòd apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est.

3. Quæ sanè *operatio* maximam nobis contumeliam inurit infamiæ ac notæ, nam statim ipsi, *vide vt se diligant*, quia videlicet *ipsi* Gentiles se *oderunt*. Et statim, vide vt *parati sint* Christiani *pro alterutro mori*, quia videlicet ipsimet paratiores sunt ad *alterutrũ occidendum*. Quid quòd infamant & dedecorant nos, quòd *fratres* vocemur. Fortasse quia ipsi affectant nomen fraternitatis simulatum, & propriè ait, affectant.

916. 4. Fratres autem vestri sumus, iure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto digniùs fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem

Deum agnouerũt, qui vnum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem ad vnam lucem expauerint veritatis. Sed eo fortaſſe minùs legitimi exiſtimamur, quia nulla de noſtra fraternitate Tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque quia animo animáque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter vxores: in iſto loco conſortium ſoluimus, in quo ſolo cæteri homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolum modo matrimonia vſurpant, ſed & ſua amicis patientiſsimè ſubminiſtrant: ex illa (credo) maiorum & ſapientiſsimorum diſciplina Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores ſuas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum cauſſa, & alibi creandorum, neſcio quidem an inuitas. Quid enim de caſtitate curarent, quam mariti tam facilè donauerant? ô ſapientiæ Atticæ, ô Romanæ grauitatis exemplum, leno eſt Philoſophus & cenſor. Quid ergo mirum ſi tanta charitas conuiolatur?

917. 4. Statuit cum ipſis Gentilibus fraternitatem, etſi malam, quia ipſi mali homines. *At quanto*, &c. Cauſſas noſtræ fraternitatis proſequitur, *vnum patrem* habere *Deum*, bibiſſe *vnum ſpiritum ſanctitatis*, *ad vnam lucem veritatis* in baptiſmo ſubitò expauiſſe *de vno ignorantiæ vtero*. *Sed eo*, &c. Ponit cauſſas, quibus permoti Gentiles Chriſtianorum fraternitatem infamant, & quidem ridiculas, quòd nulla Tragœdia compoſita (vt Thyeſtæ olim & Atrei) *de* ea *fraternitate* exclamat, quòd ex bonis familiaribus & *ſubſtantia* vitæ *fratres* ſimus, quæ neceſſitas vos adigit ad rumpenda fœdera fraternitatis. *Itaque quia*, &c. Dicit indiſcretis animo & anima dubitandum non eſſe de ſubſtantiæ *communicatione*. Quibus omnia ſunt diuiſa *præter vxores*: nam in hoc ſi falli eos contingat *conſortium* ſoluunt, *in quo cæteri* mortalium maximam habent repoſitam pecuniæ facultatem. Et infamat Socratem apud Græcos, qui vxorem ſuam tanquam armenti matricem amico ſuo ad propagandam ſobolem conceſſit: & Catonem apud Romanos, qui Marciam ſuam Hortenſio flagitanti tribuit. *Et alibi creandorum*, eſt, vt domi ſibi filios ſuſciperent, *& alibi* crearent, nempe in amicorum conſortio, quaſi dicat, vxorem meam mutuò tibi accipe, & liberos ſimul meos, quos illa nutriat. Vel ſic explica: *Duxerant* vxores *in matrimonium*, vt ex illis liberos ſuſciperent, quos tamen, mutata voluntate virorum, fœminæ iam communicatæ amicis procrearent liberos, non in matrimonio, ſed *alibi* in adulterio.

918. 5. Nam & cœnulas noſtras præterquam ſceleris infames, vt prodigas quoque ſuggillatis: de nobis ſcilicet Diogenis dictum eſt, Megarenſes obſonant, quaſi craſtina die morituri; ædificant verò quaſi nunquam morituri. Sed ſtipulam quis in alieno oculo faciliùs perſpicit, quàm in ſuo trabem. Tot tribubus, & curiis, & decuriis ructantibus aceſcit aër. Saliis cœnaturis creditor erit neceſſarius. Herculanarum decimarum, & polluctorum ſumptus tabularij ſupputabunt. Apaturiis, Dionyſiis myſterijs Atticis, coquorum delectus indicentur, ad fumum cœnæ Serapicæ ſparteoli excitabuntur, de ſolo triclinio Chriſtianorum retractatur.

919. 5. *Cœnulas noſtras* non ſolùm vt *infames ſceleris* vt de infanticidio & de inceſto *ſuggillatis*, ſed etiam *prodigas* denotatis, quo crimine vos video laborare. quaſi verò de nobis Diogenes luſerit dicto aduerſus Megarenſes. *Sed* quàm facilè quiuis *ſtipulam in alieno oculo*, *trabem* in proprio non conſiderat. Nam quid dicam de *tribubus* cœnantibus, *curiis*, *& decuriis*, nonne ex eructatione ſtomachorum aceſcentem aëra ſenties, & prorſus innubilatum? Quid ſi Salij cœnent, nonne *creditor* erit *neceſſarius*, qui ſumptus largiatur? nonne tũ temporis Herculanæ decimæ cogentur locari? nonne *polluctorum ſumptus* immenſi ſupputabuntur & locabuntur à tabulariis? etenim iſta erunt neceſſaria, vt Saliares menſæ ſplendeſcant: Porrò *decima*, quæ Herculi de eſculentis omnibus ſacrabatur, dicebatur *polluctum*. An Græci minore luxu? Quid dicam de *Apaturiis*, (hoc inſultabundè in gentiles) quæ ſacra erant Dionyſio, durabántque dies tres continuos, & addebatur quartus, & fiebant quàm maxima luxuria, illiſque ab ἀπάτη, id eſt, *fraude*, nomẽ inerat? Quid dicam de fumo *Serapicæ cœnæ* in Ægypto, *ſparteoliſque*, id eſt, hominibus vigilibus, nequis incendij caſus oboriatur? Nunc autem de tenui *triclinio Chriſtianorum* & paruo nimium, ſermo grandis excitatur & inuidioſus.

920. 6. Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quanti ſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Si quidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus, non qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, ſub auctoramento ventris inter conturnelias ſaginandi, ſed qua penes Deum maior eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſſa eſt conuiuij, reliquum ordinem diſciplinæ de cauſſa æſtimate, quid ſit de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis eſt vtile. Ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem

adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulátur, vt qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina, vt quiſque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Atque oratio conuiuium dirimit, inde diſceditur, non in cateruas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum, ſed ad eamdem curam modeſtiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm diſciplinam.

921. 6. Cœnam ait ἀγάπην dictam, hoc eſt, dilectionem. Et demus illam ſumptibus magnis conſtare, *lucrum pietatis* eſſet, quando ea iuuantur *inopes*: non quaſi paraſiti & gulones affectant ad famulandam ſuammet libertatem, & ſeruituti adigendam in gloriam inuitantis ipſos, dum modò ſaturentur & ſaginentur *inter* quaſcunq; *contumelias* & probra *ſub ventris auctoramento*, (id eſt, obligatione ſaginæ, & ſeruitute ventris) *ſed qua maior eſt* melior *contemplatio*, (id eſt, cura) Chriſtianorum erga mediocres & pauperiores. Clariùs. Id quod fit contemplatione, & intuitu pauperum, quod Hiſpanicè, *à contemplation de los pobres. Si honeſta*, &c. Iam cauſſa poſita conuiuij, ex ea penſanda ſunt reliqua, vt nihil committatur contra decorum, oratio etiam apud Deum priùs guſtetur, tanquam ſaliua conuiuij, & vt dicitur, *hacer la ſalua*. Iam cùm *editur*, quid niſi quod eſuries petit? cùm *bibitur*, quid niſi quod vtile eſt pudicis? Saturatio habet Deum inſpectorem, quem debent ea nocte adorare; fabulatio & ſermo, eundem auditorem. *Poſt aquam*, &c. Poſt manuum ablutionem quę fiebat finito conuiuio, atque etiam lucernæ introitum, poſtquámque accenſi ſunt lychni, quiſpiam inuitatur *Deo canere*, non aliquid profanũ, ſed ſacrum: & cantilena probat quemadmodum biberit. *Atque oratio*, &c. Poſt conuiuium redditur gratiarum actio, & diſceditur *non in cateruas cæſionum*: gladiatores meridianos intelligit: *neque in claſſes diſcurſantium*, bacchantium globos & veluti agmina: *nec in eruptiones laſciuiarum*, laſciuos ſaltus & choreas, in quas Gentiles erumpebant poſt conuiuia: ſed itur cum animi modeſtia & pudicitia, *vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm diſciplinam* & doctrinam Dei.

922. 7. Hæc coitio Chriſtianorum meritò ſanè illicita, ſi illicitis par: merito damnanda, ſi quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela eſt. In cuius perniciem aliquando conuenimus? Hoc ſumus congregati, quod & diſperſi: hoc vniuerſi, quod & ſinguli: neminem lædentes, neminem contriſtantes: cùm probi, cùm boni coëunt, cùm pij, cùm caſti congregantur, non eſt factio dicenda, ſed curia.

7. Appellat nomine *coitionis* Chriſtianorum congregationem. & negat nomen, *factionis*, vt quæ malè ſemper audiit. Clara omnia.

NOTÆ.

923. 1. CHRISTIANÆ FACTIONIS.] Appellat *factionem*, vt ethnici, quod non veretur. Nam, vt inquit Feſtus, *factio* & *factioſus* initio honeſta vocabula erant. Vnde adhuc factiones hiſtrionum & quadrigarum ſunt. Cato apud Soſipatrum lib. 2. *vt inde iram, vt inde factiones tibi pares.* Id eſt, iram, & amicitias in bonam partem pares. modò autem nomine *factionis* ſeditio & arma vocantur. Sidonius epiſt. 25. lib. 4. *Stupentibus factioſis.*

1. CORPVS SVMVS.] Ita vocat congregationem & ſodalitium Chriſtianorũ. Arnobius lib. 1. *Si in ciuitate vna qualibet fame plurimos emori noſtri nominis auerſione fecerunt, cur ibidem annonaria caritate, non tantùm corporis non noſtri, verùm etiam Chriſtianos ditiores & locupletiſsimos reddiderunt?* Caſſianus lib. 2. cap. 5. *Quinam modus quotidiano cultui per vniuerſum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi conueniunt.* id eſt, cœtum. Sic etiam Conſtantinus & Licinius in edicto, quod Græcè conuertit Euſeb. σώματος dicit, & σώματα τῶν Χριστιανῶν: & Apoſtolus Paulus 1. Corinth. cap. 10. & 12.

924. 1. COIMVS.] Propriè dicitur *coïtio*. Plinius lib. 9. Epiſt. *Nam Idibus Septembribus magnus à regione tota coit populus. Multa res aguntur, multa vota ſuſcipiuntur, multa redduntur, ſed nullum in proximo ſuffugium aut imbris aut ſolis.* Tertullianus aduerſ. Pſychicos, cap. 14. *Niſi fortè in Senatuſconſulta, & in principum mandata coïtionibus oppoſita delinquimus.* Et *coimus* (inquit) omnes ſimul, quia, vt ait Ambroſ. in lib. de Pœnitent. *Multi minimi, dum congregantur vnanimes, ſunt magni, & multorum preces impoſsibile eſt contemni.* Et Baſilius epiſt. 68. *Oratio, quæ non eſt comprecatores A nacta, multò eſt ipſa languidior atque debilior.*

1. QVASI MANV FACTA.] Precibus coniunctis. Illuſtrat Heraldus. Nam Pontius in vita Cypriani: *Sic autem comitati eius infinitus exercitus adhærebat, quaſi ad expugnandam mortem manu facta veniretur.* Cicero pro Cæcinna: *Qui in pace & otio cùm manum fecerit, copias pacarit, multitudinem hominum coëgerit, armarit, inſtruxerit.* Tertullianus ad Scapulam cap. vlt. *Omnes illius ciuitatis Chriſtiani ante tribunalia eius ſe manu facta obtulerunt.* Inde ambiamus Deum precationibus, quaſi obſideamus & cingamus.

925. 1. HÆC VIS DEO GRATA EST.] Cyrillus Alex. in Amos num. 61. ad finem ſic ait: πολλὴ τοιγαροῦν τῶν ἁγίων ἡ χρεία. σώζουσι γὰρ πόλεις, καὶ ἀπαλλάττουσι χώρας συμφορᾶς ἐπιπρεπούσης, τῇ τοῦ βίου φαιδρότητι παρεγκόπτοντες ἐπὶ τὸ ῥᾴθυμον κρίνοντι ζέοντα τὸν θυμὸν, καὶ οἷον ἀνασειράζοντες ἐπιπέχοντα τὰ ἐκ θείας ὀργῆς κινήματα: *Vehementer itaque ſanctis opus eſt. Seruant enim vrbes, & regiones clade impendente liberant, iram Dei quantumuis feruentem vitæ claritudine retundentes, & impetus eius iracundiæ incurſantes nos, quaſi retrahentes.* Orationem Chryſoſtomus *arma* vocat Homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura. μέγα γὰρ ὅπλον εὐχή: *aptiſsima enim arma oratio eſt.* Vide eum longè excurrentem in orationis laudes, vocat enim eam, Theſaurum perpetuum, diuitias inexhauſtas, portum quietum, &c. Et infrà ita ait de oratione: εὐχῆς δυνάμις δυνάμεων πυρὸς ἔσβεσε, λεόντων θυμὸν ἐχαλίνωσε, πολέμους ἔλυσε, μάχας ἔπαυσε, χειμῶνας ἀνέστειλε, δαίμονας ἤλασεν, οὐρανοῦ πύλας ἀνέῳξε, δεσμὰ θανάτου διέκοψεν, &c. Vide an bene Tertullianus *vim* eſſe dixerit, & *Deo gratam.* id

est, *vis orationis vim ignium extinxit, impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia remouit, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cœli fores aperuit, vincula mortis disrupit*, &c.

926. I. ORAMVS PRO IMPERATORIBVS, &c.] Arnobius lib. 4. *Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter conuenticula dirui? In quibus summus oratur Deus, pax cūctis & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporis vinctione.* Sebastianus in suo Martyrio: *Pro salute tua semper Christum colui, & pro statu orbis imperij Romani, illum, qui in cœlis est, semper adorani.* Cæsarius Episcop. Arelatens. Homil. 29. *Nec solùm pro amicis, sed etiam pro inimicis Dei misericordiam deprecemur.*

I. COGIMVR AD DIVINARVM LITTERARVM COMMEMORATIONEM, &c.] Est *cogimur*, idem quod, cōuenimus. Iustinus Martyr Apolog. 2. *Et solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum fit conuentus: & Apostolorum commentaria aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde vbi quieuit lector, præpositus orationem habet, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur.* Græca etiam habet Heraldus. Hæc verba tam Tertulliani, quàm Iustini adducit Stephanus Durantus, lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ cap. 18. & illis probat consueuisse olim Presbyteros dicere Epistolas, verbi gratia, Pauli, & aliorum, quæ dicuntur ante sacrificium Missæ. Eadem verba adducit Gretserus in Defensione cap. 16. Bellarmini lib. 2. & ait, ista conuiuiola, non de illis intelligi, quæ quisque Christianus domi suæ parare poterat; sed de illis quæ Christiani coacti & congregati in vnum instituerant, maximè refocillandis his, quibus domi res & facultas tenuior erat.

927. I. AVT RECOGNOSCERE. CERTE FIDEM, &c.] Iunius legit, *aut recognoscere certè.* Fidem, &c.

I. CERTE FIDEM SANCTIS VOCIBVS PASCIMVS.] Augustinus in Confess. lib. 5. cap. 9. loquens de Monica: *Veniebat bis in die, non ad vanas fabulas* (supple in templum) *& aniles loquacitates; sed vt te, Domine, audiret in tuis sermonibus, & tu illam in suis orationibus.*

I. DISCIPLINAM PRÆCEPTORVM NIHILOMINVS INCVLCATIONIBVS DENSAMVS, IBIDEM ETIAM EXHORTATIONES.] Origenes contra Celsum lib. 3. *Qui lectionibus, earúmque enarrationibus populum hortamur ad pietatem erga Deum Opt. Max. ceteráque virtutes pietatis comites indiuiduas, & auertimus à contemptu numinis, cæteríque affectibus à præscripto rationis exorbitantibus.* Heraldus cum Græcis ista coniunxit.

928. I. ET CENSVRA DIVINA.] Fortasse an, *ex censura diuina*, nihil tamen muto. De ea sunt Gregorij Nysseni de Castigat. verba ista: ὁρῶσι τὼ ψυχὼ τὰ τῆ ἀφορισμοῦ φέρουσαν σύμβολα, ὥς τινα τῆ δεσμωτηρίου τῆ κόμη καὶ τῷ ῥύπῳ καταμορύσσον, ἀπελαύνουσιν ἀυτὼ τῆς ἐπὶ τὰ καλὰ φερούσης ὁδοῦ· οὐ συγχωροῦσιν ἰδεῖν πάγματα δικαίων, καὶ ἀγγελικῶ ἐυφροσυνῶ: *Vident animam separationis notas ferentem, quasi quendam fœtore & sordibus carceris notatum, abigunt ea semita quæ ad bona ducit, non concedunt vt ordines iustorum cernat, & angelicam lætitiam.* In Concilio Chalcedonens. Act. 3. in litteris Concilij ad Dioscorum: κελεύει ἡ θεοσέβεια ὑμῶν τῆς ἐπιμίοις τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς χρησώμεθα κῆ' αὐτῆς; *Iubet religiositas vestra, vt vltione Ecclesiastica contra eum vtamur?* Demum res ista passim in Conciliis. Origenes contra Celsum lib. 3. ἵνα τοῦ μὴ τὰ ἐπιῤῥύπτα φέρ' ἔχοντας ἀποκωλύσωσιν ἥκειν ἐπὶ τ' κοινὸν αὐτῶν σύλλογον: *Vt ijs qui turpibus facinoribus vitam commaculant, conuentus sui aditus intercludant.* Cyprian. ad Pompo-

nium: *Spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cùm domus Dei vna sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit.* Notat Baronius tomo 1. Annal. pag. 428. Tertullianum sæpissimè inculcare Ecclesiasticam censuram; modò enim *relegationem* appellat, modò *anathema*, modò *arcere ab Ecclesia & à communione fraternitatis, communicatione interdicere, prohibere ne in Ecclesiam recipiantur, communicatione depellere.* Itémque, *submouere à limine, & omni tecto ecclesiæ, dari extra Ecclesiam, sacramento benedictionis exaudiorare.* Sic sæpissimè *absolutionem* nominat illi oppositam, vt cùm ait: *largiri post liminium Ecclesiasticæ pacis, ad Ecclesiā reuocare, Ecclesiæ cōcorporare.* Cyprianus quoque epist. 62. nominat *spiritualem gladium.* Et de orat. Domin. vocat *abstentionem*, cùm sic ait: *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graniore delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separamur.* Et paulò post: *Timendum est & orandum, nedum quis abstentus separetur à Christi corpore.* Adiungo Optatum Mileuitanum, qui lib. 2. ita nominat: *Ramos fractos ab arbore, abscissos palmites à vite, riuum concisum à fonte.*

929. I. RELEGETVR.] Adducit Thomas Bozius lib. 16. cap. 7. hunc locum Cypriani: *Nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, de Ecclesia eiiciuntur; neque enim viuere foris possunt, cùm Dei domus vna sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit.* Et ego illud Nicetæ Dauidis in vita sancti Ignatij Archiepiscop. Constantinopolitan. vbi sanctus Ignatius Bardam: ἀπεδάλλεται τῆς κοινωνίας, ἀνάξιον τόπον τῆς θειοτικοῦ σώματος κρίνων μεταλήψεως: *A sacris arcet, indignúmque corporis Dominici participatione pronuntiat.*

I. PRÆSIDENT PROBATI QVIQVE SENIORES.] Dixi intelligi primo loco Episcopos. Id verum est, hoc efficit Turrianus lib. 1. de Can. Apost. cap. 16. Et producit Lucam in Actib. Apostolorum: *Statuerunt, vt ascenderet Paulus & Barnabas, & quidam alij ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem.* Vbi presbyteri sunt Episcopi. Et paulo pòst: *Tunc placuit Apostolis & senioribus.* Græcè est, presbyteris, id est, episcopis. Ego aliunde probo. Concilium Chalcedonense Act. 4. in litteris ad Imperatores Valentinianum, & Marcianum, ita habetur: *In omnibus expectamus sententiam Beatissimi patris nostri Archiepiscopi, & petimus vestram clementiam expectare præsidis* (πρόεδρου) *nostri sententiam, quia eum in omnibus sequamur.* Quod firmat exemplo Patrum, qui in Nicæa synodo congregati sunt. Græcè πρόεδρον appellant. Cyprianus de Ecclesiæ vnitate: *Quam vnitatē tenere firmiter & vindicare debemus, maximè Episcopi qui in Ecclesia præsidemus.* Idem ad Stephanum: *Item in litteris, quas collega nostri ad Episcopos in Numidia præsidentes antè dederunt.* Dixi secundo loco *presbyteros.* Hieronymus dissertat, Episcopos & presbyteros sæpè eosdem esse, & epistola ad Euagrium id latissimè, breuiùs adhuc in epistola ad Oceanum: *Siue Episcopi, siue presbyteri* (*quanquam apud veteres iidem Episcopi & presbyteri fuerint, quia illud nomē dignitatis est, hoc ætatis*) *iubentur monogami in clerum eligi.* Igitur Episcopi iure suo, presbyter cùm aberat Episcopus, præsidebant, erántque πρεσβῶτες, quæ vox familiaris est Græcis ad signandos Præsidentes. Nyssenus de scopo Christiani: χρὴ δὲ καὶ τὸν πρεσβῶτας τῦ πνευματικοῦ τύτου χοροῦ: *Ad hæc eos qui huic Spirituali choro præficiuntur.* Dicit *probati*, quoniam siue Episcopi, siue presbyteri ab omni fraternitate probabātur, priusquam subirent illud onus. Cyprianus in epist. ad Felicem: *Quod & ipsum videmus diuina auctoritate def-*

cendere, vti ſacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis A *deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio & teſtimonio comprobetur.* Hoc teſtimoniũ Cypriani, & latiùs quidem, adducit Heraldus. Demum nota cum eo, *Præſidentes* dici quoque *Præpoſitos*; quod multis firmat, non adducit Tertullianus: ideo omitto. Sed videndus ante omnia ſanctus Hieronym. in præfatione regulæ ſancti Pachomij.

930. 2. HONORARIA.] Pamelius edidit *ordinaria*, Heraldus *oneraria*, Puteanus (quem ſecuti ſumus) *honoraria*, quam lectionem Iunius quoque, & ita firmat. Plinius enim Traiano ſcribit: *Supereſt vt ipſe deſpicias an in omnibus ciuitatibus certum aliquid omnes qui deinde buleutæ dicuntur, debeant pro introitu dare.* Cui reſpondit Traianus: *Honorarium Decurionatus omnes, qui in quaque ciuitate Decuriones fiunt, inferre debeant, necne, à me non poteſt ſtatui.* Hæc igitur fuit in Republica *honoraria ſumma*, quaſi honoribus redemptis numerata. Verumtamen relinquimus in medium, vt legatur etiam *ordinaria*, propter auctoritatem Pamelij, & Baronij, tomo 1. Annal. pag. 322. B

2. MODICAM VNVSQVISQVE STIPEM.] Iuſtinus Martyr Apolog. 2. οἱ εὐπορεῶντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος πρὸ ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι: *Qui autem per facultates poſſunt & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod lubet, conferunt.* Fronto Ducæus ex noſtris adducit locum Chryſoſtomi in Notis ad Baſilium, hunc ſcilicet: οὐ προσαιτῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ πλανῶμαι, καὶ δουλεύω δουλείαν ξένην καὶ χαμαὶ πανταχοῦ προΐοῦσα, καὶ τὰ σύμβολα τῆς συμφορᾶς ἀφιέρευσα: *Nec ſtipem modò cogo, verumetiam oberro, ac nouam inuſitatámque ſeruio ſeruitutem, vbique locorum circumcurſans, ac notas calamitatis circumferens.* Tertulliani autem verba adducit Stephanus Durantus, lib. 2. de Ritib. Eccleſiæ cap. 26. ad probandas oblationes fidelium, quæ in miſſis fiunt, & aduocat inſuper iſta Cypriani de opere, & eleemoſyna: *Locuples & diues es,* C *& Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis. Intuere in Euangelio viduam præceptorum cœleſtium memorem. Inter ipſas preſſuras, & anguſtias egeſtatis operantem, in Gazophylacium duo, quę ſola ſibi fuerant, minuta mittentem.*

931. 2. MENSTRVA DIE.] Marcianus (adducente Heraldo) ſic ait: *Sed permittitur tenuioribus ſtipem menſtruam conferre, dum tamen ſemel in menſe coëant, ne ſub prætextu eiuſmodi illicitum collegium coëat.* Idem obſeruat ſalaria pendi ſolita ſingulis menſibus. Hac de re vide Euſebium.

2. SED EGENIS ALENDIS.] Cyprianus epiſt. 95. *Quantum autem ad ſumptus ſuggerendos, ſiue illis qui glorioſa voce Dominum confeſſi, in carcere ſunt conſtituti, ſiue his qui pauperes & indigentes laborant, & tamen in Domino perſeuerant, peto nihil deſit, cùm ſummula omnis, quæ redacta eſt, illic ſit apud Clericos diſtributa propter huiuſmodi caſus, vt haberent plures vnde ad neceſsitates & preſſuras ſingulorum operari poſſent.* Hoc & ſequens Heraldus adducit, qui cùm alibi breuior ſoleat eſſe, in hoc capite exornando ſilentij metas abrupit. Adduco Iuſtinum in Apolog. ad Anton. *Cæterùm qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo quod viſum eſt, contribuere, & quod ita colligitur, apud præpoſitum deponitur. Atque inde ille opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliam cauſſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregrè aduenientibus hoſpitibus: & (vt ſimpliciter dicam) indigentium is omnium curator eſt.*

932. 2. HVMANDISQVE.] Cyprianus in epiſt. ad Lucianum 89. *Et quod maximum eſt, corpora martyrum, aut cæterorum, ſi non ſepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus.*

2. IN METALLIS.] Damnabantur ad fodinas Chriſtiani. Suprà: *in metallis damnamur, inde cenſentur Dij veſtri.*

3. VIDE, INQVIVNT, VT SE DILIGANT, &c.] Arnobius lib. 4. *In quibus* (ſcilicet libris Chriſtianorum) *aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos, familiares, communicatores rei, & cum omnibus, quos ſolidet germanitatis neceſsitudine copulatio.*

3. FRATRES.] Ita etiam appellat fideles Ioann. 933. Chryſoſt. Homil. 9. ad Populum: *Cura enim & expectatio in Eccleſia conueniendi, cum honeſta menſura cibum & potum ſumere docet, ne ingreſſus & fratribus commiſtus poſtea* (Græcè habet, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς ἀναμιχθεὶς εἶτα) *vinum redolens & inordinatè eructans, ab omnibus præſentibus deridearis.* Quintilian. declamat. 321. *Certè quoties blandiri volumus his, qui & amici eſſe videntur, nulla adulatio procedere poteſt, quàm vt fratres vocemus.* Fulbertus Carnotenſ. Epiſcopus ita vocat Chriſtianos epiſt. 1. *Pro ædificandis fratribus adhuc infirmis.* Lampridius in Alex. Seuero: *Iam verò ipſi milites iuuenem Imperatorem amabant, vt fratrem, vt filium, vt parentem.* Dicit *vt parentem*, id eſt, cognatum, ex conſuetudine illorum temporum. Nec enim iuuenis Imperator haberi poterat vt pater. Optatus Mileuitanus lib. 1. *Iam igitur documentis ſuprà memoratis, omnia tela, quæ falsè in nos iactare voluiſti, veritatis clypeo repulſa, in tuos parentes reciproco ictu verturtur.* At hos non fuiſſe parentes ex ſuprà dictis conſtat, imò auctores, & 2. lib. *Sed quia parentes veſtri reuerti noluerunt, ipſos conſtat in via peccatorum ſtetiſſe.* Et iterum lib. 7. vbi ponit *parentes*, & explicat per principes, & maiores. In vitis Patrum in eorum appendice legitur: *Habebat autem & nonnullos parentes, inter quos filiam ſororis ſuæ adoptauerat ſibi.* Nicephorus Patriarcha Conſtantinop. in breu. Hiſt. καὶ ἐπιδὴ προσέκειτο Ἡρακλείῳ Σεργίῳ, ἀδελφόντι ἐμάλει, ὡς ἥνικα τῷ θείῳ λουτρῷ ἐτοπίζετο ἡ τοῦ βασιλέως ἀδελφὴ, χερσὶν ἐδέξατο: *Et quia Heraclius Sergium amabat, adeo vt fratrem appellaret, quòd Imperatoris ſororem è ſacro fonte ſuſceperat.* Hieronymus aduerſ. Heluidium cap. 8. *Omnes Chriſtiani fratres vocamur, quia in commune omnes homines ex vno patre nati, pari inter nos germanitate coniungimur.* Nyſſenus de Scopo Chriſtiani: καὶ πάντῃ κεχρῆσθαι καθάπερ ἀγαθῷ κυβερνήτῃ τῷ τὸ κοινὸν πλήρωμα τῆς ἀδελφότητος εἰς ὁμόνοιαν, ὅπῃ ἂν λιμένα τοῦ θείου θελήματος ἀπευθύνοντι: *Eaque bona gubernatrice vti* (ſcilicet Dei voluntate) *quæ communem fraternitatis cœtum cum concordia ad portum diuinæ voluntatis dirigit.* Ad ſententiam pertinet illud Clementis Alexand. lib. 2. ſtromat. *Fratres appellamus, qui ſunt regenerati, idque propter mutuam charitatem & beneuolentiam.* Athenagoras orat. pro Chriſtianis: *Quamobrem* 934. *fit vt pro ætatum gradu alios quidem filios, & filias* D *agnoſcamus; alios autem fratrum, & ſororum loco habeamus; tum autem ætate prouectioribus patrum matrúmque tribuamus honorem.* Et Optati Mileuitani lib. 4. *Huius rei apertiſſimam veritatem, Parmeniane frater, agnoſce; ſi tamen hoc nomen fraternitatis, frequenter à me dictũ libenter audire dignaris, fac vt tibi ſit faſtidioſum, tamen nobis eſt neceſſarium, ne fortè iuxta tot probationes huius nominis, tacendo rei eſſe videamur: ſi enim tu non vis eſſe frater, ego eſſe incipio impius, ſi de nomine iſto tacuero.* Atque illud etiam Minutij: *Occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò pene antequam nouerint, paſsim etiam inter eos, velut quædam libidinum religio miſcetur, ac ſe promiſcuè appellant fratres & ſorores, vt etiam non inſolens ſtuprum interceſsione ſacri nominis fiat inceſtum. Ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur.* Fraternum enim nomen pro omnibus Chriſtianis in ſacra Scriptura fundamentum habet: Ioannis 1. cap. 3. ὁ μισῶν

τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἀνθρωποκτόνος ἐστί: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Lactant. lib. 5. cap. 16. *Fraternum nobis nomen inuicem impartimur, quia pares esse nos credimus.* Euseb. Emissen. Homil. 4. *Fratres, sorores, non natura, sed officio, & affectione, quos enim diligimus, his nominibus vocare solemus.* Etenim fraternum nomen, in ipsis etiam quos verè tangit, nescias quomodo insidiosum est. Quamobrem Trebellius Pollio in Claudio dixit: *Amauit parentes, quid mirum? Amauit & fratres, iam potest dignum esse miraculo. Amauit propinquos, res nostris temporibus comparanda miraculo.* Et adhuc Ouid. 9. Metam.

Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.

Quin Plato (vt ait Clemens Alexand. 5. Strom.) *fratres* vocauit; sic enim ait: *Fratres autem esse nos tanquam vnius Dei, & vnius magistri. Videtur vtique nos quoque Plato vocare hoc modo. Nam estis quidem omnino, qui estis in ciuitate, fratres.* Quamobrem Nicetas Choniates in vita Alexij Comneni, lib. 1. cap. 1. per paginam fere integram dolet plurimum Isacium interfectum à fratre Alexio: nam si frater non liberat, quid faciet alienus?

935. 3. DE AFFECTATIONE.] Legunt aliqui *affectione*: multo melius *affectatione*. Dicit enim, ipsa nomina consanguinitatis in Gentilibus non procedere à vera & genuina appellationis ratione, sed tantùm ab affectatione, & falso quodam animo.

4. MALI FRATRES.] Optatus Mileuit. lib. 1. *Sunt igitur sine dubio fratres, quamuis non boni.*

4. EXPAVERINT.] Iunius vult *expirauerint*, malè omnino, vt notat Heraldus aduersus illum: quia Tertullianus de spectaculo: *Illæ ipsæ pudoris sui interemptrices de gestibus suis ad lucem & populum expauescentes semel in anno erubescunt.* Et ad Martyr. cap. 3. *Sudore omnia constāt, ne corpora atq; animi expauescāt de vmbra ad solem.* Dicit hoc autem Tertull. de Baptismo. Optatus Mileuitanus lib. 1. *Quare nemo miretur, eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres. Et quidem nobis & illis vna spiritualis natiuitas, sed diuersi sunt actus.*

936. 4. QVÆ PENES VOS DIRIMIT FRATERNITATEM.] Petrus Chrysolog. serm. 1. *Cæterùm facultates vnitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentum perdunt & violant charitatem.* Cassianus Collat. 24. cap. 26. *Fratrum dirimit charitatem contentiosa diuisio.* Senec. epist. 88. *Quid mihi prodest scire agellum in partes diuidere, si nescio cum fratre diuidere?*

4. QVIA ANIMO ANIMAQVE MISCEMVR.] Alij, *qui animo*, &c.

4. OMNIA INDISCRETA SVNT APVD NOS, PRÆTER VXORES.] Minut. *Vnius matrimonij vinculo inhæremus, cupiditatem procreandi aut vnam scimus, aut nullam.* Iustin. Martyr in epist. ad Diogn. Christiani γαμοῦσιν ὡς πάντες τεκνογονοῦσιν: Et Apolog. 2. pro Christianis: *Matrimonium contrahimus, nonnisi creandorum liberorum caussa.*

4. CONSORTIVM SOLVIMVS.] Hilarius Can. 4. in Matt. *Nullam aliam caussam desinendi à coniugio præscribens* (Christus) *quàm quæ virum prostitutæ vxoris societate pollueret.*

4. PATIENTISSIME.] Vox propria, ita enim dicebatur. Petron. sat. *Quid dicis inquam, muliebris patientiæ scortum, cupias ne, spiritus purus est.* En infrà: *Muliebris patientiæ legem possit accipere.* Firmicus lib. 3. *Patiantur, quæ mulieres pati consueuerunt.* Seneca Natural. lib. 1. cap. 16. *Toto corpore patiente spectabat nefanda.* Idem: *Obscœnitas mea patientiam suam miratur.* Cyprianus ad Donatum, de spectaculis: *Videre contra fœdus iúsque nascendi patientiam incestæ turpitudinis elaboratam.* Vide Tertullianum lib. de Patient. cap. vlt. vt etiam hîc Heraldum.

4. LIBERORVM CAVSSA ET ALIBI CREANDORVM.] 937. Hac formula Ambros. in Epistolam ad Corinth. 1. cap. 32. *Si enim caussa filiorum creandorum ducitur vxor, non multum tempus videtur concessum ad ipsum vsum.* Spartian. in Pescennio Nigro: *Rei venereæ, nisi ad creandos liberos, prorsus ignarus.*

4. FACILE.] Propriè, nam Horatius sat. 5. lib. 2. (ait Heraldus.)

--- scortator erit: Caueas roget, vltrò
Penelopem facilis potiori trade.

4. CENSOR.] Iunius in hunc locum ait, non istum Catonem publica auctoritate fuisse censorem, nam illud de Marcia Plutarchus tribuit non censori, sed Catoni alteri, qui fuit Vticens. Dictus verò à Tertulliano censor, quia priuato vitæ instituto singula dicta & facta Romanorum censoria quadam virgula voluit notare. Et profectò talis fuit Vticensis, vt quisquis illum videret, censorem appellaret. Itaque intelligitur non Cato maior & Censor, sed alius minor & Vticensis.

5. MEGARENSES.] Prouerbialis forma, de illis qui omni luxu diffluerent. Diogenes enim id dixit de Megarensibus, vt adnotauit Zephyrus. Plutarchus verò, περὶ φιλοπλουτίας, id dictum tribuit Stratonico, & ait Rhodios notatos. Vide in hunc locum commentatores. Et Casaubonum lib. 4. Animaduers. in Athenæum cap. 10.

5. SED STIPVLAM QVIS IN ALIENO OCVLO, &c.] 938. Prouerbium Euangelicum (ait Brugensis in formulas Prouerbiales) quo Philautia notatur eorum qui aliorum vel minimis vitiis offenduntur, suis & maximis blandiuntur. Festucam vocat *stipulam*. Horatius ita dixit,

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius æquum est.

5. TOT TRIBVBVS, ET CVRIIS, ET DECVRIIS RVCTANTIBVS ACESCIT AER.] Legi vult Iunius *aceſcet*. Vide in hunc locum Turnebum lib. 12. aduers. cap. 13. cœnæ enim istæ luxu diffluebant immodico. Ait *ructantibus*, vt Iuuen. sat. 4.

Purpureus magni ructaret scurra palati.

Et satyr. 6.

-- glandem ructante marito.

Ait *aceſcit*, quod Glossæ veteres ὀξύζει. Et Sidonius carm. 5.

--- ganeâque perenni
Pressus aceſcentem stomachus non explicat auram.

5. SALIIS.] Vbi non mentio cœnarum, quæ dictæ *Saliares*? magna enim impensa cœnitabant, adeò vt mutuam pecuniam acciperent, & illis creditor necessarius esset. Vnde verè Tertullianus pronuntiauit istud de creditore: *Dubiam possis nuncupare cœnam:* de quo Horat. dixit,

--- Vides vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia.

Dubia autem dicebatur *cœna*, vt Plautus ait, in qua tu dubites, quid potissimùm sumas. Huiusmodi Adiiciales quoque & Pontificales dictæ sunt cœnæ, vt testatur Macrobius: Itaque *Saliares, Adjuciales, Pontificales*, & *Dubiæ*, eædem sunt cœnæ.

5. HERCVLANARVM DECIMARVM, &c.] 939. Accipit Rhenanus de diuitibus, qui decimam partem bonorum Herculi pollucebant votiuo epulo, cuius lautitiam arguit magnitudo impensarum. Etenim *pollucere* Herculi, idem est, quod decimam partem offerre Herculi, quod iam astruxi suprà cap. 13. Putabatur ea res homines fortunatos reddere. Proinde L. Sylla, M. Crassus, & L. Lucullus patrimonia sua polluxerunt. In huiusmodi decimarum Herculanarum sacrificio, epulóque supra quàm dici possit lauto, maximis sumptibus opus erat, quos tabulatij, id est,

qui

qui erant à tabulis domeſticis cuiuſque, in diarium domini ſui referebant, ad expenſi titulum, ſupputabántque. Notat Iunius à nonnullis abeſſe &. Varro lib. 5. de Ling. Latina : *Profanum eſt, quod ante fanum, id eſt, coniunctum fano. Hinc profanatum, quod in ſacrario pollutum, atque inde Herculi decuma data. Pollutum* verò à porriciendo eſt fictum, vt ibidem explicat Varro : cùm enim ex mercibus libamenta porrecta ſunt Herculi in ara, tunc pollutum eſt. Inde Plauto *obſonate pollucibiliter*, eſt, ſplendidè : & *pollucibilis cœna*, eſt opipara. Hinc iam ſenſus eſt, Saliis cœnaturis creditor erit neceſſarius puto, nam Herculanarum decimarum, & pollutorum, id eſt, ſacrificiorum ſumptus, qui rationem habent tabulæ, neceſſariò ſupputabant referebántque ad diarium eius qui cœnabat hanc cœnam Saliarem. Tabularius enim nihil aliud eſt quàm qui publicas rationes tractat: dicente ſic Sidonio lib. 4. Epiſt. 11. *Sed & ille ſuſpiciebat hunc granditer, habens in eo conſiliarium in iudiciis, vicarium in Eccleſiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis, in lectionibus comitem, in expoſitionibus interpretem, in itineribus contubernalem.* Et Hyginus, de limitibus conſtruendis, his verbis ait : *Libros aris & typum totius perticæ lineis, deſcriptum ſecundùm ſuas terminationes, aſcriptis finibus, tabulario Cæſaris inferemus.*

5. TABVLARII SVPPVTABVNT.] Habet lectio alia : *ſtabularij ſuppeditabunt.* non ita rectè.

5. APATVRIIS.] Dicta ſunt à fraude, quam paſſi Athenienſes ſunt à Bœotijs. Herodotus in vita Homeri, ἄγοντες ἑορτὴν Ἀπατούρια : *celebrantes feſtum Apaturia.* Maximus Tyrius diſſert. 33. Παναθήναια Σκιροφόρια, Ἅλωα, Ἀπατούρια : *Panathenæa, Scirrophoria, Haloa, Apaturia.* Vt hinc colligas ſumptuoſitatem, & quia in honorem Bacchi fiebant, dixit Alciphron in epiſt. Ægialei ad Struthionem, Διονύσιον, ἢ Ἀπατούριον. Erat verò celebritas trium dierum, primus dicebatur Δορπία, ſecundus, Ἀναῤῥύσις, tertius Κουρεῶτις. eſt enim error Heſychij & Simplicij, qui quatuor dies commemorant. Etenim ἐπίδειπνα dicebatur quilibet dies, qui feſtum aliquod ſequeretur. Primo die conuiuium luculentum fiebat circa veſperam, ad quod conueniebant tribules : ſecundo faciebant ſacra, & puerum ad aram adducebant, tertio, in album ciuium referebant. Mihi percurrenti has Notas, hoc ſatisfacit, tu, ſi placeat, vide iſta latiùs in Meurſij Græcia feriata lib. 1.

940. 5. MYSTERIIS.] Ægyptia vox, & inde ſumpta Athenis. Iulius Firmicus de errore profanæ religionis, *Ægyptij in ſacris ſuis (quæ myſteria vocant) addunt tragica funera, & funeſta calamitatis metuendæ certamina.* Ruffinus 2. lib. vitarum Patr. agens de ſimulacro quodam, quod Ægyptij colebant, vocat *profana myſteria.* Et Heliodorus lib. 9. Æthiopidos, de Ægypto loquens : τοὺς δὲ τῶν μύσεως, Ἶσιν τὴν γῆν, καὶ Ὄσειν τὸν Νεῖλον καταλέγουσι: *Cæterùm myſtæ Iſin terram vocant, Nilum autem Oſirim.* Inde traducta vox. Romanus apud Prudentium inuitis Gentilibus aperit *myſteria* eorum, vt nolint, velint, audiant quid colant ſordium. Sic enim habet :

Miſeret tuorum me ſacrorum & Principum,
Morúmque, Roma, ſeculi ſummum caput.
Age explicemus, ſi placet, myſteria,
Præfecte, veſtra : iam neceſſe eſt audias,
Nolis velisve, quid colatis ſordium.

Quocunque autem ſacro myſterio reticebantur. Syneſius, de Prouidentia : ἀλλ' εὐλαβητέον γὰρ ἤδη μήπη καὶ τῶν ἀῤῥήτων ἐξοργιασώμεθα : *Cauendum enim nunc eſt, ne quid arcani eliminemus.* Tatianus Aſſyrius : τοῦτον ἐξορχιαπάμονον τὰ παρὰ Ἀθηναίοις μυστήρια τετιμωρήκατε. Loquitur enim de Diagora Melio, quem ob proditam in vulgus myſteriorum fidem Athenienſes quouis ſupplicio dignum cenſuerant. Ariſtides in Eleuſinio : ὦ κακῶς ἐξορχιασάμενοι τὰ μυστήρια, ὦ τὰ ἄφατα φλύαντες : *O vos qui indignè myſteria euulgatis, ô qui infanda retegitis.* Erant autem myſteria magna, & parua : magnorum meminit Arrianus lib. 1. Hiſt. & paſſim alij.

5. SPARTEOLI.] Innuit elegantiſſimè (verba ſunt Caſauboni ad Suetonij Auguſtum) ſcri- 941
ptor Afer tantum apparatum cœnæ Serapicæ eſſe ſolitum, vt milites cohortium præfecti vigilum, illum locum vbi parabatur, obſeruandum haberent : non enim magnum conuiuium ſine magno igne paratur ; inde incendij metus, quem ait excitare ſparteolos, ad eum modum, quo dixit Suetonius : *Aduerſus incendia excubias nocturnas vigiléſque commentus eſt.* Igitur *ſparteoli* ſunt nocturnæ excubiæ, & vigiles. Interpretatur etiam alio modo ; ait enim : Nihil etiam vetat eam vocem interpretari ibi de ganeis, lurconibus, & paraſitis, quos certum eſt omnes epularum occaſiones ſectari. Itaque *ſparteoli* venuſtiſſimè dicentur, quia ſparteoli dum intenti ſunt ad omnem incendij caſum, fumos caminorum ſollicitè obſeruant. Hæc ille. Inde reieci quæ alij de ſparteolis, id eſt, quaſi è ſparto & ſportulis, dicunt, cùm reuera intelligantur vigiles homines. Quid quod Apuleius in Apologetico dixit : *ſummus helluo eſt, & omnis fumi non imperitus.*

6. COENA NOSTRA DE NOMINE RA- 942.
TIONEM SVI OSTENDIT : VOCATVR ENIM ἀγάπη.] Cùm hoc loci loquatur de conuiuiis Chriſtianorum, non incongruè aptauerim verba ſancti Petri, quæ recitat Clemens Papa in epiſt. ad Iacobum fratrem Domini : *Charitatis & recipiendæ & habendæ maximum erit fomentum ſi frequenter inter vos metipſos communem cibum veſtrum, menſámque faciatis. Et in quantum vnuſquiſque prævalet, crebriùs panes ac ſales ſuos cum fratribus ſumat.* Et adhibet rationem hanc : *Per hæc enim præcipuè charitas comparatur, & cauſſa totius boni in huiuſmodi communione conſiſtit.* Hinc apparet cœnulas has Chriſtianorum, quas hic celebrat Tertullianus, acceptas ab ipſorum Apoſtolorum vſu. Hinc dictæ itaque ἀγάπαι, à dilectione & charitate. Hieronymus ad Euſtochium : *Cùm ad agapen vocauerint, præco conducitur.* Caſſianus Collat. 16. cap. 14. *Illam igitur charitatem, quæ ἀγάπη dicitur, poſſibile eſt omnibus exhibere.* Auguſtinus contra Fauſtum, lib 20. cap. 20. *Agapes noſtræ pauperes paſcunt ſiue frugibus, ſiue carnibus.* In vita ſancti Ludgeri cap. 32. *Inuitat ad agapen egentes ac miſeros.* Cyprianus lib. 3. ad Quirinum : *Agapen & dilectionem fraternam religiosè & firmiter exercendam.* Vvarnefridus lib. 1. de geſtis Longobardorum, cap. 26.

Signat adeſſe dapes agapes, ſed liuidus obſtat.

Origenes contra Celſum lib. 1. καὶ βούλεται διακαλεῖν τὴν καλουμένην ἀγάπην Χριστιανῶν : *& vult traducere & criminari agapen Chriſtianorum.* In epiſtola Iudæ, vbi interpres habet, *in epulis ſuis*, Græcè eſt, ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν. Propria eius ſignificatio eſt *charitas*, id eſt, affectus ille quo alium amamus. Ita Ioann. Chryſoſt. orat. de baptiſmo Chriſti, εἰπεῖν περὶ τὴν ὑμετέραν ἀγάπην : *indicare charitati veſtræ.*

Concilium Gangrenſe, quod temporibus Conſtantini celebratum eſt: *Si quis deſpicit eos, qui fideliter agapes, id eſt, conuiuia, pauperibus exhibent; & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiuſmodi vocationibus, anathema ſit.* Inde traducta eſt vox ad cœnulas & eleemoſynas quod genus conuiuioli hodie apud noſtros dicitur *caridad.* Huic charitati directè opponitur ἔρανος, id eſt, *collecta*, aut *collectitia*, & ſymbolica cœna. Nam in ἀγάπῃ mera erat dantis liberalitas & amor: in ἐράνῳ edebant illi qui contuliſſent, non alij. Has ſingulorum collationes ἐρανων συμποσιας, vocat Baſilius orat. de quadraginta Martyribus.

943. 6. SI QVIDEM INOPES QVOQVE REFRIGERIO ISTO IVVAMVS.] Aliqui habent *quoſque.* Ioannes Chryſoſt. Homil. 27. in epiſt. Pauli ad Corinth. *Statis autem diebus menſas faciebant communes, & peracta ſynaxi, poſt ſacramentorum commmunionem, omnes commune inibant conuiuium:* τῶν δὲ πενομένων, καὶ οὐδὲν ἐχόντων, ἐπ' αὐτῶν καλουμένων, καὶ κοινῆ πάντων ἑστιωμένων: *Pauperibus etiam & qui nihil habebant, vocatis, & omnibus communiter veſcentibus.* Nyſſenus de Beneficentia: ὁ πένης καὶ ἄῤῥωστος, διπλοῦς ὅτι πτωχός: *Qui enim egens, & ager eſt, duplici laborat paupertate.* Perinde ac ſi dicat: Nam cùm omnes pauperes fouendi adiuuandíque ſunt, tum illi qui ægrotant, præcipuè ſunt complectendi. Vvouerenius in Minut. *affectantur* legit, non *affectant*; claro errore. Eſt autem *refrigerium* eleemoſyna. Hieronymus in præfatione ad Regulam ſancti Pachomij, loquens de ſancta Paula: *Multorum inciſa illius morte refrigeria ſuſpirarem.*

944. 6. SVB AVCTORAMENTO VENTRIS.] Eſt *auctoramentum* ſacramentum militare. Nota vnica paraſitorum, ventri inſeruire. Non malè huc aptaueris totum excurſum Valeriani Epiſ. Hom. 10. vbi loquitur de grege Paraſitorum, cui barba vellitur manducanti, & ſedilia ſubſtrahuntur: *Tanta eſt igitur* (inquit) *libido viuendi, vt putent miſeri nullum ſine latitia tranſire conuiuium, niſi in cibos verterint, aut veſtimenta corporum, aut miniſteria poculorum.* Et locum Plaut. Curcul. de quo & docti digladiantur. Ibi paraſitus,

Talos arripio, inuoco almam meam nutricem,
Herculem
Iacto baſilicum.

Qui talos iactabant, inuocabant Deum quem vellent; milites, Martem; amatores, Venerem; ſic alij. Ergo paraſitus inuocat Deum epulonum Herculem, qui inde *bucœnas* dictus eſt. qua facta inuocatione, iecit iactum felicem, baſilicum nempe, id eſt, Venerem. Hæſi explicationi Lipſianæ, miſſa Turnebiana. Addit Tertull. *Inter contumelias ſaginandi.* Hieronymus in Heluidium: *Paraſitus in contumeliis gloriatur.* Plaut. Captiuis,

Et hic quidem hercle niſi qui colaphos perpeti,
Poteſt paraſitus, frangique aulas in caput,
Vel extra portam ire trigeminam ad ſacculum licet.

Sidonius lib. 3. epiſt. 13. *Inter hæc tamen ipſe auariſſimus, quémque non paſcet, tam panis bonus, quàm panis alienus, hoc ſolum comedens domi, ſi quid è raptis inter alaparum procellas præmiſit obſoniis.* Et *inter contumelias ſaginandi*: nam hæc nota paraſitos omnes comprehendit. *Gnathones*, à maxilla dicti: *Satariones* in Perſa Plauti, à Saturitate: in Milite Glor. *artotrogus*, à rodendo pane: *Peniculus* in Menæch. quòd tanquam ſpongia menſam, ita ipſe reliquias omnes ciborum detergeat: *cucurliones*, à verme frumenti edaciſſimo.

945. 6. CONTEMPLATIO MEDIOCRIVM.] Explicui de intuitu pauperum. quid ſi explicem, *æſtimatio mediocrium?* Iudicij ſit tui, ad te etiam Lector reſeruo, an legendum ſit *temperatio.*

6. SI HONESTA CAVSSA, &c.] Honeſtatem cauſſæ iam vidiſti in adductis Clementis. Totum hunc locum legit Vvouerenius in Minutium: *Si honeſta cauſſa eſt conuiuij, reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate qui ſit, de religionis officio: nihil ſcurrilitatis, nihil immodeſtiæ admittitur.*

6. QVID SIT DE RELIGIONIS OFFICIO.] Aliqui legunt *quid fit*, malè.

6. NIHIL VILITATIS.] Cùm Vvouerenius legiſſet *vtilitatis*, poſuit ipſe *ſcurrilitatis*; verè legendum *vilitatis.* Nam *vtilitas* incongrua eſt hîc.

6. NON PRIVS DISCVMBITVR QVAM ORATIO AD DEVM PRÆGVSTETVR.] Paria fermè de conuiuiis Cœnobitarum prædicat Hieronym. ad Euſtochium. Lege ab eo loco, *poſt hæc Concilium diſſoluitur, & vnaquæque decuria cum ſuo parente pergit ad menſam.* Quod autem hîc de oratione, præguſtanda ante cibum, ibi ait: *Nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa.* Vide etiam Polydorum hac de re, & Stuchium in conuiuiis. Sed & Clemens Papa lib. 2. Recognitionum, de Petro Apoſtolo edente ait: *His dictis cùm benedixiſſet, cibum ſumpſit.* Barradas etiam hunc locum adducens illi accommodat illud IESV volentis ferculum diſtribuere turbis, *cùm gratias egiſſet.* 2. tomo in Euangelium lib. 10. cap. 2. Prochorus in vita Ioannis Euang. cap. 3. *Poſitis menſis gratias Deo agentes, comedimus, & bibimus.*

946. 6. EDITVR QVANTVM ESVRIENTES CAPIVNT.] Tales prædicantur epulæ virginis ſanctiſſimæ ab Ambroſio lib. 2. de Virg. *Cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret.* Legatur Clemens Alex. 2. Pædagogi cap. 4. vbi multa & mira de conuiuiis. In vita ſancti Poſthumij legitur: *Panem etiam ſuum ad menſuram accipiebat, & aquam ad menſuram bibebat; nunquam pleno ventre à menſa receſſit.*

6. ITA SATVRANTVR, VT QVI MEMINERINT, &c.] Hieronymus ad Lætam: *Sic comedat, vt ſtatim poſt cibum poſſit legere & pſallere.* Et ad Furiam: *Quando comedis, cogita quòd ſtatim tibi orandum illico, & legendum ſit.* Et ad Euſtochium: *Ita tibi ſemper comedendum eſt, vt cibum & oratio ſequatur, & lectio.* Syneſius Epiſc. Cyrenenſis in Concione Panegyr. ὅταν εὐαυχῇ, μέμνησο τοῦ Θεοῦ: *Dum epularis, Dei memineris.* Et reddit hanc rationem: τότε γὰρ ὁ πολὺς εἰς ἁμαρτίαν ὄλισθος γίνεται· ὅταν εὐτροφῇ σῶμα, ἀφ' ὑγρότητος ψυχὴ φέηται: *Siquidem tunc qui è plebe eſt, in peccatum procliuis eſt, ac lubricus; corpúſque ipſum dum ex fœcundiore alimonia gliſcit & carne repletur, animus à ſapientiæ ſtudio reuocatur.*

6. ITA FABVLANTVR, VT QVI SCIANT, &c.] Cyprian. in epiſt. de ſpectaculis ad finem: *Sonat pſalmos conuiuium ſobrium; & vt tibi tenax memoria eſt, vox canora, aggredere hoc munus ex more. Magis chariſsimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritualis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo.*

947. POST AQVAM MANVALEM.] Sæpius repetebatur lotio apud antiquos, & de ea loquitur Tertullianus, quæ fiebat ſublatis menſis. Adducítque Herald. lib. 1. Digreſſ. cap. 22. verſus hos Ariſtophanis, in Veſpis, qui de hac lectione.

Ὕδωρ καὶ χειρόν, ταῖς τραπέζαις εἰσφέρειν.
Δειπνοῦμεν, ἀπονενίμεθ' ἤδη, σπένδωμεν:
Hinc vas aquale, menſam poſcito:
Edenda cœna, hinc lotio, hinc libatio.

Quia cùm libatio extremo loco eſſet, ſequitur vt lotio, quæ ante illam, extrema ſit. Theodoritum, lib. 1. Hiſt. cap. 18. hoc video attigiſſe: καὶ κύλικας ἐφέρουσα, καὶ οἰνοχοοῦσα, καὶ φορυτὸν ὑπὸ λέβητος φέρουσα, καὶ ὕδωρ τοῖς ἐκείνων χερὸν ἐπιχέουσα: *pocula porrigere, vinum fundere, & gutturnium cum malluuio afferre, aquam denique manibus afferre ad fundendum.* Qui velit huc conferre quicquid à Tuſano in Budæum ſcribitur, de re quæ ſub manus ſuccedit, aut quæ eſt in manibus, poterit per me, cùm *manualis aqua* toties repetita, inde videatur originem habere, quòd eſſet ad manum. Qui item voluerit referre ad rem ſacram, poterit etiam, cùm poſtea ſequatur ſermo de oratione; nec deerit firmatio, nam in Aulularia Plautus: *Ego, niſi quid me vis, eo lauatum, vt ſacrificem.* Et Euclio, *Nunc lauabo vt rem diuinam faciam.* Quin initio cœnæ manus pedéſque à veteribus lauatos ex Petronio licet colligere, qui in Sat. *Diſcubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus niuatam infundentibus, aliiſque inſequentibus ad pedes.*

948. 6. ET LVMINA.] Heraldus adducit dici aliquibus *ad lumina*: eſt etiam in Vvouerenio. Ego autem *& lumina* eligo, communem lectionem, vt dicat: itaque cantitabatur *poſt lumina*, id eſt, ad introitum luminis, & ad lucernæ acceníionem, ex more antiquo. Quem locum tracto lib. de Corona Militis cap. 3. vbi ait: *Ad omnem progreſſum, atque promotum; ad omnem aditum, & exitum; ad veſtitum, ad calceatum; ad lauacra, ad menſas; ad lumina; ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Videtur autem Tertullianus adludere (vt inquit Iuſtinianus, in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.) ad preces illas, quas olim *lucernarias* appellabant, de quibus Hieronymus, Caſſiodorus, Socrates, Epiphanius, Caſſianus, Nicephorus, & alij. Etenim conuiuium ſub veſperam inchoabatur, & non niſi noctu abſoluebatur accenſa lucerna. Vnde ſanctus Epiphanius vocat *pſalmos lucernales*, qui poſt ſolis occaſum cani conſueuerant. Iſidorus in Regula Monachorum, cap. de officiis: *In veſpertinis officijs primùm lucernarium, deinde pſalmi duo.* Concilium Toletanum primum, cap. 9. *Lucernarium niſi in eccleſia non legatur.* Hæc ad accenſam lucernam fieri moris fuit.

4. DEO CANERE.] Vix fuit aliqua actio in primitiua Eccleſia, in qua non pſalleretur aliquid. Cùm occurrebant fratres, pſallebant; quod teſtatur Ruffinus lib. 2. cap. 7. de vitis Patr. *Occurrerunt autem nobis cum pſalmis. Hoc enim moris eſt eis facere in aduentu omnium monachorum.*

949. 6. ÆQVE ORATIO CONVIVIVM DIRIMIT.] Ambroſ. quoque lib. 3. de Virg. ait non ſolùm orandum *cùm cibum paramus ſumere*, ſed addit etiam, *cùm ſumpſerimus.* Et Hieronymus ad Euſtochium, *nec recedatur à menſa, niſi referatur creatori gratia.* Apud eundem magni duo viri Antonius & Paulus poſt tenue conuiuiolum, dicuntur *immolantes Deo ſacrificium laudis*, id eſt, gratias agentes. Ioann. Chryſoſt. orat. de Baptiſmo Chriſti: μὴ πρὸ τραπέζης, ἐπὶ εὐχῇ τρέπῃ: *Poſt menſam ad orationem conuerteris.* Clemens Alexand. 2. Pædagogi, cap. 9. μὴ δὲ πρὸ εὐωχίας εὐλογήσαντες τὸν Θεόν: *poſt cœnam factam laudemus Deum.* Et cap. 10. ἐπεύξας δὲ ἀναπαύσασθαι καθήκει μὴ πρὸ ἑστίασιν, δὲ μὴ πρὸ ἐπὶ ταῖς ἀπολαύσεσιν εὐχαριστίαν: *Veſpere autem oportet poſt conuiuium quieſcere, & poſt gratiarum actionem pro bonis quæ percepimus.* Baſilius Magnus & Eubulus, pane & ſale accepti, poſt illud, *gratias*

A *egerunt Deo & omnium bonorum datori*: inquit Amphilochius in vita Baſilij. Clemens Romanus de Petro dixit lib. 1. Recognit. *Poſt cibum cùm laudem dixiſſet Deo, & gratias egiſſet.* Sanctus Maximus de non timendis hoſtibus carnalibus: *Dic mihi, num ſi aliquid de tuo cuicumque largiris, expectas vt tibi gratias agat, vt benedicat demum de quo ei humanitas ſit tributa? quid ſi fortè gratias non agit? quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat qui nos paſcit Deus, vt pro præſtitis ab eo, eſus illi gratias referamus, & ſaturati donis ipſius laudes dicamus.*

6. INDE DISCEDITVR NON IN CATERVAS CÆSIONVM.] Explicui de gladiatoribus meridianis; nam tametſi poſt cœnam loquatur Tertullianus, poteſt alludere ad id quod Gentiles faciebãt poſt prandium: huc pertinẽt verba Capitolini in Vero: *Gladiatorum frequentiùs pugnas in conuiuio habuit.* Nicolaus Damaſcenus: τὰς τῶν μονομάχων θέας, οὐ μόνον ἐν παννύχοις καὶ θεάτροις ἐπιοῦντο Ρωμαῖοι, παρὰ Γυμβρίων λαβόντες τὸ ἔθος, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἑστιάσεσιν: *Gladiatorum ſpectacula non in celebritatibus ſolùm ac theatris more ab Etruſcis accepto, edebant Romani, ſed & in ipſis conuiuiis.* Vbi de Romanis loquitur in communi, ac deinde ea conuiuia infamat. Inquit enim, vocatos conuiuas, vt viderent paria gladiatorum pugnare: καὶ ὁ μὲ ἄμα ἐσφάπτετο, αὐτοὶ δ' ἐνεῖτων ἐπὶ τούτῳ ἥδυνοι: *Vbi autem aliquis ingulabatur, incredibili lętitia exultabant.* Et Auguſtini lib. 6. confeſſ. cap. 8. *Quidam eius* (Alipij) *amici & condiſcipuli, cùm fortè de prandio redeuntibus obuius eſſet, recuſantem vehementer & reſiſtentem familiari violentia duxerunt in Amphitheatrum crudelium & funeſtorũ ludorum diebus.* Cæterùm ea forma vocat *cæſiones* à cædendo, qua Plautus Epidico: *Linteolum cæſitium* quòd cædatur & maceretur, donec perueniat ad candorem. Poteſt etiam accipi de athletis, & pugilibus; atque id credo, cùm dicat *caternas cęſionum*, de quibus ita ait Sueton. Auguſto cap. 45. *Spectauit autem ſtudioſiſſimè pugiles, & maximè Latinos, non legitimos atque ordinarios modò, quos etiam committere cum Græcis ſolebat, ſed & cateruarios oppidanos inter anguſtias vicorum pugnantes tenere, ac ſine arte.*

6. NEQVE IN CLASSES DISCVRSANTIVM.] Theodoritus, lib. 5. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 20. καὶ οἱ τῶ Διονύσου τὰ ὄργια τετελεσμένοι, μὴ τῶν αἰγίδων ἔτρεχον, τὰς κύνας διασπῶντες, καὶ μαινόμενοι, καὶ βακχεύοντες, καὶ τὰ ἄλλα δρῶντες, ἃ τῷ τῆς διδασκάλου παιδεύειν δηλοῖ: *Quin etiam myſteriis Bacchi initiati, cum ſcutis curſitare, dilacerare canes, furere, bacchari, alia denique agere, quæ magiſtri ſui improbitatem ſatis apertè declarabant.*

6. NEC IN ERVPTIONES LASCIVIARVM.] Credo notari rem ſcenicam, & quæ coniuncta cum ſcenis hiſtrionum: nam hæc ſæpe poſt conuiuia. Inuitat me vt hoc credam locus Hieronymi aduerſus Heluidium, vbi loquens de his quę poſt prandium geruntur, commeminit tympanorum quæ ſonant, tibiæ quæ clamitat, lyræ quæ garrit, cymbalorũ quæ cõcrepant, paraſitorum qui gloriantur in contumeliis. Demum abſoluit: *Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate veſtium nudæ impudicis oculis ingeruntur.* Non dubium, quin iſta omnia ſint *erumpere in laſciuiam.* Huc pertinent verba Concilij Laodiceni, vbi de Clericis ita: *Non oportebat miniſtros altaris, vel quoſlibet clericos ſpectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in ſcenis exhibentur, interęſſe: ſed antequam Thymelici ingrediantur, ſurgere eos de conuiuio & abire.* Hoc idem præcipitur canone 24. Concilij Conſtantinopolitani in Trullo. Conſtantinus Manaſſes loquens de Conſtantino Octauo Imperatore, poſt menſas illius mulieres apponit, quibus delectabatur: ait enim,

950.

951.

Τρυφᾶς ἐχόλαζεν ἀεὶ ϗ λιπαρᾶς τραπέζας,
Καὶ γων αὐξιν ἐπῄρμενος ὀρχηστρίσι:
Voluptatem capiens semper ex insanis mensis,
Et mulierculis gaudens impudicis & saltatricibus.

952. Aliquid huiusmodi attingit Heliodorus lib. 3. Hist. Æthiop. τὰ μὲν οὖν ἄλλα τῆς εὐωχίας τί ἂν λέγων ἐνοχλοίην, τοῦ παρθενικοῦ, τῆς αὐλητρίδος: *Iam quid tibi molestus sim, narrans quæ in conuiuio fuerunt, Choreas virginum, tibicinas*, &c. Et Simocatta cap. 10. lib. 1. οἵτε ἐπὶ σκιωῆς λοιδορούμενοι, οἷς ἂν ἐθέλοιεν, μὴ μείζονι ἀμίλλῃ ταῖς γελωτοποιοῖς δραματουργίας, οἷα τῷ ῥιπτοσυδαίου πνὸς τὸ σῶμα ἐπεδείκνυντο: *Alij in scena hominum quorum libebat vitia carpentes, perstudiosè ridicula dramata, velut seria quædam & grauia exercebant.* Et quidem huiusmodi lasciuias fieri solitas post conui- B uia Gentilica, satis docet Rabanus Maurus lib. de Pœnitent. cap. 25. vbi ait, non conuiuandum cum Paganis, propter saltationes sceleratissimas, quas per vicos & plateas exercent. In Romano etiam Pœnitentiali tit. 5. cap. 2. *Remoueantur à conuiuio cuncta turpitudinum argumenta*; quibus verbis clarè indicantur Scenica. Et hæc est laus illa Alexandri Seueri apud Lampridium: *Voluptates Scenicas in conuiuio nunquam habuit.* Quo vitio notatus Adrianus, de quo Spartianus: *In conuiuio tragœdias, comœdias, atellanas, sambucas, lectores, poëtas pro re semper exhibuit.* Clemens Alexand. id seriò præcipit lib. 2. Pædagog. cap. 7. *In summa ergo adolescentes & adolescentulæ ab eiusmodi conuiuiis omnino abstineant, ne labantur in quibus mini-* A *mè decet. Inusitatæ enim auditiones, & indecora spectacula, dum in eis adhuc fides fluctuat, mentem eorum euentilant, ætatis autem instabilitas eas adiuuat, vt ad cupiditates feramur præcipites*: Græca lege ab eo loco, καθόλου μὲν οὖν, νέοι μὲν, ϗ νεανίδες. Et quid obsecro est illud Arnobij lib. 2. nisi lasciuia mimorum? *Et symphonicas* (inquit) *agerent & fistulatorias artes, cantionibus vt præirent numerositer, & scabillorum concrepationibus sonoris, quibus animatarum alia lasciuiens multitudo incompositos corporum dissolueretur in motus, & ad vltimum clunibus & coxendicibus subleuatis lumborum crispitudine fluctuaret.* Seneca in epist. *In comessationibus nostris plus cantorum est, quàm in theatris spectatorum.* Et de vita Beata cap. 11. *Vides hos è suis lectis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos oblectantes.* Manilius 4. Astron.

Ille dabit cantus inter conuiuia lætus.

7. COITIO.] Vlpian. l. 1. D. de offic. præt. vrb. 953.
D. Seuerus rescripsit, eos qui illicitum collegium coisse dicantur, apud præfectum vrbis accusandos.

7. HOC SVMVS CONGREGATI, QVOD ET DISPERSI.] Minut. *Nec fastidiosi sumus, si omnes vnum sapimus eadem congregati quiete, qua singuli.* Idem: *Nocturnis congregationibus, & ieiuniis solemnibus, & inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo fœderantur.* Plinius epist. ad Traianum: *Affirmabant* (Christiani) *summam culpæ suæ, quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem.*

CAP. XL. ARGVMENTVM.

Diluit aliam calumniam, probátque, post aduentum Christi, pauciores clades Deo parcente & miserante accidisse.

TERTVLLIANVS.

954. 1. AT è contrario illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant, qui aduersus sanguinem innocentium conclamant, prætexentes sanè ad odij defensionem, illam quoque vanitatem, quòd existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Christianos esse caussam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. Tantos ad vnum?

EXPLICATIO.

1. NOmen factiosum illis dandum è contrario est, qui conspirant in bonos, existimantes Christianos esse *cladis publicæ* auctores, & totius *incommodi*. *Si cœlum stetit*, si deneget pluuiam cœlum. *Si terra mouit*, terra patitur motus. *Si lues*, clades ægritudinum. *Christianos ad leonem*, hæc erat forma, qua poscebant, neque enim dicebant, ad leones, sed *ad leonem*. *Tantos ad vnum?* Miratur ipse quî fit vt conficiantur tot Christiani ab vno.

955. 2. Oro vos, ante Tiberium, id est, ante Christi aduentum, quantæ clades orbem & vrbem ceciderunt? Legimus, Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Coon insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse. Memorat & Plato maiorem Asiæ & Africæ terram Atlantico mari ereptam. Sed & mare Corinthium terræ motus ebibit: & vis vndarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegauit. Hęc vtique non sine iniuria incolentium accidere potuerunt. Vbi verò tunc non dicam Deorum vestrorum contemptores Christiani, sed ipsi Dij, cùm totum orbem cataclysmus aboleuit? vel, vt Plato putauit, campestre solummodo? Posteriores enim illos clade diluuij contestantur ipsæ vrbes, in quibus nati mortuíque sunt, etiam quas condiderunt. Neque enim aliàs in hodiernum manerent, nisi & ipsæ postumæ cladis illius.

956. 2. *Ceciderunt*, flagellauerunt clade belli. *Pessum abiisse*, pessundatas & deletas. *Asiæ, & Africæ*, fortasse legendum Asia & Africa. *Mare Corinthium*, Corinthiacum mare latum erat, cùm subitò totum illud terra bibit & ebibit ingenti hiatu, & permansit Isthmos celebris. *Et vis vndarum*, Lucania olim contermina erat Italiæ, sed vis vndarum abscidit, & Siciliam fecit, quasi Sicilitam, id est, abiectam ab Ita-

lia. *Ipſi Dij*, qui nuſquam erant, totum orbem inundante diluuio. *Campeſtre*, campeſtria omnia. *Poſteriores*; etenim Deos veſtros *poſteriores* eſſe diluuio ipſæ vrbes teſtantur, *in quibus nati ſunt & mortui*. Et etiam quas condiderunt, vt Ianiculum, & Saturnia. *Poſtuma*, poſtremæ, & poſt illas clades.

957. 3. Nondum Iudæum ab Ægypto examen Palæſtina ſuſceperat, nec iam illic Chriſtianæ ſectæ origo conſederat, cùm regiones ac fines eius Sodoma & Gomorrha igneus imber exuſſit. Olet adhuc incendio terra, & ſi qua illic arborum poma conantur, oculis tenus, cæterum contacta cinereſcunt. Sed nec Tuſcia atque Campania de Chriſtianis querebatur, cùm Volſinios de cœlo, & Pompeios de ſuo monte perfudit ignis. Nemo adhuc Romæ Deum verum adorabat, cùm Annibal apud Cannas per Romanos annulos cædes ſuas modio metiebatur. Omnes Dij veſtri ab omnibus colebantur, cùm ipſum Capitolium Senones occupauerunt. Et bene quòd ſi quid aduerſi accidit vrbibus, eædem clades templorum quæ & mœnium fuerunt, vt iam hoc reuincam non à Deis euenire, quia & ipſis euenit.

958. 3. *Sodoma & Gomorrha*, in accuſatiuo ſunt numeri multitudinis. *Conantur*, id eſt, emergunt in lucem, vidéntque Solem, cùm ſpecioſa ſint oculis, ad contactum ſtatim in cineres tota redeunt. Et mirè dictum *oculis tenus*, quaſi oculi ipſi pulchritudinem metiantur, & ipſa poma viſui elegantiam immittant. *Volſinios*, ciuitatem Tuſciæ, & *Pompeios* ciuitatem Campaniæ *perfudit ignis*, illam cœleſtis, hanc emiſſus ex monte Campano, & integras vrbes obruit. *Annibal*, trita eſt arrogantia Annibalis, cùm equeſtris ordinis viros, qui interfecti apud Cannas fuiſſent, modio metiebatur pleno annulorum. *Senones*, Galli Senones. *Et bene quòd*, &c. Bene autem vobis, ô viri lepidi, hoc accidit; templa enim Deorum cum vrbibus perierunt, vt iam non Deos veſtros auctores mali cenſeatis, nemo enim in ſuum agit caput. *Reuincam*, eſt, vici vos ſuprà, iam nunc reuincam.

959. 4. Semper humana gens malè de Deo meruit; primò quidem vt inofficioſa eius, cùm intelligeret ex parte, non requiſiuit, ſed & alios inſuper ſibi commentata eſt, quos coleret: dehinc quòd non inquirendo innocentiæ magiſtrum, & nocentiæ iudicem & exactorem, omnibus vitiis & criminibus inoleuit. Cæterùm ſi requiſiſſet, ſequeretur vt cognoſceret & recognoſceret requiſitum, & recognitum obſeruaret, & obſeruatum magis propitium experiretur quàm iratum. Eundem ergo nunc quoque ſcire debet iratum, quem & retro ſemper priuſquam Chriſtiani nominarentur. Cuius bonis vtebatur antè editis, quàm Deos ſibi fingeret; cur non ab eo etiam mala intelligat euenire, cuius bona eſſe non ſenſit? illius rea eſt, cuius & ingrata.

960. 4. Rationes duas ponit, cur homines malè meruerint *de Deo*, primò, quòd malè reſponderint beneficiis eius, & *ex parte* (lumine nimirum naturali) cognitum non quæſierint, imo potiùs *alios* quos adorarent; ſecundò, quòd *omnibus ſe criminibus* immerſerint, non quæſito magiſtro ſanctitatis, & exactore nequitiæ. *Cæterùm ſi*, &c. Redit ad primam rationem, ſi enim quæſiſſent Deum, nec alios colerent, ſcirent vtique Deum *magis propitium* eſſe *quàm iratum*. *Eundem ergo*, &c. Redit ad ſecundam, non quæſito magiſtro innocentiæ, & iudice nocentiæ, ſequitur, vt iratum agnoſcant, qui iratus multo antè fuit quã *Chriſtiani* fuiſſent. *Cuius bonis*, &c. Nam qui Deos finxere vtentes eius bonis (quod dixit in prima ratione) neceſſe eſt intelligant *mala* quoque ab eo *euenire*, & eſſe iratum (quod dixit in ſecunda) nam videlicet rei ſunt, cui & ingrati.

961. 5. Et tamen ſi priſtinas clades comparemus, leuiora nunc accidunt, ex quo Chriſtianos à Deo orbis accepit. Ex eo enim & innocentia ſeculi iniquitates temperauit, & deprecatores Dei eſſe cœperunt. Denique cùm ab imbribus æſtiua hyberna ſuſpendunt, & annus in cura eſt, vos quidem, quotidie paſti ſtatimque pranſuri, balneis & cauponis & lupanaribus operati, Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auerſi ab ipſo Deo & cœlo. Nos verò ieiuniis aridi, & omni continentia expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, inuidia cœlum tundimus, Deum tangimus; &, cùm miſericordiam extorſerimus, Iuppiter honoratur.

962. 5. Multo leuiores clades nunc accidunt, quàm olim: *innocentia* enim *ſeculi* imminuit mala; fuerunt etiam qui Deum deprecarentur. Denique cùm cœlum ſtetit, nec pluuias effudit, vos læti pranſitatis, nos aquam elicimus, & ecce Iuppiter colitur. Hæc ſententia; nunc verba. *Suſpendunt æſtiua ab imbribus*, eſt, ſuſpendunt ſe æſtiua ab imbribus; æſtate non pluit. ſimiliter, *hyberna*: non pluit hyeme; clariùs vno verbo, continuant ſe æſtiua cum hybernis. *Annus*, accipit hoc Dempſterus ad cap. 38. lib. 7. Roſini, pro annona, & explicat quædam Poëtarum loca, in quibus illi *annum* pro annona videntur ſumpſiſſe. vt velis. *Operati*,

ſtudetis balneis. *Aquilicia*, ſacra ſunt pro eliciendis aquis è cœlo. *Nudipedalia*, ſupplicationes decernitis nudis pedibus. *Cœlum*, confugitis ad *Capitolium* tanquam ad cœlum, & Iouem adoratis. *Nubila*, expectantes laquearia, quæ adoratis, inde expectatis pluuias. *Nos verò*, nos verò ieiunium arefecit, & continentia expreſſit, & veluti in nihilum redegit, & diſtulit omnis ſpes vitæ, & tanquam frux & alimonia deſeruit; *volutantes in ſacco & cinere*, cœlum ipſum in inuidiam pene & crimen vocantes, quòd tam mœſtis & afflictis hominibus deneget pluuiam; *& Deum tangimus*, & poſtquam infleximus ad miſericordiam, pluuiámque conceſſit, Ioui Capitolino in gratiarum actionem exſoluitis ſacrum.

NOTÆ.

963. 1. QVOD EXISTIMENT OMNIS PVBLICÆ CLADIS, OMNIS POPVLARIS INCOMMODI CHRISTIANOS ESSE CAVSAM.] Arnobius lib. 1 ſtatim in principio. *Poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum orbem periiſſe, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum, ipſos etiam cœlites derelictis curiis ſollemnibus, quibus quondam ſolebant inuiſere res noſtras, terrarũ ab regionibus exterminatos*, &c. Diſſoluit & hanc Gentilium obiectionem Auguſtinus epiſt. 5. ad Marcellinum: Lege ab eo loco, *Hæc generalis conqueſtio calumnioſa eſt*, &c. Vide etiam Cyprianum ad Demetrianum. Sed & Origenes in Matth. cap. 24. *Propter multitudinem Chriſtianorũ, dicunt fieri bella, & fames, & peſtilentias. Frequenter enim famis cauſſa Chriſtianos culparunt Gentiles, & quicunque ſapiebant quæ gentium ſunt: ſed & peſtilentiarum cauſſas ad Eccleſiam Chriſti retulerunt.* Mox ſoluit. Auguſtinus ſerm. 59. tomi 10. *Nemo dicat, antea melior erat mundus, quàm modò: ex quo cœpit iſte medicus artem ſuam exercere, multa hîc videmus horrenda.* Etenim hæc conqueſtio multorum fuit: ſed ſcitè reſpondet Ruffinus lib. 9. cap. 7. *Ex quo Chriſtiani ſedibus ſuis vrbibúſque pelluntur, & aëris lata temperies, & terra fœcunditas abundantior, & ſegetum copia vberior.*

964. 1. SI TIBERIS ASCENDIT IN MOENIA.] Fuit veteribus genus quoddam ſuperſtitionis, vt putarent amnes ipſos aduerſum quid vaticinari, cùm inundarent aquarum mole. Fauet locus Taciti lib. 1. Annal. vbi ait, inundante Tiberi cenſetur, vt adeantur, tanquam res hæc eſſet diuina, libri Sibyllini. Et lib. 1. Hiſt. vbi commemoratis aliis ſignis Romanæ cladis, dicit præcipuum fuiſſe, ſubitam Tiberis inundationem, in qua ſitus futuri exitij pauor. Huc pertinet hiſtoria Albani lacus, qui neque cœleſtibus imbribus, neque vllius amnis inundatione auctus, prædixit fore, vt Romani Veios vincerent. De qua hiſtoria videndus Valerius Maximus cap. 6. lib. 1. Plutarchus in vita Camilli, & Liuius lib. 5. Anaſtaſ. in vita Gregorij 2. *Tiberis aluneum ſuum egreſſus ſeſe per campeſtria dedit, & per portam Flaminiam in vrbem ingreſſus eſt.* Et alia multa de eodem amne ſubdit. De Alladio Albæ rege ait Dionyſ. Halic. lib. 1. κατακλυσθεὶς πανοίκιοις ἀπόλυται, *inundante diluuio* (ſtagni) *cum domo tota abſumptus eſt.* Scitum eſt illud Horatij,

Vidimus flauum Tiberim retortis, &c.

Quid me multis fatigo? Hanc ergo aduerſitatem Gentiles iactabant aduerſum Chriſtianos, dicentes illos eſſe in cauſſa, cur Tiberis Romam inundaret.

965. 1. SI NILVS NON ASCENDIT IN ARVA.] Ait Heliodorus lib. 9. Nilum eſſe: Ὡςτε ἡ τὸν ζείδωρον, Αἰγύπτου τὲ ὅλης τῆς ῥᾳθυμοτέρας, τῆς κάτω δὴ ἡ πατέρα καὶ δημιουργόν: *Solem & fertilitatis auctorem, & Aegypti totius, ſuperioris quidem ſeruatorem, inferioris verò patrem & opificem appellari.* Hanc dotem dicebant Gentiles: ſi ea non accidiſſet, in cauſſa eſſe Chriſtianos. Sed quare Nilus aſcendit in arua, ſcilicet media æſtate? Videtur Ariſtoteles reddidiſſe rationem in Meteoris. Quippe quòd eò temporis attingat ſol remotiſſimas regiones Septemtrionis, & niuem liquefaciat, vnde auctus ille aquarum. Hæc ſatis cùm Tertullianus nihil de hac re meminerit: qui plura velit de hac re, legat Ioannem Baptiſtam Scortiam Noſtræ Societatis, qui multa doctè, in libris duobus de incremento Nili.

1. SI COELVM STETIT.] Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. cap. 3. *Ex quorum imperitia illud quoque ortum eſt vulgare prouerbium, pluuia defecit, cauſſa Chriſtiani.*

1. SI TERRA MOVIT.] Hieronym. in cap. 15. Iſaiæ: *Audiui quemdam Areopolitem, ſed & omnis ciuitas teſtis eſt, motu terræ magno, in mea infantia, quando totius orbis littus transgreſſa ſunt maria, eadem nocte muros illius corruiſſe.* Ammianus lib. 28. *Horrendi tumores per omnem orbis ambitum graſſati ſunt.* Lege Bulengerum lib. 3. de Diuinat. cap. 10. referentem hunc motum terræ ad geomantiam, varia auctorum teſtificatione.

1. AD LEONEM.] Cyprianus epiſt. 55. *Ad leonem petitus in Circo, in Amphitheatro.* Et infrà: *Clamore popularium ad leonem denuo poſtulatus in Circo.* Lamprid. in Commodo: *Delatores ad leonem, exaudi Cæſar.* In Agone Polycarpi Euſeb. τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. In nonnullis additur, *ad leonem acclamatur*, nulla neceſſitate. 966.

2. ORO VOS, ANTE TIBERIVM, &c.] Has clades perſequitur abundè Arnobius lib. 1. *Hiſtorias ite per veſtras, & ab iſtis peſtibus inſtrumenti quotiens prior ætas affecta ſit, & paupertatis ad miſerias venerit.* Mox excurrit in hiatus terræ, in generale diluuium, in incendia, in fauillas, in cineres, vt videatur omnino Noſtrum ante oculos habuiſſe. Cicero lib. 1. de Diuinit. *Prælio ad Thraſymenum lacum tantos terræmotus in Liguribus, Gallia, compluribuſque inſulis, totaque Italia factos eſſe, vt multa oppida corruerint, multis locis labes facta ſit, terræque deſierint.* Plinius lib. 2. cap. 8. *Maximus terræ memoria mortalium exſtitit motus, Tiberij Cæſaris principatu tredecim vrbibus Aſiæ vna nocte proſtratis.* Eundem vide eodem lib. cap. 79. latè agentem de motu terræ. Gregorius Nyſſenus contra Fatum de vrbe Babylonia: ὧν ὁ σεισμὸς ἐν ἀκαρεῖ τῆ χρόνου ἀφθὶ ἐξέστρεψε: *Eam terræ motus puncto temporis funditus euertit.* Quis neſcit quæ Pauſanias in Arcadicis? quæ Ammianus l. 17. quæ Philoſtratus lib. 4. vitæ Apollonij? quæ Xiphilinus in Nerone? quæ Procopius lib. 2. Gotthor. videnda in primis quæ ſcribit Auctor vitæ ſancti Athanaſij à verbis illis, σεισμὸς ἐπισκήψας.

2. HIERAPOLIM] Variæ hîc lectiones ſunt, ſed legendum *Hierapolim* atteſtatur Pamelius, qui ex Oroſio lib. 7. cap. item 7. adducit tres vrbes Neronis imperio concidiſſe, quarum princeps fuit Hierapolis.

2. ET DELON ET RHODON.] Hæ inſulæ abſorptæ ſunt, & poſtea variis in locis apparuerunt. Quid addam Pamelio non habeo; tantùm in eo quod ait, variis in locis poſtea apparuiſſe, adiunge Ammia- 967.

num· id ipſum affirmantem, lib.17. *Vt in Aſia Delos* A *emerſit, & Hiera, & Anaphe, & Rhodus*, &c. Idipſum tradit Nicephorus Conſtantinopolitanus in breuiario hiſt. de tribus inſulis Hiera, Thera, & Therasia: ἐκ τοῦ βυθίου ἀναδεδῶσθαι: *ex alto emerſiſſe*. Greg. Nyſſen. id tradit de Bithynia & Thracia lib. contra Fatum; illam πέλαγος, *bellum*; hanc σεισμὸς, *hiatus*, abſorpſit.

2. ET COON.] Vt ait Euſebius in Chron. anno Auguſti 38. in inſula Coo plurima oppida conciderunt terræmotu. Et iterum poſteà: nam Agathias in æuo Iuſtiniani lib. 2. ita loquitur, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, ἡ ἡ Κῶς ἡ νῆσος, ἡ πρὸς τῷ πέρατι τοῦ Αἰγαίου κόλπου, ἐλάχιστόν τι αὐτῆς μέρος ἐσέσωστο· ἡ δὲ ἄλλη ἅπασα ἐπεπτώκει, ποικίλατε αὐτῇ καὶ ἀνήκουστα ἐπεγένετο πάθη. ἡ γὰρ θάλαττα ἐπὶ πλεῖστον ἀρθεῖσα, κατέκλυσε τὰ παράκτια τῶν οἰκημάτων, καὶ διέφθειρεν σὺν αὐτοῖς χρήμασι καὶ ἀνθρώποις: *Per id temporis etiam Coi inſulæ exigua quædam pars ſeruata eſt, reliqua omnis corruit, variáque & inaudita mala acciderunt.* B *Mare enim ingentem in modum aſſurgens domos littorales proluuie obruit, vnáque cum poſſeſſionibus hominibúſque ipſis diſperdidit.*

968. 2. MEMORAT ET PLATO MAIOREM ASIÆ ET AFRICÆ TERRAM ATLANTICO MARI EREPTAM.] Plinius lib. 2. cap. 90. *In totum* (mare) *abſtulit terras, primum omnium vbi Atlanticum mare eſt, ſi Platoni credimus, immenſo ſpatio.* Sed de hoc vide Platonem ipſum in Timæo ab eo loco, λέγει γὰρ τὰ γεγραμμένα, &c.

2. SED ET MARE CORINTHIVM.] Plinius lib. 2. cap. 92. *Helicem & Buram ſinus Corinthius abſtulit, quorum in alto veſtigia apparent.*

2. ET VIS VNDARVM.] Nemo eſt Geographorum, qui non hac de re loquatur, & ego iam multa in 3. Æneidos. Vide in Nicephorum Conſtantinopolitanum, qui de hac re multa in breuiario hiſtoriæ.

2. CAMPESTRE SOLVMMODO.] De Pal- C lio cap. 2. *Cupientes Platoni probare etiam ardua fluitaſſe.*

3. SODOMA ET GOMORRHA.] Prudent.
969. Hamartigenia.

Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia ſecum
Pignora chara domus properabat, ſede relicta,
Nubibus vrbicremis ſubducere, ſulphure cùm iam
Nimboſo ignitus cœlum ſubtexeret aër,
Flagrantémque diem crepitans incenderet imber.

Cyprianus hac de re ita loquitur,

Tunc Loth ingreditur Segor, ſimul exoritur ſol,
Vltimus ille quidem, in Sodomámque incendia feruens
Infert, nam totos radios armauerat igni.
Aemula ſubſequitur caligo includere luce
Captans, atque globos confuſo intexere cœlo. D
Fumantes coëunt nubes, nouus irruit imber:
Sulphura cum flammis flagrantibus æſtuat æther:
Exuſtus crepitat liquidis ardoribus æther.

970. 3. POMA CONANTVR.] Cyprianus dicto loco,

Semiperempta etiam ſi qua illic iungere latas
Autumni conantur opes, facilè optima quæque
Promittunt oculis pyra, perſica, & omnia mala,
Donec carpantur; nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauilláque pomum.

De re alia Seneca in Thyeſte: *Palleſcit omnis arbor.* Ex Cypriani adducto loco patet, quàm falsò Meurſius parte 2. Criticar. Exercit. cap. 24. legat, *poma cooriantur.*

3. VVLSINIOS POMPEIOS.] Vide cap. 2. de Pallio ad illud, *Deuſta Vulſinios, & erepta Pompeios.* Iſtud ſic legit Meurſius dicto loco, *Pompeios Veſuuio monte perfudit ignis*, ſubaudiendum eſt *de* ἀπὸ κοινοῦ, nec diſplicet.

3. ANNIBAL.] De Annibale, qui modiis annulorum metiebatur mortuos; & de Senonibus Gallis, quid hic tractem? putidum ſanè eſt.

3. ET BENE.] Tractault hoc argumentum ſu- 971.
prà cap. 25. vbi: *Eadem ſtrages mœnium & templorum, pares cades ciuium & ſacerdotum, nec diſſimiles rapinæ ſacrarum diuitiarum & profanarum.* Itaque aſpectans ad caput illud, addit ſtatim: *Vt iam hoc reuincam, non à Deis euenire, quia & ipſis euenit.* Vt dicat, vici vos in eo capite, in hoc *reuincam.* Pulchrè autem ait, *Et bene*; quam particulam ſæpe repetit: omitto loca: ſunt enim multa, & alibi tractantur: nunc autem adiicio Valer. Max. lib. 2. cap. 7. qui: *Bene etiam illi diſciplinæ militari affuerunt, qui neceſſitudinum perruptis vinculis, vltionem vindictámque læſæ cum ignominia domuum ſuarum exigere non dubitauerunt.* Origo ſermonis eſt, quòd cui omnia ſecunda vellent, precarentur *bene eſſe.* Petronius Arbit.

Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet Orcus,
Ergo viuamus, dum licet eſſe bene.

Horat. 2. Sat. 2.

---bene erat non piſcibus vrbe petitis,
Sed pullo atque hœdo:

Id eſt, bene curabatur pullo. Plaut. Capt. *Scis bene eſſe.*

4. SEMPER HVMANA GENS MALE DE DEO MERVIT.] Optimè dixit Chryſoſt. Homil. ad Populum 20. de Deo: ὃς καθ' ἡμέραν παρ' ἡμῶν ὑβριζόμενος: *Qui quotidie à nobis contumeliam patiens.* In Agone Laurentij Prudentius, *Fanorum pares*, adeò homines addicti ſemper vanitati.

4. SED ALIOS INSVPER COMMENTA 972.
EST QVOS COLERET.] Conſtantinus Manaſſes in Annalib.

Ἐκκυλισθεῖσα δ' λοιπὸν εἰς παρανόμους πρᾶξις,
Εἰς πᾶν ἐφέρετο κακὸν, ὡς ἵππος εἰς πεδίον,
Ὅτ' εἰς τὸ κάταντες βοχὰς, κατὰ φάραγξ ὡς ὕδωρ,
Εως εἰς βόθρον δυσχεροῖς πλαισὶν καταβραγεῖσα,
Θεοποιεῖν κατήρξατο, καὶ σέβειν τὰ στοιχεῖα,
Καὶ τῷ τιμῷ αὐτὸ Θεοῦ τοῖς κτίσμασι προσφέρειν.
Verùm deinceps exorbitans ad improba facinora,
Quoduis ad malum, velut equus in campum, ferebatur,
Quaſique rota præceps per decliuia ruës in aquas:
Donec ad imum erroris impij gradum prolapſa,
Diuos cœpit facere ac elementa colere,
Creatiſque honorem Dei loco deferre.

Et poſt aliqua loquens de Nembrot, ita ait,

Καὶ πρῶτος παρενόμησεν εἰς τὸν πεπτωκότα,
Καὶ πρῶτος ἐφρυάξατο κατὰ Θεοῦ τοῦ ζῶντος,
Καὶ τῷ τιμῷ τῷ Θεῷ προσκούσαι, ὡς θέμις,
Εἰς ἑαυτὸν ἠθέλησε μετενεγκεῖν ἀφρόνως.
Atque hic auctor fuit reiiciendi creatorem,
Primuſque fremuit aduerſus Deum viuum,
Et honorem Deo conuenientem (vt fas)
Ad ſe transferre ſtolidè voluit.

Idem poſt multa,

Ἐλήϊσεον, διήρπαζον, ἔκλεπτον, ἐμοιχῶντο.
Καὶ τελευταῖον ἔβλεψαν πρὸς εἰδωλολατρείαν.
Prædabantur, rapiebant, furabantur, mœchabantur.
Ad extremum ſe idololatriæ tradiderunt.

Et poſtea de Nabuchodonoſor,

Αὐτὸν ἐθεοποίει γὰρ τότε φρενοπληξίας.
Se ipſum, inſania quadam animi, Deum fecit.

4. EXACTOREM.] Quid ſit *exactor*, clarum: ſed ea voce mirè vſus eſt Greg. Nyſſen. orat. funebri Placillæ dicens, τὸν διωκτικὸν φορολόγον τῇ γαστρὶ: *Perpetuum exactorem ventrem*: qua voce apprimè explicuit quid ſit *exactor.*

4. CÆTERVM QVI REQVISISSET.] In 973.
Puteani codice admonet Pamelius ſcriptum: *Cæterùm*

si requisisset, sequebatur vt cognosceret requisitum, & recognitum obseruaret: quod esse & breuius & elegantius ipse fatetur. A

4. ILLIVS REA EST CVIVS ET INGRATA.] Constructio Græca, Latinè diceres, *illi rea est cui & ingrata.* Amat interdum Græcas constructiones. Sensus est: Illius iræ rea est, cuius etiam beneficiis ingrata.

5. PRISTINAS CLADES.] Pro, *antiquas*, dictum; quod multa probant. Cæterùm audiendus est ad sententiam Arnobius lib. 1. *Quanquam ista quæ dicitis bella religionis nostræ ob inuidiam commoueri, non sit difficile comprobare, post auditum Christum in mundo, non tantùm non aucta, verumetiam maiore de parte furiarum compressionibus imminuta.*

5. DEPRECATORES DEI ESSE COEPERVNT.] Petronius Satyr. *Rogare cœpit vt se pœnæ eriperemus.* Ruffinus lib. 3. de Vitis Patr. in prologo: *Verè mundum quis dubitet meritis stare sanctorum.*

974. 5. ÆSTIVA HYBERNA.] Habet imitatorem Cyprianum ad Demetrianum: *Quòd lues, quòd fames* B *sæuiant, quódque imbres & pluuias serena longa suspendant.* Et de Mortalitate: *Et quando imbris nubila serena longa suspendunt, omnibus siccitas vna est.* Sententia est, cùm non pluit neque æstiuo, neque hyemali tempore. Puer sic capiat. Cùm æstiua, aut hyberna suspendunt abstinéntque ab imbribus. Annus veteribus in duas tantùm partes diuisus erat, videlicet in hyemem & æstatem; hinc est, vt frequenter has duas partes pro anno sumant Auctores, non ver, non autumnum. Valerius 6. Argonautic.

---eum Scythiæ iam tertia viderat æstas.

Silius lib. 3.

---octaua terebat
Arentem culmis messem crepitantibus æstas.

Sic dicebãt de hyeme. Accius in Philoctete apud Nonium: *Contempla hanc sedem, in qua ego nouem hyemes saxo stratus pertuli.* Ouidius in Halieut.

Tertia Phœbæi referunt hyberna iugales. C

Et simul vtramque anni partem Seneca Troadib.

---decies niuibus
Canuit Ide, Ide nostris
Nudata rogis, & Sigais
Trepidus campis decies secuit
Messor aristas.

Plato 6. Leg. vbi ait: Vrbes custodiendas ab armatis hominibus toto anni tempore, ne vis externa ingruat; tantùm ait: θέρους τε καὶ χειμῶνος σὺν τοῖς ὅπλοις. Ista paucis delibaui ex 1. Æneid. versu vltimo, vbi latiùs.

5. BALNEIS.] Principium balneorum ab exercitationibus traditum, quòd sudorem aqua abluere salubre iudicaretur. Petron. Sat. *Intrauimus balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam exiimus.* Plautus in Sticho: *Posteà iui lauatum à pila.* Artemidorus lib. 1. Oneir. ὃ δὲ αὐτοῖς καθάρσια πένου ἢ πολέμου τὸ βαλανεῖον. Apuleius lib. 3. *Hunc iuuenem, cùm è balneis rediret ipsa, tonstrinæ residentem, hesterna die fortè conspexit.* Plautus Asinar. *Ille in balneas iturus est, inde huc veniet postea.* Omitto infinitos, qui loquuti de hac re. Alibi etiam in hoc opere.

975. 5. AQVILICIA IOVI IMMOLATIS.] *Aquilicia* ab aquis eliciendis dicta. *Aquilices* siue *Aquileges* scrutandorum fontium artifices, ab elicibus dicti, qui sunt capita fontium & scaturigines. Adducit Pamelius Senecam lib. 3. Nat. Quæst. *Sæpe colligitur roris modo tenuis & dispersus liquor, qui ex multis in vnũ locis confluit, sudorem aquileges vocant.* Festus verò sic ait: *Aquilicium dicitur cùm aqua pluuialis remedijs quibusdam elicitur, vt quondam, si creditur, manali lapide in vrbem ducto.* In quem locum adducit Scaliger, fortasse illud Varronis appellantis Tuscum *aquilegem* vel *aquilicem*, ad hoc referendum, quòd scilicet Tusci rei diuinæ erãt periti. Verba Varronis ex Satyra Quinquatribus: *An hoc præstat Herophilus Diogeni, quod ille è ventre aquam mittit? an hoc te iactas? at hoc pacto vtilior te Tuscus Aquilex.* Est hoc quod Tibullus dixit,

---è cœlo diripit ille Deos:

Vel, vt alij volunt, *deripit.* Dicit autem *aquilicia immolare*, Græcorum phrasi, vt aduertit Heraldus, apud quos θύειν τὰ σωτήρια, τὰ διασωτήρια. Bulengerus legit *Aqualicia.*

5. NVDIPEDALIA POPVLO DENVNTIATIS.] Tertullianus, de Ieiuniis aduersus Psychicos, cap. 16. *Sed & omnem* ταπεινοφρόνησιν *Ethnici agnoscunt, quum stupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro auertunt, precem indigetant, hostiam instaurant.* Aristides orat. 2. Sacrorum serm. bis repetit eundem morem: in priore loco ait, αὐτοδύτου, in posteriore αὐτοδυσίας. Iuuenalis Satyra 6. loquens de Iudæis,

Obseruant vbi festa mero pede sabbata Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Et matronæ Vestæ nudis pedibus adibant. Ouid. enim 6. Fast.

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

Et Florus similiter ait: *Virgines ex sacerdotio Vestæ nudo pede fugientia sacra comitantur.* Et Iosephus lib. 2. de Bello Iudaico: *Berenicem Reginam, vt Deo vota soluneret pro salute, Hierosolymam venisse, & pro more patrio hostiis cæsis, capilliſque derasis, nudipedem ante tribunal stetisse.* Et de Medea loquens Ouid 7. Metam.

Egreditur tecti vestes, induta recinctas,
Nuda pedem, nudis humeris infusa capillos.

Et de eadem Medea Seneca Tragicus,

Tibi more gentis vinculo soluens pedem,
Secreta nudo nemora lustraui pede.

Et Suetonius August. cap. 100. *Reliquias legerunt primores equestris Ordinis tunicati, & distincti, pedibúsque nudis, ac in Mausoleo condiderunt.* Et Romanus Martyr apud Prudentium Gentiles reprehendit, quòd videret illos, in sacris Ideæ *nudare plantas*, & Togatos omnes.

5. NVBILA DE LAQVEARIBVS EXPECTATIS.] Attigit hanc Gentilium vanitatem sup. cap. 24. ad illud, *alius lacunaria*, vide illum locum. 976.

5. IN SACCO ET CINERE VOLVTANTES.] Vide lib. de Pœnitentia cap. 9. & lib. de Patientia cap. 13. vbi multa. Ne autem hic locus sit mancus, afferam Concilium Mogunciacum, in quo hæc verba can. 4. *Placuit nobis vt Litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sancti Patres nostri instituerunt; non equitando, nec pretiosis vestibus induti; sed discalceati, cinereque & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.* Et sanctum Maximum Episcopum Taurinensem Homilia de Letaniis: *Obliuiscitur ergo se Regem esse, dum proijcit purpuram* (Rex Niniues) *dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco, ieiuniis perseuerat, orationibus immoratur.* D

5. INVIDIA COELVM TVNDIMVS.] Stat. 5. Syluar. 977.

---nonne horridus ipsos
Inuidia superos, iniustáque Tartara pulsem?

Zeno Veronens. serm. de Iob: *Scidit vestimenta sua, non vt Deo inuidiam faceret, sed vt expeditus cum hoste pugnaret.* Hilarius ad Constantium Aug. *Omnia sæuissima sine inuidia gloriosarum mortium peragis.* Tertullianus in Sodom.

Pulsabant cœlum inuidia, connubia mista
Incestu parili.

Idem de Ieiunijs: *Apud quasdam verò colonias præterea annuo ritu saccis velati, & cinere conspersi idolis suis inuidiam supplicem obiiciunt.* Cyprianus de Mortalitate: *Et cùm eum vxor sua compelleret, vt vi doloris*

impatiens aliquid aduersus Deum querula & inuidiosa voce loqueretur. Nazianzenus in Apologetico suo: ὡσ-τε τοὺς φύσεις τίμιονταις κ᾽ τῷ Ἀρείου καλῶς ὀνομαζθῆσαι μανίαν εἰς Ιουδαϊκὴν πενίαν καταπλήξθῶαι, κ᾽ φθόνον ἐπισύ-ρειν τῇ θείᾳ φύσει: *Nec iuxta Arij pulchrè nominatum furorem naturas secantes in Iudaicam inopiam rediga-mur, atque in diuinam naturam inuidiam inducamus.* Sed quid si alius sensus? *Inuidia cœlum tundimus*, id est, intentis & attentis oculis cœlum intuemur, quia iuxta Ciceronem in Tuscul. *inuidia* à nimio intuitu dici-tur.

5. IVPPITER HONORATVR.] Iouis Pluuij imaginem præbet Baronius tomo 2. Annal. pag. 198. & Phornutum, illum appellantem Nubicogum, & Grandistupum: item alibi, Pluuium, Fructiferum, Descensorem, & Fulminatorem; & Virgilium qui il-lum, Ætherem. Est autem idem Iuppiter Pluuius & Elicius, ab eliciendis aquis. Verbo *elicio* vsus sanctus Marcus in sua lithurgia proximè ad Iouem Elicium, ait enim: *Fluuiales aquas ad earum mensuram tua gra-tia sursum elicito.* Hic item *Eliciior* vocatur à Ruri-cio Episcopo lib. 1. Epistolarum.

CAP. XLI. ARGVMENTVM.

Quòd meritò Deus in genus humanum irasci debuit, cùm spernatur, & statuæ adorentur.

TERTVLLIANVS.

978. 1. VOs igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodo-rum, vos malorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuæ ado-rantur. Etenim credibilius haberi debet eum irasci qui negligatur, quàm qui colun-tur: aut næ illi iniquissimi, si propter Christianos etiam cultores suos lædunt, quos separare deberent à meritis Christianorum.

EXPLICATIO.

1. ETENIM, &c. Credibilius est Deum verum irasci *qui negligatur*, quàm Deos falsos *qui coluntur*, aut certè illi Dij falsi *iniquissimi* sunt, &c.

979. 2. Hoc, inquitis, & Deum vestrum repercutere est. Siquidem & ipse patiatur pro-pter profanos, etiam cultores suos lædi. Admittite priùs dispositiones eius, & non re-torquebitis. Qui enim semel æternum iudicium destinauit post seculi finem, non præ-cipitat discretionem, quæ est conditio iudicij ante seculi finem. Æquabilis est inte-rim super omne hominum genus, & indulgens, & increpans. Communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis, vt pari consortio omnes & lenitatem eius & seueritatem experiremur. Quia hæc ita didicimus apud ipsum, diligimus lenita-tem, metuimus seueritatem; vos contrà vtramque despicitis: & sequitur vt omnes seculi plagæ nobis, si fortè, in admonitionem, vobis in castigationem à Deo ob-ueniant.

980. 2. *Hoc inquitis*, &c. Dicitis mihi, quid est hoc a-liud, (Deum verum intelligit) quàm Deum vestrum dicteriis & amarulentiis facilè *repercutere*, & notam iniustitiæ illi inurere? Nam Deus *propter prophanos*, quales sunt Gentiles, patitur *lædi* suos Christianos: dum punit propter peccatores etiam iustos. *Admit-tite priùs*, &c. Si priùs admittatis *dispositiones eius*, iu-dicia, prouidentiam, & sapientiam, demum quæ di-spposuit facere, nequaquam *retorquebitis* argumen-tum; hæc enim mera est inscitia. *Qui enim*, &c. Cùm constituerit Deus in fine seculi mundum iudicare, & *conditio iudicij* sit summa discretio, & distinctio perso-narum, non hanc *præcipitat*, neque anteuertit. *Aequa-bilis est*, &c. Indulgentia eius & increpatio in omne mortale genus æquè comprehendit iustum & pecca-torem. Hinc voluit esse *commoda & incommoda com-munia suis & profanis*, vt videlicet omnes *experire-mur* tum *lenitatem* tum *seueritatem eius. Qui hæc*, &c. Nos Christiani cùm sciamus hanc Dei veri conditio-nem & dispositionem, si ille lenis est in nos, *diligimus*; si seuerus, *metuimus*: *vos vtramque* virtutem, & leni-tudinem & asperitatem *despicitis: & sequitur* quidem, vt omnia incommoda nostræ admonitioni accidant, si fortè admoneamur; vestræ verò castigationi procul dubio.

981. 3. Atquin nos nullomodo lædimur. In primis quia nihil nostra refert in hoc æuo, nisi de eo quàm celeriter excedere; dehinc, quia si quid aduersi infligitur, nostris meri-tis deputatur: sed & si aliqua nos quoque perstringunt vt vobis cohærentes, lætamur magis recognitione diuinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam & fidem spei nostræ. Sin verò ab eis, quos colitis, omnia vobis mala eueniunt nostri causa, quid colere perseueratis tam ingratos, tam iniustos? qui magis vos in dolore Chri-stianorum iuuare & asserere debuerant, quos separare deberent à meritis Christia-norum.

982. 3. Nos autem, quamuis infinita mala accidant, nulla in re *lædimur*, propter triplicem causam. Pri-mò, quia si excutimur ex hoc seculo, nostrum est vo-tum. Secundò, quia si nos mala aliqua perturbant,

existimamus nostris *meritis* & præmiis futuris in diem iudicij & æternæ beatitudinis deputari. Tertiò, quia si vnà vobiscum degentes, mala quæ vos, nos quoque pari ruina affligunt, *lætamur* tunc, cùm maiorem *fiduciam* accipiant nostra diuinæ bonitatis, secundùm scripturæ recognitionem & seriem. *Sin verò*, &c. Si verò è contrario accidat, vt quia vnà nobiscum degitis, mala quæ nos, vos quoque pari ruina affligant, cur *colere* persistitis *tam ingratos, tam iniustos* Deos? *Debuerant vos iuuare in dolore Christianorum*, neque affligere vos simul cum illis, & *asserere* vt partem suam, vt inuidia Christiani disrumperentur, & disiungeremini à nostris demeritis.

NOTÆ.

983. 1. VOS IGITVR IMPORTVNI REBVS HVMANIS.] Arnobius lib. 1. *Efficietur enim profectò rationum consequentium copulatu, vt non impij nos, magis sed illi ipsi reperiantur criminis istius rei, qui se numinum profitentur esse cultores, atque inueteratis religionibus deditos.* Lactantius de Iusti. lib. 5. cap. 8. *Discite igitur quotidie ingrauescere, quia Deus huius mundi effector & gubernator derelictus est, quia susceptæ sunt contra quàm fas est impiæ religiones, postremò quia nec coli quidem vel à paucis Deum sinitis. Vniuersa igitur mala, quibus humanum genus seipsum inuicem conficit, iniustus atque impius Deorum cultus induxit.* Cyprianus ad Demetrianum: *Quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, à quibus Deus colitur, sed delictis & meritis vestris irrogantur, à quibus Deus omnino nec quæritur nec timetur.*

1. ILLICES.] Vox optima, & vnicè quadrans fraudulentiis Gentilium.

1. AVT NÆ ILLI, &c.] Sic putant legendum. *Aut non illi*, &c. Et in fine periodi addi interrogationem.

984. 2. DISCRETIONEM.] Nihil aliud capias quàm discretionem, distinctionem, & inconfusionem illam iudicij, qua separabuntur boni à malis. Hanc Deus non præuertit, neque anteuertit; neque enim discernuntur mali à bonis, vt tunc separabuntur.

2. ÆQVABILIS.] Non *æquus* respondet *æquabilitati*, hæc enim maius quiddam est, & comprehendit iustum & peccatorem. Cùm huic indulget, illum increpat. Siue, interim vel indulgeat vel increpet, indiscretè & indifferenter contingit id mortalibus.

2. QVIA HÆC ITA DIDICIMVS.] In vulgatis est: *Quia æquitatem didicimus*: ego secutus sum Puteanum, & Heraldum.

2. SI FORTE.] Pressissima locutio, & multis iam explicata. Nihil aliud nunc dicit, quàm, forsitan admonemur. Heraldus tantum dicit *fortè*, non *si fortè*, sed credo errorem esse cusionis, cùm Tertullianus vtatur *si fortè*, idque sæpissime.

3. NOSTRIS MERITIS DEPVTATVR.] 985. Sic correxi, vt corrigit Iunius; non tamen eo sensu, quo ille. Nihil enim aliud dicit, quàm, si quid infligitur nunc, posteà in æterna vita meritis nostris deputatur, & hæc est explicatio Zephyri, & *nostris* legendum, non *vestris*; nunc enim in se & in Christianis est; & ita legit Zephyrus. Si quis autem legat *vestris*, sciat sententiam esse, vos estis in caussa si quid aduersi infligitur.

3. SIN VERÒ AB EIS, &c.] Legit Schoppius ex ms. *Iam verò si ab his molitis*, & explicat *molitis*, mola & ritu diuino cultis. Inuitè placet.

3. QVOS SEPARARE DEBERENT A MERITIS CHRISTIANORVM.] Delerem omnia hæc, id enim est, quod initio dixit: *aut næ illi iniquissimi, si propter Christianos, etiam cultores suos lædunt, quos separare deberent à meritis Christianorum.* Profectò nihil aliud dicit in fine. Deinde non solens Tertullianus loquitur, neque ego satis comprehendo vim horum verborum. Itaque censeo proculdubio delenda.

CAP. XLII. ARGVMENTVM.

Contra eos qui infructuosos dicebant Christianos.

TERTVLLIANVS.

986. 1. SED alio quoque iniuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus, eiusdem ad vitam necessitatis? neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnosophistæ sumus, syluicolæ, & exules vitæ. Meminimus gratiam nos debere Domino Deo creatori, nullum fructum operum eius repudiamus. Planè rem temperamus, ne vltra modum aut perperam vtamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæterisque commerciis cohabitamus in hoc sæculo. Nauigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur, proinde miscemus artes, opera nostra publicamus vsui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus, & de quibus viuimus, non scio.

EXPLICATIO.

1. VLTIMA criminatio qua dicebantur Christiani *infructuosi negotiis. Quo pacto*, &c. Respondet in hunc modum: *Quo pacto homines*, &c. Clara sunt omnia. Ideò vnum, aut alterum. *Neque enim Syluicolæ*, vt *Brachmanæ* sumus; neque *vitæ exsules gymnosophistæ*. Itaque Syluicolæ spectat Brach-

manas, exules vitæ gymnosophistas Indorum. *Stabula* sunt diuersoria. *Quomodo infructuosi*, &c. Nescio quî dicamur *infructuosi* vestris rebus & negotiis, cum quibus viuimus, & de quibus viuimus.

987. 2. Sed si ceremonias tuas non frequento, attamen & illa die homo sum. Non lauor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam: attamen lauor honesta hora & salubri, quæ mihi & calorem & sanguinem seruet. Rigere & pallere post lauacrum mortuus possum. Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema cœnantibus mos est: attamen vbivbi de copiis tuis cœno. Non emo capiti coronã: quid tua interest, emptis nihilominus floribus quomodo vtar? puto gratius esse liberis, & solutis, & vndique vagis. sed etsi in coronam coactis, non coronam naribus nouimus. Viderint qui per capillum odorantur. Spectaculis non conuenimus: quæ tamen apud illos cœtus venditantur: si desiderauero, liberiùs de propriis locis sumentur. Thura planè non emimus. Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm Dijs fumigandis.

988. 2. Non desino esse homo etiamsi *ceremonias tuas* non frequentem, & frugi quidem. *Non lauor diluculo*, &c. Non summo mane *Saturnalibus lauor*, nam hoc est *noctem & diem* perdere: *noctem* in surgendo diluculo & multo mane; *diem* etiam qui procedit perdo, cùm meliorem diei partem in balneo consumam; tamen *lauor honesta & salubri hora*, postquam me exercuero, quæ lotio mihi sanè *calorem & sanguinem seruet*; nam *mortuus possum* non seruato calore *pallere*, & non seruato sanguine *rigere*. In summa ait, satis esse lotionem quæ adhibebatur mortuis, & ea se contentum. *Non in publico*, &c. Non ludis scenicis dicatis Baccho Libero *discumbo in publico*, qui *mos est* bestiariis, cùm illi coram vniuerso populo cœnant supremam cœnam, vt statim morituri ad bestias: tamen *de tuis copijs cœno* vbicumque: id est, de annona, quam in foro venalem habes. *Non emo*, &c. *Non coronam capiti emo*, cùm eam non agnoscam in capite. Nunquid *tua interest*, si emo flores, illos aptem vt voluerim? Ego *puto gratius esse*, si liberos habeam flores, quàm si in coronam coactos, si solutos, si vagos. Esto coronam emam, sed certè non capiti, inde enim malè odorabor. *Viderint* enim (id est) stulti sunt *qui per capillum odorantur*, id est, qui imposita corona capiti, suauitatem florum se putant sensuros, cùm illi vtique naribus debeant coniungi vt percipiatur flagrantia. *Spectaculis*, &c. Non interfum *spectaculis*, quæ vobis sunt in plausu; si quid tamen est quod venditetur in illis cœtibus spectaculorum, si desidero, libentiùs ibo ad propria loca empturus, vbi res illæ venundantur. *Thura planè*, &c. Non est animus thura emere *fumigandis Diis*, si enim *Arabia* id est, Arabes de nobis queruntur, *sciant Sabæi* (apud quos plurimæ sunt merces thuriferæ) *profligari* & vendi maiorem copiam, eámque multo cariùs Christianis ad sepulturam quàm ridiculæ isti fallaciæ Deorum, qui nihil habent cur fumigentur.

989. 3. Certè, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt, stipes quotusquisque iam iactat. Non sufficimus & hominibus, & Deis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis quàm petentibus impertiendum. Denique porrigat manum Iuppiter, & accipiat; cùm interim plus nostra misericordia insumat vicatim, quàm vestra religio templatim. Sed cætera vectigalia gratias Christianis agunt ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus; vt si ineatur quantum vectigalibus pereat fraude & mendacio vestrarum professionum, facile ratio haberi possit vnius speciei querela compensata pro commodo cæterarum rationum.

3. Sed adhuc dicitis, *vectigalia templorum quotidie* pereunt, imminuuntur & pauperiores eleemosynæ accedunt aris Deorum; nam vix quotusquisque est, qui iactet simulacris stipem aliquam. *Non sufficimus*, &c. Id planè non facimus; quis enim Deis vestris opem ferat, absurdis, & omni ratione destitutis? Nos enim vnis tantùm pauperibus petentibus subueniendum putamus, si *manum porrigat Iuppiter*, vt cæteri pauperes, accipiet quod damus; & interim gloriari possumus, nos plus insumere dilargiendo *vicatim*, quàm vos Gentiles per Deorum templa. *Sed cætera*, &c. Alia autem *vectigalia* ita soluimus *ex* Christiana *fide*, vt nullius pecunia erga nos maneat, sed statim satisfaciamus debitoribus, cùm apud vos *pereat fraude & mendacio vestrarum professionum*: & quidem tanta est soluendo diligentia nostra, vt facilè recompensetur *querela*, qua negamus Deorum templis aliquid impertire.

NOTÆ.

990. 1. HABITVS.] Nam Christiani in habitu exteriori à vulgo non discernebantur. Cyprianus de Bono Patientiæ: *Nos autem fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis, sed factis sumus; nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus.*

1. INSTRVCTVS.] In Pandectis Iustiniani titulus quidam est: *De instructu seu instrumento legato.* Tertullianus, de Anima: *Quam dicimus cum omni instructu suo nasci.* Cassianus lib. 5. cap. 37. cùm in summa capitis scribat: *De traditis nobis ab Abbate Archibio cum instructu suo cellis*, satis explicat quis sit *instructus*, cùm ait: *Cellulam cum omni supellectile vtensili-búsque suscepimus.*

1. BRACHMANÆ.] Sidonius epist. 3. lib. 8. *Nunc ad Aethiopum Gymnosophistas, Indorũque Brachmanas totus lectioni vacans, & ipse quodammodo pere-*

grinêre. Brachmanarum meminit Clemens Alex. A Stromate 1. Βραχμᾶνες τὲ σύμπαντες. Pertinent ad Indos, Clemens eodem lib. περὶ Ινδῶν ὑπὸ τῶν Βραχμάνων: *apud Indos à Brachmanis.* Et lib. 3. ita ait de illis: Βραχμᾶναι γὰρ οὗτοι, οὔτε ἔμψυχον ἐδόδιμον, οὔτε οἶνον πίνουσιν: *Brachmanæ quidem neque quidpiam animatum comedunt, neque vinum bibunt.* Vt non immeritò *syluicolas* illos vocet Tertullianus, vt alienos ab his rebus, quibus vita hominum fruitur. Et quidem Strabo lib. 15. quem affert Heraldus, illis dat vitam ἐν ἄλσεσι περὶ τὴν πόλεως, *in nemore ante vrbem*, vt iam dici possint ὑλόβιοι, *syluicolæ.* De sociis autem gymnosophistis ait Clemens lib. 3. οὔτε δὴ οἱ γυμνοσοφισταὶ, οὔδ' οἱ λεγόμενοι σεμνοὶ, γυναιξὶ χρῶνται: *Neque verò Gymnosophistæ, neque qui dicuntur venerandi, vtuntur mulieribus.* Vt meritò dici queant, *exules vitæ.*

991. 1. STABVLIS.] Diuersoriis. Petron. Satyr. *Dum ergo iuuenes sententias rident, ordinémque totius dictionis infamant, opportunè subduxi me, & cursim Ascylton* B *persequi cœpi. Sed nec viam diligenter tenebam, nec quo loco stabulum esset, sciebam.* Cyprian. ad Stephanum: *Stabula in itinere appetunt tutiora.* Plinius lib. 6. epist. 19. *Vrbem Italiámque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo.* Spartianus in Seuero: *Dormienti etiam in stabulo serpens caput cinxit.* Baccharius de Recipiend. lapsis: *Magister noster à latronibus vulneratum non solùm cura dignum iudicat, verumetiam ad stabulum suum restituit, ac datis stabulario duobus denarys maius ei præmium pollicetur.*

1. PROINDE MISCEMVS ARTES.] Legunt aliqui, *proinde miscemus: artes, opera nostra,* &c.

2. NON LAVOR DILVCVLO SATVRNALIBVS.] Fuit hoc è superstitione Gentilium in multis celebritatibus, vt putarent tunc illas religiosè administrari, si ab diluculo inchoarentur. Exemplo sit, & lotio ista Saturnalium diluculo: nam, vt inquit C Lipsius Excursu in Annales Taciti, à prima luce incipiebant Saturnalia: & celebritas Nouilunij, de qua ait Ioannes Chrysost. ὑπὸ πρωΐ ἕω, id est, *prima luce* inchoari intemperantiam in poculis. Et quidem iocorum erant, & conuiuiorum dies ita sollemnes in Saturnalibus, vt dicat Lipsius lib. 1. Satur. cap. 2. Ideò lauasse summo mane, vt transituros ad epulas & mensam. Quem ad locum affero Iuuenalem, ita dicentem,

---iam nunc in balnea salua
Fronte licet vadas, quanquam solida hora supersit
Ad sextam.

Vult enim Poëta amicum suum Persicum ire ad balneum hora quinta præter morem, vt veniat ad epulas hora sexta aut septima. Sanè tres erant cellæ in balneis. Prima *Caldaria*, quæ Senecæ dicta est *Sudatorium.* Secunda *Media*, siue *Tepidaria.* Tertia *Frigidaria.* Vide Taubman. in Plautum.

2. ATTAMEN LAVOR HONESTA HORA ET SALVBRI.] Cùm Saturnalia incidérent in tempus frigidissimum anni, dicente Mummio Poëta:

---nostri maiores veluti bene
Multa instituere, sic hoc optime, frigore
Fecere summo dies septem Saturnalia.

Fiebat vt necessariò salus in periculum vocaretur, si multò mane fieret lotio. Inde commodè post exercitationem adhibebatur lotio in balneo. Plautus in Sticho: *Posteà ibi lauatum à pila.* Inde Clemens Alex. lib. 3. Pædagog. cap. 9. cùm quatuor causas recenseat balnei, inter eas ἢ ὑγείας, *aut sanitatis.*

992. 2. RIGERE ET PALLERE POST LAVACRVM MORTVVS POSSVM.] Attingit morem lotionum mortuorum, quem attigit Homerus & Virgilius. Omitto. Athenæus lib. 9. propriè ait apud Athenienses vocari ἀπόνιμμα, lotionem cadaueris, quæ adhibebatur in honorem defunctorum. Ennij versus est,

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Sed aliunde pateat hic vsus. Gregorius Homilia 39. de sorore sua defuncta loquens: *Cùmque corpus eius ex more mortuorum ad lauandum nudatum esset.* Et lib. 3. Dialogor. cap. 17. *Quem ex more lotum, & vestimentis indutum.* Petrus Damianus epist. 5. *Cadauer exanime lotum iuxta morem, atque constrictum, fratribus circumquaque psallentibus in feretro iacuit.* Nicetas Choniates in vita Isacij lib. 1. cap. 3. multos in cœmeteria coniici ἄτερ τῶν τελευταίων λουτρῶν, *sine extrema lotione.* Hunc morem tenuisse Gallos testatur Greg. Turonensis, lib. de Gloria confess. cap. 104. vbi ait, Pelagiam vita functam, ablutam fuisse iuxta morem, ac deinde collocatam in feretro. Hic autem mos fulcrum habet in sacris litteris, Actor. 9. de Tabita, quæ abluta est.

2. NON IN PVBLICO LIBERALIBVS DISCVMBO, &c.] Admonet Pamelius hîc accipi ludos scenicos, qui sacri erant Baccho, celebrabantúrque XVI. Kal. Aprilis. Vide Varronem lib. 5. Ling. Latin. & Festum. De his epulis accipit Heraldus istud Apul. lib. 4. *Gladiatores isti famosæ manus: venatores illi probatæ pernicitatis, alibi noxijs perdita securitate suis epulis bestiarum saginas instruentes.* His similes carnificis epulæ, quæ apparantur damnatis capite; de quibus mentio est apud Guliel. Stuchium lib. 1. cap. 26. Cæterùm Iunius, & Heraldus volunt illud Puteani, *sub primam*, non *suprema*, & Iunius explicat de meridianorum gladiatorum epulis. Hi enim meridie depugnabant, vt cœnam sibi compararent, eamque partem periculo suo sumebant quam ocyssimè in publico, ne à spectaculorum congressu, ad quæ populus D post primam reuerti solitus, excluderentur. Cæterùm vanè solicitatur hæc lectio, auctore Salmasio in Notis ad Trebellium, cùm *suprema cœna* vocetur vltima, eadem omnino quod *miscellanea* dixit Iuuenalis, 993.

Veniunt ad miscellanea ludi.

Vbi vltimam cœnam explicat interpres vetus. Et Bulengerus lib. de Venat. Circi cap. 34. lectionem Iunij vocat *mera somnia.* Vide illum latè disputantem contra Iunium, & euertentem eius ratiocinationem.

2. BESTIARIIS.] Bestiarius est qui cum feris pugnat. Sanctus Basilius περὶ πλεονεξίας bestiarios explicat θηριομάχους: similiter & Socrates lib. 7. idem *Parabolus* nuncupatur. Socrates lib. 7. cap. 22. sic ait: ὁ δῆμος κατεβόα, δεινῶ θηρίω ἵνα τῶν εὐτυχῶν παραβόλων μάχωνται: *Populus clamore deposcebat, vt virus è parabolis valentioribus cum fera immani depugnaret.* Eandem vocem habet Hesychius & Glossæ. Sed non est facile explicare, quamobrem dicatur *Parabolus.* Fortè dicti homines proiectæ audaciæ, & qui cum feris comparentur ad pugnam, hoc enim est παραβάλλεσθαι. Demum dicitur *contifex* quòd conto rem gerat. Hac voce vtitur Vopiscus in Probo: *Qui omnes contificiis interempti sunt.* Lampridius in Commodo: *Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, vt elephantum conto transfigeret.* Parco nominibus è vulgo: (nam clarum est dici *bestiarios*, confectores ferarum) & similibus.

2. NON EMO CAPITI CORONAM.] Minutius: *Quis autem ille est qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cùm capiamus & rosam veris & lilium, & quicquid aliud in floribus blandi coloris & odoris est? his enim & sparsis vtimur mollibus ac solutis, & sertis colla complectimur. Sanè quòd caput non coronamus, ignoscite.*

ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capilliſve ſolemus haurire.

2. COACTIS.] Sunt illæ coronæ textiles, quas celebrat Mar. epigram.

--- greſſum quacunque oculoſque ferebat,
Textilibus ſertis omne rubebat iter.

2. SVMANTVR.] Eſt in meo Codice *ſumam*, quod eſt aptius ad rem.

2. SI ARABIÆ QVERVNTVR.] Ridiculè aliqui adiiciunt diphthongum, & ſcribunt *quæruntur.*

994. 2. CHRISTIANIS SEPELIENDIS.] Tertullianus de Reſurrectione Carnis: *Corpora medicata condimentis ſepulturæ.* & in lib. de idololat. loquens de aromatibus: *Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque inſuper ad ſolatia ſepulturæ vſui ſunt.* Minutius Felix inter crimina Chriſtianis obiecta: *Reſeruatis vnguenta funeribus.* Lactant. lib. 2. cap. 4. *Defunctorum corpora odoribus, & pretioſis veſtibus illita.* Apul. 4. Florid. *Jam miſeri illius membra omnia aromatis perſperſa.* Ouidius 3. Faſt.

Miſta bibunt molles lacrymis vnguenta fauillæ.

Irenæus ſic de hac re lib. 1. aduerſ. Hæreſ. cap. 18. *Alij ſunt qui mortuos redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum & aquam, ſiue prædictum vnguentum cum aqua, & cum ſuprà dictis inuocationibus, vt incomprehenſibiles & inuiſibiles principibus & poteſtatibus fiant.* Græca ſi quæras, hæc ſunt. ποτὲ γάρ τινες ἐξ αὐτῶν ἔλαιον ὕδατι μίξαντες, ἐπιβάλλουσι τῇ κεφαλῇ τῶν ἐξελθόντος· οἱ δὲ μύρον τὸ λεγόμενον ἀποβάλλουσιν ἐν ὕδατι, πλὴν μόνοι ἐπίκλησιν κοινὸν ἔχοντες. Caſſianus Collat. 15. cap. 3. de monachis Ægyptiorum: *Corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis reconduntur.* Nyſſenus in funere Meletij: *Sindones mundæ, & panni ſerici, vnguentorum & aromatum largitas.* Et Prudentius Cathemerin.

Nos tuta fouebimus oſſa
Violis ac fronde frequenti,
Titulúmque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

3. TEMPLORVM VECTIGALIA QVOTIDIE DECOQVVNT. 995.] Eſt *decoquunt*, imminuuntur. Adducit Heraldus illud Plinij ad Traianum: *Certè ſatis conſtat, prope iam deſolata templa cœpiſſe celebrari, & ſacra ſollemnia diu intermiſſa repeti, paſſimque venire victimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inueniebatur.* Cùm addit *ſtipes*, ſciendum Sacerdotes olim non exiguum æs colligere ſolitos, hóſque homines *Æruſcatores* vocabant. Huius ſtipis ſic Varro meminit: *Diis cùm theſauris aſſes dant, ſtipem dicunt.* Ouidius:

Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait: dandæ mos ſtipis inde manet.

Vide Turnebum comment. in lib. 2. de legibus Ciceronis.

3. CVM INTERIM PLVS NOSTRA MISERICORDIA INSVMIT VICATIM, QVAM VESTRA RELIGIO TEMPLATIM.] Miſericordiam loco eleemoſynæ poni efficit Heraldus ex Capitolino in Maximinis, & Seuero Sulpitio in vita S. Martini, ex Lactantio lib. 2. cap. 1. Omitto. Dici autem *templatim*, Iacobus Spiegelus notat ſanè quàm diligenter in Notis ad Prudentium, vt *filiatim, paſſeratim, anſeratim, meatim*, &c. Et ego in Plauti Curcul. *Ludunt datatim*, quod eſt, ludunt pila. Vnde *datores*, dicti in luſu pilæ propterea quòd daretur pila.

3. SED CETERA VECTIGALIA GRATIAS, &c.] Iuſtinus in Apolog. ad Anton. *Vectigalia & collationes eis qui à vobis ſunt ordinati exactoribus, præ omnibus vtique inferre contendimus, quemadmodum ſumus ab eo inſtituti*, &c. reddit enim rationem illius qui acceſſit ad Chriſtum rogaturus, & Chriſtus quæſiuit, cuius eſt imago hæc.

CAP. XLIII. ARGVMENTVM.

Qui de Chriſtianis conquerantur.

TERTVLLIANVS.

996. 1. PLANE confitebor qui conqueruntur. Nam ſi qui fortè verè de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſent, primi erunt lenones, perductores, aquarioli, tum ſicarij, venenarij, magi: item arioli, aruſpices, mathematici. His infructuoſos eſſe magnus eſt fructus.

EXPLICATIO.

1. CONFITEBOR planè eos omnes qui de Chriſtianis conqueruntur, catalogum inducam eorum omnium. Inter hos ſunt primi omnium qui lenoniam exercent: *Lenones* (inquam) propriè ſunt proſtitutarum. *Perductores.* Sunt hi qui blanditiis ac ſuaſionibus mulieres perducunt ad viros, & viros ad mulieres, atque alienæ libidini conciliant. *Aquarioli*, lenonum ac meretricum famuli. *Sicarij* qui ſicis ad interficiendum vtuntur. *Venenarij*, qui venenis. *Magi* incantatores ſunt, qui veneficiis & magiis curant alios euertere. *Arioli*, diuinatores futurorum. *Aruſpex*, qui hoſtiis inſpectis futura prædicit. *Mathematici*, coniectores rerum, & malefici.

997. 2. Et tamen quodcunque diſpendium eſt rei veſtræ per hanc ſectam cum aliquo præſidio compenſari poteſt, quando habetis non dico, iam qui de vobis dæmonia excutiant, non dico iam qui pro vobis quoque vero Deo preces ſternant, quia fortè non creditis; ſed à quibus nihil timere poſſitis.

2. Et tamen eſto *diſpendium* aliquod per hanc Chriſtianorum ſectam ſit vobis, certè compenſari poteſt egregiè cum hoc præſidio, quod nihil timetis à nobis; quod vobis non accidit à lenonibus, ſicariis, & ariolis aliis, à quibus vita veſtra in periculum vocatur. Non enim recenſeo, quod Chriſtiani *de vobis dæmonia excutiant*, quòd *preces* fundant pro vobis, *quia* id fortaſſe *non creditis.* Vel poteſt eſſe alius ſenſus, vt dicat, *quodcunque diſpendium eſt rei veſtræ*, id eſt, prouenit vobis ab iſtis criminoſis, *per hanc ſectam* Chriſtianorum *poteſt compenſari*, ſcilicet cùm nihil timetis ab eis, & dum à vobis dæmonia, &c. & in hoc ſenſu debet eſſe comma poſt illa, *rei veſtræ.*

NOTÆ.

998. 1. NAM SI QVI FORTE, &c.] Catalogum eorum omnium facit, qui inutiles ſunt Chriſtianis. Arnob. lib. 1. *Quin imò, vt veriùs proloquar, aruſpices has fabulas, coniectores, arioli, vates, & nunquam non vani concinnauêre fanatici: qui ne ſuæ artes intereant, ac ne ſtipes exiguas conſultoribus excutiant iam raris, ſi quando vos velle rem venire in inuidiam compererunt, negliguntur Dij, clamitant, atque in templis iam raritas ſumma eſt; iacent antiquæ deriſui ceremoniæ, & ſacrorum quondam veterrimi ritus religionum nouarum ſuperſtitionibus occiderunt.* Plautus Milite glorioſ.

Vtique eam huc ornatam adducas matronarum modo
Capite compto, crines vittáſque habeat, aſſimulétq; ſe
Tuam eſſe vxorem.

Porro ſic dabatur cuidam interpreti Palæſtrioni.

1. PERDVCTORES.] Aſconius in 3. contra Verrem: *Lenones ſunt ſcortorum, perductores etiam inuitarum perſonarum, & in quibus ſtupra exercita legibus vindicantur.* Plautus Moſt. *Ergo intrò eo ſine perductore.* Quem ad locum videndus Taubmannus. & Torrentius ad Suet. docet non multùm abire *perductores* à lenonibus. Habentur enim inter venerea. Petronius: *Continuóque producta eſt puella ſatis bella, & quæ non pluſquam ſeptem annos habere videbatur, & ea ipſa quæ primùm cum Quartilla in cellam venerat noſtram.* Inquit *producta eſt*, nam *perductores*, vel *productores* iidem ſunt: in hac enim re idem eſt Græcorum axioma, qui vtuntur προὶ & παρὰ. Vnde etiam Iuuenalis dixit Sat. 6.

Filiolam turpi vetulæ producere.

Verum eſt tamen in vſu frequentiore eſſe *perductores*. Horat. Sat. 5. lib. 2.

--- putáſne
Perduci poterit tam frugi, támque pudica?

Et Ouid. lib. 3. Amor. eleg. 2.

Me lenone placet, duce me perductus amator,
Ianua per noſtras eſt adaperta manus.

1. AQVARIOLI.] Sidonius hos videtur indicare cùm in epiſt. 6. lib. 9. ait: *Quanquam ſerò reſipiſcens, attamen tandem veluti frenos momordit, excuſſitque ceruices, atque Vlyſſeas (vt ferunt) ceras auribus figens, fugit aduerſum vitia ſurdus, meretricij blandimenta naufragij.* Sirenas nimirum, ſed quibus *Aquarioli* ſignificantur. Lamprid. de Commodo: *Gladiatoribus connixit, aquam geſſit, vt lenonum miniſter, vt probris natum magis quàm ei loco crederes, ad quem fortuna prouexit.* Etenim *aquæ* vſus erat turpis. Ouid.

Dedecus hoc ſumpta diſſimulauit aqua.

Cicero pro Cælio: *Ideo ne aquam adduxi, vt ea tu inceſtè vterere?* Apparatum conſtituit Lucianus in Aſino. πράπεζα σὺν τῇ κλίνῃ παρεστήκει ποτήριον ἔχουσα, καὶ ὕδωρ ἕτοιμον καὶ θερμόν. Feſtus, *Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum ſordidi aſſeclæ.* Apul. in Apolog. *Hiſce auditis exercebatur aquariolus iſte vxori ſuæ*, &c. Quin diuinandi vim Aquæ tribuit Gregor. Nyſſenus lib. contra Fatum. καὶ γὰρ τὸ ὕδωρ τι μαντικὸν, παραφορᾶς καὶ μανίας τοῖς γυναιθρίοις ἐνεργάζόμενον: *Nam diuinatoria quædam aqua epota, in mentis errorem & inſaniam inducit.* Vide Frederic. Taubmannum in illud Militis Glorioſi, *Lautam vis, quæ nondum ſit lauta?* & Lipſium in Antiq. Lection. lib. 1. cap. 12. olim *Baccariones* dicebantur à baccario aquario vaſe. Gloſſ. *Baccario*, πορνοβόσκος. vetus lexicon, *Aquaculat, id eſt, lenocinatur.* Optimè autem lib. 1. Digeſt. 31. Heral. notat, *Aquariolos*, quamuis à viris doctiſſimis dicantur πορνοβόσκοις, ſignare tamen ipſos balneatores, qui lenocinium ſæpius exercebant, Martial.

Certè lucerna balneator extincta,
Admittat inter buſtuarias mœchas.

Dicit Turnebus infamiam ſuam contraxiſſe aquariolos, quòd aquam in ædes portabant, qua plurima egent mulieres ad balneum, ſéque eluendas. Plaut. Pœnulo dixit,

Aggerundáque aqua ſunt viri duo defeſſi.

999. 1. VENENARII.] Iidem olim, qui venefici. Itaque *venefici* dicebantur, qui malis artibus alios lædebant pharmacíſque; poſtea hæc vox pro incantatoribus vſurpata eſt, & pro omnibus Theſſalis, Chaldæis, Genethliacis, qui ſæpe confunduntur.

1. MAGI.] Apuleius Apolog. *Amatricem eam, me Magum & veneficum clamitaret, multis audientibus.*

1. ARIOLI.] Dicti vel à *ſatis* & *fando*, quaſi *farioli*: vel ab *halando*. Nam halitu ſolent mortalem animam excludere ſiue exhalare, vt diuinam recipiant, vnde & vocem (vt notat Donatus ad Terentij Phormionem) eiuſmodi dabant, quæ eſt OE. quod OE. ſonus exhalandi vim præſtet. Non multùm abeſt à *fanatico*, de quo Prudent. in Apotheoſi,

--- non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.

Et Iuuenal. Sat. 4.

--- fanaticus œſtro percuſſus.

Scholiaſtes Horatij in Artem Poëticam: *Fanatici dicuntur, qui lymphatico ſpiritu agitantur, & phreneſin patiuntur.* Notabis in viris hoc eſſe nomen, ſiue Ariolos, ſiue Fanaticos voces; in fœminis autem ſunt *veratrices*, quòd diuinandi ſcientiam verè profiteantur. Non firmo, quoniam non verè res Tertulliani. In fine ponam verſus Ennij aureos, quibus ſugillat iſtos phanaticos:

Non habeo denique nauci Marſum augurem,
Non vicanos aruſpices, non de circo Aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomniûm,
Non enim ſunt ij aut arte diuini, aut ſcientia,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque arioli,
Aut inertes, aut inſani, quibus egeſtas imperat,
Qui ſui quæſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias,
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam,
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petant.

1. MATHEMATICI.] Vide librum de idololatria, vbi ſatis explico hanc vocem.

2. PRECES STERNANT.] Arnobius *ſubſterni* dixit lib. 1. *Aut amet ſubſterni, tot millium venerationem videre.* Contrarium huic erit *deuotare* antiquum verbum, quod tamen exſtat in multis & claſſicis auctoribus, & quod in Caſina Plauti legunt Lipſius & Douſſa. Itaque *deuotare* erit, diris precationibus obligare. Accius in Decio: *Patrio exemplo me dicabo, atque animam deuotabo hoſtibus.* Quin Cicero parad. 1. vt fidem faciunt manu ſcripti: *Qua vis patrem Decium, quæ filium deuotabit.*

CAP. XLIV. ARGVMENTVM.

Quantum nocumentum Respublica patiatur ex morte Christianorum.

TERTVLLIANVS.

1000. 1. AT enim illud detrimentum Reipublicæ tam grande quàm verum nemo circumspicit, illam iniuriam ciuitatis nullus expendit, cùm tot iusti impendimur, cùm tot innocentes erogamur.

EXPLICATIO.

1. AT enim quis satis deploret grande illud nocumentum Reipublicæ, & ciuitatis Romanæ, cùm tot iusti moriamur, tot occidamur? *impendimur* &c. cùm destinamur suppliciis, & iisdem tanquam in rogum damur.

2. Vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis: tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur: quis illic Sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis etiam Christianus ascribitur? aut cùm Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarij noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi planè tantum Christianus, aut si & aliud, iam non Christianus.

1001. 2. *Vestros actus* Christiani testamur, & *contestamur*, ô iudices Romani, sententias vestras, quibus elogia & titulos nocentum definitis, atque illis vltimam manum imponitis: ergo in his actis, cùm à vobis criminatores *recensentur*, soletis dicere, *quis illic sicarius* est? deportetur ad supplicium. Et sic mittitis cæteros. Ergo contingit ne aliquando, vt in eo numero ascribatur Christianus? Non profectò. Item si aliquando Christiani *titulo* Christianismi *offeruntur* vobis iudicandi, tales nunquid reperiuntur, quales vestri fures? Non, dicetis. Nam semper *carcer de vestris æstuat*, non de Christianis: Vestros semper *suspirant* officinæ metallorum. & feræ passim *saginantur* vestrorum cibo. & *Munerarij*, id est, editores munerum, *pascunt*, id est, alunt in diem muneris *greges noxiorum de vobis*, non de Christianis. Est enim hîc *pascere greges*, alere, ne deficiant cùm sint in spectaculis exhibendi. *Nemo illic* est *Christianus, nisi planè* tantùm *Christianus, aut si* aliquid *aliud* habet admistum, vt furis verbi gratia, aut corruptoris, is *non iam Christianus* est. In Notis explico *manticularium*, & *lauantium prædonem*. *Nemo illic Christianus*, &c. supponit quippe Christianos esse adeo integros moribus, vt solùm causa fidei ligarentur.

NOTÆ.

1002. 1. EROGAMVR.] Eodem sensu accepit l. de Spectacul. cap. 12. *Itaque quos parauerant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantùm vt occidi discerent: mox edito die inferiarum apud tumulos erogabant.* Vide Notas illius loci.

2. CONTESTAMVR ACTVS.] Sermo iuris. De Corona Militis cap. 4. *Sed & aliquanto priùs in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis eius.*

2. CVSTODIIS PRÆSIDETIS.] *Custodia* hîc sumitur pro vincto. Seneca epist. 5. *Quemadmodum eadem catera & custodiam & militem copulat.* Lucas in Actis cap. 27. *Vt autem iudicatum est nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni nomine Iulio.* Vbi Græcè habetur, καὶ τινας ἑτέρους δεσμώτας, id est, *& reliquos vinctos.* Ad eum modum quo *optio* dicitur ab Ambrosio *custos carceris: neque Paulus & Silas tempus distulerunt, quo optione carceris baptizarent cum omnibus eius.*

2. ELOGIA DISPVNGITIS.] Vide sequenti capite vbi agitur de *elogiis*. Hic moneo, in his elogiis facinorosorũ posse abesse interrogationem; & sententia erit recenseri à iudice sigillatim elogia cuiuslibet delinquentis, quis in carcere sit sicarius, quis manticularius, quis etiam Christianus. hic etiam esse potest *elogium*, commentariensis pittatium (siue vt ita dicam, informatio) quo iudici breuiter exponebat commentariensis quicquid de iudice comperisset. Extat enim lex Imp. Gratiani, Valentiniani, & Theodosij hunc in modum: *Nisi intra tricesimum diem semper Commentariensis ingesserit numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem, ætatemque vinctorum, officium viginti auri libras ærario nostro iubemus inferre.* istud de Commentariensi explicuit nobis Casaubonus in Notis ad Caligulam Suetonij.

2. QVIS MANTICVLARIVS.] Festus ita ait: *Manticularum vsus pauperibus in nummis reconden-* 1003.
dis etiam nostro seculo fuit. Vnde manticularij dicebãtur, qui furandi gratia manticulas attrectabant. Apuleius Apolog. *Vt olim Vlyssis socij thesaurum reperisse arbitrati sunt, cùm vtrem vetustissimum mãticularent.* Inde apud Poëtas est *dolosè agere.* Vide Festũ, & eius cõmentatorem Scaligerũ, qui de hoc verbo peregregiè.

2. LAVANTIVM PRÆDO.] Balneatores mancipia quædam habebant, aut alios mercenarios ad vestimenta custodienda. horum ergo aliquem intelligit, qui custodiæ causa præpositus balneis, vestes raperet. Horum Epiphanius meminit hæresi 30. in historia Sancti Ioannis. καὶ χιόνιδιος πεῖς ἐπιδοπὶ τὸ πατοδύχεσθαι τ' λουμβώντα ἱμάτια, ἤρετο τὶς ἔνδον ὄν ἐν τῷ βαλανείῳ. ὁ δὲ ὀλεάεις ἐπὶ τῷ φυλάττειν τὰ ἱμάτια πεοσκαρτερῶν: ἐν τῆς γὰ γυμνασίοις ἔρχον τῶτο πᾶν ὑπάρχει πειρασμοῦ ἕνεκα τῆς ἐφημέρου τροφῆς: *Vbi peruenisset ad balneum, & ad eum qui lauantium vestes suscipere solet, interrogauit eum,*

quis intus in balneo eſt? at olearius, ſeruandis veſtibus inſeruiens, in gymnaſiis enim hoc officium aliquorũ eſt, quotidianæ alimoniæ acquirendæ gratia, &c. Et Conſtantinus, vt in breuiario Hiſtoriæ refert Nicephorus Conſtantinopolitan. in Sicilia: ὑπὸ τ ἰδίων ὑπηρετῶν δόλῳ φονευθεὶς ἐν τῷ λούτρῳ: *à ſeruis ſuis, dolo interfectus eſt in balneo.*

2. AVT ENIM CHRISTIANI.] Legi volo, *At enim Chriſtiani*, elegantiùs.

2. TITVLO.] Hilarius aduerſus Arianos defendens ſe, *blaſphemiarum mearum titulum propone.* Et iterum: *Congreget nunc ille, quas volet in me Synodos, & hæreticum me, vt ſæpe iam fecit, publico titulo proſcribat.* Euſebius lib. 5. Hiſt. c. 1. *Cùm vndique per amphitheatrum circumduceretur Attalus Martyr, tabula, in qua Latinis litteris erat inſcriptio hæc, præcedente:* HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS.

2. ÆSTVAT.] Lucretius lib. 6.

--- neceſſe eſt
Hos igitur tellus omnes exæſtuet æſtus.

& lib. 2. *Nec ſatis eſt, proquam largos exæſtuat artus.* Idem omnino quod *anhelo.* Martial. balneo Hetruſci,

Siccos pinguis onyx anhelat æſtus.

Quod autem dicit *carcerem æſtuare*: Minutius dixit, *Denique de veſtro numero carcer exæſtuat: Chriſtianus ibi nullus, niſi aut reus ſuæ religionis, aut profugus.* Vide Scriuerium in Martial. vbi iſtud *æſtuat* declarat plenũ eſſe, & Auguſtum refert, qui in Suetonio, qui *Forum aleatorum calfecimus*, dixit, pro, aſſiduè luſimus. & Catullum, qui, *Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida.* & Martial. qui *Et vngularum pulſibus calens Iſter.* & Caſaubonum, qui in eundem Suetonium eandem affert Tertulliani explicationem, & adducit Ciceronem, ad Atticum, qui: *Cùm Romæ à iudiciis forum refrixerit, excurremus menſe Septembri legati ad Piſonem.*

1004. 2. METALLA.] Sunt ipſæ fodinæ: quod ſæpe inculcat. Albertus etiam Pighius lib. 1. Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 6. *Oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla.*

2. SVSPIRANT.] Sidonius lib. 1. Epiſtolar. *Non ibi impolitam congeriem linentis argenti menſis, ſedentibus ſuſpirioſus miniſter imponit.* ſiue, vt legit in Petronium Vvouerenius, *cadentibus.* Vide verò an ſuſpirent in his officinis, cùm Plautus vocet ibi detentos, *genus ferratile*, in Moſtellaria. In Trinum. autem *ferriteros.* Alibi, *ferritribas*, quòd ibi ſint impediti ferreis annulis.

2. DE VESTRIS SEMPER BESTIÆ SAGINANTVR.] Cyprian. in epiſt. ad Donatum: *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruina aſſidui nitoris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginata in pœnam chariùs pereat.* Tacit. 2. Hiſt. *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, vt gladiatoriam ſaginam diuidebat.* Affert Heraldus. Ego verò illud ad Leg. Fab. *Seruus, vel libertate donatus, beſtiis primo quoque munere obiiciatur.* Quid autem ſit *ſagina*, nec vnde meliùs intelligi poteſt, quàm ex iſtis Plauti. *Diéſque noctéſque eſtur, bibitur, nec quiſquam parſimoniam adhibet. Sagina planè eſt.* & in Trin. ait. *Aut aliquem apud Regem in ſaginam herus ſe coniecit meus.* Scilicet, vt ſe ſaginaret.

2. MVNERARII.] Nam *munus* ludum gladiatorum ſignat. Vitruuius, proœmio lib. 1. *Nec ſolùm id vitium ædificiis, ſed etiam muneribus, quæ à magiſtratibus, foro gladiatorum, ſceniſque ludorum dantur.* Seneca de Beneficiis lib. 1. cap. 12. *Nemo tam ſtultus eſt, vt monendus ſit, ne cui gladiatores, aut venationem, iam munere edito mittat.* Præclarè dixit Hieronym. in epiſt. ad Pammach. cum alluſione ad ſecularem doctrinam: *Munerarius pauperum, & egentium candidatus.*

CAP. XLV. ARGVMENTVM.

Quòd innocentia ſolùm in Chriſtianis reperiatur.

TERTVLLIANVS.

1005. 1. NOS ergo ſoli innocentes? Quid mirum ſi neceſſe eſt? Enimvero neceſſe eſt. Innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam nouimus, vt à perfecto magiſtro reuelatam; & fideliter cuſtodimus, vt ab incontemptibili diſpectore mandatam. Vobis autem humana æſtimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperauit; inde nec plenæ, nec adeò timendæ eſtis diſciplinæ ad innocentiæ veritatem. Tanta eſt prudentia hominis ad demonſtrandum bonum, quanta auctoritas ad exigendum, tam illa falli facilis, quàm iſta contemni. Atque adeò quid plenius dicere, Non occides; an docere, Ne iraſcaris quidem? Quid perfectius, prohibere adulterium; an etiam ab oculorum ſolitaria concupiſcentia arcere? Quid eruditius, de maleficio, an & de maliloquio interdicere? Quid inſtructius iniuriam non permittere, an nec vicem iniuriæ ſinere? Dum tamen ſciatis ipſas quoque leges veſtras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de diuina lege, vt antiquioris formæ, mutuatas. Diximus iam de Moyſi ætate.

EXPLICATIO.

1006. 1. IN primis ponit dubium hoc, *Nos ergo ſoli innocentes* ſumus, cùm tot ſint variarum ſectarum homines in mundo? *Quid mirum ſi neceſſe eſt?* Cur autem neceſſe ſit, probat, *à perfecto magiſtro* Deo, qui reuelauit Chriſtianis hanc viam: & à fideliter cuſtodientibus, qui neceſſe eſt ſeruent hanc regulam; vt profectam ab eo Deo, quem nefas eſt ſpernere, vtpote qui diſpicit, intuetur, & circumſpectè luſtrat in omnes humanos actus. *Vobis autem*, &c. Diſcrimen facile; nam vobis innocentia profecta eſt ab humana æſtimatione & dominatione, &c. *Atque adeo*, &c. Doctrinam Chriſti plena menſura ponit, dum *plenius*, *perfectius*, *eruditius*, *inſtructius* eſt, prohibere iram, quàm homicidium;

oculum ab intuitu licentioſo, quàm adulterium; maliloquium, quàm maleficium; vicem iniuriæ, quàm iniuriam. Vobis autem ſolùm mandatur non facere homicidium, non adulterium, non maleficium, non iniuriam; nobis autem id quod præcedit, iram, oculũ intemperatũ, maliloquium, vicem iniuriæ. *Solitaria concupiſcentia* eſt, quam ſolis oculis meditatur, & ſolus exercet. *Dum tamen ſciatis*, &c. Scitote interim veſtras leges, quæ pertinent ad innocentiam, *mutuatas* eſſe à *diuina lege*, vt à lege antiquioris formæ, vt iam *diximus de Moyſi ætate.*

1007. 2. Sed quanta auctoritas legum humanarum? Cùm illas etiam euadere homini contingat, & plerumque in admiſſis deliteſcere, & aliquando, contemnere ex voluntate, vel neceſſitate delinquendi, recogitata etiam breuitate ſupplicij cuiuſlibet, non tamen vltra mortem remanſuri. Sic & Epicurus omnem cruciatum dolorémque depretiat, modicum quidem contemptibilem pronuntiando, magnum verò non diuturnum. Enimvero nos qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quíque æternam ab eo pœnam prouidemus, meritò ſoli innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verùm ſempiterni, eum timentes quem timere debebit & ipſe, qui timentes iudicat, Deum non proconſulem timentes.

1008. 2. Agit iam de auctoritate *legum humanarum*, quæ pene nulla eſt, cùm *contingat homini euadere* legem illam, nec adimplere: & plerumque poſtquam non adimpleuit, deliteſcat, ne deprehendatur: contingat etiam *contemnere* legem datam *ex voluntate* peccandi, aut ex neceſſitate, qua quis adigitur ad opus malum: ſcilicet vehementi inſtigatione vrgetur ad ſpontaneam, & liberam ruinam. aliquando etiam meditetur, non multum eſſe ſi deprehendatur, quippe ſupplicium breuiſſimum erit, duránſque quamdiu vita ſuppetit, nec enim vltra dolor erit. *Sic & Epicurus*, &c. Ad hunc modum contemnit Epicurus omnem dolorem, *modicum*, quia dicit eſſe *contemptibilem*; *magnum*, quia dicit eſſe *non diuturnum. Enimuero*, &c. Nos autem qui *diſpungimur*, & fideliter à *Deo* iudicamur *ſpeculatore omnium*, & prouidemus & *præuidemus æternam pœnam* infligendam pro delictis, *meritò ſoli innocentiæ occurrimus*, id eſt, nos ſoli obuiam imus innocentiæ, nos ſoli illam quærimus, & inueſtigamus, idque pleni ſcientia diuina, & inſuper innocentiam obſeruamus pro latebrarum difficultate, quam effugere non poſſumus, Deo omnia inſpiciente; demum pro *magnitudine cruciatus*, qui expectat delinquentes, non ille diuturnus, ſed ſempiternus, *cùm timentes quem timere debebit & ipſe* proconſul, *qui iudicat* nos *timentes*, *timentes* nimirum *Deum non proconſulem*. Certè ſententia eſt, nos Deum timere; & Proconſul etiam, qui iudicat nos timentes Deum, non ipſum.

NOTÆ.

1009. 1. NOS ERGO SOLI INNOCENTES?] Ita lego, appoſita interrogatione.

1. DISPECTORE.] Alij habent, *diſpenſatore*. & clarum eſt.

1. QVID PERFECTIVS, PROHIBERE ADVLTERIVM; AN ETIAM AB OCVLORVM SOLITARIA CONCVPISCENTIA ARCERE?] Idem argumentum tractat Proſper Aquitanicus lib. 2. de Promiſſ. cap. 1. vbi inter alia: *Non ſolùm non mœchandum, ſed nec oculis conſentiendum ad concupiſcentiam.* Et Saluianus de Gubernat. lib. 3. *Hinc intelligere plenè poſſumus, quàm caſtos nos eſſe Saluator iuſſerit, qui etiam licentiam viſionis abſcidit.* Et poſtea: *Idcirco itaque ait Dominus, petulcos impudicorum hominum intuitus noxa adulterij non carere: ſcilicet vt qui bona fide fugeret adulterium, cuſtodiret aſpectum.*

1. QVID ERVDITIVS, &c.] Non ſatis ille eruditur ad virtutem, cui tantùm interdicitur maleficium, niſi interdicatur maliloquium. Clarius. Rudis adhuc in virtute erit, qui tantùm abſtinet à maleficio: nam debet etiam à maliloquio. Similiter expende ſequentia. vt quis inſtructus ſit in virtute, non ſolùm ei abſtinendum eſt ab iniuria, ſed ab vmbra quidem iniuriæ, & ab re omni quæ habeat viciſſitudinem iniuriæ.

1. VT ANTIQVIORIS FORMÆ, MVTVATAS.] Heraldus legit, *Vt antiquiore forma mutuatas.* Latinius verò, *vt antiquiorem formam mutuatas.* In manuſcriptis omnibus eſt lectio Heraldi, & ille explicat, *antiquiorem formam* quaſi ἀρχέτυπον. Heraldi lectio mihi probatur.

2. ETIAM.] Pamelius legit *etſi*, Iunius *etiam*. ſententia perpete & continua, & placet.

2. EX VOLVNTATE, VEL NECESSITATE DELINQVENDI.] Latinius legit, *Ex inuoluntate, vel neceſſitate delinquendi.* Cui hæret Iunius; quia hæc ſunt duæ res, quare quis legem non metuat.

2. DEPRETIAT.] Dehoneſtat & imminuit de pretio. Symmach. ep. 41. l. 8. *Nunc elegantia ingenij tui, & inuentionũ ſubtilitas pretiãda eſt.* Sidonius in Burgo,

Depretiata ſuas turpant pigmenta figuras.

Et iterũ ep. 10. l. 2. *Igitur incũbe, neque apud te litterariã curam turba depretiet imperitorũ.* Tertullianus ad vxorẽ lib. 1. c. 3. *Quod autem neceſſitas præſtat, depretiat ipſa.*

2. MODICVM QVIDEM CONTEMPTIBILEM, &c.] Seneca diſertis verbis epiſt. 94. *Optimam doloris eſſe naturam, quod non poteſt nec qui extenditur, magnus eſſe, nec qui magnus, extendi.*

2. DISPVNGIMVR.] In hoc auctore eſt propriè iu- 1010.
dicamur, & fit nobis ſatis, vt ipſe dixit in Apolog. c. 34. *Si malum malo penes nos diſpungi liceret*, hoc eſt, ſi liceret nos penes ſatisfacere malum malo. hoc verbum frequentiſſimum eſt in ore Tertulliani, & proprietas eius alicubi à me traditur.

2. OCCVRRIMVS.] Magnam energiam habet. Errat innocentia ac vagatur, & vos quidem finitis illam vagari, neque amplectimini: at nos vni Chriſtiani occurrimus illi, fouemus, & amplectimur.

2. EVM TIMENTES, &c.] Suſpicor mendaciſſimam eſſe litteram: exiſtimarem amputandum eſſe vltimum *timentes*, vel totum locum legendum, vti Iunius legit, ſic: *Deum non proconſulem timẽtes, quem timere debebit & ipſe, qui timentes iudicat.* Sed quia locus nõ emendatus, ſed factus ſic videtur ex induſtria, putarem potiùs ſtandum priori correctioni meæ. Vel ſic, *qui timentes iudicat*, legatur, *qui nocentes iudicat*, & ſic cõſeruetur vltimum *timentes*. Cæterùm Tatianus ſic reddit: ἐγὼ γὰρ ἄνθρωπον ἀνθρωπίνως τιμητέον. φοβητέον δὲ μόνον τὸν Θεόν: *Hominem colendum humano more, Deum verò ſolum timendum eſſe.* De hoc timore Beatus Pachomius: *Super decem millia quoque pædagogorum, magiſtrorúmque doctrinam, timor Domini per cogitationes huiuſmodi nos erudiet, prudentéſque cuſtodiet.*

CAP. XLVI. ARGVMENTVM.

Quòd Christiani debeant licentia disciplinæ philosophis adæquari, maximè cùm illi veritatem integrè præstent, quam hi mimicè affectant.

TERTVLLIANVS.

1011. 1. CONSTITIMVS, vt opinor, aduersus omnium criminum intentionem, quæ Christianorum sanguinem flagitat. Ostendimus totum statum nostrum, & quibus modis probare possimus ita esse sicut ostendimus, ex fide scilicet & antiquitate diuinarum litterarum. Item ex confessione spiritualium potestatum. Quis nos reuincere audebit non arte verborum, sed eadem forma qua probationem constituimus de veritate? Sed dum vnicuique manifestatur veritas nostra, interim incredulitas dum de bono sectæ huius obducitur (quod de vsu iam & de commercio innotuit) non vtique diuinum negotium existimat, sed magis philosophiæ genus. Eadem, inquit, & philosophi monent & profitentur, innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam.

EXPLICATIO.

1012. 1. SATISFECIMVS iam, ni fallor, vniuersis criminibus, quæ flagitant & expoſcunt noſtrum *ſanguinem*. *Oſtendimus*, expoſuimus iam *ſtatum noſtrum*, & totum, & etiam rationes quibus probaremus illum ſtatum, petita *ex fide*, *& antiquitate diuinarum* ſcripturarum: Atque etiam *ex confeſſione* dæmonum. *Quis nos reuincere*, &c. Nemo, quantumuis audax ea erit temeritate, vt putet nos poſſe à ſe reuinci ratione & veritate vt nos fecimus; nam *arte verborum* & ſophiſticis rationibus nos vt putet refelli poſſe, nihil moror; nam nihil eſt tam munitum, quod verbis redargui non poſſit. Clariùs. Audacia illorum præſumet redargutionem noſtram verborum tantùm arte, non ratione & ſolida doctrina: hæc enim præſumptio neque in audaciſſimos cadet. *Sed dum vnicuique*, &c. *dum* tamen *vnicuique veritas noſtra manifeſtatur*, ecce iterum nonnullorum contumacia ex incredulitate nimia, qua laborant, negotium nobis faceſſit, & ſectam noſtram ad philoſophiam detorquent, dicentes eadem philoſophos docere, quæ & nos docemus, *innocentiam, iuſtitiam*, &c. Litteram ſic ordino. *Sed dum vnicuique manifeſtatur veritas noſtra, interim incredulitas dum obducitur*, id eſt, conuincitur *de bono ſectæ huius*, putans hanc ſectam eſſe bonam (*quod* videlicet *de vſu iam & de commercio innotuit*) *non vtique*, &c.

1013. 2. Cur ergo quibus comparamur de diſciplina, proinde illis non adæquamur ad licentiam impunitatémque diſciplinæ? vel cur & illi, vt pares noſtri, non vrgentur ad officia, quæ nos non obeuntes periclitamur? Quis enim philoſophum ſacrificare, aut deierare, aut lucernas meridie vanas proferre compellit? Quin imò & Deos veſtros palam deſtruunt, & ſuperſtitiones veſtras commentariis quoque accuſant, laudantibus vobis. Plerique etiam in principes latrant, ſuſtinentibus vobis. Et faciliùs ſtatuis & ſalariis remunerantur, quàm ad beſtias pronuntiatur. Sed meritò. Philoſophi enim, non Chriſtiani, cognominantur. Nomen hoc philoſophorum dæmonia non fugat. quid ni? cùm ſecundùm Deos philoſophi dæmonas putent. Socratis vox eſt, ſi dæmonium permittat. Idem & cùm aliquid de veritate ſapiebat Deos negans, Æſculapio tamen gallinaceum profecari iam in fine iubebat. Credo ad honorem patris eius, quia Socratem Apollo ſapientiſſimum omnium cecinit. ô Apollinem inconſideratum: ſapientiæ teſtimonium reddidit ei viro, qui negabat Deos eſſe.

1014. 2. *Proinde*, perinde. *Periclitamur*, morte agimur, mille iniuriis, mille opprobriis. *Deierare*, vitam principum iurare. *Lucernas vanas* ramoſiſſimas lucernas apponere, & clariſſimas, ita vt dies infringatur, & veluti claritudine ſua non appareat ſolis fulgor. *Salariis*, ſtipendiis & mercibus, quæ ad victum pertinent. *Philoſophi enim*, &c. Ridendo pronuntia & concipe. *Nomen hoc philoſophorum*, &c. Obiectio Tertulliani. *Quid ni*? Etiam ſi dæmonia non fugent philoſophi, nihil ad rem, cùm dæmones ipſi habeantur vt Dei. Acetum Tertullianicum. *Secundùm Deos*, velut Deos: putant videlicet philoſophi dæmones eſſe veluti Deos: quod probat teſtimonio Socratis. Æſculapius fuit filius Apollinis. Reliqua clara ſunt: id nota, *gallinaceum profecari*, idem eſſe ac ſacrificare.

1015. 3. In quantum odio flagrat veritas, in tantum qui eam ex fide præſtant, offendit. Qui autem adulterat & affectat, hoc maximè nomine gratiam pangit apud inſectatores veritatis, quà illuſores & corruptores. Mimicè philoſophi affectant veritatem, &

affectando corrumpunt, vt qui gloriam captant. Christiani eam necessariò appetunt, & integrè præstant, vt qui saluti suæ curant: adeo neque de conscientia, neque de disciplina, vt putatis, æquamur.

1016. 3. Vetus illud est, *veritas odium parit.* ergo, quantum flagrat odio veritas, tantum offendit. Qui autem adulter est & affectator veritatis, hoc nomine gratiam init, & canit, (hoc est pangit) apud eos, qui veritatem insequuntur & persequuntur, quia illi etiam illudunt, & corrumpunt illam. *Quâ*, explica, qua via, qua ratione. *Mimicè*, &c. Philosophi vt mimi & vmbratici *veritatem affectant*, *& corrumpunt affectando*, quia gloriæ tantùm plausores sunt & captatores. *Christiani*, &c. Contrà Christiani veritatem *appetunt necessariò*, eámque *præstant* in rebus omnibus, *vt qui* illam *curant* ad salutem suam: atque adeo nullomodo *æquamur* philosophis, neque in *conscientia*, neque in *disciplina*, quia illi *corrumpunt mimicè veritatem*, nos præstamus *integrè* & perfectè; illi vmbraticè, nos nullo dolo.

1017. 4. Quid enim Thales ille princeps Physicorum sciscitanti Crœso de diuinitate certum renuntiauit, commeatus deliberandi sæpe frustratus? Deum quilibet opifex Christianus & inuenit & ostendit, & exinde totum quod in Deo quæritur, re quoque assignat: licèt Plato affirmet factitatorem vniuersitatis, neque inueniri facilem, & inuentum enarrari in omnes difficilem. Cæterùm si de pudicitia prouocemus, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatam: Sexum nec fœmineum mutat Christianus. Noui & Phrynem meretricem Diogenis supra recubantis ardorem subantem: audio & quendam Speusippum de Platonis schola in adulterio periisse: Christianus vxori suæ soli masculus nascitur. Democritus excæcando semetipsum, quòd mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur: at Christianus saluis oculis fœminam videt, animo aduersus libidinem cæcus est. Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat: Christianus nec in pauperem superbit. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios, Zeno apud Prienenses tyrannidem affectant: Christianus verò nec Ædilitatem. Si de æquanimitate congrediar, Lycurgus apocartereſin optauit, quòd leges eius Lacones emendassent: Christianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras depositum hostibus denegauit: Christianus etiam extra fidelis vocatur. Si de simplicitate confistam, Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco excedere fecit: Christianus nec inimicum suum lædit: idem Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potiùs adulatur, quàm Plato à Dionysio ventris gratia venditatur; Aristippus in purpura sub magna grauitatis superficie nepotatur; & Hippias dum ciuitati insidias disponit, occiditur: hoc pro suis omni atrocitate dissipatis nemo vnquam Christianus tentauit.

1018. 4. *Princeps*, primus. *Certum*, aliquid certum sciscitanti: vel, *quid certum renunciauit* de Deo, sciscitanti quid esset Deus? id est, nihil. Et hæc est melior. *Commeatus*, spatia. *Re quoque assignat*, manifestè, manifestaria re. *Corruptorem*, diuisorem & puerarium, quia pueros diuidebat, hoc est, corrumpebat. *Sexum nec fœmineum mutat Christianus*, non vtitur præpostèrè fœminis, adeo nec pueris. Sic visum; nam alienam vel plures agnoscere, non est sexum mutare. *Subantem*, vt de mare dicitur *furire*, ita de fœmina *subare*. *Subare ardorem*, est, exercere libidinem. *Nascitur*, neminem nosci, nisi vxorem propriam. *Ædilitatem*, paruum est munus, vulgo Almotacen. *Apocartereſin*, optauit inedia consumi, tantùm viso hoc, quòd Lacones emendassent eius leges. *Damnatus*, (*condenado à muerte.*) *Extra*, ab extraneis etiam, nec eiusdem religionis hominibus. *Turpiter*, coegit abire turpem in modum. *Turpiter Alexandro*, &c. æquè turpiter egerunt Aristoteles & Dionysius. Vel æquè turpiter Aristoteles & Plato. Vide Notam, vbi duplicem sensum pono, alium pro Dionysio, alium pro Platone. Cùm autem ait *potiùs*, est ellipsis; ac si dicat: idem Aristoteles tam turpiter Alexandro præit. quid dixi præit? potiùs adulatur. Vide Notam. *Venditatur* venalis habetur. *Aristippus*, hic purpurea superficie & maiestate nepos est & helluo. *Dissipatis*, laceratis & discerptis.

1019. 5. Sed dicet aliquis, etiam de nostris excedere quosdam à regula disciplinæ. Desinent tunc Christiani haberi penes nos. philosophi verò illi cum talibus factis in nomine & in honore sapientiæ perseuerant. Quid adeò simile philosophus, & Christianus? Græciæ discipulus, & cæli? famæ negotiator, & vitæ? verborum & factorum operator? rerum ædificator, & destructor? amicus, & inimicus erroris? veritatis interpolator, & integrator? furator eius, & custos.

5. *Desinunt*, qui ita agunt apud nos, non numerantur inter Christianos. *Vitæ*, æternæ scilicet. *rerum ædificator*, est enim philosophus cupidus diuitiarum & congestor: Christianus verò *destructor*, & contemptor. *amicus erroris*, philosophus *amicus* est *erroris*, & idololatriæ; & obiter attingit etymon philosophiæ: quasi dicat, non philosophiæ amicus, Christianus autem verè *inimicus erroris*, atque idololatriæ, & verè philosophus. *Interpolator*, qui interpolat & adulterat veritatem, & eam pigmentis fucat. *Integrator*, qui veritatem integram custodit, & eam liberat à fuco malitiæ. *Furator*: fur enim non intrat per ostium.

NOTÆ.

1021. 1. CONSTITIMVS.] Dixi iam de hoc verbo, adi indicem. Hîc adiice verbum *sto*. Hieron. ad Demet. *Quasi in procinctu & acie stemus semper ad pugnam. vult nos loco mouere hostis, & de gradu decedere, sed solidanda sunt vestigia.* variat Petronius: *Ego intorto circa brachium pallio, composui ad præliandum gradum.* & Lucifer Calaritanus Episcopus: *Vouimus Christiani, nec prosperis, nec aduersis de gradu dimoueri.*

1. FLAGITAT.] Vis huius verbi est in Cypriani epist. 15. *Nam sicut domini mandata instruunt, orto statim turbationis impetu primo, cùm me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inuerecundam præsentiam nostram, seditio quæ cœperat, plus prouocaretur.* Dicit hoc verbum tumultum & seditionem, & verè infamiam. Plaut. Epid. *Maiore cum flagitio reddes posteà.* i. infamia.

1. DE VERITATE.] Schoppius hanc lectionem ex ms. intrudit. *De veritate debebit renidi, sed dum tamen.* & *renidi* explicat renidentia & risu excipi.

1. SECTÆ.] Nomen ipsum videbatur αἵρεσιν philosophorum significare. Vide quæ de hoc *secta* nomine adducit Heraldus.

1. OBDVCITVR.] Id est, conuincitur, notante Rhenano. De carne Christi: *Cùm adulteratores eius obduxero.* & de Resurrect. Carnis: *Obducti dehinc de Deo carnis auctore.* Est autem *obduci* quasi in opsitam partem duci & conduci.

1. QVOD DE VSV.] Pamelius habet, *Quod vsui iam & de commercio innotuit.* Quam lectionem vt defendas, illud, *&*, accipe pro *etiam*, & erit sensus, quod vsui esse, iam etiam de commercio innotuit.

1. DIVINVM NEGOTIVM EXISTIMAT, &c.] Athanas. orat. contra Gent. πῶς εἰκότως ἔτι ἀνθρώπινον ὄντι ὀπτοεῖν τὸ πρᾶγμα, καὶ μᾶλλον ὁμολογεῖν Θεῖ λόγον καὶ σωτῆρα εἶναι τῶν πάντων ἢ ὅτι τῶν σωρεῦ ἀπαλάπτα: *Qui fit, vt humanum negotium id opinentur, ac non potius agnoscant & Dei verbum, & mundi Saluatorem esse eum, qui in crucem ascendit?*

1022. 2. LATRANT.] Suetonius in Vespasiano, notante Heraldo: *Demetrium Cynicum in itinere obuium sibi post damnationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit Canem appellare.* Adiicio alium non philosophum, sed in Imperatorem Mauricium oblatrantem. is sic auctore Manasse in Annalib. καὶ λύσσων ἑρευγόμενος κυνὸς ὑλακομῴρα: *Latrantis canis in morem nihil nisi rabiem eructans.* & Simocatta lib. 8. cap. 11. in eundem infert allatrans totum vulgus, τὰ πλήθη καθυλακτῶντα. De hæreticis nihil est vsurpatius, Vincent. Lirinensis cap. 18. Commonit. *Hæc ergo Nestorius, Apollinarij, Photinus, aduersum Catholicam fidem rabidi canes latrant.*

1023. 2. STATVIS.] Iuuenal. Satyr. 2.

Indocti primum, quamquam plena omnia gypso
Chrysippi inuenias: nam perfectissimus horum
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et iubet archetypos pluteum seruare Cleanthas.

2. SALARIIS.] Capitolinus in Albino: *Huic salarium duplex decreui.* & in Antonino Pio: *Rhetoribus & Philosophis per omnes prouincias honores & salaria detulit.* Vopiscus in Aurelio: *Nam illi Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta.* Quid autem intelligit per *salarium*? Annonam videlicet, & nihil aliud, vt optimè explicat Turnebus lib. 18. cap. 20. inde Vopiscus in Aureliano, post adducta verba, inquit: *Panes militares numero sedecim, panes militares castrenses quadraginta, vini mensarios sextarios quadraginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos*: & quæ sequuntur. & in Probo ait idem: *Item in salario diurno bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum, oleum per biduum sextarium vnum, vini veteris sextarios decem*, &c. Ne excidat, Iustum Lipsium scripsisse *solariis*, vt in eius codice adnotatum misit ad me Andreas Scothus. Est *solarium* dictum vectigal pro ædibus, quas nonnulli in solo Reip. extruxerint, siue tributum pro solo. Vide Cæsarem Bulengerum de Vectigalib. Romanis cap. 36. Multi legunt *salutariis*, sed minùs aptè.

2. SI DÆMONIVM PERMITTAT.] Videatur Heraldus lib. 2. Aduersarior. cap. 5. vbi de his, ὦ Θεὸς θέλῃ, Θεῶν τοῖς ἐθέλουσιν, σὺν Θεῶν δόσει: Latini, *Si Dij volunt, si Diis placet.*

2. ÆSCVLAPIO.] Lucianus in Bis accusato: *Proinde & ipsi illi quem dicis, admodum multum profuerunt habiti de me sermones, vt qui traditus vndecim viris istis Capitalibus, & in carcerem coniectus, aconitum miser biberit, ὡδὶ τἀληκτρυόνα τῷ Ἀσκληπιῷ ἀποδεδωκὼς: ne gallo quidem Æsculapio persoluto.* Heraldus verò adducit istud testimonium Artemidori, κύξατό τις τῷ Ἀσκληπιῷ, εἰ διὰ τὸ ἔτος ἀνόσους ἔχοι, δύσειν αὐτῷ ἀλεκτρυόνα: *Quidam Æsculapio gallum se oblaturum esse vouit, si per annum à morbis liber maneret.* habetur lib. 5. cap. 91. & quidem eius templa cùm iussu Constantini (inquit Euseb. eius vitæ lib. 3.) euersa sunt, ἃ τῶν νεκρῶν σωμάτων ὑπολιθοῦσθαι, ξηκάτε χρυσία, γούπων ἀφιερεύσεως ἐσκευωμένα, ἢ ῥυπῶν τὰ ῥάκη βδελυρείας αἰχμᾶς ἔμπλεα, ἢ χόρτε, καὶ καλάμης φορυτός: *Aut ossa suberant cadauerum, & calua capitis aridæ, magorum curiosis artibus adornatæ, ac centones laceri ac sordidi spurcitia pleni, aut fœni, & calamorum colluuie.* 1024.

2. SOCRATEM APOLLO, &c.] Saluianus de Gubernat. lib. 8. *Num ita sapientissimus omnium Socrates semper existimatus, testimonio scilicet Delphici dæmonis, qui quasi princeps philosophorum, sicut ille dæmoniorum erat.* Minutius: *Quanquam si philosophandi libido est, Socratem sapientiæ principem, quisquis vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. Eius viri, quoties de cælestibus rogabatur, nota responsio est: Quod supra nos, nihil ad nos.* Valerius Max. lib. 3. cap. 4. *Socrates non solum hominum consensu, verumetiam Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus est.*

3. IN QVANTVM ODIO FLAGRAT VERITAS.] Gnome illa satis est celebris, *Veritas odium parit*, vt est apud Terentium, Andria. Hieronymus de Bonoso: *Ita se natura habet, vt amara sit veritas.* Cassiodorus de Amicitia cap. 24. *Plerumque molesta est veritas.* Sidonius epist. 7. lib. 7. *Venerabilis sit, quæsumus, apud vos veritatis asperitas.* Constantinus Manass. in Annalib. 1025.

ὦ δυσυχὴς ἀλήθεια, σὲ καὶ πενθῶ, καὶ σέβω:

Infelix veritas, te lugeo & ploro gemens. Cæterùm in multis eſt, *odium*: ea ſententia eſt, *in quantum odium flagrat veritas*: in accuſatiuo.

3. QVI AVTEM ADVLTERAT ET AFFECTAT.] Clemens Alex. lib. 3. Pædagog. cap. 11. τὸν καπηλεύοντας πῶς ἀλήθειαν, dixit: *Cauponantes veritatem.*

1026. 3. INSECTATORES VERITATIS.] Libet aſcribere periodum Luciferi Epiſcop. Calaritani aduersùm Conſtantinum Imperatorem, pro Athanaſio, lib. 1. Vt videas auſum, quo viri illi præſtantes virtute in Imperatorem terrarum dominum inuehuntur. Sic itaque dilacerat ille hunc inſectatorem veritatis Conſtantium: *Quibus rebus intelligeris eſſe filium peſtilentiæ, tenebrarum fons, gurges omnium malorum, caput totius nequitiæ, ſentina omnium blaſphemiarum, hæreticorum fomes, radix amaritudinis, arbos igni deſtinata; quippe adferens fructus mortiferos; inimicus Dei, hoſtis Eccleſiæ, veritatis interpolator, prauitatis concinnator, iniuſtitiæ amator, iuſtitiæ aduerſarius, totus in tenebras, & quidem inextricabiles, conuerſus, factus verò verius templum omnium dæmonum, quorum inſtinctu hæc cuncta, vt Achab, perpetratus fueris mala, ac perpetreris: ſed non diu, niſi te conuerteris ad Deum, eſſe poteris impunitus, cùm cernas, quæ receperint Achab & Iezabel.* & lib. 2. ſic ait: *Præcipis denique innocentes interimi, habitans ſcilicet non in Eccleſia Domini, ſed in ſpelunca latronum; non deſinis interficere eos, quos vides interfici paratos, pro vnici Dei filij claritate, pro æterna illius maieſtate.* & paulò pòſt: *Si tu ſapiens es Conſtanti, quis ſit te inſipientior inuenire non potero.* Et in opere, cui titulus, *Moriendum pro Deo*: ſic ait, loquens cum Conſtantio: *Spolias, proſcribis, mactas gladio, variè punis, nec corpora quæ laniare ſanxiſti, ſepeliri permittis, eleemoſynam fieri prohibes, omnia metalla, omniáque loca exilia vocari, quæ putabantur digna, noſtro tuæ calliditati reſiſtentium repleſti numero, relegando infantes, fame, ſiti, nuditate vexando non deſiſtis. His illa ingeris mala, qui æternam cupimus conſequi beatitudinem. & tamen, Imperator crudeliſſime, quidquid ſæuitia tua nobis intulit atque irrogatura erit, aduerte, quòd mendacium ſit, ſiquidem nec mors ſanctis, qui nos præceſſerunt martyribus per te illata, mors ſit, nec iactura, neque damnum, ſed fidei fœneratio ſemper Chriſtiana; vobis tyrannis in perſecutione, peruerſa quæſtione torquemur.* Demum infinita ſunt, quæ ex Lucifero depromi poſſent.

1027. 3. MIMICE.] Seneca etiam epiſt. 26. affectatam philoſophorum virtutem vocat *mimum*, & *ſimulationem*. & epiſt. 55. *Mendacium*. & epiſt. 5. *velle conſpici*. Lege eundem epiſt. 6. vbi de notis affectatæ ſapientiæ multa. Symmach. 2. lib. epiſt. *Mimica vſus eſt techna.* pro eo quod malè ſcriptum erat, *inimica*. hanc correctiunculam debes Pithœo lib. 1. aduerſ. cap. 17.

3. VT QVI SALVTI SVÆ CVRANT.] Sic locutos notat Heraldus. Apuleius, de Deo Socratis: *Poſſumus verò animis coniectare, per varias vtilitates in vita agenda animaduerſas in eis rebus quibus eorum ſinguli curant,* & Apolog. 1. *Alteram verò cælitem Venerem, prædita quæ ſit optimati amore, ſolis hominibus & eorum paucis curare.*

4. PRINCEPS PHYSICORVM.] Lactantius lib. 3. cap. 14. *Aut Mileſium Thalem, qui de rerum natura primus traditur diſputaſſe.* Ecce cur *Principem Phyſicorum* vocet.

4. COMMEATVS.] Eſſe *commeatum* ſpatium, in Tertulliano notius eſt, quàm vt egeat explicari. *commeatum petere*, apud Varronem, lib. 5. de lingua Lat. & *commeatum impetrare*, eſt impetrare licentiam morandi vbi quis voluerit. & pro ſaluo conducto accipitur. Denique variè conſtat accipi ex ſubiectis.

4. IN DEO QVÆRITVR.] Pamelius, *à Deo.* A Manuſcripti quidam, *in Deum*: elegi Iunium ſcribentem, *in Deo*. Poſſet eſſe *de Deo*.

4. IN SOCRATEM CORRVPTOREM ADOLESCENTIVM.] 1028. Iuuenal. Sat. 2. *Socraticos Cinædos*. vbi tamen aliqui *Sotadicos*, in primis Leopardus lib. 13. emendationum cap. 10. Petronius Sat. 1. *Itaque hoc nomine tibi gratias ago, quòd me Socratica fide diligis.* Quod in bonam partem accipiendum eſt, ad eum modum, quo Caſſianus Collat. 13. cap. 5. dicit, *Denique famoſiſſimus ille philoſophorum Socrates, hoc (vt ipſi concelebrant) de ſe non erubuit profiteri. Nam cùm intuens eum quidam phyſiognomon dixiſſet, ὄμματα παιδεραστοῦ, id eſt, oculi corruptoris puerorum, & irruentes in eum diſcipuli eius, vlciſci illatum magiſtro vellent conuitium, indignationem eorum hac dicitur compreſſiſſe ſententia, παιδαριδε ἐπιθυμῶ, εἰμὶ γὰρ ἐπίχαρις; id eſt, quieſcite ô ſodales, etenim ſum, ſed contineo.* Vetus tamen Poëta,

B *Quippe mallem vnũ Catonẽ, quàm trecentos Socrates.*

Et Seneca lib. de Tranquillit. cap. 15. *Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat.*

4. ARDOREM.] Iunius vult legi *ardore*, ita vt meretrix arderet incumbente Diogene.

4. SPEVSIPPVS.] Obſcœnus fuit. De illo Diogenes Laert. lib. 4. *Voluptatibus deditus.* &: *Voluptatique deditum in Macedoniam ad Caſſandri nuptias profectum eſſe.* Minut. *Philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros nouimus.* Seneca ep. 29. De philoſophis, *Oſtendet mihi alium in adulterio, alium in popina.* vide Suidam de Moſcho.

4. CHRISTIANVS VXORI SVÆ SOLI MASCVLVS NASCITVR.] 1029. Saluianus lib. 8. de Gubernat. Dei: *Ita iſti de quibus loquimur, qui ſic inhibuerunt ſcorta, vt adulteria, qui & fœminas nullis voluerunt eſſe fœminas niſi maritis ſuis, & viros nullis voluerunt mulieribus eſſe maſculos niſi vxoribus ſuis: Qui euagari obſcœnas libidines extra legitimum torum non ſinunt,* C *leges ſuas ſcilicet ad diuinæ legis regulam dirigentes, vt nihil ſibi in hac re crederent licere, quod Deus voluit non licere.* Minut. *Vos enim adulteria prohibetis, & facitis: nos vxoribus noſtris ſolummodo viri naſcimur.* Clemens Alex. l. 2. Pædagog. c. 10. ἡ ἀρούρης θηλείας ἀπέχεσθαι πάσης, ὅτι μὴ τῆς ἰδίας: *Ab omni aruo fœmineo abſtinendum eſt, præterquàm à proprio,* & iterum ad calcem capitis, ἡ εὐπρόσωπον εὐπρεπὲς, ἀλλὰ μόνῃ τῇ γαμετῇ τοῦτο: *Et ſpecioſa facies, ſed eſt eius tantùm qui me vxorem duxit.*

4. DEMOCRITVS, &c.] Laertius vult, vt potiùs ſecreta naturæ faciliùs noſceret. Vide Tullium 5. Tuſcul. & Agellium lib. 10. cap. 7.

4. AT CHRISTIANVS SALVIS OCVLIS FOEMINAM VIDET.] 1030. Auguſtinus in Regula ita Clericos ſuos admonet: *Oculi veſtri etſi iaciantur in aliquam fœminam, figantur in nullam. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini, ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle criminoſum eſt.* Hieronymus in D illum locum Matthæi, *Quicunque viderit mulierem ad concupiſcendum*, &c. ſic ait: *Inter παθεῖαν, & προπάθειαν, id eſt, inter paſſionem & propaſſionem, hoc intereſt, quòd paſſio reputatur in vitium: propaſſio, licèt initij culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, & anima eius fuerit titillata, hic propaſſione percuſſus eſt; ſi verò conſenſerit, & de cogitatione affectum fecerit, de propaſſione tranſiuit ad paſſionem, & huic non voluntas peccandi deeſt, ſed occaſio.*

4. ANIMO ADVERSVS LIBIDINEM CÆCVS EST.] Origenes contra Celſum lib. 1. *Atqui homines idiotæ ab illis pro nihilo habiti, vt ſtulti & illiberales, ſi modò committant ſe in fidem Dei, & doctrinam Ieſu recipiant, tantum abſunt ab omni laſciuia, ſpurcitia, turpitudine libidinum, vt in morem perfectorum Sacerdotũ, ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum caſtè purèque viuant, alieni à congreſſu mulierũ etiam legitimo.*

Lege Græca ab illis verbis, οἱ δὲ τῶν ἀνθρώπων ἰδιώται. Athenagoras Apolog. pro Christianis. ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπέχομεν, ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν παρὸς ἐπιθυμίαν ἔξεστιν: *Nos verò tantum abest vt promiscui simus, vt ne aspicere quidem ad concupiscentiam liceat.* Minutius: *Apud nos & cogitare, peccare est.* Isidorus l. 2. sentent. cap. 25. *Non solùm factis, sed & cogitationibus delinquimus.* Hieronymus lib. 1. in Oseam cap. 14. *Non solùm opus, sed & cogitatio mali operis pœnas luet.*

1031. 4. DIOGENES SVPERBOS, &c.] Diogenes Laertius: *Calcans aliquando Platonis stratum, dixit: Calco Platonis inane studium. ad quem Plato: Quanto, inquit, ô Diogenes, fastu tumes, dum superbiam te calcare putas.* Quanto obsecro est melius ad humilitatem illud Zachariæ in vitis Pat. cap. 86. lib. 3. *Qui pallium suum deposuit subtus pedes suos, & conculcauit illud, & dixit: nisi quis fuerit conculcatus, Monachus esse nõ potest.*

4. LYCVRGVS APOCARTERESIN, &c.] Suprà cap. 4. *Nonne & ipsius Lycurgi leges à Lacedæmoniis emendatæ, tantum auctori suo doloris incusserunt, vt in secessu inedia de semetipso iudicarit?* Vide & lib. 1. aduers. Marcionem.

4. ARISTOTELES, &c.] Laertius lib. 5. *Porrò Aristippus in primo de antiquis delitiis libro, Aristotelem ait Hermiæ concubinam adamasse: quam ille cùm sibi permisisset, duxisse eam, & gaudio elatum immolasse mulieri, vt Athenienses Eleusinæ Cereri, Hermiæque Pæana scripsisse, qui ἔνδον, hoc est, intus, scriptus est.* Longè abest ab hac narratione Tertulliani narratio, cùm dicat, Hermiam turpiter cessisse.

4. POTIVS.] Explicui, vt vidisti. Vel sic explica. *Idem Aristoteles Alexandro, regendo potius, adulatur.* id est, quem potius regere debuerat: ita vt, *regendo potius*, sit inter duplicem punctuationem. Si autem legas *potitus*, facilis erit explicatio.

1032. 4. QVAM PLATO A DIONYSIO VENTRIS GRATIA VENDITATVR.] Laertius l. 3. *Ter autem nauigauit Plato in Siciliam, primò quidem vt insulam craterésque videret, quo tempore Dionysius Hermocratis filius tyrãnus impulit, vt secum loqueretur. Vbi cùm ille de tyrannide dissereret, dicens nõ id præstare quod sibi soli esset vtile, nisi & virtute excelleret, offensum tyrãnum & iratum dixisse aiunt: Verba tua otiosorum senum sunt; & ille, Et tua, inquit, tyrannidem sapiunt. Ad hæc indignatum tyrannum primò quidem necare illum voluisse; deinde verò à Dione & Aristomene exoratum, id quidem non feciisse, verùm Polidi Lacedæmonio, qui per id temporis legatus ad se venerat, eum tradidisse, vt venundaretur. Eum ille in Æginam adductũ vendidit.* illud *ventris gratia*, explico, non iustè, sed sensum & ventrem secutus. Malim autem (vt ad secũdum sensum pergam) demas præpositionem *à*, & sic legas, *quàm Plato Dionysio ventris gratia venditatur.* & erit sensus. Tam turpiter Aristoteles Alexandro adulatur, quàm turpiter Plato Dionysio (est in tertio casu, id est, apud Dionysium) venditatur. Nam quorsum *venditetur* à Dionysio? Sugillat enim Platonem, non Dionysium, Tertullianus. Est enim totus in philosophos. Non enim desunt, qui dicãt Platonem in Siciliam nauigasse, vt apud tyrannũ lautè viueret, & ventri satisfaceret. Et quæ est collatio inter Aristotelem & Platonem, nisi hæc? & quidem *vendito* hoc sonat, nempe vitium ostentationis & iactãtiæ. aliàs autem vsus fuisset verbo *vendo*. Quæ dixi de Platone, vt lautè viueret, iuisse in Siciliam, vide in Erasmo Adagio, *Concupiuit assam farinam.* hoc Adagiũ est 91. Chiliadis 2. & licèt hoc æmulorum sit Platonis, hoc Tertullianus non curauit. Et Elias Cretẽsis in orat. 3. Gregor. Theologi, ita ait: *De Platone dicit, quem pecuniæ cupiditate ductum ad Dionysium nauigasse ferunt, atque ad eius pedes sese prouoluisse, ipsique assentari consueuisse, vt hinc lucri aliquid ferret; atque obolum pluris quàm Gentilium Deos, feciisse.* & verbum *vendito* (vt explicat Turnebus l. 25. c. 15.) non est vendo, neque hoc quisquã dixit, sed facere ostentationem venditionis. Addo, *venditariam linguam* apud Plaut. in Sticho, eam esse, nõ quę vendit, sed quæ cupit vendere, & facit ostentationem venditandi. Talia multa sunt ea quæ frequentatiua dicuntur. Sic *prendo* est, non, prendo frequẽter, sed cupio prendere. ita *dormito*, non est, frequenter dormio; sed cupio dormire.

4. ARISTIPPVS IN PVRPVRA, &c.] De Pallio cap. 4. *Si philosophus in purpura, cur non & in baxea Tyria?* is idẽ est iuxta Pameliũ. Verùm Marcilius in lib. De Pallio diuersũ intelligit aut Hippiã aut Gorgiã.

5. QVID SIMILE PHILOSOPHIS.] Lucianus quoque in Bis accusato philosophos dehonestat; tu vide. Ego hîc vnius Firmici elegantẽ locũ subiiciã, nec dissimilem à Tertullianico. Inquit enim l. 8. cap. 6. *Aliud ex fronte pollicentur, aliud latenter in moribus celãt: sunt enim austera facie, prolixa barba, obstinata frõte, ita vt Catonis prorsus institutũ imitari videãtur; sed totũ hoc fucato mentiũtur affectu; sunt enim natura petulantes, lasciuiis sẽper cupiditatũ ac libidinosis voluptatibus implicati, & qui latenter amorũ illecebris semper exæstuãt.* 1033.

5. GRÆCIÆ DISCIPVLVS.] Gentilis. Nyssenus in præfatione ad Catechistam, orat. οὐ τοῖς αὐτοῖς θεραπεύσεις τὸ ἑλλήνιος τῷ πολυθείαν, καὶ τὸ Ἰουδαῖος τῷ οὐκ ἐπὶ μονογενῆ θεὸν ἀπιστίαν: *Non eodem modo medeberis & Græco, qui multos esse Deos opinatur, & Iudæo, qui non credit Deo vnigenito.*

5. FAMÆ NEGOTIATOR.] Nam captator gloriæ philosophus. Hieron. ad Iulianum, *Philosophus gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.* Repetit in epist. ad Pammachium, vt refert Heraldus.

5. VERITATIS INTERPOLATOR.] Optimè dixit Lucianus in Philopseude, μέγα γὰρ τοιούτων ἀλεξιφάρμακον ἔχοντες τῷ ἀληθείᾳ, καὶ ἐπὶ πᾶσι λόγον ὀρθόν. Qui enim veritatem corrumpit, nullum habet remedium.

CAP. XLVII. ARGVMENTVM.

Quòd omnes potauerint de diuino sacræ litteraturæ fonte.

TERTVLLIANVS.

1034. 1. ANTIQVIOR omnibus? ni fallor, & hoc mihi proficit antiquitas præstructa diuinæ litteraturæ, quo facilè credatur thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientię. Et si non onus iam voluminis temperarem, etiam excurrerẽ in hanc quoque probationem. Quis poëtarum, quis sophistarum, qui non omnino de prophetarũ fonte potauerit? Inde igitur philosophi sitim ingenij sui rigauerunt, vt quæ de nostris habent, ea nos comparent illis; inde (opinor) & à quibusdam philosophia eiecta est, à Thebanis dico, à Spartiatis, & Argiuis, dum nostra conantur, & hominis gloriæ (vt diximus) & eloquentiæ solius libidinosi, si quid in sanctis Scripturis offenderunt digestis, pro instituto curiositatis ad propria opera verterunt, neque satis credentes diuina esse,

quominus interpolarent ; neque ſatis intelligentes, vt adhuc tunc ſub nubilo, etiam ipſis Iudæis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam & ſi qua ſimplicitas erat veritatis, eo magis ſcrupuloſitas humana fidem aſpernata mutabat, per quod incertum miſcuerunt etiam quod inuenerant certum. Inuentum enim ſolummodo Deum, non vt inuenerant diſputauerunt, vt & de qualitate, & de natura eius, & de ſede diſceptent.

EXPLICATIO.

1035. 1. ANNECTITVR ſuperiori capiti, *Antiquior omnibus* ? Dicit aduerſarius, ergo *antiquior omnibus* eſt Chriſtianus? infert auctor, *ni fallor*, & ait: *&*, id eſt, etiam ad *hoc mihi proficit antiquitas præſtructa diuinæ litteraturæ, quò facilè credatur* eam antiquitatẽ *theſaurũ* eſſe. *Et ſi non onus*, &c. DICIT, ſe, niſi voluiſſet iam temperare volumen iſtud Apologetici, excurſurum *in hanc quoque* antiquitatis *probationem. Quis poëtarum*, &c. Poëtæ & Sophiſtæ omnes de ſcriptura Sancta biberunt. Inde philoſophi amœna ingeniorum ſuorum prata rigarunt, vt iam ea, quæ à nobis acceperunt, ſimillimos noſtris faciãt; & inde eſt vt aliqua pars terrarum philoſophos eiecerit è ſuis finibus, vt Thebæ & Sparta, & Argos; quia philoſophi in his terrarum partibus *conantes noſtra*, vt picæ, dogmata & opera, vnum Deum nuntiabant; & cùm eſſent Gentiles *gloriæ* cupidi *& eloquentiæ*, quicquid digeſtum in ſacris Scripturis inuenerũt, vt erant curioſi, in ſua mẽdacia *verterunt*, ſéque corruptæ veritatis auctores fecerũt. *Neque ſatis*, &c. Cùm verò nondũ ſatis *diuina eſſe* crederent, interpolarunt, & adulterarunt, vt placitũ cuique; neque intellexerũt noſtra: quod mirũ non eſt: cùm adhuc tunc, & vſque ad id tempus velo quodam oppanſa eſſent diuina ſcripta, & *ipſis etiã Iudæis* obſcura, in quorum gratiam ea erant prodita. *Nam & ſi*, &c. Etſi aliquando erat veritas ſimplex, homines ſcrupuloſi mutabãt, quia nihil credebãt, quod ratione non probaretur, inde factũ vt miſcerent omnia, incerta certis addentes. Deum enim inuenerũt, nõ tamen *vt inuenerant, diſputarunt*, cùm *de qualitate eius, natura, & ſede* diſceptarent.

1036. 2. Alij incorporalẽ aſſeuerant, alij corporalẽ, vt tam Platonici quàm Stoici: alij ex atomis, alij ex numeris, ſicut Epicurus & Pythagoras. alij ex igne, qualiter Heracleto viſum eſt. Platonici quidẽ curantẽ rerum, cõtrà Epicurei otioſum & inexercitum, &, vt ita dixerim, neminẽ humanis rebus. Poſitũ verò extra mundũ Stoici, qui figuli modo extrinſecus torqueat molem hanc; intra mundũ Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat quod regat. Sic & de ipſo mũdo, natus innatuſve ſit, deceſſurus manſuruſve ſit, variant. Sic & de animæ ſtatu, quam alij diuinã & æternam, alij diſſolubilẽ cõtendũt, vt quis ſenſerit, ita intulit, aut reformauit. NEC mirũ ſi vetus inſtrumẽtũ ingenia philoſophorũ interuerterũt. Ex horũ ſemine & noſtrã hãc nouitiolã paraturã viri quidã ſuis opinionibus ad philoſophicas sẽtẽtias adulterauerũt, ac de vna via obliquos multos tramites & inexplicabiles ſciderũt. Quod ideo ſuggeſſerim, ne cui nota varietas ſectæ huius, in hoc quoq; nos philoſophis adæquare videatur, & ex varietate defẽſionũ iudicet veritatẽ.

1037. 2. Alij naturam eius ponunt (ponit enim naturam primo loco) cenſentes Deum *incorporalem*, qualem *Platonici*, alij *corporalem*, qualem *Stoici*: *alij ex atomis* compoſitum, *ſicut Epicurus, alij ex numeris*, ſicut *Pythagoras*: *alij ex igne*, ſicut *Heracletus*. *Platonici quidem*, &c. Iam de qualitate diſputat, (nam hanc adhibet ſecundo loco) & Platonicis quidem *rerum curans* cenſetur Deus, contrà ab Epicuro *otioſus*, & in nulla re ſe exercẽs, & potiùs dixerim, *nemo* eſt *humanis rebus*. *Poſitum verò*, &c. Iam de ſede nec concordant, nam *extra mundum Stoici* Deum conſtituũt, inſtar *figuli*, qui à foris & exterius mundi machinã regat: contrà Plato cenſebat, qui *intra mũdum* Deum locarat, exemplo cuiuſdam *gubernatoris*, atque adeo in eo eſt poſitus, *quod regit*. *Sic & de*, &c. Sic & de mundo diſputant, factus an infectus; æternusne ſit, an finem debeat habere. *Sic & de animæ*, &c. Eadem quæſtio de anima eſt, an æterna ſit, an diſſolubilis; vt quiſque ſenſit, ita intulit *diſſolubilem*; aut *reformauit* animam, faciens durabilem in æternum, hanc enim vim habet *reformare*. *Nec mirum*, &c. Nihil mirandum eſt, ingenia philoſophorum vetus teſtamentum inuertiſſe. & præuertiſſe rationem adhibuit in ſuperioribus. *Ex horum*, &c. Hinc ortum eſt vt hanc diuini Euangelij ſectam & opinionẽ, quæ paucis antè annis incœpit, viri quidã hæretici adulterauerint, traducentes illam *ad philoſophicas* rationes; & vna cùm ſit ac ſimplex via, illam in multiplices *tramites & inexplicabiles* diuiſerint. Fuit enim philoſophia mater hæreſum. *Quod adeo*, &c. Hæc ita placuit diſceptare, vt omnes ſciant vnam eſſe hanc viam Euangelij, & cùm videant veritatem à multis diuerſo tramite defendi, non ideo nos philoſophis adæquent.

1038. 3. Expeditè autẽ præſcribimus adulteris noſtris, illam eſſe regulã veritatis, quę veniat à Chriſto tranſmiſſa per comites ipſius, quibus aliquanto poſteriores diuerſi iſti cõmentatores probabũtur. Omnia aduersùs veritatẽ de ipſa veritate conſtructa ſu[illegible] operantibus æmulationẽ iſtam ſpiritibus erroris. Ab his adulteria huiuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta, ab his quædã etiã fabulæ immiſſæ, quæ de ſimilitudine fidẽ infirmarent veritatis, vel eam ſibi potiùs euincerent: vt quis ideo non putet Chriſtianis credendũ, quia nec poëtis nec philoſophis. vel ideo magis poëtis & philoſophis exiſtimaret credẽdum, quia non Chriſtianis. Itaque & ridemur Deũ prędicantes iudicaturũ: ſic enim & poëtæ *Matth. 26.* & philoſophi tribunal apud inferos ponũt. Si gehennã comminemur, quæ eſt ignis ar- *Matth. 5.* cani ſubterraneus ad pœnã theſaurus, proinde decachinnamur: ſic enim Pyriphlegtehõ *Gen. 2.* apud mortuos onis eſt. Etſi paradiſum nominemus, locũ diuinæ amœnitatis recipiẽdis ſanctorũ ſpiritibus deſtinatũ, maceria quadã igneæ illius zonæ à notitia orbis cõmunis

segregatum: Elysij campi fidē occupauerūt. Vnde hæc (oro vos) philosophis aut poëtis tā consimilia? non nisi de nostris sacramētis. Si de nostris sacramētis, vt de prioribus. Ergo fideliora sunt nostra, magísque credenda, quorū imagines quoq; fidē inueniunt. Si de suis sensibus, iam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur. quod rerum forma, non sustinet. nunquā enim corpus vmbra, aut veritatē imago præcedit.

1039. 3. Sciant autem hæretici adulteratores, hanc à nobis illis regulā *expediti è præscribi*, nihil nobis esse ad salutē, nisi quod ab ipso Christo, & comitibus eius transmissū sit: & isti omnes *cōmentatores* & hæretici cùm sint posteriores, *probabūtur diuersi* & cōtrarij Christi disciplinę. *Omnia aduersùs*, &c. A *veritate* orta dicit ista omnia, & in dæmones reiicit, à quibus *adulteria*, id est, hæreses & fabulæ, quę propter similitudinē nimiā cum nostris, vel *infirmarent* vel euincerent *fidem*, & ideo nostris creditur; en infirmatio: vel ideo illis quia non nobis; en euictio. *Itaque &*, &c. Si prædicamus iudicium, illi habēt iudices: si æternum inferorum ignem, illis est *Pyriphlegethō*: si paradisū, quæ est sedes beatorū, illis sunt *Elysij*. Vide Notam. *Vnde hæc*. &c. Vnde ista, *nisi de nostris*? *si de nostris*, ergo priora sūt nostra. Sunt *ergo nostra fideliora*, cū illorū *imagines* habeant vos sectatores: si secus de vestris sūt, errabitis admodū, nā id nō patitur *rerū forma*, neq; enim *vmbra præcedit corpus, nec imago veritatē*.

NOTÆ.

1040. 1. ANTIQVIOR OMNIBVS?] Sic visum mihi, voluíque intelligi Christianum ex illatione superiorum verborum, & sequentium: nihil enim veritas hic ad rem. Et Pamelius hoc vidit; cùm tamen non intelligeret, quis diceretur *antiquior*, arripuit veritatem ab aliquo etiam non intelligente appositam.

1. HOC MIHI PROFICIT.] Esse potest quartus casus, idque Græca constructione. Ita Plautus Amphit. *Hæc heri immodestia cogit me*. id est, cogit me ad hæc.

1. QVIS POETARVM, &c.] Vvouerenius in Minutium citās hęc, cēset ita emendandū Tertullianū. *Quis poëtarū, quis sophistarū, qui nō omniū de prophetarū fōte potarit*? Nescio verò quę sit correctio. Ad sententiā autē pertinet illud Ouidij, l. 1. Metamorph. vbi Iuppiter,

Contigerat nostras infamia temporis aures,
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
Et Deus humana lustro sub imagine terras.
Longa mora est, quantum noxæ sit vbique repertum
Enumerare, minor fuit ipsa infamia vero: &c.

Inde itaq; cùm Iuppiter omnia lustraret, in mentē venit perdendæ terræ diluuio aquarū, & hoc est, quod ait Tertullianus, omnes, poëtas etiā, à sacro fōte potatos, sed fato accidit vt omnes limpidissimā aquā cœno opplerent, & fabulis turparent. Eadem mēte Clemens Alex. 1. strom. (ait Cresollius l. 5. Rhet. c. 9.) Philosophos appellat κλέπτας τῆς λήξεως, quòd veritatē Hebræā furtim raptā adulterarent. & proinde ab Aristotele *Sophisticā scientiam* appellatam κλεπτικὴν σοφίαν. Tu vide Ambros. ad Simplicianū ep. 7. l. 2. Cyrillū l. 10. in Iulianū, Chrysostomum in Ioannē. & præter omnes Eusebium Cæsarienſem de præparatione Euangelij, vbi sic ait loquēs de Platonicis: *Nam etsi non rectè intellexerunt, verbis tamen suis manifesti sunt, cuncta ab Hebræis accepisse*. & posteà adducit exemplū Æmilij Platonici, qui celato nomine Ioannis Euangelistæ, & appellato barbaro à Iudæorū natione, ab illo surripit hæc: *Hoc profectò erat verbum, quo ea quæ sunt, facta sunt*. Qua de re vide Salmeronem Nostrum tom. 2. statim initio.

1. DVM NOSTRA CONANTVR.] Credo in animo habuisse illud, *Picásque docuit nostra verba conari*.

1041. 1. HOMINIS GLORIÆ ET ELOQVENTIÆ SOLIVS LIBIDINOSI.] Sic dixit etiam Tertullianus: *Philosophus est animal gloriæ, venalèque rumorum mancipiū*. Iterū: *Philosophi affectant veritatē, & affectando corrūpunt, qui gloriam captāt*. Agellius l. 18. vnum ex his ita describit: *Nugator atque in Græcæ facundiæ gloria iactabundus*. & alio in libro: *Helius Melissus maiore in litteris erat iactantia & σοφιστείᾳ, quàm opera*. Dio Chrysost. inquit (vt ait Cresollius Noster l. 1. Rhetor.) expressā fuisse imaginē cuiusdam, τοῦ δόξης ἀπολλυμένου, *pereuntis ob gloriā*. Aduertit Langus in Notis ad Iustinum Martyrē, Tertullianum ita dixisse, alludentē ad hæc Iustini, ὡσπερεὶ ἐν τῷ φερομένων πρεσβείαν ἡγείσθω τῆς ἰδίας σωτηρίας τὴν τῶν ἐνυλωπίων: *Itaque nemo cui integra mēs est, salutem suam A post istorum eloquentiam habeat*. Optimè Augustin. epist. 56. *Inanis gloriæ mancipia*. & lib. 1. contra Academic. illorum doctrinā vocat *professionem vētosam*. Ambrosius l. 7. in Lucā *phaleratos sermones*. vide Cresolliū l. 5. c. 2.

1. DIGESTIS.] Græca constructio, pro, *digestum*. Græci enim regunt casum vnum, & alterum illi quasi 1042.
sarcinam adiungunt. vt *egeo pecuniarū quarum non habeo*, pro, *quas non habeo*. Quia autem id alibi dilucidiùs, & cum exemplis è Græco sumptis, supersedeo. Itaque emendat vanè Iunius, *Offenderūt, digestis est pro instituto*. Vvouerenius censet legendū, *Offenderunt exinde regestum pro instituto curiositatis*. Nescio quid velit Martinus Roa, cùm legit, *digestis ex improstituto*, in l. 5. c. 6. credo errorem esse litteræ. Malis fortasse legere, *Offenderunt, digestum pro instituto curiositatis ad propria verterunt*. id est, si quid inuenerunt in sacris Scripturis, digesserunt & disposuerūt illud pro instituto curiositatis, B
& verterunt ad propria. Et videtur illud *opera* redundare, ita enim nominat atque etiam, *nostra*; id est, opera, in fine huius capitis. Hanc correctiunculam existimo veram fortasse esse.

1. SVB NVBILO.] Pamelius & alij habent *sub nubila*, verùm Rhenanus *sub nubilo*.

1. SIMPLICITAS VERITATIS.] Cùm adeo sit simplex, *Nihil est difficilius, quàm de veritate apud permisti populi multitudinem disputare*, inquit Petrus Apostolus apud Clementem lib. 3. Recognit.

1. MVTABAT.] Sic legendum, non *nutabat*. Dicit enim tantùm mutatione Gentiles nostra vsurpasse. Hanc veram existimo lectionem: nihil aliud est *mutare*, quàm interpolare.

1. MISCVERVNT.] Dixerat, simplicem esse ve- 1043.
ritatem, sed hi (ait) miscuerunt illam, certa cum incertis coniungendo. Spectat credo hic sermo ad pocillatorē, qui merū aqua miscet. Ergo, mera erat veritas, hi miscuerunt illam. Videndus Eusebius, & Irenæus.

2. ALII INCORPORALEM ASSEVERANT.] De his lō- C
gissimę disputationes possent tractari, quæ longè sunt à meo instituto; illę quidem ad philosophorum scholam pertinent, & multæ illarum videri possunt in Laërtio.

2. NEMINEM.] Vvouerenius censet ita legendum: *immunem ab humanis rebus*.

2. POSITVM VERÒ EXTRA MVNDVM STOICI.] Apuleius Apologia: *Scit me vera dicere Maximus, qui ὑπερουράνιον τόπον ὀπὶ τῷ τῆς ἀληθείας νώτῳ legit in Phædro diligenter*.

2. DISSOLVBILEM.] Is fuit Epicurus. l. de Testim. animæ c. 4. *Christiana opinio, & Epicurea gratior iam te ab interitu defendit*. & de Resurr. carnis c. 1. *Nihil esse post mortem Epicuri schola est*. vide Plinium lib. 7. c. 55.

2. NEC MIRVM SI VETVS INSTRVMENTVM INGENIA PHILOSOPHORVM INTERVERTERVNT.] Tertul. *Ex philosophorū semine sunt hæreses*. & aduers. Hermogenem: *De philosophorū ingeniis omnē hæresim animari*.

2. Novi-

1044. 2. NOVITIOLAM PARATVRAM.] Nouellam sectam Christianorum alibi vocat: est enim ab Tiberio, cuius æuo explicari cœpit hæc lex. Vnde apud Prudentium in Agone Romani Martyris, Præses insultans Christianis,

Nunc dogma nobis Christianum nascitur,
Post euolutos mille demum Consules
Ab vrbe Roma, ne retexam Nestoras,
Quidquid nouellum surgit, olim non fuit.

Et infrà idem præses sic ait,

Tantus nouelli dogmatis regnat furor,
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipse suffixum cruci.

2. IVDICET VERITATEM.] Placet Vvouerenlectio, *vanitatem*. Schoppius: *Defectionem vindicet veritatis.*

3. EXPEDITE' PRÆSCRIBIMVS.] Formula ista trita est, inde liber *Præscriptionum*. Est enim *præscribere*, exceptionem opponere, quæ iudicium ingredientem summouet. Opponit ergo Tertullianus hæreticis antiquitatem veritatis, quæ veniat à Christo, &c.

1045. 3. REGVLAM VERITATIS QVÆ VENIAT A CHRISTO, &c.] Balsamon in Meditat. οὐδὲ γὰρ ἀκοῦσαι εἰπεῖν ἐπιτρέπομεν, κατὰ τοὺς κινδυνώδεις ταῖς ἀκοαῖς, τῷ λόγῳ τῆς διαφέροντος, καὶ τὸν ἐπὶ ὕδατος ἀπλοΐας δοκιμάζοντας τὰ ἀμφίβολα· ἀλλὰ ἐκεῖνα διπλόης πάσης ἐκποδὼν ἀφιέμενοι, ὅσα πίστεως ἀκραιφνὲς καὶ γνήσιον πολὺ, καὶ θείων χαρακτῆρα αὐγάσωσι ἡμᾶς αὐτοῖς δόξαι: *Non enim ex nobis fabulam adferemus, instar illorum quibus aures pruriunt ad orationem de eo quod ipsis expedit, & eorum more, qui ad aquam contradictionis examinant res controuersas: sed citra fucum omnem ea simpliciter proponemus, quæ diuturnus vsus, & longi temporis exercitatio, & sacrarum litterarum lectiones docuerunt.*

3. SVBORTA.] Legit Vvouerenius *subornata*: cuius verbi significatio alibi posita.

3. DE SIMILITVDINE.] Sic legendum, & sic Vvouerenius & Heraldus: in codicibus Pameliani est *dissimilitudine*.

3. SI GEHENNAM COMMINEMVR, &c.] Scilicet Epicurei tollebant infernos: neque esse aliquid patiebantur, quod vitam labefactaret & euerteret. Inde de illis dixit Lucretius lib. 3.

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus.

Quò referas illud Virgilij 2. Georgic.

Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis auari.

1046. 3. IGNIS ARCANI SVBTERRANEVS AD POENAM THESAVRVS.] Cassian. Collat. 15. cap. 10. *Aut quemadmodum me in illo metuendo examinis die per se transiturum ille ignis inextinguibilis, & inquisitor meritorum omnium non terebit, cui nunc extrinsecus hic temporalis ac paruulus non pepercit?* In Epitaphio Næuij: *Itaque postquam est orcino traditus thesauro.* Arnob. 2. *Audetis ridere nos cùm gehennas dicimus, & inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas deijci ab earum hostibus inimicisque cognouimus?* Cur dicatur *arcanus ignis?* An corporeus, cùm sit, agit in animas incorporeas? Cur *thesaurus*? nisi quia ira Dei ibi est ad viuum, si vspiam aliàs. Chrysost. Paræneſi ad Theodorum lapsum: μὴ γὰρ ἐπειδὴ πῦρ ἤκουσας, τοιοῦτον εἶναι νομίσῃς τὸ πῦρ· τοῦτο μὲν γὰρ, ὅταν ἀῦ λάβῃς, κατέχωσε καὶ ἀπάλλαξεν· ἐκεῖνο δὲ τὸν ἅπαξ καταλάβῃ καὶ διαπαντὸς, καὶ οὐδέποτε σβέσεται· διὰ τοῦτο καὶ ἄσβεστον εἴρηται: *Cùm ignem audis, ne arbitreris similem huic igni; accensus enim defeuescit & mutatur; ille autem semel in flammam exsurgens, ardet perpetuò, nunquam intermoritur, ideóque inextinguibilis dicitur.* Eusebius Gallicanus Episcop. de Pentecoste, explicans illud, *exurentur peccatores sicut fœnum*; sic ait: *Non hîc intelligenda est in illo igne velocitas consumendi, sed violentia concremandi.*

3. DECACHINNAMVR.] Est *deridemur*. Sic Persius dixit, *---sed sum petulanti splene cachinno.* Nam *splen*, siue *lien* sedes est risus atque iocorum, vt scribit Plin.

3. PARADISVM.] Error est Tertulliani existimantis animas sanctorum detineri in Paradiso, vsque ad diem iudicij. Nec desunt qui crediderint, sanctos, animásq; purgatas non frui clara Dei visione ante diem iudicij: eiúsque sententiæ Auctores referunt Irenæum, Origenem, Lactantium, Ambrosium, Chrysostomũ, Augustinum, Theodoretum, Theophylactum, Euthymium, & Bernardum, quorum sententias exarauit Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ, annotatione 345. Sed & Tertullianus videtur hæsisse in sua sententia Petro Apostolo apud Clementem Papã lib. 1. Recognit. vbi hæc habẽtur ore Petri: *Simili exemplo* (videlicet Enochi) *etiam cum cæteris gestum est, qui eius voluntati placuerunt, vt ad paradisum translati, seruentur ad regnum. Eorum verò qui non ad integrum potuere explere normã iustitiæ, sed aliquas in sua carne malitiæ reliquias habuere, corpora quidem resoluuntur, animæ verò seruantur in bonis lætisque regionibus; vt in resurrectione mortuorum, cùm corpora sua receperint, ipsa iam resolutione purgata, pro his quæ bene gesserint, æterna hæreditate potiantur.* Scias tamen hæc Petri nõ esse, cùm hoc opus vel Clementis non sit, quod probabile est; vel esse idem quod Itinerariũ & circuitus Petri vocatur: quod opus inter Apocrypha retulit sanctus Athanasius, & alij. Dixi sententiam Bellarmini Cardinalis. Si me autem roges, existimo hoc opus verè esse Clementis, ea autem quæ ibi Petro ascribuntur, non esse Petri, sed ipsiusmet Clementis; quemadmodum quæ Plato scribit de Socrate, non Socratis sunt, sed ipsiusmet Platonis. Eo autẽ tempore, quo hæc scribuntur à Clemente, nondũ lustrali aqua aspersus erat, cũ hac in sequentibus libris postea perfundatur. Itaq; mirum non est tum temporis in eo errore fuisse. Mitto alios, qui suspecti sunt. Inter quos non ignobilem locũ obtinet Nicetas Choniates; idem enim sentire videtur in vita Manuelis lib. cap. 6. vbi Conradus Rex milites ad bellũ acuens, hæc inter alia: οὐδὲ γὰρ ἄδικος ὁ Θεὸς, ὡς μὴ τὴν ὁδὸν τυπίτης ἐρᾷν αὐτοῦμενον, μηδ' ἀκριβῶν μετὰ δίδυμον λήμμων, καὶ σιτερῶν ἐν τῇ Ἐδὲμ καταπαύσεων, οἷ τὰ οἴκοι καταλιπόντες, αὐθελομβα τὴν ζῆν, τὸ ὑπὲρ αὐτῆς θανεῖν: *Neque enim iniustus est Deus, vt huius viæ caussã ignoret, aut immortalia prata et vmbrosa Edem domicilia non retribuat nobis; qui, relictis adibus, pro ipso mortem oppetere, quàm viuere maluimus.* Et Beatus Maximus, Homilia 1. de Passione, & Cruce Dominii, n illa verba, *Hodie mecum eris in Paradiso*, sic inquit: *Quivtique latro, diu oberrãs ac naufragus, aliter ad patriam Paradisi, de quo primus homo exierat, redire non poterat, nisi fuisset arbori religatus.*

3. MACERIA QVADAM IGNEÆ ILLIVS ZONÆ.] Agit enim (inquit Pamel.) de flãmeo gladio Cherubim, quem collocauit ante Paradisum Deus, quem *zonam igneam* vocat, ad similitudinem zonæ flãmeæ, seu torridæ, cœli. Greg. Nyssen. φλογινη ῥομφαία, inquit in orat. funebri Placillæ, armati *ignea romphæa*. Et in vita Macharij, qui inuentus est ante Paradisum, dicitur: *Posuit denique Dominus ante eundem Paradisum Cherubim cum ignea romphæa atque volubili, ad custodiendum vitæ lignum.* Greg. Nazianzenus in Arcanis, Carmine 7. de Anima, *zelum* ait, positum ante ianuam, ζῆλον ἐὸν πυρόεντα,

Quinetiam ardentem Zelum moderator Olympi
Collocat ante fores, aditum qui peruigil omnem
Occlusum teneat, ne primi more parentis
Ante quis hunc præcox veniat, quã sumpserit escã.

3. ELYSII CAMPI.] Quemadmodum Christiana doctrina paradisum quendam esse affirmat, sic etiam Gentiles (ait Elias Cretensis orat. 4. in Gregorium) iucundam quandam & amœnam regionem esse fingunt, suauissimorum omnis generis fructuum fe-

raciſſimam, ac ter quotannis fructus proferentem, quam etiam beatorum inſulam appellant,& campum Elyſium. Res eſt in triuio.

3. VNDE HÆC (ORO VOS) PHILOSOPHIS AVT POETIS, &c.] Exemplum huius rei ſuppeditat Beda in lib. Reg. q.28. Inquiens, fabulam Phaethontis,Solis, & Heliadum, ſumptam eſſe ab raptu Heliæ igneo curru : & anſam præbuit illud, τῆς Ηλίου, quod eſt, *Eliæ*; Gentiles autem putauerunt eſſe τῆς Ηλίου, *Solis*. Inde reliqua ſuo fabulamento aſſuerunt. Multis hæc Beda; idque ex Ioanne Chryſoſtomo, vt ſolet.

CAP. XLVIII. ARGVMENTVM.

De reſurrectione corporum.

TERTVLLIANVS.

1049. 1. AGE iam ſi qui philoſophus affirmet, vt ait Laberius, de ſententia Pythagoræ, hominem ex mulo, colubrum ex muliere; & in eam opinionem omnia argumenta eloquij virtute diſtorſerit; nonne conſenſum mouebit, & fidem infiget etiam ab animalibus abſtinendi? propterea perſuaſum quis habeat, ne forte bubulam de aliquo pro auo ſuo obſonet. At enim Chriſtianus ſi de homine hominem, ipſumque de Caio Caium reducere repromittat, lapidibus magis nec ſaltem cædibus, à populo exigetur. Si quæcunque ratio præeſt animarum humanarum reciprocandarum in corpora, cur non in eandem ſubſtantiam redeant, cùm hoc ſit reſtitui, id eſſe quod fuerat? Iam non ipſæ ſunt quæ fuerant, quia non potuerunt eſſe quod non erant, niſi deſinant eſſe quod fuerant. Multis etiam locis ex otio opus erit, ſi velimus ad hanc partem laſciuire. Quis inquam beſtiam reformari vidit? Sed de noſtra magis defenſione, qui proponimus, multò magis vtique dignius, credi hominem ex homine rediturum, quemlibet pro quolibet, dum hominem. Vt eadem qualitas animæ in eandem reſtauretur conditionem, etſi non effigiem. Certè quia ratio reſtitutionis deſtinatio iudicij eſt, eo quòd omnino de iudicio Dei pati debent, neceſſariò idem ipſe qui fuerat exhibebitur, vt boni ſeu contrarij meriti iudicium à Deo referat. Ideoque repræſentabuntur & corpora, quia neque pati quicquam poteſt anima ſola ſine ſtabili materia, id eſt carne: & quod omnino de iudicio Dei pati debent animæ, non ſine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt.

EXPLICATIO.

1050. 1. CVM præcipuè reſurrectionis myſterium damnent Gentiles, in eos hoc capite inuehitur, incipitq; ab illo Pythagoreorum, quod magno verborum apparatu exornat Laberius, qui dicebat *hominem ex mulo, colubrum ex muliere* exiſtere. Inquitque : Si quis philoſophus hanc opinionem *diſtorſerit*, & ab inuitis omnibus fecerit approbari, & in eam cõprobandam omne verborum pondus & vim eloquij inſumpſerit, dignus profectò habebitur cui credatur, & *conſenſum* cuiuſlibet *mouebit, & fidem* hanc in animo penitus *infiget*, vt abſtineant homines *ab animalibus, ne fortè* quis *bubulam* carnem obſonet, quam proauus habuit. *At enim*, &c. *Chriſtianus* verò (quis hoc capiat?) ſi dicat, hominem in eundem hominem reuerſurũ, & verbi gratia *Caium* ex *Caio, lapidibus* cædetur & amandabitur ab vniuerſo populo, ne dicam *cædibus*. *Si quæcũque*, &c. Si præſtat ratio aliqua vim, vt iterum *in corpora* anima reuertatur; cur non obſecro in idem corpus anima, *in eandem ſubſtantiam, cùm hoc ſit* verè *reſtitui? Iam non ipſæ*, &c. Probat hoc, *iam non ipſæ ſunt quæ fuerant*, quia demus Caium tranſmutatum in mulum, mulus non potuit eſſe, quod non erat, niſi deſinat eſſe Caius, ſcilicet quod fuerat. *Multis etiã locis*, &c. Sed ſi velim hanc Pythagoræ ſententiã laſciuiente perſequi oratione, & omnes neruos eloquij in ea cõfutanda traducere, vt quis poſſit in aliquam temerè beſtiam transformari, multis ad id argumentorum locis, maiorique *otio* opus ſit. *Sed de noſtra*, &c. Reuertor igitur ad meam defenſionem, qui multò digniora propono, ſcilicet redituram animam in idem corpus, in idémque domicilium, in quo fuerat. *Vt eadem*, &c. Vt videlicet *eadem qualitas animæ reſtauretur* iterum *in eandem conditionem*, etiamſi *non in* eandem *effigiem*, quippe effigies aut glorioſa erit, aut damnata. Vel effigies hominis erit tunc immortalis, & non mortalis. *Certè quia ratio*, &c. Nã cùm ad thronum Dei omnes cogendi ſint, vt ratione quiſque ſuarum actionum reddita mercedem ſuam recipiat, ratio exigit, vt corporum reſurrectio præcedat, vt in quo velut inſtrumento operata eſt, anima iudicetur, vt bonum ſiue malum recipiat. *Ideoque*, &c. Inde eſt, vt eadem corpora reditura ſint, quia nemo aliquid egit, dum viueret, ſine carne; ideóque & merita huius expendenda ſunt carnis, vt pariter recipiat aut præmium, aut pœnam. Vide tamen Notam, in qua de errore Tertulliani.

1051. 2. Sed quomodo, inquis, diſſoluta materia exhiberi poteſt? Conſidera temetipſum ô homo, & fidem rei inuenies. Recogita quid fueris, antequam eſſes, vtique nihil: meminiſſes enim ſi quid fuiſſes. Qui ergo nihil fueras priùs quàm eſſes: idem nihil factus cùm eſſe deſieris; cur non poſſis eſſe rurſus de nihilo, eiuſdem auctoris vo-

luntate, qui te voluit esse de nihilo? Quid noui tibi eueniet? qui non eras, factus es: cùm iterum non eris, fies. Redde si potes rationem qua factus es, & tunc require qua fies. Et tamen facilius vtique fies, quod fuisti aliquando, quia æquè non difficilè factus es, quod nunquam fuisti aliquando. Dubitatur credo de Dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo quod non fuerat non minùs quàm de morte vacationis, & inanitatis composuit animatum spiritu omnium animarum animatore, signatum & ipsum humanæ resurrectionis exemplum in testimonium vobis. Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt, sidera defuncta viuescunt, tempora vbi finiuntur, incipiunt; fructus consummantur, & redeunt: certè semina nonnisi corrupta & dissoluta fœcundiùs surgunt, omnia pereundo seruantur, omnia de interitu reformantur. Tu homo tantum nomen, si intelligas te, vel de titulo Pythiæ discens, dominus omnium morientium & resurgentium, ad hoc morieris, vt pereas? Vbicumque resolutus fueris, quæcumque te materia destruxerit, hauserit, aboleuerit, in nihilum prodegerit, reddet te. Eius est nihilum ipsum, cuius & totum.

1052. 2. Dissoluit ex ipsa hominis creatione nodum illum, qui solet obiici, & quia clarum est totum, nihil dicam. *Dubitatur credo*, &c. Nunquid dubitatur de Dei potentia, qui hanc mundi machinam eduxit, & condidit, cùm priùs non esset, sed inanitas & vacatio quædam instar mortis; eam verò cùm de nouo condidit, spiritu suo animauit, qui *omnium animarum* animator est, & ipsum etiam mundum signauit exemplis *resurrectionis in testimonium* hominum, nam lux quotidie, &c. *Tu homo tantum nomen*, tam grande nomen. *Titulo Pythiæ*, quæ scripsit in foribus Apollinis Delphici, NOSCE TEIPSVM.

1053. 3. Ergo, inquitis, semper moriendum, & semper resurgendum. Si ita rerum dominus destinasset, ingratis experireris conditionis tuæ legem. At nunc non aliter destinauit, quàm prædicauit. Quæ ratio vniuersitatem ex diuersitate composuit, vt omnia æmulis substantijs sub vnitate constarent ex vacuo & solido, ex animali & inanimali, ex comprehensibili & incomprehensibili, ex luce & tenebris, ex ipsa vita & morte: eadem æuum quoque ita destinata ac distincta conditione conseruit, vt prima hæc pars ab exordio rerum quam incolimus, temporali ætate ad finem defluat: sequens verò, quam expectamus, in infinitam æternitatem propagetur. Cùm ergo finis & limes medius, qui interhiat, adfuerit, vt etiam mundi ipsius species transferatur æquè temporalis, quæ illi dispositioni æternitatis aulæi vice oppansa est: tunc restituetur omne humanum genus ad expungendum quod in isto æuo boni seu mali meruit, & exinde in immensam æternitatis perpetuitatem. Ideoque nec mors iam, nec rursus ac rursus resurrectio, sed erimus ijdem qui nunc, nec alij post. Dei quidem cultores apud Deum semper, superinduti substantia propria æternitatis. Profani verò & qui non integri ad Deum, in pœna æquè iugis ignis, habentis ex ipsa natura eius diuinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis. Nouerunt & philosophi diuersitatem arcani & publici ignis: ita longè alius est, qui vsui humano, alius qui iudicio Dei apparet, siue de cœlo fulmina stringens, siue de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit quod exurit, sed dum erogat, reparat: adeò manent montes semper ardentes, & qui de cœlo tangitur, saluus est, vt nullo iam igni decinerescat: & hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum iugis iudicij, pœnam nutrientis. Montes vruntur & durant, quid nocentes & Dei hostes?

1054. 3. *Ingratis*, velis, nolis. *Quæ ratio*, &c. Deus qui vniuersum hunc mundum ex diuerso composuit, vt *omnia sub vnitate* vnius mundi diuersis *substantiis* se repellentibus *constarent*; idem Deus ita ordinauit *hoc æuum*, vt *prima* eius *pars* tendat ad exitium, *sequens verò* pars æterna sit. Obiter nota antitheta *vacui*, & *solidi*, &c. *Cùm ergo*, &c. Cùm *finis* adfuerit, & *limes* hic, qui in medio est, & qui interiacet, auferetur, vt iam *mundi* huius *species transferatur* in æternam, cui æternitati hæc mortalis vita instar *aulæi* explicata est, extensa, atque *oppansa: tunc omne humanum genus* in sua carne *restituetur*, ad perficiendum præstandúmque fideliter quod meretur siue bonum siue malum sit, & exinde erit omne hominum genus *in immensam æternitatis perpetuitatem*, ac semper duraturam. *Idcoque*, &c. Exinde nec vltra moriemur, nec resurgemus, sed *erimus ydem qui nunc* sumus, nec alia erit aduentitia forma. *Dei quidem*, &c. Et qui inuenti fuerint iusti, *semper apud Deum* erunt, *superinduti* vt iam glorioſi, propriam substantiam immortalitatis. *Profani verò*, &c. Reprobi verò in ignem æternum condemnabũtur, habentem ex se incorruptibilitatem & perpetuitatẽ ex diuina subministratione, quę illi subministrauit hanc æternitatem. *Nouerunt &*, &c.

Philosophi quidem agnouerunt distinctionem *arcani ignis* & nostri; & *ita longè* alius *est*, *qui vsui humano* seruit, & qui arcanus est; verbi gratia, *qui apparet iudicio Dei* vt carnifex, siue ille sit, qui *stringit fulmina è cœlo*, (vt ego intelligo, est ignis hic fulmineus qui dicitur gehenna in Euangelio) siue qui *eructat* ex *terra per montium vertices*. *Non enim*, &c. Quodcunque *exurit* hic ignis, *non absumit*; *sed dum erogat* & dispergit, semper *reparat: adeò* enim *montes semper* sunt *ardentes* vt nunquam deficiant; & ab fulmine, qui *saluus est*, hoc est, nunquam iterum est cremandus, nec vertendus in cineres lege & religione. Itaque tam ignes montium quàm fulmineus in damnatis puniendis nunquam deficiunt.

NOTÆ.

1. AGE.] Acuit se contra hostes. Virgil. A Ceiri:

---nunc, age, Diuæ
Præcipuè nostro nunc aspirate labori.

Valerius Flaccus lib. 5.

Quare, age, cognatas primum defendite sedes.

1055. 1. SI QVI PHILOSOPHVS.] Pro, *si quis*, siue, *si quicunque*, siue, *aliquis*. Plautus Menæchmis,

Venibunt serui, supellex, fundi, ædes, omnia;
Venibunt, quiqui licebunt, præsenti pecunia.

Ruffinus in vitis Pat. lib. 3. cap. 14. *Non habeo quid bibere*: id est, aliquid bibere. Hadrianus Iunius sic concipit Adagium trigesimum primum Centuriæ 4. *Non est cuius rectè condire*, pro, non est cuiuslibet.

1. LABERIVS.] Versus Laberij, quos citant Pamelius & Iunius, sunt:

Et audio mala multa, etiam ex bonis geni,
Par illud, vt nos olim mutant philosophi,
Et nunc de mulo hominem, colubrum de muliere
Faciunt, & ex diuersis diuersa alia.

1056. 1. DE SENTENTIA PYTHAGORÆ.] Animalium transmigratio in aliena corpora inclaruit iam ex Pythagoræ sententia. Clemens Alex. Empedocli attribuit lib. 6. Strom. adducitque hos versus,

Ἤδη γὰρ ποτ' ἐγὼ γνόμαν κοῦρός τε, κόρη τε,
θάμνος τ', οἰωνός τ', καὶ εἰν ἁλὶ ἔλλοπος ἰχθύς:
Ipse ego namque fui puer olim, deinde puella,
Arbustum, & volucris, mutus quoque in aquore pisces.

Sed fere omnes Pythagoræ attribuunt, in his Arist. lib. 1. de Anim. cap. 3. & vocat hanc transmigrationem, Πυθαγορικοὺς μύθους: *Pythagoricas fabulas*. Lactantius lib. 7. *Pythagoras transire animas in noua corpora disputauit; sed ineptè quòd ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines*. Hieronym. aduersus Ruff. cap. 10. *Apud Græcos Pythagoras primus inuenit, immortales esse animas, & de alijs corporibus transire in alia. Et se primum fuisse Euphorbum, secundò Callidem, tertiò Hermotimum, quartò Pyrrhum, ad extremum Pythagoram*. Pythagoras ipse apud Ouid. 15. Metam.

Morte carent animæ, semperque priore relicta
Sede, nouis domibus viuúntque habitántque receptæ.

Minutius: *Nam corporibus dissolutis solas animas volunt & perpetuò manere, & in alia noua corpora sæpius commeare*. In quæ corpora? Ait idem, *in pecudes, aues, belluas, hominum animas redire*. Schoppius ex ms. reponit *colubram*.

1057. 1. DE CAIO CAIVM REDVCERE REPROMITTAT.] Heraldus legit *reducem*. Caius Iureconsultus adhibetur in exemplum ad res singulas. *Repromittere* autem est, nuda pollicitatione cautionéque promittere, non satisdato. Alias habet significationes. Vide Schardium. Minutius: *Renasci se ferunt post mortem, & cineres, & fauillas: & nescio qua fiducia mendaciis suis inuicem credunt, putes eos iam reuixisse.*

1. LAPIDIBVS MAGIS, NEC SALTEM CÆDIBVS, A POPVLO EXIGETVR.] Sententia est. Christianus si affirmat resurrectionem carnis, *exigetur* exterminabitúrque *à populo lapidibus*: quod genus mortis ignominiosum est: *nec* hoc *saltem* illi dabitur vt cadat *cædibus*, id est, vulneribus. Non dabitur illi perire honesta morte, & percussus gladio. Hinc apparet retinendam lectionem; Iunius temere scripsit *vel saltem*. Philostratus in vita Lolliani, λίθοις nominat loquens de tumultu Athenienssium. Philo etiam de specialibus legibus, ἢ πυξὶ ἔπαισε τὴν χεῖρα, ἢ λίθον ἀφῆκεν ἔφρίγα: *aut pugno ferit, aut eminus lapide*. Simocatta lib. 8. Historiæ cap. 4. καὶ λίθοις ἐξέπεμπον κατὰ τοῦ αὐτοκράτορος: *Lapidibus insectabantur Imperatorem*. In aliquibus, loco, *cædibus*, est *calcibus*. Si malis legere cum interrogatione, erit sensus contrarius, vt dicat, non solùm lapidibus, sed mille cædibus exigetur.

1. RECIPROCANDARVM.] Alibiidem Tertullianus: *Reciprocarum frugum, & viuidorum elementorum, & recidiui anni fidem argumentantur*.

B 1. MVLTIS ETIAM LOCIS EX OTIO OPVS ERIT.] Cuiacius scribebat, *multis etiam iocis ex ocio opus erit*. Vvouerenius autem, *multis etiam iocis, & otio opus erit. Quis in quam bestiam reformari velit*: alij, *quis in quam bestiam reformari videretur*. 1058.

1. IDEÓQVE REPRÆSENTABVNTVR ET CORPORA, &c.] Locus de resurrectione, in quem Arnobius conspirat lib. 2. *Audetis ridere nos, quòd mortuorum dicamus resurrectionem futuram, quam quidem nos dicere confitemur, sed à vobis aliter, quàm sentiamus, audiri*.

1. QVIA NEQVE PATI QVIDQVAM POTEST ANIMA SINE STABILI MATERIA, ID EST, CARNE.] Cautè est legendus Tertullianus; existimat enim pati non posse animam sine carne, ac nunc animas damnatorum non pati: ac perinde sensere alij, animam esse corporalem: quem errorem etiam Arnobius tenuit, cùm disputat lib. 2. contra Platonem: ait enim: *Et homo prudentia non praua, & examinis iudicyque perpensi, rem inenodabilem suscipit, vt cùm animas dicat immortales, perpetuas, & corporali sodalitate priuatas, puniri eas dicat tamen, & doloribus afficiat sensuum. Quis autem hominum non videt, quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere: quod autem sentiat dolorem, immortalitatem habere non posse?* Clarè sentit animã corporalem esse. C

2. RECOGITA QVID FVERIT, &c.] Ambros. de Fidei resurrectione: *Cur miramur, renasci posse quod fuerit, cùm videamus natum esse, quod non fuit?* Prudent. aduers. Symmach. 1059.

Quin & corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam, possum quoniam renouare fauillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas,
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.

Minutius: *Quis tam stultus aut brutus, vt audeat repugnare, hominem à Deo, vt primùm potuisse fingi, ita posse denuo reformari: nihil esse post obitum, & ante ortum nihil fuisse: sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari?*

2. DVBITATVR CREDO, &c.] Mihi perſuaſi capiendum Tertullianum de mundi corpore, non de humano, quod falsò aſtruit Iunius, ſecutus Latinium. Ait ergo: Nemo dubitet reſurrectionem fieri poſſe à Deo, cùm is hanc mundi machinam fecerit, *de eo quod non erat*, id eſt, ex nihilo. Iunius ediderat, *qui tantum corpus hoc mundo, de eo*, &c.

1060. 2. COMPOSVIT.] Sic legit Vvouerenius ex veteri libro, & adhibet cenſuram, quia *rectè* ibi ſcriptum eſt. Si quis autem velit legere *impoſuit*, vt eſt in omnibus libris, ſciat poſſe. Etenim *pono* vſurpatur pro *adifico*. Sic 6. Æneid.

---poſuitque immania templa. Et 8.
---poſuere in montibus vrbem.

Sed Tertullianus quidem magna emphaſi non, *poſuit*, ſed *impoſuit*, pro, conſtruxit inſtruxitque, quia de ingenti mole mundi huius, & quæ in baſes ſuas impoſita. Ergo præclarè, *Impoſuit Deus tantum hoc corpus mundi*, pro poſuit, ſtruxit, ædificauit, fecit: quæ verba hinc exterminata, & adhibitum illud, in quo eſt ſignificatio magnæ molis, & in baſes.

2. ANIMATVM.] Virg. 6. Æneid.

Principio cœlum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

1061. 2. SIGNATVM ET IPSVM HVMANÆ RESVRRECTIONIS EXEMPLVM IN TESTIMONIVM VOBIS.] Non ſolùm creauit mundum ex nihilo, illúmque animauit, ſed in ipſo ſignata notatáque ſunt exempla plurima reſurrectionis animarũ, vt ſint illa in teſtimonium gentibus. Quæ hæc ſint, narrat ſequenti membro.

2. LVX QVOTIDIE INTERFECTA RESPLENDET.] Minut. *Sol demergit, & naſcitur.* Catull. *Soles occidere, & redire poſſunt.* Prudentius lib. 1. contra Symmach.

Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus varijs diſtinguitur, aut ſubit ortu,
Aut ruit occaſu.

Euſebius in vita Conſtantini lib. 2. cap. 57. ab hoc ſtato rerum ordine, ἥλιος καὶ σελήνη ἔννομον ἔχουσι τὴν πορείαν, Deum laudat. Cæterùm ad totam periodum pertinet illud Auguſtini, de vera religione cap. 28. *Non fruſtra & inaniter intueri oportet pulchritudinem cœli, ordinem ſiderum, candorem lucis, dierum & noctium viciſſitudines, lunæ menſtrua curricula, anni quadrifariam temperationem quadripartitis elementis congruentem, tantam vim ſeminum ſpecies numeróſque gignentium, & omnia in ſuo genere*, &c.

1062. 2. INTERFECTA.] Plautus Pſeudolo (aliàs locupleto locutionem iſtam)

Occiſa eſt hæres, hæret hoc negotium.

In vitis Patrum lib. 3. ait Ruffin. *Occidi gloriam.* Et loco alio longè diſtanti, *mactans voluntatem.*

2. RESPLENDET.] Plaut. Milite Glorioſo, *Priuſquam lucet.* Virgilius,

Poſtera cùm radiis aurora retexerit orbem.

2. SIDERA DEFVNCTA VIVESCVNT.] Vvouerenius legit, *Sidera defuncta reuiniſcunt.*

2. FRVCTVS CONSVMVNTVR ET REDEVNT.] Hanc lectionem affert Iunius & elegi; quorſum enim *conſumantur*, vt eſt in Pamelio?

1063. 2. CERTÈ SEMINA, &c.] Ab ſeminibus ratio reſurgendi petita eſt pluribus. Ambroſius de Fidei Reſurrectione: *Quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere cùm decidunt, reſurgere cùm deuireſcũt? Quod ſatum eſt, reſurgit; reſurgit, quod mortuum eſt, & in eadem genera, in eaſdem ſpecies reformatur. Hos terra primum reddidit fructus, in his primæ naturæ noſtræ ſpeciem reſurrectionis imitata eſt. Quid dubitas de corpore* A *corpus reſurgere? Granum ſeritur, granum reſurgit: pomum decidit, pomum reſurgit.* Et poſt aliqua: *Sed incredibile tibi videtur, vt mortui reuiniſcant. Inſipiens tu, ipſe quod ſeminas nonne priùs moritur, vt viuificetur? Sere quemlibet fructum arentem, reſuſcitatur.* Minutius: *Vide adeò quàm in ſolatium noſtri reſurrectionem futuram omnis naturæ meditetur. Sol demergit & naſcitur, aſtra labuntur & redeunt, flores occidunt & reuireſcunt, poſt ſenium arbuſta frondeſcunt, ſemina nonniſi corrupta reuireſcunt.* Chryſologus, ſerm. 59. *Crede homo de morte reſurgere te poſſe, quia antequam viueres, nil fuiſti: aut quare dubitas quòd reſurgas, cùm tibi totum, quod in rebus eſt, quotidie ſic reſurgat? Sol occidit & reſurgit, dies ſepelitur & redit, menſes, anni, tempora, fructus, ſemina cùm tranſeunt ipſa moriuntur, cùm redeunt ſua ipſa morte reuiniſcunt, & vt reſurrectorum tu iugi & vernaculo inſtruaris exemplo, quoties dormis & vigilas, toties moreris & reſurgis.* Euſebius Emiſſenus, vel, vt autumo, B Euſebius Gallicanus Epiſcopus, vel quis ille, Homilia de Reſurrect. *Sed requiris à me, quomodo defunctus in vitam de fauillis mortuis excitetur? Tu dic mihi quomodo granum tritici quod in cæſpite ſepelitur, in melius de ſua morte renouatur?* Cyrillus Hieroſolym. cateche. 4. ſic ait: ὁ τὸν δι' ἡμᾶς πεπερώμενον σῖτον κατ' ἐνιαυτὸν πεπερώμενον ἐγείρων, πῶς ἡμᾶς αὐτοὺς δι' οὓς κἀκεῖνος ἐγείρατο, δυσκόλως ἀναστήσει; ὁρᾷς ὅπως τὰ δένδρα νῦν ἐπὶ τοσούτοις μησὶ ἄκαρπα ἡ ἄφυλλα καθέστηκεν, ὅμως ὅλα τῷ χειμῶνος παρελθόντος, αὐτίκα ὥσπερ ἐκ νεκρῶν ἀναζήσουσιν; οὐ πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς εὐκοπώτερον ἀναζήσομεν; *Qui ſatum propter nos* 1064. *frumentum ſingulis annis renouatum exſuſcitat: nos ipſos ne in quorum gratiam ipſe reſurrexit, difficulter & agre ſuſcitabit? Vides vt arbores nunc tot menſibus ſine fructu, ſine folijs permaneant: vniuerſa tamen hyeme præterita, confeſtim quaſi ex mortuis reuiniſcant? Nonne multo* C *magis nos & faciliùs ad vitam redibimus?* Sanctus Maximus in traditione Symboli: *Documentum nimirum futuræ reſurrectionis accipimus, cùm commendata ſulcis frumenta in ſtipulam ſuam redeunt, & renouatis frondibus ſpoliata gelu nemora reuireſcunt: Cuncta enim quæ terra producit, aut ſemine aut radice multiplicata reduntur.* Prudentius lib. 2. contra Symmach.

Non deſunt exempla meæ virtutis, in ipſis
Seminibus natura docet reuireſcere cuncta
Poſt obitum, ſiccantur enim pereunte vigore
Quo vixere priùs, tunc ſicca & mortua ſulcis,
Aut foueis mandata latent, et more ſepulchri,
Obruta de tumulis rediuiuo germine ſurgunt.
Nunquid poſſe potes, vel coniectare, quis iſtud
Tam ſolers opifex ſtruat? aut quæ vis agat intus?
Ne vos ô miſeri Phyſicorum dogmata fallant.

Eodem ſeminis argumento, & ad rem eandem probandam, vtitur Ioannes Chryſ. Homil. 65. in Ioannem. D

2. REFORMANTVR.] Ambroſ. de Fidei Reſurrect. de eadem re loquens, *reformari naturam*, dixit. Et 1065.
Sanctus Maximus Homil. in Traditionem Symboli: *Quæ autem duritia cordis eſt, non credere reformari hominem, cùm omnia, quæ facta ſunt, reparentur?*

2. TANTVM NOMEN.] Cùm omnia poſt interitum reformentur, tu homo, qui es tam magnum tantúmque nomen ſuper cætera, morieris vt pereas? Qui tam grandi tantóque nomine præſtas cæteris? &c.

2. SI INTELLIGAS TE, &c.] Clemens Alex. lib. 3. Pædagog. cap. 1. Διὰ τοῦτο, ὡς ἔοικε, πάντων μέγιστον μάθημάτων, τὸ γνῶναι αὐτόν: *Eſt ergo, vt videtur, diſciplinarum omnium maxima, Seipſum noſſe.* Alludit autem Tertullianus ad illud, quod erat in foribus Apollinis Delphici, γνῶθι σεαυτόν. Illud quod poſtea ſequitur *prodegerit*, Ceita ſerm. 5. de Sacram. legit *redegerit*, ſed Tertullianus tamen non mutandus eſt.

3. INGRATIS.] Pro *gratis* vſurpat ſemper, quẽ admodum in vſu habet compoſitis vti pro ſimplicibus, ſic *inculcat* pro calcat, *ſublimis* oculis pro limis oculis, *abutor* pro vtor: & millena quæ occurrunt. Vide ſuprà cap. 4.

3. AVLÆI VICE.] Aulæorum vſus magnus fuit in eo populo: his enim ſcena obtexebatur, ne populus videret actuum commutationem. Ouidius 3. Met.

Sic vbi tolluntur feſtis aulæa theatris,
Surgere ſigna ſolent, primúmque oſtendere vultus,
Cætera paullatim, placidóque edu&a tenore
Tota patent, imóque pedes in margine ponunt.

Explicatio huius eſt in Turnebo apprimè elegans. Ait *oppanſa* voce patribus cõgrua. Ansbertus lib. 1. Apoc. *In ſigno enim, allegoricè velamen oſtendit, quod infidelium corda oppandat, non apertionem ſacramenti his qui reuelata facie gloriam Domini ſpeculantur, denegauit.* Eſt *oppanſa* veluti explicata vela, & quæ vento intumeſcant.

1066. 3. TVM RESTITVETVR OMNE HVMANVM GENVS.] Optimè Tatianus contra Græcos: *κἂν ἐν ποταμοῖς, κἂν ἐν θαλάσσαις ἐκδαπανηθῶ, κἂν ὑπὸ θηρίων διαπαρῶ, πάμπολυς ἐναπόκειμαι πλοῦτόν σε διαστρέψω. καὶ ὁ μὲν πλοῦτος καὶ ἄθεος ὢν οὐδὲ τὰ ἀποκείμενα, θεὸς δὲ ὁ βασιλεύων, ὅστις βούλεται τῷ ἐφετῷ ὑπὸ μόνῳ ὑποσῶσαι ἀποκαταστήσει πρὸς τὸ ἀρχαῖον: Quanquam in fluuiis, aut in mari contabeſcã, aut à feris dilanier, condor tamen in penu prædiuitis Domini, quod licèt pauperes & impij neſciant, Deus tamen qui regnat, ſubſtantiam ſuam ſibi ſoli conſpicuam, quando voluerit, ad priſtinam integritatem reducet.*

3. AD EXPVNGENDVM.] Conſummandum, perficiendum, perfectè præſtandum. Vide 2. cap. Apologetici.

1067. 3. ET EXINDE IN IMMENSAM ÆTERNITATIS PERPETVITATEM.] Sic ſcribit Heraldus. Pamelius, *& exinde pendendum immenſam æternitatis perpetuitatem.* Vvouerenius, *& exinde dependendum in immenſam æternitatis perpetuitatem.* Quæ lectio defendi poteſt, vt dicat, & exinde pendendum eſt in, &c. Itaque dum ne excidat *in*, quæ in codicibus Pamelij abeſt, ſiue dicat *dependendum*, ſiue non, rectus erit ſenſus. In codice Pamelij eſt *deprehendendum*: illud *æternitatis perpetuitatem*, dicit Ruffin. lib. 3. de Vitis Pat. cap. 9. *Dimicanti parat æternitatis coronam.*

3. DEI QVIDEM CVLTORES APVD DEVM, &c.] Prudent lib. 2. contra Sym.

Idque ipſum quandoque homini facturus, inani
Surgat vt ex cinere, ſtructúráque priſtina conſtet,
Quæ mihi pro meritis, vel per tormenta rependat
Crimina, vel ſumma virtutis in arce coruſcet,
Non peritura dehinc quacunque in ſorte manebit.

1068. 3. SED DVM EROGAT, REPARAT.] Prudent. Hamart.

---carpunt tormenta, fouémque
Materiam ſine fine datam, mors deſerit ipſa
Aeternos gemitus, & flentes viuere cogit.

Et Caſſiodorus in Pſal. *Abſumet vt ſeruet, ſeruabit, vt cruciet, dabitúrque miſeris vita immortalis, & pœna ſeruatrix.* Minutius: *Illic ſapiens ignis membra vrit, & reficit, carpit, & nutrit: ſicut ignes fulminum corpora tãgunt, nec abſumunt: ſicut ignes Aetnæ & Veſuuij, & ardentium vbique terrarum flagrant nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur.* Lactant. lib. 7. cap. 21. *Quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac cibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit.* Eſt autem *erogo* apud Tertullianum, propriè, *conſumo*, ab *rogus*, *rogi*. In libro enim de Præſcriptionibus cap. 1. ita ait: *Febrem deniq; inter cæteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia eſt miramur, eſt enim; neque quia erogat hominem, ad hoc enim eſt*: id eſt, conſumit.

3. DECINERESCAT.] Adducit obiter legem veterem, quæ erat, adhuc cùm corpora cremarentur, non potuiſſe illum hominem igni cremari, qui ſemel tactus eſſet fulmine, & fulgoribus. Plinius lib. 2. cap. 54. *Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt, condi terra religio tradit.* Ergo qui tangitur de cœlo, ſaluus eſt à crematione; nullo iam igne poteſt cinereſcere, neceſſariò condi debet. Inde Artemidorus lib. 2. cap. 8. *οὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μεταπέμπονται, ἀλλ' ὅπου ἂν κατὰ τὴν πυρὸς καταλαμβάσῃ, ἐκεῖ θάπτονται: Fulguriti non trãsferuntur in alium locum, ſed vbicunque fulmine occupati, ibi & ſepeliũtur.* Quò pertinet ſcholica illa lex Quintiliani Declamat. 264. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem ſepeliatur.* Feſtum huc traho, *ſi hominem fulminibus occiſit, ne ſupra genua tollito.* Id eſt, ſi quis Iouis fulmine exanimatus ſit, ne ad ſepulturam tollatur: vult enim, ex lege Numæ, hunc neque ſepeliendum, vt explicat Turnebus. Iterum: *Homo, ſi fulmine occiſus eſt, ei iuſta nulla fieri oportet.* Bulengerus & Kirchmannus de funeribus Romanorum legit lib. 1. cap. 3. *cinereſcat*, neque abeſt à vero cùm in hoc ipſo Apologetico ſupra habeatur *cinereſcunt*. Exinde autem locus ille ſacris procurabatur, erigebantur aræ, & in perpetuum religioſus erat; inde *bidental*, & alia de quibus alibi longo excurſu. Quare autem ita atrociter in eos, qui igne cœleſti abſumerentur? Credo id natum à periurio; iſti enim periuratores digni habiti ſunt hoc ſupplicio. Ariſtophan. de fulmine: *τοῦτον γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τοὺς ἐπίορκους: Hoc enim planè Iuppiter in periuros mittit.* Et Lucianus in Timone: *θαῦμα γοῦν τῶν ἐπορκεῖν τὶς ἐπιχειρούντων ἕωλον θρυλλεῖσθαι φοβεῖται αὖ, ἢ τὸν τοῦ πυρὸς κεραυνοῦ φλόγα: Itaque eorum qui peierare aggrediuntur, citiùs quiſpiam extinctum ellychnion formidauerit, quàm fulminis iſtius omnium domitoris flammam.*

1070. 3. HOC ERIT TESTIMONIVM IGNIS ÆTERNI, &c.] Minut. *Illic ſapiens ignis mẽbra vrit*, &c. Adduxi alibi. Nazianzenus orat. in Sanct. Lauac. *Noui præterea ignem non purgatiuum, ſed afflictiuum, ſiue ſodomiticum, qui ſuper omnes pluit peccatores, ſulphure ac tempeſtate permiſſus, ſiue qui paratus eſt diabolo & Angelis eius, ſiue qui ante faciem Domini incedet.* Greg. Magnus in Moralib. *Damnatus quiſque cùm æterno igne ſuccenditur, ab inferno lumine tenebratur.* Et poſt pauca: *Victrix illa flamma vitiorum concremationem habet.* Pacianus de Pœnit. & Confeſſ. *Si de cruciatu exomologeſis retractatis, gehennam recordemini, quam vobis exomologeſis extinguet. Vim eius & de præſentibus æſtimate, cuius fumariola quædam maximos mõtes ſubterraneos ignes decoquunt; æſtuat indefeſſis flammarum globis Aetna, & Liſaniculus, et Veſuuius Campanus: & quo nobis iudicij perpetuitatem probent, diſſiliunt, deuorantur, nec vllis tamen ſeculis finiuntur.* Optimè ab Euſebio Gallicano Epiſcopo Homil. 3. de Epiphan. vocatur hic *arbiter ignis*. Et ab Theodoro Epiſcopo Tarſi, lib. 4. contra fatum dicitur *πῦρ ἀέναον, perpetuus ignis*, ſed quidem non de inferni ignibus: de quo igne loquatur, vide in nupero commentatore Silij Claud. Daüſqueio lib. 7. vt optima viri docti fruaris narratione.

CAP. XLIX. ARGVMENTVM.

Quòd in Christianis præsumptiones vocantur, quæ in philosophis & poetis summæ scientiæ.

TERTVLLIANVS.

1071. 1. HÆ sunt quæ in nobis solis præsumptiones vocantur, in philosophis & poëtis summæ scientiæ & insignia ingenia. Illi prudentes, nos inepti : illi honorandi, nos irridendi ; immo eo ampliùs & puniendi. Falsa nunc sint quæ tuemur, & meritò præsumptiones, attamen necessaria : inepta, attamen vtilia. Siquidem meliores fieri coguntur, qui eis credunt, metu æterni supplicij, & spe æterni refrigerij. Ita non expedit falsa dici, nec inepta haberi, & expedit vera præsumi : nullo titulo damnari licet, quæ prosunt omnino. In vobis itaque præsumptio est hæc ipsa, quæ damnat vtilia, proinde nec inepta esse possunt. Certè & si falsa & inepta, nulli tamen noxia : nam & multis aliis similia, quibus nullas pœnas irrogatis, vanis & fabulosis, inaccusatis & impunitis, vt innoxiis.

EXPLICATIO.

1. PRoinde nec, &c. Nam si vtilia *proinde nec inepta esse possunt. Nam & multis aliis similia*, &c. Etenim veritas Christiana similitudinem habet cum plerisque è vestris, quas vos non dãnatis. verbi gratia. Gentiles habent locum Elysiorum, Christiani paradisum voluptatis : Gentiles Pyriphlegethontem, Christiani pœnas credebant inferni, &c. *Vanis & fabulosis*, &c. Res autem vanas & fabulosas non accusatis, neque punitis, vt non noxias.

1072. 2. Sed in huiusmodi, error si vtique, irrisione iudicandum est, non gladiis & ignibus, crucibus & bestiis. De qua iniquitate sæuitiæ non modò cæcum hoc vulgus exsultat, & insultat, sed & quidam vestrûm, quibus fauor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur. quasi non totum, quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium. Certè, si velim, Christianus sum : nunc ergo me damnabis, si damnari velim. cùm verò quod in me potes, nisi velim, non potes, iam meæ voluntatis est, quod potes, non tuæ potestatis. Proinde & vulgus vanè de nostra vexatione gaudet, proinde & nostrum est gaudium, quod sibi vindicant, qui malumus damnari quàm à Deo excidere. Contrà illi, qui nos oderunt, dolere non gaudere debebunt, consecutis nobis quod elegimus.

2. Demus in hac re esse errorem, *irrisione* quidem non cædibus vindicandum est. *De qua*, &c. De *iniquitate* huius sæuitiæ, tum cæcitas vulgi de nobis triumphat, tum etiam *quidam vestrûm* sibi plaudunt, qui iniquitatem vulgi captant, *de* hac *iniquitate*. *Quasi non*, &c. Quasi non sit positum in nostro arbitrio, posse vos aliquid aduersum nos. Nam si ego volo Christianus esse, patiar : ac perinde meæ voluntatis est, non tuæ potestatis, me pati. *Proinde &*, &c. Quamobrem *vanè* & inaniter persultat vulgus, quod ego patiar : & meum *gaudium* est, non eius, qui malo *damnari, quàm à Deo excidere*. Et illi qui plaudũt de nobis, potiùs *dolere quàm gaudere* debent, quòd videant nos consecutos quod volumus, nimirum nolle *excidere à Deo*, & ideo velle pati.

NOTÆ.

1073. PRÆSVMPTIONES.] De pietate Christiana dicebant Gentiles eam esse meram *præsumptionem*; quod notat Heraldus. Sic antiqua Martyrologia in Agone Pontani & sociorum : *Ibi condiscipuli eius suadebant, vt præsumptione depositâ sacrificaret interdum.* Et in primis ita dicebatur resurrectio. Tertullianus de testimonio animæ, cap. 4. *Ea opinio Christiana, etsi honestior multo Pythagorica, quæ te non in bestias transfert, etsi planior Platonica*, &c. *tamen propter suum nomen soli vanitati & stupori, &, vt dicitur, præsumptioni deputatur.* Iterum : *Sed forsitan de sensu post excessum tui certior est, quàm de resurrectione quandoque, cuius nos præsumptores deputamur.*

1. ILLI PRVDENTES, NOS INEPTI, &c.] Arnobius lib. 1. *Nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi pronunciamur, & bruti.* Et lib. 2. *Ita non iniustissimum ducitis inequitare, illudere, tanquam stulta nobis & bruta dicentibus. Quid est quòd à vobis tanquam bruti & stolidi iudicemur?* Et lib. 3. *Despuitis nos vt rudes.* Lactant. lib. 4. cap. 13. *Vulgo pro stultis et ineptis habemur.* Minut. *Satis est pro pedibus aspicere maximè indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus, quibus non est datum intelligere ciuilia, multò magis denegatum est differere diuina.*

1074. 1. REFRIGERII.] Ita vocat gaudium æternum. Ruffinus vocat *repausationem perpetuam*. lib. 3. in vitis Pat. hoc verborum ambitu: *Oportet nos in paruo tempore vitæ illius sustinere laborem, & macerare passiones corporis nostri, vt inueniamus in illo futuro ac æterno sæculo, quod nunquam deficit, perpetuam repausationem.* Etenim *repauso* refrigerium est illud, quod daba-

tur fratribus ad bucellam, inde traducta vox est ad A æternam. Sic est omnino *refrigerium*, idem vocat *requiem*, eodem lib. cap. 34. vt *merear peruenire ad æternam requiem, quam promisit Dominus noster Iesus Christus diligentibus se.*

1. CERTE, ET SI FALSA ET INEPTA, NVLLI TAMEN NOXIA.] Sic & Athenag. inquit Heraldus, in eodem argumento: εἰ δὲ τῷ λήρος πολὺς δοκεῖ τὸ σαπὲν καὶ διαλυθὲν, καὶ ἀφανισθὲν σῶμα συστῆναι πάλιν, κακίας μὲ ἕνεκα αὖ εἰκότως δόξαν ἀποφερέσθω διὰ τὸν οὐ πιστεύοντας, ἀλλ' εὐηθείας: *Si cui autem nugæ videntur, corpus corruptum & dissolutum rursus coalescere, non est cur inde malitiæ aut sceleris accusemur, sed simplicitatis tantùm & stoliditatis.*

2. SED IN EIVSMODI, ERROR SI VTIQVE, IRRISIONE IVDICANDVM EST.] 1075.
Hanc lectionem & interpunctionem elegi in deprauato loco. Pamelius legit *irrisioni* in datiuo, Iunius *irrisu*. Puteanus, *sed in eiusmodi enim si vtique irrisui iudicandum est*. Heraldus, *sed in eiusmodi error sit. Vtique irrisu iudicandum est*. Sed & *iudicandum* mutat Iunius in *vindicandum*.

2. CÆCVM HOC VVLGVS.] Quo nihil cæcius, nihil stultius, nihil inconstantius. Simocatta lib. 3. cap. 5. εὐμετάγωγον γὰρ τὸ πλῆθος, καὶ δυπάρεσον πέφυκε, καὶ φίλον ἑαυτῷ τὸ τῆς μεταβολῆς ἀεικίνητον: *Est enim multitudo inconstans, cui difficilè placeas, perpetuaque mutationis cupida.*

CAP. L. ARGVMENTVM.

De victoria Christianorum in suppliciis.

TERTVLLIANVS.

1076. 1. ERGO, inquitis, cur querimini quòd vos insequamur, si pati vultis; cùm diligere debeatis per quos patimini quod vultis? Planè volumus pati, verùm eo more, quo & bellum miles. Nemo quippe libens patitur, cùm & trepidare & periclitari sit necesse: tamen & præliatur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur, quia & gloriam consequitur & prædam. Prælium est nobis quòd prouocamur ad tribunalia, vt illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaueris, obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum. Sed obducimur certè cùm obtinuimus: ergo vicimus cùm occidimur: denique euadimus, cùm obducimur. Licet nunc sarmentitios & semaxios appelletis, quia ad stipem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Meritò itaque victis non placemus. propterea enim desperati & perditi existimamur. Sed hæc desperatio & perditio penes vos in caussa gloriæ & famæ, vexillum virtutis extollunt.

EXPLICATIO.

1077. 1. PRima lectore tantùm egent. *Sed obducimur certè*, &c. Præcessit, *Victoria est autem, pro quo certaueris, obtinere*. Ad hæc aspectans, ait nunc: *sed obducimur* (id est conuincimur) *cùm obtinuimus*, cùm constantes in prælio fuimus. Sequitur, *ergo vicimus cùm occidimur*. En quo pretio constet nobis victoria. q.d. Si *victoria* est *obtinere*, nos *obducimur*, *ergo vicimus*: sed vtrumque magno stat, videlicet *obductione* (id est conuictione) & *occisione*, & primum quidem est via ad alterum. Sequitur deinde: *Denique euadimus, cùm obducimur*: præcessit consequenter, *ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam viuendi in æternum*. huc iam aspectans, ait: *Denique cùm obducimur* (conuincimur) en gloria illa quæ Deo placet: tunc *euadimus* scilicet hoc sæculum, en præda quam consequimur æternæ vitæ. Itaque tria apponit, prælium, victoriam, triumphum: prælium est cùm *obtinuimus*, victoria cùm *occidimur*, triumphus cùm *euadimus*. Non potui clariùs. *Licèt nunc*, &c. Significat, adeò crebrum (ait Lipsius) in maiores illos nostros, & in religione proceres supplicium hoc fuisse, vt in illudium conuitiúmque venerit, & Christiani vulgò *Semaxij*, à stipite cui astringebantur, & *sarmentitij* à sarmentis, quibus vrebantur, sint dicti. Porro figuram & schema illigati ad dimidiũ axem hominis & sarmentis exusti, vide apud Lipsium lib. 3. de Cruce, cap. 10. ea enim est figura. De *habitu victoriæ*, & *Veste palmata*, vide Notas.

1078. 2. Mutius dextram suam libens in ara reliquit, ô sublimitas animi! Empedocles totum se Catanensium Ætnæis incendijs donauit, ô vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit, ô præconium castitatis! Regulus ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur, ô virum fortem, & in captiuitate victorẽ! Anaxarchus cùm in exitiũ, ptisanæ pilo cõtunderetur, tunde, tunde aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis; ô philosophi magnanimitatem qui tali de suo exitu etiam iocabatur! Omitto eos qui cum gladio proprio alióve genere mortis mitiore de laude pepegerunt. Ecce enim & tormentorum certamina coronanturà vobis. Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam

comeſtam in faciem tyranni ſæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri poſſet, ſi etiam victa voluiſſet. Zeno Eleates conſultus à Dionyſio, quidnam philoſophia præſtaret, cùm reſpondiſſet, Contemptum mortis, impaſſibilis flagellis tyranni obiectus ſententiam ſuam ad mortem vſque ſignabat. Certè Laconum flagella ſub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum ſanguinis fuderint. O gloriam licitam, quia humanam, cui nec præſumptio perdita, nec perſuaſio diſperata reputatur, in contemptu mortis, & atrocitatis omnimodæ, cui tantum pro patria, pro imperio, pro amicitia pati permiſſum eſt, quantum pro Deo non licet; & tamen illis omnibus & ſtatuas defunditis, & imagines inſcribitis, & titulos inciditis, in æternitatem, quantum de monumentis poteſtis: ſcilicet præſtatis & ipſi quodammodo mortis reſurrectionem. Hanc qui veram à Deo ſperat, ſi pro Deo patitur, inſanus eſt.

1079. 2. Adducit multos Gentilium qui egregia ediderunt, non tamen vacat ironia. Appingam ſi quid obſcurum. *Aliqua Carthaginis conditrix*, &c. Dido: &, *aliqua*, id eſt, præclara & egregia, *rogo ſe ſecundum matrimonium dedit*. id eſt, rogo ſe dedit ſecundam vxorem. Itaque noluit Hiarbæ nubere, contenta primo Sichei matrimonio. *Regulus*, &c. Noluit Regulus hoſtibus Carthaginienſibus dare gloriam captiuorum, ſed perſuaſit Senatui vt ſe eò mitterent, qui miſſus Carthaginem, in arcam coniectus eſt, vbi cruciatus interiit; *cruces* autem, quas celebrat Tertullianus, ſunt, confixi claui, per ambitum exteriorem arcæ, ita vt penetrarent intro, & hominem configerent, quo toto dolens corpore periit. Ita explicat idem Tertullianus, cap. 4. ad Martyras. *Ptiſanæ pilo*, inſtrumentum illud, quo ptiſana molitur (eſt autem *ptiſana* hordeum contuſum) vocat *pilum*. *Cui tantum*, &c. id eſt, gloriæ humanæ.

1080. 3. Sed hoc agite boni præſides, meliores multò apud populum, ſi illis Chriſtianos immolaueritis: cruciate, torquete, damnate, atterite nos. probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. Nam & proximè ad lenonem damnando Chriſtianam potiùs quàm ad leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis, ſectæ plures efficimur, quoties metimur à vobis; ſemen eſt, ſanguis Chriſtianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, vt Cicero in Tuſculanis, vt Seneca in Fortuitis, vt Diogenes, vt Pyrrhon, vt Callinius. Nec tamen tantos inueniunt verba diſcipulos, quantos Chriſtiani factis docendo. Illa ipſa obſtinatio, quam exprobratis, magiſtra eſt. Quis enim non contemplatione eius concutitur, ad requirendum, quid intus in re ſit? Quis non vbi requiſiuit, accedit? vbi acceſſit, pati exoptat? vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compenſationis ſanguinis ſui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde eſt quòd ibidem ſententiis veſtris gratias agimus, vt eſt æmulatio diuinæ rei & humanæ: cùm damnamur à vobis, à Deo abſoluimur.

1081. 3. *Illa ipſa obſtinatio*, &c. *Magiſtra eſt obſtinatio* docendo alios, imò vniuerſos, qui ſint Chriſtiani. Nam ſtatim quiſque *concutitur* viſa obſtinatione noſtra, vt quærat quid illud ſit, quod *intus* nos moueat ad moriendum: poſtquam autem diſcit, ſtatim vult eſſe vt noſtri, vult enim cœlum emere: & cùm ſciat vniuerſa *delicta donari huic operi*, appetit ſtatim expedire veniam omnem, & conuocare ad remiſſionem omnium peccatorum, etiamſi ſanguinem fundat. *Inde eſt*, &c. Concluſio totius operis, qua reddit rationem cur Chriſtiani cùm damnantur, gratias agant iudicibus. Ratio. quia *cùm damnamur à vobis, à Deo abſoluimur*. quaſi dicat: Diuina quippe humanis æmulantur, vt diuina res poteſt æmulari humanam. Homines toti ſunt in Chriſtianis damnandis, Deus in abſoluendis. Et, ſi hoc eſt aliquid, notetur abſolui librum verbo *abſoluimur*.

NOTÆ.

1082. 1. VT ILLIC SVB DISCRIMINE CAPITIS PRO VERITATE CERTEMVS.] Conſtantinus Manaſſes in Annalib. de temporibus Diocletiani.

Καὶ συμβαλόντων εἰς πυκτὸ δύο κακῶν μεγάλων,
Ποῖον δεινὸν οὐχὶ παρῆν, ποῖον δ' οὐκ ἐτολμᾶτο;
Σφαγαὶ, καὶ πόνοι πολύπαχυς, καὶ λιμναστικοὶ αἱμάτων.
Καὶ τὸ ζοφῶδες τῆς εἱρκτῆς εἶχε πολλοὺς ἐμφερύσεως,
Καὶ μᾶλλον τὴν ἀπὸ χειρὸς πλὴν κλῆσιν ἐχόντας.
Cùm duo magna mala ſimul concurrerent,
Quid calamitatis non aderat, quid non deſignabatur?
Vbique cædes, & labores, & ſanguinis effuſiones.
Obſcuris in carceribus multi cuſtodiebantur,
Præſertim à Chriſto denominati.

1. OBDVCIMVR.] Caput operiebant in re tur-

pi deprehensi, summo pudore affecti. Horat. 2. Sat. 3.

Nam malè re gesta, cùm vellem mittere operto
Me capite in flumen.

Liuius 1. *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Plaut. Mostellar.

Capite obuoluto ne fugiat cum summo metu.

Hinc ergo est *obduci* pro cõuinci. Nam Ammian. lib. 14. *Caussarum legitima silente defensione, carnifex rapinarum sequester, & obductio capitum, & bonorum vbique mutatio versabatur per orientales prouincias.*

1083. 1. VICIMVS.] Iunius mutat in *vincimus.* Errat. potius, *vicimus*, quia *obtinuimus*: Nam sensus est: Cùm obducimur, iam tum obtinuimus: cùm occidimur, iam tum vicimus. Illud, *vicimus cùm occidimur*, est quod Hieronym. de regulis monachorum: *Trophea nostræ vitæ non pompis sed miseriis reportantur.* quod Ambros. de Fidei Resurrect. vbi de Martyr. *Vicerunt mortui, victi persecutores sunt.* Ioannes Chrysost. B Homil. 16. ad Popul. τοῦτο γάρ ἐστιν ὃ μάλιστα τὴν δύναμιν ἐνδείκνυται τοῦ Χριστοῦ, ὅτι διὰ τοιούτων ἐνεφάνισαν οἱ ἀπόστολοι, διὰ δεσμῶν, καὶ θλίψεων, καὶ μαστίγων, καὶ τῶν ἐσχάτων κακῶν: *Nam hoc est quod maximè Christi virtutem demonstrat, quoniam per talia vicerunt Apostoli, per vincula, tribulationes, flagella, & extrema mala.* Attingit Tertullianus formam veterem. Prudent. in Agone Romani.

At si cruentè puniamur, vincimus.

Plautus Cassina,

Nostro omine, it dies, iam victi vicimus,

Seneca in Agamemnone,

Vicimus victi Phryges.

Ouidius 6. Metam.

Vt primùm imposita est pictæ Philomela carinæ,
Admotúmque fretum remis, tellúsque repulsa est,
Vicimus exclamat, mecum mea vota feruntur.

Idem lib. 10. C

Vtque domum rediit, gaude, mea, dixit, alumna,
Vicimus.

Minut.

Vicimus, & ita improbus vsurpo victoriam.

1084. 1. SEMAXIOS.] Dixi iam de hoc in explicatione, lectionem Criniti omitto, vide etiam quæ ego 6. Æneid. latè de hoc malo, ad illud,

Radiisque rotarum
Districti pendent.

Tertullianus de Pudicitia: *Puta nunc sub gladio iam capite librato, puta in patibulo iam corpore expanso: puta in stipite iam leone concesso: puta in axe incendio astricto.* Ne excidat Schoppij lectio, *semiaxios* & *semissios.* Putauerim hæc suis oculis spectasse Tertullianum, cùm scribatur in Martyrologio 6. die Ianuarij: *In Africa commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui in persecutione Seueri ad palum ligati, igne consumpti sunt.* Vixit autem sub Seuero Tertullianus.

1. REVINCTI.] Manus à tergo constringebantur. Prudent. in Agone Fruct.

Nexus denique qui manus retrorsus
In tergo reuocauerant reuinctas,
Intacta cute decidunt adusti.

Et Hymno 9.

Vincitur post terga manus spoliatus amictu.

Et in Agone Romani:

Et iam retortis brachiis furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo.

Et lib. 2. in Symmach.

--- manibúsque in terga retortis.

Et vt aliquid ex Græcis libem, Heliod. lib. 9. Æth. Hist. νῶν δὲ κἂν νώτων πρὸς δεσμὸν πειάζοντες. Dicit videlicet ab vlteriore flumine desperata salute cùm transitus non esset, contrarios vt Æthiopas humilitate A vincerent, manus in speciem victorum post tergum retulisse.

1 SARMENTORVM.] Hi adhibiti, quoniam 1085. crepitantiùs vruntur. Aldhelmus, de Virginitate cap. 17. loquens de Martyrio sanctorum Cosmæ & Damiani: *Eosdem in clibanum plurimum sarmentorum fomite succensum, & diuersis cespitum titionibus crepitantem truciter trudi præcipit.* Et cap. 19. *Sancti Martyres in Circi spectacula ter denis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinsecus atra picis massa, & bituminis fomite, sulphurisque fœtore replentur ac farciuntur; & extrinsecus suppositis crepitantis rogi titionibus, & sarmentorum fasciculis conflagrantibus succenduntur.* Et acta Martyrum pridie Nonas Decembris, vbi Sancti Martyres *ducti sunt ante statuam Solis iuxta Amphitheatrum, fixisque stipitibus, & ligatis manibus deuincti sunt, & in sarmentorum spinarúmque congerie ignis suppositus.* Et Prudent. in Agone Romani:

At parte campi ex altera, immanem pyram
Texebat vltor fumidus pinu arida,
Sarmenta mistim subdita, & fœni struem
Spargens, liquato rore feruentis picis,
Quo flamma pastu cresceret ferociùs.

Nicetas Choniates lib. 1. de Andron. cap. 8. ita ait: ἀναπομφύω πυεὶ καπνιζόμενον, τίνα τύμα μυθούμενοι, καὶ ταῖς πλευραῖς κεντούμενοι βέλεσι, καὶ μυείας ἄλλας κολάσεις ὑφισάμενοι. Ait videlicet *fumo* ab *igne torreri, concremari, verubus latera pungi,* & *sexcentis pœnis agitari.* Ideo autem (notat Heral.) hæc carnificina in sanctos Martyres, qui malefici existimabantur. Probat ex Heliodoro lib. 8. Æthiop. Hist. ἥρπαζον οὖν αὐτίκα πρὸς τῶν δημίων, καὶ μικρὸν τῆ πίλχοις ἐκτὸς ἦγετο, κήρυκος, ὅτι ἐπὶ φαρμάκοις ἐς πυρὰν ἄγοιτο, σωτηρίως ἐκβοῶντος: *A carnificibus igitur correpta, paullulum extra muros ducebatur, præcone eam propter veneficia in ignem duci proclamante.* Et ego ex Apuleio lib. 3. *Nec mora* C *cùm ritu Gracienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.* Et Prochorus in vita sancti Ioannis, cap. 17. vbi cùm sanctus Ioannes & Prochorus haberentur pro magis, illos viuos cremari volunt Epidaurij; inquit enim Marnon eorum hostis: *Venite ergo mecum omnes qui Epidauri habitatis, & immittamus ignem in nauim, & pereant magi illi.* Et Prudent. hymno 6.

Sanis destinat ignibus cremandos.

Et hymno 11. in Agone Hippolyti,

Hos rape præcipites, & vinctos conijce in ignem,
Sit pyra, quæ multos deuoret vna reos.

1. HIC EST HABITVS VICTORIÆ NO- 1086.
STRÆ.] Clemens etiam Papa in epist. ad Iacobum, martyrum cruciatus vocat *victoriam.* Ab hac tota sententia non abeunt verba sanctæ Virginis Secundæ, D apud Aldhelmum lib. de Virginitate cap. 26. *Applica ignes, saxa, gladios, flagella, fustes, et virgas; quot tu pœnas intuleris, tot ego glorias numerabo; quot tu violentias irrogaris, tot ego martyrij computo palmas.* Sanctus Maximus Episcopus Taurinens. Homil. 1. de Ioanne Baptista: *Multimoda namque veterum relatione didicimus, nonnullos Martyres prostratos gladio, igni alios concrematos, complures bestiarum dilaceratos dentibus, innumeros etiam variis tormentorum cruciatibus affectos, spreta sui corporis morte, Christianæ fidei testimonium reddidisse.* Hic placet Antonij Magni inserere paginam, quæ de hoc triumpho Christi agit apud Athanas. in eius vita: *Nos famuli Christi quò plus premimur, eo magis assurgimus & floremus. Vestra simulacra ornatis quondam septa parietibus, iam vetustate collapsa sunt. Christi verò doctrina, quæ vobis stultitia videtur & ludus, licèt tyrannica persequentium principum tentamenta pertulerit, licèt variis sit incursata terroribus, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararum fine prohibetur,* &c. His

accedat Cyrillus Alex.num.5. in Oſeam: θριαμβεύσας ἢ τῷ ἰδίῳ σταυρῷ τῶν ἀντικειμένων τὰ σήμεια καταφρόνητος πονηρίας: *Triumphauit in cruce ſua aduerſariorum cateruas, & malignas poteſtates euertit.*

1087. 1. HÆC PALMATA VESTIS.] *Palmata veſtis* propriè erat inſigne triumphantium Romanorum. Caſſiodorus lib. 6. epiſt. 1. *Priſcorum iudicio qualis ſit conſulatus, hinc omnino datur intelligi, quando inter mundi dignitates eximias ſolus meruit habere palmatas veſtes, quas felicitas dabat, præmia vincentium.* Capitolinus in Gordianis: *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum priuatus ſuam propriam habuit, cùm antè Imperatores etiam de Capitolio reciperent, vel de palatio.* Trebellius Pollio in Gallienis: *Omnes viæ ludis ſtrepitúque & plauſibus perſonabant, ipſe medius cum picta toga, & tunica palmata inter patres (vt diximus) omnibus ſacerdotibus* B *prætextatis Capitolium petijt.* Et Vopiſcus in Probo: *Ferunt quidem Probo id pro imperij omine fuiſſe, quod Tacitus ſcripſit, te manet Capitolina palmata.* Sidonius Panegyr.ad

--- meritiſque laborum
Poſt palmam Palmata venit.

Venantius Fortunatus eò alluſit lib.Carm.2.

Alter Palmatæ, Trabeæ nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byſſum.

Paulinus ad Macarium: *Beatioresne tibi videntur, qui purpura fulgent? qui gemma bibunt, roſáque fulciuntur, palmatáque pinguntur, & hominibus commortalibus, ac pleriſque melioribus dominantes, cupiditatum ac rerum ſuarum ſerui ſunt?* Propriè triumphantium veſtis fuit; Ioſepho enim Scaligero credendum. Attamen cùm Tertullianus exquiſitæ fuerit eruditionis, & inſigniter doctus, cenſet Carolus Paſchalius lib.8.de Coronis cap. 21. illum intelligendum de ad- C mirabilibus palmis, quæ naſcuntur in rupe Vulcani, quæ perpetuò ardet. Locus eſt apud Q. Calabrum lib.2.hiſt.verb.

--- ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ
Φοίνικες θαλέουσι, φέρουσι δ' ἀπίρονα καρπὸν
Ῥίζης καιομένης αἰμα λάεσσιν· ἀλλὰ τὸ μὲν που
Ἀθάνατοι ζεύξαντο καὶ ἐσσομένοισιν ἰδέσθαι:
--- & circa ipſam
Palmæ florent, vberémque fructum ferunt,
Radice licèt ardente cum ſaxis; ſed hoc ita
Dij fecerunt, etiam poſteris ſpectandum.

1088. 1. TRIVMPHAMVS.] Ita viri præſtantes de martyrio Chriſtianorum loquuntur. Ambroſ. lib. 2. de Virgin. ſanctæ Agnetis mortem *triumphum* vocat, *victoriam*, *trophæum*. Et in Exhortat. ad Virgines. *Triumphi ſunt martyrum palmæ.* Et ibidem loquens de Vitali & Agricola, vocat *ſanguinem triumphalem.* Et iterum de ſancta Sotere, *triumphalis martyrij cicatrices.* Fulgentius loquens de Stephano, *triumphator laureatus.* Et Beatus Maximus Homil. 1. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, de Paulo loquens: *Velut victorem mundi Roma ſuſpiceret ad triumphum.* Et Homilia 2. *Magiſtros martyrum triumphaſſe.* Et Homil. 2. ſancti Laurentij, *Triumphalis Martyris.* Et Euſebius Gallicanus Epiſ. Homil. de Stephano Protomartyre, adhibet *pompam & triumphalem occurſum.* Et millena.

1089. 1. PROPTEREA ENIM DESPERATI ET PERDITI EXISTIMAMVR.] *Deſperati* dicebantur Chriſtiani, cùm audebant pro Chriſto mori, inde traducto ſermone quòd *deſperati fortiùs pugnant.* Ioſephus lib. 13. Antiquit. cap. 9. πολυπρῶς ἢ καὶ μὴ ἀπογνώσεως εἰς τὸν πολέμιους ὡσάμενοι, τῷ τε θάρσει κατέπληξαν αὐτοὺς, καὶ ταῖς χερσὶν ἀπέρρεψαν εἰς φυγήν: *Audacia ſumpta à deſperatione, tanto impetu aduerſam hoſtium frontem impulerunt, vt territi ceu furentibus cederent.* Hinc ergo *deſperati* Chriſtiani. Lactant. lib.5.cap.9. *Qui autem cultores ſe Dei non abnegauerint, in eos totis carnificinæ ſuæ viribus, veluti ſanguinem ſitiant, incumbunt, & deſperatos vocant, quia corpori ſuo minimè parcunt.*

1. VEXILLVM VIRTVTIS EXTOLLVNT.] Tracta locutio à militia. Ammianus lib.27. *Signis illico fixis ex more, cùm vndique ad arma conclamaretur, imperio principis & ductorum ſtetit regibilis miles, vexillum operiens extollendum, quod erat opportunæ ſubeundæ indicium pugnæ.* Si è contrario, dicebant, *vexillum ſubmittere.* Latinus Pacat. in Panegyr. *At quanto melius ſibi manus illa conſuluit, quæ ſubmiſſis precabunda vexillis, petiit veniam neceſſitatis.* Ita opponit Ruffinus 3. de Vitis Pat. cap. 102. *Quoties te in deſperationem humiliare volumus, exaltaris.*

2. MVTIVS.] Tert.cap.vlt.de Anima: *Mentior* 1090. *ſi non de ipſis cruciatibus corporis & gloriari & gaudere ſola conſuenit; reſpice ad Mutij animam, cùm dextram ſuam ignibus ſoluit.* Notior eſt hiſtoria, quàm vt hîc debeat narrari.

2. EMPEDOCLES.] Huius factum multi narrant, tum Nazianzenus orat.3.iſtis: ὃν ὁ μὲν (Ἐμπεδοκλῆς) τοῖς Σικελικοῖς κρατῆρσιν ἑαυτὸν θεώσας ὡς ᾤετο, καὶ εἰς τὸ κρεῖττον λῆξιν ἀφ' ἡμῶν ἀναπέμψας, τῷ φιλτάτῳ σανδάλῳ κατεμηνύθη, παρὰ τὸ πυρὸς ἐκβεβαδέγει. καὶ οὐ θεὸς ἐδείχθη μὴ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνθρωπος κενόδοξος καὶ ἀφιλόσοφος μὴ θάνατον, καὶ οὐδὲ τὰ κοινὰ σωφρονῶν: *Ex quibus ille* (Empedocles) *cùm per Sicula foramina diuinitatem, vt ſibi opinione fingebat, comparaſſet, chariſſimo calceo, ignis æſtu iecto, proditus eſt: atque ita non Deus poſt hominem oſtenſus eſt, verùm inanis gloriæ ſtudioſus, philoſophiæque poſt mortem expers, ac ne communi quidem ſenſu præditus.* Quippe Fazellus cap.4. lib.2.Decad.1.inquit, *Infra ſummum Aetnæ verticem, veſtigium vetuſtiſſimi fornicis lateritium extare; quod à Catanenſibus Aetnicoliſque Turris philoſophi nominetur. Prædicare quippe eos, ducta à maioribus fama, hanc ſibi Empedoclem olim, ad explorandas Aetnæi ignis cauſſas ex teſtudineo opere conſtituiſſe ædiculam.* Id tamen obiter. Certè templum Vulcani in eodem vertice exſtare Ælianus tradit lib.11. de Animalib.c.3.

2. ALIQVA CARTHAGINIS CONDI- 1091. TRIX, &c.] Pet. Faber 3.Semeſt. cap. 13. Sic hunc locum legit: *Eliſa Carthaginis conditrix rogo ſe ante ſecundum matrimonium dedit.* Porro emendat *Eliſa*, quia non poteſt decoquere *aliqua*, quia nulla eſt ratio cur ſubticeret nomen Didonis, cùm aliàs nominet. In primis lib. de Monogam. *Exurget regina Carthaginis, & decernet in Chriſtianos.* Et Hieronym.epiſt. 2.ad Ageruchiam: *Stringam breuiter Reginam Carthaginis, qua magis ardere voluit, quàm Hiarbæ Regi* D *nubere.* Exiſtimat autem errorem ortum, quòd aliquis loco *Eliſa*, poſuit *Aliſa*, inde *Aliqua.* In ſecundo autem loco pro eo, quod eſt, *rogo ſe ſecundum matrimonium dedit*, interſerit particulam *ante*, vel *verita*, vel *auerſata.* Negare non poſſum iſtam cenſuram Fabri eſſe bonam. Ille autem qui legit, *rogo ſecundum matrimonium dedit*, ferri poteſt. Gaſpar Schoppius meliùs multo, qui legit, *rogo ſecundum matrimonium euadit.* In primo autem, cùm ſcripſimus *aliqua*, vt omnes libri habent, vide cap.12. ad illud, *Senecam aliquem*, ſi placeat eam ſequi lectionem. Sed cur non ſequaris, cùm ea Tullij ſit? qui pro Cecin. *Aliquis de familia*, id eſt, magnus vir, & ad Attic. *Quo die has dabam, expectabam aliquem meorum* Et in Offic. *Confugere ad vnum aliquem virtute præſtantem.* Porrò ex his liquet Maronem falſum in hac re: nunquam enim Dido Æneam nouit. Ponam tantùm Auctores contrarios. Auguſtinus in Confeſſion. cap. 13. in lib. 5.

Anthologiæ, de se Dido loquitur. Macrob. lib. 5. Sat. cap. 18. Ausonius in Epigrammate, cuius versus sunt:

Namque nec Aeneas vidit me Troïus vnquam,
Nec Libyam aduenit classibus Iliacis.

1092. 2. REGVLVS NE VNVS, &c.] Imaginem Reguli vides apud Apuleium, cùm lib. 8. *Arreptum Regulum nudum, ac totum melle illitum firmiter alligauit arborificulneæ; cuius in ipso carioso stipite inhabitantium formicarum nidificia burriebant, & vltro citroque commeabant multiinga scaturigine. Quæ simul dulcem ac mellitum corporis nidorem persentiscunt, paruis quidem sed numerosis & continuis morsiunculis penitus inhærentes, per longi temporis cruciatum, ita carnibus atque ipsis visceribus adesis, homine consumpto, membra nudarunt, vt ossa tamen viduata pulpis, nitore nimio candentia, funestæ cohærerent arbori.* Appiano hæc machina dicitur (inquit Claud. Daüsqueius 6. lib. in Silium) γαλεάγρα κέντρα παίτοθεν ἔχουσα: *Decipula stimulos vndique habens.* Augustinus de Ciuit. 1. c. 15. *Inclusum namque angusto ligno, vbi stare cogeretur, clauisque acutissimis vndique confixo, vt se in nullam eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt.* Valerius Max. lib. 9. c. 2. *Carthaginienses Attilium Regulum, palpebris resectis, machinæ, in qua vndique præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilatia pariter, & continuo tractu doloris peremerunt.* Tuditanus apud Agellium tradit sursum consutas fuisse palpebras. Vide ibidem Claudium, vbi alia subdit, & præterea locum Silij elegantissimum.

2. ANAXARCHVS.] Celebre est illud Anaxarchi apud Laërtium, lib. 9. qui cùm tunderetur ab Nicocreonte σιδηρέαις ῥάβδοις, *ferreis malleis*, propterea quòd audisset Nicocreon, se dignum esse, vt apponeretur epulandus, dixisse ferunt philosophum plenum animo: πίοντε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δ' οὐ πίοντες: *tunde Anaxarchi folliculum, nam Anaxarchum non tundis*: scripsi πίοντε, non πύπτε, vt Erasmus legit; neque πύον, vt est apud Laërtium; sed πίοντε, vt est apud Nazianzenum epist. 58. cuius me monuit Leopardus lib. 18. Emendat. cap. 7. qui etiam illud Ouid. in Ibim, ita legit,

Aut vt Anaxarchus pila minuaris in alta,
Iactáque pro solidis frugibus ossa sonent.

Cùm vulgo malè legatur *solitis frugibus.*

1093. 2. FOLLEM.] Arnobius posuit *caruncula folliculum* pro corpore, sic enim lib. 2. *Nihil est enim nobis promissum ad hanc vitam, nec in caruncula huius folliculo constitutis, opis aliquid sponsum est, auxilijque decretum.* Nonius ex Lucilio: *Folliculo sum indutus.* Prudentius περὶ στεφ. *Vas solutum ac fictile.* Iterum: *Caducum vasculum.* Et adhuc: *Corporale ergastulum.* Arnobius verò *follem*, vt Tertullianus in Psalm. 149. *In extensione follis nostri corporei.*

2. TALI.] Aliàs, *talia*, & est ad sententiam clarius.

2. CORONANTVR A VOBIS.] Id est, explicatore Paschalio, lib. 1. de Coronis, cap. 6. Nihil suspicitis extra gloriam persecutionis. Saluian. lib. 7. loquens de Carthagine: *In vrbe Christiana, in vrbe Ecclesiastica, quam quondam doctrinis suis Apostoli instituerant, quam passionibus suis martyres coronarant.* Id est, quæ tot martyriis nobilitata fuerat. Et Ruffinus lib. 3. de Vitis Pat. *Vbi enim durior est pugna, ibi glorioſior & corona.* Et Prudent. Peristeph. hymno 4.

Plena te Martyr tamen vt peremptam
Pœna coronat.

1094. 2. ATTICA MERETRIX.] Ambros. de re eadem lib 1. de Virg. *Pythagorea quædam vna ex virginibus, celebratur fabulis, quæ cùm à tyranno cogeretur secretum prodere, nequid in se, ad extorquendum confessionem vel tormentis liceret, morsu linguam abscidisse fertur, atque in tyranni faciem despuisse, vt qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret.* Vocat eleganter *Pythagoream* aspectans ad silentium Pythagoræ. Vide Emblema 13. Alciati. Brocensémque in id, & Claudium. *Comestam*, malim legi *comesam. Meretrices* nomen dedere *meritorijs locis*, sunt enim hæc vbi committuntur adulteria. Hæc meretrix non fuit *blitea*, vt loquar cum Plauto in Trucul.

2. ZENO ELEATES.] Historiam longè narrat Laërtius lib. 9. istis: *Is cùm Nearchum tyrannum, seu, vt alij volunt, Diomedontem deijcere ac profligare voluisset, comprehensus est, vt in Satyri Epitome ait Heraclides. Quo tempore cùm de conscijs & armis, quæ in Lipara habuit, inquireretur, volens ipsum desertum destitutúmque ostendere, omnes illius amicos coniurationis esse conscios dixit; deinde cùm de quibusdam dixisset, quiddam sibi ad aurem loqui velle, eam mordicus apprehensam non antè dimisit, quàm dentibus perforaret, idem agens quod Aristogiton tyrannicida; Demetrius verò in æquinoctis, nasum ei præscidisse ait.* Idem narrat in tyrannum linguam conspuisse, simili planè exemplo Leænæ. Zephyrus verò narrat, quæ de Dionysio affert Tertullianus: id tamen in nullo veterum offendi.

2. IMPASSIBILIS.] Rescribunt alij *impassibilibus.* Nihil est necesse, nam hic *impassibilis* potest esse imperterritus. Ea videlicet fuit virtute Zeno, vt eum videretur non posse attingere passio carnificinæ.

2. LACONVM FLAGELLA.] Synesius epist. 1095.
57. οἳ πυες Λακεδαιμόνιοι ποσὶν τῷ διὰ πάντων αἵματι τῶν παρ' αὐτοῖς ἐτίμησαν Ἄρτεμιν: *Qui Lacedæmonij tam multo verberibus expresso sanguine, quæ apud ipsos est, coluerunt Dianam.* Omitto infinitos. Cùm legitur *domui*, censet Iunius legendum *deinde*, & sibi perplacet in hac correctione, cùm proculdubio melius sit *domui.* Isti enim magnificam gloriam sibi pepererunt, & suis posteris insignem.

2. STATVAS DEFVNDITIS.] Apuleius Apolog. 1. vt notat Heraldus, ita ait: *Enimuero quod luto fictum, vel ære infusum, vel lapide incisum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio adsimulatum est.* Nota mecum, *andriantas* intelligi, genus statuarum. Constantinus Imperator ad filium Porphyrogenitum, cap. vlt. ἢ αὖ εἰκόνα χαλκοῦν ἢ ἑτέρου ὑγιείαν, ἢ τοῦτον χρυσώσαντες ἕστησαν πρὸς τῇ παρ' αὐτῆς πρὸς πειστέραν πίστωσιν: *Statuámque ex ære alteram erexerunt, quam inauratam iuxta sepulcrum collocauerunt, vt pleniorem fidem facerent.* In Græco, vt vides est, *andrianta.*

2. TITVLOS INCIDITIS IN ÆTERNI- 1096.
TATEM.] Iuuenal. Satyr. 5.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam titulúmque senectus
Deleuit, multa veteris fuligine tectæ.

Petron. Satyr. *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in ceruicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo.* Nec dubium quin *Pittacia* intelligat. Glossæ. πιττάκιον, *pittacium, crucis.* Quas Horatius vocat *notas* lib. 1. Sat. 10. *ideo*, ait Acro, *quòd aut Vina notantur in lagenis, aut Consules.*

3. HOC AGITE BONI PRÆSIDES MELIORES MVLTO APVD POPVLVM, &c.] Sic dixit cap. 42. *De qua iniquitate sæuitiæ nonmodò cæcum hoc vulgus exsultat & insultat*, &c. Et suprà adhuc: *Nec vlli magis depostulatores Christianorum quàm vulgus.*

3. CRVCIATE, TORQVETE, DAMNATE, ATTERITE NOS.] Hæc verba indolem planè sapiunt scriptoris, indolem (inquam) cùm hæc scripsit Catholicus. O si talis semper fuisset! Ad rem. 1097.

Dicit

Dicit Chryſoſt.in ſerm.de SS. Martyr. eam fuiſſe in Martyribus patiendi,ſic dicam, ferociam, vt καθάπερ ἀδαμάντινοί τινες, καὶ ἐν ἀλλοτρίοις ὁρῶντες ταῦτα γιγνόμενα σώμασι: *perinde quaſi eſſent adamantini, & in alienis iſta corporibus fieri cernerent*, ita generosè pugnarent. Et Paulin.epiſt.6. ad Seuerum ait: *Vtinam mi frater digni habeamur, qui maledicamur, & notemur, & conteramur, atque etiam interficiamur in nomine Ieſu Chriſti, dum non ipſe occidatur Chriſtus in nobis.*

3. CHRISTIANAM.] Hæc lectio, mitto quòd illa in antiquis eſt, quod Heraldus notat, conformior eſt & venuſtior: ita enim accidit B.Agneti apud Ambroſium,& mille aliis. Et quidem de Agnete ita cecinit Prudentius,

Hanc in lupanar trudere publicum
Certum eſt, ad aram ni caput applicet.

Verba ſunt Præſidis. Sed & hanc lectionem habet Baron.tomo 2.Annal pag 273.

1098. 3. NEQVICQVAM PROFICIT,&c.] Arnob. lib.2.*Quòd cùm genera pœnarum tanta ſint à vobis propoſita, religionis huius ſequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atque interdicta formidinum, animoſius populus obnitatur: & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitetur.* Lucifer Calaritanus in opere, Moriendum eſſe pro Deo, ita ait: *Hoc enim fidei proprium eſſe negotium nouimus Chriſtiani, nec proſperis nec aduerſis gradu dimoueri, non à propoſito ſemel vigore deduci; cernimus vna hac voce religioſa, Chriſtianus ſum, nolo eſſe, vt tu es Conſtantius, Apoſtata, omne crimen excludi, hac vna voce tribui præſidium ſalutis, vinculum libertatis, & honoris; conſpicimus hac confeſsione tribui nobis Confeſsionis clypeum, telum contra apertè in nos ſeuientem diabolum.*

1099. 3. PLVRES EFFICIMVR QVOTIES METIMVR A VOBIS.] Zacharias Bouerius Demonſtratione 8.ſymboli cap.1. hoc ſic citat: *Quotidie metimur à vobis, & quotidie plures efficimur.* Quantum oportet inſpicere quæ cites, ne labaris. Cæterùm quæ dicit bene habent,vt ſcilicet conſideremus quàm firma & inconcuſſa ſit Eccleſia, quæ tot ingruentium perſecutionum impetu non fuerit proſtrata, ſed potiùs illuſtrior euaſerit.

3. SEMEN EST SANGVIS CHRISTIANORVM.] Non poſſunt Chriſtiani perſecutionibus imminui, quia ſi ſemen eſt eorum ſanguis, cuiuſque plus effuſum fuerit, eo maior promittitur fidelium prouentus,ſicut meſſis copioſa,amplioris ſegetis præparatio eſt. Vide Antonium Fernandium in viſione 6. Adducit verò Sylburgius iſtud Tertulliani, in hæc verba Iuſtini Martyr.ad Orthodoxos: ἀλλ' αἱ βάσανοι αὗται, οἷς καθ' ὁμοῦ χρησάμενος ὁ Ἑλληνισμὸς, παρεδοκίμασε δι' αὐτῶν ἄλυτον φυλάξειν ἑαυτὸν, τὸν μὲν Ἑλληνισμὸν κατέπαυσαν, τὸν δὲ Χριστιανισμὸν ἔστησαν παγιώτερον: *Atqui tormenta ipſa, quibus Paganiſmus, ea ſpe vt integrum ſe ipſum conſeruaret, vſus eſt, Paganiſmum ipſum aboleuerunt, Chriſtianiſmum verò ſtabiliorem reddiderunt.*

3. ILLA IPSA OBSTINATIO.] Pietatem Chriſtianorum *obſtinationem* vocabant. Plinius ad Traianum,notante Heraldo: *Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod faterentur, peruicaciam certè et inflexibilem obſtinationem debere puniri.* 1100.

3. OMNIA ENIM HVIC OPERI DELICTA DONANTVR.] Id eſt (explicatore Vaſquio quæſt. 68.Artic.3.de Baptiſmo) Martyrio,quo vnico omnia delentur peccata.

3. GRATIAS AGIMVS.] Iuſtinus Martyr Apolog.1. ὁ δὲ καὶ (Λούκιος) χάριν εἰδέναι ὡμολόγει: *Hic autem* (Lucius) *gratias agere ſe dixit*, porro ducebatur ad mortem. Plura narrat Heraldus. Tertullianus cap.1.huius operis, *damnatus gratias agit.* Et iterum cap.46.*Chriſtianus etiam damnatus gratias agit.*

FINIS APOLOGETICI.

DE TESTIMONIO ANIMAE, SIVE LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

HOC *opus, quod Apologetici capite* 18. *inchoauerat, de teſtimonio animæ, perſequitur; vt humanam duritiem, ſi poſſet, ſuperaret; quæ aliquando nimis addicitur humanis ſenſibus.*

CAP. I. ARGVMENTVM.

Totius operis præfatio.

TERTVLLIANVS.

1. 1. MAGNA curioſitate, & maiore longè memoria opus eſt ad ſtudendum, ſi quis velit ex litteris receptiſſimis quibuſque philoſophorum, vel poëtarum, vel quorumlibet doctrina ſapientiæ ſecularis magiſtrorum teſtimonia excerpere Chriſtianæ veritatis; vt æmuli perſecutoréſque eius de ſuo proprio inſtrumento, & erroris in ſe, & iniquitatis in nos rei reuincantur.

EXPLICATIO.

1. OPus eſſe ait, magnæ curioſitatis, & maioris longè & tenacioris memoriæ, vt ſtudeat quis, qua ratione poſſit vti aduerſus gentes teſtimoniis ad probandam veritatem Chriſtianorum, vt videlicet *æmuli* conuincantur *inſtrumento proprio*, tum *erroris in ſe* reos eſſe, tum *iniquitatis in nos.*

2. 2. Nonnulli quidem, quibus de priſtina litteratura & curioſitatis labor & memoriæ tenor perſeuerauit, ad eum modum opuſcula penes nos condiderunt, commemorantes & conteſtificantes in ſugillationem & originum & traditionum & ſententiarum, argumenta per quæ recognoſci poſſit, nihil nos aut nouum, aut portentoſum ſuſcepiſſe; de quo, non etiam communes & publicæ litteræ, ad ſuffragium nobis patrocinentur, ſi quid aut erroris eiecimus, aut æquitatis admiſimus.

2. Nonnulli qui & curioſitatem & memoriam habuerunt; *opuſcula penes nos* Chriſtianos *condiderunt*, in quibus commonſtrarunt & conteſtificarunt *argumenta*, quibus tamquam ſugillis vteremur, aduerſus illorum origines, & traditiones, & ſententias, oſtenderemúſque *nihil nos aut nouum, aut portentoſum ſuſcepiſſe*, vt nunc dictitant, qui in fidem debacchantur. *De quo non*, &c. Vt hæc argumenta nobis *ad ſuffragium patrocinentur, ſiquid aut erroris eiecimus, aut æquitatis admiſimus*, non ſolùm adeò nobis proſunt *communes litteræ & publicæ.*

3. 3. Sed ne ſuis quidem magiſtris, aliàs probatiſſimis atque lectiſsimis, fidem inclinauit humana de credulitate duritia, ſicubi in argumenta Chriſtianæ defenſionis impingunt: tunc vani poëtæ, cùm Deos humanis paſsionibus & fabulis deſignant: tunc philoſophi duri, cùm veritatis fores pulſant. Hactenus ſapiens & prudens habebitur, qui prope Chriſtianum pronuntiarit, cùm ſi quid prudentiæ aut ſapientiæ affectauerit, ſeu ceremonias deſpuens, ſeu ſeculum reuincens, pro Chriſtiano denotetur. Iam igitur nihil nobis erit cum litteris & doctrina peruerſæ felicitatis, cui in falſo potiùs creditur, quàm in vero. Viderint ſi qui de vnico & ſolo Deo pronuntiauerunt. Imò nihil omnino relatum ſit, quod agnoſcat Chriſtianus, ne exprobrare poſsit. Nam & quod relatum eſt, neque omnes ſciunt: neque qui ſciunt, conſtare confidunt. Tanto abeſt, vt noſtris litteris annuant homines, ad quos nemo venit niſi iam Chriſtianus.

4. 3. *Sic vbi in argumenta*, &c. Argumenta quæ inueniũtur in libris gentilium in fauorem veritatis, ſunt firmiſſima inſtar firmiſſimi ſcopuli: incredulitas verò, eſt veluti nauigium. Ait ergo. Cùm incredulitas impingit in aliquod argumentum, contingit id quod penè monſtroſum eſt. Nam victrix eſt incredulitas, & argumentum vincitur atque euaneſcit. Nonne monſtrum eſſet, nauem eſſe illæſam, & ſcopulum frangi? tale quid accidit in hac re. Nam cùm incredulitas impingit in aliquod argumentum, ita illa eſt dura, vt reddat argumentum inualidum & infirmum. *Cùm veritatis fores pulſant.* Præclarè. Nam philoſophi gentiles, etiamſi aliquid de Deo vero in ſuis ſcriptis, tamen *foris* reſiſtunt, tantùm *fores* pulſant, non intrant. *Hactenus*, &c. *Sed ne ſuis quidem magiſtris* acquieſcit *humana duritia*, ſicubi illi docent aliquid quod facere poſſit ad defenſionem Chriſtiani dogmatis: *tunc* enim illis *vani* ſunt *poëtæ*, & *philoſophi veritatis fores pulſant. Hactenus ſapiens & prudens habebitur, qui prope Chriſtianum pronuntiauerit*, id eſt, *hactenus* & non ampliùs apud illos *ſapiens & prudens habebitur qui prope Chriſtianum pronuntiauerit*, id eſt, qui proximè ſua doctrina Chriſtianam fuerit æmulatus. Clariùs. *Sapiens & prudens* erit apud eos quilibet eorum, *poëtæ, aut philoſophi*, præterquam *qui* penè *Chriſtianum pronuntiauerit*: hunc enim ſenſum reddit vox illa *hactenus*, hucvſque, non vltra, non ampliùs: ſic enim metiuntur ſapientiam & prudentiam ſuorum, ſi nullibi impingant in argumentum Chriſtianorum, nec anſam præbeant illis ad ſuam defenſionem: *Peruerſæ felicitatis.* Quàm egregiè, felicitas, ſed peruerſa: quæ peruersè & infeliciter aſſequuta eſt veritatem, vel potiùs: quæ æmulauit veritatem, eámque affectauit. Doctrina certè infelix, *cui in falſo potiùs creditur, quàm in vero. Viderint ſi qui*, &c. Sic explico. Nihil nunc volo à litteris gentilium, ipſi *viderint* (id eſt valeant), *ſi qui* inter illos *de vnico & ſolo Deo pronunciauerunt*: hoc enim nihil intereſt ad nos. Pergit. *Imò* concedo, *vt nihil omnino relatum ſit* in libris gentilium, *quod* ad fauorem veræ religionis *agnoſcat Chriſtianus, ne* idcirco *exprobrare* Chriſtianus *poſsit*, quod ibi ſcriptum ſit. *Nam & quod*, &c. Dat rationem cur concedat nolle vti locutionibus gentilium & teſtimoniis: *nam & quod* in eis *relatum eſt, neque omnes* ipſi gentiles *ſciunt: neque qui ſciunt, confidunt*, id eſt, credunt, & putant *conſtare*. Clariùs concipio. Si quid ſcriptum eſt, aut lectitatum ab ignaris, aut gnaris: ignari, nihil penetrant, nihil intelligunt: gnari habent effugium, dicentes, philoſophis ſuis nihil credendum, vt qui ſibi non conſtent: nam videlicet ſuprà dixerat, philoſophos gentiles tunc eſſe *duros* nec tolerandos, ſiquid dicerent de vera religione. *Tanto abeſt vt* &c. Id eſt, tanto interuallo abeſt. Concluſio ex dictis. Gentiles, qui ne ſuis quidem litteris credunt, multo certè minùs noſtris credent, quando ad noſtras nemo accedit, *niſi iam Chriſtianus*, ad quas fidei lumine opus eſt. Inde optimè ſequitur, vt nolit aduocare litteras gentilium, nec Chriſtianorum: non gentilium, quia nec ipſi gentiles ſuiſmet litteris credũt: non Chriſtianorũ, quia tantùm Chriſtiani credunt litteris Chriſtianorũ. 5.

6. 4. Nouum teſtimonium aduoco, imò omni litteratura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius, id eſt, totum quod eſt hominis. Conſiſte in medio anima, ſeu diuina & æterna res es, ſecundùm plures philoſophos, eo magis non mentiens: ſeu minimè diuina, quoniam quidem mortalis, vt Epicuro ſoli videtur, eò magis mentiri non debebis, ſeu de cœlo exciperis, ſeu de terra conciperis, ſeu numeris ſeu atomis cõcinnaris, ſeu cum corpore inciperis, ſeu poſt corpus induceris, vnde & quoquo modo hominẽ facis animal rationale, ſenſus & ſcientiæ capaciſſimũ.

7. 4. Dicit iam quid velit aduocare aduerſus gentiles, nimirum animã, cuius teſtimonium, &c. Clara ſunt. *Toto homine maius*, toto homine conſpicuo & exteriùs apparente maius. Vel (id enim mihi difficile eſt, vt toto homine apparente ſit maius. cùm totus homo ſit anima & corpus) vt *maius* non ſit comparatiuum, ſed dicat, id quod maius eſt, & maximum in toto homine. Vel (id mihi certũ) maius tota facultate hominis, quia eſt ſuperius quoddam & diuinum teſtimonium ipſius autoris naturæ. *Id eſt totum quod eſt hominis*, teſtimonium hoc eſt animæ ipſius, ideo eſt *totum, quod eſt hominis*, id eſt, totum quod dat eſſe homini proprium. *Conſiſte in*, &c. Appellat animam ad hoc teſtimonium. *Secundùm plures philoſophos*, Principem intelligit Ariſtotelem, Platonem, Socratem, & reliquos omnes. *Vt Epicuro ſoli videtur*, ſolus nimirum Epicurus, & eius ſchola hoc ſenſit. quod eſto verum ſit, non mentietur anima, quippe ſtatim moritura. Reliqua clara ſunt.

8. 5. Sed non eam te aduoco, quæ ſcholis formata, bibliothecis exercitata, academiis & porticibus Atticis partam ſapientiam ructas. Te ſimplicem & rudem & impolitam & idioticam compello, qualem habent qui te ſolam habent, illam ipſam de compito, de triuio, de textrina totam. Imperitia tua mihi opus eſt, quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea expoſtulo, quæ tecum in hominem infers, quæ aut ex temet ipſa, aut ex quocunque auctore tuo ſentire didiciſti. Non es, quod ſciam, Chriſtiana. Fieri enim, non naſci ſolet Chriſtiana. Tamen nunc à te teſtimonium flagitant Chriſtiani, ab extranea aduerſus tuos, vt vel tibi erubeſcant, quòd nos ob ea oderint & irrideant, quæ te nunc conſciam detineant.

9. 5. *Sed non*, &c. nihil enim cum hac anima. *Te ſimplicẽ*, &c. Hac Tertulliano opus eſt. *Ea expoſtulo*, &c. Tantùm ea peto, quæ ex temet infers in hominem. *Non es*, &c. Nam meram gentilem animam aduocat. *Quod ſciã*, fortaſſe tu Chriſtiana es, ſed ego id neſcio. *Fieri enim*, &c. Vt naſceris, te volo: videlicet: Talem te volo, qualis es natura tua. Nã Chriſtiani non naſcuntur, ſed fiunt. Igitur non te volo vt fis, ſed vt naſceris. *Te tamen*, &c. *Tamen* etiam abs te gentili *teſtimonium flagitant Chriſtiani. Ab extranea*, ab gentili aduerſus tuos gentiles. *Conſciam detineant*; *quæ te nunc*, ſcilicet rudem & impolitam, tamen *conſciam* detinent, & veritatis huius ſatis capacem.

NOTÆ.

10. 1. MAGNA CVRIOSITATE.] Vox vſitata in A æuo medio. Vopiſcus in Aureliano, *friuola hæc fortaſſis cuipiam, & nimis leuia eſſe videantur: ſed curioſitas nihil recuſat.* Caſaubonus inquit in notis ad Vopiſ. Periergiam (quę vox idem eſt cum curioſitate) factam pediſſequam philologiæ ab Martiano Capella, & alia quæpiam affert de Ariſtea ſcriptore antiquiſſimo.

1. INSTRVMENTO.] Hæc vox vſitata iam eſt ad quæuis explicanda, quibus litteræ etiam diuinæ ſignificantur.

2. COMMEMORANTES, &c.] Hunc locum ſic legit Pamelius: *Commemorantes & conteſtificantes in ſugillationem & originem & traditionem, & ſententiarũ argumenta, per quæ*, &c. Nos ſequuti Latinium ſumus. B Si verò Pamelium ſequaris, erit ſententia hæc: *Commemorantes & conteſtificantes in ſugillationem*, in confutationem aduerſariorum, *conteſtificantes* (inquam) *& originem & traditionem, & ſententiarum argumenta, per quæ recognoſci*, &c. Dicit nimirum auctores Chriſtianos in ſuis opuſculis ſeruaſſe hunc ordinem, referentes & conteſtificantes primò originem, deinde traditionem, poſtremò ſententiarum argumenta, per quæ, &c.

2. DE QVO, NON, &c.] Sic interpunximus rati neceſſarium eſſe ad intelligentiam.

11. 3. VERITATIS FORES PVLSANT.] Hanc locutionem vidi etiam in epiſtola illa magni illius Clementis Papæ ad Iacobum fratrem Domini, vbi C loquens de his, qui nondum ſunt Chriſtiani, ait, illos *eſſe foris*. & Drogon Epiſcop. *Non intrant in Eccleſiam Chriſti*. Nihil in Chryſoſtomo magis obuium, ſæpiſſimè nominans gentiles philoſophos ait ἔξωθεν, notans, illos extra & foris reſtitiſſe. Et Hilarius Canone 13. in Matthæum ita ſcribit: *Iſſe Dominum in naui, & turbas foris ſtetiſſe, ex ſubiectis rebus eſt ratio. In parabolis enim erat locuturus, & facti iſtius genere ſignificat, eos qui extra Eccleſiam poſiti ſunt, nullam diuini ſermonis capere poſſe intelligentiam.* Nyſſenus laudans Fratrem Baſilium, ait illum innutritum, ἔσω τῆς ἔξω σοφίας, *ſapientia externa*. Ibidem, vt directè contrarias oppo- nit σοφίαν θείαν, καὶ τὴν ἔξωθεν, *ſapientiam diuinam & externam*.

3. DENOTETVR.] Hoc verbum hîc, & ſæpè aliàs in malam partem ſumitur. Hieronymus, de ſuſpecto contubernio: *Vos cunctorum digiti denotabunt*, id eſt, infamabunt.

4. NON DEBEBIS.] Legit Vvoueren. *Non debens*. Et Pamelius, *ſeu cum corpore inceperis*, Iunius tamen, quem ſecuti ſumus, *inciperis*.

4. ATOMIS CONCINNARIS.] Hanc de atomis ſententiã perſpicuè ponit Baſilius Magnus homilia prima in Hex. hac ratione: 12. οἱ δ' ἀτομικὰ μέρη σώματα, καὶ ὄγκους καὶ πόρους συνέχειν τὴν φύσιν τῶν ὁρατῶν ἐφαντάσθησαν. ὧν δὲ συνιέντων ἀλλήλοις τὰ μερῶν σωμάτων, ὧν δὲ μεταξυχρίνομένων, καὶ ῥύσεσι, καὶ ταῖς φθοραῖς ὑπηνέχθη. καὶ δὲ τὰ διαφερέστερα σωμάτων τῶν ἰσχυροτέραν τὴν ἀτόμων ἀντιπαλοκλὼ τῆς διαμονῆς τῶν αὐτῶν παρέχειν: *E diuerſo alij minutiſſima quædam & impartibilia corpora, moles item ac meatus naturam continere omnium quæ oculis quaquauerſum ſubiacent, vecordi imaginatione deluſi adſtruxerunt: opinati enim ſunt, nunc quidem illis inſectibilibus corpuſculis inter ſe coaleſcentibus & agglutinatis; nunc contra eiſdem diſparatis à ſe ac diſiunctis generationes fieri rerum & corruptiones: ſimul & tenaciorem atomorum inter ſe complicationem præbere cauſſam diuturnioris perſiſtentiæ longiſſimè duraturis corporibus.*

5. SAPIENTIAM RVCTAS.] Vvoueren. legit, *eructas*.

5. IDIOTICAM.] Sidonius Apollin. epiſt. 14. lib. 13. 7. *Idiotarum ſiquidem eſt, ſicut facile conuinci, ita difficilè compeſci.* Iſid. Gloſſ. *idiota, imperitus, ignarus.*

5. FIERI ENIM, NON NASCI SOLET CHRISTIANA.] Vvoueren. *Soles.* Ipſe in Apolog. *Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani.* Quæ verba ab noſtro Hieronymus: nam epiſt. ad Lætam: *Hoc & gener eius faciebat antequam crederet; fiunt non naſcuntur Chriſtiani.* Fiunt nimirum per baptiſmum. Cyrillus Hieroſol. Catecheſ. 1. τὰ μὲν γὰρ σώματα διὰ τῶν φυομένων γονέων γεννῶνται, αἱ δὲ ψυχαὶ διὰ τῆς πίστεως ἀναγεννῶνται: *Corpora enim per eos, qui videntur, generantur, parentes: animæ verò per fidem regenerantur.*

CAP. II. ARGVMENTVM.

De Vnico & ſolo Deo.

TERTVLLIANVS.

14. 1. NON placemus, Dominum prædicantes hoc nomine vnico vnicum, à quo omnia, & ſub quo vniuerſa. Dic teſtimonium, ſi ita ſcis. Nam te quoque palam & tota libertate, qua non licet nobis, domi ac foris, audimus ita pronuntiare. Quod Deus dederit, &, ſi Deus voluerit. ea voce & aliquem eſſe ſignificas, & omnem illi confiteris poteſtatem, ad cuius ſpectas voluntatem; ſimul & cæteros negas Deos eſſe, dum ſuis vocabulis nuncupas, Saturnum, Iouem, Martem, Mineruam. Nam ſolum Deum confirmas, quem tantùm Deum nominas: & vt cùm illos interdum Deos appellas, de alieno, & quaſi pro mutuo vſa videaris.

EXPLICATIO.

1. DIcimur non placere, quoties Dominum prædicamus, & dicimus Deum *vnicum hoc vnico nomine.* Itaque *non placemus* quoties de Deo duo dicimus, & *vnicum* eſſe, & *vnico nomine. Quod Deus dederit, &, Si Deus voluerit:* His vocibus vniçũ Deum eſſe anima confitetur, & vnicum illi dat nomen, quod poſtea explicat. Nam ſub hac voce *Deus*, & illi vnicum damus nomen, & vnicum Deum dicimus: cùm cæteros propriis nominibus nuncupemus.

15. 2. De natura quoque Dei, quam prædicamus, nec te latet: Deus bonus eſt, Deus benefacit, tua vox eſt. Planè ea dicis (ſed homo, malus ſcilicet) contraria propoſitione obliquè & figuraliter exprobrans, ideo malum hominem, qui à Deo bono abſceſſerit.

Etiam quòd penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictio inter nos ſummum ſit diſciplinæ & conuerſationis ſacramentum; Benedicat te Deus, tam facilè pronuntias, quàm Chriſtiano neceſſe eſt.

2. Non ſolùm ais Deum vnicum eſſe, & vnicum illi das nomen, ſed naturam quoque Dei prædicas, cùm dicis, *Deus bonus* eſt, &, *Deus benefacit. Planè ea*, &c. Apertè quidem dicis, *exprobrans contraria propoſitione*, ideo malum eſſe hominem, *qui à Deo* ſummo *bono abſceſſerit*: exprobrat, inquam, anima id nimirum, quod parentheſi includitur: *Sed homo*, quis eſt? *malus ſcilicet. Etiam quod penes Deum*, &c. Item, eo quòd *omnis benedictio bonitatis & benignitatis Dei ſit inter nos ſummum diſciplinæ & conuerſationis ſacramentum*, tu eadem anima *tam facilè pronuntias, Benedicat te Deus, quàm Chriſtiano neceſſe eſt. Summum* autem dicit, quaſi ſupremum & poſtremum ſacramentum, &, vt ita dicam, celeberrimum. Ad eum modum quo Auguſtinus dixit, ſalutationem hanc, *Deo gratias*, fuiſſe celeberrimam ſuo tempore in Eccleſia. Ita explicat Claud. Rangolius Comment. in lib. 1. Reg. cap. 2. verſ. 20. Qui addit *diſciplinæ* nomine intelligi, non vtcunque Chriſtianum ritum; ſed Eccleſiaſticum ritum in orando.

16. 3. At cùm in maledictum conuertis benedictionem Dei, perinde dicto omnem ſuper nos poteſtatem eius conſiſtere ſecundùm nos confiteris. Sunt qui etſi Deum non negent, diſpectorem planè & arbitrum & iudicem non putent, in quo vtique nos maximè reiiciunt, qui ad iſtã diſciplinam metu prædicati iudicii tranſuolamus, ſic Deum honorantes, dum curis obſeruationis, & moleſtiis animaduerſionis abſoluunt, cui ne iram quidem adſcribunt. Nam ſi Deus (inquiunt) iraſcitur, corruptibilis & paſſionalis eſt. Porro quod patitur, quódque corrumpitur, etiam interitum poteſt capere, quem Deus non capit. At idem illi animam diuinam & à Deo collatam confitentes, cadunt in teſtimonium ipſius animæ retorquendum aduerſus opinionem ſuperiorem. Si enim aut diuina, aut à Deo data eſt, ſine dubio datorem ſuum nouit. Et ſi nouit, vtique & timet, vt tantum poſtremò auctorem. An non timet quem magis propitium velit, quàm iratum? vnde igitur naturalis timor animæ in Deum, ſi Deus non nouit iraſci? Quomodo timetur, qui neſcit offendi? Quid timetur, niſi ira? Vnde ira, niſi ex animaduerſione? Vnde animaduerſio, niſi de Dei iudicio? Vnde iudicium, niſi de poteſtate? cuius poteſtas ſumma, niſi Dei ſolius? Hinc ergo tibi anima de conſcientia ſuppetit domi ac foris, nullo irridente vel prohibente prædicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, &, Deus reddet, & Deus inter nos iudicabit.

17. 3. Eſt iam in ſumma Dei poteſtate. accidit plerumque vt anima conuertat benedictiones iſtas quas dixit, in maledicta, & loco eius, *Deus bonus eſt*, enuntiet iſta, Deus videt omnia, Deus inter nos iudicabit: Igitur ait: *Cùm conuertis benedictionem in maledictum, perinde dicto*, id eſt, ſimili vel eiuſmodi dicto, *omnem* illius *poteſtatem confiteris, ſecundùm nos*: id eſt, ſecundùm mentem noſtram. *Sunt qui*, &c. Nam aliqui qui Deum non negant, non tamen putant Deum eſſe poſſe *diſpectorem* & iudicem, ſic nimirum illi colunt Deum & honorantur, dum *curarum obſeruationes, & moleſtias animaduerſionis* adimunt; vt ne illi quidem tantillum irarum velint eſſe. Hæc ſic conſtant, & illa, *in quo vtique*, &c. vſque ad *tranſuolamus*, parentheſi debes includere: vt dicat, in hoc enim præcipuè fugillant & perſtringunt nos, quòd metu iudicij æterni conuolamus ad Deum. *Nam ſi Deus*, &c. Hæc eſt ratio, quam adducunt pro ſe, & clara. *At idem illi*, &c. Ratio quam adſtruit contra illos. Eo ipſo quòd illi *animam diuinam*, & datam, *& collatam à Deo* confitentur, *cadunt in teſtimonium animæ retorquendum aduerſum* ſe, *& opinionem* hanc *ſuperiorem*, id eſt, quam modò adduxi. Nam *ſi* ea *data eſt à Deo, datorem ſuum* procul *dubio nouit*; *& ſi nouit, timet* etiam *auctorem* ſuum *poſtremò*, id eſt, denique. *An non timet*, &c. Hæc clara ſunt, tantùm illa, *quomodo timetur, qui neſcit offendi?* hanc habent ſententiam: illum timere non poteſt, qui nulla pungitur offenſione. *Hinc ergo tibi*, &c. Hinc ergo erumpit anima in eiuſmodi affectus, &c.

18. 4. Vnde hoc tibi non Chriſtiana? Atque id plerumque & vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinatà, & Deæ Iſidis linteata. In ipſis denique templis Deum iudicem imploras, ſub Æſculapio ſtans, Iunonem in aëre exorans, Mineruæ calceans furuis galeam formis, & neminem de præſentibus Deis conteſtaris, in tuo foro aliunde iudicem appellas, in tuis templis alium Deum pateris. O teſtimonium veritatis, quæ apud ipſa dæmonia teſtem efficit Chriſtianorum.

4. *Vnde* igitur cùm *non Chriſtiana* ſis ô anima, tibi accidunt? &, quod miror, tibi hæc eueniunt, cùm falſorum Deorum induta es veſtibus, cùm *vittam Cereris* geſtas in capite, coccum *Saturni* in *pallio*, aut linteum *Deæ Iſidis*. Modò aſſiſtas *Aeſculapio*, quem *ſtans* adoras, vt tibi ſanitatem det; modò *Iunoni*, quam exoras *in aëre*, vt quæ ſub dio ſtet; modò *Mineruæ, calceans*, id eſt, tegens *galeam* Bellariorum in capite, eámque *formis* triſtibus & *furuis*. *Teſtem*, id eſt, te *teſtem efficit Chriſtianorum.*

NOTÆ.

19. 1. DOMINVM PRÆDICANTES.] Pamelius A putat legendum *Deum*. Sed *Dominum* habent codices omnes, & constare sensus potest, vt Imperatorem & Regem omnium intelligat. Sidonius carm. 5.

Dominos nil prodest esse priores.

Tacitus ita appellat Neronem, cùm ait: *An Neronem extremum dominorum putatis?* Anastasius Bibliothecarius in hist. Miscell. *Gentis Francorum moris est, dominum, id est, Regem, secundùm genus principari.* Nihil enim frequentius quàm Deum *Imperatorem*, & *Principem* rerum. Arnobius lib. 2. *An vlla est religio verior, officiosior, potentior, iustior, quàm Deum Principem nosse, scire Deo Principi supplicare, qui bonorum omnium solus caput & fons est?* Et infrà appellat *Imperatorem* absolutè. Irenæus: *Nec enim dominum eum nominare voluerunt*, aduersus Hæres. lib. 1. cap. 1. Scilicet Pleroma.

20. 1. QVOD DEVS DEDERIT.] Arnobius lib. 2. *Da quæ videmus, magis an sint dij cæteri dubitabit, quàm in Deo cunctabitur, quem esse omnes naturaliter scimus: siue cùm exclamamus, ô Deus; siue cùm illum testem Deum constituimus improborum, & quasi nos cernat, faciem subleuamus ad cœlum.* B

2. DEVS BONVS EST, DEVS BENEFACIT.] Minutius: *Audio & vulgus cùm ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt, et, Deus magnus est: &, Deus verus est: &, si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio?*

21. 2. SED HOMO, MALVS SCILICET] Hæc verba parenthesi includit Iunius: infert enim auctor ex antecedente membrum illud παρένθετον C de homine, quod obliquè & figuraliter videtur anima exprobrare per consequens, quoties illud de Deo asseuerat. Potest etiam abesse hæc parenthesis, vt dicat: Apertè quidem dicis, quòd Deus bonus est, & quòd Deus benefacit, ac perinde dicis, quòd scilicet homo est malus, contraria propositione affirmans esse malum hominem, vt qui abscedat à Deo benefactore.

3. AT CVM IN MALEDICTVM CONVERTIS BENEDICTIONEM DEI.] Pamelius habet perperam, *at cùm id maledictum conuertis in benedictionem Dei*, perperam, inquam: nam numquam præcessit maledictum, vt notat Latinius, cuius est lectio, quam sequor.

22. 3. SIC DEVM HONORANTES.] Malè Iunius legit, *inhonorantes*. Nam licèt de gentilibus loquatur, & non de nostris, *honorantes* dicit, quia sic D Gentiles Deum honorant, si nihil illi irarum dent.

3. ABSOLVVNT.] De eadem pene re Claudianus dixit in Ruffinum,

Absoluitque Deos.

3. PORRO QVOD PATITVR.] Arnob. lib. 2. *Quod autem est promptum atque expositum passioni, corruptibile esse, ipsa passibilitate interueniente denuntiatur.*

3. QVID TIMETVR NISI IRA?] Iram, inquam, ait timendam, quæ eius est naturæ, vt naturam inuertat: ideò enim illam Nicetas Dauid in vita Ignatij Episcopi Constantinop. παρέφυσιν vocat, quasi *contra naturam*, & ἔκστασιν, quæ naturam deprauat.

4. VITTA CERERIS REDIMITA.] Frustrà adducunt coronam Cereris spiceam, cùm Tertullianus *vittatam* dicat. Moris enim fuit vittas capiti apponere, dicente Plinio lib. 18. cap. 5. *Huic certè, ab Acca Laurentia nutrice sua spicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in sacerdotio pro religiosissimo insigni data.* Vbi clarè discriminat vittam à corona. Vnde 7. Æneid. 23.

Soluite crinales vittas, capite Orgia mecum.

Et postea ait,

--- Inducit albos
Cum vitta crines.

4. PALLIO SATVRNI COCCINATA.] Explicat Lipsius lib. 1. Saturn. cap. 5. iure Romani, quia gladiatorum sanguine placari Manes credebant, eaque prima ludicri caussa, spectaculum arenæ dedicarunt crudo & sanguineo Deo Saturno; atque adeò cultum sacerdotum eius præcipuum inuenimus fuisse pallium coccineum. Inde in lib. de Pallio: *Cùm latioris purpuræ ambitio, & Galatici ruboris superiectio Saturnum commendat.* Coccineus enim color, (quem *Galaticum ruborem* appellat, quia granum id Galatiæ frequens) sanguinis & cædium est: inde paludamentis dicatum coccum Plinius scribit. 24.

4. ET DEÆ ISIDIS LINTEATA.] Isis est apud Ægyptios, quæ Ceres apud Romanos, vt ait Stephanus: lingua enim sua Cererem appellant *Isidem*. Tertullianus, de Corona Militis: *Leonis Aegyptij scripta euoluas, prima Isis repertas spicas capite circuntulit, rem magis v.* Et Martianus Capella, lib. 2. dixit: *Frumentum Isis in Aegypto, Triptolemus apud Atticos docuêre:* Itaque ait Tertullianus linteatam vt Isidem, linteo nempe indutam, qualis apud Ægyptios Isis, neque audiendus, qui litteram mutat, nam satis est Tertullianus ad hanc rem. 25.

4. TEMPLIS.] Cyrillus Alexan. in Oseam num. 1. ἐν ᾧ τοὺς τῶν εἰδώλων τεμένεσι.

4. SVB ÆSCVLAPIO STANS.] Dormire qui sanitatem ab Æsculapio petebant, ita tritum est, vt nihil tritius; *stare* autem dicit Tertullianus, vnde cogor, *stare*, explicare posse, per assistere; nisi velis dicere, vtroque modo sanitatem accipi, & deuolutos in terram, & stantes.

4. IVNONEM IN AERE EXORANS.] Non eget probatione, qui scierit multa olim templa fuisse subdialia. Quid quòd ista oratio in aëre, nubes significat, quarum præses Iuno?

4. MINERVÆ CALCEANS FVRVIS GALEAM FORMIS.] Aptant ad numeros aliqui, dicentes legendum, *Mineruæ furuis galeam formis calceans:* nam hic versus est senarius alicuius poetæ. Galeam autem Mineruæ vocat metonymicè illam, quæ est Bellonæ, quam insani sibi aptabant. Diximus de Bellonariis planiùs & pleniùs in Apologetico. Est *calceans*, aptans, seu tegens, vt illud Act. *Calcea te caligas tuas.* Istæ autem formæ furuæ, id est, tristes & minaces sunt illæ, quæ habentur in Mineruæ casside. 8. Æn. 26.

Aegidaque horrificam turbatæ Palladis arma,
Certatim squammis serpentum, auróque polibant,
Connexósque angues, ipsámque in pectore Diuæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

CAP. III. ARGVMENTVM.

De dæmonijs, quæ execratur anima.

TERTVLLIANVS.

27. 1. ENIMVERÒ cur dæmonia affirmamus esse? Sanè quasi non probemus, qui ea soli de corporibus exigimus. Aliqui Chrysippi adsentator illudit ea; & esse, & abominationem sustinere, exsecrationes tuæ respondent. Dæmonium vocas, hominem aut immunditia, aut malitia, aut insolentia, aut quacumque macula, quam nos dæmonijs deputamus: aut ad necessitatem odij opportunum. Satanam denique in omni auersatione & aspernatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpolatorem, per quem homo à primordio circumuentus, vt præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit. Sentis igitur perditorem tuum. Et licèt soli illum nouerint Christiani, vel quæcumque apud Dominum secta, & tu tamen eum nosti dum odisti.

EXPLICATIO.

28. 1. SANE *quasi non probemus.* Ironicè accipienda sententia. An probemus affirmemúsque Christiani esse dæmonia, cùm nos soli ea de corporibus humanis exigamus abiiciamúsque? *Aliqui Chrysippi*, &c. Est, *aliqui* pro, aliquis, more trito, & auctoritate huius probat esse dæmonia. Chrysippus autem dæmonia videtur illusisse. *Et esse, & abominationem sustinere, exsecrationes tuæ respondent.* Esse tamen dæmonia, & illa sustinere omnem abominationem, satis respondent *execrationes tuæ*, ô anima. Dicit hoc, quia alicui cùm malè volumus, dæmonium vocamus, quod est sustinere abominationem. *Dæmonium vocas*, &c. Est hoc, quod dicebam modò, nempe testimonium animæ vocantis hominem, dæmonium. Sensus autem ex conceptu Iunij est. Eum dæmoniũ appellari, quem nobis odio esse oporteat, ex caussa ipsius, aut nostra: ipsius, vt si ex immunditia, malitia, insolentia, maculáve diabolica planè laboret: nostra verò, vt si nostris necessitatibus aduersetur potentissimè: ideò hic opportunus est nostro odio, & dæmonium vocamus ex necessitate, qua contra illum agimus. *Satanam denique*, &c. Clara hæc sunt. *Interpolatorem.* Est *interpolator*, qui seculum imputat, corrumpit, & figmentis quibusdam illinit. *Et propterea in mortem datus*, videlicet homo: exinde *de semine suo* inficeret genus humanum peccato originis: & *suæ damnationis fecit traducem*, tamquam vitem, vt arbores illigaret, & traduceret, & sibi mutuò connecteret. *Sentis igitur perditorem tuum*, vocando hominem Satanam. *Secta*, in bonam partem, pro homine quocumque, qui Deum colit.

NOTÆ.

29. 1. SANE' QVASI NON PROBEMVS.] Hæc est lectio firma, alij adimunt *non*, vt dicat; cur dæmonia affirmamus esse? quasi tantùm nos Christiani probemus illa esse, qui soli illa exigimus? Non sic est. Sed vos quoque ipsi, qui estis Gentiles, probatis affirmatísque illa esse, vt apparet ex vestris exsecrationibus, tametsi aliquis Chrysippi adsentator illudat. Defendi potest hæc lectio, sed non ea est opus.

1. CHRYSIPPI ADSENTATOR.] Aliqui legunt *adsectator*, & possunt. Chrysippus autem (vt ait Iunius) φαντασιάς erat, vt de illo inquit Laërtius, & suos instituebat quo pacto illuderent. Vnde illud Horat. 2. Serm. Satyr. 3.

Quem mala stultitia, & quemcumq; insciti veri
Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus & grex
Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula Reges,
Excepto sapiente, tenet.

1. OPPORTVNVM.] Pamelius habet, *opportunam*, scripsi *opportunum* secutus Iunium. Si autem legas *opportunam*, lege pariter *vt ad necessitatem*, pro *aut ad necessitatem*, vt sententia sit, macula quam nos dæmoniis deputamus, vt opportunam, aptam, conuenientémque ad necessitatem odij.

1. SATANAM DENIQVE, &c.] Quæ hîc dicit de Satana, & quæ suprà in hoc capite, cùm intulit *exsecrationes tuæ*, planum faciunt locum Apologetici, quem correximus cap. 22. nimirum hunc: *Nam & Satanam principem huius mali generis proinde de propria conscientia anima eadem exsecramenti voce pronuntiat.* Pro eo, quod erat, *ex sacramenti*, errore non modico: & non est *anima eadem*, sed *anima*, in recto, *& voce eadem*, in auferendi. 30.

1. ARTIFICEM.] Chrysologus, serm. 11. diabolum vocat *inuentorem mali.* In vita Antonij apud Athanasium diabolus ipse: *Cur mihi frustra imputant monachi? cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? & ego: iustè faciunt, tuis enim frequenter molestantur insidijs.*

CAP. IIII. ARGVMENTVM.

De ſtatu animæ poſt mortem.

TERTVLLIANVS.

31. 1. IAM nunc quod ad neceſſariorem ſententiam tuam ſpectet, quantum & ad ipſum ſtatum tuum tendit, affirmamus te manere poſt vitæ diſpunctionem, & exſpectare diem iudicij, prò que meritis aut cruciatui deſtinari, aut refrigerio, vtróque ſempiterno. Quibus ſuſtinendis neceſſariò tibi ſubſtantiam priſtinam, eiuſdémque hominis materiam, & memoriam reuerſuram, quòd & nihil mali ac boni ſentire poſſis ſine carnis paſſionalis facultate, & nulla ratio ſit iudicij ſine ipſius exhibitione, qui meruit iudicij paſſionem. Ea opinio Chriſtiana etſi honeſtior multò Pythagorica, quæ te non in beſtias transfert; etſi plenior Platonica, quæ tibi etiam dotem corporis reddit; etſi Epicurea gratior, quæ te ab interitu defendit: tamen propter ſuum nomen ſoli vanitati & ſtupori, &, vt dicitur, præſumptioni deputatur. Sed non erubeſcimus, ſi tecum erit noſtra præſumptio.

EXPLICATIO.

32. 1. IAM *nunc*, &c. Agit iam de reſurrectione carnis, quam gentiles delirium exiſtimabāt. Monearis 2. cap. ita dixiſſe ex teſtimonio animæ, *Deus inter nos iudicabit:* ergo ait: Quod attinet *ad tuam ſententiam*, ô anima, & *ad ſtatum* quò tendis, Chriſtiani tecum ſunt, & affirmant te poſt vitæ exitum permanſuram, & exſpectare *iudicij diem*, & merito tuo deſtinatum aut præmium, aut ſupplicium, vtrumque æternum. *Quibus ſuſtinendis*, &c. Quamobrem tibi neceſſaria erit *ſubſtantia priſtina*, corpúſque iſtud materiale, *& memoria reuerſura* (dicit hoc contra obliuionem Platonicorum) vt ſentire poſſis bona quæ egiſti, aut mala cum comite corpore, & *nulla* erit *iudicij ratio* ſine carne tua exhibita & præſenti, quæ *meruit paſſionem iudicij*. *Ea opinio*, &c. Tametſi hæc *opinio Chriſtiana multo ſit honeſtior Pythagorica, quæ te in beſtias non transfert*, vt Pythagoras; *& multò plenior Platonica*; cùm enim Plato diceret animam eſſe immortalem, tamen tibi *dotem* dabat *corporis*, quod Chriſtiana non negat; & multò *gratior Epicurea*, quæ te vendicat *ab interitu*, cùm Epicurus te mori ſtatim dixiſſet: tamen *propter ſuum nomen*, quod Chriſtianum eſt, vani, ſtupidi, & verè præſumptuoſi dicimur. Non tamen rubor in nobis eſt, cùm *præſumptio noſtra tecum* ô anima ſit.

33. 2. Primò enim cùm alicuius defuncti recordaris, miſellum vocas eum: non vtique quòd de bono vitæ ereptum, ſed vt pœnæ & iudicio iam aſcriptum. Cæterùm aliàs ſecuros vocas defunctos. Profiteris & vitæ incommodum, & mortis beneficium. Vocas porrò ſecuros, ſi quando extra portam cum obſoniis & mattyis tibi potiùs parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis. At ego ſobriam tuam ſententiam exigo. Miſellos vocas mortuos, cùm de tuo loqueris, cùm ab eis longè es. Nam in conuiuio eorum quaſi præſentibus & conrecumbentibus ſortem ſuam exprobrare non poſſis, debes adulari, propter quos lætiùs viuis. Miſellum ergo vocas, qui nihil ſentit. Quid quòd vt ſentienti maledicis, cuius memoriam cum alicuius offenſæ morſu facis? Terram grauem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum. Æquè ex bona parte, cui gratiam debes, oſſibus & cineribus eius refrigerium comprecaris, & vt bene requieſcat apud inferos, cupis. Si nihil paſſionis eſt tibi poſt mortem, ſi nulla ſenſus perſeuerantia, ſi denique nihil es ipſa vbi corpus reliquiſti; cur mentiris in te, quaſi aliquid vltra pati poſſis? Imò cur in totum times mortem, ſi nihil eſt tibi timendum poſt mortem, quâ neque experiendum poſt mortem?

34. 2. *Primò enim*, &c. Dixerat, ſe non erubeſcere iudicium animæ: reddit rationes. Primò (id eſt, initio, quia numquam ſubiicit particulas alias) quia anima cùm defunctum aliquem vocat miſerum & *miſellum*, non id facit, quòd ereptus è vita ſit, ſed quòd datus *iudicio & pœnæ*. *Cæterùm aliàs ſecuros, &c.* Eſt hoc argumentum contrarium, & illud euertet poſteà. *Aliàs* tu *ſecuros* vocas ô anima, in quo vis profiteri incommoda quæ patiuntur in hac vita, & perinde beneficium, quod conſecuti ſunt morte ipſa, cùm iam ſint ſecuri & extra omnem aleam. *Vocas porrò ſecuros*, &c. Euertit iam argumentum animæ. Vocantur *ſecuri*, cùm anima it *extra portam*, vbi tumulus eſt, ſeu potiùs buſtum, & recedit, id eſt, iterum it ad mortuum celebratura exſequias, & viſcerationes & exſequiales cœnas parans, & potiùs ſibi

parentat quàm mortuo, obſonans & manducans pretioſa edulia; aut cùm à buſto rediit, ſatis diluta & plena potu & cibo. Tunc enim quid mirum ſecurum vocet defunctum? *At ego ſobriam*, &c. At ego te anima ſobriam volo, non ebriam. *Miſellos vocas*, &c. Tum ſcilicet, ſapis, *miſellos* vocans, cùm loqueris de tuo foro, cùm longè es ab eis, neque te nutriunt. *Nam cùm*, &c. Nam edens & bibens cum illis, & quaſi illi præſentes tibi ſint & conrecumbant, illorum *ſortem exprobrare* non poteris, potiùs *debes adulari* illis, & *ſecuros* vocare eos, propter quos *latiùs* & lautiùs *viuis*. *Miſellum ergo*, &c. Quem ergo vocas *miſellum*? illum planè qui è viuis ſublatus *nihil* iam *ſentit*. Talem te volo anima, nunc ſobria es. *Quid quod*, &c. Inſitum eſt hoc mortalibus, vt maledicant defunctis, quibuſcum aliqua interceſſit iniuria, & *grauem terram* comprecentur: contra verò, ſi aliquod à mortuo accepêre beneficium, illi leuem terram comprecantur, *oſſibus & cineribus eius* vix eſt bonum quod non cumulent. *Si nihil*, &c. Concludit argumentum. Quæ ſequuntur ſatis ſunt clara, tantùm dabo notulas intelligendo auctori. *Vbi*, eſt, poſtquam. *Cur mentiris in te*, ſcilicet, comprecans malum peſſimo, bonum optimo? *In totum*, ſi nihil timendum eſt, cur totum times? Itaque opponit *totum* & *nihil*, vel: Cur totam mortem animæ & corporis times? *Quâ*, parte, tibi nihil *experiendum* eſt: quaſi dicat: quia nihil tibi deinde experiendum eſt.

35. 3. Nam etſi dicere potes, ideo mortem timeri, non vt aliquid minantem, ſed vt commodum vitæ amputantem: atquin cùm & incommoda longè plura vitæ pariter excedas, ea lucratione, grauioris partis metum diluis, nec iam timenda eſt amiſſio bonorum, quæ altero bono, id eſt, incommodorum parte, penſatur. Non eſt timendum, quod nos liberat ab omni timendo. Si times vita decedere, quia optimam noſti: certè mortem timere non debes, quam malam neſcis. At cùm times, ſcis malam. Non ſcires autem malam, quia nec timeres, ſi non ſcires aliquid eſſe poſt mortem, quod eam malam faciat, vt timeas. Omittamus nunc naturalem formam timendi mortem: nemo timet quod euadere non poteſt. Ex altera parte congredior lætioris ſpei poſt mortem.

36. 3. *Nam etſi*. Adducit argumentum. *Atquin*, &c. Diluit illud hunc in modum. Cùm amiſſione vitæ excedas quicquid tibi incommodi eſt, idque pariter & æquè omnia, téque liberes ab omni inutilium rerum detrimento & damno; proculdubio hac *lucratione diluis metum grauioris* pœnæ; *nec timenda eſt amiſſio bonorum*, quæ ſatis compenſatur, cum eo bono, quod te liberat ab omni *incommodorum parte*. *At cùm times*, &c. Tu ergo *cùm times* mortem, *ſcis malam*: *non autem ſcires, quia nec timeres*, niſi *ſcires aliquid poſt mortem eſſe*, quod illam *faciat malam*, vnde timor tuus prouenit; nempe iudicium & pœna quæ poſt mortem eſt, & pœnam hanc tu times. *Omittamus nunc*, &c. Omitto timorem, is enim non tam timor quàm dolor dici debet, quia nemo timet quod *non poteſt euadere*, & à quo ſubterfugere non poteſt. Pergo ad ſpem, quæ tranſacto illo mortis non timore, ſed dolore, lætior eſt.

37. 4. Nam omnibus fere ingenita eſt famæ poſt mortem cupido. Longum eſt retexere Curtios, & Regulos, & Græcos viros, quorum innumera elogia ſunt contemptæ mortis propter poſtumam famam. Quis non hodie memoriæ poſt mortem frequentandæ ita ſtudet, vt vel litteraturæ operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulcrorum ambitione nomen ſuum ſeruet? Vnde anima hodie affectaret aliquid, quod velit poſt mortem, & tantopere præpararet quo ſit vſura poſt obitum, ſi nihil de poſtero ſciret? Sed forſitan de ſenſu poſt exceſſum tui certior es, quàm de reſurrectione quandoque, cuius nos præſumptores denotamur. Atquin hoc quoque ab anima prædicatur. Nam ſi de aliquo iampridem defuncto tamquam viuo quis requirat, præ manu occurrit dicere, Abiit iam, & reuerti debet.

38. 4. Probat cupiditatem famæ exemplis. *Sed forſitan*, &c. Certior es ô anima poſt mortem te manſuram cum ſenſu, quàm quandoque reſurrecturam cum corpore, *cuius nos* reſurrectionis *præſumptores* vocamur, notamur, ſugillamur. *Atquin*, &c. Non tamen tu oblita es reſurrectionis: nam hanc quoque prædicas: nam ſi aliquis te quærit *de defuncto aliquo*, quem ille neſcit eſſe defunctum, ſtatim reſpondes, *Abiit*, &c.

NOTÆ.

39. 1. AFFIRMAMVS TE MANERE POST VITÆ DISPVNCTIONEM.] Seneca epiſt. 102. *Iam eram faſtidio mihi, iam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immenſum illud tempus, & in poſſeſſionem omnis ævi tranſiturus*. De *diſpunctione*, (quæ ſolens eſt Noſtro vox) nihil dico, cùm aliàs probauerim ſignificatum: adeundus tibi eſt index.

1. PRÆSVMPTIONI DEPVTATVR.] Reſurrectio hoc nomine enuntiabatur à Gentilibus.

Christiani enim glorioſi hoc titulo, *præſumptuoſi* vocabantur. Ita Apul. lib. 9. Chriſtianam fœminam lancinabat: *Tum ſpretis atque calcatis diuinis numinibus, in vicem certæ religionis, mentita ſacrilega præſumptione Dei, quem prædicaret vnicum, conflictis obſeruationibus vacuis, fallens omnes homines, & miſerum maritum decipiens, matutino mero & continuo ſtupro corpus manciparat.*

40. 2. SECVROS VOCAS DEFVNCTOS.] Cyprianus de Mortalitate: *Probans ſcilicet, atque conteſtans, tunc eſſe ſeruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de iſtius mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa eſt enim pax noſtra, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis & firma & perpetua ſecuritas.* Sidonius lib. 3. epiſt. 12. *Confiteor errorem, ſupplicia captorum differre non potui, ſed ſupra ſenis noſtri ipſum opertorium torſi latrones, quantum ſufficere poſſet ſuperſtitum curæ, mortuorum ſecuritati.* Vetus inſcriptio, MEMORIÆ ET SECVRITATI PERPETVÆ. Plinius lib. 7. cap. 55. *At quanto faciliùs certiúſque ſibi quemque credere, & ſpecimen ſecuritatis antegenitali ſumere experimento?* Lucanus lib. 3.

Dum non ſecuros liceat mihi rumpere ſomnos.

41. 2. PROFITERIS ET VITÆ INCOMMODVM, ET MORTIS BENEFICIVM.] Seneca epiſt. 26. *Egregia res eſt, mortem condiſcere, ſuperuacuum forſitan putas id diſcere, quo ſemel vtendum eſt? Hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. Semper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. Qui mori didicit, ſeruire didicit, ſupra omnem potentiam eſt, certè extra omnem. Quid ad illum carcer & cuſtodia, & clauſtra? liberum oſtium habet.* Nazianzenus orat. 20. ὁ δὲ θάνατος ἐνεργέτης: *Mors mihi beneficium erit.* Et reddit rationem: καὶ γὰρ θᾶττον πέμψει με πρὸς Θεὸν, ᾧ ζῶ καὶ πολιτεύομαι: *Citiùs me ad Deum tranſmittet, cui viuo, & fungor meo munere.* Plinius lib. 25. cap. 3. *Ea vita conditio eſt, vt mori plerumque etiam optimus portus ſit.* Auſonius eidyllio 15. *Ergo optima Graiorum ſententia, quippe homini aiunt, Non naſci eſſe bonum, natum autem citò morte potiri.* Res hæc ampliſſima eſt, & multas poſſet implere paginas.

42. 2. EXTRA PORTAM.] Tumuli extra ciuitatem erant, & extra portam, & in viis. Iuuenalis Sat. 1.

---experiar, quid concedatur in illos
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Apud Euripidem in Rheſo ſupplicantur mortui λαοφόροις πρὸς ἐκτοπὰς, *ad diuerticula publicarum viarum.* Prudentius 1. in Symmachum,

---dis manibus illic
Marmora ſecta lego quacunque Latina vetuſtos.
Cuſtodit cineres, denſiſque Salaria buſtis.

Realinus, poſtea ex noſtris vir admirandæ ſanctitatis, eam partem dat ſepulchris, quæ eſſet ante portas vrbium: à quo abſtineo. Pauſanias, ad Meletidem Athenarum portam ſepulchrum adhibet in Atticis. Scææ portæ, verè ſcææ, in quibus ſepulchrum Laomedontis.

43. 2. CVM OBSONIIS.] Tertullianus de Reſurrect. carnis cap. 1. *Defunctis parentant, & quidem impenſiſſimo officio pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum, vt quos negant ſentire quicquam, etiam deſiderare præſumant.* Gaudentius 64. tract. De lectionibus Exodi: *Parentalia vnde malum idololatriæ extulit caput erroris: nam gulæ ſuæ cauſſa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent: poſt hæc etiam auſi ſunt ſacrificia eis ſacrilega celebrare, quamuis nec ipſi mortuis ſuis minùs ſacrificant parentalia, dum ſuper ſepulchrorum menſas, tremulis manibus vina fundentes ſpiritum balbutiunt.* Sed ſignatè Tertull. inquit *cum obſoniis*, quippe *obſonia* inter veterum oblationes locum habuerunt. Gregorius Turonenſ. lib. in gloriam confeſſorum cap. 2. ait, lacui cuidam, qui erat in religione Gentilium, oblata non ſolùm linteamina, pannos, vellera, ceras, ſed etiam *formas caſei & panis.* Et Auguſtinus lib. 6. confeſſ. cap. 2. loquens de matre ſua: *Cùm ad memorias ſanctorum, ſicut in Africa ſolet, pultes, & panem, & merum attuliſſet.*

2. MATTYIS.] Legit Pamelius *mattais*: ſed cùm referat ad locum Athenæi, & in Athenæo legatur *Mattya*, credibile eſt errorem irrepſiſſe. Præterea *Mattya* legit Heraldus in Martialem ad epigramma 59. lib. 10. Et Lipſius lib. 6. in Tacit. & Iunius in hunc locum. Vnus autem Turnebus lib. 22. cap. 6. legit *mactya*. Athenæus ſic lib. 14. ματτύη, παρὰ τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα. Eſt autem *mattya* pretioſum edulium, ſcitamentum, cupedia, quæ afferebatur in honorem mortuorum. Agnoſcit hanc vocem Martialis lib. 10. epig. 59. 44.

Dines, & ex omni poſita eſt inſtructa macello
Cœna tibi, ſed te mattya ſola iuuant.

Eadem vox eſt *mattya*, aut *mattyia*. Vnde *Maſiapan*, aut *Mazapan* à noſtratibus appellari auctor eſt multijugæ eruditionis vir, & mihi charus in primis Doctor Pennia Caſtellanus: qui & hinc verſum Martialis rectè corrigi atteſtatur,

Inter quadrupedes mattya prima lepus.

Cùm priùs legeretur,

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Mattya enim laudatiſſimi cibi genus eſt. Apud Senecam in Controuerſijs legimus *mactleam*, & Suetonius in Calig. cap. 38. *Multis venenatas mactleas miſit.* Omiſſo nomine, ad rem. Poſt nouem dies parentabatur, & de hac parentatione agit Tertullianus. Auguſtinus in Geneſim, adducente Lipſio loco adducto: *Neſcio vtrùm inueniatur alicui Sanctorum in ſcripturis celebratum eſſe luctum nouem dies, quod apud Latinos Nouendial appellant.* Donatus in Phormione: *In nuptijs ſeptimus dies inſtaurationem voti habet, vt in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* Mitto Virgilium, Statium, plures. Hæc eſt cœna, quam Apuleius vocat *feralem* lib. 3. Floridorum. Auguſtinus de Ciuit. lib. 9. cap. vlt. *Quicumque epulas ſuas eò* (ad ſepulcra Martyrum) *deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, et in pleriſque terris nulla eſt talis conſuetudo; tamen quicumque id faciunt, eas cùm apposuerint, orant & auferunt vt veſcantur.* Quod dicit excuſans. Cicero pro Flacco: *Sepulcrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audaciſſimorum & domeſticorum hoſtium conuentu epuliſque celebratum eſt.* Iuſtinus Mart. in Dialogo cum Tryphone: *Non vos quidem ſacrificaſtis ſtatuæ Baal, vt patres veſtri, neque in lucis & in excelſis locis bellaria & cupedias propoſuiſtis militiæ cœli.*

2. RECEDIS.] Iuſtus Lipſius loco adducto in Tacitum ſcribit *cedis*. Sed ſcribendum *recedis* Heraldus efficit lib. 1. Digreſſ. cap. 18. Nam ad buſta propriè recedebant, id eſt, reuertebantur, ſilicernium facturi. Cremato enim corpore, die nono ad buſta recedebant lecturi oſſa, & ibi aliquando ſilicernium conficiebant. Varro apud Nonium: *Funus exſecuti lautè ad ſepulcrum ſilicernium fecimus.* Hoc idem ſcribit Lucianus, libello περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ 45.

πωύντων : vbi etiam obſeruat, eos, qui tunc mortuis vnctis, ac coronatis, inferias ferebant, ad tumulum lautè conuiuari, atque adeò ſibi potiùs quàm mortuo parentare ſolitos : καὶ γὰρ ἐκείνου (τῷ νεκρῷ) καταχέαντες μύρον, καὶ ἐπὶ κεφαλὴν ἐπιθέντες, αὐτοὶ πίνουσι, καὶ εὐωχοῦνται τὰ παρεσκευασμένα. Ait πίνουσι : vnde Tertullianus, *& à buſtis dilutior redis.* Suberat aliquando, legendum *reſedis*, cum alluſione ad Agellium, in monumento enim reſides feriæ habebantur, & certum eſt reſediſſe illos, qui mortuis ſacra peragerent. Vide lib. 9. Æneid. ad illud,

---ſacrata valle reſedit.

Vbi locupletiſſimè de hac re egi.

46. 2. OFFENSÆ.] Vtitur hac voce Quintil. lib. 4. cap. 2. Suetonius Auguſt. cap. 66. Arnob. lib. 2. Lucifer Calaritanus de non parcendo in Deum delinquentibus.

2. TERRAM GRAVEM IMPRECARIS.] B Quintilianus declamatione 10. *Queritur ſolito terram grauiorem.* Et ſuprà dixerat : *Nunc barbaro carmine grauem terram totis noctibus pulſat.* Tibullus lib. 1. eleg. 4.

---infelix vrgeat oſſa lapis.

Seneca in Hippolyto,

Grauiſque tellus impio capiti incubet.

Propertius dixit :

Si fallo, cinis heu ſit mihi vterque grauis.

47. 2. CVI GRATIAM DEBES, OSSIBVS, &c.] Tibullus lib. 2. eleg. 4.

Et bene, diſcedens dicet, placidéque quieſcas,
Terráque ſecura ſit ſuper oſſa leuis.

Pedo Albinouanus,

Nunc ego quid poſſum ? tellus leuis oſſa teneto,
Et ſit humus cineri non oneroſa tuo.

Propertius lib. 2. eleg. 13.

Et ſit in exiguo laurus ſuperaddita buſto,
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum. C

Iuuenalis Sat. 7.

Dij maiorum vmbris tenuem, & ſine pondere terram,
Spirantéſque crocos, & in vrna perpetuum ver.

Martialis lib. 5.

Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra grauis fueris: non fuit illa mihi.

48. 2. REFRIGERIVM.] Vox Sanctis apprimè vſitata. Nyſſenus de his qui præmaturè abripiuntur : ἢ πυρὶ καθαιρομένῳ καὶ τοῖς τοῦ εὐαγγελίου φωναῖς, ἢ τῇ δρόσῳ τῆς εὐλογίας ἐναπψύχουσα : *Vel igni purgata, iuxta euangelij verba, vel in flore benedictionis refrigerata.* Dicuntur etiam hi *pauſantes.* Caſſianus Collat. 2. cap. 5. *Memoria & oblatione pauſantium indicaretur indignus.* Notat enim ibi Cuychius *pauſantes* vocari, qui ab hac vita commigrarunt : dicti à verbo παύομαι, quòd iam in requie ſint, & expectent corpus: & *repauſantes.* Euſebius Gallicanus Epiſcop. Homilia 8. ad Monachos : *Recordemur quàm iucunda ſit quies, quàm delectabilis repauſatio, poſt depoſitum alicuius grauiſſimi oneris faſcem ; quàm dulce ſit poſt longæ captiuitatis catenas ad charam patriam recuperata libertate remeaſſe ; quàm pretioſum ſit poſt multa nauigationis pericula ad optatam terram atque ad portum deſiderabilem peruenisse.* Sed de hoc alibi.

49. 2. REQVIESCAT.] In vita Sancti Sturmionis : *Super ſepulcrum verò beati martyris Bonifacij, auro argentóque compoſitam ſtatuit arcam, quam nos ſolemus Requiem appellare.* Et in vita beati Godethardi mulier quæpiam ita rogat virum Sanctum: *Reſuſcita filium meum, vt tantùm ſua confiteatur delicta, & ſanctis Eccleſiæ Sacramentis muniatur; & poſt, ſi Deo placuerit, in pace feliciter requieſcat.* Dionyſius Exiguus, de beato Palæmone in vita Macharij : *Venerabilis autem ſenex, omni virtutum gratia cumulatus, & plenus dierum, quieuit in pace.* Caſſiodorus lib. 6. Variarum 8. *Defunctorum ſacram quietem.* Nyſſenus oratione ad quadraginta Martyres, τῆς ἀναπαύσεως τῶν ἁγίων : *Requieſtionis ſanctorum.* Paulinus epiſt. 12. ad Seuerum,

Sancta ſub æternis altaribus oſſa quieſcunt.

Hæc vox in vſu Gentilibus vſurpata. Heliodorus enim 2. Hiſt. Æthiopicæ quemdam barbarum loquentem infert, πώπης εἰς πῶ ἑτέραν λῆξιν ἀνδυθείσης : *Hac cùm è corpore in aliam requiem exceſſiſſet.* Notat Taubmannus ad prologum Caſinæ, Priuorum hominum & coniugum ſepulcra appellari, *Requietoria, Locos, Oſſuaria, Cineraria.* Videſis illum. Cum alluſione ad requiem Chriſtianorum, cantatum Luthero (& quali animæ) *Requieſcat in pice.*

2. QVA NEC EXPERIENDVM POST MORTEM?] Semper hæc particula ſignificat partem, aut locum, vt qua parte, quo loco. Ergo: Cur times mortem, ſi nihil timendum poſt mortem, eo loco aut parte, qua nihil experiendum poſt mortem? Cùm hic ſit ſenſus idoneus, non oportet mutare lectionem in *quia.*

3. SED VT COMMODVM VITÆ AMPVTANTEM.] Gregorius Nyſſenus de Virginit. cap. 3. ἡ γὰρ ἀλυσιτελὴς τοῦ θανάτου προσδοκία, ἣν ἐπὶ ῥητοῖς τισὶ σημείοις ἐπιγινωσκομένη, ἀλλὰ διὰ πᾶν ἀδηλίαν τοῦ μέλλοντος, πάντοτε ὡς ἐπικρεμὰς φοβοῦσα, πᾶσι δεῖ παρεῖναι εὐφροσύνῃ συλλεῖ, ὑφ' ἑνὶ φόβῳ τῶν ἐλπιζομένων τὴν εὐθυμίαν ἐπιταράττουσα : *Nam aſſidua quotidianáque mortis expectatio, nullis certis neque definitis ſignis cognita, ſed propter incertos caſus ſemper, veluti præſens, perterrefaciens, hanc vitæ iucunditatem perpetuò turbat, atque rerum, quæ ſperantur, metu latitias omnes peruertit.* 50.

3. EA LVCRATIONE.] In vulgatis Pamelij legitur *& lucratione.* Quæ lectio mihi viſa eſt obſcura, ideò legi *ea lucratione*, ſecutus Iunium.

3. NON EST TIMENDVM, QVOD NOS LIBERAT AB OMNI TIMENDO.] Chryſoſt. Homil. 21. ad populum : οὔτε γὰρ θάνατον ἔτι δεδοικαμὲν, μανθάνοντες ἀκριβῶς παρὰ τῆς ἱερᾶς ταύτης μυσταγωγίας, ὅτι οὐκ ἔστι θάνατος ὁ θάνατος, ἀλλ' ὕπνος καὶ κοίμησις πρόσκαιρος. οὐ πενίαν, οὐ νόσον, οὐκ ἄλλό τι τῶν τοιούτων οὐδὲν, εἰδότες ὅτι πρὸς βελτίονα ζωὴν ὁδεύομεν ἀκήρατόν τε καὶ ἄφθαρτον, καὶ πάσης τοιαύτης ἀπηλλαγμένον ἀνωμαλίας : *Nec enim ampliùs mortem timemus, diligenter ex hac introductione diſcentes, quòd mors non eſt mors, ſed ſomnus & dormitio temporaria. Non pauperiem, non morbum, non aliud quicquam huiuſmodi, reformidamus, ſcientes, quòd ad meliorem tendimus vitam, immortalem et incorruptam, & ab omni tali liberam inæqualitate.* Senec. epiſt. 102. *Alia origo nos exſpectat, alius rerum ſtatus. Nondum cœlum, niſi ex interuallo, pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice : non eſt animo ſuprema, ſed corpori.* Inde idem vocauit epiſt. 70. *Senectutis optimos annos :* quia, *nouiſſimè incepit oſtendi publicus finis generis humani. Scopulum eſſe illum putamus, dementiſſimi? portus eſt, aliquando petendus, numquam recuſandus : in quem ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quàm qui citò nauigauit.* 51.

4. CVRTIOS.] Hic eſt ille qui ſe Diis Manibus dicauit pro ſalute patriæ : cùm enim ingenti hiatu deſediſſet terra in medio foro, reſponſúmque ac-

cepiſſent Romani non coituram labem, niſi aliquis ex nobilibus ſe eò deieciſſet, Curtius impendit vitam patriæ. De Regulo dixi in Apologet. cap. vltimo.

52. 4. ELOGIA.] In bonam partem. Budæus Thomæ Moro: *Verùm ô ſuaues tuas mihi litteras, vt dicere cœperam: ô ſuauiandum mihi librum meum de Aſſe, qui tot mihi pondo elogiorum grauiſſimorum, tot talenta Attica amicitiarum conciliauit:* id eſt, pondera elogiorum.

4. ITA STVDET.] Pamelius *iſta* legit, ſed legendum *ita* in promptu eſt, præterea omnes ſequuntur.

53. 4. NOMEN SVVM SERVET.] Virgilius dixit,

Et nunc ſeruat honos nomen tuum.

Vbi ſimiliter loquitur de ſepulchro. Xiphilinus in vita Traiani: καὶ ἔθηκεν ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ κίονα μέγιστον, ἅμα μὲν ἐς ταφὴν ἑαυτῷ, ἅμα δὲ εἰς ἐπίδειξιν τοῦ κτίσματος ἀγορᾶς ἔργου: *In foro ſuo columnam maximam collocauit, partim ſepeliendi ſui cauſſa, partim vt opus quod ipſe fecerat, circa forum poſteris oſtenderet.* Seneca de Breuitate vitæ ad finem: *Quidam verò diſponunt etiam illa, quæ vltra vitam ſunt, moles magnas ſepulcrorum & operum publicorum dedicationes.*

4. DE RESVRRECTIONE QVANDOQVE.] Tatianus aduerſum Græcos: καὶ διὰ τοῦτο καὶ σωμάτων ἀνάστασιν ἔσεσθαι πιστεύομεν μὴ πλὴ τῶν ὅλων συντέλειαν: *Quamobrem corporum quoque reſurrectionem fore credimus poſt conſummationem vniuerſorum.*

4. ABIIT.] Veteres in nominanda morte εὐφημίαν vitarunt, inde *vixit*, pro, mortuus eſt, veteribus vſitatum, & Ciceroni in primis. Eodem modo *abitionem* dixerunt pro morte. Feſtus: *Abitionem antiqui dicebant mortem.* Baſilius in Martyrem Iulittam: σὺ δὲ ἐκεῖνο λογίζου, ὅτι οὐκ ἀπέθανε τὸ παιδίον, ἀλλ' ἀπεδήμησε· οὐδὲ ἀπετελεύτησεν ὁ φίλος, ἀλλ' ἀπεδήμησε, καὶ μικρὸν προείληφε τῆς ὁδοῦ, ἵνα καὶ ἡμᾶς ἀναγκαίως δέηται πορεύεσθαι: *Illud velim tecum reputes, nempe puerulum haudquaquam eſſe mortuum, verius redditum: neque mortuus eſt amicus, ſed potius abiit peregrè, viámque qua & nos ingredi neceſſe erit, aliquanto anteuertit capeſſere.* Sancta Macrina (auctore Nyſſeno in eius vita) ludificata eſt nuptias poſteriores, cùm primus, non maritus, ſed ſponſus obiiſſet, dicens, ἀπόδημον, καὶ οὐ νεκρὸν, *illum profectum eſſe peregre, & non mortuum.* Non abit quod Sanctus Aſtion dixit Vigilantio: *Si aliquis venerit miſſus à patre meo ad quærendum me, introduc eum in hanc domunculam meam, & dicito ei, hæc dicit Aſtion monachus, ſuſtine me hîc, quo ad vſque redeam ad te cum ſalute,* videlicet poſt mortem, & ita mox accidit. Liceat addere Plautum huic cumulo Sanctorum, qui Trinummo dixit: *Me ad plures penetraui:* id eſt, abij ad mortuos. Et Phœdrum fabula 77.

Abiturus illuc, quò priores abierunt.

In particula *iam* quæ ſequitur, videtur vis tota Adagij poſita, monente Hoyo Brugenſi, quæ longum ſpatium innuit. 54.

CAP. V. ARGVMENTVM.

De Auctoritate teſtimoniorum animæ.

TERTVLLIANVS.

55. 1. HÆc teſtimonia animæ quanto vera, tanto ſimplicia: quanto ſimplicia, tanto vulgaria: quanto vulgaria, tanto communia: quanto communia, tanto naturalia: quanto naturalia, tanto diuina: non putem cuiquam friuolum aut frigidum videri poſſe, ſi recogitet naturæ maieſtatem, ex qua cenſetur auctoritas animæ. Quantum dederis magiſtræ, tantum adiudicabis diſcipulæ: magiſtra natura, anima diſcipula. Quicquid aut illa docuit, aut iſta perdidicit, à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ. Quid anima poſſit de principali inſtitutore præſumere, in te eſt æſtimare de ea quæ in te eſt. Senti illam, quæ vt ſentias efficit; recogita in præſagiis vatem, in ominibus augurem, in euentibus proſpicem. Mirum ſi à Deo data homini, nouit diuinare. Tam mirum, ſi eum, à quo data eſt, nouit. Etiam circumuenta ab aduerſario meminit ſui auctoris, & bonitatis, & decreti eius, & exitus ſui, & aduerſarij ipſius. Sic mirum, ſi à Deo data, eadem canit, quæ Deus ſuis dedit noſſe.

EXPLICATIO.

56. 1. HÆc *teſtimonia animæ*, &c. Omnia recidunt in illa, *quanto vera*, tanto diuina: quò vt perueniat, per gradus tendit. *Non putem*, &c. An friuolum, & frigidum videbitur, quod à naturæ maieſtate procedit, quæ magiſtra animæ? *Quicquid aut*, &c. Magnum eſt, Deum inſtitutorem eſſe vtriuſque, & magiſtrum naturæ, quæ eſt magiſtra animæ. *Quid anima poſſit*, &c. Etenim anima quàm glorioſa ſit de tam ineffabili inſtitutore Deo, *æſtimare* potes *de ea* anima, *quæ eſt in te. Senti illam*, quæ efficit vt tu vel nolens *ſentias* ipſam. *Recogita* quàm ſit vates optima in præſagiis diuinandis, in augurijs captandis, & ominibus quàm ſciens augur; proſpex denique ſecura in omni euentuum genere, prouida, & de longè aduertens. *Mirum ſi à Deo*, &c. Si mirum non eſt quòd à Deo data *nouit* anima *diuinare*, æquè mirum non eſt, imò minùs, *ſi eum à quo data eſt, nouit. Etiam circumuenta*, &c. Obſeſſa anima & in tribulatione poſita à Satana, qui inſtar leo rugiens, circumquærens quem deuoret, *meminit ſui auctoris, & bonitatis,*

nitatis, & decreti eius, quo destinauit gehennæ ignibus diffidentes, demum mortis & aduersarij Satanæ. Sic nimirum fortis in fide resistit Satanæ in tribulatione sua, anima. *Sic mirum*, &c. Eodem modo mirum non debet videri, si laudes auctori suo canit.

57. 2. Sed qui eiusmodi eruptiones animæ non putauit doctrinam esse naturæ, & congenitæ & ingenitæ conscientiæ tacita commissa, dicet potiùs de ventilatis in vulgus opinionibus publicatum vsum, iam & quasi vitium corroboratum taliter sermocinandi. Certè prior anima quàm littera, & prior sermo quàm liber, & prior sensus quàm stilus, & prior homo ipse quàm philosophus & poëta. Numquid ergo credendum est ante litteraturam & diuulgationem eius mutos absque huiusmodi pronuntiationibus homines vixisse? Nemo Deum & bonitatem eius, nemo mortem, nemo inferos loquebatur: mendicabat sermo, opinor, imò nec vllus esse poterat, cessantibus etiam tunc, sine quibus hodie iam beatior, & locupletior, & prudentior esse non potest, si ea quæ tam facilia, tam assidua, tam proxima hodie sunt, in ipsis quodammodo labiis parta, retro non fuerunt, antequam litteræ in seculo germinassent, antequam Mercurius, opinor, natus fuisset. & vnde ordo ipsis litteris contigit, nosse, & in vsum loquelæ disseminare, quæ nulla vnquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat?

58. 2. Qui hos impetus, quibus anima erumpit, non putauit doctrinam esse, & facultates quasdam tacitè commissas conscientiæ, & notitiæ ingenitæ & congenitæ ipsius animæ, *dicet potiùs* de sententiolis istis iactatis vulgò, illas desumptas ex libellis aliquibus in vsum loquendi, imò & *vitium* esse *corroboratum* iam *taliter sermocinandi. Certè prior*, &c. Euertit hoc argumentum, & arguit contra affirmantem vsum loquendi desumptum animæ ex istis libellis. Clara sunt. *Nemo Deum & bonitatem*, &c. Quasi nemo Deum loqueretur, nec de eius bonitate sententiam aliquam sciret, nec de morte propria, nec de inferis quibus destinantur proterui. *Mendicabat sermo*, &c. Quasi indigus esset & mendicaret sermo, vel potiùs quasi nullus esset. Mendicare sermonem, probat. Quia tunc cessabant litteræ, quæ cùm erupêre, sermo floridior exstitit, quàm quis putaret. Nullum esse, probat. Quia ista, quæ tam facilia sunt, vt in ipsis prope germinent labellis, tunc non fuere, nec Mercurius natus fuerat, qui docuit litteras. Tu ista mihi dicis? apage hinc, & nosce *vnde ordo ipsis litteris contigit*? nempe *nosse, & in vsum loquelæ disseminare*? Etenim antequam locupletior esset hic sermo, *antequam germinassent litteræ* sub Mercurio, anima iam his formulis eruperat; & ordinem litterarum tenuerat, & nosse sciebat, & *in loquelæ vsum* ea disseminabat, quæ nulla mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat.

59. 2. At enim cùm diuinæ scripturæ, quæ penes nos vel Iudæos sunt, in quorum oleastro insiti sumus, multo secularibus litteris, non modica tantùm ætate aliqua antecedant, vt loco suo edocuimus, ad fidem earum demonstrandam: etsi hæc eloquia de litteris vsurpauit anima, vtique de nostris credendum erit, non de vestris: quia potiora sunt ad instruendam animam priora, quàm postera, quæ & ipsa à prioribus instrui sustinebant: cùm etsi de vestris instructam concedamus, ad originem tamen principalem traditio pertineat, nostrumque omnino sit quodcumque de nostris sumpsisse & tradidisse contingit vobis. Quod cùm ita sit, non multum refert, an à Deo formata sit animæ conscientia, an litteris Dei. Quid igitur vis homo, de humanis sententiis litterarum tuarum exisse hæc in vsus communis callositatem?

60. 3. *At enim cùm*, &c. Ostendit, quando concedatur hunc morem loquendi animæ ortum à litteris, dicendum id esse, à sacris prioribus, non à secularibus posterioribus: & si à secularibus, cùm secularia instruantur diuinis, ad diuina referendam esse traditionem. Hæc latè dilatat. *Callositatem* autem vocat, quia suprà dixerat, vel potiùs refutarat, has locutiones animæ sumptas è libellis quibusdam, & esse *vitium* dixerat. *Callositas* ergo videtur vitio respondere, nisi placeat Pamelius, qui pro vetustate accipit.

NOTÆ.

61. 1. FRIGIDVM.] Ioannes Chrysostomus orat. 1. de ira, ψυχραὶ κατηγορίαι: *Frigidas caussificationes.* Et Homil. 1. ad Populum, ψυχρὸν ῥῆμα: *verbum frigidum.*

1. PROSPICEM.] Inde *prospico, prospicas.* Nam Næuius: *tibi prospica & dispice.* id est, tibi prospice & dispice.

2. TACITA COMMISSA.] Vvouerenius legit, *tacitè commissam* ex Veteri libro. & Iunius, *publicatum*, quem sequimur pro *publicatarum.* Dicit enim vsum publicatum, & vitium corroboratum.

62. 2. PRIOR ANIMA, QVAM LITTERA, &c.] Idem argumentum conficit Magnus Antonius, teste Athanasio, in eius vita, contra philosophos quosdam. ὑμεῖς δὲ πῶς λέγετε, τί πρῶτον ἔδει, νοῦς ἢ γράμματα; καὶ τί πόθεν ἄπιον, ὁ νοῦς τῶν γραμμάτων, ἢ τὰ γράμματα τοῦ νοῦς; τί δὲ εἰπόντων, πρῶτον εἶναι τὸν νοῦν καὶ τῶν γραμμάτων εὑρετήν, ἔφη ὁ Ἀντώνιος· ᾧ τοίνυν ὁ νοῦς ὑγιαίνει, οὐκ ἀναγκαῖα τὰ γράμματα: *Respondete mihi, quid prius, sensus an litteræ, & quid cuiusque exordium? sensus ex litteris, an litteræ oriuntur ex sensu? illis asserentibus, quia sensus esset auctor atque inuentor litterarum, ait: igitur, si cui sensus incolumis est, hic litteras non requirit.*

2. ET VNDE ORDO IPSIS LITTERIS CONTIGIT? NOSSE, &c.] Adiicit Iunius, *vnde.* Sic, *vnde ordo ipsis litteris contigit? vnde nosse*, &c. Malè: nam *ordo ipse* est *nosse.* perinde ac si dicat. vnde ordo ipsis litteris contigit? scilicet, quæ nouerunt & disseminant. 63.

3. IN QVORVM OLEASTRO INSITI SVMVS.] Latinius legit, *In quorum olea ex oleaſtro inſiti ſumus.* & ſic putat ſupplendum locum. Prudentius in Apotheoſi aduerſum Iudæos, ita ait:

Heu frondoſa priùs ramis felicibus arbos!
Pinguibus heu quondam radix oleagina baccis!
Ecce tibi inſerto reuireſcit tunc oleaſtro
Truncus, & externi veſtitur cortice libri.

3. VT LOCO SVO EDOCVIMVS.] Videlicet in Apologetico cap. 19.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Epilogus omnium.

TERTVLLIANVS.

64. 1. CREDE itaque tuis, &, de commentariis noſtris, tanto magis crede diuinis, ſed de animæ ipſius arbitrio perinde crede naturæ. Elige quam ex his fideliùs ſororem obſerues veritatis. Si de tuis litteris dubitas; neque Deus, neque natura mentitur: vt & naturæ & Deo credas, crede animæ, ita fiet, vt & tibi credas. Illa certe eſt, quam tanti facis, quantum illa te facit, cuius es totus, quæ tibi omnia eſt, ſine qua nec viuere potes nec mori, propter quam Deum negligis. Cùm enim times fieri Chriſtianus, eam conueni: cur alium colens, Deum nominat? cur, maledicendos ſpiritus denotat, dæmonia pronuntiat? cur ad cœlum conteſtatur, & ad terram deteſtatur? cur alibi ſeruit, alibi vindicem conuenit? cur de mortuis iudicat? cur verba habet Chriſtianorum, quos nec auditos viſóſque vult? cur aut nobis dedit ea verba, aut accepit à nobis? cur aut docuit, aut didicit? Suſpectam habe conuenientiam prædicationis in tanta diſconuenientia conuerſationis.

EXPLICATIO.

65. 1. CREDE tuis etiam diuinis, quia à noſtris proceſſerunt. Itaque ſic compone, crede itaque tuis litteris, & tanto magis crede diuinas eſſe, quanto noſtræ ſunt, quia de noſtris proceſſerunt. Sed perinde crede naturæ de arbitrio ac ſententia ipſius animæ. *Elige quam*, &c. Elige ex natura & anima *ſororem veritatis*, quam malis. *Si de tuis*, &c. Clara ſunt. *Illa certè*, &c. *Illa certè eſt* anima *quam tanti* æſtimas, *quantum illa* totum *te facit.* Itaque prima oratio, *quanti facis* eſt, æſtimas. ſecunda oratio, *quantum illa te facit*, eſt, æſtimari facit. Hiſpanè diceres, *alaqual eſtimas entanto, quanto ella te dio el ſer eſtimado.* Sequitur. *Propter quam Deum negligis*, vilipendis ſcilicet Deum, vt ſerues animam, & explicat ſtatim. *Eam conueni*, conſulta animam. *Cur alium colens, Deum nominat?* cur, cùm alium falſum Deum colat, Deum verum nominet? *Cur, cùm maledicendos ſpiritus denotat, dæmonia pronuntiat?* cur pronuntiat dæmonia, quoties vult *maledicendos ſpiritus* denotare? *Cur ad cœlum conteſtatur, & ad terram deteſtatur?* Cur cùm Deum ſupplicat pro aliquo bono, ſuppliciter manus ad cœlum tendit, & ſimiliter cùm pro aliquo malo Deum iratum eſſe vult, terram ipſam intuetur, & optat deglutire illũ? Niſi dicas: Deum in cœlum ſuſpiciens teſtẽ aduocat, & vultu in terrã demiſſo dæmonia exſecratur. *Cur alibi ſeruit, alibi vindicẽ conuenit?* cur cùm ſeruiat dæmoniis, Deum *vindicem* pro ſe & vindicatorem quærit? *Cur de mortuis iudicat*, tribuens eis præmia, vel pœnas? *Suſpectam habe*, &c. *Suſpectam habe conuenientiam* doctrinæ (hic eſt ſenſus, non ille de prædicatis & ſubiectis) *in tanta diſconuenientia* morum & vitæ.

66. 2. Vanus es, ſi huic linguæ ſoli, aut Græcæ, quæ propinquæ inter ſe habentur, reputabis eiuſmodi, vt neges naturæ vniuerſitatem. Non Latinis, nec Argiuis ſolis anima de cœlo cadit. Omnium gentium vnus homo nomen eſt, vna anima, varia vox; vnus ſpiritus, varius ſonus, propria cuique genti loquela, ſed loquelæ materia communis. Deus vbique, & bonitas Dei vbique, dæmonium vbique, & maledictio dæmonij vbique; mors vbique, & conſcientia mortis vbique, & teſtimonium vbique. Omnis anima iure ſuo proclamat, quæ nobis ne mutire conceditur. Meritò igitur omnis anima rea, & teſtis eſt, in tantum & rea erroris, in quantum teſtis veritatis, & ſtabit ante aulas Dei die iudicij nihil habens dicere. Deum prædicabas, & non requirebas: dæmonia abominabaris, & illa adorabas: iudicium Dei appellabas, nec eſſe credebas: inferna ſupplicia præſumebas, & non præcauebas: Chriſtianum nomen ſapiebas, & Chriſtianum perſequebaris.

67. 2. Falleris, ſi eiuſmodi animæ enuntiata tribuas tantùm Latinis & Græcis, ita vt exiſtimes naturam non ea in vniuerſas gentes diſſeminaſſe. *Cadit*, contingit diuina anima. *Vnus homo nomen eſt; omnium gentium nomen vnus homo eſt.* Omnium gentium nomine licèt enunties plures homines differentes linguis, moribus, inſtitutis, tamen vnus homo eſt in ratione hominis; & vna anima tam *de cœlo cadit* omnibus quantumuis barbaris, quàm Græcis & Latinis, cùm tamen varia vox ſit: ſpiritus & proclamandi ratio, vna eſt omnibus hominibus, *varius* eſt tamen *ſonus:* vnicuique *genti* ſua eſt *propria loquela*, ſed loquelæ materia communis eſt omnibus, ex Ariſt. 2. cap. Peri hermenias. Etenim dentes, & lingua, & pulmones, communia ſunt ad loquendum. *Deus vbique*, &c. Hæc tantùm egent lectore. *Teſtimonium vbique*, animæ teſtimonium vbique eſt. *Proclamat; ea quæ nobis ne mutire conceditur.* Reliqua quiuis ſapiet.

NOTÆ.

68. 1. CREDE ITAQVE TVIS, &c.] Iſte tenor punctorum, quem poſui, neceſſarius eſt, alioquin non intelliges. Nam tuis, vt diuinis, debes credere.

1. SOROREM.] Aliquis poſſit putare legendum fortaſſe, *doctorem*. Sed nihil mutandum.

1. QVANTVM ILLA TE FACIT.] Malè corrigit Iunius *quanti*, nec intellexit ſermonem.

1. CVR AD CÆLVM CONTESTATVR, ET AD TERRAM DETESTATVR.] Notat Macrobius lib. 3. cap. 9. & Seruius lib. 3. Æneid. Veteres pro qualitate Numinum interdum ima, interdum ſumma reſpexiſſe. Eſt *conteſtari*, teſtem palam ciere. Cicero in Verrem: *Deos hominéſque conteſtatus.* Idem Cic. appellat *conteſtatum*: de diuinatione: *Quem enim non moueat clariſſimis monumentis conteſtata conſignatáque auctoritas.* Eſt autem *deteſtor* execror & abominor.

1. SVSPECTVM, &c.] Iunius ſic legit: *Suſpectam habes conuenientiam prædicationis in tanta diſconuenientia conuerſationis?* Neque interrogatio, nec mutatio temporis, neceſſaria eſt.

69. 2. VNVS HOMO NOMEN EST.] Iunius ſic legit: *Vnus homo varium nomen eſt.* Vvoueren. ſic: *Omnium gentium varium nomen eſt.* neuter intellexit Tertullianum. nam vnum tantùm dixit eſſe hominem in ratione hominis, & hoc eſt vnum nomen. Nam ſi accipiatur hæc *varietas*, quam illi admittunt, idem eſſet dicendum de *ſpiritu*, quem Græci dicunt πνεῦμα. Non enim eſt maior ratio vnius, quàm alterius.

2. DEVS VBIQVE.] Ioannes Chryſoſt. orat. 2. aduerſus Iudæos, de Deo, ὁ πανταχοῦ παρὼν, καὶ τὰ πάντα πληρῶν: *Vbique præſens, omnia adimplens.*

2. TESTIMONIVM VBIQVE.] Explicui hanc litteram, veruntamen ſi mutes, erit egregius ſenſus: *Teſtimonium vbique omnis anima iure ſuo proclamat.*

2. IN TANTVM, IN QVANTVM.] Ita quoque Cyp. de bono patientiæ loquens de Tobia: *In quantum patienter cæcitatem tulit, in tantum gaudenter Deum patientiæ laude promeruit.* Amb. lib. ad Virginem lapſam cap. 4. *In quantum ſibi ſperabant mercedem, in tantum intellige* &c. Auguſtinus epiſt. 6. *In tantum ergo videbimus, in quantum ſimiles ei erimus.* Sileo Virgilium 6. Æn. Paterculum lib. 2. Prudentium, Rutilium Numantinum. Raphalengius hos auctores non expendit, cùm negauit phraſin eſſe Latinam.

2. ET STABIT ANTE AVLAS DEI.] Rhenanus, *& ſtabilis.* Nihil mutandum. Illud *ante aulas Dei*, eſt, ante palatia Dei, niſi fortaſſe ſermo ad oues pertineat, & legendum ſit, *ante caulas Dei.* Nihil tamen mutandum.

2. NIHIL HABENS DICERE.] Inconcinnè corrigit hunc locum Iunius, *Nihil habens dicere, ſed audiens dicere, Deum.* Concinniſſima enim eſt ſententia, *Nihil habens dicere. Deum*, &c.

FINIS DE TESTIMONIO ANIMÆ.

AD SCAPVLAM,

SIVE LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

QVVM ſuo Apologetico Romam miſſo adeò nihil ſe profeciſſe videret Tertullianus, vt Scapula Africæ Præſes Carthagini cæteris crudeliùs in Chriſtianos graſſaretur, hunc libellum velut deprecationum ad illum miſit.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Præfatio ad Scapulam.

TERTVLLIANVS.

I. 1. NOS quidem neque expaueſcimus, neque pertimeſcimus ea, quæ ab ignorantibus patimur: cùm ad hanc ſectam vtique ſuſcepta eius conditione, pacti venerimus, vt etiam animas noſtras auctorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit, conſequi optantes; & ea quæ diuerſæ vitæ comminatur, pati timentes. Denique cum omni ſæuitia veſtra concertamus, etiam vltro erumpentes: magíſque, damnati quàm abſoluti, gaudemus.

EXPLICATIO.

1. CONSTANTEM ſe, & conſtantes Chriſtianos omnes aſſeuerat, adeo vt nec expauerint nec pertimuerint, atrocia omnia, quæ illis ignorantes poſſunt obiicere. *Cùm ad hanc*, &c. Nam ad diuinam hanc ſectam ita venimus comparati, vt animas etiam noſtras auctorauerimus obligauerimúſque ad has pugnas, optantes conſequi quæ Deus promittit; ſimiliter timentes pati inferos, quos comminatur his qui alienam vitam ſectantur, & qui amant animas ſuas in hoc ſæculo. *Denique cùm*, &c. Nihil denique eſt, quod non certemus contra vos, erumpentes etiam ipſi ad ſubeundam ſæuitiam veſtram etiam vltro ſermone & facto: demum ea eſt noſtra, vt dicitis, obſtinatio, vt damnari magis quàm abſolui gaudeamus.

2. 2. Itaque hunc libellum non nobis timentes miſimus, ſed vobis & omnibus inimicis noſtris, nedum amicis: ita enim diſciplina iubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis qui nos perſequuntur: vt hæc ſit perfecta & propria bonitas noſtra, non communis. Amicos enim diligere, omnium eſt; inimicos autem ſolorum Chriſtianorum. Qui ergo dolemus de ignorantia veſtra, & miſeremur erroris humani, & futura proſpicimus, ſigna eorum quotidie intentari videmus, neceſſe eſt vel hoc modo erumpere ad proponenda vobis ea quæ palam non vultis audire.

2. *Nedum amicis.* Concipe ita: Non timemus nobis, quia nulla timoris cauſſa eſt: ſed timemus vobis, quia veſtrum eſt damnum, & adhuc omnibus *inimicis noſtris*, non ſolùm *amicis*. Hoc enim omnibus hominibus à natura inſitum eſt: *inimicos* autem *diligere* proprium eſt noſtrum. *Diſciplina*, *Por la enſiñanza nueſtra*. *Perfecta & propria bonitas noſtra.* Quis vnquam hoc audiuit, niſi in Chriſtiano populo? Quamobrem Tertullianus alibi, *Amicos diligere*, *omnium*; *inimicos*, *duntaxat Chriſtianorum*. Proſequitur. *Signa eorum quotidie intentari videmus.* Quotidie in nos caſtra mouent, ſigna intentant, bellum gerunt. Vel potiùs, videmus quotidie ſigna perſecutionis, quæ nos expectat, quam vos impunè laturi non eſtis. vt habetur 3. cap. in principio. Vel potiùs, proſpicimus futura ſupplicia, quæ vos manent in extremo iudicio, cuius appropinquantis ſigna cælitus denuntiari videmus. *Neceſſe eſt vel hoc modo erumpere.* Videtur ſermo trahi à bello. Neceſſarium duximus eruptionem fieri aduerſum vos, & aperto Marte pugnare, & ſiſtere vobiſcum in gradu. *Palam.* Quid ni pugnemus & erumpamus, cùm nolitis nos loquentes audire, nec ſuſtinere (ſic dicam) ore veſtro os noſtrum.

NOTÆ.

3. 1. NOS QVIDEM NEQVE EXPAVESCIMVS, &c.] Nazianz. orat. 20. Τὸν Θεὸν τὸ κινδυνευόμενον καὶ προκείμενον, τὰ ἄλλα περιφρονοῦντες, πρὸς ἑαυτὸν μόνον βλέπομεν· πῦρ δὲ καὶ ξίφος καὶ θῆρες, καὶ οἱ παὶ σαρκὸς τέμνοντες ὄνυχες, τρυφὴ μᾶλλον ἡμῖν εἰσιν, ἢ κατάληξις: *Verùm vbi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ, & vngulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac deliciis potiùs sunt quàm terrori.* Prudent. in Agone Rom.

Conspirat vno fœderatus spiritu,
Grex Christianus, agmen imperterritum,
Matrum, virorum, paruulorum, virginum:
Fixa & statuta est omnibus sententia,
Fidem tueri, vel libenter emori.

4. 1. AVCTORATI.] Bene explicant, *obligati*, & *addicti*, vnde *auctorati milites*. Seneca in Apocolocyntheſi: *Proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet*. Erant enim *auctorati* qui ſe locauerant mercede ad gladium, vt Acron & Porphyrion in Horatio teſtantur. & *auctoramentum* merces eſt, vt apud Paterculum, *In ea iugulati ciuis, Reipubl. constitueretur auctoramentum*, id eſt, conſtitueretur merces & præmium ei qui proſcriptum trucidaret. Cicero lib. 1. de officiis: *Merces ipsa mercenariis auctoramentum est seruitutis*. itémque *auctorare* eſt iſtud præmium mercedémque quærere. Vt de Perpenna Sertorij interfectore idem Paterculus: *Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctorauit facinore*. Dixi ſæpius, & vide librum ad Martyras.

5. 2. INIMICOS AVTEM SOLORVM CHRISTIANORVM.] Notum illud, *Diligite inimicos vestros*. Nam & Hebræi, qui ex præcepto habebant, *diliges proximum*, in eadem lege habebant, *& odio habebis inimicum*, quod intelligendum eſt non de priuato inimico eiuſdem populi, niſi de finitimis nationibus, cum quibus ex præcepto Dei bellum gerebant, vt publicis religionis hoſtibus: odium verò intelligitur non de affectu animi, ſed de effectu operum. Apologet. 31. *Scito ex illis præceptum esse nobis, adredundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari.*

CAP. II. ARGVMENTVM.

De Christianorum innocentia.

TERTVLLIANVS.

6. 1. NOS vnum Deum colimus, quem omnes naturaliter noſtis, ad cuius fulgura & tonitrua contremiſcitis, ad cuius beneficia gaudetis. Cæteros & ipſi putatis Deos eſſe, quos nos Dæmonas ſcimus. Tamen humani iuris & naturalis poteſtatis eſt, vnicuique quod putauerit, colere; nec alij obeſt, aut prodeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi: & cùm hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur. Ita & ſi nos compuleritis ad ſacrificandum, nihil præſtabitis Dijs veſtris; ab inuitis enim ſacrificia non deſiderabunt, niſi contentioſi ſint: cõtentioſus autem Deus non eſt. Denique qui eſt verus, omnia ſua ex æquo, & profanis, & ſuis præſtat. Ideóque & iudicium conſtituit æternum de gratis & ingratis. Tamen nos, quos ſacrilegos exiſtimatis, nec in furto vnquam deprehendiſtis, nec dum in ſacrilegio. Omnes autem qui templa deſpoliant, & per Deos iurant, & eoſdem colunt, & Chriſtiani non ſunt, & ſacrilegi tandem deprehenduntur. Longum eſt, ſi retexamus quibus aliis modis, & derideantur & contemnantur omnes Dij ab ipſis cultoribus ſuis.

EXPLICATIO.

7. 1. PLERAQVE huius tractus clara ſunt, nos vnum aut alterum annotabimus, potiùs mõri inſiſtentes, quàm neceſſitati. *Sed nec religionis*, &c. Sed vnus hæreticus cogendus eſt, & adigendus, &c. Itaque ſententia Noſtri ſtat in Iudæo, aut Turca; iſti enim non debent cogi. *Contentioſus autem*, &c. *Deus* verus *contentioſus non eſt*. *De gratis, & ingratis*, ſuos vocat *gratos*; profanos, *ingratos*. Illud, *necdum in ſacrilegio*, grauius eſt delictum. Non deprehendiſtis nos in furto, multo minùs in ſacrilegio. *Omnes autem*, &c. Gentiles autem omnes, & hi ſunt *qui templa deſpoliant*, &c. nequaquam Chriſtiani ſunt, at in ſacrilegio *deprehenduntur*, & irrident, & contemnunt Deos veſtros.

8. 2. Sic & circa Maieſtatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani: ſed iidem ipſi, qui per Genios in pridie vſque iurauerant, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant & vouerant, qui Chriſtianos ſæpe damnauerant, hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris: quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt vt & ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluum velit, cum toto Romano Imperio, quouſque

2. *Thess.* 2. seculum stabit: tamdiu enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic, quo modo nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum & ipsi
1. *Tim.* 2. in potestate sunt eius. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius: sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus conditor vniuersitatis, odoris, aut sanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt. Dæmones tamen non tantùm respuimus, verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est. Ita nos magis oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.

9. 2. *Albiniani.* Clodius Albinus rebellauit in Gallia aduersus Seuerum: scribit hoc Spartianus. *Nigriani.* Pescennius Niger à Syriacis legionibus dictus est Imperator contra Seuerum. *Cassiani.* Auidius Cassius L. Vero Imperatori insidias struxit, qui occisus fuit, non iubente illo, sed non vetante. *Sed iidem ipsi*, &c. Veteres per Genium principis, hoc est, per dæmonium iurauère. *In pridie vsque.* Credo notat hesternum diem, quem Latini voce vnica dicunt *Heri.* Vt dicat: qui enim pro suis Imperatoribus iurauerant, iam hodie reperti sint eorum hostes. Apagite Gentiles fidem hanc fluxam & facilem. *Diligat*, &c. Nota gradus quatuor, quos ponit in amando principe etiam tyranno, *diligere, reuereri, honorare, saluum velle.* Honorare autem dicit potestatẽ illam, quam honorariã dicimus, quũ vectigalia damus. *Tamdiu enim stabit.* Hoc ex illo 2. c. ad Thessal. *Qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat.* id est, tantũ qui nunc obstat Romanus principatus obstabit, vsque dum prorsus è medio tollatur. Ista copiosiùs cap. 32. Apologetici. *Solo Deo minorem.* Ita opinio increbuit, & verè, Imperatorem Romanum vnicum habere supra se Deum. *Sic & ipsis Diis*, &c. Quis hoc neget? *Itaque & sacrificamus*, hoc est, oramus, petimus, deprecamur, & sacrificamus, inquit, pro imperatore, qui tunc erat infidelis, nimirum Deo nostro & ipsius: & adhuc, *pura prece*, non odore aut sanguine. *Respuimus*, sputamento contumelia infertur Dæmoniis. *Reuincimus*, vincti & reuincti torquentur. *Traducimus*, ridendos præbemus. *Expellimus*, donec tandem à corporibus amandamus.

10. 3. Et vtique ex disciplina patientiæ diuinæ agere nos satis manifestum esse vobis potest, cùm tanta hominum multitudo pars pene maior ciuitatis cuiusque in silentio & modestia agimus, singuli fortè noti magis quàm omnes, nec aliunde noscibiles quàm de emendatione vitiorum pristinorum. Absit enim vt indignè feramus ea nos pati quæ optamus, aut vltionẽ à nobis aliquã machinemur, quam à Deo expectamus.

11. 3. *Et vtique*, &c. Agimus modestè, & patientissimè ferimus, quæ nobis mala infliguntur, & in omni ciuitate pars maior Christianorum est, quàm Gentilium, sed silentio adeo noti, vt *singuli* fortasse magis noscantur, *quàm omnes* simul, ita vt liceat ex quolibet cognoscere omnes. Vel singuli nosci possunt modestia sua & virtute. Vnumquemque, vt videris, Christianum dices. Omnes non noti, quia nulla ab illis perturbatio, nullus tumultus. Nec aliunde magis potestis eos cognoscere, quàm ex modestia, conuersatione, & vitiorum contemptu. *Absit enim*, &c. Vnde liquet nos non molestè ferre, quæ patimur, neque vindictam optare de inimicis, quam Deo reseruamus.

NOTÆ.

12. 1. EX ÆQVO.] Græci ἐν ἴσῳ quæ locutio est Cyrilli Alex. in cap. 9. Amos. mitto infinitos.

1. SACRILEGOS.] Dixi abundè. Inde olim & theatris vociferabantur, *Tolle magos, tolle impios, tolle sacrilegos.*

1. LONGVM EST, SI RETEXAMVS, &c.] Lucianus in Toxari, postquã factũ narrauit Dianę abreptę à Scythis, addit ὥστ' εἰ διὰ πάντα τιμᾶτε τοὺς ἀδελφεούς, ἐκεῖνοι τε πολλοὺς ὑμίων ἀπὸ τῆς ἐξεργασόμεθα: *Quod si ob istiusmodi facta honorẽ habetis viris, facilè assecuti fueritis, vt multos illorum similes reddatis.* Eusebius Gallicanus aduersus idololatras: *Dic mihi cùm ligrum veneraris ac lapidem, si tibi diceretur, talis sis qualis Deus tuus: nũnquid non conuitium crederes? nunquid non iniurias computares? & illum te non pudet venerari, cuius te nolles similitudinẽ dici, cui te erubesceres comparari?* Sanctus Martialis (vel quis ille) in epistola ad Burdegalenses, cap. 2. *Simulacra vestra antiqua diruistis.* & cap. 3. *Honorabatis Sacerdotes, qui decipiebant vos sacrificiis suis, qui mutis & surdis statuis offerebant, quæ nec se nec vos iuuare poterant: nunc autem multò magis Sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuat in calice & viuo pane, honorare debetis.* & postea: *Ipse enim Sigebertus, qui antè consulebat dæmonia, seruus creaturæ; nunc in fide Domini* Iesv *Christi perfectus, soli Creatori seruiens, pro stercore reputat ipsa dæmonia, quibus antè seruiebat.* Et in epistola ad Tolosanos c. 8. *Ipsius enim iussu* (id est Stephani) *idola Cadurci ac Tholosanæ vrbis, & cõfinis eius iã nuper diruta sunt.*

13. 2. ALBINIANI, &c.] Tertull. Apol. 35. *Vnde Cassij, & Nigri, & Albini? Vnde qui inter duas lauros obsidẽt Cęsarem?* Zosimus. 1. Hist. τῆς δὲ γερουσίας, &c. *Senatu verò ad deliberationem, cui tradendum esset imperium, rursus adhibito, Seuerus Imperator designatus fuit. At quum idem Imperium Albinus atque Niger inuasissent, orta sunt inter eos bella ciuilia non exigua*, &c. Mox dicit quemadmodum Niger atque Albinus interfecti fuerint.

2. QVI PER GENIOS EORVM, &c.] Tertull. c. 32. *Sed & iuramus, sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis.* Iterum c. 35. *Atque adeo omnes illi sub ipsa vsque pietatis eruptione, & sacra faciebant pro salute Imperatoris, & Genium eius deierabant, alij foris, alij intus.* Per *salutem* autem principis iurare, non tam est iuramentũ, quàm cõputatio, ideo omnibus licebat. Prudent. περὶ στεφ. hymn. 14.

Testor salutem principis, me simplici
Functum secantis arte, Iudex optime,
Seruisse iussis absque fraude publicis:
Sciat hic, quis illi verba suggillet Deus;
Ego, vnde mutus sit disertus, nescio.

Sed de hac re sum locutus Apologetico c. 32. vide ibi.

2. HOSTIAS ET FECERANT.] Sic ῥέζειν, & ἕρδειν. ad eum modum quo dicimus, *rem diuinam facere*, atque etiam 14.
πύχειν θυσίας. Varro l. 5. de Ling. Lat. *Nonæ Caprotinæ, quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres sacrificant, & sub Caprifico faciunt, & è Caprifico adhibent virgam.* Macrobius lib. 3. c. 5. *Ambarualis hostia est, vt ait Pompeius Festus, quæ rei diuinæ causſa, circum arua ducitur ab his, qui pro frugibus faciunt.*

2. TAMDIV ENIM STABIT.] Tertull. Apolog. 32. *Est*

& alia neceſſitas nobis orandi pro imperatoribus, etiã pro omni ſtatu imperij, rebúſque Romanis, quòd vim maximã vniuerſo orbi imminentem, ipſamque clauſulam ſæculi, acerbitates horrendas comminantem, Romani imperij commeatu ſcimus retardari. Et alibi: *Dum clauſulã ſeculi precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus.* Demũ aliò clarè: *Orare nos pro Imperatoribus, pro ſtatu ſeculi, & mora finis.* Anſelmus ita explicat locũ Pauli: *Tantũ eſt, vt qui tenet nunc fidem Chriſtianæ religionis teneat illam, id eſt, tenaciter perſeueret in ea, donec de medio Eccleſiæ exeat myſteriũ iniquitatis, quod nunc occultũ eſt, quod manifeſtũ erit, quãdo omnes ab Eccleſia palã exibunt, qui nõ ad Chriſtũ, ſed ad Antichriſtũ pertinebũt, & tunc reuelabitur iniquus.* Ambroſ. ep. 1. ad Theſſalonicenſ. Sic ait, citãte Rhenano: *Non priùs veniet Chriſtus, quàm regni Romani defectio fiat, & appareat Antichriſtus, qui ſãctos interficiat reddita Romanis libertate, ſed ſub ſuo tamẽ nomine.*

15. 2. COLIMVS ERGO ET IMPERATOREM, &c.] Hinc crimen læſæ Maieſtatis Iuriſconſulti appellant in L. *meminiſſe*, L. in quæſtionibus, & toto titulo D. ad L. Iuliam maieſtatis, vt notat Cuiacius ad hunc titulum.

2. QVOMODO ET NOBIS LICET.] Hieron. *Si bonum eſt, quod præcipit Imperator & Præſes, iubentis obſequere volũtati: ſin verò malũ, reſponde & illud de Actibus Apoſtolorum, Obedire Deo oportet magis quàm hominibus.* Auguſt. ſerm. 6. de verbis Dom. *Sed ſi illud iubeatur, quod non debeas facere? hic ſanè contemne poteſtatem, timendo poteſtatem.* Coripp. lib. 3.

Quod ſupereſt, vnúmque meum ſpeciale leuamen,
Imperij Deus eſt virtus & gloria noſtri,
A quo certa ſalus, ſceptrum datur, atque poteſtas:
Qui populos clemens ſuper omnia regna Latinos
Conſtituit, pacémque ſuam commendat amari.
Cuius ſpe fruimur, cuius virtute ſuperbos
Deiicimus, cuius populos pietate tuemur,
Qui noſtros auget mira virtute triumphos.
Ipſius laudamus opus, ſolúmque timemus,
Hunc vnum colimus Regem, dominúmque fatemur.

16. 2. OMNIBVS MAIOR EST, DVM SOLO DEO VERO MINOR EST.] Paulinus l. 1. in vita Martini,

--- maiórque probatur Dum cupit eſſe minor.

Vopiſcus in Aureliano: *Ob paupertatẽ, qua magnus eſt, & cæteris maior.* Cõſtantinus Magnus de ſe apud Theodoritũ l. 1. hiſt. c. 20. cùm dicat ſe potentem eſſe ad improbos opprimendos, addit rationẽ, quia ſit Dei famulus. Verba eius, τῆς ἰδίας τόλμης, διὰ τῆς τοῦ στρατοπέδου τοῦ Θεοῦ, τοῦτέστιν ἐμοῦ, ἐνεργείας, ἀλεξητήσεται: *Audaciæ pœnas dabit, diligentia famuli Dei, me ipſum dico.* Euſebius in vita Cõſtant. l. 1. c. 2. καὶ ὁ μὲν οἷα πιστὸς καὶ ἀγαθὸς στρατιώτης τοῦ ἐπιφανεστάτου καὶ ἐκπύρου βασιλέως ἀποδειλιᾶν καὶ στρατιώτας τοῦ παμβασιλέως ὁμολογῶν ἑαυτὸν: *Hic igitur, vt potè fidelis & ſpectatus Dei famulus, iſtud præſtitit, prædicauit apud omnes, ſeque & Dei ſeruũ palã nuncupauit, & miniſtrum ſũmi Regis palã confeſſus eſt.* Et poſtea ait, Conſtantinum cõſtitutum à Domino κύριον, ἀνυπότακτον, νικητὴν, ἄμαχον, ἀπρόσμαχον: *Dominũ, herum, victorem, inexpugnabilem, inſuperabilem.* ſolùm quod Dei famulus fuerit. & lib. 2. c. 31. de ſe ait hic Imperator, οἱ Θεοῦ στρατιῶται ἐσμὲν ἀμφοῦμαι τε καὶ πιστεύομαι: *Qui quidem nos famulos eſſe gloriamur Dei, & perſuaſi ſumus.*

17. 2. SACRIFICAMVS PRO SALVTE IMPERATORIS.] Id eſt, infidelis & ethnici. Vide de hac re Vaſquium Noſtrum Quæſt. 83. Art. 1. de Euchariſtia. Hîc autem *ſacrificamus*, eſt oramus, & deprecamur. Nam quamuis Pamelius dicat eſſe, ſacrificiũ Miſſæ offerimus pro ſalute Imperatoris Gentilis, non ita eſt, ſed oratio dicitur ſacrificiũ latiori ſignificato; eo quòd ſacrificium Miſſæ offerri nõ poteſt, pro ſalute infidelis. Itaq; deprecamur pro ſalute Imperatoris pura prece, nõ offerimus ſacrificiũ pro illa ſalute, & hoc eſt *ſacrificamus*, quaſi dicat, ſacrificiũ eſt puræ preces. Ita explicat Vaſquius loco adducto, & id contra Pameliũ explicantẽ de vero ſacrificio Miſſæ; quod cùm dicat pro *ſalute*, nequit eſſe pro cõuerſione illius. Vide latiùs in illo. In Concilio Rhemenſi c. 40. vbi dicitur, *Pro Domino Imperatore, ſuáque prole orationes, & oblationes ſuper has quæ hactenus pro ipſis Deo omnipotenti oblatæ ſunt, augeantur.* Sciat quiſpiã dici hæc de Imperatore Chriſtiano. Vnde Prudẽt. in Agone Rom. ita ait, Romanũ reſpõdiſſe Præſidi petenti vt Romanus oraret pro ſalute principis,

Tunc ille, nunquam pro ſalute, & maximis,
Fortiſſimiſque Principis cohortibus
Aliter precabor, quàm fidele vt militent,
Chriſtique lymphis vt renaſcantur Patri,
Capiant & ipſum cælitus Paracletum.

2. PVRA PRECE.] Hanc concipit quidã apud Sen. Patrẽ Cõtrouer. 16. *Quicquid eſt, inquã, quod terris imperat, quod regnat profundo, quicquid eſt quod ex ſublimi res ſpectat humanas, inuoco.* Infiniti sũt verſus hac de re.

2. DÆMONES AVTEM NON TANTVM RESPVIMVS, VERVM ET REVINCIMVS, &c.] Cyprian. in nobili epiſt. ad Donatũ: *Immundos & erraticos ſpiritus, qui ſe expugnãdis hominibus immerſerint, ad confeſſionẽ minis increpantibus cogere; vt recedãt, duris verberibus vrgere; conflictãtes, eiulantes, gemẽtes, incremento pœnæ propagantis extẽdere, flagris cædere, igne torrere.* Idem ad Demetrian. *Pudeat te eos colere, quos ipſe defendis; pudeat tutelam de his ſperare, quos tu ipſe tueris. ô ſi audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborũ tormentis de obſeſſis corporibus eiiciuntur, quando eiulãtes & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes venturum iudiciũ confitentur.* Athanaſius in vita Antonij loquens de dæmonibus: *Et nunc de nobis torquentur inuidia, atque vniuerſa mala cõmouere non ceſſant.* Iuſtinus Martyr orat. ad Gentiles: *Complures dæmonum intemperiis correptos homines per orbem omnem, & hanc veſtram vrbem, quos alij adiuratores, & incantatores, & venefici veſtri curare non potuerunt, per nomen* IESV *Chriſti ſub Pontio Pilato crucifixi adiurantes ſanarunt, atque etiam nunc ſanant, exarmantes atque exigentes ab hominibus, qui illos obſederunt dæmones.* De *ſputo* dicam alibi. 18.

2. TRADVCIMVS.] Id eſt, oſtentatui exponimus, & veluti in exemplum cunctis cernendũ ad ludibriũ. Dixi *exemplũ*, nam præit mihi Proſper l. 2. de Promiſſ. c. 20. cùm ſcribit: *Cùm creator eius principatus, & poteſtatis aëris huius exemplaret, fiduciáliter triumphans eas in ſemetipſo.* Vbi *exemplare* eſt, palam traducere, atque oſtentatui ludibrióque habere. Vim eius verbi apprimè explicuit Chronicon Alexandrinum, vbi loquens de Sole, qui nuptias furtiuas Veneris & Martis deprehendit, ſic ait, εὗρεν αὐτοὺς μετ' ἄλλα καθεύδουσαν τὴν ἑρωμένην περὶ αὐτὸν, ὥστε καταγελᾶν ἐπέμπουσεν ἐν πάσῃ τῇ χώρᾳ τῆς Αἰγύπτου, περιφημίσμος αὐτῷ: *Illámque cum amaſio cubantem offendit; detractam per totam duci Ægyptum iuſſit, grauiter in illam animaduertens.* 19.

3. SINGVLI FORTE NOTI MAGIS, QVAM, &c.] Eſt hoc, quod Hieronymus ad Ruſticum, *de ſingularitate cenſemur.* Nam tametſi Hieronymus alluſerit ad vitã monachorũ, ſed certè ſententia eadẽ. Similiter Chryſoſt. orat. de Nouilunio, eadem planè cum Tertulliano, vbi ait, ipſos quoque infideles, vbi incidũt in Chriſtianum aliquem virtute præſtantem, ſtatim primo occurſu admiratione percelli, ἀφ' οἵου τινὸς ἰδὼν θαυμάσεσθαι: Minut. *Sic nos denique, non tam notaculo corporis, vt putatis, ſed innocentiæ, ac modeſtiæ ſigno, facilè dignoſcimus.* Petrus Damianus in opere, quod *Dominus vobiſcum* indidit, c. 5. ſic ait: *Eccleſia ſiquidem Chriſti tanta charitatis inuicem inter ſe compage connectitur, vt in pluribus vna, & in ſingulis ſit per myſterium tota, adèo vt & omnis vniuerſalis Eccleſia non immeritò perhibeatur vna Chriſti ſingulariter ſponſa, & vnaquæque electa anima, per ſacramenti myſterium plena eſſe credatur Eccleſia.* 20.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Quòd nulla ciuitas impune latura sit Christiani sanguinis effusionem.

TERTVLLIANVS.

21. 1. TAMEN (vt suprà diximus) doleamus necesse est, quòd nulla ciuitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem: Sicut & sub Hilariano præside, cùm de areis sepulturarum nostrarum adclamassent, Areæ non sint, Areæ ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt. Cæterùm & imbre anni præteriti, quid commeruerit genus humanum, apparuit: cataclysmum scilicet & retro fuisse propter incredulitatem & iniquitates hominum. Et ignes, qui super mœnia Carthaginis proximè pependerunt per noctem quid minati sint, sciunt qui viderunt, & pristina tonitrua quid sonauerint, sciunt qui obdurauerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est quomodo possumus, vt & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur, interim localem esse. vniuersalem enim & supremam suo tempore sentient, qui exempla eius aliter interpretantur. Nam & Sol ille in conuentu Vticensi extincto penè lumine adeo portentum fuit, vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis Astrologos.

EXPLICATIO.

22. 1. DOLEAMVS *necesse est*, suprà dixerat cap. 1. his verbis, *Qui ergo dolemus de ignorantia vestra*, &c. quod ergo dixit ibi, hîc repetit, addita caussa, quòd scilicet *nulla ciuitas impune feret effusionem sanguinis nostri. Sicut sub Hilariano*, &c. Vnus fuit ex iis qui præcesserunt Scapulam; cùm autem aliquando negaretur area, (locus est, vbi triticum ventilatur) ad sepulturam Christianorum, nam ibi solebant sepeliri, audita est vox subtus terram, quæ acclamauit, *Areæ non sint*, & quidem *non fuerunt*, nam eo anno messes non egerunt, in fertilissima alioquin & satis vbere regione. *Cæterùm & imbre*, &c. Imber anni præteriti eximius fuit, & ita maximus, vt pene omnes inundaretis. & satis apparuit quid vos commerueritis: apparuit, inquam, nam olim cataclysmus fuit, & diluuium vniuersale sub Noë, propter incredulitatem & duritias hominum. idem vos commeruistis. *Et ignes, qui*, &c. Ad hæc, *ignes qui* per noctem *pependerunt proximè super mœnia Carthaginis, quid minati sint, sciunt qui viderunt*: quid verò insuper *tonitrua sonauerint* (sonuerint) *sciunt, qui* ad illa *obdurauerunt*. Vtrumque prodigium tam ignium quàm tonitruorum, videntur plagæ maximæ fuisse, & obduratos illos extitisse. *Localem esse*. Vnius tantùm loci, non vniuersarum gentium. *Nam & Sol*, &c. Sol extincto pene lumine, *adeo portẽtum fuit*, vt deliquium illud & eclipsis, quam passus, naturalis esse non potuerit: non enim accidit posito Sole in capite aut cauda draconis, quod necessarium est vt naturale sit deliquium, sed in sua altitudine, aut domo: hoc enim sonat ὑψωμα, & *domicilium*. Sed *habetis Astrologos*, quos rogare potestis. Et hoc *in conuentu Vticensi*: Erat enim Africa in conuentus diuisa, & Vtica erat conuentus vnus. siue *in conuentu Vticensi*, id est, cùm nuper Vticæ conuentus haberetur: ita vt sermo sit, non de conuentu iuridico, sed de conuentu quodam qui per eosdem dies habitus est, iussu Seueri.

23. 2. Possumus æquè & exitus quorundam Præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quòd vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solúsque in Prætorio suo vastatus peste, cùm viuus vermibus ebullisset; Nemo sciat, aiebat, ne spe gaudeant Christiani. Postea errore cognito suo, quòd tormentis quosdam à proposito suo excidere fecisset, pene Christianus decessit. Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamauit. Sed & qui videntur sibi impune tulisse, venient in diem diuini iudicij. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cùm Adrumeticum Mauilam ad bestias damnasses, & statim hæc vexatio subsecuta est, & nunc ex eadem caussa, hæc interpellatio sanguinis. Sed memento de cætero.

24. 2. Proponit exitus & infortunia quorundam Præsidum, quòd Christianos vexassent, & persecuti essent. *In Prætorio suo*, quod habebat in villa vrbana. *Ne spe gaudeant Christiani*, Spe, inquam, euadendi periculum, & resurgendi ab incommodis. *In exitu Byzantino*, in exitio & internecione, quæ Byzantij accidit. *Tibi quoque*, illud *quoque* refertur ad *diem iudicij*; quasi dicat; *Tibi quoque*, ne venias in diem iudicij, *optamus, solam admonitionem fuisse*, &c. *Vexatio subsecuta est*, Persecutio in Christianos: id enim credo signat, & suprà dixit in hoc capite, quòd vexassent Christianos. *Interpellatio sanguinis*. At iam cùm videam interpellari san-

guinem noſtrum conſulo vt memineris tui, & tibi caueas, ne te iudicium diuinum occupet. *Interpello* enim iuris eſt vocabulũ, vt *interpellatio debiti, pedir la deuda.* Sic *interpellatio ſanguinis, pedir el derramamiento de ſangre.* Itaque *vexatio* illa ſolùm eſt abſque tribunali ad libidinem cuiuſque: *interpellare* autem iam eſt præſidem adire, & ſanguinem petere, vt agat lege.

NOTÆ.

25. 1. NVLLA CIVITAS IMPVNE LATVRA SIT SANGVINIS NOSTRI EFFVSIONEM.] Cyprianus ad Demetrianum: *Nec vnquam impiorum ſcelere, in noſtrum nomen exurgitur, vt non ſtatim diuinitus vindicta diuina comitetur.*

1. AREÆ NON SINT.] Cœmeteria intelligit. Ludit enim in voce. nam cùm ille acclamaſſet, *areæ nõ ſint*, intellexit de ſepulturis; cùm rurſum dicit, *areæ ipſorum non fuerunt*, intelligit de areis meſſium. *Area* autem pro Cœmeterio ſumitur. Pontius Diaconus in Actis Cypriani: *Sepultus eſt in area Candidi procuratoris.* Etenim Cœmeteria vocarunt veteres *Arenarias*, & *Areas*, vt teſtificatur Iulius Bulengerus cap. 42. lib. 3. de Templis.

1. SONAVERINT.] Pro *ſonuerint*, ſed quidem (ſonauerint) habet maiorem emphaſem, & indicat rorem ingentem. B

1. SOL ILLE IN CONVENTV VTICENSI.] Duplex ſententia, vt ſermo ſit de Vticæ iuridico conuentu. Vel, non de iuridico conuentu, ſed de peculiari quodam, cùm ſcilicet Seuerus miſit, teſte Spartiano, ad Africam legiones, *Ne per Libyam & Ægyptum Niger Africam occuparet, ac populum Rom. penuria rei frumentariæ perurgeret.* Itaque puto non de conuentu ipſo iuridico hæc accipi: nec aliquid contra hoc facit.

1. HYPSOMATE ET DOMICILIO.] Vocabula ſunt Aſtrologorum. Ὕψωμα enim *altitudinem* ſignat, & *domicilium* domum. Itaque vult, poſitum Solem in ſua altitudine & domo, pati non poſſe naturale deliquium: nam neceſſariò debet contingere, vt ſit in capite, vel cauda draconis, vt accidat naturale. Sed hac de re conſulendi ſunt Aſtrologi, ad quos etiam Tertullianus remittit.

26. 2. QVOD VEXASSENT CHRISTIANOS.] Etenim atrocitas iſta ſemper habuit patronum Deum. Euſebius in vita Conſtantini lib. 1. cap. 50. prolixè narrat peſtem, quæ occupauit Maximianum, qui ſimul atque Eccleſias expugnare accepit, vltio diuina in eum inuaſit, & ex improuiſo in illis partibus, quas natura contexit, naſcitur apoſtema, deinde & interiore corporis receſſu, vlcus purulentum & fiſtuloſum. Et lib. 4. cap. 12. ita ait Imperator. Ἐπῖδον γὰρ ἐγὼ αὐτὸς (πολλοὺς) τῇ ἔναγχος ἀθεμίτοις πρεσταγμασι τῷ Θεῷ πλείονας λαοὺς ἐκπορθήσαντας: *Nam & mihi contigit, nonnullorum exitus animaduertere, qui paulo antè populum Deo conſecratum nefandis edictis perturbauerant.* C

27. 2. PRÆTORIO.] Villam vrbanam intelligit, quæ à ruſtica differt nitore & elegantia. Suetonius in Calig. cap. 37. quem adducit hunc in locum Rhenanus: *In extructionibus villarum & prætoriorum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere cupiebat, quàm quod effici poſſe negaretur.* Adduco eundem in Auguſto A cap. 72. *Ampla & operoſa prætoria grauabatur, & neptis quidem ſuæ Iuliæ profusè ab ea extructa, etiam dirnit ad ſolum. Sua vero, quamuis modica, non tam ſtatuarum tabularúmque pictarum ornatu, quàm xyſtis & nemoribus excoluit.* Hieronymus eleganter vocat *prætorium*, dolium illud verſatile Diogenis lib. 2. aduerſ. Iouinian. *Quúmque ſe contorqueret in dolio, volubilem ſe habere domum iocabatur, & ſe cum temporibus immutantem. Frigore enim, dolij os vertebat in meridiem; æſtate ad Septentrionem; & vtcunque ſe Sol inclinauerat, Diogenis ſimul prætorium vertebatur.* Palladius in 1. de Re Ruſtica, docens quo modo ædificium in agro fieri oporteat, ita ait: *Ipſius prætorij ſitus ſit loco aliquatenus erectiore, & ſicciore, propter iniuriam fundamentorum, & vt lato fruatur adſpectu;* Martialis:

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.

Et Papin. 1. Syluar.

---alternas ſeruant prætoria ripas.

2. CÆCILIVS CAPELLA, &c.] Nimirum quòd ipſe Byzantij (ait Baronius) perſecutus Chriſtianos, dum partium Nigri fautor, illic præſidem ageret, ciuitate à Seuero expugnata, meliora iam illis tempora affulgere videret: ſicque inuitus ac dolens, id illis fauſtum quòd in libertatem vindicarentur, exclamauit, cùm ipſe ad dandas pœnas in manus Seueri deueniſſet hoſtis acerbiſſimi. Omnes qui in ea vrbe magiſtratum gerebant à Seuero occiſos Dio affirmat in eius vita. 28.

2. IN EXITV BYZANTINO.] Pro exitio. Feſtus. *Exitium antiqui ponebant pro exitu. nunc exitium peſſimum exitum dicimus.*

2. VEXATIO.] Explicui perſecutionem. Sed quid ſi vexatio fuerit, vt ait Baronius tom. 2. Annal. pag. 278. quam inſinuauit initio huius capitis. *Cæterùm & imbre anni præteriti*, &c. videntur enim hæc conformiter dici. & inclino quidem in hanc rem, ſed tantùm inclino.

2. INTERPELLATIO SANGVINIS.] De perſecutione dictum exiſtimo cum Pamelio, non autem de hæmorrhagia Scapulæ, id enim diuinare eſt, cùm illud *quoque* non referatur ad morbos præſulum, ſed ad immediatè præcedentem diem iudicij. Itaque cùm damnaſſet Mauilum Chriſtianum ad beſtias, furere populus cœpit in Chriſtianos, & hæc eſt *vexatio.* & iam publicè interpellabatur ſanguis Chriſtianus, id eſt, poſcebatur iure & fundebatur, & ideo monet vt temperet Scapula, & recordatus iudicij diuini non annuat populo, & temperet ſe à perſecutione. 29.

2. SED MEMENTO DE CÆTERO.] Similis epiſtola Abbatis Antonij ad Balatium, vt eſt auctor Athanaſius: *Video iram venientem ſuper te, deſine perſequi Chriſtianos, ne te ira occupet, quæ proximum iam tibi minatur interitum.*

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Quòd posit iudex officio iurisdictionis suæ fungi, & humanitatis meminisse.

TERTVLLIANVS.

30. 1. NON te terremus, qui nec timemus: sed velim vt omnes saluos facere possimus monendo, μὴ θεομαχεῖν. Potes & officio iurisdictionis tuæ fungi, & humanitatis meminisse: vel quia & vos sub gladio estis. Quid enim amplius tibi mandatur, quàm nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta reuocare? Videtis ergo quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, vt confessos negare cogatis. Adeo confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis. Si autem contenditis ad elidendos nos, iam ergo innocentiam expugnatis.

EXPLICATIO.

1. NE putes nos velle tibi vano terriculamento esse; quî enim, cùm nec timeamus tua supplicia? sed huius admonitionis caussa est, tuæ saluti consulere, qui omnes saluos cupimus. μὴ θεομαχεῖν. Monemus, ne pugnent in Deum. *Vel quia, & vos sub gladio estis.* Vos enim vindicta Dei tenet, & occupauit suo tempore iudicium Dei. *Quidenim*, &c. Nihil est tui muneris, nisi *confessos* se esse Christianos, *damnare*; *negantes* verò sæpius vocare *ad tormenta*; cùm verò confessos vis facere negantes, apertè pessumdas iustitiam, & elidis innocentiam.

31. 2. Quanti autem Præsides & constantiores & crudeliores, dissimulauerunt ab huiusmodi caussis? vt Cincius Seuerus, qui Thristri ipse dedit remedium quomodo responderent Christiani, vt dimitti possent: vt Vespronius Candidus, qui Christianum, quasi tumultuosum ciuibus suis satisfacere, dimisit: vt Asper, qui modicè vexatum hominem, & statim deiectum, nec sacrificium compulit facere, antè professus inter Aduocatos & Assessores, dolere se incidisse in hanc caussam. Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio concussione eius intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem, secundùm mandatum. Hæc omnia tibi & de officio suggeri possunt, & ab eisdem Aduocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum, licèt adclament quæ volunt.

32. 2. Adhibet catalogum Præsidum, qui varias technas inuenerunt, vt liberarent Christianos à tormentis. *Cincius Seuerus* est qui *Cingius Seuerus* dicitur Lampridio in vita Commodi, ex commutatione litterarum. Illud difficile est de Candido; sic explico. *Qui Christianum dimisit, quasi esset tumultuosum ciuibus suis satisfacere.* Itaque, non oblatus est quasi tumultuosus esset; istud enim iam meretur animaduersionem, sed ipse iudex hanc finxit excusationem. Vnde *tumultuosum* est in neutro genere. Itaque dixit, tumultu plenum est meis ciuibus satisfacere. *Et statim deiectum*, & statim depositum ab equuleo; itaque tantùm voluit videri tortor, non esse: siue *deiectum* à prætorio: Huius & sub eodem nomine meminit Spartianus in Didio. *Inter Aduocatos & Assessores.* Inter patronos rei: ij enim ferè sunt Aduocati, & in hoc assessores iudicij. *In elogio concussione eius intellecta.* Milites in Christianum hominem irruerunt, & spoliarunt, quæ spoliatio *concussio* est propriè militaris: & sic despoliatum & seminudum miserunt ad iudicem cum tabella, quæ haberet elogium illius, quòd Christianus esset: vt apparuit nudus coram iudice, primo scidit elogium, deinde negauit se posse *sine accusatore* audire illum, iuxta mandata Principum. Itaque, qui adduxerant Christianum, non erant accusatores. *Licèt adclament quæ volunt.* Aduocati isti sæpissimè erant infideles; inquit igitur: Licèt acclament Aduocati, & petant Christiani sanguinem, nihil ad rem, plurima *habent beneficia Christianorum* collata insemetipsos.

33. 3. Nam & cuiusdam notarius cùm à Dæmone præcipitaretur, liberatus est: & quorundam propinquus & puerulus. Et quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut à Dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt. Ipse etiam Seuerus pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodeæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requisiuit, & in Palatio suo habuit vsque ad mortem eius: quem & Antoninus optimè nouerat, lacte Christiano educatus. Sed & clarissimas fœminas, & clarissimos viros, Seuerus sciens huius sectæ esse, non modò non læsit, verùm & testimonio exornauit, & populo furenti in nos palam restitit. Marcus quoque Aurelius in

Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ ? Tunc & populus adclamans Deo deorum, & qui solus potens, in Iouis nomine Deo nostro testimonium reddidit.

34. 3. Adducit iam beneficia, quæ acceperunt Aduocati. *Cuiusdam* Aduocati scriba & *notarius*. *Remediati sunt*, curati sunt. *Nam & Proculum*, &c. Seuerus Imperator Eutychium Proculum, virum impensè doctum, requisiuit, qui Christianus erat, & *Torpacion cognominabatur*, qui lingua Punica sonat *Eutychium* Græcè, quasi dicas, *in quem inclinant bona*; & erat procurator *Euhodiæ* (sic enim legendum est cum Pamelio) τῆς Εὐοδίας διοικητὴς, quòd itinerarij in orbe Romano rationarius constitutus esset ab Antonino Philosopho, vt functionem illam sine incommodo exerceret; hunc, inquam, *requisiuit* Seuerus memor beneficij accepti ab eo; curauerat enim illum oleo sacro; vt mos est Christianis, tenuítque illum, *habuitque in palatio vsque ad mortem eius*; quem *Antoninus* Caracalla Seueri filius nouit *optimè*, vt qui à muliere Christiana lac sumpserat infans adhuc. *Sed & clarissimos*, &c. *Clarissimi* viri dicti sunt Senatores. Igitur clarissimas fœminas ex ordine Senatorio & clarissimos viros Seuerus non solùm non læsit, verumetiam populum palam aduersum nos coërcuit. *Marcus quoque Aurelius*, &c. Hoc in Apolog. cap. 5. abundè tractatum est. *Quando non*, &c. Quid dicam de siccitatibus depulsis nostrorum & oratione & ieiunio ? *Tunc & populus*, &c. Tunc enim accidit, vt populus adclamaret Deum verum, qui Noster est, etiamsi sub Iouis nomine, quòd ignoraret nomen eius.

35. 4. Præter hæc, Depositum non abnegamus, Matrimonium nullius adulteramus, Pupillos piè tractamus, indigentibus refrigeramus, Nulli malum pro malo reddimus. Viderint qui sectam mentiuntur, quos & ipsi recusamus. Quis denique de nobis alio nomine quæritur ? Quod aliud negotium patitur Christianus, nisi suæ sectæ ? quam incestam, quam crudelem, tanto tempore nemo probauit ? Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro iustitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo viuo cremamur. quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec tot maiestatis rei pati solent. Nam & nunc à Præside Legionis, & à Præside Mauritaniæ vexatur hoc nomen, sed gladio tenus, sicut & à primordio mandatum est animaduerti in huiusmodi. Sed maiora certamina, maiora sequuntur præmia.

36. 4. Continentur hoc tractu laudes Christianorum, satis claro. *Viderint qui*, &c. Valeant & facessant, qui nostram *sectam* & religionem mentiuntur. *Quam incestam*, propter concubitum cum sororibus, *quam crudelem* propter infanticidium. *Nam & nunc*, &c. *A Præside Legionis* in Hispania, *à Præside Mauritaniæ vexatur nomen* Christianum, & in illud persecutores insaniunt, tamen solùm *gladio*, nulla alia crudelitate admista. in nos tamen parantur tot atrocia, quis ferat? *Sed maiora certamina* maioréque athletas *maiora sequuntur* in cœlis *præmia*.

NOTÆ.

37. 1. NON TE TERREMVS, QVI NEC TIMEMVS.] Et poterant quidem terrere multorum exemplo, & post illum etiam est Latronianus, qui in vita Epicteti Martyris miserè absumptus est, suffocatus à Dæmone, & hoc post mille plagas, post mille verbera. Plautus Bacchid. *Quid nunc impure, nunquid debetur tibi ? Quid illi molestus ? Quid illum morte territas ?*

1. Μὴ θεομαχεῖν.] Andreas Hoyus ad Adagium confert, quod tractum videtur à fabella belligerantium in Iouem Gigantum. Et Plato eiusmodi homines è Titanum genere dixit. Vide in eo reliqua.

1. VEL QVIA ET VOS SVB GLADIO ESTIS.] Iuxta illud Horatij,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.

38. 1. QVID ENIM AMPLIVS TIBI MANDATVR, QVAM NOCENTES CONFESSOS DAMNARE, &c.] Tertullianus Apolog. 2. *Itaque neque in illum ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus adhibetis tormenta, ad confitendum : solis Christianis ad negandum.* Sidonius epist. 7. l. 1. *At vbi se furens ille, quantùmque cæderet ignarus, bis terque repetita confessione transfodit, acclamatur ab accusatoribus, conclamatur à iudicibus reum se esse læsæ maiestatis confitentem teneri.* Aurelius Victor in Tito : *Patrésque censuissent de confessis supplicium sumendum.* Illud Cypriani omnes adferunt ad Demetrianum : *Si crimen est, cur non interficis confitentem ? si crimen non est, quid persequeris innocentem ? torqueri enim debui, si negarem.* Et hæc est illa peruersa quæstio, quam Minutius tractat : *Exercentes in his peruersam quæstionem, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium cogeret.*

2. IPSE DEDIT REMEDIVM QVOMODO RESPONDERENT CHRISTIANI, VT DEMITTI POSSENT.] Suetonius in Augusto cap. 33. *Ipse ius dixit assidue, & in noctem nonnunquam si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem ius non diligentia modò summa, sed & lenitate : si quidem manifesti parricidij reum, ne culeo insueretur, quòd non nisi con-*

ſſi afficiuntur hac pœna, ita fertur interrogaſſe, certè patrem non occidiſti? Itaque rationem non ponit Tertullianus, vt doceat, quomodo reſponderent Chriſtiani, vt dimitti poſſent: ſed tamen ſimilem Auguſti reſponſionem fingamus. etenim Auguſtus ſi vellet innodare reum, interrogaſſet (vt ait Caſaubonus) *parricidium quod obiicitur tibi, feciſti?* Cùm autem dixit, *certè patrem non occidiſti?* tota vis poſita in ratione interrogandi. Similiter Liuius ait de Romano Conſule, *Benigna interrogatione mitius reſponſum elicere conatus eſt.*

39. 2. SATISFACERE.] Dicebant hoc Latini propriè, cùm quis ita confitebatur rem, vt diceret, FACTVM NOLLE, quod *verbis ſoluere*, dicit Terent. Adelphis, ait Heraldus lib. 2. Digreſſionum cap. 4. de hoc verbo alibi dictum copiosè.

2. ET STATIM DEIECTVM.] Accipit Barræus, deiectum animum, ita vt deſponderet animum. Non hoc eſt, ſed ſtatim deiectum inde, vel ab equuleo, vel à prætorio.

2. ADVOCATOS.] *Aduocare* generaliter ſignificat conuocare: propriè autem ad ius pertinet, & ſignificat homines vel conſilij, vel teſtimonij cauſſa conuocare. Hinc Aſconius Verrin. 1. *Aduocatum* in iudicio dicit eum eſſe, qui vel ius ſuggerit, vel præſentiam ſuam amico commodat. Etenim moris erat in iudiciis tum priuatis tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum auctoritate moueri poſſe iudices putabantur. Vide Schardium. Et quamuis propriè loquendo *Patroni* differant ab *Aduocatis*, hîc tamen pro iiſdem fere ſumuntur. Erat enim propriè aduocatus, qui tantùm vt amicus aſſiſtebat, qui gratia & auctoritate amicum adiuuabat. & ita ſemper vtuntur Plautus, Terentius, Cicero, aliíque antiquiores. & ita Petronius Satyr. dixit: *Caterùm Eumolpus & periclitantium aduocatus, & præſentis concordiæ auctor, ne ſileret ſine fabulis hilaritas, multa in muliebrem leuitatem cœpit iactare.*

40. 2. ADSESSORES.] Sunt qui adhibentur à iudicibus, dicti quòd iure dicundo adſiderent: Græci συγκαθέδρους appelant. Seſſio etiam iudicum erat, vnde frequenter in iure, *Seſſiones iudicum.* & Plautus in ſcena vltima Moſtellariæ. *Surge, ego iſtic aſſedero.* Vbi *Surge* tu orator, *ego* iudex *iſtic aſſedero.* & ſtatim: *Maxime, accipito hanc ad te litem.* Videndus Poletus Hiſt. Fori Rom. lib. 1. cap. 5. & 7. Qui adducit locum Plauti, in quo, Iudex ſedet, orator ſurgit. Propert. lib. 3.

Minos ſedet arbiter Orci.

& lib. 4.

Iudex ſedet Acacus vrna.

Apuleius Apol. 1. *Quòd ſi modò iudices de cauſſa iſta ſederent.*

2. PVDENS.] Ex nobili Pudentium familia ait Baronius fuiſſe. Vide illum tom. 2. Annal. pag. 151.

2. IN ELOGIO CONCVSSIONE EIVS INTELLECTA.] Briſſonius in Lexico iuris ita legit: *Cum elogio, confeſſione eius intellecta, demiſit.* Itaque, non agnoſcit *concuſſionem*, ſed *confeſſionem.* Verè falſus. Nam *concutere*, eſt, apertè facere violentiam. Inde quod per euidentem calumniam fit, cadit in nomen *concuſſionis.* Itaque, *concutere* eſt propriè aliquid ab aliquo iniuſtè extorquere. Inde militibus *concuſſio* ex more deſpoliatio eſt per violentiam, & pecuniæ ablatio, quæ omnia continebat elogium: & qui ita faciebant, accuſatores eſſe non poterant, neque audiebantur ex communi iure, vt ait Vlpianus leg. 1. ff. de concuſſione. Quod autem Briſſonius ait, *confeſſione eius intellecta*, eſſe non poteſt: nam qui ſemel confeſſionem fecit, neceſſariò debebat punire. Concuſſio autem militaris illius teſtimonio conſtat, A qui apud Senecam in Furente ait:

--- arma non ſeruant modum,
Nec temperari facilè, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira, bella delectat cruor.

3. REMEDIATI SVNT.] Nam *remedium* in vſu. Plinius l. 19. c. 10. *Remedium eſt abſinthij ſuccus decocti inſperſus.* & lib. 20. cap. 2. illinunt præſenti *remedio.* Quin ipſe Tertullianus *remedior* vtitur. De Reſurrect. Carnis: *Vitiorum à domino remediatorum.* & Hieronymus in vita Hilarionis: *Igitur poſt annum doctus ab Æſculapij vatibus, non remediantis animas, ſed perdentis.* 41.

3. PROCVLVM.] Videtur hic eſſe, cuius faciunt mentionem Capitolinus in Marco Antonino Philoſopho, & Trebellius Pollio in Æmiliano, qui Eutychius dictus eſt, Grammaticus celeberrimus, B quem coluit Antoninus Philoſophus. Et Eutychius idem qui & Torpacion lingua Punica, ſiue Tobracon, aut Topacron, aut (vt inquit Baronius) Toparcion. Eſt enim *Eutychius* Græcè & *Topacron* Punicè, *in quem inclinant bona.* Hic præpoſitus eſt τῇ εὐοδίᾳ, itineribus (ſic enim legendum eſt cum Pamelio, non Euhodeæ) vt ſcriptum ab Pollione his verbis: *Quod apud Proculum Grammaticum, doctiſſimum ſui temporis virum, cùm de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur*, &c. Quamobrem Capitolinus Proconſulem factum exiſtimat, honorarium videlicet itineris cauſſa curandi. Hæc deſumpſi ex Pamelio & Iunio, qui mihi ſunt viſi rem attigiſſe. Niſi quis decurrat ad Stephanum Durantum lib. 1. de Rit. Eccleſiæ cap. 20. qui coniicit fuiſſe preſbyterum. Nam in Martyrologio Calendis Decembris fit mentio Sancti Proculi Preſbyteri. Longè eſt ab hoc Proculus alC ter, cuius fit mentio à Victore Epiſcopo Vticenſi lib. 1. Hiſtoriæ.

3. QVI EVM PER OLEVM ALIQVANDO CVRAVERAT.] Cùm hîc dicat Iunius, inquit Gretſerus, ſermonem eſſe de eadem vnctione Marci 6. & Iacobi 5. falſus eſt, vt clarè oſtendit Bellarminus lib. de extrema vnctione cap. 2. Sed eſto eadem ſit in vtroque mentio, vt placet quibuſdam, Iunius vehementer errat, vocans extraordinariam & ad ſolùm primitiuam Eccleſiam pertinentem; nam vnctio illa, non eſt, extraordinaria, ſed ordinaria, omníque tempore in Eccleſia durans. Proculus enim non fuit in primitiua Eccleſia: hanc appellamus, quæ viuentibus adhuc Apoſtolis erat. 42.

3. PER OLEVM.] Ita Ioannes Caſſianus Collat. 7. cap. 26. miram narrat virtutem Pauli Abbatis, *Vt cùm de oleo, quod cadauere ſuo potiùs quàm* D *corpore contigiſſet, vngerentur infirmi, confeſtim cunctis valetudinibus curarentur.* Sic Sanctus Hilarion morſos à ſerpentibus oleo ſanabat, eodémque duos à morte ſuſcitauit, teſte Hieronymo. & Abbas Beniamin, apud Palladium in Lauſiaca, cuicumque manus impoſuiſſet, aut, quod benedixerat, oleum dediſſet, liberabatur ab omni ægritudine. Vide Alardum Gazæum, qui his & ſimilibus de oleo, & Baronium tom. 1. Annal. pag. 596. & Antonium Marſilium Archiepiſcopum Salernitanum, ſectione 3. Hydrapologiæ c. 5. vbi affert Nicephori cap. 9. lib. 5. de aqua, quæ tranſiit in naturam olei, Narciſſi virtute, qui floruit ſub Seuero.

3. QVEM ANTONINVS.] Cùm ait, Antoninum Caracallam nutritum fuiſſe lacte Chriſtiano, fortaſſe innuitur à Spartiano, ſcribente ſic: *Septennis puer, quum colluſorem ſuum puerum ob Iudaicam religionem grauiùs verberatum audiſſet, neque patrem ſuum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu reſpexit.* Nam Iudaïca pro Chriſtiana ſupponi puto, vt aliàs ſæpe. 43.

2. CLARISSI-

3. CLARISSIMAS.] Lampridius in Alexandro Seuero: *Præfectis prætorij suis Senatoriam addidit dignitatem, vt viri clarissimi & essent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat.* Sumo illud, *vel rarò fuerat*, vt includatur Seuerus, qui fuit ante Alexãdrum. Augustinus sæpe *clarissimas* vocat mulieres Senatorias, & in multis legibus Codicis. Et Paulinus in vita Ambrosij: *Apud quandam clarissimam inuitatur.* Scripsi *in nos*, quia hoc videtur postulare phrasis ipsa Tertulliani, & Pamelius laudat; reliqui habent *in os*, & possunt: Baronius verò *in eos* tom. 2. Annal. pag. 275.

44. 3. MARCVS QVOQVE AVRELIVS.] Tertullian. Apolog. 5. *Si litteræ M. Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militũ precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* Litteræ M. Aurelij hæ sunt: *Deos votis susceptis rogaui, sed cùm ab eis negligerer, eos, qui apud nos Christiani dicuntur, accersiui, cùmque se humi proiecissent, non solùm precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, vt famis ac sitis, qua vrgebamur, remedium aliquod afferretur: quinque enim diebus aquã non sumpseramus: simul autem atque se humi abiecerunt, statim de cœlo pluuia delapsa est in nos quidem frigidissima, in Romanorum verò hostes grando ignis specie ac similitudine, & fulmina: eorùmque orationibus statim præsto Deus fuit, qui neque vinci, nec expugnari potest.*

3. GENICVLATIONIBVS.] Est in Tertulliano, *de geniculis adorare.* Et in Prospero, de prædictionibus Dei, parte 1. c. 34. *Populus ingeniculans adorauit.* Et aduersus Iudæos Tert. *in rebus attonitis, genibus vtique positis, & manibus cadentibus pectus, & facie humi volutata, orationem commendare debemus.* Ambros. l. 6. Hexam. c. 9. *Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia prouocatur.* Hieronym. in cap. 3. Ephes. *Legimus enim & Paulum in littore sic orasse, & geniculationes in oratione præceptas.* Et Apolog. cap. 30. *In cœlum suspicientes, manibus expansis,* &c. Omitto rem facilè parabilem.

45. 3. IN IOVIS NOMINE DEO NOSTRO TESTIMONIVM REDDIDIT.] Locus est Senecæ lib. 2. Natural. Quæst. apprime faciens: *Ne hoc quidem crediderunt maiores nostri, Iouem, qualem in Capitolio, & cæteris ædibus colimus, mittere manu fulmina: sed eundem, quem nos, Iouem intelligunt, custodem rectorémque vniuersi, animum ac spiritũ mundum huius operis, dominum & artificem, cui nomen omne conuenit.* Vbi *Iouis* nomine appellat Deum verum.

4. INDIGENTIBVS REFRIGERAMVS.] Theodorit. lib. 5. Eccles. hist. cap. 9. ἡμῖν δὲ μακρᾶς μὲ ἔδει σχολῆς, καὶ πολλοῦ χρόνου καὶ πόνου πρὸς τὴν τῶν ἐκκλησιῶν ἐπανόρθωσιν, ἵν' ὥσπερ ἐκ μακρᾶς ἀῤῥωστίας, τὰς ἐξ' ἑκάστης μικρὸν ἐπιμελείας τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας ἐκνοσηλεύοντες, πρὸς τὴν ἀρχαίαν τῆς εὐσεβείας ὑγίειαν ἐπανάγομεν: *Nobis quidem diuturno otio, & multo tum tempore tum labore ad Ecclesiarum emendationem opus est, vti corpus earum tãquam diuturno morbo vexatum, curationibus pedetentim adhibitis recreantes, tandem ad pristinam pietatis sanitatem reducamus.* Propriè *refrigeramus* est, alimoniam damus.

46. 4. VIDERINT, &c.] Testes tibi affero vel ipsos Gentiles, qui, boni vt esse videantur, gloriantur se esse Christianos, etiamsi cum mendacio, sed illos nos vt criminosos recusamus. Veros enim cultores requirit A secta nostra, non mendaces. Quamobrem valeant facessántque, hoc enim est *viderint.* Tale illud Hilarij can. 10. in Matth. *Istiusmodi homines fallentes, & audientibus blandientes, penes se esse veritatem Catholicam mentiuntur.*

4. NOMINE.] *Nomen* propriè ad rerum creditarum obligationem refertur, sensim autem ex vsu inualuit, vt *nomen* pro quolibet debito, omníque obligationis genere sumeretur, vt hoc loco. *Quis de nobis alio nomine quæritur?* id est, alia obligatione?

4. QVAM INCESTAM, QVAM CRVDELEM.] Aduertit Rhenanus dici *incestam*, propter mendacium Gentilium de promiscuo cum matribus & sororibus concubitu: *crudelem* verò, propter infanticidium, de quo etiam Christianos calumniabantur.

4. CREMAMVR.] Vt malefici. Paul. lib. 5. Sentent. tit. 23. *Magicæ artis conscios summo supplicio affici placuit, id est, bestiis obiici, aut cruci suffigi; ipsi autem magi viui exuruntur.* Vide caput vltimum in Apolog. 47.

4. NEC HOSTES PVBLICI VERI.] Addidit *veri*, ipsos notans Gentiles, qui verè hostes erant; non Christianos, qui verè hostes non erant.

4. PRÆSIDE LEGIONIS.] Irenæus lib. 1. Aduers. hæres. c. 3. ἐν ταῖς Ἱβηρίαις: in ecclesiis, quæ sunt in *Hiberiis*: pro, quæ sunt in Hispania. In hac *Legio* est, vulgo Leon.

4. SED GLADIO TENVS.] Ita scilicet exæstuant in hoc nomen, non alia crudeliore pœna. Itaque non hic *gladius* sumitur pro pœna illa atroci, qua sumitur apud Iure Consultos, de quo scribitur lib. 9. Codicis tit. 9. leg. 31. vbi de viris, qui nubunt vt fœminæ: *Iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquisitissimis pœnis subdantur infames.* Vbi explicat Cuiacius *gladium vltorem* esse, *exquisitissimas pœnas.* Sed *gladius* tantùm est, vis potestatis, quæ consistit in gladio. Vnde Antoninus militi illi, qui Papinianum securi percusserat, dixit: *Gladio te exsequi oportuit meum iussum.* Rem narrat Spartianus in vita Caracallæ, & repetit in vita Getæ fratris. Vnde Hilarius can. 10. in Matth. sic ait: *Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit ius potestatis, & iudicij seueritas, & animaduersio peccatorum.* Hæc potestas nata ab eo, quòd Romani Imperij Princeps gladium illis daret, quibus & Imperium. Stat. 5. Syluarum, 48.

Felix qui magno iam nunc sub præside iuras,
Cuique sacer primum tradit Germanicus ensem.

Et Lucifer Calaritan. dixit lib. 2. pro Athanasio ad Constantium Imperatorem: *Illa* (lex) *quæ fame, siti, verberibus, nuditate necat, ad vltimum illa quæ gladio punit.* Et Gildas de Excidio Britanniæ, ait, *ensem* qui dicit, censere Romanam vltionem.

D 4. SICVT A PRIMORDIO MANDATVM EST.] Dicit hoc: nam hæc persecutio cœpit à Plautiano: & licèt Seuerus præceperit illam continuare, sed à primordio, ignorante Seuero, Plautianus, liberas habenas nactus, immanem carnificinam exercuit. Vide Baronium 2. tom. Annal. pag. 280. 49.

4. MAIORA CERTAMINA MAIORA SEQVVNTVR PRÆMIA.] Ephrem Syrus serm. de Patientia: *Vbi sunt certamina, ibi & præmia; vbi bella, ibi honores; vbi colluctatio, ibi quoque corona.*

CAP. V. ARGVMENTVM.

Quòd Christianis parcendum vel ob multitudinem.

TERTVLLIANVS.

50. I. CRVDELITAS vestra, gloria est nostra. Videtantùm ne hoc ipso, quòd talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, vt hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed vltro vocare. Arrius Antoninus in Asia cùm persequeretur instanter, omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia eius se manufacta obtulerunt: cùm ille paucis duci iussis, reliquis ait, ὦ δῆλοι εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Hoc si placuerit & hîc fieri, quid facias de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladijs opus erit? Quid ipsa Carthago passura est decimanda à te, cùm propinquos, cùm contubernales suos illic vnusquisque cognouerit; cùm viderit illic fortasse & hîc ordinis viros, & matronas, & Principales quasque personas, & amicorum tuorum vel propinquos, vel amicos. Parce ergo, si tibi, non nobis.

EXPLICATIO.

51. 1. VIDE *tantùm*, &c. Vide ac time *ne hoc ipso quòd* intoleranda *sustinemus*, nos omnes simul offeramus, quæ oblatio *videbitur* mera *eruptio*, sed *ad hoc solum*, vt moriamur. Quippe populus in vnum coniunctus videtur velle erumpere & conspirare. Sed nos, inquit, conspirabimus in vnum, ad hoc solum, vt moriamur. Ideò adiicit, *vt hoc ipsum probemus*, videlicet, *nos hæc non timere, sed vltro vocare*. Etenim populus vltro vocans, videtur velle conspirare. Ergo ait: Erumpemus, quia vltro vocabimus, quia non timebimus. Sed eruptio ipsa erit solùm offerentium se ad mortem, non volentium vos perdere. ὦ δῆλοι, &c. Sic sonat, *ô miseri si cupitis perire, præcipitia habetis, aut laqueos*. In illis, *omnis sexus*, respicit omnem virum & fœminam; *omnis ætatis*, pueros & viros; *omnis dignitatis*, quencumque statum hominis. *Contubernales*. Vox Castrensis, continens decem milites degentes sub vno papilione. *Principales personas*, quæ pertinent ad principes ciuitatis. *Parce ergo, si tibi, non nobis*. Parce ergo sæuitiæ tuæ quia tua interest, & siquidem facis hoc tua ipsius caussa, non est cur dixeris, nostra caussa facere.

52. 2. Parce Carthagini, si non tibi. Parce prouinciæ quæ visa intentione tua obnoxia facta est concussionibus & militum & inimicorum suorum cuiusque. Magistrum neminem habemus, nisi Deum solum. Hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis. Cæterùm quos putas tibi magistros, homines sunt & ipsi morituri quandoque. Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in caussa, & vbi cognouerit veritatem, & ipse statim sequitur.

2. *Concussionibus*. Milites insurgent, cædent, & despoliabunt ex insita violentia, addent etiam elogia. *Cuiusque* est *militum, & inimicorum suorum*: vt enim innotuerat Præsidem persequi Christianos, mox Gentiles effuso agmine, in Christianos impetum facere, prædari, necare; itavt quisque iniurias suas peculiares vlciscereturs. *Magistrum*. hîc esse videtur iudex & arbiter cuiuscumque rei & facinoris. Nisi velis dicere, magistrum hîc esse eum, qui Christianis tradit dogmata. Clara sunt reliqua.

NOTÆ.

55. 1. ARRIVS ANTONINVS.] Hic fuit sub Adriano, qui seuerè in Christianos sæuiit. Et vt Baronius ait, 2. tom. Annal. Anno Christi 124. in Asia hic Arrius fuit Proconsul, & dignitatem administrauit, vt Lamprid. Spartian. & Capitolinus meminerunt. De hoc Arrio Antonino longè excurrit Casaubonus in Notis ad Capitolinum.

1. Ω ΔΕΙΛΟΙ.] Aliàs legitur, ὦ λοιποὶ, *ô vos reliqui*: vt dicat, heus vos qui reliqui estis, si mori cupitis, habetis laqueos & rupes. Baronius adnectit illud Iustini Mart. orat. ad Senat. *Ne verò quispiam dicat: Omnes vos igitur vobis ipsis afferte manus, atque ad Deum iam nunc ite.*

1. DECIMANDA.] Nota huius decimationis in Liuio est lib. 2. *Cætera multitudo, fortè decimus quique ad supplicium lectus.*

54. 1. PRINCIPALES.] Paulinus ad Alipium: *In cuius te ciuibus principalem cum principibus populi sui, sede Apostolica merito collocauit.*

2. NEC TAMEN DEFICIET HÆC SECTA, QVAM TVNC MAGIS ÆDIFICARI SCIAS, CVM CÆDI VIDETVR.] Clemens

Alexand.lib.6.Stromat. *Græca quidem philoſophia, ſi quis magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit: noſtra autem doctrina à prima vſque prædicatione, etiam prohibentibus regibus ac tyrannis, magis floret.* Hilarius lib. 7. de Trinit. *Dum opprimitur, creſcit.* Ambroſius 9. in Lucam: *Sicut aurum bonum, ita cùm vritur Eccleſia, eius fulgor apparet.* Iuſtinus Dialogo cum Tryphone: *Haud ſecus, quàm ſi quis vitem putatione prouocat ad vbertatem.* Leo in ſerm. Apoſt. Petri & Pauli: *Non minuitur Eccleſia perſecutionibus, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* Hæc & plura alia Iuſtinian. Noſter in cap. 1. ad Philippenſes.

2. QVISQVE ENIM TANTAM TOLERANTIAM SPECTAS, VT ALIQVO, &c.] Legunt aliqui: *Quiſque enim tantam tolerantiam ſpectans in aliquo, ſcrupulo percuſſus,* &c.

2. INQVIRERE ACCENDITVR.] Helleniſmus, pro Latino, *accenditur ad inquirendum.* Martial. lib. 4.

---ventrem paſcere veni.

Manil. lib. 1.

Et rapit ætherios per carmina pandere cenſus.

Claudian. de Raptu:

---leuibus proiecerat Euris
Indociles errare comas.

Poſſem implere paginas.

FINIS LIBRI AD SCAPVLAM.

DE POENITENTIA, SIVE LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

OPVS hoc paræneticum de Pœnitentia scribit : in quo mirè loquitur de pœnitentia susceptа ante Baptismum, & postea post Baptismum: cui semper sermo est de Pœnitentia in communi & sollemni, nulla facta mentione eius Pœnitentiæ, quæ nunc Christianis omnibus in vsu est, cùm accedunt ad Confessarium.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Vera pœnitentia quæ esset, ignorarunt Gentiles; cùm pœniteant de bonis factis.

TERTVLLIANVS.

1. 1. POENITENTIAM hoc genus hominum, quod & ipsi retro fuimus, cæci sine Domini lumine, natura tenus norunt, passionem animi quandam esse, quæ veniat de offensa sententiæ prioris.

EXPLICATIO.

1. SENTENTIA est, nosci à Gentilibus pœnitentiam esse *passionem animi*, qua retocatur prior sententia propter offensionem aliquam : & quidem solum hoc agnoscunt; quia naturaliter agnoscunt, nec vltra possunt, vt qui *cæci*, atque ideo cæci, quia sine Dei *lumine*, & obiter ait, se quoque vnum fuisse è Gentilibus *retro*, id est, priùs. Illud, *quod & ipsi*, positum pro, quales etiam ipsi.

2. 2. Cæterùm à ratione eius tantum absunt quantum ab ipso rationis auctore: quippe res Dei ratio. Quia Deus omnium conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, ordinauit: nihil non ratione tractari intelligíque voluit. Igitur ignorantes quique Deum, rem quoque eius ignorent necesse est: quia nullus omnino thesaurus extraneis patet. Itaque vniuersam vitæ conuersationem sine gubernaculo rationis transfretantes, imminentem seculo procellam vitare non norunt.

2. Explicat cur Gentiles absint à ratione pœnitentiæ, quia scilicet Deum non agnoscunt, ac perinde nec rationem pœnitentiæ possunt agnoscere. Nam *ratio* est *res Dei*, id est, thesaurus Dei, & bonum illius, non alterius. *Quique*, id est, quicunque. *Quia nullus omnino thesaurus*, &c. Cur qui Deum ignorant, *rem quoque eius* ignorant, & id necessariò ? Quia sicut thesaurus absconditus in loco aliquo, non patere & cerni potest, ab his qui extra eum locum sunt: sic nec ratio, quæ magnus Dei thesaurus, potest patescere his, qui Deum non agnoscunt. *Itaque vniuersam vitæ conuersationem*, &c. Sententia clara est, sed alludit fortasse ad Genesim, vbi caro, id est, homines, qui etiã suam corruperant, nescierunt vitare *procellam* diluuij *imminentem* orbi, quia absque *gubernaculo rationis*, quæ docet veram pœnitentiam. 3.

3. Quàm autem in pœnitentiæ actu irrationabiliter deuersentur, vel vno isto satis erit expedire, cùm illam etiam in bonis factis suis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ, provt quid in ingratiam cecidit; semetipsos exsecrantur, quia benefecerint: Eámque maximè pœnitentiæ speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt; meminisse curantes, ne quid boni rursus præstent: Contra pœnitentiam malorum leuiùs incubant. Denique faciliùs per eandem delinquunt, quàm per eandem rectè faciunt.

3. Qui abſunt à ratione, neceſſe perinde eſt vt irrationabiliter ſe gerant in pœnitentia. Vti hæc irrationabilitas oſtendatur à Tertulliano, notius eſt, quàm vt debeat explicari ab interprete. *Deuerſentur*, quia
4. ſuprà *conuerſationem* dixerat. *In ingratiam*, provt quid moleſtum fuit: vel potiùs *ingratia* hoc loco ſumitur pro ingratitudine, nam ita accipit ſequenti capite. Ait ergo, Pœnitet virtutum, quas exercuerunt in alios, quia vident illos fuiſſe ingratos: & declarant ſequentia. *Irrogatur*, id eſt, erogatur, & adhibetur. *In corde figunt*, altiùs demittunt. *Facilius*, explica frequentiùs. *Per eandem*, id eſt, per bonorum pœnitentiam.

NOTÆ.

5. 1. QVOD ET IPSI RETRO FVIMVS.] Ita Apolog. *De veſtris fuimus.* Ambroſ. tractans caput 15. Lucæ in parabola Prodigi: *Non inuideamus de longinqua regione remeantibus, quia & nos fuimus in regione longinqua.* Clemens Alex. lib 3. Pæd. c. vlt. tractans locum Petri Apoſtoli: πεπορευμένους ἐν ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις, κώμοις, πότοις, καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις: *Ambulantes in laſciuiis, concupiſcentiis, temulentiis, comeſſationibus, potationibus, & nefariis idolorum cultibus.* Adſpirant omnes fortaſſe ad locum Pauli. 1. Tim. 1. *Primus blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus.* Et quid ſi ad Virgil.

Fuimus Troës.

1. NATVRA TENVS.] Id eſt, naturaliter. Et quid ſi alludit ad Apoſt. ſcribentem, homines corrumpi in his quæ naturaliter ſciunt?

2. RES DEI RATIO.] Ita lib. 2. aduerſus Marcion. *Bonitas Dei, & ratio eius.*

2. QVIQVE.] Ita de Veland. Virginibus cap. 13. vbi & teſtimoniis firmo.

3. POENITENTIÆ ACTV.] Putant aliqui vocem *actus* hoc ſignificato non eſſe ſatis Latinam, imò contrudunt ad barbaros. Falluntur. Nam hoc ipſo ſignificato dixit Sueton. Claud. c. 22. *Actum rerum*, pro res agendas: ita, *in actu pœnitentiæ*, nihil eſt aliud, quàm in agenda pœnitentia.

3. DEVERSENTVR.] Aliàs *diuerſentur.*

3. POENITET FIDEI, &c.] Locus eſt inſignis 6.
Athanaſij in Quæſtionibus ad Antiochum Quæſt. 83. ὅμως οὐ καλὸν τὸ μεταμιμώσκειν ἐπ' ἀγαθῷ γινομένῳ: *De bono facto pœnitere abſurdum eſt.* Et ſuprà dixerat, ὅτι τῆς μετανοίας τῆς περὶ τὸν ἐλεημοσύνην ὁ διάβολος ἐστὶ ποιητὴς αὐτῆς: *Diabolus effector eſt pœnitentiæ illius, qua quis dolet feciſſe eleemoſynam.*

3. CONTRA POENITENTIAM MALORVM.] Ciaconus legit, *Contra pœnitentia malorum*: & probo: vel, *contra pœnitentiam*, &c. incubant è cõtrario pœnitentiam leniùs, quia exteriùs fouent eam: & non in corde, ſicut pœnitentiam bene factorum. Et *incubant* dicit, quemadmodum incubare oua & fouere. Quia, vt dixit Ruricius Epiſcop. lib. 2. Epiſt. 14. *Pœnitentia non eſt nomen otioſum: quæ ex qualitate operis poſſidet laborioſa vocabulum. Non enim poteſt pœnitens dici, qui pœnitenda committit, ſed ille qui præterita peccata vel maculas humilitate cordis, ſubiectione corporis, bonorum operum ſedulitate, aſſiduitate orationum, continuatione gemituum, pectoris contuſione, lacrymarum profuſione detergit.*

3. QVAM PER EANDEM RECTÈ FACIVNT.] Vvouer. è codice ſcripto, *per eam*, & placet.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Vera pœnitentia ea eſt, quæ tantùm de malis, id eſt, peccatis.

TERTVLLIANVS.

7. 1. QVÒD ſi Dei ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primò pœnitentiæ expenderent: nec vnquam eam ad argumentum peruerſæ emendationis adhiberent: modum denique pœnitendi temperarent, quia & delinquendi tenerent, timentes Dominum ſcilicet. Sed vbi metus nullus, emendatio proinde nulla: vbi emendatio nulla, pœnitentia neceſſariò vana; quia caret fructu ſuo, cui eam Deus ſeuit, id eſt, hominis ſaluti.

EXPLICATIO.

1. ADHIBET bona quæ ſequuntur cognitionem Dei & rationis. *Compotes agerent*, id eſt, eſſent compotes. *Merita primò*, &c. Neſcio an Pamelius intellexerit quæ ſint hoc loco *merita*, cùm referat ad merita bonorum operum. Hæc nos non negamus, ſed velle hoc Tertullianum. Explico *merita*, bona, ſubſtantiam, partes, pondera, momenta. Dicit enim: Si noſſent Deum, & rationem, ſcirent etiam quę eſſet vis & ſubſtantia pœnitentiæ, & ideò nec eam erogarent impenderéntque peruerſæ emendationi, dolentes de factis bonis, fide, amore, ſimplicitate, patientia, miſericordia. Et denique pœnitendi modum temperarent, &c. quia ſcilicet cognoſcentes Deum, ac perinde timentes (timor quippe Dei à cognito Deo 8.
procedit) modicum peccarent, & ita modica quoque pœnitentia egerent. *Sed vbi metus nullus*, &c. Clarum hoc. Tantùm adeatur Chryſoſt. Homil. 5. ad Popul. vbi ait, puerilem timorem nos habere, dum alia, quàm Deum, timemus.

2. Nam Deus poſt tot ac tanta delicta humanæ temeritatis, à principe generis Adam auſpicata: poſt condemnatum hominem cum ſeculi dote, poſt eiectum paradiſo mortíque ſubiectum: cùm rurſus ad ſuam miſericordiam maturauiſſet, iamiude in ſemetipſo pœnitentiam dedicauit, reſciſſa ſententia irarum priſtinarum, ignoſcere pactus homini & imagini ſuæ.

2. Hic tractus habet prima pœnitentiæ incunabula, & finem eius. Finis eſt ſalus hominis; explicat enim illud præcedentis tractus, *Deus ſeuit* pœnitentiam *hominis ſaluti*. Percurro. *Auſpicata*, quia ab Adam omnium malorum ſemina, & infelix auſpiciũ, ſcilicet ab infelicitate originalis culpæ. *Cum ſeculi dote*. Vnica dos hominis fuit originalis gratia, & iuſtitia, & reliqua bona quæ à tanto bono, quibus humana ſecula florentiſſima; hæc bona omnia adempta miſero homini, omnes gratiæ, priuilegia, immunitates. *Rurſus*, id eſt, poſt peccatum Adæ. *Maturauiſſet*, quia Deus poſtquam puniuit Adam, eiiciens illum de paradiſo, illico perquam maturè confugit *ad ſuam miſericordiam*, tanquam ad receptaculum. Et ideò *iam inde dedicauit in ſeipſo pœnitentiam*. Qui locus non eſt facilis. Nam cùm hîc Tertull. loquatur iam de pœnitentia toto rigore & preſsè, & hæc ſit de malè factis, iſta non potuit eſſe in Deo. Ergo ſententia eſt: Deus poſt punitum hominem confugiens ſtatim *ad ſuam miſericordiam*, eo ipſo *dedicauit in ſe pœnitentiam*, quia reſcindens iras priſtinas *pactus* eſt ſe paratum eſſe ex ſumma miſericordia ad ignoſcendum cuicunque pœnitenti. Itaque *dedicare pœnitentiam in ſemetipſo*, nihil eſt hîc aliud, quàm attollere vexillum miſericordiæ in ſeipſo ad bonum pœnitentium, quod antequam Adam peccaret, eſſe non potuit: fecit vtique ſe Deus aſylum pœnitentibus. 9.

10. 3. Itaque & populum ſibi congregauit, & multis bonitatis ſuæ largitionibus fouit, & ingratiſſimum totiens expertus ad pœnitentiam ſemper hortatus eſt, & prophetando vniuerſorum prophetarum emiſit ora: mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per ſpiritum ſuum vniuerſo orbi illuminaturus eſſet, præire intinctionem pœnitentiæ iuſſit, vt quos per gratiam vocaret ad promiſſionem ſemini Abraham deſtinatam, per pœnitentiæ ſubſignationem antè componeret.

3. Scilicet ab initio Deus elegit ſibi populum. *Fouit*, nota verbum peculiaris amoris. *Et prophetando*, &c. Coniunge ita: emiſit ora vniuerſorum prophetarum prophetando, id eſt, ad prophetandum: eſt enim datiuus. Et *emiſit*, quia prophetæ legati Dei. *Mox gratiam pollicitus*, id eſt, filium ſuum, quo nulla maior gratia, & intelligit credo Iſaiam, qui reliquis prophetis clariùs de venturo Chriſto. *Illuminaturus eſſet*, id eſt, demonſtraturus cum magna luce, clariſſimiſque argumentis, quibus homines intelligerent illum eſſe verum filium Dei, quod præſertim factum, cùm Chriſtus baptizatus habuit teſtimonium Patris, & Spiritus ſanctus in eum deſcendit, apertis cœlis, magna claritate. Ad hunc enim locum clarè alludit Tertullianus; itaque verbum, *illuminaturus*, reſpicit claritatem aperti cœli, & voluit, *illuminaturus*, pro clificaturus, quod verbum ſæpe in Euangeliſtis. *Præire intinctionem pœnitentiæ*, eſt *pœnitentiæ* in tertio caſu: id eſt, præcedere baptiſmum pœnitentiam. Loquitur de baptiſmo Ioannis: vel, *pœnitentiæ*, ſit in genitiuo, quia baptiſmus eſt ſubſignatio pœnitentiæ, & ita præit pœnitentia. *Per pœnitentiæ ſubſignationem*, explica chirographum, diploma, ſubſcriptas tabellas, aut quid ſimile: vt dicat: illum recipiendum à Deo, qui pœnitentiam fecerit, quaſi pœnitentia ſit tabella ſignata ad faciendam fidem: ille ergo admittetur ad Dei gratiam qui ferat hoc chirographum.

11. 4. Non tacet Ioannes, Pœnitentiam initote, dicens; iam enim ſalus nationibus appropinquauit, Dominus ſcilicet afferens ſecundum Dei promiſſum. Cui præminiſtrans pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus præpoſitam: Vtique quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens & radens, & foras abiiciens, mundam pectoris domum ſuperuenturo Spiritui Sancto paret, quo ſe ille cum cœleſtibus bonis libens inferat.

4. *Non tacet Ioannes*, quia ſcilicet vox eſt. *Pœnitentiam initote*, in Græco eſt Matth. 3. μετανοεῖτε, id eſt, *pœnitemini*. Vt ergo liberum fuit interpreti reddere *pœnitentiam agite*, ita Noſtro, *pœnitentiam initote*. Pergit. *Salus appropinquauit*, quod Matth. *regnum cœlorum*: & *ſalus* ait, quia fructus pœnitentiæ eſt ſalus hominis. *Afferens*, ſubaudi ſalutem. *Deſtinabat*, dirigebat, proponebat. *Error vetus*, ſcilicet deflexio à via virtutis, ex Adami peccato proueniens. *Verrens* præceſſit *purgandis mentibus*, & addit *foras abiiciens*, vt purgamina & piacula. *Spiritui ſancto*, id eſt, filio Dei. Ita credo, nam hic vir ita ſæpe vocat ſecundam perſonam, quod alibi oſtendo.

12. 5. Horum bonorum vnus eſt titulus, ſalus hominis, criminum priſtinorum abolitione præmiſſa. Hæc pœnitentiæ cauſſa: hæc opera negotium diuinæ miſericordiæ curans: quod homini proficit, Deo ſeruit.

5. Hùc deſtinatus totus præcedens curſus, vt finem pœnitentiæ cognoſcamus, qui nullus alius quàm *hominis ſalus*. *Titulus*, id eſt, ſumma tota. *Hæc opera*, eſt hîc opera, operæ. *Quod homini proficit, Deo ſeruit*. Expende hoc non oſcitanter. Vide qualem habeas Deum, qui tunc putat ſibi inſeruiri, cùm fit aliquid, quod tibi proficiat.

6. Cæterùm ratio eius, quam cognito Domino diſcimus, certam formam tenet, ne bonis vnquam factis cogitatiſve, quaſi violentia aliqua, manus iniiciatur. Deus enim reprobationem bonorum ratam non habens, vtpote ſuorum: quorum cùm auctor & defenſor ſit, neceſſe eſt proinde & acceptator: ſi acceptator etiam remunerator.

6. Post cognitum finem Pœnitentiæ clarè sequitur, non illam adhibendam ad dolorem bonorum operum, quod iam attigit primo capite. *Ratio eius*, &c. Suprà quippe dixit, rationem pœnitentiæ cognosci Deo cognito. *Manus iniciatur.* Forma est iuris. Ergo *manus per violentiam iniycere*, erit, velle asserere & vendicare, quod suum non est. Et ita, qui pœnitet de *bonis factis*, manus iniicit violentas, quia hoc non est proprium pœnitentiæ, imò & extra eius dominium. Reddit rationem, *Deus enim reprobationem bonorum*, &c. quæ ratio clara. Legerem ego *habet* pro habens, ne sit sententia hiulca. Est *defensor*, idem quod *assertor*, vsu Tertullianeo. *Remunerator.* Vide quantum absint à pœnitentia bona opera, cùm Deus illorum sit *auctor*, illa defendat, illa acceptet, illa remuneret.

13. 7. Viderit ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit: viderit & gratia, si captatio eius ad benefaciendum incitamento est. Terrena, mortalis vtraque. Quantulum enim compendij, si grato benefeceris? vel dispendij si ingrato? Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum: quia iudex omnis remunerator est caussæ.

7. *Viderit ergo*, &c. Particula *viderit* semper improbat, in Tertull. & refellit, vt etiam hoc loco. Vt verò intelligas, finge obiectantem aliquem Tertulliano: Malè doces non pœnitendum de *bonis factis*, nam scimus ingratitudinem humanam eius esse naturæ, vt benefactorem faciat pœnitere de bono collato erga ingratum: & gratitudo etiam eius est naturæ, vt incitet benefactorem ad conferenda maiora beneficia. Respondet Doctor, *viderit*, id est, valeat abeátque ingratitudo hominum, quæ eius est naturæ, vt cogat homines pœnitere *de bonis factis*, & ait *cogat*, quia est hoc contra rationem pœnitentiæ, quæ solùm de malis esse debet. Pergit. Abeat quoque & valeat gratitudo hominum, nam tantùm eius scopus est incitare *ad benefaciendum*. Sed cur vtraque abeat? quia vtraque *terrena* & *mortalis* est. Et quidem exiguum est compendium, id est, lucrum, benefacere *grato*: & exiguum dispendium, *ingrato*. Non sic erga Deum. Non enim potest quodcunque siue bonum, siue malum leue esse, cùm habeat *Deum debitorem*, & tam boni quàm mali operis remuneratorem, quia est *iudex*. Summa est, gratitudinem aut ingratitudinem humanam leuissimi esse momenti, & longè aliam esse rationem respectu Dei.

14. 8. At cùm iudex Deus iustitiæ charissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat, & in eam omnem summam disciplinæ suæ sanciat, dubitandum est, sicut in vniuersis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque caussa iustitiam Deo præstandam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solum modo adhibeatur. Porrò peccatum, nisi malum factum, dici non meretur, nec quisquam benefaciendo delinquit: quòd si non delinquit, cur pœnitentiam inuadit delinquentium? Cur malitiæ officium bonitati suæ imponit? ita euenit, vt cùm aliquid vbi non oportet adhibetur; illic, vbi oportet negligatur.

8. Cùm dixerit Deum esse iudicem, ait nunc dubitandum non esse, quin iustitia Dei habeat locum in actu pœnitentiæ: & habebit quidem si tantùm pœnitentia *adhibeatur peccatis*. *Porro peccatum*, &c. Ostendit ergo consequenter nihil dici posse *peccatum*, nisi quod est malè factum, ac perinde nunquam pœnitendum nisi de malo facto: nam bonum, cùm non sit peccatum, effugit pœnitentiam, & qui pœnitet de bono, eo ipso dat *bonitati officium malitiæ*. *Ita euenit*, &c. Conclusio clara, & quod dixerat in primo capite, *contra pœnitentiam malorum leuius incubant*.

NOTÆ.

15. 1. ARGVMENTVM.] In vulgatis legitur *augmentum*, sed in codicibus multis scribi *argumentum*, testificatur Vvouer. quod arripui.

1. VBI EMENDATIO NVLLA, POENITENTIA VANA.] Pet. Blesens. Opusc. de Confess. Sacram: *Verbum Augustini est, inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardiùs: sic lugens & peccans veniam non meretur: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nec valet de malis veniam poscere, & mala denuo iterare.* Pergit alijs.

16. 2. SECVLI DOTE.] Insciтè quidam intelligit Euam. Affero autem alias quatuor explicationes, dum ea, quam attuli, non reiiciatur, quæ princeps est. Igitur quid si intellexit *terram*? nam ea quoque maledicta fuit à Deo, vt dicat condemnatum hominem simul cum terra. Altera est. id est vitæ exemit & morti addixit, vita autem est dos seculi. Tertia. Homo cui erat seculi dos, condemnatus est. vt dicat, hominem cum seculi dote, hunc condemnauit. Quarta Benedicti Fernandij è Nostris, qui in cap. 3. Genes. A sect. 40. *seculi dotẽ* vocat vestes pelliceas. Nititur forsitan illis de libro Pallij cap. 3. *Pellitus orbi vt metallo datus.* Quocunque modo intelligas, videsis quàm egregium matrimonium contraxerit homo post peccatum.

2. POST EIECTVM PARADISO.] Notat Barr. ab hac Dei seueritate vsurpatum à veteribus Christianis eiicere Ecclesia peccatores, εἰς ἐκκλαυσιν, quasi in locum fletus & clamoris. Nam ex eo loco, qui erat pro foribus templi, vociferabantur ad Christianos, qui intra Ecclesiam erant, vt pro se orarent.

2. MATVRAVISSET.] Ab nostro Cyprianus ad Donatum: *Accipe quod sentitur antequam discitur, nec per moras temporum longa cognitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur.* Rhenani iudicium mutantis in prima sua editione *arrauisset*, aut *inarrauisset*, nihil moror.

2. DEDICAVIT.] Phrasim hanc Tertulliano vsurpatam iam notauit Pamelius in epist. Cyprian. 33. ad illud *dedicat lectionem*. Porrò Barræus, qui hanc 17.

dedicationem pœnitentiæ in Deo, refert ad verba illa, *Pœnitet me feciſſe hominem*, longè fallitur, & noſtra veriſſima eſt explicatio. Idem enim dicit Tertull. quod Athanaſ. in quæſt. ad Antiochum principem, quæſt. 83. ὅτι τῆς μετανοίας τῶν ἁμαρτιῶν ὁ Θεὸς ἔδειν ὁ πάνυ πρόξενος. Ait ſcilicet, *Deum primum pœnitentiæ peccatorum hoſpitia aperuiſſe.* Et ſtatim diabolum facit malæ pœnitentiæ ποιητὴν, *factorem*, cùm faciat vt homines doleant, non de peccatis, ſed de bonis operibus. Vt ergo diabolus inſtitutor malæ pœnitentiæ, ita Deus bonæ; & bona eſt illa, qua quis pœnitet tantùm de peccatis.

2. PACTVS IGNOSCERE.] Non poſſunt placere, qui referunt ad hiſtoriam Noë poſt diluuium, & ad arcum fœderis. Vide noſtram explicationem.

3. ITAQVE ET POPVLVM SIBI CONGREGAVIT.] Non refero cum interpretibus ſolùm ad æuum Moyſis, neque ad æuum Abrahæ, ſed ab ipſiſmet filiis Adæ, Deus ſibi elegit aliquos virtutis B cultores ab ipſo Seth filio Adæ, vt videre eſt in Auguſtino, libris de ciuit. Dei, vbi ciuitatem Dei fomat ab ipſo Adamo per filium Seth.

3. ET PROPHETANDO VNIVERSORVM, &c.] Ademi diſtinctionem. In omnibus enim legitur, *& prophetando, vniuerſorum*, &c. perperam, neque enim ita locus quit intelligi.

18. 4. VERRENS.] Scribunt aliqui *euerrens*, poſſunt, ſed non eſt neceſſe. Alij *auertens & radens*.

5 ABOLITIONE.] Bleſenſ. lib. de Peregrinat. Hieroſolymitana inter pœnitentiæ elogia: *Cœlorum ſcala, reconciliatio pacis, acquiſitio vitæ, vitiorum abolitio*, &c.

5. QVOD HOMINI PROFICIT, DEO SERVIT.] Expendatur hoc, quaſi dicat, Deus non eget pœnitentia, ſed tu eges. Et quia res tua agitur, ideo ſeruitium Deo. Tale quiddam Ioan. Chryſoſt. orat. 2. aduer. Iudæos. vbi tractans locum Malachiæ, ait ipſe ſub perſona Dei: μὴ γὰρ ἐμὲ ἠδίκησατε, μὴ γὰρ ἐμοὶ ἐλύπησε βλάβη, ὑμεῖς ἑαυτοὺς ἠτιμώσατε, τῷ ἐμῷ οὐκ ἠλαττώσατε δόξαν, ἀλλὰ τῷ ὑμετέρᾳ: *Non me læſiſtis, neque vlla mihi facta eſt noxa: voſmetipſos ignominia affeciſtis: gloriam meam non imminuiſtis, ſed veſtram ipſorum.*

6. QVASI VIOLENTIA ALIQVA MANVS INIICIATVR.] Non diſplicet lectio codicis ſcripti, *quaſi violenta aliqua manus injiciatur*. De hac porrò forma copiosè nos ad illud 10. Æn.

Iniecere manum parcæ.

6. REMVNERATOR.] Hæc vox vna eſt, ἐπὶ τῶν μέσων; accipitur enim in vtramque partem, vt clarè hoc loco. Et ideo inf. *omnis remunerator eſt cauſſæ*, id eſt, bonæ & malæ.

7. BONVM FACTVM.] Alludit ad formam, qua veteres cauſſa boni ominis *bonum factum* præfari ſolebant. Tertull. ipſe alibi: *ô edictum, cui adſcribi non poterit bonum factum* Notauit hoc Turneb. firmauítque aliis lib. 3. cap. 22.

8. DEVS IVSTITIÆ CHARISSIMÆ SIBI EXIGENDÆ, &c.] Iuſtitia eſt Deo virtus chariſſima, illúmque habet vltorem. De Deo enim Conſtantinus Manaſſes in Annalibus, 19.

Οὕτω καὶοὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑποκείνται τῆς δίκης·
Κἂν παρφυτίκα φύγωσι τὰ τῆς πτωλασίας,
Αλλ' ὕστερον ὑπέχουσι μείζονας τὰς δικάσεις:
Sic mali oculis iuſtitiæ ſunt expoſiti:
Et quamuis pœnas aliquando effugiant,
Tandem tamen ſupplicia maiora luunt.

8. POENITENTIAM INVADIT.] Verbum huic ſcriptori vſurpatum. Ad vxor. lib. 2. *de poculo inuadere*. Inf. in hoc lib. *Eam tu peccator mei ſimilis ita inuade*. De lectione monearis, in vulgatis ita ſcribi: *Cur pœnitentiam inuadit delinquentium priuatum? Cur malitiæ officium*, &c. In aliis, *Cur pœnitentiam inuadit delinquentium priuatũ? Cur malitiæ*, &c. Alij ita legũt: *Cur pœnitentiã inuadit delinquentiũ peccatũ? Cur malitiæ*, &c. Ego ſecutus ſum Latinium adimentẽ eã vocẽ, vt redundantem, & afferentẽ obſcuritatẽ inſigni loco.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Delicta alia carnalia, alia ſpiritalia.

TERTVLLIANVS.

20. 1. QVORVM ergo pœnitentia iuſta & debita videatur, id eſt, quæ delicto deputanda ſint, locus quidem expoſtulat denotare, ſed otioſum videri poteſt. Domino enim cognito, vltro ſpiritus à ſuo auctore reſpectus emergit ad notitiam veritatis, & admiſſus ad Dominica præcepta, ex ipſis ſtatim eruditur, id peccato deputandum, à quo Deus arceat. Quoniam cùm Deum grande quid boni conſtet eſſe, vtique bono niſi malum non diſpliceret, quod inter contraria ſibi nulla amicitia eſt.

EXPLICATIO.

1. *Quorum*, quarum rerum. *Id eſt, quæ delicto deputanda ſint*, quia ſcilicet iuſta & debita pœnitentia eſt illarum rerum, quæ tantùm in delictis numerandæ, non in bonis. *Denotare*, hîc in malam partem ſumitur, quia ſermo eſt de delictis. *Domino enim cognito*, &c. Ratio cur otioſum. *Vltro*, coniunge cum verbo *emergit*. *Grande quid boni*, Helleniſmus.

2. Perſtringere tamen non pigebit, delictorum quædam eſſe carnalia, id eſt, corporalia, quædam verò ſpiritalia. Nam cùm ex hac duplicis ſubſtantiæ congregatione confectus homo ſit, non aliunde delinquit, quàm vnde conſtat.

2. *Perſtringere*, notat hoc verbo breuitatem, qua vniuerſa delicta ad duplicem tantùm fontem confert. Nulla enim diſtinctio afferri poteſt πωπωπωτέρα, id eſt, magis compendioſa. *Congregatione*, coniunctione animæ & corporis.

21. 3. Sed non eo inter se differunt, quòd corpus & spiritus duo sunt: alioquin eò magis paria sunt, quia duo vnum efficiunt: ne quis pro diuersitate materiarum peccata eorum discernat, vt alterum altero leuius aut grauius existimet. Si quidem & caro, & spiritus, Dei res: alia manu eius expressa, alia adflatu eius consummata. Cùm ergo ex pari ad Dominum pertineant, quodcunque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit. An tu discernas actus carnis & spiritus? quorum & in vita & in morte, & in resurrectione, tantum communionis atque consortij est, vt pariter tunc aut in vitam, aut in iudicium suscitentur: quia scilicet pariter aut deliquerint, aut innocentes egerint. Hoc eo præmiserimus, vt non minorem alteri quàm vtrique parti, si quid deliquerit, pœnitentiæ necessitatem intelligamus impendere. Communis reatus amborum est, communis & iudex, Deus scilicet: communis igitur & pœnitentiæ medela.

Gen. 2.

3. Cùm dixerit delicta vniuersa esse aut carnalia, aut spiritalia, excludit in hoc tractu, non idcirco, hæc delicta ita differre, quia *caro & spiritus* sint *res Dei*: imò quia hæc duo efficiunt vnum hominem, ex hac parte non delicta differunt, sed sunt paria. Percurro. *Inter se differunt*, subaudi delicta. *Peccata eorum*, scilicet corporis & spiritus. *Adflatu.* Anima quippe ex hac causa, vt corpus ex luto, vt ex materia; & hæc diuersitas illa materiarum, quam præmisit. *Consummata*, præclarè, quia tunc toti operi data consummatio. *Quodcunque eorum*, corpus & spiritus. *In morte.* Quod obsecro consortium in morte, cùm potiùs diuellantur? Fortasse referendum ad dolorem, fit enim anulsio illa dolente vtraque parte. *Tunc*, in resurrectione. *Aut in vitam*, scilicet cœlestem & gloriosam. *Aut in iudicium*, id est, in condemnationem. *Iudicari* enim, ex sermone scripturę & sanctorum, est condemnari. Quæ restant, clara sunt.

22. 4. Exinde corporalia & spiritalia nominantur, quòd delictum omne aut agitur, aut cogitatur: vt corporale sit quod in facto est; quia factum, vt corpus & videri & contingi habet: spiritale verò, quod in animo est, quia spiritus neque videtur, neque tenetur. Per quod ostenditur, non facti solùm, verùm & voluntatis delicta vitanda, & pœtentia purganda esse.

4. Excluſit in superiore tractu non differre nec dici delicta carnalia & spiritalia, quia *caro & spiritus duo sint*: statuit iam in hoc, quæ ratio differentiæ. Igitur *carnalia* & *spiritalia* delicta dicuntur respectu & operis exterioris, & interioris. Illa sunt *carnalia*, quæ habentur facto, & cernuntur oculis: illa *spiritalia*, quæ admittuntur cogitatione, neque cadunt sub aspectum. *Et videri & contingi habet*, helleniſmus, id est, & videtur & contingitur.

5. Neque enim si mediocritas humana factis solùm iudicat, quia voluntatis latebris par non est: idcirco crimina eius etiam sub Deo negligamus. Deus in omnia sufficit. Nihil à conspectu eius remotum, vnde omnino delinquitur. Quia non ignorat, nec omittit, quominus in iudicium decernat. Dissimulator & præuaricator perspicaciæ suæ non est.

5. Posset obiici, humanos iudices tantùm iudicare de externis. Diluit hanc obiectionem, asserens, iudices facere id necessariò, quia vt mediocres scientia pares non sunt scrutandis latebris interni animi, quæ infirmitas longè à Deo. *Crimina eius* voluntatis. *Deus in omnia sufficit* externa, & interna. *Nihil à conspectu eius*, &c. Coniunge ita: *Nihil, vnde omnino delinquitur, à conspectu eius remotum.* Sequitur, *quia non ignorat, nec omittit.* Expende. *Non ignorat*, quia sapientissimus: *nec omittit*, quia optimus. Quippe ignoratio arguit imbecillitatem, omissio malitiam. In summa est, nec peccat intellectu, nec voluntate: nec ignorat, nec præuaricatur. *Quominus in iudicium decernat*, id est, in causam & ad sententiam. *Dissimulator*, &c. Expende & hoc consequenter ad superiorà. Præpositio *per* auget significata verborum. Ergo externa tantùm aspiciuntur, sed interna *perspiciuntur*, id est, intuitu penetrantur, quod pugnat contra ignorantiam. Igitur, Deus qui habet *perspicaciam*, id est, qui nihil ignorat vt sapientissimus; certè nec *dissimulator* erit nec *præuaricator suæ perspicaciæ*, quia est optimus, & longè abest ab omni malitia. Non potest fieri vt videat, neque tamen vt non prouideat.

23. 6. Quid quòd voluntas facti origo est? viderint enim si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiæ imputantur; quibus exceptis iam non nisi voluntate delinquitur. Cùm ergo facti origo est, non tanto potior ad pœnam est, quanto principalis ad culpam? quæ netum quidem liberatur, cùm aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat.

6. Probat non differre delicta, cùm omnia à voluntate oriantur, quia voluntas origo est totius facti externi. *Viderint enim*, &c. Quasi dicat: Scio tres esse circunstantias in quibus delictum erit externum, non internum: circumstantiæ sunt casus, necessitas, ignoratio. Occidisti hominem putans te iaculari in feras,

en casus: inuolasti in alienos cibos cùm fame perires, en necessitas: nesciebas præceptum aliquod, & non impleuisti, en ignoratio. Ergo, hæc tria delicta, quæ tantùm sunt externa, nec vllo fiunt fuco voluntatis. *Viderint*, id est, faceſſant hinc, abeántque, non enim de istis mihi sermo: sed his exceptis semper voluntate delinquitur. Procedo. *Cùm ergo facti origo est*, voluntas. *Liberatur*, à culpa. *Perpetrationem*, exsecutionem. *Eius* voluntatis. *Ipsa enim*, id est, voluntas. *Infelicitatem*, ita vocat causſas, impedientes conatum voluntatis: & præclarè, quia incassum & infeliciter voluit. *Operata opus quod suum fuerat*, operata voluntas, opus suum, id est, voluisse.

24. *Matth. 5.* 7. Denique Dominus quemadmodum se adiectionem legis superstruere demonstrat, nisi & voluntatis interdicendo delicta? cùm adulterum non eum solum definit, qui comminus in alienum matrimonium cecidisset; verumetiam illum, qui aspectus concupiscentia contaminasset: adeo, quod prohibetur administrare, satis periculosè animus sibi repræsentat, & temerè per voluntatem expungit effectum. Cuius voluntatis cùm vis tanta sit, cur non, solatium sui saturans, pro facto cedat? pro facto ergo plectetur.

7. Probauit punienda delicta interna voluntatis, quia voluntas origo est externi actus: probat nunc verè dici delicta quæ admittuntur voluntate, etiam si non exeant in opus externum, & probat auctoritate Christi perficientis ita legem veterem. Nam hac lege tantùm iudicabantur externa opera: sed Christus perfector adiectórque huius legis prohibuit explicitè voluntatis impetum. Etenim nisi essent peccata voluntatis interna, non dici posset Christus adiector legis veteris perfectórque illius. Hæc summa. *Quemadmodum*, id est, quomodo dici queat Christus adiecisse superstruxisséque legi, nisi interdixisset delicta voluntatis? *Cùm adulterum*, &c. Ponit exemplum in adulterio, quod committitur non facto ipso, sed voluntate contaminante matrimonium ex concupiscentia aspectus & oculorum. *Adeo quod*, &c. Expendit scriptor quantum sit periculum in repræsentatione interna, cùm sæpè contingat, temere admodum expungi, id est, perfici effectum per voluntatem ipsam. Ait scilicet ex repræsentatione turpi fieri sæpè vt temerè voluntas consentiat, & hic est effectus, qui expungitur completúrque. Malè enim referes hunc effectum ad actum externum: neque intelligis Tertullianum, qui hoc putas. Illud, *quod prohibetur administrare*, non est, quod prohibetur lege diuina facere: sed ait: Illud quod prohiberis opere ipso exercere & exsequi, quia vis aliqua externa te continet, satis periculosè tractas animo; nam cùm ad hunc nulla accedat externa vis, fiet vt tandem temere consentias per voluntatem. *Saturans*, adimplens quantum in se est, & sese internè ingurgitans in cœnum miserum.

25. 8. Vanissimum est dicere, volui, nec tamen feci: atquin perficere debes, quia vis, aut nec velle, quia nec perficis. Sed ipse conscientiæ tuæ confessione pronuntias. Nam si bonum concupisceres, perficere gestisses: porro sicut malum non perficis, nec concupiscere debueras. Quaque te constitueris, crimine astringeris: quia aut malum volueris, aut bonum non adimpleueris.

8. Refellit obiectionem. *Atquin*, pro atqui, ex vsu frequentissimo huius scriptoris. *Perficere debes, quia vis*. Cur? quia supponit voluntatem debere velle tantùm quod est bonum. *Aut nec velle, quia nec perficis*. Supponit scilicet nihil mali perficiendum. *Sed ipse*, &c. q.d. Nolo ego arguere, conscientia tua te conuincit. *Nam si bonum concupisceres*, &c. Nam scilicet qui vult animo bonum, perficere vult illud exteriore opere. Est hoc, quod dixit, *perficere debes, quia vis*. Pergit: & qui non vult opere externo malum aliquod facere, ita nec debet animo velle. Nam scilicet dixerat, *aut nec velle, quia nec perficis*. Nota consequentiam illam, qui animo *concupiscit*, certè *gestit* opere externo. Vt enim, concupisco. est verbum vehementissimum, ita, gestio. Alius nihil pensitans post vehementiam animi adderet verbum *facio* frigidum, aut quid simile. *Quaque te constitueris*. Quacunque te parte constitueris, captus es, *quia aut malum volueris*, quod non potes perficere; *aut bonum non adimpleueris*, quod debuisti velle.

NOTÆ.

26. 1. GRANDE QVID BONI.] Vide an grande, A dus, vt patres isti, qui ἄγνωσον. Et cuius γνῶσις, ἀγνωσία.

2. CARNALIA, ID EST, CORPORALIA.] Quamuis patres multi accipiant sæpè *carnalitatem* cum aspectu ad res Veneris, sed non dubium quin propriè sit, quod hoc loco ait Tertull. Itaque furari & occidere erunt delicta carnalia. Ita Athan. Apolog. contra Gent. σαρκικὴν ἐπιθυμίαν, *carnalem concupiscentiam* accipit de omni idolorum effigie exposita oculis, vt opponitur spiritalibus, quæ nequeunt cerni: nam & postea explicat per σωματικὰ καὶ αἰσθητὰ, *corporalia & sensibilia*. August. quoque. Tract. 10. in Ioann. *Nouit charitas vestra, quòd sacrificia illi populo pro eius carnalitate, & corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur, ne in idola deflueret*. Vbi *carnalitas* 27.

non respicit luxuriam, sed homines addictos rebus A corporeis, non spiritalibus.

3. VTRIQVE PARTI.] Ita legendum, non *vtique*, vt in multis codicibus.

3. COMMVNIS AMBORVM.] Notanter, nam *communitas* sæpissimè de duobus tantùm. Vide lib. de Idololat.

4. CONTINGI HABET.] Ita est frequens hæc locutio Tertulliano, vt iam desinat esse obseruatio. Ita locis alijs: *Habet exhiberi, habet duci, habet responderi*, &c.

5. NEQVE ENIM SI MEDIOCRITAS HVMANA FACTIS SOLVM IVDICAT.] Legunt *factis*, possunt: sed non est necesse. Nam hîc *factis* est externis operibus.

28. 5. VOLVNTATIS LATEBRIS.] Cum aspectu, vt videtur, ad cuniculos vrbium, à quibus Cassianus locutionem sumit lib. 5. c. 11. contrà qui palam agit machinis, dicitur & aperta vi debellare alium, & irrumpere in intimos sensus. B

5. NIHIL A CONSPECTV EIVS REMOTVM.] Est hoc, quod lib. de Spect. 20. *Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet.* Eleganter à Ioanne Chrysost. orat. de ira dicitur Deus ἀκοίμητος ὀφθαλμὸς, *oculus non dormitans.* Cyrill. Alex. in cap. 2. Amos, ait Deo, οὐδὲν ἄπτωτον, *nihil inaspectabile.* Athanas. lib. de Diffinitionib. ait dictum Deum, Θεὸν ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν τὰ πάντα, *quòd omnia cernat & contempletur.* Quin Deus veluti prouerbialiter dicitur à Theodorito lib. 1. Hist. c. 30. πάντα ἐφορῶν ὀφθαλμὸς: *oculus omnia cernens*: id est, Deus. Et Euseb. lib. 1. de vita Constantini cap. 51. οὐχὶ τὸν μέγαν, καὶ τῆς καθόλου προνοίας διαδέδρακεν ὀφθαλμόν: *non effugit magnum prouidentiæ vniuersalis oculum.* Et Constant. Manass. in Annal. C

Πλὴν ἀλλ' ὁ βλέπων τὰ κρυπτὰ, καὶ συνιεὶς εἰς πάντα,
Ο παντεπόπτης ὀφθαλμὸς, ὁ τὰς καρδίας κρίνων:
Velut ille qui occulta perspicit, qui intelligit omnia,
Oculus cuncta cernens, & iudicans corda.

Et multo infrà:

Οὕτως οὐδὲν τὰ βλέφαρα Θεοῦ διαδιδράσκει:
Sic nihil omnino diuinos oculos fugit.

Et Nicetas Dauid in vita sancti Ignatij Archiepisc. Constantinopolitani, οὐ πρὸς τὸν παντέφορον ἀπέβλεπεν ὀφθαλμόν: *Nullam omnia spectantis oculi rationem habuit.* Sed cùm Tertull. loquatur de vnis internis actibus, huc pertinet dici Deum à Chrysol. serm. 46. *Scrutatorem cordium.* Ab Hincmaro in lib. de Diuort. *Inspectorem conscientiarum.* Cesso ab re vberi. Inde postea Tertull. Deo dat *perspicaciam*, notans perfectam penetrationem in intuitu. Non bene scripsit Ceita serm. de Natiuit. Virginis: *Nihil in conspectu eius remotum.* Hîc enim multũ interest inter præpositionem.

5. PRÆVARICATOR.] Propriè qui prodit causam. Nam & Glossæ non solùm: συκοφάντης, sed etiam παρδιδοὺς τὸν ἴδιον δίκαιον, καὶ τῷ ἀντιδίκῳ ἀπὸ βοηθῶν. Ergo, *Deus non est prævaricator suæ perspicaciæ*, erit non colludit, nec prodit suos oculos. Vtique quod Ioannes Chrysost. orat. 2. aduers. Iudæos, Θεὸς οὐ διίσταται αὐτῷ συμφωνεῖ: *consentit sibi, constat sibi.* 29.

6. AVT IGNORANTIÆ.] Saluian. lib. 4. de Gubern. *Nihil enim contemptu agunt cœlestium præceptorum præcepta Domini nescientes, quia non facit aliquid contra legem legis ignarus.*

6. PRINCIPALIS.] Vox iuris, vbi *principales constitutiones, principalis cognitio, principale præceptum, rescriptum, beneficium*, &c.

6. INTERCIPIT.] Iureconsultorum vox, pro eo, quod alij *interuertere.* Inde *intercipere seruos, pecunias, nummos.* Et Sueton. Domit. *Interceptarum pecuniarum reus.*

6. INFELICITATEM.] Fortasse loquitur cum aspectu ad arbores, quæ cùm frustrantur fructu, dicuntur *infelices*: de qua re iam nos in Georg.

7. ADIECTIONEM LEGIS SVPERSTRVERE.] Aliàs, *legi*, & probo. De sententia, qua Christus legem veterem, quæ tota externa, ampliauit ad interiores actus, iam nos locis aliis; attingit enim sæpè Tertull.

7. ASPECTVS CONSCIENTIA CONTAMINASSET.] Pulcherrimè dixit Clemens Alex. lib. 3. Pæd. c. 11. καλὰ δαρὰ ἡ ὄψις, καὶ τὸ συλλώβειν, ὃ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν βλεφαρίζειν ἔστιν, οὐδὲν ἀλλ' ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν μιχθεῖν ἔστιν, ἀκροβολιζομένης τῆς ἐπιθυμίας δι' αὐτῶν: *Lasciuæ intuitiones, & cernere oculis versatilibus, & conniuentibus, nihil est aliud quàm mœchari oculis, cùm per illos cupiditas ineat prima pugnæ præludia.* 30.

7. ADEO QVOD PROHIBETVR, &c.] Interpunctio Iunij nullo modo est admittenda; euertitur enim pulcherrima sententia Scriptoris.

7. SATIS PERICVLOSE.] Periculum hoc proculdubio ab animi facilitate & procliuitate. Illi enim Ioannes Cassianus lib. 2. c. 14. dat *lubricos motus, fluctuationem cogitationum instabilem, volubilitatem, & peruagationem.*

7. SATVRANS.] Hæc locutio conformis Græcis. Sic Athanas. Apol. κόρον dixit de peccatis, id est, *satietatem.* Et ἐνεπίμπλαντο κακοῖς: *implebantur malis.*

8. PRONVNTIAS.] Verbum iudicum. Cassian. collat. 13. c. 16. *Absoluta planè pronuntiamus sententia.*

8. QVAQVE TE CONSTITVERIS.] Latinius rescribit, *quaqua te conuerteris.* Probat Iunius, sed improbo.

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Exhortatio ad Pœnitentiam.

TERTVLLIANVS.

31. Ezech. 8. 1. OMNIBVS ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinauit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum: Pœnitere, & saluum faciam te. Et iterum: Viuo, inquit, Dominus: & pœnitentiam malo, quàm mortem. Ergo pœnitentia vita est, cùm præponitur morti.

EXPLICATIO.

1. SEu carne, seu spiritu, id est, seu carnalibus, seu spiritalibus. *Seu facto, seu voluntate.* Videntur otiosa hæc verba, sed non sunt, non explicant quod præcessit. Id est: Carnalia sunt, quæ fiunt opere ex-

terno; ſpiritaliáque voluntas vult. *Deſtinauit*, deputauit. *Ergo pœnitentia vita eſt*, &c. Acutè ſatis. Talem volo concionatorem, qui ſciat ex Scripturis ſacris colligere ſimilia acumina.

2. Eam tu peccator, mei ſimilis (imò me minor, ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco) ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit. Rape occaſionem inopinatæ felicitatis, vt ille tu, nihil quondam penes Deum niſi ſtilla ſitulæ, & areæ puluis, & vaſculum figuli, arbor exinde fias illa, quæ penes aquas ſeritur, & in foliis perennat, & tempore ſuo fructus agit: quæ non ignem, non ſecurim videbit. Pœniteat errorum reperta veritate, pœniteat amaſſe quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipſi ſeruulis noſtris ea quibus offendimur non odiſſe permittimus. Obſequij enim ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.

Iſai.40. Dan 2. Pſal.1. Hier.9. Matth.3.

2. Continetur hoc tractu perpes exhortatio ad pœnitentiam. *Præſtantiam.* fatetur ſe eſſe omnium peccantium maximum: præſto (inquit) omnibus in delictis, & ſum princeps. *Inuade*, ἐπιχείρει. Notat quippe auiditatem, qua abripienda pœnitentia. Vt ſcilicet naufragus amplexatur tabulam aliquam, cui fidit. *Proleuabit.* Hæc te naufragum tabula porro & ſurſum leuabit. *Protelabit*, perducet, pertrahet. *Rape occaſionem*, ne vertat occipitium. *Felicitatis.* Expende, nihil enim felicius potuit fragili homini contigiſſe, quàm pœnitentia. *Stilla ſitulæ*, &c. Optimæ comparationes ad explicandam tenuitatem hominis qui in peccato: contrà cùm ex illo emergit per pœnitentiam, redítque in gratiam, fit iam arbor robuſtiſſima. *Perennat*, viret perpetuò, & durat perennè. *Vt non odiſſe*, id eſt, volumus vt odio habeant ſerui noſtri ea quæ nobis ſunt odio. *Obſequij enim ratio*, &c. Expende definitionem obſequij, conſiſtit in conformitate *animorum.*

32. 3. De bono pœnitentiæ numerando diffuſa, & per hoc magno eloquio committenda materia eſt. Nos verò pro noſtris anguſtijs vnum inculcamus, bonum atque optimum eſſe, quod Deus præcipit. Audaciam exiſtimo de bono diuini præcepti diſputare. Neque enim quia bonum, idcirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcipit. Ad exhibitionem obſequij prior eſt maieſtas diuinæ poteſtatis. Prior eſt auctoritas imperantis, quàm vtilitas ſeruientis. Bonum eſt pœnitere, an non? Quid reuoluis, Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantùm, ſed etiam hortatur. Inuitat præmio ſalutem, iurans etiam: Viuo, dicens, cupit credi ſibi. O beatos nos quorum cauſſa Deus iurat! ô miſerrimos, ſi nec iuranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more ſub deieratione teſtatur, ſumma vtique gnauitate & aggredi & cuſtodire debemus: vt in aſſeueratione diuinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque eius & emolumento proinde perſeuerare poſſimus.

Ezech.33.

3. Sed quid numerem (inquit) bona vtilitatéſque *pœnitentiæ*? materia hæc *diffuſa* eſt, & *per hoc*, id eſt, quia diffuſa (itaque *per* hoc loco eſt propter) *committenda eſt magno eloquio*, id eſt, committi debet magnis eloquentia viris. Et his opponit ſtatim anguſtias ingenij ſui. *Bonum atque optimum*, &c. Omittit, vt vides, argumenta, quibus probet vtilitates & bona pœnitentiæ, & tantùm aſſumit vnum, ſcilicet bonam illam eſſe, quia *Deus præcipit* vt fiat: nullum enim maius argumentum eſſe poteſt, quàm auctoritas Dei præcipientis. *Audaciam.* Expende dici *audacem* diſputantem de præcepto Dei. *Ad exhibitionem obſequij*, id eſt, vt exhibeas te obſequentiſſimum. *Prior eſt auctoritas imperantis quàm vtilitas ſeruientis.* Sententia hæc ſemper in Deo vera, non ita in homine. *Quid reuoluis?* Quid vltro citroque verſas in animo tuo, ſit bonum annon ſit bonum pœnitere? *Viuo, dicens, cupit credi ſibi.* Spectat cap.33. Ezechiel. vbi Deus: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat.* *Ezech.33.* *Deieratione*, ſancta atteſtatione. *Gnauitate*, diligentia, cura, ſtudio. *Aſſeueratione.* Cum reſpectu ad verbum *viuo*, ſub tutela Dei aſſeuerantis iuramento, &c. Et ludit à verbo *perſeuero*, quod ſequitur, perſeuerabimus ſub aſſeuerante Deo. *In fructu quoque eius*, &c. Eſt præmium, quo nos inuitat Deus.

NOTÆ.

33. 1. POENITERE.] Putatur ſcriptor ſpectaſſe illud Ezech.18. *conuertimini, & viuetis.* De lectione, nam noua hæc vox, ambigunt. Vvouer. ex codice ſcripto reſtituit *pœniteat te.* Sed lectio *pœnitere* ſalua eſſe poteſt, exemplo Marci 1. & Act. vbi *pœnitemini.*

1. VIVO, INQVIT, DOMINVS.] Vnde ſumpta ſint hæc loca, iam Pamelius. Vide verò vt interpunxi, nam cùm ſubiicit *&, pœnitentiam malo*, particula *&* eſt Tertulliani, non ſcripturæ.

2. PRÆSTANTIAM IN DELICTIS.] Ad A αὔξησιν: eſt enim in delictis præſtare, quod de ſe cap. vlt. huius operis *peccator omnium notarum.* Simile incrementum Pauli Timoth. 1. *Quorum* peccatorum *primus ego ſum.*

2. TABVLÆ.] Ita vocatur Pœnitentia. Hieronym. ad Sabinianum: *Quòd ſi nec pœnitentiam vult agere, & fracto nauigio tabulam, per quam ſaluari poterat, non retentat.* Ambroſ. lib ad Virgin. Lapſ. c. 8. *Inhærere tamquam naufragus tabulæ.* Id eſt, pœnitentiæ. Et notes dici *ſecundam tabulam.* ita locutus Hieronym. ad Demetriadem, *ſecunda poſt naufragium miſeris tabula,* 34.

quia

quia ſcilicet prima pœnitentia, qua accedebant ad ſuſcipiendum baptiſma, dicebatur *nauis*. Ideo ſubiicit idem Hieronymus, *in virgine integra ſeruetur nauis*. Et ad Saluinam: *Nec ſtatim nobis pœnitentiæ ſubſidia blandiantur, quæ ſunt infelicium remedia. Cauendum eſt vulnus, quod dolore curatur. Aliud eſt integra naui, & ſaluis mercibus portum ſalutis intrare; aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recurſibus ad aſperrima ſaxa collidi.* Euſebius Gallicanus ad Pœnitentes: *Inter naufragia peccatorum corripuiſtis vos ad tabulam fidei, quæ perduxit vos ad pœnitentiæ nauem.* Bleſenſ. lib. de Peregrinat. Hieroſolymit. *Inæſtimabile pœnitentiæ donum, hæc eſt ſecunda tabula poſt naufragium.* Dicitur ad ſimilitudinem nauigantium in mari, qui tempeſtate deiecti adhærent tabulæ. Sic dixit Simocatta lib. 8. c. 12. miſerrima imperatorum corpora Mauricij & filiorum, iuſſu Phocæ, mari obiecta, fuiſſe πίνακας δυστυχημάτων. Et Chryſoſt. epiſt. ad Olympiadem, loquens de naufragio Eccleſiæ forma alia, τὰς σανίδας τῶν πλοίων διαλυομένας, *nauium tabulas diſſolutas*. Sed ille dixit πίνακας, hic σανίδας, q. d. *aſſeres* nauis.

35. 2. RELEVABIT.] Locum hunc perdidit Pamelius reſcribens *perlauabit*, cùm in editionibus ante illum ſit *proleuabit* ſententia optima. Poſſet etiam legi *perleuabit*. Decepit Pamelium codex ſcriptus. Non ſemper his habenda fides.

36. 2. PROTELABIT.] Neſcio quo guſtu ſcriptores Eccleſiaſtici verbũ hoc amarũt. Pet. Chryſolog. ſerm. 5. *Patientiſſimum creditorem longa & artifici cauillatione protelare.* id eſt, protrahere, producere, & perducere. Hieronym. aduerſ. Iouinian. ait: Ezechiæ Regi *quindecim annorum ſpatia protelata*. Aldhelm. de Virginit. c. 28. *Diſputatione vlteriùs protelata*. Synod. Sueſſionieſ. in epiſt. ad Nicolaum PP. I. *Quod protelata fuerat*, &c. Concil. Tolet. 5. c. 1. *Quoniam deficiente charitate eò vſque protelatur malitia, vt noua exerceantur facinora.* In Ioanne Caſſiano creberrima eſt hæc vox. Vide lib. 2. c. 2. & lib. 3. c. 4. & lib. 5. c. 5. vbi, *protelare ieiunia*. in Fulberto Carnotenſ. epiſt. 36. *In veſtra ergo manu ſit ũ eſt, pœnitentiã eius vel breuiare, vel protelare, iuxta quod eum in pœnitendo diligentem ſeu negligentem videritis*. Et Gretſerus in oratione Gregorij Nyſſeni de quadraginta Martyribus, παρελόντι Græcum, vertit *protelat*. Eſt autẽ *protelum* propriè lorũ, aut funis, quo iumẽta plura illigantur vnum poſt aliud: quo ſenſu Lucillius,

Hunc iuga mulorum protelo ducere centum
Non poſſunt.

Cato: *Protelo trini boues aratrum vnum ducent*. Plinius lib. 18. c. 18. ex correctione Turnebi: *Nec ſarrienda ſunt hoc modo ſata, ſed protelis binis terniſque ſic arant*. Et apud Non. Lucillius: *Ducere protelo validis ceruicibus poſſent*. Id eſt, protelare, promouere, protrahere. Et in Plinio *protela boum*, ſunt boum tractus. Ab hoc ergo nomine verbum *protelo*. Ait itaque Tertull. *protelabit*, id eſt, quaſi protelo tractum perducet. Lucret. 2. metaphoricè: *Vndique protelo telorum continuato*. Et Plaut. Mercat. *Protelat virum*.

2. RAPE OCCASIONEM INOPINATÆ FELICITATIS.] Euſebius Gallicanus Epiſcopus, Homilia ad Pœnitentes: *Pro redemptione autem veſtra non à vobis illud Deus, quod pauci habent, aurum aut argentum requirit, ſed fletus & gemitus afflictionis & contritionis. Non pudeat pœnitere, quos peccare non puduit.*

37. 2. STILLA SITVLÆ, &c.] Ad quæ loca Scripturæ alludat, iam alij aperuerunt.

2. ARBOR EXINDE FIAS ILLA, &c.] Ita Cyrill. Alex. homil. 6. de feſtis Paſchalibus *arborem* vocat huiuſcemodi homines. Vide Græca ab illis, ὥσαρ ἢ τις. Ego hîc Latina tantùm Salmatiæ volo. *Quemadmodum recentes ac tenellæ propagines arborum, quæ vix dum è terra ipſas gignente emergũt, agricolarum ſolertia excultæ, atque immiſſis fontibus irrigatæ augeſcũt; eodem modo illi quoque in Eccleſiæ hortis iam enati, velut irriguum fontem, Doctorum in ipſis iuuandis diligentiam requirunt.*

2. PERENNAT.] Mihi non dubiũ quin vox iſta ducatur ab anno, ita vt *perennare*, ſit perannare, id eſt, durare in æternos annos. Et laudo interpretem Athanaſij, qui illud Apolog. contra Gentes, τὸν γνωσθέντα σωὼ τῷ πατρὶ διαιωνίζειν, vertit *perennare*, nec me mouet dici à Suetonio *perannare* de vnico tantùm anno.

38. 2. OBSEQVII RATIO IN SIMILITVDINE ANIMORVM CONSTITVTA EST.] Ita lib. de Patient. ſcripſit Tertull. loquens de obſequio ſeruorum: *Probos quoſque ſeruos & bonamentis pro ingenio dominico conuerſari*. Vetus parœmia eſt, οἵοισι ἡ θεράπαινα, τοῖσι καὶ ἡ θεραπαινίς: *Qualis hera, tales ancillæ*. Celebris ſententia eſt Salluſtij de Coniurat. *Idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia eſt*. Vſurpat Hieronym. in epiſt. ad Demetriadem, & in Apologia aduerſus Ruffinum. Et Auguſtin. ſerm. 46. de Tempore. Demum, qui non?

3. DIFFVSA ET PER HOC.] In codicibus ſcriptis eſt *& pro hoc*, neque diſplicet, cùm præſertim addat veluti opponens *pro noſtris angustijs*. Ergo *pro hoc*, id eſt, pro argumenti huius amplitudine.

3. MAGNO ELOQVIO.] Vide lib. de Patient. c. 5. vbi de loquacitate. Sunt enim contraria loca: ibi eloquentiam pandit, hîc contrahit.

39. 3. NEQVE ENIM QVIA BONVM EST IDCIRCO AVSCVLTARE DEBEMVS, SED QVIA DEVS PRÆCEPIT.] Tertulliani excurſum firmat mirè Ioann. Chryſoſt. orat. 2. aduerſus Iudæos, vbi ait: *In iuſſis diuinis non examinandam naturã eorum, quæ præcipiuntur, ſed tantùm obtemperandum eſſe Deo*. Verba eius Θεοῦ προστάττοντος, οὐ δεῖ περιεργάζεσθαι τὴν φύσιν τῶν λεγομένων, ἀλλὰ πείθεσθαι μόνον. Et ſtatim, ὁ Θεὸς ἐπέταξε, μηδὲν περαιτέρω ζητεῖν: *Deus præcepit, ne quære vlteriùs*. Cõfirmat Chryſoſt. rem hanc hiſtoria petita à libris Regum, vbi diſcerptus à leone eſt miſer ille, qui audierat à propheta quodam, *in ſermone Domini percute me*. Quamuis enim percutere prophetã, videbatur atrox facinus, & merũ ſcelus; debebat tamen percutere, qui audiebat, *percute me in ſermone Domini*, id eſt, iubente Domino, vt explicat Chryſoſt. *Quod fit iuxta Dei voluntatẽ* (pergit idẽ) *quamuis videatur eſſe improbum, tamẽ παντῶν ἐστὶν ἄριστον, omnium eſt optimum*. Sic contrà, *quod fit præter Dei voluntatẽ, etiãſi videatur eſſe optimũ, tamẽ παντῶν ἐστὶν φαυλότατον, καὶ πεφυρομένον, omniũ eſt peſſimum & iniquiſſimum*. Iure ergo Tertull. ait, eſſe audaciam diſputare de diuino præcepto; neque obtemperandum eſſe Deo, quia bona præcipit; ſed tantùm quia præcipit. Nolui omittere locum ornando Tertulliano illuſtriſſimum.

40. 3. INVITAT PRÆMIO SALVTEM.] Ciaconius ex cõiunctura *inuitat præmio ſalutis*. Nõ diſplicet, ſed hærẽs lectio ἐμφανικωτέρα. Præſertim ſi ſcribas cum diſtinctione ſic: *Inuitat præmio; ſalutẽ iurans etiã, viuo, dicens, cupit credi ſibi*: quaſi dicat: Inuitat præmio, & cupit credi ſibi, iurans etiam ſalutem, dicens, *viuo ego*.

3. VIVO.] Expendit Cyril. Alex. in Amos num. 61. Deũ ideo per ſe iurare, ὅτι κατ' οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, *quia maiorẽ, per quem iuret, haberet neminẽ*. In humanis aliquid ſimile. Valer. Max. lib. 9. c. 13. *A Furio, quem ad eum* (Brutũ) *occidendum Antonius miſerat, cõprehenſus, non ſolùm ceruicem gladio ſubtraxit, ſed præſtantiùs eam præbere admonitus, ipſis his verbis iurauit, Ita viuã, dabo*. Et Seneca rem eandem agens in epiſtola: *Hic eſt enim Brutus, qui cùm periturus, mortis moras peteret, ad excreandum ventrem ſeceſſit, & euocatus ad mortem, iuſſuſque præbere ceruicem, Præbebo, inquit, ita viuam*.

3. GNAVITATE.] Placuit mihi plurimum iſta lectio, quæ iam aliis ante me. In vulgatis eſt *grauitate*, ſenſu non ſatis apto. Qui legerit *grauitate*, explicet, non leuiter, ſed ſeriò, & quantum poſſis.

3. AGGREDI.] Quod ſuprà in hoc cap. *inuadere*, Et quod ſequenti cap. *capeſſere*.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Post Pœnitentiam baptismi, & semel ibi Deum cognitum, peccatum non iterandum.

TERTVLLIANVS.

41. 1. HOc enim dico, pœnitentiam, quæ per Dei gratiam ostensa & indicta nobis, in gratiam nos Domino reuocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam posthac iteratione delicti resignari oportere.

EXPLICATIO.

1. ENim, reddit quippe rationem eius quod præcessit, *in fructu eius & emolumento perseuerare possimus.* Est *dico*, statuo, sentio, affirmo. verbum iuris. *Semel cognitam atque susceptam*, accipe vel de gratia baptismali, vel de pœnitentia: hoc enim potius: nam quod suprà, *ostensa*, hîc *cognita*; quod ibi *indicta*, hîc *susceptam*, hoc (inquam) potius, quamuis videtur oratio esse ambigua. *Resignari*, id est, violari, irritam & cassam fieri. Est enim gratia in baptismo accepta, charactere, veluti sigillo, impressa.

2. Iam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito præceptisque eius admissis, denique pœnitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis. Ita, in quantum ignorantia segregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris. Nam si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere; cur quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neque enim timorem alia res quàm contumacia subuertit.

42. 2. *Prætextum*, accipit neutro genere. Qui Dominum semel in baptismo agnouisti, & eius præcepta admisisti deinde seruanda, nullus tibi prætextus à patrocinio ignorantiæ, si iterum pecces: particula enim *quod* explicanda est per particulam (si.) *Restituis*, reducis te in statum pristinum delictorum. *Ita, in quantum*, &c. Colligit eum verè esse contumacem, qui peccat nullo ignorantiæ prætextu. *Nam si idcirco*, &c. Probat præcedentẽ propositionem. *Quia Dominum cœperas timere.* Timere Dominum, & Dei timor, est in Tertulliano, gratum esse, & honorare Deum: & illi opponitur contumacia, & contemptus Dei.

43. 3. Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna (quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quanto cognitum despici periculosum est? Despicit porro qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quódque iam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cùm datum deserit; negat beneficum, cùm beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cuius munus sibi displicet? ita in Dominum non modò contumax, sed etiam ingratus apparet.

3. *Nulla exceptio tueatur à pœna.* id est, nihil illos excipiet à pœna. *In aperto*, in propatulo, Deus enim ex suis operibus noscibilis est, & vt postea ait, *comprehensibilis*, quia omnes sciunt esse Deum. Et est ratio, cur ignorantes etiam Deum, debeant puniri, quia ignoratio ista non excusat, cùm Deus ex suis operibus nosci queat. Porro de Deo constituto in aperto loquitur lib. de Testimonio animæ. *Cognitum*, in baptismo. Et subaudi particulam *magis*, vt dicat, quanto magis *periculosum est despici cognitum. Intellectum*, loquitur de dono intellectus, vt postea explicat. *Resumens*, rediens ad peccatum post baptismum. *Contumeliam facit*, contemnit. *Quemadmodum*, pro, quomodo, vt in superiori capite.

44. 4. Cæterùm non leuiter in Dominum peccat, qui cùm æmulo eius diabolo pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illũ Domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit, & exultationem eius se ipsum facit; vt denuo malus, recuperata præda sua aduersus Dominũ gaudeat. Nóne, quod dicere quoque periculosũ est, sed ad ędificationẽ proferendũ est, diabolum Domino præponit? Comparationẽ enim videtur egisse, qui vtrũque cognouerit; & iudicato pronuntiasse eũ melioré, cuius se rursus esse maluerit. Ita, qui per delictorũ pœnitentiã instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliã pœnitẽtię pœnitentiã satisfaciet, erítq; tãto magis perosus Deo, quãto æmulo eius acceptus.

4. *Cæterùm*, &c. Vidisti hominem peccantem post baptismum primò carentem timore Dei, deinde contumacem, tertiò ingratum: Vide iam quartò quid sequatur. *Pœnitentia*, est in casu vltimo, *por la pœnitentia. Hoc nomine*, id est, titulo pœnitentis. *Exultationem*, quia scilicet diabolus exsultat in peccatore contra Deum. *Malus κατ' ἐξοχήν* diabolus. *Aduersus Dominum.* Ex varia interpunctione varius est sensus. Vel, gaudeat aduersus Dominum: vel, recuperata præda aduersus, id est, contra voluntatem Domini. *Periculosum*, fortasse, incredibile. *Vt* dicat, periculum est ne mihi, si hoc dicam, credatur. *Iudicato pronuntiasse*, iuris formula. Id est, pronuntiasse, vt pronuntiaret iudex. *Quanto æmulo eius acceptus*, id est, quanto magis acceptus, nam repetenda particula *magis.*

5. Sed aiunt quidam; satis Deum habere, si corde & animo suspiciatur, licèt actu

minùs fiat. Itaque ſe ſaluo metu & fide peccare. Hoc eſt, ſalua caſtitate matrimonia violare, ſalua pietate parenti venenum temperare. Sic ergo & ipſi ſalua venia in gehennam detrudentur, dum ſaluo metu peccant.

45. 5. *Sed aiunt quidam*; Adducit inſulſam quorundam & plenam inſcitiæ excuſationem. *Quidam*, q.d. ridiculi. *Satis Deum habere*, ſatis Deum contentum eſſe. *Suſpiciatur*, emphaſis mera, quam ego ſatis aſſequi nequeo. *Se ſaluo metu*, &c. Id eſt, quamuis peccent, non inde ſequi Deum non timeri. *Hoc eſt*, &c. Ineptiſſimi ſunt, nam hoc eſt dicere, ſaluam manere caſtitatem violato matrimonio; & ſaluam eſſe pietatem in parentem, etiamſi illi porrigas venenum pharmaco aliquo temperatum, ne agnoſcat. *Sic ergo*, &c. q. d. Exemplo ergo ipſorum cum ipſis fiet.

46. 6. Primum exemplum peruerſitatis: quia timent, delinquunt: Opinor non delinquerent, ſi non timerent. Igitur, qui Deum nolit offenſum, nec reuereatur omnino, ſi timor Dei offendendi patrocinium eſt. Sed iſta ingenia de ſemine hypocritarum pullulare conſuerunt, quorum inuidia cum diabolo, amicitia eſt; quorum pœnitentia nunquam fidelis.

6. Nullum maius adhiberi peruerſitatis exemplum poteſt: Hoc eſt peruerſitatum omnium peruerſiſſimum. *Opinor*, ironicè, vt Græci οἶμαι. *Igitur*, &c. Senſus eſt. Si timor Dei eſt tibi ſtimulus & patrocinium ad peccandum, ne reuerere quidem Deum, ne reuerentia tibi quoque ſit ſtimulus ad peccandum. Omnia ironicè. *Pullulare*, quia dixit *de ſemine*. *Quorum inuidia*, &c. Senſus eſt. Verè iſti hypocritæ ſunt, nam eorum inuidia cum diabolo, odiúmque contra illum, veriùs eſt cum eodem amicitia. Non inuident Diabolo, ſed illius ſunt amici. En hypocriſis. Et quia amici eius, ideo pœnitentia nunquam fidelis. Simulant ſe odium & inuidiam habere cum diabolo, & nulli ſunt amiciores diabolo.

NOTÆ.

47. 1. RESIGNARI.] Ita lib. de Veland. Virgin. *Reſignare pudorem, reſignare virginitatem*, &c.

2. PRÆTEXTVM.] Ita ſæpè Tertull. Nam lib. de cult. Fœminar. c. 9. *prætexto neceſſitatis*. Et aduerſus Valentinian. c. 9. *Sub prætexto dilectionis in patrem*. Alij etiam: nam Sueton. in Iulio c. 30. *Et prætextum quidem illi ciuilium armorum hoc fuit*.

2. DOMINO AGNITO.] Scilicet in baptiſmo. Aquæ baptiſmi nos Domino adiungunt. Irenæus lib. 3. c. 19. *Nos aridi non poteramus compingi Deo, niſi nos Spiritus ſancti ſurſum deſluens, mortalitatem noſtram proluiſſet*. Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 3. (quem perperam citat in lib. de Pœnit. ſectione 1. Hydragiologiæ cap. 6. Antonius Marſilius Archiepiſcopus Salernitanus) *Primis aquis præceptum eſt animas proferre, primus liquor quod inuerat, edidit, ne mirum ſit in Baptiſmo, ſi aquæ animare nouerunt*.

48. 2. ADGLVTINARIS.] Reſpicit Verbum κολλᾶν, quod cùm ſit propriè *adglutinare*, Græci vſurpant pro hærere, & adiungi.

2. RESCINDERE.] Verbum iuris vt multa paſſim in hoc Auctore. Ita Apolog. *Reſciſſa damnatio*. Sueton. Claud. cap. 28. *iudicia reſcidit*.

3. EXCEPTIO.] Vox iſta in iure eſt, *quædam excluſio, quæ opponi actioni cuiuſque rei ſolet, ad eludendum id quod in intentionem reductum eſt*. Vide Briſſ. lib. 5. de Verb. ſignif.

3. NEGAT BENEFICVM.] Ita volui ſcribere ex aliorum iudicio, malè enim in vulgatis, *negat beneficium*. Vt enim ſuprà ludit, ab datore ad datum, ita hîc par eſt, vt à benefico ad beneficium.

3. QVEMADMODVM.] Pro, quomodo, vt etiam c. tertio huius operis. Et Ioann. Caſſian. lib. 1. c. 11. *Quemadmodum credendus eſt inſertam carni luxuriam conculcaſſe, qui pecuniarum concupiſcentiam forinſecus ſitam atque à ſubſtantia noſtra alienam non valuit abdicare?* Vide eundem cap. 20. eiuſdem libri, vbi aliud teſtimonium huius acceptionis.

3. CONTVMAX.] *Contumaces* appellat Fulbertus Carnotenſ. epiſt. 24. excommunicatos, hoc tenore verborum: *Miramur iterum cur impios homines, qui diuinis ſanctionibus aduerſantur, & in veſtrum paſtorem contumaces exiſtunt, in communionem recipitis contra canonicam regulam, quam vobis ignorare, & periculoſum ſoluere*. Vt hinc appareat quo verbo impœnitentes arguat Tertull. 49.

3. INGRATVS.] Turonenſis Epiſcop. ad quendam repugnantem pœnitentiæ ſubiici: *Oportétque ex coëmptis ſanctorum Patrum medelis, tibi, licèt ingrato, medicari, vt cureris, velis nolis inſiſtere*.

4. ÆMVLO EIVS DIABOLO.] Caſſianus collat. 16. c. 6. *His autem ceſſantibus cùm primùm ille æmulus charitatis in cordibus amicorum triſtitiæ ſenſim venena ſuffuderit, neceſſe eſt vt frequentibus iurgijs, paulatim dilectione tepefacta, amantium corda diu exulcerata quandoque diſſocíet*.

4. RVRSVS EVNDEM SVO REGRESSV ERIGIT.] Expende mihi hanc ſententiam, ſed præmitto tibi Baſilium, qui in cap. 2. Iſa. ait, contumeliam & conuitium (ille ὄζειν, & λοιδορίαν vocat) eſſe matres ſuperbiæ, originem, fontem. Ergo Tertull. cùm præmiſerit, ab reſumente vetera delicta deſpici Dei gratiam, reſpui datorem, conſequens eſt vt ab hoc fonte erumpat ſuperbiſſimi dæmonis exultantia in Deum. Itaque deſpectus tuus, peccator, quo Deum contemnis, facit dæmonem exultantem in Deum, erectúmque contra illum, & triumphantem recuperata præda. 50.

4. MALVS.] Ioann. Chryſoſt. homil. de diabolo Tentatore: κμήτοι πολλῶν ἀνθρώπων ὄντων πονηρῶν, μόνον ἐκεῖνος πονηρὸς κατ' ἐξοχὴν λέγεται: *Cùm multi ſint homines mali, ſolus ille* diabolus *per excellentiam dicitur malus*. Multa ille ad hanc rem aptiſſimè. Lege. Addit Theodoritus lib. 1. Hiſt. c. 2. particulam ſignificantiſſimam, vocans παμπόνηρον. Et Hadrianus Iunius πυρπαλαμᾶσθαι, quod eſt, malis artibus vti, Cent. 1. Adag. 44.

4. PER ALIAM POENITENTIÆ POENITENTIAM.] Totam hanc ſententiam accepit 51.

proculdubio à Tertull. Saluianus lib. 5. de Gubernat. verba eius : *Nam taliter fermè omnia agunt, vt eos non tam putes anteà pœnitentiam criminum egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere : nec tam priùs pœnituisse, quòd malè vixerint, quàm postea quòd se promiserint bene victuros.*

5. VENENVM TEMPERARE.] De hoc alibi, hîc audi Eusebium Gallic. Episcopum de sanctis Epipodio & Alexandro Martyribus : *Perinde est, si aliquem miraris impia & iniqua per opes & diuitias operantem, ac si quempiam videas inaurato atque gemmato sibi poculo venena miscentem. An tu illum felicem vocas, qui infidelis, obscœnus, cupidus, & cruentus ?*

5. SIC ERGO ET SALVA VENIA, &c.] Rescribit quidam hunc in modum : *Sic ergo & ipsi salua venia in gehennam detrudentur. Dum saluo metu peccant, primum exemplum*, &c. Quæ lectio iudicio meo perturbatissima est, & iniuriam facit Tertull.

52. 6. PRIMVM EXEMPLVM PERVERSITAS, &c.] Si Augustinus bis aut ter dixit *timore solo non peccantem peccare* (vt ex illo citat Prosper Aquitanicus) quid diceret de illo, *qui peccat, quia timet* ?

6. PATROCINIVM.] Est hoc, quod omnes, *prætextus*. Nec dissimilis vox Græcorum ἐρώδιον ; quam hoc sensu vsurpat Theodorit. lib. Hist. c. 20. τῷ βασιλέως φιλανθρωπίαν ἐρώδιον ἐξαπάτης εὑρόντες. *Nacti sunt principis humanitatem velut subsidium ad fraudem*, id est, patrocinium inuenêre ad machinamenta in facilitate principis.

6. QVORVM INVIDIA.] Retinui hanc lectionem, quam etiam Pamelius retinet. Et ea quidem est in omnibus codicibus ante Rhenanum. Itaque nec Rhenanum ipsum moror, qui in prima editione rescribit *indiuidua* : neque Iunium, qui arripit. Credo vtrunque illectum ex Tertulliano non intellecto. Vt ego explicui ita clarissima est sententia, vt illa det lucem sui, & lectionem veterem asserat. Neque verò dubium, quin *inuidia* pro odio sumatur in Auctoribus. Imo omnino ab inuideo is qui inuisus, id est, odiosus.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Reprehenditur catechumenorum audacia, qui certi de venia in baptismo accipienda, negligebant pœnitentiam.

TERTVLLIANVS.

53. 1. QVICQVID ergo mediocritas nostra ad pœnitentiam semel capessendam & perpetuò continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, vt omnis salutis in promerendo Deo petitores : sed præcipuè nouitiolis istis imminet, qui cùm maximè incipiunt diuinis sermonibus aures rigare, quíque catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant: & dicunt quidem pristinis renuntiare, & pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid, ipse finis desiderandi: velut poma cùm iam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiæ suæ adulantur.

EXPLICATIO.

1. *Mediocritas nostra*, Nota modestiam. *Capessendam*, hoc fecit cap. 4. vbi exhortatio ad pœnitentiam. *Perpetuò continendam*, hoc cap. 5. vbi de non iterando peccato post cognitum Deum in baptismo. *Deditos Domino*, seruos Domini. *Omnis salutis*, id est, omnis felicitatis & boni petitores. *Nouitiolis istis*. Intelligit illos qui dicuntur Audientes & Catechumeni. Itaque sermo Tertulliani in hoc capite pertinet ad illos, qui nondum erant baptizati, sed tantùm in Christiana schola. Aitque quæ dicta sunt de inuadenda & retinenda pœnitentia ad illos præcipuè pertinere. *Imminet*. explica, *pertinet* : hoc enim verbum, quod clarius, ad rem eandem vsurpat August. serm. 157. de Tempore. Sed Noster maluit. *Imminet*, quasi minæ adsint, nisi fecerint. vel *imminet*, id est, proximè ad illos spectat. *Cùm maximè*, id est, quàm maximè. *Aures rigare*, signatissimè, vt qui voce propria dicerentur *Audientes* : atque etiam quia fides ex auditu. *Quique catuli*, &c. Pulcherrima & festiuissima metaphora Audientes & Catechumenos
54. vocat catulos *recentis infantiæ*, quibus nec perfecta lumina, nec gressus ; nam reptant. Et rectè *infantia*, quia Catechumeni tantùm audiunt, nihil loquuntur : vnde postea cum acumine & emphasi, *dicunt*, id est, cùm infantes sint, nec debeant loqui, tantùm audire, tamen *dicunt*, loquuntur. Cùm ait *incerta*, est helleniſmus pro incertè. Græci subaudiunt κτ'. In Notis aliquid de lectione insinuatur. *Et pœnitentiam assumunt*, &c. Est pœnitentiam *assumere*, quod initio huius capitis capessere : & *includere*, quod ibidem, continere. Itaque ait, capessunt pœnitentiam, sed non continent, nec perseuerant. Est itaque *includere* idem quod πληρῶσαι, τελειῶσαι. *Complere, perficere*. Vnde verò petatur sermo, non est facile : sed hoc in Notis. *Interpellat enim*, &c. Sensus est : *Ipse finis desiderandi*, id est, finis malorum desideriorum, quem habituri sunt in baptismo, *interpellat*, id est, interim pellit, compellátque illos, inuitat, & commonet *ad desiderandum aliquid ex pristinis*. Vide Notas. *Velut poma*, &c. Poma tunc nescio quo blandimento sapidiora sunt, cùm sunt in plena maturitate & senectute, ita vt iam penè appetat corruptio & acor & amaritudo (sumit videlicet *acorem* pro corruptione appetente in pomo.) Sic, ait, vitia tũ maximè blandiuntur, cùm pene sunt in exitu ; cùm relinquenda sunt, suauiùs illiciunt : nam & poma cùm appetit exitus saporis, blandiora sunt. Vel concipe ita. Quemadmodum poma, cùm iam ad amaritudinem incipiunt

peruenire, nec tamen peruenêre, adhuc aliquid retinent saporis pristini: sic nouitioli isti, cùm tantùm pœnitentiam capessunt incipientes peruenire ad eius amaritudinem, nec tamen hanc amaritudinem omnino includunt, retinent tunc aliquid pristinarum voluptatum. Itaque amaritudo & acor pomi respicit amaritudinem & acorem pœnitentiæ.

55. 2. Omne præterea cunctationis & tergiuersationis erga pœnitentiam vitium præsumptio intinctionis importat. Certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur; & commeatum sibi faciunt delinquendi, quàm eruditionem non delinquendi.

2. *Omne*, &c. Cùm sciant, in baptismo (quem hîc vocat *intinctionem*) abolenda peccata, cunctãtur nunc & tergiuersantur ad accipiendum baptismum, differúntque illum. Ratio, quia certi de venia. *Medium tempus*, quod interfluit vsque ad intinctionem baptismi. *Furantur*. Expende, fures ergo isti. *Commeatum sibi faciunt*, &c. Vox sumpta ex militia, in qua *commeatus* est facultas data militi eundi ex militia ad tempus cum obligatione redeundi: vulgò dicunt *saluum conductum*. Ergo ait. *Faciunt sibi commeatum delinquendi*, id est, assumunt sibi facultatem ad delinquendum *quam*, id est, potiùs quàm, (est enim ellipsis Græca) *eruditionem non delinquendi*. Possent enim interim cùm sunt Audientes & Catechumeni erudiri ad sanctitatem vitæ, quam postea debent profiteri, quod tamen negligunt.

56. 3. Quàm porro ineptum, quàm iniquum pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? Hoc est, pretium nõ exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione, redimẽdam proponit impunitatem. Si ergo qui venditãt, priùs nummũ quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, neue rasus, ne adulter: etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem priùs inire: tantam nobis mercem, perennis scilicet vitæ concessurum.

3. *Sustinere*, expectare. *Hoc est, pretium non exhibere*, &c. Aptè, quia consequenter, nam iniquitas est, id est, iniustitia, merces capere non exhibito pretio. *Addicere*, obligare. Quippe pœnitentia est pretium, quo Deus obligatur ad dandam *veniam*. *Compensatione redimendam*, verba emptionis sunt & (compenso) & (redimo.) *Scalptus*, est nũmus, cui aliquid ademptũ deest. *Rasus*, detritus nimio vsu, & iam non asper, ac perinde vilior. *Adulter*, falsus, neque ex probato auro aut argẽto. *Probationem*, respicit ad nummos, qui cùm boni sunt, dicuntur probati: sic ergo pœnitentia. Itaque totus hic tractus vni hæret locutioni, inde tot verba eiusdẽ rei.

57. 4. Sed differamus tantisper pœnitentiæ veritatem. Tunc opinor emendatos liquebit, cùm absoluimur. Nullo pacto. Sed cùm pendẽte venia, pœna prospicitur: cùm adhuc liberari non meremur, vt possimus mereri: cùm Deus comminatur, non cùm ignoscit. Quis enim seruus postea quam libertate mutatus est, furta sua & fugas sibi imputat? Quis miles, postquam castris suis emissus, pro notis suis satagit? Peccator ante veniam deflere se debet, quia tempus pœnitentiæ idem quod periculi & timoris.

4. Incepit loqui de vera pœnitentia & probata, cõparans cum nummis probatis, sed differt rem hanc ad exitum huius capitis. Ait verò *veritatem*, cum aspectu ad examen & probationem, quæ voces præcesserunt. *Tunc opinor*, &c. Ironicè, *sed cùm pendente venia*, &c. Locus nõ facilis; ego sic expedio, vt dicat, tũc nos verè emendari cùm *pœna*, id est, pœnitẽtia, in prospectu est, exercetur, versaturque in manibus, atque iam exacta cernitur, *pendente* semper *venia*, tãquam merce, quam debet emere pœnitentia: Cùm ante baptismum *pœna prospicitur*, & consideratur debita delictis. Hoc declarant sequẽtia, quia *cùm meremur liberari*, & Deus *ignoscit*, non tunc emendamur, sed supponimur emendati. Possit quis explicare *pœnam*, id est supplicium, aut gehennam, quam merentur peccata: tunc scilicet verè emendantur cùm *pœna* in prospectu est, adhuc *pendẽte* *venia*; quod ita torquet animum, vt emendationẽ extorqueat: *Quis enim seruus*, &c. Exempla hæc declarãt rem eandem. Etenim qui iam factus est liber, nõ tunc *imputat* sibi peccata admissa in seruitute, nã hæc iam supponuntur cõplorata. Similiter nec miles, cùm iam *emissus è castris* est cũ venia, nihil curat de *notis*, id est, de peccatis ignominiisque militaribus. Itaque seruus & miles adepta libertate & obtenta emissione lætari potiùs debent, quàm reuocare in memoriam rem tristissimam: ille suas fugas & furta, hic notas & ignominias quibus affectus est: ista enim ante libertatem & emissionem animum diuexant, non post. Ita post baptismum lætandum est, ante illum pœnitendum. Inde sequitur peccata deflenda *ante veniam*, *quia tẽpus pœnitentiæ*, est verè tempus *periculi* (cum aspectu ad militem) & *timoris* (cum aspectu ad seruum.)

58.

59. 5. Neque ego renuo diuinũ beneficium, id est, abolitionem delictorũ, inituris aquã omnimodo saluum esse: sed vt eò peruenire contingat, elaborãdum est. Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro aspergines vnã cuiuslibet aquæ cõmodabit? Furto quidẽ aggredi, & præpositum huius rei assueverationibus tuis circumduci facile est: sed Deus thesauro suo prouidet, nec finit obrepere indignos. Quid denique ait? Nihil occultum quod non reuelabitur. Quantascunque tenebras factis superstruxeris, Deus lumen est,

5. Non nego (inquit) cùm baptizaris, remittenda tibi peccata, sed vt tunc remittantur priùs *elaborandum* tibi *est* pœnitentia. *Quis enim tibi*, &c. Sensus est. Qui te debet baptizare, si sciret pœnitentiæ languentis imbecillitatem & infidelitatem, nec vnam tibi aquæ guttulam impertiret. *Furto quidem*, &c. Sol-

uit obiectionem. q.d. Facile erit tibi aggredi veniæ & gratiæ diuinæ thesauros, tibi scilicet circumducenti, id est, decipienti falsis *asseuerationibus* ministrum præpositum baptizandis, nam affirmabis te verè esse pœnitentem: sed hoc, mi vir, furtum erit; & *Deus thesauro* gratiæ suæ prouidebit, *nec sinet*, indignum clanculum & furtiuè *obrepere* ad veniam suam. Probat. *Quia nihil occultum*, &c. Et addit veluti epiphonematis loco: *Quantascunque tenebras*, &c.

60. 6. Quidam autem sic opinantur, quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis, quod spopondit, & liberalitatem eius faciunt seruitutem. Quòd si necessitate nobis symbolum mortis indulget, ergo inuitus facit. Quis enim permittit permansurum id quod tribuerit inuitus? non enim multi postea excidunt? non à multis donum illud aufertur? Hi sunt scilicet qui obrepunt: qui pœnitentiæ fidem aggressi, super arenas domum ruituram collocant. Nemo ergo sibi aduletur, quia inter Auditorum tyrocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat.

61. 6. Proponit falsam illorum opinionem, qui putant ad infusam baptismi aquam illico sequi veniam delictorum, etiam si susceptientes illam non verè pœnituerint. Et præclarè ait, hoc esse Deum seruum facere, cùm ipse liber sit. *Quod si necessitate*, &c. Baptismus dicitur *mortis symbolum*, quia eo commorimur & consepelimur Christo, vt ait Paulus: Probat verò quàm sit fallax opinio illa: nam inde sequitur, Deum inuitè id facere. *Permittit.* Legerem *promittit*, euidentius ad sententiam. *Obrepunt*, ad thesauros non suos, & ideo *aggressi*, qui inuasores sunt. *Et pœnitentiæ fidem*, id est, baptismum, in quo fidem profitemur.

7. Dominum simul cognoueris, timeas; simul inspexeris, reuerearis. Cæterùm quid te cognouisse interest, cùm iisdem incubas, quibus retro ignarus? Quid autem te à perfecto seruo Dei separat? An alius est, intinctis Christus, alius audientibus? Num spes alia, vel merces? alia formido iudicij, alia necessitas pœnitentiæ? Lauacrum illud
62. obsignatio est fidei, quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur, & commendatur. Non ideo abluimur, vt delinquere desinamus: sed quia desiimus, quoniam iam corde loti sumus. Hæc enim prima Audientis intinctio est, metus integer. Exinde, quoad Dominum senseris, fides, sana conscientia semel pœnitentiam amplexata.

7. *Simul*, id est, simulatque. *Cognoueris*, accedens ad catechesim. *Quibus retro ignarus*. Quibus incubabas priùs cùm ignorabas Deum. *Quid autem*, &c. Quia ille est perfectus Dei seruus, cui perfecta pœnitentia. *An alius est*, &c. Cùm idem sit Christus catechumenis & baptizatis, eadem vitæ perfectio esse debet. *Alia necessitas pœnitentiæ*, quoniam Audientibus & baptizatis vna est fides, vnus metus, vna spes. *Obsignatio*, nam in baptismo accipimus signum & characterem fidei. *Quæ fides*, &c. id est, fides prima confugientis ad Ecclesiam incipitur fide, qua credit necessariam esse pœnitentiam, vt remittatur peccatum, & inde accipit fides primam commendationem, quæ semper est eadem, quia quæ incipitur in catechumenis, eadem perficitur & signatur in baptismo. *Metus integer*, breuissima pœnitentiæ definitio: est enim illa *metus integer*, id est, iustus, æquus, perfectus absolutus, fidelis, non interruptus, non interpellatus. *Exinde quo ad Dominum senseris*. Sensus est: erit hic *metus integer*, si illum habueris, non interruptum videlicet: *exinde*, id est, ex quo noscens Deum factus es Catechumenus. *quoad Dominum senseris*: videlicet accepto baptismo. Et hæc verè est *fides amplexata pœnitentiam conscientia sana semel*, id est, sine vllo regressu, & semper vsque ad finem sine vlla interpolatione.

63. 8. Cæterùm si ab aquis peccare desistimus, necessitate non sponte innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate præcellens, cui non licet, an cui displicet malo esse? qui iubetur, an qui delectatur à crimine vacare? Ergo nec à furto manus auertamus, nisi claustrorum duritia repugnet; nec oculos à stupri concupiscentiis refrænemus, nisi à custodibus corporum obstructi: si nemo Domino deditus delinquere desinet, nisi intinctione alligatus. Quòd si qui ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur quod peccare desierit, quàm lætetur quòd euaserit.

8. *Ab aquis*, id est, post baptismum, in quo Dominum senseris. Hæc scilicet non est bona pœnitentia, nam hæc debet esse integra, nimirum ex quo Catechumenus Deum noscit. *Quis ergo in bonitate*, &c. Ille videlicet præcellit aliis bonitate, cui displicet malitia, qui delectatur in vacando à crimine. *Ergo nec à furto*, &c. Sequentes duæ comparationes de furto & adulterio pertinent ad eum, qui desinit peccare, quia illi *non licet*, id est, quia non potest; aut quia iubetur. *Custodibus corporis*, Eunuchis qui custodiebant fœminas. *corporum*, à nobis concupitorum. *Qui ita senserit*, pro, *quis*, more suo.

64. 9. Itaque Audientes, optare intinctionem, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat: qui præsumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic vt debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic inuadit.

9. Hic tractus clarus est, tantùm notentur verba plena ἐμφάσεως, & præclaræ oppositionis.

10. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, & idcirco vera pœnitentia functum? Timuit enim adhuc delinquere, ne nó mereretur accipere. At ille præsumptor, cùm sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit, sic nec pœnitentiam impleuit, quia instrumento pœnitentiæ, id est, metu, caruit. Præsumptio inverecundiæ portio est, inflat petitorem, despicit datorem. Itaque decipit nonnunquam. Antè enim quàm debeatur, repromittit, quo semper is qui est præstaturus, offenditur.

10. Assumit hoc tractu id quod distulit suprà de vera pœnitentia. Illa enim est vera, quæ supponit hominem emendatum, & emendatus esse non poterit nisi qui habeat Dei timorem, quo timore fit, vt non peccet. *Timuit enim adhuc*, lege *ne non mereretur accipere*, scilicet pœnam, quam timebat. *At ille præsumptor*, &c. Timenti opponit præsumentem, quia præsumptor non timet, quippe *securus*. Ac perinde non erit verè pœnitens, quia caret *instrumento pœnitentiæ*, scilicet metu. *Præsumptio*, &c. Adducit mala & vitia quæ comitantur præsumptorem. Plenè itaque suppeditat Tertull. quæ sit vera pœnitẽtia, tum ex metu, qui illam comitatur; tum ex contrario vitio, id est, præsumptione, quæ illi aduersatur. Ille ergo verus pœnitens, qui timet Deum; non verus, qui præsumit. *Repromittit*. Præpositio addit vim verbo: & est hic pulcherrimus præsumptuosi character.

NOTÆ.

65. 1. MEDIOCRITAS NOSTRA.] Ita de se solent viri magni. Cassianus in Præfat. vocat se *pauperem, elinguem, egenum*, & opus suum *nugas*. Et Collat. 9. c. 8. *Tenuitas ingenij nostri*. Euseb. de se lib. 1. de vita Constant. cap. 6. σμικρὸς, καὶ ἐυτελὴς. Hincmarus Archiepisc. Remensis epist. ad Nicolaum PP. *Quæ indignitati meæ vestra scripsit dignatio*. Cyprian. lib. de Habit. Virg. *Humilitatis nostræ admodum conscij*. Eligius de se Hom. 1. *Meum os nimia clausum imperitia*. Et statim: *mea paruitate*. Et Homil. 5. *modicitate census mei*. Sic exiguitatem ingenij sui extenuat. Inde fortasse *mediocritas* Tertulliani referenda ad censum. Rabanus Maur. lib. Pœnit. *Paruitate nostra*. Sixtus PP. secundus in Decretis dat sibi quoque *paruitatem*. Et Lucius PP. *exiguitatem*. Eandem sibi Hincmarus in epist. ad Carolum Regem, & eandem quoque sibi totum Toletanum Concilium tertium in confessione fidei. Sed voce mediocritatis signatè vsi Cyprian. lib. de Mortalitate. Et Ioan. Cassian. Collat. 9. c. 7. & collat. 12. c. 7. & Magnus ille Hosius in Concil. Sardinensi can. 19. τὴς (inquit) ἐμῆς μετριότητος ἡ ὑπόφασις ὅδε αὕτη: *Mea mediocritatis hæc est sententia*. Sed post tot viros Ecclesiæ audiatur vnus gentilis Seneca epist. 50. *Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me rideo*. Ait autem *suggerere conata est*, quippe cupiditas id efficit. Diophantus Alexandrinus lib. 1. Arithmeticor. cap. 1. ita inquit. ταχέα γὰρ εἰς μάθησιν ἐπιθυμία προσλαβοῦσα διδυχίω: *Celeriter enim addiscunt, quorum ad discendi cupiditatem doctrina accedit*.

1. OMNIS SALVTIS.] Iunius refert ad petitores, vt dicat *omnis* pro *omneis* poëtica locutione. Non video cur hoc sit necesse.

66. 1. NOVITIOLIS ISTIS.] Notetur, catechumenos ita olim dictos. Vnde fortasse sumpta vox monasticæ disciplinæ, quæ hodie retinetur. Itavt nouitij religionum sint veluti Audientes & Catechumeni. Hos *iuniores* & *paruulos* vocat Cassian. lib. 4. c. 30. August. serm. 157. de Tempore, *nouella germina sanctitatis*. Cæterùm ad rem pertinent verba sancti Laurentij Episcopi Nouarum Homil. de Pœnit. *Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta, in quibus datur duplex hominibus remissio peccatorum. Est namque remissio publica, & est remissio priuata. Publica tempus suum habet, priuata suum exercet tempus. In publica fons est indulgentiæ, in priuata fructus est pœnitentiæ. In illa donum Dei, in ista labor hominis: in illa baptisma, in ista pœnitudo.*

1. CVM MAXIMÈ.] Explicui quàm maximè, vsitato more Tertulliani, vt videri potest lib. de Idolat. c. 2. & lib. de Spectac. c. 1. vbi bis vsurpat, locisque aliis: quod iam & ex Plinio alicubi firmaui. Et quidem nisi hoc loco capias *cùm maximè*, pro, maximè, aut, quàm maximè, videbis orationem pendere, & esse hiulcam: quod vt probes adime in legendo particulam *cùm*, & rem tenebis. Id nisi placeat loco *quique* rescribe *quasi*, ac tunc *cùm maximè*, erit idem quod, quando maximè. Et ita quoque perfectissimus erit sensus.

67. 1. CATVLI.] Spectat veterem paræmiam, qua dici solet: (Canem nimium festinantem cæcos parere suos catulos.) Et Hieronymus c. 7. in Ecclesiastem, inquit: *Quemadmodum instigante naturæ lege animantia bruta medicinas sibi diuinitus attributas instigantur vt quærant, ita proculdubio inciture diuinam legem homines rationales vt pœnitentiam agant*, &c. Vt autem videas, vti conspirent Græci cum Latinis, dabo Greg. Nyssenum, qui in lib. de Baptismo hoc verborum cõtextu *catulum* appellat petitorem Baptismi: sic enim ait loquens de Eunucho, de quo Actorum 8. *Gustauit autem interpretationem, tanquam ἀγαθὸς σκύλαξ, bonus catulus, sanguinis & agni occisi, vehementer adlatrauit Philippum, donec eum deduxit ad perfectam venationem prophetiæ, quam habebat in manibus, & minimè operosum à se petitum baptisma accepit*.

1. INCERTA REPTANT.] Hellenismus, pro incertè. Græci ἄδηλα ἕρπειν, id est, κατ' ἄδηλα. Ita Gregorius PP. Hom. 1. in Ezech. *Qui cùm dicere nulla potuissent*, pro, nihil. Et Noster lib. Patient. c. 1. *Caca viuunt*. Quem locum vide.

68. 1. POENITENTIAM ASSVMVNT, SED INCLVDERE EAM NEGLIGVNT.] Notetur in primis, *pœnitentiam assumere* esse propriam locutionem eorum qui inuadebãt pœnitentiam, cuius ipse primus aditus dicebatur assumptio. Et quidem hanc esse propriam locutionem inuadentium pœnitentiam, Heraldus notauit lib. 2. c. 4. Digress. sed nulla re probauit. Ego eam locutionem reperi in Epist. Synodi Suessionensis ad Nicolaum I. PP. vbi: *Qui aut pœnitentiam non acceperunt, aut contra regulam assumpserunt, vel qui regulariter amiserunt*. Et in Saluiano lib. 2 de Gubernat. *Agnoscit scilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepitantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur, totum regem cum ornatibus suis abiicit, prouni-*

dum pœnitentem cum patrocinio ambitioſi ſqualloris aſ- A *ſumit.* Loquitur de Rege Dauid. Et Cyrill. Alex. in Prophetam Amos c.8.n.75. καὶ τὸ τῶν πενθούντων ἀναλαμβάνειν χίτωνα, σάκκον τε φημὶ, καὶ φθάκρωμα: *Et lugentium habitum aſſument, ſaccum dico & caluitium.* Sed vnde

69. petantur iſtæ locutiones *aſſumere pœnitentiam nec includere*, non eſt facile. Rhenanus, & eum ſecuti Pamelius & Barræus referunt ad res, quas, ſi non includas, ſtatim amittes. Iunius, ad catulos, quos canis includit in cubili. Certè Cyrill. Alex. in Amos num. 45. dixit σαγλεύων εἰς μετάνοιαν: *Includens ad pœnitentiam.* Et locutio petitur à piſcatore, qui includit piſces in ſagenam. Sed quid ſi his verbis Tertullianus reſpicit homines ægros, qui ore quidem cibos aſſumunt, ſed præ faſtidio morbi tantùm illos verſant palato & lingua cunctabundi ac nauſeabundi, nec potes ſunt in ſtomachum includere? Nam verbum *ſumo* de cibis eſt, vel teſte Ambroſio lib. de Fidei Reſurrect. vbi, *cibus ſumitur.* Et Auguſt. epiſt. ad Monachos 109. *Nec ſolæ fauces ſumant cibum, ſed & aures percipiant Dei verbum.* Et Caſſianus lib. 5. c. 26. *refectionem aſſumeret.* B Et Græcus Heliodorus lib. 1. Hiſt. Æthiop. δεῖπνον μεταλαβών: *cibum ſumens.* Cogitaui & aliud. Quid ſi ſermo ſumatur à re vxoria? Qui aſſumunt fœminam in vxorem, tum cenſentur verè mariti, cùm matrimonium conſummant, non antea. Ergo Noſter, multi pœnitentiam ducunt domum aſſumentes illam veluti in coniugium, ſed non includunt. Fuit enim moris vt conſummaturi nuptias includerent vxores, vt videlicet opus illud fieret abſque pudore. Vt ſcribit ſanctus Auguſt. lib. 13. de Ciuit. c. 18. inde Seneca lib. 2. Controuerſ. de Sacerdote proſtituta: *Quid incluſa feceris, nec quærere debemus, nec ſcire poſſumus.* Petron. Satyr. *Itaque cùm incluſi iacerent, conſedimus ante limen thalami.* Firmat rem hanc, verbum *ſumo* dicatum eſſe luxuriæ, imò & nequitiæ, vt obſeruatum interpretibus Petronij, in primis Vvouerenio.

70. 1. INTERPELLAT.] Hîc non poteſt eſſe interrumpo, nam contraria eſſet ſententia. Decurri itaque poteſt ad Veneream ſignificationem. Dicimus enim *virginem interpellare*, pro appellare & ambire virginem. Ergo *interpellat* in Tertull. eſt, ſuauitudine quadam illicit ad voluptates. Hoc niſi placeat, accipe *interpellat* pro commonet, antiquo vſu, nam Lucill. citante Nonio,

Verùm tu quid agis? interpella me vt ſciam.

Id eſt, commone me. A quo non abit Eccleſiaſtica ſignificatio, nam cùm Paulus ait, Chriſtum pro nobis *interpellare* patrem, nihil aliud dicit, quàm Chriſtum eſſe noſtrum interceſſorem & aduocatum, videlicet commonendo patrem.

71. 1. IPSE FINIS DESIDERANDI.] Ad mẽtem Tertulliani, qui ait ex fine imponendo voluptatibus naſci deſiderium earundem, pertinet locus Ioann. Chryſoſt. Homil. 15. ad Popul. vbi de illis, qui volunt imponere finem ebrietati, & ieiunium inuadere, in hunc modum loquitur: πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων εἰσίασι τὲ εἰς νηστείαν μέλλοντες, καθάπερ πολιορκίᾳ τινὶ μακρᾷ παραδίδοσθαι μέλλουσιν, τὴν γαστρὸς ἀδηφαγίαν ἢ μέθην προλαβόντες ἀποτίθενται: *Multi hominum ieiunium aggreſſuri, tanquam longæ cuidam obſidioni tradendus ſit venter, crapulam & ebrietatem præuenientes reponunt.* Sic ergo Tertullianici pœnitentes, quia vident finem imponendum voluptatibus in baptiſmo, ſe priùs illis ſaturant quantum poſſunt.

1. VELVT POMA, &c.] Non abit ab hac re *garum* dici à Manilio lib. 5. & à Seneca lib. 96. *Saniem pretioſam.* Itaque etiamſi *ſanies*, tamen *pretioſa*, ſic *poma*, etiam ſi appetat corruptio, tamen ſapidiora. Greg. PP. in Præfat. ad Ezech. dixit: *Sæpe inter quotidianas delicias viliores cibi ſuauiter ſapiunt.*

72. 1. SENESCERE.] Eodem vſu verbum hoc Homerus Odyſſ. 7. ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει: *Pyrus poſt pyrum ſeneſcit*, vbi ſi bene expendas, loquitur de maturitate plus iuſta. Nec longè abit dici à Martiali: *Senibus damaſcenis, & ſenibus autumnis.* Sic & arbori ipſi *ſenectutem* dat Cyprian. lib. contra Demetrian.

2. CVNCTATIONIS.] Reprehendit Tertull. illos, qui differebant baptiſmum An Conſtantinus Magnus vnus ex his fuerit, vt affirmant multi ſcriptores Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, in his Euſeb. lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 62. Et Socrat. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 26. & Theodorit. lib. 1. c. 32. atque etiam ſanctus Ambroſius, de obitu Theodoſij Imperatoris vltra medium: aliíque, qui clarè aſſerunt baptizatum, in vitæ exitu, non meum eſt agitare. Conſulatur Baronius qui plenè: & Cedrenus videatur omnino pag. 223. qui opinionem hanc euertit, & Conſtantinum ait ablutum ipſo ſtatim conuerſionis initio, & ſecus ſentientes eſſe, dici mendaces: verbum eius, ψευδεντω. Si de hac re iudicium requiris, dicam, hac cenſura Cedreni notari ſcriptores, non Ambroſium alióſque pios viros, qui hoc non ad trutinam reuocantes ſecuti ſunt ſcriptores. Sed & ſcriptores reliqui ab vno Euſebio decepti ſunt, rem non examinantes, vt fere ſolet fieri. 73. Sed ego redeo ad Tertullianum, qui reprehendens iſtos cunctabundos & tergiuerſabundos, omnino monet vt à Catechumenis tranſeant illico ad *competentes*, id eſt, vt ſint baptiſmi petitores. Neceſſaria hîc lux Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Iſidor. lib. 2. de Eccleſ. offic. c. 21. *Poſt Catechumenos ſecundus competentium gradus eſt. Competentes autem ſunt, qui iam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant. Ideóque appellantur Competentes, id eſt, gratiam Chriſti petentes. Nam Catechumeni tantùm audiunt, necdum petunt: ſunt enim quaſi hoſpites & vicini fidelium, de foris audiunt myſteria & gratiam, ſed adhuc non appellantur fideles. Competentes* C *autem iam petunt, iam accipiunt, iam catechizantur, id eſt, imbuuntur inſtructione ſacramentorum.* Meminit & *Competentium* Auguſtinus lib. de Fide & Operibus: *Cùm fontis illius ſacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur.* Et lib. de Cura pro mortuis gerenda: *Paſcha iam appropinquabat, dedit nomina inter alios Competentes.* Aldhelm. de Virgin. c. 13. *In Catechumenorum gradu, & Competentium ſtatu.* videatur & Concilium Agathenſe cap. 13. & Auguſtinus multis in locis. Igitur mihi non dubium, quin Tertull. Catechumenos cunctantes & tergiuerſantes dixerit cum oppoſitione ad Competentes. Præ- 74. ſertim cùm locus Competentium eſſet ipſiſſimum baptiſterium: quod clarè docet Ambroſius epiſt. 33. ad ſororem Marcellinam: *Dimiſſis Catechumenis ſymbolum aliquibus Competentibus in baptiſteriis tradebam.* D Notat autem Vaſquius Noſter Quæſt. 71. Artic. 4. de Baptiſmo, *Competentes* vocari *Electos* à Leone Magno epiſt. 4. ad Epiſcopos per Siciliam cap. 5. & 6. & *Electi* vocantur, non quòd eligerentur, vt acciperent baptiſmum, quod ait Pamelius, ſed quòd frequenter ſcrutandi eſſent, an in fide bene haberent. hoc indicant verba Leonis hæc: *In baptizandis electis ſecundùm Apoſtolicam regulam exorciſmis ſcrutandi, & ieiuniis ſanctificandi frequentibus.* Hæc autem ſcrutinia erant ſeptem, vt ibi Vaſquius: & Stephanus Durantus de Ritibus Eccleſiæ cap. 19. & æquè cum Vaſquio Ioſephus Vicecomes lib. 3. de Baptiſmo cap. 21. vbi ſic ait: *Nemo electus antè dicebatur, quàm ſeptem ſcrutiniis probatus fuiſſet.* Et Albinus de Diuinis officiis: *Fiunt ſcrutinia, vt exploretur ſæpius, an poſt renuntiationem Satanæ, ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint.* Et Rupertus Abbas Tuitionenſis de diuinis item officiis lib. 4. cap. 18. *Scrutinia dicuntur à ſcrutando, videlicet, quia perſcrutandum erat in his qui ac-*

cedebant, ne qua radix amaritudinis subesset. Rectè autem mihi videtur admonere Iustinianus Noster in cap. 2. Epist. ad Romanos, videri Tertullianum hos electos, vocare *perfectos Catechumenos*, cùm ait de Præscript. cap. 41. *Antè perfecti catechumeni, quàm edocti.*

75. 2. COMMEATVM.] Ambros. de obitu fratris Satyri: *Potuisti annos plurimos impetrare videndi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi.* Cyprian. epist. 34. *Commeatum dando bonis confessoribus suis, & martyribus glorioſis.* Ioann. Cassian. lib. 4. c. 10. *Si Dominus nobis orationibus vestris dederit commeatum*: id est, facultatem veniamque prorogandæ vitæ. Paulinus epist. 2. ad Delphinum: *Si Dominus commeatum donauerit, vt ad eum vsitato sollemniter nobis tempore recurramus.* Seneca epist. 54. *Longum mihi commeatum desiderat mala valetudo.* Videtur Fortunatus in vita sancti Hilarij dixisse *euectionem* pro commeatu. Verba eius: *Hilarius data sibi pergendi euictione ad* B *synodum venire compellitur.*

2. QVAM ERVDITIONEM, &c.] Explicui *potiùs quàm* ex Græca ellipsi: ita verè est. Homer. 1. Il. Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι: *Volo ego populum saluum esse, quàm perire*: id est, potiùs quàm perire. Pleniùs Græcus diceret, si adderet μᾶλλον.

76. 3. QVAM PORRÒ INEPTVM, QVAM INIQVVM POENITENTIAM, &c.] In omnibus vulgò cusis legitur, *quàm porrò ineptum, quam pœnitentiam*, &c. quæ scriptura plenè peruersa est. Iunius censet adimendum alterum *quàm*, neque displicet. Ego autem substitui vocem *iniquum*, quam in codice scripto se reperisse testificatur Vvouer. & ita plena est sententia. Ad sententiam pertinet illud Bernardi lib. 1. ad Eugenium: *Cor enim habent, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana.*

3. HOC ENIM PRETIO.] Origenes Homil. 15. in cap. 25. Leuitici, pœnitentiam vocat *pretium.* Neque aliter quàm de pretio loquitur Cyprianus lib. de Lapsi. extremis hisce verbis: *Neciam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Loquitur de Pœnitente. Qui veniam accipit, gratis accipit: sed qui coronam, certè ex pretio & valore.

3. ADDICERE.] Verbum venditorum, ideò *pretio.* Vide Brisson. lib. 2. de Verb. signif.

77. 3. HAC POENITENTIÆ COMPENSATIONE REDIMENDAM PROPONIT IMPVNITATEM.] Futilis est commentatio Iunij, neque audienda. Videatur Gretserus Animaduers. in Notas Iunianas cap. 12.

3. SCALPTVS, RASVS, ADVLTER.] Vitia tria pecuniæ malæ. Apuleius lib. 10. *Sed ne fortè aliquis, inquam, istorum quos offers nummorum, nequam vel adulter reperiatur, in hoc sacculo conditos eos annulo tuo prænota.* Vbi *nequam nummus*, est aut scalptus, aut rasus: adulter verò qui non prænotatus aut signatus annulo in sacculo. Ita videtur posse coniectari de loco Apuleij: De nummo adultero dicam, quoniam difficile est; de scalpto, aut raso id clarum. Itaque adulter nummus est, qui caret vero & regio signo. Nam & Dionys. Areopag. epist. ad Polycarpum nummum adulterinum vocat ἀπατηλὸν, *fraudulentum*, alludens credo πρὸς εἰκόνας ἀπατηλὰς, *ad imagines fraudulentas.* Hoc enim satis indicant verba Dionysij hæc: *Ait vnusquisque se regium nummum habere, & habet fortasse adulterinam imaginem alicuius veri numismatis.* Nummus hic qui aliam haberet A imaginem, non regiam, vocat Ignatius Martyr epist. ad Magnesianos παραχάραγμα. Adduco verba eius, quia huic rei conducunt. δύο γὰρ λέγω χαρακτῆρας ἐν ἀνθρώποις ἐστάσθαι· καὶ τὸν μὲν νομίσματος, τὸν δὲ παραχαράγματος. ὁ θεοσεβὴς ἄνθρωπος νόμισμά ἐστιν ὑπὸ Θεοῦ χαραχθέν· ἀσεβὴς, ψευδώνυμον νόμισμα, κίβδηλον, πόδον, παράχαραγμα, οὐχ ὑπὸ Θεοῦ, ἀλλ' ὑπὸ διαβόλου ἐνεργηθέν: *In hominibus characteres duos dico inueniri, vnum veri nomismatis, alterum adulterini: Homo pius numisma est à Deo cusum; impius, nomisma ementitum, incertum, adulterum, carens signo debito, non à Deo effectum, sed à Diabolo.* Vides vt adulter nummus referendus sit ad imaginem. Sic vocat etiam Origenes Homilia 3. in Leuiticum: *Solus est Dominus noster Iesus Christus,* 78. *qui se huiusmodi artem possit docere, per quam scias discernere quæ sit pecunia, quæ veri regis imaginem tenet, quæ verò sit adulterina, & vt vulgò dicitur, extra monetam formata, quæ nomen quidem habeat regis, veritatem autem regiæ figuræ non teneat.* Id autem esse παραχάραγμα existimo; quòd Homilias illas Græcè mihi videre non contigit; & huius conquestionis plures habeo socios. Redeo. Meminit paracharagmi (sic lego iuxta Ciaconium) Cassianus collat. 2. l. 9. Nam videlicet imago Regis impressa nummo est charagma, inde paracharagma, quæ nomen habet Regis, veritatem autem figuræ Regis non tenet. Vocem illam Ignatij κίβδηλον refert etiam ad adulteratum nummum. Cyrillus Alex. lib. de Recta in Christum fide ad Theodos. νόμισμα κιβδηλεύοντες: *nomisma adulterantes.* Sed noto dici etiam *nummum adulterum*, qui habet admistum aliquid æris. Themistius enim Euphrada, χρυσὸν ὑποχαλκον, ἢ πορφύραν ἐψευσμένην τὸ ἄνθος: *Aurum subaratum, aut ementiti floris purpuram.* Nazianz. orat. 1. κίβδηλον ἠχεῖν, ἢ ὑποχαλκον: *Adulterinum quiddam, aut subæratum tinnire.* Hieronymus in Epistolam ad Ephes. cap. 4. *Omni studio legendæ nobis* C *scripturæ sunt, & in lege Domini meditandum die ac nocte, vt probati trapezitæ sciamus quis nummus probus sit, quis adulter.* Huc refer *Thessalicum numisma*, de quo plena manu Hadrianus Iunius Cent. 1. Adag. 6. Nummo *raso* opponitur *asper*, qui nummus erat in pretio. De nummo aspero consulendus Persius Sat. 3. Sueton. in Neron. c. 44. Seneca epist. 19. De nummo *nouo* Prologus Gasinæ: *Multò sunt nequiores, quàm nummi noui.*

3. POENITENTIÆ PROBATIONEM.] 79. Hanc vocem explicui cum respectu ad nummos. Seneca epist. 19. *Nec voles quod debeo, nisi in aspero & probo accipere.* Dicebatur autem nummus esse *probatus* cùm à nummulario aut trapezita (Græcis dicitur ἀργυραμοιβὸς) approbatus, penes quem huius rei examen. Apuleius dicto loco, *annulo tuo prænota, donec altero die nummulario præsente comprobetur.* Hieronymus aduers. Ruff. Apolog. 1. *Iudicet quid verius sit,* D *& quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniâ reprobet.* Suppeditat & ad hanc rem Heraldus lib. 1. Digress. cap. 32. locum Clementis Alex. è lib. 2. Stromat. omitto, vt præoccupatum, & offero alium eiusdem Clementis, è lib. 6. Strom. καὶ πῶς ἔτι τραπεζίτης οὗτος, δοκιμάσαι μὴ δυνάμενος καὶ διακρῖναι τὸ ἀκίβδηλον νόμισμα τοῦ παραχαράγματος; *Et quomodo erit adhuc trapezita, qui non potest probare & discernere nummum probum ab adulterino?* Non frustra hoc, Lector; indicat enim Tertullianus, Deum ineuntem pœnitentiæ probationem, esse doctum nummularium, & quem tu non decipias; sciet sanè quæ probanda, quæ reprobanda pœnitentia.

3. TANTAM NOBIS MERCEM.] Pessimè in vulgatis *mercedem.* Latinius *mercem* reponit, & probant docti quique. Etenim in sermone pretij & venditionis *mercem* legas necesse est, vt etiam suprà: non

mercedem, quæ non ſpectat pretium, ſed meritum.

80. 4. SED DIFFERAMVS.] Seneca in Thyeſte: *Aut membra celeri differens curſu rotam.* Et Tertullianus propiùs ad rem cap.20. Apologet. *Plus iam offerimus pro iſta dilatione. Differo* enim dilationem dicit; &, vt plurimum, eidem perpetuo nominis ſignificationi incumbit. Dixi hoc, quia alia videatur contraria ſignificatio in verbo *differamus*, cùm reuera dicat dilationem in poſterum.

4. EMENDATOS LIQVEBIT.] Autumat Rhenanus verbum *liquebit* hîc eſſe ſuppoſititium, & legendum *licebit*, ſed licebit quidem pro liquebit. Itaque litteræ mutantur, non ſententia. Ita lib.de Carne Chriſti: *Quanquam licuit iam & de nomine hominis, de ſtatu qualitatis*, &c. Vbi licuit dictum pro *liquit*. Sic inf. in hoc lib. *Diſcidio maris, quod ſoli populo peruium licebat*, pro, liquebat. Nam ſcilicet veteres carebant littera q. propter durum eius ſonum, & ſubſtituebant litteram c. ſic olim ſæpe, *locuntur, oblicus*, &c. pro, loquuntur, obliquus. Hodie ſæpe in bonis libris *ſecutus*, pro ſequutus.

81. 4. LIBERTATE MVTATVS EST.] Phraſis Tertulliani. Ita de Reſurr. Carnis: *Oro te, ſi famulum tuum libertate mutaueris.* Neque dubito quin vir Græcis addictus, ex Græcis ſumpſerit, quibus frequens hæc locutio. Vt cum Euſeb. lib. 2. de Vita Conſtant. cap. 30. μετοικίαν αὐτὴ τῆς ἐνεστώσης ἠλλάξαντο. Et cap. 32. τῶν διφθερῶν μόχθον τῷ γλυκείῳ φρυγὶ ἀμείψαμενοι.

4. FVRTA ET FVGAS.] Notæ duæ ſeruorum. Ioannes Caſſianus lib. 4. c. 6. *In morem ſerui fugacis captans denſiſſimas tenebras nocte diffugiat.*

4. NOTIS.] De ignominiis, quibus affecti milites, ſatis multa alij.

82. 5. NEQVE EGO RENVO DIVINVM BENEFICIVM.] Quod hoc, immortalis Deus! Audi Euſebium Gallicanum Epiſcopum Homilia 7. de Paſcha, arduè elaborantem in hac re: *Homo fonte tingitur, & momentaneo lauacro, ab inueterato malo primi parentis abluitur, ſub aquis relinquitur quicquid flammis debebatur, & ſacrificatione ſecreta ſub felici vnda priſtini hominis vetuſtas exuitur, & quodammodo homo intra ſe alter efficitur, renaſcitur inuiſibiliter, innouatur in melius; quantum oculis cernitur, non mutatur, & tamen ſenectute depoſita, iuuenis anima renouatur, tanquam trino partu fontis in adoptionem trinitatis effunditur; de cœlo medicina admittitur, ſanantur vulnera quæ non ſentiuntur, & mala quæ ſeipſi conſcientia inſeparabiliter immiſcuerant, quodam diuinæ miſericordiæ artificio ſeparantur.* Multa alia ſubdit, digna lectu.

5. INITVRIS AQVAM.] Tale illud de Coron. Militis cap. 3. *Aquam adituri.* Et de Spectac. cap. 4. *Aquam ingreſſi.* Vide ibi: & *aſcendere* dicuntur, qui iam ſunt abluti. Victor Epiſc. Vticenſ. *Ego per officia Sacramentorum diuinorum, artifice Deo de fonte mundus aſcendi.*

83. 5. ASPERGINEM.] Notat Pamelius alludi ad baptiſmum, qui fiebat per aſperſionem. Lectionem mutant aliqui, & reſcribunt *aſparginem*, ex codice ſcripto. Et certè vocem hanc agnoſcit Velius Longus lib. de Orthograph. vbi: *Sanè aſpergo, et aſpargo habent differentiam ſuam. Siquidem aſpergo verbum, & aſpargo nomen.* Itaque, vt Virgilius ait,

Salſa ſpumant aſpargine cautes.

Sed nihil moror, & de lectione Virgiliana non hîc locus.

5. PRÆPOSITVM.] Ita ſcripſi, ſecutus codicem ſcriptum ex fide Vvouer. In vulgatis eſt *propoſitum*, ſenſu non ſatis apto, etenim *præponi* dicitur, qui baptiſmo præeſt, non proponi. Et verbum illud è re, conformiuſque ſanctis. Sic Nicetas Dauid ait de ſancto Ignatio Archiepiſ. Conſtantinopolitano, δι' ὕδατος καὶ πνεύματος ἡγίαζε τῷ Θεῷ: *Deo per aquam & ſpiritum conſecrabat.* Quis hunc dicat proponi? imò præponi. Sed video tamen defendi poſſe, & poſſe inde exſiſtere ſenſum qualem qualem.

5. CIRCVMDVCI.] Vnde natum ſit vt *circumduco* ſignificet decipio, videor exiſtimare ortum à circumductione, quâ veteres vtebantur ad diuinos honores præſtandos aliis, qua verè decipiebant illos. Cuius rei teſtimonium apprimè aptum eſt in Sueton. vbi Vitellius (vt in eius vita narrat cap. 2.) ſic ſcribitur: *Idem miri in adulando ingenij primus Caium Cæſarem adorare vt Deum inſtituit, cùm reuerſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quàm capite velato, circumnerténſque ſeſe, deinde procumbens.* Plautus Curcul. *Quò me vertam neſcio, ſi Deos ſalutat, dextroverſum cenſeo.* Liuius de Camillo lib. 5. *Conuertentem ſe in hanc venerationem, traditur memoriæ, prolapſum cecidiſſe.* Lucret. eò ſpectaſſe videtur, cùm dixit lib. 5.

Nec pietas vlla eſt, velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem.

84.

5. THESAVRO SVO.] Baptiſmum vocat *theſaurum*, cuius diuitiæ infinitæ ſunt. Optatus Mileuitanus lib. 5. has libat: *Virtutum eſſe vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, cœleſtis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium.* Et infrà tractans illud: *Quotquot in nomine Chriſti baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: ſic ait: *O tunica ſemper vna & immutabilis, quæ decenter veſtiat & omnes ætates & formas, nec in infantibus rugatur, nec in iuuenibus tenditur, nec in fœminis mutatur. Aderit profectò ille dies, vt cœleſtes nuptiæ incipiant celebrari.*

85.

5. REVELABITVR.] Cur ita reddat, & non, *reueletur*, dicam lib. de Veland. Virg.

5. TENEBRAS.] Ita & Chryſolog. ſerm. 1. *Criminum tenebras.*

6. SYMBOLVM MORTIS.] Paulus ſcilicet ad Coloſſ. 2. *Conſepulti ei in baptiſmo.* Nyſſenus de Pœnitentia: ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος συνετάφη, ὁ νέος ἐτάφη, αὐξήσεως τῇ χάριτι: *Vetus homo in aqua ſepultus eſt, nouus generatus, gratia floruit.* Ambroſ. 3. off. c. 14. *In baptiſmatis ſacramento interit homo totus exterior.* Sanctus Maximus Homilia de Iuda traditore: *Baptiſmum igitur Chriſti nobis eſt ſepultura, in quo peccatis morimur, criminibus ſepelimur, & veteris hominis conſcientia reſoluta, in alteram natiuitatem rediuiua infantia reparamur. Baptiſmum, inquam, Saluatoris nobis eſt ſepultura, quia & ibi perdidimus antè, quod viximus, & ibi denuo accipimus, vt viuamus. Magna igitur ſepulturæ huius eſt gratia, in qua nobis & vtilis mors infertur, & vita vtilior condonatur: magna, inquam, huius gratia ſepulturæ, quæ & purificat peccatorem, et viuificat morientem.* Inquit *baptiſmum* phraſi propria. Procedo. Hieronym. ad Heliod. *Recordare tyrocinij tui diem, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in ſacramenti verba iuraſti.* Iam appellant *crucem*, iam *ſepulturam*. Vide de hac re caput tertium lib. 1. Ioſephi Vicecomitis elegantiſſimum, vbi infinitas propemodum nomenclaturas Baptiſmi affert. Sed & Rupertus Abbas lib. 7. cap. 1. cùm agat de ritibus baptiſmi, ſic ait ad mentem Tertulliani: *Tertiò ſubmergitur, vt triduanæ morti Chriſti conformetur, & hoc mirabili pietatis officio, viuus & incolumis crucifixo, & mortuo, atque ſepulto configitur, commoritur, ac conſepelitur.* Poteſt etiam intelligi chirographum peccati, quod affixit Chriſtus cruci.

86.

6. QVIS ENIM PERMITTIT.] Non diſpli- 87.

cet, quî hic corrigit *promittit*. Quò pertinent antecedentia hæc: *Quasi Deus neceſſe habeat præſtare etiam indignis quod ſpopondit.*

6. NON ENIM MVLTI, &c.] Legerem libenter, *Nonne multi*, &c. ſed *non* pro *nonne* vſitatum Noſtro.

6. SVPER ARENAS.] Contrarium eſt, ὁπὶ τῆς πέτρας ᾠκοδομημένῳ ἔχειν τὸν οἶκον.

6. INTER AVDITORVM TYROCINIA.] Auditores, & Audientes iidem, Græcè κατηχούμενοι, & ἀκροώμενοι. De his ſtatim. Hic tantùm ſcias formam vocis vſurpatam etiam à Beda lib. 2. Comment. Eſdræ, vbi Catechumeni dicuntur *nouæ vitæ Auditores*. Sanctus Baſilius exhortat. ad Baptiſmum, *alumnos* dixit. Nicetas Choniates lib. 2. de Orthod. fide *diſcipulos* appellauit. Auguſtinus autem lib. 2. de Fide ad Catechum. cap. 1. *tyrones Dei*: cùm ſic ait: *Nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, ſed à ſuperiore cælitus poteſtate, optimi iam tyrones Dei.* Mitto *nouitiolos* dictos à Tertulliano hoc eodem capite, & *catulos adhuc infantiæ recentis*: & (notante Bozio lib. 1. c. 17.) Tertullianus vocat *illuminationem*, quod fundum habet in Paulo, ad Hebræos 10. & alibi.

88. 7. INCVBAS.] Ioann. Caſſian. Collat. 13. c. 11. *Violentijs ac rapinis publicis incubans.* Verbum hoc obuium in Tertull. & quidem ſollemne eſt.

7. A PERFECTO DEI SERVO.] Alij, & quidem ex codicibus ſcriptis, *verbo:* nec mihi diſplicet.

7. AVDIENTIBVS.] Suprà *auditores* nominauit. Opponuntur *intinctis*, id eſt, baptizatis. Dicuntur autem Latinis *Audientes* ſiue *Auditores*, qui Græcis *Catechumeni*. Rationem ſiue Græci, ſiue Latini nominis ſuppeditat Concilium Conſtantinop. primum Can. 7. κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν: *Catechizamus illos, curamúſque vt diu immorentur in Eccleſia, & audiant ſcripturas, & tunc illos baptizamus.* Ergo Audientes, quia audirent ſcripturas. Horum magna vbique mentio. Vide Cyprianum epiſt. 13. & epiſt. 24. vbi de Doctore Audientium. Erant autem Audientes extra Eccleſiam, quippe inferiores Competentibus. Iſid. loco ſuprà laudato loquens de Audientibus: *Deforis audiunt myſteria & gratiam.* In Pœnitentiali Rom. tit. 7. c. 2. *Extra Eccleſiam, id eſt, inter Audientes.* Theorianus etiam refert, πέρα μόνα ἔτη ἀκροᾶσθαι διακελεύεται ὁ κανὼν, ἤγουν ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἵστασθαι ἐν τῷ νάρθηκι, καὶ τῶν θείων ἀκούειν γραφῶν: *Canon iubet tres annos audientes eſſe, id eſt, extra eccleſiam ſtare in ferula, & diuinas ſcripturas audire.* Quid porrò eſſet *narthex* Græcè, & Latinè *ferula*, alibi Deo annuente dabimus.

89. 7. LAVACRVM ILLVD OBSIGNATIO EST FIDEI.] Quia baptiſmus eſt publica fidei approbatio & teſtificatio. Tertull. in lib. de Baptiſmo, cap. 13. *Obſignatio baptiſmi.* Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 62. loquens de baptiſmo huius principis: θείας τε σφραγῖδος ἀξιούμενος ἠγάλλετο τῷ πνεύματι: *Dignatus diuino ſigillo lætabatur ſpiritu.* Et Theodorit. lib. 4. c. 16. loquens de baptiſmo, βασιλικὸν ἐπιθεῖναι σφραγῖδα: *imponere Dominicum ſigillum.* Sed & de Baptiſmo Hermas diſcipulus Pauli, vt viſum multis, ſic ait: *Illud autem ſigillum aqua eſt, in quam deſcendunt homines morti obligati: aſcendunt verò vitæ aſſignati.* Pleni omnes hac locutione. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, & in lib. de Spiritu ſancto c. 12. & Tertullian. de Præſcriptionibus cap. 16. *Ipſas res ſacramentorum diuinorum diabolum æmulari in ipſis Idolorum myſterijs, eo quòd & ipſe baptiſmo quoſdam tingat, & ſignet in frontibus milites ſuos.* Et cap. 8. de Reſurrect. Carnis, dicit per baptiſmum carnem ſignari, vt anima muniatur. Et nihil moror Pamelium hoc referentem ad confirmationem; ego enim Vaſquium Noſtrum ſequor. Rectè monet Iuſtinianus in cap. 6. ad Romanos, hoc loco agere de priuata cuiuſque fide; quæ baptiſmo obſignatur: vide eundem, vt diſſoluat locum alterum de libro Baptiſmi huic quodammodo pugnantem. A Dionyſio Areopag. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. dicitur *ſignum Chriſti*, vt aduertit optimè Ioſephus Vicecomes lib. 1. c. 3. de Baptiſmo. Ab aliis verò *melioris vitæ pactum*, aut *arcanæ perfectionis obſignationem.*

7. NON IDEO ABLVIMVR, VT DELINQVERE DESINAMVS, SED QVIA DESIIMVS.] Fulbertus Epiſc. Carnotenſ. in ſerm. ad Populum: *In primis peccare deſiſte, quandiu enim quis Dominum offendere non ceſſat, nec eius pœnitentia fructuoſa eſt, & qui in hac vita criminali peccato finem non impoſuerit, veniam in altera non habebit.* Quamobrem rectè monet Iuſtinianus Noſter in cap. 6. ad Romanos, B hoc non tam referendum ad rem ipſam, quàm ad eius, qui baptizandus eſt, conſilium & voluntatem. Inde Auguſtinus in Enchirid. cap. 51. *Quicunque baptizantur, in Chriſti mortem baptizantur, vt videlicet moriantur peccato, atque ita ſimiles fiant Chriſto mortuo.* 90.

7. METVS INTEGER.] Cum aſpectu ad ſignificata iuris, in quo, *res integra, cauſſa integra, ius integrum.*

8. INNOCENTIAM INDVIMVS.] Ita hoc dictum, vt à Quintiliano lib. 12. c. 1. *Pœnas à ſemetipſis induuntur.* Et lib. 4. c. 1. *Fictam orationem perſonis induere.* Et à Lucretio lib. 4. *Nos fraudem induimus.* Inde Baptiſmus à ſancto Baſilio in exhortatione ad illum, & à ſancto Gregorio Theologo orat. 4. dicitur *indumentum*, quia induimus Chriſtum. Et hæc eſt *reformatio* illa, de qua loquitur Paulinus in epiſt. 12. ad Seuerum, qui cùm dicat baptiſterio illi, quod Seuerus fecerat, appoſitas Martini & Paulini ſtatuas, dicit de Martino: *Rectè enim in loco reformationis humanæ Martinus pingitur, qui cæleſtis hominis imaginem perfecta Chriſti imitatione portauit.* Ideò monuerim quod in Paulino legitur *refectionis humanæ*, cùm *reformationis* legendum ſit. 91.

8. AN CVI DISPLICET.] Aliàs, *aut cui diſplicet.*

8. DISPLICET MALO ESSE.] Helleniſmus non animaduerſus Grammaticis. Latinè dices, *mihi licet eſſe bonum*, Hellenicè *mihi licet eſſe bono.* Quippe Græci regunt caſum vnum, & mox illi alterum appendunt tanquam ſarcinam. Vide me lib. 9. Æneid. ad illud,

Cui Remulo cognomen erat.

D 8. A STVPRI CONCVPISCENTIIS REFRÆNEMVS.] Hæc locutio eſt etiam in Auguſt. lib. 6. contra Pelag. c. 4. *Concupiſcentia, quam ſpadonum quoque caſtitas frænet.* Et epiſt. 54. *libidinum incitamenta frænauero.* Caſſian. lib. 5. cap. 23. *refrænet deſiderium carnis.* Quid ſi iſta locutio cum aſpectu ad infibulationes? Credo certè. Inde lux magna Auctoribus, qui eam vſurpant. 92.

8. A CVSTODIBVS CORPORVM OBSTRVCTI.] Eunuchos cuſtodes fuiſſe mulierum, & pertinere ad earum miniſterium, certiſſimum eſt; quia ſcilicet, vt ait Clemens lib. 3. Pædag. c. 4. αὐτόπτως διακονούμενοι, *miniſtrātes citra ſuſpicionem.* Aliam rationem ſuppeditat Heliod. lib. 9. Hiſt. Æthiop. ἔχει τι ζηλότυπον τὸ εὐτούχων γένος. ὧν γὰρ ἀπεστέρηται, τούτων εἰς κώλυμα τοῖς ἄλλοις προβέβληται: *Habet quiddam zelotypum Eunuchorum genus; quibus eſt enim ipſum priuatum, ad hæc aliis prohibenda obiicitur.* Et lib. 7. de Eunucho Arſa-

ces loquens : φύσει γὰρ τῶν εὐνούχων ζηλοτυπίαν ποιοῦσι : *Naturâ Eunuchorum zelotypia laborans.* Nec solùm apti vt custodes sint fœminarum, sed etiam vt magistri adolescentium: Lucianus in Eunucho, ἐπιτηδειότερος εὐνοῦχος τοῖς νέοις διδάσκαλος : *Aptior Eunuchus cui adolescentes erudiendi tradantur.* Quin Eunuchi aliquando dicebantur, illi qui non sunt, sed obtinent eorum locum, vt Putiphar ille Genes. 45. Tu vide de hac re Eliam Cretensem orat. 3. in Greg. Theologum. Porrò in lectione scias legi ab aliis *abstracti*, neque displicet: lectiunculas alias non moror.

8. ALLIGATVS.] Quid dicat, clarum: tantùm noto, cùm præcesserit sermo de concupiscentia, & mox subiiciat alligatum baptismo, dictum hoc fortasse cum aspectu ad infibulatos. Vide lib. de Coron. Mil. c. 11.

9. ILLE SVMIT, HIC INVADIT.] Respicit thesaurum, de quo suprà.

93. 10. INSTRVMENTO POENITENTIÆ, ID EST, METV CARVIT.] Locus dignissimus, qui notetur; vocat enim metum Dei, *instrumentum pœnitentiæ.* Sic & Cyrill. Alex. Comment. in Amos num. 58. coniungit τὸ μετανοεῖν, & φόβον. Inde à Cypriano epist. ad Donatum: *timor innocentis custos.* Et Chrysost. Homil. 15. ad Popul. *Sicut in domo, stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius qui talia mala patrantium apparere propiùs audebit: sic & metu animo nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facilè nobis subrepit; sed omnes fugiunt & pelluntur, timoris imperio vndique exacta.* Coniunxi Cyprianũ & Chrysostomum, qui miri ad mentem Tertulliani scribentis suprà: *Ergo nec à furto manus auertamus, nisi clausirorum duritia repugnet.* q. d. Timor Dei sit custos, & satelles armatus; hic timor Christianum arceat, non claustra ferrea. Nec aliter loquitur Cassian. lib. 6. cap. 13. *Dum enim fortis, scilicet spiritus noster, domum suam custodit armatu, recessus cordis sui Dei timore communiens; in pace erit omnis substantia eius.* Eusebius etiam de Constantino Magno in eius vita lib. 1. c. 37. τῷ τοῦ Θεοῦ φόβῳ καταμφιασμένος : *timore Dei munitus.*

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Transit ad secundam pœnitentiam, de qua tamen inuitè loquitur, ne ex residuo hoc remedio ansa ad peccandum capiatur.

TERTVLLIANVS.

94. 1. HVCVSQVE Christe Domine de pœnitentiæ disciplina seruis tuis discere vel audire contingat, quovsque etiam delinquere non oportet, Audientibus: Vt nihil iam de pœnitentia nouerint, nihil eius requirant. Piget secundæ, imò iam vltimæ spei subtexere mentionem; ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur.

EXPLICATIO.

1. OPTAT vt pœnitentia ita ab Audientibus, id est, Catechumenis, discatur & audiatur, scilicet vt nunquam delinquant, nihil de illa noscant, *nihil requirant*: & hoc hucvsque dictum Catechumenis exopto. Hæc est sententia, licèt implexa. Itaque *quovsque* est, vsque ad veram pœnitentiam. *Nouerint* subaudi baptizati: & vox *Audientibus* concordat cum *seruis*. *Piget secundæ*, &c. Nollem (inquit) meminisse secundæ spei, quæ est peccatoribus in pœnitentia; ne, cùm audiant residuum esse auxilium, prætextum inde ad peccandum capiant. Vocat *vltimam*, vt nullã iam reliquam: quia scilicet loquitur de publica pœnitentia, & hæc semel tantùm fiebat: de qua capite nono. Itaque Tertullianus in toto hoc opere nunquam loquitur de pœnitentia secreta, qua confessori aperiuntur peccata. Qui hoc putabit, neque hoc, nec sequentia intelliget capita.

95. 2. Absit vt aliquis ità interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo, quotiens ignoscitur.

2. *Absit*, μὴ γένοιτο. *Pateat* subaudi, aditus: aut, spatium, quæ vox præcessit. *Faciat*, id est, pariat. *Totiens delinquendo*, &c. Verba hæc dare ansam possunt non intelligendi Tertulliani. Putabunt enim illum loqui de pœnitentia secreta, qua aperiuntur confessori peccata, in qua quoties peccamus, veniam toties obtinemus, si accedamus cum debita præparatione: Cùm tamen istud Tertullianus nec somniet; tantùm enim loquitur de pœnitentia publica, quæ semel fiebat. Finge ergo illum ita loqui. Bis tibi remittuntur peccata, semel per baptismum, iterum per publicam pœnitentiã; tu tamen noli toties peccare, quoties tibi remittitur; satis est peccasse ante baptismum. Hæc clarissima efficiam capite nono.

96. 3. Cæterùm finem vtique euadendi habebit, cùm offendendi non habebit. Euasimus semel, hactenus periculis nosmet inferamus, etsi iterum euasuri videmur.

3. *Cæterùm*, &c. Prima hæc periodus non est facilis. Nunc sic expedio: Cæterùm peccator *finem euadendi*, id est, ignoscentiæ diuinæ, *habebit*, cùm non fecerit finem delinquendi. Clariùs. Si delictum non habet finem, necesse est cesset venia diuina, finémque habeat Dei indulgentia. Nunquam euadit, si nunquam cessarit delinquere. Possit etiam post verbum *habebit* esse nota interrogationis, & tunc sententia erit. Putas te habiturum finem euadendi à malis, cùm non habeas offendendi? Dabo in Notis & tertiam explicationem. *Hactenus*, id est, non vltra: *etsi*, id est, etiamsi.

4. Plerique

97. 4. Plerique naufragio liberati, exinde repudium & naui & mari dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterum diuinæ miſericordiæ oneri eſſe, formidant videri inculcare, quod conſecuti ſunt: bona certè ſollicitudine iterum experiri vitant, quod ſemel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, teſtatio eſt timoris. Timor autem hominis, Dei honor eſt.

4. *Repudium*, pulchra metaphora. *Memoria periculi honorant*, id eſt, gratias agunt. *Laudo timorem, diligo verecundiam*, efficacia hæc duo ad pœnitentiam; *Nolunt iterum diuinæ miſericordiæ oneri eſſe*, in timorem: *formidant videri inculcare, quod conſecuti ſunt*, in verecundiam. *Oneri eſſe*. Expende hoc verbum peccator, ne fortè diuina miſericordia oppreſſa pondere tuorum peccatorum non aſſurgat ad ſalutem tuam, non quia non poſſit, ſed quia nolit. O qui campus patebat concionabundo commentatori! Sed ego hanc curam abieci. *Inculcare*, id eſt, contemnere, proculcare. *Ita modus*, &c. Qui imponit modum finémque temeritati peccandi, eo ipſo teſtatur habere ſe timorem Dei. *Timor autem hominis*, &c. Aptat ſententiam adductæ comparationi. Qui Deum timet, eo ipſo illum honorat: ſicut liberatus naufragio, beneficium iſtud honorat, timens mare nec ſe illi iterum committens.

98. 1. Sed peruicaciſſimus hoſtis ille, numquam malitiæ ſuæ otium facit. Atquin tunc maximè ſæuit, cùm hominem plenè ſentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat & ingemiſcat neceſſe eſt, venia peccatorum permiſſa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro ſuæ eraſos. Dolet quod ipſum & angelos eius Chriſti ſeruus ille peccator iudicaturus eſt.

5. *Ille*. Emphaticῶς. *Atquin*, atqui, more ſuo. *Accenditur dum*, &c. Loquitur cum aſpectu ad ignem, qui tunc furentior, cùm aqua ſpargitur. *Doleat*, &c. Dolet ſcilicet Dæmon machinas ſuas euerſas, poſt veniam quæ datur homini. Pertinet totus hic tractus ad inuidentiam Dæmonis, *inuidit* quippe *Dei beneficia homini*, vt ait Hilar. can. 3. in Matth. videatur Euſebius lib. 2. de vita Conſtantini cap. 6. & 11. vbi de hac inuidia. *Venia peccatorum permiſſa*, eſt in auferendi. *Titulos damnationis*. Reſpicit titulos noxiorum, de quibus in lib. de idololatria. *Sua*, id eſt, hominis. Neque enim rigidè doctores Eccleſiæ vtuntur hoc reciproco. cùm neque ſemper ſcriptores Latij. *Retro*, id eſt, priſtinæ damnationis ſuæ.

99. 6. Itaque obſeruat, oppugnat, obſidet: ſi quà poſſit aut oculos concupiſcentia carnali ferire, aut animum illecebris ſingularibus irretire, aut fidem, terrenæ poteſtatis formidine euertere: aut à via certa per uerſis traditionibus detorquere: non ſcandalis, non tentationibus deficit.

6. Diaboli molimina. *Qua*, id eſt, qua via, qua ratione. *Aut fidem*, &c. Genitiuus *terrenæ poteſtatis* regitur pendétque à formidine. *Peruerſis traditionibus*. Refert Pamelius ad Montaniſtas, qui dicebant nullam poſt baptiſmum neceſſariam pœnitentiam. Sed non video cur ita debeat arctari ſcriptor; generaliter enim videtur loqui. *Scandalis*. Poteſt eſſe in tertio caſu, vt dicat: Non deficit ſcandalis, id eſt, nulli ſcandalorum & tentationum occaſioni deeſt: præſto adeſt. vel in vltimo, id eſt, *non deficit* à molliendis *ſcandalis & tentationibus*.

100. 7. Hæc igitur venena eius prouidens Deus, clauſa licèt ignoſcentiæ ianua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid aliud permiſit patere. Collocauit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat: ſed iam ſemel, quia iam ſecundò; ſed ampliùs numquam, quia proximè fruſtra. Non enim & hoc ſemel ſatis eſt?

7. *Venena*. Videntur machinæ dæmonis, quæ habentur ſuperiore tractu, referendę ad oppugnationem, & obſidionem, quippe militaria omnia: ſed *venena* ad obſeruationem, quippe latitat dæmon, obſeruátque ex occulto tanquam ſerpens, vt venenum euomat. *Clauſa licèt ignoſcentiæ ianua*, quia baptiſmus iterari non poteſt. & notetur periphraſis baptiſmi, ſcilicet *ianua ignoſcentiæ*, idem ſcilicet, quod ſtatim *Sera intinctionis*. *Aliquid aliud*, id eſt, aliquod ſubſidium & refugium. *In veſtibulo*, in aditu ignoſcentiæ. *Pœnitentiam ſecundam*, id eſt, publicam, de qua in cap. nono. *Patefaciat*, ſubaudi, ianuam. *Sed iam ſemel*, quippe publica pœnitentia ſemel tantùm fiebat. *Quia proximè fruſtra*. q. d. Cur hæc ſic ſit vltima? Quia baptiſmalis fruſtranea fuit delinquendo iterum. Ideo addit, *Satis eſt hoc ſemel*.

101. 8. Habes iam quod non merebaris, amiſiſti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat vnde reſtituas quod amiſeras, iterato beneficio gratus eſto, nedum ampliato: maius enim eſt reſtituere, quàm dare, quoniam miſerius eſt perdidiſſe, quàm omnino non accepiſſe.

8. *Habes*, &c. Habes ſecundam pœnitentiam, quæ eſt publica. & hoc non merebaris, quia amiſiſti quod tibi datum fuit in baptiſmo. *Sitibi*, &c. Venuſtiſſima metaphora ab his qui commodatò dant aliis pecunias, vnde fiat reſtitutio. Ergo, ſi Dominus ita fuit indulgentiſſimus, vt cùm amiſeris gratiam baptiſmalem, tibi accommodet ſecundam pœnitentiam, vnde reſtituas, quod amiſiſti, *eſto gratus beneficio iterato*, id eſt, ſecundæ pœnitentiæ. *Nedum ampliato*. quaſi dicat, Quid dixi *iterato*? potiùs *ampliato*. Non enim Deus tam iterauit beneficium, quàm ampliſſimum dedit. Hæc eſt ſententia.

neque esse alia potest. Vide Notas. & hoc probant sequentia. Vide an amplius sit beneficium, nam *maius est restituere*, &c. Maius est beneficium restituere hominem in gratiam Dei, quàm eundem in gratia Dei creare. Sicut *miserius est*, secundam gratiam *perdidisse*, quàm nunquam habuisse.

102. 9. Verùm non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitete non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem.

9. *Verùm*, &c. Exhortatur peccatorem ad capessendam pœnitentiam secundam: quod plenius facit capite decimo. *Pigeat sanè peccare rursus.* id est, iterum post baptismum. *Sed rursus pœnitere*, videlicet per secundam pœnitentiam. *Iterum periclitari*, quod suprà dixit, *periculis nosmetipsos inferamus. Iteratæ valetudinis*, morbi, ægritudinis, *Gratus*, &c. Verba digna quæ expendantur. Itaque gratitudo est, beneficium non recusare. Verè; quia eò quis recusat, ne deuinctus sit persoluendæ gratiæ. *Satisfacias*, verbum notantissimum ad secundam pœnitentiam. Aperio in Notis.

NOTÆ.

103. 1. DISCERE VEL AVDIRE.] Ita reposui ex codice scripto, pro eo quod in vulgatis est, *dicere vel audire.*

1. NON OPORTET, AVDIENTIBVS.] Ita distinxi, non vt in vulgatis, *oportet Audientibus.*

1. VT NIHIL IAM DE POENITENTIA NOVERINT.] In vulgatis omnibus est, *Vel nihil*, &c. reposui ex coniectura, *vt nihil.*

1. SECVNDÆ, IMÒ IAM VLTIMÆ SPEI.] Dicam ad caput nonum.

2. ET REDVNDANTIA DIVINÆ CLEMENTIÆ, &c.] Præclarè Anonymus quidam inter opera Hieronymi tomo 9. *Quæ supererit spes salutis, si ipsa animæ remedia sint venena?*

3. CÆTERVM FINEM VTIQVE EVADENDI, &c.] Præter explicationes duas, quas dedi, cogitaui & tertiam, ita vt *finem offendendi non habere* sumatur hoc loco in bonam partem, & dicat: Habebit finem euadendi in baptismo, si non habebit finem offensionum. Ille enim habet finem offensionum, qui peccat quantum potest remitti, bis vult peccare, perducens ad finem vsque peccata. Ergo ait: Ne perducas offensiones tuas vsque ad finem, vt euadas iterum per secundam pœnitentiam, satis est euasisse per baptismum, siste tunc, nec finem adhibe peccatis, quem potes, quia scis partam esse indulgentiam. Hæc explicatio mirè cohæret cum præcedentibus & sequentibus. Contexo integram sententiam. Ne toties delinque, quoties tibi ignoscitur, sed finem habeat tua euasio in baptismo, nec ponas finem offensionibus spe iterum euadendi, imò abscinde illas; nam si semel hactenus euasisti, cur te periculis peccatorum inferas, quòd iterum possis euadere? Subtilissimè certè cohærent omnia ista.

104. 3. EVASIMVS SEMEL, &c.] Vide, vt scripsi, & punxi; nam vulgò est corrupta & scriptio, & punctio. Legitur scilicet. *Euasimus semel, hactenus, periculosis nosmet inferamus, & si iterum euasuri videmur*: perperam. Lectionem quam ego sequor, debes partim Pamelio, partim aliis.

4. NOLVNT ITERVM DIVINÆ MISERICORDIÆ ONERI ESSE.] Mirum orationis incrementum, quo etiam vsus Cyrillus Alexand. in cap. 2. Amos, num. 23. *Sed & illud necessariò dicendum est, verè esse horrendum, ita Deum irritare, & ita abire in peccatorum præcipitium, vt Deus peccata nostra tolerare amplius non possit, præ illorum onere, etiamsi natura sua sit bonus, clemens, & mansuetissimus.* Græca præcipuè necessaria sunt, ὡς ἀφόρητον αὐτῷ (Θεῷ) γενέσθαι πῶς παρ' ἡμῶν ἁμαρτίαις. Nihil aptius illustrando Tertulliano. Saluianus quoque lib. 1. de Guber. dixit: *Pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur.* Idem lib. 5. *Vim Deo facimus iniquitatibus nostris.*

4. ONERI.] Ita de peccatis & Græci & Latini. Patres Græci. Ioannes Chrysost. de Diabolo Tentatore, τὸ βαρὺ τῶν ἁμαρτημάτων φορτίον. Cyrillus Alex. in cap. 2. Amos. πλημμελημάτων δυσχθὲς, *intolerabilitas peccatorum*. Alter Cyrill. Cateches. 2. δεινὸν ἡ ἁμαρτία. Gregorius Nyssenus tract. 1. in psal. cap. 7. ἁμαρτιῶν ὄγκος. quasi dicas, *molem*. Idem lib. de Virgin. cap. 18. pulchrè dixit esse peccatum, vt πάλαιτον μολύβδου, *talentum plumbi*: explicátque sententiam alterius prophetæ. Quid Latini? Gregor. Magn. Homil. 2. in Ezechiel. *Peccatorum pondera.* & Petr. Chrysolog. sermon. 44. *Peccatorum onera.* Ephrem sermon. de Patient. *Peccatis prægranato.* Sed putidum persequi parabile hoc. 105.

4. INCVLCARE.] Hoc verbum frequentiore vsu est, aliquid sæpe ingerere & repetere. Hoc tamen loco verè est proculcare & conculcare. ita lib. de Patient. *Tentationes inculcat.* & Cyprian. in Demetrian. *Inculcandum porcis.* Ita interpretes, atque ego explicui. Sed non video, cur non confugi queat ad tritum illum vsum, vt dicat, formidant videri repetere sæpius, quod consecuti sunt.

4. TIMOR HOMINIS, DEI HONOR EST.] Huc pertinent sententiolæ illæ poëticæ, 106.

Primus in orbe Deos fecit timor. &:

Quæ finxere timent.

Sed tu audi Saluianum lib. 1. de Guber. *Tanta quippe est maiestatis sacræ & tam tremenda reuerentia, vt non solùm ea quæ ab illis contra religionem dicuntur, horrere: sed etiam quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debeamus.* Vides timorem, maximum esse instrumentum colendi Numinis. Hinc *timor* pro religione sæpissime ponitur etiam à profanis scriptoribus. de quo nos plenè in varios Virgilij locos.

5. PERVICACISSIMVS HOSTIS.] Hanc dæmonis obstinationem in nocendo rectè expressit Ioann. Chrysost. Homil. 14. ad Populum, ἀκόρεστος ὢν τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν, καὶ οὐδέποτε ἂν τῶν ἡμετέρων ἐμπιμπλασθήσεται συμφορῶν: *Malis hominum nequit saturari, nec vnquam satis expletur nostris calamitatibus.* & Homil. vocat illum αὐθάδωτον, quia *impudens* in nocendo. & Homil. 2. dat illi ὀργᾶσθαι & βακχεύειν, quæ sunt bacchantium & furiosorum. Eligius Homilia 8. *Crudelis humani generis inimicus.* Chrysolog. serm. 16. dat illi *sæuitiam, furorem, rabiem.* & serm. 17. vocat *humanæ necis auidum, & interitus hominum auarum exactorem.* verba hæc legit, & multa omittit Paël in Cantic. Mosis, annotat. 2. tom. 3. 4. & 5.

107. 5. OTIVM FACIT.] *Otium* in hac significatione & *otiosus* tritum Sanctis Patribus: Episcopus Turonensis: *Atque his tuæ epistolæ locis tantùm nos respondisse sufficiat, cæteris aliquis ociosus respondeat.*

5. ACCENDITVR DVM EXTINGVITVR.] Eusebius lib. 2. de vita Constant. cap. 1. κατισχεσυδόλω πυρὸς ἀκμὴν αὐαρπάζειν, καὶ ἐξάπτειν φλόγα. Cùm postea ait *titulos*, respicit id quod est proprium Baptismi, vnde & verbum *titulo*, quo vsus Victor Vticensis Episc. lib. 3. Hist. Cùm ait: *Nobis verò nullus de postibus frontium valebit euellere, quod in vno baptismate artifex Trinitatis dignatus est titulare.*

6. OBSERVAT, OPPVGNAT, OBSIDET.] Loquitur non solùm cum aspectu ad militiam, sed etiam ad naturam serpentium. Eò me ducunt verba *obserno* & *obsideo.* Nam Ammianus lib. 15. *Vt enim subterraneus serpens foramen subsidens occultum, adsultu subito singulos transitores obseruans incessit.* Neque ab hoc abeunt Sanctorum oracula, vt cùm de Diabolo Chrysost. Homil. 14. ad Populum, ἐφεδρεύων, quæ vox, serpentis cùm obsidet, estque in insidiis. & Gregor. Nyssen. Homil. 1. de Orat. δαιμονιώδεις ἐπιβουλαί & Gregor. Magn. Homil. 2. in Ezechiel. *Insidiarum molimina.* Hilarius can. 13. in Matth. *Fallax Diabolus & ad traducendum artifex callidissimus.* Ephrem serm. de Patient. vocat illum *vulpem*, & *bestiam fraudulentam*, vbi per *bestiam* capio θηρίον, serpentem, viperam.

108. 7. INSTINCTIONIS SERA OBSTRVCTA.] Tertullianus anxiè sequitur, vt post baptismum, si quis peccauerit, ne dubitet pœnitentium aggredi. In eodem argumento est totus Sanctus Laurentius Episcop. Nouarum, homilia de Pœnit. *Peccasti post fontem, lapsus es post baptisma, fecisti crimen post indulgentiam generalem: quid nunc? perit iam spes? nunquid intercepta est retributio? non est ita homo. quid circumduceris? signum accepisti de fonte: non desperationis, sed miserationis, non defectionis, sed remissionis, non vt vnquam desperes.*

1. COLLOCAVIT IN VESTIBVLO POENITENTIAM SECVNDAM.] Fulbert. Episc. Carnotens. sermone ad Populum: *Si permansissemus in illa munditia, quæ nobis per baptismum data est, verè felices essemus. Sed non permansimus, cecidimus enim per nostram culpam, non solùm in peccata, sed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, furta, falsa testimonia, superbia, inuidia, auaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua.*

8. NEDVM AMPLIATO.] Putant esse 109.
sensum, *nedum ampliato*, id est, *nedum amplia.* Firmántque ex forma iuris & fori. Vbi de lite & caussa *ampliare*, cùm non liquebat. Falsò putant. Nam Tertull. tantùm loquitur de iterata semel pœnitentia, id est, publica, quæ semel tantùm fiebat, neque tertiam concedit, & concederet certè si acciperetur, vt isti volunt. Vnde & suprà signatè: *Sed iam semel, quia iam secundo; sed ampliùs nunquam, quia proximè frustra.* Vides vt *ampliùs nunquam.* Itaque sententia est, quam adhibui explicans.

8. MAIVS EST ENIM RESTITVERE, QVAM DARE.] Non abit ab hac sententia tritum illud,

Magis est, quàm quærere, parta tueri.

Quam sententiolam humanior litteratura iam illustrauit. & ego possem à Claudiano 2. de laudibus Stilicon. & ab Xenophont. lib. 7. παιδ. ab Tullio in Catil. ab Lucano, ab aliis. Mitto.

8. MISERIVS EST PERDIDISSE, QVAM OMNINO NON ACCEPISSE.] Est hoc ad verbum, quod dixit Pericles apud Thucydid. lib. 2. αἴσιον ἔκοντας ἀφαιρεθῆναι, ἢ κτωμένοις ἀτυχῆσαι. Non egebis explicatione audito Sallustio in Iugurth. *Maius dedecus est parta amittere, quàm omnino non parauisse.* Eadem verè est Tertulliani sententia.

9. DESPERATIONE.] Optimus ad rem 110.
hanc locus Cyrilli Hierosol. Catech. 2. μὴ ἀπογνῶμεν ἑαυτῶν ἀδελφοὶ, μὴ ἀποῤῥιψώμεν ἑαυτοὺς εἰς ἀνέλπιστον κατάκρισιν. δεινὸν γάρ ὄντι τὸ μὴ πιστεύειν εἰς μετανοίας ἐλπίδα: *Non desperemus fratres, non abiiciamus nos ipsos in statum desperationis; graue enim scelus non credere spem pœnitentiæ.* Et addit rationem: ὁ μὲν γὰρ τῆς σωτηρίας, ἀφειδῶς προστίθησι τὰ κακά· ὁ δὲ τῆς ἰατρείας ἐλπίσας, εὐμαρῶς τὸ λοιπὸν ἑαυτῷ φείδεται: *Qui non expectat salutem, temere accumulat peccata: at, qui sperat medicinam, facilè sibi temperat.*

9. NEMINEM PVDEAT. ITERATÆ, &c.] Vulgaris hæc est lectio, & bona, & eam sum secutus. Aliqui ita: *Neminem pudeat iteratæ valetudinis, iteranda*, &c. Non hæc displicet, sed vulgarem præfero.

9. VALETVDINIS.] In deteriorem partem vox vsitata Patribus. Cassian. lib. 11. c. 16. *Ita hi quoque verissimi animarum medici emersuras valetudines cordium spirituali collutione, velut quodam cælesti antidoto præuenientes, in iuniorum mentibus non patiuntur adolescere, aperientes eis & caussas imminentium passionum, & remedia sanitatum.* & collat. 5. c. 11. *Ex his enim tribus caussis diuersæ ac pessimæ valetudines animæ procreantur.*

9. SATISFACIAS.] Notantissima vox ad pœnitentiam. Vide in sequenti capite Nota vltima.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Deus ad veniam dandam, & ignoscendum peccatoribus, propensissimus est. & eo consilio Tertullianus hoc caput, ne animus peccanti succidat, ne subruat.

TERTVLLIANVS.

III. 1. ID si dubitas, euolue quæ Spiritus Ecclesiis dicat. Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum, & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incusat: Pergamenos docentes peruersa reprehendit: Laodicenos fidentes diuitiis obiurgat: & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti.

Apoc. 1. 2.

EXPLICATIO.

1. SENTENTIA integra est, malos à Deo reprehendi, inuitarique ad pœnitentiam, & sub comminationibus: quod non faceret, nisi vellet ignoscere. & omnia hæc cum aspectu ad Apocalypsin Ioannis. *Desertam dilectionem*, Apoc. 2. *Quod charitatem tuam primam reliquisti. Stuprum*, &c. ibidem Ioann. *Permittis mulierem Iezabel, fornicari, & manducare de Idolothytis. Sardos*, &c. Apoc. 3. *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Pergamenos*, &c. Apoc. 2. *Habes illic tenentes doctrinam Balaam*, &c. *Laodicenos*, &c. Apocal. 3. *Dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Hæc sunt loca, quæ spectat Tertull. Aduocauit autem locum hunc præ aliis, quia hos omnes hortatur ibi Deus ad pœnitentiam.

112. 2. Dubium, si non & alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Non ait, qui ceciderit, resurget, &, qui auersatus fuerit, inuertetur? Ille est scilicet, ille est, qui misericordiam mauult, quàm sacrificium. Lætantur cæli, & qui illic Angeli. pœnitentia hominis. Heus tu peccator bono animo sis: vides vbi de tuo reditu gaudeatur.

Hier. 8. Oseæ 6. & Matth. 9.

2. *Profusionem.* Expende. Ita est magna Dei misericordia, vt dici etiam *profusio* possit. *Non ait:* pro, *nonne* ait. more suo. *Qui ceciderit*, &c. Hierem. 8. *Nunquid qui cadit, non resurget? & qui auersus est, non reuertetur?* Et nota quòd interpres Latinus *auersus*, Tertull. *auersatus.* In Græco est ἀποστρέφων. *Misericordiam mauult*, &c. Verba sunt Oseæ 6. Quæ etiam habentur Matth. 9. *Lætantur cæli*, &c. Locus Lucæ. 16. *Vbi*, emphaticè. in cœlo scilicet, & ab Angelis.

113. 3. Quid illa similitudinum Dominicarum argumenta nobis volunt? Quòd mulier drachmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gaudium inuitat: nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat & vna pastoris ouicula, sed grex vna charior non erat: vna illa conquiritur, vna pro omnibus desideratur, & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur. multum enim errando laborauerat.

3. *Similitudinum.* Intellige quo fine adducat has parabolas. Posuit suprà cœlos lætantes, deinde Angelos, iam nunc in his parabolis Deum ipsum. *Drachmam.* Expendo hîc quidpiam. Drachma, inquit, est *exemplum restituti peccatoris.* Vide quanti sis apud Deum homo: drachma es, & gemma: se vult Deus tecum ornare, tu tantùm Dei digitis aptandus es, vt gemma: Dei collo, vt pretiosa margarita. Sed hoc non meum. *Sed grex*, &c. Vna illa ouicula par toti gregi in amore pastoris. Probat. Quia vna illa, ac si non esset grex reliquus, conquiritur, &c. Omnia sunt plena ἐμφάσεων, & ad sanctitatem promouendam mira.

114. 4. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium reuocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum, conuiuio gaudium suum exornat. Quid ni? filium enim inuenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet. Tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia rediisti: magísque de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pœniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum: Deliqui, dicens, pater, nec dignus ego iam vocari tuus. Tantum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est: dissimulatio, contumaciæ.

4. *Reuocat.* Subaudi, votis. Nam nulla alia reuocatio quit intelligi, tacente illam Luca. *Præopimum*, quod Lucas, saginatum. *Cariorem*, &c. q. d. Eo carior, quia inuentus. *Acceptum*, cum

aſpectu ad gratiam baptiſmalem, quam acceptam perdidit prodigè peccator. *Nudus* ſcilicet gratia. *Alterius*, cum aſpectu ad filium maiorem natu prodigo. *Compares*, comparationem facias. *Vel offenſum*, etiam offenſum. *Confeſſio*, opponit confeſſionem diſſimulationi: illa proficiſcitur ab homine volente ſatisfacere, iſta à contumaci & peruicaci.

NOTÆ.

114. 1. IDSI DVBITAS, &c.] Cyrillus Alex. Homil. 7. de feſtis Paſch. in primis hominem exhortatur ad pœnitentiam: *Etenim cane dubites, ô quiſquis es, aut in animum inducas futurum, vt ſi ad ipſum pœnitentia ductus acceſſeris, miſericordiam tibi non ita facilè impertiatur.*

1. IMPVTAT.] Hoc vſu Seneca lib. 2. de Benefic. c. 11. *Nam, vt qui quod dedit, imputat, gratiam deſtruit: ita, qui quantum det, oſtendit, munus ſuum non commendat, ſed exprobrat.* Hoc quippe verbum, iam languente Latio, vſurpari ita validè cœpit, vt nullum eo frequentius ſcriptoribus medij æui. Ceſſo ab turba teſtimoniorum.

1. SARDOS.] Aliàs, *Sardios.*

1. SVB COMMINATIONIBVS QVIDEM.] Puto legendum, *& ſub comminationibus quidem.* Itaque deeſt particula *&*, extrita ex colliſione præcedentis verbi *commonet.* Quod frequens Lector Tertulliani poterit animaduertere.

2. NON AIT.] Ita ſuprà cap. 6. *Non enim multi poſtea excidunt?* pro, nonne. & lib. de Exhortat. ad Caſtit. *Non illud dicendum erit?* & ſæpe aliàs.

115. 2. AVERSATVS FVERIT.] Non eſt cur dubitet Pamel. de hac lectione. & qui conſideret vſum participiorum, nihil damnabit. Nulla enim certa regula. Actiua pro paſſiuis, paſſiua pro actiuis capiuntur ſæpe. Exemplum primi ſit Liuius, qui apud Chariſium lib. 2. *Ibi manens ſedeto, donicum videbis me carpento vehentem domum veniſſe.* Id eſt. vectum. Vide Philippum Ruben. lib. 1. c. 4. Elect. Alterius, Lucretius, Virgilius, multi qui *diem voluendam*, pro voluentem ſæpe. Vide me in Æneid. Græci pari licentia in Participiis.

2. QVAM SACRIFICIVM.] Aliàs, quàm *ſacrificia.* & ſunt qui hoc putent ἐμφατικώτερον. Sed non placent.

2. DE SVO REDITV GAVDEATVR.] In nonnullis abeſt *reditu.* & tantùm legitur, *de tuo gaudeatur.* & clamant hoc eſſe Tertullianeum. Sed hæreo Pamelio, qui ita ſuppleuit ex Paciano.

116. 3. ERRAT ET VNA PASTORIS OVICVLA.] Placitum adiungere Nyſſenum in lib. de Pœnitent. Cuius hæc ſunt. βλέπω γὰρ ἐκεῖ ἐν παραβολαῖς, &c. Latinè ſic habet: *Illic enim in parabolis adumbratiſque ſermonibus video centum ouium hominem paſtorem, qui cùm illarum vna à grege diſceſſiſſet & errabunda vagaretur, non manſit cum illis, quæ ſeruantes ordinem paſcebantur, ſed ad eam requirendam profectus, multas valles ſaltúſque ſuperauit, magnos atque arduos montes tranſcendit, in ſolitudinibus peragrando, multo cum labore tamdiu perueſtigauit, donec errantem inuenit. Inuentam autem non verberauit, nec vrgendo vehementiùs ad gregem compulit, ſed humeris ſuis impoſitam, & leniter tractans, ad gregem geſtauit, maiorem ex vna illa inuenta, quàm ex reliquarum multitudine, lætitiam percipiens.*

3. SED GREX VNA CHARIOR NON ERAT.] Apponit Iunius notam interrogationis contra fidem omnium codicum, & euertit ſenſum luculentiſſimum.

A 3. HVMERIS.] Veri & pij paſtoris officium Deo dat, vt etiam Nazianz. Hieronym. Paulinus, Prudentius, quos ego, item profanos alios, iam coniunxi ad 1. Eclog. Virg. Vide ibi, atque etiam Tertullianum ipſum lib. de Patient. c. 12. Turentius dixit in Epiſt. *Decet ouem perditam in humeris ſuis bonum reportare paſtorem.*

3. MVLTVM ENIM ERRANDO LABORAVERAT.] Deſcribit ouem, quam πλανωμένην vocat Ariſtotel. locum iam adduxi ad Georgica, & ἀποπλανωμένην. Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini c. extremo: cum aſpectu enim ad oues ait, de his qui receſſerant ab Eccleſia: οἱ δὲ ἀγελαῖοι ὥσπερ ἐξ ἀποσίας ἐπανιόντες τὴν ἀυτῶν ἀπελάμβανον παιδιὰν, καὶ τὴν μητέρα τὴν ἐκκλησίαν ἐπεγίνωσκον, ἧς ἀποπλανηθέντες χρόνοι συὐφροσύνη καὶ χαρᾷ τὴν εἰς ἑαυτὴν ἐπάνοδον ἐπεδείκνυτο: *Gregatim illi tanquam ex colonia reuertentes ſuam patriam recuperarunt, & Eccleſiam matrem agnouerunt, à qua diu aberrantes cum gaudio & lætitia ad eam rediерunt.* B 117.

4. PRODIGVM.] Vide locum ſimillimum lib. de Patient. c. 12.

4. PRÆOPIMVM.] Corrigunt *præoptimum* fruſtra.

4. QVIA REDIISTI.] Similis locus Auguſtini in libris confeſſionum: *Da mihi te Deus meus, redde te mihi, En amo te, & ſi parum eſt, amem validius; hoc tantùm ſcio, quia malè mihi eſt præter te; non ſolùm extra me, ſed & in me ipſo; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.* 118.

4. POENITEAT EX ANIMO.] Legi poteſt *pœniteat te ex animo*, nam credibile eliſum *te* ex fine præcedentis vocis, & initio ſequentis. Nam talia multa animaduerſa ſæpe in hoc ſcriptore. Cæterùm ad ſententiam pertinet illud Alcuini in pſalmum primum è ſeptem Pœnitentialib. *Valida eſt miſericordiæ precatio, peccati confeſſio: ille miſericordiam Dei inueniet, qui ſe miſerum confitetur.* C

4. CONFESSIO SATISFACTIONIS CONSILIVM EST.] Sæpe Tertullian. meminit *ſatisfactionis* in re pœnitentiæ, vt ſuperiore capite, in iſto, in ſequente, lib. item ad Scap. & locis aliis. meminere etiam & patres alij, & ſæpiſſime. Vt autem vocem hanc intelligas, ſcias eſſe formam verborum, quamcunque tu velis fingere, qua quis ſignificaret aliquid FACTVM NOLLE. & ita directè pertinet ad μετάνοιαν, id eſt, *pœnitere.* Ergo hoc loco, *confeſſio eſt conſilium ſatisfactionis*, quia à volente ſatisfacere procedit confeſſio. Reſtat rem exemplis probemi. In primis forma ipſa apud Terentium eſt Adelph. Act. 2. *Noui ego veſtra hæc*, NOLLEM FACTVM. Apud Plautum Amph. Alcmena vult abire ab ædibus, & deſerere coniugem, niſi ſibi *ſatisfaciat.* Verba eius. B 119.

--- quin ego illum aut deſeram,
Aut ſatisfaciat mihi.

Ergo Iuppiter, qui latebat ſub forma Amphitruonis, ſatisfacit his verbis,

Per dextram tuam te, Alcmena, oro, obſecro,
Da mihi hanc veniam, ignoſce, irata ne ſies.

Fuit iſta veriſſima ſatisfactio, nam qui veniam petit, delictum confitetur. Vnde Alcmena contenta hac

satisfactione mansit in ædibus. Illa apud Tullium pro Ligario optima est satisfactio: *Errauí, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoscas oro: si nemo impetrauit, arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti.* Hæc est satisfactio apud humanos Auctores, apud nostros verò eadem, dum modo verbis addas facta, quibus carent profani. Inde Tertullianus sequenti capite satisfactioni addit actus prosternendi & humilificandi, præterea saccum, cinerem, &c. Et Cyprian. lib. de Lapsi. coniungit, *humilitatem tenere, & Domino satisfacere.* Et August. epist. 54. loquens de publica pœnitentia, notanter ait: *Illius humillimæ pœnitentiæ.* propter actum humilificationis, de qua sequenti capite, & Pacianus epist. 1. ad Sempronium, coniungit *exomologesin* & *gemitus*. Et Eusebius Gallicanus Episcopus de Pœnitent. Ninuitarum: *Secundum hæc valde ad clementiam diuina seueritas inuitatur, quando videt aliquem fœdas peccatorum notas, & veteres maculas intimis animæ visceribus impressas, satisfactionis lacrymis, & pœnitentiæ remediis abluentem.* Itaque tam verba quàm facta continentur in vera exomologesi. Sed hoc sequenti capite. De satisfactione porrò, eo sensu quo ego explicui, videndi & Brisson. de formulis: & Heraldus lib. 2. Digress. c. 4. vbi pluria loca Tertulliani & patrum explicat.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

De exomologesi & publica pœnitentia.

TERTVLLIANVS.

121. 1. HVIVS igitur pœnitentiæ secundæ & vnius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, vt non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.

EXPLICATIO.

1. IGITVR. Redit ad id quod inceptauerat septimo capite: interposuit quidem octauum, exhortans ad pœnitentiam. *Secundæ & vnius.* Publica pœnitentia *secunda* dicitur cum aspectu ad primam baptismi; *vna*, quia semel tantùm & vltimò fiebat. *Quanto in arcto negotium est*, id est, quanto est negotium difficilius, tanto est operosius vt probetur, & in praxin redigatur, & opere expleatur. *Vt non sola conscientia*, &c. Ratio superioris. Cur negotium secundæ pœnitentiæ difficilius est prima pœnitentia baptismi? quia scilicet non præferendum est, exhibendum, administrandum interiore tantùm conscientia, sed requiritur iam actus aliquis exterior. *Is actus*, &c. Ait actum illum exteriorem dici Græcis *exomologesin*, id est, confessionem. Sed Græcam vocem esse & significantiorem, & frequentiorem. *Sed quatenus*, &c. Et quidem cùm in hac publica pœnitentia interueniant multa, quæ postea enumerat, tamen dicta est κατ' ἐξοχὴν *exomologesis* siue *confessio*, quia ab hac vna pendent reliqua; nam ab illa disponitur satisfactio, & nascitur pœnitentia, vnde sequi debet venia peccati.

122. 2. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare: Cæterùm pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ caussa: plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire noctes diésque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere.

2. Explicat latè quæ sint illa quæ sub exomologesi continentur, pendéntque ista à Notis. *Conuersationem*, politiam, modum viuendi, vitæ institutionem, quæ allicit illectátque blandissimè misericordiam Dei. *De ipso quoque habitu*, &c. Duo dicit *habitum*, & *victum*. Ad habitum pertinent saccus, cinis, sordes, &c. ad victum, pastus, potus, &c. *Incubare*, id est, iacere in sacco & cinere. *Obscurare*, amittitur quippe splendor, & nitor corporis sordibus pœnitentiæ. *Mœroribus*, id est, gemitu & sordibus, & hæc est tristis tractatio, & conuersatio misericordiam illiciens. *Illa quæ peccauit.* Locutio est & Græca, & poëtica. Id est, illa iuxta quæ peccauit. *Pura*, id est, sine vllo obsonio. *Ieiuniis preces alere.* Nota acumen. Quæ alit fœmina esse debet cum succo: non sic in negotio spirituali: abstinentia quippe quæ macra & tenuis, altrix est tamen orationis. *Ingemiscere.* Notetur ascensus, primò est gemitus pectoris, hîc gemitus erumpit in lacrymas, & adhuc in mugitus, id est, claros doloris sonos. *Charis Dei*, seruis Dei. *Legationes.* Petit quippe pœnitens à fratribus vt orationibus legati sint ad Deum pro se.

123. 3. Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatore ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: cùm squalidum facit, magis mundatum red-

dit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit. In quantum non peperceris tibi, in tantùm tibi Deus (crede) parcet.

3. *Omnia.* Subaudi, continet. *Commendet.* Nam his rebus spectatior erit & commendabilior pœnitentia. *Honoret.* Sic suprà dixit, timorem Dei esse honorem Dei. *Pronuntians.* Est exomologesis instar iudicis, profértque sententiam, qua mandat corpus affligi, & inde fit vt auertatur indignatio Dei. *Expungat*, absoluat, deleat, aboleat. Sensus est. Exomologesis supplicia æterna non dicam vitat aut cauet frustrato ictu, sed omnino delet, ad eum modum quo debitum omne expungitur facta solutione. *Cùm igitur*, &c. Anacephalæosis capitis totius. *In quantum*, &c. Nam scilicet, qui se ipsum odio prosequitur, habebit Deum amicum.

NOTÆ.

124. 1. SECVNDÆ ET VNIVS.] Est hoc, quod cap. 7. dixit: *Piget secundæ, imò iam vltimæ spei subtexere mentionem.* Satis clarè ait, pœnitentiam publicam, quam exomologesin vocat, semel tantùm fieri, ideo *vltima* & ideo *vna*. Confirmant hanc rem Patrum aliorum oracula. Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 10. *Meritò reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum.* Augustin. epist. 54. ad Macedonium, hoc vt clarum supponit, ita scribens: *Quamuis ergo cautè salubritérque prouisum sit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs vtilis esset agrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minùs contemptibilis fuerit, quis tamen audeat*, &c. Obiicies mihi Canones pœnitentiales, qui circumferuntur, nonnulla item concilia, in quibus assignatur publica pœnitentia illis, qui semel, qui bis, qui ter, &c. peccauerint. Non ergo illa semel tantùm. Respondeo, Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, locutos ex vsu Ecclesiæ. Quin si velis, quam Ambrosius dixit publicam, appella SOLLEMNEM. pœnitentiam, & nullus relinquitur dubitandi locus; nemini enim dubium esse potest, quin Sollemnis pœnitentia semel ageretur in vita. Nam publica quin aliquando repeteretur, dubium non est. Ad quam rem signatissima sunt verba ista Origen. Homil. 15. in c. 25. Leuitici: *In grauioribus enim criminibus semel tantùm, vel rarò pœnitentiæ conceditur locus: ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.* Vbi vides dici non solùm *semel*, sed addi *vel rarò*. Itaque qui dat locum *raritati*, repetitioni dat. Cur autem, Lector, Tertullianus non meminerit in toto hoc opere pœnitentiæ illius, quæ frequentissima in Ecclesia, qua quoties peccatur, toties datur venia per secretam confessionem, ab ipso Tertulliano quære: ego rationem hanc inuenio, quia vox ista *pœnitens* olim vsurpabatur de pœnitente publico; quod firmo à Concilio Toletano primo cap. 2. cuius hæc sunt: *Ex eo verè* POENITENTEM *dicimus, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis* PVBLICAM *pœnitentiam gerens, sub Concilio, diuino fuerit reconciliatus altari.* Quin hodie nos vulgato sermone *pœnitentes* dicimus, qui publicè se flagellis cædunt, qui cruces gestant, & similia.

126. 1. TANTO OPEROSIOR PROBATIO EST.] Notandum, in lib. de Pudicitia, cap. 20. hæc scribi à Tertulliano: *Hoc qui ab Apostolis didicit, & cum Apostolis docuit, numquam mœcho, & fornicatori secundam pœnitentiam promissam ab Apostolis norat.* Quo in loco non negat Tertullianus secundam pœnitentiam, vt impossibilem istis peccatoribus, sed vt difficilem, vt optimè Vasquius Noster Quæstion. 66. art. 9. de sacramento Baptismi. Quod enim ibi impossibilem, hîc vocat operosiorem probationem.

1. PRÆFERATVR.] Alij *proferatur*, alij *perferatur*. Laudo aut *præferatur*, aut *perferatur*.

1. MAGIS GRÆCO VOCABVLO EXPRIMITVR.] Cùm *confessio* Latinis, sit idem quod Græcis *exomologesis*, dubitari potest, cur vox Græca expressior & significantior? Puto non id nasci ex vi vocis, sed ex vi acceptionis. Est enim iam exomologesis accepta in eum sensum, vt non solùm confessionem includat, sed etiam reliqua pœnitentis indicia, quæ postea longè enumerat Tertullianus: quod non contingit confessioni, quæ solùm accepta pro apertione & manifestatione peccatorum. Et adhuc, vt pressiùs loquar, hoc discrimen ad vnum tantùm pertinet Tertullianum: nam Cyprianus aliique patres pro eodem omnino accipiunt exomologesin, & confessionem: sed vnus Tertullianus pro confessione publica, vt distinguitur à secreta confessione criminum. quod hunc locum citans aduocat Fronto Ducæus in Notis ad Chrysostomum de Compunctione cordis.

2. EXOMOLOGESIS PROSTERNENDI ET HVMILIFICANDI HOMINIS DISCIPLINA EST.] Agnosce exomologesin in Fabiola, de qua in eius epitaphio ita Magnus Hieronymus: *Quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso, agere se liberiùs, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios; saccum indueret, & errorem* PVBLICE *fateretur, & tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, & squallidas manus, sordida colla submitteret. Quæ peccata fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant?* Verissimè Hieronymus describit publicam pœnitentiam, id est, exomologesin, id est, eam quæ semel tantùm fiebat: & de qua in toto hoc opere Tertullianus. Est etiam illustre exomologeseos testimonium in Magno Theodosio, cùm interdicta sacra ab Magno Ambrosio. Itaque de eo principe Theodoritus lib. 5. Hist. c. 17. *ταῖς χερσὶν ἀποτίλλων τοὺς τρίχας, ἢ τὸ μέτωπον τύπτων, ἢ ταῖς τῶν δακρύων σταγόσι τὸ δάφος καταῤῥαίνων, συγγνώμης ἰωμένους τυγχάνειν: Capillos manibus lacerans, frontem feriens, lacrymarum guttis irrigans pauimentum, veniam supplex petiuit.* Irenæus lib. 1. cap. 9. de fœmina quadam priùs ab Mago circumuenta: *Cùm esset vxor eius speciosa, & sententia & corpore corrupta esset à Mago isto, & secuta eum esset multo tempore, post deinde cùm magno labore fratres eam conuertissent, omne tempus in exomologesi consummauit.* Libens omitto infinita, quæ adiungi hîc possent. Porro de ordine, quo ista fierent, iam Pamelius in Notis ad Cyp. de Lapsi. Nota. 99. & Heral. lib. 2. Digress. cap. 4.

127.

128.

2. CONVERSATIONEM.] Benedictus Fernandius in Genes. c. 8. sect. 2. legit *conuersionem*. Sed

proculdubio Tertullianus dixit *conuersationem* quam iam explicui.

2. ILLICEM.] Id est, illectantem, à verbo *Lacio* antiquo. ad eum modum quo Lucret. dixit Catellos à canibus *lactari* pedibus, id est, trahi. Plautus Cistell. loquens de vi amoris, *Raptat, retinet, lactat.* id est, illectat trahítque me vel inuitum. Cùm postea ait de *habitu* Deum mandare, facit illud Ruricij Episcop. epistola 31. lib. 2. *Superest, vt nunc conuersionem, quam protulisti in veste, probetis in corde; & hæc commutatio inter indumentum vestrum habeatur, & animum: vt sicut ille sub candidis vestibus habuit huc vsque nigredinem, ita nunc sub pullis vestibus operum luce candescat.* Cùm verò addit de *victu* videatur locus Fausti Epis. Regiens. epist. 1. vbi ponit duo abstinentiæ genera. & primum insigniter facit ad hunc locum. Attingit idem epistola 6. Sed breuiùs.

129. 2. SACCO ET CINERI INCVBARE.] Vtraque nota pœnitentium maxima. De SACCO Cyprianus de Lapsi. *In cilicio & sordibus volutari.* Saluian. lib. 1. contra Auarit. *Cilicio carnes conteret.* Nazianz. c. 1. ἐν σάκκοις ἐρυμνός. Cyrill. Alex in Amos, num. 75. τὸ τῶν πενθούντων ἀναλήψονται ᾄσμα, σάκκον τε φημι, καὶ φαλάκρωμα: *Assument habitum lugentium, saccum dico & caluitium.* & Cyrill. alter Cateches. 2. loquens de Pœnitente Dauid, περιεβάλλετο μὲν σάκκον ἀντὶ πορφύρας: *loco purpuræ saccum induit.* & Constant. Manass. in Annalib. πένθους ἐδύρει σάκκον: *Saccum lugubrem gestabat.* Et saccus proculdubio est *vilis* & *abiecta* illa vestis pœnitentium; cuius meminit Ioannes Chrysostomus Homil. 21. ad Populum: ipse vocat λιτὴν καὶ ἐυτελῆ ἐσθῆτα. Et post pauca, ἐυτελῆ ἱμάτια. De CINERE Saluian. lib. 4. de Gubern. de Dauid, *fletu madidus, cinere sordidatus.* Nazianzenus καὶ κόνις αἰσχύνεται. Chrysost. laudato loco, loquens de fœminis, σποδὸν καταπασάμεναι: *cinerem insPergentes.* & laudato quoque Cyrillus Hierosol. αὐτὸ δὲ χρυσοκολλήτων θρόνων ἐπὶ σποδοῦ καὶ γῆς ὁ βα-
130. σιλεὺς ἐκαθέζετο: *Sedebat Rex in cinere & terra loco aurei throni.* De vtroque simul Metaphrast. in vita Sancti Syluestri, vbi Syluester ita Constantinum baptizandum loquitur: *Oportet ergo te prius ieiunare, ô imperator, & Deum placare lacrymis, quæcunque peccásti, confitentem. Depone ergo purpuram, & diadema, septem diebus, & tuæ regiæ penetrale ingressus, clausis ianuis, in sacco & cinere humi iacens in luctu age pœnitentiam.* Senec. in Troad. de lugentium choro.

Soluite crinem, per colla fluant
Mœsta capilli, tepido Troiæ
Puluere turpes.

Ab Sidon. Paneg. Auiti inducitur Roma.

--- curuato cernua collo
Ora ferens: pendent crines de vertice, tecti
Puluere, non galea; &c.

Hinc apud Græcos vincti educebantur, aspersо puluere capiti, vt de se Cnemon fatetur, quem pater (vt narrat Heliod. lib. 1. Hist. Æthiop.) produxit ad populum τῆς κεφαλῆς κόνιν καταχέαμενον: *Inspersо puluere capiti.* & lib. 4. Charicles prodit κόνιν τῷ τε προσώπου καὶ τῆς κεφαλῆς καταχέαμενος: *facie atque capite cinere sparsis.* Sed de hac dolentium nota iam nos ad Virgilium exemplis aliis aduocatis: in Tertulliano etiam alibi rem tracto, & nouè semper: ea est enim materiæ facunditas, vt vbertim suppetat.

131. 2. INCVBARE.] Explicui *iacere*, secutus Hieronymum, qui ad Marcellam: *Sedere aptum est ociosis, in sacco iacere, pœnitentibus.* Et nota oppositionem. Sedere est otiantis, iacere pœnitentis. Idem Hieronym. ad Paullam: *In cinere volutati, sacco incubant.* Si quis dixerit *incubare sacco & cineri*, dici ad eum modum, quo *incubare auro*, poterit. Vt enim auarus *auro incubat*, metuens ne ab aliquo abripiatur, ita isti præauiditate nimia pœnitentiæ, dicentur *incubare* cineri.

A Feci mentionem in hac nota de auaris, nec grauabor dare partem Homiliæ Maximi Taurinensis Episcopi de Martyribus: qui velit transiliat hanc notam: *Cunctos igitur pene homines agitat auaritia, nullum de his quietum esse permittit. hi enim, qui nihil habent, cupiditate torquentur; illi qui diuitias possident, sollicitudine cruciantur. nec ipsis enim bene est, qui recondito auro incubant, imò ipsis est grauius; semper enim sunt anxij, mœsti, solliciti ne hoc seruus auferat, ne fur effodiat; atque ideo retrudentes illud tenebris ita abscondunt, vt omnium subterfugiat notionem, nihil ex eo proferentes aliquando ad vsum, ne apertio latebrarum sit causa prodendi. Seruant autem illud, & non vtuntur, seruant, inquam. Custodes ergo diverim istos esse, non dominos; & alienum attendere diligenter, non proprium conuenienter expendere.* Legat reliqua qui velit, sunt enim aurea.

B

132. 2. CORPVS SORDIBVS OBSCVRARE.] Nota diligenter trìa membra, videlicet, *Corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare.* Hæc enim omnia reorum erant, & inde ad pœnitentes traducta. In quibus aduerto mirum Tertulliani cautum, qui nunquam inter tot voces huius capitis, quæ pertinent ad pœnitentes, *luctus* meminerit. Quippe luctus est mortuorum, atqui squallor, sordes, & reliqua reorum, & pœnitentium. Signatè Liuius lib. 34. *Quid aliud in luctu quàm purpuram, aut aurum deponunt? quod cùm eluxerunt, sumunt.* Inde Vlpianus notante Ræuard. in Coniectan. c. 20. clarè distinxit: *Vt puta si ad inuidiam alicuius veste lugubri vtitur, aut squallida.* Non hoc cautu Ambros. ad Virg. Lapsam, nam ibi loquens de pœnitente: *Lugubris est accipienda vestis, ac singula*
C *membra digna castigatione punienda.* Cæterùm ad Tertullianum pertinent verba Cypriani de lapsis: *Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam.* Et *mœrores* Tertullianici. Sozomenus lib. 7. c. 16. ἑστῶτι δὲ κατηφεῖς, ἢ οἱονεὶ πενθοῦντες: *Stant autem mœsti, & veluti lugentes.* Præclarè Ambros. ad Virg. Lapsam de hac mœstitia: *Amputentur crines, qui occasionem luxuriæ præbuerunt; defluant oculi lacrymis, qui non simpliciter aspexerunt; pallescat facies, quæ rubuit impudice: denique totum corpus iniuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit.*

133. 2. PASTVM ET POTVM PVRA NOSSE.] Est hoc quod ipse dicit lib. de Patient. c. 13. *Contenta simplici pabulo, puróque aquæ potu.* de cœna pura, ad quam hîc alludit vide me ad primam Eclogam Virgilij, vbi copiosè. Sed aliquid ex Baronio addendum eleganti auctore. Apud Philonem Iudæum opere quod
D scripsit de vita Contemplatiua, hæc leguntur: *Mensa pura est à cruentis dapibus, pro cibo panis apponitur, sal pro obsonio, pro condimento hyssopus.* & Apul. in Asclep. *Hoc optantes conuertimus ad puram, & sine animalibus cœnam.* Hæc est cœna illa, quam idem Tertullianus vocat aduersum Psychic. c. 1. & 9. Xerophagiam, nimirum aridorum ciborum vsum, verba Tertulliani, *Quòd etiam Xerophagias obseruemus, siccantes cibum ab omni carne, & iurulentia, & viridioribus quoque pomis, ne quid vinositatis edamus, vel potemus.* Reliqua vide apud Baron. 1. tom. Annal. pag. 187. Vide etiam Rangolium, in quem incidimus post elaborata ista, locupletantem Tertulliani operam, Comment. lib. 1. Reg. cap. 7. vers. 6.

134. 2. IEIVNIIS PRECES ALERE.] Nota mihi socias duas virtutes, ieiunium & preces. ita verè est. Ad rem itaque Tertulliani mirè os aureum Homil. 3. ad Popul. nam ibi ieiunium dicit esse cooperans ad preces, & veluti vnà cum precibus compugnans, & commilitans. Verba eius: νηστεία σύμμαχον τῆς καλῆς συνεφαπτομένη πρεσβείας: *Ieiunium commilitans cum hac*

pulchra legatione. Vbi per *legationem* intelligit preces, quas ad Deum mittimus. Præcessit quippe, πρεσβευσώμεθα πρὸς τὸν ἄνω βασιλέα μετὰ πολλῶν δακρύων: *Mittamus legationem ad supernum Regem multis cum lacrymis.* Sed de hoc posteà. Eligius epis. etiam coniungit Homilia 3. ieiunium & orationem, vt socias virtutes. De eadem re abundè Pet. Chrysolog. variis in locis. Ruffinus Aquilienſis lib. 3. de vitis Patrum: *Nisi tu ipse laborem assumas in ieiuniis & orationibus & vigiliis multis, cum gemitu deprecans, vt misericordiam suam, & adiutorium suæ gratiæ præbeat tibi Dominus Iesus Christus, vt possis resistere cogitationibus malis.* Cassian. collat. 1. c. 7. *Ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum.* Chronicon Hirsaugiense: *Ieiuniis & orationibus, & maximè oblatione corporis & sanguinis Christi adiuuari possumus & rogamus.* Hinc ego expendo pulcherrimum locum Cyrilli Hierosolymitani Cateches. 3. vbi loquens de Ioanne Baptista ait, ἀκρίδας ἐσθίοντα, καὶ πτερουσθαι τὴν ψυχὴν: *Locustas manducantem, & alas parantem animæ.* Quæ istæ locustæ, nisi cibus adeò tenuis, vt merum sit ieiunium? quæ istæ alæ, nisi ipsissima oratio? En ergo, Lector, alatum ieiunium, alatum scilicet oratione. Sed heus ego, interpres sum & illustrator Tertulliani, non concionator.

135. 2. PRESBYTERIS ADVOLVI.] Cassian. lib. 4. c. 30. *Cunctorum fratrum genibus prouolutus.* Sed ad rem Tertulliani pertinet pœnitentia publica, quam assumpsit Natalius Confessor apud Eusebium lib. 5. Eccles. Hist. c. 27. ὥστε ἔωθεν ἀναστὰς, ἐν ὑσσάμῳ σάκκον, καὶ σποδὸν κατασασάμενον, μετὰ πολλῆς ὀδυνῆς καὶ δακρύων πρὸς πίσιν ζεφυρίνῳ τῷ ἐπισκόπῳ, κυλιόμενον ὑπὸ τοὺς πόδας ἀμόγου τε ἐν τῷ κλήρῳ, ἀλλὰ καὶ τῶν λαϊκῶν· συγχέαι τε τοῖς δάκρυσι τὴν εὐσπλαγχνον ἐκκλησίαν τοῦ ἐλεήμονος Χριστοῦ: *Primo mane sacco indutus, aspersus cinere, cum lacrymis se perquam diligenter ad pedes Zephyrini Episcopi proiecit, neque modò ad cleri, sed ad laïcorum genua prouoluit, ita vt misericordis Christi Ecclesia, illum magnopere commiserata, lamentis vnà se dederit.* Sed & Nicetas Dauid in vita Sancti Ignatij Archiepiscopi Constantinopolitani, vbi describit quosdam ad Ecclesiam redeuntes, sic ait: ἅτοι πάντες ἐν μετανοίαις ὑπεδέδυκότες, καὶ μὴ δακρύων τὴν ἁγίαν σωδόκον πορσπίπτοντες καὶ ὁμολογούμενοι: *Cum pœnitentis animi sensu lacrymisque sedentes, supplices ad sancta synodi pedes procubuerunt, & confessi sunt.* Per hæc porrò verba putat Zacharias Bouerius Demonstratione tertia Generali artic. 17. osculatos pedes Sacerdotum, & talem consuetudinem olim in Ecclesia viguisse tradit Sozomenus l. 7. c. 16. Quin (quod notat Bozius l. 11. c. 8. ex Theodoreto l. 5. c. 21. Hist. Ecclesiast.) huiusmodi homines qui publicè pœnitebant, vinculis constrictos ad Ecclesiam procedere in similitudinem reorum.

136. 2. DEI CHARIS.] Ita legendum, non *aris*, tametsi lectio ista sustineri queat, nam altaribus quoque supplices accidebant. Nazianz. de sorore Gorgonia. τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μὴ τῆς πίστεως: *Procumbit coram altare cum fide.* Et Ambros. epist. 33. ad sororem Marcellinam: *Milites irruentes in altaria osculis, significare pacis insignia.* Et lectionem hanc defendit Stephanus Durantus l. 1. de Rit. Eccles. c. 15. Sed lectio *charis* defenditur auctoritate Eusebij iam adducta, atque etiam eiusdem Ambrosij, qui ad corruptorem Virginis: *Petas vltro carcerem pœnitentiæ, obstringas catenis viscera, animam tuam gemitibus ieiuniisque discrucies, sanctorum petas auxilium, iaceas sub pedibus electorum.* Notauit Heral. l. 2. Digress. c. 4. Cui adiice Nyssenum, qui in libro de Pœnitent. ζήτησον καὶ ἀδελφῶν ἀμοψύχων πάντας βοηθοὺς σοι πρὸς τὴν ἐλευθερίαν: *Fratresque benevolos adhibe, qui simul doleant, adiumentóque sint vt libereris.*

137. 2. LEGATIONES.] Solent quippe legati mitti ab infirmioribus Regibus ad potentiores, deprecationis caussa, id est, causa deprecandæ & auertendæ iræ. Hos ergo legatos & deprecatores, vt diuina ira auertatur, dicit esse fratres, id est, Christianos. & fortasse alludit ad locum Pauli 2. Corinth. 5. *Pro Christo ergo legatione fungimur.* & ad Ephes. 6. *Legatione fungor & catena.* Sic etiam Cyprianus (siue quis ille) in libello de duodecim abusionib. c. 10. ait Episcopum fungi legatione. Et Ioann. Chrysost. Homil. 3. ad Popul. loquens de precibus mittendis ad Deum in cœlum, ait ἡμεῖς ἐντεῦθεν πρεσβευσώμεθα πρὸς τὸν ἄνω βασιλέα: *Nos hinc ad cœlorum Regem mittamus legationem.* Iterum, λιτώμεθα, ἱκετεύωμεν, πρεσβευσώμεθα πρὸς τὸν ἄνω βασιλέα μετὰ πολλῶν δακρύων: *Supplicemus, precemur, ad supernum Regem multis cum lacrymis legationem mittamus.* Et Ignatius Martyr epist. ad Philadelphenses ait, talem eligendum Episcopum, qui εἰς τὸ πρεσβεῦσαι θεῷ πρέσβειαν, *obeat legationem Dei.* In vita Ioannis Eleemosynarij dicitur, *mittens genu flexiones vsque ad Auroram.* Sed & Prudent. Hymno. 1. περιστ. *Audiunt statimque ad aurem Regis æterni ferunt.* & Basilius Imperator in exhortatione ad Leonem filium imperatorem: *Sacerdotes reuerere tanquam spirituales patres, & deprecatores pro nobis apud Deum.* Sed & si placeat profanus auctor, certè Ælianus apud Eustathium in l. 9. Iliad. ἐυχωλὴ, id est, *orationem*, vocat πρέσβυν θεὸν ἀδωρότατον, *legatum incorruptissimum ad Deum.* Si mauis, possis locum istum intelligere, de *legatione libera*, quæ erat apud veteres, cùm hæc mandatur priuatæ rei caussa, quasi nullo tempore vel loco circũscripta, nullis rationibus reddendis obnoxia. Decius Brutus Epist. ad M. Brutum, & Cassium: *Placitum est mihi, vt postularem liberam legationem mihi, reliquisque nostris, vt aliqua caussa proficiscendi honesta quæreretur.* 1,8.

3. VT DE PERICVLI TIMORE.] Delet Maldonatus cap. 16. in Matth. particulam *vt.*

139. 3. RELEVAT.] Sermo proprius Tertulliani, nam l. 2. contra Marcion. *vt daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc nomine releuandi.* iterum. *Confessione releuatos.* Cui opponit verbum *grauor.* Ait enim: *negandi delicti, & hoc nomine grauandi.* Itaque confessio in pœnitentia facit delictum leue, negatio graue.

3. SQVALIDVM.] Hæc vox vsurpata iam ad sordes reorum, & pœnitentium. Saluian. l. 4. de Gubern. de Dauid pœnitente: *Gemens, clausus sacco squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus.* Idem l. 2. de Guber. de eodem Dauid sic inquit: *Agnoscit scilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet: gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur: totum Regem cum ornatibus suis abiicit, prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.*

140. 3. CVM ACCVSAT, EXCVSAT.] Emphaticè. q. d. Longè aliter accidit in Christi foro, quàm in seculari. Pulchrè enim Sidonius epist. 14. l. 4. *Namque vt is, qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur; ita nobiscum, qui eadem Deo fuerit confessus, absoluitur.*

1. IN QVANTVM NON PEPERCERIS, &c.] Nyssenus de Pœnitentia: *Nos autem verbis quidem pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil studij laborisque præstamus, sed eadem viuendi consuetudine vtimur, qua priùs vtebamur, quàm peccata confitendo detestaremur. Eadem in vultu hilaritas, idem in corporis cultu victúque splendor. Somno vsque ad satietatem indulgemus, negotiis & occupationibus animo sedulitatis oblivionem iniicimus, pœnitentiæ nomen inane duntaxat, & nullis expressum factis retinemus.*

CAP. X. ARGVMENTVM.

De his quos pudor à pœnitentia deterret.

TERTVLLIANVS.

1. PLEROSQVE tamen hoc opus vt publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumo, pudoris magis memores, quàm ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.

EXPLICATIO.

1. PVBLICATIONEM. Vox ſignata ad publicam pœnitentiam. *Vexatione*, ægritudine. *Conſcientiam*. Scientiam. nolunt vt ſciant medici.

2. Intolerandum ſcilicet pudori, Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodactæ reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò ſubducens. Ego rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro, cùm ipſe hominem quodammodo exhortatur: Ne me reſpexeris, dicens, pro te mihi melius eſt perire.

2. *Intolerandum*, &c. Ironica oratio. *Prodactæ*. Profuſæ, profligatæ, prodigè & turpiter amiſſæ. *Næ*, id eſt, certè, profectò. & eſt oratio ironica. *Expandens*. Nota oppoſitionem, *expandere frontem, ſubducere. Ego rubori locum non facio*, non admitto ruborem, cùm plus emolumenti ex ruboris detrimento & contemptu acquiro. Vult enim vt rubor deteratur & contemnatur. *Cùm ipſe*, id eſt, quando ipſe rubor, aut quoniam ipſe rubor. Vide Notas. *Ne me reſpexeris*. Ne mei curam habeas.

142. 3. Certè periculum eius tunc, ſi fortè, oneroſum eſt, cùm penes inſultaturos in riſiloquio conſiſtit, vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi proſtrato ſuperſcenditur. Cæ erùm inter fratres atque conſeruos, vbi communis ſpecies, metus, gaudium, dolor, paſſio (quia communis ſpiritus de communi Domino & patre) quid tuos aliud quàm te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum, vt plauſores fugis?

3. *Periculum*, experimentum. *Eius* pudoris. *Si fortè*, id eſt, eſto ſit oneroſum. *Proſtrato ſuperſcenditur*. id eſt, aſcenditur ſuper proſtrato. *Fratres*. Ita ſcilicet communiter dicti Chriſtiani. Vocat verò *fratres*, quia infrà *de communi patre*; deinde *conſeruos*, quia *de communi Domino*. Ait verò *communis ſpecies*, cum reſpectu ad quatuor ſequentes formas, *metum*, *gaudium*, *dolorem*, *paſſionem*. Quippe ſpem ſui cupiditatem nominauit *paſſionem*, quaſi antonomaſticè, vt omnium vehementiſſimam. *Aliud. Quid opinaris tuos aliud* eſſe *quàm te?* q. d. ſi tui ſunt, non à te alieni. *Plauſores*. Vox iſta hîc ſumitur in malam partem. Itaque non ſunt hi fautores, imò irriſores, & exſibilatores. Qui cadunt, vt tu cadis, non tibi irridebunt.

143. 4. Non poteſt corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuerſum, & ad remedium conlaboret, neceſſe eſt. In vno & altero Eccleſia eſt, Eccleſia verò Chriſtus. Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Æquè illi cùm ſuper te lacrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus patrem deprecatur. Facilè impetratur ſemper quod filius poſtulat.

4. *Lætum agere*. Id eſt, lætum viuere. Vel, lætum ſe agere, lætum ſe gerere. *In vno & altero Eccleſia eſt*, in exiguo fratrum grege Eccleſia eſt, *Eccleſia verò Chriſtus*. Quia Chriſtus eſt caput, & nos membra, ac perinde & Chriſtus & membra dicuntur eſſe ipſa Eccleſia. *Æquè*, &c. id eſt, *Æquè patitur Chriſtus*, mouetúrque miſericordia, cùm illi ſuper te lacrymantur, & vnà tecum, miſcentes lacrymas ſuas tuis lacrymis. In fine aduerte in hoc tractu contineri paſſiones duas, quas de præſenti nominamus *gaudium*, & *dolorem*; quáſque in ſuperioribus coniunxit. *Lætum agere*, eſt gaudium; *condoleat*, dolor. Vult ergo pœnitentem iſtis non commouendum, vt communibus ipſi & fratribus.

144. 5. Grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeò ne exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur? At melius eſt damnatum latere, quàm palam abſolui? Miſerum eſt ſic ad exomologeſin peruenire. malo enim ad miſeriam peruenitur: ſed vbi pœnitendum eſt, deſinit miſerum, quia factum eſt ſalutare. Miſerum eſt ſecari, & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate cruciari: Tamen quæ per inſuauitatem medentur, & emolumento curationis offenſam ſui excuſant, & præſentem iniuriam ſuperuenturæ vtilitatis gratia commendant.

5. *Grande*, &c. Oratio ironica, quia nullum *emolumentum*. & cur nullum? quia, etiamsi ignorent homines, non inde ignorabit Deus. Est autem *verecundiæ* in datiuo. *Adeo ne*, &c. Sententia non est facilis, quia esse multiplex potest. Ego ita expedio. Cùm Deus iam sciat, nihil interest sciant homines. Finge peccatorem dicere. Scit iam peccata mea Deus, à quo mihi pudor; nolo vt insuper sciant homines, à quibus etiam erit pudor. Respondet Doctor. Tu ergo comparas Deum cum homine, cùm putes tantum tibi dedecoris prouenire ex notitia humana, quàm ex diuina. Si Deus scit, mi vir, nihil refert sciant homines; nam illi venire in comparationem cum Deo non possunt. Scio alias esse posse explicationes; sed quam adduxi lucu-lentissima est. *Damnatum*, vt damneris, vt inter damnatos in æternum reputeris? *Miserum est*, &c. Vt melius concipias, finge verba hæc esse obiectantis, vt dicat, *Miserum est*, ô Tertulliane, *peruenire ad exomologesin sic*, id est, manifestatis peccatis, & cum publicatione sui, nam *ad miseriam*, id est, ad pœnitentiam, *peruenitur malo*, id est, publicatione. q. d. Per miseriam vnam peruenitur ad miseriam aliam. Respondet. *Sed vbi pœnitendum est*, &c. Responsio est clara. *Desinit miserum*, id est, desinit miseria. *Miserum est secari*, &c. Adducit comparationem negotio aptam. *Et emolumento*. Particulas, *&* *&*, explicatum tum.

NOTÆ.

145. 1. PLEROSQVE TAMEN, &c.] Ad sententiam integram, de his qui tergiuersantur peccata aperire propter verecundiam, legatur Ioann. Chrysost. Homil. 7. ad Populum. Inde hoc tantùm elegi. τῶν ἡμαρτηκόσιν ἔρρηξαν τὸ στόμα, τῆς ἁμαρτίας ἀποφράξαντος τὴν γλῶτταν, καὶ τὸ συνειδὸς αὐτῶν ἐπλάμβανομένου· καὶ μύουσιν ἀχανεῖς οἱ πολλοὶ, ὥσπερ τινὶ δεσμῷ τῇ σιγῇ κατεχόμενοι: *His qui peccauerunt, consutum est os, peccato linguam auertente, & conscientia ipsam cohibente: manentque stupidi, silentio tanquam quodam vinculo coërciti.* Pulcherrima sunt verba Nazianz. orat. 10. καὶ ὅσην εἰσφέρειν ἔδει σπουδὴν μιμεῖσθαι τὸν τρόπον τοῖς διεφθαρμένοις, εἴτε τὴν ἰατρείαν φεύγειν εἰσφερόμενα, καὶ ἐσμὸν αὐδρεῖοι, καὶ κατὰ τῆς ὑγείας ἡμῶν ὀπτήμονες: *Et quantum studium à nobis adhiberi conueniebat, vt morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in nostram perniciem fortes sumus, & aduersus sanitatem nostram periti.* Doceat hos Heliodorus lib. 4. Hist. Æthiopicæ: τροφὴ γὰρ (inquit) νόσων, ἡ σιωπή: *Morborum alimentum silentium est.* & Virgilius 3. Georg.

--- alitur vitium, viuitque tegendo.

146. 1. VT PVBLICATIONEM SVI.] Non possum assentiri Pamelio, qui in lib. Cypriani de Lapsis Nota 98. hunc locum Tertulliani accipit de secreta peccatorum confessione. Non ita est. Nam in exomologesi Tertullianica, id est, in publica illa pœnitentia, quæ semel tantùm fiebat, publicè manifestabantur peccata. Hoc planum efficit locus hic Sozomeni: Καὶ ἀεχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυσι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν: *Ab initio visum Sacerdotibus, vt tanquam in theatro assistente atque attestante Ecclesiæ cœtu, peccata exponerentur.* Et quidem Tertullianus in toto hoc opere nunquam meminit secretæ confessionis: & quamuis hoc conetur Pamelius probare in commentariis ad hunc librum, nunquam probat. Itaque semper Tertull. loquitur de publico pœnitente. Rationem iam attuli ex Concil. Tolet. Nota 1. c. 9.

147. 1. IN PARTIBVS VERECVNDIORIBVS.] Ad hanc verecundiam refero verba Senecæ ad Marcian. c. 22. fortasse non intellecta: *Adiice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum, & totas in viscera manus demittentium, & non simplici dolore pudenda curantium.* Nam in curatione hac duplex dolor, vnus partis laceratæ, alter pudoris, qui dolor viuidior. Et sic quoque viuidior sententia Senecæ, quàm si referas ad neruosas partes illas, & nimis sensiles. De hoc pudore ita idem loquitur epist. 99. *Quædam remedia aliis partibus corporis salutaria, velut fœda & indecora, adhiberi aliis nequeunt: & quod alibi prodesset sine damno verecundiæ, id fit inhonestum loco vulneris.*

2. REFORMARI.] Verbum Scriptoribus Ecclesiasticis frequentissimum. Pet. Rauennas serm. 85. *Donec totum se releuet, & reformet suæ ascensionis in gloriam.* Sidonius epist. 24. lib. 4. *Patrem familias violentiùs ad reformandum debitum arctaret.*

2. NÆ TV VERECVNDIA BONVS.] 148. Huc pertinent verba Plauti Epid. Act. 2. scen. 1.

Plerique homines, quos cùm nihil refert, pudet: vbi pudendum est,
Ibi eos deserit pudor, cùm vsus est vt pudeat.

Certè tam ex sententia, quæ simillima, quàm ex verbulo illo *plerique*, ducor vt putem, Tertullianum, cùm hæc scripsit, habuisse in animo versus istos Plautinos.

2. EXPANDENS FRONTEM, &c.] Est hoc, quod Terent. Adelph. *Exporrigere frontem*, quod Horatius lib. 3. od. 29. *Explicare frontem.* Quod verò Noster *subducens frontem*, Plaut. Prolog. Amphit. *frontem contrahere.* & Bacchid. *frontem consulcare.* Petron. *Constringere.* Martial. *adstringere.* Apul. *striatam gerens frontem.* Sophocl. τὸν νεφοῦντα σκυθρωπὸν: *Vultum caligantem, nebulosum.* Tritum est *adducere frontem.* Notauit Taubm. ad illud Plauti Epid. Act. 5. Scen. 1.

--- illi caperat frons seueritudine.

2. CVM IPSE HOMINEM.] Rescribit La- 149. tinius, *quin ipse hominem*, & amplectitur Iunius. Vterque perperam. Nam *cùm* (vt doctè monuit Heral. ad lib. 7. Arnobij Nota 287.) sæpe idem est, quod *quoniam.* Ita Tert. Apolog. c. 11. *Cùm igitur in omnibus nos aliter disponitis.* Firmat aliis, & profert etiam locum, in quo sum, aítque nihil in eo reformandum. Testimonia alia ad c. 9. Apol.

3. RISILOQVIO.] Discriminat Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 5. inter κιχλισμὸν & καγχασμὸν. vt prior ille sit fœminarum, nec vtcunque, sed meretricum; posterior virorum, nec vtcunque, sed versantium inter nuptias. Nam de illo, πορνικὸς γέλως. de isto, μιμητικώτερος. En ergo, Lector, caussa, cur risiloquium ita grauiter damnetur à Patribus. Ideo Athanas. in vita Antonij: *Nunquam hilaritate nimia resolutus in risum est.* Cassiodor. Institut. Diuin. cap. 23. ita loquitur de Dionysio Exiguo: *Fundebat lacrymas motus compunctione, cùm audiret garrula verba lætitiæ.* Cæterùm, *risiloquio*, vt *multiloquio* vtuntur patres. Paulinus epist. 2. ad Amandum: *An verò magis consulam vtilitati meæ, & ponam ori meo custodiam, vt periculum peccati, quod de multiloquio paratur, effugiam?*

3. METVS, GAVDIVM, DOLOR, 150. PASSIO.] Quatuor passiones attingit, quas aliis diuersis nominibus. Plutarchus de Homeri poëmate ita indigetat, λυπάς τε καὶ χαρὰς, καὶ φόβους, καὶ ἐπιθυμίας. & in opere de virtute morali ita: ἀρετὴν, φευκτὸν, ἡδὺ, ἀλγεινόν. Artemidorus, lib. 1. c. 1. χαίρειν, λυπεῖσθαι, φόβον, ἐλπίδα.

Dio Chryſoſt. orat. 1. λύπας, φόβους, ἡδονὰς, ἐπιθυμίας. Quæ verba ſumpſit ex Platone in Phædone: nam hic etiam, ἡδονῶν, ἐπιθυμιῶν, λυπῶν, φόβων. Philo in opere quòd deterius ſoleat potiori inſidiari, φόβον, ἐλπίδα, λύπην, χαρὰν: iiſdem vocibus vſus eſt Ariſtoteles lib. 1. de Anima c. 4. niſi quòd voci ἐλπίδος, inducit verbum θαῤῥεῖν. Eodem modo Tertull. voci ſpei, ſiue cupiditatis, inducit nomen *Paſſionis*. quod ſit omnium quatuor excellentius, & quidem ſignari has quatuor paſſiones nemini dubium eſſe poteſt. Virg. ſic abſoluit, 6. Æneid.

Hinc metuunt cupiúntque, dolent gaudéntque, &c.

Æmulus eius Horatius epiſt. 6. l. 1.

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuátne.

Itaque *metum* & *paſſionem* pro cupiditate, de futuro: *gaudium* & *dolorem*, de præſenti. Eſt enim nemo qui aliquid faciat, qui non aliqua ex his paſſionibus moueatur vrgeatúrque.

151. 3. CONSORTES CASVVM TVORVM.] Ait Dionyſ. Areop. in epiſt. ad Demophilum, eos, qui alios ad pœnitentiam admittunt, ſcire bene ſe quoque circumdatos infirmitate, εὖ εἰδότας, ὅτι καὶ αὐτοὶ περίκεινται ἀσθένειαν.

4. VNIVS MEMBRI VEXATIONE.] Eadem comparatione Ioannes Chryſoſt. vtitur orat. 2. aduerſus Iudæos, amplificans quo conatu piis hominibus curanda ſint, μέλη σηπόμενα, *membra putreſcentia*, id eſt, membra proximi noſtri, qui in peccato eſt, vbi ait, pro hac re, *Omnem contumeliam ſubeundam, toleranda verbera, moleſtiam perferendam.* & quid aliud vult Tertullianus cùm dicit, caſum fratris plorari ab omnibus fidelibus, & omnes conlaborare?

4. CONDOLEAT VNIVERSVM, ET AD REMEDIVM CONLABORET NECESSE EST.] In epiſt. Alexandri Epiſcopi apud Socratem lib. 1. cap. 3. ſic eſt: *Cùm in ſacris litteris ſit vnum corpus Eccleſiæ Catholicæ nobis traditum, & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum teneamus: conſentaneum eſt, vti per litteras colloquamur inter nos, aliiſque alios mutuò de rebus, quæ apud ſingulos geruntur, certiores faciamus; quo, ſiue vnum ex membris, patitur, ſiue lætatur, nos inter nos, vel patiamur vnà, vel lætemur.*

4. AD FRATRVM GENVA PROTENDIS, &c.] 152. Iſta humilificandi ratio præcipua olim. Ruffinus Aquilienſis in vitis Sanctorum patrum, *Iuuenes ad Macarij pedes ſunt prouoluti, ſe ipſos orationibus illius commendantes.* Vide vt acriter & acerbè Magnus Dionyſius reprehendat Demophilum, qui peccatorem accedentem ad pœnitentiam calce protruſit, & colapho propulit, imprudenti quodam zelo, qui tamen rem illam ad Dionyſium ſcripſit, de zelo ſuo iactabundus. Verba Dionyſij: *Tu autem, vt litteræ tuæ declarant, cum etiam, qui ſe ad Sacerdotem ſubmiſiſſet* (προσπίπτοντα τῷ ἱερεῖ, eſt hoc ſcilicet, quod, *ad genua fratrum protendi*, dixit Tertull.) *impium, vt ais, & peccatorem, haud ſcio quomodo præſens, ipſum ἀπελάκτισας, calce detruſiſti.* & poſt multa ſubiicit hunc in modum: *At tu virum, qui ad lucem etiam aſpirare & contendere incipiebat, colapho capiti infracto, repellis, & cum magno pudore accedentem calce pulſas? quod quidem magno horrore dignum eſt: Chriſtus, qui benignus eſt, in montibus errabundum quærit, & fugientem accerſit, vixque inuentum in humeros imponit. Ne quæſo, ne tam malè de nobis conſulamus, neque in noſmetipſos gladium pellamus.* Volui iſta, etiam ſi pluſcula, vt intelligatur quæ fuerit benignitas patrum in primæua Eccleſia: tam enim ex Dionyſio, quàm ex Tertulliano intelligis, qua miſericordia accipiendi pœnitentes. Inde poſtea Dionyſius, quaſi audiuerit enorme quoddam flagitium, ait: *Cælum hoc obſtupuit, & ego horrui, mihique ipſe non credo: ac niſi litteras tuas legiſſem, quas vtinam non legiſſem, ſcito me nunquam potuiſſe perſuaderi.*

4. ATQVE ILLI SVPER TE LACRYMAS AGVNT.] Cyprian. de Lapſis: *Cum lacrymis noſtris veſtras lacrymas iungite: cum noſtro gemitu veſtros gemitus copulate.*

5. PROINDE ET DEVM CELABIMVS.] Hæc ratio eſt etiam in Ambroſio lib. 3. de Virg. *Noli ergo lapſus occulere tuos, fatere quod ille iam nouit.*

5. MORDACITATE.] Caſſian. Collat. 14. c. 17. *De illis verò, qui in tepore ac negligentia conſtituti, nullo cordis ſui dolore mordentur, ita dicitur: nam qui ſuauis & ſine dolore eſt, in egeſtate erit.*

CAP. XI. ARGVMENTVM.

De his qui corporis incommodis deterrentur à pœnitentia.

TERTVLLIANVS.

153. 1. QVID ſi præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quòd inlotos, quòd ſordulentos, quòd extra lætitiam oportet deuerſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de ieiunio vanitate? Num ergo in Coccino & Tyrio pro delictis ſupplicare nos condecet? Cedo acum crinibus diſtinguendis, & puluerem dentibus elimandis, & biſulcum aliquid ferri, vel æris, vnguibus repaſtinandis, ſi quid ficti nitoris, ſi quid coacti ruboris, in labia aut genas vrgeat; præterea exquirito balneas lætiores hortulani, maritimive receſſus; adiicito ad ſumptum, conquirito altilium enormem ſaginam, defæcato ſenectutem vini. Cùm quis interrogarit, cur animæ largiaris, Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, vt Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi.

EXPLICATIO.

EXPLICATIO.

154. 1. QVID *si præter pudorem*, quod caput est, etiam formident *incommoda corporis*, scilicet quòd incedant illoti, sordidi, extra omnem lætitiam, in sacco & cinere, & in *vanitate* atque inanitate *oris* præ *ieiunio*? *Num ergo*, &c. Quid dicam tibi si ista non placent animæ? an pro peccatis supplicandum est *in Coccino, & Tyrio*? *Cedo acum*, &c. Sume ergo *acum* discriminatoriam, qua distinguas crines; *pluuerem* ad dentifricia, quo elimes & perpolias dentes; ferrum *bisulcum* aut bifurcum æs, scalpellúmque in duas cuspides diuisum, quo vngues repastines, fodias, & refodias; purges, ac cures: præterea quicquid fictum nitorem fucúmque & coactum ruborem illito purpurisso *in labia & genas* vrgendo adducat; deinde *balneas* quære lætas, & hilares, quibus sordes istas & purgamina abluas, aut in horto, aut maritimo secessu: quin adiice assumptis rebus, hæc etiam, quæ maioris sumptus sunt: nã conquirito enormem & deformem ac sine mensura *saginam altilium* inuentis auiariis; bibe etiam vinum repurgatum à fæce in senecture, itavt sit percolatissimum & liquidissimum. *Cùm quis*, &c. Cúmque aliquis *interrogarit*, cur ita hilariter viuas, & *animæ largiaris* tantum voluptatis, respondere poteris: heus tu, *deliqui in Deum, & periclitor in æternum perire*, & hanc ob causam in pœna sum, *& maceror, & excrucior vt Deum mihi reconciliem, quem læsi*. Bella vtique responsio. Totum hoc ironicè dictum.

155. 2. Sed enim illos qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm, verùm & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris cuiuscunque personæ decrescentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comessationibus congreges; sed exules à libertatis & lætitiæ felicitate: idque totum, propter vnius anni volaticum gaudium. Nos quod securium virgarúmve petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? & castigationem victus atque cultus, offenso Domino præstare cessabimus, quæ Gentiles nemine omnino læso sibi irrogant? Hi sunt de quibus scriptura commemorat: Væ illis qui delicta sua velut procero fune nectunt.

2. Quid dicam de illis, qui *magistratus obeunt*? Hi quidem magno ambitu obambulant vt *magistratus* capessant, *neque* eos *pudet pigétve* incommodis animæ & corporis; neq; his solùm, verùm & conuitiis omnibus in hanc vnam rem eniti, vt vota consequãtur sua. *Quas non*, &c. In primis vestitum ignobilem affectant, & desudant; deinde atria frequentant, salutant alios nocturno tempore, & satis crudo & incommodo, ac præposteró; tertiò ad omnem personæ maioris occursum sese demittunt, & veluti decrescunt præ reuerentia; quartò, *nullis conuiuiis* & comessationibus congregantur, sed omnino exules sunt ab omni lætitia. Si quæras, quamobrem id patiantur? dicent tibi, *propter vnius tantùm anni volaticum* & perituri *gaudium*. *Nos quod*, &c. Isti sic laborant propter obtinendos magistratus, nos ea *tolerare* dubitamus *in periculo* animarum nostrarum? & læso Domino à castigatione abstinemus, quam Gentiles *sibi irrogant*, cùm neminem læserint, tantùm obtinere magistratus conentur? Hi sunt Christiani de quibus Scriptura loquitur: (Væ illis qui peccata sua nectunt procero fune, videlicet quia multa & grauia sunt.)

NOTÆ.

156. 1. IN LOTOS.] Cyprianus de Lapsis: *Lamentari eum putamus ex toto corde, ieiuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die, lauacra quotidie cum fœminis celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat?*

1. SORDVLENTOS.] Ioan. Chrysost. Homil. 8. ad Popul. καθάπερ γὰρ οἱ μέλλοντες εἰς δικαστήριον εἰσάγεσθαι, καὶ ἐυθυνὰς τῶν πεπλημμελημένων ὑφέξειν, ἀυχμῶντες, ῥυπῶντες, συγκοὶ, κατεσκυθρωποὶ τοῖς δικάζουσι φαίνονται, ὥστε καὶ ὑπὸ τοῦ σχήματος αὐτοὺς εἰς φιλανθρωπίαν ἐπισπάσασθαι, καὶ ἔλεον, καὶ συγγνώμην, τοὺς δικάζοντας: *Sicut enim in iudicium adducendi, & commissorum pœnas subituri, squalidi, sordentes, tristes, contempti iudicantibus apparent, vt ex habitu ipsos in humanitatem, & veniam, & misericordiam attrahant.*

157. 1. IN ASPERITVDINE SACCI, ET HORRORE CINERIS.] Dicturus sum de hoc ad Tertull. librum de Patientia cap. 13. & dixi in hoc lib. c. 9.

1. IN COCCINO, ET TYRIO.] Notat Rhenanus, *coccinum* intelligi vestem infectam cocco. Mart. enim,

Coccina formosæ donas, & Ianthina mœchæ.

Et *coccum* vulgò vocari *granum*, dum κόκκον reddunt. *Tyrium* verò vestimentum, ex purpura Tyria. Quid.

Siue erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus.

158. 1. ACVM CRINIBVS DISTINGVENDIS.] Discriminalia vocat Cyprian. de Habitu Virg. *Crines* (ait) *& cincinnos, & lunas, & discriminalia, & armillas.* Ambros. lib. 3. de Virgin. *Cincinni calamistris compositi, arte digesti.* Vbi *digero*, quod Noster *distinguo*. Petron. in Satyr.

Nunquid & crines calamistro conuertere?

Propertius:

Quæ mentita suas vertit inepta comas.

Idem Petron. multò antè vocat *acum comatoriam*. Sic enim ait: *Et hinc Psyche acu comatoria cupienti mihi inuocare Quiritium fidem, malas pungebat.* Martialis lib. 2. epig. 66.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu,

Et Ouidius lib.2. Faſtorum,

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurua comas.

Arnob. lib.2. *Nubentium crinem cælibari haſta mulcetis.* Hieronymus ad Nepotianum : *Non ornentur veſte, ſed moribus, nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur.* Et aduerſus Ruffinum : *Linguam veriloquam acu diſcriminali confodiebant.* Et Aldhelm. de Virg.c.8. *Cincinnorum crinibus calamiſtro criſpantibus delicatè componi.* Apuleius lib. 8. de Aſino : *Acu crinali de capite prompta.* Martiano Capellæ dicitur *crinalis ſpica*, & Feſto dicitur *Cnaſon*: ait enim, *Cnaſonas, acus quibus mulieres ſcalpunt caput.* Quem in locum Scaliger : *Duplex eſt acus ornatricum, altera, qua ſcalpunt caput, quæ diſcerniculum dicitur : altera, qua crines figunt & ſuſtinent, quam Græci καλαμίδα, καὶ σύριγγα vocant. Latini etiam aliquando fiſtulam.* Capilla vocat *ſpicum crinale*, quod multis negotium dedit. Eſt tamen qui *acum comatoriam* hinc excludat.

159. 1. PVLVEREM DENTIBVS ELIMANDIS.] Hieronymus ad Sabinianum : *Dentes puluere teris.* Fiebat quippe puluiſculus ex rebus pretioſis, ad dentes tergendos. Rectè autem ait *elimandis*, quia Cælio Aureliano lib.2.c.37.acut. morborum, ſcabrities dentium *limus* dicitur : ait enim : *Collutione oris ex aqua frigida dentium limus detergendus.* Hoc quippe puluere candor dentibus trahitur. Plin.lib.7.cap. 16. *Dentes candorem trahunt quodam medicamine.* Credendum ſanè hoc medicamen eſſe hunc puluerem.

1. REPASTINANDIS.] Vox ruſtica. Cato : *Ego iam à principio in parſimonia atque in duritia omnem adoleſcentiam meam obſtinaui, agro colendo, ſaxis Sabinis, ſilicibus repaſtinandis atque conſerendis.*

160. 1. FICTI NITORIS.] Sollemne eſt Latinis *nitidos* dici occupatos amoribus, ait Taubmannus in Plauti Caſinam. Plautus ibi, *nitoribus nitidis antevenire.* Iterùm : *Qui poſtquam amo Caſinam, magis niteo.* Et Iuuen.

---hilares nitidique vocantur.

Sequitur *vrgeat*, pro qua voce neotericus quidam ſubſtituit vt neceſſarium *vigeat*: quam vocem non ita neceſſariam exiſtimo, in plano præſertim ſenſu, quin efficaci, cùm fucus hic impingatur vrgendo genas.

1. BALNEAS.] Stat.lib.1.Syluar.ad Tiburt. Vopiſci,

An quæ graminea ſuſcepta crepidine fumant
Balnea?

Et in Surrent.Pollij,

Gratia prima loci, gemina teſtudine fumant
Balnea?

Seneca epiſt.90. *Quædam demum noſtra prodiſſe memoria ſcimus, & ſuſpenſuras balneorum, & impreſſis parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor.* In Chalcedonenſi Concilio actione 3. in litteris Magni Athanaſij habetur, olim intra fines Eccleſiæ fuiſſe λαμπρὸν δημόσιον : *publicum balneum.*

1. SAGINAM.] Cyprianus de Lapſis : *Sagina largiore diſtentus*, &c. Adduxi ſuprà.

161. 1. DEFÆCATO VINI SENECTVTEM.] Ait Turnebus lib.11. Aduerſ.cap. 26. Antiquos olim vini ſenectutem defæcare ſolitos, & colo tranſmittere antequam biberent. Et adducit iſtud Tertulliani, in quo ſum. Vetus Gloſſarium : *Defeco, feco, ſacco percolo.* Symmachus epiſt.23.lib.2. *Muſta defæcare.* Inde Scriuerius, Turnebus, Brodæus, legunt verſum Martialis,

Cæcuba ſaccentur, &c.

Quod in vulgatis eſt *ſiccentur*. Malè ergo Barræus vult per *defæcationem* hoc loco intelligi, defrutum, & ſapam concoqui. Et bene Scaliger Feſtum corrigit *oream fæcariam*, quæ vaſa ſunt ad defæcandum, cùm legatur *ficaria*. Horat.lib.1.Od.11. *Vina liques*, id eſt, defæcabis vina.

2. SED ENIM ILLOS QVI AMBITV OBEVNT, &c.] De habitu magiſtratuum ita Cyprianus ad Donatum, quem locum antè paraueram, quàm vidiſſem in Rhenano, & Pamelio : *Qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? quot arrogantium faſtus priùs non pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia ſtipatus clientium cuneis antè præceſſit, vt ipſum etiam ſalutantum comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati? nec enim ecli moribus meruit ille, ſed faſcibus.*

2. NEQVE PVDET.] Vt ambitioni ab Noſtro datur *impudentia*, ita *proſtitutio* datur auaritiæ ab Cyprian. aduerſ. Demetrianum : quaſi vtrunque vitium, cui eſt germanitas, verè meritorium ſit, neque pudoris rationem aliquam, neque honeſtatis habeat. 162.

2. DECRESCENTES.] Minores fiunt, & breuiantur, nam iſta duo ſynonomicè coniungit Cyprian. aduerſ. Demetrianum : *Pauperes vernæ breuiantur in dies ſingulos & decreſcunt.* Arnob.lib.2. *Siſe tibi aliquis adulatoria humilitate ſubmittat.* Idem lib.7. *Tum deinde ſalutet acclinis, ancillæ aut ſeruuli pauibundas trepidationes imitatus.* Et Panegyri Conſtantini (notante Lipſio lib.3. Epiſtol. quæſtionum epiſt. 24.) dicitur, *Demiſſi iacentéſque vix capita ſupra eorum, quos precabantur, genua tollebant.* Et Ammian. ſcribit lib.28. *Salutaſſe Romanos humum pene contingentibus membris.*

2. CONGREGES.] Oppone his *ſegreges*. Sidonius epiſt.12.lib.5. *Hoc tamen ſolum libere gemo, quòd turbine diſſidentium partium ſegreges facti.* Et Prudentius Hamartigenia:

---placitorum ſegrege forma.

Et *ſegregum*. Nam Auſonius carm.9.

Ipſe tuo viuens ſegregus arbitrio.

Vt verò Tertullianus *congreges*, ita Solinus de auibus Diomedis, *Congreges volitant.*

2. VOLATICVM GAVDIVM.] Notat Pamelius iſtud Cypriani epiſt.16. *Eant nunc magiſtratus & Conſules ſiue Proconſules, annuæ dignitatis inſignibus, & duodecim faſcibus gloriantur; ecce dignitas in vobis honoris annui claritate ſignata eſt.* 163.

2. VÆ ILLIS QVI DELICTA SVA VELVT PROCERO FVNE NECTVNT.] Nemo odoratus eſt locum, cùm is ſit Iſaiæ 5. οὐαὶ οἱ σπαταλῶντες ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν ὡς σχοινίῳ μακρῷ. Sed Tertullianus numquam legebat Latinum textum, qui habet: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*, cùm Septuaginta habeant, *Væ illis qui delicta ſua velut longo funi nectunt.* De *funi contemptionis* alia eſt ratio, lege lib.4. aduerſus Marcionem, & libro aduerſ. Iudæos.

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Quòd omnia hæc metus gehennæ æternæ ſuperare debeat.

TERTVLLIANVS.

164. 1. SI de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet: & pœnæ priùs magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites. Quid illum theſaurum ignis æterni æſtimabimus, cùm fumariola quædam eius tales flammarum ictus ſuſcitent, vt proximæ vrbes aut iam nullæ exſtent, aut idem ſibi de die ſperent? Diſiliunt ſuperbiſſimi montes, ignis intrinſecus fœtu. Et quod nobis iudicij perpetuitatem probat, cùm diſiliãt, cùm deuorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis hæc ſupplicia interim montium non iudicij minantis exempla deputabit? quis ſcintillas tales non magni alicuius & inæſtimabilis foci miſſilia quædam & exercitoria iacula conſentiet? Igitur cùm ſcias aduerſus gehennam poſt prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, eſſe adhuc in exomologeſi ſecũda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi?

EXPLICATIO.

1. SI pœnitentiam meditaris, ne fiat oneroſa, ignis incendium ſubinde meditare, quod actus ipſe pœnitentiæ extinguet. Itaque priùs euolue & reuolue tecum magnitudinem pœnæ inferni, & ſic nõ dubitabis te remedium adepturum. *Quid illum*, &c. Qualis theſaurus ignis ſit intus imaginare, cùm videas Veſuuium tales & tam atroces flammarum globos excitantem, itavt aut nullæ ſint vrbes proximæ, aut quin abſumptum eant, quotidie timeãt. *Diſſiliunt*, &c. *Fœtu ignis intrinſecus* eructante *montes diſiliunt ſuperbiſſimi*: & æternitatem pœnæ probant, quia *nunquam finiuntur*, cùm quotidie flammarum incendia exſuſcitent. *Quis hæc*, &c. *Quis* non putabit *hæc montium ſupplicia* eſſe æterni ignis *exempla* comminantis in nos? Quis non conſentiet *ſcintillas* has eſſe magni ignis, & iacula *exercitoria*, id eſt, luſoria' tela? *Igitur cùm*, &c. Cùm igitur ſcias poſt baptiſmum *eſſe adhuc* remedium alterũm *in exomologeſi*, cur tamdiu ab ea ceſſas? &c. *Secunda ſubſidia*, metaphora à re militari.

165. 2. Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas ſibi diuinitus attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare ipſos de ſua chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſin ſciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna reſtituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſquallore exomologeſin operatus, vnguiũ aquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorem leoninum præferente. Prò male tractationis! Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat. Contrà autem Ægyptius Imperator, qui populum Dei aliquando afflictum diu Domino ſuo denegatum perſecutus, in prælium irruit, poſt tot documenta plagarum, diſcidio maris, quod ſoli populo peruium licebat, reuolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim & miniſterium eius exomologeſin abiecerat.

Dan. 4.
Exod. 14.

2. Clara ſunt quæ ſequuntur, in Notis elucidabimus iſtas animantium artes & medelas. *Irreuocabiles moras*, vt expellat morantem ſagittam, quæ reuocari non vult. *Oculare*, infinitum eſt verbi oculo. Itaque *nouit illos oculare*, id eſt, lumen & claritatem dare oculis. *Prò male tractationis!* Exclamatio cum admiratione rei penè intolerabilis, ſiue Tertulliani, ſiue aduerſarij.

166. 3. Quid ergo vltra de iſtis duobus humanæ ſalutis, quaſi Pharis, ſtyli potiùs negotium quàm officium conſcientiæ meæ curans? Peccator enim omnium notarum cùm ſim, nec vlli rei niſi pœnitentiæ natus, non facilè poſſum ſuper illa tacere, quam ipſe quoque & ſtirpis humanæ & offenſæ in Dominum princeps Adam, exomologeſi reſtitutus in paradiſum ſuum, non tacet.

3. *Pharis*, has duas ſalutis Pharos intelligit eſſe Baptiſmum & Pœnitentiam. *Styli*, ſcripturæ potiùs negotium. Quid tandiu inſumo ſcribendo exuberante ſtylo? *Omnium notarum*, ſumit metaphoram à nocentibus ob delicta publica ſtigmate annotatis; & ita omnium delictorum ſe facit reum, & dignum omnium nota & ſtigmate. *Paradiſum ſuum*, vnde fuerat eiectus: & *ſuum* ait ſignatè, quia eò rediit: licèt Tertullianus in hoc erret: ſed vide Notas. Ergo ſententia eſt: Non mirum ſi prolixè ſcribam de *exomologeſi*, cùm Adam per eam reſtitutus prolixè quoque nos exhortetur ad eam ſuo exemplo.

NOTÆ.

167. 1. ADEPTIONE.] Pamelius ex *adoptione* fecit *adeptione*, secutus Harrisium, sed alij *adoptione* reuocant, putántque sic legendum, quia *adoptio* est certo consilio & electione adiunctio facta. Vnde Plautus Cistel. *Sociam te mihi adopto ad meam salutem.* Nihil tamen mutandum censeo.

1. FVMARIOLA.] Rhenanus vult alludi ad Vesuuium montem Campaniæ æstuantem incendiis: adducitque tam illud de Pallio, *ex huiusce modi nubilo & Tuscia Vulsinios pristinos deusta, quo magis de montibus suis Campania speret erepta Pompeios*; quàm illud Apologetici, *sed nec Tuscia iam tunc atque Campania de Christianis querebantur, cùm Vulsinios de cœlo, Pompeios de suo monte profudit ignis.* Hic enim *mons* est Vesuuius, qui in Campania. Vnde Pacianus, quem adducit Pamelius, dixit: *Aestuant indefessis flammarum globis Aetna, & Ianiculus, & Vesuuius Campanus.*

1. SPERENT.] Timeant. Vide lib. de Pallio c. 2.

1. FOETV.] Malui sic cum Latinio, quàm *fœta* cum Rhenano; nam figura Græca, quæ latet, vt dicit, mihi non est persuasibilis.

168. 1. CVM DEVORENTVR.] Quæ ardent, videntur deglutiri, & deuorari: Ioann. Chrysost. Homil. 5. ad Popul. Antioch. ἁμαρτίαν δ' οὐ φοβούμεθα, ὅσῳ ἐστὶν ἡμῶν ῥᾳθυμότερον, καὶ πυρὸς ἄπιστον κατανέμει τὸ σωμάτιον: *Peccatum verò non timemus, quod verè est timendum, & ignis more conscientiã comedit.* Hilarius dixit can. 4. in Matth. *Aeterni ignis pabulum.* Sed & *deuoro* in vsu Patrum est. Euseb. Gallic. Episc. Homil. 1. de Symbolo: *Ne quod incuratum remanserit post aquam Baptismi, deuorandum suscipiat ignis inferni.* Et similia.

1. EXERCITORIA IACVLA.] Hic locus accepit lucem à Lipsio lib. 2. Satur. c. 19. vbi ait ista esse tela *lusoria.* nam Seneca: *Remoue ista tela lusoria, decretorijs opus est.* Et lib. 2. Natural. Quæst. *Illos verò viros altissimos error iste non tenuit, vt putarent Iouem modò leuioribus fulminibus, & lusoriis telis vti.* Vnde inquit *exercitoria tela* appellat Tertull. in lib. de Pœnitentia. Eumenius Rhetor in ea quæ est de instaurandis Mœnianis, ita ait: *Neque enim tanta me aut negligentia, aut confidentia tenet, vt nesciam quanta sit inter hanc aciem fori, & nostra illa secreta studiorum exercitia diuersitas. Ibi armantur ingenia, hîc præliantur: ibi præludio, hîc pugna committitur.* Cætera omitto, vt non necessaria ad Tertullianum. Ouid. 3. de Arte,

Sic vbi præluserit, rudibus puer ille relictis
Spicula de pharetra promit acuta sua.

169. 1. CVR CESSAS AGGREDI, QVOD SCIAS MEDERI TIBI, &c.] Hæc, & sequentia omnia accommodat lib. 7. c. 21. Caussinus Noster ad sensum hieroglyphicum canis vomentis, sub hoc, *venienti occurrere morbo*, depicto cane, qui herbam in maceriis arripit & deuorat, cuius beneficio ventrem exonerat, & pristinæ sanitati restituitur. Cuius rei meminit Ælianus lib. 8. c. 9.

2. CERVVS SAGITTA TRANSFIXVS, &c.] Plinius lib. 8. c. 27. *Dictamnum herbam extrahendis sagittis cerui monstrauere, percussi eo telo, pastúque eius herbæ ejecto.* Et Virg. de Cerua percussa dixit,

---syluas saltúsque peragrat
Dictæos, haret lateri lethalis arundo.

Proculdubio de Cerua loquitur quærente Dictamnũ in Cretæis montibus. Vnde Isidor. cautè subiicit in genere: *Vnde eius pabulo fera percussæ sagittas à corpore inhærentes eiiciunt.* Dixi **hoc**, nam vulgus omne scriptorum dat capris feris id remedium: de quibus vide me ad 12. Æneid.

2. IRREVOCABILES MORAS.] De hamis loquitur, qui sunt in sagittis instar linguæ. Hoc potiùs credo, quàm quæ dicit Iunius, vsum Tertullianũ verbo medicinæ. *Mora* enim ait esse in re chirurgica, partem canalis in quam crus fractum, ex quo deligatum est, cõiicitur. Dicitur autem *mora*, quia moratur crus, femúrque vt collocatum est, detinet, & delabi à iusta ipsius sede non patitur.

2. HIRVNDO SI EXCÆCAVERIT PVLLOS, &c.] Plinius, adducto loco: *Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstrauêre, vexatis pullorum oculis medentes.* Vnde postea *sua* dicit, quia χελιδὼν est *hirundo*, & χελιδόνιον, siue χελιδονία, *hirundinaria.*

2. BABYLONIVM REGEM.] Cyrill. Hieros. Cateches. 2. ἐπεθηριώθη, ἐν τῇ ἐρήμῳ διήτᾶτο, ἐμαστιγοῦτο, ἵνα σωθῇ. εἶχεν ὄνυχας ὡς λέων· ἁρπακτικὸς γὰρ ὢν τὴν ἀγέλην. εἶχε τείχας λεόντων· λέων γὰρ ὢν ἁρπάζων ἐν ὠρυόμενος: *In bestiam transmutatus est, in solitudine degebat, flagellatus est vt seruaretur. Leoninos habebat vngues; raptor enim sanctorum fuerat: Crines quoque leonũ habebat; leo enim rapax erat & rugiens.* Cælius Sedulius Paschalis operis lib. 1. c. 17. *Qui vacordi raptus insania, humanæ pietatis iura despexerat, ferino vixit ritu per syluas, & consortia pecudum sectatus agrestia, aulici delicioſa conuiuij, pastus fœno, potatus fluuio permutauit: quem sub huius deformitatis aspectu hirsutum syluis & montibus septem viderunt tempora peruagatum.* Eandem historiam narrat lib. de Patientia. 170.

2. EXOMOLOGESIN OPERATVS.] Antonius Fernandius legit *Exomologesi inoperatus*: Visione 22. Credo mendum esse typographi.

2. EFFERATIONE.] Hieronymus ad Lætam: *Nabuchodonosor Rex Babylonis post efferationem corporis & cordis, & belluarum in eremo conuictum, mentem excepit humanam.* Paulin. epist. 4. ad Seuerum: *Siquidem Regi Assyrio in solitudinem feritatémque damnato luctuosa concretio capitis intonsi in iubam leonis inhorruerat, vt etiam corporis specie transiret in belluam, qui non solùm à regnis suis, sed etiam à sensibus exulabat humanis, coma tristi leonem, vncis vnguibus vulturem, sensu & pabulo bouem referens, ne vnius tantum belluæ similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in moribus. Intellecto tamen tandem Deo, & sensui reformatus & regno, factus & ipse nobis est in exemplar fidei, vt regnum quod intra nos est, timeamus amittere peccando, & meminerimus repetere pœnitendo.* Egregiè insistit Tertulliano. 171.

2. PRÒ MALE TRACTATIONIS.] Suspicor Tertullianum scripsisse, *maletractationis* dictione vnica, cùm dicat Turneb. lib. 11. c. 20. quæ *mala tractatio* à multis dicitur, eam ab Arnobio *maletractatio* dici vnica dictione lib. 4. aduers. Gent. illis verbis: *& tolerari forsitan hæc maletractatio posset.* Iterum, *immunes tamen à Deorum maletractatione nec sic eſtis.* Apparet autem Arnobium imitatum esse scripta Tertull. apud Rhetoras etiam *maletractatio* dicitur, dictione vnica.

2. QVEM HOMINES PERHORREBANT, DEVS RECIPIEBAT.] Cyrillus Hierosolym. vbi suprà: μὴ πωῦτα, &c. Parco Græcis: Latinè sic habet: *Postea, inquit, ego Nabuchodonosor, oculos meos in cœlum leuaui, et Altissimum deprecatus sum, & viuentem in æternum laudaui & glorificaui. Cùm igitur agnouit Altissimum, vocémque gratias agentes ad Deum emisisset, & deuenit ad eorum, quæ patrauit, pœnitentiam, infirmitatémque suam agnouit, tunc restituit illi Deus regni honorem.* Et in genere dictum est de pœnitentia, Augustino, in lib. de eadem: *Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentẽ vnit ac roborat.* 172.

2. CONTRA AVTEM ÆGYPTIVS IMPERATOR.] Petenda hæc à sacris litteris.

2. MINISTERIVM.] Mihi videtur legi posse *ministram*: sed nihil muto. Paëz in Cant. Mosis Annot.12.tex.3.legit, *ministerium eius exomologesin, id est, confessionem, abiecerat*: quod irrepit ex margine in textum, nisi ipse addidit explicationis gratia, cùm abesse debeat, *id est, confessionem.*

3. DVOBVS.] Iunius legit *duabus*, quia Pharos fœmineum est. Fallitur. Etenim sensus. Quid ego vlteriùs dicam de istis duobus Baptismo & Exomologesi, qui sunt quasi Phari? Itaque non concordant *duobus* & *Pharo*.

173. 3. PHARIS.] Pharus fuit insula ad Nilum obiecta, inde cæteræ speculæ dictæ quoque *Phari*. Cassian. *Sublimissimam pharum* dixit collat. 18. c.1. Fuit enim turris maxima, quam Ptolemæus Rex Ægypti iuxta Alexandriam constituxit, vt noctu in summo eius ignes accensi, nauigantibus prænuntiarent vada: nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habuit. Inde omnes eiusmodi turres alibi exædificatæ *Phari* sunt dictæ, nunc vulgò *Lanternas* vocant. Et hæc est facula illa, quam Nazianz. describit ad Eudoxium Rhetorem: ἔῤῥει τὰ καλὰ, γυμνὰ τὰ κακὰ, πλοῖς ἐν τῇ νυκτὶ, πυρσὸς οὐδαμοῦ: *Bona diffluxere, mala nudè se ostendunt, nauigatio in nocte, facula nusquam.* Aldhelm.de Virginit. *Laudandæ virginitatis sublimitas, quasi præcelsa pharus, in edito rupis promontorio posita, splendescit.* Sic legit Meursius in Mantisa cap 2.

174. 3. PECCATOR.] Ita de se magni Doctores. Hieronym.in vita Hilarionis: *Hieronymi peccatoris memineris.* Magnus Basilius, vt in eius vita refert Amphilochius, *& ego homo sum peccator.* Fulbert.Epis.Carnotens. in sermone contra Iudæos: *Ego verò Fulbertus, qui pono talia, licèt peccator & indignus Episcopus, tamen, quia,* &c. Sanctus Arnulphus de se apud Lisiardum Episcop.Suessonien sem: *Huius peccatoris Arnulphi corpus terra reddatur.* Rabanus Maurus de se in lib. Pœnitentium: *Mei peccatoris memoriam habetote.* Ioann. Eleemosynarius in propria vita, *Et me exiguum & peccatorem.* Idem dixit, *Tantillitas mea.* Zosimus de se in vita Ægyptiacæ: & de se item Fulbertus Epis. Carnotens. *Me pusillum.* Hildegardus, *Sollicitus namque quid tuæ celsitudini meæ paruitati placuisset designare.* Prudent.in Agone Laurentij ad finem se *reum* facit. Hilar. ad Constantium: *Mihi imperito*, & contra Arrianos, *imperitissimo.* Greg. in Præfat. ad Ezechiel. se vocat, & doctrinam suam *aquam despicabilem.* Ambros. lib.2.de Virginit. *Nos qui docere non possumus.* Tale & Hieronym. in Ep. Nepot. *Grandes materias A ingenia parua non sustinent.* Mitto Cyrillum Alex. Homil.2.de fest.Pasch. Chrysostomum epist.2.ad Olympiad. Et Maximum Taurinensem de sanctis Apost. Petro & Paulo.

3. NOTARVM.] Vide vt exposui, vel dici potest *Omnium notarum peccator*, ad eum modum, quo dixit Sueton.in Galba cap.5. *Nam quingenties H S cùm præcipuum inter legatos habuissem, quia notata, non perscripta erat summa.* Vbi *notata summa* est, notis quibusdam & litterarum compendiis perstringere. Igitur ait in me sunt omnes characteres, quibus culpa indicatur. Mitto vinum, in quo sunt notæ aut vini optimi, aut villi pessimi.

3. PRINCEPS ADAM.] Id certum est, nec du- 175.
bitari potest, asserente hoc scriptura, Sapientiæ 10.vbi: *Hæc sapientia illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum cùm solus esset creatus, custodiuit & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Et August. tom. 2. epist.99. *Et de illo quidem* B *primo homine patre generis humani, quòd eum ibidem soluerit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, vndecunque hoc traditum sit.* Sufficiant ista contra Tacianorum & Encratitarum hæreses, & videantur Irenæus, qui eius viri pœnitentiam narrat; & Salianus Noster anno mundi 930. Vbi citat etiam Tertullianum Nostrum, qui bene, & Rupertum, qui de Adam prauè scripsit.

3. IN PARADISVM SVVM.] Iunius tollit *suum.* Non tollo: imò *suum* ait, quia fuit Tertullianus in hoc errore, vt nulla anima cœlum ingressa sit hactenus, sed omnes in paradiso detineantur vsque ad diem iudicij. Vide Apologeticum cap.47. vbi rem tracto.

3. NON TACET.] An alludit ad aliquem lo- 176.
cum scripturæ mihi adhuc ignotum, in quo dicatur Adam adhuc loqui pœnitentiam suam? An verò loquitur ad eum modum, quo Paulus Hebræorum 11.vbi Abel, *defunctus adhuc loquitur.* Quod & Ioann. Chrysost. notauit Homil.18. in Genes. de eodem Abel, *& vsque ad nostra tempora in ore omnium decantatur, prædicatur, & coronatur, vt veritatis primus testis, sicut dicit & beatus Paulus: mortuus, Abel adhuc loquitur.* Ergo vt Abel dicitur adhuc loqui, quia fides eius semper viuit: sic Adam dicitur, non tacere pœnitentiam suam, quia illa semper viuit, & exemplo est mortalibus. Quasi dicat Adam: Qui restitutus sum in paradisum per pœnitentiam, semper loquor pœnitentiam, vt necessariam omni peccanti. Addo etiam, sententiam aliam elici posse, si expendatur quæ idem Tertull.scribit de Adam lib.2.aduers.Marcionem cap.25. sed hoc penes Lectorem esto.

FINIS LIBRI DE POENITENTIA.

DE ORATIONE,

SIVE LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

IN hoc opere perpetuæ ſunt laudes de Oratione; in quo Dominicam præcipuè explicat, & mirè extollit.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Dominicæ Orationis dignitas.

TERTVLLIANVS.

1. *Matth.6. Luc.11. Matth.9.* 1. DEi ſpiritus, & Dei ſermo, & Dei ratio; ſermo rationis, & ratio ſermonis, & ſpiritus: Vtrumque Ieſus Chriſtus Dominus noſter nouis diſcipulis noui teſtamenti nouam orationis formam determinauit.

EXPLICATIO.

1. LOcvs hic videri poſſit difficilis: ſic explico. Siue in recto enuntietur Dei *ſpiritus*, Dei *ſermo*, Dei *ratio*; ſiue in obliquo ſermo *rationis*, ratio *ſermonis*, & *ſpiritus*; hoc vtrumque tam in recto, quàm in obliquo, eſt *Ieſus Chriſtus Dominus noſter*, qui *determinauit* (definiuit, conſtituit) *nouam formam Orationis*, vt ſermo; *nouis diſcipulis*, quos in ſpiritu adlegit; *noui teſtamenti*, quod ſumma ratione condidit abolito antiquo. Non credo inſcitè retuli tres Tertulliani nouitates, ad tres ſuperiores voces.

2. Oportebat enim in hac ſuperiore ſpecie nouum vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagulam nouo aſſui veſtimento.

2. Ratio, cur omnia debuerint eſſe noua *in hac* quoque *ſpecie* & forma orandi. Et ratio petitur à ſimilitudine vini noui condendi in *nouis vtribus*, & nouæ commiſſuræ (hîc vocat *plagulam*) aſſuendæ nouæ veſti.

3. Cæterùm quicquid retro fuerat aut demutatum eſt, vt circumciſio: aut ſuppletum, vt reliqua lex: aut impletum, vt prophetia: aut perfectum, vt fides ipſa.

2. 3. Ratio altera etiam à ſimilitudine, cur modus orandi debuerit eſſe nouus. Nam ſicut quicquid fuit in veteri inſtrumento, nouificatum (ſic dicam) eſt, cur non & oratio ſit noua? Probat illam nouificationem à circumciſione, quæ *mutata*; à reliqua lege, quæ *ſuppleta*; à prophetiis, quæ *impletæ*; à fide ipſa, quæ iam eſt *perfecta*, cùm priùs imperfecta eſſet. Iſta à Notis petenda.

4. Omnia de carnalibus in ſpiritualia renouauit noua Dei gratia, ſuperducto Euangelio expunctore totius retro vetuſtatis. In quo & Dei ſpiritus, & Dei ſermo, & Dei ratio approbatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: ſpiritus, quo valuit; ſermo, quo docuit; ratio, qua venit.

4. Pergit in re eadem. Dicitur Euangelium *expunctor* totius vetuſtatis, id eſt, vel abolitor, abactorque vetuſtatis, quod non ita placet; vel complens, perficiénſque illam, quod ad mentem Tertulliani. *In quo*, &c. Id eſt, in hoc Euangelio Ieſus Chriſtus eſt *approbatus* comprobatúſque eſſe veriſſimè *Dei ſpiritus, Dei ſermo, Dei ratio*. Nam *ſpiritus* eius *valuit* potuitque quicquid voluit; *ſermo docuit* mortales doctrinam cæleſtem; *ratio qua venit* ad docendum nos, fuit ſumma eius miſericordia. Vide an verè comprobatus fuerit.

3. 5. Sic oratio à Chriſto conſtituta ex tribus conſtituta eſt: ex ſermone, quo enuntiatur; ex ſpiritu, quo tantum poteſt, ex ratione, qua docetur.

5. Colligit ex dictis orationem, quam Christus constituit, constitutam à tribus *sermone, spiritu, ratione*. Illud *tantum potest*, est, multum & plurimum potest.

6. Docuerat & Ioannes discipulos suos, adorare, sed omnia Ioannis, Christo
Ioann. 3. præstruebantur, donec ipso aucto (sicut ipse Ioannes prænuntiabat, illum augeri oportere, se verò deminui) totum præministri opus cum ipso spiritu transiret ad Dominum.

6. Posset aliquis obiicere, etiam Ioannes docuit orare *suos discipulos*. Verũ est (inquit) sed *omnia Ioannis, præstruebantur*, id est, præparabantur Christo, ad quem iam auctum omnia transiere. *Adorare* hîc pro orare. Ait *praministri* pro præcursoris. *Cum ipso spiritu*, subaudi docendi. Per hunc *transitum* ne intellige aliquam μετάβασιν, sed desinentiam: nam cessantem Ioannem Baptistam secutus est Christus.

4. 7. Ideo nec extat in quæ verba docuerit Ioannes adorare, quòd terrena cœlestibus cesserint. Qui de terra est, inquit, terrena fatur, & qui de cœlis adest, quæ vidit, ea loquitur. Et quid non cœleste, quod Domini Christi est? vt hæc quoque orandi disciplina.

7. Firmat quæ dixerat de spiritu Ioannis transituro in Christum. Hæreant ad profectum tuum illa verba, *Et quid non cœleste, quod Domini Christi est?* Est *orandi disciplina*, doctrina orandi.

5. 8. Consideremus itaque benedicti cœlestem eius sophiam, in primis de præ-
Matth. 6. cepto secreto adorandi: quo & fidem hominis exigebat, vt Dei omnipotentis & conspectum & auditum sub tectis & in abditis etiam adesse confideret: & modestum fidei desiderabat, vt quem vbique audire & videre fideret, & soli religionem suam offerret.

8. Ait, orationem Dominicam, quam nos Christus docuit, præcessisse duplicem sapientiæ diuinæ gradum. Nam in primis secretò orandum. Explicat, cur hoc Christus iusserit. Nam ita & orantis fides maior, & modestia maior. *Fides*, vt credat, etiam *in abditis* Deum videre & audire: *modestia*, vt illi soli religio offeratur, qui *in abditis* audit & videt. *Modestum fidei*, explica modestum fidelem, constructione Græcanica. Epithetum *omnipotentiæ* non hîc otiosum, nam magna potentia est conspici in tenebris. *Religionem* explica orationem; quippe oratio actus est religionis; inde statim vocat venerationem Dei

6. 9. Sequente sophia in sequenti præcepto proinde pertineat ad fidem & modestiam fidei, si non agmine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem vltro suis prospicere certi sumus.

9. Pergit ad gradum alterum sapientiæ, qui sequitur in eodem præcepto. Dicit quippe Christus ibidem non orandum in multiloquio. Explicátque hunc gradum, sicuti & superiorem, pertinere etiam ad fidem, & ad modestiam fidei. Plæclarè, nam *Fides* est credere, Deum non egere multis verbis, præsertim spontaneum ad miserendum: *modestia*, vt non sit *verborum agmen* ante Deum. Est *proinde* similiter. Dicit verò, *sequente sophia*, id est, prosequente & duce sophia in sequenti præcepto, sequitur enim in euãgelio Matth. *6. Orantes autem nolite multùm loqui*, quæ erit tertia sophia, quam explicans ait, *si non agmine verborum*, &c. Igitur, vt breui complectar, tres sophias colligit ex hoc præcepto Christi; primam, fidem, secundam, modestiam fidei; tertiam, breuitatem orationis.

7. 10. Et tamen breuitas ista, quòd ad tertium sophiæ gradum faciat, magnæ ac beatæ interpretationis substantia fulta est: quantúmque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantùm orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem: sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, vt re vera in oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur.

10. Tertius gradus sapientiæ est iam oratio ipsa Dominica, in cuius breuitate substantia magna, in cuius substrictione sensus multi. Nam in illa non solùm veneratio Dei & petitio hominis, quæ *propria orationis officia*: sed etiam omnis pene Christi disciplina ac doctrina, adeo vt dici queat *Euangelij totius breuiarium*, & compendium, summa.

NOTÆ.

8. PRæmitto verba Hilarij can. 5. in Matth. vbi ait, opus hoc Tertulliani de oratione esse *volumen aptissimum*. Certè breui hoc libello continentur quanta magnis aliorum voluminibus.

1. DEI SPIRITVS.] Nota hoc initio elogia Christi permagnifica. Ambros. 3. de Virg. dixit: *Christus est Dei virtus, Dei sapientia, Dei sanctitas, Dei castitas*. Adeatur locus Gregorij Theologi orat. 1. vbi triginta Christi elogia vno orationis tractu grandia & sublimia. Videatur & liber alterius Gregorij videlicet Nysseni, de perfecta Christiani forma, vbi incipiens à Christi virtute & sapientia, in plurima ele-

gantissimè excurrit. Excursus quoque Athanasij Apolog. aduersus Gentes non longè à fine, ab illis verbis de Christo: ὁ ζωὴ, ὁ σύεσα, ὁ ποιμὼ, ὁ ὁδὸς, ὁ βασιλεὺς, ὁ ἡγεμὼν, &c. Et multa quæ præcedunt. Nota deinde Tertullianum abùti locutione: nam Dei filium vocat *spiritum*, hîc rarò, sed alibi, præsertim lib. aduersus Praxeam sæpissime. Sed hîc excusari potest, nam potest accipere pro Dei virtute; quia infrà ait: *Spiritus quo valuit.* Iterum: *Spiritu, quo tantum potest.* Ad eum modum quo Nyssenus in laude fratris Basilij de fortitudine loquens dixit αὐτοπνοιαν, ab spiratione.

9. 1. DEI SERMO.] Hæc omnia alterius sunt instituti, non huius commentationis. Dabo tantùm notulas. Est *sermo* verbum ipsum diuinum. *Ratio*, intellectio diuina: *sermo rationis*, id est, terminus productus per intellectionem, scilicet verbum: *ratio sermonis & spiritus*, intellectio scilicet paritua producti termini, scilicet verbi, quæ duo re ipsa idem, etiàsi intellectu distinguas. Videatur cap. 5. lib. aduersus Praxeã, vbi latè de *ratione*, & *sermone*. Constantinus Manasses in Annalibus, ὁ τῷ Θεοῦ παντέλειος ἐν παντοκτίσῳ λόγος: *Perfectus ille Dei sermo, rerum opifex omnium.* Greg. Nazianz. carm. 2. in Arcanis,

--- οἶδεν ὁ πατρὸς
Ἐκπρυμὰς μεγάλοιο Θεοῦ λόγος. ἄγχινος υἱὸς,
Εἰκὼν ἀρχετύποιο, φύσις ἠλιτόπους ἴση.
Πατρὸς γὰρ κλέος ἐστὶ παῖς μέγας.
--- à magno pendétque parente
Editus ex illo sermo, qui temporis expers,
Effigiem in sese Patris exprimit vndique, & illi
Par est natura, Deus ingens filius.

10. Inuenio in hoc scriptore concinnitatem. *Sermo* si rigidè capias, significat orationem compositam; vnde iam adnotatum à doctis (tu vide Soarium nostrum) *sermonis* vocem magis accommodari Christo, vt est persona composita, *verbum* autem propriè dici de ipsa persona diuina secundùm se. Inde ergo propriè admodum Tertullianus hoc loco, *sermo Dei*, non *verbum Dei*. Docuit quippe nos orationem Dominicam incarnatus Deus. Hæc distinctio non absimilis illi, quam exhibet Gregor. Nyssenus lib. de perfecta Christiana forma, vbi discriminat inter vnigenitum, & primogenitum, vt prior vox capiatur de verbo, quod ante secula & ab patris sinu, posterior de verbo quod factum caro in tempore materno in sinu.

11. 1. VTRVNQVE.] Non muto explicationem, sed propono aliam. Sunt qui particulam *vtrumque* referant ad id quod immediatè præcessit, *ratio sermonis & spiritus*. Iuxta horum explicationem scribendum erit: *ratio sermonis & spiritus vtrumque, Iesus Christus*, &c. Aliquis possit referre ad verba illa tantùm, *sermo rationis, & ratio sermonis*. Vt dicat, vtrumque hoc tam in recto quàm in obliquo, scilicet Iesus Christus determinauit nouam orationis formam.

1. NOVIS DISCIPVLIS.] Legi vult Iunius *nobis*. non placet. Ludit enim Tertull. in nouitate. Nyssenus dixit serm. 1. de Oratione, τοῖς ἀξίοις μαθηταῖς ἀυτῦ τὸν γνῶσιν τῆς θεοσεβείας ἐκθέσθαι: *dignis se discipulis orandi scientiam exponit.* Scilicet quod Petrus Chrysolog. serm. 38. *Nobis per gratiam innouatis*, cum discrimine ad Iudæos. Ad eum videlicet modum quo Nazianz. orat. 3. εὐσεβεστέροις οἰκήτορσιν: *sanctioribus incolis.* Et Cyrillus Hierosol. cateches. 1. καινῆς διαθήκης μαθηταὶ, καὶ Χριστοῦ μυστηρίων κοινωνοί: *Noui testamenti discipuli, & mysteriorum Christi participes.* Demum huc pertinent verba Prologi Concilij in Trullo, vbi de æuo Christi, καὶ τέλος, γέγονε τὰ πάντα καινά: *& tandem, facta sunt omnia noua.* De hac nouitate videatur & Ambros. serm. 22. Et Arator lib. 1. ab illis.

--- noua vasa liquorem
Susceperè nouum.

A 1. NOVAM FORMAM DETERMINAVIT.] Cum mente Tertulliani abnuentis, formam orandi, à nemine, neque à Ioanne præscriptam (nam res ista Christi erat tantum) faciunt verba Venantij Fortunati lib. de orat. de hac ipsâ re loquentis hunc in modum: *Quis enim tantum secretum mysterij cœlestis hominibus reuelaret, aut hoc* (orationem Dominicam, nam de ea loquitur) *doceret, vel præsumeret, vel sciret? niſi vnigenitus, cui soli in maiestatis plenitudine pater est notus?* 12.

2. NOVVM VINVM NOVIS VTRIBVS RECONDI.] Quasi dicat, nouum vinum vtribus non nouis recõdi non esset aptum. Ad quem modum Ioannes Cassian. collat. 14. c. 14. *Nemo enim in vas fœtidum atque corruptum vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quicquam liquoris infundit.*

2. PLAGVLAM.] Non dubium quin intelligat B ῥάκος: deducto vsu à plagulis, quibus est locus inter vestimenta, & textilia. Lege Turneb. lib. 1. Aduers. cap. 25. & Lexicon Schardij. Liuius etiam lib. 89. coniungit stragulam, plagulas, textilia. Ergo ait Tertull. nouo vestimento intexendam nouam plagulam. Ne sit deformitas illa, quam notat Næuius, cùm ait, *pannum positum in purpura.* Et quam Themistius Euphrada orat. 1. vbi, συῤῥάπτειν πρὸς ἕκαστα λέγει μηδὲν ἐοικότα· οἷα τῶν πρεσβυτέρων τῶν αἱρεσιάρχων συμπεπερόνωται ἐκ ῥακίων νεουργῶν ἅμα καὶ ἐκτετριμμένων: *assuta quæ sunt minimè debet dicere, cuiusmodi mendicorum lacernæ ex pannis nouis ac detritis consutæ sunt.*

3. DEMVTATVM EST, VT CIRCVMCISIO.] Sic multa alia: nam cùm in lege scriptum fuerit, *Maledictus homo, qui non suscitauerit semen in Israel*, tamen nota quæ de voluntario Spadonatu leguntur in Euangelio. Tu lege Prosp. Aquit. lib. de Prædict. 13.

3. SVPPLETVM, VT RELIQVA LEX.] C Cùm *supplere*, sit adiicere quod deest, explicari auctor potest verbis suis. Nam lib. de Patientia lib. 6. loquens de fide Euangelij ait: *Gratiam legi superduceret.* Ergo lex vetus suppletur superinduta gratia, qua carebat. Tale & illud cap. 1. huius operis, vbi ait legem veterem *ampliatam.* Quare? Quia in ea lege habebatur tantùm ratio homicidij. Sed noua lex supplet, & adiicit, quod deerat, nimirum iam nec iram permitti in fratrem, imò ne verbum quidem malum. Hoc sensu dixit Prosper lib. 1. de Promiss. benedictionem factam Abrahæ à Deo esse *suppletam.* Nam cùm Deus illi dixerit, semen eius fore vt stellas cœli, vt arenam maris; neque hoc veritatem habuerit in carnali semine Iudæorum, *suppletus* est, inquit Prosper, *hic infinitus numerus & infinitis hominibus vocatis ad fidem Christi.* Et lib. 2. eiusdem operis eodem planè sensu ait: *Et quæcumque alia ex veteribus signis in nouo suppleta noscuntur.*

D 3. AVT IMPLETVM, VT PROPHETIA.] Prosper Aquit. lib. de Promiss. cap. 1. *Legem non vacuans, sed adimplens.* Cyprian. epist. 2. *Dominus implens quæ erant scripta in lege & prophetis.* Et quidem in genere *plenitudo* à Patribus datur Christo. Ambros. lib. 1. de Virg. *Habemus auctoritatem vetustatis à seculo, plenitudinem professionis à Christo.* Et hoc sensu dixit Hilarius can. 13. in Matth. *plenitudinem temporum destinatorum.* Et Ignatius Martyr epist. ad Smyrnens. loquens de Christo, ἐπληρώθη πᾶσα δικαιοσύνη ἐν αὐτῷ. Et Arator lib. 1. 14.

--- mundóque redempto
Sors melior de clade venit.

3. PERFECTVM, VT FIDES.] Legem veterem elementariam vocat Paulus, eíque dat infirmitatem & egestatem, cap. 4. ad Galat. verba eius: *infirma & egena elementa.* Ergo fides Euangelij, quod rude erat in lege, perfecit; quod infirmum, sanauit; quod 15.

egenum, ditauit. Et quidem Aldhelm. lib. de Virg. c. 11. veteri legi dat *rudem gratiam.* Aliæ esse possunt explicationes textus Tertullianici, sed non insipida, quam adduxi. Adiicio & aliam. Nihil perfectum esse potest absque suo fine: ait verò Paulus ad Rom. 10. *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Fides ergo Euangelij proponit credentibus, quod est perfectum, quia iam cum suo fine. Huc confero Nazianzenum, qui orat. 1. ait, τὸ πνευματικοῦ νόμου τελειωτὴς, καὶ τὸ τέλος ὁ Χριστός: *Spiritualis legis perfector & finis Christus.* Et Zeno Veronens. serm. de Iuda dixit, Christum esse signaculum fidei. Cassianus de Christo collat. 11. c. 13. *Non solum redimere humanum genus, sed etiam præbere venerat perfectionis formam & exempla virtutum.*

16. 4. EXPVNCTORE.] Semper verbum *expungo*, in Tertull. est perficio, adimpleo, compleo. Et hîc similiter. Est enim referendus sermo ad ea quæ dixit de B lege vetere *mutata, suppleta, impleta, perfecta*: hæc ergo omnia *expuncta* dici queunt. Vt verò omnia dicuntur *expuncta*, & *perfecta* in Euangelio, ita Ignat. Martyr, epist. ad Philadelph. πῶς τὰ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ πεπλήρωται.

4. SPIRITVS, QVO VALVIT.] Spiritui datur potestas: inde Matth. 12. Christus ipse: *In spiritu Dei eiicio dæmonia.* Præclarè itaque oratio instituta hîc ab *valente spiritu*, sicut infrà, ab *potente.* Certè Nyssen. serm. 1. de Oratione dat huic virtuti φυλακτήριον, ἰσχὺν, κράτος, ὅπλον. Dicit videlicet esse *præsidium, vires, robur, arma.*

4. SERMO, QVO DOCVIT.] Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædag. c. vlt. πάντα ὁ λόγος καὶ ποιεῖ, καὶ διδάσκει, καὶ παιδαγωγεῖ: *omnia sermo & facit, & docet, & instituit.* Quot paginæ possent compleri?

4. RATIO, QVA VENIT.] Legebatur priùs, *ratio, quo venit.* Mutarunt iam aliqui tam ex coniectura, quàm ex M. S. quos visum sequi. C

17. 5. EX RATIONE, QVA DOCETVR.] Rescribunt ex M. S. *ex ratione, qua suscipitur*, sed nihil muto. Præsertim cùm Plin. dicat lib. 18. c. 34. *Ratione qua doceo.* Potuit enim illi hærere, etiamsi in materia alia: quod sæpè obseruaui.

6. ADORARE.] Mutant M. S. *orare*, nulla necessitate. Nam *adoro* pro *oro* frequentissimum. Arnob. lib. 1. *Deum fuisse contenditis, & superesse adhuc creditis, & quotidianis supplicationibus adoratis.* Apuleius lib. 3. *Accusator quidam senior exsurgit, & populum sic adorat.* Cyprianus de orat. loquens de Christo: *Ipse autem fuit secedens in solitudinem & adorans.* Ibidem loquens de frequentanda oratione: *Hora nulla à Christianis excipitur, quominus frequenter ac semper Deus debeat adorari.* Et iterum: *adoratores Dei.* Ouid. 4. Fast.

D --- *Hetruscas Turnus adorat opes.*

Id est, precatur. Tacitus quoque dixit, *vulgum adorare*, pro, salutare, aut precari. Quin ab hoc verbo oratores ducit Festus. Itaque *adorare* nihil est aliud, quàm *orare ad.*

18. 6. PRÆSTRVEBANTVR.] Hoc sensu Cassian. collat. 9. c. 1. *Virtutes* aliæ orationem *præstruunt.* Scilicet quod suprà dixerat: *ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum.* Locutio sumitur ab ædificiis, illorúmque ornatu.

6. AVGERI.] Vulgatus interpres Ioan. 3. *illum oportet crescere.* Sed aptè Noster ad Græcum, vbi ἐκεῖνον δ' αὐξάνειν. *Illum oportet augeri.* Quod ille, *minui*, hic *deminui*, in Græco ἐλαττοῦσθαι.

6. PRÆMINISTRI OPVS, &c.] Credo hunc aspectatum à Cypriano, qui de oratione Dominica loquens, ait: *Non iam mandans, vt paretur venienti via, sed ipse veniens, & viam nobis aperiens & ostendens.*

8. DE PRÆCEPTO SECRETO ADORANDI.] Intellige mentem Christi iubentis secretò orandum. Non abrogat vsum sanctissimum orandi in publico: nam & Paulus ait in *omni loco* orandum, & id firmatum multis testimoniis sacri eloquij. Et fideles quidem pariter in ecclesiis oramus. Et Ioann. Chrysost. orat. 3. de incomprehens. Dei natura ait: *Fieri non potest vt domi tam bene ores, quàm in Ecclesia.* Itaque redigit ad impossibilitatem. Rationes cur hoc dicat, in eo vide. Sed vult vt inanem gloriam fugiamus in orando. Itaque, qui gloriam tantùm Dei quærens, orat; is orat secretò & in cubiculo: contrà, qui orat in cubiculo, volens tamen vt alij sciant, is certè in plateis orat, & tuba canit. Hæc mens Hilarij, qui canone 5. in Matth. ait admoneri nos *non occulta domus, sed cordis nostri cubiculum ingredi.* Et Ambros. lib. de Institut. Virg. c. 1. Explicans verba ista, *cùm oras, intra in cubiculum tuum*, ait: *cubiculum tuum, interiorum secretum est; cubiculum tuum, conscientia tua est.* Et Anselm. in cap. 14. epist. 1. ad Corinth. *Intra se tacitè oret, & loquatur Deo, qui audit muta ora.* Et Cassiani collat. 9. c. 34. *Intra nostrum cubiculum supplicamus, cùm ab omnium cogitationum sine sollicitudinum strepitu cor nostrum penitus amouentes, secretò quodammodo ac familiariter preces nostras Domino referamus.* Eleganter dixit Petrus Chrysolog. serm. 9. *In plateis & in triuiis suum pietas habet secretum, è contra platea & triuium est cùm secreto facit hypocrita nil secretum.* 19.

8. QVO ET FIDEM HOMINIS EXIGEBAT.] Cyprianus quoque secretam orationem ad fidem refert. Eius verba: *Denique magisterio suo Dominus secretò orare nos præcepit, in abditis & semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis conuenit Fidei, vt sciamus Deum vbique esse præsentem, audire omnes, & videre, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare.* 20.

8. MODESTVM FIDEI.] Corrigunt *modestiam Fidei*, quia statim ad *modestiam.* Sed non est necesse. Cæterùm sententiæ ipsi affinis Cyprian. *Verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus.* Et statim ait: *petitionem commendandam modestè Deo.* Et sup. dixerat: *Sit orantibus sermo & precatio cum disciplina quidem continens & pudorem.* Et adhuc: *Vt impudentis est clamoribus strepere, ita contrà congruit verecundo modestis precibus orare.* Saluian. quoque l. 1. de Gub. *modestiam supplicationis* dixit.

8. RELIGIONEM.] Ab Greg. Nyss. oratio dicitur, ἱερὸν καὶ ἔνθεον ἔργον: *sacrum & diuinum opus.*

9. SEQVENTE SOPHIA.] Legitur à nonnullis 21.
sequens sophia, quæ lectio licèt facilis videatur expediendo Tertulliano, non tamen omittendam censui D lectionem vulgarem. Defenditur itaque lectio illa ex prisca Latinitate *me consule feci, me Prætore audiui:* quæ locutiones obseruatæ iam Brocensi in sua Minerua. Id est, feci hoc ego Consul me consule. Ita Iulius Capitol. in Maximinis: *Litteras Romam se dictante conscriptas.* Talia multa in prisca Latinitate, vt cùm Plautus Amphit. dixit, *Naucratem, quem conuenire volui, in via non erat.* Id est, Naucrates in via non erat, quem Naucratem volui conuenire. Istæ constructiones Hellenicæ sunt. Præterea potest intelligi Christus in *sequente sophia.* Cur autem dixerit *sequente sophia* pro secunda, & pro prima *in primis* defenditur simili loco lib. 1. ad Vxorem cap. 4. vbi: *Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis: sequens de concupiscentia seculi.*

9. PERTINEAT AD FIDEM.] Videatur 22.
dicendum *pertinet.* Sed expedio. Dicit. Volo vt pertineat, quasi alludens ad superius illud, *Dei sermo.* Sic & statim *faciat*, spectans illud *Dei ratio.* Sic & Nyssenus notanter orationem Dominicam attribuit

sermoni Dei, cùm ait, orat. 1. de Oratione, προσευχῆς ἡμῖν διδασκαλίαν ὁ θεῖος ὑφηγεῖται λόγος: *Orandi nobis disciplinam diuinus sermo tradit.* Etenim consequens vt sermonem orandi ad Deum tradat ipse Dei sermo.

9. ET MODESTIAM FIDEI.] Id est, ad modestiam fidelium. Cassian. collat. 8. cap. 3. *Inter domesticos fidei*, id est, inter domesticos fideles, seu Christianos.

9. AGMINE VERBORVM.] Πολυλογίαν vocat Matth. c. 6. & etiam βαττολογίαν. ait enim, μὴ βαττολογήσητε. Cur autem battologiæ verbo vsus sit Matth. latè explicat Gregorius Nyssenus serm. 1. de Oratione. Hoc *verborum agmen* expressit Cyprian. dicens, *Ventilare preces, & tumultuosa loquacitate iactare.* Alludit ad Ventilatores & iactatores armorum. Et statim ait: *Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt.* Hanc blaterationem καταφλυαρῆσαι vocat Cyrillus Alexandrinus in cap. 3. Amos.

23. 10. BREVIARIVM.] Sueton. August. cap. vlt. *Breuiarium totius Imperij.* Plinius lib. 18. c. 26. *Omnis culturæ breuiarium.* Et lib. 7. c. 26. *Hoc est breuiarium* A *eius ab oriente.* Cassian. lib. 4. c. 43. *Breuiarium colligam.* Quod voce hac Tertullianus, Cyprianus per *compendium*, cùm scripserit in hac oratione magna latere *sacramenta*, & multa *breuiter* esse *collecta*, adeo *vt nihil omnino prætermissum sit quod non in precibus atque orationibus nostris cœlestis doctrinæ compendio comprehendatur.* Iterum de eadem oratione: *Præceptorum suorum fecit grande compendium.* Sed & ad *breuiarium* Tertulliani allusit scribens: *Magisterio suo omnem pacem nostram salutari sermone breuiauit.* Ambros. l. de institut. Virg. c. 2. *Dominica oratio omnia comprehendit.* Quod isti *breuiarium*, & *compendium*, Cassianus collat. 9. c. 23. dixit *formam* & *modulum*, loquens de hac ipsa oratione Dominica. Et c. 24. dixit hanc orationem *perfectionis plenitudinem continere.* Et cap. 1. in virtute orationis, reliquas omnes virtutes esse *colligatas atque compactas.* Notes obiter quod Plinio, Suetonio, aliis dicitur *Breuiarium*, eidem Suetonio August. cap. 28. dici *Rationarium.* Et Vopisco in Aureliano, non breuiarium, sed *breue.*

CAP. II. ARGVMENTVM.

Habet nomen Patris in oratione Dominica testimonium Dei, & meritum Fidei.

TERTVLLIANVS.

24. 1. INcipit à testimonio Dei, & merito fidei, cùm dicimus, *Pater, qui in cœlis es.*

EXPLICATIO.

1. CAput hoc breue, ita difficile. Nam nisi annectas videbitur dissolutum, vt sunt scopæ. Illud ego assuam diligentissimè. Duo ponit pro fundamento, videlicet hoc verbo includi & *testimonium Dei*, & *fidei meritum.* Dixi (hoc verbo,) nam Tertullianus commentariolo huius capituli tantùm explicat vocem *pater*, non illa, *qui in cœlis es*: tametsi consequenter dici possint ista explicari: nam de cœlesti patre, non de alio loquitur, vt apparet ex versu 3. huius capitis.

25. 2. Nam & Deum oramus, & fidem commendamus, cuius meritum est hæc appellatio. Scriptum est, qui in eum crediderint, dedit eis potestatem, vt filij Dei vocentur.

Ioann. 1. *Matth.* 6. 7. 10. 12. 21. *Matth.* 23.

2. Incipit à merito fidei, quod secundo loco proposuit, & breuiter expedit, consumpturus reliquum caput in testimonio Dei. Ergo ait: Hoc verbo *Pater*, includitur *fidei meritum.* Probat ita: *Nam & Deum oramus*, &c. Id est: Nam eo ipso quòd *Deum oramus, fidem commendamus*, quæ Dei Patris appellatio est *meritum* fidei. Id est: Fides nostra habet hoc meritum, hanc mercedem, hoc præmium, vt Deum appellet *Patrem.* Clariùs. Datur tanta appellatio merenti Fidei. Probat testimonio Ioannis, qui de credentibus dixit, *Dedit eis potestatem, vt filij Dei vocentur.* Quæ maior merces, quàm potestas ista? Vide an iam Fides nostra sit commendatissima?

3. Quàm frequentissimè Dominus patrem nobis pronuntiauit Deum. Imò & præcepit, ne quem in terris Patrem vocemus, nisi quem habemus in cœlis. Itaque sic adorantes etiam præceptum obimus.

3. Pergit iam ad demonstrandum, hoc verbo, *Pater*, testimonium dari à nobis quòd ipse pater sit verissimus Deus. Quod ergo hoc testimonium? Nam sic orantes eo ipso præceptum obimus, quo iubemur debere à nobis dici *patrem Deum*, imò nullum alium nisi hunc: quod præceptum sæpè nobis inculcatum. Itaque positum est testimonium hoc in adimplendo præcepto. Est *itaque*, & ita. *Adorantes*, orantes, vt habitum ex superiore capite.

26. 4. Felices qui patrem agnoscunt. Hoc est quod Israëli exprobratur, quod cœlum ac terram spiritus contestatur: Filios, dicens, genui, & illi me non agnouerunt.

Isai. 1.

4. Sequitur hoc ex superiori. Qui Deum patrem dicunt, eo ipso illum agnoscunt, quæ magna est felicitas. Probat hanc felicitatem à contrario: nam probrum fuit Israëli Deum non cognouisse, vt liquidum ex querela Dei apud Isaiam. *Spiritus contestatur cœlum*, &c. Id est, sistit testes cœlum ac terram.

5. Dicendo autem patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis est.

5. Iam hîc directè respondet initio capitis. Dixerat hac voce *pater* dari à nobis testimonium Dei. Vide an hoc verum, nam qui *patrem* dicit, eo ipso *cognominat*, id est, contestificatur esse Deum. Nam pater cœlestis nullus nisi Deus. Inde colligit optimè appellationem istam *Pater*, esse *et pietatis, & potestatis*: pietatis, quia Pater; potestatis, quia Deus.

Ioann. 10. 6. Item in Patre Filius inuocatur: Ego enim, inquit, & Pater vnum sumus.

6. Addit testimonium quoque dari filij, quia *patrem* cùm dicis, *filium* quoque inuocas, quod probat ex Ioannis 10. cap. Vide an verissimè testimonium Dei includatur in hac voce *Pater*, cùm filius quoque inuocetur, qui Deus.

27. 7. Ne mater quidem Ecclesia præteritur, si quidem in filio & patre mater recognoscitur, de qua constat & patris & filij nomen.

7. Procedit iam hoc ex redundantia, & præter institutum capitis, licèt non contra illud. Scias autem hoc loci variari appellationem, vt loquuntur Dialectici. Nam versiculo sexto *filium* accepit de naturali Dei filio Christo: hîc iam accipit de filio fideli & adoptiuo. Ait ergo: Hoc verbo *Pater* tacitè quoque iniici memoriam matris Ecclesiæ. Nam videlicet cùm Deum appellamus *Patrem*, eo ipso nos filios esse eius contestamur: inde & matris Ecclesiæ meminimus, sine qua neque Deus nobis est pater, neque nos sumus Dei filij. Ita explicat Herald. lib. 2. Digress. c. 2. locum istum, qui omnino fugit Iunium, vt liquidum ex eius interpretamento.

8. Vno igitur genere aut vocabulo & Deum cum suis honoramus, & præcepti meminimus, & oblitos patris denotamus.

8. En summa non totius capitis, sed tantùm eorum quæ pertinent ad testimonium Dei. Ait ergo hac vnica voce *Pater*, honorari Deum *cum suis*, id est, cum filio, cum Spiritu sancto, cum matre Ecclesia: deinde obiri præceptum de nemine vocando patre, nisi cœlesti: tertiò, hoc ipso denotari (sumitur hîc in malam partem) à nobis Iudæos; nam qui filium non cognouerunt, certè neque patrem. Et *oblitos* ait, quasi affectanter oblitos, nam si voluissent scrutari scripturas, scirent Christum esse filium Dei, ac perinde noscerent Deum patrem.

NOTÆ.

28. 3. QVAM FREQVENTISSIME.] Vulgò legitur, *quamquam frequentissimè*, mutaui in *quam*, ne hiulca sit oratio, vel multa sint subaudienda. Dici fortasse posset legendum, *Quámque*, id est, & quam frequentissimè. Facilis enim lapsus fuit ex *quamque* in quamquã. Quod vulnus passus quoque est August. lib. vlt. de Ciuit. cap. vlt. vbi corruptus locus. repræsentabo integrum & corrigam. In vulgatis ita legitur: *Beata ciuitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit, sicut nunc non inuident Archangelis Angeli cæteri: tanquam nolit esse vnus quisque quod non accepit, quamuis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus, quàm neque in corpore vult oculus esse, qui est digitus*, &c. Legendum proculdubio est *tamque nolit esse*, vt dicat. Et tam nolit Angelus esse Archangelus, quàm nec digitus velit esse oculus. Est & fortasse error alius, nam vbi legitur, *quamuis sit pacatissimo*, credo legendum, *cùm is sit*, &c. Non piguit obiter correxisse verba Augustini.

29. 4. FELICES.] Nam felicitas patris tota redundat in filium, inde fit vt qui patrem suum non agnoscunt, hoc ipso infelices sint, quia non habeant vnde in eos deriuetur felicitas.

4. FILIOS GENVI.] Locum hunc & ad rem eandem aduocat Cyprianus lib. de Orat.

5. DICENDO AVTEM PATREM, &c.] Cùm mens Tertull. toto hoc cursu sit pendere ab hac voce Dei cognitionem, non incongruè huc conferam Gregorium Nyssenum, qui serm. 2. de orat. Dominica, hæc eadem verba explicans, ait, Deum hoc verbo dare nobis, ἄφραστον δόξαν καταπέμπειν, *gloriam inenarrabilem conspiciendam*. Iterum de Christiano ait, ὡσεὶ πρὸς σωτῆρα τῆς ἀφράστου δόξης χειραγωγούμενος: *ad intellectum inenarrabilis gloriæ manu ductus*. Nam verè vox ista *Pater* ducit nos manu ad Dei cognitionem. Inde ego expendo illud Prodigi, *Ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cœlum & coram te*. Qui enim A præmisit, *Ibo ad patrem meum*, perinde putauit posse sic iam tutò dicere, *peccaui*, &c. Ita verè est, qui Deum agnoscit esse patrem, cognoscit perinde eius naturam procliuem ad misericordiam, & cui tutò possit peccata sua aperire.

6. IN PATRE INVOCATVR FILIVS.] Marcellinus Papa epist. 1. *Sacrificium, quod à Christianis sacris altaribus admouetur, non solùm Deo Patri, sed etiam Filio communi deuotione offertur; quoniam nec Patri sine Filio potest offerri, neque Filio sine Patre sacrari.*

7. NE MATER QVIDEM ECCLESIA PRÆTERITVR.] Vide vt explicui, neque enim ait inuocandam quoque Ecclesiam, quod indicat quidam interpres, sed tantùm ad mentionem Patris, & filiorum iniici quoque tacitam mentionem matris, ad eum modum, quo Greg. Nyssen. serm. 2. de orat. loquens de hac ipsa oratione Dominica ait, διδάσκων ὁ Κύριος τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπομιμνῆσκειν πατέρα, μνήμην σοι ποιεῖσθαι τῆς ἀγαθῆς πατρίδος: *Videtur mihi Dominus docens patrem inuocare, reddere tibi in memoriam cœlestem patriam*. Et suprà dixerat, παῦτα γὰρ ὑπομιμνήσκει ἡμᾶς ἐμπειρεῖ τῆς τε πατρίδος ἧς ἐκπεπώκαμεν, καὶ τῆς εὐγενείας ἧς ἀπελίθημεν: *Hæc enim & patriæ ex qua exeidimus, & cognationis quam amisimus recordationem nobis ingenerant*. Sic itaque ait Tertull. *mater recognoscitur*, neque est, cur in eo quidpiam absonum intelligamus. Neque verò dubium, quin hoc versu septimo loquatur de filiis adoptiuis, quod necessarium ex mentione matris Ecclesiæ. Et quidem locus simillimus est Lucij PP. in epist. Decretali ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ, vbi ait: *Pater ergo noster sine dubio Deus est, qui nos creauit, & mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter generauit*. Et Cyprian. de Vnitate Ecclesiæ st. scriptum reliquit: *Illum non posse Deum habere Patrem, qui non vult Ecclesiam habere matrem*. Et Ecclesiã quidem *regenerationis matrem*. Vt ait Euseb. Gallic. Epis. Hom. altera de symbolo. Vide & Basiliũ

Imperatorem in exhortatione ad Leonem filium Philosophum, intérque alia, hæc : *Summo honore prosequere natam tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu sancto lactauit.*

31. 8. ET OBLITOS PATRIS DENOTAMVS.] Dixi Iudæos notari, ductus verbis Cypriani; qui lib. de orat. ita ad ductum Tertulliani : *Nec hoc solùm, fratres dilectissimi, animaduertere & intelligere debemus, quod appellemus patrem qui sit in cœlis : sed coniungimus & dicimus Pater noster, id est, eorum qui credunt, eorum qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis natiuitate reparati, filij Dei esse cœperunt. Quæ vox Iudæos etiam perstringit & percutit* (en denotationem Tertulliani) *Qui Christum sibi per Prophetas annuntiatum, & ad se priùs missum, non tantùm infideliter spreuerunt, sed & crudeliter necauerunt.* Videtur etiam mihi Venantius Fortunatus lib. de orat. eosdem pertingere; cùm loquens de hac ipsa re ait : *Quòd si recalcitrauerit frater, proiectus contumaciter de possessione discedit, nec aliqua iam fronte hæreditatem repetit, A quam admissi culpa damnauit.* Et suprà dixerat: *In hac confessione* (id est, vocantes Deum *Patris* nomine) *& Deum veneramur, & mandata sequimur, & fidem nostram exponimus, & eos qui Patrem in cœlis denegant, refutamus.* Itaque *denotatio* Tertulliani, *perstrictio*, & *percussio* Cypriani ; *discessio à possessione*, & *refutatio* Venantij, idem sunt. Præclarè Augustinus Concione 20. in Psal. 118. *Prima tempora Ecclesiæ ante virginis partum sanctos habuisse, qui desiderarent incarnationis Christi aduentum : ista verò tempora, ex quo ascendit in cœlum, sanctos habere, qui desiderent eius manifestationem ad viuos & mortuos iudicandos : quare petimus quotidie, Adueniat regnum tuum.*

8. DENOTAMVS.] In malam partem, vt sæpè aliàs. Hincmarus Archiepis. Remens. ad Nicolaum PP. *crimine proprio denotati.* Inde in epist. synodi Tricassinæ ad Nicolaum PP. opponuntur *iustificatio* & *denotatio*, verbis istis : *Quædam minùs cautè in Imperatoris iustificatione, & in sua denotatione pronuntiauit.*

CAP. III. ARGVMENTVM.

Explicatur, quid sit, Sanctificetur nomen tuum.

TERTVLLIANVS.

32. 1. NOMEN Dei Patris nemini proditum fuerat : etiam qui de ipso interrogauerat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis reuelatum est in filio. Iam enim filius nouum Patris nomen est. Et apertiùs, *Nomen tuum manifestaui hominibus.* Id ergo vt sanctificetur, postulamus.

Genes. 32. *Exod.* 3. *Matth.* 11. *Ioann.* 17. *Psal.* 34.

EXPLICATIO.

33. 1. ANnectenda sententia cum superiore capite, vbi dixerat hoc *Patris* nomine includi cognitionem Dei. Ergo ait, *Nomen Patris nemini proditum* in veteri instrumento, imò occultatum : nam Moysi 3. Exod. roganti, *Si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis ?* Responsum est, *Ego sum qui sum.* Itaque *aliud nomen* audiuit non *Patris* nomen. Ergo hoc nomen occultatum, *Nobis reuelatum est in filio.* Quare reuelatum ? Quia *iam filius nouum patris nomen est.* Quasi dicat : Cùm sciamus iam esse Dei *filium*, fit perinde, vt sciamus esse *Patrem* eius, nam filius non absque patre. Subiicit. Sed quid opus hac coniectura, *apertius* est testimonium, nam filius ipse, *Nomen tuum manifestaui hominibus.* Hoc ergo nomen, quod occultatum primùm, quod manifestatum deinde, *postulamus, vt sanctificetur.*

34. 2. Non quòd deceat homines Deo bene optare, quasi sit & aliud de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus. Planè benedici Deum omni tempore ac loco condecet ob debitam semper memoriam beneficiorum eius ab omni homine. Sed & hoc benedictionis vice fungitur.

2. Sententia est, non esse decorum optari ab hominibus bonũ, *quasi sit bonum aliud* præter illum, aut *quasi laboret nisi optemus.* Etenim quod bonum tu optabis includenti omnia bona, imò ei, qui verè est ipsum bonum ? Inde colligit tantùm optari, vt Deus *omni tempore ac loco* benedicatur à nobis colentibus grata memoria beneficia eius : atqui (nam hoc est *sed &*) hæc verba *sanctificetur nomen tuum* obtinent *vicem* huius *benedictionis.* Hoc autem non solùm decentissimum, sed etiam *condecentissimum.*

35. 3. Cæterùm quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cùm cæteros sanctificet ex semetipso ? Cui illa Angelorum circumstantia non cesset dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Proinde igitur & nos Angelorum, si meruerimus, candidati iam hinc cœlestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis edisci mus. Hoc quantum ad gloriam Dei.

Isai. 6. & *Apoc.* 4.

3. Quid mirum iubeamur sanctificare, id est, benedicere nomen illud ? nam quando illud non sanctum, & sanctificatum, imò & cæteros sanctificans ? Illum certè Angeli ter sanctum appellitant ad significandum cumulum & sanctificati in se, & sanctificantis ex se omnia. Igitur iam hinc *discimus vocem & officium Angelorum*, quorum *candidati* sumus, si tantum bonum consequi mereamur. Et *proinde* perinde, vt sæpè aliàs. Absoluit, *Hoc quantum ad gloriam* : nam dicturus aliam explicationem.

36. 4. Alioquin quantum ad nostram petitionem, cùm dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, id petimus, vt sanctificetur in nobis, qui in illo sumus : simul & in

cæteris

cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat; vt & hinc præcepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris. Ideoque suspensa enuntiatione non dicentes, Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.

4. Subiicitur alia explicatio. Petimus (ait) his verbis etiam vt *nomen* eius *sanctificetur* tam *in nobis*, qui iam sumus in Ecclesia; quàm in illis, quos iam Deus *expectat*. Sequitur, vt hinc etiam *pareamus* Dei *præcepto* iubentis orare etiam *pro inimicis*, id est, pro illis, qui nondum sunt in Ecclesia. Et ideo non dicimus *sanctificetur nomen tuum in nobis*, nam hoc esset arctare Dei gratiam; sed suspendimus abrumpimúsque enuntiationem, & tantùm dicimus, *sanctificetur nomen tuum*; vt ita enuntiatio ac petitio capax sit omnium, etiam inimicorum.

NOTÆ.

37. 1. ALIVD QVIDEM NOMEN AVDIERAT.] Iunius reponit, *Aliud quid, non nomen audierat*. Et addit ita debere corrigi *euidentissima sententia*. Sed certè ex Exodo nihil euidens: nam ibi responsum Moysi, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν: *Ego sum ens*. Ita scilicet Septuaginta. Atqui hoc participium *Ens* nomen est verissimum Dei, & quo nullum maius. Et Tertull. tantum ait occultatum nomen *Patris*, non Dei. Itaque Moyses verum Dei nomen audiuit, non aliud quid. Sed hæc quæstio Doctores sacros appellet, qui *Ens* explicant Dei nomen.

1. IAM ENIM FILIVS NOVVM PATRIS NOMEN EST.] Vide vt explicui, nam Pamelius nõ placet. Hic enim *filius* est filius naturalis Dei Christus Iesus. Ex coniunctione autem verborum Tertulliani cum verbis Cypriani videtur indicare Pamelius capiendum Tertullianum de filiis adoptiuis, quod non sic est. Sed profero ad rem aliam verba Cypriani. Sunt hæc: *Quod nomen* (id est filij) *nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare*. Quę verba protuli, vt notem affinitatem cum verbis Missæ his: *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audemus dicere, Pater noster*, &c. Est enim audaciissimum, Deum vocari à nobis *Patrem*, sed permittit ille, imò nos instruit, vt ita loquamur. Et Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos ita ait: *Sic docuit Christus Apostolos suos, vt quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui, Pater noster, qui es in cœlis*. Alcuinus etiam sic fermè repręsentat, vt nunc legitur.

38. 2. NON QVOD DECEAT HOMINES, &c.] Sumpsi explicationem à Venantio Fortunato, qui imitatus Tertullianum, ita scribit: *Nunquid inuenitur superior, à quo Pater sanctificari valeat? Quasi nos videamur aliquid illi orando præstare, cùm magis ipse cuncta sanctificet? Sed sanctificetur, id est, benedicatur nomen tuum incessanter omnibus linguis, vniuersis in locis*. Vides vt Deum sanctificari à nobis, sit benedici à nobis. Ita fermè explicat August. epist. 121. *Cùm dicimus, sanctificetur nomen tuum, nos ipsos admonemus desiderare, vt nomen eius, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, non contemnatur*. Idem scribit Greg. Nyssenus serm. 3. de orat. his verbis: *Si igitur nomen Dei semper sanctum est, ac nihil effugit vim dominationis Dei, sed et omnium rerum potitur: & quod ad sanctificationem attinet, adiectione amplius opus non habet; quippe cui per omnia nihil deest, sed perfectus est, quid sibi vult hoc optatum, sanctificetur nomen tuum?* Et respondet post pauca, tantùm à me peti τὸ τῷ ἐμῷ βίῳ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ εὐδοξάζεσθαι, *vt Dei nomen glorificetur per meam vitam*. Vbi *glorificatio* Nysseni, est Tertulliani ac Venantij *benedictio*. Neque impedit à Nysseno rem torqueri ad facta, cùm ait *glorificationem* istam positam in vitæ probitate. Cyprianus quoque ita scribit: *Non quòd optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris, sed quòd petamus ab eo vt nomen eius sanctificetur in nobis*.

39. 3. ANGELORVM CIRCVMSTANTIA.] Sumpsit credo vocem ab lib. 1. Machab. cap. 15. vbi de Athenobio dicitur, εἶδε τὴν δόξαν Σίμωνος, καὶ τὴν κλίνην χρυσῆν καὶ χρυσωμάτων καὶ ἀργυρωμάτων, καὶ παράστασιν ἰκανὴν, καὶ ἐξέστη: *Vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro & argento, & circumstantiam copiosam, & obstupuit*. Vulgatus reddit *apparatum copiosum*, sed vox Græca sonat *circumstantiam*. Hanc dictam *circumstationem* ab Agell. l. 7. c. 4. iam Iunius monuit. Non dubium quin vox tota sit militaris. Nam ibi Agell. *Circumstatio militum corona appellata*. Et περιστάται milites sunt, qui in auxiliis. Itaque apparatus ille Simonis totus est militaris, & *circumstantia* Tertulliani, militia Angelica.

3. SI MERVERIMVS.] Reponit Iunius lectionem veterem *si meminerimus*, quia scilicet Caluinista non vult agnoscere merita hominum propria. Verè legendum *meruerimus*, & Pamel. hîc laudandus.

40. 3. CANDIDATI ANGELORVM.] Sumus quippe petitores eiusdem gloriæ, in qua sunt Angeli. Sic contrà lib. de Cor. Mil. cap. 7. *Candidati diaboli*. Hoc de locutione. De sententia similis locus Fortunati lib. de Orat. *Sicut in cœlis Angeli, ita homines venerentur in terris*. Pergit aliis. tu vide. Et *candidati* (inquit) à veste candida: talis erat vestis baptismi. Socrates lib. 7. Historiæ cap. 17. *Cúmque vestem splendidam pro Iudæo baptizando emisset, & alueum baptisterij aqua misceri iussisset, Iudæum eò deduxit, vt illi baptismum impertiret*. Inde color iste splendidus. In edicto Constantini ad Sylvestrum: *Vt amplissimè pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, clericorum eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ manipulis, & linteaminibus, candidissimo colore decorari equos, & ita equitare*. Et Calpurnius Eclog. 7.

Aut eques, aut niuei loca densauere tribuni.

Inde *pullus color*, illi oppositus. Suetonius in Augusto cap. 44. *Sanxit, nequis pullatorum media cauea sederet*.

41. 4. ID PETIMVS VT SANCTIFICETVR IN NOBIS.] Quia scilicet Dei sanctificatio est vita nostra bona. Cyrillus Alex. in cap. 2. Amos: ἁγιάζειν λέγονται τὸν Θεὸν οἱ ζῶντες ὀρθῶς: *Dicuntur Deum sanctificare, qui rectè viuunt*. Explicat Hieronym. vt etiam Tertull. nam lib. 3. aduersus Pelagian. *Illi nomen Dei quod per se sanctum est, in se sanctificare cupiunt*.

42. 4. SIMVL ET IN CÆTERIS, &c.] Loci totius sententiam clariùs expressit Venantius his verbis: *Videmur non tantummodo pro nobis optare, vt sanctificetur nomen eius, sed & pro illis, qui necdum ad baptismi meruere gratiam peruenire: nã in Christi plenissima charitate docemur etiam pro inimicis orare; quia & ipse non amicos & fideles, sed aduersarios suos & culpabiles de mortis carcere liberauit*. Et iterum: *Homo ante baptismũ carnalis esse describitur, post baptismũ spiritalis efficitur. Ideoque pro illis, qui adhuc sine lauacro sunt, à nobis oratur*. Tu reliqua. Non abludit Cyprian. qui ait: Publica est nobis & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, sed pro toto populo oramus. Et suprà dixerat, non *singillatim & priuatim precem fieri*.

4. VT ET HINC PRÆCEPTO, &c.] Erat hic locus deprauatus, vt videre poteris in vulgatis Pamelij codicibus. vt ego legi, perfectiſſimus eſt ſenſus. Iunius reſtituit legens *hnius* pro eo, quod in vulgatis eſt *huic*. Non placet, lego ipſe *hinc*. Et ita omnino cõſtat ſenſus. Et maior quidem vicinitas inter *huic* & *hinc*; quàm inter *huic* & *huius*. q.d. Hinc fiet vt orando indefinitim pro omnibus pareamus præcepto de orando pro inimicis; nam omnes qui dicit, nullum excludit.

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Explicationes multæ huius formæ, Fiat voluntas tua, in cœlis & in terra.

TERTVLLIANVS.

43. *Matth. 5.* 1. SECVNDVM hanc formam ſubiungimus, *Fiat voluntas tua in cœlis & in terra*, non quòd aliquis obſiſtat quominus voluntas Dei fiat, & ei ſucceſſum voluntatis ſuæ oremus, ſed in omnibus petimus fieri voluntatem eius. Ex interpretatione enim figurata carnis & ſpiritus nos ſumus cœlum & terra.

EXPLICATIO.

1. PRima explicatio horum verborum eſt, vt in omnibus hominibus (qui, quia conſtant ſpiritu & carne, typicè ſignificantur per cœlum & terram) fiat Dei voluntas. Nam abſit vt optemus *ſucceſſum* efficaci voluntati Dei, cui nemo poteſt reſiſtere: quod enim ille vult, fieri debet velimus nolimus. Ait initio *ſecundùm hanc formam* cum reſpectu ad ſuperius caput. Nam vt ibi dixit, nihil eſſe quod Deo poſſit optari: ita hîc ait, nihil eſſe quod poſſit obſiſtere eius voluntati.

44. 2. Quanquam etſi ſimpliciter intelligendum eſt, idem tamen eſt ſenſus petitionis, vt in nobis fiat voluntas Dei in terris, vt poſsit ſcilicet fieri & in cœlis. Quid autem Deus vult, quàm incedere nos ſecundùm ſuam diſciplinam? Petimus ergo ſubſtantiam & facultatem voluntatis ſuæ ſubminiſtret nobis, vt ſalui ſimus & in cœlis & in terris, quia ſumma eſt voluntatis eius, ſalus eorum quos adoptauit.

2. Explicatio altera. Eadem eſt petitio, etiamſi non confugiamus ad typicam ſignificationem, ſed ſimpliciter capiamus verba, vt ſonant. Volumus itaque *vt in nobis fiat voluntas Dei in terris, vt poſſit ſcilicet fieri & in cœlis.* Mox explicat quid ſit *fieri voluntatem Dei*, videlicet ea cautione nos gerere, vt ſeueram Dei *diſciplinam* obſeruemus, teneamúſque viam virtutis. Inde colligit, *Petimus ergo*, &c. vocem *ſubſtantiam* iam ipſe explicat, id eſt, vires & facultatem. Expende mihi extrema illa, *Quia ſumma eſt voluntatis eius, ſalus eorum quos adoptauit.* Cùm homines generant naturales filios, accipiunt quales quales natura ipſa obtulerit: at neminem adoptant, niſi quem priùs cognitum amant. Videſis ergo an te Deus amet, quem adoptauit? ita certè amat, vt *ſumma* (nihil dici grandius poteſt) *eius voluntatis* ſit ſalus tua.

45. *Ioann. 6.* 3. Eſt & illa Dei voluntas, quam Dominus adminiſtrauit prædicando, operando, ſuſtinendo. Sic enim ipſe pronuntiauit, non ſuam, ſed patris facere ſe voluntatem. Sine dubio quæ faciebat, ea erant voluntas patris, ad quæ nunc nos, velut ad exemplaria prouocamur, vt & prædicemus, & operemur, & ſuſtineamus ad mortem vſque. Quæ vt implere poſsimus, opus eſt Dei voluntate.

3. Tertia explicatio. Seruator Chriſtus miniſter fuit voluntatis paternæ *prædicando, operando, ſuſtinendo*: hæc eadem nos debemus præſtare tanto exemplo prouocati, imò ipſo exemplari: atqui vt præſtemus *opus eſt voluntate Dei*; hanc ergo petimus.

4. Item dicentes, Fiat voluntas tua, vel eo nobis bene optamus, quòd nihil ſit mali in Dei voluntate, etiamſi quid pro meritis cuiuſque inrogatur.

4. Quarta explicatio. Poteſt contingere vt nobis aduerſum aliquid irrogetur pro noſtris meritis. Igitur cùm dicimus, *Fiat voluntas tua*, eo ipſo nobis bene ominamur in re illa aduerſa, cùm *nihil mali* à *voluntate Dei* poſſit proficiſci.

46. *Luc. 21.* 5. Iam hoc dicto ad ſufferentiam noſmetipſos præmonemus. Dominus quoque cùm ſub inſtantiam paſsionis infirmitatem carnis demonſtrare iam in ſua carne voluiſſet, Pater (inquit) transfer poculum iſtud. Et recordatus, niſi quòd mea non, ſed tua fiat voluntas. Ipſe erat voluntas & poteſtas patris, & tamen ad demonſtrationem ſufferentiæ debitæ voluntati ſe patris tradidit.

5. Quinta explicatio, quæ poſſit quoque non diſtincta eſſe à ſuperiore, ſed illi annecti. Ait ſcilicet hac verborum forma præmoneri nos & præfulciri ad omnem futuram laborum *ſufferentiam*, idque exemplo Chriſti, qui inſtante paſſione cùm dixiſſet *Transfer à me calicem*, recordatus ſtatim voluntatis pater-

næ, ſubiecit, *ſed non mea, ſed tua fiat voluntas*, ſcilicet vt nos doceret idipſum facere. Nos quippe vt infirmi egemus hac præoccupatione ad tolerandos labores: nam infirmitas carnis Chriſti, indicabat infirmitatem noſtræ. Expende mihi extremum verbum. Cùm dicis, *Fiat voluntas tua*, facis meram tui traditionem, téque mancipas obſequio Dei.

NOTÆ.

47. 1. NON QVOD ALIQVIS OBSISTAT, &c.] A Venantius Fortun. *Quid eſt, quòd ſic petitur, vt fiat voluntas Dei? Nunquid aliquis potuit eius reſiſtere voluntati, vt non faceret aliquando quod voluit omnipotens?* Tu reliqua: tranſcribit certè Tertullianum. Vt etiam Cyprianus, qui ait: *Nam Deo quis obſiſtit, quominus quod velit, faciat?*

1. EX INTERPRETATIONE FIGVRATA.] Per *terram* typicè figurari carnem noſtram, per *cœlum*, ſpiritum, etiam dixit Venantius, cùm ait debere fieri voluntatem Dei *ſicut in cœlo, id eſt, ſpiritu; ita in terra, id eſt, in carne.* Ad quam rem notanter Drogon Epiſcopus Hoſtienſ. ſerm. de Paſſione Chriſti, *egredere de terra carnis tuæ.* Et Cyprianus: *Ipſi terra & cœlum ſumus, & in vtroque, id eſt, in corpore & ſpiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus.* Et cùm Nazianzenus dixit orat. 1. δοῦναι τὴν χοῦν τῷ πνεύματι: *addicere terram ſpiritui*, per *terram* intelligit corpus & carnem hominis. Et Florus, qui vixit ſub Carolo Caluo, in Exegeſi Miſſæ: *Poſſumus etiam per cœlum & terram intelligere ſpiritum, & carnem; quoniam ſpiritus è cœlo, caro è terra eſſe cognoſcitur: ſed ſpiritus cœleſtia quærit, caro terrena concupiſcit, & ideo petimus vt voluntatem Dei his duobus concordantibus faciamus.* B

48. 2. QVID AVTEM DEVS VVLT, QVAM INCEDERE NOS IN TERRIS.] Nihil muto, tantùm iudicium meum interpono, neſcio an tui ſit. Puto tranſpoſita eſſe verba, ego integrum locum ita legerem: *Quid autem Deus vult, quàm incedere nos in terris ſecundùm ſuam diſciplinam; Petimus ergo ſubſtantiam & facultatem voluntatis ſuæ ſubminiſtret nobis, vt ſalui ſimus & in cœlis, quia ſumma eſt*, &c. Hæc certè lectio conformis eſt præcedentibus.

2. SALVS EORVM QVOS ADOPTAVIT.] Ad verbũ Nyſſenus ſerm. 4. de Orat. Dominica. γενηθήτω τὸ θέλημά σου· θέλημα δὲ θεοῦ ἡ σωτηρία τῶν ἀνθρώπων ἐστίν: *Fiat voluntas tua. Voluntas autem Dei, ſalus hominum eſt.* Nec longè abeſt explicatio Caſſiani collat. 9. c. 19. Verba eius: *Vel certè taliter accipiendum: voluntas Dei ſalus omnium eſt, ſecundùm illam Beati Pauli ſententiam, qui omnes homines vult ſaluos eſſe fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Dicentes ergo ei, fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, hoc eum aliis verbis oramus: vt ſicut hi qui in cœlo ſunt, ita omnes qui in terra conſiſtunt, tua pariter agnitione ſaluentur.*

49. 3. PRÆDICANDO, OPERANDO, SVSTINENDO.] Tria commendat de Chriſto, & omnia reſpectu obedientiæ. Cuius triplicis commendationis, & ſub obedientia patris, an non plenum Euangelium? Adſcribo loca tantùm ſingula. De primo Matth. 4. *Cœpit Jeſus prædicare.* De altero Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius.* De tertio Paul. 9. Rom. *Suſtinuit in multa patientia.* Hæc tria ait Tertull. nobis imitanda, vt etiam Venantius, qui ab illo: *Ergo orandum eſt, vt nos ſimiliter mereamur docere, agere, ſuſtinere.*

3. QVÆ VT IMPLERE POSSIMVS, OPVS EST DEI VOLVNTATE.] Explicat verba iſta Cyprianus, ita ſcribens: *Oramus & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope eius & protectione, quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia & miſericordia tutus eſt.*

3. SVSTINEAMVS AD MORTEM VSQVE.] Verbum proprium Patientiæ. Cyrillus Alex. in cap. 2. Amos μακροθυμεῖ μακρά: *longum ſuſtinuit.* Saluian. l. 3. de Gub. *Patientia Dei ſuſtinet.* 50.

4. VEL EO NOBIS BENE OPTAMVS.] Eſt hoc, quod Drogon Epiſc. Hoſtienſ. loco laudato dixit, loquens de latrone felici: *Neceſſitatem vertit in voluntatem, & pœnam commutauit in gloriam, & crucem in triumphum.* Hæc ipſiſſima mens Tertulliani; hoc enim facis, qui venturam calamitatem præoccupas verſiculo iſto *Fiat voluntas tua*; nam ita iam non erit calamitas, imò tibi bene optabis, bene ominabere.

5. SVB INSTANTIAM PASSIONIS.] Ità volui ex coniectura Vvouer. pro illo quod in vulgatis legitur non apto ſenſu *ſubſtantia paſſionis.*

5. INFIRMITATEM CARNIS IAM IN SVA CARNE, &c.] Ita verè eſt. Deus enim demonſtrauit infirmitatem non carnis ſuæ, ſed noſtræ, in ſua. Ita & Cyprian. *Denique & Deus infirmitatem hominis, quem portabat, oſtendens, ait: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Ita in Chalcedonenſi Concil. Act. 2. non ſolùm dicitur ſumpta mortalitas ab æternitate, ſed additur ſignatè, ἀπείληφθη ἀπὸ τῆς δυνάμεως τὸ ἀδύνατον, *ſuſcepta eſt à virtute infirmitas.* 51.

5. TRANSFER POCVLVM.] Ita reddit πο- C τήριον, & bene. Vulgatus interpres *calicem voluit.*

5. NISI QVOD.] Eſt hoc, quod Græci, πλὴν ἀλλά. Locutio Patribus vſurpata, & certè elliptica, vt cùm Drogon Epiſcop. Hoſtienſ. dixit: *Neſcio vtrùm in lectulo molli, an in cruce rigida ſuauius moriatur, niſi quòd crux citiùs dolorem abſcindit.* Id eſt, ſuauiùs quidem in cruce, quia citiùs, aliter ſuauiùs morereturin lecto. Ita ait Tertull. Tranſire noluit calicẽ, quia memor voluntatis Dei, aliter vellet tranſire. Ad eum modum infrà cap. 11. ait, *niſi quòd conuerſationis humanæ inquinamentum conſcientiæ cauſſa lauemus.* Id eſt, ſi ſordulenti ſumus, lauemur, aliter non lauemur. Cùm ait, *voluntati patris ſe tradidit*, eſt quod Damaſcenus dixit lib. 3. de fide cap. 6. *Deus ſuſcepit ea quæ ſunt carnis idiomata, hoc eſt, proprietates, & vnde paſſibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus eſt.*

CAP. V. ARGVMENTVM.

Explicatur hic versus, Adueniat regnum tuum.

TERTVLLIANVS.

52. 1. VENIAT quoque regnum tuum, ad id pertinet quod &, fiat voluntas tua, in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, in cuius manu cor omnium Regum est? Sed quicquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus.

Prou. 21.

EXPLICATIO.

1. VT in illo, *Fiat voluntas tua*, petimus vt fiat in nobis, nam Dei voluntas velimus nolimus fit; ita in hoc, *veniat regnum tuum*, petimus vt in nobis, nam ipse velimus nolimus regnat. Probat. Quia semper *regnat*, qui habet *Regum* corda. Sequitur, *sed quicquid nobis optamus*, &c. præclarè hoc, velímque expendas. Nam eo ipso quod *optamus* dari *nobis* à Deo aliquid, veluti ominamur bonum omen ipsi Deo, & hoc est *in illum auguramur*. Aduoco exemplum, vt intelligas. Petis à Deo opes, quibus subleuet inopiam tuam, eo ipso fateris, illum esse diuitem, & canis Deo tuo omen & augurium potentiæ. Et hoc est, quod sequitur, *illi deputamus, quod ab illo expectamus*, ita verè est. Ergo, cùm petis à Deo regnum, perinde fateris illum Regem maximum.

53. 2. Itaque si ad Dei voluntatem, & ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repræsentatio, quomodo quidam pertractum quemdam in seculo postulant?

2. Si nobis verbis istis *adueniat regnum tuum* repræsentatur proponitúrque ante oculos regnum Domini, idque pertinet ad *Dei voluntatem* (præcessit quippe *fiat voluntas tua*) tum etiam ad *suspensionem nostram*, nam semper debemus esse suspenso & pendente animo expectantes illius regnum; cur quidã præ summa insipientia *postulant pertractum quendã in seculo*? Id est, prorogationem diuturnitatémque, qua vita diu pertrahatur durétque in longum? Hortatur quidem his verbis optandum vitæ finem, vt tandem adueniat nobis regnum Dei. *Repræsentatio regni Dominici* est, vt sit iam in nobis præsens.

54. 3. Quum regnum Dei, quod adueniat, oramus, ad consummationem seculi tendat, optamus, maturiùs regnare, & non diutiùs seruire.

3. Ait, petere nos, cùm dicimus verba hæc, *Adueniat regnum tuum*, vt adueniat tandem dies iudicij, nam cùm regnum Dei ad finem mundi pertineat (hoc enim est illud, *ad consummationem seculi tendat*) quoties petimus vt hoc regnum adueniat, petimus citiùs cum ipso regnare, & non diutiùs seruire sub elementis mundi huius.

4. Etiamsi præfinitum in oratione non esset de postulando regni aduentu, vltro eam vocem postulassemus, festinantes ad spei nostræ complexum.

4. Id adeo verum est, vt si in oratione Dominica deesset vox ista *adueniat regnum tuum*, nos ipsi *vltro eam vocem postulassemus*. Dictum hoc maiore energia, quàm desideraremus. Nam desiderare, animi est, postulare, oris. q.d. quereremur eam ibi deesse. Et cur ita postulabundi & queribundi? Videlicet *festinantes ad spei nostræ* & speratæ rei *complexum*. Spes quippe festinationem omnem promouet.

55. 5. Clamant ad Dominum in visu animæ martyrum sub altari: Quonam vsque non vlciscéris Domine sanguinem nostrum de incolis terræ? Nam vtique vltio illorum à seculi fine dirigitur.

Apocal. 6.

5. Firmat hoc, quæ dixi suprà de die iudicij. Ait enim, clamores martyrum, in Apocalypsi, quibus petunt vltionem sui sanguinis, *dirigi à fine seculi*. Itaque, *vltio dirigitur à fine seculi*, nihil est aliud, quàm tunc verè se vlciscendos, cùm aduenier finis seculi. *Vltio dirigitur*, id est, pendet *à fine seculi*.

6. Immò, quàm celeriter veniat Domine regnum tuum, votum Christianorum, confusio nationum, exultatio Angelorum, propter quod conflictamur, immò potiùs propter quod oramus.

6. Immò, anxiè petimus, quàm celerrimè aduenire regnum Dei in nobis, id est, diem iudicij, qui sanè dies est, *confusio nationum, exultatio Angelorum* (quippe in die iudicij confusis nationibus exultabunt Sancti Angeli) *propter quod* regnum *conflictamur* multa perpessi. Quid dixi *conflictamur*? absit. *Imo potiùs propter quod* inter tot conflictationes & perpessiones alacres & veluti exultabundi *oramus* pleni spei cœlestis.

NOTÆ.

56. 1. VENIAT QVOQVE REGNVM TVVM.] Cùm ordo ſit *adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua*, Tertullianus commutauit; nam priùs expoſuit de voluntate, nunc de regno. Cur hoc fecerit, concionantis erit, non commentantis. Sed offero rationē aliqualem, tu reſcribes quam voles. Deus vt liberalis primùm voluit peti à ſe regnū ſuum, mox fieri ſuam voluntatem: homo vt gratus, velit primùm fieri Dei voluntatem, mox velit præmium peti. Video quid ſimile cap. 7. Canticor. vbi ſponſa effuſa in laudes ſponſi, huius comas comparat cum elatis palmarum: cui vt ſe gratum ſponſus præbeat, addit pretioſiora; nam comas ſpōſæ comparat cum regia purpura. quaſi dicat gratiſſimus ſponſus, Tu comas meas comparas cum arbuſculis, ego tuas cum regia purpura, quæ pretioſior. Talia multa in ea contentione amoris, quæ omitto, vt non mea.

57. 1. NAM DEVS QVANDO NON REGNAT?] Arripuit Cyprian. qui, *Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incipit, quod & ſemper fuit, & eſſe non deſinit?* Venantius Fortun. *Hac ratione precamur, vt regnum eius adueniat: non vt ipſe quod poſſidet, hoc adquirat; ſed quod eſt nobis pollicitus, hoc perſoluat.* Et ſup. *Non vt illi aliunde adueniat, id eſt, vt ei regnum præſtetur à ſuperiore perſona.* Conſentit & Greg. Nyſſenus, ſerm. 3. in orat. Dominicam: ἄρα γὰρ ἀξιοῖ γενέσθαι βασιλέα ὁ τῶν πάντων βασιλεύς, ὃν ἀεὶ ὄντα ὁρᾷ ὄντα; Loquitur de orante. id eſt: *Nunquid nunc Regem fieri vult vniuerſi Regem, qui ſemper eſt, quod eſt?*

2. SVSPENSIONEM.] Rectè monet Pamel. hanc ſuſpenſionem expectationémque expreſſam à Fortunato verbis iſtis: *Qui omnem ſpem in futuri regni facultate plantamus.* Ita non errabit, qui Tertullianū referat ad ſpem ruſticorum (nam & Virg. in G. *Spem credere terræ.*) ſunt enim pendente ſemper animo ad fructum vſque, ne videlicet,

Pinguia decipiant mentito gramine culta,

vt dixit Alcimus Auitus lib. 3. & Tibull. lib. 2. eleg. 1.

Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis.

58. 2. REPRÆSENTATIO.] Cyprian. *Regnum Dei repræſentari nobis petimus.* Id eſt, eſſe nobis præſens. Et iterum: *Cuius Chriſti aduētus, vt citò nobis repræſentetur, optamus.* Hieronym. l. 3. Pelag. *Adueniat regnum, ſpem regni futuro tēpore præſtolātes.* De ſignificatione verbi eſt locus in 1. Concil. Arelat. c. 23. verba Concilij: *De his qui apoſtatant, & ante quam ſe ad Eccleſiam repræſentent,* &c. id eſt, præſentent ſe.

2. PERTRACTVM.] Reponunt ex M.S. *protractum*, neque diſplicent; nam Venant. Fortun. qui Tertulliani locutiones ex hoc opere inſeruit ſuo, de oratione etiam, ita ait: *Agnoſcitur his verbis eas increpare perſonas, quæ ſeculi iſtā vitā diutiùs volunt protrahere.* Et defenſio Pamelij non ſatis firma; nam in vulgatis Plinij codicibus lib. 28. c. 1. *trahere vitam* legitur, non *pertrahere.* Etiamſi ad oram lib. legatur verbum *pertraho.* Si me conſulas, vtrumque eſt aptū, ad eum modū, quo Seneca epiſt. 58. dixit *perducere ad ſenectutem*, & poſt pauca *producere ſenectutem.* Hæc ad vocem pertinent, ad ſententiam verba hæc Cypriani lib. de Mortalitate: *Quid ergo oramus & petimus vt adueniat regnū cœlorum, ſi captiuitas terrena delectat?* Et ſuprà dixerat: *Quàm præpoſterum eſt, quàmque peruerſum, vt cùm Dei voluntatem fieri poſtulemus; quando euocat nos & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur, & reluctamur,* &c. Eōdem pertinent verba Caſſiani collat. 9. c. 17. vbi ait, ad verba illa, *qui es in cœlis*, deberenos putare vitam noſtram eſſe peregrinam, vt ita *ad illam potiùs regionem, in qua patrem noſtrum commorari fatemur, ſummo deſiderio properemus.* Vide eundem cap. 18.

3. AD CONSVMMATIONEM SECVLI.] De die quoque iudicij accipit hunc verſiculum Venantius: nam illum explicans aduocat illud Pauli: *Tunc rapiemur ſimul in nubibus obuiam Chriſto in aëra*, &c. 59.

3. OPTAMVS MATVRIVS REGNARE, ET NON DIVTIVS SERVIRE.] His veſtigiis inſtitêre & Cyprianus & Venantius. Ille: *Noſtrum regnum petimus aduenire à Deo nobis repromiſſum, Chriſti ſanguine & paſſione quæſitū, vt qui in ſeculo antè ſeruiuimus, poſtmodum Chriſto dominante regnemus.* Hic, *vt cum illo regnemus liberi qui in mundo ſeruiuimus ſub lege peccati.* Ad ſententiam pertinent verba Saluiani lib. 1. de Gubernat. *Domine non proſperitatem vitæ iſtius petimus, nec pro bonis præſentibus ſupplicamus (ſcimus enim aures tuas his obſecrationibus clauſas eſſe, & auditum te ad preces iſtiuſmodi non habere) ſed pro his tantummodo petimus, quæ ſunt futura poſt mortem.*

4. EAM VOCEM POSTVLASSEMVS.] Emendat Latinius, *eam voto poſtulaſſemus*, & laudat Iunius. Non me trahunt in ſua caſtra. Et trahent neminem, qui legerit explicationem noſtram.

5. CLAMANT.] Velim ſcias *clamorem* in ſacris accipi & in bonam & in malam partem. Nam ſancti ad Deum *clamāt*, & peccatores ad Deum *clamant*, ſed longo diſcrimine, illi vt vindicentur, iſti vt puniantur. Auctores huius Notæ laudo Tertullianum & Saluianum. Primus hic, vt vides, *clamorem* Apocalypſeos accipit de eo qui mittebatur, vt Deus cerneret afflictionem Sanctorū; cui adiunges clamorē ſanguinis primi Martyris. Alter lib. 1. de Gub. explicans illud Geneſ. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ*, &c. ita ait: *Pulcrè clamorem dixit in ſe habere peccata. Grandis abſque dubio peccantium clamor eſt, quia à terra aſcendit ad cœlū. Quare autem peccata hominum quaſi clamare teſtatur? Scilicet quia cædi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur.* Huic notæ non diſſimilis illa eiuſdem Saluiani lib. 2. *Boni aſpiciuntur, vt conſeruentur: mali, vt diſperdantur.* Sed hæc præter rem meam. 60.

5. NAM VTIQVE VLTIO ILLORVM A SECVLI FINE DIRIGITVR.] Cyprianus lib. de Bono Patient. *Patienter expectemus vltionis diem.* Id eſt, iudicij. Iterum: *Expectare nos iubet Dominus, & futuræ vltionis diem forti patientia ſuſtinere.* Et adhuc ſpectans locum Apocalypſeos: *Clamantes martyres, & ad vindictam ſuam dolore erumpere properantes, expectare adhuc iubentur, & temporibus conſummandis implendiſque martyribus præbere patientiam.* 61.

6. CONFVSIO NATIONVM.] Hoc quidem ſcribit lib. de Spectac. cap. vlt. vbi loquens etiam de die iudicij: *Quæ tunc ſpectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? vbi gaudeam, vbi exultem, ſpectans tot ac tantos Reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipſo Ioue & ipſis ſuis teſtibus in imis tenebris congemiſcentes?* Pergit pluribus, inducens & perſecutores Chriſtianorum ardentes, & Philoſophos gentiles erubeſcentes. Adeatur (etiamſi de re alia) locus elegantiſſimus Chryſoſtomi, Hom. 9. ad Pop. non longe à fine, vbi amplificat aureo flumine confuſionem gentilium ad viſam Chriſtiani cuiuſlibet modeſtiam.

6. EXVLTATIO ANGELORVM.] Vide eundem Tertull. laudato loco.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Spiritualis & materialis explicatio huius versiculi, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

TERTVLLIANVS.

62. 1. SED quàm eleganter diuina sapientia ordinem orationis instruxit? Vt post cœ-
Matth. 6. *Ioann. 6.* lestia, id est, post Dei nomen, & Dei voluntatem, & Dei regnum, terrenis quo-
que necessitatibus petitioni locum faceret? Nam & dixerat Dominus: Quærite primùm regnum Dei, & tunc vobis etiam hæc adiicientur.

EXPLICATIO.

1. *Diuina sapientia*, Dei verbum, Christus Iesus.

2. Quamquam *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* spiritualiter potiùs intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis. Ego sum (inquit) panis vitæ. Et paulò suprà: Panis est sermo Dei viui, qui descendit de cœlis. Tum quòd & corpus eius in pane censetur: Hoc est corpus meum. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.

2. Ait potius esse, vt petitio ista intelligatur spiritualiter, idque dupliciter, vt scilicet per *panem* intelligatur Christus ipse, qui est panis Christianorum; ad quod firmandum adducit duplex testimonium ex cap. 6. Ioannis: vel etiam, vt intelligatur corpus Christi, quod est sub speciebus panis in Eucharistia. Nam hoc est, quod ait, *corpus eius in pane censeri*. Vnde colligit, *petendo quotidianum panem*, peti à nobis tum nostram *perpetuitatem, in Christo*, qui est, *panis*, iuxta primam explicationem: tum *indiuiduitatem ab eius corpore*, quod est in sacramento, iuxta alteram explicationem. Summa est, hac forma *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, peti à nobis, tum Christum ipsum, qui est panis, vt in eo perpetui simus: tum corpus eius, quod est in sacramento, vt ab eo nunquam separemur.

63. 3. Sed & quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri & spiritalis disciplinæ. Panem enim peti mandat, quod solùm fidelibus necessarium est: cætera enim nationes requirunt.

3. Sententia est. Sed quia vox hæc *panis* in oratione Dominica *carnaliter admittitur*, id est, materialiter etiam sumitur, pro ipso nimirum pane materiali, adhuc in hoc significato est aliquid quod non sine religione conuerti possit ad nostram spiritalem disciplinam. Nam *peti* mandat *panem*, docens nos vt simus contenti frugali victu, nec epulas quæramus lautiores, quod gentes faciunt: fidelibus enim satis panis ad victum.

Matth. 6. *Matth. 15.* *Matth. 7.* *Luc. 11.* 4. Ita & exemplis inculcat, & parabolis retractat, cùm dicit, Numquid panem filiis pater aufert, & canibus tradit? item, Numquid filio panem poscenti lapidem tradit? ostendit enim quid à patre filij expectent. Sed & nocturnus ille pulsator panè pulsabat.

Matth. 6. *Luc. 12.* 4. Probat ex verbis Christi tantùm fidelibus esse necessarium panem ad victum, non alia lautiora. Nam
64. quoties Christus assumit ore rem victus, tantùm meminit panis, non rei alterius exquisitioris. Vt cùm dixit non auferendum *panem* à filiis, dandum *panem* filio, demum *nocturnus pulsator panem* tantùm petebat. Illud, *ostendit enim quid à patre filij expectent*: explica, Pater dans poscenti filio *panem*, eo ipso ostendit, filios non debere expectare à patre aliquid exquisitius & lautius.

5. Meritò autem adiecit, Da nobis hodie, vt qui præmiserat, nolite de crastino cogitare quid edatis. Cui rei parabolam quoque accommodauit, illius hominis, qui prouenientibus fructibus ampliationem horreorum & longæ securitatis spatia cogitauit; is ipsa nocte moritur.

5. Explicat addi à Christo, *da nobis hodie*, vt *de crastino* non cogitemus, quod ipse præmiserat. Cui rei etiam consentiens parabola diuitis cogitantis de horreis ampliandis, & sibi longam securitatem pollicentis, in quo cogitationum cursu mortuus est ea ipsa nocte.

NOTÆ.

65. 1. SED QVAM ELEGANTER, &c.] Initium hoc etiam habet Fortunatus: *Considerandum est quàm mirabiliter orationis huius ornatus sit textus, vt nominatis æternis temporalia peterentur*, &c.

2. SPIRITVALITER POTIVS INTELLIGAMVS.] Vtramque spiritualem explicationem siue A de Christo extra sacramentum, qui panis dicitur; siue de eodem in sacramento, accepit à Tertulliano Cyprianus. Verba non adduco, quia multa.

2. CHRISTVS ENIM PANIS NOSTER EST.] Hic loquitur de pane extra sacramentũ. Christus ipse Ioann. 6. *Ego sum panis vitæ*. Quẽ in locũ vide Ioann. Maldon.

2. QVIA VITA CHRISTVS.] Id est, vi- A uificans nos Christus. Fortun. de Christo: *Quia cùm ipse vita nostra sit.* Ignatius Martyr epist. ad Romanos, Ἰησοῦς γάρ ἐστιν ἡ ζωὴ τῶν πιστῶν: *Iesus enim est vita fidelium.* Et addit præclarè, θνάτος γάρ ἐστιν ἡ ἄνευ Χριστοῦ ζωή: *Vita enim sine Christo mors est.*

66. 2. PANIS EST SERMO DEI VIVI QVI DESCENDIT DE COELIS.] Ab illo Ioannis 6. *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi*: Quæ verba etiamsi de sumptione sacramentali accipi queant, propter illa quæ in eodem Ioanne consequuntur; sed non dubium, quin accipi quoque possint de Christo extra sacramentum, vt consequenter Ioannes loquatur cum superioribus. Itaque non est cur Tertullianus reprehendatur, qui hæc verba acceperit de Christo ipso extra sacramentum. Sed hæc omnia appellent laudatum modò commentatorem.

2. TVM QVÒD ET CORPVS EIVS IN B PANE CENSETVR.] Hîc iam loquitur de Christo latente sub speciebus panis. Vide Pamelium, qui multa loca Tertulliani congerit, vt ostendat perspicuè mentem eius. Vide & Gretserum cap. 5. in Notas Iunij, cuius Caluinianum errorem circa mentem Tertulliani euertit. Hieronym. etiam de sacramento accepit hæc verba lib. 3. Adu. Pelag. *Panem quotidianum, siue super omnes substantias, venturum Apostoli deprecantur, vt digni sint assumptione corporis Christi.* Eadem ratione explicat Cassianus collat. 9. c. 20. & Augustinus epist. 121. Ait enim nos hîc petere *sacramentum fidelium.*

67. 2. INDIVIDVITATEM A CORPORE EIVS.] Mentem Tertulliani explicat Cyprianus his verbis: *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto,* C *dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Fortunatus verò sic: *Quòd verò quotidianum panem petimus, hoc insinuare videtur, vt communionem eius corporis, si est possibile, omnibus diebus reuerenter sumamus.*

3. CARNALITER.] Est hoc quod Cyprian. dixit *simpliciter*, opponit enim *spiritaliter* & *simpliciter.* Sed Tertull. maluit opponere *spiritaliter* & *carnaliter* locutione sacra, quæ spiritalibus opponit carnalia, & spiritui carnem. Ad quem etiam modum Saluian. lib. 3. de Gubernat. *carnales dominos* vocat, quos vulgus *temporales.* Et Ignatius Martyr epist. 12. φιλίας σαρκίνης, *carnalis amicitiæ.* Non quidem de re Venerea, sed de temporali (vt sic dicam) amicitia.

68. 3. PANEM ENIM PETI MANDAT, &c.] Hanc explicationem etiam accipit Cyprianus ab Nostro: *Potest verò & sic intelligi, vt qui seculo renuntiauimus* (hi sunt *fideles* Tertulliani) *cibum nobis tantùm* D *petamus & victum.* Pressior tamen Tertullianus est, qui non victum in communi ait petendum, sed *panem* ad victum. Gregorius quoque Nyssenus serm. 4. in orat. Dominica ait hoc verbulo peti à Deo tantùm ὀλιγαρκείαν καὶ μέτριον, *frugalitatem & mediocritatem.* Et inf. τὸ πρὸς τὴν σωτήριον ἀρκοῦν τῆς σωματικῆς οὐσίας: *quod satis est ad naturam corporis conseruandam.* Hæc deinde floridè dilatat, scribens, qui panem petit, non petere luxum, delicias, ornamenta, &c. dignus est locus qui legatur. Et post multa ita absoluit: μικρόν σοι τὸ τῆς φύσεως ὄφλημα, πρόφλου χρεωστεῖς τῷ σαρκίῳ σου: *Modicum est quod naturæ debes, cibum debes caruncula tuæ.*

4. RETRACTAT.] Cùm hoc verbum sæpissi- 69. me in Tertull. accipiatur pro simplici *tracto*, hoc loco propriè accipi potest.

4. PANEM PVLSABAT.] Locutio verè poëtica: id est, pulsabat fores propter panem. Ita Virg. 12. Æn.

---infrænant alij currus.

Id est, equos ad currus. Quem locum vide vt illustrauerim. Itaque nec panis pulsatur, nec currus frænantur; sed dicuntur pulsari fores propter panem, currus frænari propter equos. Cùm ergo locutio ista sit verè tragica, atque ex ingenio Tertullianeo, nihil est necesse mutare ex M. S. in *panem poscebat.* Petrus etiam Chrysolog. serm. 43. dixit, *quod oratio pulsat.* Claudianus quidam inter epistolas Sidon. epist. 2 l. 4. *Improbus pulsator.* De hac improba erga Deum pulsatione videatur Cassianus collat. 9. c. 33. Quid quod locutio Tertulliani gemina verè est cum illa Ioannis cap. 6. vbi Christus: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam:* id est, operamini laborem propter cibum. Et Paulus ad Philippens. *Vestram salutem operamini.* Viderint qui aliter capiùt loca Ioannis, & Pauli: nam vt capi debeant, satis allucet ex Tertulliani forma illis conformissima.

5. DA NOBIS HODIE.] Ad eundem mo- 70. dum locum istum explicat Greg. Nyssenus serm. 4. in orat. Dominic. Vbi inter alia ait, discendam Christianis hanc Philosophiam, vt sciant sibi tantùm esse ἐφημέρου ζωῆς, *vitam diariam*, & non debere esse sollicitos de crastino, nam ὅτι ὁ τῇ ἡμέρᾳ σοι δίδους, καὶ τὰ εἰς τὴν ἡμέραν σοι δίδωσι: *Qui tibi dat diem, etiam dat quæ sunt necessaria ad diem.* Euthymius in cap. 6. Matth. *Diaria est, ac quotidiana vita humana. Nescimus quid paritura sit insequens dies. Quid solliciti sumus de crastino? idcirco, per id quod hodie iubet, interdicit tibi curam de crastino.* Videatur Concilium quartum Toletanum cap. 9. vbi versiculus hic latè explicatur adductis testimoniis Cypriani, Hilarij, Augustini.

5. PROVENIENTIBVS.] Ad redundantiam omnem explicandam. Sic Lucanus 2.

---tantóne nouorum
Prouentu scelerum.

Idem quod *examen*, vt Propert. *Examen stuprorum.* Eurip. in Ione: Θησαυρὸν κακῶν.

5. AMPLIATIONEM HORREORVM, &c.] 71. Diuitis huius dementiam ita describit Cyprianus: *Diuitem stultum seculares copias cogitantem, & se exuberantium fructuum largitate iactantem redarguit Deus.* Et post pauca: *Lætabatur stultus in fructibus, ipsa nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat.* Præclarè certè. Nam quale est, vt cogitet de victu, cui iam deest vita? Hæc Cyprianus quæ pressè dixerat Tertullianus: vide etiam elegantem locum Gregorij Nysseni serm. 4. in orat. Dom. vbi inter alia ait: Diuitem hunc stultissimum incluisse longas annorum periodos in ipsis horreis, adeò non solùm frumenta.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

De verbis illis, Dimitte nobis debita nostra.

TERTVLLIANVS.

72. *Ezech. 33.* 1. CONSEQVENS erat, vt obseruata Dei liberalitate, etiam clementiam eius precaremur. Quid enim alimenta proderunt, si illis reputamur re vera quasi taurus ad victimam.

EXPLICATIO.

1. ALTISSIMVS verè conceptus, & cum Tertull. nihil è triuio, hic certè extra omnium viam. Videsis an tu altiùs potuisses cogitare?

2. Sciebat Dominus se solum sine delicto esse, docet itaque petamus *dimitti nobis debita nostra.*

2. Quasi dicat. Cùm nemo sit immunis à *delicto* præterquam vnus Deus, meritò ille in oratione, quam condidit pro omnibus iubet petere veniam delictorum: vt sic assimilemur Deo, qui sine delicto.

73. 3. Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur. Sic & pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia vult eam, quàm mortem peccatoris.

3. *Qui petit veniam*, eo ipso *confitetur delictum*, ac perinde formula ista continet in se *exomologesin*, id est, confessionem. Et inde quoque liquidum, acceptissimam esse Deo Pœnitentiam, quam voluit inseri orationi Dominicæ. *Quia vult eam*, ellipsis est, id est, quia magis vult eam, quàm, &c.

4. Debitum autem in Scripturis delicti figura est, quod perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi seruo Dominus debitum remisit. Huc enim spectat exemplum parabolæ totius.

4. Dicit *in Scripturis* sanctis delictum *figurari*. notari, explicari similitudine debiti: ergo vt ius est exigendi debiti, datúrque actio in debitorem, nisi fiat remissio: ita ius est Deo exigendi à nobis delictum, nisi Deus illud remittat, & gratis donet: quò spectat parabola de debitore seruo; ideò petimus à Deo dimitti nobis nostra debita. *Quod perinde iudicio debeatur*, id est, quod delictum in iudicio debeatur. *Et ab eo exigatur*, ab eo qui contraxit debitum, & delictum. *Nec euadat iustitiam exactionis*, id est, non euadat ius, quo possit cogi ad soluendum quod debet.

74. *Matth. 5.* 5. Nam & quòd idem seruus à Domino liberatus, non perinde parcit debitori suo; ac propterea delatus penes Dominum, tortori delegatur ad soluendum nouissimum quadrantem, id est, modicum vsque delictum, eò competit, quòd remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris.

5. Accommodat iam parabolam, & simul explicat sequentem versiculum, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Annectenda autem sententia cum superioribus hunc in modum: Deus cùm possit exigere à te debitum, non vult, sed remittit & donat hac solùm conditione vt tu remittas ac dones: hoc nisi feceris, exiget à te debitum, erit acerrimus exactor: hanc rem tibi indicat parabola illa, &c.

75. *Luc. 6. Matth. 18. Gen. 4.* 6. Iam & alibi ex hac specie orationis: Remittite, inquit, & remittetur vobis. Et cùm interrogasset Petrus, si septies remittendum esset fratri: imò (inquit) septuagies septies, vt legem in melius reformaret, quòd in Genesi, de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies vltio reputata est.

6. Adducit duo alia, quæ annecti possunt superiori parabolæ. *Specie orationis*, id est, forma orationis. *Legem in melius reformaret*, id est, nouam aliam formam daret legi. Quæ hîc de Cain, & Lamech, videnda in sacris interpretibus.

NOTÆ.

76. 1. SICVT TAVRVS AD VICTIMAM.] Indicat saginam, quæ semper turpis & probrosa. Et animalia quidem ad sacrificium saginabantur.

2. SE SOLVM.] Rectè monet Pamelius non in cæterorum numero includendam Deiparam Virginem. Quantum est, ô Lector eam solam fuisse comitem Dei. Omnes homines in delinquentia siue mortali, vt fere omnes, siue veniali, vt pauci: Vnus Deus absque illa, & comes mater. Quin & perfectiore gratia comes, nam & libera à peccato originis. Viderint, qui matri Dei hoc adscribunt, an satis intelligant quis sit Christus? An hic carnem sumeret à carne semel enormiter maculata? Caro tua Christe sumpta est à

carne matris tuæ. Horror me percipit cogitantem audaciam mortalium.

3. EXOMOLOGESIS.] De hac iam lib. de Pœnit. Sed cùm hoc loco Tertull. eam includat in orationem, & sit pars pœnitentiæ, non dissident verba Ioannis Chrysost. orat. de Diabolo tentatore, vbi ait: *Orationem feruentem, accuratam, prouenientémque ex intimo corde, esse tertiam viam* μετανοίας *pœnitentiæ.* Itaque rectè Tertull. ait in oratione Pœnitentiam inueniri. Fortunatus consequenter: *Si purgari desiderat, sæpius ad orationem recurrat.*

77. 3. QVI PETIT VENIAM, DELICTVM CONFITETVR.] Fortunat. *Bene post escam quæsitam postulatur venia peccatorum, vt qui Dei cibo pascitur, Deo viuat, si ei dimittantur peccata: & congruè, ne se humana extollat superbia, petendo veniam, videtur confiteri delicta.*

3. QVIA VVLT EAM, QVAM.] Ellipsis huic Auctori frequens, id est, quia magis vult eam, quàm, &c. Quid quod in nonnullis codicib. est: *Quia magis*, sed non est necesse.

78. 4. DEBITVM AVTEM IN SCRIPTVRIS DELICTI FIGVRA EST.] Cyprian. *Si peccata donentur, quæ debita Dominus appellat, sicut in Euangelio suo dicit, Dimisi tibi omne debitum, quia me rogasti.* Hoc sermone vsus quoque Nyssenus serm. 5. in Orat. Dominica, ἀφεθῆναι ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα παρακαλοῦμεν: *Dimitti nobis debita oramus*: id est, peccata. Rationem acceptionis huius Fortunatus aperit his verbis: *Conuenienter debita peccata dicuntur, quæ & debentur & requirenda sunt. Nam sicut debitor à creditore requiritur, ita peccatum à Deo in die iudicij necesse est exigatur.* Vide & explicationem huius versiculi apud Augustin. epist. 121. Vnde & Matthæus cap. 6. apud quem Christus enarrans hanc orationem, ait, *Si remiseritis hominibus peccata eorum.* Et Lucas cap. 11. pro ὀφειλήματα, id est, debita, habet ἁμαρτίας, id est, *peccata.* Augustin. serm. 126. de Tempore: *Debita fratres peccata intelliguntur: nam debitum contrahitur, quotiescunque delinquitur.*

79. 5. TORTORI DELEGATVR.] Cyprianus verbum mutauit: *Qui conseruo suo noluit ipse dimittere, in carcerem relegatur.*

5. QVADRANTEM.] In Matthæo est, παῦ τὸ ὀφειλόμενον: *Vniuersum debitum.* Ex loco alio Euangelij ad *quadrantem* recurrit, Nyssen. suprà, ad *obolos.* Vilissimi sunt nummuli.

5. REMITTERE NOS QVOQVE PROFITEMVR DEBITORIBVS NOSTRIS.] Pulcrè A Hieronym. in Reg. Monachor. *Ne sit exactor vindicta, qui petitor est veniæ.* Et Hilar. can. 4. in Matth. *Data aduersarijs conditione veniæ, ipsi veniam deprecamur.* Et statim: *Hæc negabitur nobis, si aliis negetur à nobis.* Cyprian. *Scientes impetrari non posse, quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus.* Petrus Chrysolog. serm. 43. *Improbus petitor est qui, quod aliis negat, sibi postulat.* Cyril. Hieros. cateches. 2. προσέρχῃ λαβεῖν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, αὐτὸς καί σὺ συγχώρησον τῷ ἁμαρτάνοντι. ἐπεὶ πόθεν προσώπῳ τῷ Κυρίῳ λέξεις, ἄφες μοι τὰς πολλάς μου ἁμαρτίας, αὐτὸς οὐ μικρὰς τὰς ὀλίγας τῷ συνδούλῳ συγχωρήσας: *Accedis accepturus peccatorum remissionem, necesse est vt & tu delinquenti ignoscas. Qua fronte enim dices Domino, remitte mihi multa mea peccata, si tu pauca conseruo tuo non remiseris?* Rem eandem conceptu mirifico expressit Greg. Nyssen. serm. 5. in orat. Dominic. vbi opponit δεσμωτήριον, & B εὐκτήριον, id est, *carcerem* & *oratorium* (Gentiles scriptores vocant *Lararium*) aítque nihil prodesse oranti esse in oratorio, si debitor sit in carcere, nam sonus miseri inter vincula faciet ne alterius exaudiatur oratio. Demũ ad rem eandem notentur verba Ioannis Chrysostomi, qui Homilia de simult. & ira, ait, hoc præcepto nullum esse πραότερον ἢ ἡμερώτερον, *mitius & manfuetius.* Quia scilicet hominem ipsum facit Deus iudicem ad condonationem criminum. *Si pauca dimittis, pauca dimittentur tibi; si plura, plura.* Cui sententiæ consonant verba Saluiani lib. 3. de Gubernat. *Quid dignius, aut quid iustius? Non audiuimus, non audimur: non respeximus, non respicimur.*

6. REMITTITE ET REMITTETVR VOBIS.] Eligius Hom. 8. ita dixit: *Satis delicatè nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur, qualiter iudicemur in die iudicij: si enim dimiseritis* (*inquit*) *dimittetur vobis; si non dimiseritis, non dimittetur vobis.* Et post pauca, præclarè: *Qui hæc implere noluerit, ipse sibi ianuam diuinæ misericordiæ claudit.* Affinia ista Cassiani collat. 9. c. 21. *Securus huius orationis fiducia de suis admissis veniam postulabit, quisquis remissor erga suos extiterit debitores.* Et post aliqua: *Ideóque si clementer volumus iudicari, nos quoque erga illos, qui in nos deliquerint, oportet esse clementes.* 80. 81.

6. REFORMARET.] Alludit ad verborũ formulas. q.d. Olim erat hæc formula, *Repetenda est vltio septies, & septuagies septies.* Vocat *reformationem* hanc Ioannes Chrysost. Hom. 19. ad Pop. ἀντολῶν προσθήκην: *Præceptorum augmentum*: quia auxit lex noua, quæ deerant in vetere.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Explicantur extrema verba orationis Dominicæ.

TERTVLLIANVS.

82. 1. ADIECIT ad plenitudinem tam expeditæ orationis, *Ne nos inducas in tentationem*, id est, ne nos patiaris induci, ab eo vtique qui tentat.

EXPLICATIO.

1. PLENITVDINEM, consummationem, perfectionem. *Expeditæ orationis*, id est, compendiosæ. *Inducas*, est hoc verbum è numero illorum in quibus dolus & insidiæ, & verè illectatio lenonia & insidiosa.

1. Thess. 3. Iac. 1. 2. Cæterùm absit, vt Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deiicere sit consentiens. Diaboli est & infirmitas & malitia.

2. Apage, vt Deus, qui interdum tentare dicitur in sacris litteris, ea ratione tentare existimetur, vt vel exploret cuiusque fidem, seu fidelitatem, quasi illius nescius; vel ad malum impellat, & inducat ipsa tentatione, quasi ruinæ cupidus. Certè si Deus ignoraret fidem cuiusque, esset infirmus; quia nulla maior infirmitas ignoratione: si deiiceret, esset in eo malitia. Istæ duæ pestes non Dei sunt, sed diaboli, qui vt infirmus, ignorat, vt malus, deiicit. hic ergo tentator est, non Deus. *Ignorare fidem* est, ignorare gradum fidei cuiusque, firmitatémque quam habet.

83. 3. Nam & Abraham non tentandæ fidei gratia ſacrificare de filio iuſſerat, ſed probandæ, vt per eum faceret exemplum præcepto ſuo, quo mox præcepturus erat, neque pignora Deo chariora habenda. Ipſe à Diabolo tentatus, præſidem & artificem tentationis demonſtrauit.

Gen. 22.

3. Poſſet obiici: Tentauit Deus Abraham. Diluit. Non fecit cauſa tentandæ eius fidei, id eſt, explorandæ tanquam ſibi ignotæ, ſed probandæ, id eſt, vt illam omnibus probatam ſpectatámq; redderet, & hæc præſtructa ad exemplum præcepti de liberis, qui non eſſe debent chariores Deo: ac perinde nulla in Deo infirmitas ignorationis. Sequitur, *ipſe à diabolo*, &c. Dixerat *malitiam* ad tentandum eſſe diaboli. Probat hoc ipſius Chriſti teſtimonio. q.d. Cùm ipſe voluit tentari à diabolo, eo ipſo demonſtrauit eius malitiam, voluitque illum repudandum *præſidem & artificem* totius *tentationis*.

84. 4. Hunc locum poſterioribus confirmat: Orate, dicens, ne tentemini. Adeò tentati ſunt Dominum deſerendo, qui ſomno potiùs indulſerant quàm orationi.

Matth. 4. *Ibid. 26.*

4. Senſus eſt. Verbis illis, *Orate ne tentemini*, quæ poſtea in aditu paſsionis dixit ad diſcipulos, ſatis confirmat Chriſtus locum hunc, quo nos iubet petere, *Ne nos inducas in tentationem.* Nam illi ideò tentati ſunt deſerendo Dominum, quia non orarunt, ſed *ſomno indulſerunt.* Notetur explicatio hæc Tertulliani. Etenim deſertionem fugámque diſcipulorum, quæ vera fuit tentatio, coniicit in ſomnum, cui indulſerunt: nam ſi oraſſent, non deſeruiſſent Chriſtum in paſsione. Quod ipſe innuit, cùm dixit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Vide ergo, an neceſſarium ſit dicere, *Ne nos inducas in tentationem.*

5. Eò reſpondet clauſula interpretans quid ſit, Ne nos deducas in tentationem, hoc eſt enim, ſed eueheNOS à malo.

5. Ait finem clauſulámque orationis eſſe interpretationem præcedentis verbi, illíque reſpondere. Ergo cùm dicimus, *Libera nos à malo*, nihil aliud petimus, quàm non deduci in *tentationem.* Nam verum *malum* eſt *tentatio.*

NOTÆ.

85. 1. EXPEDITÆ.] Explicui *compendioſæ*; nam ipſe lib. de Patientia cap. 4. *In expedito & quaſi in præſcriptionis compendio & commendatio & exhortatio de Patientia conſtituta eſt.*

1. NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.] De huius loci ſententia, an à Deo petamus, ne nos venire permittat in tentationem, ſed peccandi occaſionem anteuertat, an ſolùm, ne in ipſa tentatione poſitos permittat labi in peccatum, conſule Patres, & interpretes Matth. 6. qui de hac re variè ſentiunt. Certè Tertullianus qui pro priore explicandi ratione adducitur, qua ratione, aut quo verbo illi faueat, non video. Chryſoſt. Hom. 17. ad Pop. induci in tentationem eſſe ait, ἁμαρτῶν πεῖραν λαβεῖν: *Peccatorum experientiã habere*, à quibus petimus liberari. Dedi autem verbo *induco* notam illectandi, ductus verbis Greg. Nyſſeni: qui ſerm. 5. orat. Dominic. ait, tentationem eſſe tanquam δέλεαρ *eſcam*, quæ poſita ἐν ἀγκίστρῳ, *in hamo*, illectat. Quod interpres *inducas*, Auguſt. ep. 121. reddit *inferas.*

2. ABSIT VT DOMINVS TENTARE VIDEATVR.] Blandiuntur verba Fortunati: *Nunquid Deus aliquem in laqueum tentationis inducit, aut ab inimico cupit ſupplantari, qui monet ne incidat?*

86. 2. DIABOLI.] Signatè. q.d. *Tentatoris.* Itaque qui dicit, *Dæmon tentat*, non ita propriè loquitur: ſed propriè qui ait, *Diabolus tentat.* Vnde cùm Paulus dixit in epiſt. ad Theſſalonic. cap. 3. *Ne fortè tentauerit vos is, qui tentat*, de diabolo intellexiſſe iudicãdus eſt. Atque etiam Ambroſius, *Ne fortè attentauerit vos ille tentator.* Notetur verò diſcrimen inter διαβάλλειν & πειράζειν. Primum eſt de efficaci tentatione, alterum de irrito conatu. Vnde apud Matth. *Accedens tentator* eſt, ὁ πειράζων: quia in tentando Chriſto irritus fuit conatus.

3. PRÆSIDEM.] Diabolus quoque ab Cyrillo Alex. in cap. 7. Amos dicitur ἀπάτης πρόεδρος, *Præſes & præfectus fraudiũ.* De re ſimili loquens Magnus Gregor. Hom. 2. in Ezechiel. ait, *Diabolus præſidet.* Et Dæmon à Gregorio Thaumat. orat. 2. Annunt. vocatur ἀρχέκακος, id eſt, *princeps malorum*: vt etiam ab Ignatio Martyre, epiſt. ad Smyrnenſes. Sed & Hilarius lib. contra Arrian. illum vocat *patrem circumuentionis*, quę vox non abit ab *artifice* Tertulliani.

87. 4. ADEO TENTATI SVNT, &c.] Viſum mihi poſſe legi, *Ideo tentati ſunt Dominum deſerendo, quia*, &c. Sed non eſſe neceſſarium iudico.

5. CLAVSVLA.] Cyprianus *clauſulam* vocat orationis Dominicæ partem extremam, de qua ait: *In cõſummatione orationis venit clauſula vniuerſas petitiones & preces noſtras collecta breuitate concludens.* Quod hi *clauſulam*, Petr. Chryſolog. ſerm. 42. dixit *concluſionem ſermonis.*

88. 5. EVEHE NOS A MALO.] Cur hoc maluerit, quàm vulgare *libera*, concionantis eſt quærere; mihi non concionatori viſus eſt Tertullianus in *tentatione* ad laqueum alludere, explicatore Fortunato, cuius verba iam adduxi. Si ergo tentatio eſt laqueus, tollendi in altum ſumus & euehendi, ne incidamus: nam volucribus in fuga à laqueo ſalus eſt. Inde & Tertull. legit non ſolùm *inducas*, ſed etiam *deducas*, id eſt, ne nos in imum pertrahas, ſed ſimus in ſublimi: quòd ſi præuideris in foueam caſuros, nos inde euehe & attolle in altum. Neq; ab re eſt, ab Eligio Epiſcopo Nou. Homilia 3. *Orationem alatam* dici.

89. 5. A MALO.] Ex interpretatione Nyſſeni apparet hîc legi poſſe nõ ſolùm *à malo*, ſed *à Malo*, vtique Πονηροῦ, vt intelligatur diabolus, à quo volumus liberari. Quod neque abit à mente Tertull. vt quiuis facile poſſit coniectare ex initio huius capitis. Sed ponam hîc partem Homiliæ ſancti Maximi, etiamſi aliquantulũ extra rem, quæ eſt in Natali ſancti Stephani: *Sed dicit aliquis, Non poſſum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hoſtem patior crudeliſſimum. O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non cõſideras quid tu feceris Deo? Cùm enim tu multò graviora in Deũ peccata commiſeris, quare non dimittis homini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum?* O ſi hæc cogitaſſes!

CAP. IX. ARGVMENTVM.

Anacephalæosis superiorum capitum, & fundamentum ad sequentia.

TERTVLLIANVS.

90. 1. COMPENDIIS paucorum verborum quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apostolorũ, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? quot simul expunguntur officia, Dei honor in patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequij in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ?

EXPLICATIO.

1. HÆc periodus complectitur præcedentia omnia capita, excepto primo; idque & generatim, & deinde speciatim. Generatim, cùm ait attingi in oratione Dominica edicta Prophetarum, Euangeliorum, &c. Sunt hoc loco *edicta*, decreta, constituta. Speciatim, cùm ait in eadem *expũgi*, id est perfici, absolui, compleri multa simul officia, quæ enumerans ait, *Dei honor in Patre*, de quo secundo capite, vbi dixit, *Vno vocabulo Patris Deum cum suis honoramus*. Deinde *fidei testimonium in nomine*, de quo in tertio, nam cùm petimus nomen Dei *sanctificari*, damus testimonium fidei. Tertio, *oblatio obsequij in voluntate*, de quo in quarto, vbi *fiat voluntas tua*. Quarto, *commemoratio spei in regno*, de quo in quinto, vbi *adueniat regnum tuum*. Quinto, *petitio vitæ in pane*, de quo in sexto, vbi *Panem nostrum*, &c. Sexto, *exomologesis debitorum in deprecatione*, de quo in septimo, vbi *exomologesis est petitio veniæ*. Septimo tandem, *sollicitudo tentationum* repellendarum *in postulatione tutelæ*, de quo in octauo, vbi *sed libera nos*, &c.

91. 2. Quid mirum? Deus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius, iam tunc cùm ex ore diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cœlum commendans patri quæ filius docuit.

2. *Quid mirum*, hæc oratio attingat tot edicta, expungat tot officia, cùm instituta à Deo sit, qui, &c. *Religio orationis*, quia oratio actus est religionis. *Ordinata*, quia petitiones ita ordinatæ sunt, vt vna ex alia pendeat. *Animata*, cùm Christus iam tum illam protulit diuino ore, veluti animam illi indidit, qua calens & viuens esset, non frigida & mortua: & ita grandi hoc priuilegio, id est, dignitate, in cœlum ascendit pulsans paternas aures. Itaque oratio, quæ à nobis languida, & quasi mortua interdum proficiscitur, auctoris sui, id est, Christi, spiritu animatur, à quo accipit vim impetrandi.

92. 3. Quoniam tamen Dominus prospector humanarũ necessitatum, seorsum post
Ioann. 16. traditam orandi disciplinam, Petite (inquit) & accipietis: & sunt quæ petantur pro circumstantia cuiusque (præmissa legitima & ordinaria oratione quasi fundamento accedentium iuxta desideriorum) ius est superstruendi extrinsecus petitiones.

3. Videbatur iam nihil dicendum restare finita cõmentatione Dominicæ orationis, & ideò astruit fundamentum ad sequentia capita. *Pro circumstantia*, &c. Ita multæ & variæ sunt cuiusque hominum circumstantiæ, vt multa peti debeãt extra illa quæ in Dominica oratione. *Quasi fundamento*, &c. Id est, fundamento eorum desideriorum, quæ diuinæ illi orationi conformantur, & iuxta accedunt. *Ius est superstruendi*, superaddendi petitiones alias extra illas, non contra illas, imò conformes illis, & accedentes.

NOTÆ.

93. 1. QVOT SIMVL EXPVNGVNTVR, &c.] Locus hic deprauatus erat, correxi, tantùm mutata interpunctione. Legebatur quippe, *Quot simul expunguntur officia Dei, honor*, &c. Legi volo, *Quot simul expunguntur officia, Dei honor*, &c. Et sequentia apertè indicant, erítque nemo qui non probet. Cæterùm si amas locorum similitudines, lege Ioannem Cassianum collat. 10. c. 9. Vbi vno in versiculo orationis ad Deum tot ait includi mysteria, vt vix numeres.

1. FIDEI TESTIMONIVM IN NOMINE.] Legebatur priùs *Fides, testimonium*, &c. Secutus sum correctionem Iunij luce clariorem.

2. AB IPSO IGITVR, &c.] Potes explicare simpliciter, vt de vno tantùm Christo sit sermo. Non tamen displicet subtilitas Pamelij, qui in hac periodo Trinitatem agnoscit, itavt ordinata *ab ipso* sit patre, & de spiritu ipsius scilicet sancto, & *ex ore diuino* Christi.

2. ANIMATA.] Talem orationem θερμοτέραν vocat Nazianz. orat. . *Calidiorem*. Et fortasse Cassian. collat. 9. vocans orationem *pinguem* huc spectauit. Nã sicut tellus pinguis producit fructus, vitalis ipsa; & arida nihil producit, vt mortua: sic oratio dici pinguis potest, tanquam habens efficaciam animatam. Ita ab Clemente lib. 2. Pædag. c. 10. Audies terram aptam ferendis fructibus dici ἔμψυχον, *animatam*. Video aliter posse explicari Cassianum. 94.

3. PRÆMISSA LEGITIMA, &c.] Feliciter Latinius correxit hunc locum, quem secutus sum; legitur enim in vulgatis: *Præmissa legitima & ordinaria oratione quasi fundamento, accidentium ius est desideriorum, ius est*, &c. Cuius lectionis vitium nemo non videt. Volui ego parenthesi includere ad maiorem distinctionem legentium.

CAP. X. ARGVMENTVM.

Qui orant ad Deum, careant ira.

TERTVLLIANVS.

95. 1. CVM memoria tamen præceptorum, ne quantum à præceptis, tantum ab auribus Dei longè ſimus.

EXPLICATIO.

1. DIXERAT poſſe petitiones alias ſtrui ſuper orationem Dominicam, adhibet nunc modum. Ita ſuperſtruantur, vt non contra præcepta de modo orandi ab ipſo iniuncta, quorum debemus eſſe memores in oratione vt audiamur.

2. Memoria præceptorum viam orationibus ſternit ad cœlum, quorum præcipuum eſt, ne priùs aſcendamus ad Dei altare, quàm, ſi quid diſcordiæ vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſoluamus.

2. Pulcherrima gnome. Orationes *ad cœlum* debent aſcendere; neceſſaria ergo via; nulla hæc, niſi per præcepta orandi à Chriſto tradita: ſi extra hanc viam iuerit, errabit. Inter hæc verò præcepta maximum eſt redeundi ad concordiam cum fratre.

96. 3. Quid eſt enim ad pacem Dei accedere ſine pace? ad remiſſionem debitorum cum retentione? quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cùm omnis ira ab initio interdicta ſit nobis?

3. Venuſta oratio ex oppoſitionibus. *Ad pacem ſine pace, ad remiſſionem ſine remiſſione, ad placandum patrem cum ira in fratrem.* Nam quæ *pax*, quæ *remiſſio*, quæ *placatio*, pugnantibus validè contrariis? Quî tu vrbem capies, niſi hoſtes viceris, qui defendunt? Ergo oportet vincas primùm in pacem (ſic dicam) tuam, retentionem iniuriarum, implacabilitatem fraternam, vt contrario bono potiaris. Hæc paraphraſtica explicatio, ſed quò aſpectet, quid etiam ſit illud de *ira interdicta* ab initio, dicam in Notis.

Gen. 4. *Gen. 45.* *Pſal. 118.* *Matth. 5.* *Epheſ. 4.*

4. Nam & Ioſeph dimittens fratres ſuos ad perducendum patrem, Ne (inquit) iraſcamini in via, nos ſcilicet monuit (aliàs enim via cognominatur diſciplina noſtra) tum, ne in via orationis conſtituti ad patrem cum ira incedamus.

4. Cùm dixerit præcepta eſſe viam ad cœlum, & orationi eundum per hanc viam, adducit ad rem ſuam locum Geneſeos è cap. 45. vbi Ioſephus fratribus eũtibus ad perducendum patrem, mandauit, *Ne iraſcamini in via.* quo, ait, iam *tum* illis verbis admoneri nos, ne ad cœleſtem patrem accedamus in oratione irati aduerſus fratres noſtros. Et eo magis vim habet res iſta, quia in ſacro eloquio nomen *via* notat Chriſtianam diſciplinam. Voculam *Nam et*, quæ eſt initio, explico, *Sic &, ita &, itaque.*

97. 5. Exinde apertè Dominus amplians legem, iram in fratrem homicidio ſuperponit, ne verbo quidem malo permittit expungi.

5. Ait legem veterem ampliatam, quia olim vetitum erat homicidium, iam etiam ira vetita eſt, & hoc eſt *iram homicidio ſuperponi*, vbi locutio ſumitur ab oneribus. Olim erat onus non occidendi, iam huic oneri ſuperponitur aliud non iraſcendi. Pergit. *Ne verbo quidem malo permittit expungi*, id eſt, non permittit compleri iram vel verbo malo. Videtur enim ira compreſſa corde, nondum eſſe perfecta; cùm erumpit in verba, tunc expungitur completúrque. Poteſt obiici. Dixerat priùs, vetitam iram ab initio; quî ergo addit, ampliatum à Chriſto? Soluo. Nam ſignatè ait *apertè*. q.d. Vetita fuit ab initio, ſed non *apertè*, vt à Chriſto.

98. 6. Etiam ſi iraſcendum eſt, non vltra Solis receptum, vt Apoſtolus admonet. Quàm autem temerarium eſt, aut diem ſine oratione tranſigere, dum ceſſas fratri ſatisfacere; aut orationem perſeuerante iracundia perdere.

6. Si contingat aliquando iraſci, redi in gratiam eodem die, ex præcepto Pauli. Quod niſi feceris, impendet tibi alterum è duobus malis, aut eſſe diem integrum ſine oratione, quia non redis in gratiam; aut orationem perdere, nam perdis illam ſi iratus oras. Expendatur ab hoc viro dici *temeritatem tranſigere diem* vnum *ſine oratione*. Rationes, me tacente, noſti ipſe. Eſt, *receptus Solis*, occaſus Solis.

99. 7. Nec ab ira ſolummodo, ſed ab omni omnino confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio, de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt ſpiritus ad quem mittitur. *Sap. 1.* Neque enim agnoſci poterit à Spiritu ſancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis à læto, aut impeditus à libero. Nemo aduerſarium recipit, nemo niſi comparem ſuum admittit.

7. Extendit

7. Extendit doctrinam. Cùm is oratum, caue non ſolùm ab ira, ſed ab omni malo affectu, quicunque ille ſit, vt oratio tua conformis ſit Deo, ad quem mittitur. *Confuſione*, id eſt, perturbatione. Eſt enim confuſio σύγχυσις, permiſtio rerum, & turbatio. *Intentio*, poteſt accipi obuio Sanctorum ſignificato, *la intencion*: vel proprio Latinorum, id eſt, ſeruor orationi ſ. Notentur oppoſitiones. Spiritui *Sancto*, id eſt, ἁγίῳ: & *puro* opponitur *inquinatus* hominis ſpiritus, *læto triſtis*, *libero impeditus*. Demum firmat integrum curſum ſtabili & certa ſententia: *Nemo aduerſarium*, &c. quæ vicem habeat epiphonematis.

NOTÆ.

100. 2. NE PRIVS ASCENDAMVS, &c.] Inculcant Patres hoc præceptum, oratio enim non bona eius qui habet iram in fratrem: & omnia habent fulcrum à dictis Chriſti. Athanaſ. lib. de Virginit. ἐ κρατήσεις κακίαν τινὸς εἰς τὴν καρδίαν σου· εἰ δὲ μὴν, οὐκ ἀνέρχεται ἐυχή σου κατενεχθεῖσα: *Non retinebis offenſam alienam in corde tuo; alioquin precatio tua non pura aſcendit.*

3. AD PACEM DEI ACCEDERE SINE PACE?] Puto ſermonem ductum ab legatis, quos etiam *oratores* dicunt. Qui cùm mitterentur ad pacem petendam, quale eſt vt ipſi ſine pace irent? Ergo dicebantur illi *pacem aut bellum ſinu togæ portare*, vt liquidum ex narratione Liuij lib. 21. Eius verba: *Romanus ſinu ex toga facto, hîc (inquit) vobis bellum & pacem portamus, vtrum placet ſumite.* Finge itaque dicere Tertullianum, Tu orator cùm ſis & pacem velis à Deo petere, non bellum; oportet tecum pacem geſtes. Habet maiorem vim Nota iſta, ſi conſideres orationes miſſas ad Deum dici ab ipſo Tertull. *legationes*; de quo dicebam lib. de Pœnitent. cap. 9. ad illud, *Omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere.*

101. 3. AD REMISSIONEM DEBITORVM CVM RETENTIONE.] Opponuntur in iure duæ hæ voces. Vbi *remittere* pro condonare & gratis concedere. & lib. 93. D. de ſolut. *Retinendum eſt.*

3. IRA AB INITIO INTERDICTA.] Refert Pamelius hanc interdictionem, quæ initio facta, ad locum Geneſ. cap. 4. vbi Dominus ad Cain, *Quare iratus es.* & poſt pauca, *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

4. NAM ET IOSEPH.] Explicui *Sic &*, quod obuium in Tertull. hîc enim particula *nam* eſſe nequit ratio rei ſuperioris. Nam interdictio illa non refertur, niſi ad cap. 4. Geneſ. & ſanè apud Latinos hæc vocula conſecutionem rei notat, non rationem, & pro *equidem* ſæpe vſurpatur.

102. 4. NE INQVIT IRASCAMINI, &c.] In vulgatis ita legitur: *Et ne inquit iraſcamini in via, nos ſcilicet monuit. Aliàs enim via cognominatur diſciplina noſtra. Tu ne in via orationis conſtituti*, &c. Hæc plurimùm diſplicent. Malui lectionem Iunij repræſentare, quæ verè euidens.

4. VEL COGNOMINATVR DISCIPLINA NOSTRA.] Plenus pſalmus Dauidicus, in quo *via mandatorum*, &c. Vbi *via*, eſt doctrina diuina. Quis neſcit quæ de via ducente ad vitam Seruator Chriſtus? Quam Nazianz. orat. 2. vocat ὁδὸν βασιλικὴν, *viam regiam*. Veriſſimè. Nam tametſi στενὴ id eſt *anguſta*, certè *Regia*.

103. 5. AMPLIANS LEGEM.] Vide an locutionem ſumat à menſuris, intra quas lex fuit anguſta & arctata: & ideo à Chriſto ampliata, quia iam gratia vltra omnem menſuram, & modum excedens, iuuante Ambroſij loco, qui lib. 7. Comment. in Lucam, *Lex enim intra menſuram eſt, vltra menſuram gratia.* En *ampliatio* Tertullianica: nec me fugit vocem eſſe iuris, ſed quæ dixi non diſplicent. Si autem placeat illud de iure, in promptu eſt Turnebus lib. 1. c. 3. vbi illud Ciceronis 3. in Verrem: *Verùm, vt opinor, Glaucia primus tulit, vt comperendinaretur reus: antea, vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari.* Vbi *ampliatio* eſt in iudiciis, cùm parum res iudicibus liquebat.

6. SI IRASCENDVM EST, NON VLTRA SOLIS RECEPTVM.] Explico Tertullianum, ac perinde Apoſtolum, de leui iracundia, & quę non ad lethale accedat, iuuante hoc Chryſoſtomi loco orat. de Simultate & Ira: *Vnum inimicum iuſſi ſumus habere Diabolum, cum illo nunquam in gratiam redeas. Aduerſus fratrem verò nunquam ſis inimico animo, ſed ſi nata fuerit aliqua* (μικροψυχία) *offenſiuncula, longior vno aie ne eſto, neque ſpatium diurnum excedito. Sol* (*inquit Paulus*) *ne occidat ſuper iracundiam veſtram. Si ante veſperam ſtomachum ponis, habes à Deo aliquam veniam: quòd ſi vlteriùs tua bilis durarit, non ex ira & incandeſcentia raptum inuadente iſta ſimultas, ſed ex malitia ingenita, mente ſcelerata, & ſcelerum meditatrice exoritur.* In quibus μικροψυχία Chryſoſtomi, & *offenſiuncula* interpretis; tum etiam quæ præcedunt, & quę ſequuntur (ideo enim integrum dedi locum) arguunt leuem iracundiam. Ira quippe quę animam enecat, neque ad punctum eſſe debet. 104.

6. PERSEVERANTE IRACVNDIA.] Præclarè, quaſi hoc monſtrum ſit. Ait enim Chryſoſt. Hom. 8. ad Pop. πῦρ ἐστιν ὁ θυμὸς, ῥᾳδίως σβέννυται: *Ira ignis eſt, & facilè extinguitur.* Cùm ergo hęc ſit eius natura, qui in ea *perſeuerant*, vt ait Tertull. quippe *retinent*, vt ait Tacit. 1. Annal. & *plumbeas iras gerunt*, vt ait in Pœn. Plautus; ij certè monſtroſi ſunt. Inde ducor, vt putem Tertullianum per *iram perſeuerantem* intellexiſſe odium illius filium. Ait enim Saluian. lib. 1. de Gubern. *Ira mater eſt odij.* Ergo vt partus citò peragitur, ſed permanet filius, ita abeunte ira manet odium, quod verè perſeuerans iracundia. 105.

7. AVT TRISTIS A LÆTO.] Sermo eſt de oratione, vt vides; opportunus itaque locus Ioann. Chryſoſt. Homil. 2. ad Pop. ἀθυμίας νέφος, ἐπισκιάζει σῆς περὶ τῆς ψυχῆς τῆς ἡμετέρας, καὶ ἀφίησιν εὔκολον γίνεσθαι τὴν τοῦ λογοῦ διάδοσιν, ἀλλ' ἀποπνίγει: *Triſtitiæ nebula cùm ante animum noſtrum ſteterit; non ſinit facilem eſſe orationis curſum, ſed ſuffocat.* Neque impedit Chryſoſtomo eſſe ſermonem de Oratione ad homines, ratio quippe eadem.

CAP. XI. ARGVMENTVM.

Ablutio manuum non neceſſaria ad orationem.

TERTVLLIANVS.

106. 1. CÆTERVM quæ ratio eſt manibus quidem ablutis, ſpiritu verò ſordente orationem obire? quando & ipſis manibus ſpiritales munditiæ ſint neceſſariæ, vt à falſo, à cæde, à fæuitia, à veneficiis, ab idololatria, cæteríſque maculis quæ ſpiritu conceptæ manuum opera tranſiguntur, puræ alleuentur.

EXPLICATIO.

1. SCRIBIT hoc contra illos qui iactabant, ſatis eſſe accedere ad orationem ablutis manibus, etiamſi inquinatus eſſet ſpiritus. Aitque huius tam enormis ſententiæ nullam poſſe eſſe rationem, conficítque hoc argumentum contra eam ineptiam. Quî fieri poteſt vt carnalis manuum ablutio ſuppleat ſpiritualem animæ ablutionem, cùm potiùs contrà ſit? nam ſpiritualis ablutio refunditur in manus. Dicit hoc, quia multa ſunt quæ manibus perpetrantur crimina, à quibus, cùm manus abſtinent, dicuntur eſſe ſpiritualiter mundæ. Adhibet pro exemplo *falſum*, cùm ſcilicet aliquis chirographum aliquod falſum manu obſignat. Cætera clara ſunt: nam manus eſt quæ cædit in homicidio, quæ fæuit, quæ conficit veneficia, & idola. Itaque non capienda hic *idololatria* pro adoratione idolorum quæ fit animo, ſed pro confectura idolorum, quæ fit manibus, aut ſi velis, pro oblatione thuris, quæ etiam fit manu.

107. 2. Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitiosè curant, ad omnem orationem etiam cum lauacro totius corporis aquam ſumentes.

2. *Veræ* manuum *munditiæ* ſunt, abſtinere à criminibus, quæ manu perpetrantur, non illas abluere: Quid ſi adiungas aliorum ſuperſtitionem, qui non manus ſolùm, ſed totum corpus lauant, & ita ſe putant puros eſſe ad orandum?

3. Id cùm ſcrupulosè percontarer, & rationem requirerem, comperi commemorationem eſſe in Domini deditionem.

3. Superſtitioſi iſti rogati cur id facerent, reſpondebunt facere ſe commemorationem Dominicæ paſſionis, cùm Pilatus dedens Chriſtum Iudæis, manus lauit.

108. 4. Nos Dominum adoramus, non dedimus, imò & aduerſari debemus, deditoris exemplo, nec propterea manus abluere, niſi quod conuerſationis humanæ inquinamentum conſcientiæ cauſa lauemus. Cæterùm ſatis mundæ ſunt manus, quas cum toto corpore in Chriſto ſemel lauimus.

4. *Aduerſari debemus*, ſcilicet, ablutionem, ne videamur *deditoris exemplo* Pilati Dominum tradere. *Niſi quod*, &c. Tantummodo permitto tibi ablutionem ſi ſordulentus & inquinatus es, non ad orationem, nam hoc ineptum eſt, ad hanc enim *ſatis mundæ ſunt manus*, imò & totum corpus illius, qui ſemel baptiſmum ſuſcepit. Hæc integra ſententia. Sed vide hic Notas.

109. 5. Omnibus licèt membris lauet quotidie Iſrael, nunquam tamen mundus eſt. Certè manus eius ſemper immundæ, ſanguine prophetarum, & ipſius Domini, cruentatæ in æternum. Et ideo conſcientia patrum hæreditarij rei nec attollere eas ad Dominum audent, ne exclamet aliquis Eſaias, ne exhorreat Chriſtus.

Eſai. 1. 5. Spectat ad locum Iſaiæ cap. 1. *Et cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Pergit, *Conſcientia patrum hæreditarij rei*, &c. Quia ſcilicet Iudæi ipſi, *ſanguis eius ſuper nos & filios noſtros*, & ideo Iudæi qui nunc permanent in cæcitate, hæreditarium habent reatum. *Nec attollere eas ad Dominum audent*, acutiſſimè interpretatur morem Iudæorum, qui proſtrati orabant. Ait ergo, cur vos proſtrati oratis nunc in terram? certè, quia rei eſtis criminis patrum veſtrorum in cæde Chriſti, & ideo non audetis attollere manus ſanguinarias. *Ne exclamet*, &c. Verba ſcilicet quæ iam adduxi. *Ne exhorreat Chriſtus* manus veſtras plenas ſanguine.

110. 6. Nos verò non attollimus tantùm, ſed etiam expandimus, & Dominica paſſione modulantes & orantes confitemur Chriſto.

6. Si morem noſtrum requiritis, certè is eſt, non vt tantùm manus attollamus, ſed vt expandamus in modum crucis, vt ita confiteamur Chriſto *Dominica paſſione modulantes*, &c. id eſt, repræſentantes in nobis modum Dominicæ paſſionis, & ita commodulantes diuinæ citharæ extentæ in cruce. Puto certè Tertullianum alludere in hac *modulatione* & ad modum, quo extenti ſumus, & ad muſicas chordas ex ſocietate adſonantes: quaſi extentus Chriſtus ſit chorda vna, & extentus Chriſtianus altera, & ita fiet gratiſſima modulatio.

NOTÆ.

III. 1. CÆTERVM QVÆ RATIO EST, &c.] Inſtat conſiſtere in animo puro orationem, non in aliis rebus. Arnobius lib. 4. *Non enim qui ſollicitè relegit, & hoſtias immaculatas cædit, qui aceruos dat thuris cremandos, hic numina conſentiendus eſt colere, aut officia ſolus religionis implere; cultus verò in pectore eſt, atque opinio de Diis digna* (en puritas animi) *nec quicquam prodeſt illatio ſanguinis aut cruoris.*

1. MANIBVS ABLVTIS, &c.] Mos ſollemnis Gentilium fuit manus abluere, corpus etiam, ante preces. Marius apud Plutar. Diis vota facit, νιψάμενος παὶ χεῖρας, καὶ πρὸς τὸ πέλαγος ἀναβλέψας, *Lotis manibus ſublatiſque in cælum.* Homer. Odyſſ. 2.

χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς, εὐχετο Ἀθήνῃ:
Lotis manibus in mari cano precabatur Mineruam.

De toto corpore teſtis Ennius Creſphonte apud Nonnium.

Eunt ad fontem, nitidant corpora.

Et Eurip. Alceſt. vbi de adeunte ſacra,

---ὕδατι ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλύσατο.
---*Aquis fluuialibus candidum corpus*
Lauit.

112. Et notentur verba Ariſteæ de ſeptuaginta interpretibus: *Rege conſalutato ad diuerſa loca diuertunt, atque (vt mos eſt Iudæis omnibus) manibus priùs in mari lotis, Deo preces effundunt.* Sed morem iſtum locupletauit Baronius tom. 1. Annal. pag. 459. ex Ioanne Chryſoſtomo, Anaſtaſio Sinaïta, & aliis. Vnde apparet hunc morem Eccleſiæ quoque fuiſſe. Clemens enim lib. 8. conſtit. cap. 32. ita ait: πᾶς πιστὸς ἢ πιστὴ, ἕωθεν ἀναστάντες ἕξ ὕπνου, πρὸ τοῦ ἔργου ἐπιτελέσαι νιψάμενοι προσευχέσθωσαν: *Omnis fidelis vir aut mulier, mane vt è ſomno vigilauerint & ſurrexerint, priuſquam operi manus admoueant, manibus lotis Deum orent.* Chryſoſt. homil. 72. in Ioannem: εἶτα χεῖρας νιψάμενοι εἰς ἐκκλησίαν εἰσίωμεν: *Deinde manus lauamus in Eccleſiam ineuntes.* Quin olim morem fuiſſe, vt in aditu templorum fontes eſſent, vt quiſque manus lauaret, antequam ad ſacram orationem peruenirent, Euſebius refert lib. 10. Hiſt. c. 4. qua de re videndum cap. 9. Bulengeri lib. 3. de Templis, vbi rem omnem eruditè tractat.

1. SPIRITV VERÒ SORDENTE, &c.] Nam puritas mentis ſolùm requiritur. Clemens 4. Recognit. *Vnus itaque apud homines tunc Dei cultus eſt, mens pura, & ſpiritus incorruptus.* Prudent. in Præfat. ad περὶ στεφ.

Dona conſcientiæ,
Quibus beata mens abundat intus.

1. PVRÆ ALLEVENTVR.] Signata vox ſacrorum. Tibull. eleg. 1. l. 2.

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Ita & Græci in re ſacra αἴρειν. Heliodor. 9. lib. Æthiopidos, χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴροντες, *Manus ad cœlum tendentes.* Atque etiam ἀγχένειν, & ἀγχῶς ἔχειν. Eurip. Hippoly. dixit,

Ὃς οὐδ' ἀκούσας τοῦτό γ' ἀγχένειν δοκῶ:
Qui nec purus quidem eſſe videor his auditis.

Inde Hieronym. lib. 3. Pelagian. coniungit ſynonymicè, *Sanctæ, innocentes, puræ manus.* & in Prudentio eſt, *puras preces*, hymno 1. περὶ στεφ. Nicetas Choniates in vita Alexij cap. 17. καὶ ταῖς χεῖρας εἴρειν ἁγναῖς τῆς μιάσματος: *Et manus ferre puras à crimine.* Caſſian. coll. 9. c. 2. *Leuantes puras manus.*

2. MVNDITIÆ.] Vox ſtudiosè quæſita ex prouerbio vetere, quo dicebatur *aqua mundare*, & *munditia ab aquis.* Attius Thebaide, *Cum de Dercæo fonte aduenium mundula, nitidantur vulgò.* 112.

3. COMMEMORATIONEM ESSE IN DOMINI DEDITIONEM.] Cùm à rebus quas Chriſtus viuens geſſit, multi & laudabiles mores propagati in Eccleſiam fuerint; accidebat aliquando vt per ſummam deceptionem inducerentur non probi, vt hic quem damnat Tertullianus. Etenim decepti Chriſtiani initio rudes, putabant orationem non adeundam niſi lotis manibus, idque ſe facere dicebant in commemorationem Dominicæ paſſionis. Propterea Fabianus Papa in epiſt. 2. ad Orientales Epiſcopos, loquens de ſimilibus moribus, ait, aliquando irrepſiſſe prauiſſimarum mentium peruerſam doctrinam, quæ indulgentiùs frenis vſa, in præuaricationem præſumptionis delapſa fuerit. Et concludit, dicens, non faciendum locum *ſuperuacuis ſuperſtitionibus.* Nam *rudes* (ait) *fidelium mentes ad talia non debemus inducere, quia docendi potiùs ſunt quàm illudendi.* Inter tales mores certè hic vnus luſu & illuſu dignus.

4. ADVERSARI.] Aliqui legunt *auerſari*, & laudo. 113.

4. NISI QVÒD CONVERSATIONIS, &c.] Fateor verba hæc eſſe difficilia, quia plures admittunt explicationes. Proponam aliquot, vt expeditior ſit tibi Tertullianica. Prima, & quam ſequor, eſt: Tantummodo lauemus manus conſcientiæ cauſſa, id eſt, ſi conſcij ſumus contraxiſſe nos inquinamentum ex humana conuerſatione, conuictu, conſortio. Nam *conſcientiam habere*, & *conſcium eſſe*, idem eſt apud ſcriptores profanos, & ſacros etiam, nam cap. 20. Concilij Toletani primi, dicitur, *Sine conſcientia Epiſcopi nihil Preſbyteri agere præſumant.* & Concilium Agathenſe cap. 62. *Si quis ſeruum proprium ſine conſcientia iudicis occiderit*, quæ verba Rabanus Maurus citat lib. de Pœnitentib. cap. 14. id eſt, ſine ſcientia. & Ambroſ. ſerm. 13. loquens de Chriſto ait, *extra conſcientiam patris natus.* Id eſt, humanus pater conſcius non fuit generationis Chriſti, quia natus ex Virgine. Altera huic oppoſita, nam tota ſpiritualis. Manus non egent lauacro, tantummodo conſcientia lauanda eſt, ſi quod peccatum ex conuictu humano contraxit. Tertia, media eſt inter duas ſuperiores, nam ex exteriori lauacro interius intelligit. Lauatio manuum in eo populo nota erat innocentiæ, vt liquidum ex facto Pilati, qui vt ſe innocentem indicaret, lauit manus, vſurpans, licèt gentilis, morem Hebræi populi, atque etiam hic mos notus ex cap. 21. Deuteronomij, vide ibi. Ergo ait Tertullianus: Tantummodo manus exteriùs lauemus, ſi neceſſarium ſit aliquando conſcientiæ cauſſa teſtari nos mundos eſſe à ſcelere. Elige ex his, quam voles, aliam præterea neſcio an poſſis inuenire. Mihi vel prima vel tertia placet, nam puto Tertullianum loqui de ablutione exteriore manuum, vt ex præcedentibus & ſequentibus quiuis facilè coniectet.

114. 5. HÆREDITARII REI.] Vide an verè hæreditarij, cùm illorum seruitus ἐ τέλος ἔμελλε λήψεδθαι, ait Ioann. Chrysost. orat. 3. aduers. Iudæ. *nunquam habitura sit finem.*

6. SED ETIAM EXPANDIMVS.] Est hic habitus ille orantium, quem idem Tertull. describit cap. 30. Apolog. his verbis: *Sic itaque nos ad Deum expansos vngulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, glady guttura detruncent, bestia insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* Itaque immaniter deceptus est Iunius cùm verba Tertulliani hæc in lib. de Anima cap. 51. *Ad primum habitum orationis*, explicat, *cùm primùm oratio à presbytero haberi cœpta est.* Fallitur. nam Tertull. dicit, cùm primùm se Presbyter in speciem orantis conformauit, id est, cùm primùm manus expandit precantis habitu & modo. Quem habitum Nazianzenus orat. 3. vocat. χειρῶν ἔκτασιν, vt etiam Athanas. Apolog. aduersus Gentes. Et Euripides Iphig. ἀνέχε χεῖρας, *manus sustulit.* & Tzetzes in Historia 231. Chiliad. 8.

Ἤεραν οἱ πάντες δεξιὰς πὰς ἑαυτῶν εἰς ὕψος:
Tollebant omnes dextras suas in altum.

Et Appianus in Libycis, πὰς χεῖρας ὤρεγον: *Manus tetenderunt.*

6. DOMINICA PASSIONE MODVLANTES.] Pari sermone vsus Ignatius Martyr, epist. ad Philadelph. vbi loquens de Episcopo Sanctissimo ait. 115.
πεπήρμοσται γὰρ πὰς ἐντολὰς Κυρίῳ, ὡς χορδὰὶ τῇ κιθάρᾳ: *Composuit se ad mandata Domini & iustificationes, vt chordæ ad citharam.* Chrysostomus epist. ad Olympiadem, dixit χορὸς πανάρμόνιος, *modulatus chorus*, de hac ipsa re. Sermonem hunc ad rem aliam traduxit Zeno Veronens. in eo opere, cui titulus, *Attende tibi*, vbi ait, modulationem quandam inter animam & corpus, quam attribuit Deo sapientissimo artifici. Athanas. quoque Apolog. aduersus Gentes, animam ait esse artificem peritum musicæ, qui corpore vtatur tanquam lyra. Dionysius Exiguus in vita Pachomij: *Consuetam citharam spiritualis plectri modulatione pulsabat.* Et Greg. Nyssen. tract. 1. in Psalm. cap. 9. eodem Symphoniæ & commodulationis genere vtitur ad explicandam consonantiam, qua superior omnis & inferior creatura Deum laudat. Gregor. Nazianzen. carm. 54.

Ὄργανόν εἰμι Θεοῖο, καὶ ἐκφερέεσσι μελίσσιν
Ὕμνον ἀϋτάζω φόρμιγγι, τῷ πὰν ὑποτρομέει:
Sum lyra supremi Regis, modulisque canoris
Hunc cano, qui tumulo cuncta pauore quatit.

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Ritus duo superstitiosi in oratione euersi.

TERTVLLIANVS.

116. 1. SED quoniam vnum aliquod attigimus vacuæ obseruationis, non pigebit cętera quoque denotare, quibus meritò vanitas exprobranda est, siquidem sine vllius aut Dominici aut Apostolici præcepti auctoritate fiunt.

EXPLICATIO.

1. RITVM quem attigit præcedente capite, & quos in hoc reprehendit, vocat *vacuam obseruationem & vanitatem*, & ratio, quia *fiunt sine auctoritate præcepti* aut Domini Iesu Christi, aut Apostolorum eius. Adde etiam, sine idonea vlla ratione, aut auctoritate Ecclesiæ, quæ ceremonias adhibuit ad excitandam animi pietatem, & deuotionem, accommodatas. Nam scilicet ritus, qui inde pendent, solidi sunt, aliàs vacui, inanes, vani, futiles.

117. 2. Huiusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata, & coacta, & curiosi potiùs, quàm rationalis officij, certè vel eo coercenda, quòd gentilibus adæquent.

2. Inde colligit hos ritus non *religioni* deputandos, sed *superstitioni*, & eo ipso vitandi erunt, vt qui nos *adæquent Gentilibus.* Ponit obiter notas superstitionis, scilicet *affectatio, coactio, curiositas.* Nam superstitio affectat, & mentitur religionem: deinde cogit Scripturas sacras, & ad se inuitas trahit: demum amplectitur quod curiosum est, non quod rationabile.

3. Vt est quorundam positis penulis orationem facere, sic enim adeunt ad idola nationes. Quod vtique si fieri oportet, Apostoli qui de habitu orandi docent, comprehendissent: nisi si qui putant Paulum penulam suam in oratione penes Carpum reliquisse. Deus scilicet non audiat penulatos qui tres Sanctos in fornace Babylonij Regis orantes cum sarabaris & tiaris suis exaudiuit.

1. Cor. 11.
2. Tim. 4.
Dan. 3.

118. 3. Erat ergo superstitio quorundam, non orandum, nisi *positis penulis*, qua ratione & gentes adibant sua idola. Hæc (inquit) mera est superstitio: nam si hic ritus esset necessarius ad orandum, *Apostoli* illum docuissent. Nisi si qui per summam ignorationem, quod Paulus gessit, ad hunc morem conuertunt. Reliquit quippe Paulus penulam apud *Carpum*, vt habetur epist. 2. Timoth. c. 4. & illi addunt feciſse hoc ad orandum. En Lector *coactio* illa, de qua suprà, cogunt scilicet superstitiosi Scripturas sacras. Conuincit istos ex re trium puerorum, qui exauditi à Deo sunt *in fornace, cum sarabaris & tiaris.* Vide an satis vestiti essent? Sic ergo & penulati audientur.

119. 4. Item quòd adsignata oratione assidendi mos est quibusdam, non perspicio ra-

tionem, nisi si Hermas ille, cuius scriptura ferè Pastor inscribitur, transacta oratione non super lectum assedisset, verùm aliud quid feciisset, id quoque ad obseruationem vindicaremus. Vtique non. Simpliciter enim & nunc positum, *Cùm adorassem, & assedissem super lectum*, ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinæ. Alioquin nusquam erit orandum, nisi vbi fuerit lectus. Imò contra scripturam fecerit, si quis in cathedra, aut subsellio sederit.

4. Transit ad morem alium, imò superstitionem. Mos fuit quibusdam Christianis eo æuo post orationē sedere, ita vt viderentur non rite preces fudisse, nisi illas sessione, veluti sigillo quodam, clauderent. Autumat Tertullianus acceptum hunc ridiculum morē ab Herma, qui in Pastore suo ita scripsit: *Cùm adorassem & assedissem super lectum:* Ergo ait: *Non perspicio rationem*, cur sedeatis post orationem, nisi accepistis ab Herma, qui transacta oratione assedit, & quidem *si quid aliud* post orationem *feciisset, id quoque* vindicaretis *in obseruationem*. Hactenus de origine erroris. Explicat deinde verba Hermæ, cùm ait, *vtique non*, &c. Id est. Non vtique ita est, ô fideles mei, nam verbum assidendi in Herma *simpliciter positum* est, non aliquo mysterio, vt vos putatis. Nam eius verba non continent *disciplinam* doctrinámque orandi: sed tantùm narratio est rei gestæ. Probo. Nam aliter *orandum* non fuisset, *nisi vbi lectus*, quia ille assedit super lectum: ergo vt hoc ridiculum, ita & illud. Pergit. *Imò contra*, &c. Id est contra eandem Hermæ scripturam, cuius meminerat. Colligit absurdum aliud. Nam inde dici potest esse *contra Scripturam* sedere *in cathedra aut subselliis*, quia videlicet Hermas sedit, non in cathedra, sed in lecto. Percurro quædam verbula. *Adsignata oratione*, id est, finita, transacta. *Assidendi*, non, sedendi, quia sessio, ad orationem iam habitam.

120. 5. Porro cùm perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.

5. Argumentatur iam contra illum morem aliunde. Nam Gentiles sedent post adorata sigillaria, (id est, imagunculas Deorum) cur ergo tentant Christiani morem affinem Gentilibus?

121. 6. Eo apponitur & irreuerentiæ crimen, etiam ipsis nationibus, si quid saperent, intelligendum. Siquidem irreuerens est assidere sub conspectu contráque conspectum eius, quem cùm maximè reuerearis ac venereris: quanto magis sub conspectu Dei viui,
Luc. 1. Angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigauerit?

6. Demum *apponit*, id est, adiungit crimen irreuerentiæ. Quod crimen etiam Gentiles, si saperent, euitarent. Nam cùm irreuerentissimum sit sedere coram principe aliquo, corámque viro dignitatis magnęque reuerentiæ; quanto erit irreuerentius sedere coram Deo, ante cuius conspectum stat Angelus orationis? obiicies. Nulla videtur esse irreligiositas sedere transacta iam oratione. Probè obiicis; sed non in re Tertulliani. Nam Tertull. loquitur de ea sessione, quæ tota pertinet ad orationem, imò quæ est veluti complementum, clausula, & signaculum orationis. Extremum illud *nisi exprobramus*, &c. cum magno stomacho. Nam quale est, vt dicas, fatigari te coram Deo? hoc quid est aliud, quàm illi exprobrare? Sententiam verò ita annecte. Erit crimen irreuerentiæ, nisi exprobratio sit, quæ maius crimen. Verbum illud *cùm maximè* frequens huic Auctori, pro, quàm maximè.

NOTÆ.

122. 1. VACVÆ OBSERVATIONIS.] Explicui *inanem* obseruationem, quia sine auctoritate præcepti aut Christi, aut Apostolorum. Sed non inficior explicari quoque posse *exteriorem*, & quę nullo interiori succo, & fructu spiritus. Ad quem modū Ioann. Chrysostomus aduersus Iudæos, obseruationes illorum, qui nunc perseuerant in Iudaismo, vocat inanes, futiles, vacuas, quia nullo cum emolumento. Zeno etiam Veronens. serm. 10. de Exod. res Iudæorum vocat *vacuatam imaginem*.

2. RELIGIONI.] Vsi antiqui sunt *religionis* nomine, non vtcunque. Columell. dixit *religiosè*, pro sollicitè & accuratè. Inde *obstringere religione aliquem*, erit obligare, & metum conscientiæ incutere. Cic. 2. Phil. *Obstrinxisti Populum Rom. religione*. Plaut. Curcul. *vocat me ad cœnam, religio fuit, denegare nolui*. Intelligit se obstrictum religione.

2. SVPERSTITIONI.] Opponit superstitionem religioni. & meritò. Illa enim interdum oppositorum lex est, vt habeant veluti vmbram & speciem alterius, canente Horatio, *Decipimur specie recti*. Isidorus scripsit de hac re latè lib. de Conflictu vitiorum, & virtutum. Atqui superstitio nihil est aliud, quàm fucata religio. Et quidem vitium hoc notat Concilium Toletanum 3. loquens enim de Hispano populo, ait, *Sub nomine religionis famulabatur errori*. & Seneca dixit lib. 2. de Clementia cap. 5. *Quemadmodum religio Deos colit, superstitio violat*. & in Agone Beatæ Agathę dicitur, *Christianæ superstitionis nomine comprehensam*. Ergo mens Tertulliani est, multa videri affinia religioni, quæ verè superstitiosa sunt.

123. 2. AFFECTATA, COACTA, &c.] Vides notas illorum, qui superstitiosè cogunt scripturas quò volunt. Contrarias habes apud Saluianum lib. 5. de Gubernat. *Nos tantùm scripturas sacras plenas, inuiolatas, integras habemus*. Et post aliqua: *Veritas apud nos est, sed illi apud se esse præsumunt*.

3. PENVLIS.] Cùm varius vsus fuerit penularum, tum ille, vt quotidianis ministeriis, ac vilibus, & (sic dicam) ingloriis deseruiret. quod conuincit locus Sidonij epist. 5. lib. 1. vbi loquens de celebritate nuptiali, ita: *Iam quidem virgo tradita est, iam corona spōsus, iam palmata consularis, iam cyclade pronuba, iam toga Senator honoratur, iam penulam deponit inglorius*, &c. Sunt alia testimonia, quæ hoc conuincunt, & quæ ego hîc nolo. Ergo hoc significato accipitur à Tertulliano; nam cùm allusio sit ad penulam Pauli Apostoli, vt infrà patet, certè Apostoli non vsi penulis illis, quæ in honore & gloria. Et eo magis vestis hæc Apostolis in vsu fuit, quia semper peregrini.

Atqui de penula Lamprid. in Alexand. *Cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium fuiſſet.* Inde & à Tullio datur Miloni Lanuuium proficiſcenti. Eidem argumento ſeruit, penularum vſum fuiſſe ad arcendas plùuias, vt ſcribit Spartian. in Adriano.

124. 3. SIC ENIM ADEVNT AD IDOLA NATIONES.] Morem hunc Gentilium aperit interpres Æſchyli, ad eum locum ſeptem ad Theb. πέπλων καὶ στεφέων &c. vbi ait. πότε γὰρ εἰώθασι πέπλους ὑπὲρ γῆς ἢ νεῶν, προστίθεσθαι ὑπὲρ λιτυρείας τῶν περὶ ἡμῶν αὐτῶν, καὶ τῆς πόλεως; παρεστήκασιν δὲ καὶ πέπλοι, καὶ ἐνδύουσι καὶ πέπλους, τὰ ἀγάλματα: *Quando in terram coniiciemus coronam aut peplos* (veſtis eſt) *niſi nunc, cùm ad preces conuertimur & pro nobis & pro vrbe? Illico veſtes depoſuerunt, & illis induerunt ſimulacra.* Verba interpretis parum fideliter Herald. aduocat in Digreſſ. obiter vides morem alium. Non enim ſolùm veſtes deponebant, ſed illis etiam induebant Deorum ſimulacra.

3. SARABARIS.] De veſte hac Perſica dixi iam lib. de Pallio.

3. TIARIS.] De his quoque pleno ſtylo ad lib. 7. Æn. huc reuoca.

125. 4. ADSIGNATA ORATIONE.] Explica: abſoluta, finita, tranſacta. Hoc enim ſenſus poſtulat, nam quod hîc *adſignata* poſtea *tranſacta.* Sed voluit *aſſignata*, quaſi *obſignata.* Eſt enim in iure *adſignare* idem quod *obſignare*, vt multis probant Schardius, & Briſſon. ità *adſignare* tabulas, teſtamentum, &c. pro obſignare. Sed & Briſſon. lapidem profert in quo, *Huic donationi monumenti, ſicut ſcriptum eſt, conſenſi, ſubſcripſi, & adſignaui.* id eſt, ſigillo obſignaui. Ergo ait Tertull. illos *adſignata oratione* ſedere, quia ſignaculum extremo loco adhiberi ſolet. Ephrem Syrus ſerm. de Pœnit. dixit, *Sigillo muniamur orationis.* Apuleius Apologet. *Votum in alicuius ſtatuæ femore adſi-*

126. *gnaſti.* Quia videlicet preces, quas Gentiles ad Deos ſuos fuderant, conſcribebant in tabella, eáſque conſignabant, & Deorum ſtatuis, maximè genibus, affigebant. Inde in epiſtolis Plinij ſæpe occurrit vox iſta, *ſignata vota.* Originem moris huius hanc fuiſſe credo. Magici homines, venefici, ſcelerati preces ad Deos fundebant *tacitas*, vt loquitur ibidem Apul. & *arcano ore*, vt lib. 1. epig. 41. Martialis, quod & Tibullus diceret *tacitus optare.* & Perſius *tacitos ſuſurros.* & Catull. *tacito labello vota ſuſpendere.* & Nicetas Choniates in vita Alexij cap. 13. de Andronico Alexij interfectore ait: διαλέξει τινὰ λαθραίαν ἐποιεῖτο, *occultum colloquium habuit*, cùm ſepulchrum Manuelis ſpectaret, tanquam cum mortuo loqueretur. Ergo, qui non eſſe Magos volebant profiteri, apertè orabant, vota obſignabant pro ſalute imperatorum, ne viderentur quidpiam mali illis optare. Nimirum quod Perſ. Satyr. 2.

--- *& aperto viuere voto.*

Videatur Clemens Alex. l. 4. Strom.

127. 4. ASSIDENDI.] Ita hoc vituperatum Tertulliano, quia ex irreuerentia, & ſocordia, & ignauia multi ſedebant; vel quia ſedebant, quando ſtandum eſſet; vel alia quauis ratione peccabant: nam ſedere inter orandum plauſibile fuit monachis Ægyptiis: de quibus Caſſianus c. 12. l. 2. *Cunctis ſedilibus humillimis inſidentes ad vocem pſallentis omni cordis intentione dependeant.* Quod etiam ex regula Sancti Benedicti clarum eſt, nam cap. 9. ſtatuit, *Vt diebus feriatis ad nocturnos ſedentibus omnibus in ſcamnis, legantur viciſſim à fratribus ſuper analogium tres lectiones: poſt tertiam verò lectionem, dicatur Gloria Patri, quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de ſedilibus ſuis ſurgant ob honorem & reuerentiam S. Trinitatis.* & cap. 11. *Reſidentibus cunctis diſpoſitè & per ordinem in ſubſelliis.*

4. HERMAS.] Hic librum edidit, cui titulus *Paſtor*: eius meminit Ruffinus Aquileienſis Preſbyter his verbis: *In nouo teſtamento libellus, qui dicitur Paſtoris ſiue Hermatis* (legendum *Hermæ* ſine dubio) *qui appellatur duæ viæ, vel iudicium Petri, quæ omnia* 128. *legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* Et Euſebius Pamphylus lib. 3. c. 3. Hiſt. Eccleſ. interprete eodem Ruffino, ita ait: *Libellus Hermæ, qui dicitur Paſtoris, cuius Paulus in epiſtolis ſuis meminit, à plurimis non eſt receptus, ab aliis autem neceſſarius iudicatus eſt, propter eos qui primis fidei inſtitutionibus imbuuntur. Vnde & in nonnullis Eccleſiis legitur, & multi veterum ſcriptorum vſi ſunt teſtimoniis eius.* Meminit & Ioann. Caſſian. collat. 13. c. 12. & Theodoritus lib. 1. Hiſt. c. 8. & ſignatè ita Sedulius Hybernenſis in Collectanea epiſtolæ ad Romanos cap. 16. *Puto autem quod Hermas iſte ſit ſcriptor libelli illius, qui Paſtor appellatur, quæ ſcriptura valde mihi vtilis, & (vt puto) diuinitus inſpirata.* Omitto alios. Sed certè hic liber reprobatus eſt à Gelaſio, nec inter canonicos habitus, vt à quo & Caſſianus errorem ſuum, & Arriani ſuam hæreſim conarentur probare, vt de Arrianis ibidem ſcribit Theodorit. Eiuſdem auctoritatem hîc eleuat Tertullianus.

4. CVM ADORASSEM, &c.] Liber Paſtoris Hermæ ſic habet in præfatione lib. 2. *Cùm oraſſem domi, & conſediſſem ſupra lectum.* Tertullianus mutauit *adoraſſem*, ex inſito homini genio. Poſuit rationem Hermæ. Quid verò ſi tractus mos ab ſedentibus ad aram? iuxta illud Tibulli 4.

Et Veneris ſanctæ conſidam vinctus ad aram.

Terent. Heaut. *Nec tu aram tibi, nec precatorem pararis.* Plaut. Moſtell. *Ego interim hanc aram occupabo.* Tam Plautus quàm Terentius de ſedentibus intelliguntur.

4. VINDICAREMVS.] Cur non *vindicaretis*, 129. cùm illos reprehendat? Indicat certè, loqui de more non vniuerſali multorum fidelium, ſed quem ipſe cerneret inter Carthaginenſes, ideo & ſup. *quibuſdam* dixit.

4. IN CATHEDRA AVT SVBSELLIO.] Ne putet Lector hic adludi ad *cathedram peſtilentiæ*, de qua in pſalmo, nam hæc improbatur: in Tertullianica autem eſt laus. Fit itaque alluſio ad pluria alia loca Scripturæ, vt ad illum 1. Reg. cap. 20. *Cùmque ſediſſet Rex ſuper cathedram ſuam ſecundùm conſuetudinem.* tu paria. De *ſubſelliis* ſcias eſſe in Eccleſiis. Teſtis eſt Iulianus Apoſtata, qui vt referunt Sozomenus lib. 5. c. 15. & Nicephorus lib. 10. c. 20. inſtituerat delubra gentilium tum apparatu, tum ordine religionis Chriſtianæ adornare. Itaque in Idolorum templis & ſubſellia & primarios ſuggeſtus fieri curauit. & Athanaſ. epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, Arrianos commemorat dolentes, thronum, ſubſellia, menſam, lignum, tabulas Eccleſiæ Alexandrinæ, quæ poterant, foras elata combuſſiſſe ante veſtibulum in magna platea.

5. CVM PERINDE FACIANT NATIO- 130. NES, &c.] Quippe Gentiles multa ſacra ſedendo celebrabant, vt ex diſciplina Numæ tradit Plutarchus. & Pauſan. Laconic. ait, Oreſtem liberatum inſania καθεζόμενον *ſedentem*, id eſt, operantem ſacris. & Cicer. 2. Leg. dixit, *Feriæ Denicales reſidentur mortuis.* Plura his ego 9. Æn. ad illud,

--- *ſacrata valle ſedebat.*

Apud Pindarum od. 6. Iſthm. poſt conceptas preces fit ſeſſio, ὡς ἀρὰ εἰπὼν, ἀντία ἕζετο: *Hæc cùm dixiſſet, ſtatim ſedit.* Huc poſſum referre proſtrationes Gentilium, quæ inſtar ſeſſionis: poſt adorationem enim circumuertebant corpus, & proſtrabantur. Notabis tamen, cùm nullum eſt periculum ſuperſtitionis, tutò poſſe ſeſſionem fieri in oratione. Arnoldus in vita Sancti Godethardi: *Sanctus pater Godethardus dum in cella ſua poſt vigilias matutinas orationis cauſſa reſideret.*

Porro *sigillaria* sunt icunculæ, aut imagunculæ Deorum, Originem vide apud Macrob. lib. 1. Satur. cap. 11. ad finem. Arnobius lib. 6. *Quin imo Deos esse sigillaria ipsa confetis.*

5. RESIDENDO.] Plinius dixit lib. 14. cap 14. Athamantem *residere pœnitentiam*, id est, lugere peccati pœnitentia. & Plautus Capt. *Itaque venter gutturque residunt. esuriales ferias.* id est, sedendo agunt. & Cicero 2. Leg. *denicales ferias* appellat, *quibus residentur* mortui. Quòd sedendo scilicet mortuis feriarentur.

131. 6. IRREVERENS ASSIDERE SVB CONSPECTV, &c.] Alexander ad Sisyngambim matrem Darij apud Curtium lib. 5. *Quotiescumque ad te veni, donec vt considerem, annueres, restiti.* Itaque irreuerens est sedere coram alio, qui maior dignitate. De orante Constantino Euseb. lib. 4. in vita eius cap. 21. μόνος μόνῳ τῷ ὄντι προσωμίλει Θεῷ, ἱκετηρίοις τε δήποτε γόνυσι πεσὼν κατηνώπιος, ὧν ἐδεῖτο, τυγχάνων: *Solus cum solo Deo loquebatur, proiectúsque in genua, & demissis in terram oculis instabat supplicibus precationibus illa consequi, quibus egebat.*

6. ANGELO, &c.] Alluſum ad locum Lucæ. 1. *Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Ergo huc spectans ait, Angelum nostrum stare, vt ferat preces ad Deum, ac nos tum sedere erit irreuerentissimum. Porrò nec lectio Iunij, nec loca, ad quæ ait respectum, placent.

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

Modus qui Christianis esse debet in orando.

TERTVLLIANVS.

132. 1. ATQVI cum modestia & humilitate adorantes magis commendemus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis, sed temperatè ac probè elatis. Ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantùm prece, sed & vultu humiliatus atque deiectus orabat, iustificatior Pharisæo procaciſſimo discessit. *Luc. 18.*

EXPLICATIO.

1. CONTRA superiores ritus superstitiosos adhibet religiosos Christianorum. Hi sunt *modestia*, & *humilitas*, quarum virtutum nota est elatio manuum, sed *temperata*, non admodum sublimis: deinde *vultus deiectus*, non *in audaciam erectus*. Firmat hoc Pharisæi & publicani exemplo.

133. 2. Sonos etiam vocis subiectos esse oportet: aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium oraculi Pythij: *Et mutum* (inquit) *intelligo, & non loquentem exaudio.* Dei aures sonum expectant? *Ioan. 2.*

2. Adiicit modestiæ & humilitati sonum vocis deiectum. Nam si clamor vocis esset necessarius, nulla hominis organa, nullæ arteriæ satis. Nam Deus sicut cor conspicit, ita & audit. Firmat *oraculi Pythij* testimonio. Nam si Dæmon *mutum* intelligit, & audit tacentem; an Deus expectabit clamores? Illud, *aut quantis arteriis*, est, alioquin quantis, &c.

3. Quomodo ergo oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cœlum potuit euadere? Quid amplius referent isti, qui clariùs adorant, nisi quòd proximis obstrepunt? Imò prodendo petitiones suas, quid minùs faciunt, quàm si in publico orent?

134. 3. Rem efficit exemplo Ionæ. Vide an Deus sonos expectet, qui Ionam exaudiuit orantem *ex ventre* ingentis *bestiæ*, & ex intimis aquarum *abyssis*? atqui per tot vndarum globos, & molem maris oratio ad Deum euasit. Qui clariore orant sono nullum emolumentum comparant, nisi quòd proximè adstantes impediunt, perturbántque ne orare possint. Quid quòd contra præceptum Domini, qui iussit orandum intra cubiculum. Notetur oppositio plena acumine, *Quid ampliùs, imò quid minùs.* q. d. Lucrum tuum est alios impedire, imò detrimentum tuum est ire contra præceptum. Videsis vtrum eligas. Malum illud, malum istud.

NOTÆ.

135. 1. NE IPSIS QVIDEM MANIBVS SVBLIMIVS ELATIS.] Cyprian. *Non alleuatis in cœlum impudenter oculis, nec manibus insolenter.*

1. NE VVLTV QVIDEM IN AVDACIAM ERECTO.] Nota hæc superbiæ magna. Simocatta l. 3. Hist. c. 13. ταῖς ὀφρύσι αὐθαδῶν ἐφαψυχιζόμενος: *Sublata ceruice supercilium attollit.* Cyprian. de Lapsis: *Alta & erecta ceruix, nec quia cecidit, inflexa est.*

1. ELATIS.] Adimit Iunius alterum. potest.

2. SONOS ETIAM VOCIS, &c.] De hoc præcepto ita Cyprian. *Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem, commendandam modestè Deo, tumultuosa loquacitate iactare.* & Ioannes Chrysostomus de hac re loquens orat. 5. de incomprehens. Dei Natura. κἂν σὺ σιγήσῃς, οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα: *Licèt enim taceas, cuncta ille nouit.* & post pauca commendat non solùm orationem, quæ fit ἐπὶ τῷ στόματος, *ore*: sed multo potiùs illam, quæ proficiscitur, ἀπὸ τοῦ βάθους τῆς διανοίας: *à profundo animi.* Macarius homil. 6.

Qui accedunt ad Dominum, debent in silentio, pace, & tranquillitate multa preces fundere; nec uti clamoribus parum decentibus, & confusione plenis, &c. Pulcrè dixit Arator lib. 1. Historiæ Apostolicæ,

--- nimiúmque sonora
Causſa petit, quod lingua tacet, nec cessat ab aure
Clamosa pulsante fide.

Ait scilicet, tacente orantis lingua causſam tantùm debere esse sonoram, & pro voce fidem clamare. Ægyptiaca in eius vita: *Eleuatis in excelsum oculis manibúsque extensis cœpit orare, motu tantùm labiorum in silentio, vóxque penitus non audiebatur, vt posset intelligi.* Ambros. lib. 3. de Virginib. *An quicquam indignius est, quàm oracula diuina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur, circumsonari sacramenta confusis vocibus; aut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cùm Gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt?* Clemens Alexand. 4. stromat. hanc doctrinam ab ipsis Pythagoricis, τί τοίνυν οἱ Πυθαγόρειοι βυλόμενοι, μὴ φωνὴν εὔχεσθαι κελεύουσιν; ἐμοὶ δοκεῖ, οὐχ ὅτι τὸ θεῖον ᾤοντο μὴ δύνασθαι τῆ φωνῆ διεγχομένων ἐπαΐειν, ἀλλ' ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶναι τὰς εὐχάς, ἃς ἂν πᾶς αἰνεῖσθαι ποιεῖσθαι πολλῶν συνειδότων: *Quid igitur volentes Pythagorici, quòd voce optandum esse iubeant? mihi quidem videntur ea de causſa illud sanxisse, non quòd existimarent Deum tacitè loquentes non exaudire, sed quòd iusta & liberalia esse debere vota vellent, quod nullus facere dubitaret etiam pluribus conscius.* Basilium, & Senecam, & Nyssenum tibi citat Biscola tomo 2. lib. 15. cap. 8. vide illum. atque etiam Claudium Rangolium Comment. lib. 1. Reg. cap. 1. vers. 12. vbi in gratiam Tertulliani aduocat Porphyrium. Et ego, præter superiùs adductos, Valafridum cap. 12. de Rebus Ecclesiastic. *Breuis & pura debet esse oratio, & non in multiloquio, sed in puritate cordis & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus, & non in clamosa voce, sed in lacrymis & intentione cordis.*

137. 2. AVT QVANTIS ARTERIIS OPVS EST, &c.] Quales scilicet habebant Gentiles prophetæ. 3. Reg. cap. 18. qui ad falsos Deos *clamabant voce magna*, putantes pro sono vocis audiendos. Illis verò illudebat Elias, *Clamate voce maiore*, &c.

2. DEVS AVTEM NON VOCIS, &c.] Cyprian. *Quia Deus non vocis sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt.* Ephrem Syrus serm. de Patient. *Mente ora, nam & tacentes exaudit Deus.* Cyrillus Hierosolymitanus, cateches. 2. ἀπόκλεισον πρὸ σοῦ θύραν, καὶ πρόσευξαι: *Claude ianuam, & supplica.* Ruffin. Aquileiensis in vitis Sanctor. orantes duos iuuenes commendat ab *silentio*, quo orabant. Notantissimè Cassian. collat. 9. cap. 24. orationem illam, quæ non fit *sono vocis, nec linguæ motu, nec vlla verborum pronuntiatione*, vocat *ineffabilem.*

2. DÆMONIVM ORACVLI PYTHII, &c.] Ita scilicet legatis Croesi respondit Dæmon, vt est apud Herodot. in Clione. 138.

Καὶ κωφοῦ σιγήσης, καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.

Ad verbum transtulit versum hunc Tertullianus. quem ego magistrum sequor, vt hoc obiter dicam. Non enim defuêre, qui reprehenderint commentarios meos in Virgilium, quòd Græcos Homeri & aliorum versus solutè reddiderim. Etenim qui astringunt numeris, non sensum reddunt, sed otiantur, & sæpe nugantur. Pythia erat fœmina dicata oraculo, de qua sic Origenes contra Celsum cap. 7. ἱστόρηται τοίνυν περὶ τῆς Πυθίας, ὅπερ δοκεῖ τῶν ἄλλων μαντείων λαμπρότερον τυγχάνειν, ὅτι περιεθεζούμην τὸ τῆς Καστελίας στόμιον ἢ τὰ Ἀπόλλωνος τρεφῶντες, δέχεται πνεῦμα διὰ τῶν γυναικείων κόλπων, οὕτω πληρωθεῖσα ἀποφθέγγεται τὰ νομιζόμενα εἶναι σεμνὰ καὶ θεῖα μαντεύματα: *Memoriæ proditum est de Pythia, quod oraculum ceteris nobilius videtur, eam cùm esset Apollinis interpres, & Castaliæ ostium insideret, spiritum per interfeminium accepisse, quo plena, oracula, quæ veneranda & diuina illi autumant, effatur.*

3. PER TANTÆ BESTIÆ VISCERA, &c.] Similis locus Cyrilli Hierosolym. cateches. 2. οὐ γὰρ ἐμποδίζει παχύτης τοίχων προσευχαῖς μετ' εὐλαβείας ἀναπεμπομένας: *Parietum spissitudo non impedit orationes deuotas sursum emitti.*

3. PROXIMIS OBSTREPVNT.] Cassian. collat. 9. c. 34. *Summo est orandum silentio, ne fratres adstantes nostris susurris vel clamoribus anocemus, & orantium sensibus obstrepamus.* & lib. 2. de vita Monast. cap. 10. de eo qui ita orat: *Indisciplinato strepitu alterius quoque, qui forsitan ardentiùs orare potuit, intercipit sensum.*

3. ABYSSIS.] *Abyssum* vocari altissimam elementi aquarum profunditatem Aretas Cappadox Commentario in Apocalypsin adnotat. Inde illud dici tritum est, ἄβυσσον πραγμάτων, πέλαγος, de negotiis inexplicabilibus. 139.

3. CLARIVS ADORANT.] Ammonius Alexandrinus in Harmonia Euangelica: *Voratis domos viduarum, longum precamini, vagamini terra marique, vt in superstitionem vestram trahatis simpliciores.* Per hæc *precamini longum*, intelligit orationem fastu plenam, & sono vocis elato, ita vt multùm audiantur, ita vt non solùm longè, sed & sonans sit oratio.

CAP. XIV. ARGVMENTVM.

De osculo pacis, & communione corporis Domini non omittendis à ieiunantibus.

TERTVLLIANVS.

139. 1. ALIA iam consuetudo inualuit, ieiunantes, habita oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cùm oratione commendabilior ascendit, vt ipsi de nostra operatione participent, quam auderent de sua pace fratri transigere?

EXPLICATIO.

1. ORATIONEM in communi habitam sequebatur (hic mos erat) mutuum *pacis osculum* inter fratres, nisi in publicis ieiuniorum diebus; tunc enim contenti oratione discedebant non dato osculo. Erant autem aliqui Christiani, qui cùm priuatim ieiunarent, abstinebant ab eo osculo, quos hoc capite reprehendit Tertullianus. & *signaculum* dicit, quasi quo in fine sigilletur oratio, & custodiatur. *Quando autem magis*, &c. Sententia & explicatio varia est, de aliis in Notis dicam, meam hîc accipe. Nunquam meliùs *conferenda* est *pax cum fratribus*, quàm post orationem, qua pax *commendabilior*, *vt* fratres *ipsi*

participent de noſtra operatione, id eſt, de merito ieiunij noſtri, quod meritum auderent ipſi pro merito pacis ſuæ in tranſactionem deducere. Clariùs. Poſſent audacter *tranſigere*, id eſt, decidere, conuenire, paciſci meritum operationis tuæ, id eſt, ieiunij tui pro pace ſua. Adeo pax illorum potens, vt quæ feruida ex charitate. Et præclarè *tranſigere*, quia verbum hoc vſurpatur, cùm fit conuentio de re dubia, quæ dubitatio ſatis indicatur verbo *auderent*. q.d. Nos tantùm orauimus, vos & oraſtis & ieiunaſtis, inde videmur nos ſuperari: ſed audebimus tamen vobiſcum *tranſigere*, id eſt, venire in conuentionem & ad pactum. & fortaſſe pax noſtra procedens ex feruentiſſima oratione & charitate ſuperabit ieiunium veſtrum.

140. 2. Quæ oratio cum diuortio Sancti oſculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? Quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur?

2. Eſt ſententia. *Oratio cum diuortio ſancti oſculi integra* non eſt illius *quem pax impedit*, &c. Id eſt, Si, cùm *Domino officium* facis, non vis accipere pacem à fratre, imò id te impedit, certè *oratio* tua *integra* non eſt, quia pax deeſt, quæ eſt ſignaculum orationis. Eſt *officium Domino facere*, idem quod, ieiunare. *Quale ſacrificium eſt*, &c. Sumi hoc loco *ſacrificium* non generatim pro quibuſcunque ſacris precibus, ſed pro ſacrificio Miſſæ, iam Gretſerus monuit contra Iunium.

141. 3. Quæcunque ratio ſit, non erit potior præcepti obſeruatione, quo iubemur ieiunia noſtra celare. Iam enim de abſtinentia oſculi agnoſcimur ieiunantes.

3. Quæ te ratio moueat, vt neges fratri pacem, ignoro ego; id vnum ſcio, nullam eſſe debere, quæ antiſtet præcepto celandi ieiunij. Atqui tu abſtinens ab oſculo prodis ieiunium, nec præceptum obſeruas. Spectat ſcilicet illud, *Cùm ieiunatis, nolite fieri triſtes*, &c. Notetur oratio illa *abſtinentia oſculi*, nam cum alluſione ad ieiunium. q. d. Qui abſtines à cibis, ne abſtine ab oſculo.

4. Sed & ſi qua ratio eſt, ne tamen huic præceptor tu ſis. potes domi fortè inter quos latere ieiunium in totum non datur, differre pacem. Vbicunque autem alibi operationem tuam abſcondere potes, debes meminiſſe præcepti: ita & diſciplinæ foris, & conſuetudini domi ſatisfacies.

4. Sed eſto aliqua ſit *ratio*, ne tu te præceptorem & ducem præbeas in publico. *Domi*, ſubtrahe oſculum pacis (nam hoc eſt *differre pacem*) vbi tui ſciunt te ieiunare: alibi *operationem* ieiunij tui cela, memor *præcepti*, quo iuberis ieiunium celare. Ita fiet vt *diſciplinæ* oſculandi, quæ ſanctiſſima eſt in Eccleſia, *foris ſatisfacias: & domi conſuetudini*, quæ probata etiam ab Eccleſia, de communicanda pace ab ieiunantibus.

142. 5. Sic & die Paſchæ, quæ communis & quaſi publica ieiunij religio eſt, meritò deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cum omnibus faciamus.

5. His ſatis aperit anſam prætextúmque ſuperſtitionis illorum, qui pacem negabant in ieiunio. Sed verè prætextus: nam aliud eſt publicum totius Eccleſiæ ieiunium, aliud priuatum ſingulorum: in illo oſculum deponimus *nihil* de illo *curantes*, quia cum omnibus ieiunamus, & adhibet pro exemplo ieiunium *Paſchæ*: in priuato autem nulla eſt ratio, quæ neget pacem. Quod ieiunium *diei Paſchæ*, in Notis.

6. Similiter de ſtationum diebus, non putant plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quòd ſtatio ſoluenda ſit accepto corpore Domini. Ergo deuotum Deo obſequium Euchariſtia reſoluit, an magis Deo obligat? Nonne ſollemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſeruato, vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & exſecutio officij.

143. 6. Tranſit ad ſuperſtitionem aliam. Dicebant itaque plerique, non interueniendum ſacris Miſſarum in diebus ieiunij, ne ſumpta Euchariſtia, (vt quotidie fermè ſumebatur in primitiua Eccleſia) ieiunium frangerent. Itaque hoc loco *ſtatio* ieiunium eſt, & *dies ſtationum* dies ieiunij. Euertit hanc ſuperſtitionem: *Euchariſtia ne reſoluit* ieiunium, an magis illud ligat *obligátque Deo*? Nonne ieiunium erit ſollemnius, ſi ad aram ſteteris communicans participánſque Euchariſtiam? Pergit. *Accepto corpore*, &c. Quaſi dicat. Sacrificio interueni in diebus ieiunij, ne tamen communica corpus Domini in Eccleſia, ſed accipe in manu, & reſerua ac geſta Dominum, & ibi poſt ieiunium tuum ſume Euchariſtiam, atque ita *vtrumque ſaluum eſt*, nam & myſteria participabis, & exſequeris ieiunium. In quo Tertullianus conniuet ſcrupulo illorum, & inſcientiæ, non conſentit.

7. Si ſtatio de militari exemplo nomen accipit (nam & militia Dei ſumus) vtique nulla lætitia ſiue triſtitia obueniens caſtris, ſtationes militum reſcindit. Nam lætitia libentiùs, triſtitia ſollicitiùs adminiſtrabit diſciplinam.

7. *Statio* Chriſtianorum in Eccleſiis dicta ab ſtatione militum in caſtris; hæc ſiue lætis rebus ſiue triſtibus, nunquam reſcinditur, illa reſcindi ſimiliter non debet. Tantùm eſt diſcrimen: nam in lætis diſciplina iſta libenter adminiſtratur, in triſtibus ſollicitè: ſic ergo ſacrificiis interueniendum, tam in ſollemnibus & ſtatis ſtationibus, quæ lætæ ſunt; quàm in indictiuis, quæ triſtes. De hoc in Notis.

NOTÆ.

144. 1. SVBTRAHERE OSCVLVM PACIS.] Chryſoſtom. Homil. de Proditione Iudæ, hortatur retinendum oſculum, non retrahēdum, cùm ait: *Sanctum oſculum teneamus, quod animos ſociat, reconciliat mentes, & vnum corpus oſtendit. quia vnum corpus omnes videmur eſſe ſortiti. Et ideo miſceamus nos vno in corpore, non corporum commiſtione, ſed animarum charitate deuincti.* & Iuſtin. Apolog. 2. ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζώμεθα παυσάμενοι τῆς εὐχῶν: *A precibus finitis mutuis nos inuicem oſculis ſalutemus.*

1. QVOD EST SIGNACVLVM ORATIONIS.] Fuit moris in Eccleſia oſculo ſe accipere poſt orationem, quia pax verè orationem ſignat. Ex vſu videlicet Apoſtolico 1. Corinth. 13. & 2. Corinth. 16. & 1. Theſſalonic. 5. & demum 1. Petri 5. Auguſtinus ſerm. 83. de diuerſ. *Poſt ipſam* (orationem Dominicam) *dicitur pax vobiſcum, & oſculantur ſe Chriſtiani oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis: ſicut oſtendunt labia, fiat in conſcientia, id eſt, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, ſic cor tuum à corde eius non recedat.* Ita verò pax dicitur *ſigillum* orationis, vt Fides à Chryſologo *ſigillum* bonorum operum, ſerm. 23. Quæ locutio in multis aliis virtutibus frequens Sanctis patribus & Iuſtino quem adduxi in ſuperiori Nota.

145. 1. NISI CVM ORATIONE COMMENDABILIOR ASCENDIT.] Legunt aliqui, *niſi cùm oratio.* & poſſunt. Eſt enim ſententia optima, vt dicat, orationem eſſe commendatiorem, cùm habet coniunctam operationem, videlicet ieiunium. ad eum modum, quo Cyprian. dixit lib. de orat. *Orantes autem non infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum veniamus. Inefficax petitio eſt, cùm precatur Deum ſterilis oratio.* Tertull. ipſe aduerſ. Pſychic. cap. 10. *Statio pinguiorem orationem Deo immolat.* Vbi *ſtatio* eſt ieiunium. Petrus Chryſolog. ſerm. 43. *Quod oratio pulſat, impetrat ieiunium.* Iterum, *eſt orationis anima ieiunium.* Quia videlicet oratio abſque operatione inutilis verè & mortua. Inde pergit idem Chryſolog. *Qui orat, ieiunet; qui ieiunat, miſereatur; audiat petentem, qui petens optat audiri; auditum Dei aperit ſibi, qui ſuum ſupplicanti non claudit auditum.* Gregor. etiam Nazianzenus orat. 3. coniungit νηστίας καὶ δεήσεις, *ieiunia & preces.*

146. 1. VT IPSI DE NOSTRA OPERATIONE PARTICIPENT.] Wouer. m. ſ. reſcribit, *Vt ipſi de noſtra operatione participes, iam audeant de ſua*, &c. & ſententia erit, Pacem cum fratribus nuſquam magis eſſe conferendam, quàm ſi quando ieiuniis noſtris orationem commendabiliorem efficimus & acceptiorem Deo, vnde fit vt fratres noſtri, cum quibus communicamus pacem, operationis noſtræ participes fiant, & ſic de ſua pace lubentiùs tranſigere ac conuenire velint. Ita in Digreſſ. Herald. explicat. Iunius aliter explicat, & ellipſim intelligit, cui hærerem, ſi verbum *tranſigo* acciperet de diſciplina iuris, quod proculdubio Tertullianus reſpicit. Quid quòd explicatio noſtra omnino pacem commendat, ſine qua ieiunium caret merito bono, quæ mens Septimij? Non iccirco tamen improbo explicationem Iunij. Vide in illo, neque quam adduxi in hac Nota ex Heraldo, non ita tamen vt meæ præferam.

147. 1. DE NOSTRA OPERATIONE.] Explicui, de noſtro ieiunio, nam ipſe inf. *Vbicunque autem operationem tuam abſcondere potes.* id eſt, ieiunium. & c. 9. aduerſus Pſychic. *Inſpiciamus igitur & Xerophagiarum nouitatem aut vanitatem, ſi non & in his tam antiquiſſima quàm efficaciſſima religionis operatio eſt.*

2. INTEGRA.] Hîc poſſet poni nota interrogationis, & iam eſſet duplex membrum: ſed grauior tamen eſt explicatio quam iam dedi.

2. QVEM DOMINO OFFICIVM FACIENTEM.] Eſt hîc *officium* ieiunium, vt inf. *exſecutio officij.* Scilicet quod poſtea *denotum Deo obſequium.* Petrus Chryſolog. ſerm. 7. vocat ieiunium *primam virtutem cōtra vitia.* & ſerm. 8. dicitur, *Vitiorum mors, vita virtutum, ornamentum vitæ, robur mentium, vigor animarum.* Pergit Chryſolog. multis aliis, quæ hîc nolui. Videſis illum. Idem adhuc ſerm. 32. nouas alias ieiunij periphraſes adducit ſumptas ab re ruſtica. Omitto. Vide etiam quæ idem latè ſcribit ſerm. 41. ab re nautica virtutem hanc celebramus. Eſt etiam ſerm. 42. in eadem re facundus.

148. 2. QVALE SACRIFICIVM EST, &c.] Mirè dictum, quia nihil gratum Deo abſque fraterna concordia. Mirum eſt incrementum, quo vſus Liberius in epiſt. quam ſcripſit, cùm eſſet in exilio. Eius verba: *Pro bono Pacis & Concordiæ, quæ Martyrio præponitur, his litteris conuenio vos.* Magnum certè Pontificis oraculum.

3. QVÆCVMQVE RATIO SIT.] Quæ de Ratione ad hunc locum Tertulliani multis ſcribat Heraldus lib. 2. c. 3. Dig. in ipſo vide. Mihi ad rem Tertull. viſa eſt ſatis explicatio mea.

3. IVBEMVR IEIVNIA NOSTRA CELARE.] Hilar. can. 5. in Matth. ait, *Ieiuniorum profectum extra iactantiam confecti corporis eſſe oportere, neque de ieiunij oſtentatione fauorem gentium conſectandum, ſed omne ieiunium in ſanctæ operationis decore ponendum.*

4. NE TAMEN TV PRÆCEPTOR HVIC SIS.] Reſcribunt ex mſ. *Ne tamen huic præcepto tu reus ſis.* & probant Vrſinus, Heral. Wouer.

149. 5. DIE PASCHÆ.] Intellige diem Paſſionis Domini, vt rectè interpretatur Pamelius, & probat Herald. Nam & Tertull. ipſe aduerſum Iudæos: *Paſcha enim Paſſio Domini eſt.* & lib. 4. contra Marcion. *Quo pateretur, Paſcha diem elegit Dominus.* Eodem modo videtur accepiſſe hoc nomen Ambroſ. in obitu Theodoſij Imperat. ita ſcribens: *Domini Paſcha quarta decima Luna formam celebritatis accepit, quoniam qui Paſcha celebrat debet eſſe perfectus, debet amare Dominum Ieſum, qui diligens populum ſuum perfecta charitate, ſe ſe obtulit paſſioni.* Hoc autem die, quia commune & publicum ieiunium, oſculum deponebatur. Volunt autem morem hunc inductum in deteſtationem oſculi Iudæ. Berno de Reb. ad Miſſam ſpectantib. cap. 7. *In Paraſceue ab oſculo abſtinemus propter Iudæ traditoris exemplum, qui per ſimulatæ pacis oſculum tradidit Dominum Ieſum Chriſtum.* Vide & obiter in his verbis dici *Paraſceuem*, quod Tertull. dixit *diem Paſchæ*, itaque 150. (dies Paſchæ) & (dies paſſionis Domini) res eadem. Conſtantinus Magnus (vt eſt apud Euſebium lib. 4. de vita huius principis cap. 18.) iuſſit vt vniuerſum imperium Romanum coleret diem Paraſceues præcipuo quodam honore, ille vocat πρὸ τῆ σαββάτε, *diem ante ſabbatum*: Scilicet in memoriam earum rerum quæ tunc à Seruatore geſta. Scio Euſebij locum non eſſe ſanum, lego, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν πρὸ τῆ σαββάτε τιμᾶν. in vulgatis abeſt πρὸ, & pro τὴν eſt τῆς. Sed prima vocula omnino eſt neceſſaria, altera à me reponitur claritatis gratia. Porro ieiuniorum ſollemnium in Eccleſia meminit Cyrill. in Leuit. & Minut. in Octau.

5. NIHIL CVRANTES DE OSCVLANDO.] Legunt ex mſ. *Nihil curantes de occultando.* & probo.

151. 6. DE STATIONVM DIEBVS.] Legunt, *ſtationum diebus*, ſed certè præpoſitio ſtyli eſt Tertullianici. *Statio* autem apud Eccleſiaſticos ſcriptores

duplex habet significatum: nam & sumitur pro vigiliis diurnis. quod vide l. 2. ad vxorem. c. 4. Deinde quia statio ista fiebat ieiunij tempore, in hoc loco (quod clarè docet Bellarminus lib. 2. de Bonis operib. cap. 22.) *statio* quoque sumitur pro ieiunio. Et vtraque acceptio dicitur militari exemplo, prima ab stationibus militum in castris; altera, nam milites cùm erant in statione, abstinebant ab omni cibo. Et reddit rationem Ambrosius serm. 24. quòd sicut populus Israël à captiuitatis iugo liberatus est, & quadraginta stationibus seu mansionibus ad terram promissionis peruenit, eodem modo numero quadraginta dierum, *Quæ mansiones nostræ sunt, ad optatum Paschatis festum perueniamus.* Iam ad rem. In hoc loco Tertulliano *dies stationum* sunt
152. dies ieiunij. Hæc acceptio sollemnis est. Tertull. hîc *solui stationem*, pro, solui ieiunium. & lib. de Cor. Mil. *Stationes aut alij magis faciet, quàm Christo; aut & Dominico die, quando nec Christo.* Quia scilicet ieiunia non permittebantur die Dominica. & lib. aduers. Psychic. *Quartæ sextæque feriæ stationes.* Coniunxit loca hæc Tertulliani Pamel. & adiicit Hermam discipulũ Pauli l. 3. c. 5. vbi Pastor interrogat, *Quid est statio?* & respondet Hermas, *ieiunium.* Adiicio ibidem Hermam: *Igitur si custodieris mandata Domini, & adieceris etiam ad ea stationes has, gaudebis.* Ambros. quoque serm. 25. ita ait: *Stationes vocantur ieiunia, quòd stantes & commorantes in eis inimicos insidiantes repellimus.* Cassianus l. 9. c. 24. *Vsque ad præstitutam ieiunij horam refectionis regula seruaretur, sed absque legitimis quartæ sextæque feriæ, quocumque perrexissemus, quotidiana statio solueretur.* & cap. 20. eiusdem libri, *ante stationem legitimam communémque refectionis horam.* Vide eundem collat. 21. c. 29. Hoc verò discrimen inter *ieiunium*, & *stationem*: quod illud noctu & die fieret, hæc stata & sollemnis, aut monasteriorum, aut Ecclesiæ, vt quadragesimæ, & quatuor temporum, &c. Alij sic discriminant, quòd ieiunium, sit voluntarium; statio, quæ sub lege præcepti seruatur. Et quidem aliquid esse discriminis apparet ex Tertulliano lib. aduersus Psychic. vbi: *Arguunt nos, quòd ieiunia propria custodiamus, quòd stationes plerúmque in vesperam producamus.*

153. 6. STATIO SOLVENDA SIT ACCEPTO CORPORE DOMINI.] Id est, post acceptum corpus Domini. Signatissimè autem & notantissimè *accepto corpore*, non, *sumpto*, vt etiam inf. *accepto corpore Domini, & reseruato.* Signatissimè (inquam) nam olim Sacerdos non inferebat sacram Eucharistiam in os communicantis, sed dabat in manus, & ille accipiebat in manus & sumebat. Incidi fortasse legendo, in auctorem, qui mecum consentit, is est Antonius Marsilius Archiepis. Salernitanus, sectione 2. Hydragiologiæ cap. 5. qui ait, *Antiquissimus erat in Ecclesia vsus, vt sacra Eucharistia in manus traderetur.* & tantùm firmari Tertulliano, & Cypriano. & Iosephus Vicecomes lib. 5. de Baptismo cap. 41. vbi ait: *Eucharistia dabatur in manus sumentis, non in os*, qui nulla re probat. Sed tamen eius moris, vt ego quod inueni proponam, mentio multa. Cyprianus de Lapsis, loquens de laïco: *Et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinẽ bibat, sacerdotibus sacri-*
154. *legus irascitur.* Idem in epist. ad Thibaritanos exhortans illos ad martyrium: *Armemus dexteram gladio spirituali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit.* Huc etiam pertinet, quod de Nouato aut Nouatiano (vt alij nominant) Ruffinus scribit lib. 6. Hist. Eccles. iast. c. 33. qui *Sacramenta diuidens populis, accipientium manus teneret, nec priùs permitteret sumere, quàm sibi per ea, quæ vnusquisque tenebat in manibus, iuraret*, &c. Huius Historiæ Ruffinus auctorem adducit Cornelium PP. in epistol. ad Ecclesiam Antiochenam. & hinc fortasse est illud Clementis Alex. 1. stromat. *Permittitur vnicuique*

A *Eucharistiæ diuisæ partem assumere.* Ex his verbis clarè colligis aliud esse *accipere* Eucharistiam, aliud *sumere.* Nam *accipere*, manu; *sumere*, ore. Inde & in canone Missæ de Christo, *Accipiens & hunc præclarum calicem in venerabiles manus suas.* Hæc duo verba apertè discriminat Concilium Tolet. 1. can. 14. vbi: *Si quis autem acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Nam scilicet laïcus accipiebat manu, & statim sumebat ore. & Concilium Cæsaraugustanum canone 3. *Eucharistiæ gratiam si quis proba-* 155.
tur acceptam, non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. Incidi etiam in Eusebium Gallicanum Episcopum Homilia quinta de Pascha, qui hunc morem respiciens, ita ait: *Cùm ad reuerendum altare salutari cibo potúque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè hausto interiore assume.* Vbi illa, *cordis manu suscipe, & maximè hausto interiore assume*, hunc morem respiciunt clarè: nisi quis dicat, sermonem esse Eusebio de celebratione sollemni Missæ. Inde etiam Hieronym. signato verbo hunc ipsum morem attingens in epist. ad Theophilum, *Si munera nostra absque pace offerre non possumus, quanto magis & Christi corpus accipere?* attingens (inquam) hunc morem; nam postea ait *extenta manu.* Cui verbo opponit Hieronym. verbum *porrigo.* Itaque laïcus accipit, Sacerdos porrigit. Vtique quod Iustin. Martyr Apolog. 2. δίδαται. & quod Concil. Constantinop. in Trullo canone 28. μεταδίδωσι. & can. 26. loquens de presbytero τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ καταμιέτω ἑτέροις, *distribuat aliis corpus Christi.* In Græco enim legendum καταμιέτω, non καταμιγέτω, vt malè in lib. cuso Parisiis Anno 1540. Aliter Petr. Chrysolog. serm. 33. *Miseri qui quotidie corpus Domini tractamus & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur.* vbi *tractare* dixit, quod vulgò *accipere.*

6. ERGO DEVOTVM DEO OBSEQVIVM 156.
C EVCHARISTIA RESOLVIT?] Scias Lector duplex fuisse tempus soluendi ieiunij inter fideles. Vulgò ad Nonam soluebatur, religiosiores soluebant ad occasum Solis, sumebántque cibos. Credi ergo possunt hi, quos reprehendit Tertullianus, fuisse è numero illorum, qui volebant extendere ieiunium ad Solis occasum, & ideo nolebant interesse sacrificio Missæ, ne postea sumerent Eucharistiam. Restat probandum duplex illud tempus soluendi ieiunij: de vtroque breuiter. De Nona testis Epiphanius in hæres. πεμπάδι γὰρ ἐν παρασκευάτῳ ἐν νηστείαις ἕως ἐννάτης: *Quarta feria & pro sabbato ieiunandum vsque ad horam nonam.* Prudentius loquens de Sancto Fructuoso,

Quosdam de populo videt Sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes:
Ieiunamus, ait, recuso potum,
Nondum nona diem resignat hora.

Credunt morem istum soluendi ieiunium ad nonam 157.
duraſſe vsque ad æuum Sancti Thomæ Aquinatis;
D nam eius ille meminit, 2. 2. Quæst. 147. art. 7. Vide illum. & tunc hora nona synaxis explebatur. In vita Macarij Romani cap. 3. *Hora nona quadam die synaxi expleta* Ruffinus lib. 3. *Cùmque hora nona aduenisset, secundùm consuetudinem complebat omnes orationes suas, & psalmodiam secundum regulam, & ponebat panem vt comederet.* De altero testis Athanasius in vita Sancti Antonij, de quo: *Pernoctabat in oratione sapissime, edebat* 158.
semel in diem post Solis occasum. Cassian. lib. 5. c. 5. meminit ieiunij *ad occasum Solis.* & cap. 77. Abbas Pæsius: *Numquã me Sol reficientem vidit*, scilicet per spatium annorum quadraginta. & Hieronym. de Hilarione: *Inter mare & paludem vasta solitudine fruebatur, quindecim tantùm caricas post Solis occasum comedens.* Ruffinus in vitis Patr. lib. 3. c. 61. *Post hæc dixit ei, quemadmodum ieiunas? At ille dicit ei. Vsque ad nonam. Cui senex ait: vsque ad vesperam ieiuna.* Ad *seram*

dixit Pelagius libello. 16. num. 18. *Illi autem fratri adferebat tantummodo modicum panem ad ſeram.* Et tametſi hoc verum eſſet, non tamen omnibus probatum, ſed nona hora. Vnde Caſſianus collat. 2. c. 6. loquens de Abbate Moyſe, ita ait: *Recens eſcæ perceptio, tam in veſpertinis quàm in nocturnis orationibus tenuem leuémque ſenſum non ſinet inueniri; ideo commodum ſatis & vtile hora nona refectionis tempus indultum eſt, in quo reficiens monachus, non ſolùm in nocturnis vigiliis leuis ac vacuus, verumetiam in ipſis veſpertinis ſollemnibus*
159. *digeſto iam cibo inuenitur aptiſſimus.* Hinc eſt, vt Tertullianus vrgeat ieiunium in hanc horam, & ſi aliter fieri non poteſt, tunc conniuet ſcrupulo. Sunt qui tradant hoc duplex tempus ſoluendi ieiunij intelligendum ex Regula Benedicti cap. 41. vbi ait: *Ab Idibus Septembris vſque ad caput quadrageſimæ ad nonam ſemper reficiant fratres; in quadrageſima verò vſque ad Paſcha, ad veſperam.* Itaque, vt tradit Alardus Gazæus coll. 2. Caſſiani cap. 19. Ieiunium olim in quadrageſima non ante veſperam, aliis temporibus ad horam nonam, hoc eſt, tertiam pomeridianam, ſolitum eſt ſolui. Neceſſariò debuit Nota hæc produci in longum ad eruendum ſenſum verum Tertull.

6. OBLIGAT.] Notetur obiter verbum *bannio*, quod eſt *obligo* apud Fulbertum Carnotenſ. epiſt. 14. *Banniendo ſcilicet vt irent.* Id eſt, obligando ſcilicet vt irent. Inde *bannus* de ſcamnis Eccleſiæ dixit Greg. Turonenſ. lib. 5. Hiſtor. Franc. cap. 26. quaſi dicas, obligatorium. obligabantur enim publicam functionem facere, qui ſedebant in Eccleſia. verba Gregorij: *Poſt hæc Chilpericus Rex de pauperibus & iunioribus Eccleſiæ vel Baſilicæ bannos iuſſit exigi.* in margine autem eſt, ſcamna.

160. 6. RESERVATO.] De more quo Euchariſtia in primitiua Eccleſia ferebatur à fidelibus domum, dicam lib. 1. ad vxorem, ad ea verba: *Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciuerit, panem non illum credit eſſe qui dicitur.*

7. TRISTIA.] Rectè de caſtris & bello. Vincentius Lirinenſ. in Præfat. Commonitorij: *Variis ac triſtibus ſecularis militiæ turbinibus volueremur.* Vide ſequentem Notam.

7. NAM LÆTITIA LIBENTIVS, &c.] 161. Vide vt explicui, referens lætitiam ad ſtata & ſollemnia ieiunia; triſtitiam & ſollicitudinem ad indictiua. Veriſſimè. Stata & ſollemnia ieiunia ſunt, quæ habentur in Eccleſia, vt temporum & quadrageſimæ: indictiua quæ imponebantur ab Epiſcopis noua aliqua neceſſitate exigente, & furente perſecutione. Teſtis ipſe Tertull. qui aduerſus Pſychic. cap. 13. *Bene autem quòd & Epiſcopi vniuerſa plebi mandare ieiunia aſſolent, interdum ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſſa.* & lib. de Fuga in Perſecut. cap. 1. *In tempore perſecutionis Eccleſia in attonito eſt. Tunc & fidelis in expeditione ſollicitior, & diſciplinatior in ieiuniis, & ſtationibus, & orationibus*, &c. Vide vt *diſciplinam* dicat de ieiuniis, & *ſollicitudinem* cum reſpectu ad bellum, non aliter atque à Petr. Chryſolog. ſerm. 8. ieiunium dicitur *diſciplinarum diſciplina.* & ab eodem ſtatim ſumpto ſermone de re belli, ieiunium dicitur, *Caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum.* Sed latiùs idem ſerm. 12. ait: *Ieiunium fratres ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritus, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum.* Omnia bellum ſpirant, omnia 162. militiam, vt rectè Tertull. dixerit *ſtationem* ieiuniorum nomen accepiſſe de militari exemplo. Quod verò Tertull. explicat per *ſollicitudinem*, idem Chryſolog. ſerm. 24. per *cautam pernoctationem*, eius verba: *In caſtris miles ſuperuenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit.* & Ambroſ. ſerm. 25. *Caſtra nobis ſunt noſtra ieiunia, quæ nos à diabolica impugnatione defendunt.*

FINIS LIBRI DE ORATIONE.

AD MARTYRAS,

AD MARTYRAS,

SIVE IN ORDINE, LIBER VII.

ARGVMENTVM.

AD Martyras in carcere conſtitutos, ipſis Perſecutionis quintæ Chriſtianorum ſub Seuero initijs, librum hunc miſit Tertullianus, in quo mirè exultat, illóſque exhortatur ad conſtantiam in fide.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Poſt comparatam benevolentiam exhortatur Sanctos Martyres ad pacem & concordiam.

TERTVLLIANVS.

1. 1. INTER carnis alimenta benedicti Martyres deſignati, quæ vobis & domina mater Eccleſia de vberibus ſuis, & ſingula fratres de operibus ſuis propriis in carcerem ſubminiſtrant, capite aliquid & à nobis quod faciat ad ſpiritum quoque educandum. Carnem enim ſaginari, & ſpiritum eſurire non prodeſt. Imò ſi quod infirmum eſt, curatur; æquè quod infirmius eſt, negligi non debet. Nec tantus ego ſum, vt vos alloquar. Verumtamen & gladiatores perfectiſſimos non tantùm magiſtri & præpoſiti ſui, ſed etiam idiotæ, & ſuperuacui quique adhortantur de longinquo, vt ſæpè de ipſo populo dictata ſuggeſta profuerint.

EXPLICATIO.

2. 1. O Vos *benedicti* (quibus ad Martyrium deſignatis atque electis, inſtar magiſtratuum, *Eccleſia* præbet *alimenta* communia, & de *vberibus* vt mater; fratres autem ſinguli ſingula, hic calceos, ille togam, & omnia quidem diurno labore collecta) *capite* à me *aliquid*, quo ſpiritum vobis nutriam, & augeam; nihil enim prodeſt, corpus augere & ſpiritum minuere, dum illud ſaginatur, iſte eſurit. Imò vt curatur corpus *quod infirmum eſt*, & catenis grauatum; ita & ſpiritus, qui infirmior eſt, *non debet negligi. Nec tantus*, &c. Qui verò ego ſum, vt audeam præfari ad vos? Sed memineritis, illos eſſe *perfectiſſimos gladiatores*, qui non *dictata* ſolùm à *magiſtris & præpoſitis*, ſed ab *idiotis & ſuperuacuis* quibuſque, & ab *ipſo populo* accipiunt.

3. Epheſ. 4. 2. In primis ergò benedicti nolite contriſtare ſpiritum ſanctum, qui vobiſcum introiit carcerem. Si enim non vobiſcum nunc introiſſet, nec vos illic hodie fuiſſetis. Et ideo date operam, vt illic vobiſcum perſeueret, ita vos inde perducat ad Dominum. Domus quidem diaboli eſt & carcer, in qua familiam ſuam continet. Sed vos ideo in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo ſua conculcetis. Iam enim foris congreſſi conculcaueritis.

2. *Nolite.* alludit ad locum Pauli Epheſ. 4. *Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Alludit inquam, dicit enim, non contriſtandum *ſpiritum ſanctum, qui introiuit* cum illis *in carcerem*: & probat introiſſe; nam niſi ille *nunc introiſſet*, illic non eſſent in carcere. Contriſtabitur autem non ſeruata vnitate, quæ debet eſſe inter fideles. *Iam enim foris*, &c. Et *foris conculcaueritis*, nam mortem patiemini. Ideò enim ſancti educuntur è carcere, vt habeant locum patiendi mortem pro Chriſto.

4. 3. Non ergò dicat: in meo ſunt, tentabo illos vilibus odiis, defectionibus, aut inter ſe diſſenſionibus. Fugiat conſpectum veſtrum, & in ima ſua deliteſcat, contractus & torpens, tanquam coluber excantatus, aut effumigatus. Nec illi tam benè ſit in ſuo regno, vt vos committat: ſed inueniat munitos, & concordia armatos, quia pax veſtra bellum eſt illi. Quam pacem quidem in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt. Et ideò eam etiam propterea in vobis habere, & fouere & cuſtodire debetis; vt ſi fortè & aliis præſtare poſſitis.

5. 3. *Defectionibus.* Refero cum Rhenano ad penuriam rerum, non ad defectionem à fide: vel *defectionem* accipe pro tumultu, ſeu diſſenſione, in qua alij has partes ſeu factiones, alij alias ſectabantur. *In ſuo regno*, in carcere, vbi regnat diabolus: illuc enim nefarij, ſcelerati, amentes coniici ſolent. *Quam pacem quidem*, &c. Locum hunc optimè explicat Rhenanus: alludit enim ad conſuetudinem eius temporis, quæ etiam ætate Cypriani in vſu fuit, quemadmodum ex eius viri ſcriptis colligitur. Siquidem *lapſi*, id eſt, qui ſacrificauerant idolis, aut neceſſitatem ſacrificandi pecunia ab magiſtratibus redemerant, accepta ſecuritatis ſyngrapha, quò reciperentur in Eccleſiam, ante confeſſionem, exomologeſin & pœnitentiam, ante impoſitionem manus Epiſcopi & Cleri, ſolebant à Martyribus & Confeſſoribus in carcere conſtitutis, libellum extorquere deprecatorium, per quem in Eccleſiam recipi iuberentur. Vocabant autem Veteres, *Dare pacem, recipere in ius communicationis.* In hunc igitur ſenſum accipi debet quod hîc ſcribit Tertullianus. *Quam pacem quidem in Eccleſia non habentes.* Item, *vt ſi fortè & aliis præſtare poſſitis.* Et *pacem quidem*, id eſt indulgentiam, vt Baronius explicat Tom. 1. Annal. pag. 508. Hinc vides, quanta olim fuerit Martyrum viuentium auctoritas. Sanè Cyprianus Epiſt. 15. lib. 3. in libello quorundam Martyrum pro lapſis ſcripto hoc inſertum paulò incautiùs fuiſſe teſtatur, *Communicet ille cum ſuis.* Nam addi debebat quinam *ſui.* Proinde idem ſanctiſſimus vir ſcribit, id ſemper obſeruatum vt diaconi ad carcerem cõmeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis & Scripturarum præceptis gubernarent: his enim illic verbis vtitur. Hæc longiùs tranſcripſimus in hac explicatione, quia viſa ſunt ad illam commoda.

NOTÆ.

6. 1. CARNIS ALIMENTA.] Cyprian. Epiſt. 57. *Quanquam ſciam vos fratres Chariſſimi litteris meis frequenter admonitos eſſe, vt glorioſa voce Dominum confeſſis, & in carcere conſtitutis, omnis diligentia præbeatur: tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam deſit his quibus ad gloriam nihil deeſt. Atque vtinam loci & gradus mei conditio permitteret, vt ipſe nunc præſens eſſe poſſem: promptus & libens ſollemni miniſterio cuncta circa fortiſſimos fratres noſtros dilectionis obſequia complerem. Sed officium meum veſtra diligentia repræſentet, faciat omnia quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei ac virtutis illuſtrarit diuina dignatio.* Hanc Epiſtolam ſcribit Cyprianus Presbyteris & Diaconibus. In Additione etiam ſecunda Concilij Sardicenſis reperi Hoſij Epiſcopi illud, quod ad rem facit, *Larga benevolentia & humanitas ei eſt exhibenda*, videlicet, *qui patitur perſecutiones.*

7. 1. BENEDICTI.] Iterùm: *In primis ergò benedicti.* Et infrà ad Mulieres: *Proinde vos benedicta.* Admonuit Rhenanus. Eſt enim elogium inſigne futurorum Martyrum. Et Lucianus inter Epiſtolas Cypriani, Epiſt. 22. *Cùm benedictus Martyr Paulus.* Et Epiſt. 10. Cyprianus: *Exponunt deinde inuidiæ beatos Martyres.* Et Fortunatus lib. 4. de Vita B. Martini,

Et Fortunati benedicti Martyris vrnam.

Et Epiſt. 11. *Sollicitudo loci noſtri & timor Domini compellit, fortiſſimi, & beatiſſimi Martyres, admonere vos litteris noſtris, vt à quibus tam deuotè & fortiter ſeruatur fides Domino, ab iiſdem lex quoque & diſciplina Domini reſeruetur.* Iterùm: *Fortiſſimi & chariſſimi fratres.* Et Epiſt. 81. *Saluto vos fratres chariſſimi, optans ipſe quoque conſpectu veſtro frui, ſi me ad vos peruenire loci conditio permitteret: Quid enim mihi optatius, & lætius poſſet accidere, quàm nunc vobis inhærere, vt complecterer manus illas, quæ puræ & innocentes, & Dominicam fidem ſeruantes, ſacrilega obſequia reſpuerunt?*

8. 1. MARTYRES DESIGNATI.] Id eſt, futuri Martyres: metaphora ab electis magiſtratibus ſumpta, qui *deſignati* dicuntur, cùm eliguntur. Ita etiam Ambroſius loquens de Vitali & Agricola in lib. de Exhortat. ad Virgin. *Vtrique nomen aptum martyrio, vt deſignati ad Martyrium ipſis vocabulis viderentur.* Et Liberius in Epiſt. antequam iret in exilium: *Vos acceptiſſimos Deo ſacerdotes egregia & ſingularis fides, & hic probabiles Deo oſtendit, & iam ad futuram gloriam Martyres deſignauit.* Quid ſi Gregor. Magnus ad hanc rem alluſit vnico verbo Homil. 13. in Euangelia, cùm dixit, *deſignat mortem.* Quippe Hieronymus in Epiſt. ad Furiam, cùm dixit de ſenibus, *Vicina eſt mors in foribus, deſignatur rogus propè*, clarè formam Conſularem intendit. Quemadmodum enim Conſules dicuntur *deſignati*, id eſt, futuri, ita ſenes, vt qui iam citò moriuntur. Certè Flauius Vopiſcus in Probo dixit: *Ex quo apparet, neminem vnquam peruenisſe ad virtutum ſummam iam maturum, niſi qui puer ſeminario virtutum generoſiore concretus aliquid inclytum deſignaſſet.* Suetonius enim in Claudio ita, *Nam & cùm Conſules deſignaret, neminem vltra menſem quo obit, deſignauit.* Obiter nota, Martyres quoque *deſignatos* dici etiam *Confeſſores.* Etenim vox iſta aliquando de his qui ad martyrium erant deſtinati. Aldhelm. de Virgin. cap. 19. *Ergaſtula Confeſſorum.* Iterùm: *Milites ad excubias Confeſſorum deputati.* Et quidem hos eoſdem Confeſſores ſtatim vocat Martyres cùm producuntur ad cædem; vt hinc appareat, dictos Confeſſores cùm ſeruabantur in vinculis, producendi poſtea ad martyrium. Inquit enim: *Verùm hac Confeſſorum Chriſti victoria confutatus, in Amphitheatrum Sãctos ferreis collaribus connexos cruẽtus carnifex imperat duci*: videlicet mactandos. Hieronym. ad Ruffinum: *Rurſus ſuſpenſam voto nutante mentem, Alexandrinus monachus, qui ad Aegyptios Cõfeſſores, & voluntate iam martyres pio plebis iam dudum fuerat tranſmiſſus obſequio, manifeſtus ad crudelitatem nuntij auctor impulerat.* Et Ioan. Chryſoſt. in Epiſt. ad Epiſcopos & Presbyteros, ob pietatem in carcere

9.

incluſos, Martyres clarè vocat, cùm ait, beatos eſſe ob carcerem, ob catenas, ob iniuſta vincula. Et poſtea: *Nihil quod alys videtur graue, vos deterruit; non tribunal, non carnifex, non tormentorum coaceruationes, non minæ, quæ innumeras mortes nuntiabant*: &c.

10. 1. QVÆ ET VOBIS DOMINA, &c.] Iunius ſic legit: *Quæ & vobis communia mater Eccleſia de vberibus ſuis, & ſingula fratres*, &c. itavt *communia*, Eccleſia, fratres *ſingula* largiantur: non aliter dicendum eſſe ait, *ſinguli*. Sed non eſt cur moueamur huius auctoritate hæretici, & Eccleſiam hoc titulo *dominantis* priuemus; etiamſi legi poſſet *ſinguli*, vt etiam ex ſcripto Codice admonet Vvouerenius. Cyprianus etiam Epiſt. 37. Clerum admonet, vt Confeſſorum, qui detinentur in carcere, propenſiorem curam gererent, eiſdémque omnis impenderetur humanitas.

11. 1. DE VBERIBVS SVIS.] Quippe dixerat, *mater*. Sic Ambroſ. lib. 1. de Virgin. Eccleſiam facit *nutrientem, lactantem*. Ioan. Chryſoſt. Orat. de Chriſti baptiſmo de Eccleſia, πιχοῦσα τέκνα. nam filios parit. Enodius lib. 1. Epiſt. 10. *Matris Eccleſiæ ope ſociata, quæ vtroſque, vt verè loquamur, fidei vbere, lacte paſcit altrici*. Cyprian. Epiſt. 10. *Quando ipſa mater noſtra Eccleſia pacem de miſericordia Domini prior ſumpſerit*. Sed nullibi mater Eccleſia ita luculenter exornatur, quàm in vita ſancti Epicteti Martyris: *Sed & mater noſtra alia habetur, fili. Non hæc viſibilis, ſed immortalis permanet: & quæ dignè Saluatori noſtro eſt deſponſata, atque per Angelos eſt adornata, per Prophetas exornata, per Apoſtolos glorificata, per Martyres & Confeſſores exaltata, atque in Chriſto, & per Chriſtum in cœleſti thalamo eſt eleuata, quæ & ab hominibus hæc ſancta mater Eccleſia pronuntiatur*. Et multa deinde in eius laude conſumit.

12. 1. ET SINGVLA FRATRES, &c.] Alludit ad locum Pauli ad Epheſ. cap. 4. *Nolite locum dare diabolo: qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti*. Iuxta hoc Apoſtoli præſcriptum, inquit Rhenanus: *Piſtor panes, telam textor mittebat, & aliquis pecuniam proprio labore collectam*.

1. INFIRMIVS EST.] Credibile aliquos laborare ſpiritu, & idcirco ad eos ſcribit; nam aliter caro infirma, ſpiritus autem promptus.

1. ALLOQVAR.] Eſt *alloquor* verbum conſolationis, & *allocutio* ſolatium ipſum. De hoc ego iam in Æneidem Virgilij ex Mureto, aliiſque.

13. 1. MAGISTRI ET PRÆPOSITI SVI.] *Magiſtros*, quos & *laniſtas* vocabant, qui lucro gladiatores componebant. De quibus procedunt illa Petronij Sat. *Itaque vt duraret inter omnes tutum mendacium, in verba Eumolpi ſacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferróque necari, & quicquid aliud Eumolpus iuſſiſſet, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animáſque religioſiſſimè addicimus. Præpoſiti* verò erant, qui idipſum munus præſtabant ex officio. Cyprianus ad Demetrianum: *Præpoſitus illic agnoſcitur, & timetur, quem non ſententia diuina conſtituit, ſed in quem factio perdita, & nocens caterua conſentit*.

1. IDIOTÆ.] Ἰδιώτης propriè eſt, qui vnum idioma agnoſcit, dialectúmque in litteris. Nyſſenus de his qui maturè abripiuntur, κἂν πεπαιδευμένος, κἂν ἰδιώτης τύχῃ τὶς ὢν ὁ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέπων: *Siue eruditus, ſiue idiota fuerit is qui ſuſpicit in cœlum*. Inde pro modico ſuſcipitur. Ioan. Chryſoſt. Homil. 5. ad Popul. ait de Paulo Apoſtolo, οὐκ ἰδιώτης; *nonne erat idiota?*

1. DICTATA.] Μαθητὰ quæuis, vt eſt in Gloſſario: eſt enim magiſtrorum omnium. Adducit Rhenanus illud Suetonij in vita Iulij Cæſaris cap. 26. vbi loquens de gladiatoribus, ait: *Tyrones neque in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat, precibus enitens, quod epiſtolis eius oſtenditur, vt diſciplinam ſingulorum ſuſciperent, ipſiſque dictatà exercentibus darent*. Et Iuuenal. Sat. 5. 14.

---donec peragat dictata magiſtri
Omnia.

Et Hieronymus in Ezechielem: *Facile eſt dare dictata de populo, & ſingulos ictus calumniari, ac de alieno ridere ſanguine, & vbi vulnus infigi debuerit, imperiti laniſtæ more diſſerere*. Rectè autem *dictata*, nam, vt inquit Lipſius lib. 1. Saturn. cap. 15. præcepta ſua laniſtæ commiſere etiam ſcripto. Vnde Iuuenalis de futuro gladiatore,

Scripturus leges, & regia verba laniſtæ.

Et Hirtius de bello Africo: *Cæſar contra eiuſmodi hoſtium genera non vt Imperator exercitum veteranum, ſed vt laniſta tyrones gladiatores condocefacere quo pede ſe reciperent ab hoſte, & quemadmodum obuerſi aduerſarijs, & in quantulo ſpatio reſiſterent*.

2. FAMILIAM.] Ad eum modum dicit *familiam* de vinctis in carcere, quo Salluſtius in Catilin. *gladiatoriæ familiæ*. Nam gladiatores plerumque è vinctis & deſtinatis ad mortem. Eſt & paritas alia: nam & vincti ſeruiculi in cellis, & gladiatores in cellis. Quam rem abundè Lipſius lib. 1. Saturn. cap. 14. Omnes iſti quacunque ex cauſa vincti dicebantur *familia*. Seneca epiſt. 47. *Ne illud quidem videtis, quàm omnem inuidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerint. Dominum patrem familiæ appellarunt; ſeruos (quod etiam in Mimis adhuc durat) familiares*. 15.

2. IN CARCEREM PERVENISTIS.] Similis in carcerem contruſio fit in vita ſanctæ Eugeniæ Virg. & Martyr. *Deponuntur itaque omnes in vinculis, & quia vnus carceris eos non ferebat locus, per diuerſas cuſtodias diuiduntur. Poſt hæc ſtatuitur dies funeris, in quo alij ad beſtias, alij verò ad ignes, alij ad diuerſa ſupplicia damnarentur*, &c.

3. DEFECTIONIBVS.] Legit Pamelius *affectionibus*, Rhenanus autem *defectionibus*: quem ſecuti ſumus, vt proximè accedunt peccata; magis enim defectiones conueniunt cum odiis & diſſenſionibus, quã affectiones. Iunius autem ſic legit totum hunc locum, *Vilibus in odiis defectionibus, aut inter ſe diſſenſionibus*. Sed non eſt cur eius auctoritate moueamur, præſertim cùm addat, loco *vilibus*, poſſe legi *vtilibus*. Mihi videbatur legi poſſe *vilibus, odiis, defectionibus*, &c. itavt *vilibus* eſſet in neutro genere; & mox explicet, quæ ſint hæc *vilia*, nimirum odia, &c.

3. IN IMA SVA DELITESCAT.] Notum ſerpentis ingenium, ſed non pigeat audire illud verbis Hilarij Can. 10. in Matth. *Omni genere ab ictu caput ſubtrahit, idque aut collecto in orbem corpore contegit, aut foueæ immergit, cadique partem reliquam derelinquit*. Cùm verò id trahatur ad dæmonem, rectè ait in *ſua*, videlicet Tartara.

3. COLVBER.] A Ioanne Chryſoſtomo orat. de Diabolo tentatore, dicitur diabolus θηρίον, *fera, vipera*. De eodem Homil. ad Popul. 1. ἀγριώτερος γίνεται, καὶ ἐκθηριοῦται: *fit ſauior, & efferatior*. Thaumaturg. orat. 1. Annunt. dat illi ἰὸν, *venenum*. & vocat ὄφιν ἀμέλακον, quaſi dicas, *principem ſerpentium*. Et ab Ignatio Martyre Epiſt. ad Philadelphos, dicitur, ἀνθρωποκτόνος θήρ: *fera interficiens homines*. Hilarius contra Arrianos eidem dat, *Os venenatum, linguam mortiferam, & Sibila*. Cum his omnibus conſentit *Coluber*. Quin Iulius Firmicus de errore profanæ Religionis 16.

cap.22. ita ait, pungens dæmonem: *Ipse est basiliscus* A *& scorpio, qui fidelium securis vestigijs premitur; ipse malitiosus anguis, cuius caput quærit decepta mortalitas; ipse tortuosus draco, qui hamo ducitur, qui captiuus includitur; iste Deus vester Lernæi anguis crinibus adornatur, videns vt percusso Domino morientium anguium turba succedat. Quid sic renascentibus hydris pullulas? quid te fœcunda scelerum sobole componis? mortis tuæ viam didicimus; scimus quibus remedijs artis tuæ venena vincantur.*

17. 3. EXCANTATVS.] Tritum hoc de serpentibus excantatis, ad quos respexit proculdubio Ioan. Chrysost. Homil.1. ad Popul. vbi ait de Paulo Apostolo, qui sonat dulcissimè instar lyræ, κοιμίζει τῶν ἀτόπων λογισμῶν τὰ πάθη: *Facit obdormiscere absurdarum cogitationum passiones.* Et Ruffinus Aquileiensis Presbyter lib.3. in Vitis Patrum: *Incantatores illi, qui serpentes sôlent incantare, non intelligunt ipsi verba quæ loquuntur, sed serpentes audientes intelligunt virtutem verborum illorum, & conquiescunt, & subduntur eis.* Et Ioan. Chry- B sostom. Homil. de Baptismo Christi: οὐ θυμὸς γὰ ἐνοχλεῖ, οὐκ ἐπιθυμία φλέγει, οὐ βασκανία πήκει, οὐκ ἀπόνοια φυσᾷ, οὐ κενοδοξίας ἔρως διαφθείρει· ἀλλὰ πάντα ταῦτα χατίσαλται τὰ θηρία, καθάπερ θείας τινὸς ἐπῳδῆς τῆς τῶν θείων γραφῶν ἀκροάσεως διὰ τῆς ἐκείσε ἀκοῆς πρὸς ψυχὴν εἰσιούσης, καὶ κοιμιζούσης τὰ ἄλογα ταῦτα πάθη: *Non enim ira negotium facessit, non cupiditas inflammat, non inuidia tabefacit, non inflat arrogantia, non inanis gloriæ amor corrumpit: sed coërcentur omnes hæ belluæ, cùm primùm quasi quoddam diuinum carmen, sacrarum auditio scripturarum per aures in animum vniuscuiusque penetrauit, & illas alienas à ratione perturbationes sopiuit.* De ipso verò serpente ait Plato in Euthydemo, ἢ μὲ γὰ τῶν ἐπῳδῶν, ἔχεών τε, καὶ φαλαγγίων, καὶ σκορπίων, καὶ τῶν ἄλλων θηρίων τε καὶ νόσων κύλησις ἔστι: *Nam ars quidem excantatorum, viperas, phalangia, scorpios, et alia pestifera animalia lenit ac permulcet.* Elias Cretensis in orat.1. Gregorij Nazianz. ait, illum propulsare huiusmodi incan- C tionem, *caudam statim in orbem torquentem, eaque aurem suam obturantem, & sepientem.* Vti verò serpens discrucietur incantatus, vide me ad illud Eclogæ,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

18. 3. COMMITTAT.] Verbum sumptum à ludo gladiatorum; hi enim *committi* dicebantur. Sueton. in Claudio cap.34. *Præter destinatos etiam leui subitáque de causa quosdam commisit.* Et Cyprian. Epist.10. *Glorioſos seruos Dei cum Dei sacerdote committunt.* Exempla obuia, vt etiam *componi & comparari*, quod Græci συμβάλλειν. Exemplum est in Dione lib.43. τὸν αὐθεντὴν συνέβαλε μοι, καὶ ἔνα ἐνί. Xiphilinus in Domitiano: πολλάκις δὲ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ ναύσους καὶ γυναῖκας συνέβαλε: *Pugnas etiam noctu sæpè exhibuit, & interdum nanos ac fœminas inter se composuit.* Ab Plutarcho in Sylla, gladiator commissus alteri dicitur ἀντισυνεχθείς.

3. CONCORDIA ARMATOS.] Gregor. Nyſ- D senus de perfecta Christiani forma, εἰρήνης γὰ ὅρος, ἡ τῶν διεστηκότων ἐστὶν ὁμοφωνία. ὅταν οὖν ἀναιρεθῇ τῆς φύσεως ἡμῶν ὁ ἐμφύλιος πόλεμος (τότε γὰ ἡμεῖς, ἐν ἑαυτοῖς εἰρηνεύσαντες, εἰρήνην γεύσῃμεθα, ἀληθῆ καὶ κυρίαν ἐφ' ἡμῶν τὸν Χριστὸν πᾶσι ἐπονυμίαν ἀποδεικνύοντες:) *Hæc enim est pacis definitio, vt dissidentium concordia esse dicatur. Quamobrem quando naturæ nostræ bellum intestinum sublatum est, in nobis pacem colentes, pax efficimur, & veram ac propriam in nobis hanc Christi appellationem declaramus.*

3. PAX VESTRA BELLVM EST ILLI.] Themistius orat.10. πολέμου γὰ ἆθλον εἰρήνη: *Belli enim pretium pax est.*

3. QVAM PACEM QVIDAM, &c.] Liberius 19.
in Epist. antequam iret in exilium, cùm suprà sacerdotes dixisset, designatos esse ad martyrium, subiicit: *Estote itaque de promissione cœlesti securi, & quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem, famulum Dei, ad Dominum subleuate.* Pergit aliis. Cyprianus Martyribus designatis, Epist. 11. *Cùm vos adme litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibusdam lapsis pacem dari postulatis.* Iterum: *Et quoniam audio fortissimi & charissimi fratres, impudentia vos quorundam premi, & verecundiam vestram vim pati, oro vos quibus possum precibus, vt Euangelij memores, & considerantes quæ & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint, quàm solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicite & cautè petentium desideria ponderetis, vtpote amici Domini, & cum illo postmodum iudicaturi inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum,* &c. Et Epist.15. *Item cùm comperissem, eos qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam pollnissent; exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, vt sine vllo discrimine atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia contra Euangelij legem:* & reliqua.

3. MARTYRIBVS.] Hi Martyres sunt, quos 20.
Confessores alij dicunt, quod initio huius Capit. dixi. Nunc autem non præteribo locum Victoris Vticensis Episcopi, qui lib.2. Histor. loquens de persecutione Vandalorum, quam exercuerunt in Africa, ita ait: *Iactantur Confessores Christi super inuicem, angustia coarctante vnus super alium vt agmina locustarum, &, vt propriè dicatur, vt grana pretiosissima frumentorum.* Hi verè fuere Martyres: nam statim de illis loquens, ait: *Per vertices montium, & vallium concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suosque infantulos vestigiis Martyrum proijcientes ista voce clamabant: Quibus nos miseros relinquitis,* &c. Et postea ponit clarè Martyrium multorum, cùm subdit: *Quibus per gladios acutos petrarum* (*gladios* vocat petras acutissimas) *huic caput conterebatur, alij latera findebantur, et ita inter manus trahentium spiritum exhalabant.* Et lib.3. narrans crudelitatem Barbarorum, sic subdit: *Tum igitur & quædam vxor cuiusdam cellaritæ Regis nomine Dagila, quæ temporibus Gliserici multoties iam Confessor extiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis & fustibus omnino debilitata, exilio arido & inuio relegatur, vbi nullus hominum forte consolationis gratia veniendi haberet accessum; relinquens cum gaudio domum, maritum & filios.* Ac postea de alio, quem mater, quæ iam Catholica exitum vitæ felicem Martyrio consummauit, armauerat, ita ait: *Venerabilis verò adolescens Maioricus nomine, in certamine Confessionis spiritum reddens, cursum palmiferum consummauit.* Et iterum: *Fuit quidam Elpidoforus nomine, nimiùm crudelis & ferus, cui fuerat delegatum, membra Confessorum Christi suppliciis grassantibus laniare.* Demum ita multis testimoniis abundat Victor Vticensis, vt inaniter consumas operam in narrando. Nihil potius quàm Confessionis nomen obtrudit, cùm narrat atrocem illam Barbarorum persecutionem in Christianos.

CAP. II. ARGVMENTVM.

De comparatione carceris cum mundo.

TERTVLLIANVS.

21. I. CÆTERA æquè animi impedimenta vſque ad limen carceris deduxerint vos, quovſque & parentes veſtri. Exinde ſegregati eſtis à mundo. Si enim recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe, exiſſe vos è carcere, quàm in carcerem introiſſe intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Peiores immunditias exſpirat mundus, libidines hominum. Plures poſtremò mundus reos continet, ſcilicet vniuerſum hominũ genus. Iudicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet. Quo vos benedicti de carcere in cuſtodiarium ſi fortè translatos exiſtimetis.

EXPLICATIO.

22. 1. CÆTERA *impedimenta* reſiſtant in ipſo limine, vbi & parentes reſiſtunt: deducánt tantùm & comitentur vos ad carcerem, quò *parentes* deduxerunt & comitati vos ſunt. Iam vt ſimul introiſtis, ſegregati à mundo eſtis, ideò nulla *impedimenta* pondus habeant. Ait *æquè*, quaſi pariter debeant foris manere & *impedimenta* & cognati. Illud *mundo*, eſt viſibilis hic mundus & omnis ornatus eius. Illud *ſæculo*, eſt mundi conuerſatio, commerciúmque. *Maiores tenebras*, &c. Tenebras dat excæcationi, catenis conſtrictionem, immunditiis cum quibus comparat libidines hominum, &c. *Quo vos*, &c. Putatote vos è mundi huius carcere exiſſe, & translatos eſſe in *cuſtodiarium*, nam talis eſt carcer vbi ſeruamini. Eſt enim *carcer* damnandorum damnatorúmque, *cuſtodiarium* ſtationariorum, ſpeculatorúmque. *Si fortè*, eſt, forſitan, fortaſſe.

23. 2. Habet tenebras, ſed lumen eſtis ipſi Habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic exſpirat, ſed vos odor eſtis ſuauitatis. Iudex exſpectatur de iudicibus, ſed vos eſtis de iudicibus ipſis iudicaturi. Contriſtetur illic, qui fructum ſæculi ſuſpirat. Chriſtianus etiam extra carcerem ſæculo renuntiauit, in carcere autem etiam carceri.
Sap. 3. Nihil intereſt vbi ſitis in ſæculo, qui extra ſæculum eſtis. Etſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere, vt maiora lucreris. Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus Martyres inuitat.

24. 2. *Ipſi*, an ipſi eſtis lumen? an carceri ipſi (in datiuo) lumen eſtis? vt velis. Notentur oppoſitiones. Tenebris carceris opponit lumen Sanctorum, vinculis eius ſolutionem Deo; exſpiranti triſte, odorem ſuauitatis. *Triſte illic exſpirat*, id eſt, res triſtis, graueolentia nimirum. *Iudex exſpectatur*, &c. Vnum è iudicum numero exſpectatis, vos eſtis omnes iudices iudicaturi. *Contriſtetur illic*, &c. Qui aſpirat ad fructum aliquem ſęculi, id eſt, voluptatem. At Chriſtianus *extra carcerem ſæculo*, id eſt ſæcularibus rebus; intus verò ipſimet *carceri renuntiauit*, hoc eſt, flagitiis, quæ ſunt vinctorum propria, vnde diaboli domus dicitur.

25. 3. Ipſam interim conuerſationem ſæculi & carceris comparemus. Non plus in carcere ſpiritus acquirit, quàm caro amittit? Imò & quæ iuſta ſunt caro non amittit per curam Eccleſiæ, & agapen fratrum: & inſuper quæ ſemper vtilia fidei, ſpiritus adipiſcitur. Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, non ſolemnes nationum dies ipſa commiſtione participas, non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantiũ cæderis: non
Marc. 1. Luc. 4. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 2. 1. Petri 1. in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt, vacas à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malis, iam & à perſecutione. Hoc præſtat carcer Chriſtiano quod eremus Prophetis. Ipſe Dominus in receſſu frequentiùs agebat, vt liberiùs oraret, vt ſæculo cederet. Gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtrauit,

26. 3. Age iam comparemus quæ ſæculum & carcer dat, vt videamus carcerem ſæculo præſtare. Nonne plus commodè *ſpiritus acquirit in carcere, quàm caro* & corpus *amittit*? Quinimò quæ ſunt corporis, non amittuntur, cùm ſemper cura adſit Eccleſiæ præbentis alimoniam, & fratrum eleemoſyna ſingula adminiſtrantium. Sed illud quod initio dicebam, maius eſt, quòd ſcilicet ſpiritus acquirit multo maiora ad vtilitatem fidei. *Non vides*, &c. *Alienos Deos* & Gentilium *non vides* (quippe Paganiſmus adhuc vigebat) non in imagines eorum offendis, non te miſces Gentilibus, vt ſolemnia eorum feſta participes, non focos in publicum educis epulaturus in feſtiuitatibus Cæſarum, hoc eſt enim *verberari nidoribus ſpurcis*. Præterea nulli clamores *ſpectaculorum* excitant, neque cæderis & feriris animo ex *atrocitate* arenæ, ex *furore* bacchantis Circi, ex *impudicitia* theatri. Demum non vides nundinas *publicarum libidinum* &

victimas,& ſic cares *ſcandalis*, quæ inde tibi prouenire poſſunt, & *tentationibus*, & *malis* cogitationibus, adhuc & cares perſecutore: qui iudicis auctoritate te quærat & inquirat, vt in carcerem trahat, qui iam quæſitus es & tractus in carcerem. *Hoc præſtat*, &c. *Carcer Chriſtiano eremus* eſt, ſicut *Prophetis eremus ſeruiebat. Ipſe Dominus*, &c. Quin Deus in receſſu agebat, in quo gloriam ſuam *diſcipulis* tribus manifeſtauit in monte Thabor.

27. 4. Auferamus carceris nomen, receſſum vocemus. Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia opaca, aut porticus longas proponis tibi, ſed illam viam quæ ad Deum ducit. Quotiens enim ſpiritu deambulaueris, totiens in carcere non eris. Nihil crus ſentit in neruo, cùm animus in cœlo eſt. Totum hominem animus circumfert, & quò vult, transfert. *Matth.6.* Vbi autem erit cor tuum, illic erit & theſaurus tuus: illic ergò ſit cor noſtrum, vbi volumus habere theſaurum.

28. 4. *Stadia opaca.* Loca lauretis conſita, & ſyluis opaca, ad domeſticam exercitationem & curſum. *In neruo*, inſtrumento, quod vinctis in capite aut pedibus iniicitur, Græci vocant καπόβακτον. Tertullianicus autem pedi ſeruit & cruri alligando.

NOTÆ.

29. 1. PARENTES.] Nihil obſtat, hi ſint veri patres, quippe Gentiles, & comitabantur filios vſque ad carcerem, ſupplicabundi ne vellent pati diram carnificinam, cederentque voluntati Tyrannorum. Ego ſic explicui. Veruntamen ait Rhenanus, *parentum* vocabulo ſignificari cognatos quoslibet. Sic in lib. de Carne Chriſti, ita loquitur Tertullianus de matre & fratribus: *Cùm indignatio parentes non neget, ſed obiurget.* Hæc Rhenanus. Roſueydus tamen in vita Antonij illud Lampridij affert ex Alexandro Seuero: *Iam verò ipſi milites iuuenem Imperatorem amabant vt fratrem, vt filium, vt parentem.* Quod ait, *vt parentem*, id eſt, vt cognatum, non vt patrem. Nec enim iuuenis Imperator à militibus, vel ætate paribus, vel ſuperioribus haberi poterat vt pater. Hæc ille.

30. 1. MVNDVM CARCEREM ESSE.] Hieronymus etiam ad Heliodorum, *mundum* vocat carcerem: *Quid agis pater in ſæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum tenebræ premunt? quamdiu fumoſarum vrbium carcer includit?* Et in Epiſt. ad Ruſticum: *Mihi oppidum carcer, & ſolitudo paradiſus eſt.* Et in Epiſt. ad Paulam, vbi de obitu Bleſillæ: *Quos adhuc ſæculi carcer includit.* Hilarius de ſe ſcribens contra Arianos: *Montes mihi & ſyluæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores*, ſcilicet mundo, qui carcer deterior. Eſt hæc, quam *aſperam cuſtodiam* appellat Tacitus lib. Annal.13. *Nec minus properato Narciſſus Claudij libertus, de cuius iurgiis aduerſus Agrippinam retuli, aſpera cuſtodia, & neceſſitate extrema ad mortem agitur.* Quam egregiè Fornerius ad Tit.de verbor. ſignificat. cap.48.dictam ſic autumat, vt oppoſitam *liberali cuſtodiæ*. Cicero de claris Oratorib. *Domi teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia.* Firmicus lib.5.Matheſ. *In cuſtodia quandoque, ſed libera exponetur.* Et cap.3. *Frequenter erit in libera cuſtodia conſtitutus.*

31. 1. QVAM IN CARCEREM.] Intelligitur, inquit Rhenanus, *magis* aut *potiùs quàm*. Sic in Valentinianis dixit: *Vbi ſuperindui potuit, quàm diſpoliari.* id eſt, magis ſuperindui potuit, quàm diſpoliari. Ellipſin hanc locupletat. Vide illum. De carcere eſt locus Hymno 6. περὶ στεφάνων Prudentij:

Carcer Chriſticolis gradus coronæ eſt,
Carcer prouehit ad ſuperna cœli,
Carcer conciliat Deum Beatis.

1. MAIORES TENEBRAS HABET, &c.] A Carcer prophanus admodum erat tenebroſus; de quo Nyſſenus in Epiſt.ad Flauianum, πλεῖω ἀλλ' ἐμοὶ φόβος, ἢ δεσμωτήριον ἀσεγὲς, ἢ ἄλλό τι σκυθρωπὸν κολαστήριον ἔδοκει τὰ παρόντα εἶναι: *Cæterùm mihi infernus videbantur, vel caliginoſus carcer, vel alia quæuis triſtis officina pœnarum.* Et Prudentius περὶ στεφάνων Hymno 5.

Lugubre in antrum truditur
Ne liber vſus luminis
Animaret altum ſpiritum.
Eſt intus imo ergaſtulo,
Locus tenebris nigrior,
Quem ſaxa merſi fornicis
Anguſta clauſum ſtrangulant.
Aeterna nox illic latet, B
Hic carcer horrendus ſuos
Habere fertur inferos.

Sed audi verba Calp. Flacci Declamat.4. *Video carcerem ſaxis ingentibus ſtructum, anguſtis foraminibus tenuem lucis vmbram recipientem. In hunc coniecti robur Tullianum proſpiciunt: & quoties iacentes ferrati poſtis ſtridor excitat, exanimantur; & alienum ſupplicium ſpectando, ſuum diſcunt. Sonant verbera; cibus recuſantibus ſpurca carnificis manu iniicitur. Sed & ianitor inexorabili pectore, qui matre flente ſiccos teneat oculos. Illuuies corpus exaſperat, manus catenæ premunt.* Grauiter deſcripſit, & ab horrendis tenebris incœpit.

32. 1. IMMVNDITIAS.] Dixit Nyſſen. opere de Caſtigat. ὡς πνα τῶ δεσμωτηείου τῇ κόμῃ, καὶ τῷ ῥύπῳ καταρρεύμενον: *Quaſi quendam fœtore ac ſordibus carceris notatum.*

C 1. PROCONSVLIS.] Aduertit Rhenanus, hos Martyres vel Carthagine, vel in aliquo oppido vicino Carthagini detentos, in Prouincia Carthaginienſi. Nam Carthagine Proconſulem fuiſſe ſatis declarat Pontius in vita Cypriani, cùm inquit: *Denique comprehenſus à miniſtris Paterni Proconſulis Carthaginienſis.* Et Cyprianus ipſe Epiſt.16. dixit: *Eant nunc Magiſtratus, & Conſules, ſiue Proconſules, annuæ dignitatis inſignibus, & duodecim faſcibus glorientur; ecce dignitas cœleſtis in vobis honoris annui claritate ſignata eſt.* Præterea in Libro, cui Titulus *Notitia Occidentis*, peculiariter fit mentio *Proconſulis Africæ*. Etenim adminiſtrationes Prouinciarum mutabantur ad libidinem Cæſarum.

33. 1. CVSTODIARIVM.] Ioan.Chryſoſt.Homil.8.

in Matth. ἡ γνῶ ἐλθὼν εἰς τὴν ἔρημον τῆς Αἰγύπτου, παραδείσου πάντως βελτίω τὴν ἔρημον ταύτην ὄψεται γεγονυῖαν, ἢ χορὸς Ἀγγέλων μυρίους ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι : *Si quis nunc ad Aegypti veniat ſolitudines, paradiſo quouis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus.*

2. HABET TENEBRAS.] Rhenanus vult ſimiles eſſe huic illas Cypriani locutiones epiſt. 81. *O beatum carcerem, quem illuſtrat veſtra præſentia. O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cœlum. O tenebras lucidiores ſole ipſo, & luce hac mundi clariores; vbi modò conſtituta ſunt Dei templa, & ſanctificata diuinis confeſſionibus mẽbra veſtra.* Quò confero illud eiuſdem epiſtolæ : *Beatas etiam fœminas, quæ vobiſcum ſunt in eadem confeſsionis gloria conſtitutæ, quæ Dominicam fidem tenentes, & ſexu ſuo fortiores, non ſolùm ipſæ ad coronam proximæ ſunt, ſed & cæteris quoque fœminis exemplum de ſua conſtantia præbuerunt.* Illud etiam Hilarij aduerſus Arianos, non diſſidens : *O ſtudioſi tantum Apoſtolicæ atque Euangelicæ doctrinæ viri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit.* De tenebris carceris alibi dictum : hîc audi Prudentium in Agone Romani, vbi Pręſes iubet ſanctum Martyrem,

Trudi in tenebras noxialis carceris.

34. 2. SED LVMEN ESTIS IPSI.] Hilarius can. 11. in Matth. *Neque ſanè credi poteſt, Spiritus ſancti gloriam in carcere poſito defuiſſe, cùm Apoſtolis virtutis ſuæ lumen eſſet in carcere poſitis miniſtraturus.*

2. EXPECTATVR IVDEX DE IVDICIBVS.] Ciaconius delet illud, *De iudicibus*, accreuit enim ex ſequenti. Non malè, vt video.

2. CHRISTIANVS ETIAM EXTRA CARCEREM SÆCVLO RENVNTIAVIT.] Adducit Rhenanus illud Cypriani de habitu Virg. *Cæterum quæcumque terrena ſunt in ſæculo accepta, & hîc cum ſæculo remanſura, tam contemni debent, quàm mundus ipſe contemnitur, cuius pompis & delicijs iam tum renunciauimus, cùm meliore transgreſſu ad Dominum venimus.*

2. AMISISTIS VITÆ GAVDIA.] Iunius *amiſiſti*, ſed malè, trita eſt enim ea locutio.

2. NEGOTIATIO EST ALIQVID AMITTERE, VT MAIORA LVCRERIS.] Affert in hunc locum Cauſinus lib. 10. cap. 51. verſum hunc Rutilij:

Aſtrorum flamma renouant occaſibus ortus,
Lunam finiri cernis vt incipiat.

Et ego Valerianum Epiſcop. Cemelienſ. qui Homilia 15. ita ait : *Quis non ſapiens contempta huius lucis vſura, ſi ita vſus venerit, ad martyrium ambitioſè feſtinat, cùm videat ad lucrum vitæ pertinere morti animam deputaſſe? Quare autem non homo ad tam pretioſum opus deuotus occurrat, ac ſe in impiorum manus audacter obijciat, quem cæleſtis gratia remunerationis expectat?* Et infrà : *Facilè profectò intelligimus, quis illis in cœleſti ſede locus paretur, quorum memoriam tanta officiorum cura proſequitur. Aptemus itaque animos ad futuram gloriam, quæ repoſita eſt nobis, & præponamus terrenis cœleſtia, vt poſsimus illa æternæ vitæ promiſſa contingere. Nemo autem ſibi de huius mundi ambitione blandiatur, quem videt in diem deficere acceſſu ætatis & temporis. Si comparemus denique æternis præſentia, ſatis vilia & inutilia conſtat eſſe quæ temporaliter poſsidemus.*

35. 3. IPSAM INTERIM, &c.] Legunt omnes iſta hoc modo : *Ipſam interim conuerſationem ſæculi & carnis comparemus, ſi non plus in carcere ſpiritus acquirit, quàm caro amittit, imò & quæ*, &c. Mutaui, vt vidiſti, credo enim illum eſſe calamum Tertulliani. Si autem libeat legere vt omnes, explica iuxta Rhenani mentem, *ſi acquirit*, pro *an acquirat*. Similiter in Apologetico dixit : *Conſtet igitur prius, ſi iſti, quibus ſacrificatur, ſalutem imperatoribus, vel cuilibet homini impertiri poſſunt.* Dicit, *ſi poſſunt*, pro, *an poſsint.*

3. CONVERSATIONEM.] Vox trita & vbique obuia. Victor Epiſcop. Vticenſ lib. 2. Hiſtor. *Porrò ille vir Dei ſacerdos Eugenius cœpit per conuerſationem operum bonorum venerabilis & reuerendus haberi etiam ab his qui foris ſunt.*

3. PER CVRAM ECCLESIÆ.] Nicetas Dauid in vita ſancti Ignatij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, de hoc intelligendus eſt, cùm ait de ſancto Ignatio : καὶ πᾶς τῶν ἁγίων χρείαις καὶ τὴν Ἀποστόλου κοινωνῶν : *& ſanctorum neceſsitatibus ſecundùm Apoſtolum communicans.*

3. AGAPEN FRATRVM.] Hîc capio generaliter omne genus eleemoſynæ. Pelagius libello 10. num. 46. *Semino agrum meum, & facio ex ipſo agapen.* Cyprian. lib. 3. Teſtimonior. cap. 3. *Agapen & dilectionem fraternam religiosè & firmiter exercendam.* Quam ſanè agapen viri ſancti & Doctores Eccleſiæ vocant ſignato nomine *operationem*, vt dicam ad lib. de idololatria. Hîc afferam Tertullianum lib. 1. aduerſus Marcion. *De alienis bonis ob alium Deum nomine eleemoſynæ & dilectionis operatur.* Et Caſſian. Collat. 24. cap. 12. *Agapen alienæ operationis exſpectat.* Vulgò dicitur *caridad*, vt in vita ſancti Epiſcopi Godehardi dicitur, *dare confraternitatem*, pro, dare eleemoſynam: quæ vox non eſt aliena à Græca *agape*. Vide Auctorem illius vitę pag. 80. ad finem. Euſebius in vita Conſtantini lib. 1. cap. 47. vbi agit de Licinio: τί δεῖ τῶν ἐκεῖνος μνημονεύειν, ὡς τοὺς εἰρκτοὺς παλαιπωρουμένοις, μηδεμίαν μεταδόσει τροφῆς φιλανθρωπεύσασθαι ἐκέλευσε, μηδὲ ἐλεεῖν τοὺς ἐν δεσμῶν λιμῷ διαφθειρομένους ; *Quid præterea commemorem, quo pacto in mandatis dederit, ne quiſquam eos, qui in carceribus miſerè afflictabantur, alimenta benignè impertiendo ſubleuaret; nẽue eorum qui erant in vinculis fame confecti, miſereretur?* Sanctus Ephrem frequenter vtitur hac voce ἐλεᾶσαι ποιεῖν, *eleemoſynam facere.* Vide etiam cap. 39. Apologetici. De *ſportula* porro Eccleſiaſtica vide Claudium Rangolium in lib. 1. Regum cap. 9. verſu 7.

36.

37.

3. ET INSVPER QVÆ SEMPER VTILIA FIDEI SPIRITVS ADIPISCITVR.] Cyprianus epiſt. ad iſtos : *Et nos quidem veſtri diebus ac noctibus memores, & quando in ſacrificiis precem cum reliquis facimus, & cum receſſu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus veſtris plenam Domini fauentiam poſtulamus.*

3. NON SOLEMNES NATIONVM DIES IPSA COMMISTIONE PARTICIPAS.] Hi *ſollemnes dies* ſunt, quos in lib. de Corona militis vocat *ſollemnitates*. Et lib. 2. ad Vxor. loquens de diſpari coniugio, vbi videlicet mulier Chriſtiana Gentili marito nupta eſt. Quod adducit Pamelius: *Moratur Dei ancilla cum laribus alienis. Et inter illos omnibus honoribus damonum, omnibus ſollemnibus Regum, incipiente anno, incipiente menſe, nidore thuris agitabitur.*

3. NON NIDORIBVS SPVRCIS VERBERARIS.] Hi *nidores ſpurci* ſunt, de quibus locutus eſt Apolog. 35. *Grande videlicet officium focos & toros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cæteruatim curſitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.* Deſcribit celebritates Cęſarum. Eſt enim nidor, odor quidam qui excitat olfactum ex eduliis aſſis coctiſue inde illud Horatij, *naſum nidore ſupinor.* Deinde accipitur pro putore vſtrinæ, vnde illud Virgilij, *Nidoremque ambuſta dedit.*

38. 3. NON CLAMORIBVS SPECTACVLORVM, ATROCITATE, VEL FVRORE, VEL IMPVDICITIA CELEBRANTIVM CÆDERIS.] Vide in Apologet. cap. 38. vbi : *Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu cum inſania Circi, cum impudicitia*

Theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate. Et Circus, ait Prudent. in Hamartig. non habet auctorem equum eius leuitatis, quæ in ipso est, sed vulgus; ait enim:

--- nec equum vesania feruida Circi
Auctorem leuitatis habet, rapidiue fragoris:
Mens vulgi rationis inops, non cursus equorum.

3. CÆDERIS.] Aduertit Rhenanus dictum priùs, *verberaris.* Et in lib. Valentiniani dixit Tertullianus, *tuam simplicitatem sua cæde dispergunt.* Et Hieron. in vita Hilarionis, *cæde manus*, pro, ictu manus. in Apologetico etiam, *caterua cæsionum.*

39. 3. NON IN LOCA LIBIDINVM PVBLICARVM OCVLI TVI IMPINGVNT.] Hieronymus ad Gerontiam, adducente eodem Rhenano, *Vt in eo se putet esse laudabilem, si scortis melior sit, si publicarum libidinum victimas superet.* Et in lib. de Pallio, *Lupas popularium libidinum nundinas.* Et Brissonius de iure connubiali, affert illud Horatij lib. 1. Sat. 2. B

--- olenti in fornice stantem.

Nam sic appellat meretricem. Et Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 10.

Stat meretrix certo cuiuis mercabilis ære,
Et miseras iusso corpore quærit opes.

Seneca de vita beata: *Voluptas humile, seruile, imbecillum, caducum, cui statio ac domicilium, fornices & popinæ sunt.* Arnob. lib. 2. aduersus Gent. *Stant in Lupanaribus promptæ, in fornicibus obuinctæ.* Plautus in Bacchidib.

Omnes fornices, lustra, & lustrales cellulas
Quæsiui sedulò.

Sed nihil magis explicat hanc oculorum coniectionem in vetita, quàm illud Heliodori lib. 2. Histor. Æthiop. ait enim de quadam meretrice: πολλῷ μὲν θεατρίῳ. πολλῷ δὲ πλούτῳ δορυφορουμένην, πᾶσι δ' ἀφεσθείσοις C θηράτροις ἐξησκημένην. οὐ γὰρ ἦν ἐντυχοῦσι μὴ ἁλωκέναι· οὕτως ἄφυκτον τινα καὶ ἀνθέκτορα ἐπαοιδὴν σαγήνην ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐπεύρετο: *Venerat magna pedissequarum & seruorum caterua, & multis opibus stipata, omnibus Veneris illecebris atque lasciuia exactè instructa. Neque fieri potuit, vt non quiuis qui in illã incidisset, caperetur; adeò ineuitabilem quendam & inuictum fascinum meretricium ex illius oculis attrahebat.*

40. 3. QVOD EREMVS PROPHETIS.] Legendus Hieronymus ad Heliodorum, vbi paria de eremo cum his, quæ de carcere à Tertulliano prædicantur. Et Ruffinus Aquileiensis in prologo ad lib. 3. de vitis Patrum: *Verè mundum quis dubitet meritis stare sanctorum, horum scilicet, quorum in hoc volumine vita præfulget, qui omnem luxuriæ notam tota mente fugerunt, mundóque relicto, eremi vasta secreta rimantur, ibique per terribiles rupes, formidolosis antris excubantes, non esuriunt, neque sitiunt, quia dextera Dei sustentat & pascit eos?*

4. AVFERAMVS CARCERIS NOMEN, SECESSVM VOCEMVS.] Huic simile quod legitur in vita Ægyptiacæ, *ciuitatem æstimantes solitudinem.*

41. 4. ETSI CORPVS INCLVDITVR, &c. Ioan. Chrysost. Homil. 16. ad Popul. de Paulo vincto in carcere, sic ait: καὶ πολλῷ πλέον ὁ διδάσκαλος ἐδίδετο, καὶ ὁ λόγος ἐπέτατο· ἐκεῖνος τὸ δεσμωτήριον ᾤκει, ἡ δὲ διδασκαλία περιῄει πανταχόσε τῆς οἰκουμένης ἔτρεχε: *Et quod multò amplius est, vinctus erat doctor, & verbum volabat: ille carcerem habitabat, & doctrina alata passim in orbe terrarum currebat.*

4. OMNIA SPIRITVI PATENT.] Hieronymus ad Marcellam de Asella: *Vnius cellulæ clausa angustiis latitudine paradisi fruebatur.* Nazianzen. orat. 1. ἤδη τὸ τῆς μέλλοντος αἰῶνος ἀγαθὸν ταῖς ἐλπίσι καρπούμενον, καὶ συμπεπολιτεῦσθαι ἀγγέλοις, ἔτι ὑπὸ γῆς ὄντα, κατα- A λείποντα πῶς γλῶ, καὶ ὑπὸ τῆς πνεύματος ἄνω πτέρυγος: *Iam qui futuri æui bonum spe percipiat, & cum Angelis versetur, ac licèt adhuc in terris sit, terram deserat, atque à spiritu sursum collocetur.* Et Prudent. Hymn. 1. περὶ στεφάνων, cùm dixerit,

--- obruuntur mille pœnis martyres,
Nexibus manus vtrasque flexas innoluit rigor:
Et chalybs attrita colla grauibus ambit circulis,

Subiicit:

Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur,
Ac diu visum sequacem textilis candor fugit:
Subuehuntur vsque in astra, nec videntur amplius.

42. 4. STADIA OPACA.] Tertullian. de Corona milit. *Susannam in stadio mariti non velatam deambulasse.* Hanc opacitatem colligas etiam ex situ stadij: erat enim in medio Xysti. Iustin. Martyr Dialog. Tryphonis clarè, τὸ μέσον τοῦ ξύστου στάδιον. Sed nota hîc non fieri mentionem stadij publici loci, sed stadij quod esset in ædibus, qualia nunc sunt in vestibulis magnorum Principum, vt notat Sirmondus noster. Sic Hippodromus non semper est Circus, sed porrectus locus in longitudinem, & clausum vndequaque deambulacrum. Ita lucem dat ille Sidonio epist. 2. lib. 2. Videsis illum.

4. QVOTIENS ENIM, &c.] Similis sententia Hieronym. ad Heliodorum: *Infinita eremi vastitas te terret, sed tu paradisum mente deambula.* Seneca epist. 4. dixit: *Voluptas est, quæ percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe pura & splendida.*

43. 4. CRVS SENTIT IN NERVO.] Græcè ξυλοπέδη. Veteres Attici neruum vocabãt ξύλον, id est, lignum. Vnde qui ex lege nexi erant, dicebantur ἐγκαλοσκελεῖς, in legibus Athenienſium, vt notauit Ioseph. Scaliger. Plaut. in Aulularia, *Apud te me in neruo enecem.* Valerian. Epis. Homil. 16. *Nemo ergò diffugiat, si ita vsus fuerit, sonitus catenarum & tenebrosis sedibus otiosa supplicia in vsum impiorum parata neruorum.* Offendi locum in orat. 2. Themistij, vbi ξύλον vocat simpliciter: οὐδὲ ὅτι κατεδίκασαν αὐτὸν Ἀθηναῖοι, οὐδ' ὅτι ἐν τῷ ξύλῳ ἦν, οὐδὲν ἀχθοῖς, ἢ ταπεινὸν ἔπραξεν, ἢ εἰπεῖν πρὸς τοὺς ἑταίρους εἰς τὸ δεσμωτήριον συνῆντας: *Sed ne tunc quidem cùm ab Athenienſibus damnatus est, nec cùm in neruo detineretur, quicquam infracti atque abiecti animi fecit, aut dixit apud socios, qui in carcerem conuenerant.* In Græco est ξύλῳ, *ligno.* Ita etiam Arator lib. 2. Hist. Apost. cùm ait,

--- vestigia quorum
Ligno morsa cauo vinclis tenuere beatis.

Quin & Lucianus in Toxari, vbi sic ait: οἷον εἰκὸς χαμαὶ κατεύδοντα, καὶ τῆς νυκτὸς, οὐδὲ ἀποτείνειν τὰ σκέλη δυνάμενον, ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα: *Quippe qui humi cubaret, idque etiam noctu, neque crura finerétur protendere, ligno inclusa.* Euseb. lib. 5. Histor. cap. 1. τοὺς κατ' ἐκεῖνο ἐν τῷ σκότει καὶ τῷ χαλεπωτάτῳ χωρίῳ συγκλείσεις, καὶ τοὺς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν ἐπὶ πέμπτον διατεινομένων τρύπημα: *Vt in carcerem coniecti interdum in locis horrida caligine obsitis, & plenis molestiarum miserè iacerent, nonnunquam illorum pedes in ligno extensi distinerentur, & ad quintum vsque foramen distraherentur.* Apud Plutarchum de Deo Socratis, τοὺς πόδας ἐν τῷ ξύλῳ δεδεμένοι: *Ligneis compedibus vincti.* Quid ergo si *neruus* est genus illud ligni, quod variis distinctum foraminibus, in quæ pro scelerum meritis, aut tyrannorum libidine, ita inserebantur martyrum crura, vt supra naturalem modum diuaricata & disiuncta *luxarentur?* Et hinc dixit Eusebius, *ad quintum vsque foramen distraherentur.* Quo verò quis ad plura foramina damnaretur, eo magis distortis cruribus cruciabatur. Prudentius dixit, de Vincentio martyre:

In hoc baratrum coniicit
Truculentus hostis martyrem,

Lignoque plantas inſerit,
Diuaricatis cruribus.

Egit de hoc ligno Baronius in Annotationibus ad Martyrologium.

44. 4. TOTVM HOMINEM ANIMVS CIRCVMFERT.] Ea propter animum vocat Nyſſenus lib. de Virginit. cap. 17. οἰκοδιακονόμον καὶ οἰκονόμον, *moderatorem & Dominum.* Et eodem lib. cap. 22. ὁ ἡμέτερος νοῦς, ὁ τοῦ τοῦ σώματος ἡνίας ἐφ' ἑαυτὸν ἔχων: *Animus noſter ſub ſe habenas habens corporis.*

CAP. III. ARGVMENTVM.

De carceris moleſtiis æquanimiter ferendis coronæ æternitatis ergô.

TERTVLLIANVS.

45. 1. SIT nunc benedicti carcer etiam Chriſtianis moleſtus. Vocati ſumus ad militiam Dei viui, iam tunc cùm in ſacramenti verba reſpondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis: vbi omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas cõſtitit. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati iam ediſcunt; in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem denſitando: ſudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaueſcant. De vmbra ad ſolem, & ſole ad cœlum; de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.

EXPLICATIO.

46. 1. *Sit nunc*, &c. Concedentis eſt, & annuentis, carcerem eſſe moleſtum Chriſtianis. *Vocati ſumus*, &c. Atqui nos milites ſumus, ex quo nos Deo obligauimus in baptiſmo, quamobrem vt milites agere oportet. *Nemo miles*, &c. Nemo autem it militatum inter delicias, nec è lectulo aut *cubiculo* procedit *ad aciem* pugnaturus, *ſed de papiliombus expeditis*; cùm ſcilicet expediuntur inuoluta tentoria, & firmiter funiculis illigantur, ſubſtringuntúrque ad palos terræ infixos. *Vbi omnis*, &c. Tum autem nemo dubitet, quin duriter omnia, nec cõmodè, nec ſuauiter peragantur. *Etiam in pace*, &c. Cùm autem militibus pax alta eſt, non minùs tunc *ediſcunt bellum pati* laboribus, atque incommodis, nam tunc educuntur deambulatum inter arma, *campum* decurrunt, *foſſam* moliuntur, *teſtudinem* denſitant compactis ſcutis. Nam *ſudore omnia conſtant* & perficiuntur, ne ſcilicet *animi & corpora expaueſcant* in ipſo vero belli periculo. *De vmbra*, &c. Cùm ſint in *vmbra* eunt *ad ſolem*, & in *ſole* ipſo patiuntur *cœlum*, hoc eſt, aërem frigidum; *tunica* exuti induuntur *lorica*; in *ſilentio* cùm ſint, erumpunt ad *clamorem*; & è *quiete* ſubitò *ad tumultum* euadunt.

47. 2. Proinde vos benedictæ, quodcunque hoc durum eſt, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem ſubituræ eſtis, in quo Agonothetes Deus viuus eſt: Xyſtarches ſpiritus ſanctus: corona æternitatis, brauium: Angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum. Itaque Epiſtates veſter Chriſtus Ieſus, qui ſpiritu vos vnxit, & ad hoc ſcammá produxit, voluit vos ante Diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, vt vires corroborarentur in vobis.

Pſal. 43.

48. 2. In vinculis etiam tenebantur fœminæ ſanctiſſimæ: has exhortatur, vt intelligant, hoc *quodcunque* eſt *durum*, pertinere *ad exercitationem virtutum* tam *animi*, quàm *corporis*. *Bonum agonem*, &c. *Agonem*, quem ſubituræ eſtis, *bonum* exiſtimate, *in quo Agonothetes* (is eſt qui proponit munera certantibus) *Deus eſt viuus*: *Xyſtarches* (Xyſti, ſiue ſtadij Athletici Dominus) *Spiritus ſanctus* eſt: *brauium* autem (id eſt præmium definitum ſtatumque, ἀπὸ τοῦ βραβέως, *ab Agonotheta*) *æternitatis* eſt *corona*: demum *gloria in ſæcula ſæculorum*, eſt *Angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis*, quam dabit *Xyſtarches Spiritus ſanctus*. *Itaque Epiſtates*, &c. Et ita, qui præeſt huic certamini (nam *Epiſtates* eſt præſes, præfectúſque) eſt *Chriſtus Ieſus*, *qui vos* ſpiritualiter *vnxit*, vt qui ab vnctione dictus, id eſt, fecit, aut iuſſit vngi, vt explicat Faber lib. 2. cap. 5. Et qui *produxit* vos *ad hoc ſcamma*, id eſt, ad locum certaminis; hic itaque *voluit vos ante diem agonis ſeponere à* liberali & magnifica *conditione ad* duram *tractationem*, *vt in vobis corroborarentur vires*. Summa eſt: voluit in vobis corroborari vires, & fortes eſſe Athletas, & ideo vos fecit relinquere ſuauitates omnes, & traduxit ad aſperum victum, vt in hoc ſcammate, & loco certaminis producti ſpecimen grande ederetis martyrij: quod medium eſt ad conſequendam *æternitatis coronam*, quod eſt *brauium*, à Patre propoſitum; & *Angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis*, quod eſt *gloria in ſæcula ſæculorum*, quam *Spiritus ſanctus* daturus eſt vobis. *Politia* in his certaminibus erat locus aſſignatus in ordine ciuium, qui in cœlis erit ordo Angelorum. Addo etiam aliam explicationem, vt *Angelicæ ſubſtantiæ* ſit in nominandi, dicatque, *politia in cœlis*, & ſocietas ciuium ſpectans ſit, videlicet *Angelicæ* poteſtates & *ſubſtantiæ*.

49. 3. Nempe enim & Athletæ ſegregantur in ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lectioribus, à potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur: quanto plus in exercitationibus laborauerint,

1. Cor. 9. tanto plus de victoria sperant. Et illi, inquit Apostolus, vt coronam corruptibilem consequantur. Nos æternam consequuturi, carcerem nobis pro palæstra interpretemur, vt ad stadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus producamur: quia virtus duritiâ exstruitur, mollitiâ verò destruitur.

50. 3. *In strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent*, scilicet arida saginatione, quæ fit hordeo & coliphijs. *Pro palæstra.* Est gymnasium, & exercitationis locus, vbi se exercebãt athletæ priusquam producerentur *ad stadium tribunalis*, qui locus erat iudicibus destinatus, vt inde cognoscerent qui superior esset in certamine. Hac autem allegoria grauissimè Tertullianus notat tribunal Iudicum, apud quos Christiani Athletæ sistebantur, certamina pro Christo, religione & fide obituri. Hanc explicationem nobis exhibuit Iunius.

NOTÆ.

51. 1. SIT NVNC.] Concedentis esse *sit*, non imprecantis, notauit Rhenanus. Tale illud de carne Christi: *Sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum.*

1. CVM IN SACRAMENTI VERBA RESPONDIMVS.] De hac re agam in lib. de Corona militis.

1. NEMO MILES AD BELLVM CVM DELICIIS VENIT.] Admouet Rhenanus locum Hieronymi ad Heliodorum. *Quid facis in paterna domo delicate miles? vbi vallum? vbi fossa? vbi hyems acta sub pellibus?* Ambrosius de Elia & ieiunio cap. 21. *Athletæ ergo sumus, legitimè certandum est. Multa certamina sunt, & qui hodie victus est, cras se reparet. Antea ad brauium contenditur, postea ad coronam. Nunquid Athleta otio vacat, cùm semel dederit certamini nomen suum? exercetur quotidie, vngitur quotidie: ipse cibus ei agonosticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, vngere oleo iustitiæ.* Multa subdit in hanc rem Seneca epist. 51. *Nobis quoque militandum est: & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur, debellandæ sunt in primis voluptates, quæ sæua quoque ad se ingenia rapuerunt.* Lactant. lib. 6. cap. 4. *Omittenda est voluptas, ne hostis opprimat, vigilandum: stationes agendæ militares, expeditiones obeundæ, fundendus ad vltimum cruor.* Vincentius apud Prudent. *Miles Dei* dicitur. Faustus Episcop. Rhegiens. epist. 1. *Crimina quæ generauerant mortem, militare incipiant ad salutem, inque remedium delicta proficiant, & medicina de vulneribus producatur.* Cùm sim in hoc Auctore, non possum non exhortari Religiosum, vti legat viri huius ad Monachos sermonem, quo nulla efficacior medicina ad perseuerandum. Hoc monui; est enim consimilis sermo ille Christianis in carcere constitutis. Et iam redeo. Pudet verò afferre loca, in quibus *miles* dicitur in schola Christi; vt Cassianum lib. 1. de Cænobiorum institutis cap. 2. vbi monachum *militem* Christi vocat. Et Hippolytum Martyrem in serm. de extremo iudicio. Et Græcos, qui de monachis dicunt, ἀσκητὰς, pugiles, seu exercitatores. Vide insuper vitam Eugeniæ Virg. & martyris.

52. 1. NEC DE CVBICVLO AD ACIEM PROCEDIT.] Hieronymus ibidem: *Et tu mihi de cubiculo ad aciem, tu de vmbra egrederis ad solem.* Est autem *cubile* seu *cubiculũ*, lectus aut lectulus. Lucan. l. 5. de Cornelia Pompeij vxore cubante sola in lectulo:

Non iuuat in toto corpus iactare cubili,
Seruatur pars illa tori.

Vbi quod priùs *cubile*, postea vocat *torum*. Dicit enim, Corneliam non spatiatam toto lecto, seruantem illam partem Pompeio. Claudian. 2. Raptus:

Ducitur in thalamum virgo, stat pronuba iuxta
Stellantesmox picta sinus, tangénsque cubile,
Omina perpetuo genitalia fœdere sanxit.

A Vbi, quem priùs thalamum, qui est lectus coniugalis, mox vocat *cubile*. Horat. Epod. 12. *tenta cubilia*, vbi vetus Interpres: *tenta cubilia, lectus funibus, vel fasciolis tentus.* Quinctilian. Declamat. 279. *Pudorem cubiculi.* At ne te onerem, vide quæ iam dabam ad 12. Æneid. ad versum illum:

Magnamini Iouis ingratum ascendere cubile.

1. SED DE PAPILIONIBVS EXPEDITIS ET SVBSTRICTIS.] Notat Rhenanus, expediri tentoria inuoluta cùm in castris extenduntur, & funiculis ad palos terræ infixos substringuntur, alligantúrque, ne vento disturbante corruant. 53.

1. IMBONITAS.] Idem dicit, hoc vocabulum inueniri in lib. de Exhortat. ad Castit. *Alioquin res & viris & fœminis eadem imbonitate ad matrimonium & stuprum commixtis carnis licitandum.*

1. IN ARMIS DEAMBVLANDO, CAMPVM DECVRRENDO.] Veget. lib. 1. cap. 27. *Præterea & vetus consuetudo permansit, & Dini Augusti, atque Adriani Constitutionibus præcauetur vt ter in mense tam equites quàm pedites educantur ambulatum. Hoc enim verbo hoc exercitij genus nominant. Decem millia passuum armati instructique omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire iubebantur in castra, ita vt aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Equites quoque diuisi per turmas, armatique similiter tantum itineris perurgebãt, ita vt ad equestrem meditationem interdum sequerentur, interdum cederent, & recursu quodam impetus repararent.* Et lib. 2. cap. 23. *Cæteris autem hybernis diebus, si niues tantùm pluuiæque cessarent, exerceri cogebantur in campo: ne intermissa consuetudo & animos militum debilitaret, & corpora. Syluam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari siue fluminibus, gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequentissimè conuenit; vt quotidiani laboris vsus in pace, difficilis non videatur in bello.* B

1. FOSSAM MOLIENDO, TESTVDINEM DENSITANDO.] Constantinus Imperator ad filium Porphyrogenitum cap. 22. μὴ φοασάτου dixit, occurritque passim hæc vox inter Latinos, *fossatus.* In vitis Patrum lib. 5. in libello 9. *Misit se in fossatum, & flebat ibi.* Sed cùm præcipua difficultas posita sit in *testudinem densitando*, dicam quid visum. In omnibus libris quotquot sunt, ista sunt hoc modo, *fossam moliendo, testudinem desiccando.* Rhenanus autem id trahit ad lignorum siccationem, ex quibus testudines compingebantur. Video stare posse hanc sententiam: nam hæc tabulatis contexebatur, & crudo corio aut cilicinis centonibus contegebatur, aliáue materia, quæ difficulter posset exuri: & formabatur aries: sed quia caput exereret in modum arietis, testudo etiam dicebatur. Tamen Strucchij dubitatio & in cap. 23. lib. 2. Veget. scribentis ista sic inuerso ordine, *fossam desiccando, testudinem moliendo*, me impulit ad aliquid excogitandum. Legendum itaque *fossam moliendo,* C 54.

testudinem densitando. Et accipiendum Tertullianum de testudine scutorum, qualis scribitur in Virgilio 2. Æneid. Quòd autē fieret dēsatis scutis, res per se clara est: tum etiam probant ista Agathiæ lib. 3. qui testudinem describens, ait, πλέγμα ἐκ λύγων ἐς ὀρθὸν τύπον ἐξειργασμένον, *textum è vimineis ad tecti instar confectum:* nec non Liuij lib. 54. *Cùm alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertijs magis, & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatā sicut tecta ædificiorum sunt, testudinē faciebāt.* Ammian. lib. 26. *Testudinē hac specie superstruxit, dēsatis coherentes super capita scutis,* &c. Quin Zosimus lib. 1. Histor. eandem densitatem eis dat; ait enim: τοῖς φαπώτοις ἐκελεύσατο σωματοσκιώδεις, ἐκ πυκνῆ τῆ φάλαγγι πρὸς τὸ ὄρθιον ἀνάβασιν ποιουμένους, πάντα βέλη ἐκ τῶν ὀλισθούσης, εἰ μὴ πύπτοις τυχὸν ἐπαφεῖεν, τῆ πυκνότητι τῆς φάλαγγος ἀποσείεσθαι: *Milites hortatus est, vt confertis clypeis, & densa phalange locum in sublimem succedentes, tela lapidésque, si qui fortè conijcerentur, ipsa densitate phalangis repellerent.* πυκνότης, *densitas* est. Et nota *phalangem* dici à Zosimo: eadem enim *phalanx* ac *testudo.* Turnebus sanè cap. 7. lib. 9. Phalangem Macedonicam explicat σωματοσκιώδη. Cæsar de Bello Gallico lib. 1. *Reperti sunt complures nostri milites qui in phalangas insilirent, & scuta manibus revellerent, & desuper vulnerarent.* Quod dixit Nicetas Choniates (vt hoc exemplulo ditem Turnebum) in vita Manuelis Imperat. lib. 2 cap. 4. οἱ μὲν γὰρ τῶν θυρεῶν ὑπὲρ κεφαλῆς ἐς τὸ ἀσφαλὲς ἀνατείναντες: *Illi clypeis quo tutiores essent, supra capita elatis.* Iunius autem probat eam lectionem, quæ inuenitur, *testudinem desudando,* quæ mihi nullo modo placere potest, quamuis benè accipiat de connexa testudine scutorum, & intelligit *testudinem desudare,* eam impigrè elaborare. Latinius legit, *testudinem designando,* quæ etiam mihi displicet. Summa est, legendum: *Fossam moliendo, testudinem desiccando,* cum Rhenano; vel mecum, *fossam moliendo, testudinem densitando,* & accipiendum Tertullianum de connexa scutorum acie, in qua milites se exercebant. Accedit testimonium Tertulliani, qui verbum *denso* eidem penè rei attribuit. Ait enim cap. 6. de habitu muliebri: *Nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigijs sustinendis, aut tectis densandis necessaria.*

1. De vmbra ad solem.] Etenim milites armis tractandis non addiscendæ doctrinæ incumbunt: quod dixit Petron. *vmbraticus doctor.* Et Plaut. *vmbraticolam* in Truculento. Iuuenal.

Sed genus ignauum, quod tecto gaudet & vmbra.

Et Tacit. lib. 14. Ann. *Studia in vmbra educata.* Quamobrem cùm Ammian. lib. 18. dixit, *vmbratilis miles,* de ignauissimo locutus est.

56. 1. De sole ad coelvm.] Latinius legit *de sole ad gelu,* Iunius autem *de sole ad gelum,* & eam vocem accipit, vt Lucretius lib. 5. *Assiduusque geli casus.* Et Varro lib. 1. de re rustica cap. 45. *Venenum enim gelum radicibus tenellis sub terra.* Nihil tamen est mutandum, & *cœlum* pro aëre frigido accipit Rhenanus, cui hæsimus, licèt Pamelius accipiat pro aëre obscuro ac caliginoso.

1. De tvnica ad loricam.] Hieronymus ad Heliodorum: *corpus adsuetum tunicis loricæ onus non fert.*

2. Proinde vos benedictæ.] Dirigit ad fœminas, quæ in iisdem vinculis tenebantur, sermonem: ad quas etiam Cyprianus Epist. 81. *Beatas etiam fœminas,* &c. Quod adduxi, cap. 2. Chrysostom. epist. ad Olympiad. εὐλογημένον vocat.

2. Virtvtvm.] Rhenanus & Pamelius legunt *virtutem.* Elegi Latinium, qui *virtutum* legit, sententia satis congrua.

2. Agonothetes Devs vivvs est.] 57. ita quoque Hieronymus Deum indigetat in epist. ad Lucinium Hispanum: *Non est inuidus Agonotheta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam.* Spartianus in Adriano: *Multa in Athenienses contulit, & pro Agonotheta resedit.* Cassian. Collat. 7. cap. 20. de illo loquitur, sed latiùs lib. 6. cap. 9. ad imitationem eius: *Quod enim illi in corporis puritate assequi cupiunt, nos debemus etiam in arcanis conscientiæ possidere, in qua Dominus arbiter, atque Agonotheta residens, pugnam cursus & certaminis nostri iugiter spectat, vt ea quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus quidem coalescere incauta cogitatione patiamur.* Cyrillus Alexandrin. de Festis Paschal. Homil. 1. ὁ δὲ τῶν δικαίων ἀγωνοθέτης θεός: *Qui verò Agonotheta instorum est Deus.* Idem verò Homil. 8. eiusdem operis vocat *Athlothetam,* cùm ait, ἐὰν δὲ πρὸς ἐπίδειξιν αὐτὸν τῆς ἐνούσης αὐδρείας ἀθλοθέτης καλῆ: *At si quando ad eius fortitudinem, quam profitetur, specimen exhibendum athlotheta vocet.* Habitum Agonothetæ discas velim à Ioanne Chrysostomo, orat. de baptismo Christi, dat enim illi in capite στέφανον, *coronam:* pro indumento στολὴν, *stolam:* in manibus ῥάβδον, *virgam.* Ait præterea, Agonotheta eunte per forum maximum esse silentium, nam illum præcedit præco, qui denuntiat, vt omnes sileant, & quiescant. Idem Homil. 21. ad Popul. ἐπαθλᾶται ὁ ἀγωνοθέτης τῶν ἄθλων τῆς εὐσεβείας, σύμμαχος γίνεται καὶ βοηθὸς, συνεφαπτόμενος αὐτοῖς τῆς πρὸς τὸν διάβολον μάχης: *Hic autem Agonotheta propugnatoribus commilito fit, & auxiliator, cum ipsis contra diabolum pugnam attingens.* Huius autem munus vnicè attingit Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinian. *Proponit ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat; qui sitit, veniat & bibat.* Poteris *munerarium* Latinè appellare. Aldhelm. de Virgin. cap. 1. *Sub peritissimo quodam Agonotheta palæstricis disciplinis, & gymnicis artibus in gymnasio exerceri.*

2. Xystarches Spiritvs sanctvs.] 58. Hic ambobus Xystis, stadio, & denique cunctis athletarum exercitationibus præerat, vt ait Mercurial. lib. 1. Gymnasticæ, cap. 12. & citat tum Tertullianum, tum etiam lapidem Græcis litteris, quem ipse Latinum reddit, *Totius Xysti perpetuum Xystarcham.* Ioan. Suarus in Sidonium lib. 2. Epist. 2. ait, Xystarchem esse gymnasiarcham, præfectumque gymnicorum agonum, & citat Ammianum lib. 21. qui dixit, *Xystarchæ doctorum.*

2. Epistates vester Christvs Iesvs.] 59. A verbo ἐπιστατέω *præsum,* & *magistratum gero,* est ἐπιστάτης, *præses, præfectusque.* Epistaten *Gymnasij præfectum* nominat Plautus in Bacchidibus. Et (vt est apud Iustinianum nostrum in cap. 1. ad Roman.) à Seneca lib. 2. de ira cap. 14. *Gymnici certaminis præceptorem.* Et à Philone, *sacri certaminis præsidem.* Præterea Galenus ἐπιστατῶ τῶ παλαίσματος, vt ait Mercurialis lib. 1. Gymnasticæ cap. 12. & Faber lib. 2. Agonistic. cap. 5. idem etiam ab Hippocrate παλαιστροφύλακα, appellatum asserunt. Et à Quintiliano, addit Faber, lib. 2. cap. 8. Instit. orat. *palæstricum magistrum,* iis verbis: *Sic discernet hæc discendi magister, quomodo palæstricus ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliúdue quid ex his quæ sunt sacrorum certaminum.* Denique illud Epicteti apud Archianum lib. 3. cap. 15. δεῖ σε εὐτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, ἀπέχεσθαι ῥιμμάτων, μὴ ψυχὸν πίνειν, μὴ οἷον ὅτε ἔτυχεν ἁπλῶς· ἰατρῶ γὰρ παραδεδωκέναι σεαυτὸν, τῶ ἐπιστάτη. Quo vult Epistatas esse medicos athletis; id est, *oportet te iam in ordinem redigi, ad præscriptum vesci, abstinere bellarys, frigidam non bibere, etsi quid fortuitò incidit; medico obtemperare Epistatæ.* Huius videtur meminisse Prudent. Hymno 1. περὶ στεφάνων.

Ite ſignorum magiſtri, vos tribuni abſiſtite.
Aureos auferte torques, ſanctorum præmia.
Clara nos hinc Angelorum iam vocant ſtipendia.
Chriſtus illic candidatis præſidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto, damnat informes Deos,
Vósque qui ridenda vobis monſtra dinos fingitis.

60. 2. DE CORONA ÆTERNITATIS, BRAVIVM.] Cyprian. epiſt. 9. *Pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſanguinis ſui, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis.* Etenim athletæ coronabantur. Heliodor. lib. 10. Hiſtor. ἡ δὲ ἅμα λέγων, χρυσοῦν τι ἅμα καὶ λιθοκόλλητον τῷ Θεαγένει τέθεικε ἐπίθημα. Scilicet Hydaſpes, id eſt, *ſimúlque cum his dictis auream & lapidibus diſtinctam coronam Theageni impoſuit.* Quod fecit victoriæ ergò. Chryſoſtom. epiſtol. ad Epiſcopos vinctos in carcere: ἐννοήσατε ἡλίκων λήψεσθε τὸν ἀμοιβὸν: *Cogitate qualem accepturi ſitis mercedem.*

61. 2. SCAMMA.] Propriè eſt locus certaminis, in quo athletæ pugnabant, ita dictus à verbo σκάπτω, id eſt, *fodio*, quòd locus ille foſſa eſſet circumſcriptus. Hieronym. ad Pammachium: *Cur tu omiſſis ſuper quibus certamen eſt, de ſcammate, & loco certaminis egrederis?* Eraſmus & Cælius malè legunt *ſtammate*; quod aſſerit Leopard. lib. 1. Emendat. cap. 22. Ambroſ. lib. 1. de Offic. *Adhuc athletæ in ſcammate ſunt, & tu iam otium petis?* Iſidor. in Gloſſa: *Scammata, arena vbi athletæ luctantur.* Gloſſæ Philoxeni. *Scamma*, σκῶμμα. Intelligit autem per σκῶμμα ſeptum, ſiue foſſum caſtrenſe, aut athleticum. Sanctus Ephrem de luctamine ſpirituali agens, prope initium: *Scamma eſt autem fratres dilectiſsimi medius locus in quo athletæ luctantur.* Ioan. Chryſoſt. Homil. de Diabolo tentatore, ἔτι γὰρ ἐν τῷ σκάμματι ἱστήκαμεν, καὶ ἐν τοῖς ἀγῶσι τῆς μετανοίας ἐσμέν: *Adhuc enim ſtamus in ſcammate, & in pœnitentiæ certaminibus verſamur.* Et Homil. 16. ad Populum, μή μοι δείξῃς ἐν τῇ παλαίστρᾳ τὸν ἀθλητήν, ἀλλ' ἐν τῷ σκάμματι: *Ne mihi oſtendas in palæſtra certatorem, ſed in ſcammate.* Petrus Chryſolog. ſerm. 33. loquens de illa fœmina, quæ paſſa profluuium ſanguinis, Chriſtum tetigit, non auſa loqui, ita ait: *Dicere non eſt auſa, ne circumſtantiam confunderet, & oneraret auditum, ne fieret populorum fabula, quæ tot annis ſtadium & ſcamma fuerat paſſionum.* Aldhelm. de Virgin. cap. 19. de martyribus ait: *In ſcammate mundi ritu palæſtrico agonizantes.* Paulin. epiſt. 2. ad Seuerum: *Noli interim dum in ſcammate ſumus*, &c. Cælius Aurelianus lib. 2. tardarum paſſionum, cap. 1. *Ordinat idem in arenæ ſpatio, quod appellant ſcamma.* Omitto tibi Ioannem Caſſianum, & integrum Gazæi locum in 6. Collat. cap. 16.

62. 2. PRODVXIT.] Verbum proprium. Cæſar 1. Ciuilis: *Capuæ primùm ſeſe confirmant, gladiatoréſque quos ibi Cæſar in ludo habebat, in forum productos, Lentulus libertati confirmat, atque iis equos attribuit.* Ambroſ. lib. 2. de Virginit. de virgine quadam quæ paſſa martyrium: *Venit corona dies, maxima omnium exſpectatio, producitur puella, duplex profeſſa certamen & caſtitatis & religionis.* Et priùs dixerat: *Itáque ſancta Virgo, ne diutiùs alerentur potiundæ ſpe cupiditatis, integritatem pudoris profeſſa, ſic reſtinxit improborum faces, vt non iam amaretur, ſed produceretur.* Proſper Aquitanicus lib. 1. Prædiction. cap. 22. *Iob ille fortiſsimus Athleta in exemplum omnis patientiæ productus.* Zeno Veronenſ. ſerm. de Iuda: *Iraſcitur ſocer, eam* (Thamar) *produci iubet, atque incendio concremari.* Eſt enim hoc verbum, quaſi in medium adductus, & ex vmbratili vita in publicum oſtenſus. Plinius lib. 7. *Valeria Emboliana educta eſt in ſcenam ludis pro ſalute Diui Auguſti votiuis, annum centeſimum quartum agens, quæ producta fuerat tyrocinio à Marco Pompeio Ædili plebis.* Huic verbo reſpondent verba duo Baſilij in orat. de quadraginta Martyribus, ſcilicet παρασκευὴν, & παρελθεῖν. De primo, ἐν τοῖς παιδίοις ἐπ' ἄθλησιν παρασκευάζοντες: De altero, εἰς μέσους παρελθόντες, ſcilicet martyres ipſi. Sicuti enim Athletæ & ſancti dicuntur *produci* ab aliis, ita ipſi debent *procedere*, hoc enim conſequens eſt. Itaque ſignatè Petrus Chryſolog. ſerm. 12. *Sicuti Chriſti milites depoſito corporis animique torpore, virtutum procedamus ad campum.* Et ſerm. 13. *Ecce tempus quo miles Chriſtianus procedit ad campum.*

3. ATHLETÆ SEGREGANTVR IN STRICTIOREM DISCIPLINAM.] Aduertit Rhenanus, athletas olim aſtringi ad certam quandam ciborum menſuram, vt vires firmarentur: quem victum Ariſtoteles vocat ἀναγκοφαγίαν. Aduocat etiam illud Quinctiliani: *Sicut athletæ remiſſa quibuſdam temporibus ciborum atque exercitationum certa neceſsitate, otio & iucundioribus epulis reficiuntur.* Tum etiam panem athletarum dictum *coliphium*, cuius meminit Iuuenal. Sat. 2. 63.

Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ.

Et demum illud Cypriani ad Donatum: *Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruina aſſidui nidoris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam cariùs pereat.* Adduco etiam illud Horat. lib. 2. Sat. 7.

Quid refert vri, virgis, ferróque necari?
Auctoratus eas.

Et Senec. Epiſt. 69. *Nullum ſine auctoramento malum eſt.* Et de Claudio, in eius ludo ita ſcribit: *Proximo ludo inter nouos auctoratos ferulis vapulare voluiſſe.* Et Fauſt. (huic enim deputo, auctore Dinamio) Homilia de ſancto Maximo Epiſcop. Lirinenſ. *Vobis enim iſte athleta Chriſti, in illo agone ſudauit, vobis dum ſe extollit, fructificauit; ſibi illic ſerens, vobis colligebat; ſibi quærens, vobis neſcius acquirebat; ſibi paraturus præconia, vobis ſoluturus vſuram; vobis hæc ſpiritalis columba cibum de illa Chriſti menſa, & Angelica congregatione capiebat; vobis potum de illo gratiarum fonte, ſitiens hauriebat; vt quaſi mater ſollicita, eſcas, quas de illo vitæ horreo ſumpſerat, in ſenſus noſtros pleno de corde tranſfunderet.* Petrus autem Faber lib. 3. Agoniſtic. cap. 3. aduocat illud Platonis in 3. de Repub. ἆ τοῦτο μὲν καὶ οἱ ἄλλοι ἀσκητὰὶ ἴσασιν, ὅτι τῷ μέλλοντι σώματι εὖ ἕξειν, ἀφεκτέον τῶν τοιούτων ἁπάντων· καὶ ὀρθῶς γ' ἔφη, ἴσασί τε καὶ ἀπέχονται. Adiicio ego interpretationem: *Sed & hoc & alij ſciunt quicunque exercentur, quòd cui corpus robuſtum eſſe debet, à cunctis huiuſmodi rebus eſt abſtinendum. Rectè quidem & ſciunt, & abſtinent.* In cuius gratiam adduco Clementem Alexandrin. lib. 3. Stromat. φασὶ δέ καὶ ἀθληταὶ ἐκ πολλοῦ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους: *Aiunt autem athletas quoque non paucos abſtinere à Venere, propter exercitationem corporis continentes.* Mox adducit Aſtylum & Criſonem in exemplum. Adduco etiam Horat. de Arte Poët.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Abſtinuit Venere & vino.

Lipſius lib. 1. Saturn. cap. 14. Quintilianum, qui, *alebat deuotum corpus prauior omni fame ſaginæ.* Et Tacitum dicentem, *ſingulis ibi militibus Vitellius paratos cibos tanquam gladiatoriam ſaginam, diuidebat.* Et Plinium, qui attribuit hordeum gladiatoribus, cùm ait: *Antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu, Menandro auctore, apparet: & gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocantur* Et hoc eſt, quod Rhenanus dixit, gladiatoribus *Hordearijs* nomen datum à Plinio. Demum Mercurial. lib. 1. artis Gymnaſticæ cap. extremo ait ex Plinio & Galeno, Gladiatores frigida lauari aſſuetos, ne pollutione infringerentur, atque plumbeas laminas renum & lumborum regionibus ad arcendas pollutiones, & libidinis impetus frangẽdos adhibuiſſe.

3. CONTI-

3. CONTINENTVR A LVXVRIA, &c.] Annecte huic parti illud quod iam dedi ab Epicteto in Epistate. Item illud; quod ex Clemente lib.3. Pædag. cap.9. adducit Mercurialis cap. extremo lib.2. nimirum, ita assuetos modestiæ Athletas fuisse, vt hanc honestatis imaginem habuerint, numquam in publicum decertandi sine subligaculis. Et quod ego ex eod. lib.3. Stromat. vbi ait, contineri à Venere athletas propter exercitationem, quemadmodum Crotoniatem Astylum & Crisonem Imareum. Adduco etiam Basilium Homil 2. de ieiunio *Exercitationum autem magistri, ac pædotribæ certatores ad certamina in stadiis producentes, multa super eo quod strenuè pro coronis laborare oportet, adhortantes proferunt.* Iterum ibidem: *Eos qui palæstræ laboribus destinati sunt, necesse est largo cibo seipsos impinguare, quo validius labores capessant.* Ioan. Cassian. lib.6. de Instit. cap.7. *Illi etenim qui in agone visibili student legitimè decertare, vtendi omnibus escis, quas desiderij libido suggerit, non habent facultatem: sed illis tantùm quas eorumdem certaminum statuit disciplina.*

65. 3. A CIBIS LÆTIORIBVS, A POTV IVCVNDIORE.] Ioannes Cassian. lib.6. cap.7. de Agonistis ait: *Et non solùm interdictos escis & ebrietate, omnique crapula eos necesse est abstinere; verùm etiã cuncta inertia, otio atque desidia, vt quotidianis exercitiis, iugique meditatione virtus eorum possit accrescere.* Latissimè in ista excurrit. His accedit Plato lib.8. Legum, vbi ait, Antagonistas non solùm abstinuisse à congressu mulierum, sed ab omni indumento oneroso, cibo graui, & actione corpus debilitante ad cursum.

3. QVANTO PLVS IN EXERCITATIONIBVS LABORAVERINT, TANTO PLVS DE VICTORIA SPERANT.] Ioan. Chrysost. Homil.4. ad Popul. ἐὰν μὴ πειρασμὸς, οὐδὲ στέφανος· ἐὰν μὴ παλαίσματα, οὐδὲ βραβεῖα· ἐὰν μὴ σκάμματα, οὐδὲ τιμαί· ἐὰν μὴ θλῖψις, οὐδὲ ἄνεσις· ἐὰν μὴ χειμὼν, οὐδὲ θέρος: *Nisi tentatio, nec corona: nisi certamina, nec præmia: nisi scammata, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hyems, nec æstas.*

66. 3. VT CORONAM CORRVPTIBILEM CONSEQVANTVR, &c.] Intendit locum illum Apostoli Epist.1. ad Corinth. cap.9. ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσιν, ἡμεῖς δὲ ἄφθαρτον: *Vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Etenim corona ex floribus corruptibilis est.* Rupert. lib 4.

B *Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti,*
Sub matutino cocta iacere Noto.

Et Ausonius,

Quàm longa vna dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.
Quam modò nascentem rutilus conspexit Eoüs,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

Sed quid me lasso; iis enim & similibus pleni Poëtæ, pleni libri.

3. VIRTVS DVRITIA EXTRVITVR, MOLLITIA VERO DESTRVITVR.] Nazianzen. Orat. 1. post adducta verba Aggæi, subdit: ὅπερ, ὁ ἐμὸς λόγος, ὅτι δύσληπτον μὲν τὸ ἀγαθὸν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, ὥσπερ καὶ πῦρ ὕλῃ τῇ ὑγροτέρᾳ. *Quibus verbis mea quidem sententia hoc significat, hanc virtutis naturam esse, vt eam homines non facili negotio consequi possint, quemadmodum nec humida materia ignem facilè excipere solet.*

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Quòd animari debeant martyres exemplis eorum qui famæ & gloriæ solius causa multa perpessi sunt.

TERTVLLIANVS.

67. 1. SCIMVS ex Dominico præcepto, quòd caro infirma sit, spiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit, carnem infirmam esse. Propterea enim prædixit, spiritum promptum esse, vt ostenderet quid cui debeat esse subiectum, scilicet vt caro seruiat spiritui, infirmior fortiori, vt ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec iam de incommodis carceris, sed ipso agone, & prælio cogitans. Timebit forsitan caro gladium grauem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis. Sed spiritus contraponat sibi & carni, acerba licèt ista, à multis tamen æquo animo excepta imò & vltrò appetita, famæ & gloriæ causa, nec à viris tãtùm, sed etiã à fœminis, vt vos quoque benedictę sexui vestro respõdeatis.

EXPLICATIO.

1. NIhil in hoc tractu inuenio, in quo Lector queat frustrari: quamobrem illum ad Notas remittimus.

68. 2. Longum est si enumerem singulos, qui se gladio confecerint, animo suo ducti. De fœminis ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, vt gloriam castitati suæ pareret. Mutius manum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius fama haberet. Minus fecerunt Philosophi, Heraclitus qui se bubulo stercore oblitum exussit. Item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis dissiluit; & Peregrinus, qui non olim se rogo immisit: cùm fœminæ quoque contempserint ignes; Dido, cùm post virum dilectissimum nubere cogeretur: item Asdrubalis vxor, quæ, iam ardente Carthagine, ne maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriæ deuolauit. Regulus Dux Roman. captus à Carthaginiensibus, cùm se vnum pro multis, captiuis Carthaginiensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, & in arcæ genus stipatus, vndique

extrinsecus clauis transfixus, tot cruces sensit. Bestias fœmina libens appetiit, & vtique horridiores aspides tauro, vel vrso, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perueniret.

2. Adi Notas, in quibus peculiaria: hîc tantùm constituit catalogum eorum, qui pro obtinenda gloria mundi, se morti tradiderunt.

69. 3. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici meretrix Atheniensis, quæ conscia coniurationis, cùm propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam suam comestam in faciem tyranni expuit: vt nihil agere se scirent tormenta, etsi vltra perseuerarent. Nam quæ hodie apud Lacedæmonas sollemnitas maxima est Ἁμαστίγωσις, id est, flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabitur maiore quidem titulo, si anima potiùs cesserit plagis, quàm corpus. Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis, & diuinæ mercedis. Tanti vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?

3. Transit ad eos, qui tormentis se commiserunt pro peritura sæculi gloria. *Ornamentum enim*, &c. Ita verè est: Est enim maior gloria obire in tormentis, & animam *plagis* cedere vsque ad mortem, *quàm corpus* detrectare plagas. Itaque magis faciunt adolescentes illi moriendo in tormentis, & hoc est *animam cedere plagis*, quàm si corpus subtrahatur & recedat. Quamobrem *cedere tormentis animam* in laude est; *cedere tormentis corpus*, in vituperio est. *Igitur si*, &c. Comparat iam Christianam virtutem cum Gentili, illa enim multo maior est, &c.

NOTÆ.

70. 1. VT CARO SERVIAT SPIRITVI.] Nyssenus in laudem magni Fratris: Ἀλλ' τίς ἐκ εἶδεν τὸ μεγαλου τῷ πρὸ τῷ σάρκα διάθεσιν; ὡς ἐναντίως πρὸς ἀυτὸν εἶχεν; καθάπερ αἰδεσιμόδουλόν τι δεσποτικὸν αἰὲι τοῖς ἐκ τῶν λογισμῶν δεσμοῖς προσκάλλων, καὶ διὰ τῆς ἀκροτάτης κακοπαθείας τε καὶ ἐγκρατείας, μαστίζων καὶ στρεβλῶν τὸν μαστίγιαν ἐκεῖνον δοῦλον τὸ σῶμα, οἷον τις ἀπαραίτητος δεσπότης, οὐδενίαν ἄνεσιν ἐνδιδοὺς τῷ δεσμώτῃ: *Et quis ignorat magni illius erga carnem affectionem? quàm ei aduersus esset, tanquam mancipio cuidam fugitiuo semper vincula rationum iniyciens, ac per summam afflictionem & continentiam flagellans & torquens verberonem illum seruum corpus, quasi quidam inexorabilis Dominus nullam vincto relaxationem indulgens.* Saluian. de Gubernat. Dei lib. 1. *Sola exultet anima, læta corpore affecto, quasi aduersario subiugato.* Seneca epist. 8. *Hanc ergo sanam & salubrem formam vitæ tenere memento, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo malè pareat: cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersus infesta corpori.*

1. TIMEBIT FORSITAN CARO GLADIVM GRAVEM.] Adducit Cyprianus varia tormentorum genera, quibus Demetrianus affligeret Christianos: *Innoxios, iustos, Deo charos, domo priuas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestijs, ignibus punis.* Et in lib. de Lapsis: *Sed cùm durissimi iudicis recrudescente sæuitia, iam fatigatum nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret, carone in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit?*

71. 1. CRVCEM EXCELSAM.] Interpretatur Lipsius lib. 3. de Cruce cap. 13. Tertullianum *communiter* locutum: quia omnes cruces altiusculæ. Quam rationem Lactantius in Dominica cruce assignat lib. 4. cap. 26. *Quoniam is, qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potiùs electa est, quæ significaret illum tam conspicuum, tamque sublimem futurum, vt ad eum cognoscendum pariter & colendum cuncta nationes ex omni orbe concurrerent.* Hæc ille. Sallust. lib. 4. Histor. *In quis notissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo eminus affigebatur.*

1. SVMMAM IGNIVM POENAM.] Paulus lib. 5. Sent. tit. 17. *Summi supplicij* tria genera recensent, *Crucem, cremationem, decollationem.* Nam non nisi maleficis. Dum Theophilum, Sergium, & Hyginum viros Dei sanctos Barbari apprehenderent, putantes illos esse exploratores, *per quatuor domus angulos ignē copiosum applicuerunt, vinos nos cremare nitentes*, aiunt sancti ipsi. Quid quòd ignita lamina summum supplicium fuit? Cicero in Verrem, oratione 7. *Quid cùm ignes, candentésque laminæ, cæterique cruciatus admouebantur?* Quo supplicij genere exerciti sancti. Prudent. in Vincentio: *Stridénsque flammis lamina.*
Et in Romano: *Nec sic inusta laminis ardet cutis.*
Videndus Plautus Asinaria, & Val. Max. lib. 3. c. 3. & lib. 6. cap. 8.

1. SED SPIRITVS CONTRAPONAT SIBI, &c.] Tractat hoc argumentum Prosper lib. 2. de Promiss. cap. 20. vbi contraponit viros Romanos Torquatum, Mutium, Curtium, viris nostris maximis: absoluitque: *Cùm longè celsiora nostri & multi ac multiplicia ciues Hierusalem cœlestis ciuitatis magna.* Quod facit, *ne sola terrena ciuitas* Roma *plausu vanitatis suos extolleret ciues.* 72.

1. ACERBA LICET ISTA.] Hæc tria coniuncta damus cum interpretibus, licèt duo tantùm, *Acerba licèt*, det Iunius.

1. FAMÆ ET GLORIÆ CAVSA.] Lucianus de Gymnasiis, οὐ γὰρ ἀπονητὶ προσγίνοιτο αὖ αὐτῃ. ἀλλὰ χρὴ τὸν ἐρεχθέωον αὐτῆς, πολλὰ τὰ δυσχερῆ ἀναγράμμενον ἐν

τῇ ἀρχῇ, τότ' ἤδη τὸ λυσιτελὲς, καὶ ἤδη τέλος ἐκ τῶν κα- A
μάτων περιμένειν: *Neque enim hæc* (præceſſit εὐκλεια, gloria) *citra ſudorem atque laborem contingit mortalibus, ſed illius flagrantem deſiderio, oportet ſub initium multa dura perpeti: quibus nauiter perpeſſis, illi dulcis, & tantopere exoptatus finis è laboribus expectandus eſt.*

2. ANIMO SVO DVCTI] Præclarè. Nam Martyr verus non debet ſequi ductum ſuum, ſed Dei: non ſe interficere; ſed tunc cadere cùm Deus voluerit. Huc confero Hieronymum ſcribentem ad Paulam, de obitu Bleſillæ, ſub Dei perſona: *Nullam animam recipio, quæ me nolente ſeparatur à corpore: tales ſtulta philoſophia habeat martyres; habeat Zenonem, Cleombrotum, vel Catonem.* Et cur non huc traham illud Chriſti ad Petrum, Ioan. vlt. cap. *Alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Quin omnino ad hunc locum aſpectatum à Tertulliano puto: ideo ſignatè de non veris martyribus, *animo ſuo ducti.*

2. AD MANVM EST LVCRETIA.] Quaſi B
eam manibus tractans ſuo arbitratu fingeret, ac in quamuis partem conformaret. Plautus in Perſa dixit, *ſub manus*, eo verſu,

Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.

Et in Milite:

Lepidè hoc ſuccedit ſub manus negotium.

Liuius lib. 24. *Suam cuique fortunam in manu eſſe.* Titus apud Ioſephum, lib. 7. de Bello Iud. cap. 13. ἐν χερσὶ ὑμῖν ἔχετε τὰς ψυχάς: *In manibus meis veſtras habetis animas.* Ita loquitur ad Iudæos. Et Liuius dixit lib. 7. *Inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum*, id eſt, in promptu cantatum eſt. De Lucretia vide ipſum Liuium, & quos non?

2. PARERET.] Non incommodè legi poſſet *pararet.*

73. 2. MVTIVS MANVM SVAM DEXTERAM, &c.] Proculdubio ſentit Tertullianus Mutium ex eo vulnere crematæ dexteræ animam amiſiſſe, C
quod in nemine ſcriptorum vidi. Ponit enim in Catalogo eorum, qui ſe voluntaria morte confecerint. Vti hoc ſcripſerit, dubitari poteſt. Ego certè exiſtimo, Tertullianum ſentire, Mutium eo animo fuiſſe vt non parceret vitæ patriæ liberandæ cauſa, & ſic eum deputat inter eos qui ſibi mortem attulerint. Vti verò hic ad Porſennam venerit, & pro Rege ſcribam obtruncarit, latè Liuius lib. 2. & poſt hunc infiniti. Non omittam Senecam, qui epiſt. 24. *Spectator diſtillantis in hoſtili foculo dextræ ſtetit.* Et epiſt. 67. *Steterit hoſtium flammarúmque contemptor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem proſpectauit.*

74. 2. MINVS FECERVNT PHILOSOPHI, &c.] Ait minùs feciſſe iſtos Philoſophos: nam tametſi ſe viui cremarint, non pro virtute aliqua aſſerenda, aut pro egregio aliquo facinore, ſed pro laudis humanæ gloria; cùm fœminæ ſe deuouerint pro caſtitate ſeruanda. Itaque impoſuit ſibi Iunius cùm addidit interrogationes his periodis, quibus vult hos Philoſophos æquos eſſe cum fœminis.

2. HERACLITVS.] Laërtius lib. 9. *Atqui ob eam cauſam* (quòd ſcilicet odio hominum in montes ſecederet, & oleribus ibi & herbis victitaret) *morbo aquæ intercutis arreptus ad vrbem deſcendit, medicóſque per ænigmata ſciſcitabatur, an poſſent ex imbri ſiccitatem facere. Illis non intelligentibus, ſeipſum boum ſtabulo includens, & ſimo bubulo obruens, eo calore arbitrabatur noxium ac exundantem humorem exhaurire poſſe. Vbi verò ne ſic quidem aliquid proficere conſpexerat, moritur ſexageſimum ætatis annum agens.*

2. EMPEDOCLES.] Vide cap. 4. de Pallio.

75. 2. PEREGRINVS.] Adducit Rhenanus Euſebium Cæſarienſem in Chronicis (quem Hieronymus reddidit) anno Imperij Marci Antonini Veri, Peregrinum Philoſophum, apud Piſas, rogo quem ex lignis compoſuerat, incenſo ſemet ſuperieciſſe. Rectè ergo Tertullianus addidit *non olim*, qui vixit ſub Seuero, qui cœpit regnare poſt Antoninum anno trigeſimo tertio. Lucianus huius vitam ſcripſit in libello cui titulus de *morte Peregrini.* Ammianus de crudelitate Valentis, lib. 29. *Ducti vniuerſi flebiliter ingulantur præter Simonidem, quem ſolum ſæuus ille ſententiæ lator, efferatus ob conſtantiam grauem, iuſſerat flammis exuri, qui vitam vt dominam fugitans rabidam, ridens ſubitas momentorum ruinas, immobilis conflagrauit. Peregrinum illum imitatus, Protea cognomine, Philoſophum clarũ, qui cùm mundo digredi ſtatuiſſet, Olympiæ quinquennali certamine ſub Græciæ conſpectu totius, accenſo rogo, quem ipſe conſtruxit, flammis abſumptus eſt.* Peregrini enim impoſtoris nomen etiam fuit Proteus. Agell. Noct. Attic. lib. 12. cap. 11. *Philoſophum nomine Peregrinum, cui poſtea cognomentum Proteus factum eſt*, &c. Hæc omnia adducit Rhenanus de Peregrino, cui inſuper damus appendicem: is eſt Petrus Faber, qui lib. 1. Semeſt. cap. 10. confert Philoſtratum lib. 2. de vitis Sophiſtarum, vbi de Herode Sophiſta ſic loquitur: ἀλλ' ὅπως γε καὶ πρὸς ταῖς λοιδορίαις ἔρρωτο, δηλώσει καὶ τὰ πρὸς τὸν κύνα Πρωτέα λεχθέντα ποτὲ ἐπ' ὤτῳ Αθηναίοις. ὧ μὲ γὰ τῶν οὕτω θαρραλέως φιλοσοφούντων ὁ Πρωτεὺς οὗτος ὡς εἰς πῦρ ἑαυτὸν ἐν Ολυμπίᾳ εἵλκυσε: *Sed & quomodo ad conuitia obfirmato animo eſſet, vel ea quæ aliquando in canem Proteum adſtantibus Athenienſibus dixit, ſatis indicant. Erat autem hic Proteus ex his, qui Philoſophiam illam audacem & impauidam conſectantur, adeò vt in Olympia ſeſe in medium ignem præcipitem daret.*

2. DIDO.] Didonis hiſtoria ſatis eſt clara, quam 76.
figmento aliquo deformauit Virgilius, nec enim Æneam nouit, ſed coacta Hiarbæ iungi matrimonio ſecundo, vt reſpueret has nuptias, in flammam aſcendit, & igni abſumpta eſt.

2. ASDRVBALIS VXOR.] Non paſſa eſt mulier voluntariè ſupplicem fieri eius maritum Scipionis. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. *Vxor Aſdrubalis exprobrata ei impietate, quòd à Scipione ſoli ſibi impetrare vitam contentus fuiſſet, dextera læuaque communes filios mortem non recuſantes, trahens, incendio ſe flagrantis patriæ iniecit.* Florus lib. 2. cap. 15. *Deploratis nouiſſimè rebus, quadraginta ſe millia virorum dediderunt, quod minùs credas, duce Aſdrubale. Quanto fortiùs fœmina & vxor Ducis! quæ comprehenſis duobus liberis, à culmine ſe domus in medium miſit incendium, imitata Reginam quæ Carthaginem condidit.*

2. REGVLVS.] Hic cùm nollet compenſari multis captiuis, in arcam coniectus eſt ab hoſtibus, raſis ſupercilijs, & multis clauis transfixus, qui in arcam exteriorem infixi fuerant, & intro penetrabant, ita vt cruces dici quiuerint. Vide Apologet. cap. 50.

2. CARTHAGINIENSIBVS.] Ita legendum eſſe, non *Carthaginenſibus*, docet multis Politianus.

D 2. BESTIAS FOEMINA, &c.] Totum hoc ita le- 77.
git Pet. Fab. 3. Semeſt. cap. 15. *Beſtias fœmina libens appetiit, & vtique horridiores tauro, vel vrſo; ne in manus inimici peruenirent.* Et quidem ad hoc *aſpides ſerpentes*, ademi libens *ſerpentes*, intelligo enim eſſe gloſſaſtæ. Illud, *quos Cleopatra immiſit ſibi*, retinui, & cenſeo eſſe Auctoris, nec me mouet ratio Fabri, qui ait Cleopatram appellandam priùs. De his ſerpentibus nihil moror, cùm abundè Plutarchus narret.

3. SED MORTIS METVS NON TANTVS EST, QVANTVS TORMENTORVM.] Eſt quod Hieronymus de Regulis monachorum: *Multò grauior expectata mors, quàm illata.* Quam ſententiam alibi repetit, credo in Malcho.

3. ITAQVE CESSIT CARNIFICI, &c.] Latinius legit ex veritate Hiſtoriæ, *Itaque nõ ceſſit carnifici meretrix Athenienſis.* Nam Leæna argumento cometę linguę reſtitit carnifici, neque illi ceſſit, neque

coniuratos aperuit. Autumat Iunius sic legendum, *tormenti. Non itaque cessit*, &c. quod ipse probat. Ego existimarem legendum cum interrogatione, & sic salua erit sententia, nulla re addita.

78. 3. Διαμαστίγωσις, ID EST, FLAGELLATIO.] Petron. Satyr. *Aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentántque vilissimo sanguine tutelā placare. Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi.* Pacatus Panegyrico: *Ad hoc aulam omnem Spartanis gymnasiis diriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem.* Aristænetus lib. 2. Epist. 17. ἐγὼ τοίνυν ἐρωτικὸς ἀνέκπληκτος, μηδὲν ὀρρωδῶν, τὴν αὐδείαν μιμήσομαι τῶν Λακώνων: *At ego impauidus amator nihil veritus, Laconum imitabor fortitudinem.* Maximus Tyrius serm. 35. μάστιγας αὕτη καὶ πληγαὶ Λακωνικαὶ, καὶ ἔθη κακῶν ταῖς ἀρεταῖς ἀναμιγνύμενα: *En flagra, en plagæ Laconicæ, magnúmque malorum agmen virtutibus immistum.* Martial. lib. 7. Epigr. 80.

Vel non cæsus adhuc matre iubente Lacon.

Seneca in lib. Quare bonis viris mala accidant cap. 4. *Nunquid tu inuisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis?* Nazian. Orat. 3. ὁ τὸν Λακωνικοὺς ἐπαινῶν ἐφήβους, ξαινομένους ταῖς μάστιξι, καὶ τὸ ὀπιθώμιον αἷμα τέρπον θεὰν ἀγνὴν καὶ παρθένον: *Qui Spartanos adolescentes laudas, virgis sese lacerantes, & aram cruore respersam Deamcastam, & virginem oblectantem.* Iterum: ἢ Λάκωσι τὰ ὀπιθώμια ξαίνεσθαι: *Aut apud Lacones virgis lacerari.* Omitto Plutarchum, Lucianum, Philostratum.

79. 3. In quo sacro ante aram nobiles, &c.] Nempe aram Dianæ, quam Orthiam nominant. Themist. Orat. 1. Λακεδαιμονίους ὃ ἐγὼ πυνθάνομαι τὰ τε ἄλλα τὸν Λυκοῦργον ἀιορύγειν, καὶ ὅτι τὸν βωμὸν τῆς Ορθίας ὁμοίως μὲ δούλους, ὁμοίως δ' ἐλευθέρους αὐάγειν, τούτῳ εἴλωτα, εἰ τύχοι, τούτῳ Ερυποντίδην, ἢ Αγιάδην, ἢ τῶτόγε ὅστις ἂν ἀπὸ τρόπου· μαστίγων γὰρ τὸ ἀγώνισμα καὶ ὁ στέφανος: *Lacedæmonios audio cùm cæteris in rebus Lycurgum dedecorare, tum ad Orthiæ Dianæ aram promiscuè seruos atque ingenuos sistere, Heloten non minùs, quàm Erypontidem, aut Agiadem, vel hoc non absurdè potiùs: verberum enim certamen & præmium est.* Lucianus de Gymnasiis: μάλιστα δὲ ὧν ὁρᾷς μαστιγουμένους αὐτὸν ὑπὸ τῷ βωμῷ, καὶ αἵματι ῥεομένους, πατέρας δὲ καὶ μητέρας παρεστῶτας, οὐχ ὅπως αἰσχυνομένας ὑπὸ τοῖς γιγνομένοις, ἀλλὰ καὶ ἀπειλούσας ὧν μὴ αὐτέχοιεν πρὸς τὰς πληγάς, καὶ ἱκετευούσας ὑπομένειν διαρκέσαι πρὸς τὸν πόνον, καὶ ἐγκαρτερῆσαι τοῖς δεινοῖς: *Maximè verò si videris pueros ad aram flagellis & loris cædi, ac sanguine defluentes, & patre ac matre assistentibus, non vt aliquem ex hoc facto dolorem capiant, sed minaciter interminantibus nisi verbera perseuerauter tulerint, ac supplicantibus quoque vt quàm diutissimè labori tolerando sufficiant, nèue verberum difficultatibus cedentes succumbant.* Philostratus in vita Apollonij lib. 6. cap. 10. τὸ δὲ τῶν μαστίγων ἔδος τῇ Αρτέμιδι τῇ ἀπὸ Σκυθῶν δεξαμένῃ, χρησμῶν φασιν ἐξηγουμένων ταῦτα: *Verberum autem consuetudo in Scythicæ Dianæ honorem seruatur, quòd ita, aiunt, oracula præceperunt.* Tullius 2. Tuscul. *Spartæ verò pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, vt multus è visceribus sanguis exeat: nonnunquam etiam, vt cùm ibi essem audiebam, ad necem: quorum non modò nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem.* Et lib. 5. *pueri Spartiatæ non ingemiscunt, verberum dolore laniati.* Vide Senecam lib. de Prouidentia, qui id quoque latè narrat cap. 4. Plutarchus de Laconicis institutis: οἱ παῖδες παρ' αὐτοῖς ξαινόμενοι μάστιξι δι' ὅλης τῆς ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ορθίας Αρτέμιδος, μέχρι θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσιν, ἱλαρεῖ καὶ γαυρεῖ ἀμιλλώμενοι πρὸς ἀλλήλους ὅστις αὐτῶν ἐπὶ πλέον τε καὶ μᾶλλον καρτερήσειε τυπτόμενος. καὶ ὁ πεισβρύμενος ἐν τοῖς μάλιστα, ἐπιδοξότατος καλεῖται δὴ ἡ ἄμιλλα, διαμαστίγωσις. γίνεται δὲ καθ' ἕκαστον ἔτος: *Lacedæmonij pueri per integrum diem flagellis cæsi, sæpenumero ad mortem vsque ad Dianæ Orthiæ aram, lati alacréque tolerant, atque inter se de victoria certant, in eo posita, quis diutius magisque perferat verbera: victorémque summa consequitur gloria. certamen illud flagellatio dicitur, & quotannis habetur.* Et quia dicit *ante aram*, Greg. Nazianzenus in sacra lumina ait, ἐπιθώμιον αἷμα, his verbis, καὶ Λακωνικῶν ἐφήβων ἐπιθώμιον αἷμα, ξαινομένων ταῖς μάστιξι: *Et Lacedæmonij pueri ante aram fundunt sanguinem flagellis cæsi.* Dixi initio Notæ *Orthiam* dici Dianam; me tamen Meursius admonuit in Græcia feriata, lib. 2. dictam *Orthosiam* à Sexto Pyrrh. Hypotyposeon lib. 3. cap. 29. cùm ait: *Lacedæmonij in ara Dianæ Orthosiæ flagris acerrimè cæduntur, vt multus in aram Deæ defluat sanguis.* Putat tamen Meursius aut Sextum errauisse, aut errorem esse librarij, nam Orthosia Byzantij colebatur.

80. 3. Tanti vitrvm, qvanti vervm margaritvm?] Forma adagij. Hieron. ad Lætam: *Si tanti vitrum, quare non maioris sit pretij margaritum?* Iterum ad Demetriadem: *Tanti, vt dicitur, vitrum, quanti & margaritum?* Et adhuc ad Saluinam: *Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum?* Sumitur ad explicandam ingentem rerum inæqualitatem & distantiam. Nam quis comparat vitrum cum margarito, nisi amens? Credo adagij formam sumptam ab eo vitro, quod *obsidianum* Auctores vocant (de quo vide Plinium lib. 36. cap. 26.) moueórque vt hoc putem, nam Plinius dicto loco, *gemmas multi ex eo faciunt.* Et ita mens Tertulliani erit, non posse venire in comparationem gemmas falsas vitri, & vera margarita. Irenæus in Præfatione aduersus hæreses: *Vitrum* (sic legendum monet noster Fronto, quoniam in Græco est ὕαλος, non vitreum) *in eius contumeliam per artem assimilatum*, &c. Quod natum dicit Fronto ex consuetudine adulterādi gemmas. Vt Tertullianus opponit vitrum & margaritum, ita Gregor. Nyssen. Tract. 1. in Psalm. cap. 8. opponit λίθοις τιμίοις, καὶ ψηφίδα οἰκείαν: *Pretiosos lapides, & calculum obuium.* In vita Sancti Godehardi: *Consuetudo namque dilecto nostro Pontifici fuit, vt puerulos, vel etiam pauperes validiores sæpius per plateas, vel per defossas petrarum foueas ageret, qui sibi lapillos minutos quosdam nitei coloris, vel nigri, vel rubri interdum, vel varij deferrent; quos ipse elimatos & politos, variaque collisione, vel confricatione in similitudine pretiosorum lapidum redactos, aut in altaribus, aut libris, aut in capsis honestè collocauit.* Cæterùm Pamelius legit hunc locum sic: *Tanti vitreum, quanti verum margaritum?* Existimo pro *vitreum* legendum *vitrum*: an verò vox *verum* adimenda sit, in dubio sum. Videretur non addenda Hieronymi auctoritate, sed cùm postea opponat *verum* vitrum & *falsum*, videtur addenda necessariò particula *verum*, vt est in Pamelio.

CAP. V. ARGVMENTVM.

De exemplis eorum qui animi affectatione omnia tormenta conculcant.

TERTVLLIANVS.

81. 1. OMITTO nunc gloriæ causam. Eadem omnia sæuitiæ & cruciatus certamina, iam apud homines affectatio quoque & morbus quidam animi conculcauit. Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat? Certè ad feras ipsas affectatione descendunt, & de morsibus & de cicatricibus formosiores sibi videntur. Iam & ad ignes quidam se auctorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent. Alij inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulauerunt. Hæc benedicti non sine causa Dominus in sæculum admisit, sed ad nos & tunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem.

EXPLICATIO.

82. 1. *Affectatio* est nimia diligentia, & immoderatum studium, quo res aliqua fit ad gloriam sæculi obtinendam. Reliqua cùm pendeant ex Notis, otiosum est hîc persequi.

NOTÆ.

83. 1. AFFECTATIO.] Quæ ab Ethnicis paulò religiosiùs fieri videbantur, ea affectationi, tanquam morbo cuidam tribuebantur, ita vt fictum iudicetur, & tantùm ad ostentationem, non virtus vera. Tertullian. in lib. de Patientia: *Nobis exercendæ patientiæ auctoritatem non affectatio humana canitiæ aquanimitatis stupore formata, sed viuæ ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio deligat.* Hieronymus ad Demetriadem, seueritatem M. Crassi (qui semel in vita risit, auctore Lucilio) vocat *affectatam*. Et loquitur Seneca Epist. 76. *Inuentus est qui flammis imponeret manum, cuius risum non interrumperet tortor, qui in funere liberorum lacrymam non mitteret, qui morti intrepidus occurreret.* Istæ omnes affectationes sunt. Sed profero locum Tertulliani lib. 1. ad Vxorem cap. 7. *Quantum Deo sanctitas placet, cùm illam etiam inimicus adfectat: non vtique vt alicuius boni adfinis, sed vt Dei Domini placita cum contumelia adfectans.*

84. 1. MORBVS QVIDAM ANIMI CONCVLCAVIT.] Affectationem *morbum* vocat, vt Græci νόσον pro libidine quadam ἀλέγω. Herald. 1. Digress. cap. 33. adduxisse se locum Senecæ ad Arnobium ait, hunc scilicet: *Nunquid enim me dignum iudicauit? morbo suo morem gessit.* Vbi ait, pessimè emendatum à Lipsio, *moribus*. An non obsecro morbus est animi in illis, qui *maligni atque peruersi* (verba sunt Augustini in Ioannem) *homines, & in semetipsos crudeliores homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt?* Ab Augustino Bernardus (vt puto) ita in Cantica: *Hoc autem potuisse diabolum frequenter experti sumus in multis, qui semetipsos aut submerserunt in aquas, aut fecerunt ex sublimi præcipites, aut laqueo se suspenderunt.* Ab Zosimo quoque video lib. 1. Histor. nuncupatum νόσον φιλαργυρείας, *morbum auaritiæ*. A Fulberto Carnotense epist. 31. *Negligentiæ morbum.*

85. 1. QVOT OTIOSOS AFFECTATIO ARMORVM AD GLADIVM LOCAT?] Duplex genus gladiatorum fuit, coacti, & voluntarij. Hi postremi *locati* & *auctorati* dicebantur. Manilius lib. 4. Astronom.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.

A Herald. lib. 1. Digress. cap. 26. affert Ambros. in cap. 1. Epist. ad Galat. *Quantus ergò error est, post gratiam reuerti sub legem, hoc est, accepta libertate velle seruire, vt ereptus gladio, immemor beneficij denuo se vendat lanistæ.* Themistius Orat. 9. ait, multos μαχαίρας ἁρπάξαντας ἐξ ὀπταυείου, καὶ τοῖς τῶν δημοθοινῶν ὅπλοις ἐνσκευασαμένους τῶν μονομαχούντων ἐν τοῖς σταδίοις, &c. *Arreptis gladiis ex coquina armatos stetisse in stadiis gladiatorum habitu emptitio.* Et Lactant. lib. 5. cap. 9. dixit: *Exstinguendas publicè animas suas vendant.* Pessimè ita aliqui legunt, *vocat.* Nam Cyprian. de Spectacul. *Ictibus infelix facies locatur vt infelicior venter saginetur.* Et Saluian. epist. 1. *Locatitias manus* apertè dixit. Præmium autem illud quo ij currebant ad gladium, *gladiatorium* erat, neutro genere, vt ait Turnebus lib. 29. cap. 7. quod elicit ex verbis Liuij lib. 44. *Vix gladiatorio accepto.* Videillum.

1. FERAS.] Cyprian. Epist. ad Donatum: *Quid* 86.
B *illud oro te, quale est, vbi se feris obiiciunt, quos nemo damnauit? Aetate integra, honesta satis forma, veste pretiosa, viuentes iuuenes in vltroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur; pugnant ad bestias, non crimine sed furore.* In vita Stylitæ legitur, *Bestiæ paratæ sunt ad deuorandum eum*, videlicet maleficum.

1. ET DE MORSIBVS, ET DE CICATRICIBVS FORMOSIORES SIBI VIDENTVR.] Ita Sergius apud Iuuenalem Sat. 6. amabatur, licèt deformissimus, quia erat gladiator.

Præterea multa in facie deformia, sicut
Attritus galeæ, mediisque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat, facit hoc illos Hyacinthos;
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa sorori,
Atque viro. ferrum est, quod amant.

1. IAM ET AD IGNES QVIDAM SE AVCTORAVERVNT.] Est *auctorauerunt*, obligauerunt. Glossæ, *auctoratus*, ἀνθαιρέτως εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονόμαχος. Horat. lib. 2. Sat. 7. 87.

Quid refert vri, virgis, ferróque necari?
Auctoratus eas, &c.

Petron. Satyr. *Itaque vt duraret inter omnes tutum mendacium, in verba Eumolpi sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferróque necari, & quicquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animásque religiosissimè addicimus.* Ponit auctorati iuramentum. Seneca in Satyra Menippea: *Eum proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet:* Vetus Horatij Interpres: *Auctorati dicuntur, qui se vendunt ludo. Auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum.* Paterculus: *In ea iugulati ciuis publicè constitueretur auctoramentum.* Iuuenal. Satyr. 8 dixit, *vendere funera*, sic

--- quanti sua funera vendunt.

Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celsi Prætoris vendere ludis.

Tibullus,

Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

88. 1. VT CERTVM SPATIVM IN TVNICA ARDENTE CONFICERENT.] Hac tunica cruciatos interdum sanctos martyres legimus in eorum gestis. Sanctus certè Erasmus, qui passus sub Diocletiano & Maximiano, dicitur fuisse *tunica ærea candenti indutus.* Erat hæc tunica pice & bitumine illita, quam induebant, qui erant igne cremandi. Seneca Epist. 14. *Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & equuleos, & vncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem; & distracta in diuersum actis cruribus, membra; illam tunicam alimentis ignium & illitam, & intextam, & quicquid aliud habet præter hæc commenta sæuitia.* Hanc tunicam *molestam* appellant Martialis & Iuuenalis: ille lib. 10 Epig. 25.

Nam cùm dicatur tunica præsente molesta.

Hic Satyr. 8.

Ausi quod liceat tunica punire molesta:

Denique Tertullianus sui esse potest interpres. Nam Apologet. 15. ait: *Quid quòd imago Dei vestri ignominiosissimum caput & famosum vestit.* Subiungit deinde: *Et qui viuus ardebat, Herculem induerat.* Cæterùm male legit hæc verba Bulengerus lib. de Venat. circi cap. 32. inquit enim: *Vt certum spatium sub tunica ardenti se conficerent*, cùm lectio vulgaris proba sit; nec est qui aliter legerit.

A 1. ALII INTER VENATORVM TAVREAS SCAPVLIS PATIENTISSIMIS INAMBVLAVERVNT.] *Taureæ* sunt scuticæ & flagella ex taurino corio, sicut *buccea* apud Plautum sunt ex bouillo. Illis ergò taureis solebant feræ agitari in venatione, & homines amentissimi volebant esse loco ferarum, & nudis scapulis excipiebant ictus in ludo venationis. Itaque *venatores* hic erunt serui arenarij, qui bestiarios fugientes cæderent. Saluianus lib. 8. ad finem: *Nec solum hoc, sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis quasi taureis cædebatur.* Athanas. in epist. ad solit. vitam agentes, de Arrianis Eutychum subdiaconum Alexandriæ infestantibus: ἢ πεπόνθατε εἰς τὰ νῶτα ταυρείοις ἴσα θανάτῳ κατακοπῆναι: *Quem primum tauriis vsque ad mortem cruarunt verberari.* Vita Pontij Martyris 14. Maij: *Statim egressi sunt duo venatores cum tauris & neruis secundùm consuetudinem.* Glossæ: *Taureæ, plagæ, nerui.* Iuuenal. Satyr. 6. 89.

--- taurea punit
Continuo flexi crimen sacinusque capilli.

B Artemidor. lib. 1. cap. 72. δούλοις δ' (σημαίνει) βασάνους διὰ τὸν ἰμάντα, καὶ τὴν ταυρείαν: *Seruis autem significat tormenta propter lorum & flagrum taurinum.* Dicit videlicet bubulam esse malam seruis propter illa duo. Constantinus Manasses à voce abstinet, in re hæret, ait enim:

Ὡμοῖς βουνευείοις τὸν λαμπρὸν κατεικίζει πλὴν σάρκα,
Καὶ ταῖς χαλάζαις τῶν πυκνῶν μαστίγων μωλωπίζει,
Καὶ πᾶν τὸ σῶμα ταῖς πληγαῖς κατάστικτον δεικνύει:
Crudis boum neruis illustrem illum virum cædit,
Ac tamdiu grandine flagellorum instruit,
Vt toto corpore cicatrices extarent.

Malè Brodæus ait, boiam eandem esse cum taurea, lib. 2. c. 10. cùm boia tantùm sit collare, cuius meminit Plaut. capit. *Boius est, boiam texit.* Quod idem est ac si dicas, *Gallum cum Galla cubare.* Hoc contra Brodæum monuit Scaliger ad Festum. Plautus Pseud. *terginum* appellat. Colerus ex illo Plauti Asinaria,

Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,

Allusit, credit, ad hanc tauream.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

De conditionis humanæ contemplatione.

TERTVLLIANVS.

90. 1. SED hæc exempla constantiæ omittamus de affectatione venientis. Conuertamur ad ipsam conditionis humanæ contemplationem, vt & illa nos instruant si qua constanter adeunda sint, quæ & inuitis euenire consueuerunt. Quoties enim incendia viuos cremauerunt! Quoties feræ & in syluis suis, & in mediis ciuitatibus elapsæ caueis homines deuorauerunt! Quot à latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce exstincti sunt, torti priùs, imò & omni contumelia expuncti! Nemo non etiam hominis causa pati potest, quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint, quantæ qualesque personæ inopinatos natalibus & dignitatibus, & corporibus, & ætatibus suis exitus referunt hominis causa: aut ab ipso, si contra eum fecerint; aut ab aduersariis eius, si pro eo steterint.

EXPLICATIO.

91. 1. OMittamus tamen *hæc exempla constantiæ*, nempe eos qui se auctorauerunt, qui in ardente tunica inambularunt, qui scapulis patientissimis pertulerunt taureas. Et quare omittamus? quia veniunt *de*

affectatione. Conuertamur ad, &c. Age iam contemplemur humanorum casuum sortes, variantisque fortunæ ludibria. *Si*, id est, quando *constanter adeunda* & perferenda sunt, *qua*, id est, aliqua ratione, quæ etiam *inuitis* hominibus accidunt. *Expuncti*, nullum genus contumeliæ excogitari potest, quod illi non sint perpessi: affecti enim sunt absolutissimè. *Nemo non*, &c. Nullus est qui non *hominis* cuiuslibet *causa* (siue parui, siue magni) *pati* possit, *quod in causa Dei* summi *dubitat*. Quare ergo dubitas in causa Dei, cùm tam promptus sis in causa hominis? *Ad hoc quidem*, &c. Exemplo sint tot principes viri, qui nunc *exitus referunt inopinatos natalibus, dignitatibus, corporibus, ætatibus* vnius *hominis causa*, videlicet Seueri Imperatoris; *ab ipso, si contra* ipsum *fecerint*; *ab aduersariis, si pro* ipso *steterint*.

NOTÆ.

92. 1. ELAPSÆ CAVEIS.] Refert Rhenanus exempla duo vrsarum, quas Valentinianus alebat, quarum alteri *Micæ aureæ*, alteri *Innocentiæ* nomen erat, quæ mortales multos laniarunt, ridente semper, & delectato principe, cuius rei auctor est Ammianus lib. 39. De *caueis* videndus Lipsius, qui plena manu in Amphiteat. cap. 9.

93. 1. EXPVNCTI.] Cyprianus Epist. 38. *Cùmque ego vos pro me vicarios miserim, vt expungeretis necessitates fratrum nostrorum sumptibus*. Id est, fratrum debita exsolueretis. Quam metaphoram ductam ab eo, quòd in libellis debita continentibus, expungi solent eorum nomina, quibus iam satisfactum est, Rhenanus fatetur. Sic *expuncta morte* dixit idem Cyprianus de Bono patientiæ. In eadem significatione vtitur Tertullianus verbo *dispungere*.

1. DOCVMENTA.] Non malè legi posset *documento*, verumtamen nihil mutandum.

FINIS LIBRI AD MARTYRAS.

DE PATIENTIA,

SIVE LIBER VIII.

ARGVMENTVM.

PAtientiæ laudes descripturus Tertullianus, mirè exultat, & captata primùm beneuolentia, mox persequitur, ita vt mihi videatur opus hoc esse præcipuum inter Tertullianica.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Exhortantis dicta cum factis debent consentire. Philosophorum Patientia qua.

TERTVLLIANVS.

1. 1. CONFITEOR ad Dominum Deum satis temerè, me, si non etiam impudenter, de Patientia componere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sim, vt homo nullius boni: quando oporteat demonstrationem & commendationem alicuius rei adortos, ipsos priùs in administratione eius rei deprehendi, & constantiam commonendi propriæ conuersationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant.

EXPLICATIO.

2. 1. SEntentia est, boni exhortatoris munus esse, factis exhibere eadem quæ verbis: qui non ita exhortatur, *temere* facit, potiùs *impudenter*, & verè est *audax*: nam *demonstrationem & commendationem alicuius* virtutis debet præcedere *administratio* eiusdem: ita vt qui loquitur verè sit factis ipsis minister virtutis: qua virtute opere exercita *dirigat* alios potiùs quàm verbis, nam hæc vera *auctoritas* concionantis: aliter *constantiam commonendi* habere non potest, & verba ipsa si desint facta, videantur *erubescenda*: adferunt quippe oratori ruborem. Hæc viuida mens Auctoris. Igitur huic rei se imparem, & minimè *idoneum* Tertullianus confitetur, vt qui sit *homo nullius boni*, &, quasi Deum testem adhibet suæ insufficiētiæ, confessionem hanc ad *Deum* ipsum dirigit.

3. 2. Atque vtinam erubescere istud remedium ferat, vti pudor non exhibendi, quod aliis suggestum imus, exhibendi fiat magisterium: nisi quòd bonorum quorundam (sicuti & malorum) intolerabilis magnitudo est: vt ad capienda & præstanda ea, sola gratia diuinæ inspirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum, nec alius id, quàm qui possidet, dispensat, vt cuique dignatur.

4. 2. Optat igitur Tertullianus, vt *erubescere istud*, id est, dicta erubescentia, *remedium* sibi *ferat*, vt videlicet vel pudore ipso vsus tanquam magistro, factis exhibeat, quod verbo vult suggerere, id est, hortari. Explico clarius quid sit *non exhibendi*. q. d. Prædico Patientiam, & ea careo; tantùm illam loquor, non exhibeo auditoribus, & ideo erubesco. Ergo, vtinam hic rubor sit mihi magister, vt illam non solùm loquar, sed exhibeam. *Suggestum imus*, explica, accingimur ad suggerendum & exhortandum. *Nisi quod*, &c. Sed vereor, an mihi satis sit stimulus mei roboris ad habendam Patientiam. Nam sunt *bona* quædam (sicut etiam *mala*) grandia, & quorum *magnitudo est intolerabilis*, atque supra omnem toleratum & vires, atque ad hæc omnia *sola* Dei *gratia* est satis. Ratio. *Nam quod maximè*, &c. Expende illud, *qui possidet, dispensat*. Nihil ergo bonum à te, sed ab possessore & dispensatore Deo.

5. 3. Itaque velut solatium erit, disputare super eo, quod frui non datur, vice languentium, qui cùm vacent à sanitate, de bonis eius tacere non norunt Ita miserrimus

ego, ſemper æger caloribus impatientiæ, quam non obtineo patientiæ ſanitatem, & ſuſpirem, & inuocem, & perorem neceſſe eſt, cùm recordor, & in meæ imbecillitatis contemplatione digero, bonam fidei valetudinem, & Dominicæ diſciplinę ſanitatem, non facilè cuiquam, niſi patientia adſideat, prouenire.

6. 3. Sicut ægrotis *ſolatium* eſt *diſputare* de ſanitate, ita & mihi de patientia loqui, qua careo. Omnia verba huius tractus ad hanc comparationem reſpiciunt. Clara omittam, quæ non ita explanabo nouitio. *Aeger coloribus impatientiæ*, ardentiſſima febri impatientiæ. *Imbecillitatis*, ægritudinis. *Niſi patientia adſideat*, tanquam medicus. Nota verbum *frui* cum quarto caſu, ideo in fine *prouenire*: nam fructus & prouentus ſibi reſpondent. Ait fidem *non valere*, & diſciplinam Domini non eſſe *ſanam*, ſine patientia: quia, vt febri dominante, nulla pars corporis valet: ita dominante impatientiæ calore, nulla animi virtus ſatis valet. Cùm ait *bonam valetudinem* diſſoluit Græcum εὐεξίαν.

7. 4. Ita propoſita Dei rebus eſt, vt nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à Patientia poſſit: bonum etiam eius, etiam qui cæca viuunt, ſummæ virtutis appellatione honorent.

8. 4. Explicat ſuperiorem ſententiam. Dixerat diſciplinam Dei ſanam non eſſe, vegetam, valentem, abſque Patientia. Quia videlicet (ait nunc) nemo obire & perpetrare ac perficere præcepta Dei poteſt abſque illa. Ita hoc verum, vt adhuc exci philoſophi honore hoc cumulent hanc virtutem, vt dicant eam eſſe omnium *ſummam*. Ait *propoſita*, quaſi hæc virtus ſcopus ſit, in quem debeamus intendere, vt omnia Dei præcepta adimpleamus: quæ magna eius laus.

9. 5. Philoſophi quidem, qui alicuius ſapientiæ animalia deputantur, tantum illi ſubſignant, vt cùm inter ſeſe variis ſectarum libidinibus, & ſententiarum æmulationibus diſcordent, ſolius tamen Patientiæ in commune memores, huic vni ſtudiorum ſuorum commiſerint pacem. In eam conſpirant, in eam fœderantur, illi in affectatione virtutis vnanimiter ſtudent, omnem ſapientiæ oſtentationem de Patientia præferunt.

10. 5. Cur à Philoſophis *ſumma* omnium virtus Patientia? quia cùm in varias ſectas diſtracti ſint, in hoc tamen omnes conſentiunt, vt in aduerſis omnibus patientiſſimi ſint, & iniuriarum tolerantiſſimi. *Subſignant*, ſubſcribunt, attribuunt, dant. *Sectarum libidinibus*, quia ad libidinem, & nulla forti inclinante ratione, hærent iam huic, iam illi ſectæ. *In affectatione virtutis*, quia Philoſophis Gentilibus nulla virtus vera, tantùm affectatio quædam, vmbra, vanitas. *Sapientiæ oſtentationem*, quippe tolerando iniurias, ſapientiam ſuam oſtentabant, nec vlla erat alia virtus, qua ſe ſapientes eſſe iactarent ad populum.

11. 6. Grande teſtimonium eius, cùm etiam vanas ſeculi diſciplinas ad laudem & gloriam promouet. Aut nunquid potiùs iniuria, cùm diuina res in ſecularibus artibus volutatur? Sed viderint illi, quos mox ſapientiæ ſuæ cum ſeculo deſtructæ ac deuoratæ pudebit.

12. 6. Nihil *grandius* dici de Patientia poteſt, quàm *vanas* etiam Philoſophorum doctrinas illa *promoueri*, & augeri *ad gloriam*. Et ſe corrigens addit, aut nihil certè *iniurioſius* dici de ea virtute poteſt. Nam cur virtus maxima impendatur in rebus inaniſſimis? Cur ea aſſumatur à iactabundis Philoſophis tantùm ad oſtentationem, affectationem, vanitatem? Quid facit virtus *diuina* cum *artibus ſæcularibus*? Hoc certè proculcari & *volutari* virtutem eſt, non aliter ac ſi gemma pretioſiſſima volutaretur in luto. Pergit. *Sed viderint illi* (ſermo emphaticus, id eſt, abeant illi, & nos deſinant) *quos* in extremo die iudicij (huc certè ſpectat Tertull. vel ex loco altero cap. vlt. de Spectacul.) *pudebit ſapientiæ ſuæ* plenæ dedecoris vnà *cum ſeculo deſtructæ* ab igne deuaſtatore.

NOTÆ.

13. 1. CONFITEOR AD DOMINVM.] Conſtructio Tertulliani, quem in hac & multis aliis poſſis defendere verbis Senecæ epiſt. 100. qui de quodam: *Mores ille, non verba compoſuit: animis ſcripſit iſta, non auribus.* Quæ excuſatio multis ſanctis Patribus opportuna. Nam quî moribus componendis ſcribant, qui animorum ſalutem curabant, cur verbis lenocinarentur, cur auribus blandirentur? Inſipidi ſunt & ſtulti, qui ſanctos vt Patres ob hoc ipſum notant & depretiant. Audiatur idem Seneca epiſt. 115. vbi: *Nimis anxium te eſſe circa verba & compoſitionem, mî Lucili, nolo: habeo maiora, quæ cures: Quære quid ſcribas, non quemadmodum: & hoc ipſum, non vt A ſcribas, ſed vt ſentias.* Lege quæ ſequuntur. Legendi ad profectum animi, non ſermonis. Fracti ſunt moribus, qui fucatam quærunt orationem. Hoc ſcilicet curent illi ardente luxuria, auaritia, ambitione?

1. IMPVDENTER.] Coniungit cum audacia, nam ſtatim *auſum*. Ephrem Syrus ſerm. de Patient. *Impudens inuerecundâque audacia.*

1. CVI PRÆSTANDÆ IDONEVS NON SIM.] Ex medio iure vox vtraque, vbi, *idoneus curator, creditor, debitor, fideiuſſor.* Et *idoneus ſoluendo*, cui opponitur, *inops.* Et Petrus Chryſolog. ſerm. 15. *Idoneus creditor, idoneus ſolutor*, & quidem eodem ſenſu, quo Tertull. hanc vocem accepit Ambroſ. lib. 2.

offic.c.12. *An verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, qui non dat sibi; & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet, cuius animum voluptates occupent, libido deuinciat, auaritia subiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus?* Pergo ad alteram. Sic & ab iure etiam *fidem præstare.* & *præstatio* pro solutione. Ideo consequenter, vt *homo nullius boni.* q.d. Qui inops sum boni patientiæ, idoneus non sum soluendæ præstandæque patientiæ. Ad sententiam pertinent verba Ephrem Syri in opere de Virtutibus & Vitiis: *Cunctos impatientes, qualis & ego sum, ad Patientiam adquirendam possidendámque cohortor.* Sequitur, *vt homo nullius boni*, quæ locutio Græca est, vt adnotat Casaubonus in Capitol. Sic Ioann. Chrys. τῆς πλεονεξίας ἐσμὲν, ἢ τῆς ὑπομονῆς. Et Seruius de Stoicis loquens, *Homines nimiæ virtutis.* Et Capitolinus ipse in Macrino: *Homo vitiorum omnium.*

14. 1. NE DICTA FACTIS IMPATIENTIBVS ERVBESCANT.] Cùm dicat, erubescere eũ, cuius dicta cum factis non consentiant, adaptabitur locus Bedæ, qui in Esdram ait, necesse esse, *vt timidus & erubescens, quæ ipse non facit, aliis facienda prædicet.* B Quo sensu Seneca dixit epist.87. *Peruersam verecundiam*, de eo scilicet Philosopho, qui non habet, quæ probat & laudat. Rectè *peruersam*, vt quæ non nascitur à virtute. Et Chrysost. Homil. 9. ad Popul. Qui alios, ait, corrigimus, si ea omittamus, eo ipso ἐρυθριῶμεν, καὶ αἰσχυνόμεθα, *Erubescimus & confundimur.* Ab Nysseno in Præfatione, ad lib. de Virginit. dicuntur duo esse necessaria in doctore, scilicet, & ζῶσα φωνὴ, *vox viua*, & ὑποδείγματα, *exempla.* Et lib. de Perfecta Christiani forma, tunc habendam fidem, βίου τοῖς λόγοις συμφθεγγομένου, *Cùm docentis vita congruit cum oratione.* Ambros. lib. 2. de Virgin. *Ille docere facilis, qui seuero vitia coërcet affectu.* Dionys. Areopag. in epist. ad Demophilum, ὁ γὰρ ὁ τάξας ἑαυτὸν, καὶ ἕτερον τάξει: *Qui seipsum rexerit, alterum etiam reget.* Hieronym. ad Nepotian. *Non confundant opera tua sermonem tuum: ne,* C *cùm in Ecclesia loquaris, tacitus quilibet respondeat; cur ergo, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat. Accusare auaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi, os, mens, manúsque concordent.* Apud Senecam epist. 29. Marcellinus quidam dicebat nolle esse discipulus Philosophorum, obiectans illis *congiaria, amicos, gulam.* Hilarius can. 5. in Matth. *Optimum est exemplo potiùs docere quàm dictis.* Videatur Themistius Euphrada, orat. 2. vbi, quale hoc sit vitium, eleganti explicat comparatione hominis ægroti, qui scit omnia medicamenta, & tenet omnem Hippocratem, nullo tamen remedio vtitur: alia multa adhibet, locus est longissimus. ideo tantùm indicaui, in fine ita absoluit, ὅτι δεῖ φιλοσοφίαν οὐ λέγῳ, ἀλλ' ἔργῳ ἐλέσθαι: *Philosophiam non verbo profiteri, sed factis oportet.* Et orat. 10. ita loquitur ad rem eandem, οὐ γὰρ οἷόν τε λόγοις ἐνδόξοις γενέσθαι, μὴ τῶν ἔργων αὐτὸν βεβαιούντων: *Fieri nequit vt oratio illustris sit, nisi factis* D *comprobetur.* Cassian. collat. 11. c. 4. *Nunquam enim erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.* Et apud eundem libro 5. c. 28. senex quidam moriturus: *Nec quemquam docui, quod prius ipse non feci.* Vide Ruffinum lib. 3. de Vitis Patrum cap. 183. Demum appone illud Senecæ de vita Beata: *Papulas obseruatis alienas, ipsi obsiti pluribus vlceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat, quem fera scabie depascitur.*

15. 2. ERVBESCERE ISTVD.] Græcanicum. Nam Cyrill. Alex. ad Theod. Imp. εἰς τὸ εἶναι, καὶ ζῆν. Et Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2. τὸ γὰρ ὃν δυοῖν τὸ ζῆν τοῦτο ὑγείας τε καὶ ἰσχύος σύγκειται: *Ipsum viuere ex duobus sanitate scilicet & viribus constituitur.* Sed iam Latinum. Plinius lib. 1. c. 54. *Ipsum cremare non fuit veteris instituti.* Cicero ad Attic. *Quàm turpis est assentatio, cùm viuere ipsum turpe sit nobis.* Seneca epist. 101. *Quid autem huius viuere est?* pro, quæ est huius vita? Plaut. Bacchid. *Hic vereri perdidit*, id est, perdidit τὸν αἰδῶ. Qui in Tertull. iungunt *istud remedium*, non illum capiunt.

2. MAGISTERIVM.] Vsitatum, vt virtutes dicantur magistri. Ioann. Chrysost. Hom. 3. ad Popul. ieiunium abstinentiámque vocat διδάσκαλον, *Magistrum.*

2. INTOLERABILIS MAGNITVDO.] Respicit credo baiulos, itavt hîc *intolerabile* sit, ἀφόρητον, qua voce vsus Chrysost. Homil. 5. ad Popul. & notabis sumi in bonam partem, ad eum modum, quo *immania virtutum præmia*, dixit Cassian. lib. 5. c. 15.

3. VICE LANGVENTIVM.] Ad rem eandem explicandam alia comparatione vtitur Aldhelm. 16. lib. de Virgin. c. 30. ait enim se fuisse in depingenda virginitate instar pictoris, qui cùm turpi sit corpore, tamen pulcherrimos depingit vultus. Videtur autem mihi Tertullianus id dixisse cum specie quadam tacitæ æmulationis Senecæ, vbi Seneca ipse epist. 27. ait: *Non sum tam improbus, vt curationes ager obeam: sed tanquam in eodem valetudinario iaceam, de communi malo tecum colloquor, remedia communico.* Hanc sententiam Tertull. ita aliter disposuit, vt nemini dubium esse possit, illi hæsisse.

3. ÆGER.] In Concil. Chalced. Act. 3. *Eutychi agrotanti impietate Manichæi.* Frequentissimum Patribus, vt in sermone animæ & vitiorum vsurpent huiusmodi locutionem. Ioann. Chrys. Hom. 8. ad Popul. ψυχὴν ἀῤῥωστοῦσαν ἰάσασθαι, *Aegrotanti animæ medicari.* Iterum, τῶν τῆς ψυχῆς τραυμάτων τὰ φάρμακα εὑρεῖν: *Vulneribus animæ remedia inuenire.* Et Hom. 5. ψυχῆς νοσήματα. Et Hom. 6. ἕλκος ψυχῆς. Omnia sunt diuersa, vt vides, ἀῤῥώστημα, τραῦμα, νόσημα, ἕλκος. Atque & Homil. 14. ψυχῆς μώλωπος, *animæ cicatricis.* Hilar. can. 7. in Matth. *infidelitas vitiorum dominatu ægra.* Ambros. lib. 4. c. 4. in Lucam, *criminum febribus caro nostra languebat.* Greg. Nyss. serm. 1. de Orat. νόσος τῆς πλεονεξίας: *Morbus auaritiæ.* Cyrill. Alex. in Amos, νενόσηκε τὸν ὑπερηφάνειαν: *Aegrotauit superbia.* Eligius Homil. 3. *Animæ peccatorum vulneribus sauciatæ.* Et Homil. 4. *Plaga peccati.* Sed & Seneca Epist. 94. *Mentem ægram.*

3. CALORIBVS.] Hilarius can. 7. in Matth. *Peccatorum calore exæstuans.*

3. ADSIDEAT.] Id est, assistat, & præsens sit, 17. & per otium etiam sedeat, vt solent medici, aut ministri alij, qui ægrum curant. hos enim παρεδρεύοντας, id est, *assistentes*, vocat Hippocrates Aphorismo 1. quos alij νοσηλεύοντας. itaque, ad medicorum παρεῖναι spectauit Tertull. vt etiam Seneca epist. 101. *Cùm per totum diem amico grauiter affecto & sine spe iacenti vsque in noctem assedisset.* Chrysolog. serm. 30. dixit, *Medicum iacentibus coniacentem.* Expressit viuidiùs curam medici. Idem verò serm. 38. *Cælestis medici patientia.* Et inf. ait: *Medicum patientia armari.*

4. BONVM EIVS.] Sermo familiaris Patribus. Ita Cyprianus, *Bonum patientiæ, Bonum pudicitiæ.* Et Liberius in epist. quam scripsit, dum esset in exilio, dixit: *Bonum pacis & concordiæ.* Hieronym. in Regulis Monachorum, *De bonis patientiæ loquendum.* Greg. Nyssenus de laude Basilij loquens de virtutibus, τῶν ἀγαθῶν εἰδῶν: *Bonorum formæ.* Et serm. 1. de Orat. εὐχῆς ἀγαθὸν: *Orationis bonum.* Concilium Chalced. Actione 4. *Vniuersum mundum pacis bono compleuit.* Cassian. lib. 4. c. 30. *Obedientiæ bonum.* Valerian. Episcopus Homil. 12. *Patientiæ bono.*

4. CÆCA VIVVNT.] Hellenismus, vt Iuuenal. *Qui Bacchanalia viuunt.* Et Cyprian. de Bono Patientiæ: *Qui non loquimur magna, sed viuimus.*

5. PHILOSOPHI QVIDEM, &c.] Ita verè est. 18.

In Suidæ collectaneis legi Patientiam esse τὸ τῆς σοφίας A παράγγελμα: *Præceptum Philosophiæ.* Cyprian.etiam de Bono Patient. *Hanc sectari Philosophi profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quàm & falsa sapientia. Vnde enim vel sapiens esse, vel patiens possit; qui nec sapientiam nec Patientiam Dei nouit?* Cyrill. Alex.Homil.6. de Festis Paschalib. ita illos deturpat. *Supercilio itaque ad frontem sublato, latum quiddam sonorúmque excreantes, tum barbam bene longam demulcentes manu, cœli structuram demirantur.*

5. ALICVIVS SAPIENTIÆ ANIMALIA.] Vsurpat hanc vocem ad deturpationem: nam qui animal audit, non concipit hominem, vt cùm ait Hieronym. in Regulis Monachorum: *Nos ventris animalia.* Et Hincmarus Archiep. Remensis in epist.ad Nicolaum Pap. *Carnales & animales homines.* Et Greg. Nazianz. ad deturpandum hominem dicit, πολυτροπωτον τῶν ζωῶν καὶ ποικιλώτατον: *Varium maximè & multiplex animalium.* Itaque semper videas à sanctis B Patribus hominem dici animal, cùm de eius contumelia est sermo. Hieronymus etiam ad Pammachiũ: *Mundi philosophus gloriæ animal, & popularis aura, atque rumorum venale mancipium.* Quod repetit in epist. ad Iulianum. Tertullianus etiam in libro de Anima, *Philosophus, gloriæ animal.* Quia scilicet, animalia tantùm ostentabunda virtutis, non veræ sapientiæ homines. Iactatum illud Socratis, qui Antistheni philosopho vertenti pallium, qua erat scissum, vt cernerentur foramina, dixit, ὁρῶ σου διὰ τῆς οἰήσεως πολὺ κενοδοξίαν: *Video per pallium tuum vanitatem.* Inde à Ioann. Chrysostomo Homil.19. ad Populum, virtus & sapientia philosophorum dicitur, πάσης μωρίας ἀθλιωτέρα: *Miserior omni stultitia.* Et suprà probauit elegantissimè philosophos esse tantùm homines *alicuius sapientiæ.* Nam quæ est illorum sapientia, qui dicebant, *Virtutem non esse sufficientem, sed opus esse pecunijs, nobilitate, exteriore claritate?* Hæc, inquit ille, καταγελασέ- A τεα, quia nihil magis ridiculum.

5. IN EAM CONSPIRANT.] In bonam partem, vt aliquando Latini, sic & Græci σύμπνοιαν. Basilius dat quadraginta Martyribus non solùm ὁμόνοιαν, *consensionem*; sed etiam σύμπνοιαν, *conspirationem.* Gregorius Nyssen.etiam in lib.de Virginit.cap.11.de optima corporis constitutione dixit, σύμπνοιαν, *conspirationem.* Et Nazianz.amicitiam Basilij Magni & suam vocat σύμπνοιαν. 19.

6. GRANDE TESTIMONIVM EIVS, &c.] Eiusdem fere argumentum est apud Senecam epist. 55.vbi ait, Philosophiam esse sacrum quiddam & venerabile, cùm etiam *si quid illi simile est, mendacio placeat.* Probat testimonio hominis otiosi & pertinacis. Vterque enim laudatur, ille, quòd putetur *sibi viuens*; hic, quòd *constans.* Qualis ergo virtus erit, cùm eius vmbra talis sit? ita ait Tertullianus, Patientiam magnam esse virtutem, cùm illi etiam testimonium det vana & affectata Philosophorum Patientia. nam hæc ad illius vestigia promouetur.

6. VANAS SECVLI DISCIPLINAS.] Id est, Philosophicas, quibus Ioann. Chrys. Homil.11. ad Populum dat πολλὴν λῆρον, καὶ πολλὴν φλυαρίαν: *Multas nugas, multam loquacitatem.* Et addit, κενοῖς τοὺς ἀκροατὰς ἀποπέμπει χεῖρας, καὶ οὐδὲν οὔτε μέγα, οὔτε μικρὸν κερδανυθέντας καλόν: *Auditores vacuis remittit manibus, nullum neque magnum neque paruum lucratos emolumentum.* Vide an vanæ disciplinæ. Tantúmque abest, vt in illis sit patientia, vt iisdem Homil.17. det μικροψυχίαν, *pusillanimitatem.* Et quidem Seneca epist. 64.præcepta philosophorum vocat *exsanguia.* Hilarius Pictauiens. in libello ad Constantium Aug. *Incerto doctrinarum vento vagari.* Hieronym. de Regulis Monach. vocat *stultam philosophiam.* Nazianz. orat.1. λόγοι ἥττονες, καὶ εἰκῇ ῥέοντα: *Doctrinam euanidam, & temere fluentem.* De eadem ibidem χαυνύνειν, quasi meras contineat præstigias.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Magister Patientiæ Deus.

TERTVLLIANVS.

20. 1. NOBIS exercendæ Patientiæ auctoritatem non affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata, sed viuæ ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens Patientiæ exemplum. Iam primùm qui florem lucis huius super iustos & iniustos æqualiter spargit; qui temporum officia, elementorum seruitia, totius genituræ tributa dignis simul & indignis patitur simul occurrere, sustinet ingratissimas nationes, ludibria artium & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes: luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, vt sua sibi Patientia detrahat: plures enim Dominum iccirco non credunt, quia seculo iratum tamdiu nesciunt.

EXPLICATIO.

21. 1. PHILOSOPHI Gentiles, vt iam dixit, non habuerunt veram Patientiam, sed eius tantùm *affectationem.* Et in hoc sitam putabant hanc virtutem, vt essent velut *stupidæ* & saxeæ, atque insensibilis naturæ ad perferendas *æquanimiter* iniurias: inter hos autem principem locum tenuit Diogenes, qui dictus Cynicus, id est, *caninus.* Est autem *delegare*, alium vice sui dare. Iam finge *Affectationem humanam*, & *Dispositionem diuinam* esse quasdam veluti personas delegantes. Ergo ait: Affectatio humana non *delegat* Christianis auctoritatem alicuius Diogenis, qui nos Patientiam doceat; sed *diuina dispositio* auctoritatem Dei, exhibens *ostendénsque* & proponens *ipsum Deum* ad *exemplum Patientiæ.* Vno verbo. Non nobis auctoritas patiendi à Diogene, sed à Deo. Notentur antitheta. *Affectatio humana opponitur diuinæ dispositioni:* illius *caninæ æquanimitas* (id est, tolerantia) huius *cœlesti disciplinæ:* illa dicitur *formata* ab *stupore,*

quasi saxea; disciplina nostra *viua*, quia tota calens ad meritum; & præclarè *ostendens*, q. d. non ostentans vt Philosophi. Progreditur, & probat Patientiam Dei hunc in modum. *Jam primùm* (id est, iam diu, iam dudum, iam olim, & verè ab orbe condito) *qui spargit florem lucis*, &c. *Sustinet ingratissimas nationes*, &c. Et ita sustinet, *vt sua sibi*, &c. Hic contextus integer, sed percurro, si quid obscurum. *Florem lucis* vide in Notis. *Temporum officia*, quia autumnus fruges excipit in semente, hyems retinet intra terræ viscera, ver producit, æstas concoquit. *Elementorum seruitia*, quia aër refrigerat, ignis calefacit, aqua rigat, terra fructificat. *Totius genituræ tributa*, quia veluti in tributum & vectigal dedit Deus hominibus vniuersorum animalium nutricationem & fœtus. *Occurrere*, quasi ea sit benignitas Dei, vt hæc bona voluerit cunctis esse obuia. *Ludibria artium*, notat idololatriam. *Cum familia*, intelligit Iudæos. *Vt sua sibi Patientia detrahat.* Videtur enim Deus ita obsurduisse ad iniurias suas, vt haberi à gentibus posset non satis potens ad sui vindictam. *Plures enim Dominum*, &c. q. d. Si irasceretur in improbos, crederent illi in Deum, est enim eius mansuetudo Gentilibus ludibrio.

NOTÆ.

22. 1. AFFECTATIO.] Notabis affectatam Patientiam Philosophorum dici ab sanctis Patribus *ostentationem*, vt cùm August. sup. Ioannem Hom. 58. expendit, Christum non præbuisse suo percussori alteram maxillam, ne videretur ponere præcepta patientiæ in *ostentatione*.

1. CANINÆ ÆQVANIMITATIS.] Ita semper audiuit Diogenes. Plenus Lucianus, à quo non solùm κύων, sed illi dat in Dialogo, cui titulus βίων πρᾶσις, verba ὑλακτήσει, δάκῃ, quia adlatrator, & morsicator. Sed cur tolerantia Philosophorum *canina* dicitur? Optimè. Nam, vt apparet ex Luciano ibidem, Diogenes summam illam ærumnarum tolerãtiam in hoc sitam putabat, vt iactaret illam irruendo liberè & inuerecundè instar canis in alios. sed præstat audire Cyprianum lib. de Bono Patientiæ, ita loquentem: *Nam si sapiens ille est, qui est humilis & mitis: Philosophos autem nec humiles esse videmus, nec mites, sed sibi multum placentes, & hoc ipso quòd sibi placeant, Deo displicentes: apparet illic veram non esse Patientiam, vbi sit insolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac seminudi pectoris inuerecunda iactantia.* Seneca epist. 29. de Diogene & aliis Cynicis, *qui libertate promiscua vsi sunt*, scilicet vt canes, cui feræ αἰδήμονες dat Ioannes Chrysostomus, id est, *inuerecundiam*. Homilia 12. ad Popul. & Cyrill. Alex. in cap. 5. Amos κωνηδὸν, dixit, pro, *impudenter*. Et Seneca epist. 476. *Audaciam ad mordendũ.* Et Paulin. epist. 1. *Pollutam canina facundia linguam Christi laudibus & commemoratione ipsa pij nominis expiares.* Vide an tolerantia, qua æquo animo Philosophi ferebant iniurias, dici verè debeat *canina*, in qua summa audacia, inuerecundia, libertas. Et huc fortasse spectãs dixit in superiore capite illum esse *inuerecundum*, & *audacem*, qui sine Patientia loquitur de Patientia; Ab vno Diogene propagatum in alios nomen. Ioann. certè Chrysost. generaliter enuntiat, φιλόσοφοι τὰ κυνικὰ καθάρματα, οἱ τῶν ὀπτεμπεζίων κυνῶν ἀθλιώτερον διακείμενοι, κραυγὴς ἕνεκεν πάντα ποιοῦντες: *Philosophi Cynica piacula, submensalibus canibus miseriores, ventrisque caussa cuncta facientes.* Vbi generaliter loquitur, sicut & hic Tertullianus. Homerus 1. Iliad. κυῶπα vocat hominem inuerecundum. Neque contra hoc est, & sectatores eius dictos, vt aliqui seriò affirmant, non à moribus & inuerecundia, sed ab habitu. Inducbantur enim pellibus canum, & ita esse canes videbantur exteriori habitu. Tam enim multa sunt, quæ docent inuerecundum illorum latratum in homines, vt nomen inde adiunctum negare queat nemo, etiam si potuerit iuuari ab habitu. Quid quòd non semper pellibus canum, sed ouium etiam, & aliarum ferarum induebantur?

1. ÆQVANIMITATIS.] Patientiam quoque *æquanimitatem* vocat Plin. lib. 18. c. 13.

23. 1. STVPORE FORMATA.] Nam scilicet Diogenis Patientia stupori belluino propior, quàm humanæ tolerantiæ. Ideo dicto loco Lucianus dat illi, ὡς ἀνθρώπινα, *aliena ab homine.* & θηριώδη καὶ ἄγρια, *belluina & agrestia.* Et Diogenes ipse ita monet, ὡς μαστιγοῖ δέ τις, ἢ τροχοῖ, πύτων οὐδὲν αἴσιον νόησε: *Si vapulabis, aut torqueberis, nihil horum molestum esse putabis.* Certè cùm Ioann. Chrysost. Homil. 6. ad Popul. dixit γενναίως ἐνεγκεῖν τὰ συμβαίνοντα: *Generosè ferre quæ accidunt*, de humana Patientia loquitur, non stupida, & belluina. Obiiciet aliquis, cur in stupida hac & canina tolerantia Tertull. vtatur nomine *æquanimitatis*, quæ videtur laudem spectare? Facilis solutio. Ponit nunc, non aliàs, *æquanimitatem* in vitio, quia Philosophi per *animum æquum* intelligebant, carentem omni dolore. Est autem contra virtutem, affectu hoc non tangi.

1. DEVM IPSVM OSTENDENS PATIENTIÆ EXEMPLVM.] Huic cursui totus hæsit Cyprian. lib. de Bono Patientiæ. Nam postquam dixit, non admittendos ad magisterium Patientiæ Philosophos, subiicit: *Quasi serui & cultores Dei, Patientiam, quam magisteriis cœlestibus discimus, obsequiis spiritualibus præbemus. Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde Patientia incipit, inde claritas eius & dignitas caput sumit. Origo & magnitudo Patientiæ Deo auctore procedit.*

24. 1. IAMPRIMVM.] Iunius, qui mutat interpunctionem ita, *Patientiæ exemplum iamprimum: qui florem*, &c. locum istum non intellexit. Nam Tertull. iungendus vt explicui, *iamprimum sustinet*, loquens scilicet de Deo nondum facto homine; quam voculam explicat in sequente capite, *quasi de longinquo*, cùm de Deo loquitur iam facto homine. q. d. Iamprimũ Deus, & quasi de longinquo multa sustinuit.

1. FLOREM LVCIS.] Flos de luce & igneis. Lucret. lib. 4. *Florentia lumina flammis.* Et lib. 1. *Flammai fulserunt flore.* Stat. 1. Thebaid.

---arcano florentes lumine postes.

Tertull. Apolog. 11. *Lumina floruisse.* Ioann. Chrysost. Homil. 10. ad Popul. τὰ ποικίλα τῶν ἄστρων ἄνθη: *Astrorum varij flores.* Greg. Nyssen. orat. de Mortuis, vt gemmas notet lucentes, vtitur verbo ἐπανθίζεσθαι, *Florere.* Et statim de purpura ἐυανθοῦσις, quasi dicas, *Florulentam.* Cyrillus Hierosolym. cateches. 13. ὁ τῷ σταυροῦ σέσαρος ἐφωταγώγησε τοὺς ἐν ἀγνωσίᾳ τυφλούς: *Corona crucis cæcos in ignorantia illuminauit.* Vbi præclarè cõiungitur corona, quæ è floribus, cum verbo luminis. Plura his ego dicebam in lib. 7. Æn. in M.S. est *rorem lucis*, fortasse quia *spargit.* Sed nihil muto.

1. SVPER IVSTOS ET INIVSTOS, &c.] Totum hunc locum tantùm non transcripsit Cyprianus lib. de Bono Patientiæ: *Super bonos & malos æqualiter facit diem nasci, & lumen Solis oboriri, & cùm imbribus terram rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quominus iustis similiter & iniustis indiscretas pluuias largiatur: Tu reliqua.*

1. SPAR-

25. I. SPARGIT.] Sollemne verbum sparsionum. Suetonius Domitiano cap. 4. *Diéque proximo omne genus rerum, missilia spargit.* & qui diripiebant *rapere* dicebantur. Martial. lib. 8. epig. 78.

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat, & in populum multa rapina cadit.

Non dubium autem quin cum respectu ad Missilia loquatur dives scriptor.

I. TEMPORVM OFFICIA, ELEMENTORVM SERVITIA.] Ad hunc modum loquitur Ioann. Chrysost. Homil. 8. ad Popul. vbi loquens de seruitio, quod creata omnia exhibent homini, λειτουργίαν nominat; qua voce ministeriũ & famulatus omnis significatur. Cyprian. etiam loco adducto, ait hominibus *tempora obsequi, elementa famulari.* Idem contra Demetrian. terræ dat *obsequium & seruitutem.* & Plin. l. 2. c. 63. eandem vocat *ancillam & famulam.* Legatur & integra decima Homilia Ioannis Chrysostomi ad Pop. vbi de hac re omnia aurea. B

I. TOTIVS GENITVRÆ TRIBVTA.] Est hoc, quod Ioann. Chrysost. Homil. 7. ad Populum loquens de Deo, κόσμον ὕπτω καλὸν, καὶ μέγαν, καὶ θαυμαστὸν διά σε τὸν βραχὺν, εἰς μέσον παρήγαγεν: *Mundum ita pulchrum, magnum, admirabilem in medium protulit propter te tantillum hominem.* Cyprian. ait etiam propter hominem Deum iussisse, *Grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere.* Non dubium quin hæc omnia intellexerit Tertull. post *tributa totius genituræ.*

26. I. OCCVRRERE.] Expendebam hic obuiam Dei bonitatem, talem prædicat Areopagita Dionysius in epist. ad Demophilum. Vide an obuia bonitas Dei, qui τ ἀποφοιτώντων ἐρωτικὰς ἔχεται, καὶ φιλογενικῶς, καὶ δεῖται μὴ ἀπαξιοῦν τ ἐρωμένων, *Amanter adhæret his, qui se deserunt, contendit, rogátque ne indignus habeatur ab his, quos* C *amat.* Quid aliud faceret secularis amator? & statim ait de Deo, περιπέτεται καὶ ὑπαντᾷ, καὶ ὅλος ὅλως ἀφιεὶς ἀπαζεται: *Ipse occurrit, ipse obuiam procedit, totúsque totos osculatur, irruens in complexus.* & post multa iterum, ὅπου τὰ ὄρη πλανώμενον ὁπιζητῶν, καὶ ἀποφεύγοντα περικαλῶν: *Quærit errabundum in montibus, & fugientem accersit.*

I. SVSTINET INGRATISSIMAS NATIONES, &c.] Hanc Dei Patientiam etiam tangit Cyprianus, *Instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilegia patientissimè sustinens.* Ait *ingratissimas*, & verè. Sic & Dionys. loco laudato, χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους, *Bonus est erga ingratos.* Porro si in Tertull. legas *sustinens*, vt in vulgatis omnibus, hiulca est & hiscens oratio, ideo mutaui in *sustinet.*

27. I. OPERA MANVVM SVARVM ADORANTES.] Clemens Alexand. lib. 7. stromat. οἱ αὖ πὶ δ' ὅτοι παν ξύλον, καὶ παν λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὲς προσκυνοῦντες: *Illi ipsi quoduis lignum, & quem libet lapidem, vt dici solet, pol tum adorantes.*

I. CVM FAMILIA.] Intelligit aut Patriarchas in lege naturæ aut Iudæos, inscripta. Et hoc extremum capio. Sic Apolog. 18. vocat Iudæos *domesticam Dei gentem.* & quidem Iudæi dicti *populus electus.* Interpretes hoc loco longè à vero: capiunt enim per *familiam* Christianos, cùm Tertullianus ne somniet quidem. Hîc enim sermo est de Dei Patientia ante aduentum Christi: sequens caput dicabitur Christo, & ius Patientiæ. Neque impedit voces in hoc capite esse multas de præsenti, non de præterito. Hæc enim hypallage Latinis trita. Velim etiam notes dixisse *familiam Dei*, pro, seruos Dei. Nam *familia* de seruis, quod alibi astruxi; & hîc affero Concilium quartum Tolet. cap. 69. vbi loquens de seruis & libertis Ecclesiarum, *familiam* dicit. Idem repetitur Concil. 6. Tolet. cap. 9. & Ennodius epist. 3. lib. 1. *Audiat te quod in conuersatione publica didiceris familia domestici retexentem subiectorum animos.*

28. I. VT SVA SIBI PATIENTIA DETRAHAT.] Nihil potuit amarulentiùs ad inuidiam tuam ô peccator. Non abit energia, qua etiam de Dei Patientia loquitur Cyprian. *Qualis vero Deo, & quanta Patientia quod in contumeliam suæ maiestatis & honoris,* &c. & inf. *Cùmque habeat in potestate vindictam, mauult diu tenere patientiam*; &c. Adeo hoc verum, vt *incuriosus à quibusdam, & quasi negligens humanorum actuum Deus diceretur.* Saluian. lib. 1. de Gubern. quod scilicet *malos non coerceret*, quam calumniam ille diluit. Inde idem l. 5. Patientiam Dei celebrat in sustinendis hæreticis. & Apostolus Petrus apud Clementem lib. 2. Recognit. *Miror admodum immensam Dei patientiam, vt è contrario in nonnullis humanæ temeritatis audaciam.*

CAP. III. ARGVMENTVM.

Christi Patientia.

TERTVLLIANVS.

29. I. ET hæc quidem diuinæ Patientiæ species quasi de longinquo, fors vt de supernis æstimetur.

EXPLICATIO.

I. PVTO ista quasi ex obiectione dici. Possit enim quispiam obiicere. *Hæc quidem species diuinæ Patientiæ*, ô Tertulliane, *quasi de longinquo* est, nihil ad nos pertinet. quis Dei Patientiam possit imitari? & hoc obiiciunt, *fors* (id est, forsitan) *vt* hæc Patientia *de supernis æstimetur*, ac perinde nihil ad mortales attineat. Nam homines qui possint superna æmulari? Est hoc loco, *de longinquo*, quod suprà *iam primùm.*

30. 2. Quid illa autem quæ inter homines palam in terris quodammodo manu apprehensa est?

2. Diluit; quasi dicat: Quid autem ad eam Patientiam, non quam de longinquo audiuimus, sed quam oculis vidimus, imò quam *manu apprehendimus* in Christo? & nota concinnitatem. Vt de illa prima dixit *quasi*, ita de ista *quodammodo.*

31. 3. Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat; natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumelioſus insuper sibi est; & à seruo suo tinguitur, & tentatoris congressus solis verbis repellit.

3. Explicat minutatim Patientiam Christi. *Patitur nasci*, id est, patiens fuit ad nascendum. *Expectat*, quia sustinuit latere in vtero per menses nouem. *Natus adolescere sustinet*, quia poterat subitò crescere in grandem virum, & voluit tamen adolescere more humano, quod ad Patientiam pertinet. *Adultus non gestit agnosci*, id est, non titillatur pruritu gloriæ humanæ iam adultus: *Sed contumelioſus insuper sibi est*, quia longum illud Christi silentium, & inactuosſitas cedebat veluti in eius contumeliam. *à seruo suo tinguitur*, cùm sit Dominus. Demum *tentatoris congressus solis verbis repellit*. Expende. *Congredi* verbum est bellantis, atqui Christus in hostilem bellatorem non gladios stringit, non arma parat, sed ea est eius Patientia, vt verbis tantùm repellat.

32. 4. Cùm de Domino fit magister, docens hominem euadere mortem, ad solitæ scilicet veniam offensæ Patientia eruditus, non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit, arundinem quassatam non fregit, lignum fumigans non restinxit. Neque enim mentitus fuerat Propheta, imò ipsius Dei contestatio, spiritum suum in filio cum tota Patientia collocantis.

Isa. 42. *Ioann.* 12. *Matth.* 9. *Luc.* 9. *Luc.* 17. *Matth.* 14. *Matth.* 26. *Isa.* 53.

4. Prædicauit Patientiam Christi à toto silentij tempore. iam nunc ab eo, quo voluit esse *magister, docens hominem euadere mortem*. Et tunc quidem non minora eius Patientiæ documenta, nam *scilicet*, iam diu *eruditus Patientia ad veniam solitæ offensæ non contendit*, &c. q.d. Is qui solentissimus offensarum patiendarum, non contendit, &c. Sed & *arundinem non fregit*, quæ videbatur facilè posse frangi: nec lignum extinxit, quod videbatur facilè posse extingui, vt quod iam sine lumine, & tantùm fumigans. *Nec enim*, &c. Vel hoc ipso clamare non debuit, ne Isaiam mendacem faceret, imò Deum ipsum contestantem eius Patientiam per Isaiam.

33. 5. Nullum volentem sibi adhærere non suscepit, nullius mensam tectúmve despexit. Aquam ipse lauandis discipulorum pedibus ministrauit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est. Non illi saltem ciuitati, quæ eum recipere noluerat, iratus est; cùm etiam discipuli tam contumelioſo oppido cælestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curauit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotauit.

5. Sequuntur variæ Christi opera conglobatim, in quibus ostendit mirificam Patientiam. *Nullum volentem*, &c. Id est, omnes volentes sibi adhærere, suscepit. *Ciuitati* Samaritanorum, Lucæ 17. *Repræsentari*, præsentaneos immitti. *Ingratos curauit*, propter leprosos curatos, qui tamen ἐχάρησαν. *Parum hoc*, &c. Quasi reliqua venire in comparationem præ hac patientia non possint. *Nec constanter denotauit*. Non ita indicauit, vt vnquam constaret de proditione Iudæ; constanter se habuit in homine non denotando, non publicando: rogatus sæpe à discipulis vt proderet, constans in nolendo fuit.

34. 6. Cùm verò traditur, cùm adducitur, vt pecus ad victimam (sic enim non magis aperit os, quàm agnus sub tondentis potestate) ille cui legiones Angelorum, si voluisset, vno dicto de cælis affuissent, ne vnius quidem discentis gladium in vltorem probauit: Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladij opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem ipse non vexauerat, satisfecit per Patientiam misericordiæ matrem.

Isa. 53. *Matth.* 26. *Ioann.* 18. *Matth.* 26.

6. Exempla Patientiæ in passione. *Discentis*, id est, discipuli. *In vltorem*, vt esset vltor. Non probauit, vt gladius ipse esset vltor. si adimatur *in* clarior erit sententia, sed retineri potest, imò & debet, est enim peculiaris elegantiæ. *Patientia Domini in Malcho vulnerata est*. duplex explicatio. Prima. Quot hostes Christi, tot incentiua ad eius Patientiam; adempto ergo Malcho, adempta est perinde materia patiendi ab eo hoste. & ita: Patientiam meam vulnerasti *in Malcho*, erit, ademisti mihi materiam patiendi à Malcho. Altera. Patientia Christi immensa erat ad omnes omnium iniurias tolerandas, ac perinde queri de Petro potuit Christus; vulnerasti non tam Malchum, quàm meam Patientiam, quia hoc ipso putasti non satis mihi esse Patientiæ ad hostem illum ferendum, cùm ego ferre omnes possim. *Maledixit*, propter illud, qui gladio interficit, gladio peribit. *Per Patientiam misericordia matrem*, quippe ab Patientia propriæ iniuriæ, nascitur miseratio alienæ: nam qui patitur, compatitur.

35. 7. Taceo quòd figitur, in hoc enim venerat. Nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate Patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioann.* 19.

7. Mitto mortem crucis, vbi fixus, *Nam ad hoc venerat*. *Nunquid tamen*, &c. Id est, egebat nunquid mors subeunda contumeliis præcedentibus? non satis erat mori? Respondet: *Sed saginari*, &c. q. d. Qui occidendus erat grandi illo crucis conuiuio, *saginari* priùs voluit, quæ sagina necunde meliùs potuit haberi quàm à contumeliis, ideo se illis vsque ad voluptatem voluit saturare, ac perinde despuitur, verberatur, &c. Vt scilicet victimæ saginantur ante sacrificium.

36. 8. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est.

8. Epiphonema superioris cursus, sed quod non obuium. Ego sic explico, seruauit Christus *fidem æquanimitati*, quia assumpta natura hominis, nihil tamen sumpsit de impatientia hominis. Qui latet in aliena figura, videtur posse aliquid licentiùs facere; non sic Deus, latuit quidem *in figura hominis*, sed nihil licentiæ sibi assumpsit ad impatientiam, sed fidem seruauit Patientiæ. Etenim si impatiens aliquando fuisset, non fidem seruasset æquanimi tolerantiæ. & nota concinnitatem inter *fidem* & *imitationem*. Nam omnis imitatio, mendacij est species. Ergo, se integrum Christus Patientiæ seruauit, nihil communicans cum impatientia hoste Patientiæ, nihil imitans *de impatientia*, ne esset mendax in Patientiam.

37. 9. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: Patientiam huiuscemodi nemo hominum perpetraret.

9. Ratio, cur vel maximè agnoscendus Christus à Iudæis, quia videlicet patientissimus. *Perpetraret*, id est, constanter perferret.

38. 10. Talia tantáque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verè ratio & structio, satis apertè non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini sustinendo probant his, quibus credere datum est, Patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis.

10. Sed cur tam ingens Patientia esse debuit solius Dei, non alterius? Quia, *talia tantáque documenta satis apertè probant Patientiam Dei fuisse meram naturam, merèque ingenitam*. q. d. Homini acquirenda est Patientia vsu & actibus; quæ ergo naturalis & ingenita, esse nisi Dei non potest. Sed quid illud, *effecta natura*? id est, ipsam Dei patientiam incarnatam & humanatam in Christo, & ideo *tantam*. Hic integer contextus totius periodi, & veluti substantia, cui adiuncta membra ad firmitatem tria. Primum: ea est *magnitudo* Patientiæ Dei, vt quamuis nobis sit *ratio* & instructio ad credendum, tamen nationibus sit *detrectatio fidei*. Alterum. Magnitudo ista Patientiæ probat patientem esse verum Deum, *non sermonibus modò in præcipiendo*. (libenter voculam *in* adimerem) *sed etiam passionibus Domini sustinendo*. q. d. Non ita validum esset argumentum si verbis tantùm præciperetur nobis, vt crederemus Christum esse verum Deum; sed accessit laborum sustinentia, quam nemo nisi Deus haberet: est *sustinendo*, perpetiendo, tolerando, significatione passiua. Tertium. Hæc argumenta vim habent tantùm apud fideles, & obiter ait *datum*, quia fides mera est gratia, & donum Dei.

NOTÆ.

39. 3. NASCI SE DEVS IN VTERO PATITVR MATRIS.] Hieronymus ad Eustochium hærens Tertulliano ita scripsit: *Dei filius pro nostra salute hominis factus est filius: nouem mensibus in vtero vt nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, blanditiis delinitur, & ille pugillo mundum includens, præsepis continetur angustiis.* Idem lib. aduersus Heluid. *Iunge si libet & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos*, &c. Cyprian. etiam de Patiētia Christi prædicat ab ipso puncto, quo incarnatus est. Volusianus in epist. ad Augustinum: *Intra corpusculum vagientis infantiæ latet, cui parua putatur vniuersitas, patitur puerilitatis annos, adolescit, iuuentute solidatur.* Petrus etiam Chrysol. serm. 6. *In incunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro contubernio blandus.* & serm. 48. ita pulcherrimè: *Se claudit vtero, metitur cunis, vberibus occupat, arctat gremio, dat in vlnas.* Saluianus lib. 6. de Gubern. de hac re loquens: *Humanæ natiuitatis verecundiam subiit, & contumeliosa terreni ortus principia suscepit.* Proclus Episcop. Cyzici. τίς οἶδε, τίς ἤκουσεν; ὅτι μήτρα ὁ Θεὸς ἀπεριχάρακτος ᾤκησεν; *Quis vidit, quis audiuit talia, incircumscriptus Deus vterum inhabitat?* & Atticus Episcop. ὁ τέλειος αὐξεῖ, ὁ ἀπερίτμητος περικόπτει: *Perfectus crescit, incommutabilis profecit.*

3. NATVS ADOLESCERE SVSTINET.] Syngelus in encomio Dionys. Areopag. de Christo, καταδεχόμενος αὔξησιν σωματικήν. idem omnino quod de Christo Cassian. lib. 3. c. 4. *Humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus.*

3. SED CONTVMELIOSVS INSVPER SIBI EST.] Vide vt explicui, nec muto, quamuis Hieronym. verba hæc Tertulliani aliò torqueat; nam illum spectans loco adducto, ita pergit: *Taceo, quòd vsque ad triginta annos ignobilis, parentum paupertate contentus est.* Ego retuli ad inactuositatem & longum silentium; nam Christum qui videret iam grandem, & veluti inutilem, ante prædicationem, poterat iactare illud, *Fruges consumere natus*. atque illud vsurpatum in re simili Synesio Episcopo Cyrenensi lib. de Prouidentia, ἐπώνιον ἄχθος ἀρούρης, *Telluris inutile pondus*. Is scilicet (ait idem) qui *tantumdem à somno euigilat, quantum aluo explendæ, infarciendóque iterum somni commeatui satis est.* Hæc verissima contumelia. Et hanc in Christi dedecus torquebant Gentiles, vt scribit Volusianus ad Augustinum: *In somnos resoluitur, cibo alitur, omnes mortalium sentit affectus, nec competentibus signis tantæ maiestatis indicia clarescunt.* Verba sunt, quibus Gentiles Christum dedecorabant. Certè qui referunt Tertullianum ad artem fabrilem, quam Christus exercuit, multo minùs placent. Nam artes istæ neque in eo populo, neque alibi gentium, contumeliosæ vnquam fuêre. & Paulus nullam contraxit contumeliam ex simili scenopegia. 40.

3. A SERVO SVO TINGVITVR.] Hoc etiam in argumentum Patientiæ Christi, Cyprian. *Dominus baptizatur à seruo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere.* Ait *tinguitur*, vt lib. 1. aduers. Marcion. *Oleum quo Deus vnguit.* Istæ formæ verborum etiam profanis auctoribus vsitatæ. 41.

56. 3. SOLIS VERBIS REPELLIT.] Cyprian. *Cum Diabolo tentante congredi, & inimicum tantum viciſſe contentus, nihil vltra verba conatur.* Lege Claudianum Paneg. 1. Stilicon. ab eo loco,

Miramur rapidis hoſtem ſuccumbere bellis,
Cùm ſolo terrore ruant?

Præclarè & ille, *alij gladio, tu nomine vincis.* & Coripp. lib. 1.

---bellum ſine milite preſſit.

Ad rem ſunt verba Hilarij canone 37. in Matth. *Recondi gladium præcepit, quia eos non humano, ſed oris ſui gladio eſſet perempturus.*

42. 4. AD SOLITÆ SCILICET, &c.] Lectio Rhenani, & quam defendit Iunius eſt, *Abſolutè ſcilicet veniam offenſæ Patientiæ eruditus.* Non placet, nam quid hic *abſolutè*? Pamel. ex tribus m. ſ. correxit, *Ob ſalutem ſcilicet venire offenſa Patientia eruditus.* Præfero Iunianæ, ſed neque ad guſtum tamen. Tandem Wouer. ex m. ſ. legit. *Ad ſolitæ ſcilicet veniam offenſæ Patientiæ eruditus.* Hanc aliis prætuli, tantùm legi volui *Patientia*, non Patientiæ. atque ita conſtat perfectiſſimus ſenſus.

4. ERVDITVS.] Verbum dignum quod notes ad virtutis huius commendationem. Sic inf. cap. 12. ait, charitatem erudiri à Patientia, quem locum vide. Ignat. Martyr. epiſt. ad Roman. ἀδικήματων αὐτῶν μαθητεύομαι: *Iniuriis illorum erudior.* Habet itaque Patientia magnum virtutum magiſterium.

43. 4. ARVNDINEM, &c.] Prophetiam Iſaiæ ad Patientiam Chriſti trahit, & poteſt. & fortaſſe nulla commodior intelligendo Prophetæ explicatio. Sed negotium hoc interpretum eſt, mihi non diſplicet illa Hilarij can. 12. in Matth. vbi per *arundinem quaſſatam* intelligit gentiles, qui non fracti à Deo, imò reſeruati in ſalutem: per *lignum fumigans*, Iudæos, quorum fides in ligno tantùm fumiganti, ſed hoc non extinctum, vt quibus facultas ſit accendendi luminis. Hæc nos modicè, ea tantùm delibantes.

5. NVLLVM VOLENTEM, &c.] Vide Ioannem Caſſianum qui Collat. 13. cap. 15. ſic ait de Chriſti miraculis: *Aliis de tactu fimbriæ eius ſperantibus medicinam, vbertim ſanitatis dona largitus eſt. Aliorum morbis medelam rogatus indulſit. Aliis ſpontaneam præſtitit medicinam. Alios hortatus eſt vt ſperarent, dicens: vis ſanus fieri? Aliis non ſperantibus, vltro ingeſſit auxilium. Aliorum deſideria priùs quàm voluntati eorum ſatisfaceret, explorauit, dicens: quid vultis vt faciam vobis? Alij ignoranti viam, qua id quod concupierat, obtineret, benignus oſtendit: ſi crediderìs, inquiens, videbis gloriam Dei.* Multis denique per miracula Chriſti diuagatur.

5. AQVAM IPSE.] Vulgati *Atquin.* Secutus ſum m. ſ. Woueren.

44. 5. NON PECCATORES ASPERNATVS EST.] In hanc ſententiam ita loquitur Pet. Chryſ. ſerm. 36. *Deus abſtergit vulnera humana, non deſpicit, neque horret languores hominum, ſed depellit: nec deteſtatur immunditias humani corporis, ſed emundat.*

5. CÆLESTES IGNES, &c.] Sententia integra illuſtratur verbis Chryſoſt. Homil. 3. ad Populum, iſtis: *Quotidie contumelia afficitur, præſens & videns & audiens: & neque fulmen immiſit; neque mare iuſſit terram inundare, & omnes ſubmergere; neque terram hiare, & temeratores abſorbere mandauit: ſed tolerat, & longanimiter agit, & veniam ſe daturum promittit contumeliæ auctoribus.* Cui accinit Nazianzen. in epiſt. ad Theodorum Tyanenſem Epiſcopum, τί τῆς φιλανθρωπίας ταχύτερον; πῦρ Σοδομιτικὸν αἰτῆσον οἱ μαθηταὶ κατ' ἄρτι τῶν Ἰησοῦ, ἵ δὲ ἀπαξιοῖ τὸν ἐκδικεῖν: *Quid benignitate celerius? Sodomiticum ignem aduerſus eos, qui Jeſum adducunt, diſcipuli poſtulant, at ille vltionem recuſat.* Conſonant & verba Nyſſeni de perfect. Chriſtiani forma 1. vbi poſt latè enumeratas Chriſti contumelias, ita: *Nonne poterat contra eos vel cælum perfringere, vel ipſos terræ hiatibus abolere, vel dimouere ex propriis terminis mare, & voraginibus terram ſubmergere, vel Sodomiticum imbris ignem demittere vnico verbo, vel aliquod aliud acerbum ſupplicium irrogare?* ἀλλὰ τοῦτο πάντα ὑπέμεινεν ἐν πραότητι καὶ μακροθυμίᾳ: *Sed omnia manſuetiſſimè & longanimiter tolerauit.* Chryſoſt. iterum orat. 1. de incomprehenſibili Dei natura, ἐκ ἀφῆκεν σκηπτὸν, ἐ συνέτριψε τὸν λοιδορουμένους: *Non fulmen miſit, non contudit contumelioſos ſibi.*

5. REPRÆSENTARI.] Commodè explicui. Interpretes tam Tertulliani quàm Cypriani in epiſt. 37. explicant *referri*, iuxta illud Horatij, 45.

Virtutem ne repræſentet, morèſque Catonis,

vt velint, ſed non meo guſtui. Etenim *repræſento* in Tertulliano eſt, rem præſentem exhibeo; ſic cùm aduerſus Marcionem dixit, *Nec panem, quo ipſum corpus ſuum repræſentat*, voluit certè panem iſtum materialem effici corpus Chriſti, ita vt non iam panis, ſed verè corpus Chriſti præſens exhibeatur. Et eodem modo accepit verbum *repræſento* Hieronym. in cap. 26. Matthæi, ibi: *Vt quomodo in præfiguratione eius, Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens, fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.* Denique idem Tertullianus in Apologetico: *Quis enim ex viuentibus non cuilibet mortuo potior? Sed nec hoc vos ratione facitis, potiùs quàm reſpectu repræſentaneæ poteſtatis.* Facitis (inquit) hoc timore pœnarum, quo vobis repræſentantur proponuntúrque. Quemadmodum dixit Suetonius in Claudio: *Tormenta quæſtionum, pœnáſque parricidarum repræſentabat, exigebátque coram.*

5. NEC CONSTANTER DENOTAVIT.] Nyſſenus epiſt. ad Flauian. aduocat etiam in argumentum Patientiæ Chriſti, res Iudæ proditoris, præſertimque hæret in ea magnanimitate, qua excepit falſum oſculum. Cyprian. de Bono Patientiæ: *Nec mirandum, quòd circa obedientes talis extiterit, qui Iudam potuit vſque ad extremum longa Patientia ſuſtinere, cibum cum inimico ſumere, hoſtem domeſticum ſcire, nec palam oſtendere.* Itaque quod obſcurè Tertull. *nec conſtanter denotauit*, clarè Cyprian. *nec palam oſtendere.* Eſt enim *denotare* digito oſtendere, & palam indicare. Et hæc veriſſima explicatio locorum Euangelij; nunquam enim diſcipulis conſtitit de proditione Iudæ. Non ex illo Matthæi, *Qui intingit mecum manum in paropſide*, nam multi intingebant, non vnus Iudas. Non ex illo eiuſdem, *tu dixiſti*, nam hoc inſinuare fuit, non clarè oſtendere. Neque adhuc ex illo Ioannis, *Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero: & cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ.* Nam hoc ſecretò dictum eſt Ioanni accumbenti ſupra pectus, nec Ioannes vulgauit, vt liquidò apparet ex ſequentibus: ſcio pleroſque Patrum ire in hanc ſententiam, vt putent clariſſimè conſtitiſſe reliquis Apoſtolis de proditione Iudæ futura, ſed magnum contra illos par iſtud Tertulliani & Cypriani, & verè δυσμαχον. Nam Patres reliqui, qui ſententiam ſuam aſtruunt ex Matthæo, videant non poſſe conciliari cum verbis Ioannis: quo vnico argumento in illos vtitur Maldonatus Noſter, quem miror pro ſe non adduxiſſe Tertullianum & Cyprianum. 46.

6. VT PECVS.] Tanti habita eſt hæc appellatio à patribus ſynodi, cuius meminit Hilarius lib. aduerſ. Arrianos, vt in confeſſione Fidei illius concilij, vbi ſermo eſt de Chriſto, ita ſcribatur: *Qui in nouiſſimis diebus deſcendit de ſummis, & natus eſt ex Virgine ſecundùm ſcripturas, & agnus factus eſt mediator Dei & hominum,* &c. Itaque, quod in aliis ſynodis, *& homo factus eſt*, in ea, *& agnus factus eſt*, ad indicandum ſcilicet 47.

mitissimum Christum, sic in prologo Concilij in Trullo θυώψιος, quo verbo victima indicatur. Et quidem Tertullianus per *pecudem* non ouem solùm, sed agnum capit, cùm præsertim aduersus Iudæos cap. 9. scripserit: *Qui tanquam ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum.*

6. DISCENTIS.] Ita & Cyprian. epist. 68. *Surrexit Petrus in medio discentium.* Id est, discipulorum: & lib. de orat. *Discentium memoria.* Tertull. sæpe Græci hoc passim. Greg. Nyssen. oration. aduers. eos, qui ægrè ferunt castigat. μανθανόντων τρόπος. Adduxi duas explicationes, addo & tertiam. Cùm quicquid didicisset discipulus, videretur redundare in magistrum, hinc est vt Petrus irruens in alium impatienter, videretur desumpsisse aliquid ex Christo impatiente. Ergo vulnerato Malcho, ô Petre, meam vulneraſti patientiam, ostendens me tibi impatientiæ aliquid sug- B gessisse, vel dicto, vel facto, velut magistrum. conducit ad hanc expositionem verbum *discentis*, quod discipulum significat. ergo vt scientia & peritia discentis, siue discipuli, gloria est Magistri, commendatióque eius scientiæ: sic & insciti dedecus est, & doctrinæ quasi vulneratio.

6. GLADII OPERA.] Saluian. præclarè lib. 1. de Gubern. dixit, alium interficere esse *feralissimum nefas.*

6. SANITATIS RESTITVTIONE.] Nazianz. laudato loco: *Malchi vnius ex petulantibus aurem Petrus amputat, Ἰησοῦς δὲ ἀποκαθίστησι, Iesus autem restituit, reponit.*

48. 6. PATIENTIAM MISERICORDIÆ MATREM.] Cur illa huius mater? Credo, quia qui patitur, cùm sciat experimento quàm res illa sit amara, miseretur perinde aliorum, qui patiuntur, iuxta illud Principis Poëtæ,

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Ad quem versum dicebam ego olim. & hîc expendo dictum à Ioele cap. 2. de Deo, *Et patiens & multæ miserationis.* Vides vt Patientia præcedat Miserationem, scilicet vt mater filiam. Item tritum illud, sed non hîc tritum, *Didicit ex his, quæ passus est.* Id est, didicit compati & misereri. Vides vt hîc, & in Virgilio Misericordia dicatur discipula Patientiæ, Tertullianici iudicij fuit filiatio. Saluian. lib. 1. ampliori elogio de Gubern. afflictationem & infirmitatem, verè Patientiam vocat, *matrem virtutum*, numero multitudinis. Vt non iam tantùm sit mater vnius Misericordiæ, sed omnium fortasse, quia qui habet misericordiam, habet multas virtutes. Vnde Ambrosio lib. 1. off. c. 11. Misericordia dicitur *dispensatrix*, quia multa dispensat bona opera. Quod elogium Patientiæ! vt habeat filiam misericordiam, virtutes omnes nepotes.

7. SAGINARI VOLVPTATE PATIENTIÆ]. Neminem vidi, qui ita significanter, nec tu fortassis. Si aliquid tamen in Chrysost. Hom. 4. ad Popul. vbi εἰ βέλει τρυφᾶν, καὶ ἀνέσεως ἀπολαύειν, καὶ ἡδονῆς, μὴ ζήτει ἡδονὴν, μήτε ἄνεσιν, ἀλλὰ ζήτει ψυχὴν σωφρονῆς γέμουσαν: *Si vis lætari, & remissione atque voluptate frui, ne quære voluptatem atque remissionem; sed quære animam Patientia plenam.* Vbi vides *Patientiam* loco *voluptatis.* & *plenitudo* Chrysostomi, quid est nisi *saginatio* Tertulliani? nam *plenus*, obesus certè est, & succulentus atque infartus. & vt loquitur Hieronymus, *distentus.* Sed esse voluptatem in patiendo Gentiles agnouêre. Ait enim Macrobius apud Macrob. lib. 1. c. 10. Satur. Angeronæ simulacrum (hæc est Dea silentij) *Ore obligato atque signato in ara Volupiæ propterea collocatũ, quòd qui suos dolores anxietatésque dissimulant, perueniant Patientiæ beneficio ad maximam voluptatem.* Ioann. Chrysost. Homil. 18. ad Pop. patienti pro Deo dat ἡδονὴν *voluptatem.* Nam hanc verissimè pariunt flagella, mortes, mulctæ, &c. pergit A multis. & loquens de Apostolis ait, τὰς μάστιγας ὑποδέσιν ἐποιοῦντο μείζονος ἡδονῆς: *Flagella faciebant materiam maioris voluptatis.* Probat, quia redibant à conspectu Concilij χαίροντες, *gaudentes.* Sed & hanc voluptatem patiendi in Christo ante mortem, satis explicat Balsamon in Medit. cùm ait de illo, ἑκούσια πάθη αὐτῷ καὶ ἐφυσεῖσα πρὸ τοῦ σωτῆρος: *Voluntarios illius cruciatus & contumelias ante crucem.* Etenim qui voluntariè patitur, cum gustu patitur. Meritò ergo Tertull. *saginari* ante mortem voluit. Balsamon iterum. χειροπέδας τοῦ Κυρίου, ἃς ὑπὲρ ἡμῶν ὑπέμεινε διὰ τὴν σωτηρίαν ἡμῶν καὶ μάστιγας πρὸς Καϊάφαν ἀγόμενος: *Manicas Domini, quas volens sustinuit pro salute nostra, cùm instar verberonis ad Caïpham duceretur.* Nota tandem, vt rem mittam, verbum ipsum *saginandi* traductum ad sacra. Ita & Ioann. Cassian. collat. 20. c. 10. *Sublimioribus ac sacratioribus mysteriis saginari.* Porrò vt pecudes ad aras mactandæ priùs saginabantur, vt obesæ, & nitentes immolarentur: ita Christus Dominus mactandus in ara crucis priùs patientiæ voluptate saginari voluit, etsi subeunti mortem, non erat necessarium tot labores & contumelias perpeti.

7. DISCESSVRVS.] Nam sagina ad cædem 49.
est, vel ex illo Plauti Mostell. *saginam cædite.* Christus ergo saginatus ad discessum, id est, mortem. Notetur hoc loco verbum Cyrilli Hierosol. Cateches. 4. vbi loquens de Christo ait, τὸ δεξιὸν δὲ τῆς ὑπομονῆς, πάλιν Ἰησοῦς, ἀνέζη πάλιν εἰς τὸν ἀγῶνας: *Cùm absoluisset Iesus cursum Patientiæ, ascendit tandem ad cælos.* Notetur, inquam: non enim dixit; cùm absoluisset cursum vitæ, aut quid simile, sed *cursum Patientiæ*, quasi tota Christi vita fuerit mera Patientia; & non tam vita, quàm Patientia; potiùs enim dici potuit pati, C quàm viuere. Meritò ergo Tertull. attollit Patientiam Christi, quæ vsque ad discessum, ducens illam perpetuam à primis latebris in vtero virginis vsque ad extremum halitum vitæ.

7. DESPVITVR, VERBERATVR, &c.] 50.
Dilatat Cyprian. Magistri sententiam his verbis: *Sub ipsa autem passione & cruce, priusquam ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, quæ conuitiorum probra patienter audita, quæ contumeliarũ tolerata ludibria, vt insultantium sputamina patienter exciperet:* &c. Pergit multis. Iterum in fine eiusdem operis: *Faciem suam nõ auertit à fœditate sputorum.* tu reliqua. Hoc eodem argumento ad Patientiam nos commouet Hilarius can. 4. in Matth. *Accepta alapa maxillam alteram iubemur offerre, ipso virtutum cœlestium Domino ad incrementum gloriæ & maxillas palmis, & flagris scapulas offerente.* Eodem Ephrem Syrus serm. de Patientia: *Casi vincamus in lucta aduersarium per* D *Patientiam: sic namque Dominus noster hoc vitæ certamen transegit, flagellatus, contumeliis atque iniuriis affectus, persecutiones passus, delusus, conspuratus,* &c. De iniuriis Christi in ipsa passione mirè loquitur Nazianz. Orat. 1. Lege ab eo loco, *Iccirco lignum aduersus lignum*, &c. Petr. etiam Chrys. serm. 38. *Palmis faciem non negauit.* Sed non parcam loco Gregorij Nyss. lib. de perfecta Christiani forma, vbi ita: *Quot modis Patientia in imagine inuisibilis Dei conspicitur? vbi gladij, & fustes, & vincula, verbera, alapis maxillæ percussæ, facies sputis oblita, humeri verberibus traditi, iudicium impium, crudelis sententia, milites subsannationibus, irrisionibus, contumeliis, calami percussionibus immitem sententiam per delicias exacerbantes, claui, & fel, & acetum, & grauissima quæque ipsi sine caussa illata, imò verò pro innumerabilibus beneficiis reddita.* Ferreus es Lector, si non tibi hîc lacrymæ. Nota & mihi tria verba Concilij Chalcedonensis Actor. 4. ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ ἐμπτυσθεὶς, καὶ λογχευθεὶς, καὶ ῥαπισθεὶς: *Dominus noster dedecoratus est sputo, telo, alapa.*

Cyrill. Hieroſ. Catecheſ. 4. ὑβρισθὲν ὡς ἄνθρωπος, *caſus eſt alapis, vt homo.* Hippolytus Martyr Homil. de Deo Trino vt vno, latè perſequitur Chriſti labores: *Cùm in anxietate ſudat, & ab Angelo roboratur, qui eos qui in eum credunt, roborat, & opere docuit mortem contemnere: Cùm à Iuda proditur, qui cognoſcebat Iudam quis eſſet; & à Caipha inhonoratur, qui erat ab eo Sacerdotio fungente, paulò antè tanquam Deus honoratus; cùm ab Herode ſpernitur, qui totam terram iudicaturus eſt; & verberatur à Pilato is qui infirmitates noſtras ſuſcepit*, &c. Prochorus in Actis Ioannis, cap. 2. *Colaphis eum cædebat*, videlicet balneator Ioannem. Atenim quæ deſpuuntur in contumelia ſunt: ideo dixit Lucifer Calaritanus Epiſc. lib. 2. aduerſ. Conſtantium: *Tu verò qui facis hodie, quæ ille ante agnitionem vnici Dei filij faciebat Paulus, qua de re auſus fuiſti iubere nobis Domini Sacerdotibus, vt innocentem condemnaremus, vt hæreſim tuam ſuſcipientes, Apoſtolicam fidem deſpueremus?* Et in Ignatium Confeſſorem Archiepiſc. Conſtantinopolitanum Nicetas Dauid aſſerit inſultatum colaphis, οἱ κολαφίζοντες τὴν παλαιπωρίαν αὐτοῦ: *Colaphis & miſera diuexatione affligentes ipſum.*

51. 8. ÆQVANIMITATIS.] Hæc vox pro Patientia in aliis eſt Patribus. Hilarius aduerſ. Arrianos, *Patientiam & æquanimitatem legentium atque audientium.* olim vox hæc inuerſim efferebatur hunc in modum *animecus* pro *animæquus.* Gloſſar. antiquum: *amecus, animaquus*, ἀνόψυχος. Iſidor. in Gloſſ. *Animæcus, patiens animo.*

9. DOMINVM AGNOSCERE DEBVISTIS, &c.] q.d. Qui verbera videtis, ſputa, contumelias, hominem putabitis tantùm? qui per Patientiam eius, Deum potuiſtis cognoſcere: nam hęc documenta nõ niſi à Deo. Huc omnino pertinet excurſus Hilarij l. aduerſus Arrianos, vbi ait: *Non ego audio, Chriſtus ex Maria natus eſt, niſi & audiam, in principio erat verbum, & Deus erat verbum. Non audiam, mortuus eſt, niſi audiam, reſurrexit.* Ademi multa conſulens breuitati. & abſoluit hunc in modum: *Nihil ſolitarium ex diuinis Sacramentis ad ſuſpicionem audientium & ad occaſionem blaſphemantium proferamus.* Ergo Tertullianus: ſi audis incredibiles contumelias, audi & incredibilem Patientiam, vt qui patitur, Deum eſſe cognoſcas. Eſt hoc omnino quod habetur in Chalcedon. Concil. Act. 2. vbi de Chriſto Deo & homine, ἃ τὸ μὲν αὐτὸ διαλάμπει τοῖς θαύμασι, τὸ δὲ πάθος ὑπέμεινε: *Horum vnum coruſcat miraculis, alterum ſuccumbit iniuriis.*

10. MAGNITVDO.] Nota verbum. ita in Prologo Concilij in Trullo datur Chriſto μέγεθος συγκαταβάσεως καὶ ταπεινώσεως, *Magnitudo abiectionis & humilitatis.* 52.

10. STRVCTIO.] Pro inſtructio. vt Lactant. lib. 1. Inſtit. cap. 1. *ſtruendis opibus* pro, extruendis.

10. PASSIONIBVS SVSTINENDO.] Vt Tertull. à Patientia Chriſti ducit argumentum ad cognoſcendam diuinitatem eius, ita & diſcipulus Cyprianus. Ait enim: *Et quia ad hoc deſcendiſſe ſe dixerat, vt voluntatem patris faceret; inter cætera admirabilia virtutum ſuarum, quibus indicia diuinæ maieſtatis expreſſit, paternam quoque Patientiam tolerantiæ tenore ſeruauit.* Ab his omnibus agnoſcit Greg. Thaum. in Chriſto ταπείνωσιν ἄκραν, *extremam humilitatem.*

10. PATIENTIAM DEI ESSE NATVRAM EFFECTAM.] Ambroſ. lib. 1. Off. cap. 21. loquens etiam de Patientia: *Primum igitur eſt, ſi fieri poteſt, vt morum tranquillitas vſu quodam affectioni propoſito in naturam vertatur.* Itaque illa eſt perfectiſſima Patientia, quæ verſa in naturam.

CAP. IV. ARGVMENTVM.

De obſequio, quod patientiſſimum Deo debemus.

TERTVLLIANVS.

53. 1. IGITVR ſi probos quoſque ſeruos & bonæ mentis pro ingenio Dominico conuerſari videmus (ſiquidem artificium promerendi, obſequium eſt; obſequij verò diſciplina, morigera ſubiectio eſt) quanto magis nos ſecundùm Dominum moratos inueniri oportet? Seruos ſcilicet Dei viui, cuius iudicium in ſuos non in compede aut pileo vertitur, ſed in æternitate aut pœnæ aut ſalutis: cui ſeueritati declinandę vel liberalitati inuitandæ, tanta obſequij diligentia opus eſt, quanta ſunt ipſa quæ aut ſeueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur.

EXPLICATIO.

54. 1. SENTENTIA eſt: ſi ſerui probi ſeſe dominorum ingenio attemperant, cur nos non morati erimus Domino? ſumus enim eius ſerui, & Dei iudicium erga nos *vertitur* (conſideratur, abſoluitur, expenditur (*non in compede* (id eſt, temporali ſeruitute) *non in pileo* (id eſt, temporali libertate) *Sed in æternitate aut pœnæ, aut ſalutis.* Ergo ſicut *obſequium* (nũc explico parentheſim) voluntarium eſt ars, qua ſerui ſuos dominos promerentur, & obſequium poſitum eſt in *morigera ſubiectione*, quia nullà re magis via munitur ad diuinas promiſſiones promerendas, quàm morigera ſubiectione & obſequio: ſic oportet, vt nos diligentiſſimi in obſequio Dei ſimus, tum vt declinemus eius ſeueritatem, à qua pendet æterna pœna; tum vt inuitemus eius erga nos liberalitatem, à qua pendet æterna ſalus; illam comminatur, hanc pollicetur. Quanta verò erit pœna, ſi illam *ſeueritas* Dei *comminatur*? quanta erit ſalus, ſi illam *liberalitas* Dei *pollicetur*? Omnia ſunt plena emphaſeon, & nihil Tertulliani modicum.

55. 2. Et tamen nos non de hominibus modò ſeruitute ſubnixis, vel quolibet alio iure debitoribus obſequij, verùm etiam de pecudibus, etiam de beſtiis obedientiam exprimimus, intelligentes vſibus noſtris à Domino prouiſas traditáſque.

Geneſ. 1. & 9.

56. 2. Periodus clara, ſed digna vt notetur, nam ex ea patet, *obſequium* Tertulliani in toto hoc capite, eſſe meram *obedientiam* erga Deum, quæ virtus neceſſaria ad Patientiam. & ſic etiam coniunxit Cyprian. eius verba: *Præceptis Dei tota Patientia deuotionis obſequitur*, loquitur de Abraham. Redeo. Homines *ſubnixi ſeruitute* dicuntur ad eum modum quo l. 1. §. vlt. D. de liber. exhibend. dicitur *ſubnixum liberis matrimonium*, id eſt, firmatum, obſtrictum, obligatum. Tale illud Plauti Perſ. *Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriosè.* Illud, *vel quolibet alio iure*, id eſt, pacto, aut conductione, aut ſcriptura.

57. 3. Meliora ergo nobis erunt in obſequij diſciplina, quæ nobis Deus ſubdidit? agnoſcunt denique quæ obediunt: nos cui ſoli ſubditi ſumus, Domino ſcilicet, auſcultare dubitamus?

3. Quaſi debeant homines pudefieri, vt qui à beſtiis ſuperentur obſequio & obedientia. Particula *denique* hîc eſt, itaque. Vide Notas. *Auſcultare* eſt parere, obedire. Eſt autem viuida Tertulliani argumentatio hæc. Si beſtiæ quæ natæ ſunt tantùm ad obediendum, non ad imperandum, tamen *agnoſcunt*, obſequiúmque præſtant infinitis dominis (nam tot habent, quot ſunt homines) nos *dubitamus* vni ſoli parere, cui *ſubditi* tantùm *ſumus*, nam reliquis imperamus? Ah pudor.

58. 4. At quàm iniuſtum eſt, quàm etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis conſequaris, idem illi per quem conſequeris, de temetipſo non rependere?

4. Indulgentia tantùm Dei, nullo certè merito, conſecutus eſt homo, vt beſtiæ ſibi pareant. Cur non ergo ipſe Deo parebit, à quo id indulgentiſſimè conſecutus? Qui hoc non facit, non modò *iniuſtus* eſt, ſed etiam *ingratus*.

59. 5. Nec pluribus de obſequij exhibitione debita à nobis Domino Deo. Satis enim agnitio Dei quid ſibi incumbat, intelligit.

5. Non vult pluribus de obſequio debito Deo, nam ſatis putat rationes duas, quas adduxit, ſcilicet de ſeruis, & animalibus, & addit tertiam, *Satis enim agnitio Dei*, q. d. fideles qui ſunt, & Deum agnoſcunt, ſatis intelligunt, quid ſibi incumbat de obſequio, quod præſtari Deo debet.

60. 6. Ne tamen vt extraneum de obſequio videamur interieciſſe, ipſum quoque obſequium de Patientia trahitur. Nunquam impatiens obſequitur, aut patiens quis obluctatur.

6. Poterat aliquis obiicere. Quid obſequium ad Patientiam? Non (inquit) *vt extraneum* interieci. Nam obſequium impatientis non eſt, neque obluctantis, ſed patientis, & acquieſcentis alteri. non ergo extra chorum, aut oleas.

61. 7. Quam ergo Dominus omnium bonorum & demonſtrator & acceptor Deus in ſemetipſo circumtulit, quis de bono eius latè retractet? cui item dubium ſit omne bonum, quia ad Deum pertineat, pertinentibus ad Deum tota mente ſectandum? Per quæ in expedito, & quaſi in præſcriptionis compendio, & commendatio & exhortatio de Patientia conſtituta eſt.

7. Hoc caput extremum eſt eorum, quibus ad Patientiam exhortatur. Nam ſequens caput de impatientia eſt, & quæ deinde ſequuntur non directè exhortationem, ſed laudes Patientiæ continent. Ergo. Quis *latè retractet* (id eſt, quis latè ſæpe tractet) de ea virtute, *quam Deus in ſemetipſo circumtulit*? quaſi hæc ratio ſatis ſit, vt ea virtus ametur, & omnem reliquum ſermonem amputet. In ſequenti membro *pertinentes ad Deum* ſunt fideles. q. d. Tu qui ad Deum pertines, ſectare omne bonum, quia hoc ad Deum pertinet. Abſoluit, *Per quæ*, &c. id eſt, Per hæc quæ dixi, ſatis tibi *conſtituta eſt*, (id eſt, confirmata) tum *commendatio* tum *exhortatio* huius virtutis *in expedito*, (id eſt, in prompto & facili) *& quaſi in compendio præſcriptionis* (id eſt, habes hîc compendium quo præſcribas. Vide Notas.

NOTÆ.

62. 1. PROBOS QVOSQVE.] Sunt hi, quos Chryſoſt. orat. 1. aduerſus Iudæos vocat ſeruos εὐδοκιμοῦντας, id eſt, *probatos*, & *bene audientes*, illóſque opponit ἀτιμωμένοις, *ignominia notatis*. & orat. de ſimultate in ira οἰκέτῃ χρήσιμον, *ſeruum frugi*. Demum orat. 2. ad Populum. boni ſerui ita ab illo deſcribũtur: κἂν πᾶν ἡμέραν ἅπασαν παντὸς ἀφιστέχωσι διακονούμενοι τοῖς αὐτῶν δεσπόταις, κοπιῶντες, ταλαιπωρούμενοι, καὶ μικρὸν ἀναπνέοντες: *Diem totam vbique circumcurſitant, dominis ſuis miniſtrantes, vapulantes, laborantes, & ne minimum quidem reſpirantes.* Et Senec. epiſt. 47. *Parati pro Domino porrigere ceruicem.* & Hilarius in opere de Concil. Ariminenſ. *Seruus contumeliam Domini inuitus audit; &, ſi liceat, vlciſcitur.*

1. PRO INGENIO DOMINICO.] Quid ſi alludit veterem parœmiam, οἷα δ' ἀν δέσποινα, τοῖαι καὶ θεράπαιναι δῆτ: *Qualis hera, tales ſeruæ.* Vſurpat Cic. ad Attic. lib. 5. epiſt. 11.

1. ARTIFICIVM PROMERENDI OBSEQVIVM EST.] Huc pertinet illud Curtij lib. 8. *Regum ducúmque clementia, non in ipſorum modò, ſed etiam in illorum qui parent, ingeniis ſita eſt: obſequio mitigantur imperia.* Lege epiſt. 47. eiuſdem Senecæ. Quin ſententia Salomonis eſt cap. 25. Prouerb. *Patientia principem leniri.* Rectè autem in ſermone ſeruorum *obſequium*, nam illorum proprium. Ambroſ. de Fidei Reſurrect. ſignatè, *Inſidias inuidorum, ſeruulorum obſequia.* Notetur obiter & ſententia alia, quæ etiamſi diuerſa, ſed pertinet ad rem eandem. Vt enim in ſeruorum poteſtate ſita aut lenitudo aut aſpe- 63.

ritas dominorum; sic in dominorum potestate seruorum aut bonitas aut malitia; nam, vt ait Saluian. lib. 8. *Seruiles animos per se malos, dominorum faceret nequitia peiores.* Et de Antonino Philosopho Capitolinus, *Fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos*, scilicet indulgentia, liberalitate, &c. & Themistius Euphrada orat. 9. loquens de Valente Imperatore, μεσημάχου δὲ τῶν ἀποστρεπτικῶς, εὐπειθεστέρους δ' ἐποίησας, ἢ πρότερον ἦσαν: *Reluctantes ad obsequium reuocasti, adeo vt obsequentiores illos faceres, quàm vnquam antea fuissent.*

64. 1. IN COMPEDE.] Hæc quippe maxima seruitutis nota apud antiquos: serui enim vt plurimum vincti. Plinius lib. 18. c. 3. *Vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus.* Seneca 6. de Benef. c. 10. *Vasta spatia terrarum colenda per vinctos.* Pulcrè Martial.

Et sonet innumera compede Thuscus ager.

Id est, innumeris seruis compede illigatis. Plaut. Mostell. ore vnius seruuli ad alterum,

Augebis ruri numero genus ferratile.

Qui multa volet, legat Brissonium lib. 2. Antiq. c. 9.

1. PILEO.] Nota libertatis. Inde *vocare ad pileum.* Suetonius in Nerone: *Obiit tricesimo secundo ætatis anno, tantúmque gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata tota vrbe discurreret.* Appian. lib. 1. de Bellis Ciuil. *Qui Iulium Cæsarem interfecere, pileum per mediam vrbem hasta pratulerunt, quasi morte tyranni restituta ciuibus libertate.* Mitto nummum Bruti apud Dionem, versum Martialis, Suetonium in Tiberio. Actum enim agam si de hoc multa, vbi iam Lipsius in Saturn. Anacharsis πῖλον sibi assumit in Gymnasiis, Scytha genere, ac perinde seruus.

65. 1. VERTITVR.] Puto alludi ad cardines, intra quos versantur fores. Sic serui vertuntur intra cardines libertatis & seruitutis. & adhuc Christiana vita intra cardines pœnæ & præmij, vt postea ait.

2. DE PECVDIBVS.] Legatur longus excursus Ioann. Chrysostomi Homil. 12. ad Pop. vbi loquitur quemadmodum mortales capiant ab animalibus μείζονα παραίνεσιν, *maximam admonitionem.* Adhibet exemplum in formicula, apicula, alijs.

2. VSIBVS NOSTRIS.] Greg. Nyssen. serm. 1. de orat. ait nobis datum à Deo ἀλόγων ζώων ὑπηρεσίαν, *brutorum animalium ministerium.* de hoc etiam Ioann. Chrysost. Hom. 11. ad Pop. ἄνθρωπος πρὸς τὸν μάλιστα προσήκουσαν αὐτῷ οἰκονομίαν ἕκαστον ὑπάγει τῶν ζώων: *Homo ad vsum sibi maximè conuenientem, animalium quodque subigit.* Dilatat hoc flumine verè aureo, diluítque obiectionem. Nam quod istud dominantis hominis imperium, cùm equus sit velocior homine, bos tolerantior, aquila leuior, leo fortior? soluit ex ipso vsu. Etenim si equus velocior, certè ad pauca stadia; homo illo velocior, quia equis mutatis ad multa stadia. Sic de aliis. Signatè ergo Tertull. imperium hoc ex vsu. Videatur etiam pulcherrimus excursus Nysseni orat. aduersus eos, qui ægrè ferunt castigationem, vbi de hac re eleganter, qui etiam rem totam ad vsum dirigit. Ait enim πάντα δουλούμεθα, καὶ πᾶς ἡμετέροις ὑπηρετεῖσθαι χρείαις κελεύομεν: *Omnia seruituti mancipamus, atque vsui nostro iubemus obsecundare*, scilicet tauros, equos, elephantos.

66. 3. MELIORA ERGO NOBIS ERVNT, &c.] Hæc querela etiam est Chrysost. Homil. 15. ad Pop. vbi postquam de animalibus latè, ita subiicit queribundus, de homine. ἡμεῖς δὲ πολλάκις τοῖς αὐτοῖς ἁλόντες, τοῖς αὐτοῖς περιπίπτομεν, καὶ οὐδὲ τῶν ἀλόγων τὸ φρονιμώτερον καὶ μεμεριμνημένον ὀλίγα πεπονθότες μιμούμεθα: *Nos sæpe iisdem capti in eadem cadimus, neque brutorum prouidentiam & sollicitudinem ratione præditi imitamur.* Sic etiam cursum sermonis sui claudit Nyssenus. Nam homo anima sapiens, & tam multis præditum, laborat tamen penuria ἀληθοῦς ζωῆς καὶ τῆς οἰκείας σωτηρίας, *Veræ vitæ & salutis propriæ.* Hilarius quoque in opere de Concil. Arimin. ita queritur: *Canes ipsi ad custodiam domus habiti, quodam sensu naturæ intelligentes oblatrant, & vbi quædam eos aduentantium aura contigerit, totis ad suspicionem ipsam saltibus efferuntur: vos audistis Christum verum Dei filium negari, & quiescitis? Quid quieuisse dico? obnitimini reclamantibus, & aggregamini obstrepentibus.*

3. DENIQVE.] Hæc particula non semper est, tandem, quod iam notauit noster Turselinus, quod vnicè animaduertendum in hoc scriptore, vt hoc loco, vbi non pro tandem vsurpabitur, sed pro, itaque. Obuia tibi erunt loca alia, quibus id firmes, vnum proponam. Fortunatus in vita Hilarij Pictau. narrans eius miracula, *Denique Clodoueus Rex*, &c. neque enim illud extremum miraculorum, nam multa alia subiiciuntur. Res erit clara adeunti locum. 67.

3. AVSCVLTARE DVBITAMVS?] ἐμφατικῶς vtrunque. Feræ agnoscunt, nos nec *auscultamus?* imò & *dubitamus auscultare?* Ad quem modum Virgilius,

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Latini ista sumpsere à Græcis, *Non auscultare & non audere*, pro, non parere, nam etiam τὸ ἀκούειν. Huius rei exemplum est elegantissimum in Ioanne Chrysost. Homil. 16. ad Pop. sub finem.

5. SATIS ENIM AGNITIO DEI, &c.] Vide vt explicui, & annecte congruentem Cypriani locum: *Tolerandum & perseuerandum est, fratres dilectissimi, vt ad spem libertatis & veritatis admissi, ad veritatem & libertatem ipsam peruenire possimus: quia hoc ipsum quod Christiani sumus, fidei & spei res est; vt autem spes & fides ad fructum sui possint peruenire, Patientia opus est. Non enim præsentem gloriam sequimur, sed futuram.* Vbi tota ratio Patientiæ in Christianis petitur, quia Christiani sint, & Deum agnoscant; & hæc est Tertullianica *agnitio*, quæ satis esse ad Patientiam debet. Eodem argumento ad rem aliam vtitur Ioann. Chrysost. Homil. 21. ad Pop. vbi ait: *Si hoc nomen homo tantam præbet ad virtutem exhortationem,* πολλῷ μᾶλλον τὸ πιστὸς, *multò magis fidelis.* q. d. Satis est esse hominem, vt ad virtutem promouearis: si verò addas, esse fidelem, promptissimus esse debes ad virtutem. Addit rationem, quia *fidelis credit Deo, & ab eo habet iustitiam creditam, sanctitatem, munditiam animæ, adoptionem in filium*, &c. 68.

6. OBLVCTATVR.] Hoc verbum in simili re Patientiæ etiam adhibet Cyprian. lib. de Bono Pat. vbi tria hæc, *luctatio, colluctatio*, & *reluctor.* Vt cùm ait de Abel, *Aduersum fratrem parricidam non resistit, nec reluctatur.* Alludit præclarè ad vocem hanc Ephrem Syrus serm de Patientia: nam loquens de hac virtute ait: *Inunge te ipsum per Patientiam.* Vnctio quippe luctatorum est. Ioann. etiam Chrys. Homil. 5. ad Popul. Iobum patientissimum vocat ἀθλητὴν, *athletam.* & Prosper Aquit. lib. 1. Pæd. c. 22. *Iob ille fortissimus athleta Dei.*

7. DOMINVS OMNIVM BONORVM DEMONSTRATOR ET ACCEPTOR DEVS.] Nescio cur Rhen. Pamel. Iunius, alij ita scribant *acceptor, Deus*, diuidentes sententiam, cùm phrasis Tertullianica sit *Dominus Deus*, vt vidisti ante quatuor lineas. & lib. 1. ad vxor. c. 7. *Domino salutis Deo.* Iterum, *Dei Domini placita.* & nihil impedit interiici verba alia.

7. LATE RETRACTET.] Apertissimo errore in Codicib. Pamelij & aliis *latere retractet.* & explicatio est futilis. Blandiuntur isti fortasse sibi ex præcedenti illo, *Deus in semetipso circumtulit.* Quasi, quam Deus circumtulit, habere nos ad latus debeamus. Sed futile, vt dixi. Verè legendum *latè*, vt ex sequentibus apparet luce clariùs. Imò puto & ab hoc loco, & ab aliis similibus Cyprianum opus suum de Patientia 69.

inscripsisse *De Bono Patientiæ*. Itaque in Tertulliano *bonum* est, non, bonus, a, um.

7. IN EXPEDITO.] Ita locutus Seneca epist. 94. *Quædam sunt parum prompta, quæ incipiunt in expedito esse*, &c.

7. PRÆSCRIPTIONIS COMPENDIO.] *Præscribo*, in iure triplicem habet significationem, & omnes conuenire Tertulliano possunt. Prima. Præscribere est, *præfinire*, vt *præscriptum à testatore tempus*, id est, præfinitum. Ergo, cùm Deus hanc virtutem tanti fecerit, habes compendiosè præscriptum præfinitúmque quid sentire de illa debeas. Altera significatio est, qua quis post rei alienæ vsucapionem contra omnem litis intentationem, sibi hoc vnico verbo consulit; itaque qui *præscripsit*, elidit adimitque omnem actionem contra se, & litem quancumque internecat. Quid ergo hoc verbo compendiosius? Igitur, habes compendium, quo impugnantes Patientiam elidas, si tantùm dicas, *Domini est virtus*: quo verbo omnem actionem adimes, non aliter atque illi, qui præscripsere. Tertia & propria est, nam *præscriptio* in Iure est *exceptio*; & *præscribere* est *excipere*, aut *exceptionem opponere*, & *actorem excludere*, hoc sensu, qui se iudicio defendit, & crimen in aduersarium transfert, cùm illud refellit, dicitur aduersario suo *præscribere*. Ergo habes compendium, quo præscribas tuis aduersariis. Quod hoc compendium? Virtus est Dei, eam Deus magni habet, Deus in semetipso circumtulit.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Impatientiæ natales, incrementa, soboles.

TERTVLLIANVS.

70. 1. VERVMTAMEN procedere disputationem de necessariis fidei non est otiosum, quia nec infructuosum.

EXPLICATIO.

1. QVI compendium adduxerat Christianæ Patientiæ in fine præcedentis capitis, videbatur nihil deinde dicturus, ideo initium hoc, tanquam excuset.

71. 2. Loquacitas in ædificatione, nulla turpis, si quando turpis.

2. Non est turpis affluens oratio, & in modum Rhetorum, nec vitiosa; tamen esto sit aliquando, certè cùm suadet turpia, in ædificatione nunquam. Hic verissimus animus Tertulliani, qui hîc *loquacitatem* sumit pro eloquentia, & affluente oratione, vt apparebit statim.

72. 3. Itaque si de aliquo bono sermo est, res postulat contrarium quòque boni recensere. Quid enim sectandum sit, magis illuminabis, si quod vitandum sit, proinde digresseris.

3. Explicat iam, quæ sit illa *loquacitas*, & exuberans sermo, nimirum loqui de vitio contrario. Videtur enim satis per se laudata quæpiam virtus, tantùm indicata eius pulchritudine, quod hactenus fecit, etiam si nulla sit mentio de vitio contrario. Atqui (inquit) res procedat in morem Rhetorum, & largo sermone, non presso, vt Patientia à contrario vitio illuminetur, illustretur. Est *proinde*, idem quod *perinde*.

73. 4. Considerabimus igitur de impatientia, an sicut Patientia in Deo, ita aduersaria eius in aduersario nostro nata atque comperta sit: vt ex isto appareat, quàm principaliter fidei aduersetur. Nam quod ab æmulo Dei conceptum est, vtique non est amicum Dei rebus. Eadem discordia est rerum, quæ & auctorum.

4. Vult igitur differere de primo ortu & natali impatientiæ. Notetur vox *comperta* propriissimè hic posita, vbi sermo est de partu, natiuitate, conceptione. q. d. nata, & comparta. Ait *fidei aduersetur* memor sui, quippe in libri huius 1. cap. dixerat, valetudinem fidei in Patientia positam.

74. 5. Porrò cùm Deus optimus, Diabolus è contrario pessimus, ipsa sui diuersitate testantur neutrum alteri facere, vt nobis non magis à malo aliquid boni, quàm à bono aliquid mali editum videri possit.

5. Persistit in eodem, ideo *editum* consequenter ad superiora, *natum*, *compertum*, *conceptum*. Illud, *neutrum alteri facere*, est, neutrum cum altero consentire, &, neutrum alteri fauere. Imò est, qui ex m. s. rescribat *fauere*. Sed non est necessarium.

75. 6. Igitur natales impatientiæ in ipso Diabolo deprehendo, iam tum cùm Dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suę, id est, homini, subiecisse impatienter tulit.

6. Vt de Patientia dixerat, totam esse Dei, ita de Impatientia ait, filiam esse Diaboli. Probat, quia primus *Impatientiæ* actus, qui potest constare, is est, quo dæmon impatienter tulit omnia à Deo subiecta *homini*: quo probat primum peccatum Angelorum inuidiam fuisse, & hoc præfert Salianus tom. 1. Annal. Ecclesiasticorum c. 9. non illud, quod ab aliquibus iactatur, dæmonem vnionem hypostaticam inuidisse.

76. 7. Nec enim doluisset, si sustinuisset: nec inuidisset homini, si non doluisset; adeo decepit eum, quia inuiderat: inuiderat autem, quia doluerat: doluerat, quia patienter vtique non tulerat.

7. Probat ideo impatientiam natam in Diabolo, quia doluit præ impatientia, homini vniuersa subiecta. Vt verò intelligas has quatuor propositiunculas, ita coniunge *Nec enim doluisset, si sustinuisset: doluerat, quia patienter vtique non tulerat.* Tu hinc forma hunc syllogismum: Si sustineret, non doleret: sed doluit, ergo non sustinuit, vel patienter non tulit, quod idem. Rursus coniunge alias duas ita. *Nec inuidisset homini, si non doluisset: inuiderat autem, quia doluerat.* Hinc forma & alterum syllogismum, scilicet si non doleret, non inuideret; sed inuidit, ergo doluit. Puer iam credo quispiam intellexerit. Ex his sequitur primum illud, *natam* in illo *impatientiam, quia doluit vniuersa subiecta homini.* Verba porrò illa, quæ interiacent, *Adeo decepit eum, quia inuiderat* tantùm sunt probatio secundi membri. q. d. Inuidentia decepit dæmonem, turbauítque eius animum, rapuítque ad dolorem.

77. 8. Quid primùm fuerit ille Angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quærere: palam cùm sit, Impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam: deinde inter se conspirasse, & indiuiduas in vno patris sinu adoleuisse.

8. Q. d. Omitto quærere, quid primum in Dæmone fuerit, antequam hominem deciperet, malitiáne, an impatientia? & ideo omitto, quia siue vna alterius fuerit comes, siue vna nata ex alia, id certissimum indiuiduatim inseparatimque, & (vt loquitur Hilarius de Ariminensi Concil.) insecabiliter, gemellam hanc prolem in tam mali *patris sinu adoleuisse*, veluti pestem hostilem conspirantem in vniuersum humanum genus.

78. 9. At enim quam primus senserat, per quam delinquere intrauerit, de suo experimento, quid ad peccandum adiutaret, structus, eandem impingendo in crimen homini aduocauit. Gen. 3.

9. Diabolus, cùm ipse peccauit, peccandi exordium ab impatientia sumpsit, at perinde doctus experimento suo quid posset hæc pestis, eandem aduocauit *impingendo homini in crimen*, id est, cùm voluit hominem in crimen adigere, & veluti in scopulum impingere. Illud, *Per quam delinquere intrauerit*, est hellenismus, id est, per quam impatientiam delictum intrauerit. Legunt aliqui *intrauerat*, non displicet. De hac locutione dixi cap. 1. huius libri. Alludit locum Pauli Rom. 5. *Peccatum in hunc mundum intrauit.*

79. 10. Conuenta statim illi mulier, non temere dixerim, per colloquium ipsum eius afflata est spiritu impatientia infecto. Vsque adeo nunquam omnino peccasset si diuino interdicto Patientiam perseuasset.

10. Nihil dixero temerarium, imò certissimum, & indubitatum, mulierem, vt *conuenta* est à Diabolo, *per colloquium ipsum*, fuisse *afflatam spiritu* eius *infecto impatientia*: non secus ac sanè afflari solent, si colloquantur inueniántque hominem peste infectum. Cùm ergo afflata Dæmonis impatientia peccauerit, patet liquidò non peccaturam si continuisset *perseuasset-que Patientiam* veluti septam *diuino interdicto* tanquam macerie. Illud, *vsque adeo nunquam*, legunt, *vsque adeo vt nunquam.* non est necesse. In illis, *Si diuino interdicto*, addunt, *si in diuino interdicto*, neque hoc necessarium. Sed & *perseuasset* mutant in *præseuasset*, ineptè, nam *perseuasset*, est diligenter seuasset.

90. 11. Quid quòd non sustinuit sola conuenta, sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem, impatiens etiam tacendi est? ac traducem illum eius, quod à malo hauserat, facit.

11. Vide an mulier infecta fuerit Diaboli impatientia, nam illico *impatiens tacendi fuit apud Adamum*, adhuc virginem, ac perinde *nondum* cognitum, vt *maritum, nondum aures sibi debentem. & facit* Adamum *traducem eius* damni, *quod à Malo* dæmone *hauserat.* Id est: impatientiam quam Eua hauserat à Dæmone, transfert in Adamum, faciens illum verissimum traducem, vt deinde ab illo pestis propagaretur in vniuersos Mortales. Non secus ac vitis mittit ex se traducem (vocant etiam *rumpum*) vnde postea multæ propagines diducantur.

91. 12. Perit igitur & alius homo per impatientiam alterius, perit mox & ipse per impatientiam suam vtrobique commissam, & circa Dei præmonitionem, & circa Diaboli circumscriptionem, illam seruare, hanc refutare non sustinens.

12. Sententia est, Perit Adam per *impatientiã* Euæ, ac mox ipse Adam perit per *impatientiã* duplicẽ, nam & *præmonitionem* Dei de non edenda arbore scientiæ non seruauit; & *circumscriptionẽm*, id est, fraudem Diaboli non refutauit, & vtrumque ad impatientiam refertur, quia nec illam seruare, neque hanc refutare sustinuit. Ac perinde in vtroque commisit, *Circumscriptionem refutare* verba sunt fori. Qui velit verbum *commissam* referre ad commissuras, poterit, vt dicat Tertullianus, duplicem impatientiam in vnum commisit coniunxitque.

92. 13. Hinc prima iudicij, vnde delicti origo: hinc Deus irasci exorsus, vnde offendere homo inductus. Inde in Deo prima Patientia, vnde indignatio prima. Qui tunc maledictione sola contentus, ab animaduersionis impetu in Diabolo temperauit.

13. *Iudicij*, Dei scilicet contra hominem. *Irasci*, eiiciens hominẽ de paradiso. *In Deo prima Patientia*, quia *contentus maledictione sola*, noluit totas habenas & *impetum animaduersionis* in Diabolum effundere.

93. 14. Aut quod crimen ante istud impatientiæ admissum homini imputatur? Innocens erat & Deo de proximo amicus, & paradisi colonus. At vbi semel succidit impatientiæ, desiuit Deo sapere, desiuit cælestia sustinere posse. Exinde homo terræ datus, & ab oculis Dei eiectus, facilè vsurpari ab impatientia cœpit in omne quod Deum offenderet.

14. *Aut quod crimen*, &c. Superbiam & inobedientiam, quæ inuenta in Adæ crimine, putat Tertull. fuisse impatientiæ veluti filias: *De proximo*, id est, proximè, ita aliàs. *Succidit impatientiæ*, id est, *succubuit. Desiuit Deo sapere*, id est, desiuit esse sapiens in Dei rebus. Notanter dictum hoc. q. d. Vide vires impatientiæ, desiuit ille esse sapiens, cui promissa sapientia à Diabolo, si ederet ex arbore vetita. *Desiuit cælestia sustinere*, præclarè, & quæsita oppositione, nam qui *succidit impatientiæ* quî *sustineat*. & capax cælestium sit? *Terræ datus*, id est, datus colonus exercendæ terræ, cum oppositione ad paradisum, cuius fuerat colonus. *Vsurpari*, vt à possessore; Patientia enim tanquam domina possessum hominem quoquò voluit, traxit. Nam ille dicitur *vsurpare*, ad quem spectat ius possessionis. Possis etiam referre ad tyrannidem, nam tyranni quoque dicuntur *vsurpare*. Ergo, impatientia tanquam impotentissima dominatrix versat hominem quoquò vult sopita ratione, & excitato fomite. Sed in primum inclino, nam Cyprianus veluti interpres Tertulliani, quod hic *vsurpandi* verbo; ille, *possidendi*.

94. 15. Nam statim illa semine Diaboli concepta malitiæ fœcunditatem iram filium procreauit: editum suis artibus erudiit. Quod enim ipsum Adam & Euam morti immerserat, docuit & filium ab homicidio incipere.

15. *Iram filium*, cum oppositione ad ea quæ dicta tertio capite. Sicut enim Patientia mater est misericordiæ, ita impatientia mater crudelitatis, Atrocitatis, Iræ. *Suis artibus*, cogitet quisque quas volet; quicquid enim impatientiam iuuat aut comitatur, iuuabit comitabitúrque iram. *Quod enim*, id est, impatientia, quæ primos homines morti immerserat, docuit & filium Cain fratrem morti immergere per homicidium. Iunium, qui rescribit, *fœcunditate mira*, contemno.

95. 16. Frustra istud impatientiæ adscripserim, si Cain ille primus homicida, & pri-
Genes. 4. mus fratricida oblationes suas à Domino recusatas æquanimiter, nec impatienter tulit: si iratus fratri suo non est, si neminem denique interemit. Cùm ergo nec occidere potuerit, nisi iratus, nec irasci nisi impatiens, demonstrat quod per iram gessit, ad eam referendum, à qua suggesta est. Et hæc quidem impatientiæ tunc infantis quodammodo incunabula.

16. *Frustra istud*, &c. Q. q. Homo nihili sum, frustraneus, nugatorius, si rem ago absque exemplo, atqui mihi in manibus, &c. *Istud*, id est, homicidium. *Demonstrat*, Q. d. Vide an ego frustraneus, qui rem euidenter demonstro, *suggesta*, subministrata. *Et hæc quidem*, &c. Ita lego ex mss. vt sit quasi epiphonema. Lectio quippe Rhenani & Pam. sententiam turbat.

96. 17. Cæterùm quanta mox incrementa, nec mirum. Nam si prima deliquit, consequens est, vt quia prima, iccirco & sola sit matrix in omne delictum, defundens de suo fonte varias criminum venas.

17. Probat, maxima fore necessariò incrementa impatientiæ, hoc argumento. Si prima deliquit, ergo ante alias, ergo sola. ac perinde, cùm crimina sint infinita, sequitur necessariò, vt ab hac prodierint, tanquam à matrice & vtero fœcundissimo filiæ, quia vterus fuit instar fontis defundentis varias criminum venas & riuulos. Est *matrix* propriè fœmina, quæ veluti destinata pariendæ soboli.

97. 18. De homicidio quidem dictum est. Sed ira editum à primordio, etiam quascunque postea causas sibi inuenit, ad impatientiam vt ad originem sui confert. Siue enim quis inimicitiis, siue prædæ gratia id scelus conficit, prius est, vt aut odij, aut auaritiæ fiat impatiens.

18. Præmisit, impatientiam esse matricem & fontem omnium criminum, probat nunc hoc latè. *De homicidio*, &c. id est, de homicidio iam ostendi natum ab impatientia. *Sed ira editum*, &c. Id est. Quemadmodum homicidium primum caussam habuit iram, quæ nata est ab impatientia Cainitita subsecuta deinde homicidia, quamuis alias habeant caussas, vt inimicitiarum, aut prædæ; tamen istæ caussæ natæ sunt ab impatientia. Nam & impatiens odij. & auaritiæ, homicidium fecit; ille propter inimicitias, quas ex odio contraxit; iste propter cupiditatem prædæ, in quam vt auarus exarsit.

98. 19. Quicquid compellit, sine impatientia sui non est, vt perfici possit. Quis adulterium sine libidinis impatientia subiit? Quòd & si pretio in fœminis cogitur venditio illa pudicitiæ, vtique impatientiâ contemnendi lucri ordinatur. Hæc vt principalia penes Dominum delicta.

19. *Quicquid compellit*, &c. Statuit propositionem generalem hanc: Quicquid compellit, excitat sui impatientiam, & pruritus quosdam commouet, vt tandem perficiatur, & compleatur. Probat illam exemplis. Impatiens libidinis adulterium aggreditur, fœmina impatiens lucri contemnendi vendit pudicitiam. Est *impatiens libidinis*, *& contemnendi lucri*, idem quod, impotens ad resistendum libidini, & ad lucrum contemnendum. Absoluit veluti epiphonemate. *Hæc vt principalia penes Dominum delicta.* q. d. Adduxi duo capitalia delicta, quæ ad impatientiam referuntur, concupiscentiam carnis in libidine, qua adulterium inuaditur: concupiscentiam seculi in lucro, propter quod venditur pudicitia.

99. 20. Nam vt compendio dictum sit, omne peccatum impatientiæ adscribendum. Malum, impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis. Vt malus vnusquisque fiat, bonus perseuerare non poterit.

20. Descendit à capitalibus ad alia delicta, & omnia ait adscribenda impatientiæ, vt loquatur compendiosè. Ponit deinde generalem propositionem ad probandum hoc quod dixerat compendiosè. scilicet, *Malum, impatientia est boni*, atque ita, *impudicus, improbus, impius, inquietus*, impatientes sunt, *pudicitiæ, probitatis, pietatis, quietis*: quia *vt malus vnusquisque*, &c. id est, fieri malum, nihil est aliud, quàm non *perseuerare* (en impatientiam) bonum.

100. 21. Talis igitur excetra delictorũ, cur nõ Dominũ offendat improbatorẽ malorum?

21. Est *excetra* hydra illa Herculea, quæ in innumera capita repullulabat. Cum hac comparat impatientiam, vt ea necessariò Deus offendi debeat.

22. An non ipsum quoque Israel per impatientiam semper in Deum deliquisse manifestum est? exinde cùm oblitus brachij cælestis, quo Ægyptiis afflictationibus fuerat extractus, de Aaron sibi Deos duces postulat, cùm in idolum auri sui collationes defundit: tam necessarias enim Moysi cum Domino cõgredientis impatienter exceperat moras. Post mannæ escatilem pluuiam, post petræ aquatilẽ sequelam, desperant de Domino, tridui sitim nõ sustinendo Nam hæc quoq; illis impatiẽtia à Domino exprobratur.

22. Vt ab Adamo, qui in lege naturali, incipiens subtexuit infinita crimina impatientiæ adscribenda, ita nunc à Moyse, qui in scripta exorditur aliam Hydram malorum, quæ referenda ad hoc monstrum. Ponit exemplum tum in idolo, quod factum ex collationibus auri, tum in desperatione populi. Idolum factum, quia non sustinuerunt moras Moysi cum Domino, & quidem necessarias: desperatio, quia non tolerarunt sitim triduanam. Vtrumque crimen graue vel ex beneficiis præteritis: primùm quia obliti brachij potentissimi, quo afflictatis Ægyptiis, educti inde sunt: alterum, quia viderant mannam defluentem de cœlo in escam, & petram scaturientem in aquas. *De Aaron postulat*, phrasis huius Afri, pro, ab Aaron. *Aquatilem sequelam*, ita enuntiat sequentes ad ictum virgæ aquas. Absoluit, *Nam hæc quoque Impatientia*, &c. Verissimè: nam Num. 20. vbi sermo est de hoc ipso beneficio, dicuntur *rebelles*. Et illis exprobratur luculenter, nam ea dicitur *Aqua contradictionis*, & ipsi *increduli*. & Exod. 17. *Ingrati* ad hæc beneficia. & 1. Corinth. 10. dicuntur *murmuratores*.

101. 23. Ac ne singula peruagemur, nunquã non per impatientiã delinquendo perierũt. Quomodo autem Prophetis manus intulerunt, nisi per impatientiam audiendi? Domino autem ipsi, per impatientiam etiam videndi. Quod si Patientiã iniissent, liberarentur.

23. Accumulat impatientiæ cædes omnium Prophetarum; &, quod grauissimum, seruatoris Christi cædem: illis audiendis, & hoc videndo, impatientissimi fuerunt Iudæi. *Iniissent Patientiam*, id est, iissent in Patiẽtiam, atque in eius castra concederent. *Liberarentur*, id est, liberati fuissẽt, ait Iunius, per hypallagẽ huius Afri.

NOTÆ.

102. 2. LOQVACITAS.] Non accepi pro multiloquio, quod Græci vocant πολυλογίαν, vt ex sequentibus satis liquidum, sed pro oratione in modum Rhetorum: etenim sequentia omnia capita continent topicos locos. Talia multa in Auctoribus. Quis ignorat, παῤῥησίαν in malam partẽ sumi? atqui Ioann. Chrysost. Homil. 21. ad Populum, coniungit εὐσέβειαν καὶ ἀρετὴν μετὰ παῤῥησίας. Et quidem si *loquacitas* sumatur rigidè in Tertull. neque in ædificatione est bona, nam & concionatores loquaces pessimi sunt. Ergo tantùm dicit, rem diuinam dilatandam eloquentia, ad eum modum, quo Hilarius lib. aduersus Arrianos, ait: *Non enim infinitus & immensus Deus breuibus humani sermonis eloquiis vel intelligi potest vel ostendi.* Sed apud Greg. Nyss. in præfatione ad l. de Virgin. locus est Tertulliano simillimus, qui me vincit, vt putem in eo *loquacitatem* sumi de eloquentia Oratorum. Verba Nysseni Latina (nam Græcis parco, vt multis) sunt: *Et quoniam consilium per se non multam ad persuadendum vim habet, neque qui ad res aliquas vtiles & salutares adhortatur, facilè quempiã simplici verborũ ratione flectit, nisi illud vnum antè grauiter, & amplè exornauerit, ad quod auditorem ipsum impellere studet: propterea oratio hæc quæ consilio cõcluditur & terminatur, à virginitatis laudibus exorsa est. Quæ autem cuique rei laus attribuitur, & quia rerum inter se pugnantium appositione, quasi contentione quadam, illustrior fit: non sine caussa à nobis molestiarum ac difficultatum, quibus humana vita afficitur, mentio facta est.* Nihil similius Tertulliano, qui paræneticam orationem consiliis plenam de Patientia instituit, & rem exornat eloquenter, & incipit à contrario. Hæc enim summa est verborum Nysseni. Quid quòd Ioannes Cassianus collat. 10. c. 7. in bonam partẽ accepit hanc vocem. Verba eius: *Quapropter quæ in cella positi meditatione diutina voluere cœperamus, quia necesse est loquaci forsitan prosecutione proferre, quæsumus vt ea explicari à nobis patienter admittas.* Vbi *loquax prosecutio* est extensa, & explicata. Demum Varro in Menippæa quadam *loquacitate* pro eloquentia clarè ponit. inquit enim: *Nec loquaces autem conuiuas, nec mutos legere oportet; quia eloquentia*

quentia in foro & apud subsellia, silentium verò non in A *conuiuio sed in cubiculo esse debet.* vbi clarè *loquaces* statim per eloquentes reddit.

103. 3. CONTRARIVM QVOQVE BONI, &c.] Huic excursui hærens Cyprianus: *Atque vt magis, fratres dilectissimi, Patientiæ bonum luceat, quid mali è contrario impatientia importet, consideremus.* Ita & Ioann. Chrysost. Homil. 5. ad Pop. ἐναντία τοῖς ἐναντίοις. Hieronym. de Regulis Monach. *Quantum boni virtus habeat, vitia demonstrant: clariúsque fit lumen comparatione tenebrarum.*

3. ILLVMINABIS.] Verè spectat ad illuminationes Rhetorum. Itaque non audio illos, qui de Baptismo nescio quid fingunt. Scio Baptismum *illuminationem* dici, teste etiam Paulo. Sed hîc augurari aliquid de Baptismo, insulsum est.

4. SICVT PATIENTIA IN DEO, &c.] Cyprian. *Nam vt Patientia bonum Christi est, sic contrà impatientia, diaboli malum.*

4. EADEM DISCORDIA, &c.] Hoc sensu B dixit Petr. Chrysol. serm. 12. Deo adscribenda bona omnia, diabolo mala omnia, quia contrarij sunt Deus & diabolus.

6. IGITVR NATALES IMPATIENTIÆ.] Cyprian. *Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit; inde & periit primus, & perdidit.* Aduocat Salianus Societatis nostræ tomo 3. Ann. in Apparatu cap 9. illud Leonis Papæ serm. 10. Quadragesi. *Fremit itaque innocentiæ aduersarius, & pacis inimicus, & quia ipse in veritate non stetit, totámque naturæ suæ gloriam dum superbit, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, & in ea bona, quæ ipse perdidit introduci.*

104. 6. IMPATIENTER TVLIT.] Hoc quid est aliud quàm illud Senecæ in Hercule Furente,

Non sic abibunt odia, viuaces aget
Violentus iras animus, & sæuus dolor
Æterna bella pace sublata geret.

7. DOLVERAT.] Pulcrè vocat inuidiam filiam doloris. Constantinus Manasses in Annalibus de inuidia ait, ὁ φθόνος πικρὸς καὶ καρδιοφάγος: *Inuidia amarulenta & cor exedens.*

7. INVIDERAT.] Ioann. Chrysost. Hom. 20. ad Pop. dat dæmoni βάσκανον, vt propriam eius pestem. Et Hilar. can. 10. in Matth. *Per inuidiam dæmonis.* Et can. 3. in eundem, de diabolo, *Qui Dei beneficia homini inuidisset.* Petr. etiam Chrys. serm. 4. totam hominis ruinam refert ad vnam diaboli inuidiam. Verba eius aurea: *Inuidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, seculorum venenum, caussa funeris. Hæc in principio ipsum Angelum eiecit, & deiecit de cœlo: hæc de paradiso hominem principem nostræ generationis exclusit.* Basilius Hom. de Inuidia: *Vnde illi diabolo sit contra nos bellum? Quoniam cùm omnis ipse mali prõptuarium exsisteret, inuidiæ quoque morbum in se recepit, & inuidet nobis illatum honorem, nec facilè tulit vitam in paradiso beatam ducere.* Balsamon quoque in Medit. vniuersalem deiecti hominis caussam facit, τὸν φθόνον τῆς δράκοντος, *Inuidiam draconis.* In Pœnitentiali etiam Romano tit. 9. c. 17. scribitur: *Diabolus primo homini inuidit datum, quod ipse per suam culpam perdiderat.* Theodoritus lib. 1. Hist. c. 2. παμπόνηρος καὶ βάσκανος δαίμων. Cùm postea addit, *Quia patienter non tulerat*; illustrabis illum ex Menandro:

Ὁ δ' τὸ κάκιστον τῶν κακῶν πάντων φθόνος,
Φθονικὸν πεποίηκε, καὶ ποιήσει, καὶ ποιεῖ,
Ψυχῆς πονηρᾶς δυστυχεῖς παρασκευάσεις:
Malorum autem pessimum inuidia
Tabificum reddidit, & reddit, & reddit,
Ob impios animi sceleratí conceptus.

105. 9. DERELINQVERE INTRAVIT.] Ita suprà cap. 1. *Erubescere istud.* quem locum vide. Hinc- A marus Archiepis. Remens. in epist. ad Nicolaum PP. *Postquam me nosse potui, pro meo scire & posse fidelis exstiti.* Plaut. Curcul. *tuum amare*, id est, tuas amationes.

10. AFFLATA EST.] Afflare alicui vitium, est, quod flexu alio dixit Sen. epist. 7. *Imprimere & allinere.*

11. APVD ADAM NONDVM MARITVM.] Quia scilicet παρθένος Εὔα ἐν παραδείσῳ, ait Greg. Thaumat. orat. 1. in Annunt. *Eua in paradiso virgo fuit.*

11. TRADVCEM.] Hilarius in Arimmensi Concilio: *Fidem, spem, charitatem capessendæ æternitatis traduces.* Sed de hac voce alibi.

12. PER IMPATIENTIAM ALTERIVS.] Id est, per impatientiam alterius hominis Euæ. Homo quippe etiam absolutè de fœmina dicitur. Clemens Alex. lib. 1. Pædag. c. 4. κοινὸν οὖν καὶ πανοικία ἀνδρός καὶ γυναικὸς ὁ ἄνθρωπος: *Homo commune est nomen & viris & fœminis.* Ergo sicut Græci dicunt non solùm τὸν Θεὸν de Deo, sed etiam πρὸς θεὸν de Dea, ita & Latini possunt, vt cum Plaut. Mostell. *Hominis misera misereri.* Quin & Demosth. in Neær. πρὸς ἄνθρωπον dixit. Theodoritus etiam lib. 1. Hist. cap. 18. πρὸς ἄνθρωπον. scio sæpe *hominem* κατ' ἐξοχὴν poni pro viro, vt cùm in Genes. dicitur, *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Ita Arnobius distinctim, *Beneficia patris munerandis & fœminis hominibúsque portabant.* Et Plaut. Cistell. *Mi homo, & mea mulier.* Sed hoc non obstat doctrinæ, quam præmisi. Cui addo etiam Ambrosium lib. 1. c. 28. Offic. scribentem: *Ad adiumentum ergo viri data est mulier, vt homo homini adiumento foret.*

12. DIABOLI CIRCVMSCRIPTIONEM.] 106. Ita alibi Tertull. *Circumscriptorem colubrum.* Elegantissimè Nyssenus in laude Basilij vocat diabolum ἀντικρατοῦντα τῆς ἀνθρωπίνης ἀπάτης: *Principem dominatorémque humanæ fraudis.* dátque illi, vt propria eius σοφίσματα: qua voce possis intelligere imposturas omnes, C commenta, circumscriptiones: Iterum γοήτων μαγγανείας: quibus vocibus quas non ad fallendum præstigiatúras capis?

12. ILLAM SERVARE.] Huc quoque confert Cyprianus totum Adæ malum: *Adam contra cœleste præceptum cibi letalis impatiens, in mortem cecidit; nec acceptam diuinitus gratiam Patientia custode seruauit.*

13. MALEDICTIONE SOLA CONTENTVS, &c.] Ioann. Chrysost. Homil. 12. ad Pop. loquens de hoc ipso parentum crimine, expendit Dei Patientiam, qui non statim hominem redarguit, sed aliis vsus est verbis, tantùm indicans facinus malè patratum.

14. SVCCIDIT.] Mutant aliqui rescribúntque *succubuit* nulla necessitate: nam verbum *succido* pro succumbo frequens est in Tertull. Loca aduocat Pamelius. Addo ego, Tertullianum ad Græcos aspirasse, qui pari verbo pro *succumbo* vtuntur. Nam Ioann. D Chrysost Hom. 16. ad Pop. ταῦτα οὖν εἰδότες καὶ προσκαταπίπτωμεν τοῖς δεινοῖς: *Hæc igitur cùm sciamus, ne succidamus aduersis.*

15. IRAM FILIVM.] Amat Tertullianus tragicè loqui, & ex verbis facit personas, vt ita sermo sit cothurnatior. Potuisset loqui vt Seneca epist. 101. *Ex indigentia timor nascitur.* Sic potuisset dicere, ira nascitur ex impatientia. Euripides, citante Plutarcho, de solertia Animalium, sortem vocat fortunæ filiam, ὃ τῆς τύχης παῖς κλῆρος ὅπῃ τότ' ὤρσεν. Sophocles in Oedipo tyranno, oraculum aureæ spei filium, ὦ χρυσέας τέκνον ἐλπίδος ἄμβροτε φάτις. Hi duo tragici pleni. Sed Pindarus quoties? vinum appellat filium vitis, παῖδα ἀμπέλου. Et Olymp. 8. nuntium filium Mercurij, ἀγγελίαν θυγατέρα Ἑρμᾶ. Pythior. 5. Excusationem filiam Epimethei, φάσιν θυγατέρα Ἐπιμηθέος. Cesso ab re vberi, cùm præsertim alio loco tetigerim.

16. SI CAIN,&c.] Cyprian. *Et vt fratrem Caïn perimeret, sacrificij eius & muneris impatiens fuit.*

16. IRATVS.] Arist.lib.3. Ethic.c.11. ἰπτικώτατον γὰρ ὁ θυμὸς πρὸς τοὺς κινδύνους, ὅθεν ἡ Ὁμηρος, ὠμὸς ἡ θυμὸν ἔηκε: *Ira enim maximè ad pericula subeunda præcipitatrix est: vnde etiam Homerus, animos irámque ciebat.* Virg.5.Æn. *Et vim suscitat ira.* Ouid.3. Met. *Facit ira valentem.* Inde iram opponit Patientiæ. Prudent. in Psychomachia:

Ecce modesta graui stabat Patientia vultu,
Per medias immota acies, variósque tumultus,
Vulneráque & rigidis vitalia pernia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.
Hanc procul ira tumens, spumanti feruida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
Vt belli exsortem telóque, & voce lacessit.
Impatiénsque moræ conto petit: increpat ore,
Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.
En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,
Excipe mortiferum securo pectore ferrum:
Nec doleas, quia turpe tibi genuisse dolorem.

108. 17. MATRIX IN OMNE DELICTVM, &c.] Cùm dicat impatientiam esse matricem & parentem omnium delictorum. & inf. *Omne peccatum impatientiæ adscribendum,* rectè quadrant in hunc locum verba Prosperi lib. de Promiss. & Prædict. Dei, vbi cùm præmiserit de Caïno primo parricida admissse facinus præ impatientia, subiicit: *Sed his ausibus facinus suum Caïn in multis etiam vinculis connodauit effectus contemptor diuini mandati, superbiæ caput, auctor inuidiæ, princeps illatæ mortis, & primus in hominibus parricida. Hic initia bellandi instituit, vt reus innoxium sanguinem diffundat, liuoris plenus gloriam impetat alienam,*&c. Vide quot mala pullularunt ab vna Caïni impatientia. Meritò ergo *matrix, fons, tradux,* & millena huiusmodi. Sic contrà Ambrosius de obitu fratris Satyri vocat *clementiam*, quæ virtus opposita iræ, atque impatientiæ, vocat scilicet clementiam *virtutum parentem.* Et Gregorius Magnus Homilia 35. in Euangelio, *Verè radix custósque virtutum est Patientia,*&c. Itaque impatientia & Patiētia fontes sunt, illa vitiorum, ista virtutum. Quid porrò sit matrix in fœmina, sciunt omnes. inde vox ad alia traducitur. Nā Tertullianus hìc ad fontem, vnde aquæ exuberant. Suet.August.c.94. de arbore, vt etiam Virg.

109. 17. DEFVNDENS DE SVO FONTE VARIAS CRIMINVM VENAS.] Eadem Cyprianus, sed de Patientia contraria virtute: *Latè patet Patientiæ virtus, & vbertas eius, & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera defunditur.*

19. VENDITIO ILLA PVDICITIÆ.] Adeo malum hoc antiquum. Cyrillus Alex. in Oseam num.3. ὅτι μὴ τέκνων ἐφίετο γονεῖς, ἀλλὰ τοῖς τῶν πορνευόντων ἡδυπαθείαις πωλοῦσα τὴν ὥραν: *Neque enim prolis tollendæ caussa id faciebat, sed accedentium ad se libidinibus formam vendens.* Petron. Satyr. *Vendis amplexus, non commodas.* Hoc queritur Tibull. eleg.4. lib.1.

At tu qui Venerem docuisti vendere primus.

Idem loco alio dixit *blanditias vendere.* Idem, *mercaris amores,* & *mercatur amicam.* Plautus Mostell.primo statim versu, *emptos amores.* Et Scen. 2. *Amicas emite.* Homerus Odyss.14. ὠνητὴ παλλακίς: *Venalis concubina.* Themistius orat.1. ἐμπρὸν πόρνας: *Emisti scorta.* Theodoritus lib.1. Hist.c.21. γυναῖον ἐμπορικὸν τὴν ὥραν ἀπεμπολοῦσαν: *Muliebre scortum venditans pulchritudinem.* Huc refero ridiculum illud omen veteribus obseruatum, quod Ioann. Chrysost. Homil.21. ad Pop. grauissimè reprehendit; putabant enim occursum virginis esse infelicem, quasi nihil illo die lucraturi essent; contrà, occursum meretricis esse felicem, quasi ea dies futura esset, ait Chrys. πολλῆς ἐμπορείας γέμουσα: *Plena ac dives multa mercatione.* Vnde hoc omen, nisi quia meretrices expositæ mercaturę, cui non virgines? cum respectu proculdubio ad emptionē dixit Quint. procem. lib.11. *Vilis pudor.* Notas fœminæ vendentis pudicitiam suam licet audias à Petronio, hoc verborū complexu: *Quò enim spectant flexæ pectine comæ? quò facies medicamine attrita, & oculorum quoque mobilis petulantia? quò incessus tutè compositus; & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quòd formam prostituis, vt vendas?*

19. LVCRI.] Turpis vtilitas lucri, vt eo vendatur pudicitia. Ouidius in Epist. Oenon.ad Parid. 110.

Turpiter ingenuum munera corpus emunt.

19. PRINCIPALIA DELICTA.] Bene explicui de concupiscentia carnis, & seculi: carnis in libidine, seculi in lucro. Si quis pugnet, legat cap.5.lib.1. ad Vxorem, vbi simillimus locus; & ita ait: *Cùm dicit, nubebant & emebant, insigniora ipsa carnis & seculi vitia definit, quæ à diuinis disciplinis plurimùm auocent, alterum per lasciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi voluntatem.*

20. COMPENDIO.] q.d. πάντα σωζῶν. Hac enim forma ad rem hanc Concil.Chalced.Act.3. Græci dicunt loqui κατὰ σύντομον. & συντέμνειν λόγον, est, vti sermone compendiario, cui opponunt μακρύνειν λόγον, quasi *producere* & extrahere *sermonem.*

21. EXCETRA.] Liuius lib.38. *Illius excetræ delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec Deorum iracundiam habere.*

22. MORAS.] Hoc etiam ab Nostro Cyprianus: *Iudaïcus populus circa beneficia diuina perfidus & ingratus, nonne quòd à Deo primùm recessit, impatientiæ crimen fuit? Deum Moysi cum Deo çonloquentis mores non potest ferre, profanos Deos ausus est postulare,*&c. 111.

22. ESCATILEM PLVVIAM.] Saluian.lib.1. de Gubern. *Rorantes escis cœlestibus polos, salientes rupibus aquas.* Vide Ambros. de Fidei Resurrect.vbi etiam de hac re verbis Tragicis, videlicet per vomitum aquarum, per vndantia fluenta è duris saxis. Arator, lib.2.Hist.Apostol.

---& inundant nubila panes.

Iterum satis poëticè,

---nimbique coloni
Dant epulas, pluuiámque vorant, & manditur imber.

Et post multa,

---diuite nimbo
Fluxerunt de rore cibi.

22. SEQVELAM.] Prudent. dixit in Præfat. ad περὶ στεφ. *Ob sequelam.*

23. PROPHETIS MANVS INTVLERVNT PER IMPATIENTIAM.] Pergit discipulus: *Nec vnquam ab eadem impatientia destitit* (Iudaïcus populus) *quominus semper docilitatis & diuinæ admonitionis impatiens prophetas suos & iustos quosque perimendo, ad crucem quoque & sanguinem Domini prosiliret.*

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Patientia Fidem ſubſequitur, & antecedit; Probat primum ex fide Abrahæ, alterum ex Euangelica.

TERTVLLIANVS.

112. 1. IPSA adeo eſt, quæ Fidem & ſubſequitur & antecedit.

EXPLICATIO.

1. ADEO. Hac particula ſolet incipere diuerſam rem. *Subſequitur & antecedit.* Pergit quippe in affluente oratione, quam ſuperiore cap. nominauit *loquacitatem.* Ibi à contrario Patientiæ dignitatem indicauit, hîc iam ab *Antecedentibus* & *Subſequentibus*; cui argumento inter Topica eſt locus.

113. 2. Denique Abraham Deo credidit, & iuſtitiæ deputatus ab illo eſt, ſed Fidem eius probauit, cùm filium immolare iuſſus eſt, ad Fidei non tentationem dixerim, ſed typicam conteſtationem.

2. *Denique*, pro *itaque*, vſu Tertullianico. de quo iam aliàs. *Deputatus*, ita legendum, non *deputatum*, nam ipſe poſtea, *Deus quem iuſtitiæ deputaſſet, ſciebat.* Itaque illud *deputatum eſt ei ad iuſtitiam* reddit paraphraſticè, *Iuſtitiæ deputatus ab illo eſt*, pro, deputatus eſt & habitus iuſtus. *Ad Fidei non tentationem*, &c. Explicat illud Geneſ. 22. *Tentauit Deus Abraham.* q. d. Non tam dici poteſt *tentatio*, quia *Deus neminem tentat*, quàm *conteſtatio Typica.* Quia, quæ ibi geſta, typicè conteſtantur cum his, quæ geſta in paſſione veriſſimi Iſaac Chriſti.

114. 3. Cæterùm Deus quem iuſtitiæ deputaſſet, ſciebat. Tam graue præceptum, quod nec Domino perfici placebat, patienter & audiuit: &, ſi Deus voluiſſet, impleſſet. Meritò ergo benedictus, quia & fidelis, quia & patiens.

3. *Iuſtitiæ deputaſſet*, id eſt, iuſtum putaſſet. *Perfici*, Quippe inchoatum ſacrum; nam puer ligatus ſuper ſtruem lignorum, & gladius in altum ductus ac libratus; ſed non perfectum, quia ictus ſuſpenſus. *Meritò fidelis, quia & patiens.* Hîc Patientia Fidem ſubſecuta eſt.

115. 4. Ita fides Patientia illuminata, quum in nationes ſeminaretur, per ſemen Abrahæ, quod eſt Chriſtus, & gratiam legi ſuperduceret, ampliandæ adimplendæque legi adiutricem ſuam Patientiam præfecit, quòd ea ſola ad iuſtitiæ doctrinam retro defuiſſet.

4. *Ita*: id eſt: Quemadmodum Fidem Abrahæ ſubſecuta eſt Patientia, *ita fides* nouæ legis Chriſtianæ *illuminata eſt* virtute Patientiæ. Quanta verò virtus, quæ legem Chriſti illuſtrat, lucémque addit? *Et gratiam legi ſuperduceret*, nam lex Moyſi carebat gratia. *Ampliandæ adimplendæque legi*: eſt quippe lex Moyſi amplificata & numeris omnibus adimpleta ingenti Patientiæ additamento. *Adiutricem ſuam Patientiam præfecit.* Ecce vt iam Patientia præcedat Fidem. Magna duo elogia, & eſſe *adiutricem Fidei*, & illi *præfici*; non aliter ac Dux bonus, qui & princeps eſt militum, & rem quoque gladio gerit, vt adiutor. Sed quomodo Fidei Euangelicæ Patientia, vt Dux, *præficitur*? Quia multa fidei eximia & grandia patrari, niſi præuia Patientia, nequeunt. *Retro*, in lege Moyſi. *Defuiſſet*: ſtatim explicat.

116. 5. Nam olim & oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fœnerabant: nondum enim Patientia in terris, quia nec fides ſcilicet. Interim impatientia occaſionibus legis fruebatur.

5. *Olim*, quod nuper dixit, retro. *Oculum pro oculo*, &c. vt habetur Exodi 21. & Leuitic. 24. *Fœnerabant*, quaſi mutuis malis. Das mihi malum, tantumdem capies. *Quia nec Fides*, vera & Euangelica. *Fruebatur*, ad eum modum, quo nunc vir occidens mœchum impunè, fruitur occaſione impunitatis iudicum ad ſaturandam iram.

117. 6. Facile erat abſente Domino Patientiæ & magiſtro. Qui poſtquam ſuperuenit, & gratiam Fidei Patientia compoſuit, iam nec verbo quidem laceſſere, nec fatue quidem dicere ſine iudicij periculo licet.

6. *Facile erat*, &c. q.d. Facile erat impatientiam dominari abſente Deo, qui magiſterio ſuo docturus: ſic ſerui dominantur abſente illo à quo debeant & imperari, & diſcere. *Compoſuit*, πυνθεσιασεν, quaſi aptauerit, & iugum in vnum coniunxerit Fidem cum Patientia. Ad quem modum & Quintil. Declam. 11. *Præparata mentem compoſuiſſe Patientia.* Id eſt, mentem coniunxiſſe cum Patientia. *Fatue*, eſt vocatiuus, nam in Matth. ωρέ. *Sine iudicij periculo*; nam in Matth. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.*

118. 7. Prohibita ira, restricti animi; compressa petulantia manus, exemptum linguæ
Matth. 5. venenum; plus lex, quàm amisit, inuenit, dicente Christo: Diligite inimicos vestros, & maledicentibus benedicite, & orate pro persecutoribus vestris, vt filij sitis patris vestri cœlestis. Vides, quem nobis patrem Patientia acquirat?

7. *Prohibita ira*, dilatat rem ab effectis impatientiæ, *ira, animis, petulantia*; quæ lex noua prohibuit, restrinxit, compressit. *Restricti*, legit Latinius *restincti*, non probo. Nam vicina *prohibeo* & *comprimo* affinia magis sunt τῷ *restringo*, quàm τῷ *restingo*. Pergit. *Exemptum linguæ venenum*, pungit quippe lingua instar viperæ. *Plus lex*, &c. Amisit enim vltionem iniuriarum, inuenit Patientiam quæ illas toleraret. *Vt filij sitis patris vestri cœlestis*, ac perinde fratres Christi, qui orauit pro persecutoribus. *Acquirat*, verbum lucri: & quid lucrosius tanto Patre?

119. 8. Hoc principali præcepto vniuersa Patientiæ disciplina succincta est, quando ne linguæ quidem malefacere concessum est.

8. *Hoc*, &c. Epiphonema. *Succincta est*, quasi *in expedito* & *compendio*, vt dixit in calce capitis quarti. *Ne linguæ quidem*, &c. Verba quidem volant, sed lex Christi nec volatile patitur nocumentum in tuum fratrem.

NOTÆ.

120. 2. ET IVSTITIÆ DEPVTATVS AB ILLO EST.] Falsissimè legunt qui *deputatum*. Pamelium sequere, qui legit *deputatus*, & Iustinianum Nostrum cap. 4. in epist. ad Romanos, aitque illum Græcam translationem interpretari. & firmat paribus locis. in lib. de Baptismo cap. 13. ait Tertull. *Abraham Deo credidit, & deputatum est iustitiæ.* scilicet Abrahæ. Hic autem bene *deputatum est*. Sic *& iustitiæ deputatus est ab illo*, id est, habitus est iustus Abraham à Deo. Et Irenæus contra Valent. cap. 13. *Deputatum est illi ad iustitiam à Domino.* Et Cyprianus epist. 63. *Nam si Abraham Deo credidit, & deputatum est ei ad iustitiam, vtique quisquis Deo credit, & fide viuit, iustus inuenitur, & iampridem in Abraham fideli benedictus, & iustificatus ostenditur.*

4. AMPLIANDÆ ADIMPLENDÆQVE LEGI.] Dixi iam ad cap. 1. & 7. lib. de Orat. & ad cap. 6. de Pœnit.

4. PRÆFECIT.] Cyprianus aliter concepit dignitatem Patientiæ: *Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit.* Vides cur *præfecta*, quia prælata vt fundamentum.

121. 5. NAM OLIM OCVLVM PRO OCVLO, &c.] Valerian. Episc. ita disserit Homil. 13. *Non dubito esse aliquos, dilectissimi, qui sub hac sententia perfectâ putent stare iustitiam, quæ dicit, oculum pro oculo, dentem pro dente. Dominabatur quidem ista dudum apud seculi homines: sed ideo, quia necdum auctor venerat bonitatis. Qualem autem putatis fuisse iustitiam, quæ solam mortis operabatur iniuriam? Et nullus profectò adhuc finis esset pœnæ, nisi Christus noster cruentis legibus oleum misericordiæ miscuisset: hoc est, verè sine dolo implesset iustitiam, bonitatis exhibuisset doctrinam. His ergo, dilectissimi, eruditionibus instituti, antiquæ legis amaritudinem dilectionis studio temperemus: ne videatur ille perfectæ modum excessisse iustitiæ, qui inlatæ vicem reportat iniuriæ.*

5. FOENERABANT.] Hoc verbum frequentissimum Patribus. vt cum Cyprian. de orat. *Quando quis miseretur pauperis, Deum fœnerat.* Eadem sententia apud Anonymum inter opera Hieronymi: *Christo in pauperibus fœnerari.* Nec me tempero, quin in fœneratores & vsurarios ascribam vnum verbum, licèt res non postulet. Gregorius Nyssenus, oratione contra vsurarios: *Nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed vno in loco considens immanes domi suæ feras nutrit. Vult omnia sibi sine satu & inarata progigni, cui quidem aratrum est calamus; ager, charta; semen, atramentum; pluuia, tempus, quod illi pecunia A fruitus occultis incrementis adauget & educat; falx, illi est repetitio; area, domus in qua miserorum fortunas ventilat, & quæ omnium sunt, propria sui ipsius vidit.*

5. FRVEBATVR.] Ad similem planè modum 122.
Hieronym. de muliere septies icta, *dum conscientiæ bono fruitur.* Et Anonymus inter opera Hieronymi, *Innocens inter tormenta fruitur conscientiæ securitate.* Plin. lib. 18. c. 5. *Aliena insania frui.* Arator lib. 2. Hist. Apost. ---*fruiturque errore magistro.*
Et Nazianz. orat. 3. ἀπολαύτωσαν τῆς ἑαυτῶν εὐηθείας: *Fruantur sua ipsorum stultitia.*

6. MAGISTRO.] Ignatius Mart. epist. ad Smyrnens. ait fideles eruditos à Patre per filium, πατέρα διὰ υἱοῦ ἡμᾶς σοφίσαντα. Greg. Nyssenus in opere de perfecta Christiani forma, loquens de Christo, ὁ τῷ σώματι δι' ἡμᾶς γεμισθεὶς τὸ μαχόμενον: *Vitæ tuæ per seipsum leges Patientiæ dedit.* B

6. QVI POSTQVAM SVPERVENIT.] Credo ad rem eandem spectatum ab Hieronym. in epist. ad Marcellam, vbi: *Qui irascitur non se esse iudicat Christianum.* Cur? Quia Christus & lex noua ademit iam iram, quæ olim non ita vetita. Et Cyprian. dixit: *Ipsa actum dirigit, vt tenere possimus viam Christi, dum per eius tolerantiam gradimur.*

6. FATVE.] Audi hîc verba Hilarij can. 4. in 123.
Matth. *Piaculi magni periculum, quem salem Deus nũcupauerit, eum contumelia infatui in se lacessere: & stultorum intelligentiam salientem, stulta intelligentiæ exasperare maledicto.*

7. PROHIBITA IRA, &c.] Effecta ista vberiùs Cyprianus: *Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguã frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit.* Pergit multis. C

7. LINGVÆ VENENVM.] Trebellius in Zenobia: *Sibi habent propriarum venena linguarum hi quibus nihil placet.* Verba sunt Aureliani principis. Nicetas Choniates in vita Manuelis lib. 3. c. 2. ὡς ἄρα οὐδὲν τὸ διαβόλου γλώττης χεῖρον εἰπεῖν τοῖς ἀνθρώποις ἔτι κακόν. εἰκότως οὖν ἡ Δαβὶδ ὁ φιλῳδὸς καὶ φιλόψαλμος, ἐν πλείοσι τῶν αὐτῶν ἐκτοπλόκων καὶ ἀνυφειδῶν εἰδυλλίων διασύρει τοὺς τοιούτους, καὶ κωμῳδεῖ συλλογαφῶν ἀτεχνῶς τοὺς ἀνθρώπους ἐρήμους τούτους ἰσχνοὺς καὶ ῥιπιδώδεις τῶν ἑλίκων αὐτῆς ἐπευχόμενος: *Ita nihil habet natura humana calumniatrice lingua deterius: quam Psalmographus haud immeritò multis in locis detestatur, ab eáque se liberari optat.* Fortasse Basilius, qui in Psalm. hominem comparat cum venenata fera, & Græci Patres, qui hominem sæpe θηρίον, aspectant ad vnam linguam, vt à qua totus

homo dici debeat veneno imbutus. Nec alia mens Hilarij can. 10. in Matth. vbi Iudæis dat *linguas viperarum*, certè venenum. Ennod. lib. 1. epist. 1. *Lingua sauit vt bestia*, id est, vt vipera. Nam cùm serpentes venenati sint, sed præcipua vis in lingua. Plin lib. 18. c. 1. *Atra cœu serpentium lingua.* Huc spectat Hieronym. qui *excetram* vocat hominem non vtcunque malum, sed detrectantem virulenter lingua. Ennod. lib. 1. epist. 5. *Venenatæ oblocutiones.* Et epist 26. *Obloquentium toxica.*

124. 7. PLVS LEX QVAM AMISIT, INVENIT.] Probat hoc Hilarius can. 19. in Matth. in materia alia, nam si in lege noua iubentur bona nostra vendi & dari pauperibus, certè admoniti sumus, legem illam, *felici commercio mutare*, quia scilicet *iactura terrenæ substantiæ, cœlorum opes emendæ sunt.* Vide an plus inuenerit, quàm amiserit. Ambros. serm. 23. ait, abolita lege veteri, amissam amaritudinem & sæuitiam, qua poscebatur oculus pro oculo: introducta noua, inuentam suauitatem & clementiam. De hac eadem re subiiciam Lectori sententiam Socratis apud Themist. Euphradam orat. 9. omitto Græca, quia multa, & do tantùm sententiam: *Illud verò Socratis præclarum, qui vulgarem illam sententiam, Amicis benefaciendum esse, inimicis malefaciendum, corrigebat, seruando primum, mutando alterum. Laudabat enim beneficentiam in amicos, emendabat maleficentiam in inimicos, dicens his quoque benefaciendum. Ad eum verò qui ita comminabatur, te arripiens occidero, sic contra comminabatur, te arripiens, amicum fecero.*

7. FILII PATRIS VESTRI.] Cyprianus: *Ipsa efficit vt perseueremus filij Dei, dum Patientiam patris imitamur.*

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Patientia seculum contemnitur.

TERTVLLIANVS.

125. 1. IAM verò percurrentibus nobis causas impatientiæ, cætera quoque præcepta suis locis respondebunt.

EXPLICATIO.

1. QVIA scilicet sunt præcepta Domini, quæ amputant omnes causas impatientiæ, quascunque percurreris & cogitaueris. Remedia sunt in sacris litteris ad omnes impatientias.

126. 2. Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de contemnendo seculo scripturis Dominicis commonetur: nec maior ad pecuniæ contemptum exhortatio subiacet, quàm quòd ipse Dominus in nullis diuitiis inuenitur.

2. *Concitatur* in impatientiam. *De contemnendo seculo*, amputat ergo Patientia concupiscentiam seculi, omnémque opulentiam. *Nec maior ad pecuniæ*, &c. En prima ratio cur debeant pecuniæ contemni. *Subiacet*: vox signatissima, & ex media Dialecticorum schola in re Topica. *In nullis diuitijs*: quia filius hominis non habuit vbi caput reclinaret. Porrò hoc caput continet effectum maximum Patientiæ.

127. 3. Semper pauperes iustificat, diuites prædamnat Ita detrimentum Patientiæ fastidium opulentiæ præministrauit, demonstrans per abiectionem diuitiarum, læsuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minimè opus est, quia nec Dominus appetiuit, detruncatum vel etiam ademptum non ægrè sustinere debemus.

3. *Semper pauperes*, &c. Sententia est eo ipso quòd pauperes dicuntur à Deo ipso iusti & beati, fieri, vt diuites prædamnentur: felix enim iudicium erga pauperes, est infelix præiudicium contra diuites. Sequitur, *ita detrimentum*, &c. Variè hic locus agitatur: Alij *Patientiæ & opulentiæ* ponunt in secundo casu, alij vtrumque in tertio, vt Iunius, qui ait reliquos præ se falsos, ego illum falsum puto. Dicam sentẽtiam, deinde verba annectam. Sententia est, præministrari prædocerique Patientiæ ipsi vt ferat æquanimiter detrimentum opum, cùm opulentiæ, id est, opulentis diuitibus iubetur vt fastidiãt abiiciántque opes. q. d. Multo minus est ferre patienter detritas opes, quàm illas abiicere: atqui diuitibus dicitur vt abiiciant illas, ergo tibi ô Patientia hinc prædicitur vt feras toleranter detrimenta earum. Ita cohærentissimè sequitur membrum aliud, *demonstrans per abiectionem diuitiarum*, (nam hoc est fastidium) *computandas non esse earum læsuras* (nam istæ sunt detrimentum.) Item & sequens membrum. Si nobis ergo appetendæ non sunt opes, exemplo Christi, imò fastidiendæ & abiiciendæ, fortius est, vt patienter ferantur detruncatæ, detritæ, læsæ, ademptæ. Hac sententia nihil clarius. Si Iunium sequaris, dabis duplicem scopum Tertulliano, cùm ipse vnicum habeat, videlicet admonere Patientiam, vt ferat æquanimiter opes aut ex parte detritas, imminutas, læsas, aut omnino ademptas; idque argumento consilij illius, quo Christus monet abiiciendas fastidiendásque opes. Verba ita cohærebunt. *Ita præministrauit Patientiæ* ipsi *detrimentum* per *fastidium opulentiæ*. Lectori difficultatem aliquam ingerenti occurrent Notæ.

128. 4. Cupiditatem omnium malorum radicem spiritus Domini per Apostolum pronuntiauit. Eam non in concupiscentia alieni tantùm constitutam interpretemur: nam

& quod noſtrum videtur, alienum eſt: nihil enim noſtrum, quoniam Dei omnia, cuius ipſi quoque nos. Itaque ſi damno affecti impatienter ſenſerimus, non de noſtro amiſſum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, quum alienum amiſſum dolentes ægrè ſuſtinemus.

4. *Cupiditatem*, &c. Paullin. 1. Timoth. 6. *Eam non in concupiſcentia alieni tantùm.* Sententia eſt: Cùm dolemus noſtra amitti, verè concupiſcimus, & incidimus in peſtem radicem omnium malorum. Probat. Quia cupiditas non eſt aliud quàm appetitio alieni. At, quæ videntur eſſe noſtra, non ſunt verè noſtra, ſed Dei (ſicut enim nos Dei ſumus, ita noſtra erunt Dei) concupiſcimus ergo aliena. Et quidem Dei eſſe omnia, certum: *Nam nudi in ſeculo naſcimur*, ait Ambroſ. ſerm. 10.

129. 5. Qui damni impatientia concitatur, terrena cœleſtibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim, quem à Domino ſumpſit, ſecularis rei gratia concutit. Libentes igitur terrena amittamus, cæleſtia tueamur. Totum licet ſeculum pereat, dum Patientiam lucrifaciam.

5. *De proximo.* Cur *de proximo peccat*? Ipſe explicat. Quia *concutit ſpiritum*, quem accepit à Deo. Corpus quidem terreum à terra, atqui ſpiritus à Deo, & ideo affinis Deo, vt eius imago, & illi proximus. Deinde, tametſi alia vitia concutiant ſpiritum, non certè vt impatientia. Nam ſuperbia potiùs illum attollit, libido blandum reddit, ita de aliis: ſed impatientia conterit, diuexátque illum, & verè *concutit*, vt hoſtis militaris adducens contra illum mille machinas irarum, amentiarum, veſaniarum. *Libentes*, aliàs *libenter*, non diſplicet. *Totum licet*, &c. Id eſt, per me licet, vt *pereat ſeculum. Dum Patientiam lucrifaciam*, nam vna Patientia lucroſior res & quæſtuoſior toto ſeculo.

130. 6. Iam qui minutum ſibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignauia, non conſtanter ſuſtinere conſtituit: neſcio an facilè vel ex animo ipſe rei ſuæ manum inferre poſſet in cauſſa eleemoſynæ. Quis enim ab alio ſecari omnino non ſuſtinens, ipſe ferrum in corpore ſuo ducit?

6. *Minutum*, quod ſuprà dixit, *detritum* & *detruncatum*, ſcilicet *furto*, &c. furto latronum, vi hoſtium, ignauia ſui. *Non conſtanter*, impatienter. *Ex animo*, libenter. *Quis enim*, &c. Optima comparatio.

131. 7. Patientia in detrimentis exercitatio eſt largiendi, & communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit; niſi idem ſit, qui auferenti tunicam etiam pallium offerre poſſit? Quomodo amicos de mammona fabricabimus nobis, ſi eum in tantum amauerimus, vt amiſſum non ſufferamus? Peribimus cum perdito. Quid hîc inuenimus, vbi habemus amittere?

7. *Patientia in detrimentis*, &c. Id eſt: Qui fert patienter detrimentum, videtur exercere largitatem in dando. *Non piget donare*, &c. Veriſſima propoſitio, vt quæ conſequuntur iſta, piget donare eum, qui timet perdere. *Mammona*, vox iſta apud Chaldæos ſignificauit opes, & eodem ſignificato retinuerunt vocem eandem Africani, vt auctor eſt Auguſtinus. Atque ita Tertullianus, vt ſuam, illam vſurpat. *Si eum*, id eſt, mammonam. *Cum perdito*: mammona. *Quid hîc inuenimus*, &c. q. d. Finge, te nihil inueniſſe in hoc mundo, cùm ingreſſus in illum es, quando amiſſurus omnia es in egreſſu. Qui enim inuenit aliquid quod amiſſurus eſt, nihil certè inuenit. *Habemus amittere*, explico alibi hanc locutionem.

132. 8. Gentilium eſt omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortaſſe animæ anteponant. Nam & faciunt, cùm lucri cupiditatibus quæſtuoſa pericula mercimoniorum in mari exercent: cùm pecuniæ cauſſa etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant: cùm denique ludo & caſtris ſeſe locant: cùm per viam in mores beſtiarum latrocinantur. Nos verò ſecundùm diuerſitatem, qua cum illis ſumus, non animam pro pecunia, ſed pecuniam pro anima deponere conuenit, ſeu ſponte in largiendo, ſeu patienter in amittendo.

8. *Gentilium eſt*, &c. Adhibent Gentiles *impatientiam* in *detrimentis*, quia ideo ſe exponunt periculis, vt qui impatientiſſimè tulerint detrimentum diuitiarum, ſcilicet vt qui pecuniam anteponunt animæ. Itaque impatientia rei amiſſæ illos adigit in toleranda mala. Chriſtiani non ita eſſe debent, ſed ferant patienter detrimenta. *Fortaſſe*, nota particulam, quia videlicet ſequitur: *Nam & faciunt*, &c. Reſcribunt, *Nam quid facium*, &c. Poſſunt, ſed non neceſſe. Ergo ait ſe corrigens: Dixi *fortaſſe* animam ab illis anteponi pecuniæ: Non ſic eſt: verè anteponunt. Nam hoc *faciunt, cùm*, &c. *Lucri cupiditatibus*, &c. Nota in his omnibus lucri potentiam, non exhorreſcit mare præ quæſtu, &c. *In foro nihil*, &c. Aduocati vt lucellum comparent, *nihil dubitant aggredi*, vel ipſi *damnationi timendum*. Mirum incrementum. q. d. Damnatio ipſa, id eſt, hi qui certò ſciunt ſe damnãdos, non aggrederentur defenſiones, quas aduocati, adeo illi impudentes in omni lite, tantùm pecuniæ cauſſa. Vel accipe generaliùs ſententiam de omnibus.

qui lites mouent. *In ludo* gladiatorio. *Castris* militaribus. *Se se locant*, nam se venditant, & auctorant. De quo dictum in lib. ad Martyras. *In mores bestiarum.* Nulla necessitas mutandæ lectionis. *Diuersitatem* propter Christianismum. *Deponere*, derelinquere, abiicere, contemnere.

NOTÆ.

133. 1. SVBIACET.] Retuli ad doctrinam topicam. Verè ita Græcis τὸ ὑποκείμενον est ὑπόθεσις. Et τὰ ὑποκείμενα in arte Rhetorum frequentissima sunt. q. d. Tertull. Nulla certior hypothesis in spirituali vita, quàm opes contemnendas, quia Christus cõtempsit. Seneca epist. 87. dixit: *Sophisma per omnes Dialecticorum scholas iactatum.*

3. PRÆDAMNET.] Id verbi vsurpat Paulinus ad Militem. *In Euangelio quoque clamat atque prædamnat diuites sæculi, dicens: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram*, &c.

3. DETRIMENTVM.] Propriissimè vsurpat hanc vocem: nam cum respectu ad paupertatem, dicente Seneca epist. 87. *Paupertas non per positionem, sed per detractionem dicitur.* Et infrà: *Paupertas est, non quæ pauca possidet, sed quæ multa non possidet; ita non ab eo dicitur, quod habet; sed ab eo, quod ei deest.* Ergo, quod Seneca per verba *detrahо, deest*; Tertull. per verba *detero, lædo, detrunco, adimo.* Hæc enim quatuor ad decrescentes opes pertinent. Quod elegantissimè dixit idem Seneca infrà: *diuitiis demere supercilium.*

134. B 3. FASTIDIVM.] Quod hîc *fastidium*, statim nominat *abiectionem.* Hæc enim duo sibi respondent. Sic & Cassian. Collat. 12. c. 3. *abiecisse substantias.* Et præclarè de Opulentia *fastidium.* Pungat te hoc Lector: Vt enim fastidium dicitur de plenis cibo: Seneca epist. 47. *Ipsa satietate fastidiat:* Ita opulentissimi, vt satiati, debent fastidire opes. Cum eodem respectu vsus hoc verbo Hilarius lib. de Concilio Ariminensi, *tot synodis frequenter iniectis pernicioso ante finem fastidio expleatur.* Nota diligenter *fastidium* pendere ab intellecta præpositione per mirum helleniſmum, vt Virg.

Os humerosque Deo similis.

Itaque ait, Patientiæ ipsi præministratur detrimentum per fastidium opulentiæ. q. d. Habes ô Patientia præiudicium præministrans tibi: nam quid mirum iubearis pati detrimenta rei familiaris, cùm opulentia iubeatur fastidire & abiicere omnes opes: minùs tibi, quàm illi imponitur.

135. C 3. LÆSVRAS.] Pertinet vox ad decrescentes pecunias. Eusebius Gallicanus Episcopus siue Cæsarius, Homilia ad Monachos: *Tractantes ergo causſam salutis nostræ, faciamus intra nos, quod circa nos medici solent. Si læsura aliqua, vel querela in prima corporis cute sentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur.* Deinde: *Similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibenda est. Si leuia sunt fortasse delicta, verbi gratia, si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluntate, si oculo peccauit, aut corde, verborum aut cogitationum macula quotidiana oratione curandæ, & priuata compunctione tergendæ sunt.*

4. IN CONCVPISCENTIA ALIENI.] Quod vulgò omnes *concupiscere* de cupiditate, Saluianus lib. 7. significantissimè dixit *rabiem cupiditatis.* Efferantur mortales præ amore habendi sæuiúntque instar ferarum in mala omnia, ideo hæc pestis *radix malorum omnium.* Imò ego ita existimo, *quod ita* (inquit Eusebius Gallicanus Episcopus, vel Cæsarius Hom. ad Monachos) *Dominus noster pauperes in hoc mundo esse permiserit, vt in pauperibus diuitum fidem probaret, vel in pauperum misericordia diuitibus misereretur, vt abundantibus bonis operibus, hæc redemptionis suæ occasio non deesset, vt benevolum locupletem etiam inopia aliena* A *ditaret, & opulentus quisque ingentia de egente lucra reciperet, & mirifico summóque commercio, dum inopi misericordia, temporaria largitate confertur, sibi æternus thesaurus compensaretur.*

136. 5. TERRENA AMITTAMVS, COELESTIA TVEAMVR.] Legatur querela Gregorij Nysseni serm. 1. de orat. vbi mirè exagitat vigilantiam hominum, πρὸς μόνον τὸ ὑλικὸν, *ad id quod solum materiale est.* Cùm tamen τῶν Θεοῦ ἀγαθῶν λίχνος οὐδεὶς, *ratio nulla bonorum Dei.*

7. FABRICABIMVS.] Quod vulgatus, *facere amicos*, Tertull. *fabricare*, cum respectu credo ad Gentilium litteras, qui de amicis non aliter atque ædificiis loquuntur. Ab Eurip. in Med. amicus dicitur πύργος ἀσφαλὴς, *turris firma.* Et Gregor. Nyssen. dixit ἔρεισμα ἕτερον ἑτέρῳ γίγνεσθαι: *alterum alteri esse munimento.* Omnes dicunt *munire amicitijs.* Sic & Sallust. Iug. amicos vocat *præsidia.* Quin Tertull. suo verbo explicat verbum Christi. Nam *facere amicos* verè est fabricam amicitiarum attollere. Est enim ποιέω, id est, *facio*, idem quod *fabrico.* Sic qui Græcis dicuntur ποιηταὶ, id est, *poëtæ*, propriè sunt artifices & fabricatores carminis. Et inde à Pindaro Od. 3. Pyth. Et Od. 3. Nem. dicuntur poëtæ τέκτονες, id est, *fabri.* Vide me Eclog. 3. Virg. ad illud,

Pollio & ipse facit noua carmina.

137. 8. LVCRI CVPIDITATIBVS.] Seneca epist. 101. *Qui mari & terra pecuniam agitabat; qui ad publica quæque, nullum relinquens inexpertum genus quæstus, accesserat.* Et epist. 4. dixit: *Parabile est, quod natura desiderat, & expositum: ad superuacua sudatur: Illa sunt quæ nos in aliena littora impingant.* Drogon Episc. Hostiens. *Quàm pernigiles habet oculos auaritia! quomodo circuit orbem terræ! non cessat manus eius, non cessat pes.* Auctor Anonymus inter opera Hieronymi: *Negotiator auidus maria contemnit, spectare austus fluctuum spumas, rabiémque ventorum; dúmque in omni labore ac periculo lucrum cogitat, & lassitudinem simul obliuiscitur & timorem.* Idipsum mirè amplificat Gregorius Nyssenus serm. 4. in orat. Dominicam. Lege ab eo loco, *Tu verò ad Indos negotiandi causſa proficiscaris, & in barbarico mari periclitaris*, &c. Gregor. Theolog. orat. 1. breuiter ἀκαρπεῖν μέγα ἐπὶ μεγάλοις κέρδεσι κίνδυνον. Horat. Od. 24. lib. 3.

-- *neque feruidis*
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataque solo niues
Mercatorem abigunt. horrida callidi
Vincunt æquora nautæ.

Videatur & Themistius Euphrada orat. 4. vbi enumerat proposita mala Auaritiæ, χειμῶνας, πρηστῆρας, ἐμβολὰς, πειρατικὰ: *hyemes, scopulos, eiectionem mercium, piraticas excursiones.*

138. 8. LVDO ET CASTRIS SESE LOCANT.] Fuit iste turpissimus acquirendi quæstus mos: nam honesto etiam loco nati, cùm ad egestatem peruenerant, locabant auctorabántque se ad ludum gladiatorium. Meminit moris huius Seneca epist. 87. *Vtrum se ad gladium locet, an ad cultrum?* Nihil mirum; nam quid paupertas non efficit? Cyrillus Alex. Hom. 5. de fest. Paschalib. de ea sic ait: ὑποκατωκίσθημεν τὸν τῷ παραλείπω θηρίῳ παλαίοντας, τὸν ἐν πενίᾳ, φημὶ: *Respiciamus eos, qui cum maximè efferata bestia, paupertate nimirum*

luctantur. Sed de his plura in lib. ad Martyras.

8. LATROCINANTVR.] Quoties vox ista in Auctoribus occurrit, ne intellige simplicem bonorum spoliationem, sed admistam cædem, sanguinem, homicidium. Itaque notanter Horatius,

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Eusebius quidem apud Ammian. lib. 14. cùm suspendebatur, clamitabat, *latrocinium illud esse, non iudicium.* Id est, cædem illam fieri non more iudiciorum, sed latronum. Ergo in Tertull. *latrocinari in morem bestiarum* erit non grassari tantùm in fortunas, sed sæuire, occidere, mactare.

139. 8. NOS VERO SECVNDVM DIVERSITATEM, &c.] Lege Ioann. Chrysost. orat. 2. aduersus Iudæos, vbi paria ad Tertull. probans longum esse discrimen inter latrones, quibus raduntur latera; & A Christianos quibus etiam raduntur: vbi res tota pendet à caussa, ex qua illorum infamia, horum gloria: ita Tertullianus, &c.

8. NON ANIMAM PRO PECVNIA, SED PECVNIAM PRO ANIMA.] Tale tritum illud: *Non vt edam viuo, sed vt viuam, edo.* Ita & Hincmarus Archiepisc. Remens. in epist. loquens de Episcopi munere: *Nec ideo debet prædicare, vt sumptus accipiat; sed ideo sumptus accipere, vt sufficiat prædicare.* Neque abeunt similes lusus, vt ille Greg. Mag. Hom. 1. in Ezechiel. *Tenendo repellit, & repellendo tenet.* Et Drogon. Episcop. Hostiens. *Dolorem & augendo leniat, & leniendo augeat.* Ad sententiam pertinent verba Hilarij can. 16 in Matth. vbi loquens de hac ipsa re, ait: *Quæ commutatio pro anima, cùm fuerit amissa, quæretur?*

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Docet Patientia iniurias perferre.

TERTVLLIANVS.

140. 1. IPSAM animam, ipsúmque corpus in seculo isto expositum omnibus ad iniuriam gerimus, eiúsque iniuriæ Patientiam subimus: minorum deliberatione lædemur? Absit à seruo Christi tale inquinamentum, vt Patientia maioribus tentationibus præparata in friuolis excidat. Si manu quis tentauerit prouocare, præsto est Dominica monela: Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obuerte. Fatigetur improbitas Patientiâ tuâ. Quiuis ictus ille sit dolore & contumelia constrictus, grauiùs à Domino vapulat. Plus improbum illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabit, cuius gratia sustines. Si linguæ amaritudo, maledicto siue conuitio eruperit, respice dictum: Quum vos maledixerint, gaudete. Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus.

EXPLICATIO.

141. 1. *Ipsam animam.* Totum hoc caput perquam clarum est. *Eiusque iniuriæ Patientiam subimus.* Velimus, nolimus. *Quiuis ictus*, quantuscunque etiam magnus. *Dolore & contumelia constrictus*, qui corpus & animum constringat & perpungat. Itaque *dolor* corpus respicit, *contumelia* animum, nam vtrumque *Expositum gerimus iniuriis.*

142. 2. Igitur Dominum serui consequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti esse possimus. Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me proteruum aut nequam, reddam & ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta. Quum ergo percussero maledicto, quomodo secutus inueniar doctrinam Domini, qua traditum est, non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari? Item: Manere nos omnis vani, & superuacui dicti reatum? Sequitur ergo, vt à quo Dominus nos arcet, idem ab alio æquanimiter pati admoneat.

143. 2. *Muta.* Duplex impatientia, loquens, tacens: illa mala, hæc peior, cruciat enim. *Communicari.* Inquinari: quod alibi firmo. Quia quæ communia, eo ipso inquinata. *Vani & superuacui.* Nota verba. Quasi vanum verè sit, quod superuacuum; posterius enim prioris est explicatio. Quam ad rem videatur Gregorius Nyssenus Homil. 1. in Ecclesiast. vbi multis explicat, vanum verè dici, quod effectu caret, ac perinde vacans est. *Reatum.* Ad statum & conditionem reorum adductus es in litem.

144. 3. Hîc iam de Patientiæ voluntate. Nam omnis iniuria, seu lingua, seu manu incussa, cùm Patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuosa, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit, reciproco impetu sæuiet. Nempe iccirco quis te lædit, vt doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui: tunc tu non modò illæsus ibis, quod etiam solum

tibi sufficit: sed insuper aduersarij tui & frustratione oblectatus, & dolore defensus. Hæc est Patientiæ vtilitas, & voluntas.

145. 3 *Hic iam de Patientiæ voluntate.* Tantùm dicit: Egi *hìc iam de Patientiæ voluntate*, explicui quid velit Patientia, nam dicturus statim de fructu eius sum & vtilitate. Interpunxi lõgè aliter quàm habent vulgati codices. q.d. Dixi iam *de Patientiæ voluntate*, sequitur fructus: *Nam omnis iniuria*, &c. Sequitur *Dispungetur.* Ab supputatoribus. Est enim *dispungere* conferre accepta & data. Ergo, iniuria illata in virum patientissimum eundem habebit exitum, quem habet *telum libratum* in petram durissimam: nam sicut hoc obtunditur, petra nihil læsa; ita iniuria confringetur, minuetúrque ad contemptum, &, sic dicam, immobilitatem patientis. Nam hæc est ratio dati & accepti. Feci tibi iniuriam, & es patiens, vicisti me: & impatiens, vicite, en datum, en acceptum. Itaque dispungam, & notabo punctulo te victorem, me victum: aut contrà.

NOTÆ.

146. 1. IPSAM ANIMAM.] Rescribunt, *& qui ipsam animam*, nulla necessitate, imò ipse abruptus orationis est ἐμφατικώτερος. Quid quòd hic mos huius scriptoris, quem qui non ferunt, oportet plurimas passim adiiciant particulas? Quæ verò non curæ animam premunt? Corpus quæ non mala? atrocia omnia. Præclarè dixit Cyprian. lib. de Bono Patientiæ: *Labores & procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim suo, ploratu & gemitu rudis anima testatur.* Eligius Hom. 6. *Cum tantis casibus fragilitas humana subiaceat.* Pulchrè Sidon. epist. 14. l. 7. ex contemplatione horum malorum dixit, homines in hunc mundum non tam editos, quàm eiectos, scilicet vt naufragos.

1. EXPOSITVM OMNIBVS AD INIVRIAM GERIMVS.] Quis est mortalium, qui non fæuire in alium possit, vel verbo, vel facto? Seneca epist. 4. *Nemo non seruus habet in te vitæ necisque arbitrium. Ita dico, quisquis vitam suam contempsit, tuæ dominus est.* Bene ergo, *omnibus* sumus expositi. Est verò *expositum*, obiectum. Ludum credo respicit gladiatorium, illum scilicet meridianum, in quo nulla arma ad defensionem, tantùm ad monumentum, & ita miseri erant expositi ad ictus omnes. Clarus est Senecæ locus epist. 7. vbi ait de gladiatoribus meridianis: *Omissis nugis mera homicidia sunt, nihil habent, quo tegantur, ad ictum totis corporibus expositi, nunquam frustra manum mittunt, non galea, non scuto repellitur ferrum.* Ergo ait Tertull. vt miseri illi gladiatores ad omnes ictus sunt expositi, ita nos ad omnes iniurias. Huc credo respectum ab eodem Seneca de Consolat. ad Marc. cap. 4. *Vis tu scire te ad omnes expositam ictus stare, & illa quæ alios tela fixerunt circa te vibrasse?* Vt etiam lib. 3. de Ira cap. 28. *Omni Patientiæ expositum.*

147. 1. MINORVM DELIBERATIONE LÆDEMVR.] Rhenanus, & Iunius tibi in promptu sunt, ita placent, vt inuitè placeant. Quorum sententia est, qui tot patimur, lædemur deliberantes pati minora? Sequo Latinium, qui legit *delibatione*: vel tu, si velis, me, qui lego *delibratione.* Iuxta illius lectionem sensus est: Cùm expositus sis grauissimis & maximis ærumnis, quas, quia homo es, sustines necessariò; cur Patientiam tuam concutit tantillus malorum gustus, aut prægustus? Vix malum delibas, & iam læditur Patientia tua. Iuxta meam. Qui in hac militia malorum versaris expositus magnis telis fortunæ, vitæ, casus, cur ad modicum delibratum in te ictum concidis? Non tu bello bonus. Iuuant hanc lectionem, tũ quæ præcedunt, *expositum animum corpúsque gerimus*, quæ verè de bello: tum quæ in fine capitis, vbi de hac ipsa re *telum delibratum & obtusum.* Et bellum Seneca spectauit epist. 29. *Aduersum formidata consiste.*

1. ABSIT.] Notentur verba Hilarij can. 16. in Matth. *Ita passionem detestatus est Petrus, vt dixerit, absit. quo verbo rerum detestandarum exsecratio continetur.* Inde ergo Christus ad verbum exsecrabile, *vade post me Satana*; neque enim aliud meruit Petrus audire.

1. PATIENTIA MAIORIBVS TENTATIONIBVS, &c.] Egregiè, & consonè ad Nostrum, dixit Ephrem, in tom. 2. *Turpe est, eos qui maxima sibi subiecerunt, à vilioribus vinci.* 148.

1. PRÆPARATA.] Persistit in re belli, id est, munita & obfirmata Patientia. Inde illi opponit *excidit*, quod etiam belli. Quin ipsa vox *paratus & præparatus* tota est militaris, vt liquidum ex forma illa *pransus paratúsque*; de qua Cato lib. 5. Origin. Sallust. Iugurt. & Ammianus lib. 21. de qua iam ego plenè lib. 9. Æn. Quintil. Declam. 11. dixit *præparata Patientia.* Et Sen. epist. 4. *ad amissionem præparatus animus.*

1. IN FRIVOLIS EXCIDAT.] Seneca epist. 4. *Friuolis caussis.* Saluian. l. 1. de Gubern. *stulta & friuola.* Vtique quod Nazianz. orat. 3. λήρημα, deliramẽta scilicet atque inania. Festus ait esse *friuola, propriè vasa fictilia quassa.*

1. MONELA.] Ex huius Afri penu, vt suprà, *aquatilem sequelam.* Talia in aliis. In primis *monela* ipsa. Lucifer Calaritanus lib. 2. ad Constantium Imperatorem pro Athanasio, *tanquam fugisset nos Domini monela, dicentis, attendite vobis*, &c. Deinde alia. Nam Hilarius lib. aduersus Arrianos, *obedientiæ obsequelam.* & in Titulo de Ariminensi Concilio, *formela Nicæni tractatus.* Et can. 29. in Matth. *corruptelam fidei.* Saluianus lib. 6. de Gub. *incantelam* dixit. Valerianus Episc. Cemelienſ. *Gradum parentelæ*, Homilia 12. 149.

1. VERBERANTI TE, INQVIT, IN FACIEM, &c.] Valerianus Episc. Homilia 13. sic inquit: Nam ita dicit Dominus, *Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & sinistram: istud præbere scio quòd aliquantis ingratum est, qui nesciunt lites cauere & imminentes suppliciorum pœnas moderatione compescere. Infinitum est autem, quantum vni patientia sua præstet, si alter solus insaniat. Nam sicut duplicatos in se plagas excitat, qui repugnat; ita maioris rixæ lucrum facit, qui manus suas alio feriente continuit.*

1. FATIGETVR IMPROBITAS PATIENTIA TVA.] Abbas Pimenius, vt habetur in vitis Patrum lib. 7. c. 7. num. 3. Solitus erat frequenter dicere: *Si quis malefecerit tibi, tu illi bonum redde, vt per bonitatem vincas malitiam.* Huc pertinet illud Pauli 12. ad Rom. *Vince in bono malum.*

1. GRAVIVS A DOMINO VAPVLAT.] Legunt *vapulabit*, nec displicet propter sequentia. Ille *vapulat*, qui it pessum, & afficitur malis, caue vt tantùm referas ad verbera. Apud Petron. Eumolpus fatigatur & veru, & furca, & canis latratu, fitque impetus in hominem à circumstantibus, verè minutum prælium repræsentatur; ac tunc, *fauebámque ego vapulanti.* Venantius Fortun. in orat. Domin. *Meritò de culpa vapulat, qui magistri verba declinat.* Valerian. 150.

Epiſ. Cemelienſis Hom. 10. *Nam qui huiuſmodi voluptatibus ſeruit, etiam mercedem laboris ſui aut bibendo conterit, aut vapulando conſumit.* Loquitur de paraſitis. Ita & *verbero* ad alia extenditur. Saluian. lib. 1. de Gubern. *Aegyptus percutitur, Pharaonis inobedientia verberatur.*

1. PLVS IMPROBVM ILLVM CÆDIS SVSTINENDO.] Pari ſententia Hilarius Pictau. Canon. 4. in Matth. ait, *pœnam eſſe ſeueriorem iniurioſis*, ſi iniuria affectus patienter ferat. Nec diſſidet Auguſt. qui in ſerm. Innocentium, ait, *Illos maiora ſupplicia ſuſtinere qui faciunt, quàm qui ſuſtinere videntur.*

151. 1. LINGVÆ AMARITVDO.] Quia & illi ſuprà venenum dedit, à quo amarulentia. Quanta hæc! Cùm Clemens Alex. 5. Strom. dicat, Ἀνάχαρσίν τε τὸν Σκύθην φησὶ ἐν αὐτῷ κοιμώμενον κατέχειν τὴν μὲν λαιὰν, τὰ αἰδοῖα· τὴν δὲ δεξιὰν δὲ, τὸ στόμα : *Anacharſim Scytham, dormientem, ſiniſtra quidem continuiſſe pudenda, os autem dextra.* Quo ſignificauit, ait idem, maiore quidem cura os egere, ne erumperet in conuitium, quàm pudendum, vnde omnis turpitudo emanat.

1. ERVPERIT.] Signatè. Nam lingua vallata dentibus, firmata labiis. Itaque cùm eſt intemperans, verè rumpit clauſtra, & fugitiua erumpit in apertum. Homer. paſſim ἕρκος ὀδόντων, *clauſtrum dentium.*

1. DOMINVS IPSE MALEDICTVS IN LEGE EST.] Propter illud, *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Lege Pamel.

2. AVT CRVCIABOR IMPATIENTIA MVTA.] Soph. Elect. ἰὼ ἰὼ αὖθις, *iram mutam, tacitam.* Maius incrementum, quàm illud, *tacitóque irarum fluctuat æſtu*, quanto maius malum pendenti crux, quàm fluctus naufrago.

2. PERCVSSERO MALEDICTO.] Reſcribunt, *maledictus.* Poſſunt.

2. COMMVNICARI. Auguſt. ſerm. 36. de Verbis Domini, ore Phariſæi, *Ego ſolus ſum, iſte de cæteris eſt.* Id eſt, communis, ac perinde impurus; nam ego qui ſolus, purus.

152. 2. AQVO NOS DOMINVS ARCET, &c.] Qui nos continet ab Impatientia, eo ipſo docet, vt ſi quid in nos fiat impatienter, perferamus æquanimiter. Et hic gradus patientiæ eſt conformior Chriſto, ſcribente ſic Ruffino lib. 3. in vitis Pat. cap. 26. *Tres enim gradus hominum ſunt in paſſione iræ. Nam cùm voluntariè nocetur, & iniuriatur, & parcit proximo ſuo, hic ſecundùm naturam Chriſti eſt. Qui autem non lædit, nec lædi vult, hic ſecundùm naturam Adam eſt. Qui verò nocet aut iniuriatur, aut calumniam ingerit, aut vſuras exigit, hic ſecundùm diabolum eſt.*

3. HIC IAM DE PATIENTIÆ VOLVNTATE.] Iunius pro *hîc iam*, legit *etiam*, vt dicat, *admoneat etiam de Patientiæ voluntate.* Fallitur, & explicatio eſt quam adduxi. Et quidem lectionem aſtruo contra Iunium, ex loco Hilarij can. 20. in Matth. vbi ait, *Multum profecit ad tolerantiæ aſſumptionem rerum imminentium cognitio, maximè ſi Patientiæ voluntas præſumatur exemplo.* Sic videlicet ait Tertullian. incumbendum Patientiæ ſumpto priùs exemplo à Chriſto, quæ mera eſt Patientiæ voluntas.

3. DISPVNGETVR.] Hoyus explicat, euaneſcet & irritus erit conatus, vti euaneſcunt ea quæ delentur ſiue diſpunguntur, pro expunguntur. Ita ille, ſed reuera ſententia eſt, quam adhibui.

153. 3. IN PETRAM CONSTANTISSIMÆ DVRITIÆ LIBRATVM, ET OBTVSVM.] Præclara comparatio hominis conſtantiſſimi in patiendo. Ita Demoſthenes in Cherſoneſo homines conſtãtes πρὸς σκόλοπας comparat, id eſt, *ſcopulis.* Vt etiam Theodoritus lib. 4. Hiſt. cap. 23. Nicetas Dauid de ſancto Ignatio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano. ἦν δὲ ἀμετάθετος οὐδὲν ἧττον, ἢ πέτρα παράλιος εἰς βάθος γῆς ἐρριζωμένη, καὶ πᾶσιν ἀνένδοτος κυμάτων ἐπιφοραῖς : *Sed non minùs immotus, atque rupes maritima aliis in terra defixa radicibus, omnibúſque fluctuum inſultibus obiecta, conſtitit.* Et Nazianz. orat. 27. conſtantem hominem, cum petra, quæ irruentes vndas & ventos frangit, atque obtundit. Et orat. 18. ait de ſancto Cypriano, propulſaſſe illum omnes impetus, ὥσπερ τις πέτρα παράλιος κυμάτων ἐπιδρομὰς, *vt marina petra incurſiones fluctuum.* Et Cyprian. ipſe lib de Mortalitate: *Tanquam petra fortis & ſtabilis turbidos impetus mundi, & violentos ſeculi fluctus frangit potiùs ipſa, nec frangitur.* Magnus Antonius comparabat patientem hominem cum lapide cæſo, & nihil reſpondente, neque arbitrante ſibi fieri iniuriam: habetur lib. 7. de vitis Patr. Baſilius dicitur à fratre Nyſſeno πέτρα ἄσειστος, καὶ ὄρος : *petra inconcuſſa, & mons.* Caſſianus qui Collat. 12. c. 6. dixit, *immobilem Patientiæ lenitatem*, certiſſimè locutionem traxit ab ſcopulo.

3. CONCIDET.] Pari verbo Nazianz. in re ſimili orat. 27 vbi ad petram duriſſimam ait, κύματα προσπίπτοντα, *fluctus concidentes.* Et orat. 20. flexu alio: ὡς τὸ βέλος ἰσχυροτέρου προσπίπτον ἀπακρούεται. Eſt ſcilicet ἀπακρούεσθαι repelli. Eadem quæ hîc Tertull. de Patientia, ait etiam Prudentius Pſyc. vbi cùm Patientia icta eſſet ab Ira, ſubiicit:

Sed reſilit duro lorica excuſſa repulſu.

Et inf. ait *retuſam aciem* ferri, quo petebatur, *& truncatum mucronem in fragmina.*

154. 3. ET NONNVNQVAM REPERCVSSVM IN EVM, QVI EMISIT.] Seneca epiſt. 33. *Nullum telum in corpore Philoſophiæ ſedet, munita eſt ſolidáque, quædam defatigat, & velut leuia tela laxo ſinu eludit; quædam diſcutit, & in eum vſque, qui miſerat, reſpuit.* Porrò quod Terrullianus *repercuti*, quod Seneca *reſpuit*, optimè cum Plauto exprimes verbo *ciſpelli* in Amphit. vbi ait, *ciſpellam virum*: qui enim repellitur, præclarè dicitur *ciſpelli*: nam cogitur citra regredi, non vltra progredi permittitur.

3. FRVCTVS LÆDENTIS IN DOLORE LÆSI EST.] Quintil. Declam 11. multis hoc idem demum abſoluit: *Tunc eſt pœna, cùm periturus trepidat, hæret, cùm reſtringit ſupremo vincula conatu. Volo perituri priùs videre pallorem, audire gemitus: volo circumſpiciat, volo queratur.* Quaſi dicat: Hæc niſi faciat læſus, nullum habet fructum qui læſit, imò & dolet grauiùs. Inde Ambroſ. l. 1. Offic. c. 5. *Si taceas, plus rumpitur, victum ſe reputat, irriſum, poſthabitum, atque illuſum.* Et c. 6. *Melior eſt itaque qui contemnit iniuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quaſi non ſentiat, ita deſpicit; qui autem dolet, quaſi ſenſerit, torquetur.* Scitè Plaut. Pſeudolo.

--- ni doleres tu, ego dolerem.

3. ILLÆSVS IBIS.] Alij *abis*, alij *abibis.*

3. HÆC EST PATIENTIÆ VTILITAS ET VOLVNTAS.] Poſterior ſcilicet pars capitis pertinuit ad vtilitatem; vidiſti enim quæ dixerit de fructu patientis: ac perinde reſtat, vt prior pertinuerit ad voluntatem. Vult enim Patientia, vt percutienti te obuertas maxillam alteram: & reliqua quæ in priori illacce parte: atque vtilitas eſt, non te, ſi patiens fueris, læſum eſſe, ſed illum potiùs obnoxium manere iniuriæ, qui te voluit lædere.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

Habendus doloris modus, quem præscribit Patientia, in obitu chariſsimorum.

TERTVLLIANVS.

155. 1. NE illa quidem impatientiæ ſpecies excuſatur in amiſſione noſtrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur aſſertio. Præponendus eſt enim reſpectus re-
1. Theſſ. 4. nuntiationis Apoſtoli, qui ait, Ne contriſtemini dormitione cuiuſquam, ſicut nationes quæ ſpe carent. Et meritò. Credentes enim reſurrectionem Chriſti, in noſtram quoque credimus, propter quos & ille & obiit, & reſurrexit. Ergo cùm conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, ſi periiſſe non credis? Cur impatienter feras ſubductum interim, quem credis reuerſurum? Profectio eſt, quam putas mortem, Non eſt lugendus qui antecedit, ſed planè deſiderandus. Id quoque deſiderium Patientia temperandum. Cur enim immoderatè feras abiiſſe, quem mox ſubſequeris?

EXPLICATIO.

156. 1. PATROCINATVR *aſſertio.* Dolor ſibi aſſerit vendicátque hoc patrocinium. Verè: Nam ſi quid doloris iuſti ſpeciem habet, certè amiſſio chariſſimorum. At (inquit Noſter) impatientia eſt, nec excuſatur, licèt tantus patronus, id eſt, dolor, illam aſſerat & defendat. *Præponendus eſt etiam reſpectus.* Tanto patrono & aſſertori præpono Apoſtolum, qui dignior. Is verò ita denuntiat, Non cõtriſtandum de mortuis. Hunc reſpice, quiſquis luges immoderatè, huic attende.

157. 2. Cæterùm impatientia in huiuſmodi & ſpei noſtræ malè ominatur, & fi-
Philipp. 1. dem præuaricatur. Et Chriſtum lædimus, cùm euocatos quoſque ab illo, quaſi miſerandos non æquanimiter accipimus. Cupio, inquit Apoſtolus, recipi iam, & eſſe cum Chriſto. Quanto meliùs oſtendit votum Chriſtianorum? Ergo votum ſi alios conſecutos impatienter dolemus, ipſi conſequi nolumus.

158. 2. *Spei noſtræ malè ominatur.* Qui ſperat alium videre, fert patienter; qui deſperat, impatienter. Impatienter ergo lugere, deſperatio eſt, quaſi anima illius perierit, & tum peritura ſit. Vides duplex malum & contra *ſpem*, & contra *fidem*. Itaque & tu tibi malum es auſpicium, & deinde præuaricaris fidem. *Fidem præuaricatur.* Eleganter. Præuaricator eſt quaſi varicator, qui diuerſam partem adiuuat, prodita cauſſa ſua. Ergo *fidem præuaricatur*, qui cauſſam Chriſtianam prodit Chriſtianus ipſe, & adiuuat partem Gentilium. Et quidem iſti tantùm lugebant impatienter animas illas, quæ putabantur in æternum periiſſe. *Chriſtum lædimus.* Videmur hoc ipſo Chriſtum incuſare euocantem, quos vult. *Ergo votum*, &c. Non vis certè conſequi, quod doles alios conſecutos.

NOTÆ.

159. 1. A MISSIONE NOSTRORVM.] Sollemnis A vox, *amiſſio*, in re mortuorum. Martial. loquens de Gellia, *Amiſſum non flet patrem.* Ambroſ. orat. funebri Valentiniani Imperat. *Eius quem amiſſum dolemus commemoratione requieſcimus.* Et de obitu fratris Satyri: *Nec amiſſum credo, quem adhuc cerno præſentem; nec mortuum puto, cuius adhuc officia non requiro.* Et in obitu Theodoſij Imperat. *Pignora, quæ hic amiſerat.*

1. PATROCINATVR ASSERTIO.] Iniquè legunt aliqui *affectio*, & ſententiam perdunt. Eſt enim iuſtus dolor *aſſertor*, id eſt, vindex & defenſor Impatientiæ. Sic præcedente capite dolori dedit *defenſionem.* Eſt hoc fermè quod Ambroſ. orat. Funebri Valentiniani, *Cum doluiſſe plerumque ſolatium ſit dolentis.*

1. PRÆPONENDVS EST ENIM RESPECTVS.] Eundem Apoſtolum, & ad rem eandem aduocat Hieronym. in Epitaphio Lucinij. Verba eius: *Beatus Apoſtolus vetat de dormientibus contriſtari, vt quos dormire nouimus, ſuſcitari poſſe credamus; & poſt digeſtum ſoporem vigilare*, &c.

1. DORMITIONE.] Sollemne eſt mortem comparare ſomno. Qui non Gentiles de hac re locuti? obuium in Eruditulis. Tibi patres do. Ambroſ. de obitu fratris Satyri: *Etenim ſomni ſimilis imago mortis.* Hieronymus in vita Hilarionis: *Antonij dormitionem audiuit.* in vita Onuphrij Paphnutius: *Dominóque remittens animum, obdormiuit.* in vita Ioannis eleemoſynarij: *Nondum breui tempore tranſacto, dormiuit cum pace in cellula ſua ſanctus Vitalius.* In Regula Pachomij: *Si frater dormierit, omnis eum fraternitas proſequatur.* 160.

1. SICVT NATIONES, QVÆ SPE CARENT.] Ioann. Chryſ. Hom. 5. ad Pop. *Et in hoc enim ab infidelibus differimus. Etenim illi quidem meritò timent mortem,* ἀνιᾶσθαι γὰρ ἐλπίδα οὐκ ἔχουσι, *non enim habent ſpem reſurrectionis: tu verò*, &c. Hieronymus etiam ſæpè vſurpat hoc argumentum in ſuis Epitaphiis. Eodem vtitur Greg. Nyſſen. orat. de Mortuis, μόνων γὰρ τῶν ἀπίστων, &c. Ait ſcilicet, ſimiles lacrymas eſſe eorum qui alieni ſunt à fide, & mortem putant deplorandam, quia non credunt quæ nos credimus. Ambroſ. etiam de obitu fratris Satyri, poſtquam Gentilium carentium fide ſolatiola poſuit, 161.

adiicit : *Nos verò vt erectiores præmio, ita etiam patientiores solatio esse debemus. Non enim amitti, sed præmitti videntur, quos non absumptura mors, sed æternitas receptura est.* Eodem argumento sæpè vtitur in lib. de Fidei resurrectione. Non absque sapore ad rem hanc scripsit Seneca epist. 99. in consolatione Lucilij, in morte filij : *Angustè fructus rerum determinat, qui tantùm præsentibus lætus est : & futura, & præterita delectant ; hæc, expectatione ; illa, memoria.*

162. I. CREDENTES ENIM RESVRRECTIONEM CHRISTI.] Spectat illud Pauli 1. Thessal. 4. *Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit*, &c. in hanc sententiam ita loquitur Ruricius Epis. Lemouicens. *Fleant liberos suos, qui spem resurrectionis habere non possunt, quam eis perfidia sua adimit, non diuina sententia. Fleant mortui mortuos suos, quos in perpetuo æstimant interisse. Illi nullam mœroris sui habeant requiem, qui non credunt esse requiem mortuorum.*

I. IN NOSTRAM QVOQVE CREDIMVS.] Corrigunt *nostram*, &c. adempta præpositione *in*, & placent. Pulcherrimè dixit Nyssen. loco aduocato, Christum resurrectione sua fuisse perinde nostræ resurrectionis, μεγάλον ἐγγυητὴν, *magnum sponsorem, locupletem vadem.*

163. I. ERGO CVM CONSTET DE RESVRRECTIONE MORTVORVM, VACAT DOLOR MORTIS, &c.] Ita hoc verum, vt inde Hieronym. ad Paulam de obitu filiæ Blesillæ dicat, lacrymas pro defunctis, quæ modum non habent, esse *Gentilium*, & *plenas sacrilegio*, & *plenissimas incredulitate*. Nam qui credunt, non ita debent lugere.

I. VACAT DOLOR MORTIS.] Quia otiosè illum defles, qui nunc dormit, & excitandus est. Nyssenus orat. dè Mortuis similes lacrymas ait dici posse fusas, εἰκῆ καὶ μάτην, *frustra & inaniter*. Seneca epist. 99. etiam dolorem de mortuo *superuacuum* nominat. Sed in illo alia ratio. Ait enim : *superuacuum est dolere, si nihil dolendo proficias.* q. d. Non tu morttuum excitabis dolendo. Noster contrà, superuacuum est dolere, quia suscitandus.

164. I. VACAT IMPATIENTIA DOLORIS.] Posset obiici, Malè à te scriptum *vacat dolor mortis*, quia certè dolendum est de mortuo. Soluit obiectum. Vacat dolor mortis, si doleas impatienter. Hæc est mens Tertulliani. Nam moderatum dolorem nemo damnat, & omnes laudant. Mitto Hieronym. ad Paulam, & alios : tu audi Senecam epist. 99. *Eant sua sponte lacrymæ, ire autem possunt placidis atque compositis. Sæpè salua sapientis auctoritate fluxerunt, tanto temperamento, vt illis neque humanitas, nec dignitas deesset. Licet, inquam, naturæ obsequi, grauitate seruata. Vidi ego in funere suorum verendos, in quorum ore amor eminebat, remota omni lugentium scena. Nihil erat, nisi quod veris dabatur affectibus. Est aliquis & dolendi decor.* Qui non ita dolent in funere, impatienter dolent, & scenas excitant, aut tragœdias. Verè enim Seneca scenas vocat clamores & percussiones inanes, quas tragœdias excitari ob Christianos vocatos à Deo vetat Concil. Tolet. 3. c. 22. his verbis : *Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo & psallentium vocibus debere ad sepulcra deferri :* (en luctum moderatum :) *nam funebre carmen, quod vulgò defunctis cantari solet, vel in pectoribus se, aut proximos, aut familias cædere* (en immoderatum & impatientem) *omnino prohibemus.* Quibus sanè verbis Concilium vetat solentissimos Gentilium fletus, de quibus vbertim nos ad lib. 9. Æn.

I. CVR ENIM DOLEAS, SI PERIISSE NON CREDIS.] Hieronymus de Regulis Monach. *Si viuentem crederes fratrem, nunquam plangeres ad meliora migrasse.* Hoc argumentum multis tractat idem Hieronym. in Consolat. ad Paulam, aduocans loca sacri eloquij, vbi vberrimæ lacrymæ pro defunctis qui periêre, pauciissimæ, & verò nullæ pro defunctis qui salui. Scio verbũ *perire* diuerso sensu ab vtroque scriptore accipi. Nam Hieronym. *perire* ait de damnatis æterno supplicio, Tertull. hoc non agitans, ait non *perire*, quia resurgent. An boni, an mali? non quærit. 165.

I. PROFECTIO EST, QVAM PVTAS MORTEM.] Ita loquuntur Patres. Hieronym. ad Saluinam : *Sic extulit maritum, vt eum profectum crederes, non amissum.* Et in Epitaphio Fabiolæ, mortem vocat *peregrinationem*. Et in Consolat. ad Paulam, *migrationem*. Concinunt certè hæc tria *profectio, peregrinatio, migratio*. Ioann. Cassian. lib. 5. c. 28. *transmigrantem* dixit, id est, morientem. Sic & Græci. Nam Ioann. Chrysost. Homil. 2. ad Pop. de morientibus, ἀποδημοῦντες, id est, *peregrinantes*. Et Homilia 5. τί γάρ τοῦτο θάνατος ; ἀποδημία τις ἐστὶν, ὕπνος μακρότερος τοῦ συνήθους : *Quid tandem est mors? migratio ad tempus, somnus consueto longior.* Athanas. lib. de Virginit. loquens de morte iustorum, οὐ θάνατος, ἀλλὰ μετάθεσις : *non mors, sed translatio.* Quo verbo vsus Theodoritus lib. 2. Hist. cap. 3. vbi loquens de Constantino Magno, εἰς τὸν ἀνώλεθρον μετῳκίσθαι βασιλείαν : *translatus ad regnum immortale.* Quod verbum sumpsit ab Euseb. l. 1. de vita Constant. c. 4. qui de eodem principe, ἐπ' ἀτελεύτητον ζωὴν μετῳκίσθαι. 166.

I. NON EST LVGENDVS QVI ANTECEDIT, SED PLANE DESIDERANDVS.] Vis tota in verbo *antecedit*. Nam si *antecedit*, tu illum consequeris. Ergo anteceſſorem tuum ne luge, sed tantùm desidera. Sit in te mortui desiderium, non luctus. Ita etiam Ambros. de obitu fratris Satyri : *Talibus igitur perfunctum virtutibus, ereptum periculis, desiderio magis quàm amissione flebo.* Cyprian. quoque lib. de Mortalitate, ait, *mortuos desiderari debere, non plangi.* Quod noster per verbũ *antecedo*, Petrus Chrysolog. serm 33. per *præcedo*. Eius verba : *Peior est dies mortis, pignora cùm præcedunt.* Id est, grauiùs dolent patres mortem filiorum, quàm suam. Quod verbum etiam Ambros. laudato loco. 167.

I. ID QVOQVE DESIDERIVM PATIENTIA TEMPERANDVM.] Id est, patienter debes desiderare illum, *fortiter* te gerere in hoc desiderio. Hoc scholium sumo à Seneca, qui epist. 99. ita præclarè : *Non est dolor iste, sed morsus : tu illum dolorem facis. Sine dubio multum Philosophia profecit, si prærupta, nutrici adhuc quàm patri notiorem, animo forti desideras.* Epist. etiam 78 ait, *fortiter desiderare*, de illo, qui fert patienter mortem alterius. Hanc in lugendo temperantiam Gregorius Nyssenus orat. de Mortuis, tractans hoc idem argumentum, vocat τὸν λύπην τὸν ἐπαινετὸν καὶ ἐπάρετον : *luctum laudabilem, & cum virtute coniunctum.* Quæ hæc virtus nisi Tertulliani temperantia? Ambros. loquens de hac re lib. ad Virginem lapsam c. 4. signatè ait, *flere modicũ propter desiderium.*

I. CVR ENIM IMMODERATE FERAS ABIISSE, QVEM MOX SVBSEQVERIS?] Mors abitio est tantùm. Et ideo immoderatè non ferenda, præsertim cùm tu quoque abiturus post illum. Seneca loco laudato : *Desiderij stulta conquestio est, ibi minimum interest inter amissum & desiderantem. Eo itaque æquiore animo esse debemus, quòd quos amisimus, sequimur. Respice celeritatem rapidissimi temporis, cogita breuitatem huius spatij, per quod citissimi currimus. Obserua hunc comitatum generis humani, eòdem tendentis, minimis interuallis distinctum etiam vbi maxima videntur:* 168.

videntur : quem putas periisse , præmissus est. Quid autem dementius, quàm cùm idem tibi iter emetiendum sit , flere eum qui anteceſſit ? Hieronym. de Regulis Monachor. *Aduersus mortis duritiam , & crudelissimam necessitatem hoc solatio erigimur , quòd in breui visuri sumus eos quos dolemus absentes.* Augustus, vt scribit Suetonius , cap. 65. suorum *patientiùs mortem tulit.*

169. 1. SVBSEQVERIS.] Signatè : nam alludit ad etymon *exsequiarum* , quæ ita dictæ , quia omnes sequimur mortuum , non tantùm pedibus in pompa funerali, sed vita ipsa abeunte post defunctum. Isidorus: *Exsequiæ , cadauer dum portatur , imò ipsa pompa & comitatus sequentium cadauer .* Paulinus epistol. 1. ad Amandum : *Cùm hæc scriberemus , curæ nobis erat , ex recenti dolore fraternæ diuulsionis ; quem etiamsi temporaliter ab hoc seculo sciamus adsumptum , tum illò nobis citò consequendum.* Horat. od. 3. lib. 2.

Omnes eodem cogimur : omnium
Versatur urna , serius , ocyus ,
Sors exitura.

170. 2. SPEI NOSTRÆ MALE OMINATVR.] Nyssenus orat. de Dormientib. *Nos verò qui magno resurrectionis ex mortuis fidei iussori , ipsi domino omnis creaturæ credidimus , qui ideo quoque mortuus est , & resurrexit , vt reipsa & opere , resurrectionis doctrinæ , atque sermoni fidem faceret , indubitatam bonorum spem habeamus ; quæ si præsto fuerit , mœstitia propter mortuos locum non habebit.* Et præterquam quòd alluſit ad Paulum 1. ad Thessal. cap. 4. *Nolumus autem vos ignorare,* &c. mihi incidit suspicio, Tertullianum spectauisse sententiam illam Gentilium , quam repræsentat Synesius Episcopus Cyrenæus epist. 4. Putabant Gentiles, animas , quæ difflatæ in aërem essent, perpetuas fore , & nunquam perituras ; non ita illas , quæ periissent aquis , vt scilicet contrario elemento , quo ignea animæ natura omnino extingueretur. Ex qua opinione fiebat , vt primi illi moderatè lugerentur , isti immoderatè , vt quorum animæ iam periissent , & nusquam essent. Narrat ibi Synesius, milites in tempestate , cùm essent in nauis tabulato traxisse gladios; quos cùm ipse interrogaret, cur hoc facerent, respondisse, ὡς καλὸν , πρὸς τὸν ἀέρα τῷ ψυχῷ ἐρυγεῖν , ἀλλὰ καὶ πρὸς κῦμα χανόντας : *Pulcrum esse , in aërem animam eructare , non autem in vndam hiantes.* Quos ideo vocat Ομηρίδας, id est, *Homericos milites.* Nam Homerus , cùm dicat , animas eorum qui bello Troiano cecidерunt , visas in inferno , vnius Aiacis animam ait periisse , nec ibi visam ; nam vndis interierat. Ergo ait Tertull. vos qui immoderatè lugetis mortuos , & spem & fidem læditis , quasi anima immortalis non sit : nam & Gentiles iam moderatum luctum sumebant pro illis tantùm , quorum animas putauerant periisse.

2. FIDEM PRÆVARICATVR.] Eodem 171. argumento efficit Cyprianus lib. de Mortalitate , non lugendos mortuos , ne scilicet *fidem quam sermone & voce depromimus , cordis & pectoris testimonio non probemus* & addit continenter : *Spei nostræ ac fidei præuaricatores sumus , simulata , ficta , fucata videntur esse quæ dicimus. Nihil prodest , verbis proferre virtutem , factis destruere veritatem.* Veriſſimè. Nam is est præuaricator cauſſæ , qui fucata quædam & simulata pro illa adducit , & quæ facilè solui queant ab aduersario. Balsam. in Medit. ita describit præuaricatores , ποικιλομόροις καθὰ πλὴν ἴσιν , *Variantes instar Fridis.*

2. EVOCATOS.] Erant propriè *euocati* , qui 172. ad bellum reuocabantur , cùm essent iam milites veterani ignari scientésque militiæ , & qui stipendia expleuerant. Huc spectat proculdubio Tertullian. Cur tu impatienter feras euocari à Deo viros iam veteranæ sanctitatis , qui expletis stipendiis præmium accipiant ? Huc quoque aspirat Cyprianus lib. de Mortalitate : *Euocat nos & accersit de hoc mundo Deus.* Quòd autem euocati sint , id quod astruxi, explicat Dio , cùm ait: *Ex his hominibus euocatorum numerus constitit , quos ἀνακλήτους , id est , reuocatos , Græcè vocè vocare possis , quòd militia perfuncti , ad eam rursus reuocarentur.*

2. RECIPI.] Ita reddit verbum ἀναλῦσαι , id 173. est , *dissolui* , hac vt suspicor mente. Qui captiuus est, locum quærit , quò se recipiat , veluti ad confugium & receptaculum , vt ita sit liber à vinculis captiuitatis. Itaque idem est , *volo dissolui* ,& *volo recipi.* id est , *solutus esse volo , & captiuus esse nolo.*

2. QVANTO MELIVS OSTENDIT VOTVM CHRISTIANORVM?] Admitto Iunij interrogationem , sed non distinctionem.

CAP. X. ARGVMENTVM.

Non vlciscendum de hostibus , dictante hoc Patientia.

TERTVLLIANVS.

174. 1. EST & alius summus impatientiæ stimulus, vltionis libido, negotium curans aut gloriæ aut malitiæ. Sed & gloria vbique vana, & malitia nunquam non Domino odiosa, hoc quidem loco maximè, cùm ab alterius malitia prouocata, superiorem se in exsequenda vltione constituit, & remunerans nequam, duplicat quod semel factum est.

EXPLICATIO.

175. 1. NEGOTIVM *curans aut gloriæ aut malitiæ.* Quia vltio ab hac duplici peste, tanquam à duplici domina, imperari potest. Ideo enim se quispiã vlciscitur; vel, vt gloriam recuperet, quam amissam iniuria putauit, est enim dulcis gloria vindictæ : vel quia verè malus, animóque procliui ad malefaciendum. *Sed & gloria vbique vana.* Contemne vltio hanc Dominam; nam modò te subornet, modò quempiam alium ingeneret affectum , semper & vbique est vana. *Et malitia* , &c. Contemne & alteram , nam malitia semper est *Domino odiosa* , & in vltione *maximè.* Probat , quia *superiorem te in exsequenda vl-*

tione conſtituis. id eſt, ſuperas iam illum in ſumenda vltione. Ille ſimpliciter malus qui tibi iniuriam fecit; tu dupliciter, nam & iniuriam facis & deinde es vltor, quo iam ſuperas: nam hoc eſt *ſuperiorem te conſtituis.* Cur ſuperior? quia addis exſecutionem vltionis, qua ille caruit. Ideo ſequitur: *Remunerans nequam, duplicat quod ſemel factum eſt.* Ad eum modum, quo in Concilio Tolet. 8. c. 2. dicitur: *Illic duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter iugulamur.* Hæc eſt prima ratio explicandi, & acutior, vt puto: altera, ſimplex & obuia. Ille fuit malus, qui tibi iniuriam intulit; tu etiam malus, qui rependis: iam ergo duplex malitia. Illud *remunerans nequam* eſt, aut, remunerans nequam hominem; aut, remunerans nequitiam. Sed quid ſi alius ſenſus, vt *nequam remunerans* ſit in recto, vt dicat: nequam remunerator malum duplicat. Præclarè. Nam ſicut bonus remunerator bonum duplicat, quia & benefacit, & gratus eſt: ita malus malum duplicat, quia & malefacit, & vltor eſt.

176. 2. Vltio penes errorem ſolatium videtur doloris, penes veritatem certam redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter prouocantem & prouocatum, niſi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, at ille poſterior? Tamen vterque læſi hominis Domino reus eſt: qui omnem nequam & prohibet & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio eſt: nec locus ſecernit, quod ſimilitudo coniungit. Abſolutè itaque præcipitur malum malo non rependendum. Par factum par habet meritum. Quomodo id obſeruabimus, ſi faſtidientes in faſtidio vltionis non erimus? Quem autem honorem litabimus Domino Deo, ſi nobis arbitrium defenſionis arrogauerimus?

Rom. 12.

177. 2. *Vltio penes errorem.* Vltionem vocant *ſolatium doloris* qui errant: qui verò ſapiunt, crimen *malignitatis. Domino reus eſt.* præclarè: nam tametſi hominem lædas, certè reatum habes penes Deum. *& prohibet & damnat.* Prohibet præcepto, damnat ſupplicio. *Nulla in maleficio ordinis ratio eſt.* Nihil intereſt ordo in maleficio. priùs ne an poſterius fuerit, ad rem nihil. Seuera certè cenſura; lenior, vt dixi, Senecę: etenim videtur multum intereſſe, prouocatus fuerim, an non prouocatus. Sed probabit Tertullianus ſuam veritatem. *Nec locus ſecernit.* Id eſt: Nec locus ſecundus, aut poſterior. *Abſolutè itaque præcipitur,* &c. Ex abundans probatio tam ſeuerę cenſurę. Nam Paulus ad Romanos 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* Itaque tam abſolutum eſt hoc præceptum, quàm illud, Nemini iniuriam feceris. *Quomodo id obſeruabimus,* &c. Quomodo obſeruabimus præceptum de non rependendo malo, niſi ſummè faſtidiamus vltionem? Phraſis ipſa Hebræa eſt, *Faſtidientes faſtidiamus*, id eſt, magnopere faſtidiamus. Exempla obuia in ſacris litteris. *Quem autem honorem*, &c. Quia Deo detrahit honorem, qui ſibi vindictam attribuit. Nam hæc eſt mera arrogatio, ideo ſignatè *arrogauerimus.*

178. 3. Nos putres vaſa fictilia, ſeruulis noſtris aſſumentibus ſibi de conſeruis vltionem grauiter offendimur: eoſque, qui nobis Patientiam obtulerint ſuam, vt memores humilitatis, ſeruitutis, ius dominici honoris diligentes, non probamus modò, ſed ampliorem quàm ipſi ſibi præſumpſiſſent, ſatisfactionem facimus. Id nobis in Domino tam iuſto ad æſtimandum, tam potenti ad perficiẽdum periclitatur? Quid ergo credimus iudicem illum, ſi non & vltorem? Hoc ſe nobis repromittit dicens, Vindictam mihi, & ego vindicabo, id eſt, Patientiam mihi, & ego Patientiam remunerabo. Cùm enim dicit, Nolite iudicare, ne iudicemini, nonne Patientiam flagitat? Quis enim non iudicabit alium, niſi qui patiens erit non defendendi? quis iccirco iudicat, vt ignoſcat? Ac ſi ignoſcet, tamen iudicantis impatientiam cauit, & honorem vnici iudicis, id eſt, Dei abſtulit.

Deut. 32. *Matth.* 7.

179. 3. Nos putridi & verè lutei homines, vt vaſa fictilia, & inſtar eorum, qui ſeruos habent, qui offenduntur grauiter de illis, qui conſeruos læſerint propter vindictam; eóſque ſeruos tuentur qui ſibi commiſerint vltionem ſuam, & abundantiorem adhuc, *quàm ipſi præſumpſiſſent, ſatisfactionem* verberibus expiant. *Id nobis in Domino*, &c. & putamus iniuriam nobis illatam periclitari apud Dominum, qui vt iuſtus æſtimabit quanta illa ſit; vt potens perficiet nobis abſoluétque omnino vindictam? *Quid ergo credimus*, &c. Iudex reſpicit iuſtum æſtimatorem, vltor potentem ad perficiendam vindictam. Fruſtra iudicem illum credimus, ſi non & potentem ad vltionem? Obſerua præceſſiſſe hæc duo, Deum videlicet eſſe & iuſtum æſtimatorem, & potentem ad vindictam: nam teſtimonia duo, quæ ſequuntur ex ſacris litteris, reſpiciunt; primum, potentiam; alterum, iuſtitiam. *Hoc ſe nobis repromittit*, &c. Firmat potentiam Dei ad vlciſcendum ex verbis ipſius Dei, *Mihi vindictam*, &c. Et explicat textum ſacrum, ita vt *Mihi vindictam*, ſit, mihi committite veſtram Patientiam: *& ego vindicabo* ſeu *retribuam*, ſit, ego, vindicabo Patientiam veſtram iniuria affectam. *Cùm enim dicit, Nolite iudicare*, &c. pergit ad aliud teſtimonium, quod habetur Matth. 7. & ait, verbis iſtis, *Nolite iudicari, ne iudicemini*: patientiam à nobis flagitari, id eſt, impensè peti. Quare? Quia ille dicitur non iudicare, qui *patiens* eſt *non* ſui *defendendi*, id eſt, qui patitur non ſe defendere. *Quis iccirco iudicat vt ignoſcat?* Poſſet aliquis obiicere Tertulliano. Da, vt aliquis ſit iudex ſui, dummodo ignoſcat, nam hoc videtur eſſe pium. Reſpondet, abſit. Nam iudex non debet ignoſcere, ſed punire. Vox enim *ignoſcendi* inſolita eſt auribus iudicis. De illis *ac ſi ignoſcet*, &c. vide Notas.

180. 4. Quantos verò casus huiusmodi impatientia incursare consueuerat? Quotiens pœnituit defensionem? quotiens instantia eius deterior facta est caussis suis? Quoniam nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi nouit: nihil impetu actum, aut non offendit, aut corruit, aut præceps abiit. Iam si leuiùs defendaris, insanies: si vberiùs, onerabis. Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non possum per impatientiam doloris? Quòd si Patientiæ incubabo, non dolebo: si non dolebo, vlciscinon desiderabo.

4. Clara hæc sunt, idcirco visum ad Notas reiicere, si quid habet difficultatis hic tractus.

NOTÆ.

181. 1. VLTIONIS LIBIDO.] Lactant. lib. 7. c. 10. de eo qui iniuriam accipit, ait: *Iræ impetus recepta vltione sedatur.*

1. NEGOTIVM.] Ita Petrus Chrysolog. sermone 24. loquens de voluptate, *carnis negotia.*

1. CVRANS.] Ita hic *curans negotium gloriæ.* vt lib. 1. ad vxor. cap. 8. *Stude modestiæ, quæ pudori procurat. & negotium curans* (ait) *gloriæ*, ad eum modum, quo Hilarius can. 3. in Matth. *Omnis seculi honor Diaboli est negotium.*

1. VBIQVE VANA.] Codices vulgares habent *vbique vna*, & possunt tolerari.

182. 1. SVPERIOREM SE IN EXSEQVENDA VLTIONE CONSTITVIT.] Pro altera explicatione quam attuli, est Augustinus, qui dixit in Psalm. 36. *Bonitate contende contra inimicum, & est salubre consilium, ne sint duo mali.* Adduxi duas explicationes, addo & tertiam in hac Nota, sed præmitto verba Themistij Euphradæ orat. 5. vbi cùm de Lycurgo dixerit sumpsisse vltionem de hostibus, non puniendo, sed benemerendo, subiicit, αἱρετὸν δὲ αὐτὴ νίκη, τιμωρία δὲ δυνάμεως: *Hæc est victoria virtutis, vindicta autem potestatis.* Ergo constituere se superiorem in vltione, erit, gerere se instar principis, & sibi arrogare iudicis potestatem. Ita idem postea ait, ποιεῖ δὲ πατέρα μὲν δικαιοσύνη, δυμὸς δὲ δεσπότην: *Iustitia facit patrem, iracundia dominum.* Etenim qui irascitur contra hostem, iam se facit dominum & superiorem.

183. 1. DVPLICAT.] Lenior est Seneca lib. 2. de Ira cap. 32. *Qui dolorem regerit, tantùm excusatiùs peccat.* Noster seuerior. Non excusatur, imò duplicat malitiam. Sed Tertullianum tuebitur Origenes, qui obseruat, eum qui malum pro malo reddit, grauiùs peccare eo qui simpliciter alterum lædit: nam hoc interdum ex ignorantia proficiscitur, illud nonnisi ex corrupta & deprauata voluntate. Huc pertinent acria verba Oecumenij hæc: *Si vituperandus ac miser est, qui malum facit, quare non fugis malorum imitationem? Sed vt te vlciscaris, obnoxium constituis temetipsum ac socium impietatis.* Vides, vt acriùs censeat de vlciscente, quàm de primùm prouocante.

184. 2. SOLATIVM.] Seneca lib. 1. de Clement. c. 21. *Vltio solatium affert ei, qui accepit iniuriam.* Tertull. lib. de Anim. *pro solatio vltionis.* Ego existimo, Hilarium can. 4. in Matth. huc alluisse, cùm scripsit: *Fides, nullius tam grauem dolorem esse patitur iniuriæ, vt vltionem expetat, & illatæ sibi quisquam vindex sit contumeliæ: quia in iudicio Dei, perpessis iniuriam, plus est consolationis.* Huc (inquam) alluit, vt dicat Hilarius, iactatur vulgò vltionem esse solatium iniuriæ illatæ, sed penes Deum maior est consolatio non vlcisci. De hoc solatio vltionis locutus Pacuuius,

Dij me etsi perdunt, tum esse aditum expetunt,
Quòd priusquàm intereo spacium vlciscendi dabunt.

& Ambros. de obitu Theodosij, *Complectitur Gratianum iam sua vulnera non mœrentem, quia inuenit vltorem.* Ioseph. lib. 13. cap. 18. Antiquit. loquens de Rege Ptolemæo ait, πλησθεὶς τῆς ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πάνυ χαρᾶς, *Plenus gaudio ex Alexandri* inimici *interitu.* Additque exultabundè obiisse diem, postquam pauit oculos abscisso Alexandri capite. Non est hic Alexander, Magnus ille.

2. PENES VERITATEM CERTAM, &c.] Aliqui *certam veritatem* legunt, alij *certæ malignitatis.* Primum placet, nam cum oppositione ad errorem. 185.

2. NISI QVOD ILLE PRIOR, &c.] Est hoc, quod Seneca laudato loco, sed verbis aliis: *Inhumanum verbum est vltio, & à contumelia non differt nisi ordine.*

B 2. OMNEM NEQVAM.] Rescribunt *omne nequam.* placet.

2. ABSOLVTE ITAQVE PRÆCIPITVR, MALVM MALO NON REPENDENDVM.] Quin hanc esse summam Christianæ disciplinæ ait Ambros. serm. 10. *Hæc enim nostra Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus Patientiam rependamus.*

2. SI FASTIDIENTES IN FASTIDIO VLTIONIS NON ERIMVS?] Legunt aliqui ex mss. *Si fastiditi antè in fastidio vltionis non erimus?* neque displicet. vel explica ita: Quomodo id obseruabimus, si fastidientes præceptum de non vlciscendo, non erimus, &c?

2. QVEM AVTEM HONOREM, &c.] Nota τὸν *honorem.* Hæc vox in prophanis sæpissimè idem est, quod *sacrificium.* Vide me in Virgilium, & puto C hoc sensu accipi in Tertull. nam coniungit *honorem litabimus.* Vt videas hominem abstinentem se ab vltione, facere Deo sacrificium sui: qui secus, minimè Deo litat.

2. SI NOBIS ARBITRIVM DEFENSIONIS ARROGAVERIMVS.] Non pigebit rescribere quæ habentur lib. 7. de vitis Patrum cap. 7. num. 1. *Quidam ex fratribus ab alio passus iniuriam, venit ad Abbatem Sisoim, & contumeliæ genus exponens, addebat, Cupio me vindicare. Senex rogabat eum, vt relinqueret Deo vindictam. At ille iterum, non desistam, inquit, nisi fortiter me vindicauero. Cui Abbas Sisois ait, quia semel hoc in animo posuisti, saltem oremus. Et exsurgens senex his verbis cœpit orare: Deus iam non es nobis necessarius, vt pro nobis sollicitus sis, quia nos ipsi, sicut iste frater dicit, & volumus & possumus vindicare.* Hoc verbum ita pupugit monachum, vt resipisceret. Honorem certè Deo detrahis, tanquam tibi non necessario, qui tuam tibi vindictam arrogas. 186.

3. NOS PVTRES VASA FICTILIA.] 187.

Legunt ex mſ. *Nos vtres vaſa fictilia.* Cui lectioni non ita plaudo, vt alij: ſatis eſt, non diſplicuiſſe. Illud *vaſa fictilia* illuſtrabis ex Hilario in libello ad Conſtantium Auguſt. qui *vaſa teſtea.*

3. SERVVLIS NOSTRIS, &c.] Idem pene eſt argumentum Saluiani lib. 3. de Gubernat. *Si ergo nos, qui homunculi imbecilli ſumus, contemni tamen à ſeruis noſtris nolumus, quos etſi nobis ſeruitutis conditio inferiores, humana tamen ſors reddit æquales: quàm iniquè vtique cæleſtem Dominum contemnimus?* Vide eundem lib. 4. ab illis verbis, *Sed quid miramur, ſi peccantes nos Deus verberat, cùm ipſi peccantes ſeruulos verberemus?* Vbi perpetuo tractu perſiſtit in hac vmbra ſeruitutis hominum ad Deum ex humana ſeruitute.

3. OBTVLERINT.] Commiſerint, dederint, vindicandam nobis tradiderint.

3. HVMILITATIS, SERVITVTIS.] Adimit Iunius diſtinctionem, legens *humilitatis ſeruitutis*, & probo, vt dicat memores humilitatis ſeruorum.

3. DOMINICI HONORES.] Ita ſuprà in ſermone ſeruorum, *pro Dominico ingenio.*

3. AMPLIOREM QVAM IPSI SIBI PRÆSVMPSISSENT.] Ita Saluian. lib. 2. de Gubernat. loquens de Deo: *Nec vindicauit tantùm, ſed cumulatiùs vindicauit, quàm ipſe voluit, qui vindicabatur.*

188. 3. SATISFACTIONEM FACIMVS.] Id eſt, verberibus ſæuimus in ſeruos, qui læſerunt conſeruos, quam ſatisfactionem læſi ipſi non accepiſſent. Explicui ita: nam *ſatisfactio* in ſermone ſeruorum capienda eſt de verberibus. lib. enim. 47. ff. l. 17. §. 4. audies: *Cùm ſeruus iniuriam facit, maleficium eum admittere palam eſt.* & poſt pauca. *In arbitrio domini eſt, an velit eum verberandum exhibere, vt ita ſatisfiat ei, qui iniuriam paſſus eſt.* & §. 6. *Si ante iudicem dominus verberandum ſeruum exhibuerit, vt ſatis verberibus ei fieret, & erit factum arbitratu alicuius, poſteà actor agere iniuriarum perſeuerat, non eſt audiendus. Qui enim accipit ſatisfactionem, iniuriam ſuam remiſit.* Vides vt ſatisfactio in ſermone ſeruorum capienda ſit de verberibus. Et lib. 2. ff. tit. 9. lege 5. dicitur de ſeruorum iniuria *ſatisfieri verberibus.* Quia ſcilicet ita puniri ſolent ſerui. Capitolinus in Pertin. *Seruus iuſſus eſt flagellis cæſus domino reſtitui.* Indicat ſcilicet factam fuiſſe ſatisfactionem.

3. PERICLITABITVR.] Eadem prorſus acceptione Hilarius lib. aduerſ. Arrian. *Fides apud Deum non periclitatur.*

189. 3. VINDICTAM MIHI, ET EGO VINDICABO.] Expendatur locus Gregorij Nyſſeni in epiſt. ad Flauianum, vbi loquens de iniuria ſibi facta, cùm præmiſerit non eſſe condonandam petulantiam inimici, imò deprimendam eius ſuperbiam, coërcendúmque inanem illius faſtum. Cùm hæc (inquam) præmiſerit, ita vt Lector poſſit putare, in vindictam ſui aſpiraturum Gregorium, egregiè legentes fallit, ſubiiciens, ὅπως δ' ἂν γένοιτο, Θεῷ μελήσει: *Vt autem id fiat, Deo erit curæ.* q. d. Iniuria mihi facta Deum habet vltorem, illi permitto qui meas audit querelas. Eſtque hoc quod Saluian. lib. 1. de Gubern. dixit de Sanctis Martyribus, *tunc Deo maximè curæ fuiſſe, cùm pro Deo paterentur.* Vindictam ſumit pro retributione, & in malam partem. Eſt enim retributio, & qua Deus bonis retribuit præmium, & qua malis ſupplicium. Gregor. Nazianzen. orat. 1. meminit ἀπαραδότως σκυθρωποτέρας τῆς ἐνδόξοτέρας, *Retributionis tam triſtioris quàm ſplendidioris.* Paulinus epiſt. 1. ad Aprum: *Nos igitur taceamus iſtis, loquentes ad Dominum ſilentio humilitatis, & voce Patientiæ, & tunc ipſe, qui inuictus eſt, pugnabit pro nobis, & vincet in nobis.*

190. 3. PATIENTIAM MIHI, ET EGO PATIENTIAM REMVNERABO.] Sumpta eſt ſententia ex verbis Deuteron. Quæ etiam Tertullianus ita interpretatur 2. in Marcion. c. 18. *Mihi defenſam, & ego defendam.*

3. DEFENDENDI.] Aliqui legunt, *Qui patiens erit non defendi.* poſſunt, ſed non eſt neceſſe. Imò nec fortaſſe poſſunt, quia belliſſima eſt oppoſitio inter *alium* Auctoris, & particulam *ſui*, quam ego ſubaudio. q. d. Ille *alium* poterit iudicare, qui *ſe* non defendit.

3. QVIS ICCIRCO IVDICAT, VT IGNOSCAT?] Clarè Tullius pro Ligario: ait enim iudicibus non dicendum, *Ignoſce, errauit, lapſus eſt, non putauit: ſi vnquam poſthac.* Nam hæc verba (ait ille) ad patrem dici ſolent, non ad iudicem. Et ratio præit. Nam ſi iudici dicas, *ignoſce*, perinde fateris de crimine. Inde & Themiſtius Euphrada orat. 5. ait virtutem ac laudem eſſe iudicis, ἐπιδεᾶ τοῖς νόμοις, *harere legibus, in quibus* ἀπηνὲς καὶ ἀμείλικτον, *duritia & ſeueritas.* Longè aliter cum patre agendum, hic enim (ait Chryſolog. ſerm. 3.) *peccanti filio dat oſcula, non flagella.* & addit rationem poſt pauca, *quia* videlicet *delicta non videt vis amoris, tardam miſericordiam pater neſcit.* Quamobrem idem Chryſolog. ſerm. 45. *Argue me vt pater, non vt iudex; corripe me non vt dominus, ſed vt parens.* Inde & Lotharius Princeps qui in patrem peccauerat (vt auctor eſt Nithardus, lib. 1. Hiſtor.) non dubitat, humillimè coram cunctis patri ante pedes procidere, vſus his verbis: *Noui me coram Deo & te domine Pater deliquiſſe.*

3. AC SI IGNOSCET, TAMEN IMPATIENTIAM IVDICANTIS CAVIT.] Latinius legit *patientiam*, reſpuo. Senſus eſt: eſto ignoſcat, tamen peſſimè facit, cùm ſe aliquis dat iudicem iniuriæ ſibi illatæ. Probat dupliciter. Primò: Quia omnis iudex debet eſſe impatiens, & non tolerans delicti, debet quippe punire iuxta probata, atque adeo impatientia delictorum propria eſt virtus iudicis. Ergo, ſi tu *caues*, id eſt, fugis, vitáſque, & declinas hanc impatientiam, ſaluámque illam & intactam relinquis, peccas grauiter. τὸ *cauere* eſt hîc, declinare, ad eum modum, quo *caue taurum*, id eſt, declina à tauro: ſic *cauit impatientiam*, id eſt, declinauit ab impatientia, virtute iudicum. Neque verò mirere *impatientiam* ſumi in bonam partem, nam ad hunc modum Hilarius ſcribens contra Arrianos, ita loquitur cum fidelibus: *Obſequor charitatis veſtræ impatientiſſimæ voluntati.* 191.

3. ET HONOREM VNICI IVDICIS, ID EST, DEI, ABSTVLIT.] Probatio altera. Nam cùm humani iudicis ſit non ignoſcere, & eſſe impatientem delictorum; tamen *vnici iudicis*, id eſt, *Dei*, eſt ignoſcere iniurias ſibi illatas. Ac perinde, ſi tu homuncio ignoſcas, aufers Deo honorem. Probat hoc eleganter Dionyſius Areopagita in epiſt. ad Demophilum, vbi multa de manſuetudine, clementia, bonitate, miſericordia, ignoſcentia Dei. Firmat Dionyſius curſum orationis ſuæ, verbis illis, *Neque eum habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* Vide ergo quantus hic iudex, qui tuas iniurias vlciſcitur, ſuas ignoſcit. 192.

4. QVANTOS VERÒ CASVS HVIVSCEMODI IMPATIENTIA INCVRSARE CONSVEVERAT?] Quantos in ſcopulos, & in quàm plurimos impatientia hactenus impegit? quot fecit naufragia? Eſt enim naufragium declinare à virtute iudicum, & Deo honorem auferre, & talia huiuſmodi. Itaque *incurſare caſus*, eſt, curſare frequenter in caſus, & impingere. Legunt ex mſ. *conſuenit*, quod arripio. 193.

4. QVOTIENS POENITVIT DEFENSIONEM?] Subaudi, factam à ſe.

4. QVOTIENS INSTANTIA EIVS DETERIOR FACTA EST CAVSSIS SVIS?]

Voces ſunt iuris. Senſus eſt: Sæpiſſime *inſtantia eius* defenſionis, impatientiæ, vindictæ propter illegitimum proſequendæ vltionis modum *deterior* iniuſtiórque fit & peior ipſis *cauſſis*, id eſt, iniuriis, ex quibus nata eſt ad vlciſcendum actio. Clariùs. Tu iniuſtior es in exigenda, quàm ille fuerit in iniuria inferenda. Eſt itaque hîc *inſtantia* pertinax quædam, aſſidua, & diligens veluti actio, qua inſtas prouocatori tuo.

194. 4. QVONIAM NIHIL, &c.] Quæ ſequuntur, probant ſuperiorem propoſitionem. Ponis rem tuam deteriore loco, quia omnis impatientia ſocium habet *impetum* miniſtrum ſæuiſſimum, quo rem ſuam tranſigit, perficit, operatur. Ab impetu autem quid potes ô miſer expectare, niſi aut *offenſam*, aut *ruinam*, aut *præcipitium*?

4. NIHIL IMPETV ACTVM.] Rectè dat impetui aut offenſam, aut ruinam, aut præcipitium, quia, vt rectè Seneca, epiſt. 54. *Breuis autem valde, & procellæ ſimilis, impetus eſt, intra horam fere deſinit.* Sed & præcipitium, & reliqua omnia, propria ſunt amentiæ: atqui Greg. Nyſſenus ſerm. 5. in orat. Dominica, ἄλογος καταφορά: *impetus amens.*

4. IAM SI LEVIVS DEFENDARIS, &c.] Ratio extrema deterrens à vindicta. Si leuiùs vlciſceris, quàm illata iniuria poſtulabat, ridiculus inſanúſque habeberis: ſi vberiùs & grauiùs, apud bonos æſtimatores iniuſtior, & cum maiori onere, vt qui non ad trutinam & condignitatem, rem agites, ſed excedas. Putabam locutionem iſtam *ſi vberiùs onerauerit*, duci vel à mammis, quæ cùm exuberant lacte, ſunt ponderoſiores: vel ab arboribus, quæ cùm vehementiùs vbertate exuberant, ita præ onere propendent, vt etiam ſuſtentaculis egeant, & furcis. Notetur hic, voculas *ſi ſi* eſſe, *ſiue ſiue*, idque vſu Latij. Plaut. Captiu.

Sinito ambulare ſi foris, ſi intus volent.

Id eſt, ſiue volent foris, ſiue intus. Inde eſt, vt *ſi* & *ſiue* ſe mutuò reſpiciant. Plaut. Curcul.

Si media nox eſt, ſiue eſt prima veſpera.

4. QVID MIHI CVM VLTIONE, &c.] 195. Aſpirat credo ad equeſtrem diſciplinam. *Vltor*, eſt ſeſſor; *vltio* ipſa, equus; *doloris impatientia*, ſtimulus, Verbum *regere* reſpicit frænum. Ergo: Quid *mihi* ſeſſori cum *vltione* equo effrenato, cuius modum furiáſque nequeo freno vllo *regere*, videlicet ſtimulante equum iſtum *dolore impatientiſſimo*?

4. QVOD SI PATIENTIÆ, &c.] Concluſio. Quòd ſi à tam effrenato & ſubſultante equo deſcendam, neque in molliſſimum lectulum Patientiæ traduxero, ibique hærebo & totus dormiturus *incubabo*, longè aberit *dolor* ille, qui ſtimulator eſt; ac perinde *vlciſci non deſiderabo*, non vtar *vltione* equo amentiſſimo. Cur enim non continuem perpetes locutiones? aut cur hoc damnes Lector?

4. INCVBABO.] Hilarius can. 16. in Matth. *Operibus ſeculi incubare.* Laudo illos qui hoc verbum ad ſomnum referunt: nam Greg. Nyſſ. ſerm. 1. de Orat. πολλοῖς ἐπικαθεύδησου παλάντοις: *Talentis multis indormire.* Item illos, qui ad facultates & opes. Valerian. Epiſcop. Cemeliens. Homil. 8. *Incubare facultatibus alienis, & coacernatam pecuniam infelicium lacrymis comparatam in diem adnumerare ſæculi hæreditatibus profuturam.*

CAP. XI. ARGVMENTVM.

Patientes, felicißimi ſunt.

TERTVLLIANVS.

196. 1. POST has principales impatientiæ materias, vt potuimus regeſtas, quid inter cæteras euagemur, quæ domi, quæ foris?

EXPLICATIO.

1. PRINCIPALES, quas exſecutus eſt capitibus ſeptimo, octauo, nono, decimo: in quibus de contemnendis opibus ſeculi, perferendis iniuriis, mortuis non lugendis vltra modum, non vlciſcendis hoſtibus: iſtæ enim principales *materiæ*, & veluti ſylua ſuccreſcentis impatientiæ. *Regeſtas*, digeſtas per ſua capita, ſcriptis mandatas à me, & explicatas. *Euagemur*, commodè hoc verbum, nam euagari ſolent errabundi per ingentes ſyluas: atqui de impatientia *materias*, id eſt, ſyluam dixit. *Quæ domi, quæ foris.* Nam vbique occurrit materia impatientiæ.

197. 2. Lata atque diffuſa eſt operatio mali, multiplicia ſpiritus incitamenta iaculantis, & modò paruula, modò maxima.

2. *Lata atque diffuſa eſt*, vt ſylua ingens in omnem partem ſuccreſcentibus ramis implicita. *Mali*, dæmonis, antonomaſticè; hic enim verè πονηρός. *Iaculantis*, vt qui bellum gerat contra ſpiritum ad concutiendum illum. & quia *iaculantis*, ideo conſequenter *multiplicia incitamenta*, quaſi imbrem ſagittarum iaculetur. Certè occaſiones multiplices, quæ *domi ac foris*, ſagittæ ſunt hinc inde conuolantes.

198. 3. Sed paruula de ſua mediocritate contemnas, maximis de ſua exuberantia cedas. Vbi minor iniuria, ibi nulla neceſſitas Patientiæ: at, vbi maior iniuria, ibi neceſſarior iniuriæ medela Patientia.

3. *Sed paruula*, &c. ita comparati ſimus, vt minima contemnamus incitamenta, maximis cedamus: illa, propter mediocritatem; iſtis, propter exuberantiam. Non eſt ſententia: contemne paruula, maximis cede, id eſt, ſuccumbe aut fuge quantumuis tibi videatur: numquam enim in hac re ſuccumbendum, aut fugiendum (tametſi hoc conſilium in libidine & luxuria opportunum ſit) ſed nitendum obſiſtendúmque patientiſſimè. Nam ſi cedas, id eſt, ſi fugias, nulla eſt gloria Patientiæ. & quidem hoſti ſuccumbere, turpe eſt. Ergo, hîc *cedere* eſt quod infrà *eludere*, verbo gladiatorio. Ita enim ſtabant contra ſe gladiatores, vt parua corporis declinatione ictus vitarent, eludendo, & cedendo paululum. Ita ariſtæ & fragiles arundines vincunt ferociſſimos ventos, cedendo ſcilicet, eludendo, declinando. Itaque, ne fuge, ne ſuccumbe, ſed reſiſte cedendo. Inde conſequenter, *Vbi minor iniuria*, &c. Nam parua iniuria

contemnitur, neque eſt neceſſarium contra illam aduocare Patientiam: at, vbi magna eſt iniuria, ibi *neceſſarior* (id eſt, maximè neceſſaria) eſt Patientia ad reſiſtendum, quæ vnica medela iniuriæ. Percurro quædam. *De ſua mediocritate*, id eſt, propter. *Exuberantia*, tolerari poteſt: ſed non diſplicet, qui legit *exuperantia*, cum oppoſitione ad mediocritatem. *Medela*, dicit hoc ſui memor, quippe in primo capite de Patientia locutus eſt, vt de medico.

199. 4. Certemus igitur, quæ à Malo infliguntur, ſuſtinere, vt hoſtis ſtudium æmulatio noſtræ æquanimitatis eludat.

4. Dicit occaſiones patiendi oriri à triplici fonte, videlicet, à Dæmone, à nobis, à Deo. Loquitur primùm de Dæmone. Firmat autem hæc periodus meam explicationem. Non cedendum eſt in hoc bello, id eſt, fugiendum, ſed *certandum*. Quod verò hoc *certamen*? certè *ſuſtinere* patientiſſimè, quæ à dæmone infliguntur vulnera: vt tanti *hoſtis ſtudium eludat æmulatio noſtræ æquanimitatis*, id eſt, Patientiæ. Quò loci verbum *eludo* explicat ſuperiorem voculam *cedas*. Nam ſcilicet *eludendo* vincunt gladiatores: Si enim aut *cedere* aut *eludere* eſſet fugere, non diceret, *ſuſtinenda quæ infliguntur*, nam qui hoſtem fugit, non ictum ſuſtinet. Ergo ſi hoſtis ſtudium pertinax fuerit, æmulare tu eius pertinaciam eludendo.

200. 5. Si verò quædam ipſi in nos aut imprudentia, aut ſponte etiam ſuperducimus, æquè patienter obeamus, quæ nobis imputamus.

5. En fons alter, id eſt, nos *ipſi*. *Aut imprudentia*, videlicet inconſiderati & imprudentes futuri, aliquid facimus, vnde occaſio amittendæ Patientiæ. *Aut ſponte etiam*, ita ſumus interdum affectu malo occupati, vt cùm prudenter videamus periculum imminere, tamen ſponte & volentes aggrediamur. *Æquè patienter obeamus*, tam quæ imprudentes periculi, quàm quæ ſpontanei & prudentes. *Quæ nobis imputamus*, Quaſi hæc ſit ratio tolerandi. Cur non obeas patienter, quæ tu tibi facis? Tibi imputa, non alteri.

201. 6. Quòd ſi à Domino nonnulla credimus incuti, cui magis Patientiam, quàm Domino præbeamus? Quin inſuper gratulari & gaudere nos docet, dignatione diuinæ caſtigationis. Ego (inquit) quos diligo, caſtigo.

6. En fons tertius, id eſt, Deus; præceſsêre enim iam quæ à Dæmone, quæ à nobis, nunc de illis quæ à Domino. *Præbeamus*? In cuius meliùs gratiam, quàm in Domini, patiamur? Cui meliùs committamus Patientiam noſtram? *Quin inſuper*, &c. An verò iubet ſolùm, vt patiamur? non hoc tantùm. Imò vt patiamur gratulabundi erga ipſum pro tanta occaſione, & gaudenter. *Dignatione*. Nam verè dignatio diuina eſt, nos caſtigari. Probat. Quia ipſe Dominus, *Quos diligo, caſtigo*. Ergo & *patiamur* & gratias illi agamus pro tanto munere, & hoc *gaudenter*: nam pati nos *dignatio* eſt Dei, & beneficium, imò altiori verbo *dilectio*.

202. 7. O ſeruum illum beatum, cuius emendationi Dominus inſtat! Cui dignatur iraſci, quem admonendi diſſimulatione non decipit.

7. Exclamatio iſta firmat præcedentem orationis curſum. *Inſtat*, Domini dicuntur inſtare ſeruis ad laborem explendum & penſum, ſed Dominus verus non vexationi tuæ, ſed emendationi. quantum hoc eſt! *Cui dignatur iraſci*. A Deo vel *iræ* ipſæ beneficia ſunt, & mera *dignatio*, quia ad noſtram emendationem. *Quem admonendi*, &c. Qui alium odio habet, diſſimulat eius delicta, & ita decipit: non is eſt Deus. Ergo beatus ſeruus, cui *inſtat* Dominus, cui *iraſcitur*, quem *admonet*, cum quo *non diſſimulat*, quem non *decipit*.

203. 8. Vndique igitur adſtricti ſumus officio Patientiæ adminiſtrandæ. Quia quaqua ex parte, aut erroribus noſtris, aut mali inſidiis, aut admonitionibus Domini interuenit vſus eius officij, magna merces, felicitas ſcilicet.

8. *Vndique igitur*, collectio ex ſuperioribus. *Adſtricti*, id eſt, deuincti: præceſſit quippe mentio ſeruorum. Ideo ſequitur, *Officio Patientiæ adminiſtrandæ*, nam ſeruorum eſt adminiſtrare, & eſſe in officio heri. *Quia*, reddit rationem, cur vndique adſtricti. *Quaqua ex parte*, id eſt, quacunque ex parte, omni ex parte. *Erroribus noſtris*, quos poſuit ſecundo loco, *Mali inſidiis*, quas primò. *Admonitionibus Domini*, quas tertiò. *Magna merces*, cum reſpectu ad ſeruos. *Felicitas*, quod ſuprà, *ô ſeruum illum beatum*.

204. *Matth. 5.* 9. Quos enim felices Dominus niſi patientes nuncupauit, dicendo: Beati pauperes ſpiritu, illorum eſt enim regnum cœlorum. Nullus profectò ſpiritu pauper, niſi humilis. Quis verò humilis, niſi Patiens? quia nemo ſubiicere ſe ſe poteſt ſine prima Patientia ſubiectionis ipſius.

9. Probat patientes dictos eſſe felices à Deo. Quia nemo *pauper ſpiritu niſi* ſit *humilis*: nemo eſt humilis *niſi* ſit *patiens*: ac perinde nemo pauper ſpiritu niſi patiens: cùm ergo pauperum ſit regnum Dei, erit ſubinde & patientum. En felicitas. Illud ſine *prima Patientia*, eſt, ſine Patientia præuia, & præeunte.

205. *Ibid. Luc. 6.* 10. Beati, inquit, flentes atque lugentes. Quis talia ſine Patientia tolerat? Itaque talibus & aduocatio & riſus promittitur.

10. Probat ſecundò eandem felicitatem. *Talia*, id eſt, fletum & luctum. *Aduocatio*, id eſt, conſolatio, vtique παράκλησις. Si ergo conſolati, & ridentes, certè felices.

206. 11. Beati mites. Hoc quidem vocabulo impatientes non licet omnino censeri.

Matth. 5. 11. Probat tertiò. *Censeri.* Quàm iniusta hæc censura, & crisis!

12. Item cùm pacificos eodem titulo felicitatis notat, & filios Dei nuncupat, nunquid impatientes Pacis affines? stultus hæc senserit.

12. Probat quartò. *Notat*, in bonam partem accipit. *Pacis affines?* Quæ cogitatio pacifico cum impatiente? Putare id, summa stultitia.

207. 13. Cùm verò gaudere & exultare dicit, quotiens vos maledicent & persequentur, merces enim vestra plurima in cælo: id vtique exultationis non impatientiæ pollicetur: quia nemo in aduersis exultabit, nisi antea ea contempserit: nemo contemnet, nisi Patientiam gesserit.

13. Probat demum eandem felicitatem, quintò, ab exultatione, quàm Deus pollicetur patientibus persecutionem; idque propter mercedem cœlestem: atqui *id exultationis*, id est, exultantiam istam *non pollicetur* Deus *impatientiæ*. quia impatiens non potest exultare, vt qui omnia putet per suam impatientiam sibi esse aduersa, & *in aduersis* nulla est exultatio: contrà patiens semper exultabit, quia per Patientiam, quam secum gestat, ita contemnit aduersa, vt nihil putet esse aduersum, imò omnia prospera. His ergo rationibus quinque, Patientes dici possunt pleno ore felices: à qua felicitate longè absunt Impatientes.

NOTÆ.

208. 2. LATA ATQVE DIFFVSA EST OPERATIO MALI.] Explicui cum respectu ad Syluam, vt etiam verba quæ præcesserunt, ductus cursu ipsius Tertulliani, qui lib. de Idolol. cap. 2. ita: *Sufficit sibi tam inimicum Deo nomen, tam locuples substantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tot venas defundit, vt de hoc cùm maximè materia susceptа sit, quot modis nobis præcauenda sit idololatriæ latitudo.*

2. OPERATIO MALI, MVLTIPLICIA. In vulgatis est, *Operatio Mali. Multiplicia*, &c. Vide vt interpunxi, omnino meliùs, quod iam alij ante me. Vt hic *Mali*, id est, dæmonis, ita Nazianz. orat. 1. τῷ πονηρῷ. Ignatius Martyr epist. ad Philadelph. σπέρμα τῷ πονηρῷ: *Semen Mali.* & sæpe alij.

209. 3. CEDAT.] Explicui cum intuitu gladiatorij ludi. Nam verè hic *cedo*, quod Seneca *excedo*, ex eodem ludo epist. 75. *Nemo manum conserit cum excedente, nemo exeuntem ferit.* Ars enim erat cedere, & exire atque cauere ictus, & ita aduersarium lassare; quo sensu Plato lib. 1. Polit. dixit πυκτικὴν φυλάξασθαι. Alij *vitare* & *declinare*. & Virgilius lib. 5.

--- oculis vigilantibus exit.

Vbi ego de hac re. & Tertullianus certè dicit idem quod Ambros. lib. 1. offi. c. 5. *Hæc sunt arma iusti vt cedendo vincat, sicut periti iaculandi cedentes solent vincere, & fugientes grauioribus sequentem vulnerare ictibus.*

3. NVLLA NECESSITAS PATIENTIÆ.] Ita legendum, non *impatientiæ*, cum Pamelio, nam ab hac lectione difficilè te expedies, & nunquam ad gustum. Vel si legas *impatientiæ*, explica, *nulla necessitas*, id est, nulla occasio impatientiæ.

210. 3. NECESSARIOR.] Nomen comparans, & huic Afro vsitatum. Nam lib. de carne Christi, *necessarius aliquid.* & lib. 4. aduers. Marcion. *Maius & necessarius lumen.* & de Hab. Mulieb. *Plures & necessariores.* Rhen. Pamel.

3. MEDELA PATIENTIA.] Ita legi volui cum Latinio, non *medela Patientiæ*, cum Pam. & Rhen.

4. ELVDAT.] Ex penu, vt dixi, gladiatorio. vt & Cicero. *Quamdiu nos furor iste tuus eludet?* Seneca epist. 53. *Leuia tela laxo sinu eludit.* Prudentius gestum eludentis ita explicat,

Cur mihi fas non sit lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas ictu præeunte sagittas?

Manilius lib. 5.

A *Ille cito motu rigidos eludere cestus.*

Vtique quod Ambros. l. 1. offic. c. 10. *Aduersariorum declinat ictus, & vigilanti exit obtutu.*

5. AVT IMPRVDENTIA, AVT SPONTE.] Vtrumque hoc *erroris* nomine comprehendit infrà. Ideo explicui de spontaneo incursu cum scientia periculi, qui error magnus.

6. PATIENTIAM PRÆBEAMVS.] Cyprian. *Martyribus præbere Patientiam.* 211.

6. QVIN INSVPER.] Non displicent, qui rescribunt, *Qui insuper*, sed non est necesse.

6. GRATVLARI ET GAVDERE.] Gaudium exultantiámque, quæ esse debet in Patiente, docent nos antiqui Patres. Nunc mihi ante oculos Ephrem ille Syrus, qui sermone de Patientia: *In Patientia inueniamur viriles ac strenui, prompti atque alacres, paratos nos exhibentes ad tolerandum vsque ad mortem.* Iterum: *Qualescunque tribulationes graues* B *atque molestas opportunè faciléque cum gaudio sustinebimus.* & opere de Virtutib. & vitiis, cùm præmiserit Patientem cunctis virtutibus exornari, principe loco ponit, *Gaudet in aduersis, in tentationibus exultat.*

6. DOCET.] Alij *decet*, non displicet, sed non est necesse.

7. CVI DIGNATVR IRASCI.] Præclarè, nam iræ Dei in nos procedunt ex mera eius dignatione & misericordia, vt corrigamur. Vxor Iuliani Apostatæ, pia & sancta fœmina, cùm videret impium maritum supplicio affectum à Deo, dixit illi, vt est apud Theodoritum lib. 3. Hist. c. 12. οὐκ ἔγνως τὶς ὁ παρ' σου πολεμούμενος, εἰ τῇ συνήθει μακροθυμίᾳ χρησάμενος πάντας σοι τοὺς δικαίους πληγὰς ἐπήγαγεν: *Planè ignorasses, quem oppugnasti, nisi consueta sua lenitate vsus has plagas diuinitus tibi inflixisset.* Vide plagas inflictas à Deo dici C meram lenitatem. Vide eundem scriptorem cap. 17. eiusdem libri, vbi supplicia inflicta Iudæis vocat etiam, θείαν μακροθυμίαν, id est, indulgentiam diuinam, lenitatem, dignationem. Hæc enim omnia denotat vox Græca. Cassian. collat. 6. c. item 6. *Quem diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Quis enim est filius, quem non corripit pater?* 212.

7. QVEM ADMONENDI DISSIMVLATIONE NON DECIPIT.] Præclarè. Nam dissimulare, decipere est. Itaque signatè Germinius in Rescripto ad Rufianum, & Palladium, *Miror prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certè subdolè dissimulare quid gestum definitúmque sit.* Dicebat mona- 213.

chus quidam, vt habetur lib. 7. de vitis Pat. *Qui beatificant nos, decipiunt nos, & ſemitam pedum noſtrorum ſubuertunt.* vbi *beatificatores* vocat diſſimulatores & ſubornatores alieni defectus. Hilarius in fragmentis, *Dolum veſtrum in non anathematizandis veſtris ſtatim prodidiſtis.* Dolum ait fuiſſe diſſimulare cum illis, qui digni erant anathemate. & poſt pauca coniungit verbum *fallo* cum *ſimulatione.* Ephrem quoque Syrus ſerm. de Patientia: *Fallax ſimulatio.* Cęterùm ex dictis Tertulliani colligit Ant. Fernand. Noſter Viſ. 11. Magnum prædeſtinationis argumentum eſſe, ſi quis ob reatus ſuos ſtatim à Deo corripiatur.

214. 8. QVIA QVAQVA EX PARTE, &c.] Huic loco malè affecto ſubuenit ex mſ. Ioann. Wouer. quem ſecuti ſumus, nam licèt conſtare ſententia poſſit, ſi ſequaris vulgares editiones, ſed difficilè & implicatè.

9. QVOS ENIM FELICES DOMINVS.] En quem ſuprà *beatum*, hîc *felicem* nominat, & vtrumque cum reſpectu ad animum & beatitudinem. Abſit ergo calumnia illorum, qui dicunt *felicitatem* minimè huc referendam, quia Ariſtot. diſcriminat inter εὐδαιμονία & εὐτυχίαν, qua calumnia & Virgilius petitur lib. 2. Georg. vbi agricolas vocat *felices.* Vide vt illum defendi, & transfer ad locum hunc Tertulliani.

9. QVIS VERÒ HVMILIS, NISI PATIENS?] Ita debere legi ratio poſtulat: nam vocula *enim*, quæ in vulgatis, nullius rei reddit rationem. Cognationem autem & affinitatem *Humilitatis* & *Patientiæ* docet Ruffinus Preſbyter Aquileienſis, loquens de Abbate Anaſtaſio lib. 3. de vitis Patrum num. 80. Quem locum noto, quia cùm ibi ſermo ſit de mera Patientia, tamen quæ ibi narrantur, tribuuntur æqualiter & Patientiæ, & Humilitati. Caſſian. collat. 18. c. 13. ſic: *Patientia vera atque tranquillitas abſque profunda cordis humilitate, nec acquiritur nec tenetur.* Quod probat ſequenti capite.

215. 10. QVIS TALIA SINE PATIENTIA TOLERAT?] Notat Turnebus affectatam falſamque Philoſophorum Patientiam dici propriè *tolerantiam.* Nam Capitolinus de Antonin. Philoſopho: *Habitum Philoſophi ſumpſit, & deinceps tolerantiam.* Quem habitum? *cùm ſtuderet in pallio.* Quam tolerantiam? *cùm humi cubaret.* Poſſum Turnebum refutare. Nam certè Capitolinus ita dixit *tolerantiam*, vt poſſet *Patientiam*, nullo occultiore ſenſu. Nam Patres ſæpe *tolerantiam* ſumunt pro vera & Chriſtiana Patientia. Vt hîc Tertullianus, & Hilarius lib. aduerſus Arrianos, *dolore, Patientia, tolerantia.* & Cyprian. de Bono Patient. loquens de Chriſto, *Paternam Patientiam tolerantiæ tenore ſeruauit.* & Liberius in epiſtola antequam iret in exilium, *Tolerabiliter ferre ſuperuenientes impetus.* ſcilicet hoſtium Eccleſiæ Dei. Hincmarus Archiepiſc. Remenſ. ait munus eſſe Epiſcoporum *patienter tolerare.* Saluian. l. 2. de Gubern. *Chriſtus paſſionem mortémque tolerauit.* Aldhelm. de Virg. cap. 8. *Longanimem Patientiæ laborem tolerare.* & Ioann. Chryſ. Homil. 4. ad Pop. vſurpat non ſolùm ἀνέχομαι, ſed etiam καρτείαν, quæ vox verè notat *tolerantiam.* Baſilius quoque quadraginta Martyribus dat καρτείαν. & Cyrill. Alex. de Deo ὑπομονήτωρ, in cap. 2. Amos. ita & Cyprian. dicto loco coniunxit verba *ſuſtineo* & *tolero.* Imò Hieron. de Regulis Monachor. ita definit Patientiam Chriſtianam: *Eſt Patientia omnium iniuriarum & paſſionum tolerantia.* Quid quòd de illa falſa & affectata virtute Gentilium, ego *Patientiam* dici video in Ammian. lib. 16. non Tolerantiam, eò loci quo loquitur de triumpho Conſtantij Imperatoris.

10. ADVOCATIO.] Ita lib. 3. aduerſ. Marcion. *Aduocare languentes*, pro, conſolari. Vide Pamel.

12. TITVLO.] Vox hæc in vſu Patrum. Valerian. Epiſc. Homil. 13. in illa verba, *Diligite inimicos veſtros*, ſic ait: *Nemo ſub hoc mandati titulo, æſtimet ſe aliquod inimico præſtare beneficium. Qui inimicum diligit, ſe diligit. Sibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compeſcuit: & ſuum corpus texit, qui armato hoſti precibus obuiauit, negotio quodam conatus ſeruare reuerentiam pugnatori. Nam partem conſtat eſſe victoriæ prælium oblato auri pondere redemiſſe.* 216.

13. ID VTIQVE EXVLTATIONIS NON IMPATIENTIÆ.] Ita correxi, & credo feliciter, tantùm tranſpoſitione vnius voculæ, nam in vulgatis turbata eſt ſententia. Ergo, hoc loco *id exultationis*, eſt, hanc exultationem, commodiſſima ſententia, quam turbabis ſi præponas negatiunculam *non.*

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Patientia miniſtra Pacis, Pœnitentiæ, Charitatis.

TERTVLLIANVS.

217. *Matth. 18.* 1. QVOD Pacis gratiſſimæ Deo adtinet diſciplinam, quis omnino impatientiæ natus, vel ſemel ignoſcet fratri ſuo, non dicam ſepties, ſed ſeptuagies ſepties?

EXPLICATIO.

1. CVM habeas Dei *diſciplinam*, didiceríſque ab illo, ignoſcendum *fratri*, certè tu impatiens nõ ſemel ignoſces, quantominus *ſepties*; quantò adhuc minùs *ſeptuagies ſepties.* In ſumma, nunquam ignoſces. Q. d. Non dicam ſepties, ſed nec ſeptuagies ſepties. Vt qui ſis *natus* filiúſque (vide Notas) *impatientiæ*, indulgentiſſimæ matris. *Diſciplinam* regit verbum *adtinet* ex vi præpoſitionis.

218. 2. Quis ad iudicem cum aduerſario ſuo dirigens negotium conuenientia ſoluet? Niſi priùs iam doleret, duritiam, amaritudinem, venena ſcilicet impatientiæ amputaret.

2. Nemo *dirigens*, id eſt, intendens litem ſuo aduerſario, cum eo conueniet. Pergit. *Niſi priùs*, &c. Dolor acceptæ iniuriæ conſeruat in anima duritiam obſtinatam, vt non ignoſcat: & amaritudinem, qua crucietur, quæ duo *venena* ſunt *impatientiæ.* Ergo ait: *Niſi* qui accepit iniuriam *priùs doleret, amputaret* profectò euellerétque ex anima duo hæc venena, conuenirétq; cum irrogante iniuriam, neque vellet vindictam

adire, quæ inſtar ſæuiſſimi iudicis. Expende *veneni* vocem. Qualis erit impatiens, cùm alatur veneno? quantum venæ turgeſcent ex non concocta duritie? quàm peſtilens erit afflatus ex amaritudine?

219. 3. Quomodo remittes, & remittetur tibi, ſi tenax iniuriæ per abſentiam Patientiæ fueris?

Luc. 6.

3. Acutiſſimè rem redigit ad impoſſibilitatem. Nota & antitheta, *tenax iniuriæ*, & *abſens à Patientia*, id eſt, carens.

Matth. 5. 4. Nemo conuulſus animum in fratrem ſuum, munus apud altare perficiet, niſi priùs reconciliando fratri reuerſus ad Patientiam fuerit.

4. Quia ſcilicet inchoatum ſacrum, non debet perfici, ſi ſubierit illata iniuria: imò relicto munere, abeundum ad reconciliationem. *Conuulſus animum* helleniſmus eſt, id eſt, homo conuulſo animo. Locutio à plantis ſumitur. Conuulſiſti à te humanum animum, tu verè ἄψυχος es, & propior ſaxo quàm homini.

220. 5. Sol ſuper iram noſtram ſi occiderit, periclitamur. Non licet nobis vna die ſine Patientia manere.

Eph. 4.

5. Explicat; aut, ſi mauis, rationem reddit illius, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Cur? quia *periclitaris*. Quod hoc *periculum*? mors, cuius auſpicium in ipſo eſt verbo. Clarè. Sol ſuper iracundiam tuam ne occidat, ne tu fortaſſe ea nocte occidas. en periculum. Ideo, addit, *Non licet nobis vna die ſine Patientia manere*. Hæc mihi viſa eſt mens Tertulliani. Malo opinionem ſcrutantis, quàm oſcitantis. Vel tu tecum cogita, quale ſit illud periculum, non pugnabo.

221. 6. At enim cùm omnem ſpeciem ſalutaris diſciplinæ gubernet, quid mirum quod etiam pœnitentiæ miniſtrat, ſolitæ lapſis ſubuenire, cum diſiuncto matrimonio (ex ea tamen cauſſa, qua licet ſeu viro, ſeu fœminæ ad viduitatis perſeuerantiam ſuſtineri) hæc expectat, hæc exoptat, hæc exorat pœnitentiam quandoque inituris ſaluté. Quantum boni vtrique confert? alterum adulterum non facit, alterum emendat.

222. 6. Nouum argumentum ad tollendam dignitatem Patientiæ, nam non contenta gubernare Chriſtianam omnem diſciplinam, eſt inſuper pœnitentiæ, quæ virtus *lapſis* ſubuenit, miniſtra & comes. Adhibet exemplum in ſeparatione lecti, & diuortio, nam ſi hoc fiat, Patientia exoptat, expectat, & exorat ſalutem coniugibus inituris tandem (nam hoc eſt, *quandoque*) pœnitentiam. & ita *vtrique confert bonum maximum*: nam *virum*, &c. Percurro quædam, vt plenè capias. *Gubernet*, quantum eſt Patientiam dici *gubernatricem* Chriſtianæ diſciplinæ ſeculum hoc enauigantis! *Miniſtrat*, nam Pœnitentiam coadiuuat ſua tolerãtia. Quid quòd pati pars eſt pœnitentiæ, & ita in miniſterio illius? *Ex ea tamen cauſſa* &c. Incluſi parentheſi ad maiorem diſtinctionem. *Qua licet*, explicatio Rhenani & Pamel. non diſplicet, ea in promptu eſt. Proponam meam. Loquitur credo de diſiunctione matrimonij propter adulterium. Ergo ait: Patientia ideo eſt miniſtra Pœnitentiæ, quia facit, vt alter coniugum, qui adulterium commiſit, corrigatur: alter verò, qui adulterum à ſe repulit, facit Patientia, vt non adulteretur, ſed caſtè viuat: ſic videlicet ſuſtinebunt *ad perſeuerantiam viduitatis*, id eſt, perſeueranter ad ſimilitudinem viduorum. En bonum illud, quod vtrique confert; Clariùs verbo vnico. Repudiatum emendat, repudiantem conſeruat in caſtitate. Ait *expectat* proprio verbo Patientiæ. *Exoptat*, tacitis votis & patientiſſimis. *Exorat*, veluti iam voti ſui compos; nam *exorare* eſt conſequi orando. *Quandoque*, vox mirè hîc poſita, ſed hoc dicam in Notis.

223. 7. Sic & illis Dominicarum ſimilitudinum exemplis de Pœnitentia ſanctis adeſt.

7. Non ſolùm miniſtra eſt Pœnitentiæ illorum, qui ſunt in diuortio, ſed etiam ſanctiſſimas Chriſti parabolas, quæ pertinent ad Pœnitentiam, videbis ſine ea exerceri non poſſe. Ait *adeſt*, videlicet vt miniſtra, cum reſpectu fortaſſe ad apparitores, qui *adeſſe* dicebantur.

224. 8. Erroneam ouem Patientia Paſtoris requirit & inuenit. Nam impatientia vnam facilè contemneret. Sed laborem inquiſitionis Patientia ſuſcipit, & humeris inſuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam.

Luc. 15.

8. Adhibet pro exemplo duas parabolas de Pœnitentia, primam paſtoris quærentis ouem errantem. Ait *requirit*, ad indicandum ſtudium eius ſæpe quærentis, & poſtea *inquiſitionis*, quibus opponit verbum *contemneret*. Itaque Patientia *requirit*, & *inquirit*, impatientia *contemnit*. Cùm ait deinde, *Patientia ſuſcipit*, poteſt eſſe & rectus, & etiam caſus Latinus, in primum inclino. *Humeris inſuper aduehit*, &c. En vt Patientia miniſtret Pœnitentiæ. Nota & proſopopœias; nam *Patientia* & *Impatientia* tanquam duæ perſonæ opponuntur; illa perquam ſedula, iſta, perquam ſegnis. Ita ſcilicet oratio attollitur, & ſermonis dignitas.

225. 9. Illum quoque prodigum filium Patientia patris & recipit, & veſtit, & paſcit, & apud impatientiam irati fratris excuſat. Saluus eſt igitur, qui perierat, quia pœnitentiam iniit. Pœnitentia non periit, quia Patientiam inuenit.

Luc. 15.

9. En alteram de Pœnitentia parabolam. Pœnitenti Prodigo ita ſe in omnibus ſedulam miniſtram præbuit Patientia, vt illi omnia debeantur, ſcilicet *receptio*, *veſtitus*, *paſtus*, *excuſatio* ab ira fraterna. Vnde præclarè colligit, ſaluum fuiſſe Prodigum, cùm *iniit Pœnitentiã*. quia in omnibus Patientiam inuenit adiutricem.

226. 10. Nam Dilectio ſummum Fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, quã Apoſtolus totis viribus Sãcti ſpiritus cõmendat, cuius niſi Patiẽtiæ diſciplinis eruditur?

10. Omittit Pœnitentiam, & pergit ad charitatem, cuius adminiſtra in omnibus Patientia eſt, imò magna illa virtus magiſterio Patientiæ eruditur. Quantum hoc eſt! Inde fit, vt encomia charitatis cedant in gloriam Patientiæ. Eſt enim maximum, virtutem illam, quæ eſt *ſummum Fidei ſacramentum*, quæ *Chriſtiani nominis theſaurus*, quæ commendatur à Paulo, non ſermone humano, ſed *viribus Sancti ſpiritus*, hiſque *totis*, hanc (inquam) virtutem magiſterio Patientiæ erudiri.

227. 11. Dilectio, inquit, magnanimis eſt: ita Patientiam ſumit. Benefica eſt: malum Patientia non facit. Non æmulatur: id quidem Patientiæ proprium eſt. Nec proteruum ſapit: modeſtiam de Patientia traxit. Non inflatur, non proteruit: non enim ad Patientiam pertinet. Nec ſua requirit, ſed offert ſua dum alteri proſit, nec incitatur: cæterùm quid impatientiæ reliquiſſet. Ideo, inquit, Dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat, vtique quia Patiens.

228. 11. Probat iam charitatem à Patientia erudiri. Primò, cùm ſit charitas *magnanima*, hoc ſumit de Patientia, quæ eſt longanimis & pertolerans. Si *benefica*, certè Patientiæ ita hoc eſt cognatum vt nunquam malum faciat. Tertiò, *non æmulatur*, id quidem proprium eſt Patientiæ. Quartò, *non ſapit proteruum*, hæc modeſtia certè à Patientia trahitur. Quintò, ideo *non inflatur, nec proteruit*, id eſt, non agit perperam, quia inflari aut proteruire non pertinet ad Patientiam. Sextò demum charitas, non *requirit ſua*, imò *offert* illa vt proſit aliis, neque *incitatur* vllo malo affectu; id enim ſi faceret, *reliquiſſet quid*, id eſt, aliquid, *impatientiæ*, & quia nihil illi reliquit, *ideo omnia ſuſtinet, omnia tolerat*, videlicet *quia Patiens*. Illud, *cæterùm*, explica aliter.

229. 12. Meritò ergo nunquam excidet. nam cætera euacuabuntur, conſummabuntur: exhaurientur linguæ, ſcientiæ, prophetiæ: permanent Fides, Spes, Dilectio. Fides, quam Chriſti Patientia induxit: Spes, quam hominis Patientia expectat: Dilectio, quam Deo magiſtro, Patientia comitatur.

12. Colligit ab hoc excurſu ſemper permanſuram charitatem, quæ tantis bonis Patientiæ adornatur, ditatur, ſtruitur, omnia licèt alia omnino ceſſent, *linguæ* ſcilicet, *ſcientiæ, prophetiæ*. & addit tandem actuarij loco, *Fidem* quoque & *Spem ſemper permanſuram*, non ſolùm *Charitatem*.

NOTÆ.

230. 1. QVOD PACIS.] Reſcribunt, *quod ad Pacis*, poſſunt, ſed non eſt neceſſarium, nam oratio Tertulliani Latiniſſima.

1. IMPATIENTIÆ NATVS.] Volo vt *impatientiæ* ſit in ſecundo caſu, & *natus* ſit filius, viuidiore & acriore ſententia. q. d. Te Deum diſcipulus vult (præceſſit enim *diſciplina Dei*) tu tanto magiſtro contempto matrem blandulam aſciſcis, vt qui rigidum præceptorem circa ignoſcentiam nolis audire, ſed confugias ad matrem indulgentem, quæ tecum conniueat: imperia quippe præceptorum ſeuera ſunt, matrum blanda. Hoc (inquam) viuidius, addo & acrius. Quid quòd nõ hoc alienũ ab ingenio Tertulliani, qui ſæpiſſime has paternitates, maternitates, filiationes, affinitates. In hoc ipſo lib. dicit Patientiam eſſe *matrem* miſericordiæ: & alibi iram facit *filiam* impatientiæ: alibi nominat impatientiæ *natales*: & adhuc, Malitiam & impatientiam *ſorores* facit, quæ adoleuerunt in patris Diaboli ſinu. Et hoc ipſo capite impatientiæ dat *venenum*, quo nutritur quaſi animal. Demum nihil in illo frequentius. Et quidem ita hic *impatientiæ natus*, vt c. 7. huius operis, *Affines cupiditatis*. Hæc loquendi ratio eſt etiam familiaris aliis Patribus, vt cùm Hilarius can. 10. in Matth. dixit, *Corporis noſtri pater, peccatum: mater, animæ infidelitas*. & can. 14. *Matris infidelitatis inſtinctu*. & Hieronym. de Regulis Monach. ait, *Patientia ſororem habet ſpem, & affines eius ſunt res bonæ omnes. Matre gaudet Fide*. & Baſil. orat. de Martyr. 40. πμὼ ἀπμίας μητέρα: *Honorem ignominiæ matrem*. & in epiſt. Synodi Sueſſonienſis ad Nicolaum P P. diſcretio dicitur eſſe *mater & nutrix omnium virtutum*.

231. 1. SED SEPTVAGIES SEPTIES.] Mutat Latinius *vel ſeptuagies ſeptiès*, & habet approbatorem Iunium. Nihil vidit, qui hoc probauit. Sententia eſt, quam explicui. Nam ſi ab ſimplici ignoſcentia diſtat multum ſeptiès ignoſcere, multò certè plus diſtabit ignoſcere ſeptuagies ſeptiès. id eſt, *veniam reddere ſine modo ac numero*, vt loquitur Hilarius Canone 18. in Matth. Clariùs loqueretur, vt corrigit Latinius, ſed affectauit Scriptor obſcuritatem. Quid quod Tert. verba ſacra arripuit, quæ ita habent: *Dimittam vſque ſeptiès? nõ dico tibi vſque ſeptiès, ſed vſq; ſeptuagies ſeptiès*.

2. DIRIGENS.] *Dirigere* eſt in iure, actione agere, & litem intendere. ita lib. 5. ff. tit. 4. l. 1. §. *Siego*, vbi, *dirigere actionem aduerſus exterum poſſeſſorem*. Sic & *conuenire*. Sed quis hoc ignorat?

2. NISI PRIVS IAM DOLERET.] Hoc etiam loco ſæuiſſimi ſunt critici, & Tertullianum lacerant, ſcribentes iam, *Dolorem, duritiam amputaret*. Iam, *niſi priùs animi dolorem amputarit*. Sunt & qui maiore auſu, *niſi priùs iam doleret*. Omnia inutiliter, cùm ſenſus perfectiſſimus ſit, quem adduxi. Etenim variæ lectiones non ingerendæ niſi vel in aperto errore, & oratione mirum in modum creſcente. Aliter libido eſt emendandi. Quid quod Auguſt. ſerm. 16. de verbis Domini tom. 10. adhibet verbum *doleo*, de eo, qui accipit iniuriam. Verba eius: *Quare tu illum corripis? Quia tu doles quod peccauerit in te? abſit. Si amore tui id facis, nihil facis*. & Tertull. ipſe cap. 9. huius libri: *Cur enim doleas, ſi periiſſe non credis*: & ſæpe aliàs. & Prudent. Pſychom. ore iræ ad Patientiam,

Ne doleas, quia turpe tibi, gemuiſſe dolorem.

5. SOL SVPER IRAM NOSTRAM, &c.] 232. Pulchra ſunt verba Ambroſij: *Non retineatur in pectore, ſed die orta cum die decidat*. & Theodoretus: *Iræ menſuram dedit menſuram diei; veretur enim ne noctu quieſcens cogitatio morbum augeat: ira enim diuturna atque inueterata fit odium*. Videndus inſuper Caſſianus l. 8. c. 8. & 9. & Sanctus Paulinus Epiſt. ad Deſiderium, ſic ait: *Nec expectem, vt Sol occidat ſuper iram meam, ne occidat vita mea, ſi antè clauſerit veſper diem, quàm extinxerit pax furorem*.

6. CVM OMNEM SPECIEM SALVTARIS DISCIPLINÆ GVBERNET.] Sic ſanè eſt. Prudentius in Pſychomachia:

Omnibus vna comes virtutes aſſociatur,

Auxiliúmque ſuum fortis Patientia miſcet,
Nulla anceps luctamen init virtute ſine iſta
Virtus: nam vidua eſt, quam non Patientia firmat.

233. 6. POENITENTIAM QVANDOQVE INITVRIS.] Vulgata exemplaria Rhenani & Pamelij ita ſcribunt: *Hæc expectat, hæc exoptat, hæc exorat pœnitentiam, quandoque inituris ſalutem.* Vt dicat, Pœnitentiam exorari à Patientia, in gratiam illorum, qui tãdem inituri ſalutem. Mutaui hunc in modum: *Hæc expectat, hæc exoptat, hæc exorat, Pœnitentiam quandoque inituris, ſalutem.* Primò, quia hæc lectio ad mentẽ Tertulliani, qui Patientiam miniſtram facit Pœnitentiæ, quod miniſterium poſitum in expectanda, exoptanda, exoranda ſalute. Deinde, quia in mſ. ex fide Wouer. ita interpunctum. Tertiò, quia inf. in hoc cap. ait *pœnitentiam iniit*, ergo in hoc loco debet legi *pœnitentiam inituris*, non *ſalutem inituris*. quod mihi argumentum efficax. Nec me mouet cap. 15. huius libri, dici, *Pœnitentiã expectat Patientia*, vt putem hîc ſimiliter coniungi. Quartò, quia hoc ex ingenio huius Afri, è cuius guſtu ſimiles implicationes; vt cùm ait lib. 1. ad Vxorem cap. vlt. *Stude igitur, ad virtutem continentiæ, modeſtiæ.* pro, ſtude modeſtiæ ad virtutem continentiæ. Similia multa in illo. Non diſplicet vt ſententia tota claudatur ἐρωτηπικῶς hunc in modum, *ſalutem?* nam præceſſit, *Quid mirum*, &c.

234. 6. QVANDOQVE.] Expendebam explicans hanc vocem mirè hic poſitam, nam ipſa quoque notat longiſſimam Patientiã, ad eum modum, quo Cyprian. dixit de Dei Patientia, expectare illum, vt hominum *malitia protracta aliquando mutetur.* itaque *aliquando* & *quandoque* idem. Pari emphaſi dictum à Saluiano l. 1. de Gub. *Quòd enim pœnam eorum, tamdiu diſtulit, miſericordiæ fuit; iuſtitiæ, quòd aliquando puniuit.*

6. HÆC EXPECTAT.] Verbum veriſſimum Patientiæ, inde ſignatiſſimè Gregor. Nyſſen. in laude Baſilij, ὑπομονῆς προσδοκώμενον, *expectabundum Patientia.* & ſignatè de Deo Eligius Hom. 8. *Adhuc expectat.* & Chryſolog. ſerm. 19. *Errantes vt reuertantur, expectat, Patientiam præbet.*

7. EXEMPLIS DE POENITENTIA.] In omnibus exemplaribus circumfertur, *exemplis de Patientia*, apertiſſimo errore: caſtigaui, *exemplis de Pœnitentia*, poſtulante hoc ſententia. Videbunt cæci. Quid quòd ipſe Tertull. lib. de Pœnitentia, cap. 8. has eaſdem vt de Pœnitentia parabolas aduocat?

235. 8. PATIENTIA PASTORIS.] Id eſt, Chriſti, qui paſtor patientiſſimus. Ignatius Martyr epiſt. ad Philadelphenſ. ποιμένος πραότητι: *paſtoris manſuetiſſimi.* Greg. Nazianz. orat. 1. inter Chriſti elogia, etiam hoc. Sic & à Petro Chryſolog. ſerm. 6. Chriſtus dicitur *paſtor miſericors*, dátque eidem *paſtoralem diſciplinam.* & *lenitatem.* Vide illum.

8. HVMERIS.] Ruricius Epiſcop. epiſt. 22. lib. 2. *Ipſe eſt bonus pater, qui ouem perditam ad caulas Dominicas mauult propriis humeris reportare ſollicitus, quàm ſtimulis vrgentibus reuocare diſtrictos.* De hoc ſæpius & in hoc Opere, & ad Virgilium.

8. PECCATRICEM DERELICTAM.] Hilarius etiam ouem hanc de peccatore accipit can. 18. in Matth. *Errans homo in Domini corpore eſt relatus.* Vt etiam Drogon Epiſcop. Hoſtienſ. ſerm. de Paſſione Domini. & Rabanus Maurus lib. Pœnitentiũ c. 1. & qui nõ?

236. 9. ILLVM QVOQVE PRODIGVM FILIVM.] Cùm multi hoc attigerint, libuit vnum dare Ruriciũ, qui l. 1. epiſt. ſic ait: *Sic ille Euangelij indulgentiſſimus pater filium præceptæ ſubſtantiæ decoctorem læto ſuſcipit amplexu, promptior gaudere de reditu, quàm imputare de lapſu. Denique non exprobrantur facinora, non luxuria, non egeſtas; ſola cõuerſi reuerſio omnia damna compenſat, quia maior fuit proculdubio patri facultas reditus, quàm rerũ facultas. Itaque abſceſſio reum fecerat, regreſſio fecit inſo-*

A *tem. Et miſericordia ſufficit hæredi; quin etiam paternæ clementiæ venia ſola non ſufficit, quòd vlnis fouet, quòd gratia permulcet; niſi & munera larga multiplicet. Dat annulum, ne rurſus à patre, perfidia duce, diſcedat; calceamenta dat pedibus, quo facilius ardui itineris aſpera & dura contemnat; dat & ipſam primam quam perdiderat ſtolam, vt quem à morte receperat, priſtina immortalitate donaret. Datur etiam ipſi iuniori vitulus reuerſo, qui ſeniori agnus datus fuerat ex Ægypto profecturo, quia ipſe educit ex Ægypto pater. Tanti parentis imitare tantus fidem.* & rurſum idem epiſt. 22. l. 2. *Ipſe eſt pater tuus, qui malè prodigo filio, & præceptæ ſuſtãtiæ decoctori, ad ſe vel ſerò redeunti non ſolùm crimina anteriora non imputat, verùm etiam præmia amiſſa multiplicat, dum vlnis fouet, oſculis permulcet, muneribus ditat, doctrina cõfirmat; non tantum ad eius indignatus abſceſſum, quantum lætatus ad reditum.* Demum idem epiſt. 57. l. 2. ita ait. *Et iuxta illum Euangelum, inuocantes, quem nos per omnia & ſequi oportet & imitari, qui filio paternæ ſubſtantiæ decoctori, & facinus confitenti non ſolùm veniam clementer impertiit, verumetiam priſtinam gratiam libenter indulſit: & nos condoleamus lapſo, ſubueniamus attrito, amplectamur reuerſum, lætemur inuentum.*

237. 9. POENITENTIA NON PERIIT, QVIA PATIENTIAM INVENIT.] Legatur epiſtola Magni Areopagitæ ad Demophilum, quæ ſcripta, occaſione ſumpta ab Demophili impatientia, qui pœnitentem indignabundus repulerat calce & colapho. Vix credas vt ad hoc facinus exhorreſcat Dionyſius. Quo in facto certè pœnitens non inuenit Patientiã miniſtri, quam eſſe neceſſariam hoc loco ait Tertull. & hanc prodigus inuenit in patre ſuo. Annectatur Dionyſio Eligius Epiſc. qui Hom. 13. loquens de ipſo Prodigo: *Nõ*
C *abhorreamus pœnitentes iſtos propter magnitudinem ſcelerum ſuorum, quia poteſt fieri, quòd multi ſint inter nos, qui peiora commiſerint.* Pergit aliis. Et Greg. Nyſſen. ſerm. 2. de Orat. vocat patrem Prodigi, εὐπρόσιτον πατέρα, *facilem aditu.* Vide eundem de Pœnitẽtia, vbi mirè vocat enim patrem hunc, appropinquantem obuiam filio, inhærentem collo, lacrymáſque præ miſericordia fundentem. Ignatius etiam Martyr ita ſcribit ad Philadelphenſes, παρακαλῶ ἐν ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ ἔσται ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς Ἐκκλησίας, προσδέχεσθαι αὐτοὺς μετὰ πάσης πραότητος: *Obſecro itaque vos, quotquot pœnitentia ducti redierint ad vnitatem Eccleſiæ, ſuſcipite illos cum omni manſuetudine.* Legatur etiam Caſſianus Collation. 11. cap. 8.

238. 10. DILECTIO SVMMVM FIDEI, &c.] Notentur & expendantur duo iſta elogia charitatis, *Sacramentum ſummum Fidei, Theſaurus Chriſtiani nominis.* Neſcio an paria in aliquo (mitto Paulum) ita hic
D vir granditer. Rectè verò ſummum ſacramẽtum, quia prima virtutum, & omnium ſumma & maxima: ſic & Sanctus Antiochus Hom. 2. *primiceriam* vocat. & Caſſian. collat. 15. c. 2. illi attribuit, *Perfectionis & beatitudinis ſummam.* Vide verò an theſaurus, cùm dicat Nyſſ. l. de Virginit. c. 23. Ideo à multis virtutem putari ἄμικτον καὶ θηριώδη, *immanem & feram*, quia ſcilicet ignorant præceptum dilectionis. Quaſi hæc vna feritatem omnẽ virtutibus adimat. Quid hoc theſauro maius? Pati perſecutiones, lacerari vnguibus, flagellis cædi, ſecari gladio, atrox eſt & ferinum: ſed iſta atrocia ita lenit caritas, vt Sanctis martyribus viderentur dulciſſima, & Paulus in laboribus exultaret, & Laurentio flammæ putarentur roſæ. Si viles pecuniolas conuerti in aurum cerneres, nonne putares theſaurum tibi affulſiſſe? at quanto eſt maius flammas in roſas conuerti?

10. THESAVRVS.] Ita charitati datur à Caſſiano *pretioſitas* Collat. 11. c. 12.

239. 10. CVIVS NISI PATIENTIÆ DISCIPLINIS ERVDITVR.] Cyprian. lib. de Bon. Patient. hærens magiſtro: *Tolle charitati Patientiam, & deſolata*

non durat: tolle sustinendi tolerandique substantiam, & nullis radicibus ac viribus perseuerat. Ait charitatem *erudiri* à Patientia, ad eum modum, quo cap. 3. dixit de Christo *Patientia eruditus.* Itaque, ne putes, præponi Patientiam charitati, etiam si illa dicatur magistra huius. Nam charitas erudita Patientiâ, est ipsamet charitas Patiens, vt dixit Paulus: sicut Christus eruditus Patientiâ est Christus ipse patientissimus, sese habens magistrum tantæ virtutis, non alium. Inde in eodem capite dixit, *Patientiam Dei esse naturam effectam.*

11. MAGNANIMIS EST.] Propter illud Pauli, *Charitas Patiens est*, quæ Græcè habentur, μακροθυμεῖ, id est, charitas *longo est animo.* Fulbert. Carnotens. Episcop. Epist. 70. *Verè viuit hîc, & fulgurat illa fortis & speciosa charitas, quæ secundùm Apostolum patiens est, benigna est, & cuius vigor nunquam excidit.* Pro quo Noster *magnanimis*, id est, *magno est animo.* Vt & Cyprian. lib. de Bon. Patient. *Charitas magnanima est.* Hilarius can. 27. in Matth. potior ad vocem Græcam, cùm ait, *Longam Dei Patientiam.* & Ephrem Syrus serm. de Patientia, *Longanimitatem apprehendens ac Patientiam.* Iterum. *Longanimum se ac patientem exhibere.* & Cyrillus Alex. in cap. 2. Amos de Deo loquens, διεμακροθύμησε μακρὰ, *Longanimiter sustinuit.* Hincmarus Archiepisc. Remens. de diuort. *diutina expectatione.* Videatur Cassian. libro 4. cap. 42.

240. 11. BENEFICA EST.] Nam Paulus, *benigna est*, Græcè χρηστεύεται.

11. NEC PROTERVVM SAPIT.] Ita huic placuit pro *perperam.* & fortasse legendum verè, *nec perperam sapit.* nam cur relinqueret vocem hanc notantissimam in Paulo? Quid autem sit *perperam*, & περπερεύεσθαι, iam Muretus in variis. & *perperos populares* dixit Accius apud Nonium. Verum est à Vulcario legi *proteruum*, & sic ego legi.

11. NON INFLATVR, NON PROTERVIT.] Libenter adimerem extrema hæc, *non proteruit*, quia iam præcessit *nec proteruum sapit*, & hîc τὸ *proteruire* otiosum est ad sententiam. Vel legendum fortasse *non proterit*, vt visum ante me Iustiniano Nostro, commodissima certè sententia. Nam superborum est proterere alios; ergo quæ non inflatur superbia, non alios proterit.

241. 11. NEC SVA REQVIRIT, SED OFFERT SVA.] Ita legendum cum Latinio, & probat Iunius. Itaque *sed offert*, mutatum per imperitiam in *suffert*, fortasse quia Paulus, *omnia suffert*, quæ tamen vox hîc aliena. Si quis vulgarem lectionem amet, explicet ita: Tantum abest vt quærat suam rem, vt etiam suam inopiã patienter sufferat, vt ita detractis à se suis rebus alteri prosit. Vel ita explica. Charitas non quærit sua commoda, sed si qua habet, suffert illa, nec fert gratè, seruans eo solùm fine, vt alteri prosit.

11. RELIQVISSET.] Scribunt vulgò *reliquisset?* Adimenda ἐρώτησις, postulante hoc sententia; quod etiam monuere Latinius, & Iun.

12. EVACVABVNTVR, &c.] Verba Pauli hæc, *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*, mutauit ex parte, nam *euacuabuntur, consummabuntur, exhaurientur.* Vnde puto ita in Tertull. combinandum, *euacuabuntur prophetiæ*, nam hoc in Paulo est. *consummabuntur scientiæ*, ex affinitate huius verbi cum *destruo.* demum *exhaurientur linguæ*, quod Paulus per verbum *cesso.*

12. PERMANENT FIDES, SPES, DILECTIO.] Sic & Paulus cum charitate omnia sufferente ac sustinente coniungit *omnia credit, omnia sperat.* Vti verò intelligenda verba Pauli, *Nunc autẽ manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc*, &c. consulendi interpretes; hoc non meum. Tantùm dicam, quæ pertinent ad Tertull. Certè cùm patres negent, & verè, Fidem, nec Spem, permansuras in cælo: tres tamen reperio, qui secus, primum antiquissimum Irenæum l. 2. aduers. Hæres. c. 47. deinde Tertullianum hoc loco, tertium Hilarium in opere de Concil. Ariminensi, quod Hilarij opusculum *Fragmentorum* nomine indigetant. Ratio Irenæi pro Fide est, quia illa in cœlo asseuerabit nobis *quoniam solus verè Deus*, vt inde in amorem eius magis ac magis erumpamus: pro spe, quoniam cùm Deus summè sit bonus, habeátque diuitias infinitas semper in cœlo sperabimus *aliquid ab eo accipere & discere.* Rationes Tertulliani hîc vides. Permanebit Fides, quia illam *Christi Patientia induxit*: Spes, quia *illam hominis Patientia expectat.* Restat Hilarius, cuius verba sunt: *Fidei, Spei, Charitatis hoc meritum est, vt mortis merito corporibus dissolutis semper maneant, nec vnquam desinant, & cùm omnia in homine pro parte sint, hæc tamen sola perfecta sint.* Quibus videtur pro ratione assignare perfectionem harum virtutum. & infrà ait: *Cùm enim prophetias, & linguas, & scientiam veritas absoluta depellit, Fidem, Spem, Charitatem capessendæ æternitatis traduces & patronos, sicuti ipsa erunt, æternitas apprehendet.* Quid ergo ad hos Patres? Multæ possunt explicationes excogitari. Tu quam voles: mihi hæc placet, quam subiicio. Duo includit Fides, & certitudinem infallibilem, & obscuritatem; hæc perit, illa in cœlo manet. & hoc, ni fallor, Irenæus voluit. Pergo ad Spem. Hæc etiam duo includit & firmissimam adhæsionem in Deo, & absentiam ab illo; hæc perit, illa in cœlo manet per fruitionem amati Dei. Hac explicatione saluæ sunt rationes magni huius trium viratus. 242.

12. FIDES, QVAM CHRISTI PATIENTIA INDVXIT.] Sic & cap. 6. dixit: *Legi Euangelicæ adiutricem Patientiam præfecit.*

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

Necessaria non solùm animi, sed etiam corporis Patientia.

TERTVLLIANVS.

243. I. VSQVE huc de Patientia tandem simplici, & vniformi, & tantùm in animo constituta: cùm eadem etiam in corpore demerendo Domino multipliciter adlaboret: vt pote quæ ab ipso Domino in corporis quoque virtute edita est, siquidem rector animus facilè communicat spiritus inuecta cum habitaculo suo.

EXPLICATIO.

244. I. VOCAT Patientiam *simplicem & vniformem*, quæ tantùm pertinet ad animũ, non ad corpus. *Demerẽdo Domino*, vt meritum habeat apud Dominum. *Multipliciter*, nam infinita sunt mala, quibus expositum corpus. *Adlaboret.* simul corpus laboret cum animo: *In corporis quoq; virtute edita est*, nã & corpori vires sunt, virtúsque, ac firmitudo ad tolerandũ. *Edita*, posita, collocata, adnata. *Siquidem rector animus*, &c.

Sensus

Sensus est. *Animus rector* hominis *communicat habitaculo suo*, id est, corpori, *inuecta spiritus*, id est, quæ Spiritus sanctus inuexit in ipsum animum. Quia nimirum patiens animus facit quoque corpus ipsum patiens. Res tota sumpta est ab re nautica. Est videlicet *rector* nauis, est *nauis* ipsa, est perflans *ventus*: pendet autem ab arte rectoris ita nauem dirigere, vt ventus secundus in vita incumbat. Sic ait Septimius communicari ab animo ipsi corpori diuinum flatum.

245. 2. Quæ igitur negotiatio Patientiæ in corpore?

2. Expende & intellige tantillum hoc. Mercatores dicuntur negotiari in regione alia, vt de Romanis ciuibus dixit Tullius in Maniliana, *in Asia negotiantur*. Ergo anima quæ spiritualis tota, in carne ipsa negotiatur, à cuius natura abest longissimè.

246. 3. In primis adflictatio carnis hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, cùm sordes, cùm angustiam victus Domino libat, contenta simplici pabulo puróque aquæ potu, cùm ieiunia coniungit, cùm cineri & sacco inolescit.

3. En prima negotiatio: magnum enim animi lucrum in pœnitentia corporis. Posita hæc pœnitentia vnicè in *afflictatione carnis*. Constat verò hæc *afflictatio, sordibus, angustia victus, simplicitate* cibi, *puro aquæ potu, ieiuniis, cineris & sacci* asperitate. Hæc integra sententia. Percurro quædam. Vocat *afflictationem carnis, hostiam placatoriam*, id est, quæ placat Deum: & consequenter *sacrificium*. Nam quid cruentius ista hominis in se ipsum carnificina? *Sordes*, quæ pugnant contra lautitiam cibi & splendorem mensarum. *Angustiam*, notat parcitatem cibi, vt etiam verbo *libat*, ita enim parcus esse debet, vt non edatur, sed libetur. *Puro aquæ potu*, ne quid vini admisceat. *Inolescit*, consuescit afflictatio, & sibi veluti naturalem facit pœnitentiam sacci & cineris, increscitque ita, & capit alimenta.

247. 4. Hæc patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat: hæc aures Christi Dei aperit, seueritatem dispergit, clementiam elicit.

4. Effecta quinque Patientiæ Pœnitentiæque corporalis. *Precationes commendat*: nam eunt ita preces commendatiores ad Deum, & gratiores. *Deprecationes affirmat*, si quid mali auertimus deprecamúrque, fauorem Dei confirmamus erga nos, ne nobis accidat. Sic explicui: nam videtur opponere precationes deprecationibus, aliter idem diceret. Et sancti quidem tam precantur bona, quàm deprecãtur mala. *Aures aperit*, quæ clausæ nostris precibus ante Pœnitentiam. *Dispergit*, veluti in auras, ne vim habeat seueritas Dei contra nos. *Clementiam elicit*, nouo blandimenti genere illicit illectátque Deum, vt clemens sit erga nos.

248. 5. Sic ille Rex Babylonius offenso Domino, cùm squallore & pædore septennij ab humana forma exulasset, immolata Patientia corporis sui, & regnum recuperauit; &, quod optabilius homini est, satis Deo fecit.

Dan. 4.

5. Adhibet exemplum in Rege Babylonio, qui simili squallore pœnitentiæ afflictatus *Dei aures aperuit, seueritatem* dispulit, inuitauit *clementiam*. *Exulasset*, mirè dictum: nam cum respectu ad Romanum Populum, in cuius doctrina mediocriter exercitatus, sciet sordes squallorémque exulantium, & vestis mutationem. Hunc itaque pædorem dat Septimius homini exulanti ab humana forma. Et cùm potuisset dicere *mutare formam*, vel quid simile: maluit *exilium*, nam cum *sordibus*. Pergo. *Immolata Patientia*, consequenter, nam suprà *hostia, sacrificium*. Hæreat illud, *& quod optabilius*, &c. Ita est verè; nam Deo satisfacere superat regni etiam culmen.

249. 6. Iam si altiores & feliciores gradus corporalis Patientiæ digeramus, eadem sanctitati quoque procurat continentiam carnis. Hæc & viduam tenet, & virginem adsignat, & voluntarium spadonem ad regna cœli leuat.

6. Transit ad gradus alios corporalis Patientiæ nobiliores. *Iam si*, quia dixerat *in primis*. Ait *altiores* quia *gradus*. Et *feliciores* quia *felicior* virginitas ieiunio, sacco, cinere, & quauis alia carnis afflictatione. *Digeramus*, id est, digerendo explicemus. *Procurat*, vox iuris, & hîc aptissima. Quantum efflorescet sanctitas, cùm habeat Patientiam procurantem, quæ pertinent ad *continentiam carnis? Continentiam*, vox generica, quam postea digerit (en cur præmisit, *digeramus*) in *viduitatem, virginitatem, spadonatum*. *Viduam tenet*, continet in continentia. *Virginem assignat*, signaculo pretiosissimo. *Voluntarium spadonem*, castrantem se propter Regnum cœlorum. Verba ista, *spadonem leuat*, habent nescio quam vicinitatem non abhorrentem ab ingenio Tertulliani: leuia quippe & inania in altum leuantur.

250. 7. Quod de virtute animi venit, in carne perficitur: carnis Patientia in persecutionibus denique præliatur. Si fuga vrgeat, aduersus incommoda fugæ caro militat. Si & carcer præueniat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in solo. Et in illa paupertate lucis, & in illa Patientia mundi.

7. Aliud & præclarum argumentum ad tantæ virtutis neceſſitatem. Nam ad eam non ſatis ſolus animus quantumuis rector: eius enim Patientia debet *perfici in carne*, & ideo adiungit *carnis Patientiam præliari in perſecutionibus*. Probat dupliciter. Primò, nã in *fuga* à perſecutore, caro patitur incõmoda eius fugæ. Deinde, ſi *carcer præueniat*, id eſt, præoccupet volentem fugere, caro tunc, non certè ſpiritus, eſt *in vinculis*. *Denique*, id eſt, itaque, vt explicui alibi. *Caro in ligno*, equuleum explico, nam ea machina è ligno. *In ſolo*, vbi proſternitur: neque enim miſeris mollior lectus. *Paupertate lucis*, ſolent quippe in cuſtodiis exiguæ eſſe feneſtrulæ, potiùs foramina.

251. 8. Cùm verò producitur ad experimentum felicitatis, ad occaſionem ſecundæ intinctionis, ad ipſum diuinæ ſedis aſcenſum, nulla plus illic, quàm Patientia corporis.

8. Dixit neceſſariam *Patientiam corporis in fuga & carcere*, addit nunc *martyrium*, cui tolerando vnicè neceſſaria *Patientia* carnis. *Producitur*, vt ſolent noxij; veriùs, vt ſolent triumphatores. *Ad experimentum felicitatis*, vt experiatur faciátque periculum non dicam ſubeundæ miſeriæ, ſed adeundæ *felicitatis*. *Secundæ intinctionis*, ita martyrium nuncupat, nam poſt baptiſmum aquæ hæc altera intinctio ſanguinis. *Ad ipſum diuinæ ſedis aſcenſum*, quia martyres ſtatim volant in cœlum.

252. *Matt.26* 9. Si ſpiritus promptus, ſed caro ſine Patientia infirma, vbi ſalus ſpiritus & carnis ipſius. At cùm hoc Dominus de carne dicit, infirmam pronuntians, quid ei firmandæ opus ſit, oſtendit, Patientia ſcilicet, aduerſus omnem ſubuertendæ fidei vel puniendæ paraturam: vt verbera, vt ignem, vt crucem, beſtias, gladium conſtantiſsimè toleret, quæ Prophetæ, quæ Apoſtoli ſuſtinendo vicerunt.

9. Diluit tacitam obiectionem. Poſſit aliquis dicere. Satis eſt promptum eſſe ſpiritum. Ergo ait: Do tibi *promptum* eſſe *ſpiritum*, ſed memineris *carnem* eſſe *infirmam ſine Patientia*; *vbi*, id eſt, in qua Patientia *ſalus & ſpiritus & carnis*. Itaque periclitabere ex infirmitate carnis, niſi ea habeat Patientiam, etiam ſi prõptus ſit tibi ſpiritus. *At cùm hoc*, &c. q.d. Cùm verò Deus dixit *carnem* eſſe *infirmam*, eo ipſo dixit firmandam eſſe Patientia. Itaque quamuis illa infirma ſit, erit fortiſſima tali adminiſtra, aduerſus omnem *paraturam*, id eſt, machinamenta, quæ adhibentur vel ad *ſubuertendos* fideles; vel, ſi nolint ſubuerti, ad *puniendos*. Sed quæ hæc *paratura*, quæ iſtæ machinæ? *Verbera*, *ignis*, *crux*, *beſtiæ*, *gladius*, atrocia omnia.

NOTÆ.

253. 1. ADLABORET.] Horat. lib. 1. Od. vlt. *adlabores*. Et epod. 8. *adlaborandum*.

1. RECTOR ANIMVS.] Salluſt. Iugurth. per initia: *Dux atque Imperator vitæ mortalium animus eſt*. Et Catil. etiam per initia, *animi imperio*. Drogon Epiſcopus Hoſtienſ. ſerm. de Paſſione Domini: *Sarcinam verſa vice ſpiritus ſubiiciat, & velut index ac dominus inferioris ſui regimen accipiat*. Anonymus, inter opera Hieronymi, ait animum eſſe *Arcem* totius hominis, & illi dat *magiſterium*. Greg. Nazianz. orat. 1. ἄρχοντα καὶ ἡγεμονικὸν τῇ φύσει: *principem natura atque Imperatorem*. Et Petrus Chryſolog. ſerm. 4. *Dominam corporis animam*. Pulcherrimè idem ſerm. 15. hunc animi principatum indicat conſtituens in eo *familiam cogitationum*. Ambroſ. de Fidei Reſurrect. *Gubernatricem hominis animam*. Ariſtoteles dixit, ὡς ἐν σώματι ὄψις, οὕτω νοῦς ἐν ψυχῇ. Quia ſcilicet vt oculus eſt præſtantiſſima pars corporis, ita mens præſtantiſſima pars animæ. Pulcherrimè à Virg. dicitur Dido *amens animi*; quia ſine mente gubernatrice. Zeno Veronenſ. ſerm. *Attendo tibi*, ait: *Imperare huic* animæ, *illi verò* corpori *ineſt famulari*. Ioannes Caſſian. lib. 9. c. 2. *ne eſcarum abundantia refecta caro rectorem ſuum ſpiritum deiciat inſoleſcens*.

254. 1. INVECTA.] Reſcribunt ex M. S. *inuicta*, non placet.

3. ADFLICTATIO CARNIS.] Adfligitur caro, vt ſpiritus ſubleuetur. In lib. de Reſurrect. carnis: cap. 8. *Caro abluitur, vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima conſecretur; caro ſignatur, vt anima muniatur; caro manus impoſitione obumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur*.

A 3. PER HVMILIATIONIS SACRIFICIVM, &c.] Indicat exomologeſin, de qua Ephrem Syrus in eos qui quotidie peccant, vbi: *Creatorem placare ſtude, humilis ac triſtis, demiſſo vultu atque ſuſpirans, præterita dolens, futura proſpiciens*. De qua virtute Tertull. ipſe de Pœnitentia: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt*. Quem locum vide.

3. ANGVSTIAM VICTVS.] Ita volui ex M. S. Vouer. non, vt in vulgatis, *anguſtia*: nam melior proculdubio ſententia. Intelligit verò per hanc *victus anguſtiam* βίον καταπλητικὸν, ſic enim vocat Greg. Nyſſ. laudans fratrem Baſilium, quaſi dicas *aridum*, *victum*, *& macrum*.

3. SIMPLICI PABVLO.] Huic opponit Seneca epiſt. 95. *diſcordem cibum*.

B 3. CINERI ET SACCO INOLESCIT.] Ipſe aduerſus Pſychic. c. 16. *Saccis velati & cinere conſperſi, idolis ſuis inuidiam ſupplicem obiiciunt*. Cedrenus de Romano Imperatore pag. 300. ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ: *In ſacco & cinere*. Cyrill. Alex. in Ioannem loquens de Rege barbaro, ἐφεζόμενος δὲ τῇ σποδῷ: *ſedens in cinere*. Ambroſ. lib. ad Virginem lapſam, cap. 8. *Corpus incuria maceretur, cinere aſperſum, & opertũ cilicio perhorreſcat*. Ruricius Epiſ. epiſt. 20. cum oppoſitione byſſi: *Vt deponant ſeculi byſſum, & ſumant Eccleſiæ veſtimentum, quod eſt cilicium, contritionis indicium*. Nazianz. orat. 1. ἐν σποδῷ καὶ σάκκοις, καὶ λίαν ταπεινῶς καὶ χαμαὶ ἐρριμμένος. Ruffinus Aquileienſis in Vitis Patrum lib. 2. *Concludit autem ſe iuxta ſpeluncam, atque in cilicio & cinere iacens, tamdiu lugens flénſque permanſit in orationibus, donec aſſiſtens ei Angelus*, &c. Dicebam de his ad Virgilium duplici loco. Et ad Tertull. lib. de

255.

Pœnit. Dubitabam an lib. 5. de vitis Patrum, eo loci, A quo patientissimus Moyses sese vocat *cinerentum & cacabatum*, legi debeat *saccatum*. Vt dicat, quid tu te in publicum das, qui hactenus cineri & sacco inoleuisti? qui verè cinerentus & saccatus es? Video stare posse lectionem vulgarem ab cinere & cacabis culinæ & fori.

256. 3. INOLESCIT.] Respicit insitiones arborum, vel ex Virg. qui 2. G. *vdoque docent inolescere libro.* Ergo, vt germen insertum in aliam arborem per oculationem, est veluti alimentum & cibus illi, seruítque incremento eius: ita afflictatio carnis per ipsam assuetudinem facit sibi veluti naturalem pœnitentiam, quam semel admisit, & ea increscit. Ad hunc modum & 6. Æn. dictum Virgilio,

--- penitúsque necesse est
Multa diu concreta, modis inolescere miris.

Nam anima veluti insita corpori, multa ex ea insitione traxit, quæ purganda. Ad easdem insitiones spectauit Augustinus Tract. 44. in Ioann. vbi ait, *vitium pro natura inoleuit*, scilicet vt arbor, quæ admisit insitionem, transit in naturam aliam. Et Ambros. lib. 2. off. c. 26. *Inoleuit hoc vitium humanis mentibus.* Sed clarissimum est testimonium Auctoris Anonymi inter opera Hieronymi, qui cùm lib. de Virginit. præmisérit, *tenera adhuc ætate sanctæ conuersationis vsus inolescat*: postea addit, *sanctæ conuersationis vsus altius inserendus est*, quibus explicat verbum *inolesco* referendum ad insitiones. Veteribus enim *olere* fuit crescere, prima sua notione. Inde *indoles*, incrementum, quod futurum in pueris, colligimus, & Agell. *mundi indolem* dixit. B

257. 4 AVRES CHRISTI DEI APERIT.] Ephrem Syrus serm. de Patient. *Quis non exoptat iudicis aures sibi apertas, atque obsequentes?* Saluian. lib. 1. de Guber. *apertas Dei aures*, quibus statim opponit *clausas* atque *obstructas*. Nazianz. orat. 1. ἀνοίγειν τὰ ὦτα. Petrus Chrysolog. serm. 43. *Auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum.* Est hoc quod Sen. Rhet. controu. 16. *Aequas præbere aures.*

4. SEVERITATEM DISPERGIT.] Retuli sermonem ad ventos, vel ex illo Virg. Æn.

Multa patri portanda dabat mandata, sed auræ
Omnia discerpunt, & ventis irrita donant.

Quo in loco vide me.

6. PROCVRAT.] Locutio familiaris Tertull. vt cùm lib. 1. ad Vx. c. vlt. *Sit modestiæ, quæ pudori procurat.*

6. VIRGINEM ADSIGNAT.] Dixi de hoc verbo ad librum de Oratione Lucillius eodem sensu dixit, *signatam Virginem*, id est, illæsam. Vel (vt loquitur Terent.) *integram à viro.* Inde contrà Tertull. de Veland. Virg. c. 11. *resignarunt pudorem.* Et l. 1. ad vx. c. 6. *Carnem obsignant.*

258. 7. PRÆLIATVR.] Ita est verè, & firmat Chrysolog. serm. 12. qui corpus dicit esse, *murum spiritus, & virtutum scholam*: quia intra illius ambitum prælia virtutum exercentur. Et serm. 13. ait, *in armorum cœlestium meditatione animi & corporis exercendæ sunt vires.* Et adhuc serm. 14. *Caro est quæ in aduersis voluitur.* Ioannes quoque Cassianus lib. 5. c. 17. expendens locum Pauli, ait, in carne esse *summam colluctationum*, nam ipsa scilicet colluctatur cum spiritu in prælio virtutum. Et l. 6. c. 1. *Vtrisque pariter dimicantibus*, id est, anima & carne. Et *caro* hîc est pars corporalis, vt opponitur spiritui. Idem Cassian. l. 11. c. 2. *Non solùm enim, vt cætera vitia, in parte carnali, sed etiam in spirituali, monachum pulsat.*

7. ADVERSVS INCOMMODA FVGE.] Ita iam alij ex M. S. Et placuit.

7. IN LIGNO.] Heliodorus 8. lib. Æthiopidos: 259. ἀπὸ τῶν ξύλων περὶ ὃ τὰ δεσμὰ κατέκλειστο, ἀφαιλυόντων: *ligna, quibus vincula fuerant constricta, eximentes.* Explicui de *equuleo*, possum; fuit enim equuleus è ligno. Prudentius *stipitem* nominat; cùm enim dixisset in Agone Romani:

--- insserat
Euiscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & vncis vinculisque crescere,

Statim subiicit,

Iubet amoueri noxialem stipitem.

Vt ergo hic *stipes*, Noster *lignum* dixit. Non ideo censuerim, hoc ita clarum, vt non aliud instrumentum esse queat, dicente Simocatta lib. 2. c. 2. πέδας, τὸ μὲν ἐκ ξύλων, τὸ δὲ ἐκ σιδήρου: *Compedes, partim ligneas, partim ferreas*, quo innuitur, instrumentum aliquod ligneum, quo continentur damnati.

7. PAVPERTATE LVCIS.] Ita lib. ad Martyr. 260. carceri dat *tenebras* Videtur verò mihi in *paupertate* spectasse lucem, quam Virg. 6. Æn. vocat *malignam*. Est hæc, quæ malignè lucet: ad eum modum, quo seges illa dicitur *maligna*, quæ tenuis est, & nõ ditat colonum suum. Sed & de huius paupertate planus est Prudentij locus in Agone Vincentij, vbi describens carcerem, in quem coniectus est Martyr Christi, sic ait:

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Aeterna nox illic latet,
Expers diurni sideris:
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.

C Alibi etiam, vbi describit sanctum Cyprian. Martyr. & ita loquentem ad Deum,

Visi libens tenebris ergastula caca dissipatis.

7. PATIENTIA MVNDI.] Aliqui hîc *penuria mundi*, & probo.

8. PRODVCITVR.] Verbum athletarum, de quo 261. dixi lib. ad Martyr. c. 8.

8. INSTINCTIONIS.] Ita locuti passim de martyrio Patres. Basilius de milite illo, qui se socium dedit Martyribus quadraginta, ἐβαπτίσθη εἰς ἑαυτὸν, οὐχ ὑπὸ ἄλλου, ἀλλ' ὑπὸ τῆς οἰκείας πίστεως: *Baptizatus est in ipsum* Christum, *non ab alio, sed à propria fide.*

9. QVID EI FIRMANDÆ OPVS SIT OSTENDIT, PATIENTIA SCILICET.] Eadem scripsit in serm. de Patientia Ephrem Syrus, his verbis: *Hoc verbo* (videlicet, *sustine Dominum*) *infirmata anima, facilius iniectas ab inimico perturbationes perferre quit, & velut baculo innixa, aut tanquam vehiculo* D *sustentata, subleuatur labore.* Certè ait, Patientiam esse infirmæ carni ad perferendos labores pro baculo, aut vehiculo; quo fortior sit baculo ad pugnam, vehiculo ad standum in acie. Et hoc est, quod ait Tertull. firmari carnem Patientia. Et Cyprianus dixit: *Patientiam tenere debemus, qua adiutrice & comite ora infesta toleremus*: quasi infirma sit caro sine illa.

9. PARATVRAM.] Alij *paratum*, non probo.

9. VT VERBERA, IGNEM, &c.] Cyprian. ab Nostro: *Subeundus carcer, portandæ catenæ, anima impendendæ gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera fide & virtute Patientiæ perferenda.*

CAP. XIV. ARGVMENTVM.

Exempla patientissimorum, Isaiæ, Stephani, Iobi: De extremo plenus stylus.

TERTVLLIANVS.

261. 1. HIs Patientiæ viribus secatur Isaias, & de Domino non tacet. Lapidatur Ste-
Act. 7. phanus, & veniam hostibus suis postulat. O felicissimum illum quoque, qui omnem Patientiæ speciem aduersus omnem diaboli vim expunxit.

EXPLICATIO.

1. EXempla tria ex vetere instrumento patientissimorum hominum, Isaiæ, Stephani, Iobi. *Patientiæ viribus*, consequenter ad caput superius, vbi dixerat, carnem esse infirmam sine Patientia. Illi itaque ab hac virtute vires totæ. *Omnem speciem*, explicabit postea. *Expunxit*, id est, compleuit & absoluit perfectissimè, præstitítque omnem Patientiam.

263. 2. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ impetu ademptí, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus à Patientia (fide Domino dedita) exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cæcidit.
Iob 1.

2. Digerit iam species illas Patientiæ, in quibus fortis Iob. *Abacti greges*, furto videlicet. *Diuitiæ* subaudi amissæ. *Vno impetu ruinæ* domus, vbi epulabantur. *In vulnere*, signatissimè, & ad πάθος mouendum: nam cùm multa vlcera, omnia vnum vulnus, adeo ille miserabilis. *Exclusit*, non Iobum hæc carnificina à Patientia exclusit, quasi Patientia fuerit arx munitissima murúsque firmissimus, intra quem Iobus latuerit, & à quo nulla vi excludi potuerit. *Frustra*: expende. *Diabolus, & totis viribus*, tamen *frustra cecidit*. Quanta virtus Patientiæ, quæ verberantem diabolum & totis viribus, contempsit.

264. 3. Neque enim à respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum & testimonium, tam spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore Patientiæ perpetrandæ: vt neque damnis secularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus.

3. Amplificat viri tanti Patientiam. *A respectu Dei*, non facere dolores potuerunt, quominus ille Deum respiceret, nec potuit à tanto numine auocari. *Sed constitit*, vt fortissimus miles in gradu. *In exemplum & testimonium*, quia non solùm nobis exemplo fuit ad Patientiam, sed insuper habemus in eo viro testem locupletissimum, quo sciamus nullum esse genus mali, quod non possit vinci. *Spiritu quàm carne*, nota oppositiones. Spiritus carni, animus corpori directè opponuntur. *Patientiæ perpetrandæ*, perficiendæ, cõsummandæ, absoluẽdæ feliciter. *Neque damnis secularium*, de quibus cap. 7. *Neque amissionibus charissimorum*, de de quibus cap. 9. *Nec corporis quidem conflictationibus*, de quibus cap. 13. Hæc scilicet tria malorum genera constantissimè Iobus pertulit, cùm opes amisit, filios, salutem corporis. *Succidamus*, succumbamus.

265. 4. Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo exstruxit? quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore
Iob 2. promeret, nisi Deo gratias; cùm vxorem iam malis delassatam, & ad praua remedia suadentem exsecraretur?

4. Aperit gloriam, quæ Deum secuta ex tanti viri Patientia. *Feretrum*, trophæum, vt de diabolo triumpharetur. *Extruxit*, erexit, adornauit, (&, vt loquitur Virg.) constituit. propriè etiam trophæa dicebantur sisti. *Vexillum extulit*, nam hostis spolia appendi solita sublimi in loco, & sæpè cum titulo victarum gentium. *Inimico gloriæ suæ*, sæpè Tertullianus diabolum vocat, *Dei æmulum*. Itaque non ait, *vexillum gloriæ suæ*, sed, *de inimico gloriæ suæ*. Procedo. *Ille*, emphaticè. *Homo*, etiam emphaticè. Vide quanta Patientiæ virtus; nam ea misellus etiam homo contra diabolum potest. *Nisi Deo gratias*: gratias scilicet Deo promebat ore. *Delassatam*, fractam, fatigatam, victam, succumbentem: & quia iam victa, nec sustinens malorum suadebat viro praua. Et *suadentem* ait, quia suasit, non persuasit. *Exsecraretur* vocans scilicet *stultam*, vt habetur cap. 2.

266. 5. Quid? ridebat Deus. Quid? dissecabatur Malus, cùm Iob immundam vlceris
Iob 17. sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.

5. *Quid*? &c. Pugnabant Iobus & diabolus; spectator erat Deus, & ipse etiam diabolus. *Quid* verò in hac pugna? Deus in suo milite exultabat, imò *ridebat*, & deridebat dæmonem: dæmon ipse *dissecabatur*, cruciabatur, torquebatur. Itaque Dei risus, plausus, & pene exsibilatio in draconem doloribus mille dissectum & excruciatum. *Cùm Iob*, en caussa tanti cruciatus, incredibilis scilicet Patientia. *Distringeret*: nam testa radebat saniem in sterquilinio. *Cùm erumpentes*, &c. Magnus Iob in patiendo, & magnus quoque Tertullianus in describenda hac Patientia. Me certè horror inuadit, & post tot secula, legentem hæc verba. *Specus foraminosæ carnis*, multum erat, dici hiantem carnem, sed maius cogitauit Noster. Cerneres in paruulo corpusculo spelúncas vastas plenas foraminibus, vnde bestiæ vermiculantes erumperent. *Pastus*: ô pietas Iobi! noluit carerent alimento bestiolæ, quas genuerat è visceribus. *Ludendo*, en cur Deus rideret. Quid faceret diabolus ad lusum Iobi, ad risum Dei?

267. 6. Itaque operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus iaculis tentationum lorica clypeóque Patientiæ, & integritatem mox corporis à Deo recuperauit, & quæ amiserat, reduplicata possedit. Et, si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij: securus sic de Domino distulit. Sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua Patientia viueret.

268. 6. Sequitur præmium Patientiæ. *Operarius ille*, mira emphasis, quasi Deus hunc virum conduxisset, vt incredibili Patientia omnibus deinde seculis stupori esset. *Retusis*, frangebantur scilicet, & retundebantur iacula, cùm adigerentur in firmissimam petram Patientiæ, quam hîc *loricam* & *clypeum* nominat. *Integritatem corporis*. Tria dixerat num. 3. huius capitis, patientissimum fuisse Iobum in damnis secularium rerum, in amissione charissimorum, in conflictationibus corporis. Nunc cum respectu ad illa ait, ex his tribus recuperasse duo, scilicet & secularia bona, & corporis sanitatem, non filios charissimos. *Et, si filios quoque restitui voluisset*, reduplicatos, quos scilicet amiserat, & (nam alios certè deinde habuit, & hîc iniustè damnatur Tertull.) restituerentur sibi resuscitati & reduplicati à Deo. *Pater iterum vocar tur* ab iisdem à quibus primùm. *In illo die*, iudicij scilicet. *Reddi sibi*, quos amisit. Nam, quos habuit deinde, dati à Deo de nouo, non redditi, non restituti. *Securus sic de Domino*, vt qui firmissimè credidit resurrectionem carnis. *Orbitatem*, eorum, qui obierant. *Ne sine aliqua Patientia viueret*, vixit videlicet semper cum desiderio filiorum, quos amisit. Bona alia amissa dici possunt recuperari, non liberi, qui amissi semel, etiamsi alij de nouo procreentur.

NOTÆ.

269. 1. SECATVR ISAIAS.] Secatum fuisse Isaiam scribunt Epiphanius, Dorotheus, Isidorus, quos aduocat Pamel. Adiunge à me Zenonem Veronens. serm. de Isaia propheta, *Isaias cùm Christum praediceret, vel cùm futuræ damnationis elogium Israëlitico populo nuntiasset, atroci feritate blasphemantium commota barbaries sectum à capite, duabus cum violento supplicio quasi assulis bisidauit. Iussitque à capite per aures vsque ad scapulam secari ceruicem.* Et Maximum sermone Agnetis, *Isaias sectus Martyrem se fecit.* Et Gregorium Nyssenum, qui in oratione ad quadraginta Martyres, sic ait, ἡ πεισθὶς ὁ Ησαΐας, *& Isaias sectus.* Et insuper oratione aduersus eos, qui ægrè ferunt castigationes ait: οὐχ Ησαΐας πρὸ ἐυσεβείας διέπριων ἐπείθη; *Nonne religionem docens Isaias dissectus est?* Et Cyrillum Hierosolym. cateches. 2. γέγονε γὰρ Μανασσῆς πεφυρμένος τατος, ὁ τὸν Ησαΐαν πείσας: *Fuit sceleratissimus Manasses, qui dissecuit Isaiam.* Volo etiam scias, quod fuerit serræ supplicium in eo populo. Explicat rem hanc tibi Cyrillus Alex. in cap. 1. Amos in ea verba, ἵπτειζον πείοσι σιδηροῖς: *secuerunt ferreis serris.* Ait itaque: πείονας δὲ σιδηροῦς τοὺς τῶν ἁμαξῶν ὀνομάζει τροχοὺς, οἷς καταλεπαίνειν ἔθος ἦν ἄλλο τοῖς Σύροις: *Serras ferreas nominat curruum rotas, quibus aream terere Syris mos est.* Itaque passuri miseriam hanc, prosternebantur in terram, ac supra illum rotæ istæ trahebantur miserandum in modum. Et hoc more explicat Cyrillus locum Isaiæ ex cap. 41. Videsis illum. Nisi quis dicat, serram tractam multa vi à medio capite, & sic totum hominem dilaceratum, ita vt hinc inde diuisus esset, à capite, inquam, non per cinctum, vt voluit Zeno Veronens.

270. 1. LAPIDATVR STEPHANVS, &c.] Cyprian. eidem insistit exemplo ad rem Patientiæ: *Poterisne ista perficere nisi Patientia & tolerantia firmitate? quod factum videmus in Stephano, qui interfectoribus veniam postulabat.* Et sanctus Maximus Hom. sancti Stephani: *In persecutione positus erat, & pro persecutoribus supplicabat, atque in illa lapidum ruina, quando alius obliuisci poterat, ille Domino cõmendabat inimicos.*

1. O FELICISSIMVM ILLVM, &c.] Vocat felicem Iobum, quia patiens. & eadem ratione Ioann. Chrysost. Hom. 5. ad Popul. erumpit mirè in felicitate Iobi decantanda. Inde aliquid delibabo. Dicit eius vlcera, ἀπάντων λίθων τιμιώτερα, *omnibus gemmis pretiosiora*, & τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων φαιδρότερα, *solaribus radiis splendidiora.* Vocat illum μακάριον, *beatum.* Et adiicit, illum sedentem in medio stercoris ac diffluentem sanie, non aliter considerandum, quàm αὐδαμάντα τὸν χρυσοῦν, τὸν A διάλιθον, *formam viri aureum, & multis gemmis coruscantem.* Quasi ipse purissimum fuerit aurum, & eius vlcera pretiosissimæ gemmæ. De eodem iterum: *Neque enim tam splendidus in solio Rex sedens, quàm insignis erat ille & illustris in fimo.* Omitto multa, non illud quod ait: *Multi nunc longam & transmarinam peregrinationem à terræ finibus in Arabiam suscipiunt, vt fimum illum cernant, & conspicati terram osculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem susceperit.* Moneo legas Homiliam illam, vt cognoscas & Chrysostomum fuisse eloquentissimum, & Iobum felicissimum. Appingam & hîc versus Prudentij in Psychomac. qui Iobum intemeratum comitem assignat Patientiæ:

Hæc effata secat medias impune cohortes,
Egregio comitata viro: nam proximus Iob
Hæserat inuictæ dura inter bella magistræ
Fronte serenus adhuc, & multo vulnere anhelus:
Sed iam clausa truci subridens vlcera vultu,
Pérque cicatricum numerum sedata recensens
Millia pugnarum, sua præmia, dedecus hostis.

271. 1. EXPVNXIT.] Cùm hoc verbo absolutissimam & perfectissimam Patientiam intelligat, rectè in hunc locum quadrant Cypriani verba: *Iob examinatus est & probatus, & ad summum fastigium laudis Patientiæ virtute prouectus.* Ab Hieron lib. 1. de vitis Patrum cap. 5. Iob dicitur *perfectissimus Patientia.* Locutio sumitur à nominibus, quæ contrahimus (vulgus *debita, deudas*, vocat) quæ per soluta punctis confodiebãtur, aut verso stylo expungebantur, & delebantur. Hinc est, vt *expungere* sit absoluere & perficere, quasi nihil delinquere insolutum.

2. QVEM NON ABACTI, &c.] Zenon Veronensis in sermone de Duplice tentationũ specie: *Exẽplum sanè, quòd non debemus animo deici in aduersis, habemus magnificum Iob, inclinare in tristibus penitus nescientem: qui omnem diaboli violentiam, velut torrentis cuiusdam aduersum se turbinem venientem immobili corde, & inconcussæ mentis viuacitatem susciptens, tanto clarior ex tentationibus factus est, quanto difficiliora & periculosiora ei sunt ab inimico intentata certamina.*

272. 2. ABACTI GREGES.] Explicui, *furto*, nam hæc vis & potestas huius vocis. Sic Plinius l. 8 c. 51. de suibus *abactis furto.* Inde in iure *abactores*, & *abigei*: dicuntur à Iustiniano Nouella 12. ἀπλάται. A Latinis etiam dicuntur *auersores*, sic & *auerti pecora*, pro abigi. Inde illud 1. Æn.

--- aut raptas ad littora vertere prædas.

Quam rem in Æneide illustro & explico, non certè eo loci lib. 1. sed alibi. Notetur discrimen ex Veter. Gloss. quod Briss. adducit inter, ἁπλάτας καὶ κλέπτας, *abactores & fures.* Sunt illi qui ex grege ipso boues abigũt: sunt isti, qui errantẽ forte bouẽ furto auchũt.

2. NON ILLÆ IN PECORE DIVITIÆ.] Signatè & doctè ex institutis illius æui, in quo diuitiæ agrestes pollebant, quod vel ex Patriarchis legis naturalis satis notum. Dicebam de hac re ad l. 7. Æn.

2. IN VVLNERE CRVCIATVS.] Emendant
273. hunc locum M. S. *In vlcere cruciatus à Patientia & Fide Domino dedita excluſit.* Possunt. Sed cum maiore fortasse emphasi *in vulnere*, sicuti iam explicui. Quid quod Cyprian. perpetuus imitator Tertulliani Iobo *vulnera* agnoscit, non *vlcera*, quo fit, vt in illo legerit *vulnera*, non aliter. Illud verò *à Patientia & Fide* omnino displicet. Nam hîc totum negotium est de Patientia, neque est cur Fidem ingeras, vt ab ea dicas non B excludi Iobum. Potius itaque est, vt sit parenthesis, & veluti ratio totius mẽbri. Nam qui se ex magna Fide Deo dedidit, quid mirum securus fuerit tãto patrono? Et verè tanto, quem ideo Nazianzenus in Carmine de Patientia vocat νικηφόρον, *laurigerum.* Carmen est.

Ἰὼβ σὺ πῶτα πειθέτω νικηφόρος:
Hoc laureatus Iob tibi persuadeat.

3. CONSTITIT NOBIS IN EXEMPLVM.] Prosper Aquitan. lib. 1. de Prædict. cap. 22. *Iob ille fortissimus athleta Dei enituit in exemplum omnis Patientiæ productus, vt agonistico certamine principem totius militiæ Diabolum superaret.*

274. 3. PATIENTIÆ PERPETRANDÆ.] Ita & hoc verbo vsus est in bonam partem cap. 3. huius operis, vbi: *Hinc maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, Patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.*

3. VT NEQVE DAMNIS SECVLARIVM, &c.] Hæc tria malorum genera, quibus Iobum diabolus C impetiit, & ille fortis fuit, etiam Cyprian. commeminit: *Iactura rei familiaris infligitur, numerosæ sobolis orbitas irrogatur, accedit vulnerum vastitas*, &c. Et loco alio coniungit, *Iacturas facultatum, cruciatus vulnerum, amissionem charorum.*

3. SVCCIDAMVS.] Ita cap. 5. huius operis, *succidit impatientiæ.* Et de Cor. Mil. *Vanitati succidisse.*

4. FERETRVM.] Accepi de trophæo, quod excitabatur à duce exercitus, si ducem aduersarium ipse vicisset singulari certamine, & talis Iob aduersus diabolum. Atqui *trophæum* dictum *feretrum* à ferendo, & inde etiam Iuppiter Feretrius. Vide Plut. in Romulo.

275. 4. QVALE VEXILLVM, &c.] Ad hunc etiam modũ Hieronymus loquitur epist. ad Iulianum: *Exultans Dominus in victoria famuli sui Iob, & illius Patientiam suum ducens triumphum.* Pulcherrimè Prudent. Psychom. Patientiam & Iobum triumphantes in acie inducit, his versibus: *Hæc effata*, &c. quæ paullò antè D retuli. Dixit, *vexillum extulit*, vt Virg. 8. Æn.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Ne verò accipias Tertullianum de vexillo ad conducendum militem, aut de illo quod ante pugnam tollebatur, nam hæc duo ante conflictum: atqui Tertull. loquitur de vexillo post partam victoriam, quod captum ab hostibus, suspendebatur in templo.

4. DEO GRATIAS.] Locus notandus. Certè salutatio, quæ nunc in ore religiosorum sumpta ab vsu antiquorum Patrum. Videatur Auctor vitæ sancti Godehardi de Episcopatu eius cap. 10. vbi eadem forma. Et Paulinus ad Alethium initio epistolæ vbi vsurpat *Deo gratias.* Et Ambros. ser. 28. vbi *Domino gratias.*

276. 4. VXOREM, &c.] Cyprianus: *Armat diabolus & vxorem, illo antiquæ nequitiæ suæ vsus ingenio, quasi omnes per mulierem decipere posset & fallere, tamen Iob,* A &c. Prosper Aquitan. lib. 1. de Prædict. c. 22. *Mulierem viro suo illo articulo armat, atque per vxorem fortissimum virum suo pulsat ex latere.* Alludit Prosper ad machinam arietantem. Hieronymus epist. ad Iulianum: *Beato Iob post malorum examina vxor pestima reseruata est.*

5. QVID? RIDEBAT, &c.] Legit Iunius: *Qui deridebat Deus? qui dissecabatur Malus?* Quæ lectio non debet displicere, sed certè nõ est necessaria. Apto ad Tertullianum verba Senecæ lib. de Prouid. cap. 2. vbi: *Ego verò non miror, si quando impetum capiunt* Dij *spectãdi magnos viros colluctãtes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit*, &c. Ait videlicet, lætari Deos, cùm vident patientem hominem, non aliter ac nos cùm videmus adolescentem, cui magnus animus aduersus feras.

5. DISTRINGERET.] Corrigunt, *destringeret.* 277.
Possunt.

5. SPECVS.] Cum specubus Tertulliani mirè facit *vastitas* Cypriani, nam de Iobo: *Accedit vulnerum vastitas, & tabescentes, ac fluentes artus.* Hanc vastitatem vulnerum Iobi expressit Zeno Veronens. vocans *populosa vlcera*, est enim *populari*, latè vastare. Ioann. Chrys. Homil. 19. ad Pop. loquens de Martyribus, πλευρὰς διαφλυούσας, *aperta latera*, quasi videlicet fenestras aut portas aperiat. Fortasse Tertull. ad Virgilium contendit lib. 9. Æn. vbi de ingenti vulnere, *specus*, eo versu, --- *reddit specus atri vulneris vndam.* Neque abit forma Cypriani, qui lib. de Habit. Virg. loquens de foraminulis aurium dixit *cauernas.*

5. FORAMINOSÆ CARNIS.] Ita & de Vulnerib. Plaut. Mostell. addens & *cribrum* ad rem eandem:

O carnificinum cribrum, quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis.

Ioan. Chrys. loquens de Iobo Hom. 5. ad Pop. σῶμα τὸ δικαίου παντοδαποῖς ἕλκεσιν διατρήσας: *Corpus iusti omniformi vlcere* diabolus *perforãs*: & διώρυξεν ὡσπὲ πλευράς: *eius latera confodit.* Idẽ in epist. 2. ad Olympiadem: πῶς αἱ δηγματώμεναι ὀδύναι, καὶ πηγαὶ, ἢ ἐχῶρες ἢ καταῤῥέοντα, καὶ ὀγκώδεις οἷον: *Iam quonã modo ipsius dolores commemorẽ, vermiũ scaturigines, defluentẽ saniẽ, opprobria amicorũ.* Legebatur olim in Tertull. carnis *refossæ*, aut *reforatæ.*

5. LVDENDO.] Hieronym. epist. ad Iulian. loquẽs 278.
de aduersitatibus: *Si ad te respicias, grandescunt: si ad bellatorem fortissimum Iobum* (nam de hoc loquitur) *ludus & vmbra.* Ab hoc lusu non dissidet historia iuuenis quæ habetur li. 3. in vitis Patr. c. 84. & l. 6. c. 12. qui iniuria affectus ridebat affatim, vt qui gratis (hęc enim eius ratio) & nullo pretio acciperet occasionẽ magni meriti. De Asella Hieronym. in Regul. Monach. *ieiuniũ habuit pro ludo.* Tale illud Martyrũ Quadraginta apud Basiliũ, reputantiũ plagas Gentiliũ, βέλος νηπίων, D *sagittã infantiũ.* Alludit scilicet ad Psal. 63. de iisdẽ ait, καταγελῶντες τὸ ἀνυπόπτου, *hostem ridentes.*

6. OPERARIVS VICTORIÆ.] Nam qui de Iobo loquũtur, semper vt de milite. Ioan. Chrys. orat. 4. de Incomprehens. Dei Natura, illum vocat, τὸν Θεσπὸν τοῦ ἀθλητήν: *Dei athletam.* Ioann. etiam Cassian. Collat. 13. cap. 14. *probatissimũ athletam nominat.* Ait *operarius* voce Patrum vsitata. Cassian. l. 4. c. 39. *Operariũ malũ.*

6. IACVLIS TENTATIONVM.] Cyprian. de Iobo: *Quanta aduersus eum diaboli iacula emissa.* Prosper Aquitan. de Vxore Iobi loco laudato: *Cùm & mulier venenata iacula, quæ ab inimico sũpserat, infunderet.*

6. ET QVÆ AMISERAT REDVPLICATA POSSEDIT.] De Iob Prudent. Psychom.

Illũ (Iobum) *Diua iubet tandem requiescere ab omni*
Armorum strepitu, captis & perdita quæque
Multiplicare opibus, nec iam peritura referre.

6. ET SI FILIOS QVOQVE, &c.] Verissima est explicatio, quam adduxi. Nunquam enim illi redditi aut restituti filij, quos amiserat. Nam de nouo nati, dantur, non redduntur; fiunt de nouo, non restituuntur. Itaque nulla est ratio, cur Tertullianum faciamus aut labentem memoria, aut cæcum oculis. Ista sic dissertat Iunius contra Pamelium, cui consentimus in hoc. Signatissimè Zeno Veronens. serm. de Iob ait: *Iob vicarios filios genuit*, qui scilicet haberent vicem amissorum.

6. TANTVM GAVDII.] Sic potest interpungi: *Sed maluit in illo die reddi sibi: tantum gaudij securus*, &c. Sic enim concinnior redditur oratio.

6. SVSTINVIT TAM V. &c.] Didacus de Andrade egregius Theologus, & concionator Augustinianus annectit hoc cum superiore *sed*, huncin modum: *Sed sustinuit tam*, &c. Delens scilicet, id quod est medium, *Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij: securus sic de Domino distulit. Sustinuit tam*, &c. Hoc volui monere, ne tu decipiare. Vide illum in tractatu 30. c. 1.

6. TAM VOLVNTARIAM.] Iunius legit *tum*: neque abnuo. Etiam si non sit necessarium: nam explicatio eius verissimè constat, etiam si non fiat hæc mutatio.

CAP. XV. ARGVMENTVM.

Virtutes Patientiæ comites: eius effigies & habitus.

TERTVLLIANVS.

280. 1. A DEO satis idoneus Patientiæ sequester est Deus. Si iniuriam deposueris penes eum, vltor est: Si damnum, restitutor est: Si dolorem, medicus est: Si mortem, resuscitator est.

EXPLICATIO.

1. IDONEVS *sequester Deus*, vt apud quem tutò possis rem tuam litigiúmque deponere. *Si iniuriam deposueris*, vt in sequestrem. *Vltor est*, iuxta illud, *Mihi vindictam*, &c. de quo cap. 10. huius libri. *Si damnum, restitutor*, nam Iobus *qua amiserat reduplicata possedit*, vt dictum præcedente cap. *Si dolorem, medicus est*, idem Iobus *integritatem corporis à Deo recuperauit*, vt ibidem: *Si mortem, resuscitator est*, nam dixerat, *Etsi filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur*. Adduxi hæc commentariola ex præcedente cap. nam non dubium, quin Tert. illa respexerit.

281. 2. Quantum Patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem! Nec immeritò. Omnia enim placita eius tuetur, omnibus mandatis eius interuenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesin adsignat, carnem regit, spiritum seruat: linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat.

282. 2. *Quantum Patientiæ licet*, &c. Sententia est. Patiatur Patientia quantum velit, & possit pati, vt æquet tam locupletem debitorem, Deum scilicet. Licent illi omnia, etiam intoleranda, cum tanto debitore. Credat Deo omnia quæ possit, nam hic persoluet. *Nec immeritò*, subaudi, Deus est debitor. id est, meretur Patientia tantum debitorem. *Omnia enim*, &c. Reddit rationem, cur meritò Deus sit debitor Patientiæ. Nã illa ministra est omnium virtutũ, quæ charissimæ sunt Deo: *Omnia enim placita eius tuetur, omnibus mandatis eius interuenit*: debet ergo illi Deus tantum obsequium, vt sit illius debitor. Ait, *interuenit*, quasi sequestra sit. Pergit: *Fidem munit*, &c. Narrat iam *placita* Dei, quæ tuetur Patientia; & *mandata*, quibus interuenit. Incipit à Fide quam *munit*, verbum aptum fundamentò Christianæ vitæ: certè patiens testimonium dat fidei, eámque firmat. *Pacem gubernat* in tanta iurgiorum procella, & turbationum tempestate. *Dilectionem adiuuat*, vt ministra Reginæ omnium Charitatis. *Humilitatem instruit*, ita glorioßissima est Patientia, cùm sub se habeat tantam discipulam. *Pœnitentiam expectat*, vt mater amantissima perditum filium, ita enim locutus idem Tertull. cap. 12. huius operis. *Exomologesin adsignat*, dat, attribuit, & consignat Pœnitentiæ confessionem (nam hæc est Exomologesis,) vt partem propriam eius. *Sed adsignat* voluit cum respectu ad Pœnitentiam, quæ præcessit. q. d. Confessionem signat ad Pœnitentiam. *Carnem regit*, nam abstinentia & ieiunio comprimit exultantem. *Spiritum seruat* tanquam in custodia. Cyprian. de Patientia, *bona custodit*, dixit. Hactenus virtutes comites; iam vitia, quæ prohibet. *Linguam frænat*, equum scilicet lasciuientem. *Manum continet* à rapinis, nam scit patienter tolerare paupertatem. *Tentationes inculcat*, nam quam vim habere illæ possunt aduersus eum, qui libenter patitur iniurias? *Scandala pellit*, qui patiens est tormentorum, nullum præbebit scandalum negans fidem. Inde sequitur, *Martyria consummat*, quibus vnicè necessaria Patientia ad perferendos cruciatus. Istæ explicatiunculæ non alienæ à mente Tertulliani. tu, quas voles alias, excogita, nam capax multarum scriptor.

283. 3. Pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum domino, dominum Deo commendat. Fœminam exornat, virum approbat. Amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene. In omni sexu, in omni ætate formosa est.

284. 3. Pergit in laudibus Patientiæ, & à virtutibus, quarum est ministra, aut magistra, aut comes, transit ad argumentum aliud, aítque hanc virtutem inueniri in omni hominum conditione, sexu, ætate. De condi-

tione adducit *pauperes, diuites: infirmos, valentes: fideles, infideles: dominos, seruos*: De sexu *fœminam*, & *virum*: De ætate *puerum, iuuenem, senem*. In quibus formosa est & speciosa Patientia. Omnia huius tractus clarissima sunt, duo tantùm membra aliquid habent difficultatis, ideo explicabo, videlicet *infirmum non extendit*, id est, non prostrat & pessum dat. Vel, non facit magis infirmum extendendo eius infirmitatem. Vel, si mauis, non interimit. Habitus enim mortui est extensio corporis & porrectio. Etenim infirmus, qui impatiens est, ipsa impatientia citiùs deuolui tur ad mortem. Deinde, *valentem non consumit*, id est, sanum & integrum viribus non extenuat. Cur? quia si viro valido sese offerat aliquid molestum, & ferat patienter, conseruabit vigorem suum. Aliorum explicationes tibi in promptu.

285. 4. Age iam si & effigiem, habitumque eius comprehendamus. Vultus illi tranquillus, & placidus. Frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis, humilitate non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus.

4. Gradum facit ad describendam effigiem & habitum Patientiæ. De effigie nihil dici potuit luculentius hoc tractu. Quem non ad capessendam hanc virtutem inuitabunt hæc verba ipsa serenitatis plena? Iam præ te ô Afer pene Tullium contemno. An ille altiùs loqueretur? Abstineo à commentatiunculis, ne contaminem tantam eloquentiam, in re præsertim clara, & quæ admiratione eget, non verbis.

286. 5. Cæterùm amictus circum pectora candidus & corpori impressus; vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno Spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertio vidit Elias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, Patientia scilicet.

287. 5. En iam de amictu Patientiæ. Hic *candidus* & *corpori impressus* appresúsque & inhærens. Cur hoc extremum? Quia Patientia *nec inflatur, nec inquietatur*. & cur non inquietatur? Quia *sedet in throno* Dei *mitissimi & mansuetissimi*. Quæ argumenta huius mansuetudinis? Esse scilicet Deum apertum & simplicem, & in quo sit serenitas quædam tenera; & talem, qualem Elias vidit in sibilo auræ tenuis, à quo Deo longè absunt glomerati turbines, liuida nubila. Ergo in throno, in quo est Deus, ibidem eius *alumna*, id est, filia Patientia. Explico illud, *qui non turbine glomeratur*. Dicit glomeratio formam globi rotundam: inde necesse est latere quæ sunt in interiore globo: quamobrem rectè opponitur simplicitati apertæ: sicut nubilum liuidum teneræ serenitati. Cur dicat *tertio*, dicam in Notis.

288. 6. Cùm ergo spiritus Dei descendit, indiuidua Patientia comitatur eum. Si nos cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper: imò nescio an diutiùs perseueret sine sua comite ac ministra. Omni loco ac tempore tangatur necesse est: quodcunque inimicus eius inflixerit, solus sustinere non poterit carens instrumento sustinendi.

6. *Cùm spiritus Dei descendit*, subaudi, in nos. *Indiuidua*, inseparabilis. *Si nos*, &c. id est, *si nos cum spiritu* Dei descendente in nos *admiserimus* simul Patientiam, Spiritus Dei *semper morabitur in nobis. Imò nescio*, &c. Rectè quia cautè, & theologicè. Leuis enim impatientia non abigit à nobis Deum, sed disponit, vt & cætera venialia. Ergo ait. Fortasse amissa Patientia, incides in grauem impatientiam, vnde fiet vt diutiùs non *perseueret* in te spiritus Dei *sine sua comite ac ministra. Omni enim loco*, &c. Nihil concipi altiùs potuit. Mens simplex est, abiturum à nobis Deum, si absit à nobis Patientia: sed vide qua ambage hoc dicat. Sicuti nos tentamur tangimúrque à diabolo vehementer cùm caremus Patientia, ita necesse est Deũ quoque, qui in nobis est, *tangi*: & tunc quidem carens *instrumento patiendi*, ac perinde non *sustinens* inflicta vulnera & tentamenta, abibit. Cuius rei culpa tota in nobis hæret, contriuimus confregimúsque instrumentum, quo Deus innititur.

NOTÆ.

289. 2. DONEVS SEQVESTER.] Propriè est ille, apud quem plures rem, de qua est controuersia, deponunt, tanquam εἰς τὸν ἀνθρωπον μέσον, in medium hominem, vt scilicet medius interueniat. Tertull. de Resurrect. Carnis: *Hic sequester Dei atque hominum appellatus ex vtriusque partis depositio commisso sibi*. Aiunt ita dictum, quòd eius fidem sequantur, qui rem deponunt apud illum. κοινωνοὺς vocat Lysias in orat. 2. contra Alcibiadem, quasi medij sint & communes. Agellius lib. 20. c. 10. ait à Pub. Lauinio antiquo Scriptore, dictum *sequestrem* eleganter, quem vulgò dicunt *Sculnam, quasi Seculnam, quod eius, qui electus sit, vtraque pars fidem sequatur*. Vulgò etiam *mediator* dicitur. Ruffinus Aquileiens. lib. 2. de Vitis Patrum: *Quanto enim se ab humanis curis & colloquijs sequestrabat, tanto illi vicinior & propinquior Deus erat*. Tu vide lexicographos iuris. Et me in lib. 12. Æn item Plautum Rudente: *Nisi das sequestrum aut arbitrum cuius hæc res arbitrio fiat*.

1. MEDICVS EST.] Greg. Magnus Homil. 2. in Ezechiel. Deum etiam facit *medicum*. eius verba: *Vt humanum genus à suo languore sanaret, tunc magna apparuit potentia medici, cùm languor creuit ægroti*.

290. 2. OMNIA ENIM PLACITA EIVS TVETVR.] Vide quantum comprehendat Patientia, quásque habeat virtutes comites. Pari, sic dicã, generalitate Cyprian. loquitur: *Non inuenio, fratres dilectis-*

simi, inter cæteras cœlestis disciplinæ vias quid magis sit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quàm vt qui præceptis Dominicis obsequio timoris ac deuotionis innitimur, Patientiam maximè tota obseruatione tueamur. Pari elogio & incremento iterum: *Latè patet Patientiæ virtus, & vbertas eius & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur: sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur, nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem.* Nihil dici maius potuit. Prudent. etiam Psychom.

Omnibus vna comes virtutibus associatur,
Auxiliumque suum fortis Patientia præstat.
Nulla anceps luctamen init virtute sine ista,
Virtus nam vidua est, quam non Patientia format.

Cassian. quoque Collat. 12. c. 6. Vni Patientiæ maximum agmen virtutum attribuit: lege ab eo loco: *Nam qui mitis semper atque tranquillus est*, &c. Et coll. 14. c. 4. illi dat comitem mansuetudinem. Et lib. 5. de Monastica vita cap. 4. cùm aliis virtutibus alia det elogia, Patientiam facit fundamentum. Aptaueram & locum Ioannis Chrysostomi, quem omisi, licèt egregium, quòd repererim postea in Benedicto Fernandio c. 3. in Genes. sect. 29.

291. 2. FIDEM MVNIT, &c.] Cyprian. *Patientia est, quæ Fidei nostræ fundamenta firmiter munit.* Hieronym. de Regulis Monach. *Patientia matre gaudet Fide.* Sed cùm Tertull. det Patientiæ tot ac tantas virtutes comites, non grauabor adiungere similia Patrum loca, potiùs indicare. Cyprianus dat illi comites aut administras vno in loco, *Pacem, Humilitatem, Fortitudinem, Fidem, Spem.* Alibi, *Lenitatem, Clementiam, Perseuerantiam, Stabilitatem.* Hieronym. de Regulis Monach. ait Spem esse *sororem* Patientiæ, Fidem esse eiusdem *matrem*, Virtutes reliquas esse eius *affines.* Ait etiam eos dici posse ore pleno *iustos*, qui Patientiam operantur. Hilarius in Psalm. 138. comitem facit *constantiæ.* Ioannes Moschus in Vitis Sanctorum Patrum ait, *Mansuetudinem* discipulam esse Patientiæ. Videatur & Greg. Magnus Hom. 35. in Euangel. ab eo loco: *Verè radix omnium, custósque virtutum est Patientia*, &c. Sed nemo vberiùs Tertulliano, si tractum hunc percurras.

292. 2. DILECTIONEM ADIVVAT.] Patientiã à Charitate accendi, vt lucernam ab ardentissima face, legitur in Vitis Patrum lib. 5. Hoc exemplo, ibi indicatur mutua vtriusque virtutis connexio & affinitas. Simile quidpiam habet Basil. orat. de Martyr. 40. hanc esse ignis naturam: ille enim ὡσὲ τὸν ἁπτόμενα μεταβαίνει, καὶ ὅλον ἔχει πρὸς τῷ ἔχοντι: *Transit ad accendentem, & manet totus in habente.* Ennius apud Tull. lib. 1. Offic.

Vt homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Vt nihilominus ipsi luceat, cùm illi accenderit.

Sed hoc obiter ad illustrandam sententiam illam de Vitis Patrum. Redeo. Cyprianus dixit: *Tolle Charitati Patientiam, & desolata non durat: tolle sustinendi tolerandique substantiam, & nullis radicibus ac viribus perseuerat.* Vide an verè Charitatem adiuuet? Hanc affinitatem Virtutum cum Charitate vocat Nyssen. in oratione, qua laudat Basilium, φλάσμα, & Charitatem ipsam, φίλτρον. Vide verò an affinitas magna inter radicem & furculum.

2. HVMILITATEM INSTRVIT.] Ephrem Syrus in orat. de Patientia ait, opificium humilitatis pendere à Patientia.

2. TENTATIONES INCVLCAT.] Sic diabolus πάτησις, id est, *victus*, dicitur à Patientia Iobi apud Chrys. Homil. 5. ad Pop. *Inculcat.* vsurpat pro simplici calcat.

2. LINGVAM FRÆNAT.] Quo fermè tenore Cyprian. *Patientia est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum.* Tu reliqua.

2. MARTYRIA CONSVMMAT.] In hoc Patientia non à vitiis frænat, sed ad virtutem potiùs acuit, cùm ad martyrium incitet. Inter laudes Patientiæ hæc maxima. Hilarius can. 4. in Matth. *His patientibus & regnum seruatur & merces copiosa in cœlo promittitur, qui deinceps glorioso promissorum Dei Martyres.* Hieronym. ad Eustoch. loquens de Patientia Christi: *Hæc est sola digna retributio* (tantæ scilicet Patientiæ) *cùm sanguis sanguine compensatur, & redempti cruore Christi pro redemptore libenter occumbimus.* Et de Regulis Monachor. *Inde glorioso testes efficiuntur, dum fide pleni, dum Dei timore solliciti, dum continentiæ discipuli, dum filij spei, duce Patientia reperiuntur.* Cyprian. *Tot prophetæ interfecti, tot martyres gloriosis mortibus honorati, qui omnes ad cœlestes coronas Patientiæ laude venerunt.* Alibi: *Passiones & martyria consummat.* Præclarè ait Greg. lib 16. Moral. *Qui à statu Patientiæ corruit, ipsum sibi testem esse non permansurum ante gladios.* 293.

3. PAVPEREM CONSOLATVR, DIVITEM TEMPERAT.] Hæc verba ita mutauit Cyprian. *Coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet.*

3. INFIRMVM NON EXTENDIT.] Hieronym. in Regulis Monachor. loquens de Patientia ait: *Animi vera lætitia dolores corporis mitigat; quòd si ad ægrotationem corporis accedat ægrotatio animi, duplicatur infirmitas.*

4. AGE IAM SI EFFIGIEM.] Legunt, *Age iam sis effigiem*, nulla necessitate. Notetur locus Aldhelmi de Virg. cap. extremo, vbi postquam multa de virginitate, ait se tandem depinxisse formosæ Virginitatis speciem, & composuisse venustum pudicitiæ vultum, diuersis virtutum coloribus, quasi fucorum floribus. Et quid aliud obsecro Tertullianus? Etenim effigiem, quam hîc exhibet, ducit verè à reliquo præcedente Opere, conformans in humanam effigiem superiores Patientiæ laudes. 294.

4. EFFIGIEM.] De hac effigie Prudent. Psychom.

Ecce modesta grauis stabat Patientia vultu,
Per medias immota acies variósque tumultus,
Vulneraque & rigidis vitalia peruia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.

Cassian. collat. 12. c. 6. Patientiæ dat *lenitatem* vt proprium characterem. Sic contrà Hieronym. de Regulis Monachor. vitio contrario Patientiæ dat *labia tumentia, dentes concrepantes, vultus pallore mutatos.* Vt etiam Seneca iræ (quod vitium Patientiæ contrarium Prudentius Psychom. attribuit) dat contraria omnia lenitati, modestiæ, moderationi; imaginémque depingit flagrantem, æstuantem, horrentem. Vide illum. Adi etiam locum eiusdem Senecæ epist. 115. Vbi latè describit effigiem virtutis, in qua nonnulla similia Tertullianicæ descriptioni. Et Themistium Euphradam orat. 7. vbi in descriptione, vultu, habitu, veste Philosophiæ multa quoque huic excursui similima.

4. NVLLA MOERORIS AVT IRÆ RVGOSITATE.] Ab Seneca dicto loco iræ *facies* dicitur *fœda visu & horrenda.* Vide vt ab Prudent. describatur Psychom. 295.

4. REMISSA SVPERCILIA.] Est in superciliis posita nota omnium pene affectuum, non illorum tantùm, qui mali; sed illorum etiam, qui boni. Inde hîc Patientiæ *remissa supercilia.* Vt apud Nemesian. 1. Ecl.

---mite serena
Fronte supercilium.

Et Nonnus lib. 15.

---γαλωώσην ὑπ' ὀφρύσι μειλιχίην θήρ:
---*Serenis supercilijs blanda fera.*

Sic contrà de irato Ammian. lib. *Ardua subrigens supercilia.* Ego his latiùs ad Ecl. 8. Virg.

4. OCVLIS HVMILITATE, NON INFELICITATE DEIECTIS.] Videtur mihi notare Græcorum vocem καπήφειαν, quam Heliodorus vsurpat, cùm ait lib. 8. καπήφησας, & Plutarch. lib. de Vitioso pudore attribuit mœstitiæ illi, quę cogit humum intueri. Vel potiùs, κάτω νεύσας, quam plenè vsurpat Heliodor. lib. 7. Hist. Aeth. in re planè simillima Tertulliano. Dicit enim Theagenem præteriisse non audienti similem, oculis tamen fixis in terram, vt qui non assentiretur Arsaci in libidine, quam ea intentabat.

296. 4. OS TACITVRNITATIS HONORE SIGNATVM.] Intueor mentem Tertulliani & habeo quo firmem. Videtur mihi, Virginem ab illo Patientiam induci. Vt ergo magnum est ornamentum virginitatis silentium, quod ab multis Patribus liquidum, ita erit Patientiæ virginalis. Quin si tota descriptio Patientiæ Tertullianicæ altiùs consideretur, videbis meram virginem ab eo describi, in tranquillitate vultus, puritate frontis, deiectione oculorum, &c. En eius mens. Sed quod firmamentum? Ait Gregor. Thaumat. orat. 2. Annunt. ab illis, qui virtutũ naturas coniectant ac penetrant, dici verè virtutes παρθένους, id est, *Virgines*. Sic & Prudent. Psychom. Sobrietatem, & Humilitatem, & virtutes alias vocat *Virgines*. Hoc cùm sit verissimum, rectissimè Patientiæ quadrabit effigies Virginis. Inde in illa silentium, & notæ aliæ, quas indicaui.

4. MOTVS FREQVENS CAPITIS IN DIABOLVM.] Nam hic motus totus minitabundus; de quo iam ego bis ad Virg. Æneidem. Et hic Patres offero. August. in Psalm. 54. loquens de Iudęis: *Caput agitabant, & dicebant, si filius Dei est, descendat de Cruce.*

297. 4. MINAX RISVS.] Tale illud Statij 8. Theb.

--& formidabile ridens.

Ammian. l. 21. *Amarum Iulianus subridens.* De Hercule Philostrat. lib 2. Icon. μειδιῶν φλοιυρόν: *Ridens horrendum.* Et de eodem Eurip. in Tragœd. eius nominis, γέλωτι παρσπαλμῷ: *Cum risu horribili.* Themist. Euphrada orat. 9. μειδιῶν μειδίαμα δολερόν, μειδίαμα θρηνῶν μεστόν: *Ridens risum fallacem, risum plenum lamentis.* De hoc pleniùs ad lib. 10. Æn.

5. VT QVI NEC INFLATVR, NEC INQVIETATVR.] Rescribunt ex M.S. *Vt qui nec inflatur, nec inquinatur.* Quæ correctio etiamsi primo intuitu videatur blandiri, vt sicut inflatio opponitur vesti impressæ, ita inquinamentum opponatur candori, sed puto falsam. Nam quæ sequuntur de consuetudine, serenitate, non glomerato turbine, referenda sunt ad quietem. Et quidem Tertull. non semper oppositiones quærit, imò qui in illo eas quærat, & ideo mutet lectionem, errabit sæpissime.

5. NEC INQVIETATVR.] Prudent. Psychom.

---inde quieta manet Patientia.

Cyprian. de patientissimo Christo, *non loquitur, non mouetur.* Habetur exemplum patientissimæ quietis, lib. 1. de Vitis Patrum. Vbi frater quidam orans, ictus ab scorpio lethaliter, & veneno ad vitalia penetrante: *Non tamen se commouit loco, donec finiretur oratio.*

298. 5. MITISSIMI ET MANSVETISSIMI.] Greg. Mag. Hom. 2. in Ezech. Christum vocat *fontem misericordiæ, radicem mansuetudinis.*

5. TVRBINE GLOMERATVR.] Plin. cap. 35. lib. 18. *Nubes globabuntur.* Legit Cassinus in Parallelis Eloquentiæ lib. 15. *Qui in turbine glomeratur,* malè & contra mentem Tertulliani.

5. NVBILO LIVET.] *Liuere* est inuidere. Statius 10. Thebaid.

Liueat infandum licet Argos, & aspera Iuno.

Martialis lib. 9. epig. 24.

Albanæ liuere potest pia quercus oliuæ,
Cinxerit inuictum quod prior illa caput.

Idem Martialis in membranis, vt corrigitur à Pet. Scriuerio:

Et potet, calidam qui mihi liuet aquam.

In vulgaribus est, *qui mihi laudat.* Stat. 1. Syluar. in Epithalamio Stellæ & Violantillæ,

- -rupęsque nitent, quęis purpura sæpe
Oebalis, & Tyrij moderator liuet aheni.

Ruffinus c. 26. l. 3. de Vitis Pat. *Inuidiæ liuore cor eius vulneratum est.*

5. TENERÆ SERENITATIS.] Iunius accipit de læuore continuo ac lubrico ex verbis Plinij lib. 2. c. 3. *Lęuitate continua lubricum corpus, quod clarissimi Auctores dixêre tenerum.* Non placet. Ego blandientem & placidam serenitatem explico, vt solent esse tenera, nam ita meliùs oppones glomerato turbini, liuenti nubilo. Ad eum modum, quo Ambros. de obitu fratris Satyri ait, *Mare tranquillum esse indicium diuinæ serenitatis,* cui opponit eiusdem commotionem, quæ indicat indignationem & terrorem Dei. Quin Hermes in Pastore lib. 2. cap. 6. dixit: *Aequitatis genius tener est, lenis, & verecundus, mansuetus & quietus.* De lectione moneo, legendum *serenitatis,* non *simplicitatis,* vt est in Cassino lib. 15. Parallel. 299.

5. QVEM TERTIÒ VIDIT ELIAS.] Explicant interpretes, quia Elias primum 3. Reg. 18. puero suo ostendit nubeculam paruam, quæ mox tamen excreuit in ingentem pluuiam. Deinde 4. Reg. 2. per turbinem in nube ignea raptus est in cœlum. Tertiò denique nubem vidit lucidam & serenam, qua Christus circumdatus in Thabor. De hac accipiendus Tertull. cùm præsertim ibi (ait Pamel.) de Christi passione sermocinarentur; quod primariũ Patientiæ exemplum. Hactenus interpretes, qui certè displicent: aliò respectum ab Tertull. nimirum ad caput 19. lib. 3. Regum. Vbi Elias vidit primò *spiritum grandem & fortem atque commotionem,* & dixit, *non in spiritu, neque in commotione Dominus.* Deinde vidit *ignem,* & dixit, *neque in igne esse Dominum.* Demum post hæc audiuit *sibilum auræ tenuis,* & ibi intellexit esse Deum, nam statim *operuit vultum suum pallio.* Ergo Tertull. potest per *turbinem glomeratum* signare spiritum illum grandem & commotionem: deinde per *liuentia nubila,* ignem qui secutus: potuit enim ille ignis Eliæ repræsentari plenus fumo, à cuius atricie & nigricantia non abit color liuidus: tandem per *teneram serenitatem* potest notare auram tenuem ac sibilantem, quæ est symbolum mitissimi & mansuetissimi spiritus Dei. Quid quòd cap. 4. Iob, vox Dei dicitur *quasi aura lenis.* Obijcies. Ait Tertull. visum Deum ab Elia, quod tantùm verè in monte Thabor. Non me hoc turbat. Nam dici potest visus Deus, cum est cognitus esse in illa tenui nube. Sic Prophetæ passim dicunt, Deum à se visum in alijs formis. Aliter si rigidè examines, quot sunt qui negent neque à Moyse, neque à Paulo visum Deum? Et quidem Basil. Hom. 1. de ieiunio ait, visum tunc Deum ab Elia, quantum fas est homini Deum videre, factúmque spectatorem magnæ visionis. Et Macarius Hom. 6. mentione illata loci eius è 3. Reg. c. 19. ait in hac tenui aura fuisse Dominum. Huc necessariò respectum à Tertull. quia illud de monte Thabor esse nequit. Nam tametsi ibi Deum viderit, sed quæ adducuntur de nubecula, & deinde de nube ignea, nihil ad rem faciunt, vt respectu horum dici 300.

Deus posſit visus tertiò in monte Thabor. Locus autem, quem ego aperui, eò omnino spectat: nam Elias Deum voluit videre, & expectabat, vt videret, & non vidit neque *in Spiritu & commotione*, neque deinde *in igne*, sed tamen vidit *in tenui ac sibilante aura*. Quid quòd si intelligas de monte Thabor, nulla est potior ratio, cur Eliam nominaret Tertullianus, quàm Moysem, tres discipulos qui simul aderant?

5. ALVMNA EIVS.] Id est, filia. Ad hunc modum locutus est de se Gregorius Nazianz. orat. ad Episc. 150. λόγου σωτηρίους: *Rationis alumnos.*

6. INDIVIDVA PATIENTIA COMITATVR EVM. SI NOS.] Legit Iunius: *Indiuidua Patientia comitatur. Eam si nos*, &c. Sed vtrumque legi commodè potest meo iudicio.

301. 6. IMÒ NESCIO AN DIVTIVS PERSEVERET.] Risi fateor non tam ad correctionem Iunij, quàm ad rationem corrigendi. Ait scilicet legendum, *Imò nescio an diu quis perseueret.* Sed quæ eius ratio? Nam verba sequentia hæc, *Quodcunque inimicus eius inflixerit, solus sustinere non potest, carens instrumento sustinendi*, ait ille, *nullo modo enuntiari de spiritu Dei possunt, de homine verò sunt perquam verissima.* Itane religiosus est Iunius, vt in hoc hæreat, atque hoc scrupulo tangatur, qui sæpe Tertullianum ad prauum & hæreticum sensum detorquet, & venenum Caluini in explicationibus suis instillat? Ergo correctio nulla, & ratio nulla. Legendum verè *diutius*. & sermo capiendus est de Deo. Nam cùm ait, *Imò nescio an diutius perseueret sine sua comite ac ministra*, consequenter loquitur ad superiora ista: *Vbi Deus, ibidem & alumna eius, Patientia scilicet.* Et statim, *Cùm ergo spiritu Dei descendit, indiuidua Patientia comitatur eum.* Itaque & *alumna* illa, & *comes* illa *indiuidua*, est quæ nunc dicitur & *comes*, & *ministra*. Aliter torquetur sententia. Iam verò ratio quàm futilis! Certè tritus est Sanctis Patribus sermo iste, Deũ in nobis per peccatum mortale *extingui, occidi, pessum dari*, & similia. Ad eum modum, quo Saluian. dixit lib. 6. *Deum iniuriis verberamus.* Iam quis neget dici posse ad peccatorem, *Tu homuncio Deum tentas?* Ergo ait Tertull. Deus A tangitur tentatúrque in nobis, eiúsque virtus & gratia tentamenta ista non sustinebit absque sua alumna comite, ministráque Patientia. Et quidem hæc ratio concipiendi sublimis est & παραμυθητική, atque ad permouendos animos idonea, neque abhorrens ab ingenio huius doctoris. Nihil in his indignum Deo. Cùm præsertim Tertull. hac verborum ambitione velit dicere, hominem absque Patientia facilè vinci & cadere, ad eum modum, quo Greg. Nyss. lib. de Virg. cap. 18. dicit Patientiam esse hominis βακτηρίαν, *baculum*, & hoc est quod dixit Tertull. vocans Patientiam *instrumentum sustinendi.* Quid quòd clarus locus Tertulliani contra Iunium, nam cap. 15. de Spectac. ita scribit: *Deus præcepit, Spiritum sanctum, vtpote pro naturæ suæ bono tenerum, & delicatum, tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare; non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare.* Vbi *inquietare* est quod hîc *tangatur.* In reliquis etiam similitudo vtriusque loci perspicua est. Et quidem verbis *tango* & *inquieto* vicinum verbum *contristo*, quo vsus Apostolus ad Ephes. B 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.*

6. TANGATVR.] Verbum quo magnus affectus exprimitur. Greg. Papa Hom. 1. in Ezech. *Tangitur animus prophetantis*, quod verbum ibi millies. Indicat enim affectum illum ingentem, quo prophetę afflantur, cùm diuinant: quod scilicet Balsamon in Medit. loquens de Caïpha prophetante dixit, ἐκθερμαίνετο, *incalescebat.* Ergo Gregor. *Tangitur animus prophetantis*, id est, incalescit. Virg. 9. Æn. 302.

---nec solos tangit Atridas
Iste dolor.

Omnino quod Seneca epist. 57. *Feritur animus.* Significantissimè Terent. Eunucho, *Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio.* id est, pupugerim grauiter, & insigniter affecerim. Et Plautus Persa, *Tactus est leno*, id est, mirum in modum affectus. Inde *tacti* & *contacti* in scriptoribus humanis semper πνευματικῶς: sunt enim ἐμπεφυσημένοι ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ad eum modum, quo Ouid.

Vt quas semideæ Dryades, Faunique bicornes
Numine contactas attonuere suo.

Vbi *contactæ* fœminæ sunt φοιβηβολημέναι.

CAP. XVI. ARGVMENTVM.

Patientia gentium infamis.

TERTVLLIANVS.

303. 1. HÆc Patientiæ ratio, hæc disciplina, hæc opera, cœlestis & vera, scilicet Christiana: non vt illa Patientia gentium terræ, falsa, probrosa.

EXPLICATIO.

1. NOta oppositiones. Christiana Patientia opponitur probrosæ gentilium; cœlestis, terrenæ; vera, falsæ.

304. 2. Nam vt in isto quoque Domino diabolus æmularetur, quasi planè ex pari (nisi quòd ipsa diuersitas mali & boni æqualiter magnitudine par est) docuit & suos Patientiam propriam.

2. Patientia illa gentium falsa & probrosa orta est ab æmulo Dei diabolo. *In isto*, in re ista. *Quasi planè ex pari.* Non certè *ex pari*, sed *quasi expari*, quia Patientia quam suos docuit diabolus, tantùm est ostentatitia, non vera; æmulatrix Christianæ, non imitatrix; plena opprobrij, non virtutis. *Nisi quod*, &c. Particula *nisi* respicit particulam *quasi*, quæ præcessit. Ait verò *parem esse magnitudine*, nam sicut Christiana Patientia bona est, ita gentilium æquè mala. *Propriam* emphaticè. Qualis erit Patientia, quæ propria est diaboli.

305. 3. Illam dico, quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes vxorum potestatibus subiicit: quæ aucupandis orbitatibus omnem coacti obsequij laborem

mentitis adfectionibus tolerat: quæ ventris operarios, contumelioſis patrociniis ſubiectione libertatis, gulæ addicit.

3. Adducit triplex genus Patientiæ, quæ propria diaboli. Prima eſt maritorum, qui ſubiecti ſunt vxoribus, quia dote empti hac fine, vt conniueant adulteriis vxorum; aut ipſi lenones veri ſunt. Altera eſt illorum, qui affectũ amorémque mentiuntur, & coactum exhibent obſequium, vt teſtamenta captent, aucupentúrque bona eorum, qui orbi ſunt liberis. Tertia demum paraſitorum (*operarios ventris* vocat) qui gulæ *addicti* vt ſerui, libertatem amittunt ſub *contumelioſis* patronis. Percurro quædam. Sunt *lenocinys negotiantes* mariti, qui lenoniam exercent, & turpem quæſtum faciunt ex vxorum proſtitutione, quas eſſe quæſtuarias permittunt. *Contumelioſa patrocinia* dicuntur veriſſimè, quia qui alunt paraſitos, cùm illorum laudes & aſſentationes excipiunt, potius eſt vt dici queant *contumelias* in ſe audire. Nam illorum laus, certè contumelia eſt.

306. 4. Talia Nationes Patientiæ ſtudia nouerunt: & tanti boni nomen fœdis operationibus occupant. Patientes riualium, & diuitum, & inuitatorum, impatientes ſolius Dei viuunt.

4. Dolet, Patientiæ nomen, quod diuiniſſimum eſt, occupatum à nationibus ad fœdas operationes. *Patientes riualium*, propter illos, qui lenoniam agunt: *diuitum*, nam vt orbitates aucupentur, patienter exhibent coactum obſequium: *Inuitatorum*, propter paraſitos, qui patienter ferunt ſuos inuitatores gulæ & ventris cauſſa.

307. 5. Sed viderint ſuam ſui præſidis, quam Patientia ſubter ignis expectat. Cæterùm nos amemus Patientiam Dei, Patientiam Chriſti: rependamus illi, quam pro nobis ipſe dependit. Offeramus Patientiam ſpiritus, Patientiam carnis, qui in reſurrectionem carnis & ſpiritus credimus.

5. Sunt *præſides* hoc loco patroni, adminiſtri, atque opifices tam turpis Patientiæ. *Sui* eſt, ſibi ipſi, aut ſibi ipſis, aut ſecum ipſi. Ergo ait cum ſtomacho. Sed Gentiles qui turpiſſimam hanc Patientiam adminiſtrant, viderint ſecum ipſi ſuam Patientiam, quam ſubter in inferno expectat *Patientia*, id eſt, perennitas perpetuitáſque æterni ignis. *Cæterùm nos*, &c. Chriſtiani verò *amemus Patientiam Dei*, de qua 2. c. huius operis. & *Chriſti*, de qua 3. c. Non pendemus Patientiam tanto Deo, ſed *rependemus*, nam ipſe priùs ſuam pro nobis *dependit* impenditque. Offeramus illi gratiſſimam hanc obligationem ſpiritus & carnis, Patientiam ſcilicet, qui credimus tam ſpiritus quàm carnis reſurrectionem.

NOTÆ.

308. 1. HÆC OPERA.] Probo præ Rhenano A Pamelium. Vide vtrumque: & Gretſerum Apologetici libro primo cap. 8.

2. DOMINO ÆMVLARETVR.] Conſtructionem hanc cum datiuo iam ex Iuſtino & Quintiliano probauit Pamel. videſis illum.

2. EX PARI.] Græci ἐκ τοῦ ἴσου. vt cùm ait Nyſſ. laudans Baſilium, ἐκ τοῦ ἴσου προσπόνεται τῆς φιλανθρωπίας, &c.

2. MAGNITVDINE PAR.] Sic legendum. Certè Rhen. & Pamel. qui legunt *magnitudinis par*, ſibi ludos faciunt. Vide contra illos Iunium.

2. PATIENTIAM PROPRIAM.] Sermo proprius in hac re. Etenim viri, aut fœminæ, cùm proſtituuntur, exercéntque vitam quæſtuariam, dicunt *pati*, & habere *Patientiam*. Cyprian. de Diſcipl. & Hab. Virg. *Verbis turpibus & temulentis libidinum fomes accenditur, ſponſa ad Patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur.* Seneca Pater in controu. *Principes viri caſtratorum greges habent, exoletos ſuos, vt ad longiorem Patientiam idonei ſint, amputant.* Petron. Satyr. *Muliebris Patientiæ ſcortum.* Seneca Philoſoph. l. 1. Natural. Quæſt. c. 16. *Toto corpore Patientiæ expoſitus.* Ibidem pulcrè de hac re *infelix Patientia.* Tacitus lib. 5. *Tùncque primum ignota antè vocabula reperta ſunt ſellariorum & ſpintriarum, ex fœditate loci & multiplici Patientia.* Et lib. 15. Annal. *Nomen mulieris, Arria Galla: priori marito, Domitius filius: hic Patientia, illa impudicitia Piſonis infamiam prorogauere.* Plinius lib. 6. epiſt. 32. *Maritum non ſine aliqua reprehenſione Patientiæ amor vxoris retardabat; quam quidem etiam poſt delatum adulterium domi habuerat, quaſi contentus æmulum remouiſſe.*

3. MARITOS DOTE VENALES.] Cicero 5. in Verr. *Fidem habere venalem.* Propert. lib. 3.

---auro venalia iura.

Silius: *Animas venales.* His plura Rittherſius.

3. LENOCINIIS NEGOTIANTES.] Attingit & hanc indignitatem cap. 39. Apolog. verbis illis, *Qui non amicorum ſolummodo patrimonia vſurpãt, ſed & ſua amicis patientiſſimè ſubminiſtrant.* Et Cyprian. lib. de Diſcipl. & Hab. Virg. *Viderint quid ſibi nuptæ per placendi ſtudium de coniugum ſolatio blandiãtur, quos dum in excuſationem ſuam proferunt, ad ſocietatem criminoſæ conſenſionis adſciſcunt.* Et Plutarch. ἐν ἐρωτικ. vbi ait: *Multi concubitus ſocios paſſi ſunt eſſe alios, non cum ſcortis modò, ſed etiam vxores his ſuas proſtituentes.* In Græco eſt ἑταιρούντων, id eſt, *communes faciunt.* Et ipſi dicuntur προαγωγεύοντες, à quo & Latinis *perductores.* Saluian. l. 1. de Gub. *Officioſam Patientiam* dixit, etiamſi alio ſenſu. 309. B

3. VXORVM POTESTATIBVS SVBIICIT.] Loquitur, vt vides, de vxoribus quæſtuariis, dátque illis hoc genus imperij, vt etiam Cyrillus Alex. in cap. 3. Amos, qui ait quæſtuarias (ἑταιρευομένας γυναικῶν vocat ille) facilè flectere, quocunque velint, ſuos amaſios, & illos obſequi, ſcilicet vt hi qui libidini & voluptati ſuccumbunt.

3. AVCVPANDIS ORBITATIBVS.] Cicer. Paradox. *Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? loquitur ad voluntatem; quicquid denuntiatum ſit, facit, aſſentatur, aſſidet, miratur.* Ammian. lib. 28. *Subſident aliqui curioſos homines, ſenes aut iuuenes, orbos vel cælibes, ad voluntates condendas allicientes & technis miris.* Idem lib. 14. ſcribit, credi vix poſſe qua ſtudiorum varietate colerentur Romæ homines ſine liberis. Sed 310.

nemo

nemo certè meliùs Hieronymo explicat miſerrimam hanc Patientiam, cùm ait in epiſt. ad Nepotian. eſſe teſtamentorum captatores, qui vt hæredes relinquantur, *purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis, manu propria ſuſcipiunt.* Quid hoc obſequio indignius?

311. 3. COACTI OBSEQVII.] Signatè; nam cum relatione ad ſeruitutem, quæ ſemper coacta. Itaque *obſequium* de ſeruis dicitur, vt clarum ex cap. 4. huius operis. Atque etiam ex verbis Concilij Gangrenſis cap. 3. *Si quis ſeruum prætextu diuini cultus doceat Dominum contemnere proprium, vt diſcedat ab eius obſequio, nec ei cum beneuolentia & omni honore deſeruiat, anathema ſit.* Adhuc nota *coactum obſequiũ* dici, quemadmodum *coactus ordo*, itavt omnium infimus ſit, vtique ἐλαχείστην τοῖς τυχοῦσι. Contrarium eſt ἔκκριτος & περίκριτος, *eximius* & *excellens*.

3. VENTRIS OPERARIOS.] Græci appellant γαστρὶ δουλεύοντας, vt qui ventri ſeruiant. Inde poſtea Tertull. vocat *addictos gulæ*, quod ſeruile eſt, & dat illis *ſubiectionem libertatis*. Poſſis & hos operarios vocare ἐργάτας τῆ γαστρὸς, ad eum modum, quo Dionyſ. Areopag. vocat ἐργάτας τῆς ἀνομίας, *operarios iniquitatis*.

3. CONTVMELIOSIS PATROCINIIS.] Veriſſimè. Ita à Quintil. procem. lib. 11. inter *humiliora vitia* principe loco ponitur *ſubmiſſa adulatio*. Mutant autem ex M.S. *Ventris operarios contumelioſos patronis ſubiectione libertatis, gulæ addicit.* Sententia eſt eadem, tantùm clarior in M.S. Dicit enim Tertull. laudes aſſentatorum cedere in contumeliam eorum, qui illos nutriunt, quos *patronos* vocat, ad eum modum quo Seneca epiſt. 116. *Nullum vitium eſt ſine patrocinio.*

4. TALIA NATIONES, &c.] Drogon Epiſ. 312. Hoſtienſis dat Philoſophis non ſolùm Patientiæ ſtudium, ſed crucifixionem: atqui mercedem nullam acceperunt, quia id fecere cupidi inanis gloriæ: quod congruit cum initio huius operis.

4. OCCVPANT.] Cùm hoc verbum, & Græcorum φθάω locum habeant inter militaria, vt ego iam in Æn. Virg. credo huc à Tertull. traductum. Miles enim ſtrenuus locum præoccupat hoſtis ſui. Nyſſen. ſerm. 1. de Orat. verbum ἐμφθάω traduxit ad mercaturam.

5. SED VIDERINT SVAM, &c.] Legit ex M.S. Vvouer. *Sed viderit ſua, & ſui præſidis Patientia, quam ſubter*, &c. quæ lectio non diſplicet, imò aliquanto clarior. eſt autem *viderint*, abeant faceſſántque. Dixi alibi de hoc verbo.

5. IGNIS EXPECTAT.] Præceſſit mentio adulatorum. Non itaque multum diſcrepat locus Cyrilli Alex. in cap. 3. Amos, τοῦτο γὰρ ὀπφωνεῖ τοῖς πρέφουσιν τῶν κολάκων τὰ ἤθη· ἀλλ' ἐμπυριζόντων μᾶλλον ἐκείνοι: *Adulatorum natio ſuis acclamat altoribus, ſed illi igne incendentur.*

FINIS LIBRI DE PATIENTIA.

DE SPECTACVLIS,
SIVE LIBER IX.

ARGVMENTVM.

QVM anno duodecimo Seueri, indicti essent Romæ seculares ludi octaui, opus hoc Tertullianus aggressus est, vt omnes se continerent, neque putarent huiusmodi ludos spectare sibi licere.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Adducit Ethnicorum dogmata duo: dicebant enim primò, nihil religioni obstare spectacula; deinde, quòd Christiani spectaculis erudirentur, ad contemnendam mortem, quasi pigeret propter Deum mori.

TERTVLLIANVS.

1. 1. QVI status fidei, quæ ratio veritatis, quod præscriptum disciplinæ, inter cætera secularium errorum, etiam spectaculorum voluptates adimat, Dei serui cognoscite, qui cùm maximè ad Deum acceditis; recognoscite, qui iam accessisse vos testificati & confessi estis, ne aut ignorando, aut dissimulando quis peccet. Tanta est enim vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem; aut vtrumque.

EXPLICATIO.

2. 1. SENTENTIA est. O vos catechumeni *cognoscite*, ô vos baptizati *recognoscite, quis status fidei*, &c. Adimit inter cæteros seculares errores etiam voluptates spectaculorum, ne scilicet quis catechumenus, *peccet ignorando*, ne quis baptizatus *dissimulando*. Ratio. Quia *vis voluptatum* in spectaculis tanta est, & tam potens, vt *ignorantiam* catechumenorum *protelet*, id est, ductim pertrahat ad occasionem peccandi; & *corrumpat conscientiam* baptizatorum in dissimulationem, id est, faciat vt dissimulent in his rebus in quibus non est dissimulandum, & hæc maxima est conscientiæ corruptio: Aut quod potius est, *vtrũque* perficiat. Percurro quædam. *Qui*, pro, quis. *Inter cætera secularium errorum*, Helleniſmus. *Dei serui, qui ad Deum acceditis*, est periphrasis catechumenorum, & ideò de illis *cognoscite* de nouo. *Cùm maximè*, pro, quàm maximè. *Qui iam accessisse testificati estis*, periphrasis est baptizatorum, & ideò *recognoscite*, scilicet quæ iam *estis testificati* in baptismo, cùm renunciastis pompis Satanæ.

3. 2. Adhuc forsan alicui opiniones ethnicorum blandiuntur, quæ in ista caussa aduersus nos ita argumentari consueuerunt. Nihil obstrepere religioni in animo & conscientia tua tanta solatia extrinsecus oculorum vel aurium: nec verò Deum offendi oblectatione hominis, qua saluo erga Deum metu & honore, suo tempore & suo in loco frui scelus non sit.

4. 2. Adducit primam rationem, qua solent Christiani vti ad defendenda hæc spectacula, quæ ratio iactabatur ab ipsis ethnicis. Quia hæc extrinseca *solatia aut oculorum aut aurium*, non impediunt religionem, quæ tota *in animo & conscientia tua* hæret. Probat. Quia si saluus sit & integer metus atque honor erga Deum, non offenditur Deus his oblectamentis, nec *scelus* est, illis frui, præsertim si tempore debito, & loco debito. Explico hæc vltima. Si quis in diebus sollemnibus stationum & ieiuniorum interfit his spectaculis, non est hoc tempus opportunum: si quis audiat comœdias in Ecclesia Dei, non est locus opportunus. Illud *blandiuntur*, explica, blandè captant, cum blandimento & lenocinio irretiunt nos.

5. 3. Atqui hoc cùm maximè paramus demonstrare, quemadmodum isthæc non competant veræ religioni & vero obsequio erga Deum verum.

3. Ait contra istos Doctor parare & comparare se, vt ostendat in hoc opere, quod aggreditur, has voluptates non competere veræ fidei, & obstrepere religioni, atque impedire Dei obsequium. Tyro ita concipiat, atqui maximè paro demonstrare, quemadmodum, &c. *Cùm maximè*, id est, quàm maximè.

6. 4. Sunt qui existiment Christianum (expeditum morti genus) ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, qua faciliùs vitam contemnant amputatis quasi retinaculis eius, ne desiderent quam iam superuacuam sibi fecerint: vt hoc consilio potiùs & humano prospectu, non diuino præscripto definitum existimetur. Pigebat scilicet etiam perseuerantes in tantis voluptatibus, propter Deum mori. Quamquam si ita esset, tam apto consilio tantæ obstinatio disciplinæ debebat obsequium.

7. 4. Sententia integra est. Sunt aliqui gentiles, qui dicant, Christianos *abdicatione voluptatum* spectaculorum *erudiri*, ad contemnendam mortem, vt iam pati mortem videatur esse potiùs humanum consilium, quàm præceptum Dei, quo iubemur mori potiùs, quàm fidem negare. Noto quædam ad maiorem claritatem. *Expeditum morti genus*, genus hominum facilè ruens in mortem. Inclusi parenthesi, quo expeditior sit sententia. *Obstinationem*, quippe gentiles dicebant Christianos esse non fortes, quod est virtutis; sed obstinatos, quod est vitij. *Retinaculis*, est quippe voluptas retinaculum vitæ: propter voluptatem enim fruendam cupimus vitam retinere: hanc si adimas, *superuacua* & otiosa videtur vita. *Vt hoc*, &c. id est, vt hoc quod est mortem contemnere, existimetur definitum potiùs consilio, &c. Nota verò elegantissimam oppositionem inter *prospectum* & *præscriptum*. Illud, *Pigebat scilicet*, accipe ironicè. *Quamquam*, &c. ordinabis ita: *Quamquam si ita esset*, hæc nostra *obstinatio* ad mortem *debebat obsequium tantæ disciplinæ*, scilicet *tam apto consilio*, id est, propter tam aptum consilium. Itaque *tantæ disciplinæ* est in tertio casu, *tam apto consilio* in vltimo. Demus ait, hoc ita esse, certè hæc obstinatio *debet obsequium* Christianæ *disciplinæ*, quæ ita est potens, vt inuenerit modum contemnendæ mortis, nimirum contemptis voluptatibus.

NOTÆ.

8. 1. QVI.] Pro, quis: creberrimum est in hoc Auctore. ita & *aliqui*, pro, aliquis.

1. CÆTERA SECVLARIVM ERRORVM.] Retuli ad Hellenismum. Pleni hoc profani Auctores, sed & sacri. Pet. Chrysologus serm. 18. *Amœna camporum*. Ambros. de Fidei Resurrectione: *Dura saxorum, nemorosa syluarum*. Zeno Veronens. Ser. Attende tibi, ait: *Latentia viscerum, occulta venarum*. Iterùm: *Conuexa montium, prærupta rupium, opaca syluarum*. Greg. Nyssen. opere de perfecta Christiani forma, τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης: *Abscondita turpitudinis*. Adiicies ista infinitis, quæ ex profanis scriptoribus proferunt nostri Erudituli.

9. 1. SPECTACVLORVM VOLVPTATES.] Notanter. Nam *voluptas* dicta de Spectaculis peculiari significato. Seneca epist. 18. loquens de Spectaculis: *Nam quod fieri nisi in tumultu & tristi tempore ciuitatis non solet, voluptatis causſa, & festorum dierum vestem mutauimus*. Trebell. in Gallien. *Diei voluptatibus publicis deputabat*. id est, Spectaculis. Minut. *Honestis voluptatibus abstinetis*. Athanasius Homilia de Semente, Δευτερονομίῳ ἡδονάς. Cassiodorus 1. Variarum cap. 31. *Spectaculorum gaudia*. Prudentius lib. 2. contra Symmachum,

Nullus in vrbe cadat, cuius sit pœna voluptas.

Loquitur scilicet de ludo gladiatorio. Capitol. in Gordian. *Voluptatibus, & delicijs populus Rom. vacauit*, id est, spectaculis. Sunt & voces consimiles. Nam Tullius orat. pro Sextio, verbum *delectari* dixit de ludo gladiatorio, & de eodem Iosephus lib. 19. Antiquitatum, τῶν θεωμένων τέρψει. Dio de Claudio, ἔχαιρε.

1. CVM MAXIME.] Pro quàm maximè. Plinius, lib. 19. cap. 5. *Ecce cùm maximè noua forma eorum in Campania prouenit*.

1. PROTELET.] Vim verbi huius & significatum explicui ad cap. 4. de Pœnitent. huc reuoca.

10. 2. QVÆ IN ISTA CAVSSA.] Vvouer. ex mss. *Qui in ista causſa*. vbi *qui* non sunt ethnici, sed Christiani, qui mutuantur rationem ab ethnicis.

2. OBSTREPERE RELIGIONI.] Verbum huius Auctoris pro impedire & esse obstaculo. Omnino quod Seneca epist. 115. *Obstrigillant*. & quod Synodus Tricassina ad Nicolaum PP. *Obdicere*. Quæ duo A verba volui notare vt peculiaria. Sed simile verbum Tertullianico vsurpat Theodoritus lib. Historiarum cap. 8. scilicet γογγυσμὸν, & ad rem eandem.

3. AT QVIN.] Pro, atqui sæpe hic scriptor. Sententia constantissima est, neque est cur interpoletur ab ineptis.

3. VERÆ RELIGIONI ET VERO OBSEQVIO.] Est hoc quod initio capitis dixit, *Status fidei, ratio veritatis, præscriptum disciplinæ*. De *conuersatione*, quæ idem significat, vide lib. de Idololatria cap. 20.

4. SVNT QVI EXISTIMENT CHRISTIANVM.] Vvouer. ex ms. *Sunt qui existiment Christianos*. Proba lectio, sed quod scripsi magis ex ingenio huius Afri.

4. ABDICATIONE VOLVPTATVM ERVDIRI.] Primus intuitus sententiæ clarus est, sed nescio an intellexeris. Vagabatur dogma inter Gentiles Philosophos (vtpote magnos procuratores auertendi doloris) abdicandas esse voluptates ante mortem, vt B hæc dolore careret. Nam cùm mortis dolor atrocior sit & dirior, huic medicandum putabant. Dogma hoc Philosophicum repræsentat Seneca epist. 27. his verbis: *Hoc tibi citra diem mortis præsta, moriantur ante te vitia, dimitte istas voluptates turbidas magno luendas*. Hoc ergo Philosophicum præceptum putabant Gentiles exerceri à Christianis in abdicatione spectaculorum, vt ita paratiores essent ad ferendam mortem sine dolore. Quasi dicerent: Abdicatis vos à voluptatibus spectaculorum, non quia illæ malæ sint, sed quia vos languidi & inertes ad mortem ferendam. & quia illam vt imbecilli timetis, quæritis vti non timeatis, atque vt sine indolentia trãsigatis opus omnium acerbissimum. Ad quam rem pertinet illud Senecæ epist. 26. *Vna est catena quæ nos alligatos tenet amor vitæ: qui vt non est abiiciendus, ita minuendus est, vt si quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quominus parati simus, quod quandoque faciendum est, statim facere*. 11.

4. RETINACVLIS.] Pulcrè vocat voluptates *retinacula vitæ*. Sic cap. sequenti: *Cùm alia non sit & stulto & sapienti vitæ gratia, nisi voluptas*. Scriptor Anonymus inter opera Hieronymi: *Vitæ blan-* 12.

dimentis velut tenaciſſimis quibuſdam irretiti vinculis. Hilarius can. 17. in Matth. *In his quæ præſentia habentur, illecebræ gaudij blandientis exiſtunt.* Seneca epiſt. 166. *Voluptatem natura neceſſarijs rebus admiſcuit, non vt illam peteremus, ſed vt ea, ſine quibus non poſſumus viuere, gratiora nobis illius faceret acceſſio.*

13. 4. QVAM IAM SVPERVACVAM SIBI FECERINT.] Ante Pamelium legebatur, *Quam iam ſuperuacuum ſibi fecerint.* Quæ lectio Hellenica eſt, & poteſt retineri, neque eſt aliena à Tertulliano.

4. CONSILIO.] Illuſtrat hanc vocalam Herald. lib. 1. Digreſſionum cap. 28. de quo tamen ad cap. 5. huius operis. Tu, mi Lector, verba hæc Tertulliani expende, vt præclarum teſtimonium temeritatis hominum in iudicando. Opus perfectiſſimum Chriſtiani eſt mortem pati pro Deo: ecce tamen gentiles iudicant hanc tantam virtutem prouenire ab humano conſilio & prouidentia, non à diuino præcepto. Quid non prauè interpretentur mortales, ſi pati mortem pro Chriſto ita prauè interpretantur & torquent? Tanta eſt adeo temere iudicandi licentia.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Reſpondet his, qui prætendunt adiri poſſe ſpectacula, quia conſtant ex Dei rebus; aitque conſiderandum malum vſum, quem induxit interpolator diabolus.

TERTVLLIANVS.

14. 1. IAM verò non eſt, qui non hoc quoque prætendat: omnia à Deo inſtituta, & homini attributa (ſicut prædicamus) & vtique bona omnia, vt boni auctoris: inter hæc deputari vniuerſa iſta, ex quibus ſpectacula inſtituuntur, circum verbi gratia, & leonem, & vires corporis, & vocis ſuauitates.

Gen. 1.

EXPLICATIO.

1. ILLI qui volebant intereſſe ſpectaculis, adducebant hoc argumentum. *Omnia* quæ conſtituta ſunt *à Deo, eſſe bona*, vt à *bono Auctore*, ac perinde adiri poſſe ſpectacula: nam hæc conſtant ex rebus creatis à Deo. *Prætendat*, velut in excuſationem. *Circum*, &c. Quatuor genera ſpectaculorum toto hoc opere exagitat Tertullianus, & ea multis capitibus repetit, & ſæpe diuerſis nominibus, ſcilicet, ludos, qui fiebant in circo, & hîc *circum* nominat; in Amphitheatro, vbi non ſolùm fiebant ludi gladiatorij, ſed etiam venationes, ideò ad notandas venationes *leonem* dixit; in Xyſto, quem notans ait, *vires corporis*, nam athletica in Xyſto; demum in Theatro vbi ſcenæ & hiſtriones, ideò *vocis ſuauitates.*

15. 2. Igitur neque alienum videri poſſe neque inimicum Dei, quod de conditione conſtet ipſius: neque cultoribus Dei vitandum, quod Dei non ſit inimicum, quia nec alienum. Planè & ipſæ exſtructiones locorum, quòd ſaxa, quòd cæmenta, quòd marmora, quòd columnæ, Dei res ſint, qui ea ad inſtrumentum terræ dedit. Sed & ipſi actus ſub cœlo Dei tranſiguntur.

2. Concludunt illi. Si conſtat *de conditione Dei*, id eſt, condita hæc eſſe à Deo, nihil igitur horum erit neque alienum, neque inimicum Dei, ac peinde cultoribus Dei non vitandum. *Planè & ipſæ*, &c. Pergunt in argumento: & aiunt, ipſas ad hoc *locorum exſtructiones* eſſe ex rebus *Dei*, quòd ſcilicet *ſaxa, cæmenta, marmora, columnæ ſint Dei res*, qui hæc omnia *dedit ad terrarum inſtrumenta.* Quin omnes ludi (addunt) *tranſiguntur ſub cœlo*, cœlum autem Dei eſt, atque adeo omnia quæ concurrunt ad ſpectacula, Dei ſunt: intereſſe ergo illis poſſumus.

16. 3. Quàm ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cùm aliquid eiuſmodi de gaudiis & de fructibus ſæculi metuit amittere. Plures denique inuenias, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ, auocet ab hac ſecta. Nam mortem etiam ſtultus vt debitum non extimeſcit, voluptatem etiam ſapiens vt tantam non contemnit, cùm alia non ſit & ſtulto & ſapienti vitæ gratia, niſi voluptas.

3. *Quàm ſapiens*, &c. Ironica oratio, quæ adiuuanda voce. *Fructibus ſæculi*, intellige voluptates. *Periculum voluptatis*, ſubaudi amittendæ. *Ab hac ſecta*, ſubaudi Chriſtiana: itaque hæc vox in bonam partem. *Nam mortem etiam*, &c. Oratio preſſiſſima; nam ſententia integra eſt. Mortem ſapiens non extimeſcit, cùm neque *ſtultus*, videlicet vt *debitam*, id eſt, quia debitam: contrà, voluptatem neque ſtultus contemnit, cùm nec *ſapiens* contemnat, videlicet *vt tantam*, id eſt, quia tantam. Ratio, quia ſi abſit *voluptas*, quæ eſt *vitæ gratia*, nec ſtultus nec ſapiens aut mortem horret, aut vitam amat: itaque voces iſtæ *ſtultus, ſapiens*, accipiendæ emphaticè. Vide quanta ſit vis voluptatis, nam ſtultus qui videbatur voluptatem contemturus, non contemnit: adeò mors neglectui eſt, ſi abſit voluptas; adeò voluptas potens eſt, ſi dominetur.

17. 4. Nemo negat (quia nemo ignorat, quod vltro natura ſuggerit) Deum eſſe vniuerſitatis conditorem, eámque vniuerſitatem tam bonam, quàm homini mancipatam.

4. Vult iam enertere captioſa ſophiſmata humanæ ignorantiæ, & ſupponit duo dogmata certiſſima. Primum, *Deum eſſe vniuerſitatis conditorem*, quod à nemine ignoratum, vt notum naturæ lumine: alterum, *vniuerſitatem* rerum *bonam* eſſe attributam homini, & datam ei veluti in mancipium, vt illi ſeruiat; quod dogma ipſi vident oculi.

18. 5. Sed quia non penitus Deum norunt, niſi naturali iure, non etiam familiari: de longinquo, non de proximo: neceſſe eſt ignorent, qualiter adminiſtrari aut iubeat, aut prohibeat quæ inſtituit: ſimul quis ſit æmulus ex diuerſo adulterandis vſibus diuinæ conditionis: quia neque voluntatem, neque aduerſarium noueris eius, quem minùs noueris.

5. Poſt dogmata illa nota omnibus *naturali luce*, adducit duo alia nota vnis tantùm ſapientibus, primùm *neceſſe* eſſe ignorari, quæ voluntas Dei ſit circa vſum rerum à ſe conditarum: alterum, quis ſit æmulus ille qui res à Deo conſtitutas adulterarit. Ratio cur vtrumque hoc ignoretur, eſt, quia ſi *minùs* Deum noueris, id eſt, ſi imperfectè Deum noueris, neque *voluntatem* eius, neque *æmulum* poteris noſcere. Sed cur Deus minùs noſcitur, & imperfectè? quia *non penitus* noſcitur, ſed tantùm *naturali iure*, id eſt, ratione *non familiari*; *de longinquo, non de proximo*. Hic eſt perfectiſſimus complexus huius periodi. Itaque quod primum dixit *non penitus*, eſt, quod poſtea, *minùs*. Et ideò nec *voluntas* nec *æmulus* Dei noſcitur, quia nec familiariter nec *de proximo* Deus noſcitur.

19. 6. Non ergo hoc ſolùm reſpiciendum eſt, à quo omnia ſint inſtituta, ſed à quo conuerſa. Ita enim apparebit cuius ſint inſtituta, ſi appareat cuius non ſint. Multum intereſt inter corruptelam & integritatem, quia multum eſt inter inſtitutorem & interpolatorem.

6. Concluſio ex dictis clara, neque egens explicatione. *Multum intereſt*, &c. Quippe integritas ab primo inſtitutore Deo, corruptela ab æmulo diabolo interpolante. Eſt *interpolator* aut *interpolans*, idem qui immutans, innouans, fingens, adulterans. Vox propria artis mangoniæ.

20. 7. Cæterùm omnes ſpecies malorum, quæ etiam ethnici indubitatè & prohibent & defendunt, ex operibus Dei conſtant. Vis homicidium ferro, veneno, magicis diuinationibus perfici: tam ferrum Dei eſt, quàm herbæ, quàm angeli. Nunquid tamen in hominis necem auctor iſta prouidit? Atquin omnem homicidij ſpeciem
Exod.20. vno & principali præcepto interemit, Non occides.

7. Iam hîc plenè probat falſitatem argumenti gentilitij, & ſatis clarè. *Prohibent & defendunt*, ſubaudi ne fiant. *Vis*, id eſt, elige inſtrumentum quod placeat ad homicidium patrandum. *Ferrum*, reſpondet ferro. *Herbæ*, à quibus venenum. *Angeli*, à quibus magicæ deuinctiones & ligamina. *Necem*, notanter, non mortem, id eſt, vt tu homines necares. *Principali præcepto*, vnum enim è decalogo. *Interemit*, præclarè, vulgaris ſcriptor diceret (abſtulit) aut quid ſimile. Ergo homicidium ipſum occidit Deus præcepto iſto, *Non occides*.

21. 8. Proinde aurum, æs, argentum, ebur, lignum, & quæcunque fabricandis idolis materia captatur, quis in ſæculo poſuit, niſi ſæculi auctor Deus? Nunquid tamen vt hæc aduerſus ipſum adorentur? Atquin ſumma offenſio penes illum idololatria eſt.

8. Adhibuit exemplum in homicidio, adhibet iam in idololatria. *Proinde*, id eſt, perinde. *Nunquid tamen vt hæc aduerſus ipſum adorentur*? Verba plena ſtomachi & feruentiſſimæ iracundiæ. *Summa offenſio*, quòd ſcilicet lib. de Idololatria ipſo initio, *Principale crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, idololatria*.

22. 9. Quid non Dei eſt, quod Deum offendit? ſed cùm offendit, Dei eſſe deſiit: & cùm deſiit, offendit. Ipſe homo omnium flagitiorum actor non tantùm opus Dei, verùm imago eſt: & tamen & corpore & ſpiritu deſciuit à ſuo inſtitutore.

9. Poſt exemplum poſitum in rebus è quibus conſtat omne homicidium, & idololatria, adiungit iam exemplum in ipſomet homine, præmiſſa generali enuntiatione, qua definit, nihil *non* eſſe *Dei, quod Deum offendit*. Expendantur verba magni Doctoris iſta, *Homo omnium flagitiorum actor*, & poſtea pudeat expendentem. Vocat verò *actorem*, ſumpto ſermone à ſcenicis hiſtrionibus.

23. 10. Neque enim oculos ad concupiſcentias ſumpſimus, neque linguam ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquij, & gulam ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ ſatietatem, & genitalia ad exceſſus pudicitiæ, & manus ad vim, & greſ-

ſus ad vagam vitam: aut ſpiritus ideò inſitus corpori vt inſidiarum, & fraudum, & iniquitatum cogitatorium fieret, non opinor.

10. Dixit de homine, ſcilicet deſciuiſſe illum à Deo & *corpore, & ſpiritu.* Probat vtrumque hoc, primum à membris corporis quibus praue vtimur ad offenſionem Dei: deinde ab ipſo ſpiritu, qui factus *cogitatorium*, & veluti officina omnium inſidiarum, fraudum, iniquitatum. *Gulam ad gulæ crimen*, id eſt, gulam membrum ad crimen vitij gulæ. Eſt enim gula pars illa colli per quam cibus defluit. *Non opinor*; coniunge ita, *Non opinor, ideò ſpiritus inſitus corpori*, &c.

24. 11. Nam ſi omnem malignitatem, & ſi tantùm malitiam excogitatam Deus exactor innocentiæ odit, indubitatè quæcumque condidit, non in exitum operum conſtat condidiſſe quæ damnat, licèt eadem opera per ea quæ condidit adminiſtrentur; quando hæc ſit tota ratio damnationis peruerſa adminiſtratio conditionis à conditis.

11. Poſſet obiici viſa tanta rerum peruerſitate in vſibus, Deum ipſa mundi creatione ſolùm feciſſe res, vt illæ malum exitum haberent. Diluit. Ne hoc puta, nam ſi Deus, vt verè eſt, tantùm *odit* malignitatem in vſibus & malitiam, perinde *indubitatè conſtat* non *condidiſſe* illum res *in exitum* malorum operum, *quæ* ipſe *damnat*. Percurro quædam. *malignitatem* propter membra exteriora. *Tantum*, eſt hîc, ſolùm. *Malitiam*, propter *cogitatorium* inſidiarum, quod eſt in animo. *In exitum*, non eſt exitium, & pernicies, ſed ait, res non creatas à Deo vt exirent & manarent in praua opera, quæ ipſe damnat, licèt ita res ſint conſtitutæ, vt vnæ per alias adminiſtrentur: in qua adminiſtratione, ſi peruerſa ſit, poſita eſt tota ratio damnationis.

25. 12. Nos igitur qui Domino cognito etiam æmulum eius inſpicimus, qui inſtitutore comperto, etiam interpolatorem vnà deprehendimus, neque mirari neque dubitare oportet (cùm ipſum hominem opus & imaginem Dei totius vniuerſitatis poſſeſſorem illa vis interpolatoris & æmulatoris Angeli ab initio de integritate deiecerit) vniuerſam ſubſtantiam eius pariter cum ipſo in peruerſitatem demutatam aduerſus inſtitutorem. Vt quam doluerat homini conceſſam, non ſibi, in ea ipſa & hominem reum Deo faceret, & ſuam dominationem conlocaret.

26. 12. Concludit, vnis Chriſtianis (vt qui cognouerunt Deum, & eius *æmulum*; vt qui deprehenderunt *inſtitutorem* bonum, & *interpolatorem* malum) neque mirandum, neque dubitandum, *vniuerſam ſubſtantiam* creatam *eius*, id eſt, hominis (qui ſcilicet vniuerſa Deus dedit homini) *demutatam in peruerſitatem aduerſus* (Deum) *inſtitutorem pariter cum ipſo* homine, nam hic quoque peruerſiſſimus. Reſpicit quippe ad ea quæ dixerat, adducens exempla peruerſi rerum vſus, non ſolùm in rebus, quibus homicidium & idololatria perpetratur, ſed in ipſo homine. Sequitur, *vt quam doluerat*, &c. Ratio cur dæmon & hominem ipſum & creata omnia in prauos peruersóſque vſus detorſerit, quia ſcilicet doluit, creatam omnem *ſubſtantiam* conceſſam homini, non ſibi, & ideò in illa voluit hominem reum facere, & ipſe collocare dominationem ſuam. Quod eleganter dictum. Cùm enim dæmon non potuerit in rebus dominari, quia iſtæ Dei ſunt, voluit dominari in iiſdem, in prauis duntaxat vſibus. Porrò omnia illa *eum ipſum hominem*, &c. parentheſi incluſi claritatis gratia. Et quidem parentheſis ipſa clara eſt, & ſumitur à peccato originis, hinc enim homo rerum omnium poſſeſſor deiectus eſt ab integritate, vi & machinis expugnatoris diaboli.

NOTÆ.

27. 1. IAM VERÒ NEMO EST, &c.] Cùm argumentum horum ſit, poſſe adiri ſpectacula, quia conſtant ex rebus quæ bonæ ſunt, & conditæ à Deo; non aduertunt vſum ſpectandum, non res ipſas. Grauiſſimè dixit Saluian. lib. 1. contra Auarit. *Inæſtimabile malũ eſt bonis à Deo datis non bene vti.* Nã quæ peruerſitas, vt *quæ à Deo data ſunt* (addit idem) *vt paretur ex eis vitæ beatitudo perpetua, per hæc ipſa quæratur mors ac dãnatio ſempiterna?* ſcilicet ex malo vſu. Huc trahit verba Pauli 1. Timoth. 6. *Qui præſtat nobis omnia ad fruendum in voluntate operum bonorum* (ita ille legit, id eſt, ad fruendum bono vſu. Idem lib. 6. de Gubernat. *Quæ Deus bona fecit munere pietatis ſuæ, ea nos nobis facimus mala eſſe moribus malis.*

1. LEONEM.] Hoc ferarum ſpectaculum Procopius aſſumens, ſignatè leonem vocat, τρυφὼ καὶ ἐυπρεπῆ, *delicias non honeſtas.*

1. VOCIS SVAVITATEM.] Suauitas de voce, vt & Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 10. *Canendi ſuauitatem.* Lactant. lib. 6. cap. 21. *cantuum ſuauitatem.* Iterum: *ſuaues ſoni.*

2. SVB COELO DEI.] Puto notari formam illam Latinis tritam, *ſub dio*, aut *ſub diuo.*

3. SAPIENS ARGVMENTATRIX IGNORANTIA HVMANA.] Has captiunculas vocat Nazianzen. orat. ad. 150. Epiſcop. λόγους διαλεκτικοὺς, καὶ κακοζήλους: *ſermones dialecticos & malè curioſos.* Verè, doloſos. Ambroſ. lib. 1. officior. cap. 25. *diſputandi aſtutiam.* Hieronym. contra Heluid. *Dialecticorum tendiculas, & argumentationes tortuoſas.*

28. 3. PERICVLVM VOLVPTATIS, &c.] Tangit hoc loci vim voluptatis, quæ dominatur in omnibus impotentiſſimè. Verè hoc. Ambroſ. lib. 1. de Virg. dixit voluptatibus homines *captiuari.* Vide an ferox domina, quæ ſeruos habeat omnes homines, & catenatos. De homine ita captiuo ait idem lib. 3. eiuſdem

operis, *raptatur, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur*, scilicet vt equus indomitus. Apud Stobæum serm.6. *Fera est sibi mancipans homines, voluptas, sed mitis: nam si apertè pugnaret, citò caperetur; nunc autem ideo etiam inuisa magis, quod celat inimicitiam induta habitum benevolum.* Græca vide ab illis, θηρίον ἐστὶ, &c. Sed quid consecter rem tritam? Sed non omittam dicì à Cypriano lib. de Spectaculis: *Diabolus artifex, quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per voluptatem posset amari.* Vbi vides vim totam spectaculorum positam in voluptate, quæ mens Tertulliani in toto hoc capite. Et verba Luciani signatissima in opere de Gymnasiis, hæc: ἐπειδὰν ἐς τὰ παγκράτους ἀπιὼν, ὁρᾷς τοσοῦτον πλῆθος ἀνθρώπων συλλεγόμενον ἐπὶ τῷ θέᾳ τῶν τοιούτων, καὶ θέατρα μυρίανδρα, συμπληρούμενα, καὶ τοὺς ἀγωνιστὰς ἐπαινουμένους, τὸν δὲ καὶ νικήσαντα αὐτῶν ἰσόθεον νομιζόμενον: *Postea quam in frequentissimos conuentus profectus, videris tantam hominum multitudinem collectam ad illorum confluxisse spectaculum, ac theatra multis millibus hominum repleta, athletas verò ipsos diuinis efferri laudibus: porro eum qui præconis voce pronuntiatus fuerit victor, ab omnibus propemodum Deum existimari.*

29. 3. QVAM VITÆ.] Breuitas quippe vitæ facit non se timeri. Cùm Phocylides illam Rotæ comparauit, ὁ βίος, dixit, τροχὸς, quid aliud quàm breuitatem innuit? Constantinus Manasses in Annalib. τροχοῦ δ' ἧττον ἄστατος φορά: *instabilis Rotæ cursus.* Idem pene in fine,

Οὕτω πραγμάτων ὁ τροχὸς ἄνω καὶ κάτω τρέχει:
Ita humanarum rerum rota sursum deorsumque currit.

Nazianzenus de humana vita in carmine,

Τροχὸς τίς ἐστιν ἀστάτως πεπηγώς, videlicet βίος,
Vita est rotatu similis non firmiter hærenti.

Isthmo comparauit Stobæus, & breui, vt ampliùs innueret breuitatem, βίου βραχὺ ἰσθμόν. Ioannes Chrysost. orat.6. contra Iudæos, βραχὺς ὁ παρὼν βίος: *breuis vita præsens.*

3. VT TANTAM.] Rescribit Iunius, *vtendam.* omnino displicet: euertit enim optimam sententiam: nam Tertullianus sibi respondet, *vt debitam, vt tantam.* Et nihil aptius ad potentiam voluptatis explicandam, quæ hominum corda obstupefacit, vt loquitur Trebellius in Gallien. Nec nouæ sunt similes Ellipsis in hoc viro, vt dicat tantam quantam nemo explicet. Vel, tantam quanta potens est contra sapientem etiam.

30. 3. VITÆ GRATIA, NISI VOLVPTAS.] Præclarè Greg. Nyssen. lib. de Virgin. cap. 8. de Voluptate dixit, σωτήριον. Nam illa verè suscipit patrocinium vitæ. Si enim abesset hæc patrona, nihil esset, quod vitæ patrocinaretur. Hinc est, vt mori cupiant, qui carent voluptate. Ambros. de Fidei Resurrect *Quis in dolore tam patiens, qui non mortem oret? Quis in infirmitate tam constans, vt non optet mori se potius, quàm debilem viuere? Quis in mœrore tam fortis, vt non desideret eo se vel moriendo defungi?* Et lib. 3. Offic. cap. 14. loquens de leprosis: *quibus vita erat supplicium, & mori lucrum.* Concinit mirè Ioannes Chrysost. homil. 6. ad Popul. vbi ait, qui vinculis sunt constricti, qui premuntur ieiuniis, qui concluduntur tenebris, hos τῆς τελευτῆς ἐπιθυμοῦντας: *optare mortem*, videlicet vt ἀνάπαυσιν, *requiem*; & postea addit elegantissimè, fecisse Deum, vt vita hæc grauissima esset, & malis plena, vt præsenti tribulatione compulsi homines futura appetant. Verissimè ergo Tertullianus ait, gratiam vitæ esse vnam voluptatem, nam hac si careas, ingrata satis erit vita. Lucretius præclarè lib. 2.

--- dux vita dia voluptas.

38. 4. QVIA NEMO IGNORAT, &c. Inclusi parenthesi, claritatis caussa.

4. MANCIPATAM.] Alludit fortasse ad verbum Genes. *dominamini*: quo Deus vsus ad primos parentes, quasi omnia illis tradita in mancipium & seruitutem.

6. INTERPOLATOREM.] A mancipiis; hæc enim dicuntur *interpolari*, id est, adornari, expoliri, vt habeant emptorem. Suetonius Iul. cap. 47. dixit *seruitia politiora.*

7. VIS HOMICIDIVM.] Non displicet correctiuncula, *vides homicidium*, sed non est necessaria.

7. TAM FERRVM DEI RES EST, QVAM HERBÆ, QVAM ANGELI. NVNQVID TAMEN IN HOMINIS NECEM AVCTOR ISTA PROVIDIT?] Huic parti & integro cursui Tertulliani conducunt verba Greg. Nazianzeni orat. 2. de laudibus Magni Basilij: καὶ πυρὸς, καὶ τροφῆς, καὶ σιδήρου, καὶ τῶν ἄλλων οὐδὲν καθ' ἑαυτὸ χρησιμώτατον ἴσμεν, ἢ βλαβερώτατον. ἀλλὰ ὅπως αὖ δεῖ τοῖς χρωμένοις: *Nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res vlla alia suapte natura vel maximè vtilis est, vel maximè nexia, verùm vt placet his, qui vtuntur.* Satis docet vsum rerum spectandum. Themistius Euphrada orat. 16. ait tibicines & oratores non reprehendi quòd canant, aut dicant; sed quòd canant aut dicant ἀνωφελῶς, *inutilia.* 32.

7. NVNQVID TAMEN IN HOMINIS NECEM AVCTOR ISTA PROVIDIT?] Meursius parte 2. exerc. Critic. cap. 26. legendum censet *prodidit.* Sed nihil muto. Cæterùm gemina fermè huic sententiæ verba Themistij Euphradæ orat. 4. καὶ οὔτε ὁ μαχαιροποιὸς δοκιμάζειν ἔχει εἰ ἀνδροφόνῳ τῷ μάχαιραν ἀποδώσεται, οὔτε ὁ ναυπηγὸς εἰ ἁρπαγὶ ναῦν πηξάσεται: *Nec gladiorum faber potest discernere, num gladium venditurus sit homicidæ; nec nauium architectus, vtrùm prædoni nauem fabricet.* 33.

8. PROINDE AVRVM, ÆS, ARGENTVM, &c.] De hoc satis multa in lib. de Idololatria.

9. HOMO OMNIVM FLAGITIORVM ACTOR.] Legatur Seneca epist. 103. vbi hominem ait esse ipsis etiam feris pernicioſiorem in parandis malis. Cæterùm aliqui legunt *auctor*, quæ lectio etiam est commodissima.

9. IMAGO DEI EST.] Intellige mentem scriptoris, ait hominem esse & opus Dei, & imaginem Dei: opus, propter corpus; imaginem, propter spiritum. Ideo statum adiicit, defecisse & corpore, & spiritu. Itaque non debent confundi verba. Nam homo imago Dei tantùm dicitur propter spiritum. Zeno Veronens. serm. 2. in Genes. *Non carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere, sed cœlestis hominis spiritualem*, subaudi imaginem. Et Bernardus lib. de cap. 1. *Mens siquidem nostra eo ipso eius imago est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest.* Theodoritus lib. 5. Hist. c. 3. loquens cum discrimine ad corpus, ait: ἡ δὲ ψυχὴ ἡ κατ' εἰκόνα θείαν γεγονυῖα: *anima autem, quæ ad imaginem diuinam creata.* 34.

10. MALILOQVII.] Ea forma qua *stultiloquium, scurriloquium, turpiloquium, multiloquium*, &c.

10. SPIRITVS INSITVS CORPORI.] Virgilius quoque dixit animum insitum corpori, eo versu 6. Æn. 35.

Penitùsque necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.

vbi sententia est, irrepsisse in animum mille miserias, ex insitione qua adiunctus corpori pessimæ arbori. Nam *inolescere* dixit cum aspectu ad insitiones: ipse enim in Georg.

Vdòque docent inolescere libro.

10. COGITATORIVM.] Est hoc, quod pulchrè fluxu aliò dixit Pet. Chrysolog. serm. 15. dans animo familiam *cogitationum.* Itaque *cogitatorium* est, vbi familia cogitationum. Pari elegantia Mamertinus *comitium.* dixit enim: *Versari cœpit in sacri pectoris*

ris comitio consulatus. Nec minore Plautus, qui cor ipsum appellauit *Senatum* in Mostellar.

Dum mihi Senatum consilij in cor conuoco.

11. IN EXITVM OPERVM.] Non placet Pamelius qui hîc *exitum* accepit pro *exitio.* Vt explicaui, perfectissimus est sensus. Nam vox conferenda est ad prauum vsum rerum, & ita omnia cohærent; non ad perniciem: nam de hac non disputat Tertullianus.

12. VNIVERSAM SVBSTANTIAM EIVS.] Perfectissima est sententia Tertulliani, neque eget lectione illa, quam ex ms. profert Vvouer. scilicet, *quin vniuersam substantiam eius pariter cum ipso in peruersitatem demutarit aduersus*, &c. Quæ lectio mihi non displicet, sed necessaria non est.

36. 12. VT QVAM DOLVERAT HOMINI CONCESSAM, NON SIBI.] Cyprian. lib. de zelo & liuore: *Ille dudum Angelica maiestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum deiiciens instinctu zeli, quàm ipse zelo antè deiectus, captiuus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum stimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque id quod prius fuerat, amisit.* Etenim Salianus Noster tomo 1. in Apparatu Annal. cap. 9. efficit, peccatum Angelorum fuisse inuidiam, qua vidit summam felicitatem homini concessam: & aduocat Tertullianum lib. de Patientia, cap. 5. hæc afferentem: *Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, iam tum cùm Dominum Deum, vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini subiecisse impatienter tulit. Neque enim doluisset si sustinuisset, nec inuidisset homini, si non doluisset. Adeo decepit eum quia inuiderat, inuiderat autem, quia doluerat, doluerat, quia patienter vtique non tulerat.* Additque, eam opinionem, quæ asserit dæmonem vnionem hypostaticam inuidisse, non satis solido fundamento stabilitam.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Spectacula prohibentur in primo Psalmo Dauidis, etiamsi non expressè & specialiter, sed inuolutim & generaliter.

TERTVLLIANVS.

37. 1. HAC conscientia instructi aduersus opiniones ethnicorum, conuertamur magis ad nostrorum detractatus.

EXPLICATIO.

1. *Hac conscientia instructi*: respicit vltimam periodum præcedentis capitis: *Nos igitur qui Domino cognito*, &c. Particulam *magis* explica, potiùs. Illud *nostrorum detractatus*, est, Christianorum oracula sacrarum litterarum.

38. 2. Quorumdam enim fides aut simplicior aut scrupulosior ad hanc abdicationem spectaculorum de scripturis auctoritatem exposcit, & se incertum constituit, quod non significanter neque nominatim denuntietur seruis Dei abstinentia eiusmodi.

2. Reddit rationem, cur conuertatur ad sacram Scripturam: *Scrupulosior*, religiosior. *Et se incertum constituit*: hæret horum fides, incerta est. *Significanter*, clarè, apertè, manifestè, σαφῶς, φανερῶς. *Nominatim*, volunt scilicet pro sua simplicitate aut scrupulo, vt sit testimonium in sacris quo dicatur, *abstinete ab spectaculis.*

39. 3. Planè nusquam inuenimus, quemadmodum apertè positum est, Non occi-
Exod. 20. des, non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes: ita exertè definitum, Non in circum ibis, non in theatrum, agonem, munus non spectabis.

3. Ait frustra illud quæri ab simplicibus & scrupulosis, non enim ita apertè prohibentur spectacula, vt homicidium, idololatria, adulterium, fraus. *Circum*, &c. En quatuor illa spectacula, quæ hoc opere exagitat. Nominat *circum*, vt in secundo capite: quod ibi *vocis suauitates*, hîc *theatrum*: quod ibi *vires corporis*, hîc *agonem*: quod ibi *leonem*, hîc *munus*. Quippe in Amphiteatro dabantur & venationes, & munera, id est, ludi gladiatorij.

40. 4. Sed inuenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem
Psal. 1. Dauid: Felix, inquit, qui non abiit in concilium impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestium non sedit.

4. Tametsi (inquit) non clarè prohibeantur spectacula, sed non dubium quin conferre ad hanc prohibitionem possimus verba primi Psalmi, *Beatus vir quinon abiit*, &c. Notanter *primam vocem*, quasi vox prima, & princeps Dauidi eruperit in odium spectaculorum.

41. 5. Nam & si iustum illud videtur prædicasse, quòd in concilio & in consensu Iudæorum de Deo denegando consultantium non communicauit, latè tamen semper scriptura diuina diuiditur, vbicumque secundùm præsentis rei sensum etiam disciplina munitur, vt hîc quoque non sit aliena vox à spectaculorum interdictione.

5. Fateor videri psalmum capiendum de illo qui iustus est, quòd non consenserit consilio & concilio Iudæorum consultantium de morte Christi; tamen nulla res vetat, quin ad spectacula conuerti queant verba psalmi. *Diuiditur*, explicat Iunius: cum aspectu ad cibos, qui iniecti in stomachum diuiduntur: inde latè in omnes partes corporis: itaque & scriptura cibus spiritualis est, ac diuidi proinde potest in partes omnes. Inde consequenter *munitur*: nam cibi muniuntur dentibus. *Muniri* enim Latinis dicuntur quicumque sint munes, id est, muneri officióque suo præstando obligati, sicut dentes cùm muniunt cibum. Inde Festus. *Munitio, mortificatio ciborum*, aut, vt reponit Scal. *Munitio morsificatio ciborum*. De hac lectione vide Ianum Gebhardum lib. 3. crepundiorum c. 18. Est enim *mortificatio cibi*, idem quod morsificatio. Nam olim *mortare*, pro, morsare; vt pultare, pro, pulsare: Nautea, pro, nausea: adgrettus, pro, adgressus.

42. 6. Si enim pauculos tunc Iudæos impiorum concilium vocauit, quanto magis tantum conuentum ethnici populi? ni pij ethnici, & minùs peccatores, minùs hostes Christi, quàm tunc Iudæi? quò & cætera congruunt. Nam apud spectacula & in via statur. Vias enim vocant cardines baltheorum per ambitum, & discrimina popularium per procliuum. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad confessum situs.

6. Accommodat iam verba psalmi ad spectacula. Nam primò si pauculi Iudæi dicuntur *concilium impiorum*, cur non etiam ingens *conuentus* ethnicorum? nisi (hoc ironicè) *pij* sint *ethnici*? &c. *Quò & cætera congruunt*, id est, ad quam interpretationem cætera psalmi concurrunt. *Apud spectacula*, id est, in spectaculis. *Vias vocant*, &c. Cùm in psalmo dicatur, *& in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*, ait hoc dici quoque posse propter vias spectaculorum, & propter cathedram, vbi erat confessus. Hæc omnia pendent à Notis.

43. 7. Itaque è contrario, infelix qui in quodcunque concilium impiorum abierit, & in quacunque via peccatorum steterit, & in quacunque cathedra pestium sederit, generaliter dictum intelligamus, cùm quid etiam specialiter interpretari capit.

7. Sicut felix est qui in nullo concilio, via, cathedra malorum inuenitur: ita infelix qui in quocunque concilio, via aut cathedra malorum est, quocunque significato has veces volis accipere. Nã quicquid specialiter de vna re dicitur, generaliter ad alias extendi potest. v. g. Quamuis concilium in psalmo dicatur de his qui coniurarunt in vitam Christi, nihil vetat accipi de omni concilio malorum: sic de via & cathedra. Verba sic annecte, *Generaliter dictum intelligamus, cùm quid capit interpretari etiam specialiter, & ita è contrario infelix qui*, &c. Phrasis Tertulliani est, *capit interpretari*, quod Græci, δέχεται; de qua phrasi ego alibi. Hic satis est accipi *capit* pro *debet*. Clariùs loqueretur, si ita scriberet, *cùm quid capit speciale interpretamentum*.

44. 8. Nam & specialiter, quædam pronuntiata, generaliter sapiunt. Cùm Deus Israelitas admonet disciplinæ vel obiurgat, vtique ad omnes habet. Cùm Ægypto, & Æthiopiæ exitium comminatur, in omnem gentem peccatricem præiudicat. Sic omnis gens vocatur Ægyptus & Æthiopia, à specie ad genus. Quemadmodum etiam de origine spectaculorum, omne spectaculum concilium vocat impiorum, à genere ad speciem.

Exod. 12 *Isai.* 14. & *alibi.*

8. Probat specialia interpretamenta extendi posse ad generalia, exemplo Ægypti & Æthiopiæ, quibus prouinciis cùm Deus comminatur, gentes omnes intelligit: nam speciem accipit pro genere. *Quemadmodum*, id est, ad quem modum de origine spectaculorum, &c. Illud *generaliter sapiunt*, explica, generaliter accipienda sunt. *Vtique ad omnes habet*, id est, ad omnes pertinet. Phrases enim huius scriptoris inusitatæ possunt per clariores reddi: nec ideo reprehendendus sum.

NOTÆ.

45. 1. DE TRACTATVS.] Reponit ex ms. Vvouer. *retractatus*, quæ vox in vsu magno Tertulliani, sed defendi potest hærens lectio, quam Rhenanus & Pamelius defendunt. Vide extremum.

2. AD HANC ABDICATIONEM SPECTACVLORVM.] Ante Pamelium erat, *ab hac abdicatione spectaculorum*: quam lectionem Iunius ait restituendam, & iuxta illam explicat auctorem, mihi non placet, vide sis illum.

2. DE SCRIPTVRIS AVCTORITATEM EXPOSCIT.] Cyprianus de spectaculis ait quoque ita quæsitum à Christianis. Verba eius: *Vbi inquiunt scripta sunt ista? vbi prohibita?* Et adiicit loca scripturarum quibus niteretur ad cernenda spectacula malè explicata, post quæ subiicit: *Hoc in loco dixerim, longè melius fuisset istis nullas litteras nosse, quàm sic litteras legere.*

2. ABSTINENTIA.] Hæc vox vsu Patrum frequenter traducitur ad res multas, vt cùm Ennodius epist. 13. lib. 1. dixit: *per paginarum abstinentiam intercipitur vis amoris*. Id est, per cessationem litterarum. Sic ergo abstinentia ludorum. Leo Papa sermone de Ioanne Baptista: *Alterum verò abstinentiæ & crucis genus est pretiosius atque sublimius, motus animi regere, perturbationes illas modestiæ tranquillitate placare, iræ ac superbiæ impetus, quasi ferocem bestiam refrænare,* 46.

litigare quotidie contra vitia sua, increpare se quadam conscia auctoritate virtutis. Et sanctus Antiochus Homil. 6. definit, abstinentiam vocem esse generalem ad omnia quæ prohibentur. Verba eius: *Abstinentiam dicimus non enim modò qua communiter ab esculentis abstinemus, sed & quæ cætera suo ambitu complectitur. Hoc est, abstinentiam omnium, quorum vsus ipsi interdicimur.* Inde idem consequenter Homil. 7. *ieiunium peccati*, dixit. A

3. EXERTE.] Ita lib. 2. ad Vxor. cap. 1. *Iam non suadet, sed exertè iubet.* Id est, perspicuè, manifestè.

47. 4. IN VIA PECCATORVM NON STETIT.] Viam ad actus humanos traduci scimus. Alcuinus in Psalm. 118. *Vias vocat actus humanos, sine dubio actui ipsi viæ nomen imponit: vias peccati mei confessus sum & remisisti, nunc doctrinam indulge, qua me iustificationes tuas edoceas.* Ad eum modum Tertullianus viam traducit ad actum humanum, quo iubemur spectaculis non interesse. B

4. PESTIVM.] Ita reddidit eleganter Græcum λοιμῶν. Vulgaris interpres *pestilentiæ*. Cæterùm Tertulliano adiungatur auctoritas Alexandrini Clementis, qui lib. 3. Pædag. cap. 11. eundem Daudis locum confert ad spectaculorum detestationem: *Nec nos igitur ad spectacula Pædagogus ducet. Nec inconcinnè stadia & theatra pestilentiæ cathedram quis vocauerit,* στάδια καὶ θέατρα καθέδραν λοιμῶν. *Nam hic quoque est scelestium consilium, sicuti aduersus iustum, & ideo maledictis deuouetur, quæ ibi fit congregatio.*

48. 5. VT HIC QVOQVE NON ALIENA VOX.] Rescribunt: *vt hæc quoque.*

6. IVDÆOS IMPIORVM CONCILIVM.] Hoc misero elogio affecti sunt isti miserrimi. Sic & August. epist. 54. *impios* vocat Iudæos, vt etiam Zeno Veron. Orat. 2. de Abraham. Et Saluianus lib. 8. Sic & Græci: nam Ioannes Chrysost. orat. 2. aduersus illos C dat istis ἀνοσίους. Et Concilium Trullense cap. 1. δυσσεβεῖς. Quid recitem elogia huic annexa? ab Dionysio Alexandrino vocantur κακόπιστοι, *perfidi*, in epistola ad Paulum Samosatensem. Et sanctus Maximus, Episcopus Taurinens. Homil. 1. de aduentu Domini, *execrabilem conuentum.* Idem Homil. 2. Epiphan. *Quousque Iudæe durissime, obtuso ore, & clausis oculis, ac perfido corde persistis?* Et Sedulius Scotus Hybernensis in collectanea epistolæ ad Romanos cap. 9. *Nam quia de Iacob multi sunt perfidi, dubium non est.* Eusebius Gallican. Epis. *infelicitatem* dat, ait enim Homil. altera de symbolo: *Inter hæc infelices Iudæi in sepulchro quærebant, quem in corde perdiderant.* Et Sanctus Maximus Episc. Regiensis *cæcitatem*: sermone enim de Pascha, *vt quorum mentem* (inquit) *cæcitas inuaserat, eorum oculos cæcitas occuparet.* Vult enim & mente, & oculis esse deceptos. Et Ioannes Chrysostomus laudato loco illos vocat παρανόμων πολιτείαν. Et infrà: ἐναγεῖς & μιαιφόνους, notans homines execrabiles & detestandos. Ambros. sermone 28. *Iudæorum execrabilis conuentus.* Arator initio operis sui dat illis *scelus*, & *nefas*: Concilium Tolet. 8. cap. 12. *Abominabilem ac nefandam perfidiam, caussam execrandam.*

49. 6. NI PII ETHNICI? &c.] Totum hunc locum ex codice ms. ita legit Vvouer. *Quanto magis tantum conuentum ethnici populi? Impij, minùs peccatores, minùs hostes Christi, quàm tum Iudæi? Quid? non & cætera congruunt?* Additque non dubitandum de hac lectione. Mihi non displicet, sed vulgaris tamen lectio magis ex ingenio Africani huius. Latinius legit, *quoad cætera congruunt.*

6. APVD SPECTACVLA.] Phrasim comicam agnoscit Iunius, nam Terentius Andria, *apud forum modò è Dauo audiui.* Pro, in foro.

6. IN VIA STATVR.] Sedebant equites, qui non equites in spectaculis stabant, & quidem in viis: (quæ sint istæ dicam statim) firmat rem hanc Martialis lib. 5. loquens de Mancio. D

Et hinc miser deiectus in viam transit,
Subsellióque semifultus extremo,
Et male receptus altero genu, iactat
Equiti sedere, Lectióque se stare.

Qui versus probant clarè vias in spectaculis huic vsui (omitto alios) seruire, vt in illis starent spectaturi, qui non erant equites. Itaque probè Tertullianus, *in via statur.*

6. VIAS VOCANT, &c.] Ait disertè fuisse du- 50.
plices vias: nam primò, *vias vocant cardines baltheorum per ambitum*, deinde *discrimina popularium per procliuum.* Fuere balthei (siue balthea, nam hæc quoque vox in scriptoribus occurrit) repagula & cingula, quibus subsellia equitum cingebantur, & substringebantur: & balthei isti quibusdam erant hermulis & cardinibus innixi. Themistius Euphrada orat. 13. dixit, ὁ κόσμος τῶν περιζυλων τὸ θέατρον, indicans præcinctiones quasdam theatri. Duo autem noto. Primò legendum proculdubio in Tertulliano, *vias vocant ad cardines baltheorum.* Deinde non discriminandos loco cardines à baltheis, vt aliqui discriminant; sunt enim *cardines baltheorum* ipsimet balthei innixi suis cardinibus. Ergo ait Tertullianus, vias dici illas, quæ erant ad cardines, quibus balthei innitebantur, & siquidem balthei in ambitum erāt dispositi, ne scilicet in subsellia equitibus destinata irrumperet populus. Nemo me clariùs locum istum hactenus explicuit. Scias hîc, vias istas dici quoque *itinera*; qua voce vsus aliquando Vitruuius, atque etiam *diazomata*, quod ex eodem Vitruuio notarunt ante me alij. Correctio illa nostra *ad vias* certissima est, & hic locus hactenus in obscuro, quia caruit ea correctione. Vnde laudo Lipsium, qui etiamsi locum non correxerit, tamen post adducta verba Tertulliani in quibus sum, adiicit ipse, *ex quo discе ad cingula ista fuisse vias.* Itaque *viæ* non fuerunt ipsi cardines & balthei, sed ad cardines & baltheos. Explicaui primum, pergo ad alterum, *vias vocant discrimina popularium per procliuum.* Dicebantur in spectaculis *popularia* loca illa, vnde populus spectabat ad discrimen equestrium. Itaque *popularia*, & *equestria* directè opponūtur. Vlpian. leg. 1. de Offic. Prætoris vrb. *Et sane debet etiam dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem.* Sueton. Claud. cap. 25. *Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate & fiducia eorum motus, quòd in popularia deducti, cùm animaduertissent Parthos & Armenios in senatu sedentes, ad eadem loca sponte transierant.* Mitto alios in quibus mentio *Popularium.* Ergo ait Tertullianus, *vias* dici in spectaculis discrimina illa quæ intersita inter Popularia, & Equestria. Restat explicem cur *per procliuum.* Quod clarum, non locis omnibus spectaculorum cliuosa forma: hæc enim spectatoribus accommodatior. Calpurnius de Amphitheatro,

Immensósque gradus & cliuos lene iacentes.

6. CATHEDRA QVOQVE NOMINATVR 51.
IPSI IN ANFRACTV AD CONSESSVM SITVS.] Hic locus multis ingerit difficultatem, cùm auctor ita sit clarus vt non solùm ipse intelligatur, sed ex ipso omnes alij debeant intelligi. Ita verò auida est mens mortalium ostentandi aliquid noui, vt tenebras offuderint loco clarissimo aduocatis locis aliorum Auctorum difficilioribus. Quid enim tu dubites cùm audis cathedram esse situm ipsum ad consessum? nonne apertè ait, locum ipsum vbi sedebant spectatores, dici cathedram? Et à Clemente Alexandrino loco iam laudato *cathedra* explicatur βουλὴ πομπεία καὶ σύλλογος, *concilium impium & congregatio.* Cathedra ergo ipsi congregati. Ait *in anfractu*, quia forma subsellio-rum non erat perpetua & continuata, sed in circuitu

frangebat se, videlicet ad singula subsellia. Nam anfractus non solùm dicitur Græca origine, quasi ἀμφίεγκτον, sed Latina quasi à flexu. Apertè Varro lib. 6. Lingua Latina: *Anfractum est origine flexum duplice, dictum ab ambitu, & frangendo.* Notabis in Tertulliano legi à nonnullis *in anfracto.* Quia scilicet non solùm est *anfractus*, sed etiam *anfractum.* Nam & Attius: *terrarum anfracta reuisam.* Et quidem cùm huius est generis semper cum (m) scribitur.

7. SAPIVNT.] Videtur legendum *capiunt*, & sic legit Meurs. 2. part. Exercit. Criticarum cap. 27. sicut suprà *capit.* Et subaudiendum est, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *capiunt intelligi.*

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Probat ex Sacramento Baptismi spectacula Christianis non adeunda.

TERTVLLIANVS.

52. 1. NE quis argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem conuertar ipsius signaculi nostri.

EXPLICATIO.

1. NE *quis argumentari*, &c. id est, *nequis putet* me *argumentari*, vanum esse argutatorem, proponere argutiolas. *Ipsius signaculi*, id est, baptismi.

53. 2. Cùm aquam ingressi, Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo & pompæ & Angelis eius ore nostro contestamur. Quid erit summum ac præcipuum, in quo diabolus & pompæ censeantur & Angeli eius quàm Idololatria? ex qua omnis immundus & nequam spiritus, vt ita dixerim, quia nec diutiùs de hoc.

2. *Aquam ingressi*, vox propria de baptizatis: *Suæ*, id est, Christianæ fidei. *Profitemur*, signatè: nam in baptismo professio fidei. *Quid erit*, &c. Sensus est: si in baptismo renuntiauimus *diabolo, pompis, Angelisque eius*, liquet perinde nos renuntiasse Idololatriæ: nam hæc est summus & præcipuus census diaboli. Quid dignius est renuntiatione, quàm idololatria? *ex qua omnis* nequam Angelus, omnis *nequam spiritus*, omnis censetur immunda pompa. *Vt ita dixerim*, ne explica, vt sonat, & vt iactari vulgo solet: sed ait: vt ita hîc breuiter dixerim, quia hîc non *diutiùs* immorabor, loquens de hoc malo; reseruo enim ad tractatum, qui sequetur deinde de idololatria.

54. 3. Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitatè præiudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renuntiationis nostræ testimonium in lauacro, quæ diabolo & pompæ & Angelis eius sint mancipata, scilicet per idololatriam.

3. Cùm supponat præcipuum censum diaboli esse idololatriam, ait renuntiationem Christianorum in baptismo fieri contra spectacula ex præiudicio quodam, quia scilicet omnia spectacula fundum suum habent in idololatria, sunt enim *mancipata diabolo per idololatriam.* Summa est, spectacula habere ortum ab idololatria, & ideo illa quoque renuntiari à nobis in baptismo.

55. 4. Commemorabimus origines singulorum, quibus incunabulis in seculo adoleuerint: exinde Titulos quorumdam, quibus nominibus nuncupentur: exinde Apparatus, quibus superstitionibus instruantur: tum loca, quibus præsidibus dicentur: tum Artes quibus auctoribus deputentur. Si quid ex his non ad idolum pertinuerit, id neque ad idololatriam, neque ad nostram eierationem pertinebit.

4. Ait ergo dicturum se de spectaculis res quinque, quæ omnia pertinent ad idololatriam, vt inde appareat spectacula quoque ad eandem pertinere. Dicturus est ergo de *originibus* spectaculorum, quæ pertinēt ad incunabula: deinde, de *titulis*, scilicet sub quorum Deorum titulis & nominibus celebrentur: tertiò, de *apparatibus*, qui pertinent ad superstitionem: quartò, de *locis*, quibus scilicet Diis loca spectaculorū sint consecrata: quintò denique, de *artibus*, quæ variis Diis *deputantur. Siquid*, &c. Quasi è contrario dicat: cùm omnia ista pertineant ad idola, liquebit perinde, *eierationem*, id est, renuntiationē nostrā factam in baptismo, fieri cōtra spectacula: nam hæc mancipata sunt idolis ex sua origine, titulis, apparatibus, locis, artibus.

NOTÆ.

56. 1. ARGVMENTARI.] Ego legerem *argutari*: nam hoc verbū notat futiles argutiolas. Nam & in hoc ipso quod de baptismo loquitur, verè argumentatur, sed non argutatur: id est, solidum ponit argumentū, non inanes argutiolas. Et certè Meursius 2. part. Exercitat. Criticar. cap. 27. legit *argutari.*

B 1. AD PRINCIPALEM AVCTORITATEM.] Sic Cassianus lib. c. 13. *Secundum Dei principale mandatum sollicitè serpentis obseruare noxium caput, id est, cogitationum malarum principia quibus serpere in animam nostram diabolus tentat.*

1. SIGNACVLI.] Dicitur Baptismus *signaculum*,

propter crucem, qua baptizati signantur in fronte. A Prudentius in Psychom.

Post inscripta olei fronti signacula, per quæ
Vnguentum regale datum est, & chrisma perenne.

Inde Dionys. cap. 5. de Ecclesiastica Hierar. loquens de baptismo ait, σφραγὶς σταυρώδης: *signaculum in formam crucis.* Concilium Toletanum 11. cap. 8. vtramque vocem coniungit: *pro baptizandis consignandisque fidelibus* Et Concilium Hispal. 12. cap. 7. *Chrismate baptizatorum frontem signare.*

57. 2. AQVAM INGRESSI.] Verbum proprium in hac re. Inde lib. de Idololatria cap. vltimo, *ingredientibus in fidem*, id est, in baptismum, qui instar ianuæ ad fidem. Ambros. lib. de his qui mysteriis initiantur: *Ingressus es iam in regenerationis sacrarium.* Iterum: *Ingressus igitur vt aduersarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putares.* Vt autem abluendus dicebatur *ingredi*, ita iam ablutus dicebatur *transgredi.* Cyprian. de Habit. Virgin. *Cuius* mundi *pompis & deliciis iam tum renuntiauimus cùm meliore transgressu ad Deum venimus.* Itaque *ingredi* & *transgredi* opponebantur in hac re. Quæ oppositio non dissimilis ab altera Cyrilli Hierosol. catech. 3. vbi ait, νεκρὸς ἐν ἁμαρτίαις κατέβης, ἀναβαίνεις ζωοποιηθεὶς ἐν δικαιοσύνῃ: *Mortuus in peccatis descendisti, & ascendis viuificatus in iustitia.* Alia oppositio est in Tertulliano lib. de Baptis. *In aquam demissus, & inter pauca verba tinctus, non multo, vel nihilo mundior resurget.*

2. PROFITEMVR.] Verbum proprium quo etiam vsus Bernardus serm. de duplici baptismo: *Non tantùm diabolo abrenuntiare, sed & fidei professionem edere baptizandum iussum certissimum est.* Hanc fidei professionem iuramenti verbo exprimit Hieronym. epist. 1. *Recordare tyrocinij tui diem, quo, Christo in baptismate consepultus, in sacramenti eius verba iurasti.*

2. RENVNTIASSE NOS DIABOLO, &c.] 58. Ita de Coron. cap. 3. *Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo & pompæ & Angelis eius.* Hanc renuntiationem Græci Patres vocant, ἀποτάξασθαι & ἀποταγήν. Cui opponunt συντάξασθαι & συνταγήν. Videndus Dionys. lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. sed & de hac re ego alibi pleniùs. Notetur locus Ioannis Chrys. conformis Tertulliano: hanc enim Christianorum in baptismo renuntiationem refert ad θέατρα & ἱπποδρομίας, *theatra & Circenses*, &c. Itaque qui renuntiat Satanæ in baptismo, spectaculis quoque renuntiat. Et hæc est mens Septimij Est etiam de hac re locus elegans Saluiani lib. 6. de Gubern. *Spectacula & pompæ etiam iuxta nostram professionem opera sunt diaboli. Quomodo ô Christiane spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris? Renuntiasti semel diabolo & spectaculis eius, ac perinde necesse est, prudens & sciens dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas.*

3. PARATVRAM.] Vox passim Tertullianica, qua vsus lib. de Patientia cap. 13. Et de Cor. cap. 1. Et de Veland. Virg. c. 12. & sæpè alias.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Ludorum origo idololatrica.

TERTVLLIANVS.

59. *Vnde Ludi dicti.* 1. DE originibus quidem vt secretioribus & ignotis penes plures nostrorum, altiùs, nec aliunde inuestigandum fuit, quàm de instrumentis ethnicarum litterarum.

EXPLICATIO.

1. *Penes plures nostrorum.* Nam verba Christianorum & vulgus origines istas ignorabat, docti tantùm illas assequebantur, vt Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullianus ipse. *Altiùs*; inuestigandum est repetita altè origine. *Instrumentis*, libris. Itaque duo dicit, & altè inuestigandas has origines, & è libris Gentilium.

60. 2. Exstant Auctores multi, qui super ista re commentarios ediderint.

2. Puta Timæus, Varro, Suetonius, Piso, Hermateles, Stesichorus, & Sisinnius Capito aduocatus à Lactantio. Ita Pamelius.

3. Ab his ludorum origo sic traditur.

3. Incipit alta illa repetitio.

61. 4. Lydos ex Asia transuenas in Etruria consedisse, vt Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione. Igitur in Etruria inter cæteros ritus superstitionum suarum, spectacula quoque religionis nomine instituunt.

4. *Fratri suo*, Lydo. Fuere enim fratres Lydus & Tyrrhenus, ille in Lydia mansit, hic in Italiam transiit cedens fratri, & Tyrrheno mari nomen dedit. Itaque contentio, & altercatio eum habuit finem, vt Lydus maneret, Tyrrhenus excederet. *Regni contentione*, id est, in regni contentione.

62. 5. Inde Romani accersitos artifices mutuantur, tempus enuntiationem, vt ludi à Lydis vocarentur.

5. Vt Romani *mutuantur* ab Etruria *artifices*; ita *tempus* mutuatur *enuntiationem*, id est, factum procedente tempore, *vt ludi à Lydis vocarentur.* Sequor hanc explicationem, nam obuiam illam, *Romani mutuantur artifices; tempus, enuntiationem*; alienam puto ab hoc loco. Nunc enim non de tempore, sed tantùm de origine. Quid quòd nunquam legimus Romanos edidisse ludos suos eodem tempore, quo Etrusci? Itaque nō mutuati sunt ab illis tempus: sed tempus ipsum mutuatum est enuntiationem.

6. Sed

63. 6. Sed etsi Varro ludos à ludo, id est, à lusu interpretatur; sicut & Lupercos ludos appellabant, quòd ludendo discurrant: tamen eum lusum iuuenum & diebus festis & templis, & religionibus reputat.

6. Dixit Græcam originem, dicit iam Latinam. *Ludos à ludo, id est, lusu.* Sententia est. *Sed* esto *Varro Ludos interpretetur*, non à Lydis, sed à verbo *ludo*, ludis, lusi, lusum; sicut etiam iuuenes *Lupercos* (Lupercales) vocabant ludos aut ludiones, *quòd ludendo discurrant:* Tamen hæc quoque origo est idololatrica; nam eum ipsum Lupercorum *iuuenum lusum reputat*, id est, addicit & mancipat idem Varro *diebus festis*, *templis*, *& religionibus* gentilitiis, ac perinde liquet omnem ludum etiam Latina origine mancipatum idololatriæ. Nota diligenter cùm ait *ludos à ludo*, per *ludos* intelligo ipsa spectacula, verè ludos: cùm verò ait postea *Lupercos ludos* intellige ipsasmet personas, nam Luperci dicti sunt ludi, aut ludij, aut ludiones.

64. 7. Nihil iam de caussa vocabuli, cùm rei caussa idololatria sit.

7. Quid me lasso in quærenda origine vocis, cùm res tota idololatriam sapiat? siue nomen ludi à Lydis, siue à lusu sit; certè res significata per ludum tota est idololatrica.

65. 8. Nam & cùm promiscuè ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi Patris manifestè sonabant: Libero enim à rusticis primò fiebant ob beneficium, quod ei adscribunt pro demonstrata gratia vini.

8. Dixit missa voce *ludi*, rem totam significatam per *ludum* esse idololatricam. Probat productis in medio variis ludis. Et primo loco assumit *Liberalia*, quæ ex sua origine cùm fierent *in honorem Liberi*, id est, Bacchi, propter *gratiam vini* inuenti, sine dubio sunt idololatrica ex sua origine: atqui ista Liberalia dicuntur *promiscuè* ludi, id est, siue *ludos* dicas, siue *Liberalia*, res est eadem: res ergo significata per vocem istam *ludus*, idololatrica est. Hæc est sententia huius loci, fortasse hactenus non intellecta. Nota verba illa *quod ei adscribunt*, quæ satis cum stomacho, & penè ironica. De ista promiscua ludorum vsurpatione dicam in Notis.

66. 9. Exinde ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant: eundem enim & Consum vocabant. Dehinc Equiria Marti Romulus dixit. Quamquam & Consualia Romulo defendunt, quòd ea Conso dicauerit Deo vt volunt, consilij eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitauit.

9. Pergit *exinde*, id est, deinde, ad *Consualia*, quæ etiam dicuntur non solùm *Consualia*, sed promiscuè quoque *ludi* (est enim in eodem argumento) atqui hæc quoque à praua origine, videlicet in honorem Neptuni. Pergit ad *Equiria*, quæ etiam à praua origine: nam Romulus *dixit*, id est dicauit illa Marti. Sequitur *Quamquam & Consualia.* id est, quamquam non *Equiria* solùm, sed adhuc ipsa *Consualia defendunt Romulo*, id est, Romulo attribuunt tuentes defendentésque dicata ab illo atque instituta *Conso consilij* Deo, scilicet propter consilium de reparanda sobole ex raptu *Virginum.* Potest esse in vltimo casu etiam, vt dicat, defendunt instituta à Romulo, cui sensui fauet legi à nonnullis, *à Romulo.*

67. 10. Probum planè consilium, & nunc quoque apud ipsos Romanos, iustum & licitum, ne dixerim penes Deum. Facit enim ad originis maculam, ne bonum existimes, quòd initium à malo accepit, ab impudentia violentiæ, ab odio, à fratricida institutore, à filio Martis.

10. *Probum planè*, &c. Sensus est ironicus, (non enim audio Heraldum & Iunium) nam dicit: Planè illud consilium improbum fuit, & nunc quoque iniustum & illicitum apud Romanos, quorum legibus vetitum. Nam scilicet improbum fuisse, iniustum, illicitum apud Deum verum, non dico, quia hoc clarissimum. Probat hanc improbitatem, cùm subiicit, *Facit enim ad originis maculam* &c. quod sic explico. Videan verè sit improbum, nam ne bonum existimes illud consilium, facit ad originis maculam, quòd (*porque*) initium accepit *à malo*, id est, à malitia, deinde *ab impudentia violentiæ*, quia Romulus vim exercuit impudentissimam, plenámque inuerecundæ libidinis. tertiò, *ab odio*, quo arsit in Sabinos: quartò, *à fratricida institutore:* fratrem enim Remum interfecit; quintò *à filio Martis* sanguinarij Dei; fuit enim Romulus Martis filius. Quas tu plures maculas requiris? Ergo Lector extrema ista de malitia, de impudentia, de odio, de fratricidio, de sanguinario patre explicant prima illa de consilio improbo, iniusto, illicito, & omnia eò pertinent, vt intelligas originem horum ludorum vndique plenam esse macularum.

68. 11. Et nunc ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas, sub terra, cum inscriptione huiusmodi, CONSVS CONSILIO, MARS DVELLO, LARES COMITIO POTENTES. Sacrificant apud eam nonis Iuliis Sacerdotes publici, XII. Calend. Septembres Flamen Quirinalis, & Virgines.

11. Redit ad Consum. *Ad primas metas*, carceribus scilicet propinquiores. CONSVS. &c. Hanc inscriptionẽ ita explica. *Consus* potens *consilio*; *Mars* potens *duello*, id est, bello: *Lares* potentes *comitio*. Dicitur *comitiũ* vbicumque turba & cœtus coit. Compitalitiis cœtibus præsidebant lares publici Vicorum. Docebat ergo

inſcriptio illius aræ, ludos Conſuales fieri Deo conſilij, vt conſilium eius fauſtum felixque foret tam bello quàm pace; bellum Mars notat, pacem Lares. Sequuntur ſacra Conſi, hæc duplicia, & *Nonis Iulij*, & *XII. Calend. Septemb.* id eſt, die 21. Auguſti. Sacri huius miniſtri & Sacerdotes publici, & *flamen Quirinalis*, & *Virgines* veſtales. Iunius diuidit, vt Sacerdotes publici ſacra facerent Conſo, flamen Quirinalis Marti, Virgines laribus.

69. 12. Dehinc idem Romulus Ioui Feretrio ludos inſtituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos & Capitolinos Piſo tradidit. Poſt hunc Numa Pompilius Marti & Robigini fecit: nam & Robiginem Deam finxerunt. Dehinc Tullus Hoſtilius, dehinc Ancus Martius, & cæteri quoque per ordinem. Et quibus idolis ludos inſtituerunt, poſitum eſt apud Suetonium Tranquillum, vel à quibus Tranquillus accepit. Sed hæc ſatis erunt ad originis de idololatria reatum.

12. Coniungit plures ludos, quos Romulus & ſequentes Reges inſtituerunt, quibus ludis origo idololatrica. *In Tarpeio*, monte. *Apud Suetonium Tranquillum*, Satis clarè docet ſcriptum à Suetonio librum de ſacris ludis. Reliqua, quæ in hoc tractu & aliis videntur deſiderari, petenda à Notis.

NOTÆ.

70. 1. ALTIVS.] Iunius addit negationem, & legit *non altiùs*, fortaſſe hoc ſenſu, nec aliunde quàm ab ethnicis, nec altiùs, quàm ab illis, quia ſcilicet libri & litteræ Chriſtianorum antiquiores gentilicis, quod probat in Apologetico. Sed non tamen neceſſe eſt; nam bonus eſt ſenſus ab vnis libris ethnicorum repetendum altiùs tractatum iſtum, & contra Iunium initium ſequentis capitis, vbi loquens de hac ipſa origine ait, *Teſtimonium antiquitatis*. Video hinc poſſe eſſe euaſionem, ſed nulla ad guſtum.

4. LYDOS, &c.] De hac re iam ego in Æneid. Virgilij.

4. TIMÆVS.] Fuit hic Siculus hiſtoricus, cuius meminit (ait Pamel.) Plutar. in Nicia, Diodorus, Cicero.

71. 4. CESSERAT.] Legebatur olim *ſucceſſerat*, correxit Lipſ. ad lib. 4. Annal. Taciti *ceſſerat*, vel *ſeceſſerat*. Alij, *deceſſerat*. Sequitur, *Regni contentione*. Explicui, vt vidiſti, hærens litteræ. Sed quid ſi aliter legendum, non *regni contentione*, à contendo; ſed *regni contemtione*, à contemno, vel vt barbarè ſcribitur, *contemptione*. ita vt dicat, ceſſit Tyrrhenus & contemſit Lydiam pauperem, quæſita ampliore orbis parte. Mouet me, quia nemo eorum qui id aſſerunt, aliquid afferunt, cur contenderint fratres. Euſtathius enim in Dionyſium, ita ait: *Tyrrheni nominantur à Tyrrheno Lydo Atyos filio, cui multum populum, fame graſſante, cùm parens commendaſſet, à ſe miſit, ex quo prouincia Tyrrheniæ nomen inuenit*. Signata verba ἐν κυμῷ λιμοῦ. Plinius etiam id narrans nihil meminit de contentione. Vide illum lib. 3. cap. 5. & Strabonem lib. 5. & in primis Velleium, qui ait lib. 1. ſortito contigiſſe Tyrrheno hanc ceſſionem: *Lydus* (inquit) *& Tyrrhenus fratres, cùm regnarent in Lydia, ſterilitate frugum compulſi, ſortiti ſunt, vter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit*.

5. INDE ROMANI, &c.] Liuius: *Ludiones ex Etruria acciti*. Idem ſcribit Heſychius. Videatur Herod. lib. 1. Dionyſ. Halic. alij. De ludo gladiatorio id clarè aſſerit Damaſcenus Nicolaus, nam de illo loquens, οἱ Ῥωμαῖοι παρὰ Τυῤῥηνῶν παρέλαβον τὸ ἔθος: *Romani à Tyrrhenis morem accepere*.

72. 5. LVDI A LYDIS, &c.] Sollemne hoc eſt. Inde *ludij*, & *ludiones*, id eſt, ὀρχησταὶ, χορευταὶ, σατυρισταὶ, σκηνικοί. A Prudent. *Saltat tonantem tauricornem ludius*. Notauit iam Scal. in Catull. omnia quæ ſubſiliunt dici *ludia*, videlicet à Lydis ſaltu ludibundis. Quam ob rem Plaut. Curcul. loquens cum peſſulis obſtringentibus fores.

Fite cauſſa mei ludij barbari,
Subſilite obſecro.

Et Catull. *Ludia vnda*, quæ agitatur perpetuo motu. & Varro de inſulis errabundis *ludiano ritu*. Vide iſta latiùs in Scal. Ad etymon clarè alluſit Plaut. Bacchid.

Non omnis ætas Lyde ludo conuenit.

6. LVDOS A LVDO.] Explicui, *Ludos à verbo ludo*, nam eſt hoc, quod ſtatim ait, *Lupercos* dici *ludos* quòd *ludendo diſcurrant*. Eſſet enim inficetiſſimum explicare ludos dici à nomine ludi. eſt qui legat *ludios* nihil moror. *Interpretatur*, ἑπιμολογεῖται. Tu hic conſidera, plerúmque Grammaticos decipi in originibus, cùm contra eſſe debeat. Non enim à forma verbum *formo*, ſed contra à verbo formo nomen *forma*. Ita in aliis. Vt hoc ſentiam contra Grammaticos, duces habeo & Varronem aſſerentem, & approbantem Tertullianum. Vides enim nomen *ludus* duci à verbo *ludo*, non contrà. In Græcis vocibus mira quoque eſt originantium εὐηθεία. 73.

6. LVDOS LVPERCOS.] Vocabant *ludos Lupercos*, aut *Ludios Lupercos*, aut *Ludiones Lupercos*, iuuenes illos, qui agitabant Lupercalia. Diſcurrebant hi nudi in honorem primùm Panis, ex inſtituto Arcadum; deinde, in honorem Lupæ, nutricis Romuli. De hoc iuuenum luſu in Lupercalibus Plutarch. in Cæſare. τῶν δ' εὐγενῶν νεανίσκων καὶ ἀρχόντων πολλοὶ διαθέουσι γυμνοὶ τὴν πόλιν γυμνοί: *Multi iuuenes nobiles & principes diſcurrunt nudi per vrbem*. Vide Ouid. 2. Faſt. ab eo verſu,

Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos.

Adeo certum debere eſſe iuuenes, vt ſi qui grandiuſculi eſſent, & veſticipes, vellerentur, redderentúrque glabri: quod ſatis indicat Plaut. Aulul. ibi,

--- tu iſtum gallum, ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quàm volſus ludius eſt.

& Prudent. 2. in Symmach.

Inde Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Diſcurſus iuuenum.

Sueton. Auguſto cap. 31. *Imberbes Lupercos*. & no-

ta *ludos* dici ludiones, aut ludios, vt *regna* pro regibus: apud Florum, *pulsis regnis*, id est, regibus. & Liuius dixit *prætura* pro prætore. His enim & similibus exemplulis efficit Salmasius Tertullianum vocasse *ludos* pro ludiis. Quæ tamen vox est in aliis. Ouid.

Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Prudent.

Saltat Tonantem tauricornem ludius.

Stat. 1. Sylu.

Hoc plaudunt grege ludiæ tumentes.

Catull.

--- vosque ludiæ lacus undæ.

Plaut. dixit, *ludij barbari.* itaque ludius est ὀρχηστὴς, quòd per totam vrbem discurrerent saltitando.

6. EVM LVSVM IVVENVM.] Hanc lectionem admitto, & ideo de iuuenibus dixi in superiore Nota. Hîc noto in libris Pamelij cusis Parisiis B M. DC. VIII. legi, *eum lusum inuentum.* vt iam sit alia sententia.

74. 7. CVM REI CAVSSA.] Rhenanus edidit, *Quin rei caussa.* Alij probant veram lectionem esse *dum rei caussa*, in his Herald. libro 1. Digression. cap. 19. & Iunius in hunc locum, & quæ ex Isidoro habetur, & ad oram libri sui adnotauit Cuiacius, vt dicat, dummodo rei caussa, &c.

8. PROMISCVE.] Non intellexere hunc locum, qui dixere ludos omnes promiscuè dictos *Liberalia*, multos noto, in primis Heraldum lib. 1. Digression. cap. 28. Nihil absurdius. An obsecro *Consualia, Equiria, Tarpeia, Robigalia* dici poterant *Liberalia*? apage. Hoc enim nemo dixit, nemo audiuit. Qui istud imponunt Tertulliano, in- C iuriam faciunt homini scientissimo. Tantùm promiscuam hanc vsurpationem nominis in eo ponit, quòd Liberalia, Consualia, & reliqua huiusmodi, dicuntur etiam absolutè *ludi.* Itaque vox ista *ludus* miscetur omnibus festiuitatibus idololatricis, nam omnes isti dicuntur *ludi.* Et ideo statim addit, *Exinde ludi Consualia dicti.* & inde liquet non nomen solùm ludi, sed rem significatam per ludum mancipatam esse Dæmonibus; hoc enim probare Tertullianus vult.

75. 8. LIBERALIA.] De his præter Ouidium, & antiquos alios, videndus Stuchius lib. 1. Antiquit. Conuiuial. cap. 33. folio 129. Vbi multa Tertulliani loca coniungit, sed, vt assolet, nullo delectu. Ad rem certè, quam hoc loco attingit Tertullianus, satis ipsemet Tertullianus. Videndus etiam Bulengerus libris de Theatro, qui multò Stuchio D accuratior.

9. EXINDE LVDI CONSVALIA DICTI.] Ait *Consualia*, quæ cursu equorum peragebantur, instituta Conso, id est, Neptuno, quia Neptunus quoque dictus Equestris, ab equo scilicet, quem illi inuentum attribuunt: de quo vide me lib. 3. Georg. Sed cur Neptunus dictus fuerit *Consus*, explicant, nam *Consus* quasi Cossus (sic enim olim) velut cossus, ab adstando, quòd terræ assit, terræ adstet, illique sit coniunctus, quemadmodum & obstetrices & nutrices dictæ sunt *assæ*, quòd assint his, quos nutriunt. De quo videndus Nonius. vel duci potest *Consus* ab obsoleto conso, consis. Vt à promo ducitur *promus*, ab condo, *condus.* Attius in Bruto apud Varr. lib. 4. Ling. Latin. *Qui rectè consat, Consul fuat.* Inde & *Consentes Dij*, & *Ops Consiua.*

76. 9. QVI INITIO NEPTVNVM HONORABANT.] Lactantius lib. 6. cap. 2. *Circenses Neptuno attribuit.* Sed mitto rem tritam. Non displicet lectio alia, *queis initio*, &c.

9. EQVIRIA.] Aliquando dicta scriptoribus *Equitia.* Sed frequentiùs *Equiria.* Varro lib. 5. de Ling. Lat. *Ab equorum cursu, eo enim die currunt equi in campo Martio.* Vide & Festum. Hæc duplicia fuisse diserte Ouid. ait 2. Fastorum.

Iamque duæ restant noctes de mense secundo;
Marsque citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo perspicit ipse suo.

En prima, agnosce altera; nam lib. 3.

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quam Tiberis curuis in latus vrget aquis.

Sed & agnosce loci mutationem, nam subiicit illico,

Qui tamen ejecta si fortè tenebitur vnda,
Cælius accipiet puluerulentus equos.

Et inde factum, vt *Cælius* diceretur *Campus Martialis*, quia scilicet ad Equiria vicarium se præbebat pro campo Martio. Festus clarè. *Martialis campus in Cælio monte dicitur, quòd in eo Equiria solebant fieri, si quando aquæ Tiberis Campum Martium occupassent.* Itaque *Campus Martius*, & *Campus Martialis* diuersi.

9. DEFENDVNT.] Id est, asserunt, vindicant. quo sensu lib. aduers. Iudæos cap. 1. & de veland. Virginib. c. 11.

9. QVÒD EA CONSO DICAVERIT DEO, &c.] Nescio an plenè intellexeris 77. Tertullianum. Non dicit dicata Consualia Conso, quòd dederit Consus id consilium, quantumuis tibi videatur: Sed dicit, *Dicata consualia Conso Deo eius consilij, quo tunc excogitauit rapinam Sabinarum.* Quia scilicet tunc de nouo voluit Romulus coli Consum propter consilium hoc excogitatum, non enim antè Consus colebatur titulo consiliatoris Dei. Itaque de nouo instituit Romulus Consum consiliorum Deum. Hoc expresè scripsit Cyprianus, qui semper solet clariorem efficere Tertullianum. Verba Cypriani de Idolor. vanitate sunt: *Quem* (Consum) *Deum fraudis, velut consiliorum Deum, coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia prouenit.* Nec contra hoc est. Consum priùs cultum fuisse in eo populo, sed non certè cultus vt Deus consiliorum. Summa explicationis meæ est, non datum à Conso ipsi Romulo consilium. Sed fuisse inuentum à Romulo, & ita in gratiam felicis consilij creatum ab illo numen, nouo hoc titulo consultoris. Hoc enim expresè ait Cyprianus, & ita explicandus Tertullianus.

9. CONSILII EIVS, &c.] Accipit He- 78. rald. in malam partem lib. de Digression. cap. 28. & explicat σόφισμα, & στρατήγημα, ad eum modum quo Liuius lib. 9. *Cæterùm quando ne ea quoque tentata vis proficeret, consilio grassandum.* Id est. fraude, dolo. Tacit. 11. Annal. *Plura consilio quàm vi perfecisse.* Id est, σοφίσματι. Ita quod apud Liuium Tullus Hostilius dicit *consilium*, apud Dionys. Halicar. vocat στρατήγημα. Prior, *nec imperium illud meum, sed consilium & imperij simulatio fuit.* Posterior, πλάσματα καὶ στρατηγήματα διὰ ἔτους.

9. SABINARVM VIRGINVM RA- 79. PINAM.] Et quidem principem caussam horum ludorum hanc fuisse, non externi solùm, sed nostri etiam clamant. Tertullianum hic audis. Sed & Hieronym. in vita Hilarionis: *Hoc siquidem in Romanis vrbibus iam inde seruatur à Romulo, vt propter felicem Sabinarum raptum ab ipso Conso quasi consiliorum Deo quadrigæ septeno currant circuitu.* Cyprianus lib. de Idolorum vanitate: *Consus quem Deum fraudis, velut consiliorum Deum, coli Romulus*

voluit, postquam in raptum Sabinarum prouenit. Idem de Spectaculis: *Romulus Conso quasi consilij Deo, ob rapiendas Sabinas, Circenses primos consecrauit.* Varro lib. 5. de Ling. Latin. *Consualia dicta à Conso, quòd tum fecit publicè ei Deo, & in circo ad aram eius ab Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus Virgines Sabinæ raptæ.*

10. PROBVM PLANE CONSILIVM.] Accepi ironicè, nam hoc facilius expediendo Tertulliano. Explicatio aliorum (si quis eam amet) hæc est. Consilium illud Romanis visum tunc est planè probum, posteri quoque illorum dicunt iustum fuisse & licitum ad prouidendum soboli: ego tamen penes Deum verum, non dixerim fuisse iustum, probum, licitum. Sed quomodo licitum, si adhuc ante fidei notitiam prohibitus raptus virginum Romanis legibus, vt testificatur Pamelius? Deinde cùm subiicit, *Facit enim ad originis maculam*, &c. particula *enim* rationem reddit rei dictæ, non certè probitatis & iustitiæ; ergo improbitatis & iniustitiæ.

80. 10. QVOD INITIVM A MALO ACCEPIT, &c.] Hic locus hactenus magnam ingessit difficultatem interpretibus, & meritò, quia corruptissimus textus. Legitur enim in vulgatis omnibus in hunc modum: *Quod initium à malo accepit, ab impudentia violentiæ alio Deo, à fratricida institutore, à filio Martis.* Tantùm Pamelius vt mederetur loco, illud *ab impudentia violentiæ* mutauit in *ab impudentis violentiæ*, vt diceret *ab alio Deo impudentis violentiæ.* Futiliter omnia: nam nec se expediunt, neque explicant, quis sit hic *alius Deus.* Nos gratias agimus Vvouerenio, qui ex mss. correxit, *Ab impudentia violentiæ, ab odio, à fratricida*, &c. qua lectione nihil clarius. Tantùm eget explicatione cur dixerit *ab odio*, cùm potiùs videatur raptus ille profectus ab amore & erga Sabinas & erga prolem. Sed hoc odium liquidum ex Plutarcho: qui ait voluisse Romulum vim Sabinis inferre: verba eius βίας ὑπαρξαι τοῖς τῶν Σαβίνους. & postea addit, ἄτε δὴ πολέμου μᾶλλον, ἢ γάμων δεόμενον, quia scilicet *non tam connubia, quàm bellum quæreret.* Et ideo dici potest aggressus illud facinus inflammatus odio: volui etiam scribere *à malo*, vt notet malitiam: quin ita in nonnullis scribitur, & illud *à Malo* hîc ἄτοπον.

10. FRATRICIDA.] Quis ignorat illud,

Fraterno primi maduerunt sanguine muri?

11. ARA DEFOSSA EST.] Testatur & hoc Plutar. in vita Romuli: ait enim aram Consi ὑπόγειον κεκρυμμένον, *latuisse sub terra:* & addit rationem, quia omne arcanum & consilium debet esse tectum. Inde & P. Victori dictum est: *Ædes Consi subterranea.* & Tertullian. in fin. cap. 8. *Consus apud metas subterra delitescit.* August. de Ciuit. lib. 4. cap. 11. *Ipse sit & Deus Consus præbendo consilia.* Meminit & Arnob. lib. 3.

81. 11. AD PRIMAS METAS.] Hæ primæ metæ dictæ sunt Martiæ; nam ibi ædes sacra Deæ Martiæ amoris. Sed de hac re cap. 8. huius operis.

11. DVELLO.] Ita Lucret. *duellica proles*, de equis: ita *duellator.* res trita.

11. COMITIO POTENTES.] Rescribit quidam, *Comitio potes.* non est necesse. Si enim proferret testem, quo probaret in ea inscriptione legi *potes*, crederemus ei. aliter ex libidine corrigit.

11. FLAMEN QVIRINALIS.] Principem Sacerdotum & antistitem intelligit, cui Sacerdotes parebant. Tacit. lib. 1. Annal. *Effigie numinum Flamines & Sacerdotes coli.* Vide Turnebum l. 3. cap. 3.

12. IOVI FERETRIO.] Dixi ad Æneidem. 82.

12. QVOS TARPEIOS DICTOS ET CAPITOLINOS.] Quia scilicet sicut Capitolium & Tarpeia arx res eadem, ita ludos ipsos dicunt pariter & Tarpeios & Capitolinos. Hos postea ludos auxit Camillus fugatis ex vrbe Gallis, de qua re Liuius lib. 5. Verba Camilli apud Liuium sunt: *Capitolinos ludos sollemnibus aliis addidimus, collegiumque ad id nouum auctore Senatu condidimus.* De Tarpeio quid te onerem? Ouid. 6. Fastor.

Iunctáque Tarpeio sunt mea templa Ioui.

Omitto Poëtas, qui satis multi. Vlpianus in fragmentis institutionum tit. 22. *Deos publica auctoritate receptos hæredes bonorum instituisse, sicuti Iouem Tarpeium.* Est etiam dictus *Capitolinus.* Velleius Paterculus in fine historiæ: *Iupiter Capitoline & auctor ac stator Romani nominis.*

12. ROBIGINI.] Fuit quidem Deus *Robigus*, cuius Varro & Festus meminêre, & Dea *Robigo* seu *Rubigo*, cuius hoc loco Tertullianus, Lactantius lib. 1. cap. 20. & August. lib. 4. de Ciuitat. cap. 22. Festa Diis istis sacra dicta sunt *Robigalia*, de quibus præter alios iam laudatos etiam locutus Plinius lib. 18. cap. 29. Verba eius: *Robigalia Numa constituit anno regni sui XI. quæ nunc aguntur ad VII. Calend. May, quoniam tunc segetes rubigo occupat.* De robigine & eius notis iam ego lib. 1. Georg.

12. ROBIGINEM DEAM FINXERVNT.] Ita volui scribere ex mss. Vvouer. nam in vulgatis omnibus legitur *Robiginis Deam finxerunt.* Itaque nulla est Dea Robiginis, sed ipsamet Robigo est Dea. Iuuat auctoritas Columellæ in Horto, vbi loquens de sacro auertendæ Robiginis, ita ait: 83.

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.

Atque ita Robigo ipsa consecrata est in Deam, vt Febris, Timor, Pallor, & pestes aliæ mortalium. Hinc liquet contra Iunium, legendum hîc *Robiginem*, non *robiginem*, aut *robiginis* Deam.

12. DEHINC TVLLVS HOSTILIVS, &c.] De sacris institutis ab Tullo Hostilio, ab Anco Martio, à Tarquinio, generatim loquitur, vt vides, nullum nominans sacrum. De quibus ergo intelligat Tertullianus, mihi non placet diuinare, tu si id placeat lege Iunium.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

De Titulis.

TERTVLLIANVS.

84. *De Titulis.* I. ACCEDIT ad testimonium antiquitatis subsecuta posteritas, formam originis de titulis huius quoque temporis præferens, per quos signatum est cui idolo, & cui superstitioni vtriusque generis ludi notarentur.

EXPLICATIO.

1. HACTENVS de ludis antiquissimis. Talia sunt *Lupercalia*, vt quæ ab Arcadibus: *Liberalia*, quæ à Græcis: *Consualia*, quæ ab Romulo: reliqui demum ludi, qui comprehensi superiori capite, antiquissimi sunt, vt qui à priscis Regibus. *Subsecuta posteritas*, notat ævum Consulum. *Huius quoque temporis*, posterioris. Ait scilicet originem posteriorum ludorum indicari ex titulis, quos illi præferunt. *Vtriusque generis ludi*, id est, ludi Circenses & theatrales: nam de his solùm egit superiore capite.

85. 2. Megalenses, & Apollinares, item Cereales, & Neptunales, & Latiares, & Florales in commune celebrantur: reliqui ludorum de natalibus & sollemnitatibus Regum, & publicis prosperitatibus, & municipalibus fastis superstitionibusque caussas originis habent. Inter quos etiam priuatorum memoriis legatariæ editiones parentant, id quoque secundùm institutionis antiquitatem.

2. *Megalenses*, &c. Numerat primò ludos Diis sacros, atque ex publico instituto, qui posteriore ævo celebrati: Qui quidem ex titulis agnoscuntur, qualem habeant originem. *In commune*, quia celebrari, id est, vulgari & manare in commune cœperunt. *Reliqui ludorum*, &c. Sensus est: Reliqui ludi discriminati à sacris suam singuli habent originem. Hæc origo triplex, scilicet, Princeps, Respublica, Municipium. Principes sæpe instituunt ludos dicatos suis natalitiis, aut solemnitatibus quæ ipsis lubitæ: Respublicæ, propter prosperitates, puta victorias, quas adeptæ. Municipalium ludorum origo petenda à fastis, quos habent; & superstitionibus, quibus singula municipia capta ferias sæpe & ludos imperabant. *Inter quos etiam*, &c. Ad hos reliquos ludos pertinent ludi editi ab hæredibus in memoriam defunctorum, ex ipsorum defunctorum legationibus. Puer sic capiat. *Editiones legatariæ parentant* ludos *memoriis priuatorum*. *Secundum institutionis antiquitatem*, id est, antiquam institutionem, vt mox explicat.

86. 3. Nam & à primordio ludi bifariàm censebantur sacri & funebres, id est, Diis nationum & mortuis. Sed de idololatria nihil differt apud nos sub quo nomine & titulo, dum ad eosdem spiritus perueniat, quibus renuntiamus, licèt mortuis, licèt Diis suis faciant. Proinde mortuis suis vt Diis faciant, vna conditio partis vtriusque est, vna idololatria, vna renuntiatio nostra aduersus idololatriam.

3. *Nam & à primordio*, &c. q.d. imò duo tantùm fuere ab initio ludorum genera. *Sed de idololatria*, &c. Par est idololatria in vtroque ludorum genere, quia mortuis suis faciunt sacra perinde vt Diis. Atque adeò vtrumque genus sacrorum pertinet pariter ad Dæmones; quòd si ad dæmones, certè ad nostram in baptismo renuntiationem, nam dæmonibus renuntiauimus. Itaque *proinde* est perinde. & cùm ait, *mortuis suis vt Diis faciant*, subaudienda est particula *cum*, vt dicat, *perinde cum mortuis*, &c.

NOTÆ.

87. 1. VTRIVSQVE GENERIS LVDI.] Legunt aliqui *vniuscuiusque*. non placent, præstat certè Pamelij explicatio, qui ait locutum scriptorem cum respectu ad duo tantùm ludorum genera, Circensium & Theatralium. Hæc enim solùm comprehendit superiore capite. Fit hoc liquidum ex initio capitis decimi, vbi: *Transeamus ad scenicas res, quarum & originem communem & titulos pares secundùm ipsam ab initio ludorum appellationem, & administrationem coniunctam cum re equestri iam ostendimus*. Quibus verbis respicit caput quintum & sextum. Vnde & cùm capite sequenti ait: *Communis igitur origo ludorum vtriusque generis, communes & tituli*, &c. capiendus est etiam de Circensibus & Theatralibus. Hæc enim duo ludorũ genera in originibus, titulis, apparatibus similitudinem habuere.

inde est vt Saluianus lib. 6. de Gubernat. relictis aliis, de his tantùm duobus in eo libro loquatur. Verba eius: *Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, de solis circorum ac theatrorum impuritatibus dico.* Coniungit & Iuuenal. Sat. 8.

Circo scenaque vacantem.

Et Ioannes Chrysost. Homil. 15. ad Popul. loquens de scandalo ludorum, relictis aliis tantùm, ἢ ἐν τοῖς θεάτροις διατριβὴ, ἢ ἡ τῶν ἵππων θεωρία: & Aldhelmus de laudib. Virg. cap. 1. omissis etiam aliis: *Theatralis populi pompas, & præconia Circensium.* Et Lamprid. in Alex. Seuer. hæc duo coniunxit vt vicina & affinia: Theatro enim & Circo comparabat Alexander copiosa cõuiuia, offensus illis. Ibidem idem Princeps relictis aliis ludis, solùm exhibet Circenses & Scenicos. Trebellius in Gallien. contemptis ludis aliis, tantùm ait, initum consilium occidendi Gallieni, *Ne diutius Theatro & Circo addicta Respublica per voluptatum deperiret illecebras.* Necnon Constantinus apud Ammianum lib. 14. Et Themistius Euphrada orat. 7. tantùm nominat θεάτρων πύλας, καὶ ἵππων ἁμίλλας. Sic contra Agones qui in Xysto, & gladiatorij, qui in Amphitheatro vicinitatem habuere, vt in quibus pugnæ & atrocia omnia. Restat explicem ludos superioris capitis pertinere omnes ad duo hæc genera, quod vnicè necessarium, vt constet mẽs Septimij. Ergo Lupercales, & Liberales, Robigales, Capitolini, scenici fuere; ad Circenses refero Consualia, Equiria, & quos Marti fecit Numa. Probo singula. Luperci qui nudi, & cum ferula, qua matronas
88. feriebant, pertinent ad histriones. De Liberalibus testatur Lactantius lib. 6. cap. 20. *Ludi Scenici Libero attributi.* Cyprian. *Ludi Scenici & Cereri, & Libero dicati.* Tertull. cap. 10. huius operis. *Nam & alios ludos scenicos Liberalia propriè vocabant.* Imò nulla alia origo ludorum theatralium, quàm Liberalia, vt testatur Seruius ad l. 2. Georg. & quidem Liberalia Romanorum nihil aliud fuere, quàm Dionysia Græcorum: hæc verò tota fuere scenica, & histrionica. Robigales eò retuli, nam omnis celebritas rustica semper sub personatis laruis, & mimis, & saltatoribus, qui vnicè pertinent ad histrioniam, vt Isidorus scribit, & ex eo Pamelius in cap. 10. huius operis. Idque est certissimum. Nam histrionia, & personę non tantùm theatro continentur, vt apparet ex oscillatione Bacchi, in qua personas agnoscit Virg. 2. G. vbi ait,

Oráque corticibus sumunt horrenda cauatis.

Procedo. Capitolinos quoque (quorum insignibus verbis meminit Liuius lib. 5. ad finem) reieci in scenicos. Id enim sentiet, qui legerit quæ Plutarch. scribit in Quæst. Roman. de sene illo qui in ludis Capitolinis producebatur per ludibrium, gerens bullam puerilem collo appensam. Hæc enim ludibunda pertinent ad iocos scenicos, vt argumento sunt thymelici & saltatores. Quòd si & sermonem referas ad agones Capitolinos, quos Nero instituit, id planiùs & pleniùs: in his enim histriones coronati. Vide de hac re Ioseph. Scalig. lib. 1. lectionum Ausoniar. cap. 10. Imò agones isti Neroniani non aliunde sumpsere originem, quàm ex imitatione illorum, quos in Tarpeio monte Romulus instituit. Vide Agonist. Fabr. lib. 3. cap. 29. & eundem lib. 1. cap. 3. vbi apertè ait, institutum à Nerone certamen scenicum Capitolinum. De Consualibus, & Equiriis nihil dico, quia nemo potest ignorare pertinere ad Circenses. De ludis Martis, quos vocant Martiales, id etiam certum. Sed videndus Dio lib. 56. & 60.

89. 2. MEGALENSES.] Hæc omnia ludorum genera pertinent vel ad scenam, vel ad Circum, non ad alia spectacula, vt clarè scribit Tertullianus cap. 20. huius libri. Ergo Megalenses (erant hi sacri Cybelæ Matri Deûm) fuisse scenicos certissimum est. Tertull. Apolog. cap. 15. *Cybele pastorem suspirat fastidiosum, non erubescentibus vobis.* Suspirat scilicet in scena. Ioseph Scal. ita restituit locum Festi. *Scenici antiquitus appellabantur, qui Megalenses nunc ludi.* Sed non opus magno molimine ad probandum Megalenses ludos scenicos fuisse cùm Terentianæ plurimæ factæ leguntur ludis Megalensibus. Titulus Idololatricus est dici *Megalenses*, scilicet à Matre Deorum, quæ dicta Magna, Μεγάλη.

2. APOLLINARES.] Pertinent hi ad Circen- 90.
ses. Liuius lib. 25. loquens de horum origine, post alia quæ præmittit, ita subiicit: *Ludos Prætor in Circo Maximo cum facturus esset, edixit vt populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret.* De illorum instauratione loquitur idem Liuius lib. 26. & 27.

2. CEREALES.] Hi quoque ad Circenses per- 91.
tinebant, Ouid. 4. Fastor.

Circus erit pompa celeber numeróque Deorum,
Primáque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi, non est opus indice causa,
Sponte Deæ munus promeritúmque patet.

Liuius etiam lib. 26. ait illos fuisse in Circo celebratos. Tacitus l. 15. Annal. ad finem ait, institutum à Nerone principe, vt Circensium Cereal ium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur. Errauit grauiter Politian. qui c. 28. Miscell. Cereales ludos confundit cum Circensibus. Alij etiam pari errore. Non ita est. Aliud est enim Cereales esse Circẽses, quod falsum est: aliud pertinere ad Circẽses, vt ego loquor, quia scilicet facti in Circo equorum de cursu. Erant enim propriè Circenses, qui ex stata religione. Distinctionem indicant verba Lampridij in Commodo hæc: *Circenses multos addidit, ex libidine potius quàm religione.*

2. NEPTVNALES.] Hos esse ipsissimos Circen- 92.
ses & sacros Neptuno equestri nil est quòd probem. Extat mentio Neptunaliorum in inscriptione quam exhibet Thomas Dempsterus in Paralipom. ad Rosinum lib. 4. cap. 11.

2. LATIARES.] Sacri Ioui Latiari cuius in Ca- 93.
lig. meminit Sueton. & alij passim. Puto decipi Pamelium qui hos ludos ad gladiatores refert: exorbitaret sic à suo argumento Tertullianus, qui ludos comprehensos superiore & isto capite, tantùm determinat ad Scenam & Circum, vt apparet ex cap. 10. huius operis. Certè qui legat Festum in *Oscillatione* potiùs putabit hos ludos pertinere ad histrioniam. Nam Oscillatio fiebat in Latiaribus ludis dicatis Ioui Latiari, vt ibi scribit Festus: atqui Oscillatio tota histrionica fuit, vt quæ cum personis. Imo inter etyma Oscillationis hoc est vnum. Festus enim: *Oscillantes ait Cornificius ab eo quòd os cælare sint soliti personis propter verecundiam, qui eo genere lusus vtebantur.* Festum iuuat Virgilius 2. Georg. vbi dat Oscellantibus *ora horrenda è cauatis corticibus*, quibus satis docet vultus personatos: hi autem vultus semper indicant mimos ridiculos & histriones iocabundos. Pamelius referens ad ludos gladiatorios, falsus est. Scio Ioui Latiari immolatos homines; quod pro se potuisset Pamelius adducere. Nam Athanas. orat. contra Gentes. καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατιάριον Διὰ ἀνθρωποθυσιῶν ἐθρήσκευον: *Romani priscí Iouem Latiarem humanis victimis colnêre.* Et Porphyr. l. 2. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων: ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν, τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τὴν τῶν Λατιαρείων Διὸς ἑορτὴν σφαζόμενον ἄνθρωπον; *Quin & nostro seculo quis nescit in magna ciuitate (Romæ) Iouis Latiaris festo die immolari hominem?* Magnus hic contra me turbo, sed quem iam ante me dissipauit Marcilius ad Epigramma 12. Martialis de
94. Amphitheatro, & dissipauit quidem loco aptissimo Cypriani lib. de Spectaculis, vbi loquens de Spectaculis Scenicis ait, *Inter quæ nonnunquam & homo fit hostia latrocinio Sacerdotis, dum cruor etiam de iugulo calidus exceptus patera, dum adhuc feruet, & quasi sitienti idolo in faciem iactatus crudeliter propinatur, & inter*

voluptates ſpectantium quorumdam mors erogatur. Itaque inter ipſas voluptates Scenæ fiebat horrendum hoc ſacrum. Et quidem loqui Cyprianum de ludis Scenicis videbit Lector ſi adeat, & hoc expreſsè teſtatur Marcilius dicto loco: aitque Athanaſij & Porphyrij loca nihil pertinere ad Amphitheatrum. Neque impedit, vt in ſequentibus Cyprianus loquatur de venationibus. Et cur non me tuear auctoritate viri docti? Nam, vt Tertullianus errauerit, non feram: & certè errauit, ſi Ludi Latiares numerentur gladiatoribus.

95. 2. FLORALES.] Eſſe hos Theatrales & Scenicos nemo ignorat, vel ex epigrammate Martialis,

Noſſes iocoſæ dulce cùm ſacrum Floræ,
Feſtóſque ludos, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſeuere veniſti?

De his ludis eorúmque impudentia loqui otioſum. In his aliiſque, qui præceſſere, infinita omiſi, contentus aperuiſſe mentem Tertulliani, qui de Scenis tantùm & de his quæ ad Circum ſpectant, loquitur. Hæc enim directa mens Septimij, vt apparet ex cap. 10. huius operis. Ergo ait hos omnes ſecum præferre titulum idololatriæ. Non eſt opus probare, Floram Deam & Chlorem eſſe eandem; vox diuerſa, res eadem. Vide quæ de hac Dea narrat Claud. Rangolius Comment. lib. 1. Reg. cap. 7. verſ. 4. ſi lubet ſpatiari.

2. DE NATALIBVS.] Firmat hoc Capitolinus qui de Antonino Pio: *Circenſes natali ſuo dicatos non reſpuit.*

96. 2. PVBLICIS PROSPERITATIBVS.] Retuli in explicatione ad victorias, quia Sueton. Veſpaſian. *At prima ſtatim petitione, Caium ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios pro victoria eius Germanica depoposcit.* Vide Heral. lib. 1. Digreſſion. cap. 19.

2. MVNICIPALIBVS FASTIS SVPERSTITIONIBVSQVE.] Ita legebatur ante Pamelium, & ipſe lectionem mutauit nulla neceſſitate. Atqui religio eſſe debet auctorem incolumem conſeruare, non clarè allucente ratione mutationis. In hoc autem loco tantùm abeſt ratio, vt optima ſit ſententia. Alij pro *faſtis* legent feſtis, quam lectiunculam non auſim improbare.

2. MEMORIIS.] Propriè: ita enim de defunctis. Hilarius canone 7. in Matth. *Admonuit Deus non admiſceri memoriis Sanctorum mortuos infideles.* Greg. Nyſſen. in orat. Baſilij fratris defuncti, διὰ τῆς μνήμης ἐκείνου. Tritum eſt dici *Memorias Martyrum.* & *Sanctorum*, ſcilicet de ſepulchris eorum. Auctor vitæ Sancti Ludgeri lib. 2. cap. 9. *Ad Sancti Ludgeri memoriam veniens.* Id eſt, ad ſepulcrum. ſcilicet quod poſtea cap. 7. *ad tumulum perducere.* Suet. Iul. cap. 26. *Munus populo epulúmque pronuntiauit in filiæ memoriam.* Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. *Ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & accurſus.* Id eſt, ad ſepulchrum Sancti Stephani. Dionyſius Exiguus in vita Pachomij Abbatis: *Necnon Eccleſiæ quamplurimæ, & Martyrum memoriæ conſtruebantur impenſius.* Auguſt. lib. 9. confeſſ. cap. 12. ſcribit matrem ſuam Monicam imminente die reſolutionis ſuæ nihil aliud mandaſſe, quàm ſui memoriam ad altare Dei fieri. Sanctus Maximus Homilia prima Euſebij Epiſcopi Vercellenſis: *Sanctorum Patrum memorias religioſis concentibus honorantes.* Scitum quæ de tabulis, vnâ defunctorum, alterâ viuorum, ſcribit Cyprian. Epiſt. 10. Pij quoque viri ſæpiſſime inculcant in ſuis ſcriptis, *Sanctæ Memoriæ Nicolaus Papa, Cæleſtinus, Sylueſter*, &c.

2. LEGATARIÆ EDITIONES.] Dixi reſpici ad ludos gladiatorios, quia videlicet iſti, vt plurimùm teſtamento mandabantur hæredibus: non tamen nego *editiones* dici etiam de Ludis Circenſibus; nam ipſe cap. 8. huius operis de hoc ludicro *editum* dicit. Mar. Varro apud Auguſt. lib. 8. de Ciuit. c. 26. & Spartian. in Hadriano: *Socrui ſuæ ludos gladiatorios impendit.* Capitol. in Antonino Philoſ. *Marcus & Verus Imperatores Antonino Pio patri munus gladiatorium exhibuerunt.* Ludi iſti ſunt legatarij. De quibus etiam Liuius, cùm ait: *Scipio Carthaginem, ad vota ſoluenda Diis, munúſque gladiatorium (quod morti patris patruique parauerat) edendum rediit.* Eſt qui in hoc loco legat Dempſterus *hæreditates*, ſed certè *editiones* habent libri. 97.

3. SACRI ET FVNEBRES.] *Sacri* propter Megalenſes, Apollinares, &c. *Funebres* propter legatarias editiones, quibus mortuis parentatur. Et generatim vſitatum fuit in eo populo exhiberi ludos in honorem mortuorum. Hos agnoſce apud Capitolinum qui in Antonino Pio: *Tertio anno imperij ſui Fauſtinam vxorem perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus atque templo*, &c. Et in vita Anton. Philoſophi, *Funebre munus patri dederunt.*

3. VT DIIS FACIANT.] Iunius reſcribit *faciunt.* Abſurdè, quia ſenſu non conſtante. Ergo ſubaudiendum *cùm*, vt iam explicui. Vel legendum non *vt*, ſed *aut*, ſenſu perfectiſſimo.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

De Apparatibus.

TERTVLLIANVS.

98. *De Apparatibus.* 1. COMMVNIS igitur origo ludorum vtriuſque generis, communes & tituli vt de communibus cauſſis, proinde apparatus communes habeant neceſſe eſt de reatu generali idololatriæ conditricis ſuæ.

EXPLICATIO.

1. AD communem originem idololatricam Scenicorum & Circenſium, ad communes titulos etiam idololatricos eorumdem, neceſſe eſt ſequantur *proinde communes apparatus* idololatrici. Hanc enim ludorum ſobolem, & quidem damnatam origine, titulis, apparatibus procreauit fœcundiſſima parens idololatrica. Summa eſt, & originem, & titulos, & apparatus tam theatri, quàm Circi prouenire ab idololatria.

99. 2. Sed Circenſium paulo pompatior ſuggeſtus, quibus propriè hoc nomen pompæ, præcedit, quorum ſit in ſemetipſa probans, de ſimulacrorum ſerie, de imaginum agmine, de curribus, de thenſis, de harmamaxis, de ſedibus, de coronis, de exuuiis; quanta præterea ſacra, quanta ſacrificia præcedant, intercedant, ſuccedant; quot

collegia, quot Sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius vrbis, in qua dæmoniorum conuentus consedit.

100. 2. *Communes* dixit fuisse *apparatus* Scenæ & Circi, sed omissa Scena immoratur tantùm in Circo, in cuius apparatu, loco, artibus, impēdit caput septimum, octauum, nonum; absoluturus postea quæ restant de theatro, nunc interrupta. Percurram hunc tractum referuans ad Notas si quid egeat longiore explicatione. *Circensium*, vide Notam nostram in 8. Æneidos. vbi de Magnis Circensibus abundè loquor, & probo Circenses ludos esse eosdē cum Magnis, Romanis, Consualibus, Plebeiis. *Suggestus*, id est, apparatus. *Quibus* Circensibus. *Proprie*, nam pompa ἀπὸ τοῦ πέμπω dicitur de illa, quæ præcedit Circenses ludos. *Quorum sit in semetipsa probans.* Id est, demonstrans pompa in se per singula quæque ad quos Deos auctoresque pertineat. Sic explicat Iunius. *De simulacrorum serie.* Primum quippe locum in ea pompa habuit numerus Deorum; multa enim illorum simulacra in Circum gestabantur. *De imaginum agmine.* Secundum, imagines gentilitiæ illorum qui Circenses edebant. *De curribus.* Tertium, currus in quibus sacrorum secreta. *De tensis.* Quartum, tensæ, quæ erant sacra vehicula. In his vehebantur ad Circum, quę necessaria ad Deorum puluinaria. *De harmamaxis.* Quintum, harmamaxæ, genus vehiculi ad varios vsus. Cui rei seruirent in hac pompa non inuenio, nisi Deorum honori. Ad hunc enim honorem facit multiplex comitatus harmamaxarum, sicut nunc magnorum principum honori conducit multitudo curruum prosequentium. *De sedibus.* Sextum, sedes, scilicet throni Deorum ac solia, vt explicat Herald. nimirum quibus interquiescebant (ait Iun.) simulacra per stationes & metas Circi. *De coronis.* Septimum, coronę Deorum. *De exuuiis.* Octauum, exuuiæ etiam Deorum. *Quanta*: id est, quàm multa. *Sacra.* Sunt hîc credo sacra, quæ necessaria peragendis sacrificiis, quæ statim nominat. *Quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant.* Satis indicat victimas immolandas in Circo gestari solitas triplici in loco pompæ ad eius speciositatem; videlicet initio, medio, fine. *Quot collegia, quot Sacerdotia, quot officia. Collegia*, puta augurum; *Sacerdotia* Iouis, Neptuni, aliorum; *officia* ipsius Reipublicæ. Itaque notat augures, qui in collegio; Sacerdotes Deorum; Officiales administrandæ Reipublicæ. *Illius vrbis.* Romanæ. *Dæmoniorum conuentus.* Dij quippe aliarum gentium Romam conuenere, & ibi sedes domiciliúmque inuenere.

101. 3. Ea si minore cura per prouincias pro minoribus viribus administrentur, tamen omnes vbique Circenses illuc deputandi, vnde & petuntur; inde inquinantur, vnde sumuntur. Nam & riuulus tenuis ex suo fonte, surculus modicus ex sua fronde qualitatem originis continet.

102. 3. Esto *minore* apparatu Circenses *administrentur* in Prouinciis, quia minores opum vires: *Tamen vbique deputandi* ididolatriæ, *vnde petuntur*; & ab ea *inquinantur*, quia ab ea *sumuntur*. Probat ex riuulo, & surculo: vterque enim licèt exiguus, & *tenuis*; tamen sapit originem ille fontis, hic suæ frondis. Loquitur de insitione. Surculus quippe defractus ex caudice frondeo, & insitus alteri arbori, semper refert originem suæ.

103. 4. Viderit ambitio siue frugalitas eius quo Deum offendit. Qualiscumque pompa Circi, & si pauca simulacra circumferat, in vno ididolatria est: & si vnam tensam trahat, Iouis tamen plaustrum est. Quæuis ididolatria sordidè instructa, vel modicè locuples, splendida est censu criminis sui.

104. 4. *Ambitio siue frugalitas.* Respicit ordo mensas, quæ si multis ferculis abundent, ambitiosæ sunt; si paucis, frugales. Iuuat plures voces ex sequentibus referri posse ad mensas. Istæ enim dicuntur *sordidè instructæ & splendidè*. Neque abit verbum *circumfero*, quod pocillatorum est. Ad explicationem subaudi *qualitatem*, quę vox præcessit, vt dicat: *Viderit*, id est, abeat faceſſátque hinc *ambitio siue fragilitas* qualitatem *eius* criminis *quo Deum offendit.* Inde statim *qualiscumque pompa*, quo satis indicat loqui se de qualitate. De mutatione litteræ, in Notis. *Quæuis ididolatria*, &c. Iam apparatus Circi sint planè sordidi, iam locupletes cum mensura & modo, omnes tamen splendidi sunt opibus ac censu ididolatrico.

NOTÆ.

105. 1. COMMVNIS.] Præclarè vocem hanc vsurpat, cùm sit sermo de duplici ludorum genere: nam *communitas* de duobus tantùm sæpissimè dicitur, vt hoc planè capias, vide caput 16. de ididolatria per initium.

1. DE REATV GENERALI.] Rescribit quidam *genitali*. potest, sed non est necesse: nam optimus est sensus hærentis litteræ. Quid quod *generale* idem est quod *genitale*, & ita frustra fit correctio? Etenim elementa dicuntur esse aut generalia aut genitalia rerum principia: vtraque enim vox à gignendo.

2. POMPATIOR.] Placet cuidam rescribere *pompalior*, neque improbo, cùm de Gordiano dicat Capitol. *Canicie decora & pompali vultu.* Itaque vox *pompalis* ex vsu illius ævi, non pompatus. & Trebellius in Gallien. *Gladiatores pompaliter ornati.* Et de Zenobia: *Ducta est per triumphum ea specie, vt nihil pompabilius Populo Romano videretur.*

2. SVGGESTVS.] Frequentissimè ab hoc auctore pro apparatu, ornamentis, vestibus, &c. Vt iam in Apolog. & postea in libro de ididolatria.

2. POMPA.] Vox propria Circi. Ouid. 4. Fast. 106.

Circus erit pompa celebris.

Varro loquens de etymo Circi, *quod ibi* (inquit) *circum metas fertur pompa.* Cicero lib. 1. officiorum, spectans rem Circi: *Cauendum ne tarditatibus vtamur ingressu mollioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur.* Suet. August. cap. 16. *Die Circensium proximo sollemni pompa*, &c. Erat ergo pompa, Dij ipsi, & ceteri apparatus qui vehebantur ad Circum; de qua re latè Ouid. 4. Fast. & Dionys. Halicar. lib. 7. Et hæc est *series* illa *simulacrorum* de qua Tertullianus. Certè Ouidius victoriam nominat, Neptunum, Martem, Phœbum, Phœben, Mineruam, Cererem, Bacchum, Pollucem, Castorem, Venerem: ad hæc equos qui multi inducebantur in agminibus, in curribus: etenim pompa hæc

omnia dicit. Ammonius Alexand. in Harmonia Euangelica: *Vicinus inde Hierusalem Dominus nouam aduẽtus sui pompam instruit.* Porro hæc pompa asinus & pullus fuere. Vide ad hæc Dempsterum lib. 5. Rosini in Paralip. cap. 5.

107. 2. DE IMAGINVM AGMINE.] Retuli ad imagines gentilicas edentis ludos, exemplo pompæ funebris, in qua gestabantur gentilitiæ imagines defuncti. Sed ad alias quoque aliorum extendi posse facilè persuadet Herald. l. 1. digress. c. 19. ex Suet. & Tacito. Prior in Tito, & de illo loquens ait: *Statuam ei* (Britannico) *auream in Palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa hodièque præfertur, dedicauit.* Posterior. 2. Annal. loquens de honoribus decretis Germanico, *Vt ludos Circenses eburnea effigies præiret.* Et ego incidi in locũ Capitolini qui in vita Antonini Pij loquẽs de Faustina vxore eius defuncta: *Cùm etiam ipse hoc concesserit, vt imago eius cunctis Circensibus poneretur.* Et de Antonino Philosopho, cuius filius obierat, ait idem Capitol. *Iussitque vt statuæ tantummodo filio mortuo decernerẽtur, & imago aurea Circensibus per pompã ferẽda.*

108. 2. DE CVRRIBVS.] Secutus sum in explicatione Pamelium & Iunium, qui discriminant currus à tẽsis & harmamaxis: quia verè discrimen hoc indicat ipse textus Tertullianicus. Heraldo placuit confundere tria hæc nomina, & curribus, tensis, harmamaxis rem vnã eandémque significari, ita vt priùs genus posuerit, scilicet currus: deinde species, scilicet tensas & harmamaxas. Argumentum eius, quia quod tensam & ferculum dixit Suet. in Iulio, id Dio l. 43. appellauit ὄχον, id est, currum. Ego curribus dedi sacrorum secreta, motus Macrobij loco l. 1. Saturnalium c. 6. *Eueniẽtque* (ait ille) *vt Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorũ in arca pilẽto imposita vidisset.* Itaque cùm currus genus sit; pilentũ, species; potuit Tertullianus genus ponere pro specie, id est, per currum intelligere pilẽtum. Nam cur pilentum omisisset in accuratissima descriptione pompæ? Hæc, vt vides, tantùm nituntur coniecturis, sed non futilibus. Adduco & aliam. Cur non potuit Tertullianus intelligere pilentum in curru voce generali, ad eum modum quo Liuius l. 34. intellexit quoque pilentũ voce generali vehiculi? Ita enim scribit loquens de leg. C. Oppij trib. pleb. *Ne qua mulier iuncto vehiculo in vrbe oppidóve aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa veheretur.* Vbi per vehiculum, pilentum intelligit, nam in hoc gestata sacra à matronis ad ludos. Ipse quippe lib. 5. *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, vt pilento ad sacra ludósque vterentur.* & Prudent. 2. in Symm.

109. *Fertur per medias vt publica pompa plateas*
Pilento residens molli.

& Virg. lib. 8. --- *castæ ducebant sacra per vrbem*
Pilentis matres in mollibus.

His omnibus sermo est de ludis Circensibus, vbi illustrissima mentio pilentorum. Nec mihi persuadeo omissum à Tertulliano (quod iam dicebam) pilentum in accuratissima descriptione pompæ Circensis. Cùm ergo in aliis clarè species ponat, nullibi latere pilentũ potuit, nisi in curru generali voce. Videatur & par locus Vopisci initio vitæ Aureliani, vbi carpentum, quo vehebatur prefectus vrbis, nominat vehiculũ, generali voce. Sed affero aliã explicationem, quid si loquitur de curru, quo Prætor vehebatur testificante Iuuenale Satyr. 10. vbi,

Quid si vidisses Prætorem curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in puluere Circi,
In tunica Iouis, &c.

110. 2. DE TENSIS.] Paulus: *Tensa vehiculum argenteum, quo exsuuiæ Deorum ludis Circensibus in Circum ad puluinar vehebãtur.* Festus: *Tensam ait vocari Sisinnius Capito vehiculum, quo exsuuiæ Deorum ludicris Circẽsibus in Circum ad puluinar vehebantur. Fuit & ex ebore, vt apud Titinnium in Barbato, & ex argento.* Festi verba aliter legi solent, ad rem nihil. De tensis in his ludis etiam mentio in Suet. Octau. c. 43. *Accedit votiuis Circensibus, vt correptus valetudine lectica cubans tensas deduceret.* & in Iulio c. 76. De tensis, aiunt, ita dictas à tendendo, quòd, monente Asconio, illis prætendantur lora, quibus aguntur, non ope iumentorum. Glossar. *Adtensator* ἀξυπόδιτος, qui scilicet tensæ axem substringit tensario fune, & collo suo alligat, vt deuehi possit. Erãt autem bini adtensatores, nam in altero Glossario tensa exponitur ἱερὸν ζεῦγος. Dixi *adtensator* cum Iunio; atqui Vulcanius ait malè legi *adtensator*, cùm potiùs *addensator* sit legendum, & Iunium reprehendit.

111. 2. HARMAMAXIS.] Discriminat harmamaxam (siue armamaxam, vt alij scribunt) Iunius ab essedo, pilẽto, petorito, & discriminat, quia alij confundunt cũ illis, aitque esse propriè vehem gestatorium, qui operâ hominum tolleretur manibus humerisve, ad eum modum, quo sellæ gestatoriæ apud Suetonium, & lecticæ apud Senecam. Ergo Tertullianus à curribus, qui iumentis agebantur, à tensis, quæ funibus, transit ad harmamaxas, quæ humeris tollebantur ab hominibus, ita attestantibus studium suum erga sacra Circensia. Legatur omnino hic Iunius, & locus Diodori, quem iam indicauit Herald. Aliquis possit putare corruptam esse lectionem, & legendum *hamaxis*, cuius currus mentio est in Capitol. Maximinis: loquens enim de Maximini patris virtute: *Iam illa prope in vulgi ore sũt posita, quod hamaxas manibus attraheret, rhedam onustam solus moueret.* & *hamaxari* apud Plautum in Truculento, quod est plaustro iungere, explicatore Pistore; vel plaustrum trahere, Turnebo. Sic enim ait Plaut. *Ego me ruri hamaxari mauelim patalem bouem.* Hæreo Pistori.

112. 2. DE SEDIBVS.] Adducit Heraldus locum Appiani l. 3. Ciuil. aptissimum. θέαι δ' ἦσαν, ἃς Κειτώνιος ἀγορανομῶν ἔμελλε πελέσειν, ἣν ὁ Καῖσαρ εἰς τὰς θέας τῷ πατρὶ, πάντα χρύσεον θρόνον, καὶ στέφανον παρεσκεύαζεν, ἅπερ αὐτῷ ΚΣ' πάσαις θέαις ἐψηφίσαντο πρότερον: *Instabant spectacula, quæ Critonius ædilis exhibiturus erat, ac Cæsar* (Octauianus) *ad ea spectacula tum auream sedem, tum coronam patri* (Iulio iam ad Deos relato) *præparauerat, quemadmodum illi in omnibus spectaculis apponi decreuerant.* Vides vt sedes essent, in quibus Dij quiescerent in spectaculis. Dio quoque loquens de honoribus decretis Iulio in spectaculis, adhibet δίφρον χρύσεον, *auream sedem.*

113. 2. DE CORONIS, DE EXSVVIIS.] Placuit referre ad coronas & exsuuias Deorum cum Heraldo. Ad coronas, propter laudatum Appiani locum. Ad exsuuias, propter adductum Festi locum in tensis, & hunc præterea Apul. lib. 11. *Antistites sacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectore ad vsque vestigia strictim iniecti, statim potentissimorum Deorum præferebant insignes exsuuias.*

3. PER PROVINCIAS.] Ad Romani Circi similitudinem fuere & Circi in aliis Prouinciis subditis imperio. Circi Constantinopolitani meminere multi, mihi satis Corippus lib. 1. qui de Byzantino,

Et iucunda nouæ Circensia munera Romæ.

Mediolanensis Ausonius in vrbibus vbi,

Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata theatri.

Toleti, vbi ego natus, visuntur hodie non longè à nosodochio Taberano disiecti lapides eo situ & intersitu vt loca Romani Circi agnoscas.

114. 3. FRONDIS.] Intererit hîc scire quid sit propriè frons in re rustica: ac ne bis repetam, vide quæ iam scripsi ad Eclog. 3. Virg. versu illo, *Nunc frondent syluæ.* Vbi scies hac voce notari etiam ramos & caudicem, fruticosãmque congeriem emergentem: vnde in Tertull. *ex sua fronde*, est, ex suo caudice.

4. AMBITIO SIVE FRVGALITAS, &c.] Non dissimilis sententia lib. 1. ad Vxor. c. 6. *Nihil apud eũ* (Diabolũ) *refert alios luxuria, alios cõtinẽtia occidere,*

4. EIVS QVO DEVM OFFENDIT.] Vide vt explicaui. Sed ego legerem, non *quo*, sed *qui*, perspicuo planè & optimo sensu. Lectionem Iunij non probo, qui ita: *Viderit ambitio, siue frugalitas: vsque Deum offendit qualiscumque pompa Circi.*

115. 4. QVÆVIS IDOLOLATRIA SORDIDE INSTRVCTA, &c.] Optimum habet sensum textus Tertullianicus, neque eget lectione hac Latinij, *Quæuis idololatria sordidè instructa vel modicè, locuples & splendida est*, &c. Non hanc damno, sed tantùm dico non esse necessariam. Nam si claritatem velis addere Tertulliano, sæpissime esset interpolandus. Porrò Iuniana lectio ista: *Quæuis idololatrica sordidè instructa, vel modicè, vel locuples, splendida est*, &c. Omnino displicet, & ille tamen (sic sunt humana) verissimam putat.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

De Loco.

TERTVLLIANVS.

116. *De loco.* 1. VT & de locis secundùm propositum exequar, Circus Soli principaliter consecratur: Cuius ædes in medio spatio, & effigies de fastigio ædis emicat, quòd non putauerint sub tecto consecrandum, quem in aperto habent.

EXPLICATIO.

1. CLARA omnia: tantùm explico illud *effigies de fastigio ædis emicat*: dicit, effigiem Solis positam supra fastigium ædis ad eum modum, quo à Gentilibus pyramidulæ, aut galli; à Christianis cruces solēt supra fastigium ædium statui. *Emicat*, in omnem partē radios fundit. Addit deinde rationem cur statueretur supra fastigium, quia Deus, qui *in aperto*, id est, in conspicuo est, non debuit consecrari *sub tecto*.

117. 2. Quod spectaculum primum à Circe Soli patri suo, vt volunt, editum affirmant; ab ea & Circi appellationem argumentantur. Planè venefica eis vtique negotium gessit hoc nomine, quorum erat Sacerdos, Dæmoniis & Angelis scilicet.

2. Duo dicit & spectaculum Circi primò editum à Circe, & ab ea nomen accepisse. *Vt volunt*, scilicet volūt esse filiam Solis. *Negotium gessit*, procurauit rem dęmonum. Annecte ita: *Planè venefica* Circe *hoc* Circensium *nomine*, quod à se communicauit ludis, *negotium gessit eis, scilicet Dæmoniis & Angelis, quorũ erat Sacerdos.*

118. 3. Quot igitur in habitu loci ipsius idololatrias recognoscis? Singula ornamenta Circi, singula templa sunt. Oua honori Castorum adscribunt, qui illos ouo editos credendo, de Cygno Ioue non erubescunt. Delphinos Neptuno vouent. Columnas sessias à sementationibus, messias à messibus, tutelinas, à tutelis fructuum, subsținent. Ante has tres aræ trinis Diis patent, Magnis, potentibus, valentibus: eosdē & Samothracas existimāt. Obeliscus enormitas, vt Hermateles affirmat Soli prostituta: scriptura eius vnde & census de Ægypto superstitio est. Frigebat Dæmonū conciliū sine sua Matre Magna: ea itaque illic præsidet Euripo. Cōsus (vt diximus) apud metas sub terra delitescit. Murtias quoque idolū fecit: Murtiā enim Deam amoris volunt, cui in illa parte ædem vouere.

119. 3. Coniungit hoc tractu præcipua Circi ornamēta, vt ab tot inquinamētis colligat Lector spurcitiā Circi, ac perinde Idololatrias. RES huius tractus notas poscūt, hic tantùm leuiter aliqua perstringēda. *In habitu loci*, id est, in his, quę habentur, quæq; extant in eo loco. *Singula templa* idololatrica. Templū quippe in hoc scriptore semper in malam partē. *Castorum* Pollucis & Castoris. *Adscribunt*, cum stomacho & indignatione, ita scilicet amētes sunt, vt hoc putēt. *Qui illos ouo editos*, &c. Putabātur Castores nati ouo, quod Iupiter sub Cygni forma reliquit in sinu Ledę. *Sustinent*, defendunt tuenturq; Gētiles *columnas sessias* ita dictas à Dea, quæ præest semētibus, *messias* ab ea, quæ præest messibus; tutelinas ab ea quæ præest tutelæ frugū, donec in horreū condantur. *Ante has* scilicet columnas *sessias, messias, tutelinas. Parent*, poëticè dictum, arę enim videntur parere & pręsto esse illis numinibus, quorum sunt. *Enormitas*, grāditas, prolixitas, magnitudo. *Prostituta Soli*, est, prostat in honorem Solis, *Scriptura eius*, &c. Explico ita. *Scriptura* obeliscus *superstitio est de Ægypto, vnde* etiam *census* eius est. Id est: Scriptura, quæ est in obelisco, indicat superstitionem Ægyptiorum, à quibus & *census* est ac recensio tota, primúsque ortus obeliscorum ac pyramidum. *Præsidet Euripo*, nam simulacrum Cybeles erat in eo loco Circi, vbi Euripus & fretum, quasi illi præsideret. *Apud metas*, scilicet primas, vt suprà dixit. *Delitescit*, quod suprà, defossa est ara. *Murtias quoque Idolum fecit: Murtiam enim*, &c. Explica. Idolum quoque fecit metas Murtias, nam *Murtiam volunt* esse *Deam amoris.* q. d. Ne puta metas Murtias carere idololatria, nam idolum à se dedit eis nomen. Vis scire quod hoc idolum? Dea Murtia, quæ credita Dea amoris.

120. 4. Animaduerte Christiane, quot nomina immunda possederint Circum. Aliena est tibi religio, quam tot Diaboli spiritus occupauerunt. De locis quidem locus est retractandi ad præueniendam quorumdam interrogationem.

4. *Animaduerte*, &c. Prima periodus est instar conclusionis, aut epiphonematis. *Aliena est*, &c. Sensus est. *Religio quam tot Diaboli spiritus occupauerunt, aliena est tibi*, vel: *Religio* tua Christiana *aliena est tibi* ab ea religione, *quam tot Diaboli spiritus occupauerunt.* Sed primum credo. *De locis*, &c. Id est. Mihi hic se locus offert tractandi de locis, vt præoccupem præueniámque interrogationem quorumdam. Interrogatio sequitur.

121. 5. Quid enim (inquis) si alio tempore Circum adiero, periclitabor de inquinamento? Nulla est præscriptio de locis. Nam non solùm conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinæ adire seruus Dei potest, vrgente caussa sim-

plice dum taxat, quę non pertineat ad proprium eius loci negotium vel officium. Cæterùm & plateæ, & forum, & balneæ, & ſtabula, & ipſæ domus noſtræ ſine idolis omnino non ſunt, totum ſeculum Satanas & Angeli eius repleuerunt. Non tamen quod in ſeculo ſumus, à Deo excidimus, ſed ſi quid de ſeculi criminibus attigerimus.

5. En interrogatio, quam præuenit. Totus tractus clariſſimus eſt. *Cæterùm & plateæ* &c. q. d. Hoc ſi ita eſſet, nullus eſſet locus, vbi mortales Chriſtiani tutò eſſe poſſent, non adhuc in propriis domibus.

122. 6. Proinde ſi Capitolium, ſi Serapeum ſacrificator & adorator intrauero, à Deo excidam: quemadmodum Circum vel theatrum ſpectator. Loca nos non contaminant per ſe, ſed quæ in locis fiunt, à quibus & ipſa loca contaminari altercati ſumus. De contaminatis contaminamur. Propterea autem commemoramus quibus eiuſmodi loca dicentur, vt eorum demóſtremus eſſe, quæ in his locis fiunt, à quibus ipſa loca dicantur.

6. Reſpondet interrogationi. Et reſponſio ſatis clara. *Altercati ſumus*, diſſeruimus. *Vt eorum demonſtremus*, &c. Perplexè poſita verba ita enodabis. *Vt quæ in his locis fiunt demonſtremus eſſe eorum, quibus ipſa loca dicantur.* Eadem ſunt verba, ſed clariore poſitura, Tertullianus tamen implicat, vt ſolet.

NOTÆ.

123. 1. VT ET DE LOCIS.] Ciaconius vertit oculas, & legit *& vt de locis*, non diſplicet.

1. CIRCVS SOLI PRINCIPALITER CONSECRATVR.] Duplex fuit Circus Romæ, Maximus quem Tarquinius Priſcus inſtituit, vt habes apud Liuium. Alter Flaminius, ita dictus à Flaminio Cenſore, vt habes apud Florum in epitome Liuiana. Tertullianus de Maximo loquitur. Tu vide in hunc locum Pamelium & Iunium. Ait conſecratum Soli, quia equis & equeſtribus exercitamentis Sol præeſſe creditus antiquiſſima ſuperſtitione. Quod loco etiam ſacrarum litterarum Iunius firmat. Et ego ab Corippo qui lib. 1.

Solis honore noui grati ſpectacula Circi
Antiqui ſanxere patres, &c.

Omnia porrò huius tractus verbatim ab Tertulliano Iſidorus lib. 18.

124. 1. CVIVS ÆDES.] Meminit huius Tacit. lib. 15. Annal. ad exitum: *Tum decreta dona, & grates Deis decernuntur, propriúſque honos Soli, cui eſt vetus ædes apud Circum.* Cum aſpectu ad hanc deſcripſit Corippus l. 1. domum Iuſtini principis, vocans illam *domum Solis*.

1. QVOD NON PVTAVERINT SVB TECTO, &c.] Notat ædificia, quæ dicta ſubdialia & hypęthra, de quibus ſępe Vitruuius, & nos in Virg. non ſemel. Sed ne putes tamen ædem fuiſſe ſubdialem, tantùm effigies, quæ ſupra faſtigium, ſubdialis erat, aut ſubdiualis, vt loquitur ſæpe Caſſianus.

2. QVOD SPECTACVLVM, &c.] In vulgatis omnibus legitur. *Quod ſpectaculum primum à Circe habent. Soli patri ſuo*, &c. Iunius adimit verbum *habent*, quod librarij inferciuerunt ex fine pręcedentis periodi, & perpetem facit clauſulam.

2. AB EA ET CIRCI APPELLATIONEM.] Vide Iſidorum l. 18. Etymol. cap. 28. vbi ait *Circum* dictum à Romanis à circuitu equorum, à Græcis autem à Circe Solis filia. Hęc ſententia, integra omiſſa ſunt vt iam præoccupata à Pamelio.

125. 2. PLANE VENEFICA, &c.] Iunius coniungit hunc in modum: *argumentatur planè. Venefica*, &c. quod reſpui, vt non neceſſarium. Reliqua laborabant interpunctione, ita enim erat, *Venefica eis vtique negotium geſſit hoc, nomine quorum*, &c. Scripſi vt vidiſti, quia ita planè melius.

3. RECOGNOSCIT.] Appoſui ἐφώτησε ſecutus Latiniũ: qua carent omnes codices. Cæterùm verbum fori *recognoſco* hîc aptè inſertum. nam in re ſatis criminoſa.

3. SINGVLA TEMPLA SVNT.] Templum olim accipiebatur, non eo ſignificato, quo nunc. Nam omnem locum, tractum, habitaculum Deorum, *templum* dicebant. Hinc eſt, vt ſepulcra Manium dicerentur quoque templa, ac perinde omnis ara Circi, obeliſcus, columnæ, vt cætera eius loci ornamenta dici queunt à Tertulliano *templa*. Vt hoc planè capias, lege quę ſcripſi in lib. 4. Æneid. ad verba illa:

Præterea fuit in tectis de marmore templum.

126. 3. OVA HONORI CASTORVM ADSCRIBVNT.] Locus Varronis l. 1. Rei Ruſt. c. 2. conducit ad rem Tertulliani. Ait ille: *Nam nõ modò ouum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus nouiſſimi curriculi finem facit quadrigis, ſed ne illud quidem ouum vidimus, quod in Cereali pompa ſolet eſſe primum.* Vbi non ſolùm oui meminit, ſed ait eo terminari curricula. Qui plura velit de ouis Circenſibus legat Dempſterum in Paralip. Alciatum l. 4. Parerg. c. vlt. Vbi ex Liuio, Dione, & Caſſiodoro. Sed quæ hæc Circi oua? Dio lib. 49. ad exitum ait fuiſſe ὠοειδῆ ἀναθήματα, id eſt, *Ouales fabricas*. Finẽ huius ſtructuræ aperit idem Dio: loquens enim de Agrippa: *In Circo cùm videret errare homines propter multitudinem metarum, Delphinas & ouata opera poſuit, quibus curſuum circuitiones & conuerſiones oſtenderentur.* Et hoc eſt, quod Caſſiod. dixit. lib. 3. epiſt. 51. *Metarum circuitus ouorum erectionibus exprimi.* Hæc oua nominari *phalas*, aut *falas* à Iuuenale Satyr. 6. multi aſſerunt.

3. QVI ILLOS OVO EDITOS CREDENDO, &c.] Senſus viſus eſt Iunio non conſtare, & ideo mauult legere *credere* pro *credendo*. Sed nihil eſt neceſſe: medeberis ſententiæ tantùm interpunctione, quæ faciat membrum duplex, ideo ſcripſi, *Qui illos ouo editos credendo, de Cygno*, &c. non continuata ſententia, *credendo de Cygno*, &c.

127. 3. DELPHINOS NEPTVNO VOVENT.] Scilicet *Equeſtri Neptuno*, de quo ſuprà. Coniũgit Delphinos cum ouis, vt & etiã Dio. Fuiſſe autẽ Delphinos in Circo columnas ſatis liquidũ ex verſu Iuuen. Sat. 6.

Conſulit ante Phalas Delphinorumque columnas.

Imò credibile eſt in ea columna depictum Neptunum cum Delphinibus ad pedes, ſcribente ita Hygino: *Qui Neptuno ſimulacrum faciunt, delphinum aut in manu, aut ſub pede eius conſtituere videmus, quem Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur.* Neſcio autem quare Turnebus l. 20. c. 36. ſcripſerit *Delphines Neptuno vomunt.* Significauit fortaſſe, hos piſces aquam vomere in honorem Neptuni, quod quamdiu non conſtet, minimè aſſentiendum.

128. 3. COLVMNAS SESSIAS, MESSIAS, TVTELINAS.] Ita dictæ hæ tres columnæ à tribus numinibus Seſſia, Meſſia, Tutelina, quæ ſuper ſtabant. Plinius l. 18. c. 1. ita ſcribit: *Seiam à ſerẽdo, Segeſtam à ſegetibus appellabant: quarum ſimulacra in Circo videmus. Tertiã ex his nominare ſub tecto religio eſt.* Macrob.

lib. 1. Satur. cap. 16. *Apud veteres qui nominasset Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutelianam, ferias obseruabat.* Legatur & Auguſt. lib. 4. de Ciuit. cap. 8. ille nominat *Seiam, Segetiam, Tutelinam.* Itaque *Seia* Plinij, Macrobij, Auguſtini, eadem cum *Seſſia* Tertulliani, aut *Seſia*, vt alij volunt, aut *Seria*, vt ab aliis dici teſtificatur Iunius, & Turnebus etiam ex Codice manuſcripto Plinij. Dicta eſt *Seia*, nam olim *Seio*, quod poſtea per epentheſim, *Serio*. Pergo. *Segeſta* Plinij, *Segetia* Macrobij, atque Auguſtini eadem eſt cum *Meſſia* Tertulliani: illi ab ſegetibus ducunt, iſte ab meſſibus. Huic voci vicina alia: *miſſuas* enim *ferias* nominat Concilium ſeptimum Toletanum cap. 6. Demum illa quæ Plinio non nominatur ex religione, & quæ Macrobio dicitur *Tuteliana*, & Auguſtino *Tutilina*, eadem eſt cum Tertulliani *Tutelina*. Huic adiunctus Deus alius, qui dictus *Tutanus* Varroni, & *Tutunus* Arnobio lib. 4.

129. 3. MAGNIS, POTENTIBVS, VALENTIBVS.] Sunt hi, qui Græcis dicuntur μεγάλοι, δυνατοὶ, ἰσχυροί. Deſidet Macrobius nominans lib. 3. Satyr. c. 4. Θεοὶς μεγάλοις, χρηστοὶς, δυνατοῖς: *Magnos, Bonos, Potentes.* Cùm autem addat Tertullianus eſſe hos, quos dicunt *Samothracas*, coniici poteſt, Deos iſtos Samothracas cultos in aris illis, non ſcilicet ſingulos ſingulis, ſed omnes ſingulis ita vt in ſingulis aris eſſent tum illorum ſimulacra, tum hic titulus, *Diis Magnis, Potentibus, Valentibus.* Olim religio omnis putatur deriuata à Thracibus. Nazianzenus (omitto profanos) contra Iulianum: *Atque vt aliis prætermiſſis ad ipſum vecordiæ tuæ ſeu potiùs impietatis caput aſcendam, hoc ipſum initiari atque initiare, ac Deos colere, vnde ad te promanauit? nonne à Thracibus, vt ipſum quoque nomen indicat?* Ducit videlicet verbum θρησκεύειν παρὰ τῶν Θρᾳκῶν. Porrò vaſtata Samo quæ impensè Iunonem colebat & omnem religionem, ab Epheſiis (vt narrat Pauſan. in Achaicis.) factum vt eius incolæ profugerent in inſulam quamdam Thraciæ, quæ olim dicta Dardania, & mox à Thracibus & Samiis Samos Thracia, aut Samos Threicia, aut coniunctim, Samothracia. Cùm itaque coaluiſſet in vnum locum gens vtraque, religioni & rebus diuinis deditiſſima, factum vt inde putarentur nata religionis magnæ initia, & Dij in ea inſula culti dicerentur eſſe Magni, Potentes, Valentes. Qui fuerint hi, in occulto eſt, neque lux vlla ab antiquis, tantùm verba Varronis hæc lib. 4. de Ling. Latina aliquid indicant: *Terra enim & cœlum, vt Samothracum initia docent, ſunt Dei Magni, & hi, quos dixi, multis nominibus. Nam neque quas Samothracia ante portas ſtatuit duas viriles ſpecies aheneas, Dei Magni: neque vt vulgus putat, hi Samothraces Dij, qui Caſtor & Pollux: ſed hi mas & femina; & hi, quos augurum libri ſcriptos habent ſic,* DIVI POTES, *& ſunt pro illis, qui in Samothrace* Θεοὶ δυνατοί. Hactenus Varro. Hæc eſt notitia, quam potui perſpicuam legentibus dare. Porro Iunio, contra notitiam quam habeo ex antiquitate, nondum aſſenſi, ſi quis amet quæ ille docet de origine Samothracum, in prompto habet illum.

130. 3. OBELISCI ENORMITAS, &c.] Tria dicuntur de obeliſco, magnitudo, quæ enormis: dicatio, quæ Soli: Scriptura, quę ſuperſtitioſa & ex Ægypto. Illuſtro breuiter ſingula. De magnitudine audi Plinium l. 36. c. 9. *Is obeliſcus, quẽ D. Auguſtus in Circo Magno ſtatuit, exciſus eſt à Rege Semneſerteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit: centum viginti quinque pedum & dodrãtis, præter baſim eiuſdem lapidis: Is verò qui eſt in cãpo Martio, nouem pedibus minor, à Seſoſtride.* Et Caſſiodorũ l. 3. epiſt. 51. *Obeliſcorum quoque prolixitates ad cœli altitudinem ſubleuantur.* Ammianus l. 17. notãs magnitudinẽ dat illi *molem*, & *proceritatem excelſam.* Alterum de Sole, cui dicatur, de obeliſco vtroque Caſſiodorus: *Sed potior Soli, inferior Lunæ dicatus eſt.* Ammianus: *Deo Soli ſpeciali munere dicatus.* Huc pertinet, quod idẽ ſcribit: *Vtque radium imitetur, gracileſcens pauliſper, ſpecie quadrata in verticem producitur.* Itaque figura ipſa tota ad ſpeciem radiorũ Solis. Vltimum, de ſcripturis, attingit Plin. *Inſcripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorũ philoſophia continent.* Caſſiodorus: *Vbi ſacra priſcorũ Chaldaicis ſignis, quaſi litteris indicantur.* Ammianus quoque dat obeliſco *innumeras notas Hieroglyphicas inciſas.* Sed quæ ſint iſtæ notæ aut ſcripturę, explicat latè idem Ammianus, nam ſcilicet in obelis erant inciſę formæ volucrum aut ferarum aliarúmve rerum, quibus Ægyptij Theologiam ſuam includebant, vtentes illis formis ad ſignificanda quæ vellent.

3. HERMATELES.] Alij *Termateles.* Quid ſi *Hermapion*? nam Ammianus loco laudato interpretationem, quæ erat Hieroglyphicorum in obeliſco, ex Hermapione adducit. 131.

3. PRÆSIDET EVRIPO.] *Euripus*, id eſt, fretum aut ſtagnum, in Circo fuit. Caſſiod. l. 3. epiſt. 51. in deſcriptione Circi: *Euripus maris vitrei reddit imaginẽ, vnde illuc Delphini æquoris aquas interfluunt.* Auſonius:

Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi feruere freto?

Heſychius explicat εὐρίπους δοχὰς ὑδάτων, *aquarum receptacula.* Spartianus in Heliogab. *Euripis vino plenis naualem Circenſes exhibuit.* Suetonius in Iulio c. 39. *Circenſibus, ſpatio Circi ab vtraque parte producto, & in pyrum Euripo addito, quadrigas bigáſque & equos deſultoriosagitauerunt nobiliſſimi iuuenes.* Inde verſus illos Manilij lib. 4.

Littoribuſque nouis per luxum ludere ponto,
Et varios fabricare lacus, & flumina ficta,

Interpretatur Ioſ. Scaliger de Euripo Circenſi, quem Poëta vocauit *noua littora*, & *ficta flumina.* Vide quæ ſcribebam lib. 3. Georg. ad verſum illum,

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

3. CENSVS.] Dixi ſuprà ad caput quintum.

3. MVRTIAS QVOQVE IDOLVM FECIT.] Latinius legit *Murtia quoque*, &c. Ioſ. Scaliger coniungit cum præcedẽtibus, & in Notis ad Feſtum ita legit. *Conſus apud metas ſub terra deliteſcit Murtias. Has quoque idolum fecit.* Quia ſcilicet metæ illæ, quas cap. 5. Tertullianus vocauit *primas*, ſũt metę Murtię. Aſtruit ex Apul. qui l. 6. *Si quis à fuga retrahere, vel occultã demonſtrare poterit fugitiuam Regis filiam, Veneris ancillam, nomine Pſychen, conueniat retro metas Murtias Mercurium prædicatorem.* & ex Varrone, qui: *Intimus Circus ad Murtiam vocatus.* Certè Latinij lectio, non eſt cur ametur; Scaligeri, defendi poteſt; quam ego ſequor, & ea eſt vulgaris, defendi debet. Ita enim notiſſimæ in Circo metæ Murtiæ, & quia primæ, & quia ibi latebat ara Conſi, & quia illis præſidet Venus Murtia: demum quia inde magiſtratus (vide Scalig. ad Feſt. voce *Sellæ*) deſpiciebant ſpectacula, vt καθ' ὑψηλοῦ, mererentur dici *Murtiæ* ſine aliquo adiecto, & ideo rectiſſimè *Murtias quoque idolum fecit.* Scio pleroſque legere *Murciam* indubitanter, quorum vnus eſt Bulengerus de Circo Romano cap. 2. 132.

3. MVRTIAM DEAM AMORIS.] Inſigniter deceptus Turnebus l. 22. Aduerſ. c. 17. qui legit, *Murtiam enim Deam marmoris.* Quod cùm inſolens illi videretur, corrigit *Deam marcoris*, aitque ſpectatum ad Deam ſegnium Murtiam, cuius meminit Arnobius. Verè legendum *amoris.* & res illuſtranda à Plinio lib. 15. cap. 29. vbi de Venere Myrtea, aut Murtia.

4. QVOT NOMINA IMMVNDA.] Reſcribunt *numina*, & poſſunt, ſed *nomina* Tertullianicum omnino eſt. Accedit auctoritas Iſidori ita ſcribentis: *Vnde animaduertere debes Chriſtiane, quot Circum nomina immunda poſſideant.* 133.

4. ALIENA EST, &c.] Tranſcripſit Iſidorus.

5. TEMPLA

5. TEMPLA IPSA, &c.] Martinus tamen in hac re ita cautus fuit, vt etiam extra negotium religionis nollet ingredi non solùm templa gentilium, sed nec domum gentilis cuiusdam. Paulinus lib. 2. in cuius vita,

Sed renuit sanctus limen calcare profani,
Nec vult idolicis iustus succedere tignis.

134. 5. CÆTERVM ET PLATEÆ, &c.] Res quinque nominat, *plateas, forum, balneas, stabula, domus.* Omnia illustrat Heral. lib. 1. Digress. cap. 14. cui debes hanc Notam. De *plateis* (sunt istæ propriè viæ vrbis latæ, & compita, & spatiosa omnia loca) Lucianus in Prometh. μεστὴ δὲ Διὸς πᾶσα μὲ ἀγυιαί: *plena Iouis omnia compita.* Ambros. epist. 31. *Plateæ occupatæ simulacris.* De foro Xenoph. lib. 4. Græc. Hist. πρὸς τὰ ἀγάλματα τῶν ἐν ἀγορᾷ Θεῶν, subaudi, ἔφευγον: *confugiunt ad simulacra Deorum qui in foro.* Æschyl. septem ad Theb. Θεοῖς ἀγορᾶς ἐπισκόποις, & *Dijs fori præsidibus.* Plautus Bacchid.

Deos atque amicos & salutatum in forum.

Prudentius in agone Romani,

Stat inter aras & Deorum imagines,
Et, quod fateri cogor, in medio foro

De balneis Ambros. vbi suprà: *Non illis satis sunt lauacra, non porticus, non plateæ occupatæ simulacris.* De stabulis certum est, nam in illis erat Dea Hippona. Apul. lib. 3. *Respicio pilæ mediæ quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso fere meditullio Hipponæ Deæ simulacrum residens ædiculæ, quod accuratè corollis roseis, equidem recentibus, fuerat ornatum.* De domibus tacet Heraldus, & meritò, neque enim est necesse in tanta turba Larium, Penatium, Limentinorum, Atriensium, & Cubicularium Deorum.

6. SERAPEVM.] Serapei, id est, magnificentissimæ ædis. *Serapis* meminit quoque Tertullian. Apolog. 18. Videibi.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

De Artibus.

TERTVLLIANVS.

135. *De arte Circi.* 1. NVNC de artificio, quo Circenses exhibentur. Res equestris retro simplex, de dorso agebatur, & vbique communis vsus reus non erat. Sed cùm ad ludos coactus est, transiit à Dei munere ad dæmoniorum officia. Itaque Castori & Polluci deputatur hæc species; quibus equos à Mercurio distributos Stesichorus docet. Sed & Neptunus Equestris est, quem Græci ἵππιον appellant.

EXPLICATIO.

1. *Retro*, priùs, olim. *De dorso agebatur.* Nam dorso equorum sedebant equites ad militares exercitationes, non vehebantur bigis, aut quadrigis. Et ideo res olim equestris *simplex* erat, quia res fiebat equo simplice; singuli quippe sessores singulis equis insidebant. *Coactus*, præclarè. Erat enim priùs equorum vsus liber ab reatu Idololatriæ; sed cùm transiit *ad ludos* Deorum, iam tum *coactus* in angustias est. *Itaque Castori*, &c. Ait, speciem ludi, qui fieret equis singulis in illorum dorso, deputari mancipariique tum Castori & Polluci, tum Neptuno, qui dictus Græcis ἵππιος, id est, equestris.

136. 2. De iugo verò quadrigas Soli, bigas Lunæ sanxerunt. Sed & primus Erichthonius,

--- currus & quattuor ausus
Iungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

Erichthonius Mineruæ & Vulcani filius, & quidem de caduca in terram libidine, portentum est dæmonicum, imò diabolus ipse, non coluber. Si verò Trochilus Argiuus auctor est currus, primò Iunoni id opus suum dedicauit. Si Romæ Romulus quadrigam primus ostendit, puto & ipse inter idola conscriptus, si idem est Quirinus.

137. 2. Si verò sermo sit de ludo in equis iunctis iugo ad currum, ille quoque idololatricus est. Nam quadrigæ in spectaculis institutæ sunt in honorem Solis, bigæ in honorem Lunæ. *Sed & primus*, &c. Adducit artis huius tres inuentores, Erichthonium, Trochilum, Romulum, & ex omnibus efficit artem curulem totam esse Idololatricam. Nam Erichthonius filius fuit Mineruæ & Vulcani, Trochilus currum Iunoni dedicauit, Romulus è numero est idolorum: ars ergo curulis tota est inquinata. Peculiaria in Notis. Postrema, quæ implicata, ita capiat Nouitius: *Si Romulus quadrigam primus ostendit, puto* (ironicè) *& ipse constrictus* est *inter idola, si idem est*, vt verè est, *Quirinus.* q. d. Non dubium quin sit vnum ex idolis cùm sit ipsissimus Quirinus. Nam scilicet Romulus sub Quirini nomine relatus est inter Deos.

138. 3. Talibus auctoribus quadrigæ productæ meritò & aurigas coloribus Idololatriæ vestierunt. Ab initio duo soli fuerunt, albus & russeus. Albus, Hyemi ob niues candidas; russeus, æstati, ob Solis ruborem, voti erant. Sed postea tam voluptate quàm superstitione prouecta, russeum alij Marti, alij album Zephyris consecrauerunt: prasinum verò Terræ matri vel Verno: venetum cœlo & mari, vel autumno. Cùm autem omnis species idololatriæ damnata sit à Deo, vtique etiam illa damnatur, quæ elementis mundialibus profanatur.

139. 3. *Talibus auctoribus*, à talibus. *Meritò* est hîc consequenter. q. d. Consequens fuit vt cùm instituti fuerint currus ex mera Idololatria, aurigæ curruum vestirentur coloribus quoque idololatricis. Sermo totus est poëticus, vt sæpè in hoc scriptore. Cùm enim audis *quadrigæ aurigas vestierunt coloribus*, puta te poëtam loquentem audire. Ad explicationem subaudi *auctores*, vt dicat, auctores qui quadrigas produxêre, etiam vestierunt aurigas coloribus idololatricis. *Ab initio duo*, &c. dicit ab initio duos tantùm colores fuisse in Circensibus, posteà quatuor. Clara omnia. *Elementis mundialibus.* Ita vocat partes mundanæ fabricæ videlicet cœlum, terram, mare, Hyemem, Æstatem, Ver, Autumnum, Ventos etiam: hæc enim omnia sunt mundi huius visibilis elementa.

NOTÆ.

140. 1. RETRO.] Idem quod *antea*, tum ex infinitis locis Tertull. tum quia Isid. hæc transcribens, dixit: *Res equestris antea simplex agebatur.*

1. DE DORSO AGEBATVR.] Indicat *singulatores*, Græci dicunt μονοζάτους, quos opponunt, ἀμφίππους, aut ζευξίππους.

1. ET VTIQVE COMMVNIS VSVS, &c.] Isid. pene verbatim: *Et vtique communis vsus reatus non erat.* (Noster ποινικοτέρως, reus non erat) *sed cùm ad ludos coactus est naturalis vsus, ad dæmoniorum cultum translatus est.*

1. CASTORI ET POLLVCI.] Hi duo fratres inclyti fuerunt equis, & inde existimatur illis dicata esse species omnis singulatorum equorum. Ne verò repetã quæ iam scripsi, lege mel. 3. de Georg. ad illud,

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis,

Vbi etiam inuenies, quę hîc de Stesichoro scribuntur.

141. 1. NEPTVNVS EQVESTRIS.] Scilicet quia equi inuentor, de quo iam in Georg. Virgil. ideo ergo præses Circi, vt suprà. Et Saluian. lib. 6. *Colitur namque & honoratur Minerua in gymnasiis, Venus in Theatris, Neptunus in Circis.*

2. DE IVGO.] Vt suprà, *de dorso* ad notandos equos singulatores, ita hîc quæsita appositione *de iugo* ad notandos currus. Velim scias, currus origine sua instrumentum esse seruile, & à seruis & re rustica transisse ad ludos: quod est apud Lysiam orat. 3. ἡ τὸ μὲ ζεῦγος, ἡ τὰ αὐλαίοποδα, &c. *currus* (inquit) *& rustica instrumenta.*

2. QVADRIGAS SOLI, BIGAS LVNÆ.] Manil.

Quadriiugis it Phœbus equis, & Delia bigis.

Isidor. *Quadrigas Soli, bigas Lunæ.*

2. PRIMVS ERITHCHONIVS, &c.] Versus Virgiliani lib. 3. Georg. quos plenè illustraui, transfer huc quæ ibi dedi ex Æliano, Pindari interprete, Plinio, aliis. Nam Meursius, qui parte 2. Exercit. Criticar. cap. 27. voluit scribi *vector*, non *victor*, referens ad epibatem, planè deficit, cùm ibi de victoria equorum sermo sit.

142. 2. DE CADVCA IN TERRAM LIBIDINE.] Ita vocat genitale semen Vulcani, quod in terram cecidit, non in vas Mineruæ naturale. Repulit scilicet à se Minerua Vulcanum furentem Veneris pruritu. Ergo ex illo semine in terram delapso natus Erichthonius, cui pedes anguinei: inde inuentor currus, ad tegendam pedum fœditatem. Ideo postea, portentum dæmonicum, & non tam coluber, quàm verè ipse diabolus, quia videlicet forma colubri semper diabolus depingitur, ex quo latens in hac figura parentes primos decepit. Cæterum qua forma *caduca libido*, eâ Horat. Od. 13. lib. 2. *caducum lignum.* Et Frontinus lib. 2. de aquæ ductibus, *aquæ caducæ.* Videatur Lactantius lib. 1. institut. cap. 17. Hieronym. quoque li. 1. aduersus Iouinian. ait Erichthonium generatum *de æstu libidinis.*

143. 2. PORTENTVM EST DÆMONICVM.] Aliqui legunt, *dæmoniacum.* Ad rem nihil. Iunius adimit verbum *est*, nam hæc omnia, continente sententia legenda sunt à versibus Virgilianis.

2. TROCHILVS ARGIVVS.] Ita dictus ab suo inuento, nam τροχὸς, rota est. Nomen huius Trochili corruptissimè antea legebatur. Vide hîc interpretes, & me lib. 3. Georg. ad illud,

--- primus Erichthonius currus, &c.

vbi rem eandem attigi.

2. PRIMO IVNONI.] Legebatur olim *primæ Iunoni*, corrigit verò ex ms. Vvouer. *patriæ Iunoni.* Isidorus lapsus memoria est cap. 34. lib. 18. nam arripiens hæc verba Tertulliani; attribuit illa non Trochilo, sed Erichthonio. Porro quia inuentio currus dicata primùm est huic Deæ, factum vt Iuno describatur Poëtis tractandi currus perstudiosa: de qua re vide me lib. 1. Æn. ad versum illum,

Hic currus fuit, hoc regnum Dea gentibus esse.

2. SI IDEM EST QVIRINVS.] In codicibus Pamelij & aliis ita legitur, & satis aptè, neque est cur mutetur ab Iunio ita legente *conscriptus sit, inde est Quirinus.* Indicat verò Tertullianus nouam originem nominis huius *Quirinus*, quo nomine affectus Romulus. Dicunt scilicet *Quirinum* dici ab hasta, quæ Sabinis dicta *curis*, aut *quiris*: etymologias alias adducit Ouid. in Fastis, lege ab eo versu,

Siue quòd hasta Curis priscis est dicta Sabinis.

Sed Tertull. hoc loco aliter & diuersè videtur ab omnibus ἐτυμολογεῖν. q. d. Quia primus Romulus quadrigam ostendit, dictus est Quirinus, videlicet tanquam Curinus, à curru, aut Curinus. Verum est hanc etymologiam indicari potiùs lectione Iuniana, quàm vulgari. 144.

3. AVRIGAS COLORIBVS IDOLOLATRIÆ VESTIERVNT.] In codicibus hactenus vulgatis legitur, *aurigis coloribus idololatriam vestierunt.* Sudant verò interpretes in declaranda locutione, nam insolenter admodum *colores* dicuntur *aurigæ.* Ego secutus sum iudicium Vvouer. qui monet restituendam veterem scripturam, quæ habebat *aurigas coloribus idololatriæ vestierunt.* Qua lectione nihil clarius, & proximè ad hanc lectionem accedit lectio ista Isidori: *Aurigæ autem duobus coloribus sunt, qui speciem idololatriæ vestiunt.* 145.

3. AB INITIO DVO SOLI FVERVNT.] Id est, duo soli colores. Firmo ab Theodorit. lib. 2. Hist. Eccles. cap. 17. διχῆ διαιρεῖσθαι τὸν θεατὴν ἀπὸ τῶν χροιῶν ταῖς ἐπωνυμίαις ἐχόντων. Ait scilicet *bifariam diuisos fuisse spectatores, quibus nomen impositum ex colorum varietate.* Duo ergo tantùm colores, in quos diuisa fauentia spectatorum. Sed Vvouer. monet veterem Scripturam fuisse, *ab initio equi duo soli fuerunt, albus, & russeus.* Quæ lectio si vera est, totus hic tractus capiendus est de equis vestitis albo, russeo, prasino, veneto. Iuuant lectionẽ Vvouerenij verba Isidori lib. 18. cap. 41. hæc: *Circa cuuffas quoque elementorum iidem gentiles etiam colores equorum iunxerunt: roseos soli, id est, igni: albos aëri: prasinos terræ: venetos mari assimilantes.* Si lectionem hanc sequeris (in quam certè doctus quisque poterit inclinare) explicabis vocem superiorem *aurigas*, id est, equos aurigantes, aut 146.

equos aurigarios coloribus idololatriæ, & *vestierunt* quidem, quia ornatus equorum erat aut albus, aut russeus, aut prasinus, aut venetus; inclinabis etiam in hanc sententiam à Plinio qui lib. 8. cap. 42. signatè ait *albati equi*. Satis enim indicat equos ipsos vestitos coloribus. Sed & locutio ista *equi aurigæ* defendi potest verbis Festi istis: *Aureas dicebant frenum, quod ad aures equorum religabatur: orias, quo ora coercebantur.* Ergo *equi aurigæ* aut origæ, erunt equi acti aureis, aut oriis. Et firmatur, nam idem Festus, *Aureax solitarius*. Et glossæ Isidori *aureax, equus solitarius*. Vocant equum *solitarium*, quem vulgus *singulatorem*, aut *singularem*, & Græci κέλητα, *celetem*. Iisdem omnino tuetur Iunius lectionem vulgarem de *coloribus aurigis*. Sed certè ista coloribus inuitè aptantur, quod fit à Iunio; equis, quod à me fit, conuenientissimè.

147. 3. ALBVS ET RVSSEVS, &c.] Colorum quatuor Circi magna est mentio in auctoribus. Adducam aliquos huc parti illustrandæ. Isidori verba iam audisti. Sed adiicit idem, Equos Circi *roseos* dicatos Æstati, quòd ignei coloris sint, & cuncta tunc flauescant; item Marti, quòd ab eo Romanorum origo, & quia hic Deus gaudet sanguine: *albos* Hyemi, quòd hæc sit glacialis, & omnia tunc frigoribus canescant; item Zephyris, & serenis tempestatibus: *prasinos*, Vêri, propter colorem viridem: *venetos*, aquis, vel æri, quia cæruleo sunt colore. Chronicon Alexandrinum: ἐπέθηκεν ὁ Ῥῶμος τοῖς αὐτοῖς τέτρασι στοιχείοις τὰ ὀνόματα τοῦτα. τῇ γῇ τὸ πρέσινον μέρος, ὅ ἐστιν τὸ χλοῶδες· τῇ δὲ θαλάσσῃ, τουτέστι τοῖς ὕδασι, τὸ βένετον μέρος, ὡς κυανόν. τῷ πυρὶ τὸ ῥουσσοῦν μέρος πυρῶδες· καὶ τῷ ἀέρι τὸ λευκόν. κἀκεῖθεν ἐπενοήθη τέσσερα μέρη ἐν Ῥώμῃ: *Indidit quoque Romulus his quatuor elementis hæc nomina; à terra prasinam factionem appellauit, viridem nempe colorem; maris, venetam, ab aquis nempe cæruleam; ignis russatam, quòd purpura ignis colorem exprimat, aëris, albatam. Et inde quatuor in vrbe factiones extiterunt.* Pergit multis. Cassiodorus lib. 3. epist. 51. *Colores autem in vicem temporum quadrifaria diuisione funduntur. Prasinus virenti verno, Venetus nubilo autumno, russeus æstati flammeæ, albus pruinosæ hyemi dicatus est.* Ita legenda verba Cassiodori, quæ vulgò transposita. Colores omnes vnico versiculo includit Sidonius carm. 23.

Albus, vel venetus, virens, rubensque.

Corippum non adduco, ad exitum lib. 1. vt longissimum, lege ab eo versu,

Tempora continui signantes quattuor anni.

De his coloribus videatur & Lampridius in Heliogabalo, & Simocatta lib. 8. Historiæ cap. 7. & Dempsterus in Paralip. ad lib. 5. Rosini, vbi adducit multa, & multa item Bulengerus lib. de Circo Romano cap. 48.

3. RVSSEVS ÆSTATI.] Seu *russeus* seu *roseus* legas, idem est color. Nam russatus instar est rosei. Inde quod Tertull. *russeus æstati*, Isidor. *roseos æstati*, arripiens sententiam, non verba. Et ne quis putet corrigendum Isidorum à Tertulliano, ecce Corippus de re eadem loquens, 148.

Æstatis roseus rubra sic veste refulgens.

3. PRASINVM VERO TERRÆ MATRI VEL VERNO.] Latinius reponit *vêri*. Sed primum illum Tertullianicũ puto, tum ex verbis adductis Cassiodori, tum quia ipse lib. de Resurr. carnis cap. 12. *Et hyemes, & æstates, & verna, & autumna.* Etenim scriptores sacri dicunt *vernum* & *vernale*. Postremum hoc inuenies in cap. 3. Concilij 4. Tolet. Beda lib. de Remedio peccatorum cap. 14. *In hyeme, in autumno, & verno*. Et cap. 15. *In æstate, in hyeme, & in verno, vel autumno*. Corippus etiam lib. 3. Vernum simpliciter dixit pro vêre,

Expellens placido brumalia frigora verno.

3. ELEMENTIS MVNDIALIBVS PROFANATVR.] Scribit quidam *mundalibus*, quia magis analogum cum *mundanis*: qua forma vsus Tullius. Sed lectionem vulgarem defendunt verba hæc Isidori cap 41. lib. 18. loquentis de coloribus Circi: *Deorum cultibus atque elementis mundialibus profanantur.*

CAP. X. ARGVMENTVM.

De Theatro.

TERTVLLIANVS.

149. .1 TRANSEAMVS ad Scenicas res, quarum & originem communem, & titulos pares secundùm ipsam ab initio ludorum appellationem & administrationem coniunctam cum re equestri iam ostendimus.

De Theatro & artibus Scenicis.

EXPLICATIO.

1. TRansit à Circo ad Theatrum, & cùm animus sit indicare huius inquinamenta ab illis rebus quinque, quas posuit ad finem capitis quarti, scilicet ab origine, titulis, apparatibus, loco, artibus; dicit nunc de origine & titulis Theatralis ludi nihil sibi dicendum, quia tam originem, quàm titulos eius coniunxit cum origine & titulis ludorum Circensium, paréque esse ostendit, videlicet capitibus quinto & sexto.

150. 2. Apparatus etiam ex ea parte consortes, quæ ad Scenam spectat: nam à templis & aris, & illa infelicitate thuris & sanguinis inter tibias & tubas itur, duobus inquinatissimis arbitris funerum & sacrorum designatore & haruspice.

2. Referendum hoc ad initium capitis septimi, vbi dixit & Scenam & Circum communes apparatus habere, sed quia ibi rem de apparatibus tantùm Theatri libauit, hîc iam pleniùs. Ergo ait, *Ex parte ea quæ spectat ad Scenam apparatus* Circenses *consortes* consimilésque sunt. Id est: si spectes apparatus Scenæ consortes sunt illis apparatibus Circi. Probat: nam ad vtrumque ludum itur à templis fumigatis infelici thure, ab aris perfusis infelici sanguine: itur verò *inter tibias* ad Scenam, *inter tubas* ad Circum: præterea *arbitri* (id est moderatores, gubernatores, ordinatores, distributores) vtriusque ludi Scenici & Circensis sunt *designator*, & *haruspex*, quæ duo officia inquinatissima sunt. Nam scilicet designator & haruspex ini-

tium habent ab Idololatria. Addit *funerum & sacrorum*, id est, ludorum qui fierent funerum aut Deorum caussa. Nam suprà capite 6. *A primordio bifariam ludi censebantur sacri & funebres; id est, Diis nationum & mortuis.*

151. 3. Ita cùm de originibus ludorum ad Circenses transiimus, inde nunc ad Scenicos dirigimus ludos, à loci vitio.

3. Hoc quoque referendum ad initium capitis septimi. Memineris Lector ibi dictum, *sed Circensium paulò pompatior suggestus*, &c. à quibus verbis omisit Scenam, & contulit se ad Circum, cùm vsque ad illa verba coniunctim de vtroque ludo locutus fuerit. Ergo ait nunc: sicut cùm de communibus originibus ludorum, titulis, & apparatibus vtriusque ludi agebam, transiui contulique me ad Circenses omisso Theatro, ita nunc versa vice *inde*, id est, à Circensibus omissis dirigo sermonem *ad ludos Scenicos, à loci vitio.* Id est, incipiens à loci vitio. q.d. Superioribus capitibus coniunxi origines, titulos & apparatus tam Scenæ quàm Circi. De loco Scenæ ibi nihil, inde nunc de illo.

152. 4. Theatrum propriè Veneris sacrarium est, hoc denique modo id genus operis in seculo euasit. Nam sæpè censores renascentia cùm maximè Theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebant, vt iam hîc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, & nobis in exaggerationem disciplinæ etiam humanæ prærogatiua. Itaque Pompeius Magnus solo Theatro suo minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem, edicto populum vocans, non Theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum: ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexuit, & disciplinam superstitione delusit.

153. 4. *Theatrum propriè sacrarium Veneris est.* Vide an locus Scenarum inquinatus sit idololatriæ macula: nam hic locus Theatrum est, quod est *sacrarium* ædésque *Veneris. Hoc denique modo*, &c. Sensus est: *Id genus operis*, id est, Theatrum, *hoc modo*, id est, prætextu religionis Veneris, *euasit in seculo*, id est, effugit damnationem, qua ludi Scenici ab ethnicis etiam vt exitiosi damnabantur. Est *denique* idem quod, itaque, *Nam sæpe censores*, &c. Explicat iam modum illum, quo ludi Scenici euaserunt humanam legum damnationem, scilicet Pompeij Magni astu. Omnia clara sunt. *Cùm maximè*, id est, quàm maximè. *Sententia ipsorum*, quæ sit veluti præiudiciũ contra illos. *Exaggerationem*, Pamelius explicat testimonium. *Arcem omnium turpitudinum*, Theatrum. *Prærogatiua*, quia veluti præiudicio quodam humana disciplina anteuerterat diuinam, prædamnans illa multo antè, quod ista veniente æuo damnatura esset. *Censoriam animaduersionem*, id est, censoriam notam. *Nuncupauit*, vox sollemnis ad hanc rem.

154. 5. Sed Veneri & Libero conuenit. Duo ista dæmonia conspirata & coniurata inter se sunt Ebrietatis & Libidinis. Itaque Theatrum Veneris, Liberi quoque domus est. Nam & alios ludos Scenicos Liberalia propriè vocabant, præterquam Libero deuotos (quod sunt Dionysia penes Græcos) etiam à Libero institutos.

155. 5. Adduxit primam maculam loci Scenici, quod sit sacer *Veneri*: adducit iam alteram, quòd etiam sacer sit *Libero*, id est, Baccho. Probat dupliciter. Primò à consortio, quod est inter hæc duo dæmonia, ex quo consortio fit, vt quod vni est sacrum, sit proinde alteri. Et inde *Theatrum Veneris*, sit etiam *domus Liberi.* Deinde ab ludis quibusdam, quia cùm essent Scenici, tamen dicti sunt Liberales, quia & à Libero instituti, & illi deuoti. Percurro. *Veneri & Libero conuenit*, id est, mutua est vtrique conuenientia. *Duo ista*, &c. coniunge ita: *Duo ista dæmonia ebrietatis & libidinis conpirata*, &c. *Nam & alios*, &c. Sensus est. *Nam ludos*, non illos solùm, qui in Theatro fiebant, sed *alios Scenicos vocabant propriè Liberalia, præterquam*, id est, non solùm, *deuotos* dicatósque *Libero, sed etiam à Libero institutos.* Parenthesis (volui enim illam adiungere ad maiorem distinctionem) rationem sententiæ continet. Itaque particula *quod* ponitur hic pro quia, vel explica hanc particulam hunc in modum. *Liberalia, quod* genus ludi *sunt Dionysia penes Græcos.*

156. 6. Est & planè in artibus quoque Scenicis Liberi & Veneris patrocinium, quæ priuata & propria sunt Scenæ, de gestu & corporis fluxu. Nam mollitiem Veneri & Libero immolant illi per sexum, illi per fluxum dissoluti. Quæ verò voce & modis, & organis, & lyris transiguntur, Apollines & Musas, & Mineruas, & Mercurios mancipes habent. O deris Christiane quorum auctores non potes non odisse.

157. 6. Probauit hactenus ludos scenicos habere maculam idololatriæ à loco, probat nunc eandem ab artibus. Probatio est ita. Venus & Liber mutuum patrocinium conferunt *in artibus scenicis*, quæ artes positæ in *gestu & fluxu corporis*; hæc enim sunt priuata & propria scenæ. Iuuenis ita capiat. *Est patrocinium Liberi & Veneris in artibus quoque scenicis de gestu & corporis fluxu, qua* duo *priuata & propria sunt scenæ.* Itaque locutio ista: *Patrocinium est Liberi & Veneris de gestu & fluxu corporis*, nihil est aliud quàm, gestus & fluxus corporis patronos habent Bacchum & Venerem, quæ duo sunt artes propriæ Theatri. *De gestu & fluxu*, est ob gestum & fluxum. Per *gestum* intelligit gesticulationes omnes mimicas & impudicas: per *fluxum* libidinem omnem. Probat verò patrocinium hoc, *Nam mollitiem*, &c. Id est, illi qui dissoluti

sunt per sexum, & dissoluti per fluxum, *mollitiem immolant*, Veneri & Baccho, vt gratissimam victimam. Per *mollitiem* intellige vel pressè peccarum mollitiei, vel latè voluptatem omnem diffluentem. Sic ego intellexeram hunc locum, nec muto: sed moneo mihi non displicere explicationem Heraldi qui in 6. librum Arnobij, ita accipit: mollitiem immolant Veneri & Libero, dissoluti per sexum, illi Veneri, dissoluti per fluxum, isti (sic enim Herald. legit) Libero. Sequitur, *quæ verò voce*, &c. Docuit hactenus artes proprias Theatri esse obnoxias idololatriæ, quia illæ habent patronos Bacchum & Venerem; docet nunc artes communes eiusdem habere parem maculam. Quia *vox*, qua fit cantilena habet mancipem Apollinem Deum Musicæ; *modi*, id est, rhythmi, ac numeri, Musas; *organa* Mineruam; *lyræ* Mercurium. Inde concludit, *oderis Christiane*, &c. Porro Deos inuentores cantilenæ, modorum, organorum, lyrarum vocat *mancipes* cum respectu ad publicos redemptores. Qui enim pascua, & decimas ac similia redimebant dicebantur *mancipes*: sic isti Diuiculi arrogabant sibi has artes.

158. 7. Iam nunc volumus suggerere de artibus, & de his quorum auctores in nominibus execramur. Scimus nihil esse nomina mortuorum, sicut nec ipsa simulacra eorum. Sed non ignoramus, qui sub istis nominibus, & institutis simulacris operentur, & gaudeant, & diuinitatem mentiantur, nequam spiritus, scilicet dæmones.

159. 7. Obiiciet aliquis: superiore tractu suggessit Tertullianus de artibus. Quare ergo quasi nunc incipiat, ait, *iam nunc volumus*, &c. Vt soluas nodum istum, finge Tertullianum ita loqui: Mentio Bacchi, & Veneris; Apollinis & Musarum; Mineruæ & Mercurij pungit & excitat me vt iam nunc velim de artibus suggerere, & *de his* Diis *quorum* Deorum *auctores* dæmones *in nominibus* Deorum *execramur*. Incipit ergo. *Scimus*, &c. Sensus est, Scimus Christiani *nomina* Deorum, qui iam sunt mortui (puta Bacchi, Apollinis, &c.) *nihil esse*, sicut *nec eorum simulacra*. Vt verò hoc scimus, ita *non ignoramus, qui operentur, & gaudeant & mentiantur diuinitatem* sub istis & nominibus & simulacris, *scilicet dæmones spiritus* nequitiæ. q. d. Ne puta gestus & luxus & musicæ esse inuentores Deos illos, qui vulgò iactantur, etiamsi eorum nomina scias, & videas simulacra; dæmones sunt. Hæc apertè indicant pauca illa verba, *de his quorum auctores in nominibus execramur*, rectè à me explicata.

160. 8. Videmus igitur etiam artes eorum honoribus dicatas esse, qui nomina incolunt auctorum earum; nec ab idololatria vacare, quarum institutores etiam propterea Dij habentur.

8. Colligit ex dictis duo: primùm *artes dicatas* esse non tam Apollini & Diis aliis quàm *honoribus eorum* dæmonum, *qui* dæmones *incolunt nomina*, id est, statuas Deorum *auctorum earum* artium. Ait *incolunt*, quia dæmones veluti inquilini inhabitant in Deorum simulacris, quia non tam ibi Dij, quàm dæmones coluntur. Alterum quod colligit, est, exercitationem earum artium *non vacare ab idololatria*, cùm *institutores* earum Dij esse putentur, solùm quòd illas inuenerint.

161. 9. Imò quod ad artes pertinet, altiùs præscripsisse debemus, dæmones ab initio prospicientes sibi inter cætera idololatriæ, etiam spectaculorum inquinamenta, quibus hominem à Deo auocarent, & suo honori obligarent, eiusmodi quoque artium ingenia inspirasse. Neque enim ab aliis præoccupatum fuisset, quod ad illos peruenturum esset. Nec per alios tunc homines edidissent, quàm per ipsos, in quorum nominibus & imaginibus & historiis fallaciam consecrationis sibi negotium acturæ constituerant.

162. 9. Addit, quasi se corrigat: Quid me in his lasso? imò debui *altiùs*, id est, priùs, *præscripsisse*, id est, determinauisse quod ad artes pertinet. Quæ ista determinatio? dæmones *ab initio* orbis conditi *inspirauisse eiusmodi artium ingenia*, vtpote *prospicientes sibi inter cæteras idololatrias etiam inquinamenta spectaculorum*, idque duplice fine, tum vt *hominem à Deo auocarent*, tum vt illum sibi *obligarent*. *Neque enim ab aliis*, &c. Sequitur ratio cur natæ artes ab inspirante dæmone potiùs quàm ab Apolline, Minerua, & aliis. Nam credi nequit *præoccupatum* esse ab hominibus (tales Dij fuere) *quod peruenturum esset* in vtilitatem ipsorum dæmonum. *Nec per alios tunc*, &c. concludit hunc in modum. Cùm dæmones inspirauerint, non debuerunt inspirasse aliis, nec per alios edidisse, *quàm per ipsos* homines (puta Apollinem, Mercurium, &c.) *in quorum nominibus & imaginibus & historiis constituerant fallaciam consecrationis acturæ negotium sibi*, suum. Quia scilicet consecratio Deorum egit negotium dæmonum. Itaque, *consecratio acturæ negotium dæmonum*, est, inseruitura negotio dæmonum.

NOTÆ.

163. 1. ORIGINEM COMMVNEM, &c.] Recutrat Lector ad capita, quintum & sextum: & præcipuè ad Notam, quam dedi initio capitis sexti, vbi inueniet communionem hanc rei Scenicę cum Equestri.

2. SANGVINIS.] Dicit hoc propter victimas, quæ immolabantur ante ludos: inde suprà in apparatibus Circi: *quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant*. Et Virg. 3. Geor. adornans ludos ait:

--- cæsosque videre iuuencos.

Quid si & in verbis Tertulliani lateat eruditio non contemnenda? Vt scilicet quemadmodum tibiæ respiciunt Scenam, tubæ Circum, vt apparebit sequenti Nota; ita etiam thus respiciat Scenam, sanguis Circum, nimirum vt dicat, à fumigatis aris thure iri ad scenam, à templis insperfis sanguine iri ad Circum. Fulcra huius explicationis petenda ab his, quæ latè scripsi in lib. 1. Æn. ad illum versum,

Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

Quæ enim ibi de ara Veneris Paphiæ, extendi possunt ad aras omnes Veneris, cùm præsertim Catullus in Coma absolutè dixerit, *Venerem sanguinis expertem.* Itaque signatissimè Tertullian. *thus* nominauit in re scenica, quæ sacra Veneris, nec debet res thuris confundi cum re sanguinis, nec Scena cum Circo.

164. 2. INTER TIBIAS ET TVBAS.] Tametsi B ista interdum confusa: nam aliis sacris quàm ludis seruiebant, sed præsertim tibias scenis seruiisse vel Terentianis titulis apparet: & quia ad amantes pertinebant, quæ vnica Theatri materia, quod liquidum ex Horat. Od. 7. lib. 3.

Prima nocte domum claude, nec in vias
Sub cantum querulæ despice tibiæ.

Dicit hoc, quia qui amicarum domos circumibant, hoc instrumento vtebantur. Ouid. in epist. Medeæ,

Tibiáque effudit socialia carmina vobis,

Id est, coniugibus Iasoni & Creüsæ, quæ materia etiam scenarum est. Pergo ad tubam. Dedi hanc Circensibus, & verè. Sidonius in Narbone:

Tandem murmure buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effudit celeres in arua currus.

Stat. 6. Theb.

Insonuit contra Tyrrhenum murmur, & omnes C
Exilière loco.

Plinius 2. epist. *Qui nunquam castra viderunt, nunquam tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierunt.*

165. 2. DESIGNATORE ET HARVSPICE.] Designator siue dissignator (nam sic antea in Tertull. scriptum erat, nec debuit Pamelius mutare) qui Græcis ῥαβδοῦχος, id muneris in spectaculis habebat, vt spectatoribus sua loca assignaret. De scenicis spectaculis Plautus in prologo Pœnuli,

Neu designator prætor obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scena siet.

Quod munus vt seueriùs administraret, dabatur illi Lictor. Plautus ibidem,

--- neu Lictor verbum, aut virgæ mutiant.

Hic Lictor non illius proprius, vt falsi aliqui, sed D tantùm ad tempus, ordinis administrandi caussa. Hunc cum Locario, cuius meminit Martialis, confundit Lipsius lib. de Amphit. cap. 15. Iunius in hunc locum, designatorem diuersum facit à Locario. Ad rem Tertulliani nihil. De designatore pompæ funeralis, dum funus ducebatur, cuius meminit Horatius epist. 7. lib. 1. nihil dico; nam de illo Tertullianus non loquitur, tantùm de ludis: & frustra aliqui interpretes locum Horatij aduocant ad rem Septimij. Pergo ad haruspicem. Hic vt rebus omnibus sacris, ita ludis interponebatur, nec aliquid vnquam sine haruspice: qui inspectis hostiis (quæ olim *harugæ* dicebantur siue *hariugæ*, inde ab harugis inspectis *haruspex*, adimunt aliqui aspirationem, Glossarium optimum, *haruspex* βωμοσκόπος, tu vide Heraldum lib. 1. Aduers. cap. 1.) populo voluntatem Deorum declararet. Hæc vt in omnibus sacris, tum etiam in ludis fiebant, ad quos ibatur *à templis & aris, & illa infelicitate thuris & sanguinis*, vt ait Tertull. ita A quemadmodum designatorem, sic haruspicem vocat *arbitrum*, vt à quo penderent omnia in ludis peragenda. Noto etiam ad plenam notitiam huius loci, falli plurimùm illos, qui designatorem funeribus, haruspicem sacris tantùm attribuunt. Non ista mens Tertulliani. Verè ait ludis vtrisque designatorem & haruspicem fuisse: vtrique enim sacri erant & religiosi: tametsi ad distinctionem, qui fiebant in honorem Deorum dicerentur *sacri*, qui in honorem mortuorum, *funebres*.

3. A LOCI VITIO.] Latinius, & illum secutus 166. Iunius, hunc locum aliter legunt, & coniungunt verba, videlicet: *dirigimus. A loci initio Theatrum*, &c. Sed certè re altiùs perpensa non video cur illis tantopere placuerit scriptura ista, præsertim sine ope manuscripti. Ego vulgarem lectionem retineo, &, vt explicaui, manifestissima est sententia.

4. THEATRVM PROPRIE SACRARIVM VENERIS EST.] Saluian. lib. 6. *Colitur namque & honoratur Minerua in Gymnasiis, Venus in Theatris*, &c. Theatrum Latinè dicas *visorium*. Et tametsi, quæ ibi dicerentur, ad aures pertinerent, ita vt Dio Chrysost. orat. 32. dixerit, ἀκοὴ γάρ ἐστιν ἀκοὴ τὸ θέατρον. nihilominus tamen euicit vt nominaretur Theatrum, non auditorium: rationem reddit Donatus in prologum Hecyræ: *Ideo Theatrum, ideo spectatores, ideo actores, quia maior pars in gestu est, quàm in verbis.* Inde infrà Tertull. in hoc capite, vt propria & priuata scenæ ponit *gestum*, & *luxum corporis*.

4. NAM SÆPE CENSORES, &c.] Sub quibus 167. consulibus id acciderit, & à quibus censoribus, fusè in hunc locum Iunius. Tu vide Valerium Max. lib. 2. cap. 4. Et August. cap. 32. in lib. de Ciuit. vbi inter alia: *Dij propter sedandam corporum pestilentiam ludos sibi scenicos exhiberi iubebant: Pontifex autem vester propter animorum cauendam pestilentiam ipsam scenam construi prohibebat.* Et lib. 2. cap. 5. loquens de Scipione Nasica, ait: *Theatrum ædificari in vrbe fortium virorum prohibuit.* Satis hæc duxi huic parti illustrandæ.

4. RENASCENTIA.] Emendat quidam *Enascentia*, non placet.

4. CVM MAXIME.] Vsu Tertullianico pro *maximè*, aut *quàm maximè*, quod iam alibi firmatum testimonio Plinij, & aliorum.

4. POMPEIVS MAGNVS SOLO THEATRO SVO MINOR.] Huic loco adsimilis omnino 168. alter ille lib. 6. de Pall. vbi loquitur de Alexandro Magno, & vocat illum, *sola gloria minorem*. En tibi Pompeius & Alexander (vterque enim dictus est Magnus) hic minor Theatro suo, ille gloria. Nam etsi diuerso modo concepti, tamen alter minor gloria sua: alter Theatro.

4. ARCEM OMNIVM TVRPITVDINVM.] August. lib. 1. cap. 32. *Ludi scenici, spectacula turpitudinum, licentia vanitatum.* Tertull. inf. cap. 17. Theatrum vocat *priuatum consistorium impudicitiæ.* Vide ibi, & hîc expende verbum illud, *arcem turpitudinum*, quasi Theatrum sit locus munitus, vbi tutò dominari possent turpitudines, non aliter atque in domo regia tuti sunt malefici, & in asylo.

4. VENERIS ÆDEM SVPERPOSVIT.] 169. Hanc Venerem dictam Victricem à Pompeio testificatur Plutarchus in eius vita, & Plinius lib. 8. cap. 7. De hac æde accipit Lipsius lib. 1. Elector. cap. 11. Verba hæc Suet. in Claud. cap. 21. *Ludos dedicationis Theatri Pompeiani, quod ambustum restituerat, & tribunali posito in Orchestra, commisit: cùm prius apud superiores ædes supplicasset, pérque mediam canearum sedentibus ac silentibus cunctis descendisset.* Ita iudicio Lipsij

legendus hic locus, qui lucem dat Tertulliano, & accipit inuicem. Nam quas Suetonius nominat *superiores ædes*, Tertullianus dicit, *Veneris ædem superposuit*. Et ideò ille de Claudio, *descendisse*, quia Pompeius *gradus subiecerat*, vt statim ait Tertull. De Pompeij theatro frequens mentio. Tacitus in Annalib. *Quippe erant, qui Cn. quoque Pompeium incusatum à senioribus ferrent, quòd mensuram theatri sedem posuisset.* Suetonius in Nerone c. 46. *A simulacris gentium ad Pompeij theatrum dedicaturum circuiri.* Et in Tiberio cap. 46. *Restitutionem Pompeiani theatri.* Lucanus lib. 7.

Nam Pompeiani visus sibi sede theatri.

Martialis lib. 6. epig. 9.

In Pompeiano dormis Lenine theatro.

Nescio autem cur Plinius lib. 36. c. 15. Amphitheatrum Pompeij nominarit, cùm contra se habeat tot testes, præterea etiam Vitruuium lib. 5. cap. 9. quem omitto vt longum: ego autem existimo mendum esse in Plinio.

4. AD DEDICATIONEM.] Huius meminit Plinius lib. 8. cap. 7. *Pompeij quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris victricis, pugnauere in circo viginti,* (elephanti) *aut vt quidam tradunt xvij. Getulis ex aduerso iaculantibus.* Hoc genere ludicri facta illa dedicatio.

170. 5. VENERI ET LIBERO CONVENIT.] Id est, *libido* & *ebrietas*, vt ipse explicat, pestes pernicioßissimæ. Hieronym. ad Furiam ait, iuueniles medullas vino plenas tanta libidine inflammari, vt nequeant conferri ignes Ætnæi. Alibi idem vocat vinum incendium libidinis. Pulchrè Plin. lib. 14. cap. 22. *Præmium ebrietatis libido portentosa.* Ab Aristophane apud Athen. lib. 10. οἶνος, *vinum* dicitur Ἀφροδίτης γάλα, *lac Veneris.* nam libido nutritur vino. *Abundantiam escæ & potus*, dixit Abbas Moyses lib. 3. de vitis Pat. passiones gignere. Alius eodem libro dixit: *Ex quo factus sum monachus, non sum satiatus neque pane, neque aqua.* Et Apuleius lib. 2. Met. *Ecce inquam, Veneris hortator & armiger Liber aduenit vltro, vinum istud sorbeamus hodie omnes, quod nobis restinguat pudoris ignauiam, & alacrem vigorem libidinis incutiat.* De hac cognatione inter Venerem & Bacchum quot paginæ impleri possent? Cùm lib. de Spectaculis scribitur à Cypriano, *Ludi Scenici & Cereri & Libero dicati*, puto scribendum *& Veneri.*

5. CONVENIT.] Hoc sensu Catullus,

Pulchrè conuenit improbis cinædis.

Et Petron. Satyr. *Intelligo nobis conuenire non posse*, id est, nullam inter nos esse posse conuenientiam. Et Martial. lib. 5. epigram. 35.

Miror non bene conuenire vobis.

5. THEATRVM VENERIS, LIBERI QVOQVE DOMVS EST.] Ideò dixit Lactantius lib. 6. cap. 20. *Ludi Scenici Libero attributi.*

171. 5. ALIOS LVDOS SCENICOS LIBERALIA, &c.] Non est hoc, quod cap. 5. dixit ludos promiscuè dictos Liberalia, vt putant aliqui, nam tantùm dicit, ludos alios qui non fierent in Theatro dici quoque Scenicos, quales erant qui dicati Baccho, vulgò dicti Liberales, Bacchanales, Dionysiaci. Itaque qui in Theatro fiebant in honorem Veneris, & alij qui extra illud, in honorem Bacchi, vtrique dicebantur Scenici, vt inde colligat vel ex ipso nomine consortium inter Bacchum & Venerem, ac perinde inquinamentum idololatricum Scenæ. His mirè firmantur quæ dixi Nota prima in caput sextum de ludis omnibus rusticis, qui ad scenam referuntur, vt in quibus thymelici, saltatores, & mimi.

6. EST ET PLANE, &c.] Nihil moror Iunium ita legentem: *Institutos: & est planè in artibus quoque scenicis Liberi & Veneris patrocinium. Quæ priua & propria sunt scenæ de gestu & corporis fluxu mollitiam Veneri & Libero immolant, illi per sexum*, &c. Cùm aliqua in his displiceant, tum maximè interpunctio: hęc enim multò melior in vulgatis. Illud tantùm, *priua*, pro, *priuata*, admitti potest.

6. FLVXV.] Mutant in *luxu* ex M.S. Sic etiam 172. & infrà dicunt *luxum* non fluxum. Ego tamen lectionem veterem retinui: & puto omnino Tertulliani calamum scripsisse *fluxu* & *fluxum*. Hoc enim verbo explicatur vita omnis dissoluta, βίος vtique διεφθαρμένος. Nam & Apul. lib. 11. *Incessu perfluo fœminam mentiebatur.* Præterea cum peccato quod dicunt *mollitiei* quadrat verbum *fluo*; Græci per ὑγρότητα explicant, & illis βίος ὑγρὸς, est vita dissoluta, & verè fluens voluptatibus. His merè accinunt verba hæc Arnobij lib. 6. *Liber membris cum mollibus, & liquoris fœminæi dissolutissimus laxitate.* Vide ibi Heraldum, qui hæc latiùs multò. Adiungo Ambrosium, qui serm. 1. *Libidinum fluenta dixit.*

6. MOLLITIEM.] Glossæ: *Mollis*, μαλακὸς, ἁπαλός. Inde *mollescere* effœminati est. Vibius Seq. de Salmaci: *Ex quo qui bibit, mollescit.* De eodem fonte Festus: *Quam qui biberet, vitio impudicitiæ mollesceret.* Et Ouid. 4. Met.

Tactis subitò mollescat in vndis.

Quod Velleius lib. 2. loquens de Mecænate, dixit: *Extremæ temeritatis delicias.* Cæterùm in Tertulliano sunt qui legant, *mollitiam*, vt lubeat.

6. ORGANIS ET LYRIS TRANSIGVNTVR.] Non displicent qui legunt, *Organis & litteris transiguntur.* Hi sunt & Iunius in hunc locum, & Faber lib. 1. Agonost. cap. 13. Nam litterarum Mercurius inuentor. Firmo & ego. Nam Tertullianus cap. 18. huius operis vocat rem scenicam *doctrinam secularis litteraturæ.* Per *organa* intelligit fortasse tibias, nam has inuenit Minerua, & deinde inuentas adiecit. Vide Aristotelem lib. 8. Polit. cap. 6. & Apollodorum lib. 1. Ouidius 3. de Arte: 173.

I procul hinc dixit, non es mihi tibia tanti,
Vt vidit vultus Pallas in amne suos.

Fabulas porrò Marsyæ, & fluminis, & iuuenis, aliunde pete, vt etiam inuentiones artium, quas hîc attingit Tertullianus.

6. QVORVM AVCTORES.] Rescribit Iunius *quarum* scilicet artium, sed puto *quorum* omnino esse Tertullianicum.

7. IAM NVNC.] Iunius coniungit particulam *iam* cum superioribus: itaque legit: *Odisse iam. Nunc volumus*, non placet. rationem adducam cap. 28. huius operis.

8. QVARVM INSTITVTORES.] Iunius hic quoque mutat, & legit, *institores*, & explicat ἐργασιεπαίχας, id est, *incitatores*: nam dæmones vrgent incitántque cultores suos. *Institor* enim (ait) hanc etiam habet significationem ab insistendo. Et lectio & explicatio displicent, sed explicatio vehementissimè. 174.

CAP. XI. ARGVMENTVM.

De Agonibus.

TERTVLLIANVS.

175. *De Agonibus.* 1. VT ordo peragatur, ineamus etiam Agonum retractatum. Origo istis de ludorum propinquitate est. Inde & ipsi sacri vel funebres instituti, aut Diis nationum aut mortuis fiunt.

EXPLICATIO.

1. OMISSA tandem Scena & Circo, de quibus per tot capita, transit ad Agones & Xystum. *Retractatum*, id est, tractatum. Ita hoc frequenter in hoc Auctore, vt iam desinat esse obseruatio. *Origo istis*, &c. Seruat eumdem tenorem, quem in præcedentibus, ostendens inquinamentum Agonum ab rebus quinque, scilicet origine, titulis, apparatibus, loco, artibus. Ergo ait, originem agonum propinquam esse originibus Scenæ, & Circi. Inde isti agones sunt aut *sacri*, aut *funebres*; id est, *fiunt aut Diis nationum, aut mortuis*, sicut dictum de Scenicis & Circensibus. Nota diligenter *ludorum* nomine strictè comprehendi Scenicos tantùm, & Circenses.

176. 2. Proinde tituli Olympia Ioui, cui sunt Romæ Capitolina; Apollini Pythia, Herculi Nemea, Neptuno Isthmia: cæteri mortuorum varij agones.

2. Proinde tituli quoque inquinati ab Ioue, cui sacra *Olympia*; ab Apolline, cui *Pythia*; ab Hercule, cui *Nemea*; à Neptuno, cui *Isthmia*, non minùs ac *Capitolina*, quia sacra Ioui Capitolino. *Cæteri varij agones* sunt agones *mortuorum*; fiunt enim in illorum honorem. Intellige mentem viri. q.d. Vt agones fœdantur origine, quia aut *sacri*, vt qui obnoxij Diis; aut *funebres*, vt qui obnoxij mortuis: Ita proinde fœdantur titulis: nam isti indicant fieri in honorem aut Deorum, aut mortuorum. Adducit verò exemplum de ludis Capitolinis ad indicandam propinquitatem, quæ est agonibus cum ludis Scenicis aut Circensibus, à quibus vt à fonte rem omnem petit.

177. 3. Quid ergo mirum, si apparatus Agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotalibus præsidibus, de collegiariis ministris, de ipso postremò boum sanguine?

3. Dixit de origine, & titulis, iam de apparatibus, qui etiam idololatrici, vt argumento sunt coronę quæ dantur victoribus, istæ autem semper profanæ & gentilicæ; præsides, qui è sacerdotibus Deorum; ministri, qui è collegiis gentilicis. Iste omnis apparatus insignes habet maculas idololatriæ. Sed cur Tertulli *Quid ergo mirum*, &c. Explico. Vt origo & tituli Agonum inquinantur, quia ad similitudinem Scenæ & Circi, quid mirum *apparatus* quoque inquinentur, cùm ad similitudinem eorumdem? nam scilicet in Circo quoque fuere coronæ, sacerdotia, collegia.

178. 4. Vt de loco suppleam, vt de loco communi, pro collegio artium Musicarum & Minerualium & Apollinarium, etiam Martialium per duellum, per tubam: Vt stadio Circum æmulentur: quod vtique templum est & ipsum, eius Idoli, cuius sollemnitates agit.

4. Locum obscurissimum reddam Sole clariorem. Mihi non dubium, quin sententia sit, inquinamentum loci ludorum Agonalium regulandum (sic dicam) & mensurandum & supplendum ab inquinamento loci Scenæ & Circi: hæc enim mens scriptoris in hoc capite, vt visum iam in origine, titulis, apparatibus. Ergo ait nunc: *Vt* tractatum *de loco* Agonum *suppleam*, compleam, regulem ab scena & Circo: *Vt de loco communi, pro collegio artium Musicarum & Minerualium & Apollinarium*, quæ collegia sunt in scena, est in agonibus *etiam* collegium *Martialium*, quia scilicet vt in scena res geritur per cantilenas, vocem, organa; ita in stadio *per duellum, per tubam*. Inde est *vt* Agones *stadio* suo *æmulentur Circum*, tum quòd in eo sint Martialia collegia, bellum & tuba, tum *quòd vtique &*, id est, etiam *& ipsum* stadium *templum est* (videlicet sicut Circus) *eius idoli, cuius sollemnitates agit*. Rationem meæ explicationis, aliam item meam in Notis aperiam: tum aliorum explicationes, & lectiones. Est enim æquum vt locus tenebrosissimus abundet multorum ingeniorum luce.

179. 5. Sed & gymnicas artes Castorum, & Herculum, & Mercuriorum disciplinæ prodiderunt.

5. Restat vltimum de artibus Agonum, quæ etiam inquinatæ sordibus idololatriæ, vt quæ proditæ & profectæ à Castore & Polluce, ab Hercule, à Mercurio: Isti enim Dij nationum artes gymnicas inuenere.

NOTÆ.

180. 1. LVDORVM.] Monui notares diligenter hanc vocem. Quamuis enim vox ista ad omnia spectacula referatur à multis, sed arctè tamen à doctis supponitur pro Theatralibus & Circensibus. Inde huic loco lux, cùm ait Agonibus esse originem *de propinquitate ludorum*, id est, de propinquitate Scenæ & Circi. Abstinuit enim à priuatis nominibus, & illud adhibuit, quod sciebat strictè vtrique tantùm spectaculo conuenire. Certè Capitolinus in Maximo & Balbino: *Datis ludis Scenicis, ludisque Circensibus, gladiatorio etiam munere*, &c. Vides vt arctauerit vocem istam ad Scenam & Circum, non extenderit ad arenam. Vopiscus in Aurel. *Datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum Circensium, gladiatorum, naumachiæ.* Et in Carino: *Ludorum Theatralium, ludorumque Circensium.* Sic etiam Doctissimus Ambros. lib. 2. Officiorum cap. 21. *Quod faciunt qui ludis Circensibus vel etiam Theatralibus, & muneribus gladiatorijs, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum.* Et Suet. in Iulio cap. 10. Cùm præmiserit ludos editos à Cæsare, addit adiectum *gladiatorum munus*, quasi hoc non comparandum inter ludos strictè sumptos. Quamobrem mihi suspicio, quoties in Auctoribus bonæ notæ fit absolutè mentio ludorum nulla re addita, intelligendos esse Circenses aut Theatrales, non alios. Ita Sueton. August. cap. 14. *Cum spectaculo ludorum gregarium militem*, &c. Id est Theatralium, vt patet ex sequentibus. Et cùm cap. 13. ait: *Vouit & magnos ludos*, intelligit Circenses. Similia loca ipse animaduertes, cùm in ea incideris; certè in Suetonio multa sunt. Inde ergo Tertullianus cap. 6. huius operis, *Vtriusque generis ludi* dixit, signatissimè intelligens Scenam & Circum. Fortasse hinc meretrices dicuntur in Glossis Isidori *ludices* à ludo scenico. Et inde earum palæstra dici queat *ludus libidinis*. Et quidem Propertius, Martialis, alij lusum dant his scortulis.

1. SACRI VEL FVNEBRES.] Ita suprà cap. 6. *A primordio bifariàm ludi censebantur sacri & funebres, id est, Diis nationum & mortuis.*

181. 2. OLYMPIA.] Tempus teram & otio abutar si Olympiorum, Pythiorum, Nemeorum, Isthmiorum origines adducam, cùm ista ab humanis litteris peti debeant; & Tertullianum percurrenti otiosa est ista eruditio.

2. CVI SVNT ROMÆ CAPITOLINA.] In omnibus libris scriptum est, *quæ sunt Romæ Capitolina*, manifesto errore. Quis enim aliquando legit, Olympia, quæ ad Agones pertinent, esse Capitolina Romana quæ pertinebant ad scenam? quod ego suprà probaui. Ego non dubito, quin olim scriptum fuerit, *qui* pro *cui*, vt sæpe solebat. Vnde librarius per insciam scripsit *quæ*. Etenim mens Tertulliani tantùm est, fuisse in Xysto Olympia sacra Ioui: Capitolina eidem Ioui in scena erant sacra. Neque fuit otiosa comparatio ista ad suum argumentum: nam similitudinem in reliquis spectaculis petit semper à Theatro & Circo, & hoc cùm sæpe alias, tum maximè in hoc cap. sed esto legatur *quæ*, explicandus est, *Olympia Ioui, quæ sunt vt Romæ Capitolina.* Nam si capias verba, vt sonant, capies satis εὐηθῶς.

2. APOLLINI PYTHIA.] In omnibus libris scribitur: *Capitolina, item Herculi Nemea*, &c. Restituit Iunius interponens *Apollini Pythia*, quæ deerant. Nam cur ex quatuor ludis principibus vnum omitteret? Itaque credibile est hæc verba abrasa ab inscientibus librariis, qui cùm non intelligerent qua mente Tertullianus dixisset *Capitolina*, deleuerunt *Apollini*, putantes sacra Apollinea esse eadem quæ Capitolina. Et deinde ex voce *Pythia* fecerunt *item*. Mihi non dubium quin bona sit loci restitutio.

2. MORTVORVM VARII AGONES.] 182. Legitur in nonnullis *mortuarij Agones*. Et in codice Barræi, *Mortuarij varij Agones*. De Agonibus loquitur Cassianus collat. 7. cap. 21. & infiniti.

3. CONSPVRCAT.] Credo hoc verbi dari idololatriæ, quia illa in sacris denotatur fornicationis & scortationis nomine, cui rei applaudit locus Nazianz. orat. 1. vbi de idololatris, πορνεύοντες ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασι: *Fornicantes in stadiis.* Vt ergo huic vitio dantur omnes immunditiæ (nam Saluianus lib. 3. de Gubernat. *luto fornicationis.* Et lib. 4. *impudicitiæ cœno*, mitto multos) sic perinde idololatriæ attribuuntur omnes fœditates, spurcitiæ, inquinamenta.

3. DE SACERDOTALIBVS PRÆSIDIBVS, DE COLLEGIARIIS MINISTRIS.] Notat Petr. Faber lib. 3. Semest. cap. 1. Romæ Pontifices administrasse ludos, sed in prouinciis Sacerdotes. Itaque horum munus diceres Asiarchiam, Bithyniarchiam, Syriarchiam, &c. Sed certè Tertullianus suprà cap. 7. in apparatu circi Romani (nam circum Maximum ibi descripsit) sacerdotia posuit. Cæterùm vide Pamelium, qui confert loca aliqua Auctorum, in quibus mentio sacerdotum & collegiorum.

3. DE IPSO POSTREMO BOVM SANGVINE.] In vulgatis malè legitur *de ipso postremo boum sanguine, vt de loco suppleam.* Nam post *sanguine* debet esse interrogatio, & punctio perfecta: itavt sequens periodus incipiat ab, *Vt de loco suppleam*, quod sequenti capite probabitur ad verba illa, *In mortuorum autem idolis*, &c.

4. VT DE LOCO SVPPLEAM, &c.] In 183. primis Iunius ita legit, *Vt de loco suppleam, & loco communi*: & explicat, duplicem distingui locum à Tertulliano, *communem & proprium. Communem*, vt sit in Agonibus communis locus pro collegio artium Musicarum, & Minerualium, & Apollinarium, atque etiam Martialium; quemadmodum in circo erat locus his, qui voce, modis, organis, litterisque, Apollini, Musis, Mineruæ, & Mercurio adulabantur: *proprium*; nam stadium æmulatur circum. Hæc explicatio valde est absona. Mutat etiam lectionem iterum, nam pro illis, *Vt stadio circum æmulentur*, ipse rescribit, *& stadio circum æmulantur.* Omitto Iunium. Heraldus lib. 1. Digressionum cap. 19. ita legit: *Vt de loco suppleam communi pro collegio artium*, &c. Et explicat: Vt de loco taceam, qui non differt ab idolorum templis, siquidem & in eo idolo habent sua collegia, & exinde cultus suos, vt Musæ, vt Minerua, vt Apollo, vt ipse etiam Mars: siquidem ibi collegia artium Musicarum & Apollinarium, & Martis res atque instrumenta duellum & tuba: qua etiam in re stadium circo adæquat, qui quidem circus vtique templum est eius Dei, cuius sollemnitates in eo celebrantur. Nam cũ ludi Circenses in Iouis honorem, aut Martis, aut alicuius Dei eduntur, tum circus Dei illius templum est. Hactenus ille. Iudicet iam Lector. Dissensi ab omnibus in multis. Primò retinui lectionem, quod non faciunt Iunius, & Heraldus: est enim argumentum deficientis ingenij, cùm non possis assequi mentem auctoris, mutare litteram. Deinde cur *supplere* explicetur *tacere* non video. Ego implere explicui quo vsu Cassianus lib. 4. cap. 15. *Ita nonnunquam pro viliſſimis nulliſque rebus accendimur, vt ſi quis vel digito quidquam ex his contrectare præſumpſerit, tanta contra eum*

iracundia suppleamur, vt, &c. id est, compleamur. A Tertiò, collegia illa artium Musicarum,& Apollinarium, non constituo in Agone,vt Iunius & Heraldus. Scio in Agone fuisse hæc certamina, vel ex Isidoro cap.26.lib.18. Origin. Sed hanc esse mentem Tertulliani nego & pernego. Tantùm enim dicit, pro collegio artium Musicarum, quæ sunt in scena, esse in stadio Martialia collegia. Nam clarè spectat ad ea quæ præcedenti capite dixerat,loquens de scena: *Quæ verò voce, & modis, & organis, & lyris* (aut litteris) *transiguntur, Apollines, & Musas, & Mineruas, & Mercurios mancipes habent.* Ergo ait in hoc capite: si in scena sunt collegia Musica, in stadio etiam sunt Martialia. Quartò non fero vt verba illa, *quod vtique templum est* dicantur de circo, sed de ipso stadio tantùm supponitur circus quoque esse templum, & ideò interpungendum, vt ego interpunxi. Itaque ait, etiam ipsum stadium templum est,vt scilicet est circus.Nam particula *&* pro *etiam* hoc clarè indicat. Promisi & aliam explicationem. Hanc subiicio. Sunt quippe multi, qui ita legunt: *De ipso postremo boum sanguine, vt de loco suppleam, vt de loco communi*,&c. Ergo iuxta hanc lectionem: *Quid mirum si apparatus Agonum idololatria conspurcat de coronis profanis*,&c. *Vt de loco suppleam* (scilicet conspurcare) *vt de loco communi* (id est immundo, & inquinato, nam quæ immunda sunt, dicuntur *communia*, quod alibi ostendo) *pro collegio artium Musicarum & Minervalium, & Apollinarium*, conspurcat *etiam* idololatria collegio *Martialium per duellum, per tubam, vt stadio*, &c. Parcat hanc longitudinem Lector, cui vni consulimus, qui si hæc nolit, habet iam breuem nostram explicationem.

4. TEMPLVM EST ET IPSVM.] Ne mirere stadium dici *templum*. Nam *templum* veteres posuerunt pro quouis loco, tractu, aut habitatione Deorum,aut hominum:quod Varro docuit lib.6. de Ling. Latin.per initia. *Quaqua intuentur oculi à tuendo templum primò dictum.* Firmāt sententiam Varronis Delrius in Hercul. Furen. Nou. Comment. & Gifan. in Lucret. Inde & suprà Tertull. cap. 8. *Singula ornamenta circi, singula templa sunt.* Et cùm Saluian. lib.6. de Gubernat. dixit, *Ecclesia vacuatur, circus impletur*, aliquid tale insinuat. Opponit enim Ecclesiæ Dei templum Gentilium, scilicet circum. 184.

5. MERCVRIORVM.] De Castore, Polluce,& Hercule, qui gymnicis artibus valuere, & earum magistri fuerunt, nihil dico in tanta humanæ doctrinæ luce: de Mercurio, quod non ita notum, illustrio ex Saluiano,qui lib.6. de Gubern. *Colitur namque & honoratur Minerua in gymnasiis, Venus in Theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris.* Adducit Petr. Faber lib.1. Agonist. cap.16. tabulam marmoream apud Fuluium Vrsinū, in qua Mercurius & Hercules iunguntur vt principes harum artium: & Pausaniam, qui in stadio quodam adhibet ædem communem vtrique Deæ: Demum Aristidem, qui vtriusque, Ερμου scilicet, & Ηρακλέους, constituit ἀγάλματα κοινά. B

CAP. XII. ARGVMENTVM.

De Munere gladiatorio.

TERTVLLIANVS.

185. *De Munere.* I. SVPEREST illius insignissimi spectaculi acceptissimi recognitio. Munus dictum est ab officio: quoniam Officium etiam Muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniore atrocitate temperauerunt.

EXPLICATIO.

1. PROBAT in hoc capite sordes idololatricas Muneris gladiatorij, quod exhibebatur in Amphitheatro, & probat ab rebus quinque, vt in aliis. *Superest*, quia tantùm quatuor spectacula hoc opere insectatur Circense, Theatrale, Agonale, Gladiatorium. De tribus primis iam suprà eas sordes proposuit, restat vltimum. *Insignissimi*, quia nullum insignius,& acceptius. *Recognitio*, tractatio,sed illud maluit petita voce à iure. *Munus*,&c. Aperit primò caussam nominis: Ea satis clara. Hoc spectaculo fiebant sacra pro mortuis: quod fit pro mortuis, dicitur propriè *officium*; atqui *officium* idem est quod *munus*: rectè ergo hoc spectaculum *Munus* dicitur. Quod ait de atrocitate temperata, explicat sequentibus.

186. 2. Nam olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos vel malo ingenio seruos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos parauerant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantùm vt occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Itaque mortem homicidiis consolabantur.

2. Periodus prima continet atrocitatem quæ sequuntur temperatam illam. Olim in tumulis immolabantur homines,en atrocitas: postea res in voluptatem transiit, en temperata atrocitas. Explico vt intelligas. Interfici duos homines innoxios, atrocissimum est: dari gladios duobus hominibus innoxiis, vt ille solùm cadat, qui minùs fortis fuerit,& pugna illa recreentur spectatores, minùs est atrox. Nota verba illa, *Impietatem voluptate adumbrare*: nam voluptas tantùm vmbra tegendæ impietati. *Eruditos*, scilicet à lanistis. *Tantùm vt occidi discerent*, altissima emphasis. *Mox*, scilicet recentes ab schola lanistarum. *Edicto die*, publicè indicto & pronuntiato. *Itaque mortem homicidiis consolabantur*, hic quoque sermo emphaticus. Quale enim est vt mortem consoleris morte,imò homicidio, imò homicidiis plurimis?

187. 3. Hæc Muneris origo; ſed paulatim prouecti ad tantam gratiam, ad quantam & crudelitatem; quia ferrum voluptati ſatis non faciebat, niſi & feris humana corpora diſſiparentur.

3. *Hæc Muneris origo*, ſcilicet in mortuorum gratiam. *Sed paullatim*, &c. q.d. Ecce tibi atrocitas alia in hoc ſpectaculo ſupra omnem atrocitatem. Non ſatis fuit voluptati ſpectaculum, homines ferro cadere, ſed commiſſi quoque cum feris ſunt diſſipandi, dilaniandi. Indicat videlicet venationem, quæ etiam exhibita in Amphitheatro. Hoc tum clarum eſt, tum ipſe dicit in capitis huius exitu.

188. 4. Quod ergo mortuis litabatur, vtique parentationi deputabatur. Quæ ſpecies, proinde idololatria eſt, quoniam & idololatria parentationis eſt ſpecies. Tam hæc quàm illa mortuis miniſtrat: in mortuorum autem idolis dæmonia conſiſtunt.

4. En ergo ab narrata origine maculæ idololatricæ. Attende verò vt explicem. *Quod ergo mortuis litabatur* in ludo gladiatorio, *vtique parentationi deputabatur*, id eſt, erat ſpecies vel forma, quæ ad parentationem pertinebat. *Quæ ſpecies proinde idololatria eſt*, id eſt, quæ ſpecies parentationis *proinde*, id eſt, eo quòd mortuis litat, & honorem illis exhibet, idololatria eſt. Probat. *Quoniam & idololatria* ipſa *parentationis eſt ſpecies*. Cur ſpecies? nonne potiùs genus? Non, Lector. Nam idololatria rariſſimè vitios coluit, ſed mortuos: imò à mortuorum idolis dicta idololatria. Veriſſimè ergo dicitur eſſe *ſpecies parentationis*, id eſt, eſſe ſpecies earum rerum, quibus mortuis cultus exhibetur. Inde ſequitur: *Tam hæc* idololatria, *quàm illa* parentatio *mortuis miniſtrat*, id eſt, mortuis litat, quod initio poſuit. Pergit. Si verò mortuis miniſtrat, etiam dæmoniis miniſtrabit, nam *in mortuorum idolis dæmonia conſiſtunt*. Hæc veriſſima enodatio loci difficilis.

189. 5. Vt & titulos conſideremus, licèt tranſierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viuentium, quæſturas dico, & magiſtratus, & flamina, & ſacerdotia: Cùm tamen nominis dignitas idololatriæ crimine teneatur, neceſſe eſt quicquid dignitatis nomine adminiſtratur, communicet etiam maculas eius, à qua habet cauſſas.

5. Tranſit ad titulos, vt inde quoque oſtendat inquinamentum. *Vt & titulos*, id eſt, vt etiam titulos. *Licèt tranſierit*, &c. Fateor tranſiſſe ad dignitates *viuentium*, ſed dignitates iſtæ apud Romanos additæ ſunt idololatriæ, non ſolùm *ſacerdotia & flamina*, quod clarum, ſed etiam *magiſtratus* omnes, vt *quæſtura*, prætura, &c. quia iſti rem omnem idolorum promouebant. *Communicet*, contrahat, participet. *Maculas eius* idololatriæ, *à qua* idololatria. Videndus de his omnibus Bulengerus de Venat. Circi cap. 13. qui rem agit multifaria eruditione.

190. 6. Idem de apparatibus interpretabimur in ipſorum honorum ſuggeſtu deputandis, quòd purpuræ, quòd faſces, quòd vittæ, quòd coronæ, quòd denique conciones & dicta, & pultes pridianæ ſine pompa diaboli, ſine inuitatione dæmonum non ſunt.

6. Reſpicit præcedentia. Si dignitates obnoxiæ ſunt idololatriæ, *idem interpretabimur de apparatibus deputandis*, numerandis, *in ſuggeſtu*, id eſt, ornamento *ipſorum honorum*, puta præturæ, quæſturæ, &c. Dicit ſcilicet ipſos apparatus magiſtratuum adeuntium hoc ſpectaculum eſſe idololatricos, quia ſeruiunt deputantúrque ſuggeſtui, id eſt, ornamento ipſorummet magiſtratuum. Declarat hoc ſequentibus. Nam quis neget *purpuras* imperatorum, *faſces* magiſtratuum, *vittas* ſacerdotum, *coronas* edentium munus, *conciones & dicta* quæ præcedunt munus, eſſe *ſine pompa diaboli*? Quis tandem neget *pridianas pultes*, id eſt, ſacras epulas pridie ante munus datas eſſe *ſine inuitatione dæmonum*? in his omnibus particula *quod* eſt, quia. Multa ex his pendent à Notis.

191. 7. Quid ergo de horrido loco perorem, quem nec periuria ſuſtinent? pluribus enim & aſperioribus nominibus Amphitheatrum conſecratur, quàm Capitolium omnium dæmonum templum. Tot illic immundi ſpiritus conſidunt, quot homines capit.

7. Quamuis arena dicata ſit cædibus & cruori, non tamen hic illi horrorem dat ab cædibus: ſed (vt facilè apparet ex ſequentibus) à vitiis loci illius, imò à vitioſis ſpectatoribus. Ergo ait, *Quid perorem de* hoc *loco* contaminato vitiorum omnium horrore, cui ſuſtinendo, id eſt, defendendo nulla ſatis ſunt mendacia, nulla *periuria*? Solent flagitioſi homines rem quamcumque tametſi atrocem defendere mentiendo & periurando; atqui *Amphitheatrum* (vide exaggerationem) nemo vmquam his improbis artibus defendet. Probat. Nam *Capitolium omnium dæmonum templum* ſuperat arena, in quam confluunt ſpectatores ſceleratiſſimi, auariſſimi, inſolentiſſimi, &c. Ideò abſoluit, *Tot illic immundi ſpiritus conſidunt, quot homines capit*. Itaque. Eſto Capitolium dicatum ſit Ioui, Neptuno, Apollini, & Diis aliis; tamen his nominibus aſperiora ſunt nomina auaritia, inſolentia, ſcelus, ſtuprum, &c. Nomina iſta ipſis dæmonibus peiora conſecrant Amphitheatrum.

8. Vt & de artibus concludam, Martem & Dianam vtriuſque ludi præſides nouimus.

8. Dixit de origine, titulis, apparatibus, loco, restat vltimum de *artibus*, quæ etiam antiquissimæ ab Diis inuentoribus: nam Mars belli & cædium Deus præsidet pugnæ gladiatorum; Diana venationi, nam ipsa Dea est venatorum. atqui duæ istæ artes exercebantur in Amphitheatro.

NOTÆ.

1. INSIGNISSIMI SPECTACVLI, &c.] Mutant, *indignissimi spectaculi, sed acceptissimi.* non displicet, sed illud proculdubio dixit Tertullianus: nam *insignissimum* vox eius propria. 192.

1. MVNVS DICTVM EST AB OFFICIO.] Vt ludus ipse dictum *Munus*, ita editor *Munerarius*, & Floro *Munerator*, vbi loquitur de Spartaco. Vide Lipsium. Cæterùm ne putes etymologiam duci à Tertulliano; esset enim stultissima. Sed tantùm ait Munus dici ab Officio ad eum modum, quo Suetonius dictus est *Tranquillus*, quia pater eius dictus est *Lenis*. Sic Vitruuius dictus est *Pellio* (si Alciato credis) non Pollio, vt vulgò legitur, & ideò *Pellio*, quia priùs *Cerdo*. Est itaque quædam species ducendi nominis tantùm à significatione. Sic ergo *munus* dicitur ab *officio*, id est, non à nomine, sed à significatione nominis. Nam quod *Munus* antiquis dicebatur *Officium*: inde *Munis* idem qui *Officiosus*. Festus: *Munem significare certum est officiosum, sicut è contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur officio.*

1. OFFICIVM AVTEM MORTVIS HOC SPECTACVLO FACERE SE VETERES ARBITRABANTVR.] Nam hoc initium muneris gladiatorij, quod frequentissimè exhibitum pro mortuis. Vnde Ausonius in Gryphis,

Tres primùm Threcum pugnas tribus ordine sellis,
Iuniadæ patri inferias misere sepulto.

Allusit aliquoties ad hanc rem Plautus cum ioco, vt cùm dixit Mostell.

Ludos ego hodie viuo præsenti hîc seni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.

Et in Amphitryon. ait Seruulus,

Viuo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.

Id est, nunc ego ludificor: in morte enim nemo mihi faciet ludos funebres. Quid si huc spectatum à Virgilio, Ecloga 8.

---extremum hoc munus morientis habeto.

Nam tametsi hîc *munus* accipiat pro dono, vt liquidum ex imitatione Theocriti, sed nihil vetat vt *munus* accipias pro officio, quod mortuis exhibetur. Notabis etiam *officium* de mortuis dici. Et quidem Tertulliano Tacitum & Curtium adiungit Pamelius. Sed non opus teste vllo, vbi hic vsus in vulgus manauit. Certè Hispani vnicè de mortuis dicunt *officio.*

2. ANIMAS DEFVNCTORVM HVMANO SANGVINE PROPITIARI CREDITVM ERAT.] Plinius lib. 4. epist. 2. *Habebat puer manules multos & vinctos & solutos, habebat canes maiores minoresque: habebat luscinias, psittacos, merulas: Omnes Regulus circa rogum trucidauit.* Cæsar lib. 6. de bello Gallic. *Serui & clientes, quos ab his dilectos esse constabat, iustis confectis funeribus vnà cremabantur.* Auctores insuper huius moris dedi in lib. 6. Æn. ad eum locum, 193.

---tepidúmque cruorem
Suscipiunt pateris.

Hîc autem non omittam Seruium idem cum Tertulliano loquentem in 10. Æneidos: *Moris erat in sepulcris virorum fortium captiuos necari: Quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à busti cineribus Bustuarij dicti.* Vide præterea Iustinum Historicum lib. 11. de Alexandro, vbi is: *Cædis conscios ad tumulum patris cædi iussit.* Et Tacitum de clade Vari, Liuium lib. 7. Senecam de Clementia, Valerium Maximum sæpe, & quos non.

2. CAPTIVOS, &c.] Probè Florus loquens de spectaculis gladiatorum, ait: *Supplicia quondam hostium.* ita verè est, vt ex Homero, & Virgilio satis notum. Cassius Seuerus in Controuersia loquens de spoliario ludi gladiatorij: *Produc agedum familiam seminuiuam, tremulam, debilem, cæcam, mancam, famelicam; ostende nobis captiuos tuos.* Virg. lib. 10. de hac re loquens, *captiuo sanguine.* Plura his ego in Virg. Huc etiam pertinet sequens Nota.

2. SERVOS.] Calpu. 1. in Declamat. *Neque enim conditione gladiatoria quicquam est humilius in vulgo.* Cùm ait *malo ingenio*, notat quicquid esset sceleratorum hominum. Ab Philostrato lib. 4. vitæ Apollon. cap. 7. numerantur inter gladiatores μοιχοὶ, καὶ παιδεραστὰι, καὶ πόρνοι, & alij eiusmodi: *Adulteri, seruorum captatores, scortatores.* Lamprid. in Heliogab. ait datos in arenam *noxios*, vt etiam Spartianus in vita Hadriani, *trecentos noxios in arenam misit.* His scriptoribus sunt *noxij*, qui à Iosepho lib. 19. Antiq. dicuntur κακοῦργοι, loquente de gladiatoribus. Captiuis seruísque opponentur verba Liuij lib. 28. *Gratuita omnis pugnantium opera fuit.* Loquitur de hoc ludo. & *gratuita opera*: quia multi nec captiui, nec serui veniebant in eum.

2. MERCATI.] Ita à Philostrato ibid. dicuntur gladiatores χρημάτων τε μεγάλων ἐωνημένοι, *magnis pecuniis empti.* Cicero pro Sextio: *Ex ergastulis emptos nominibus gladiatoriis ornauit.* Manil. lib. 4.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.

Sueton. Vitell. *Circumforaneo lanistæ vendidit.*

2. POSTEA PLACVIT IMPIETATEM VOLVPTATE ADVMBRARE.] Seruius ad illud Virgilij, 194.

---viuentes rapit inferias, &c.

Ita consimiliter: *Moris erat in sepulcris virorum fortium captiuos necari: Quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à busti cineribus Bustuary dicti.* Gutherius lib. 2. de iure Manium cap. 9. arripiens verba & sententiam (vt appareret) Tertulliani & Seruij pro *adumbrare* legit *adnumerare*, sensu non apto.

2. ITAQVE QVOS PARAVERANT, ARMIS, &c.] Ita interpunxi secutus Lipsium ita interpungentem, lib. 1. Saturn. cap. 8. à quo accepit Iunius, etiamsi tacet Lipsij nomen. Itaque malè in vulgatis scribitur, *Itaque quos parauerant armis, quibus,* &c. Et *parauerant* quidem vel pecunia, vt subaudit Iunius, nam sup. *mercati*: vel, vt ego puto, *parauerant*, id est, præparauerant: nam Liuius lib. 28. *Scipio Carthaginem ad vota soluenda Diis, munúsque quod mortis caussa patris, patrique parabat, edendum rediit.* id est, præparabat, comparabat.

2. ERVDITOS.] Nimirum ab lanistis. Itaque res in artem versa. Suetonius in Iulio cap. 26. *Tirones erudiebat*, scilicet ad gladiaturam. Hirtius de Bell. Afric. *Vt lanista tirones gladiatores condocefacere.* Portius Latro apud Senec. *Gladiatores grauioribus armis discunt, quàm pugnant.* Senec. epist. 95. ait hominem in ludo gladiatorio *erudiri ad inferenda accipiendáque vulnera.*

2. VT OCCIDI DISCERENT.] Applaudit locus

locus Cypriani deteſtantis hanc rem, iſto verborum complexu: *Homo in hominis voluptatem perimitur: & vt quis poſſit occidere peritia eſt, vſus eſt, ars eſt. Scelus non tantùm geritur, ſed docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit: & gloria eſt, quod peremit.*

195. 2. INFERIARVM.] Propriè; nam *inferiæ* Latinis, & Græcis χοαὶ, de mortuis dicuntur: Latinis quidem ab inferendo, Græcis à fundendo. Virg. lib. 9.

--- abſenti ferat inferias. Et lib. 10.

Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris.

Voces ſimiles ad hanc rem tritæ ſunt, ſcilicet *inferium* & *arferium*. Nam Arnob. lib. 7. *vino inferio*. Et Feſtus: *Arferia aqua, quæ inferis libabatur, dicta ab adferendo*. Gloſſ. *Arferia*, ὕδωρ τὸ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς ἀναδόμενον. Quo loci aliqui *adferial* legunt. Vide Kirchman. de funeribus Romanis lib. 4. cap. 2.

2. APVD TVMVLOS EROGABANT.] Poteſt ſimpliciter explicari, vt dicat, dabant, præbebant gladiatores, qui decertarent ad tumulos. ſed rectius eſt, vt explices *erogabant*, id eſt, expendebant conſumebántque in rogum. Nam cum reſpectu ad rogos mortuorum dictum verbum *erogo*. Niti poteſt iſta explicatio verſibus Virgilianis lib. 10.

Quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris,
Captiuóque rogi perfundat ſanguine flammas.

Inde abſolutè Latinis *munus ad rogum* dicitur de ludo gladiatorio. Sen. de Breuit. vitæ: *Quidam diſponunt etiam illa, quæ vltra vitam ſunt, moles magnas ſepulcrorum, & operum publicorũ dedicationes, & ad rogum munera, & ambitioſas exſequias.* vbi *munera ad rogum* ſunt gladiatores, vt Lipſ. explicat lib. 1. Saturn. cap. 8.

3. QVIA FERRVM VOLVPTATI SATIS NON FACIEBAT.] Ait Latinius reponendum, *Quia ferarum voluptati ſatis non fiebat*, quia ſcilicet ita ſcriptum ante Pamelium. Sed hæc lectio pace Latinij caret energia & ſapore; & Iunius, qui illam defendit, frigidè explicat. Ego vehementer inclino in lectionem Petri Fabri lib. 2. Someſt. cap. 10. ita corrigẽtem: *Quia ferarum voluptate ſatis non fiebat*. Vt dicat, obiectos homines feris diſſipandos, quia non ſatis erat ad voluptatem feras feris committi. Non tamen improbo ſectionem Pamelij; illam enim vt veriſſimam defendo. Eſt enim conſequens admodum cum præcedentibus, & deinde ſequentia optimè adhærent. Iuuat ſignatè *ferrum* poni in ſermone ludi gladiatorij, vt cùm Suet. in Calig. dixit, *exhibere ad ferrum*, loquens de hoc ludo.

3. NISI ET FERIS HVMANA CORPORA DISSIPARENTVR.] Scribit Valer. Maximus lib. 2. Appium Claudium & Fuluium Coſſ. primos in foro Boario gladiatores cum feris commiſiſſe. Iſidor. cap. 58. lib. 18. *Ferarum pugna erat, emiſſas beſtias iuuenes excipere, & pugnare aduerſus eas, vltroneo funere certare, non crimine ſed furore*. Debes Pamelio.

196. 4. IDOLOLATRIA PARENTATIONIS EST SPECIES.] Certè idololatria genus eſt ad omnem cultum idololatricum, ſi viuos & mortuos cõprehendas: ſi verò tantùm de mortuis ſit ſermo, quos vt plurimum agnouit idololatria gentilium, (nam Iupiter, Mars, Neptunus, reliqui demum Dij, fuere homines mortui) tunc quidem parentatio eſt genus, idololatria ſpecies; nam cùm parentatio ſit omnis cultus exhibitus mortuis, non dubium quin hic poſſit eſſe vel idololatricus, vel non idololatricus. Ita ego ſentio de hoc loco. Inde eleganter Cyprian. de Spectac. *Quod ſpectaculum ſine Idolo? quis ludus ſine ſacrificio? quod certamen non conſecratum mortuo?* Et Lactant. lib. 1. cap. 18. abſolutè dixit loquens de idololatris, *Quo Deo contempto mortuorum ſacra ſuſcipiunt*. Et Paulinus lib. 4. vitæ ſancti Martini, *in miſeris dudum fœtentia buſtis idola*. Id etiam apparebit ex capite ſequenti, vbi inter alia: *Mortui & Dij vnum ſunt*. Hæc eò ſpectant, vt intelligas parentationem verè eſſe genus, idololatriam ſpeciem; quia, vt dixi, parentatio poteſt eſſe idololatrica, vel non idololatrica.

4. IN MORTVORVM, &c.] In libris omnibus malè ſcribitur: *In mortuorum autem idolis dæmonia cõſiſtunt, vt & titulos conſideremus*. Scribendum proculdubio: *In mortuorum autem idolis dæmonia conſiſtunt. Vt & titulos*, &c. Itaque τελεία, & perfecta punctio eſt poſt verbum *conſiſtunt*. Deinde incipit clauſula, *Vt &*, &c. quod optimo argumento probat Iunius. Nam hoc genus μεταβάσεως eſt huic Auctori frequens. ſic præcedente cap. *Vt ordo peragatur*. Item: *Vt de loco ſuppleam*. Et in hoc cap. infr. *Vt & de artibus concludam*.

5. EDITIONIS.] Tametſi hæc vox de aliis ſpectaculis, ſed ſtrictè hæſit in ludo gladiatorio. Tacit. 13. *Spectaculum gladiatorium ederet*. Apuleius lib. 4. *Munus gladiatorium editurus*. Liuius lib. 28. *Munus edendum. Neque verò ſolum munus edere* dicunt Latini, ſed etiam *gladiatores edere*; quam locutionem quidam aſpernatur. Sed contra illum eſt Tacitus lib. 13. Annalium. *Ciuitati Syracuſanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum concedebatur*. Dixi ſtrictè hærere hoc verbum in hoc ludo, quæ nota neceſſaria eſt, vt ſcias, cùm abſolutè ponitur, intelligendum de ludo gladiatorio. Sic Tacit. 3. Annal. ait Druſum ſolitũ trahere *diem editionibus, noctem conuiuiis*, id eſt, editionibus gladiatoriis. Et Capitol. in Anton. *Abſens populi Romani voluptates per perditiſſimos editores curari vehementer præcepit*. vbi per *editores* intellige *munerarios*. 197.

5. QVÆSTVRAS.] Veriſſimè hoc. Non enim ſolum in honorem mortuorum dati hi ludi, ſed etiam viuentium. Tacitus 11. Annal. *Spectaculum gladiatoriũ celebratum pecunia eorum, qui quæſturam adipiſcerentur*. Capitolinus in Anton. Philoſopho: *Gladiatorium quaſi priuatus quæſturæ edidit munus*. Cùm idem de Gordiano, *Quæſturam magnificentiſſimè geſſit*, intellige magnificentiſſimam ex munere gladiatorio. Spartianus in Geta: *Filium Papiniani, qui ante triduum Quæſtor opulentum munus ediderat, interemit*. Lege Lipſium lib. 1. Satur. cap. 9. vbi non ſolùm exhibet teſtimonium de Quæſtoribus, ſed etiam de aliis Magiſtratibus, Ædilibus, Prætoribus, Conſulibus, Sacerdotibus. Inde ſatis illuſtrari quiuerit Tertullianus.

5. SACERDOTIA.] Pagani varia Sacerdotum genera habuere: quorum pars maior ex officio exhibendorum ludorum multas pecunias profundebat. Hinc non malè ſcribit Symmachus, tenuioris fortunæ homines à ſacerdotij muneribus excuſari. Verba eius lib. 4. ep. 62. *Adiice, ſi placet, ſecuritati eius ſacerdotij priuilegium*. Tertullianus poſtea: *Quis tibi Prætor, aut Conſul, aut Sacerdos, aut Quæſtor de ſua liberalitate præſtabit?* Plura his Iuretus, & Lipſius iam citatus.

6. QVOD PVRPVRÆ, QVOD FASCES, &c.] Ita placuit legere contra Pamelium, qui lectionem veterem corrumpens legit, *quod purpuræ, quod faſciæ*. Nam cur Tertullianus, qui omnia breuiſſimè & κατὰ συντομὴν, cõiungit *faſcias* & *vittas*, rem eamdem? Deinde cur non ſit locus faſcibus in Munere gladiatorio, cùm ſit Conſulibus & Prætoribus, quibus præibant faſces? Iunius quoque hoc ſentit. & verè hic lapſus inſigniter eſt Pamelius. Certè cùm Lampridius in Commodo ſcripſit: *Commodianum etiam Prætorem dixit, quo præſente ſapiſſime gladiator pugnauit*, neceſſariò intelligendi faſces, nam *præſente* Prætore, aut *præſidente*, vt alij legunt. Et cùm Marcellus Iure Conſultus l. 36. de Condit. & demonſtr. dixit: *Viuo Mœuio Conſul deſignatus eſt, & munus edidit*, neceſſariò lictores interfuere cum faſcibus. 198.

6. QVOT CORONÆ.] Intelligendum hoc ad

eum modum, quo dictum iam in Circo, vbi de illius apparatu.

6. CONCIONES ET DICTA.] Profert Iunius Suetonium in Iulio cap.26. *Munus populo epulúmque pronuntiauit in filiæ memoriam.* Sed & de edictis præsente iam ludo latè Lipsius.

199. 6. PVLTES PRIDIANÆ.] Intelligit sacras epulas, quæ datæ Diis in re omni sacra, de quibus luculentus est Arnobij locus lib.7. eius verba: *Quid fritilla? quid frumen? quid africia? quid gratilla? catumeū, conspolium, cubula? Ex quibus duo quæ prima, sunt pultium nomina, sed genere & qualitate diuersa: series verò quæ sequitur, liborum significantias continet: & ipsis enim non est vna eademque formatio.* Itaque Tertull. qui *pultes* nominat voce sacra, intelligendus de *fritillis* & *frumine*. An verò legendum in Arnobio *fritilla*, vt vult Pamelius; an *fitilla*, vt vult Iunius, in ancipiti sum. Sed inclino tamen in Iunium. Lege illum.

7. QVID ERGO.] Posset legi, *Quid ego.* Nam & alibi ita correctus à viris doctis Tertullianus est. B

200. 7. QVEM NEC PERIVRIA SVSTINENT?] Secutus sum explicationem Iunij, neque displicet. Sed, quia locus est difficilis, proponam alias, quas cogitaui. Tantus est loci huius horror, tanta turpitudo, vt neque ipsa periuria grauiorem sustineant. Nam *sustinere crimen & culpam*, verbum Iuris, idem est, quod reum esse criminis & culpæ. Obscuritas patescit, si attenderis, verbum *sustinere*, quod apud Iure Consultos datur crimini, hîc dari loco in quo crimen admittitur. Itaque *ipsa periuria* & emphaticè hoc loco ponuntur, & pro exemplo magni criminis, dicente Iustiniano: *Iuris iurandi cõtempta religio satis Deum habet vltorem.* Ergo ait, grauissimum horrorem sustinent periuria, sed grauiorem hic locus. id est, Periuria quæ horrendissima sunt, non sustinent tantum reatum, quantum hic locus. Aliter. *Quem nec periuria sustinent?* id est, non sustentant, non fulciunt, non denotant tantum periuri homines: quasi videlicet Amphitheatri fulcra C sint periuria. Ergo. Non solùm periuria vindicant sibi hunc locum, sed omnia alia immania crimina: & posuit quidem periuria principe loco, & κατ' ἐξοχὴν pro re enormissima. Hæc ego excogitaui. Sed incidi deinde in explicationem aliam Heraldi lib.1. Digress. capit.5. quam dabo, si cui placeat. Dicit videlicet, mentem Tertulliani esse, tantam dæmonum vim in Amphitheatro considere, vt ne periuri quidem, qui Deos omnes coaceruare solent, eorum nomina teneant, & complecti possint.

201. 7. PLVRIBVS ENIM ET ASPERIORIBVS NOMINIBVS CONSECRATVR AMPHITHEATRVM, QVAM, &c.] Mutat Lipsius in lib. de Amphitheatro cap.3. *Asperioribus Numinibus Amphitheatrum consecratur, quàm Capitolium. Omnium dæmonum templum est.* Dicitur hoc argumento, quia huius loci tria tantùm nomina, scilicet *Amphitheatrum, Cauea, Arena.* Sed vt reiicit *nomina*, quia hæc non pluria, sed tria tantùm: ita possit reiicere *numina*, quia hæc quatuor tantùm, quod sciam, scilicet Mars, Diana, Saturnus, Dis. De Marte & Diana testis in exitu huius capitis Tertullianus: de Saturno, Lactantius lib.6.cap.20. ex Sinnio Capitone: *Venationes & quæ vocantur munera Saturno attributa sunt.* De Dite aut Plutone Prudent. contra Symmachum:

Quid pulvis cauea semper funebris? & illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?
Hæc sunt delicia Iouis infernalis.

Vbi *infernalis Iupiter* est Pluto. Iterum,

Aspice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infausta fusus gladiator arena.

Ergo si pauca hæc, cur de Amphitheatro *pluribus & asperioribus nominibus?* Et cur iterum? *Omnium dæmonum templum est.* Nam de Amphitheatro hoc dici ex A lectione Lipsij clarum. Mihi non dubium, quin hîc aut *nomina* aut *numina* sint vitia: nam addit tot illic considere immundos spiritus, quot homines. Pro quo facit locus Plauti Curcul.

Siquidem incubare velint qui periurauerint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

Ait scilicet non ferri periuros in Capitolio: quibus tamen locus erat in Amphitheatro, imò periuria eius loci erant fulcra, vt dixi in vna explicationum. Tu Lector expende verbum illud *consecratur.* Vitia enim apud Gentiles non solùm in honore, sed etiam in religione, & ita locum tanquam magna numina consecrant. Inde Cyprianus ad Donatum eleganter dixit: *Fiunt miseris & religiosa delicta.* Et Lactantius lib. 1. institut.cap.20. *Quid mirum, si ab hac gente vniuersa flagitia manarunt, apud quam ipsa vitia religiosa sunt?* Manil. lib.5. *---improbitas fiet virtus.*

7. CAPITOLIVM OMNIVM DÆMONVM TEMPLVM.] Longum sit narrare, quæ numina ibi 202. culta, neque est loci huius. P. Victor: *Capitolium vbi omnium Deorum simulacra celebrantur.* Cicero, *Deorum domicilium.* Et in orat. illa ad equites de exilio suo, si illius est, ita ait dirigens orationem ad Iouem Capitolinum: *Nunc ego te Iuppiter Opt. Max. cuius nutu ac ditione sola terrarum gubernantur, téque particeps connubij, socia regni, regina Iuno; téque Tritonia armipotens Gorgone Pallas Minerua; cæterique Dij Deæque immortales, qui excellenti tumulo ciuitatis, sedem Capitolij incolitis, oro, atque obsecro ferte opem.* Seruius 2. Æn. *In Capitolio omnium Deorum simulacra celebrantur.* Quin Bebius Macer auctor est Augustum Cæsarem collocasse in Capitolio statuam Iulij Cæsaris, hoc verborum contextu: *Circa horam octauam stella amplissima, quasi lemniscatis corona orta est: quam quidam ad illustrandam gloriam Cæsaris iuuenis pertinere, existimabant: ipse animam patris sui esse voluit: eique in Capitolio statuam, super caput autem stellam habentem posuit. Inscriptum in basi fuit,* ΚΑΙΣΑΡΙ ΗΜΙΘΕΩι. Quin Suetonius in Domitiano cap.13. Domitiani statuas ibidem locat: *Statuas sibi in Capitolio nonnisi aureas argenteásque poni permiserit, ac ponderis certi.* De lectione est quod moneam. In vulgatis legitur, *Capitolium omnium dæmonum templum est.* Abieci verbum *est*, vt quod redundet, & turbet. Hoc enim potius quã vt post vocem *Capitolium* finienda sit sententia, vt statuit Iunius. de lectione Lipsij iam monui.

7. QVOT HOMINES CAPIT.] Cicero pro 203. Sextio: *Equidem existimo nullum tempus esse frequentioris populi, quàm illud gladiatorium; neque concionis vllius, neque verò vllorum comitiorum.* Iterum ibidem: *Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maximè delectatur.*

8. MARTEM ET DIANAM VTRIVSQVE LVDI PRÆSIDES.] Ille scilicet gladiatorio ludo, hæc venationi. Vtraque enim voluptas dabatur in Amphitheatro. De Marte Saluian. lib. 6. *Mars in arenis colitur.* De Diana Claudian. Paneg. de Conf. Manlij Theod. D

Amphitheatrali faueat Latonia pompæ.

Et Martialis,

Inter Cæsarea discrimina sæua Dianæ.

Nodos, qui esse possunt circa Deos præsides Amphitheatri, iam Lipsius soluit. Non omittam, Dianam factam præsidem ludi huius in gratiam & honorem *Scythiæ Dianæ*, (ait Cassiod lib.5. epist.42.) *quæ sanguinis effusione gaudebat.* Quia verò vno eodémque loco exhibita voluptas vtraque, factum vt sæpe ab auctoribus vtraque coniungatur. Testis locuples Martialis in spectaculis. Et tangit Ambros. lib. 2. Offic. cap.22. *Muneribus gladiatoriis vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum.*

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

Epilogus præcedentium capitum.

TERTVLLIANVS.

204. 1. SATIS, opinor, impleuimus ordinem, quot & quibus modis ſpectacula idololatriam committant, de Originibus, de Titulis, de Apparatibus, de Locis, de Artificiis: quo certi ſumus nulla ex parte competere nobis ea, qui idolis renuntiauimus.

EXPLICATIO.

1. RECVRRE ad finem capitis quarti, vbi propoſuit ſe dicturum de his, quibus hîc ait iam ſe perfunctum. Syllogiſmus integer præcedẽtium omnium capitum hic eſt. Renuntiauimus in baptiſmo Satanæ & pompis eius, ſpectacula pertinent ad has pompas, ergo renuntiauimus ſpectaculis. Aſſumptionem probauit ab *Originibus* Circi, & Scenæ cap. 5. ab *Titulis* Circi & Scenæ cap. 6. ab *Apparatibus* tantùm Circi cap. 7. à *Loco* tantùm Circi cap. 8. ab *Artibus* tantùm Circi cap. 9. ab Apparatibus, Loco, Artibus tantùm Scenæ cap. 10. ab Originibus, Titulis, Apparatibus, Loco, Artibus Agonum cap. 11. ab Originibus, Titulis, Apparatibus, Loco, Artibus Ludi gladiatorij cap. 12. Hæc anacephalæoſis vtilis erit nouitiis, parcant viri.

205. 2. Non quòd idolum ſit aliquid, vt Apoſtolus ait, ſed quòd quæ faciunt, dæmo-
1. Cor. 8. niis faciunt, conſiſtentibus ſcilicet in conſecrationibus idolorum ſiue mortuorum, ſiue (vt putant) Deorum.

2. Dixit *renuntiaſſe* nos *idolis*. Poſſet aliquis obiicere, ergo idolum eſt aliquid: Apage (inquit) nam Apoſtolus 1. Corint. 8. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*, ſed dixi renunciaſſe nos idolis, *quòd quæ* Gentiles *faciunt* idolis ſacra, *dæmoniis* verè *faciunt conſiſtentibus ſcilicet in conſecrationibus idolorum ſiue mortuorum, ſiue (vt putant) Deorum.* Id eſt, conſiſtentibus in idolis conſecratis (eſt enim hypallage) ſiue mortuis, ſiue (vt putant) Deis. Nam ſcilicet Iupiter, Venus, Mars, nihil aliud ſunt quàm homines mortui, qui tamen vt Dij coluntur.

206. 3. Propterea igitur, quoniam vtraque ſpecies idolorum conditionis vnius eſt, dum mortui & Dij vnum ſunt, vtraque idololatria abſtinemus. Nec minùs templa, quàm monumenta deſpuimus: neutram aram nouimus, neutram effigiem adoramus: non ſacrificamus, non parentamus: ſed neque de ſacrificato & parentato edi-
1. Cor. 10. mus, quia non poſſumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorum.

3. Quæ dixerat, dat hîc explicatiùs: quia verè vnum ſunt Dij & mortui. *Templa* Deorum, *monumenta* ſepulcra mortuorum. *Non ſacrificamus* Diis, *non parentamus* mortuis. *De ſacrificato* Diis, *de parentato* mortuis.

207. 4. Si ergo gulam & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis auguſtiora noſtra oculos & aures ab idolothytis & necrothytis voluptatibus abſtinemus, quæ non inteſtinis tranſiguntur, ſed in ipſo ſpiritu & anima digeruntur, quorum munditia magis ad Deum pertinet, quàm inteſtinorum?

4. Vocat ſenſus auguſtiores gula & ventre, quia illi miniſtri animorum noſtrorum ad intelligendum, ac perinde magis religioni adſtringendi. Dicit deinde elegantiſſimè, ſpectacula eſſe *voluptates idolothytas, & necrothytas*, id eſt, oblatas Diis, oblatas mortuis. Eſt enim Græcis νεκρὸς, *mortuus*. Extrahit autem voces à ſuis ſignificatis. Nam cùm *idolothytum* ſit tantùm, quod eſt idolis immolatum & cæſum; vt *necrothytum*, quod mortuis: hîc tamen accipit pro re quacumque facta in honorem Idolorum, & mortuorum, qualia ſunt ſpectacula.

NOTÆ.

208. 1. ARTIFICIIS.] In omnibus legitur, *Sacrificiis*, aperto errore. Vvoueren. ex mſ. *Idolis*, etiam errantiſſimè. Et quidem legendum, *artificiis*, ſum certus. Hoc enim poſtulat ipſa εἰκαιοφαλαίωσις. Nam cap. 4. *artes* poſuit extremo loco: quem tenorem ſemper ſeruauit. Et cap. 9. *Nunc de artificio quo Circenſes exhibentur*. Et cap 10. bis. nam: *Eſt & planè in artibus quoque Scenicis*. Iterum: *Iam nunc volumus ſuggerere de artibus*. Et cap. 11. *Sed & gymnicas artes*. Demum cap. 12. *Vt & de artibus concludam*.

1. EA, QVI IDOLIS RENVNTIAVIMVS.] Vvoueren. ex mſ. *Ea, quibus Idolis renuntiauimus*. Ex qua lectione Fulu. Vrſinus, *ea, quibus idolis renunciauimus*. Sed nihil cenſeo mutandum. Eſt enim lectio vulgaris perfectiſſima, mutatúrque ex mera libidine.

2. QVÆ FACIVNT.] Subaudiendi *Gentiles*, 209.
nam hoc poſtulat ſententia, niſi quis legat, *qui faciunt*, vt dicat, qui faciunt ſacra Idolis, dæmoniis faciunt.

3. NEC MINVS TEMPLA, QVAM MONVMENTA DESPVIMVS.] De hac contumelia,

qua *spuendo* Christiani contemnebant res Gentilium, A dicam ad cap.11.de Idololatria. Hîc notanda coniunctio ista templorum & sepulcrorum. Sic Minutius: *Templa vt busta despiciunt.* Prudent.lib.1.in Symmachum,

Et tot templa Deum Romæ, quot in vrbe sepulcra.

210. Tacitus lib.4. Annal loquens de Tiberio: *Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies & mansuræ: nam quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium verit, pro sepulcris spernuntur.* Apud Ammianum lib. 22. Gregorius Episcopus Alexandriæ: *Reuersus ex comitatu principis, cùm transiret per speciosum Genij templum, multitudine stipatus ex more, flexis ad ædem ipsam luminibus, quandiu (inquit) sepulcrum hoc stabit.* Notarunt hæc Grangæus in Prudentium, & Heraldus in Minutium. Nolui enim repetere, quæ de hac re ego iam scripseram in lib.4.Æn. vbi sepulcrum Sichæi, dicitur templum. Ergo ait Tertull. eodem gradu ponimus templa ac sepulcra, quia tametsi ista mortuorum, & illa Deorum; sed Deorum qui verè sunt mortui homines.

3. NEVTRAM ARAM NOVIMVS.] In templis Græcorum duo erant altaria; alterum maius, alterum minus: illud in medio situm, ἁγία τράπεζα dicebatur: hoc ad sinistrum, θυσιαστήριον appellabatur, vt scripsit Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis, lib. de Templ.Sacerdot.& Mystag. & Ioannes Episcopus Citr. in Resp. ἐπειδὴ αἴρεται εἰς τὸν ἅμβωνα πρὸς ἀναγνωσιν, ἢ τῶν ἁγίων δώρων ἐν τῇ εἰς τὴν ἁγίαν βάπτιζαν εἰσόδῳ, ἢ ἐν τῇ εἰς τὸν προσκυνητὸν ἐπιστροφῇ. Ergo Diis in Trapeza fiebant sacra, mortuis in Prothesi. Ab vtraque ara nos abhorremus.

4. AVGVSTIORA.] Ita loquitur de oculis & auribus, qui sensus non solùm gula & ventre, sed reliquis sensibus nobiliores. De oculis dixit Plinius, illis distingui vitam à morte lucis vsu. Loco huic par est ille Theophili Patriarchæ lib. 3. ad Autolycum: οὐδὲ τοὺς λοιποὺς θεωρίας ὁρᾶν χρὴ, ἵνα μὴ μολυνώμεθα ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ ἢ τὰ ὦτα: *Reliqua cernere spectacula non oportet, ne oculi nostri, & aures inquinentur.* Saluian.lib 6. de Gubernat. loquens etiam de Spectaculis: *Auditu aures, & aspectu oculi polluuntur.* B

CAP. XIIII. ARGVMENTVM.

Aggreditur viam aliam disputationis contra spectacula, ostendens pertinere illa ad concupiscentias seculi, ac perinde esse vetita.

TERTVLLIANVS.

211. 1. NVNC interposito nosse de idololatria, quod solum subiectum sufficere deberet ad abdicationem spectaculorum, alia iam ratione tractemus ex abundanti; propter eos maximè, qui sibi blandiuntur, quòd non nominatim abstinentia ista præscripta sit: quasi parum etiam de spectaculis pronuntietur, cùm concupiscentiæ seculi damnantur.

EXPLICATIO.

1. HELLENISMVS vsitatus huic scriptori, & sententia est. Cùm iam interposuerim, id est, iam nunc posuerim, fixerim, statuerim, spectacula esse rem idololatricam, quod satis fuisset ad illorum *abdicationem*, nunc ad abundantiam aliter rem tractabo. Itaque *interposito nosse*, est, iam nunc constituta notitia. *Propter eos maximè*, &c. Respicit ea quæ dicta tertio capite. *Præscripta sit*, id est, expresso præscripto & auctoritatibus sacrarum litterarum, *nominatim*, id est, proprio nomine vetita. Volunt scilicet stulti hanc formulam, *spectacula prohibentur*. Pergit. *Quasi parum*, &c. En iam argumentum *ex abundanti*, sed non quidem verbis abundans. Breuissimum enim conficit hunc in modum. *Concupiscentiæ seculi damnantur* à Deo, ergo eo ipso abundanter pronunciantur contra spectacula. Cùm enim ait, *quasi parum pronuncietur*, perinde est, ac si dicat, abundantissimè pronuntiari. Nec obstat adhiberi hoc argumentum in reliquis capitibus, vt hîc breuiter ponatur.

212. 2. Nam sicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ; ita & voluptatis concupiscentia est: Species autem voluptatis etiam spectacula, opinor. Generaliter nominatæ concupiscentiæ continent in se & voluptates: æquè generaliter intellectæ voluptates specialiter & in spectacula differuntur.

2. Laborat hic locus interpunctione, ideò visus Pamelio aut mutilus, aut corruptus, cùm neutrum sit, est enim plenus & sanus. Sed iam ad rem. Dixerat damnatis concupiscentiis pronunciari contra spectacula. Probat. Quia vt aliarum rerum est concupiscentia, ita & voluptatis: atqui spectacula continentur sub voluptate tanquam species sub genere. Ergo. En prima periodus. Sequitur, *Generaliter*, &c. Probat videlicet minorem (loquor vt Dialectici) præcedentem, contineri nimirum sub voluptate vt sub genere omnia spectacula. Probatio est sumpta à similitudine. Sicut concupiscentia genus est ad omnes voluptates, ita æqualiter voluptas genus est ad omnia spectacula. Ait *concupiscentiæ nominatæ*, quia in superiore tractu, *Cùm concupiscentiæ seculi damnantur*. Hispanus diceret, *las susodichas concupiscientias*. Illud verò *intellectæ voluptates* idem est. ac si dicat, voluptates generaliter acceptæ *differuntur specialiter in spectacula*, id est, distribuuntur, diuiduntur in spectacula, vt in species suas. Voculam *&*, quam triplicem habes in hoc tractu, explica semper per *etiam*.

NOTÆ.

213. 1. INTERPOSITO NOSSE.] Corruptissimè legebatur hic locus ante Pamelium, scilicet: *Nunc interposito nosse ne idololatria.* Quæ lectio adhuc hæret in Codicibus Barræi. Pamelius mutauit *ne* in

de, & ego hanc lectionem secutus sum in explicatione. Vvoueren. ex M. S. censet corrigendum, *Nam interposito nomine idololatriæ.* Cæterùm in explicando hoc Hellenismo Iunius errat, nam neque hic *interposito nosse* est, παρεμβληθέντος τὸ γνῶναι. Potiùs, διωρισμένου ἤδη τῷ γνῶναι, καθεκάστοτε, ἀφορισθέντος: neque est sensus, *iam interea ponamus statuamúsque*, vt ille explicat: indicat enim rem supponi à Tertulliano, quod falsum. Nam ille qui rem aliquam probauit, non supponit illam. Illud enim *inter* idem est, quod *interim*, id est, iam nunc. Græcè dicas, τὸ νῦν ἔχον, id est, *quod ad præsens attinet.* seu, ἐν τῷ μεταξύ: ad eum modum, quo in Concil.8. Tolet.cap.2. dicitur, *Iuramenti interpositio hoc roborat*, qua forma non indicatur supponi iuramentum, sed verissimè fieri.

A

1. QVOD SOLVM SVBIECTVM SVFFICERE DEBERET,&c.] Cyprian.de Spect. *Omnia ista spectaculorum genera damnauit, quando idololatriam sustulit, ludorum omnium matrem; vnde hæc vanitatis & leuitatis monstra venerunt.*

B

1. EX ABVNDANTI.] Græci ἐκ περισσοῦ, atque etiam ἐκ περισσείας. Nam Demosthenes dixit, οὗτος ἐκ περισσείας μοῦ κατηγορεῖ: *Hic ex abundanti me accusat.* Est hoc quod Hieronym.lib.2. aduersus Iouinianum *ex superfluo.*

214. 1. NOMINATIM.] Est hoc quod cap.3. *Significanter.* dixit enim: *Quòd non significanter, neque nominatim denuntietur seruis Dei abstinentia eiusmodi.* Idem omnino, quod in eodem 3.cap. *apertè, & exertè.* Et adhuc cap.20.huius operis dixit *specialiter & localiter* ad rem eamdem.

1. PRONVNTIETVR.] Nota verbum iuris & iudicis. Hæc enim mens Doctoris.q.d. Cùm damnantur concupiscentiæ à Deo iudice, eo ipso pronuntiatur sententia contra spectacula.

2. SPECIES AVTEM VOLVPTATIS,&c.] Vt videas discrimen interpunctionis nostræ, vide vti Pamelius interpunxerit. Iunius etiam errat plurimùm cùm incipit sequentem periodum, *opinor generaliter*, &c. Rectius multò est, vt vocula *opinor* pertineat ad præcedentem periodum, nam ita Græci vsurpant verbum δοκεῖ, à quo inchoari sententiam nemo vidit, hoc sensu quo illam Tertullianus inducit. Si meum dictum sequerer, scriberem, *Vt generaliter*, &c. Et ita fortasse non Pamelius quereretur de mutilatione, & corruptione.

2. NOMINATÆ CONCVPISCENTIÆ.] Si attenderis explicationi nostræ, quæ verissima, videbis inscitè legi à Iunio *nomina concupiscentiæ.* & nihil moror M. S. Pamelij, cùm neque ipse admittat.

2. DIFFERVNTVR.] In nonnullis est *differuntur*, quæ lectio potest defendi: sed satius multò est legi *differuntur.* Est enim plenum elegantiæ dicere, genus differri in species, quia verè in illas distrahitur.

CAP. XV. ARGVMENTVM.

Spectaculorum affectus alieni sunt ab Spiritu Dei.

TERTVLLIANVS.

215. 1. CÆTERVM retulimus suprà de locorum conditione, quòd non perse metipsa nos inquinent, sed per ea quæ illic geruntur, per quæ simul inquinamentum combiberint, tunc & in alteros respuunt. Viderit ergo, vt diximus, principalis titulus idololatriæ: reliquas rerum ipsarum qualitates contrariis omnes feramus.

EXPLICATIO.

1. ABSOLVIT iam argumentum, quo probauit vetita spectacula, quia vetitæ concupiscentiæ. Pergit in hoc capite ad aliud argumentum probaturus damnata spectacula propter affectus malos quos ingenerant in animis spectatorum. Vt verò præcedente capite præmisit satis esse ad illorum *abdicationem* nouisse esse illa idololatrica, ita in hoc præmittit quidpiam simile, quod iam explano. *Cæterùm retulimus suprà*, scilicet cap. 8. vbi habentur hæc verba: *Loca nos non contaminant per se, sed quæ in locis fiunt*, &c. Vide reliqua eius loci. *Per quæ*, videlicet vbi gesta. *simul*, pro simulac. *Et in alteros respuunt.* Dicit idem quod cap.8. *De contaminatis* locis *contaminamur.* Ergo ait: Simul ac loca ab rebus idololatricis ibi gestis *combiberint inquinamentum* idololatricum, tunc &, id est, etiam *respuunt* illud *in alteros*, nimirum spectatores. Inde concludit. *Viderit ergo principalis titulus idololatriæ* quomodo nominatim præscriptus sit, sed tamen nos pergamus ad aliud argumentum, & *contrariis* negantibus nominatim vetita spectacula in sacro eloquio *feramus* videndas ante oculos *reliquas omnes rerum ipsarum qualitates.* q. d. Nemo est, qui non videat vetita spectacula ab titulo idololatrico, sed ego faciam, vt qui hoc negant, idipsum videant ab alio titulo, quem ducam à sacris litteris.

216. 2. Deus præcepit spiritum sanctum, vtpote pro naturæ suæ bono tenerum & delicatum, & tranquillitate & lenitate, & quiete & pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare. Huic quomodo cum spectaculis poterit conuenire? omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. Vbi enim voluptas, ibi & studium, per quod scilicet voluptas sapit: vbi studium, ibi & æmulatio, per quam studium sapit: porrò & ibi æmulatio, ibi furor & bilis, & ira, & dolor, & cætera ex his quæ cum his non competunt disciplinæ.

2. Adhibet iam qualitates prauas, malósque affectus, quos imbibunt spectatores ludorum. *Deus præcepit*, &c. Ait Pamelius alludi ad illud Ephes.4. *Nolite contristare spiritum sanctum Dei*, &c. Tu Le-

ctor expende vti de ſpiritu ſancto loquatur. *Sine concuſſione*, &c. Concutitur enim animus malis affectibus. *Voluptas ſapit*, id eſt, ſapida eſt & grata. Vocem *ſtudium* explica *affician.* τῇ *diſciplinæ* Chriſtianæ. Reliqua clara ſunt. Cæterùm cùm hic repetat conſtanter quatuor affectus, ſcilicet *furorem*, *bilem*, *iram*, *dolorem*, putabam (fortè fallor) reſpicere ad quatuor ſpectacula, quæ toto hoc libro inſectatur. Itavt *furor* ſit affectus, quem propriè ingenerat Circus; *bilis*, quem ſtadium; *ira*, quem Munus; *dolor*, quem Scena: à querelis enim amantium, quæ materia eſt Scenarum, ſentit in ſe animus doloris mollitudinem, gemitus, lacrymas. Non vendito hanc explicationem, ſed ſi cui placeat.

217. 3. Nam etſi qui modeſtè & probè ſpectaculis fruitur, pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione: non tamen immobilis animi eſt, ſine tacita ſpiritus paſsione. Nemo ad voluptatem venit ſine adfectu, nemo adfectum ſine caſibus ſuis patitur. Ipſi caſus incitamenta ſunt adfectus. Cæterùm ſi ceſſat adfectus, nulla eſt voluptas, & eſt reus iam ille vanitatis, eò conueniens, vbi nihil conſequitur. Puto autem etiam vanitas extranea eſt nobis.

3. Diluit quod obiici poterat. Non enim ſatis eſt dicere, aliquem *modeſtè & probè frui ſpectaculis*, quæ modeſtia proueniat vel à *dignitate*, vel ab *ætate*, vel à *natura*. Non hæc ſcilicet excuſatio ſatis: nam nemo eſt animo immobili, etiamſi paſſio videatur eſſe *tacita* & dormire. *Nemo ad voluptatem*, &c. Probat neminem eſſe *ſine tacita paſſione*, quia nemo it ad ludos *ſine adfectu* (en paſſio) ſi autem quis habeat adfectum, neceſſe eſt habeat ruinam, quia ipſe adfectus ruina eſt. Et ruina ipſa adfectum efficit acriorem: hæc enim eſt natura mali: ineſcatus quippe homo ſemel, pergit in maius præcipitium. Dabo iſta clariùs in Notis. *Cæterùm ſi ceſſat*, &c. Diluit alteram obiectionem. Eſto nullus ſit adfectus, nulla voluptas in homine, qui adit ludos, tamen non debet adire, quia vanum eſt & Gentilicum eò conuenire, vbi nullus fructus, ne voluptas quidem; longè autem à Chriſtianis debet eſſe omne opus vanum.

218. 4. Quid quòd ipſe ſe iudicat inter eos poſitus, quorum ſe ſimilem nolens, vtique deteſtatorem confitetur. Nobis ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus, niſi & ta-
Pſal. 49. lia facientibus non conferamur. Si furem, inquit, videbas, concurrebas cum eo. Vtinam ne in ſeculo quidem ſimul cum illis moraremur; ſed tamen in ſecularibus ſeparamur: quia ſeculum Dei eſt, ſecularia autem diaboli.

4. Dixerat, euntem ad ludos ſine adfectu & voluptate, eſſe ſaltem *reum vanitatis*, adiicit nunc, non ſolùm vanus eſt, ſed *ipſe ſe iudicat*, id eſt, condemnat, quia cùm ſit deteſtator ludorum, tamen ſe ſimilem gentilibus confitetur, vtpote poſitus inter ethnicos ſpectatores. Cur dixerit *deteſtatorem*, aperiam in Notis. Quæ ſequuntur ita ſunt clara, vt tantùm egeant lectore.

NOTÆ.

219. 1. CÆTERVM, &c.] Mihi perſuaſi hanc periodum pertinere ad cap. 15. quæ malè hactenus nectebatur cum cap. 14. id credo facilè cognoſcet, qui penſiculauerit explicationem noſtram.

1. QVOD NON PER SEMETIPSA NOS INQVINENT.] Clariſſima hæc erunt adeunti caput octauum huius operis.

1. SIMVL.] Horatius vſurpat *ſimul* pro ſimulac, & ſimulatque. quod ita in eo frequens, vt iam deſinat obſeruari.

1. RESPVVNT.] Sumit locutionem non à cautibus, quæ repellunt impacta: ſed à terra madefacta imbribus, quæ cùm aquam combiberit, poſtquam ipſa eſt ſaturata, crapulam ſuam reſultu quodam in arbores remittit. Quò pertinent verba Ioannis Chryſoſtomi, Homilia 17. vbi *ſpectacula* vocat τὰς πονηρὰς πηγάς: *fontes nequitiæ*. Fons enim aquam refundit, qua plenus ipſe eſt. Et vide an verè dici queant ſpectacula totius nequitiæ fons, cùm dicat Saluian. lib. 6. *Nihil fermè vel criminum vel flagitiorum eſt, quod in ſpectaculis non ſit.* Exempla Iunij inutilia ſunt ad hanc rem, nam potiùs pertinent ad cautem repellentem, non combibentem. Niſi eo tantùm fine adducit, vt ſciamus reſputamen dici de imbribus. Sed huic fini vnus tantùm Lucretius ſeruit, qui dixit, *imber reſpuitur*, alij otioſi ſunt. Sed non malè poſſum exiſtimare locutionem ſumptam à ſerpentibus, qui venenum, quod habent ipſi, in alteros reſpuunt. Eſt quippe *reſpuere* proprium oris.

1. VIDERIT ERGO, &c.] Mutant totam A hanc periodum hunc in modum: *Hic erit ergo, vt diximus, principalis titulus idololatriæ: reliquas rerum ipſarum qualitates contrariis conferamus.* neque mihi diſplicet, ſed ita tamen vt poſſit lectio hærens explicari, vt à me factum. Illud verò Iunij qui *principalem titulum* explicat eſſe concupiſcentiam ſeculi, non fero.

2. PRO NATVRÆ SVÆ BONO.] Dictum *bonum* pro virtute, ad commodum, quo iam alibi latiùs. Hîc audi Optatum Mileuitanum lib. 1. vbi: *Bono pacis*, id eſt, virtus & ſpecimen pacis.

2. TENERVM ET DELICATVM, &c.] Tale quid de ſpiritu ſancto idem ſcriptor lib. de Patient. cap. 15. Loquens enim de hac virtute, ita ait: *Sedet enim in throno ſpiritus mitiſſimi & manſuetiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, ſed eſt tenera ſerenitas, apertus, & ſimplex.* B

2. NON FVRORE, &c.] Dicebam hos qua- 220.
tuor affectus referri poſſe ad quatuor ſpectacula. Tres primi *furor*, *bilis*, *ira*, non dubium quin reſpiciant Circum, Stadium, Amphitheatrum. Poſtremus *dolor*, in quo hærere quis poſſit, vt referatur ad Theatrum efficit Tertullianus ipſe inf. cap. 23. vbi loquens de hoc loco: *Vocem ſexus ætates mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adſeuerantem non probabit, qui omnem hypocriſin damnat.*

2. VBI ENIM VOLVPTAS IBI ET STVDIVM.] Notentur verba Euſebij Gallicani in exhortatione ad plebem: *Ipſa inhoneſtatis aſſiduitas, eſca eſt voluptatis.*

2. FVROR ET BILIS.] Cognati isti affectus. Claudianus de bello Gallico Stiliconem describens his affectibus non caret,

Sic ducis aspectu cuncti strepuere rebelles,
Inque vno Princeps, Latiúmque, & tota refulsit
Roma viro: frons læta parum, non tristior æquo,
Non detecta malis, mista sed nobilis ira.
Qualis in Herculeo, quoties infanda iubebat
Euristhеus, fuit ore dolor: vel qualis in atram
Sollicitus nubem, mœsto Ioue, cogitur æther.

Et Statius Palladem ita describit lib. 2.

Diua ferox, magni decus ingeniúmque parentis,
Bellipotens, cui torua genis horrore decoro
Cassis & aspersо crudescit sanguine Gorgon.

3. IMMOBILIS ANIMI EST.] Legunt *immobili animo*, possunt, sed ex ingenio magis Tertulliani est primum.

221. 3. CASIBVS.] Sumpsi hoc loco, & postea etiam vocem istam, non pro successu, sed pro ruina, vel ex verbis Aug. lib. 6. Confess. cap. 8. qui loquens de Alipio inuitè rapto ad spectacula, & clausos semper habente oculos, tamen *quodam pugnæ casu, cùm ingens clamor populi totius vehementer eum pulsasset, curiositate victus aperit oculos. Et percussus est grauiore vulnere in anima, quàm ille corpore, quem videre concupiuit: ceciditque miserabiliùs, quàm ille, quo cadente factus est clamor.* Vides vt casum pugnæ referat ad cadentem hominem. Ergo ait Tertullianus: Nemo venit ad publicas spectaculorum voluptates sine adfectu aliquo, & nemo patitur hunc adfectum sine ruina aliqua animi (quia scilicet ipse adfectus ruina est) ac demum ipsamet ruina cadentium in ludis adfectum efficit viuidiorem & acriorem ad similes deinde intuitus. Nemo ergo dicat, modestè fruor spectaculis pro dignitate mea, aut ætate, aut natura. Nulla est enim modestiæ disciplina, vbi viuidus & acer affectus. Præterea vt hoc putem ratio præit, nam cùm in illis, *nemo adfectum sine casibus suis patitur*, accipiat τὸ *casibus* de ruinis, videtur effici, vt τὸ *ipsi casus* accipiat similiter.

3. IPSI CASVS INCITAMENTA SVNT ADFECTVS.] Verissimè, quia affectus citissimè ad rem quamcumque excitatur. Sen. epist. 69. *Citò rebellat affectus. Quocumque se verterit pretium aliquod præsens occupationis suæ aspiciet.* Quamobrem Lucanus de gymnasiis ait: τῶν δὲ θεατῶν, οὓς φὴς ἁπανταχόθεν τοὺς ἀείσους παρεγγυᾶσθαι, τὰς πανηγύρεις καὶ πάνυ θαυμάζω, εἰ πάνδημα πάντες, σχολάζουσιν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις: *Spectatorum verò dementiam, quos tu ex omnibus locis optimos quosque ad ludos visendos ais confluere, demiror magnopere, si negotiis necessariis posthabitis hisce rebus vacare non vereantur.*

3. ET EST REVS IAM ILLE VANITATIS.] Gentilissimi. Nota acceptionem. Prudentius Hymno de Laurentio, *Persuasionis vanitas.* Et in Agone Vincentij. *O vestra inanis vanitas,*

Scitúmque brutum Cæsaris,
Condigna vestris sensibus
Coli iubentis Numina.

4. DETESTATOREM.] Non est sententia, esse similem detestatorem. Sed cùm sit detestator, esse tamen similem, quia adit ludos vnà cum Gentilibus. Omnino Tertullianus Græciæ hæsit, nec vidit Iunius, scrutator alioquin Helleniſmorum. Græci regunt vnum casum, & illi alterum appendunt adnectúntve veluti appendiculum, & sarcinam. Homer. 1. Il. 222.

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ ἐν ἀρείοσιν ἠεν ὑμῖν
Ἀνδράσιν ὠμίλησα.
Iam enim aliquando ego cum melioribus, quàm vos, Viris conuersatus sum.

Ad verbum est, *melioribus quàm vobis viris.* Vbi ὑμῖν annectitur ἀρείοσιν ἀνδράσι. Xenophon. lib. 6. Παιδ. ω Ζεῦ μέγιστε δός μοι φανῆναι ἀξίῳ σοῦ Πανθείας ἀνδρί: *O Iuppiter maxime da mihi dignum esse maritum Pantheæ.* Vbi ἀξίῳ ἀνδρὶ pro ἄξιον ἀνέρα, sed annectitur voculæ μοι: ad verbum diceres. *Da mihi esse digno marito Pantheæ.* Satis ad hunc locum ista: qui plura volet de hoc Helleniſmo adeat quæ ego plenè in lib. 9. Æn. ad illud,

Cui Remulo cognomen erat.

Ergo Tertullianus Latinè dixisset, *quorum se similem detestator confitetur.* Sed maluit Græcè *detestatorem*, quia *se.*

CAP. XVI. ARGVMENTVM.

Probat Christianis prohiberi Circum, quia prohibetur furor qui proprius Circi.

TERTVLLIANVS.

223. 1. CVM ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam à Circo, vbi furor præsidet.

EXPLICATIO.

1. DIxit in superiore capite affectus in communi, qui alieni sunt ab spiritu Dei: in hoc capite & tribus sequentibus discriminatim loquitur de affectibus, quos singula spectacula ingenerant: incipit à furore, qui proprius Circi. Itaque quærentibus an nominatim vetiti sint Circenses in sacris litteris, respondet esse, vetitus furor, qui præsidet in his ludis. Ergo si prohibitus à Deo est furor, proinde etiam à *Circo auferimur*, vbi *præsidet* ea pestis.

2. Aspice populum ad id spectaculum iam cum furore venientem, iam tumultuosum, iam cæcum, iam de sponsionibus concitatum.

2. En semen totius capitis. Venit populus *cum furore* ad hoc spectaculum, tumultuatur cum furore, cæcutit cum furore, demum idem furor illum agit, vt depositis sponsionibus pignoribúsque contendat, vter auriga futurus victor.

224. 3. Tardus est illi Prætor, semper oculi in vrna eius cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxij pendent, vnius dementiæ vna vox est (cognosce dementiam de Vanitate) Misit, dicunt, & nuntiant inuicem, quod simul ab omnibus visum est.

3. Sequuntur effecta furoris varia. Adeò præceps furore est populus ad voluptatem exsaturandam, vt tardum putet Prætorem. Eadem præcipitantia facit, vt oculos celerrimè voluet ad sortes, quas vrnâ inclusas Prætor volutabat. Videas iam illum pendentem anxiúmque *ad* Prætoris *signum*. Pergit. *Vnius dementiæ*, &c. Hæc sic coniungo. *Vna vox est vnius dementiæ*, id est, vnius dementis populi. Quæ verò *vox* ista *vna*? *Misit, dicunt*, &c. Tam verò *vox* ista *vna*, quàm quæ sequuntur, explicant parenthesim. Cùm omnes simul clamant, *Misit* Prætor signum mappæ, summa est dementia: nam quid dementius confuso illo & promiscuo vociferantium clamore? cùm *nuntiant inuicem, quod simul ab omnibus visum est*, summa est vanitas, nam nuntiatio ista vacat & frustranea est. Frustra enim & vacanter nuntiatur res videntibus. Rectè ergo, *cognosce dementiam de Vanitate.*

4. Teneo testimonium cæcitatis, non vident visum quid sit, mappam putant, sed est diaboli ab alto præcipitati figura.

4. Dixerat suprà, *cæcum* esse populum. En cur cæcus. Putant enim mitti mappam à Prætore, cùm tamen mappa illa sit potiùs *figura diaboli* concitantis populum ad furorem, figura scilicet miserandi casus, quo præcipitatus à cœlo est.

225. 5. Ex eo itaque iur in furias & animos & discordias, & quicquid non licet sacerdotibus pacis. Inde maledicta & conuitia sine iustitia odij, etiam suffragia sine merito amoris.

5. En effecta missæ mappæ, id est, præcipitati diaboli in Circum. Quid enim ille ingenerat nisi *furias, animos, discordias, & quicquid non licet sacerdotibus*, id est, professoribus, *pacis* Christianæ? Sequitur. *Inde maledicta*, &c. Explicat quod suprà dixerat de populo concitato sponsionibus. Maledicunt & conuitiantur iam huic, iam illi, vt cuiusque affectus, cùm nulla sit *iustitia odij* illius: suffragantur iam huic iam illi, etiam pro libidine affectus; qui amor *sine merito* est, id est, otiosus, & sine caussa, vt postea ipse explicat.

226. 6. Quid enim consecuturi suum illic agunt, qui sui non sunt? nisi fortè hoc solum, per quod sui non sunt. De aliena infelicitate contristantur, de aliena felicitate lætantur. Quicquid optant, quicquid abominantur, extraneum ab illis est. Ita & amor apud illos otiosus, & odium iniustum.

6. Dat explicatiùs quæ præmisit de *odio iniusto*, de *amore sine merito*. Clara omnia.

7. Et forsitan sine caussa amare liceat, quam sine caussa odisse. Deus certè etiam cum caussa prohibet odisse, quia inimicos diligi iubet. Deus etiam cum caussa maledicere non sinit, qui maledicentes benedici præcipit.

7. Dixit inueniri in Circo *amorem sine merito*, & *odium iniustum*. Dicit nunc, amorem illum ferri posse, odium nullatenus. Et vt probet de odio, adducit rationes petitas à verbis Christi, qui iussit *inimicos* debere *diligi*, & *maledicentes benedici*: si ergo etiam cum caussa Christianus neminem odisse debet, quid sine illa? In initio est Hellenismus, nam subaudienda vocula *potiùs*, vt dicat, *potiùs quàm*.

227. 8. Sed Circo quid amarius, vbi ne principibus quidem aut ciuibus suis parcunt.

8. Adducit pro argumento iniustissimi odij, quod dominatur in Circo, eius esse naturæ, vt pessumdet omnem pietatem, & adæquet bella ciuilia. Nam nec parcit *principibus*, qui venerandi esse debent; nec *ciuibus*, qui amandi sunt. Dicit hoc, quia affectus spectatoris fertur sæpè contra aurigantem principem, & ciuem.

228. 9. Si quid horum quibus Circus furit, aliubi competit sanctis, etiam in Circo licebit. Si verò nusquam, ideo nec in Circo.

9. Finis capitis, & satis clarus. *Furit*, aptè, quia caput hoc de furore Circi. *Sanctis*, id est, Christianis sanctificatis in baptismo.

NOTÆ.

229. 1. VBI FVROR PRÆSIDET.] Ita verè est. Nazianzenus orat. 27. περὶ τῶν ἱππικῶν ἢ τῶν θεάτρων, ἢ τῶν ᾀσμάτων, ἢ τῶν κυνηγίων τοσοῦτον μαίνονται, ὥστε τῶν τῆς πόλεως βίον: *Circa ludos Circenses & spectacula, & currus, & venationes adeo insaniat, vt hæc prohibita & serio quodam instituto habeat.* Sed de Circo solùm, Saluian. lib. 6. *Qui bacchantur in Circis.* Iterum post multa. *Ecclesia Carthaginiensis insaniebat in Circis.* Et adhuc: *Circorum insanias.* Tertullianus ipse de hab. Mulieb. cap. 8. *Non oportet Christianum affici Circi furoribus.* Et sæpè aliàs. Hieronym. ad Marcellam: *Circus insaniat.* Lactantius quoque lib. 6. cap. 20. A Circo dat *insaniam.* August. de symbolo ad Catechumenos lib. 2. *Quid delectat in Circo? aurigas videre certantes, populos insania, furia anhelantes*, &c. Inde equos Circi Themistius orat. 7. vocat πολεμιστὰς, propter seditiones Circi proprias. Minutius: *In ludis currulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam?* Sed bellissimus est Nazianzeni locus in carmine 3. iambico, vbi iisdem fere coloribus Circum afficit, quibus in toto capite Tertullianus. Sic enim ait, omissis Græcis, quia multa:

Quin Circus etiam, mitius spectaculum
Quamuis priori nemo non existimet,

Est pestis animæ, morbos & necem ferens.
Diuellit vrbes, vulgus in partes secat,
Docetque pugnas, & ciet conuitia.
Cines propinquos dirimit, & senibus probrum
Infert, furore pectora & iuuenum ferit,
Addoda amicos excitat, leges premit.

230. 2. ASPICE POPVLVM, &c.] Satis indicat summum studium, quo huius spectaculi plebs Romana teneretur, cùm describat *venientem cum furore*. Iuuenal. Satyr. 11.

Totam hodie Romam Circus capit.

Signatissimè Ioannes Chrysost. rem hanc expressit vsus verbo *curro*. Eius verba orat. 3. de incompreh. Dei Nat. πᾶσα πόλις ἐπὶ τὸν ἱππόδρομον ἔτρεχε: *currebat ad circum vniuersa ciuitas*. Lactantius quoque lib. 6. cap. 20. loquens de Circensibus: *Tanto impetu concitantur animi in furorem, quanto illuc impetu curritur*. Inde Corippus lib. 1.

B *--- grati spectacula Circi.*

Et iterum Circensia gaudia vocat *iucunda*. Et Hieronym. 2. Iouin. vnis Circensibus dat *delectationem*. Constantinus Manasses in Annalib. loquens de Commodo,

Μίμοις γὸ ἔχαιρεν ἀεὶ καὶ μονομάχων θέαις:
Mimis delectabatur semper & spectaculis gladiatorum.

Et Concilium Constantinop. in Trullo can. 24. verbum ἀνίεσθαι, quo notatur omnis animi remissio.

231. 2. DE SPONSIONIBVS CONCITATVM.] Harum sponsionum, quibus spectatores studia sua indicabant, meminit Ouid. 1. de Arte.

---tangitque manu, poscitque libellum,
Et quærit, posito pignore vincat vter.

Macrobius lib. 3. cap. 17. *Nec moratus sponsione contendit*. Vlpianus leg. 17. ff. de præscrip. verb. *Si inhonesta sponsionis causa erit, annuli dumtaxat repetitio erit*. Iuuenalis Sat. 11. nam de his ludis loquens, C

--- spectant iuuenes quos clamor & audax
Sponsio, &c.

Et Martialis lib. 11. Epig. 1.

Sed cùm sponsio fabulaque lassæ
De Scorpo fuerint, vel Incitato.

Fuerunt Scorpus & Incitatus agitatores duo celeberrimi, vt putant nonnulli: vel equi aurigatores, vt alij, quibus ego assentio. Scio Scorpum fuisse agitatorem, vt liquidum ex eodem Martiali lib. 10. Epig. 50. Sed cùm Incitatus fuerit equus nobilissimus Caligulæ, apud Suetonium & Dionem, insipidè hîc coniungeret cum illo agitatorem hominem. Hoc obiter de loco Martialis; & iam ad viam.

232. 3. TARDVS EST ILLI PRÆTOR.] Prætoris duplex munus in Circo, & sortes agitare, & mappam mittere. Sortium meminit Sidonius in Narb. D

Et iam te vrna petit, ciétque rauca
Acclamatio sibilans coronæ.

Et Statius lib. 6. Theb.

Et iam sortitus Proteus versarat ahenæ
Casside, iámque locus cuique est, & liminis ordo.

Mappæ Ennius apud Tullium lib. 1. Diuinat.

--- veluti Prætor cùm mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis è faucibu' currus.

Et Martialis lib. 12. Epig. 29.

Cretatam Prætor cùm vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Scio versus Ennij aliter ab aliis legi. Quid daret porro sors agitatoribus in Circo, quódque earum beneficium dixi ad lib. 5. Æn. dixi mitti mappam à Prætore, nam hoc illius proprium: si quando aliter factum, certè ex mera libidine Principum. Vt cùm de Commodo Lampridius: *Dalmaticatus in publico processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit*. Inde transA situs ad alia ludorum genera. Nam Suetonius in Nerone cap. 21. scribit, Neronem nomen suum in albo citharœdorum profitentium adscripsisse, sorticuláque cum cæteris demissa in vrnam, intrasse ordine suo.

3. ANXII PENDENT.] Indicatur studium mortalium in Circensia ludicra. Ammian. lib. 14. *Est admodum mirum videre plebem innumeram mentibus ardore quodam infuso cum dimicationum curulium euentu pendentem*. Huc pertinent sponsiones, de quibus iam.

3. VNIVS DEMENTIÆ VNA VOX EST.] 233. Lectio optima, nec est cur audiamus scribentem, *ad signum anxij pendent, vnius dementiæ vna vox est*.

3. COGNOSCE DEMENTIAM DE VANITATE.] Inclusi parenthesi, nam ita mihi melius ad sententiam. Hoc vitium dat etiam Lactantius Circensibus. Nam lib. 6. cap. 20. *Circensium quoque ludorum ratio quid aliud habet nisi leuitatem, vanitatem*, &c. Et Ambros. in Psal. 118. *Equos currentes aspicis, vanitas est*. Bernardus de conuersione ad Clericos cap. 12. spectacula omnia in communi vocat vana, friuola, inania, nugatoria.

3. MISIT.] Hac forma Ennius & Martialis, iam laudati.

4. MAPPAM.] Originem Mappæ Circensis 234. hanc adhibet Cassiod. lib. 3. epist. 51. *Mappa verò quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem. Cùm Nero prandium protenderet, & celeritatem, vt assolet, auidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus vtebatur, iussit abiici per fenestram, vt libertatem daret certaminis postulandi*. Sed falsus Cassiodorus, nam altior mappæ origo, vt liquidum ex testimonio Ennij apud Tullium iam laudato: videatur iconismus missæ mappæ apud Philippum Rubenium virum doctum lib. 1. Elector. cap. 30. Tertullianus aduersus Valentinianos: *Quãto meliores, qui totum hoc tædium de medio amoliti, nullum æonem voluerunt, alium ex alio per gradus re vera Gemonios structum, sed mappa, quod aiũt, missa, semel octoiugem istã ex patre & Ennæa eius exclusam*, hoc est, *velut edito quopiam signo*. Ait verò Quintil. lib. 1. cap. 5. *mappam* esse nomen Punicum. Morem mittendæ mappæ lege apud Martialem lib. 12. Epig. Et apud Iuuenalem Sat. 12. & apud quos non. vnum tantùm Ioannem Chrysost. adducam orat. de Circo: πάντων οἱ ὀφθαλμοὶ ἐπὶ τὸ μαπτήριον πεπήγοτος τοῦ σημείου ἀτενίζουσι: *Omnium oculi feruntur in mappam postquam signum fixum fuit*.

4. PRÆCIPITATI.] Ita legendum: nam Iu- 235. nius qui ait scriptum antea in Tertulliano *præcitati*, de suo dicit. Huius enim lectionis nec ipse auctorem laudat, aut manu scriptum, nec in aliquo alio extant vestigia. Ait scilicet legendum *præciati*. Nam *præciæ* masculino genere (auctore Festo) erãt metatores aut calatores, qui anteibant sacerdotes Dialem, Quirinalem, Martialem, clamabántque vt opifices manus sustinerent ab opere, ne, si vidissent sacerdos facientem opus, sacra polluerentur. Inde colligit Iunius hunc in modum: *Sic diabolo clamosi præciæ ministrabant in Circo: quorum clamores præcita dicebantur: qui verò illis præcitis excipiebantur, præcitati. Quamobrem post Auctor, vt de re sacra loquitur, dicens, & quicquid non licet sacerdotibus pacis*. Hactenus Iunius, imò, nugæ Iunianæ, neque enim conueniunt cum verbo illo *ab alto*. neque mentio quæ in Tertulliano est Sacerdotum (quæ certè res Iunium decepit) illum iuuat. Nam si vera essent Iuniana, oporteret, vt diabolus esset Sacerdos, quem clamor præcederet, nam præciæ antecedebant sacerdotes: atqui apud Tertullianum Sacerdotes sunt spectatores, non diabolus.

5. SACERDOTIBVS PACIS.] Ita vocat 236. Christianos, quibus ait non conuenire discordias Circi. An quia Christiani omnes *regale sacerdotium*?

fortaſſe. Sed aliud meditor. Vt in iure dicuntur Iuriſconſulti ipſi *ſacerdotes iuſtitiæ*, quod ex l. 1. Dig. de Iuſt. & iure, & ex Symmacho probat Briſſon lib. 16. de verborum ſignificatione. Et vt Coripp. lib. 1. loquens de Quæſtore Anaſtaſio dixit,

Iuris legúmque ſacerdos:

Sic potuit Tertullianus vocare *ſacerdotes*, qui profeſſores Chriſtianæ diſciplinæ eſſent, in iure ipſe verſatiſſimus. Apud Themiſtium Euphradam orat. 2. video Philoſophos dictos ζακόρους, id eſt, ſacerdotes, & poſt alia ita ait loquens de patre ſuo: πολλάκις Ἀριστοτέλει προσιόντας, εἰς τὸν Πλάτωνος ἔληγε τελουμένους: *Sæpè cùm ab ſacris Ariſtoteli faciendis inchoaſſet, in Platonis ſacrificia deſinebat*, id eſt, incipiens ab Ariſtotelica philoſophia, deſinebat in Platonicam. Hîc ſatis vides profeſſores eiuſque ſectæ dici *ſacerdotes*. Et orat. 4. cum aſpectu ad rem eandem, ait: Πυθαγόρου τεμένη, καὶ τοὺς Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους νεώς: *Pythagoræ templa, Platonis atque Ariſtotelis delubra*. Gemina vox *Antiſtes*, nam in iure *antiſtes liberalium ſtudiorum*. Et Plinius lib. 7. cap. 30. Platonem vocat *antiſtitem ſapientiæ*. Vide eundem Briſſ. Denique apud Budæum lib. de tranſitu Helleniſmi, nihil frequentius his vocibus: & vſu hoc. Idem Budæus in Pandect. ait, ideo Sulpicium Iuriſconſultum dictum à Quintiliano *iuris antiſtitem*. Hæc multò Iunianis potiora.

237. 5. SINE IVSTITIA ODII ETIAM SVFFRAGIA, &c.] Sic proculdubio ſcribendum, vt apparet ex ſequentibus, vbi ait *odium iniuſtum*. Itaque malè in vulgatis ſcribitur, *conuitia ſine iuſtitia, odij etiam ſuffragia ſine merito amoris*. Ad ſententiam porro pertinent verba Cypriani de Spectac. *Quàm vana ſunt ipſa certamina, lites in coloribus, contentiones in curribus, gaudere quòd equus velocior fuerit, mœrere quòd pigrior*, pergit multis. Dio Chryſoſtom. orat. ad Alexandrinos: ἀλλ' ὅταν εἰς τὸ στάδιον ἔλθητε, τίς αὖ ἐντεῦθεν διώκειτο ταὶ ἐκεῖ κραυγαὶ, καὶ θόρυβος, καὶ ἀγωνία, καὶ σχημάτων μεταβολαὶ, καὶ χειμάτων, καὶ βλασφημίαι; *Cùm in ſtadium veneritis, quis dicere poſſit clamores, & tumultus, contentiones, geſtuum mutationes, & colorum, & conuicia?* Inde Iuuenalis *clamoſo circo* dixit, & alibi *rauco circo*. Sidonius, *fragor*. Corippus, *ſtudiorum iurgia*. Auſonius, *iurgia circi furioſi*. Statius in Syluis,

Rapidi mutent te prælia Circi.

Et millena.

6. QVID ENIM CONSECVTVRI SVVM, &c.] Cùm dicat, qui non ſunt ſui, ſed alterius (nam videlicet affectu alterius ſunt) non conſequuntur aliquid ſuum, niſi tantùm hoc, quod eſt, non eſſe ſuos, & hoc propriè ſuum erit: cùm hoc (inquam) dicat, putauerim trahi ſermonem à ſeruis, qui cùm ſui non ſint, nihil poſſunt conſequi, quod ſit ſuum: tantùm ſuum eſt, non eſſe ſui. Monet verò Barræus in Pariſienſi Codice ita ſcribi: *Quid enim conſecuturi ſint ſuum, qui illic agunt, qui ſui non ſunt?* Quæ lectio non diſplicet, ſi addatur interrogatio.

8. VBI NE PRINCIPIBVS QVIDEM.] Dixi ad Apologeticum.

9. SANCTIS.] Explicaui *Chriſtianis*, veriſſimè, ſed firmo alibi.

CAP. XVII. ARGVMENTVM.

Probat prohiberi Theatrum, quia prohibetur Impudicitia, quæ propria Theatri.

TERTVLLIANVS.

238. 1. SIMILITER impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo à Theatro ſeparamur, quod eſt priuatum conſiſtorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur. Ita ſumma gratia eius de ſpurcitia plurimùm concinnata eſt. Quam Atellanus geſticulatur, quam Mimus etiam per mulieres repræſentat, ſexum pudoris exterminans, vt faciliùs domi quàm in Scena erubeſcant; quam denique Pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex eſſe poſſit.

EXPLICATIO.

239. 1. TRanſit ad Theatrum, vbi Scenæ peragebantur, & probat vitium eſſe hoc ſpectaculum, quia vetita impudicitia, quæ ita propria Theatri, vt locus iſte dici queat *conſiſtorium*, vbi illa conſiſtit & dominatur. eſt enim hoc quod Cyprianus dixit lib. de Spect. *Præſcribat igitur iſtis pudor, etiamſi non poſſunt ſanctæ litteræ*. Procedit. *Vbi nihil probatur*, &c. id eſt, vbi nihil gratum, niſi *quod alibi* improbatur: quia ſcilicet hîc fiunt, quæ nullibi propter ſummam fœditatem poſſunt. *Ita ſumma gratia eius* Theatri, *quam* ſpurcitiam *Atellanus geſticulatur*, id eſt, geſtibus ad viuum exhibet: *quam Mimus* non per ſe ſolum, ſed *etiam per mulieres repræſentat, ſexum pudoris exterminans*, euertens, profanans, demoliens ſexum fœminarum, nudas illas exhibens; quo ſanè in ſexu pudor habitat veluti in domicilio proprio. Hunc itaque pudorem amandat exterminátque ab fœminis impurus mimus, denudans mimas in conſpectu omnium. Et quidem fœminæ adeo aſſuetæ ſunt his impuritatibus publicis, *vt faciliùs domi quàm in Scena erubeſcant: quam denique* ſpurcitiam *Pantomimus à pueritia patitur in corpore*, quia à puero diſcit nefanda pati *in* ſuo *corpore*, *vt* poſtea *artifex* eiuſmodi nefandorum *eſſe poſſit*. Intelligit geſticulationes & motus impudicos, quos exhibet in Theatro, quia illos didicerat, cùm pateretur in corpore contumeliam.

240. 2. Ipſa etiam proſtibula publicæ libidinis hoſtiæ in Scena proferuntur, plus miſeræ in præſentia fœminarum, quibus ſolis latebant, pérque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur; locus, ſtipes, elogium, etiam quibus opus non eſt, prædicatur. Taceo de reliquis ea quæ in tenebris & in ſpeluncis deliteſcere decebat, ne diem

contaminarent. Erubeſcat Senatus, erubeſcant ordines omnes; illæ ipſæ pudoris ſui interemtrices de geſtibus ſuis ad lucem & populum expaueſcentes, ſemel anno erubeſcunt.

241. 2. Hactenus de obſcœnitatibus Theatralibus, quæ vulgo à mimis exhibebantur: pergit ad turpiores quas peragebant meretrices proſtibulariæ. Dicuntur iſtæ eſſe *hoſtiæ libidinis publicæ*, quia faciebant veluti ſacrificium ſui expoſitæ omnium libidini. *Plus miſeræ*, &c. quia in ſpeluncis ſuis viris tantùm verecundiam ſuam prodebant, non fœminis, vt in hoc ſpectaculo. *Pérque omnis ætatis*, &c. Vniuerſorum oculis exponuntur (ita explica verbum *transducuntur*) publica quadam tranſuectione. *Locus, ſtipes, elogium*, &c. Pronuntiabatur publicè à præcone cella cuiuſque meretricis, en *locus*; quid quæſtus ipſis eſſet numerandum, en *ſtipes*: quas virorum principum caſtitates expugnauerint, conſecutæ ita veluti palmas & victorias, en *elogium*: fortaſſe etiam per *elogium* intelligit laudatam pulchritudinem à præcone, vt ita inuitaremur ſpectatores. Addit prædicari iſta *quibus opus non eſt*, quia omnia hæc omnibus cognita. *Taceo de reliquis*, &c. Indicat enorme quiddam horum ludorum, nam meretrices, quæ producebantur nudæ ad hoc ſpectaculum, palam mœchabantur in publico, quod flagitium neceſſariò ſequebantur horrendæ turpitudines: atqui hæc fœditas *tenebrarum* eſt & *ſpeluncarum*, non diei & lucis. Vult ergo tacere ſcriptor, quæ à nudis perage-rentur, ne ipſe paginam ſuam contaminet, vt illæ diem. *Erubeſcat Senatus*, &c. Grauis admonitio. Si proſtibulares fœminæ, quæ *interemerant* (ſic ſuprà *hoſtias* dixit) *ſuum pudorem*, tamen expauebant *ad lucem*, ſaltem *ſemel in anno* erubeſcentes (quia ſcilicet ſemel in anno fiebant Floralia) cur non erubeſcat ſpectator Senatus, & reliqui ordines, equeſtris, plebeius, & ſummus omnium Conſularis?

242. 3. Quòd ſi nobis omnis impudicitia exſecranda eſt, cur liceat audire, quæ loqui non licet, cùm etiam ſcurrilitatem & omne vanum verbum iudicatum iri à Deo ſciamus? Cur æquè liceat videre, quæ facere flagitium eſt? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admiſſa non videantur hominem communicare, cùm ſpiritui appareant aures & oculi, nec poſſit mundus præſtari, cuius apparitores inquinantur? Habes igitur & Theatri interdictionẽ de interdictione impudicitiæ.

243. 3. Concluſio non capitis, ſed eorum quæ pertinent ad impudicitiam, in qua vrgentiſſimæ rationes adduntur, cur Chriſtianis vetentur Theatralia ſpectacula. Clara omnia ſunt. Verbum *communicare* eſt, inquinare. Præclarè ſenſus dicuntur *apparere* ſpiritui, id eſt, famulari, miniſtrare: verbo forenſi. *Habes igitur & Theatri interdictionem.* eſt & hoc loco, etiam. cum reſpectu ſcilicet ad ſuperius caput. q. d. Sicut Circus interdicitur, quia ibi furor; ita etiam Theatrum, quia ibi impudicitia.

244. 4. Sin & doctrinam ſecularis litteraturæ, vt ſtultitiæ apud Deum deputatam, aſpernamur, ſatis præſcribitur nobis, & de illis ſpeciebus ſpectaculorũ, quæ ſeculari litteratura luſoriam vel agoniſticam Scenam diſpungunt: quòd ſint tragœdiæ ſcelerum & libidinũ auctrices, cruentæ & laſciuæ, impiæ & prodigæ. Nullius rei aut atrocis aut vilis cómemoratio melior eſt: quod in facto reiicitur, etiã in dicto non eſt recipiendũ.

245. 4. Poſſunt obiici Tertulliano. Rectè à te probatum vetita Theatralia propter impudicitiam mimorum & meretricum, ſed memineris exhiberi etiam in Theatris comœdias & tragœdias, quæ plenæ *ſecularis litteraturæ* atque inſtructionis. Ergo euertit in extrema parte capitis machinam hanc acutiſſimus Doctor, incipítque ab illo Pauli 1. Corinth. 3. vbi ait, Sapientiam huius mundi ſtultitiam eſſe apud Deum. Ergo ait: cùm Deus ore Pauli doctrinam omnem ſecularium litterarum deputauerit ſtultitiæ, ſatis hoc ipſo nobis præſcribitur de illis ſpeciebus ſpectaculorum, *quæ ſeculari litteratura luſoriã vel agoniſticam Scenam diſpungunt*, id eſt, quæ ſecularibus litteris concinnant, compingunt, complent comicam, nam hæc eſt Scena *luſoria*; & Tragicam, nam hæc eſt Scena *Agoniſtica*. Deinde ſicut probauit mimos & proſtibula abominanda eſſe propter impudicitiam; ita nunc affert affectus prauos, quibus plana Tragœdiæ & Comœdiæ. Sunt enim *Tragœdiæ ſcelerum auctrices*, quia *cruentæ & impiæ*: ſunt Comœdiæ *libidinũ auctrices*, quia *laſciuæ & prodigæ*. Pergit. *Nullius rei aut atrocis*, id eſt, Tragicæ; *aut vilis*, id eſt, comicæ, *commemoratio melior eſt*. q. d. Si malum eſt in ſe, quod Tragœdia, aut Comœdia repræſentat, certè ipſa mali *commemoratio* non erit *melior*. Quia *quod in facto reiicitur, nec in dicto recipiendum eſt.*

NOTÆ.

246. 1. CONSISTORIVM IMPVDICITIÆ.] Impudicitias Theatrales notat Aug. epiſt. 5. vocãs *Theatrica dedecora*. Et Saluianus lib. 6. de Gubern. *Theatrorum obſcœna*. Iterum, *luxuriabat in Theatris*. Et adhuc: *Fœditates Theatralium ludorum execramur*. Hieronym. in epiſt. ad Marcellam: *non Theatri luxuria delectabatur*. Clemens etiam Alex. l. 3. Pædag. cap. 11. Theatris dat αἰσχὸν ἔρωτα, & vtique omnem turpitudinem. Et Auguſt. lib. 3. confeſſion. *Rapiebant me ſpectacula Theatrica, plena imaginibus miſeriarũ mearum, & fomitibus ignis mei.* Indicat impudicitiam & luxuriam, quæ materia Theatri. Minutius: *In Scenicis, etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat. Nunc eneruis eſt hiſtrio, amorem dum fingit, inſtigit.* Chryſoſtomus Homilia 3. de Pœnitentia: ἐκεῖ πορνος, ἐκεῖ γάσω πορνομίαν, οὐ χμάλωτος ἐγένου τῆς πόρνης. Agit enim de Theatro. id eſt, *ſpectaſti iniquitatẽ ipſã operatus es: captiuus factus es meretricis.*

1. ATELLANVS GESTICVLATVR.] De Atellanis hiſtrionibus, qui ab Atella Oſcorum oppido, otioſum erit in tanta litterarum luce. Inde ad incrementum Hieronym. epiſt. ad Sabinianũ, *Repertũ eſt* (ait) *facinus, quod nec mimus fingere nec ſcurra ludere, nec Atellanus poſſit effari.* Cæterùm ante Pamelium ſcri-

ptum erat *gesticulatur*, ille mutauit in *gesticulator* nulla necessitate: nam cur non dicas, gesticulari spurcitiam?

248. 1. SEXVM PVDORIS EXTERMINANS.] Retuli ad nudationem corporum, nam mimæ ita sæpè in Theatro. Valer. Maxim. lib. 2. loquens de Floralib. ait, M. Portio Catone spectante hos ludos, populum erubuisse postulare *vt mimæ nudarentur*. Quod cùm Cato cognosceret à Faonio amicissimo vnà secum sedente in ludis, *discessit è Theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret*. Et Lactantius de ijsdem ludis lib. 1. cap. 20. *Præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio, & in conspectu populi vsque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur*. Eadem scribit Seneca epist. 97. loquens de Catone, vbi meminit meretricum, quæ nudabantur in Theatro. Hieronym. quoque lib. 1. aduersus Iouinian. ait: *Scortorum more nudari*. Lampridius de Heliogabalo, agente personam Veneris, ait, in Scena nudum impudentissimè permansisse. Non autem audio Iacobum Durant. qui lib. 1. Variar. cap. 12. ita legit: *Quam mimus etiam per mulieres repræsentat sexus, pudorem exterminans*. Tum quia nulla mutandæ lectionis ratio, tum quia elegantissimè ad notandam nuditatem fœminarum dicitur *exterminare pudoris sexum*, quia in sexu fœmineo pudor regnat tanquam in domicilio proprio. Est etiam multò satius vt intelligas *mulieres mimas*, non *mulieres sexus*, imò hoc ἀπόπτως dicitur. Adhibeo, si cui placeat, aliam explicationem. Fortasse *exterminare sexum pudoris* erit, quod Lactantius scribit lib. 6. cap. 22. *Histrionum quoque impudentissimi motus, quid aliud nisi libidines docent, & instigant? quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum habitúmque mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur*. Itaque histrio deposito virili habitu assumptum fœmineum maculat turpissimis gestibus, exterminátque ab illo pudorem, faciens quod fœmina non faceret, & sic inhonestat sexum, qui natura est pudicus.

249. 1. PANTOMIMVS.] Ita dictus quòd omnia imitaretur. Cassiod. lib. 4. epist. 51. *Pantomimo, cui à multifaria imitatione nomen*. Quod post pauca explicans, addit: *Idem corpus Herculem designat & Venerem, fœminam præsentat & marem: Regem facit & militem: Senem reddit & iuuenem: vt in vno credas esse multos tam varia imitatione discretos*. Zosimus lib. 1. Hist. παντόμιμος ὄρχησις: *Pantomimorum saltatio*. Et hæc inquit ille, sub Augusto claruit cum Pylade, & Bathyllo. Qui de his multa velit, & ad satietatem vsque, legat Cæsarem Bulengerum lib. 1. de Theatro cap. 52.

1. PATITVR.] Hoc verbum esse impudicum, datúmque masculis infanda patientibus satis apparet ex Lampridio, apud quem Heliogabalus, *quærebat à Philosophis & grauissimis viris, an & ipsi in adolescentia perpessi essent, qua ipse pateretur*. Erat & verbum proprium masculi scorti *intercutiri*. Et Balbus Catholico: *cutitus, stupratus, corruptus*. Isid. in Gloss. *subscus, subcutaneus, subcutatus, intercus, intercutaneus, intercutatus, subtercus, subtercutaneus*. Cæterùm sententiæ Tertullianicæ affinia verba hæc Cypriani ad Donatum: *Videre contra fœtus iúsque nascendi patientiam incesti turpitudinis elaboratam! Euirantur mares, honor omnis & vigor sexus enervati corporis dedecore mollitur: plúsque placet quisquis virum in fœminam magis fregerit*, &c. Arnobius lib. 4. *Quid Pantomimi vestri, quid histriones, quid illa Mimorum atque exoleti generis multitudo?* Saluian. lib. 6. de Gubern. *Longum est nunc dicere de omnibus amphitheatris, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petauariis, pantomimis, cæterísque portentis, quæ piget dicere: de solis circorum ac theatrorum impuritatibus loquor*.

2. IPSA ETIAM PROSTIBVLA, &c.] 250. Locum hunc illustrat Lipsius lib. 1. Elect. cap. 11. introducebantur scilicet prostibula in Scenam, exponebantúrque omnium non solùm oculis, sed libidini. Isid. clarè lib. 18. *Idem verò Theatrum, idem & prostibulum, eo quòd post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur*. Liuius lib. 11. *Eo anno Romæ cùm per ludos ab Sabinorum iuuentute per lasciuiam scorta raperentur, concursu hominum rixa ac prope prælium fuit*. Et certè enorme hoc atque infandum est illud, quod Tertull. vult tacere. Addo ego Cyprianum de Spectac. qui Theatrum vocat *pudoris publici lupanarium*, éique dat *obscœnitatis magisterium*. Addit postea: *Illud publicum monstrum omnibus videntibus geritur*. Certè clarè ait videntibus omnibus patrari infanda. Hoc facilè credit, qui legat quæ de Heliogabalo Lampridius scribit, vbi loquitur de subactore. Locum non adduco, vt satis turpem. Addo & Saluianum lib. 6. vbi: *Qui bacchantur in Circis, qui mœchantur in Theatris*. Et inde explico locum Ouidij lib. 5. Fastorum: vbi loquens de Floralibus:

Vel quia deliciis nocturna licentia nostris
Conuenit, à vero tertia causa venit.

Sic etiam explicat Casperius Tertullianum lib. 4. Syluar. Statij cap. 5. & adducit versum Atij.

2. PROSTIBVLA.] Dicta hæc ab stabulo, 251. nam Saluian. cap. 49. Iulij, ait Iulium dictum fuisse *stabulum Nicomedis*, quia scilicet Cæsar seruiit Nicomedi (vt ferebatur) in re nefanda. Inde fit, vt vox ad alia extendatur, vt cùm Capitolinus in Macrino dixit: *Macrinum libertinum hominem prostibulum, seruilibus officiis occupatum in domo Imperatoria*; Id est, hominem ab stabulo.

2. PVBLICÆ LIBIDINIS HOSTIÆ.] Hieronym. aduersus Heluid. etiam de Scortis, *libidinum victimæ*. Sed hoc alibi exorno.

2. IN SCENA PROFERVNTVR.] Fortasse legendum *in Scenam*. Profero hîc edictum Imperatoris Histrici in Prologo Pœnuli:

Scortum exsolutum ne quis in proscenio sedeat.

Vnde apparet Scortilla producta in Scenam, & Theatrum & proscenium obsedisse.

2. TRANSDVCVNTVR.] Rescribunt aliqui *traducuntur*, quod idem est. Sic olim in vsu *tralegere* pro *translegere*: *trauolare* pro *transuolare*. Et Plaut. Persa Act. 3. Scen. 3.

Tuas impuritias traloqui nemo potest.

2. LOCVS.] Vox propria erat *cella*; ita enim 252. indigitabantur cubicula meretricum: & aliquando etiam *locus*, vt hîc Tertullianus; & Petron. Sat. *Per anfractus deinde obscurissimos egressus in hunc me locum perduxit, prolatóque peculio cœpit rogare stuprum*. Et paulo antè: *vt in locum secretiorem venimus*. Quem locum postea explicat addens: *Intellexi me in fornicem esse deductum*. Scenæ testimonium statim aduocabo. Iunius qui per *locum* intelligit cuiates essent, vehementer displicet.

2. STIPES.] Arnob. lib. 5. *Cypria Veneris abstrusa illa initia prætermimus, quorum conditor iudicatur Cyniras Rex fuisse; in quibus sumentes certas stipes inserunt vt meretrici*. Seneca lib. 1. Controu. *pretium* vocat. Eius verba: *pretia stupri accepisti*. Et 2. *Deducta es in lupanar, accepisti locum, precium est constitutum, titulus inscriptus est*. Vt verum tamen fatear, *stipes* Tertullianica

tullianica aliud ſonat: cùm enim ſermo ſit de proſtibulis productis ad ſcenam Theatralem, illuſtrabitur hic locus verſibus ex prologo Caſinæ Plauto attributo. itaque ibi,

Ea inuenietur & pudica & libera,
Ingenua Athenienſis: neque quicquam ſtupri
Faciet profectò in hac quidem Comœdia.
Mox hercle verò pòſt tranſacta fabula,
Argentum ſi quis dederit, vt ego ſuſpicor,
Viro ibit nuptum, non manebit auſpices.

Ergo quemadmodum quæ virgo venerat ad Theatrum oſtentato pretio ibat nuptum: Ita vulgata ſcortilla quæ ad ſcenam producebantur, poſt pretium proclamatum à præcone, inueniebant à ſcena amatorem. & huc confert Lipſius verba Liuij & Iſidori iam ſuprà aduocata.

253. 2. ELOGIVM.] Non pudet vt explicaui. nam cur elogium non poſſit referri ad ea quæ dixi? Sed certè Briſſonius lib. de Iure Connub. ait *elogium* in hoc loco Tertulliani eſſe idem quod *titulus*. Qua voce vſus idem Afer lib. de Pudicit. vbi ait *Sub ipſis libidinum ianuis, ſub ipſis libidinum titulis.* Sed de titulo iam dico.

2. ETIAM QVIBVS OPVS NON EST, PRÆDICATVR.] Reſpicit credo ad titulos inſcriptos cellis meretricum. Martialis lib. 11. epig. 46.

Intraſti quoties inſcriptæ limina cellæ.

Et Iuuenal. loquens de Meſſalina adeunte lupanaria, ait,

Titulum mentita Lyciſcæ.

Senecam iam ſuprà attuli. Demum huius rei magna mentio. In titulo eo & nomen erat meretricis, & precium libidinis. Ergo ait Tertullianus, Prædicantur iſta quibus non eſt opus, cùm ſciant ex ipſis titulis. Quid verò ſi *prædicatur* referatur ad vocem publicam præconis, quæ fieret ſollemni pompa. Hoc indicat Taubmannus in Prologo Caſinæ. Statius.

Huc intrant faciles emi puellæ.

Etenim proſtibula in Scenam introducebantur, & exponebantur omnium libidini & licentiæ: vt perditi homines quæ antè natantibus oculis viderant, mox reliquo corpore peccarent.

254. 2. TACEO DE RELIQVIS.] Quæ hîc tacet, ſunt ea quæ iam attuli ex Iſidoro, Liuio, Cypriano, Saluiano, Ouidio. Sed & illi tantùm attingunt fœditates illas, nam explicare nemo pudicè queat, adhuc nec gentiles ipſi. Et quidem Tertulliano nolenti loqui aptiſſimus locus Saluian. lib. 6. his verbis: *Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates? quæ quanti ſint criminis vel hinc intelligi poteſt, quòd & relationem ſui interdicunt.* & paucis interiectis. *Solæ Theatrorum impuritates ſunt, quæ honeſtè non poſſunt vel accuſari.*

2. SEMEL ANNO ERVBESCVNT.] Notari hoc verbo ludos Florales credamus, nam hi ſemel in anno fiebant, videlicet 4. Calend. Maij. Auctor Plin. Varro, alij. Neque verò ſibi contrarius eſt Tertullianus, cùm ſuprà ſcripſerit, *Facilius domi quàm in Scena erubeſcunt.* Nam ibi ſermo eſt de mulieribus mimis, quæ paſſim & vulgò dabant ſe in Scenam: hîc tantùm de meretricibus, quas pudebat in publicum prodire vt aſſuetas ſemper latebris fornicum; & prodire non ſolùm quidem explendis oculis ſpectatorum, quod tantùm faciebant mimæ, ſed libidini, quod iam aſtruxi ex Iſidoro & aliis. Itaque hoc eſt, quod Cyprian. ſcripſit lib. de Spectac. *Illas quas infelicitas ſua in ſeruitutem proſtituit, libidinis publicæ occultat locus, & dedecus ſuum de latebris conſolantur, erubeſcunt videri etiam quæ pudorem vendiderunt.* Perperam ſcripſit qui *erubeſcant* voluit, is eſt Meurſius, quod ex noſtro ſenſu liquet.

255. 3. IVDICATVM IRI A DEO SCIAMVS.] A Ita ſuppleuimus ex mſ. cùm in omnibus tantùm legatur, *Iudicatum à Deo ſciamus*? Notet etiam Lector interpunctionem noſtram diuerſam à vulgatis omnibus, quam iam alij adnotarunt. Rationes huius interpunctionis me tacente quiuis viderit.

3. COMMVNICANT.] Id eſt, contaminant vſu ſacri eloquij. Nam Marci 7. dicuntur *manus communes*, id eſt, immundæ. Ibid. *Quæ de homine procedunt, hæc ſunt, quæ communicant hominem.* Id eſt, immundum reddunt. Sic Actor. 10. *Quæ Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Sed ex Græcis, τὸ κοινωτὸν, eiuſdem eſt poteſtatis: & illud vſurpat Matth. c. 15. Et quidem verbum *inquinare* & ſimilia ducunt iam docti, reiecta etymologia quæ circumferebatur, ἀπὸ τῆς κοινωνίας, id eſt, *communicare.* Ambroſ. certè de Exhort. ad Virg. *commune* & *immundum* ponit ſynonymicè. Quod etiam faciũt Græci, nam Cyrill. Hieroſolym. Catechеſ. 4. ad finem conſtituit ſynonyma κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον, id eſt, *commune & impurum.* Id verbi inuenies etiam in lib. de Patient.

3. APPAREANT.] Sic & Tullius ſenſus vocat *mentis ſatellites.* Greg. Nyſſen. lib. de Perfecta Chriſtiani forma, ἡχοῦσιν τῆς ἀκοῆς τῷ ὑφηγουμένῳ: *Auribus imperium accipientibus*, vt quæ ſubditæ ſpiritui. Sed de hac re pluribus cap. 5. de Coron. Milit. Hic notetur locus Hieronymi l. 1. aduerſus Iouinianum: vbi ait Senſus quinque reges fuiſſe & principes ſeculi, ante aduentum Chriſti: quos tamen Ieſus ita ſubiecit, vt illos occidione interfecerit: ad quam rem accommodat locum ſcripturæ. 256.

3. APPARITORES.] Vocat aptè. Inde Euſebius Gallicanus Epiſcopus Homilia 7. ad Monachos, *Qui proximi ſui* (inquit) *turbatum præ ira oculum cordis gratia conſolationis atque ædificationis illuminat.* Dixit ſignatè *oculum cordis* ipſum cor.

3. AVRES ET OCVLI.] Hos duos ſenſus ponit, vt qui ſeruiant percipiendæ voluptati ſpectaculorum, non tres reliquos. Ita Cyprianus lib. 6. de Spectac. *Idololatria ludorum omnium mater eſt, quæ vt ad ſe Chriſtiani fideles veniant, blanditur illis per oculorum & aurium voluptatem.* Inde poſtea admonet: *Fugienda ſunt tam ſacrilega ſpectacula, & oculi noſtri & aures cuſtodiendæ.* Dubitaui an iccirco dicti ſint oculi & aures apparitores cum reſpectu ad Regem Perſarum, in cuius ædibus Principes quidam dicti ſunt *oculi* & *aures.* Suidas. Ὀφθαλμὸς βασιλέως, αὐτὶ τοῦ, μέγα δυνάμενος παρὰ βασιλεῖ. ἔστω δὲ ἐκάλουν τοὺς πυνθανομένους, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπυνθάνετο· οἱ βασιλέως ὦτα, τοὺς ὑπακούοντας, δι' ὧν ἤκουε τὰ παρρήσια ἐκάστου πάντων: *Oculus Regis, pro eo qui multum poteſt apud Regem. Sic autem Perſæ vocabant Satrapas, per quos Rex omnia ſpectat. Vt Regis aures vocabant ipſos delatores, per quos audiebat ea quæ vbique terrarum ab vno quoque gererentur.* Pollux lib. 2. c. 37. Ἐκάλουν δέ τινες ὦτα καὶ ὀφθαλμοὺς βασιλέως: *Vocabantur quidam aures & oculi Regis Perſarum.* Apuleius de Mundo: *Inter eos* (Perſarum regios miniſtros) *Aures regiæ, & Imperatoris oculi quidam homines vocabantur.*

4. SIN ET DOCTRINAM, &c.] Omnes quotquot extant libri, tractum iſtum adnectunt ſequenti capiti decimo octauo. Mihi ita certum eſt inde deuellendum, & coniungendum cum capite decimo ſeptimo, vt, niſi ita facerem, grauem iniuriam Tertulliano facerem. Neque verò ego ſolus, nam id etiam ante me ſenſit Heraldus in Notis ad Arnobium, lib. 3. Pamelius hic nihil ad rem; non enim hic tractus prima facie pertinet ad Theatrum, ſed tota facie. Nam quæ pro ſe Pamelius adducit, in ſtadio peractas quoque Tragœdias & Comœdias, nihil ad rem. Sic enim poſſet perturbare omnem ludorum diſciplinam, in quibus ſæpe mera principum libido. An dicam ego Venationem, quæ propria erat Amphitheatri, factam in Theatro, quia Auguſt. (vt ait Suetonius cap. 43. 257.

exhibuit *Tigrim in Scena*.aut in Circo,quia idem Auguſtus (ſcribente ibidem Suetonio) *In Circo aurigas,curſoreſque, & confectores ferarum produxit*? Quod etiam de Adriano ſcripſit Spartianus: *In Circo multas feras,& ſæpe centum leones interfecit*.& de Probo Vopiſcus: *Venationem in Circo ampliſſimam dedit*. Pugilum quoque certamina data in Circo Ammian. ſcribit l. 14. Ita nec dicam ſtadium eſſe proprium locum Tragicę & Comicæ. Certè ſcenica tantæ voluptati fuere illi populo, vt vbique locorum ederentur. Locus clarus eiuſdem Suetonij ibidem. *Fecitque nonnunquam vicatim ac pluribus ſcenis per omniũ linguarum hiſtriones, non in foro modo nec Amphitheatro, ſed in Circo & in ſeptis*. Scilicet exemplo Iulij: de quo eadem Sueton.cap.39. Ergo vt non dicam Amphitheatrum & Circum locum eſſe Scenarum, ſic nec debeo de Stadio, quamuis videam in Auctoribus hanc σύγχυσιν. Itaque Pamelij explicatio omnino non diſplicet. Sed præ cæteris interpretibus Iunij infelicitas in explicando hoc loco fuit maxima. Ex dictis colligo, parum aptè ab Iſidoro l.18.c.26.dari ſtadio nudationes ad citharam & ſimilia, dari ſcilicet ex æquo cum aliis exercitationibus. Ita enim iſtæ artes præbitæ in ſtadio, vt non inde ſtadium nomenclaturam queat accipere.

258. 4. SECVLARIS LITTERATVRÆ.] Ambroſ. lib. 3. de Virg. vocat *ſapientiam ſecularem*.

4. STVLTITIÆ.] Dionyſ. Areop.in epiſt.ad Titum, τερατολογίαν, quaſi dicas, *verborum monſtra*.

4. LVSORIAM.] Dabo hîc fulcrum magnum meæ ſententiæ. Verbum hoc nullatenus pertinere ad Stadium poteſt, ſi Senecam audias epiſt. 80. Adducam locum integrum; quia tametſi in verbo vno res poſita, tamen neceſſaria omnia,vt intelligas illum loqui de ſtadio.Ait itaque, *Ecce ingens clamor ex ſtadio profertur, & me non excutit mihi, ſed in huius ipſius rei contentionem transfert. Cogito mecum, quàm multi corpora exerceant, quàm ingenia pauci: quantus ad ſpectaculum non fidele & luſorium fiat concurſus, quanta ſit circa artes bonas ſolitudo: quàm imbecillo animo ſint, quorum lacertos humeroſque miramur. Illud maximè reuoluo mecum. Si corpus perduci ad hanc patientiam exercitatione poteſt, qua & pugnos pariter & calces non vnius hominis ferat, qua Solem*
259. *ardentiſſimum in feruentiſſimo puluere ſuſtinens aliquis, & ſanguine ſuo madens, diem ducat: quanto facilius animus corroborari poſſit, vt fortunæ ictus inuictus excipiat, vt proiectus, vt conculcatus exſurgat*? Hactenus ille. Vidiſti ſpectaculum ſtadij dici non luſorium: & mox explicat dici luſorium non poſſe; nam qui ludus eſt pati pugnos,calces,ſolem ardentiſſimum, puluerem feruentiſſimum, diem ducere madore ſanguinis? I nunc & *luſoriam ſcenam* Tertulliani mihi de Stadio explica. Sed eſt contra me Lampridius qui in Heliogabalo: *Strauit ſibi triclinium in ſummo luſorio, & dum pranderet, noxios & venationes ſibi exhibuit*. Certè innuit gladiatores meridianos, quorum nota carnificina, & miſeranda ſtrages ex vulneribus in nuda corpora. Cùm ergo hi noxij dicẽtur dati in luſorio, quid mirum *luſorium* quoque dicatur de ſtadio? Soluo. Credibile eſt locum illum dictum *luſorium* ab re hiſtrionia ibi peragi ſolita, cùm ſuprà dixerit idem ſcriptor de eodem Heliogabalo, egiſſe domi fabulam Paridis. Itaque dati poſtea ſunt gladiatores eodem in loco, vbi dari ſolita hiſtrionia. Quid quòd auctores alij non ſinunt me errare, qui hanc vocem de re non atroci? Sic *luſoria tela* quæ noxia.& *luſoria naues* apud Ammian. lib. 17. quæ non ad nocumentum.

4. AGONISTICAM SCENAM.] Hęc verba prę-
260. cipitarunt omnes interpretes ad ſtadium, nam *agoniſticum* qui audit,illico putat ſermonem eſſe de ſtadio.Sed rectè nodum iſtum Heraldus ſoluit, nam hiſtriones quoque dicti ἀγωνισταί: Heſychius enim ἀγωνισταί, ὑποκριταί: *Agoniſtæ, hiſtriones*. vnde & πρωταγωνισταί, δευτεραγωνισταί, τριταγωνισταί, id eſt, *Hiſtriones primarum partium, ſecundarum, tertiarum*. Ariſtoteles quoque l.3. Rhetor. c. 12. λέξιν ἀγωνιστικὴν, *Dictionem agoniſticam* accipit de hiſtrionica,vt legẽti patebit; nam ait agoniſticam eſſe,quæ eſt ὑποκριτικώτατη, id eſt, *maximè hiſtrionica*. & addit. διὸ καὶ οἱ ὑποκριταὶ τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων διώκουσι, καὶ οἱ ποιηταὶ τῶν τοιούτων: *Quamobrem & hiſtriones talia dramata ſequuntur, & poetę tales*. Saluian.l.7. notantiſſimè dixit *linguarum gymnaſia* notans dictionem. & Ennod.epiſt.10.l.1. *Exercita litterarum gymnaſiis palæſtra dilucidat*. Sed eſto,nihil horum dediſſem, certè ſequentia Tertulliani apertiſſimè indicant *luſoriam* & *agoniſticam ſcenam*, ſumi ab illo de Comica & Tragica. Nam affectus ad quos inclinat Tragica, verè ſunt *cruenti* & *impij*; iſtæ enim duæ voces explicant augmentum illud ſcelerum, quod ponit: ad quos Comica, *laſcini* & *prodigi*, quibus augetur libido. Inde ergo Adrianus Iunius commodè tranſtulit Agathij carmen Adagio 8. Centuria 2.

Καὶ τραγικοῖς ἀγῶσι τὸ κωμικὸν ἔργον ἀμείψας:
Comicum at is luſum tragica feritate reponens.

4. DISPVNGVNT.] Idem eſt hoc loco, quod *expungunt*, quo verbo frequentiſſimè Tertullianus. Vtrumque enim de ſupputatoribus dicitur, qui accepta cum datis conferunt. Vnde vt *expungere* eſt perficere & complere,ita *diſpungere*: quia ſcilicet nunquam expunctio aut diſpunctio fit niſi facta & completa ſupputatione. Eſt enim *diſpungere* apud Iureconſultos, computũ, vt vulgò loquitur,examinare,ſiue,vt Papinianus deſcribit, conferre accepta & data:& alibi, percontari, examinare, deſcribere rationes. Et quamuis *expungere* ſit, punctis circumducere & tollere, & quaſi rem confectam eximere è codice, tamen in hoc loco pro eodem ſumuntur. Tertullianus l.4.aduerſus Marcionem: *Creatorem iudicem & diſpunctorem meritorum*. & l.5. *Diſpunctionem boni atque mali operis*. 261.

4. SCELERVM.] Retuli vocem hanc ad Tragi- 262.
cam; eſt enim certiſſimum ea includi quicquid pertinet ad cædes & ſanguinem. Saluian.l.7. *Homicida cùm à iudice occiditur, ſuo ſcelere punitur*. Vbi *ſcelus* eſt fuiſſe homicidam. Lactantius l.1.c.21. *Interim videmus & cętera, quæ carent ſcelere*. tranſit ſcilicet à ſacris, in quibus mactati homines,ad alia,in quibus non mactati. Et prima ait eſſe ſcelerata, non altera. Dicebam de hoc iam olim in Eclog. 9. Virgilij ad illud,

Heu cadit in quemquam tantum ſcelus.

Quæ nota huic loco perneceſſaria eſt.

4. AVCTRICES.] Corrigunt ex mſ. *actrices*, neque diſplicet, ſed cenſeo tamen nihil mutandum.

4. VILIS.] Rectè hæc vox quadrat rei Comicę,vt & *luſoria*. Nam quicquid vile eſt & ludicrum, datur Comicis,præſertim cum appoſitione ad Tragicam maieſtatem, & atrocitatem: ego non dubito quin verbis iſtis Tertulliani reſpondeant Cypriani de Spectac.hæc: *Quid loquar Comicas & inutiles curas*? (en vilitatem) *Quid illas magnas Tragicæ vocis inſanias*? (en atrocitatem.)

4. COMMEMORATIO.] Huc pertinent verba 263.
Cypriani in epiſt. ad Donatum: *Cothurnus eſt Tragicus priſca facinora carmine recenſere. De parricidis & inceſtis horror antiquus, expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquãdo commiſſum eſt. Admonetur ætas omnis, auditu, fieri poſſe quod factum eſt. Nunquam aui ſenio delicta moriuntur, nunquam ſcelus obliuione ſepelitur. Exempla fiunt, quæ eſſe iam facinora deſtiterunt*. En cur hanc commemorationem reprehendat Tertullianus. Lactantius quoque l. 6.c.20. *Tragicæ hiſtoriæ ſubiiciunt oculis parricidia, & inceſta regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant*. Ab hoc ipſo reprehendit ſpectacula Theophilus Patriarcha l. 3. ad Autolycum, quòd repræſentent ἀνθρωποθοείαν Θυέστου, καὶ Τηρέως τέκνα ἐσθιόμενα: *Vorationes Thyeſtæ, Terei filios comeſtos*.

CAP. XVIII. ARGVMENTVM.

Stadij ſpectacula Chriſtianis prohibentur: rationes petuntur ab deformitatibus quæ inueniuntur in ſingulis ludis Pentathli.

TERTVLLIANVS.

264. 1. QVÒD ſi & ſtadium contendas in ſcripturis nominari, ſanè obtinebis. Sed quæ in ſtadio geruntur, indigna conſpectui tuo non negabis, pugnos & calces & colaphos, & omnem petulantiam manus, & quamcumque humani oris, id eſt, diuinæ imaginis depugnationem.

EXPLICATIO.

1. HACTENVS de furore Circi, & Theatri impudicitia, pergit ad ſtadium, cuius loci ſpectacula poſſet ſibi Chriſtianus defendere, quòd eius mentio ſit in ſacris litteris, concedit hoc illi Tertull. Sed ita tamen vt quæ ibi geruntur indigna ſint conſpectu Chriſtiani hominis, nam nihil ibi niſi *pugni, calces, colaphi*, & quicquid ſeruit *depugnationi*, id eſt, deformationi hominis, id eſt, Dei. Percurro quædam. *In ſcripturis nominari*, reſpicit locum Pauli, *Neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt.* 1. Corinth. 9. vbi mentio eſt ſtadij. *Pugnas & calces*, &c. Exercebantur in ſtadio quinque ludorum genera (ab hoc numero vox vnica Pentathlum) ſcilicet cæſtus, curſus, diſcus, ſaltus, lucta: ergo ait in hoc tractu indignos eſſe cæſtus qui videantur à Chriſtiano, cùm pugnis, calcibus, colaphis (ita fiebat pugna cæſtus) deformetur homo imago Dei.

265. 2. Non probabis vſquam vanos curſus, & iaculatus, & ſaltus vaniores: nuſquam tibi vires aut iniurioſæ, aut vanæ placebunt: ſed nec cura factitij corporis, vt plaſticam Dei ſupergreſſa propter otium Græciæ. Altiles homines oderis.

2. Dixit de cæleſtibus, haurit nunc hoc tractu tres alias ſpecies Pentathli, ſcilicet *curſum*, *iaculatum*, *ſaltum*. *Curſum* & *ſaltum* ponit propriis nominibus, per *iaculatum*, notat diſcum, nam hic iaculando iaciebatur. Ergo ſicut dixit prohibitos cæſtus, quia deformant imaginem Dei; ita ait nullo in loco probandas defendendáſque tres alias ſpecies Pentathli, quia omnes *vanæ* ſunt, & omnes inuicem aliis *vaniores*. hanc puto eſſe mentem Tertulliani. Itaque non dicit: Vanus eſt curſus, & iaculatus, ſed *vanior ſaltus*. Nulla enim ratio cur hoc dicat, ſed dicit, omnes iſtas ſpecies eſſe vanas, & omnes inuicem aliis vaniores. Et ita intelligit omnes eſſe vaniſſimas. Pergit. *Nuſquam tibi vires*, &c. Defero vanitatem ad curſum, & ſaltum: iniuriam ad iaculationem diſci: hic enim ſæpe iactabatur cum ſpectantium nocumento, quod & Mercurialis admonet, vt accidit Apollini, qui in hoc ludo occidit puerum Hyacinthum iactu diſci. Hæc niſi placeant, aliud tu cogita, non contendam. Nam hæc iniuria poteſt quoque referri ad pugnos, calces, colaphos cæſtuum. *Sed nec cura*, &c. Elegantiſſimè *factitium corpus*, & poſtea *altile* vocat, quod ſaginatum eſt & farctum: incumbebant enim agoniſtæ omnes in ſaginam corporis. Quæ res nata ab ocioſis Græcis. Hæc verò ſaginata corpora opponit Dei plaſticæ. Debes mihi Lector epiphonema illud, *altiles homines oderis*, plenum dignitatis, deinde inuidiæ contra Gentiles.

266. 3. Et palæſtrica Diaboli negotium eſt. Primos homines Diabolus eliſit. Ipſe geſtus colubrina vis eſt tenax ad occupandum, tortuoſa ad obligandum, liquida ad elabendum.

3. Reſtat lucta, quam nominat *palæſtricam*, quæ etiam vitanda, vt negotium Diaboli, quia hic in anguem verſus parentes primos proſtrauit: atqui geſtus luctantium totus eſt anguineus ab *tenacitate*, qua occupant aduerſarium, & prehendunt; ab *tortuoſitate*, qua obligant; ab *liquamine* & fluxu, quo elabuntur & ſeſe extricant.

4. Nullus tibi coronarum vſus eſt, quid de coronis voluptates aucuparis?

4. Poſſet obiici. Volo Gymnaſticam exercere, vel ſaltem vt coronam conſequar. Reſpondet. Res iſta Gentilium eſt, nec tibi Chriſtiano *vllus* eſt *vſus* licitus *coronarum*; *quid* ergo, &c.

NOTÆ.

267. 1. STADIVM IN SCRIPTVRIS NOMINARI.] Tractat argumentum hoc Cyprianus lib. de Spectac. *Cenſuram* (inquit) *Scripturarum cæleſtium in aduocationem criminum conuertunt.* Sic quia in ſacris litteris eſt mentio *ſtadij*, putant licitum eſſe ſtadium. Et ita addit Cyprianus, putare aliquos, per ſummam ignorantiam, licitos eſſe Circenſes, quia Helias auriga eſt. Pergit multis. Et tandem adhibet ignorantiſſimam illorum propoſitionem hanc, *Cur ergo homini Chriſtiano fideli non liceat ſpectare, quod licuit diuinis litteris ſcribere?* Sed ſubiicit Cyprianus: *Longè melius fuiſſe iſtis, nullas litteras noſſe, quàm ſic litteras legere.*

268. 1. QVÆ IN STADIO GERVNTVR, &c.] Retuli ſententiam ad Pentathlum, videlicet ad cæſtus, curſus, ſaltus, diſcos, luctas. Hæc enim in ſtadio. Iſidor. lib. 18. cap. 18. *Genera gymnicorum quinque, ſaltus, curſus, iactus, virtus, atque luctatio.* Quod hic *iactus*, Tertullianus *iaculatus*, & vterque intelligit κατ' ἐξοχὴν, *diſcum*. Poteſt etiam ſub *iactus*, aut *iaculatus* nomine intelligi non diſcus ſolùm, ſed etiam haſtile, & iaculum, nam in ſtadio ſagittis quoque certa-

batur, quod genus exercitationis habes apud Virg. lib. 5. Æneid. Lege eundem Isidor. cap. 21. Porro Isidorus *virtutis* nomine intelligit, vt ego puto, cæstus. Cùm verò cap. 26. scribit idem: *Agonum genera fuere immensitas virium, cursus celeritas, sagittandi peritia, standi patientia*, non dubium quin locus sit mutilus, deest enim *saltus*. Quo sanè in loco per *immensitatem virium* intelligo cæstus, per *patientiam standi* luctam. Si quid tu melius ad lucem Isidori, adiunge.

1. INDIGNA CONSPECTVI TVO.] Rescribunt, *conspectu tuo*. Non est necesse.

269. 1. PVGNOS, &c.] Cæstuum iniuria præcipuè posita in facie deformanda. Hinc Tertullianici pugni, calces, colaphi, petulantia manus, deformatio oris humani. Virg. Æn. 5.

--- errátque aures & tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.

Artemidor. lib. 1. cap. 36. de re simili loquens, ait προσωπου ἀσχημον, *Faciem deformatam.* Seneca epist. 78. *Athletæ quantum plagarum ore, quantum toto corpore excipiunt?* Artemid. lib. 7. *Crudis mutilare secatibus.* Et Lucianus de Gymnasiis: ἀλλ' ἀφανίσαντες τὸ χρῖσμα, καὶ τὸ βορβόρου ἀναπλασθέντες, ἐν ἱδρῶτι ἅμα πολλῷ, γέλωτα ἐμοὶ χρῶ παρέχουσι, ὥσπερ οἱ ἔγχελυες ἐκ τῶν χειρῶν διολισθάνοντες: *Verum obscurata unctione, & luto completi, largo sudore perfluentes, copiosam ridendi materiam mihi exhibent, velut anguillæ è manibus elabentes.* Talem decertatorem κολοβὸν, id est, *mutilum*, vocat Lucian. idem lib. 2. Anthol. & Lucillius ibidem ait de quodam Olympionico, amisisse ῥῖνα, γνάθον, ὀφρῦν, ὠτάρια, βλέφαρα; *Nasum, mentum, supercilium, aures, palpebras.* Inde & Themistius Euphrada orat. 4. inter notas pugilis constituit παγκρατίῳ εἰδέναι & hunc ait coronandum. Videatur Apollonius Græcus, & Valerius Flaccus Latinus in pugna Pollucis cum Rege Bebrycum.

1. CALCES.] Fuit hæc quoque pugilum petulantia, vt etiam calcibus rem gererent. Hieron. lib. 2. Iouin. huc alludens dixit: *Quorum verba in pugnis sunt, & syllogismi in calcibus.*

270. 1. HVMANI ORIS.] Ita legendum ex ms. Vvouer. & aliis, non *humanioris*, vt in vulgatis. Nam tametsi exterior hominis forma non sit imago Dei, sed interior œconomia animæ & potentiarum, quod alibi astruxi ex Zenon. Veronensi, & hîc affero Concilium Tolet. 3. in cuius 2. cap. leges: *Anima rationalis nobile Dei plasma, & egregium artificium, sanctissimæ Trinitatis habens in se vestigia.* & Augustinum tract. 8. in epist. 1. Ioann. *Vbi factus est, homo ad imaginem Dei: In intellectu, in mente, in interiore homine.* Vide reliqua: Quamuis (inquam) hoc verum sit, tamen iniuria facta ori exteriori hominis, dici potest facta imagini Dei, ad eum modum, quo Basilius Homil. 21. in aliquot scripturæ loca, loquens de homine, qui incidit in latrones, ait iniurias illas illatas Dei imagini.

271. 2. VANOS.] Bis aut ter dat vanitatem ludis Cyprianus lib. de Spectaculis. vocat spectacula *Vanitatis & leuitatis monstra.* Lucian. in opere de Gymnasiis istam vanitatem abundè iactat, ibi vocat μανίαν, *Insaniam.* τὸ οἰκτιστον, *rem miserrimam.* πλὴν ὕβρεως, *contumeliam.* Et demum erumpit in hæc: ὥστε τοσούτῳ χαλεπώτερόν ἐστιν, ἄριστοι ὦν, ὡς φῂς, ὄντες, μάτην δὲ τοσοῦτα πάσχοντες, καὶ παλαιπωροῦντες, καὶ αἰσχύνοντες τὰ κάλλη, καὶ τὰ μεγάθη, τῇ ψάμμῳ, καὶ τοῖς ὑποπίοις, ὡς μήλοις ἢ κώνοις ἐγκρατεῖς γιγνόμενοι νικήσαντες: *Itaque hoc magis mihi risu digni videntur viri illi, vt tu ais, optimi, frustra tanta sufferentes, talibusque difficultatibus conflictantes, & eas pulchritudines & heroicas corporum proceritates, ita turpiter arena atque tumentibus vulneribus fœdantes, vt parta victoria pomo atque pinu potiantur.*

2. CVRSVS.] Lucianus de Gymnasiis, καὶ μὴν καὶ δρομικοὺς εἶναι ἀσκοῦμεν αὐτὸν, ἐς μῆκος τε διαρκεῖν ἐθίζοντες, καὶ ἐς τὸ ἐν βραχεῖ ὠκύτατον ὁπλοφορίζοντες· καὶ ὁ δρόμος ἡμῖν ἐς τὸ στρῶμα, καὶ ἀνάπτυπτον, ἀλλὰ ἐν ψάμμῳ βαθείᾳ, ἵνα ἔτι βεβαίως ἀπερείσωμεν τῷ βάσει· ἔτι ὀπισθεξαμένοις ῥᾴδιον, ὁπόσον ἐμπροσθεν ἐς τὸ ὀπίσω τὸ ποδός: *Præterea in curriculo quoque nostros exercemus, & vt longo alicui spatio cursu transmittendo sufficiant, assuefacimus: vtque in breui quàm celerrimi sint, corporis leuitate vti quàm promptissimè docemus. Neque verò cursus in loco plano aut solido conficiuntur, sed in profunda arena, vbi nulla firmitate planta figi potest, cadente subinde ad singulos passus pede.* 272.

2. IACVLATVS.] Retulit ad discum, quem clarè posuit Cyprian. de Spectac. *Ecce tibi alter orbem æneum contentis in aerem viribus iactat, hæc gloria est dementiæ.* & Lucianus de Gymnasiis. εἶδες δὲ καὶ ἄλλο τι ἐν τῷ γυμνασίῳ χαλκοῦν, φορητὸν, ἀσπίδι μικρᾷ ἴσον, ὀχαρὸν οὐκ ἔχοντα, οὐδὲ τελαμῶνας. καὶ ἐπιχειρήσας γε αὐτὸς, κειμένου ἐν τῷ μέσῳ, καὶ ἐδόκει σοι βαρὺ, καὶ δύσληπτον, ὑπὸ λείστητος· ἐκεῖνο τοίνυν αὖ τε ἀναρριπτοῦσιν εἰς τὸ ἄνεμον καὶ ἐς τὸ πόρρω, φιλοπαιγμόνως, ὅστις ἐπὶ μήκιστον ἐξέλθοι, καὶ τοὺς ἄλλους ὑπερβάλοιτο: *Vidisti verò & alium quendam globum iacentem in Gymnasio æneum atque teretem, in parui scuti figuram formatum, neque lorum, neque baltheum habentem. At illum quoque periculi faciendi gratia manu sustollebas iacentem in medio, videbaturque tibi grauis, & propter leuitatem comprehensu difficilis. Itaque illum sursum manu extortum iaculantur in aërem, inque longum, contendentes quinam ex illis eumdem quàm longissimè iactu promouerit ac omnium aliorum metas excesserit.* 273.

2. FACTITII CORPORIS.] Locutio sumitur ab opificibus domorum, ad eum modum, quo Plautus ad eosdem aspectans vocat parentes *fabros liberorum* in Mostellar. Scena, *Recordatus multum*: quam rem tota Scena salsissimè persequitur. Itaque qui saginæ incumbunt, ædificant factitium corpus, vt possint factitias ædes. 274.

2. VT PLASTICAM DEI SVPERGRESSA.] Hic mirè variant. In vulgatis est *supergressa*, cum respectu ad τῆς Græciæ. Non placent. Vvouer. ex ms. corrigit *supergressa*, item Latinius & Iunius, & Petr. Faber. lib. 1. Agonist. cap. 5. quos placuit sequi. Sed non placet Latinius, qui addit particulam *sed*. Legit enim, *Supergressa, sed propter*, &c. Nec Iunius, qui ita interpungit. *Vt plasticam Dei supergressa: propter otium Græciæ altiles*, &c. Ego malui, vt vidisti, claudens perfecto puncto *Græciæ*. vt postea sit epiphonema plenum maiestatis. *Altiles homines oderis*, quo etiam pungit grauiter Gentiles. Est qui legat: *Vt plasticam Dei supergressos propter ocium Græciæ altiles homines oderis.* Vt sententia sit, oderis homines altiles vt supergressos plasticam Dei.

2. SALTVS.] Lucianus de Gymnasiis, ἀλλὰ καὶ ὑπάλλεσθαι τάφρου, εἰ δέοι, ἢ εἴ τι ἄλλο ἐμπόδιον: *Fossam quoque transilire docemus, si necessitas exigat: aut aliud quoddam impedimentum.* 275.

2. ALTILES HOMINES.] Cyprianus epist. ad Donatum: *Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam cariùs pereat.* Talem athletam atque ita farctum ἐνεκτῶντα vocat Ioannes Chrysost. Homil. de Diabolo tentatore. Themistius Euphrada oratione 10. de pugile quodam, quem impensè amauit Titus Imperator, κάλλιστόν τε καὶ μέγιστον. vox prima respicit nitorem altilium hominum; altera, corpus factitium. Seneca epistola 80. loquens de athleta: *Illi multo cibo, multa potione opus est, multo oleo.* 276.

3. PALÆSTRICA.] *Palæstra* iam est locus vbi

exercentur athletæ, iam sumitur generatim pro omnibus ludis exercitis in stadio, iam strictè pro vna tantùm luctа: sic hoc loco apud Tertull. & Virg. quoque 3. Æn.

Exercent patrias oleo labente palæstras,

Id est, luctas. Et res clara. nam oleum non adhibitum cæstibus, cursibus, saltibus, discorum iactibus, sed tantùm luctatoribus.

3. ELISIT.] Significat credo elisas & fractas fauces primorum hominum noxiali illo pomo. Nam elidere fauces aut gulam, pro, frangere dicunt Latini. Huc accedit dici à Ioann. Chrysost. Homilia 12. ad Pop. τὸ πρῶτον ἄνθρωπον ὁ πονηρὸς δαίμων ἐκεῖνος ἔξετραχήλισεν: *Primo homini improbus ille Dæmon collum infregit.* Inde cùm Prosper lib. 2. de Promiss. cap. 25. dixit, *Totam superbiam Diaboli elisit*, explico, oppressit Diaboli pede fauces. Et Hilarius loquens de carnificina, quam exercuit in Christianos Constantius Augustus, ait: *Clerici fustibus cæsi, diaconi plumbo elisi.* Id est, liquato plumbo & per os immisso strangulati.

277. 3. IPSE GESTVS.] Est qui ita mutet. *Elisit ipse. Gestus colubrina vis.* Sed non audio. Vide verò vt fœditatem huius amplexus deturpet ab amplexu colubrino. Hi amplexus eius formæ fuere, vt sæpe obscœni essent. Cyprian. lib. de Spectac. deturpans *Quàm fœda* (inquit) *prætereà ista luctamina. Vir infra virum iacens, & amplexus inhonestis nexibus implicatur.* Inde Saluianus lib. 6. palæstris vnicè dat *luxuriam.* Credo ab turpibus amplexibus luctatorum. Verba eius: *Quicquid luxuriarum in palæstris.* Quin ea interdum ab his amplexibus obscœnitas, vt gymnasiarcha luctatores dissolueret. Sidon. lib. 2. epist. *Palæstritæ si inuoluantur obscœnius, casta confestim gymnasiarcharum virga dissoluit.*

3. TENAX AD OCCVPANDVM.] Apud Ioann. Chrysost. Homil. 1. ad Pop. Latino verbo respondet Græcum κατέχω, quod dat palæstritis.

3. TORTVOSA AD OBLIGANDVM, LIQVIDA AD ELABENDVM.] Nota habitum, quem dat athletis. Sidonius lib. 2. epist. 2. *Absunt lubrici tortuosique pugillatu & nexibus palæstritæ.* Aldhelmus de laudib. Virgin. cap. 1. *Alius strenua athletarum luctamina cum æmulo sinuosis laterum flexibus desudans.* Ibidem de athleta; *Delibatus lubrici liquoris nardo.* 278.

4. NVLLVS TIBI, &c.] Prohibitas Christianis coronas probat integro opere de Cor. Mil. Fuisse autem coronam præmium stadij notum est ex litteris Gentilium. Sed & Clemens Alex. lib. 2. Præd. cap. 8. id ipsum scribit, nominans post δόσιν, post ἐπαγγελμὸν, post φυλλοζολίαν, extremo loco στέφανον *coronam*, vt præmium huius certaminis.

CAP. XIX. ARGVMENTVM.

Interdicitur Christianis ludus gladiatorius, quia interdicitur sæuitia, quæ propria huius ludi.

TERTVLLIANVS.

279. 1. EXPECTABIMVS nunc vt & Amphitheatri repudium de scripturis petamus? si sæuitiam, si impietatem, si feritatem permissam nobis contendere possumus, eamus in Amphitheatrum. Si tales sumus quales dicimur, delectamur sanguine humano.

EXPLICATIO.

1. POST Circum, Theatrum, Stadium, restat dicendum de prauis affectibus, quos ingenerant Amphitheatri spectacula, sunt hi *sæuities, impietas, feritas:* cùm itaque iubeamur hos fugere in sacris litteris, iubemur proinde fugere Amphitheatrum. *vt* &, id est, vt etiam. *Eamus in Amphitheatrum*, ironicè *Si tales sumus quales dicimur*, putabantur scilicet Christiani homicidæ, & in primis infanticidæ, de quo in Apolog.

280. 2. Bonum est cùm puniuntur nocentes. Quis hoc nisi nocens negabit? Et tamen innocens de supplicio alterius lætari non potest, cùm magis competat innocentiæ dolere, quòd homo par eius tam nocens factus est, vt tam crudeliter impendatur.

2. Posset obiici Tertulliano. Erras Doctor tantopere abominans Amphitheatri spectacula. Nam esto crudelia, sed sæpe ibi malefici obiiciuntur foris puniendi, & puniri istos bonum est. Respondet: *Quis hoc nisi nocens negabit?* Pergit. *Et tamen innocens*, &c. q.d. Bonum est illos puniri, vt tu ais, neque ego id nego. Sed tamen innocens non potest lætari de supplicio nocentis; imò quia innocens & bonus debet dolere de supplicio mali, non quòd puniatur, sed quòd eò peruenerit vt debeat puniri. Hæc ratio efficit, ne debeat bonus interesse diro spectaculo. *Est impendatur*, absumatur, abripiatur è medio, & veluti in hostiam offeratur; puto enim locutionem ductam à sacrificiis. Dicitur enim hostia *impendi*, id est, mactari.

281. 3. Quis autem mihi sponsor est, nocentes semper vel ad bestias vel ad quodcumque supplicium decerni, vt non innocentia quoque inferatur, aut vltione iudicantis, aut infirmitate defendentis? Quàm melius ergo est nescire cùm mali puniuntur, ne sciam & cùm boni pereunt, si tamen bonum sapiunt.

3. Differit aliter contra istos. Esto bonum sit nocentes puniri, sed potes tu mihi spondere nocentes esse omnes qui puniuntur? ô quoties innocentia ipsa in miseras inferias datur, & verè sacrificatur, vel quia malus iudex, vel quia inualidus ad defensionem, qui sine culpa accusatur, vel demum quia tormenta cogunt. Vnde concludit, *Quàm melius est ergo*, &c. Illud, *Si tamen bonum sapiunt*, est, si tamen boni sunt gladiatores, nullus enim gladiator bonus est. Probabit statim.

282. 4. Certè quidem gladiatores innocentes in ludum veniunt, vt publicæ voluptatis hostiæ fiant. Etiam qui damnantur in ludum, quale est, vt de leuiore delicto in homicidas emendatione proficiant.

4. Dixit nullum gladiatorem esse bonum. Probat hoc: suppone Lector duplex esse genus gladiatorum: sunt enim qui nullum crimen admisêre, sed tantùm in ludum veniunt, vt publicam voluptatem exhilarent: sunt etiam qui crimen admisêre, & coguntur eò venire, vt ita puniantur. Ait ergo, neutrum hoc genus bonum est. Non primi qui vltro ipsi veniunt, quia sunt *hostiæ publicæ voluptatis*; non alteri, *qui damnantur*, quia emendatio ista delictorum, proficere in delictis est. Nam à minore delicto. v. g. furti, propter quod puniuntur, adducuntur in eum locum, vbi discunt esse homicidæ, quod delictum grauius est. Non ergo vos mores malos emendatis, sed facitis vt mali mores profectum progressúmque habeant.

283. 5. Sed hæc ethnicis respondi. Cæterùm absit vt deistius spectaculi auersione diutiùs discat Christianus: quamquam nemo hæc omnia pleniùs exprimere potest, nisi qui adhuc spectat. Malo non implere, quàm meminisse.

5. Conuertit se ad Christianos, quos ait non diu & multis instruendos contra hoc spectaculum, nam Christiani. q. d. Qui Christi est, eo ipso auersus erit. Pergit. *Quamquam nemo*, &c. Id est, & esto ego velim instruere, non possim, quia non specto. malo enim ludi huius notitiam non implere, quàm adducere tibi in memoriam nefanda illius omnia. Certè sciebat Tertullianus hæc omnia, sed vtitur hac dictione, vt ita pleniùs exaggeret.

NOTÆ.

284. 1. PETAMVS.] In vulgatis deest interrogatio, & esse debet.

1. SÆVITIAM.] Propria hæc ludi gladiatorij. Ausonius.

Et gladiatoris funebria prælia.

Prudent. Hamart.

Aspice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infausta fusus gladiator arena.

Ammian. de hoc ludo lib. 14. *Ludicris cruentis.* quo verbo vsus idem Prudent.

Iam Solis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

Martial. *Sanguineam kumum.* Claudianus Panegyr. Theod.

Largo diteſcit arena
Sanguine.

Theodoritus lib. 5. Hist. cap. 26. vocat μονομαχίαν, *Spectaculum sceleratum.* Et Euseb. lib. 4. de vita Constantini cap. 25. pugnas gladiatorum μιαιφονίας, *cædes sceleratas.*

1. IMPIETATEM.] Explicat mihi hunc locum Cyprian. in epist. ad Donatum, vbi loquens de ludo Gladiatorio: *Spectant filios suos patres. Frater in cauea est, & soror præsto est.* Et postea ait, matrem interesse suis mœroribus. Ecce ergo cur ludus hic impius. Est enim impium cerni à patre & matre in hoc spectaculo pereuntem filium, cerni à sorore fratrem morientem, illa scilicet fruitur voluptate ludi cùm hic moritur.

285. 2. QVIS HOC NISI NOCENS NEGABIT? Retuli ad Tertullianum respondentem: sed tamen possit ita scribi. *Bonum est cùm puniuntur nocentes, quis hoc nisi nocens negabit?* Ita fiet, vt omnia pertineant ad obiectatorem.

2. ET TAMEN INNOCENS DE SVPPLICIO ALTERIVS LÆTARI NON POTEST.] Grauiter in hanc rem ita loquitur Lactant. lib. 6. cap. 20. Vbi sermo etiam de Spectaculis: *Qui hominem quamuis ob merita damnatum, in conspectu suo iugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit: tam scilicet quàm si homicidij, quod fit occultè, spectator & particeps fiat.*

3. QVIS AVTEM MIHI SPONSOR EST, &c.] Legatur caput sextum lib. 19. de Ciuit. Dei, vbi sanctus Doctor grauissimè queritur de errore humanorum iudicum cùm latet veritas, quo fit vt sæpe innocentes rapiantur ad supplicium. Et quidem Tertullianus pressissima periodo inclusit, quæ Augustinus longo verborum ambitu.

3. DECERNI.] Quod noster, *decerni ad bestias, ad supplicium*; Capitolinus in Macrino, *Ad gladij ludum deputabat.* & Tacitus 3. Annal. flexu alio: *Gladiaturæ destinatos.* & alio adhuc Seneca Pater in Controu. *In ludum coniiciunt.* Itaque *decerni, deputari, destinari, coniici.*

3. INNOCENTIA QVOQVE INFERATVR.] In multis legitur *innocentia*, longè alia sententia, in paucis *innocentia*, quos sequi volui, hoc enim & augustius: tum grauius ad querelam. nam quale est audire innocentiam dari in inferias!

3. VLTIONE IVDICANTIS.] De malis iudicibus legatur Cyprianus epist. ad Donatum. vbi inter alia: *Qui sedet crimina vindicaturus, admittit: vt & reus innocens pereat, fit nocens iudex.* 286.

3. INSTANTIA QVÆSTIONIS.] Nihil moror explicationem Iunij: vt enim in iure dicitur *instancreditoris*, quia instat & vrget creditor: Ita dici potia *instantia quæstionis*, quia tormentum vrget.

test SAPIVNT.] Saporem bonitatis habent, sunt

3.i. Ita de Idololat. cap. 1. *Vniuersa delicta aduersus* bon *inum sapiant.* Id est, habeant saporem & gustum *Dom* malitiæ.

4. CERTE QVIDEM.] Non possum assentiri iungenti ista cum superioribus, & legenti ita cursu perpeti, *Si tamen bonum sapiunt certè quidem gladiatores.* &c. Perperam hoc tu Iuni. Respuo etiam vt post verbum *pereunt* sit nota interrogationis.

4. GLADIATORES INNOCENTES.] Refert Lipsius innocentes istos lib. 2. Satur. cap. 3. ad captiuos. nam & hi dabantur in hunc ludum. Ita Sup. Tertull. *Captiuos, vel malo ingenio seruos mercati.* Meminit & Vopiscus de triumpho Aureliani.

4. VT PVBLICÆ VOLVPTATIS.] Saluianus lib. 6. loquens de Spectaculis: *Summum deliciarum genus est mori homines.* Addit, hos miserè lacerari *cum circumstantium lætitia, conspicientium voluptate.* Cyprian. ad Donatum: *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet.* Iterum: *Homo occiditur in hominis voluptatem.* Prudentius in Hamartigenia,

Sanguinis humani spectacula publicus edit
Conseſſus, &c.

287. 4. HOSTIÆ FIANT.] Quintilian. Declamat. *Certa arenæ destinabar victima.* Huc spectauit proculdubio Virg. extrema Æneide,

Hoc habet, hæc magnis melior data victima Diuis.

Vbi magnus Poëta non solùm aspectauit sacrificia in communi, sed singulariter ludum gladiatorium, quod liquidum ex præcedente forma *Hoc habet*, quæ vnicè huius ludi. Vide me ad eum locum.

4. PROFICIANT.] Catachresin agnoscunt, nam *proficere*, quod in bonam partem, hîc in malam. Cæterùm sententiam habes apud Senecam epist. 7. *Latrocinium fecit aliquis: quid ergo meruit? Vt suspendatur. Occidit hominem, qui occidit, ille meruit vt hoc pateretur: tu quid meruisti miser, vt hoc spectes?*

5. ABSIT.] μὴ γένοιτο. *Auersione.* Cyprian. lib. de Spectac. *Auocandus est animus ab istis.* τὸ *Discat*, me præceptore. *Spectat*: verbum signatum, quo notantur spectacula. *Malo non implere.* Helleniſmus.

5. MALO NON IMPLERE QVAM MEMINISSE.] Eleganter de hac ipsa re loquens dixit Cyprian. lib. de Spectac. *Plerumque in præceptis quædam vtiliùs tacentur. admonent sæpe dum interdicuntur.* En ratio cur ista nolit Tertullianus loqui.

CAP. XX. ARGVMENTVM.

Caput hoc bimembre est; habet enim & conclusionem superiorum capitum, & solutionem quæstionis nouæ.

TERTVLLIANVS.

288. 1. QVAM vana igitur, imò desperata argumentatio eorum, qui sine dubio tergiuersationem admittendæ voluptatis obtendunt: nullam eius abstinentiæ mentionem specialiter vel localiter in scripturis determinari, quæ directo prohibeant eiusmodi conuentibus interesse seruum Dei.

EXPLICATIO.

289. 1. CONCLVSIO superiorum quinque capitum, videlicet à capite decimo quinto, ab quo incepit probare vetita spectacula, quia vetiti in sacris litteris praui affectus, quos illa ingenerant, scilicet furor Circi, impudicitia Theatri, insolentia stadij, sæuitia Amphitheatri. Omnia verò huius tractus clara sunt, tantùm noto verba illa *sine dubio* respicere non ad verbum *obtendunt*, sed ad *tergiuersationem*. Itaque ait, obtendunt tergiuersationem sine dubio, id est, sine dubio tergiuersantur. Explicat postea quæ sit ista tergiuersatio, *nullam eius*, &c. Illud *specialiter vel localiter*, est, volunt scilicet scire, vbi specialiter, & quo loco scripturæ vetentur hæc spectacula.

290. 2. Nouam proximè defensionem suauiludij cuiusdam audiui. Sol (inquit) imò etiam ipse Deus de cœlo spectat, nec contaminatur. Planè Sol & in cloacam radios suos defert, nec inquinatur. Vtinam autem Deus nulla flagitia hominum spectaret, vt omnes iudicium euaderemus: sed spectat & latrocinia, spectat & falsa, adulteria, & fraudes, & idololatrias, & spectacula ipsa.

291. 2. Refutat argutiolam argutatoris cuiusdam. Dicebat ille: *Sol & Deus spectant ludos de cælo*, nec inquinantur, ergo nec nos inquinabimur. Ad illud de Sole respondet: *Planè Sol & in cloacam*, &c. q. d. Fateor Solem aspicientem ludos non inquinari, sicut nec inquinatur spectans cloacam. q. d. Sed non certè inde fit, vt cloaca non sit immundissima. En responsio. Ad illud de Deo respondet, arripiens ad rem suam quod aduersarius ait, ludos spectari à Deo nec inquinari, vt colligat contra illum. Quasi hunc in modum dicat: Ais spectacula cerni à Deo, neque hunc inquinari, & sic illa posse cerni à te. Bella ratio ô homuncio. Vtinam nulla essent mala, quę Deus *spectaret*, sed certè spectat tum *latrocinia*, tum ludos, & neque illis, neque istis inquinatur. Vt ergo tu nō poteris defendere latrocinia (eadē ratio de aliis vitiis, quæ ponit) quòd spectentur à Deo, nec inquinant; sic nec ludos. Hæc sententia: sed latet quiddam, quod volo expendas. Dixit *Cloacam* cerni à Sole, dixit inter reliqua maleficia cerni à Deo & ipsa spectacula. ergo ita potest colligi. Sol spectat ludos, sed vt cloacam: Deus spectat ludos, sed vt maleficia. Vide ergo ô suauiludi quid ex tuo argumento habeas, scilicet ludos esse & meram cloacam, & mera maleficia. Cur non hæc irrepere in animum Tertulliani potuere?

292. 3. Idcirco non spectabimus nos, ne videamur ab illo qui omnia spectat? Comparas homo reum & iudicem: reum, qui quia videtur, reus est: iudicem, qui quia videt, iudex est.

293. 3. Ab dictis argutatur iterum suauiludius. Nos non spectabimus ludos, ne videamur à Deo spectante omnia? q. d. Quid mali est è societate Dei spectantis mecum ludos? Imò potiùs debeo spectare? Respondet Doctor. Stultus es homuncule. Scis quid facias? *comparas* coniungísque in vnum, committis, componisque *reum & iudicem*. *Reum*, quia hoc ipso quòd videtur in loco, iam est reus: *iudicem*, quia hoc ipso quòd videt aliquem in eo loco, iam est iudex, & condemnator. Vide igitur an vnà cum Deo possis spectare ludos? & an interfit videri te à Deo in eo loco? Hæc est verissima sententia huius loci, pro qua acriter pugnabo.

294. 4. Nunquid ergo & extra limites Circi, furori studemus, & extra cardines Theathri, impudicitiæ intendimus, & insolentiæ extra stadiū, & immisericordiæ extra Amphitheatrum, quòd Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet?

295. 4. In explicando hoc loco immaniter erranit Iunius afferens θεάλπιν importunam. Suppone Lector *cameras, gradus, apulias* (de quibus loquar in Notis) esse loca spectaculorum, & hìc poni pro spectaculis. Ergo dixerat suauiludius, possum ludos spectare, quia Deus illos spectat, nec inquinatur. Vult probare Doctor esse futilem hanc argumentandi rationem: aitque, Nunquid ergo tu poteris esse furiosus extra Circum, quòd Deus extra Circum habet oculos? (eadem est ratio de impudicitia Theatri, insolentia stadij, immisericordia Amphitheatri) q. d. Sequitur posse te hoc ex tua ratione. Quia sicut tu potes, vt tu ipse ais, ludos cernere, quia Deus illos cernit; ita poteris extra Circum *furori* studere, quia Deus etiam cernit *extra* illum. Atqui vt hoc falsum est, ita & illud, ac perinde ratio tua futilis. Inde postea colliget, *Erramus nusquam & nunquam*, &c. Videsis Lector an prolepsis Iunij aliquid ad rem faciat. Certè vt eius expositio (ego hìc illam nolui) vera esset, debuisset Tertullianus dicere *intra cameras*, non *extra*.

296. 5. Erramus, nusquam & nunquam excusatur, quod Deus damnat: nusquam & nunquam licet, quod semper & vbique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequij, non immutare sententiam, nec variare iudicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt.

297. 5. Sententia clara est ex præcedentibus. q. d. Nam si dicas te posse extra Circum, Theatrum, &c. dare operam rebus malis, *Erras, nusquam & nunquam*, &c. Est *nusquam* nullo in loco, *nunquam* nullo in tempore. *Hæc est veritatis*, &c. Non esset veritas integra, careret plenitudine Christiana disciplina, timor Dei æqualis non esset, non esset fides obsequio quod debetur Deo, si licitum esset sententiam immutare, & variare iudicium iuxta diuersa loca & tempora. Inde concludit, *Non potest aliud esse*, &c. Id est, Quod bonum est, constanter bonum est; quod malum, constanter malum. Ratio, *Quia omnia fixa* sunt ac determinata *iuxta veritatem Dei*.

NOTÆ.

298. 1. QVAM VANA IGITVR, &c.] Optimè Lucianus de Gymnasiis. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνό πω δύναμαι καταμαθεῖν, ὅτι τῦτο τερπνὸν αὐτοῖς ὁρᾶν πυκτεύοντες ἢ, ἢ διαπλακτιζομένους ἀθρῶσι, ἢ σφῆς τὴν γλῶτταν ἀμπολῶντας ἢ πυγιζομένους ὑπὸ ἀλλήλων: *Nondum enim illud possum intelligere quidnam oblectamenti, quod voluptatis denique hoc illis afferat, si videant homines cædi verberibus, atque decertantes tum humi prosterni, inque vicem à se mutuò conteri.*

1. ADMITTENDÆ VOLVPTATIS OBTENDVNT.] Iunius legit, *Admittendæ voluptati obtendunt*? Ferri potest *voluptati*, interrogatio non potest.

1. PROHIBEANT.] Monet Vvouer. legendum ex ms. *prohibeat*, quod placet.

2. SVAVILVDII.] Est Suauiludius, qui spectaculorum oblectamentis delectatur. Latinius vult legi *Suadiludij*. quam vocem etiam mutat in lib. de Cor. Mil. vbi pro *Suauiludios* legit *Suadiludios*.

299. 2. SOL IN CLOACAM RADIOS, &c.] Dilatat sententiam Prudent. lib. 2. contra Symmac.

Haud aliter Solis radius colluminat omnes
Diffuso splendore locos, ferit aurea tecta;
Sed ferit & nigro sordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus Capitolia clara, sed intrat
Carceris & rimas, & tetra foramina clausi
Stercoris, & spurcam redolenti fornice cellam.

Synesius epist. 57. ἀκτὶς ἡλίου κἂν ὁμιλήσῃ βορβόρῳ, μένει καθαρὰ καὶ ἀμόλυντος: *Radius Solis etiamsi incidat in cœnum, manet purus & incontaminatus.* Alluſit Sen. lib. 4. de Benef. cap. 30. *Vt loca sordida repercussu Solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum laude resplendeant.*

300. 2. RADIOS SVOS DEFERT.] Rescribunt ex ms. *deflexit*. non displicet. Sed certè Nazianz. in carmine ad Nemesium,

Ἀκτὶς ἠελίοιο φέρει φάος:
Radius Solis fert lucem.

& postea subiicit sententiam Tertulliani de Sole, quem non inquinant μολύσματα. Videatur de Sole & ad hanc rem locus elegans Themistij Euphradæ orat. 13. ab eo, ἐπεὶ δὲ ἥλιον τῦτον ὀκ ἐνοήσατε, &c. locus est longus. Dixit autem *defert*, in quo attingit philosophicum dogma, quod Solem dicit *fontem luminis*. Seneca 7. Natural. Quæst. cap. 1. *A sideribus fluens lumen*. Lucret. lib. 5.

Largissimum fontem scatere, atque erumpere lumen.

Idem per verbum *profundo* eodem libro,

Proinde calor quoniam Solis, lumènque profusum
Perueniunt nostros ad sensus.

Virgilius autem per simplex *fundo*, 2. Georg.

Ignes nocturni lumina fundunt.

Et Tertullianus per verbum *defert*. Huc spectat illud Festi: *Manare Solem antiqui dicebant, cùm Solis orientis radij splendorem iacere cœpissent, à quo dictum putabant mane, seu tempus matutinum.* quod sumpsit à Varrone qui lib. 5. de Ling. Lat. *Mane dici principium, quòd tum manat dies ab oriente.* In fine moneo, Tertullianum (quod aduertit Meursius part. 2. Criticar. exercitat. cap. 27.) habuisse ante oculos scomma Diogenis, quod est apud Laertium lib. 6. *Exprobranti quòd loca immunda introiret, & Sol, inquit, in fœcessus abit, nec inquinatur.* πρὸς τὸν ὀνειδίζοντα, ὡς εἰς τόπους ἀκαθάρτους εἰσίοι, καὶ γὰρ ἥλιος, ἔφη, εἰς τὰς ἀποπάτους, ἀλλ' ὁ μιαίνεται.

2. SED SPECTAT ET LATROCINIA, &c.] Non alia causa Nazianz. orat. 3. Deum vocat πάντων ὀξύτατον, *Omnium acutissimum*, quia scilicet omnia cernit oculis acutissimis. Nicetas Choniates in vita Manualis lib. 1. cap. 5. Deum vocat παντέφορον ὀφθαλμόν, *Oculum inspectorem omnium rerum.* & ibidem lib. 3. c. 4. ὦ πάντ' ἐφορῶν ὀφθαλμὲ τῆς δίκης ἀλάθητε, *O inspector omnium oculi iustitiæ ineuitabilis.* Diodorus lib. 3. Bibliothecæ, ὁ δὲ ὀφθαλμὸς δίκης τηρητής: *Oculus iustitiæ seruator*: cæterùm Iunius mutat hic quid lectionis, sed est rei non magnæ. 301.

3. COMPARAS HOMO, &c.] Sermo proculdubio sumptus à re gladiatoria. Dicebantur enim gladiatores non solùm *committi*, aut *componi*, sed etiam *comparari*. Sueton. Calig. *Hunc è spectaculis detractum repente Threci, & mox Hoplomacho comparauit.* Dixit Dio πωλῆσαι lib. 43. Ergo ait: Comparas coniungisque & committis in vnum tam reum, quàm iudicem; vnde accidit vt habeas in vno eodémque loco prospectorem reatus tui. Sciat Lector in omnibus excusis ante Pamelium scriptum *comparas*, sed ille, quia non tenuit mentem auctoris, rescripsit *compares*. Sed verè scribendum *comparas*, & sententiæ, quæ difficilis

visa est Pamelio, medendum ex interrogatione præcedentis clausulæ, qua omnes codices carẽt, & quam ego adhibui. Facit enim interrogatio, vt verba illa sint argutatoris suauiludij, non Tertulliani, quam interrogationẽ & obiectionẽ obruit clausula ista, *Comparas homo*, &c.

302. 4. FVRORI STVDEMVS, &c.] Notentur affectus quatuor, quos assignat quatuor generibus spectaculorũ. Variat in nonnullis Saluian. l. 6. *Quicquid immũdiciarum est, exercetur in Theatris: quicquid luxuriarum, in palæstris: quicquid immoderationis, in Circis: quicquid furoris, in Caueis. Alibi est impudicitia, alibi lasciuia, alibi intemperantia, alibi insania.*

303. 4. EXTRA STADIVM.] Ait Faber l. 2. Agon. c. 1. *Decertare extra stadij terminos* esse idem quod *scamma transilire*, aut *prætergredi*. & Petrus quidem Chrysologus serm. 33. & 124. coniunxit scamma cum stadio.

4. CAMERAS.] Dictum hoc propter Theatri porticum ait Lipsius l. de Amphith. c. 13. nam huic Dio in Nerone dat ἀψίδα. Id est, *fornicem* siue arcum. & Vitruuius dixit *tectum porticus*. Itaque *porticus* fuit arcuato opere. Quod ergo isti ἀψίδα & *tectum*, Tertull. *cameras*, sic nauium genus *cameræ* quòd tectæ sint. Tacit. lib. 9. Hist. *Fabricatis repentè nauibus, quas cameras vocant; arctis lateribus, lata aluo, sine vinculo æris aut ferri connexâ, & tumido mari, provt fluctus attollitur, summa nauium tabulis augent, donec in modum tecti, claudantur.* Augustin. de Ciuitate loquens de arca Noe dixit *Cameratas*, *tricameratas*. vt etiam Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum. Suet. Augustin. c. 90. *Concameratum locum.* Ita Fortunat. in vita Hilarij de palato dixit. Verba eius: *Non lingua torpens intra palati camerem volubilis excurrebat.* Lege *cameram*. Putat Lipsius in l. 3. Hist. Tacitì, vocem hanc esse Germanicam, contenditque in Strabone scribente καλοῦσι δὲ αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας, illud οἱ Ἕλληνες, additum à glossaste. Sed viderit Græcos alios vsos hac voce. Nam Ioann. Chrysost. orat. 2. de Incomprehensib. Dei Natura, οὐχ ὁρᾷς τοῦτον τὸν οὐρανὸν, ὅτι ὑπὸ καμάρας εἰκόνα διασώζειν ἡμῖν; *Nonne vides hoc cælum, quod formam camerarum nouimus seruare?* Theodorit. l. 1. Hist. c. 17. καμάραν nominat, non καμίραν. Sumpsit vocem ab Eusebio lib. 3. de vita Constantini cap. 31.

304. 4. GRADVS.] De gradibus Spectaculorum præcipuè de quatuordecim gradibus Circi, multa vbique mentio. De gradibus Theatralibus passim Suetonius, Vitruuius, alij. De gradibus Amphitheatri multa etiam mentio. Tu vide Lipsium in Amphitheatro.

4. APVLIAS.] Sudant Docti in explicanda hac voce, & meritò. Sunt qui explicant *apulias*, pro, *extra portas*. nam πύλη *porta* est. Sic & Aristophan. τὸ στόμα ἀπύλωτον de effrenato ore. Sunt qui explicent *extra columnas*, nam πύλη quoque *columna* est, vt dicat extra Circum, nam in Circo columnæ. Latinius ait esse vocabulum Pœnicum, & dici quasi *apluuias*, id est loca tuta à pluuiis, quia & Apulia Italiæ pars fortasse ita dicta, quòd pluuiis fere careat. Bulengerus ἀπὸ τοῦ ἥλιου ducit, quòd auersæ sint à Sole, & absque illo. Vt in explicanda hac voce dissidium, ita in lectione. Aliqui legunt *apalias*, aliqui *apelias*, aliqui *epaulias* aut potiùs litteris Græcis ἐπαυλίας, vt significetur locus ἐπαύλιος, id est, κατάσκιος, nimirum locus obumbratus & tectus: sunt enim ἐπαύλια mandræ & stabula. & ἐπαυλίζεσθαι, est *stabulari*. Erunt ergo ἐπαύλια loca gregi ludentium & pugnantium ac toti instrumento illorum destinata. En dissidia & explicantium, & mutãtium vocem. mihi placitum nihil mutare, & Latinium sequor, qui *apulias* explicat quasi *apluuias*, id est, sine pluuia. Nam cùm Tertull. velit significare loca tecta, & hanc significationem mihi præbeat loca sine pluuiis, cur ad alias lectiones confugiam, quæ rem eamdem significant? nam vt sit vox Græca siue à portis, siue à columnis, siue à mandris, inuitè credo. Et quidem dici *apulias*, pro, *apluuias*, nihil mirum debet videri, ad eum modum quo olim *tago* pro *tango*, & *attigere*, pro, attingere, & *tagax furunculus*, dictus à tangendo: quæ voces obuiæ in Plauto, & aliis. Roges, quem tandem locum notet Tertull. per *apulias* aut *apluuias*? Fortasse, Stadium, nam athletæ intra latissimam porticum exercebãtur, præsertim per hyberna, vt tuti essent ab iniuriis pluuiarum. Fortasse etiam Circenses: nam Lampridius de Heliogabalo: *Quadrigas Circensium in tricliniis & in porticibus sibi semper exhibuit pransitans & cœnitans.* Nam cùm Heliogabalus vixerit non longè ab æuo Tertulliani ipsius, quid mirum loqueretur cum aspectu ad sua tempora? est enim credibile fecisse alios principes, quod Heliogabalus vsurpauit. Fortasse & ludos Theatrales, nam Ammian. lib. 14. *Nonnulli velacris vmbraculorum theatralium latent.* Vides vt his ludis det vmbracula & tectoria?

4. OCVLOS HABET.] Adiunxi interrogationem, ita postulante sensu, & quidem ea carent omnes codices. Porrò ad sententiam pertinent verba hæc Clementis l. 2. Pædag. c. 10. παλαίπωρος οὖν οὗτος, ὁ φθαλμοὺς ἀνθρώπων διελὼν μόνους, λήθην δὲ τὴν ὑποκρύπτων· *Miserrimus ille est, qui solos veretur oculos hominum, & latere Deum posse putat.*

5. VERITATIS INTEGRITAS.] Non errabit, qui dicat veritati dari *integritatem* cum respectu ad virgines: est enim illa, vt istæ, verè integra & incorrupta. Cui nostræ coniecturæ præit Hilarius Pictau. in libello ad Constantium Aug. vbi: *Melius mihi est in hoc seculo mori, quàm alicuius priuati potentia dominante castam veritatis virginitatem corrumpere.* Nec abit locutio Cõcilij in Trull. can. 2. vbi τὴν ἀληθείαν καμπλεύειν: *Veritatem cauponari.* Quid quòd virtutes omnes dictæ virgines, & cultæ sub habitu virginitatis; quod alibi tracto ad locum alium Tertulliani. Sed & signatè de ipsa veritate Themist. Euphrada orat. 3. παρθένος ἀληθείου καὶ ἀρχαίου γάμους κάλλους: *Virgo spectanda ex vera & antiqua pulcritudine.*

5. NON POTEST ALIVD ESSE.] Legunt aliqui: *Non potest aliud esse quod verè quid est, seu bonum, seu malum.* Non displicet.

5. OMNIA AVTEM PENES VOLVPTATEM DEI FIXA SVNT.] Pertinere ista ad initium sequentis capitis Iunius censet.

CAP. XXI. ARGVMENTVM.

Ethnicorum inconstantia in æstimando bono & malo.

TERTVLLIANVS.

306. 1. ETHNICI, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus; malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur, alibi bonum, quod alibi malum: alibi malum, quod alibi bonum.

1. ANNECTITVR hic tractus extremæ superioris capitis sententiæ. Coarguit verò inconstantiam gentilium in indicando circa *bonum & malum*. & quid mirum inconstantes sint quibus *Deus non Doctor veritatis*?

307. 2. Sic ergo euenit, vt qui in publico vix necessitate vesicæ tunicam leuet; idem in Circo aliter non exultet, nisi totum pudorem in faciem omnium intentet: & quil fiiæ virginis ab omni spurco verbo aures tuetur; ipse eam in Theatrum ad illas voces gesticulationesque deducat: & qui in plateis litem manu agentem aut compescit, aut detestatur; idem in stadio grauioribus pugnis suffragium ferat: & qui ad cadauer hominis communi lege defuncti exhorret; idem in Amphitheatro derosa & dissipata, & in suo sanguine squallentia corpora patientissimis oculis desuper incumbat.

2. Probat inconstantiam illam Gentilium in iudicando de bono & malo, adductis quatuor generibus spectaculorum, scilicet *Circo*, *Theatro*, *Stadio*, *Amphitheatro*. Sententia ita est clara, vt me pudeat explicare; te audire. Si quid dignum consideratione, recurre ad Notas.

308. 3. Imò qui propter homicidæ pœnam probandam ad spectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum. Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori petat, & rudem, & pileum præmium conferat. Illum verò confectum etiam oris spectaculo repetat, libentiùs recognoscens de proximo, quem voluit occidere de longinquo; tanto durior, si noluit.

3. Finiuit superiorem tractum in ludo gladiatorio, continuat in isto eiusdem ludi atrocia, continuans scilicet inconstantiam gentilium in æstimatione boni & mali. Sed quæ hæc inconstantia? Homicidæ damnabantur ad bestias, quod genus supplicij iustum: atqui innocentem seruum cogere ad gladiaturam virgis & flagris, iniustum. Deinde poscere leonem contra homicidas quosque famosos, iustum: atqui gladiatori ita atroci, vt plurima in arena homicidia feciisset, præmium conferre, iniustum. Hæc scilicet dissidia in Gentilibus sunt. Absoluit, *Illum verò confectum*, &c. Sensus est. Tanta est gentilium inconstantia in æstimando bono & malo, vt qui voluit insignem homicidam occidere, sed de longinquo abhorrens præ pietate ab hoc spectaculo, idem ipse proximè accedat in arena libentissimè inspecturus ore recogniturusque cum summa impietate hominem confectum absumptúmque. Addit, *Tanto durior, si noluit*, quia iam malum hoc sæuius est, & argumentum atrocioris mentis. & hoc, quo seruit argumento, nam inconstantia est, illum cum gustu mortuum intueri, quem nolueras occidere.

NOTÆ.

309. 1. ETHNICI.] Monui extrema Notâ superioris capitis, verba illa, *Omnia autem penes voluntatem Dei fixa sunt*, pertinere ex sententia Iunij ad initium huius capitis 21. Hic moneo totum locum ita legi ab eodem ex ms. *Omnia autem penes vos veritate defixa, sunt Ethnici. Quos penes*, &c. quæ sic explicat. Vos promiscuè rebus bonis vt malis, & malis vt bonis vtimini ex animi vestri sententia: *veritate defixa*, id est, non secus occisa & perdita, quàm si eam stilis, aut ficis, mucronibúsque confodissetis. Nam Glossar. *Defixus* διατετρωμένος. Repræsentaui hanc lectionem & interpretationem, si cui placeat, sed meo iudicio præstat vulgaris lectio. Ratio. quia initium illud, *Quos penes*, &c. plurimum displicet. Nam innexio ista, *Quos penes interpretantur*, nemini potest placere.

310. 1. MALVM AC BONVM PRO ARBITRIO AC LIBIDINE INTERPRETANTVR.] videlicet gentiles incerti sunt de sua veritate aut sapientia, quæ tamen cùm ars sit, *Certum petat* necesse est, ait Seneca epist. 29. Nam *non est ars quæ ad effectum casu venit*, dirigitúrque ex humano successu. Esse enim *bonum* debet *mansurum* ait idem epist. 27. Et epist. 102. ait *veritatis vna vis, vna facies est* vt etiam Ammian. lib. 14. sub imperatoria persona, *Veritatis sermo est simplex*. Et falsitatis argumentum maximum inconstantia. Nam *nunquam falsis constantia est, variantur & dissident*, ait Seneca idem. Lactantius lib. 1. cap. 1. *Bonorum specie falsi* gentiles *mala* pro bonis amplectuntur, & iisdem Gentilibus Ammian. lib. 14. dat *mentem versatilem*. Est hoc καταχρήσασθαι (ait Athanas. Apolog. aduers. Gent.) τῷ τῶ καλῶ ὀνόματι, *abuti nomine boni*. His volui Tertullianum illustrare, vide tamen vt eumdem illustret Heraldus lib. 1. Digress. cap. 2. Ex Euripide & Philone. Explicat scilicet Tertullianum intelligendum de rebus natura bonis aut malis, hæc enim fixa esse debent. Alia quippe sunt bona aut mala οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ, ἢ κατ' συνήθειαν, *non natura, sed lege & consuetudine*. Et hæc quidem cùm pendeant ab hominum opinione, ex circumstantiis possunt aut bona, aut mala existimari: neque de his intelligendus Africanus Doctor.

2. VT QVI IN PVBLICO VIX NECESSITATE VESICÆ, &c.] Similem sententiam habes apud Ambros. lib. 1. Officior. cap. 18. vbi loquens de natura ait: *Eas verò partes, in quibus esset naturalis obsequium necessitatis, ne deforme sui præberent spectaculum, partim tanquam in ipso emendauit atque abscondit corpore, partim docuit & suasit tegendas*. Accepit hic ab Tullio. Sic ait Tertull. insitum ita esse à natura pudorem, vt pudeat tunicam leuare ad exonerandam vesicam lotio, quæ naturalis est necessitas.

2. NISI TOTVM PVDOREM, &c.] Reprehendit & hoc Arnob. lib. 5. *Propudiosa corporum* 311.
monstratur obscœnitas, obiectanturque partes illæ, quas pudor communis abscondere, quas naturalis verecundiæ lex iubet, quas inter aures castas sine venia nefas est, ac

ſine honoribus appellare præfatis. Porro mihi ſcrupulum ingerit Tertullianus. Nam cur impudentiam attribuit Circo? Certè Circi nota eſt, furor, inſania, fremitus, & ſimilia: Theatri, impudicitia, laſciuia, luxuria. Cogitaui referendam ſententiam ad lotium veſicæ, vt dicat: Qui extra Circum ad exonerandam veſicam vix audet in publico leuare tunicam, in Circo nihil curat de hoc pudore, ſed coram omnibus veſicam exonerat, & totum pudorem (intelligit Lector quid hoc ſit) in ora omnium intentat veluti exultabundus.

2. INTENTAT.] Reſcribunt *intendit*, non placet.

2. ET QVI BILIÆ VIRGINIS.] Legit Wouer. ex mſ. *Vt qui.* non placet, nam ſequentia aliter indicant.

312. 2. IN PLATEIS LITEM MANV AGENTEM AVT COMPESCIT, AVT DETESTATVR.] Explicat Iunius hunc locum cum reſpectu ad Romanum morem, quo iniecta manu aduerſarius trahebatur in ius, & hoc erat *litē manu agere*, aut *manus iniicere.* Si verò aduerſarius ſequi nollet trahentem, tunc is qui trahebat, rogabat aliquem, vt liberet anteſtari apprehenſa eius auricula, nam niſi hoc feciſſet, iniuriarum poterat accuſari. Locus Horatij de hac re ſatis eſt notus. Accidebat verò ſæpe, vt is qui rogabatur anteſtari, miſeratus fortunam eius qui trahebatur, compeſceret & reprimeret trahentem, & ſi id non poſſet, deteſtaretur, id eſt, refugeret & deprecaretur infauſtum illud anteſtandi officium, quod ab ipſo poſtulabatur. Ita accipiunt verba Caij l. Plebs 237. §. 1. ff. de verborum ſignific. *Deteſtatum eſt deteſtatione denuntiatum.* Iuniana hæc etiamſi primo aſpectu videantur probanda, tamen aliena ſunt à Tertulliano, qui ſimpliciter capiendus eſt de homine, qui in plateis inter litigandum manum mouet plus iuſto, & manibus potiùs quàm ratione litem gerit, cum faſtidio ſpectantium, quem hominem compeſcunt & deteſtantur qui vident. Cauſſa cur hoc credam, eſt conformitas aliorum. Qui vix tollit tunicam ad veſicam leuandam, in
313. Circo eam exonerat nullo pudore: qui virginem filiam domi continet ab ſpurco verbo, deducit ad Theatrum, vbi voces turpes geſticulantium: qui exhorret ad defunctum, eum in Amphitheatro libentiſſimè inſpectat. Sic ergo, qui compeſcit & deteſtatur agentem litem, manuum exultantia, ſuffragium fert contentionibus Stadij. Hæc ita conformia ſunt, vt recurrere ad anteſtationem omnino ſit ἄτοπον. Sumit enim in omnibus exempla ab vna eadémque re, à veſica, à verbo ſpurco, à mortuo, à mouente manum. Et quidem *manum iniicere in reum*, non eſt cur in eo populo reprehenderetur, & nemo anteſtationem illam aut compeſcebat, aut deprecabatur. Quid quod Tertull. ſignatè ait *in plateis* vbi lites peragebantur? atqui anteſtatio illa & raptatio ad ius, ac manuum iniectio fiebat vbique locorum, vt patet ex Horatij hiſtoria. Itaque *litem agere manu*, non eſt manum iniicere, & ducere ad vadimonium, quod mihi nemo probabit; ſed vti in lite procacitate manuum, & litem agere veluti pugnando potiùs quàm ratione.

314. 2. DEROSA.] Aldhelmus lib. de Virg. cap. 19. loquens etiam de Sanctis martyribus, qui in Amphitheatro mactabantur à feris, *Vrſorum genuinis carperentur, & leonum rictibus roderentur.* & cap. 21. *cadauer beſtiarum rictibus corroſum.*

2. DISSIPATA.] Intellige hanc voculam, & ſimul cape incredibilem atrocitatem ludi gladiatorij. Solebat victor Gladiator ita frequenter vulnera repetere, vt victum miſerum diſſiparet in partes, diuideréque horrenda lacératione. Teſtis huius crudelitatis Lactantius, *Quin etiam percuſſos iacentéſque repeti iubent* Spectatores, *& cadauera ictibus diſſipari, nequis illos ſimulata morte deludat.* Habentur hæc lib. 6. cap. A 20. Ad hunc ludum adiecit animum idem Tertull. lib. 6. de Fuga in perſecut. cap. 5. vbi *tormentis diſſipatus.* Huic verbo Synonyma adiungit Ambroſ. ſerm. 5. *Diſſolui, comminui, diſpergi*: itaque *diſſipari* includit in ſe ſignificata horum omnium. Spartianus in Seuero. *Cadauera diſſipari*, quod ſcilicet ſtatim idem ipſe *Cadauera diuidi.* Vtique quod Euſeb. dixit lib. 2. de vita Conſtant. cap. 2. ἵνα τὸ σῶμα εἰς πολλὰ κατακερματίσθαι τμήματα: *Corpus diſſipatum enſe in multas particulas minutatim.* Victor Vticenſ. Epiſcopus lib. 2. Hiſt. de crudelitate & flagris barbarorum loquens in Chriſtianos, ita ait: *Per ſingulos menſes flagellis crudelibus diſſipat*, id eſt, Gamuth gentilis quidam Chriſtianos. Nota diligenter Lector verba duo Tertulliani referenda primùm ad feras, quæ rodebant dentibus, vt apparuit ex Aldhelmo; alterum ad homines qui diſſipabant ictibus, vt viſum ex Lactantio. Ergo ait Tertull. videbit corpora deroſa à feris, diſſipata à gladiatoribus?

B 2. DESVPER INCVMBAT.] Apage hinc feneſtras Iunij, vnde fiebat hæc ſpectatio. ex ipſis gradibus incumbebant ſpectantes, quin poſt peractum ludum deſcendebant contemplaturi. Itaque tantùm notat habitum ſpectantium ex gradibus Amphitheatri, ex quibus voluptuosè admodum contemplabantur proſtrata cadauera, quin deſcendentes, pari guſtu attrectabant: vt de Commodo Lamprid. *Cùm in gladiatoris occiſi vulnus manum miſiſſet.* 315.

3. FLAGELLIS ET VIRGIS COMPELLAT.] Seneca ep. 7. de hac re ipſa: *Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obuiis pectoribus excipiunt.* Explicaui de ſeruo, qui innocens compellitur ad gladium. Poſſit tamen qui velit, de auctoratis capere; ſunt hi qui ſe pretio addicebant ludo gladiatorio, iurabántque ſe omnia paſſuros, quæ legitimi gladiatores, quo iuramento facto, ius in ipſos erat, ita vt verberibus adigi poſſent à laniſtis, & compelli ad gladium. De hac C re & more vide doctum Lipſij caput quintum l. 2. Saturn. Nec pugnat vox *inuitum*, etiamſi ſe voluntarij ludo addiceren:: nam ſimile quidpiam de Nerone Lipſius ex Xiphilino ad exitum huius capitis. Quin altiùs meditor. Formula auctorati erat ſe paſſurum *vltionem, verbera, necem.* Inde voces ſæuientis populi apud Senecam. epiſt. 7. ad laniſtam præfectúmve ludorum contra auctoratum gladiatorem, *Occide, vre, verbera. Quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur?* Acron in Horatium: *Gladiatores ita ſe vendunt, & cautiones faciunt vri flammis, virgis ſecari, ferróque necari.* Videiſta latiùs in Lipſio. Meditor (inquam) Tertullianum adhibuiſſe duas illas iuramenti partes, videlicet *vſtionem & verbera*, hæc in virgis, illam in flagellis. Nam *flagra* aut *flagella* à verbo *flagro* dicta, nimirum ab vſtione, quam ictu imprimunt: quod obſeruauit Scal. in Feſtum. Inde Horat. epiſt. 16. lib. 1. *Loris non vreris*, id eſt, flagellis loreis. Nam quo fine repetat D rem eamdem, ſi flagella & virgæ referuntur ad verbera? Quæ dixi non pro certis in vendito: video enim ſimpliciter poſſe Tertullianum explicari. 316.

3. HOMICIDÆ LEONEM POSCIT.] Hoc ſupplicio affectihomicidæ. Seruos quoſdam cædis inſimulatos θηρίοις παραδιδόντας, *feris traditos* ſcribit Lucianus in Pſeudom. huc alluſit Tertull. ipſe de Reſurrect. *Nec calicem damnaris, ſi quis cum veneno temperarit: nec gladium ad beſtias pronuntiaris, ſi quis eo latrocinium fuerit operatus.* Huc refero *Pancarpum* Caſſiani collat. 5. cap. 14. de eo qui cum omnigenis congreditur beſtiis, vt ipſe ait, & hac præmiorum contemplatione: & Sancti Auguſtini lib. aduerſus Secundinum hæreticum cap. 23. de quo certamine adeundæ Notæ in Caſſianum. Etenim cùm Pancarpus eſſet certamen, quo beſtiæ omnes impetebantur, non malè ad leonem retuli illarum principem. Itaque *ad leonem* 317.

fuit familiaris sermo, vt, deligari ad palum, tolli in crucem, ire in coruos, &c. Sed de hac re iam in Apolog. Tu vide Rœuardum lib. 1. Coniectan. cap. 16. vbi de discrimine, quo homicidæ qui essent nobiles, deportabantur; qui humiles, feris obiiciebantur. Ego hic occasione rei Tertullianicæ aperio rem dignam scitu. Præmitto verba Senatus Romani ad Pertinacem, quæ sunt apud Lampridium in vita Commodi. *Parricida trahatur, rogamus Auguste. Parricida trahatur, hoc rogamus. Parricida trahatur, exaudi Cæsar. Delatores ad leonem, exaudi Cæsar*, &c. Hinc collige publicas Litanias, quæ canuntur in Ecclesia, confectas ad similitudinem earum precum, quas Romani fundebant ad suos Cæsares in re aliqua periclitabundi. Hoc mecum fatebitur, qui legat reliqua tractus Lampridiani.

318. 3. RVDEM.] Hoc præmio insignes gladiatores affecti, qui sæpe feliciter in arena pugnassent. Inde dicti *rudiarij* ab ea virga: quæ vox in Suetonio est cap. 7. Tiberij. Res ista nemini non nota est. Inde Lamprid. in Commodo. *Rudibus in arena inter cubicularios gladiatores depugnauit.* Tullius in Antonium: *Tam bonus gladiator rudem tam citò accepisti?* Suetonius in Claudio cap. 21. *Indulsisset rudem.* Omitto. Sed quod armorum genus rudis? Certum est genus fuisse vastius & grandius baculi. Vnde Sueton. Calig. cap. 32. *Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem, & sponte prostratum confecit ferrea sica.* ac Cicero lib. 3. de Oratore: *Ac rudibus cuiuis satis asper.* Itaque puto falli eos, qui referunt ad virgam leuem.

3. PILEVM.] Nota altera libertatis, & hæc ita

A nota, vt putidum sit persequi. vox *præmium*, quæ sequitur, mihi semper suspecta fuit, & è mero glossemate. & Turnebus quidem aduocans hunc locum lib. 18. cap. 33. illam adimit.

3. ORIS SPECTACVLO.] Codices omnes habent *amoris spectaculo*: à qua lectione non satis aptus sensus. Placuit legere *oris spectaculo*: quam Latinij lectionem alij etiam sequuntur.

3. QVEM VOLVIT OCCIDERE DE LONGINQVO, TANTO DVRIOR SI NOLVIT.] 319. Censet Wouer. emendandum hunc locum ex mſ. *Quem noluit occidere de longinquo, tanto durior si voluit.* Quæ lectio posset placere, vt consentanea ad mentem scriptoris repræsentantis inconstantiam gentilium: essétque sententia: qui noluit hominem occidere, occisum iam libentissimè inspectat; quod durum est; sed durius, si voluit occidere. nam iam du-

B plex malum, scilicet & voluisse occidere, & recreari ab occiso. Sed posset (inquam) placere, nisi scriptor diceret, *Illum verò confectum*, id est, illum insigniorem homicidam, contra quem ait leonem posci: ac perinde præferenda est vulgata lectio: nam qui poscit leonem in homicidam, vult illum occidi. Atque ita inconstantia gentilium referenda ad verba *de longinquo*, & *de proximo*, vt explicui. Quid quòd extremum verbum, *voluit*, non seruit argumento inconstantiæ, sed est tantùm appendix superioris sententiæ. Hac re nihil certius. Nam *vt illum confectum* referas ad gladiatorem rude & pileo donatum, non feram; nihil enim præcessit, quo istum possis intelligere.

CAP. XXII. ARGVMENTVM.

Persequitur eandem inconstantiam adductis in argumentum iudiciis hominum, qui damnant & reputant in infamiam artifices spectaculorum, cùm tamen magni faciant ipsa spectacula.

TERTVLLIANVS.

320. 1. QVID mirum inæquata ista hominum miscentium & commutantium statum boni & mali per inconstantiam sensus & iudicij varietatem?

EXPLICATIO.

1. INÆQVATA ISTA, est rectus pluralis, aut quartus. Id est, quid mirum sint istæ inæqualitates. Vel quid mirum istas esse inæqualitates hominum? reliqua clara.

321. 2. Etenim ipsi auctores & administratores spectaculorum, Quadrigarios, Scenicos, Xysticos, Arenarios (illos amantissimos, quibus viles animas fœminæ, aut illis etiam sua corpora substernunt, propter quos in ea committunt, quæ reprehendunt) ex eadem arte, quam magni faciunt, deponunt & deminuunt, imò manifestè damnant ignominia & capitis minutione, arcentes curia, rostris, Senatu, equite, cæterísque honoribus omnibus simul atque ornamentis quibusdam.

2. Adhibui parenthesim claritatis gratia, & quia quæ illa continentur extra materiam sunt quodammodo, & veluti obiter dicta. Sed percurro. *Auctores.* Sunt hi legum latores & magistratus, qui tulerunt leges spectaculorum. *Administratores*, id est, editores ludorum, erant isti vt plurimùm nobiles, & magistratus, qui ludos edebant demerendæ plebi. Ergo isti auctores & administratores, *ex eadem arte*, id est, propter eamdem artem, *quam magni faciunt*, vt insignem, *deponunt & deminuunt* ab omni re honesta, *Quadrigarios* Circi, *Scenicos* Theatri, *Xysticos* stadij, *Arenarios* Amphitheatri, *arcentes illos curia, rostris, Senatu, equite, cæterisque honoribus omnibus simul atque ornamentis, Imò illos* (nam hoc non satis) *manifestè damnant ignominia & capitis minutione.* Ita annectenda sententia, & esse alia nequit. Et quidem explicatio ista apparebit esse euidentissima ex sequenti tractu. Pergo ad parenthesim. Ait scilicet artifices ludorum amari & à fœminis, & ab ipsis auctoribus. Cùm enim essent semper robusto, saginato, ac nitente corpore, volebant fœminæ expleri se ab illis, adulterio; viri, horrendo contra naturam flagitio. *Propter quos*, id est, cùm eos ament, *in ea committunt*, in ea offendunt, & incidunt crimina, quæ reprehendunt.

3. Quanta

322. 3. Quanta peruerſitas! Amant quos multant, depretiant quos probant: artem magnificant, artificem notant. Quale iudicium eſt, vt ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur? Imò quanta confeſſio eſt malæ rei, cuius actores, cùm acceptiſſimi ſint, ſine nota non ſunt?

3. Redit ad ea quæ dixerat, amplificans de nouo. *Quanta peruerſitas*! Hoc membro annectit præcedentia & ſequentia. Et rectè *peruerſitas* ad notandam inconſtantiam ſenſus, & varietatem ad iudicandum de bono & malo. *Amãt quos multant, depretiant quos probant*, en depoſitio illa honorum & deminutio, qua arcent actores curia, roſtris, &c. *Artem magnificant, artificem notant*, en ignorantia & minutio capitis, nam *nota* ſemper ad ignominiam refertur. Recurrit iterum: *Quale iudicium eſt, vt ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur*, en iterum depoſitio & deminutio: *Imo quanta confeſſio eſt malæ rei, cuius actores, cùm acceptiſſimi ſint, ſine noxa non ſunt*, en ignominia & minutio capitis: itaque duplex eſt cardo harum fortium, primus deminutio honorum; alter, minutio capitis. Ad primum refert, arceri artificis *curia, roſtris, Senatu*, &c. atque etiam *multari depretiari, offuſcari*: ad alterum, ignominiam & notã. Eſt enim longum diſcrimen inter amiſſionem honorum, & infamiam: honores amittere non ita graue, incurrere inſuper in infamiam grauiſſimum

NOTÆ.

323. 1. INÆQVATA ISTA.] Vt ego ſcripſi, legitur in omnibus codicibus: quæ lectio veriſſima eſt, etiãſi Pamelius dicat eſſe corruptiſſimã; quod cùm dixit, turbatus eſt paralogiſmo neſcio quo: & quia turbatus, mutauit lectionem, reſcribens *de inæquata iſta varietate*. Atqui valde Tertullianicum eſt, neque abhorrens ab Afri huius ingenio: *Quid mirum inæquata iſta, peſſima iſta, abominãda iſta*. Quidquid potuit dicere, *quid mirum inæquata iſta hominum*, pro, quid mirum inæquatos eſſe & inæquales homines. Sic Hilarius contra Conſtantium Auguſtum, *conſtructæ parietum*, pro, cõſtructos parietes: ſic *opaca ſyluarũ*, pro, opacas ſyluas. Et centena in quauis pagina. Hanc varietatem vocat Gregor. Nyſſ. tractatu 1. in Pſal. 7. τροπὴν, ἀλλοίωσιν, τὸ παραδικόν.

324. 2. AVCTORES] Sic legendum cum Pamelio, Iunio, aliis. Nam Faber 1. Semeſt. c. 20. & Lipſ. in l. 1. Annal. Taciti, qui reſcribunt *actores*, non placent. Nã *actores* ſunt ipſi ludorum artifices. An iſti ſe ipſos damnarent, notarent, deponerẽt? explicui *auctores* de legum latoribus. Sed quid ſi *auctores* in Tertulliano ſint Poëtæ ipſi, qui comœdias componebãt, habebantúrque in pretio? Fulcrũ huius explicationis Auguſt. l. 2. Ciuit. cap. 4. vbi: *Qua ratione rectum eſt, vt poëticorũ figmentorum, & ignominioſorum Deorũ infamentur actores, honorentur auctores?* Vbi *auctores* ſunt Poëtæ fabularum compoſitores, vt legenti apparebit. Præfero tamen explicationem, quam poſui propter ſequentia. Non enim Poëtæ, ſed magni Principes multabant artifices ludorum.

2. QVADRIGARIOS.] Cùm quadrigæ albæ Iouis eſſent, & etiam Solis, ad factiones Circi alluſum à Plauto nullus dubito, cùm ait Aſin.

Nunquam ædepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.

Idem Amphit.

Quadrigas ſi nunc aſcendas Iouis, nunquam effugies infortunium.

325. 2. ARENARIOS.] Quippe ludus Gladiatorius, & Amphitheatrum, dictus κατ' ἐξοχὴν *arena*. Nã tametſi hæc ſparſa in locis aliorum ludorum, ſed nomẽ ipſum tantùm communicatũ eſt Amphitheatro. Peſſimè verò Barræus explicat: *Quadrigarios* & *arenarios*, illos qui currus reficiebant, iſtos qui arenam deferebant in Amphitheatrum. Non eſt ita. Aurigas & gladiatores intelligit.

2. AMANTISSIMOS.] Vvouer. ex mſ. legit *amatiſſimos*, neque diſplicet. Faber & Lipſius adductis locis legunt *amentiſſimos*, ſed me illi in caſtra non ducunt ſua. Nam præter Pamelium, Erhardum, Iunium, Rhenanum, Iuſtinianum in epiſt. 1. ad Cor. 9. Bulengerum lib. 1. de Theatro cap. 51 etiam plures alij viri doctiſſimi legunt *amantiſſimos*. Quò traho Capitolinum in M. Anton. *Fauſtinam quondam, Pij filiam, Marci vxorem, cùm gladiatores tranſire vidiſſet, vnius ex his amore ſuccenſam*. Et Iuuenalem Sat. 6.

Sed gladiator erat, facit hoc illos Hyacinthos:
Hoc pueris patriæque, hoc prætulit illa ſorori,
Atque viro. Ferrum eſt quod amant.

Ibidem:

Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.

Quia ſcilicet nobiliſſimæ fœminæ gladiatores amabant ad turpes cõcubitus. Inde eſt vt à Palæſtris quæreretur ex ſtadio: ξανθὴ κόμη, & τὰ χαροπά, ἢ μέλανα ὄμματα, & ἐρύθημα ἐπὶ τοῦ προσώπου, Verba ſunt Luciani in Dialog. Mortuorum, *Coma flaua, cærulei & nigri oculi, rubor in facie*. certè vt amarẽtur à fœminis. Et de Heliogabalo ait Lampridius: *Multos, quorum corpora placuerant, de Scena, & Circo, & arena in aulam traduxit*. Deſinant mirari qui hæc legunt, cùm apud noſtrates Hiſpanos hoc malum ita crebrum ſit, vt nullum crebrius. O quoties in turpem fœminam exarſerunt nobiles lenocinantem in hiſtrionia ſuo amaſio! quot dedecora admiſſa, viſa tantùm fœmina cantillante!

326. 2. QVIBVS VILES ANIMAS FOEMINÆ, &c.] A Virgilio fortaſſe, qui 11. Æn. *Nos animæ viles*, &c. Et Paulinus ad Macarium *vilem animam* dixit. Sed in hac lectione magna eſt diſcordia: vt ego legi, legunt Rhenanus, Pamelius, Iunius, Iuſtinianus, alij Faber lib. 1. Semeſt. cap. 20. ita: *Quibus viles animas fœminæ, vt illis etiam corpora ſua ſubſternunt*. In excuſis aliis: *Quibus viris animas fœminis aut illis etiam*, &c. Lipſius autem lib. 1. Annal. Taciti, & in l. de Amphitheatro c. 3. ita: *quibus viri animas, fœminæ autem illis etiam corpora ſua ſubſternunt*. Lipſiana lectio arripi poteſt vt optima. Illa enim notantur fellatores, qui ſubſternunt *animas*, id eſt, os. Hoc enim ſenſu dixit Plaut. Mercatore,

Iam plenus ætatis, animàque fœtida
Senex hircoſus.

Arnob. lib. 2. dixit *oris ſtuprum*. Et Petron. Sat. *Quid dicis, inquam, muliebris patientiæ ſcortum, cuius neſpiritus purus eſt*? Lamprid. de Commodo: *Omni parte corporis, atque ore in ſexum vtrumque pollutus*. Lactantius lib. 6. cap. 23. *Quorum teterrima libido & exſecrabilis furor ne capiti quidem parcit*. Clariùs his omnibus Romanum Pœnitentiale tit. 3. cap. 23. *Semen in os mittere*. Cui peccato ibi pœnitentia annorum ſeptem decernitur. Video tamen vnum Plautum aliter capi poſſe.

327. 2. SVBSTERNVNT.] Eodem ſignificato Sue-

ton. Aug. cap. 68. *Pudicitiam delibatam subſtrauerit.* Et Saluian. lib. 8. *Fœminæ ſe viris ſubſternunt.* Geminum verbum Apul. Apolog. *Vxorem fratris miſero puero obiecit & obſternit.* Et Sueton. cap. 2. Iulij: *Deſedit apud Nicomedem non ſine rumore proſtratæ Regi pudicitiæ.* Itaque impudica ſunt *ſubſternere, obſternere, proſternere ſe.*

2. EX EADEM ARTE.] In vulgatis legitur *parte*, correxi *arte*, ſecutus Vvouer. ex mſ. & Fabrum lib. 1 Semeſt. cap. 20. & alios.

2. MAGNIFACIVNT.] Pretij, quo habiti artifices ſpectaculorum, exemplo ſit indignatio Caligulæ apud Suetonium cap. 35. *Cùm quodam die muneris eſſedario Poro ob proſperam pugnam ſeruum ſuum manumittenti, ſtudioſius plauſum eſſet, proripuit ſe è ſpectaculis indignabundus, & clamitans, dominum gentium populum ex re leuiſſima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm conſecratis principibus aut præſenti ſibi.*

328. 2. DEPONVNT ET DEMINVVNT, &c.] Vide vt explicui tractum hunc & ſequentem; aliud eſt enim, eſſe inhoneſtum, aliud, infamem. Et maximum pro me fulcrum Æmilius Probus, qui vtrumque hoc diſcriminat, loquens de hac ipſa re in prologo ſui operis: *In Scenam prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in iiſdem gentibus* (Græciæ) *fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota, ponuntur.* Huc traho Arnobium lib. 7. ita ſcribentem: *Exiſtimat tractari ſe honorificè Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum à lupanaribus in Theatra. Ita ne iſtud non eſt Deorum imminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſſimas res Dijs, quas cenſor animus reſpuat: & quarum actores inhoneſtos eſſe ius veſtrum, & inter capita computari indicauit infamia?* Vbi etiam diſcriminat inter hoc quod eſt eſſe actores inhoneſtosve, aut computari inter capita infamia. Huc etiam Auguſtinum lib. 2. de Ciuit. Dei, nam cap. 14. tantùm ait, *Romani ab honoribus omnibus repellunt homines Scenicos.* Et iterum, *Scenici inhoneſti.* Explicat ſcilicet *inhoneſtum* eſſe, qui arcetur honoribus. Mox tamen ca. 27. ait Suetonius factos *infames*, quod certè grauiùs, imò longè grauiſſimum, & accipiendum de capitis minutione. Et cùm Rabanus Maurus lib. Pœnitentiũ cap. 1. dixit de hiſtrionibus *infamiæ maculis aſperſi*, capiendus eſt de capitis minutione. Ergo ad inhoneſtatem retuli *deponi curia, & roſtris*, &c. tum *multationem, depreciationem, offuſcationem:* ad infamiam autem retuli *ignominiam, capitis minutionem, notam:* nam hæc ſemper infamis.

329. 2. DEMINVVNT.] *Minuo*, aut *deminuo*, niſi addatur mentio capitis, non dicunt infamiam; ſed tantùm humilitatem, vt locutus Æmilius Probus; aut inhoneſtatem, vt Arnobius, & Auguſtinus.

2. IMO MANIFESTE DAMNANT IGNOMINIA CAPITIS ET MINVTIONE.] Ita hoc accipiendum, vt alterum ſit explicatio primi q. d. Damnantur ignominia, hæc autem nihil aliud quàm minutio capitis. Capitis porro minutionem eſſe triplicem ſciunt omnes, ſcilicet minimam, cùm familia tantùm amittitur: mediam, cùm non libertas, ſed ciuitas tantùm amittitur, inde in Gloſſ. deportare μειῶσιν: maximam, cùm familia, ciuitas, libertas. Hac ergo infamia notatur aliquando artifex ludorum, ait Tertullianus, & hoc eſt, quod initio ſequentis capitis vocat *ſcopulum famoſitatis.* De locutione eſt, quod moneam, non ſolùm dici *minutum capite*, vt ferè loquuntur Iureconſulti, ſed etiam *deminutum capite*, vt loquitur Liuius lib. 22. *Deminuti capite, abalienati iure ciuiũ.* Ita etiam Feſtus loquitur & alij Græci, κεφαλῆς ἐλάττωσις, id eſt, interprete Theophilo, κατάστασις ἑτέρα. In *capitis* minutione eſt *caput* pro toto homine. Tritum illud Sardij Tigelli *putidum caput*, id eſt, Sardius Tigellus totus putidus: ſed de hoc credo alibi.

2. ARCENTES CVRIA, &c.] Nequit hæc pars annecti immediatè præcedentibus: nam *arceri curia, roſtris*, &c. nõ eſt amittere familiam, ciuitatem, libertatem. Et ita neceſſariò referendum ad depoſitionem, & deminutionem; nõ ad ignominiam, & minutionem capitis. Quid ſit autem *arceri curia, roſtris, Senatu, equite*, rectè explicat Pamel. ab Suet. qui in Iulio cap. 39. *Munere in foro depugnauit Furius Leptinus ſtirpe Prætoria: & A. Calpenus Senator quondam, actórque cauſſarum.* Ecce hominem depoſitum honore, multatum, depretiatum, offuſcatum: nam, quia artifex in ludo, amiſit ordinem Senatorium, & deſiit eſſe actor cauſſarum pro roſtris. Adduco ego locum alium eiuſdem in Neron. cap. 8. *Quæſtorium virum quòd geſticulandi ſaltãdique ſtudio teneretur, mouit Senatu.* De amiſſo equeſtri ordine idem Sueton. Auguſt. cap. 43. *Ad Scenicas quoque & gladiatorias operas, etiam equitibus Romanis aliquando vſus eſt; verùm priuſquam Senatuſconſulto interdiceretur.* Hinc collige, quod Tertullianus ait, amiſſum ordinem equeſtrẽ ab eo qui exerceret, ſcilicet poſtquam interdictum eſt. Si quando verò deinceps viri honeſti producti ſunt ad ludos, ſemper ex ſeuero imperio & coacti, non aliàs, vt cùm de Heliogabalo ſcripſit Lamprid. *Conuiuas Senes agitare cogens, nonnullos honoratos iam Imperatori.* Quæ dixi, vera puto. Sed Faber lib. 2. Semeſt. cap. 6. hunc locum aliter explicat & acutè, motus hoc ſcrupulo, quòd Tertull. dixerit, artifices ludorum *arceri curia & Senatu*, quod otiosè dictum: nam idem eſſe videtur, ac perinde in tautologiam incidit, quod vitium magnum eſt. Ergo ait ille, *arceri curia*, eſſe amittere gradum Senatorium: ſed *arceri Senatu & equite* eſſe amittere locum, qui in Spectaculis debebatur Senatoribus & Equitibus. Itaque *Senatum* & *Equitem* poſuit pro loco vnde Senatores & Equites ſpectarent, à quibus locis arcebantur, qui exercebant operas ludorum. Probat ab Sueton. qui in Neron. cap. 12. *in Orcheſtram Senatumque deſcendit*, id eſt, in locum Senatorum. Sic quoque locus fuit Romæ dictus *Senaculum*, in quo Senatus ſtationem habebat, vt eſt apud Valer. lib. 2. cap. 1. Sic accipit idem Faber locum Sueton. Neron. cap. 8. *Suſcepta morum correctione licentiam theatralem promiſcuè in equite ſpectandi inhibuit.* Id eſt, inhibuit licentiam qua populares ſpectabant promiſcuè è loco equitum. Ergo *Senatus & Eques* ita dicuntur pro loco, è quo ſpectarent Senatores & equites; vt *popularia* pro loco, vnde populus.

330. 331. 332.

2. ORNAMENTIS QVIBVSDAM.] Ita excuſum ante Pamelium, vbi nullam video corruptionem. Hanc ille ſuſpicatus correxit *ornamẽtis. Quibus quanta peruerſitas* malè. Legendum enim, vt ante illum. *Ornamentis quibuſdam. Quanta peruerſitas.*

3. QVANTA PERVERSITAS! AMANT, &c.] Non diſplicet ſententia Auidij Caſſij de Marco Imperatore: *Marcus homo ſanè optimus, dum clemens dici cupit, eos patitur viuere, quorum ipſe non probat vitam.* Narrat Vulcatius.

333.

3. MVLTANT.] Nota vſum vocis. Non enim de pecunia tantùm, vt falsò quidam. Sueton. cap. 1. Iulij: *Sacerdotio multatus.* Video tamen hanc *multam* poſſe referri ad omnem inhoneſtatem, qua affecti hiſtriones, modò de honoribus ſit ſermo, modò de pecunia; vt cùm Alexander Seuerus apud Lampridium: *Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donauit: pretioſas veſtes, quas Heliogabalus dedit, etiam ſuſtulit.* Et Antoninus Philoſophus apud Capitol. *Temperauit Scenicas donationes.*

3. IMO.] Notantiſſimè; nam refert clarè ad ignominiam minutionis capitis, vt ſuprà: *imò manifeſtè damnant*, &c.

334.

3. MALÆ REI, CVIVS ACTORES.] In

vulgatis omnibus legitur, *mala rei, quarum actores.* Iunius correxit *quorum*, Vvouer. ex mſ. *cuius*, hoc prætuli. Sed & reſcribendum *actores* pro eo quod priùs mendosè *auctores* iam multi viderunt. Hîc enim *actores* vocantur ipſi artifices ludorum. Sed lectionem firmo à Concil. Arelat. cap. 5. *De Theatricis, & ipſos placuit, quandiu agunt, à communione ſeparari.* Vbi *agunt* ſignatiſſimè, inde *actores.* Et Manil. lib. 5.

Aut magnos Heroas aget, Sceniſque togatas.

Petron. etiã: *agit in ſcena mimum.* Lampridius de Heliogabalo: *Agebat domi fabulam Paridis.* Nec capias tantùm de Scena, quippe omnes omnium ludorum artifices vocat *actores.* Nam infrà cap. 25. *Et cùm athleta agent,* &c.

3. SINE NOTA NON SVNT.] *Nota* in malã partẽ. Hieronym. in vita Malchi: *Video te* (ait) *fili Satanæ cauterio notatum.* Adiice autem hanc notam factam non ſolùm à principibus ſecularibus, quæ mens Tertulliani; ſed etiam ab Eccleſiaſticis. Sic quæ modò afferebam ex Concil. Arelatenſi. Vbi etiam leges: *De agitatoribus, qui fideles ſunt, placuit eos quamdiu agitant, à communione ſeparari.* 335.

CAP. XXIII. ARGVMENTVM.

Multo magis quàm homines, Deum animaduertere in artifices ſpectaculorum.

TERTVLLIANVS.

336. I. CVM igitur humana recordatio etiam obſtrepente gratia voluptatis damnandos eos cenſeat ademptis bonis dignitatum in quendam ſcopulum famoſitatis, quanto magis diuina iuſtitia in eiuſmodi artifices animaduertit?

EXPLICATIO.

337. 1. SI voluptas, quæ alioquin magnam vim habet, non obſtrepit animis iudicum, facitve illos immemores, quominus animaduertant in hos artifices, quid putas faciet diuina iuſtitia, quæ ſemper vigilantiſſima? *Ademptis bonis dignitatum in ſcopulum quemdam famoſitatis.* Per *ademptas dignitates* intelligit depoſitionem, deminutionem, multationem, depretiationem, offuſcationem, de quibus in ſuperiore capite: *per ſcopulum famoſitatis* minutionem capitis, quæ ignominioſa, & plena notæ infamis.

338. 2. An Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum miniſter, tot Statuum; vt Sacerdos coronatus, vel coloratus vt leno, quem curru rapiendum diabolus aduerſus Heliam exornauit.

339. 2. Monui iam ſæpè, & vides tu ipſe, in omnibus his capitibus extremis fieri mentionem quatuor generum ſpectaculorum, ſcilicet Circi, Theatri, Stadij, Amphitheatri. Ergo in hoc tractu rem Circi habes. *Tot animarum inquietator,* quippe inquietudo & furię agitantium furorem, qui proprius Circi. *Tot ſtatuum.* Status in iure dicit conditiones perſonarum, vt pote ſi ingenuus, libertinus, ſeruus. Omnes inquietantur, turbantur hoc miniſtro. Sed de lectione in Notis. *Vt ſacerdos coronatus,* nulla ſolemnitas apud gentiles ſine coronis: ergo vt ſacerdotes ſacra obibant coronati, ita aurigæ. *Coloratus vt leno.* Affectabant lenones varios colores, vt amatoribus innoteſcerent. Ergo auriga cui praſinus color, cui venetus, &c. inſtar eſt lenonis. q. d. Placebit ne Deo auriga ille, qui habet maculas ſacerdotis gentilici, & lenonis impuri? *Aduerſus Heliam,* quaſi ſuos diabolus velit habere Helias, Dei ſemper æmulus.

340. 3. Placebit & ille, qui vultus ſuos nouacula mutat infidelis erga faciẽ ſuam, quã non contentus Saturno & Iſidi & Libero proximam facere, inſuper contumeliis alaparum ſic obiicit, quaſi de præcepto Domini ludat? Docet ſcilicet & diabolus verberandam maxillam patienter offerre. Sic & Tragœdos cothurnis extulit, quia nemo poteſt adiicere cubitum vnum ad ſtaturam ſuam: mendacem facere vult Chriſtum.

Matth. 6. Luc 12.

341. 3. Tranſit ad Theatrum, de quo habes tractum hunc & ſequentes duos. *Nouacula* raſitabant barbam frequentiſſimè hiſtriones illectandæ plebi, vt ſemper iuuenes apparerent & fœminis adſimiles. Hanc vocat *infidelitatem* erga faciem. *Saturno & Iſidi & Libero proximam facere,* id eſt ſimillimam. Nam Saturnus, Iſis, Liber ſemper glabra facie pingebantur, primus, vt qui caſtratus à filio Ioue; altera, vt quæ fœmina; tertius, vt cui perpetua iuuenta. *Contumeliis alaparum.* Cædebant ſe inuicem mimi alapis in Theatro ad riſum excitandum: quod ingenium mimi eſt veluti ludentis ridentiſque de præcepto Dei admonentis offerre maxillam alteram. *Cothurnis.* Sunt calceamenta, queis Tragici videbantur maiores. *Mendacem vult facere Chriſtum.* Cùm Chriſtus dixerit neminem poſſe adiicere cubitum ſtaturæ, Diabolus vult Chriſtum facere mendacem, adiiciens Tragœdis enormitatem corporis.

342. 4. Iam verò opus ipſum perſonarum quæro an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis ſuæ. Non amat falſum auctor veritatis: adulterium eſt apud illum omne quod fingitur. Proinde vocem ſexus, ætates mentientem; amores, iras, gemitus, lacrymas adſeueranté nõ probabit, qui omné hypocriſim dãnat.

Exod. 20.

343. 4. *Opus perſonarum.* Dicit laruatos & perſonatos hiſtriones Deo non poſſe placere. Ratio: quia Deus qui in lege vetuit fieri ſimilitudines, id eſt, ſimulacra Solis, Lunæ, animalium, &c. non certè volet fieri oris humani, id eſt, imaginis ſuæ. *Non amat falſum,* &c. Nam vultus perſonatus quid aliud eſt, quàm vultus falſus; imò & adulter, quia quicquid fingitur, adulterij nomine notatur in ſacro eloquio. *Proinde,* &c. Concludit Theatrica omnia non probanda à Deo, quia ficta omnia. *Vocem ſexus,* quippe Pantomimus

mentiebatur *vocem ſexus* fœminei vir ipſe, ſcilicet mollitudine pronuntiationis. *ætatem*: nam vir barbatus raſo mento ætatem mentiebatur. *Adſeuerantem* explica, ſeriò affirmantem amores & iras, qui nec amaret, nec iratus eſſet: ab amore ficto lacrymæ, ab ira ficta gemitus. *Hypocriſim*, optimè ſatis, quæſiuit enim vocem propriam, nam hiſtrionia dicta ὑποκρίσεις, & hiſtriones ὑποκριτάι.

344. 5. Cæterùm cùm in lege præſcribit, Maledictum eſſe qui muliebribus veſtietur, *Deut. 22.* quid de Pantomimo iudicabit, qui etiam muliebribus curatur?

5. *Præſcribit*, id eſt, præſcripto ſtatuit. *Maledictum eſſe*, &c. Lege cap. 22. Deuteron. *Muliebribus curatur?* Quippe Pantomimus non ſolùm capit veſtes ſexus ſegnioris, ſed inceſſum, mollitudinem, verba fracta, laſciuos geſtus fœminarum.

345 6. Sanè & ille artifex pugnorum impunitus ibit? Tales enim cicatrices cæſtuum, & callos pugnorum, & aurium fungos à Deo cum ſuo plaſmate accepit. Ideo illi oculos Deus plaſmauit vt vapulando deficiant.

346. 6. Abſoluit Theatrica, & tranſit ad Stadium. *Artifices pugnorum.* Ita vocat Palæſtritam & Xyſticum hominem. *Tales enim*, &c. Hæc accipienda ironicè, vel adiungenda interrogatio poſt verba *accepit*, & deficiant. q. d. Non certè hic artifex pugnorum accepit à Deo corpus ſuum plaſmatum cum his cicatricibus, callis, fungis: non accepit oculos, vt ita malè pereant. Cùm ait *aurium fungos*, intelligit tubera enata ex ictibus.

347. 7. Taceo de illo, qui hominem leoni præſe opponit, ne parum ſit homicida, quàm qui eundem poſtmodum iugulat.

7. Pertinent hæc ad Amphitheatrum, verba ſub-obſcura ſunt. Tu vt velis cape. Ego ſic explico, *Taceo de illo qui hominem opponit leoni præſe*, id eſt, potiùs quàm ſibi, eligens ſcilicet ferocem beſtiam. Sed quo fine? *ne parum*, id eſt, minùs *homicida ſit quàm* leo ipſe, *qui* eundem hominem *poſtmodum*, id eſt, poſtea, *iugulat.* Vult ſcilicet ſi non re, certè affectu non eſſe minùs homicida, quàm leo. Porrò quod *parum* explicui *minùs*, non inſolens iudicabit, qui ſciat inſolentiam Afri huius in vocum vſu. ſed vide Notas. Iunius nihil placet, alij tacent.

NOTÆ.

348. 1. CENSEAT.] Legerem *cenſet*, quia poſtea *animaduertit.* Vel ſi hîc retines *cenſeat*, lege poſtea *animaduertet.*

2. TOT STATVVM.] Hæc lectio mihi parum placet: nam quid eſt, *miniſter tot ſtatuum?* fortaſſe legendum, *tot fatuûm*, pro, tot fatuorum.

2. COLORATVS ET LENO.] Erant lenones veſte verſicoloria, argumento corruptelæ. Plaut. Curcul. Act. 2. ſc. 1.

De forma noui, de colore non queo
Nouiſſe. Iam iam noui, leno eſt Cappadox.

349. Et cùm Pſeud. Act. 4. ſc. 2. dicitur de Ballione lenone, *vt veſtitus eſt perfoſſor parietum*, intellige, veſte verſicoloria. Quem in locum Taubmannus ait adnotaſſe hoc Iulium Scaligerum. Sidonius lib. 2. epiſt. 2. *Abſunt ridiculi veſtitu & vultibus hiſtriones pigmentis multicoloribus Philiſtiones ſupellectilem mentientes.* Par eſt omnino, quod de meretricibus Artemid. lib. 2. cap. 3. γυναικὶ δὲ ποικίλη καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει, μάλιστα δὲ ἑταίρᾳ καὶ πλουσίᾳ: *Mulieri conuenit varia veſtis & florida, maximè meretrici & diuiti.* Et Clemens lib. 2. Pæd.

350. cap. 10. laudat Lacedæmoniorum Rempubl. quod μόναις ταῖς ἑταίραις αἰδῶνας ἐσθῆτας ἐπέτρεψε φορεῖν: *Vnis tantùm meretricibus permiſit ferre veſtes floridas*, id eſt, variegatas. Hinc lucem dabis Sidonio epiſt. 20. lib. 4. qui de Sigiſmere nuptiarum proco, *flammeus cocco, rutilus auro, lacteus ſerico.* Dixi veſtem verſicoloriam eſſe argumentum corruptelæ. Veriſſimè: nam nulla alia ratio cur viduis iubeatur vt careant *varietatibus colorum*, in Concil. Tolet. 10. cap. 4. & Aldhelmus reprehendit fœminam, quæ precioſis & coloratis veſtibus indui deſiderat. Saracenorum mores corruptiſſimos perſequens Ammian. lib. 14. inter alia dat illis *colorata ſagula.* Sed locus eſt elegãtiſſimus apud Clementem lib. 3. Pæd. cap. 11. vbi veſtem omnẽ damnat, ποικίλον καὶ πολύχρωτον, *variegatam & maculis diſtinctam*, vt ſcilicet, ταῖς ποικίλαις τῆ ὄφεως φολίδι ἐοικὸς, *rem adſimilem ſquammis variegatis ſerpentis.* Ad corruptelam A eandem pertinet dixiſſe eundem lib. 2. cap. 10. tincturas omnes eſſe excogitatas, ταῖς ἐξώλοις ἡδυπαθείαις, *à pernicioſis delectationibus.*

2. HELIAM.] Auguſtinus quoque de ſymbolo 351.
ad Catechum. lib. 2. Heliam opponit agitatoribus Circi. Verba eius: *Habemus & nos ſpiritualem noſtrum aurigam ſanctum Prophetam Heliam, qui quadriga ignea ſuperimpoſitus tantum cucurrit, vt metas prehenderet cœli.* Extra ſe erat Barræus, cùm ſermonem hunc retulit ad hiſtriones.

3. VVLTVS SVOS NOVACVLA MVTAT.] Morem hunc comicorum illuſtrat Plautus Aulul. Act. 2. ſc. 9. *--- tu iſtum gallum, ſi ſapis,*

Glabriorem reddes mihi, quàm volſus ludius eſt.

Et Lampridius apud quem Heliogabalus agens in Scenis perſonã Veneris, dicitur *corpore toto expolitus*, quo etiam, *vultum eodem, quo Venus pingitur, ſchemate figurabat.* Et Iulianus in Miſopogone, vbi: μίμους, ὀρχησταὶς, ἅτινα ἀρρενωπότατα γυναῖκας, παιδάρια περὶ κάλλους ἀμιλλώμενα ταῖς γυναιξὶν, αἰδέρας ἀποψιλουμένους, οὐ τὰ γνάθους μόνον, ἀλλὰ καὶ ἅπαν τὸ σῶμα λειότερον τῶν γυναικῶν, ὅπως φαίνοιτο τοῖς ἐντυγχάνουσιν: *Mimos, ſaltatores, mulieres, nullo pudore contactas, pueros de forma cum mulieribus contendentes, viros non modò genis, ſed etiã toto corpore depilatos, vt ipſis fœminis leuiores videantur.* Et de Scenicis capio inſtrumenta illa Commodi, de quibus Capitolinus in vita Pertinacis: *Vaſa Samnitica calfactãda reſina ac pici, diuellendis hominibus ac leuigandis.* Capio (inquam) hæc inſtrumenta ad vſum leuigandorum hiſtrionum, quod ex ingenio & vita Commodi nemo dubitabit. Reprehendit hoc Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædag. cap. 3. dicens eſſe verè fœmineum, ξύρεσθαι καὶ ἀποπλήθεσθαι καὶ λειαίνεσθαι τὰς γένυς, πῶς οὐ γυναικεῖον; καὶ εἰ μήτις αὐτὸν γυμνοῖς ἴδοι, κἂν γυναῖκας ὑποπτεύοι: *Pecti, deglabrari, genas depilari, an non muliebre? Et certè, niſi quis eos nudos viderit, mulieres eſſe ſuſpicabitur.* Vide integrum caput digniſſimum quod legatur. De ipſis Scenicis Arnob. lib. 7. *capitibus raſis.* Hoc

idem de Iulio Sueton. cap. 45. *Circa corporis curam morosior, vt non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam, vt quidam exprobrauerunt.*

3. SATVRNO, ET ISIDI, ET LIBERO.] Notat quidam Deos istos Tertulliano præ aliis positos ex studio, quia horum nominibus indicantur Scenicorum vitia Dijs istis respondentia. Nam Saturnus frigidus, Isis fœmina mollis, Liber cinædus. Hæc itaque vitia Scenici faciebant palam profitebantúrque.

352. 3. CONTVMELIIS ALAPARVM.] Alapas Scenicorum commeminit Martial. lib. Epig. 62.

O quàm dignus eras alapis Mariane Latini.

Et lib. 2. Epig. 72.

Os tibi perciſum quanto non ipſe Latinus
Vilia panniculi percutit ora ſono.

Cyprian. de Spectac. *Ictibus infelix facies locatur.* Huc ſpectauit Sidon. epiſt. 13. lib. 3. cum Gnathone quodam: *Hoc ſolum comedēs domi, ſi quid è raptis inter alaparum procellas præmiſit obſoniis*: vtique ῥάπισμα & ſalapittam. Inde Arnobius lib. 7. *Delectantur Dij, vt res eſt ſtupidorum, capitibus raſis, ſalapittarum ſonitu atque plauſu.* Sic legit Ioſephus Scaliger, vulgo, *ſalpitarum*. Huc trahit Adrianus Behotius lib. 3. Apophor. cap. 13. verſus Iuuenal. Sat. 8.

--- ridere poteſt qui
Mamercorum alapas, quanti ſua vulnera vendant,
Quid refert?

Aitque ſic legendum ex optimo mſ. Nam Lipſius, qui in Saturn. legit,

Quanti ſua funera vendant,

traducens ad gladiatores, falſus eſt, cùm Satyrico eo loci ſermo ſit de hiſtrionibus, nec niſi poſt aliquos verſus de gladiatoribus loquatur. Vide & Turneb. lib. 18. cap. 33. Mihi locus Arnobij lib. 7. vel ſuſpectus eſt, vel (niſi hoc fatearis) falſus eſt Arnobius. Nam loquens de Scenicis, vt de hac ipſa re, ita ait: *Amicitiarum fide ſalua contundere ſe alios, & crudis mutilare cæſtibus.* Nam *cæſtus* in re Theatri nemo dixit, neque
353. iſtos alaparum ictus & percuſſiones credibile fieri tanta ferocitate ac nocumento. Et nemo doctus leget tractum illum Arnobij, qui non videat ſermonem eſſe tantùm de Scenicis. Redeo. Ait *contumelijs alaparum*, quia percuſſio hæc ſemper plena ignominiæ. Ioannes Chryſoſt. orat. 1. de incomprehenſ. Dei Nat. loquens de alapa, qua Chriſtus cæſus, vocat ὑπερβολὴν τῆς ὕβρεως, *hyperbolem ſupremùmque iniuriarum.* Et verbum ῥαπίζω, id eſt, *alapis percutio*, præfert verbis λοιδορέω, & τύπτω, id eſt, *conuitior & verbero*: nam iſtis illud grauius. Denique ait loquens de alapa, οὐδὲν δὲ τύπτης ἢ πληγῆς ἀτιμότερον: *hac autē plaga nihil ignominioſius.* Inde Conradus Rex in oratione, qua milites aduerſus Turcas acuit, (vt ait Nicetas Choniates) pro ignominia ponit, οἷς ἀυτοῖς ἐπτείνοις κονδύλοις, quas Turcæ alapas ipſis impegerint. Idem profectò lacrymam mouet, quoties lego iniurias Andronico factas, poſtquam decidit ex imperio, qui licèt meritiſſimus fuerit horum malorum, tamen non videbatur ſic afficiendus. De eo itaque Nicetas Choniates lib. 2. eius vitæ cap. 12. ita ait: *Itaque in Anemæ caſtellum duabus grauibus catenis cum ferreis ſeris ſuperbo collo iniectis, & compedibus oneratus, vt captiuos tractari moris eſt, conijcitur: eoque habitu ad Iſaacium perductus contumelioſis verbis inſultatur, καὶ κόρρης ῥαπίζεται, alapæ impinguntur, nates pulſantur, barba vellitur, dentes excutiuntur, capilli euelluntur, publicè omnium ludibriis expoſitus, etiam à mulieribus pugnis cæditur, ijs præſertim, quarum maritos aut occiderat, aut excæcarat.* Parcat Lector, nolui enim transgredi inſignem locum iniuriarum. Quid ſi cùm Paulus dixit cædi ſe colaphis ab Angelo Satanæ, ſpectauit haſce iſtas hiſtrionales alapas? vt dicat, dæmon ita me contemnit, vt cædat alapis veluti viliſſimum mimum. Niſi placeat, Paulum referre ad rem ſeruilem, vt à dæmone vti ſeruus vexaretur, nam plaga iſta ſeruorum fuit, vt cùm iuſſu Adriani, ſeruus percuſſus eſt colapho, auctor eſt Spartianus. Sed vti alaparum contumeliam exaggerent viri ſanctiſſimi, dicebam ad cap. 3. libri de Pœnitentia, vbi ſermo eſt de alapa Chriſti. Non eſt alienum, Martyres olim Chriſti non abſimilem contumeliam paſſos, vt cùm de Cypriano & Iuſtina legitur, *ambo colaphis flagelliſque cæſi.* Et de eadem Iuſtina Aldhelm. l. de Virg. c. 23. *Dum crudis neruorū flagris truciter cæderetur, & crebris palmarū concuſſionibus exalaparetur.* Fulgentius Epiſcop. Ruſpenſis ſerm. 10. de Martyribus: *Martyres alapas non horruerunt, quia Chriſtus maxillas ſuas ad alapas præbuit impiorum.* Itaque inter contumelioſa martyrum tormenta etiam alapæ fuerunt, & iſtæ interdum cruentæ. Theodoritus loquens de Iuliano Apoſtata lib. 3. hiſt. c. 17. *Mandat ſatellitī cuidam, vt illius* (fœminæ) *vtramque malam verberet,* καὶ τῶν χειρῶν φοινίξαι τὰς παρειάς, *& genas cruentet manibus.* Inde *præbere os alicui* eſt ſe ſubdere contumeliis alaparum. Terent. in Eunuc. *qui hodie vſque os præbui.*

3. LVDAT.] Ita de Iudæis Ioannes Chryſoſt. orat. 354.
2. aduerſus illos παίζουσι, *ludunt*, in re omnino ſimili. Ille certè ludit, qui, quæ ſunt virtutis, exteriùs tantùm veluti illudendo adimplet. Eſt & locus Clementis adſimilis lib. 2. Pæd. cap. 8. vbi reprehendens coronarum vſum, ait illos qui vtuntur floribus ad coronam, ludere de Chriſti corona ſpinea, & venerabili eius paſſione, atque illi inſultare. Verba quæ ad rem, ἐμπτυσάντας τῷ σώματι τῷ Κυρίου πάθει, ἀναιδεύεσθαι τοῖς ἄθλοις.

3. DOCET SCILICET DIABOLVS VERBERANDAM MAXILLAM PATIENTER OFFERRE.] Caſſianus collat. 16. cap. 20. *Non ignoramus etiam aliud dementiæ genus, quod ſub colore fucatæ patientiæ in nonnullis fratribus inuenitur; quibus parum eſt iurgia commouiſſe, niſi etiam inſtigatorijs verbis vt feriantur irritent: cùm vtique vel leui fuerint impulſione contacti, aliam quoque partem corporis ingerunt verberandam, quaſi per hoc perfectionem mandati illius impleturi, quo dicitur; Siquis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram: ſcripturæ vim ac propoſitum penitus ignorantes: Euangelicam namque patientiam per iracundiæ vitium exercere ſe putant.* Longè eſſe debet hoc à Chriſtiano imò, monitore Chriſto, debet maxillam offerre alteram, dicente Maximo Taurinenſi Epiſcopo, Homilia 4. in Feſto Paſchæ: *Denique ſicut iuſſit Dominus, etiam pro inimicis, auferentibus tunicam, relinquit & pallium; verberantibus, maxillam præbet & alteram.*

3. TRAGOEDOS COTHVRNIS EXTVLIT] Sen. epiſt. 76. loquens de Tragœdis: *Præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati; ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt.* Vide quæ dicebam Ecl. 8. ad illud. 355.

Sola Sophocleo, &c.

Et adiice Lucianum de Gymnaſiis, ὑποδήματα μὲ βαρέα καὶ ὑψηλὰ ὑποδεδυκότες: tragœdi (nam de his loquitur) *latis & altis ſubnixi calceamentis.* Et eundem pro imaginibus: ἢ καὶ νὴ Δί' εἰπὲ ὑποδυόμενος καθάπερ οὗτοι, μικρὸς ἀυτὸς ὢν ἐείζοι πρὸς μεγέθους τοῦ ἀπὸ ἰσοπέδου ὅλῳ πήχει ὑπερέχουσιν: *Aut per Iouem, ſi quis puſilla ſtatura exiſtens, indutis cothurnis ſuper magnitudinem contendat cum his, qui toto cubito ex æquo illi collati eum excederent.* Et Ammianum de Lupicino ſic ſcribentem lib. 20. *Bellicoſum ſanè, & caſtrenſis rei peritum is ad ſupercilium erigentem vt cornua, & de Tragici, quod aiunt, cothurni ſtrepitu.* Et Claudianum in Conſul. Theodori:

Alitè graditur maiore cothurno.

Et Manilium lib.5.

Quin etiam tragico præstabit verba cothurno.

Ennod.in Præfat.lib.8.

Nec mea grandisono flammantur corda cothurno.

Possim denique aduocare omnes Poëtas.

4. PERSONARVM.] Plin.lib.22.cap.14. *Persona adiicitur capiti.* Virg.2.G.

Oràque corticibus sumunt horrenda cauatis.

Synodus Trullana can.62. personas comicas & tragicas vocat, προσωπεῖα κωμικὰ, καὶ τραγικά.

4. SIMILITVDINEM.] Hanc vocem pro simulacro etiam vsurpat Hieronym. lib. 1. aduersus Iouinian.

356. 4. ADVLTERIVM EST APVD ILLVM OMNE QVOD FINGITVR.] Adeo hoc verum, vt colores, quos sibi fœminæ ingerunt ex cerussa & stibio *adulteria* dicantur ab Cypriano & Ambrosio. Quin Hieron. epist. ad Eustochium *dimidiata verba* B vocat adulterium, quia id fit non naturaliter, sed fictè. Verba eius: *Non delumbem matronarum saliuam delicata sectaris, quæ nunc strictis dentibus, nunc labiis dissolutis balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur, rusticum putantes omne, quod naturaliter nascitur: Adeo illis adulterium etiam linguæ placet.* Aptè ergo Tertull.definit *esse adulterium*, quod *fingitur*. Et ideo Clemens Alex.lib.3. cap.3. ὡς ἔστιν δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλ-ὰ τοῦτο ἐνδεικνύμενα τῷ ψυχῷ τὸν κίβδηλον ἔχοντα κεφαλαίῳ: *Fieri autem non potest, non potest, inquam, fieri, vt veram ostendat animam, qui caput habet adulterinum.* Huc pertinet illud apophthegma Archidami, qui cùm vir quidam Chius Lacedæmonem peruenisset, qui canos tinctura oblitterare conabatur, & progressus in publicum orationem habuisset: tum surgens Archidamus, dixit, Quid ille tandem rectum diceret, qui mendacium, non anima solùm, sed capite quoque circumferat.

4. VOCEM SEXVS.] Posset & ita legi, *vocem, sexus, ætates*, &c. Cæterùm vitium hoc reprehendit C etiam Clemens lib.3.Pæd.cap.3. ὡς ἀνδρας, βατάλους δὲ καὶ γυναῖκας καλεῖν τούτους χρὴ ὧν αἱ φωναὶ τεθρυμμέναι: *Non viros oportet dici, sed batalos & femellas, quibus fit vox gracilis & fracta.* Et c.11.indicat φωνὰς πεπλασμένας, *voces fictas*, mentitásque esse eorum, qui prodeunt in proscenium.

4. AMORES, IRAS, GEMITVS, LACRYMAS.] Hæc scilicet materia Theatricæ histrioniæ. Manil. lib.5.

Comica componet lætis spectacula ludis,
Ardentes iuuenes, raptásque in amore puellas,
Elusósque senes, agilésque per omnia seruos.

4. HYPOCRISIN.] Quod hic expendi, probabis ex Themistio, qui orat.1. περὶ πόνου Ἀγαμέμνονος ὑποκρίνεται.

5. VESTIETVR.] Refcribunt *vestitur*, neque displicet.

357. 5. MVLIEBRIBVS CVRATVR.] Mutant ex mſ. *vtatur*, sed nihil muto. Sententiam Tertulliani ita extendit Lactant.lib.6.cap.20. *Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent, & instigant? quorum eneruata corpora, & in muliebrem incessum habitúmque mollita, impudicas fœminas inhonestis gradibus mentiuntur.* Est itaque *curari muliebribus*, affectare & præferre muliebria incessu, habitu, & voce; &, vt Arnobius dixit de hac re loquens, *in fœmineas mollitudines eneruátes sic viros.* Et Hieronym.ad Marcellam epist. 8. *histrio mollis in venerem frangitur.* Et Chrysost.Homilia 38.in Matth. ait: *viros pati muliebria, & iuuenes effœminari.* Adiice istam curaturam positam in deglabratione faciei, de qua suprà; in cerussa & stibio. Denique ita mimi mundum omnem muliebrem curabant, ac si essent fœminæ. Sed & Manil.l.5.

Aut magnos Heroas aget, Sceniſque togatas,
Omnes fortunæ vultus per membra reducet,
Aequabitque choros gestu.

Vetat hoc grauiter Trullana synodus can.62. sancitque, μυδέν᾽ ἀνδρὸς γυναικείαν στολὴν ἐνδύσασθαι, ἢ γυναῖκα τὴν ἀνδρώαν αἰμόδιον: vt *vir nemo muliebri veste induatur, nec mulier veste viris habili.* Et loquitur certè synodus de re comica. Aliquando cogitaui, an *curari muliebribus* in hoc viro sit *euirari*, vt in Poris principum, in Gallis Cybeles: sed nondum assensi.

6. ARTIFEX PVGNORVM.] Lucianus de Gymnasiis: οἱ δὲ ὀρθοὶ ἑστῶτες κεκονισμένοι, καὶ αὐτοὶ πώουσιν ἀλλήλους προσπίπτοντες, καὶ λακτίζουσιν: *Cæterum illi stantes erecto corpore, pulueribus pleni, & ipsi semet afficiunt verberibus & calcitrant.*

6. CALLOS PVGNORVM.] Notat Scal.in Festum à Plauto in Casin.prouerbialiter dici *obtuso ore*, vel *obtenso ore*, locutione tracta à pugilibus, qui in os reportabant *messem pugnorum*, vt loquitur idem Plautus. Vnde illud, *os nullum, vel potiùs pugilis*, quia à pugnis imminutum os. Et Lucilius dixit, 358.

Obtuso ore pugil.

De athletis loquens Sen. epist. 80. *pugnos pariter & calces ferre.* Vide sup.cap.18.ad illud, *pugnos, & calces, & colaphos, & omnem petulantiam manus*, &c. Inde enim & hic locus illustris erit.

6. CÆSTVVM.] Qui sint cæstus, explicui in Æn. lib.5.in quibus explicandis immaniter errat Barræus. Erat enim chirotheca bubula ferreis clauis confixa. Papias: *Cæstus corium quoddam quo inuicem pugnantes fœdunt. Vnde cæsti dicuntur brachialia pancrationum.*

6. AVRIVM FVNGOS.] Turnebus lib. 18.cap. 359. 33.fungos explicat de tuberibus circa aures ex ictibus cæstuum. Et Mercurial. lib.6. Variar. cap. 14. ait respõdere τῷ ἥλῳ, id est, clauo. Sic enim Græci tumores eiusmodi: additque ab arboribus sumi locutionem, & Tertullianum imitatum fuisse Plinium lib.17. cap. 24.qui hanc vocem vsurpat loquens de olea. Certè, vt dicebam lib.5. Æn. hæc pars faciei petita pugilibus. Inde Virg.

--- errátque aures, & tempora circum
Crebra manus.

Et Philostratus in Heroïcis: τὰ δ᾽ ὦτα καπνοῦ λῷ, ὡς ὑπὸ πάλης: *Fractus erat aures, non ob luctam.* Sunt qui legant *rudium fungos*, vt scilicet instrumento tribuatur læsio. In his Latinius, & Mercurialis dicto loco. Sed nihil muto, nam, vt dicebam, aures petitæ in hoc sæuo ludo, & quidem ictibus crebrissimis. ideo Virg. *crebra manus.* Et Manil. lib.5.

Mobilibúsque citos ictus glomerare lacertis.

Quin Turnebus lib.24.cap.28.explicat illud Martialis lib.7.Epig.31.

At iuuenes alios fracta colit aure magister,

de hoc ludo, vt magister fracta aure, sit magister exercitationum & gymnasiorum exercitor, qui luctã pugillatúmve docet: propterea quòd à concertatoribus fere tẽpora, & aures solerent feriri, ac perinde dicitur aure fracta. Hesychius, ὠτοκάταξις, τὰ ὦτα πεπλασμένος. Adducit etiam testimonium Pollucis. Vide ibi.

6. VT VAPVLANDO DEFICIANT.] Hie- 360. ronym.lib.2.aduersus Iouinian. *Qui pugnis & calcibus sua inuicem membra debilitant.*

7. POSTMODVM.] Si abesset vox ista, alius esset & clarissimus sensus hic, taceo illum ferum qui vult hominem confici à leone, ne sit minùs homicida illo qui contentus est iugulasse. Sed nihil muto.

7. PARVM.] Explicui *mimus*. Vel dicam positiuũ nomen poni pro comparatiuo more Hebræorum. Ita Matth. 18. *Bonum tibi est vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos*, &c. Vbi *bonum* ponitur, pro melius.

CAP. XXIIII. ARGVMENTVM.

Probat Spectacula aliena esse à Christiano, ex eieratione facta in baptismo.

TERTVLLIANVS.

361. 1. QVOT adhuc modis perorabimus, nihil ex his quæ spectaculis deputantur, placitum Deo esse? aut congruens Dei seruis, quod Domino placitum non sit?

EXPLICATIO.

1. EST hîc *perorare*, lassare se in orando. Duo dicit, nec placere *Deo* spectacula: deinde, non congruere *seruis Dei*, quia illa Deo displiceant. Nota diligenter sententiam, quam Iunius tamen corrupit, quia non intellexit.

362. 2. Si omnia propter diabolum instituta, & ex diaboli rebus instructa monstrauimus (nihil enim non diaboli est quicquid Dei non est, vel Deo displicet) hoc erit pompa diaboli, aduersus quam in signaculo fidei eieramus. Quod autem eieramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Cæterùm nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius?

2. Conceptus clarus est, sed sunt nodi aliqui, quos soluo. *Propter diabolum*, id est, propter cultum diaboli. Sed quid illud? *ex diaboli rebus*, nonne cap. 2. probauit spectacula constare ex Dei rebus, sed has malo hominum vsu deprauatas? Nodum hunc ipse soluit cùm addit, *Diaboli esse quicquid Deo displicet. Hoc erit pompa.* Latinè diceret, *hæc erit pompa*, sed maluit Helleniſmum. *In signaculo fidei*, in baptismo, *Eieramus. Aduersus quam eieramus*, est, quam detestamur iuramento, renuntiamúsque. *Neque visu, neque prospectu.* Non est tautologia. Visus ad oculos refertur, prospectus ad mentem, quæ à longè prospicit, diuinat, anteuertitque. *Cæterùm nonne*, &c. Id est, nonne detestamur, quod semel contestati sumus in baptismo?

363. 3. Nunquid ergo superest vt ab ipsis ethnicis responsum flagitemus? Illi iam nobis renuntient, an liceat Christianis spectaculo vti. Atquin hinc vel maximè intelligunt factum Christianum, de repudio spectaculorum. Itaque negat manifestè, qui, per quod agnoscitur, tollit.

3. *Atquin*, pro atqui, vsu Tertullianico. Clara omnia.

364. 4. Quid autem spei superest in huiusmodi homine? Nemo in castra hostium transit nisi proiectis armis suis, nisi destitutis signis & sacramentis Principis sui, nisi pactus simul perire.

4. Sententia est, desperatam esse salutem eius, qui cernit spectacula: nam hic iam proiecit arma, iam signa & sacramenta destituit, iam pactus de morte sua. Nam quid est aliud eierare testationem factam in baptismo quàm proiicere arma, & destituere signa Christi, & transire ad castra diaboli? *Proiectis armis*, scilicet per contemptum sui Principis, & assumpturus hostilia aduersarij, ad eius sacramenta iam transit. Illud *simul* explico, pactus perire simul cum hoste: etenim desertor vendit vitam suam, & scit sibi vnà cum hoste, ad quem transit, pereundum, si Princeps, quem deseruit, victoriam habeat.

NOTÆ.

365. 1. PERORABIMVS.] Non semper conferenda hæc vox ad Epilogum, vt apparet ex multis locis Tertulliani. Corippus lib. 2. de Oratione Iustini,

Diuinus princeps augusta voce perorans,
Hæc plebi mandata dedit.

1. PLACITVM DEO ESSE?] In nonnullis Pamelij deest vox *Deo*. Interrogatio deest in omnibus, sed clarior est sententia illa apposita.

2. NIHIL ENIM, &c.] Hæc ad maiorem claritatem includenda parenthesi.

2. CÆTERVM NONNE EIERAMVS, &c.] Videatur locus Saluiani satis longus lib. 6. ab eo loco: *In spectaculis quædam apostatio fidei est à symbolis ipsius*, &c. Deturpat enim spectacula ab eodem capite, quo Tertullianus, quia scilicet in baptismo illis renuntiauimus.

366. 2. RESCINDIMVS SIGNACVLVM.] Nam sicut in baptismo dicimur *signari*, sic enim locutus Cyrillus Hierosol. Catech. 4. τὸ δὲ γνῶκ τὸν χαρακτῆρα τῆς βαπτίσματος σφραγίζου τῷ ψυχῇ, ita contrà *rescindere signaculum*. Est *rescindo* vox iuris, vt multa alia huius capitis, quæ quia satis nota, prætermitto.

2. SIGNACVLVM.] Baptismus est. In vita sancti Epicteti Martyris: *Et perueniens* Vigilantius *ad beatissimos martyres* Epictetum & Asticnem *in custodia carceris, signaculum vitæ ab eis promeruit accipere.* Prochorus in vita Ioannis Apostoli cap. 22. *Et procidens*

Chryſippa ad pedes Apoſtoli orabat & dicebat, Optime magiſter, da mihi ſignaculum Chriſti, & filio meo. Paulinus epiſt.1. ad Delphinum, à quo fuerat baptizatus: *Et plantans maceriam ſignaculi ſalutaris, qua ab incurſu ſylueſtris apri, & depaſtione ferocis onagri muniremur, adſtrixeris.* Auguſt. lib. de Catechizandis rudibus cap. 26. omnia ſacramenta vocat *ſignacula*, vt & Nazianzenus orat.40.

2. TESTATIONEM.] Sic cap.4.huius lib. *Renuntiaſſe nos diabolo, & pompæ, & Angelis eius ore noſtro conteſtamur.*

367. 4. SACRAMENTIS.] A militia ſumptum, vt reliqua huius tractus. Fulbertus Carnotenſ. Epiſ.epiſt. 41. *Sacramenta verò & cætera quæ ad mundanam legem pertinent propter amorem regis Domini miſſa faciatis.* Et epiſt.43. *Commonitus à legato veſtro à vobis de iuſtitia proſequenda in diem & locum deſtinatum à vobis, reſpondit ſe eſſe præmonitum ab Odone comite ſub nomine ſacramenti de facienda expeditione contra Fulconem circa eundem diem.* Paulinus epiſt.2. ad Victricium: *Cunctiſque mirantibus accuratiſſimos in te habitus ac terribiles apparatus, repentè obſtupefacto conuerſus exercitu ante pedes ſacrilegi Tribuni, militiæ ſacramenta permutans arma ſanguinis abieciſti, vt arma pacis indueres*, &c. Quod Latini *ſacramentum* pro iuramento, quo ſe militiæ dabant, Herodian. lib. vltim vocat *myſterium*. Verba eius: φυλάσσοντες τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ὃς ἐστὶ τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον. Seneca epiſt. 15. vocat militiæ *vinculum*.

CAP. XXV. ARGVMENTVM.

Res Dei tractari non poſſe in ſpectaculis.

TERTVLLIANVS.

368. 1. AN ille recogitauit eo tempore de Deo, poſitus illic vbi nihil eſt de Deo? Pacem opinor habebit in animo contendens pro auriga, pudicitiam addiſcet attonitus in mimos?

EXPLICATIO.

1. OPINOR, ὅτι. *Contendens pro auriga.* Dicit hoc propter ſponſiones, de quibus ſuprà. *Attonitus*, ἐμβεβροντημένος. Quippe ſpectacula, & maximè theatrale, mentem dimouent. Sententia ironica eſt, vel poterit claritatis gratia adhiberi in fine nota interrogationis.

369. 2. Imò in omni ſpectaculo nullum magis ſcandalum occurret, quàm ille ipſe virorum & mulierum accuratior cultus, ipſa conſeſſio: ipſa in fauoribus aut conſpiratio aut diſſenſio inter ſe, de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in ſpectaculo ineundo priùs cogitat, niſi videri & videre.

2. Tranſit ad ſcandalum, ex quo vno, etiamſi nihil aliud mali eſſet in ſpectaculis, fugienda eſſent. *Accuratior cultus.* Nunquam ſcilicet homines accuratiores cultu, quàm cùm eunt ad publica ſpectacula. *Ipſa conſeſſio.* Id eſt, mutua ac promiſcua virorum & mulierum ſeſſio. Multis certè viris ſcandalo fuit ſedere iuxta fœminas in ſpectaculis, & fœminis iuxta viros. *Ipſa in fauoribus*, &c. Nam ſcilicet in ludis fauor ſpectatorum mirus erat, & pars maxima voluptatis. Ait itaque libidinem conflari ex conſenſu cum conſentiente, ex diſſenſu cum diſſentiente. Eſt enim hîc *diſſenſio* veluti condiſſenſio, cùm quis ſimul diſſentit cum diſſentiente. *De commercio ſcintillas libidinum conflabellant.* id eſt, excitant veluti flabello quodam, perflántque ſcintillas libidinũ ab mutuo commercio, & conſortio. *Nemo denique*, &c. Veriſſima propoſitio.

370. 3. Sed Tragœdo vociferante, exclamationes ille alicuius prophetæ tractabit? inter effœminationis modos, pſalmum ſecum comminiſcetur? & cùm athletæ agent, *Matth.5.* ille dicturus eſt repercutiendum non eſſe? poterit & de miſericordia moueri defixus in morſus vrſorum & in ſpongias retiariorum? Auertat Deus à ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem.

3. Hæc omnia ad maiorem claritatem volui pronuntiari interrogando, ſed ſalua erit ſententia per ironiam. Meminit autem trium ſpectaculorum, Theatri in *tragœdo vociferante, & modis effœminatis*: Stadij in *athletis, & repercuſſione*: Amphitheatri in *morſibus vrſorum*, & in *ſpongiis retiariorum.* Integram ſententiam fulciunt verba illa plena maieſtatis, *Auertat Deus*, &c. Porrò Circum hîc omiſit, quia iam ſuprà & bis, ſcilicet in illis *contendens pro auriga*, & in *fauoribus.* Etenim fauentia quamuis communis omnibus ſpectaculis, ſed præcipuè & κατ' ἐξοχὴν Circi fuit.

371. 4. Quale eſt enim de Eccleſia Dei in diaboli Eccleſiam tendere? de cœlo (quod aiunt) in cœnum? illas manus, quas ad Dominum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem, fatigare? ex ore, quo Amen in ſanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere? εἰς αἰῶνας alij omnino dicere, niſi Deo Chriſto?

4. Sententia clara eſt, ſed ego cogitaui (non tamen pugnabo pro mea cogitatione) in hoc tractu fieri mentionem quatuor ſpectaculorum. Per *Eccleſiam diaboli* capio Circum (fulcrum dabo in Notis) quem poſtea vocat cœnum. Scenam in hiſtrione agnoſcis. Amphitheatrum in gladiatore. Inde fit, vt extrema

verba εἰς αἰῶνας, possint capi de Xystico qui in stadio. Vel dicat mihi aliquis, cur si ad gladiatorem refert voculam *Amen*, non possit ad Xysticum, qui se exercet in stadio, verba illa *in secula*? Video simpliciùs ista capi posse, ideo pugnam abnui. Mihi Pamelius non displicet, qui multa huius capitis transfert ad reprehensionem Sacerdotum, qui adirent spectacula. Nam dicere *Amen* & *in secula*, & illa de psalmo, & de prophetis, & de Ecclesia, & de manuum sublatione, ad sacerdotes præcipuè pertinent.

NOTÆ.

372. 1. AN ILLE RECOGITAVIT, &c.] Cyprianus de Spectac. *Quid inter hæc Christianus fidelis facit, cùm vitia non licet nec cogitare? qui oblectatur simulacris libidinis, vt in ipsis deposita verecundia audacior fiat ad crimina? Discit facere dum consuescit facere.*

1. POSITVS.] Hoc vsu suprà cap.15. *Quid quòd & ipse se iudicat inter eos positus?*

1. PACEM HABEBIT.] Videndus Cassiodorus lib.3.epist.51. vbi exemplum est aptissimum.

1. ATTONITVS IN MIMOS.] Dat spectatoribus habitum ipsorum mimorum, de quibus Arnob.lib.7. *Manus ad cœlum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant.* Sunt enim dementati, vt quibus de cœlo attonitum est. Apud Seruiũ enim, *attonitus dicitur, cui casus vicini fulminis, & sonitus tonitruum dant stuporem.* Curtius lib.8. *Erat prope continuus cœli fragor, & passim cadentium fulminum species visebantur, attonitúmque auribus stupens agmen nec progredi, nec consistere audebat.* Lucianus in Icaromenippo: ἔσκεν ὁμως ἀχανὴς, ἐκ τοῦ τῆς μεγαλοφωνίας ἐμπεφορτωμένος: *Stabat simul ore hianti, & ex magno clamore attonitus.* Cornelius Celsus: *Attoniti quorũ propriè & corpus & mens stupet. Quod genus mali fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, quem apoplexiam appellant.*

2. IMÒ IN OMNI SPECTACVLO, &c.] De hoc scandalo & occasione peccandi in spectaculis egregius est locus Ioannis Chrysost.Homil.15.ad Popul. ἐκ γὰρ τῶν θεάτρων διαπεφθὴν παρεῖται, ἀκολασίαν, καὶ πᾶσαν ἀσέλγειαν ἔτικτε. καὶ ἡ τῆς ἁμίλλης τῶν ἵππων θεωρία μάχας, λοιδορίας, πληγὰς, ὕβρεις, ἀπηχθείας διηνεκεῖς ἐπήγαγε: *Etenim in Theatris immoratio, fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit: Et Circensium spectatio pugnas, conuitia, vulnera, contumelias, iuges inimicitias adduxit.* Seneca etiam præclarè epist.7. *Nihil est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere.* Erat etiam in omni spectaculo peccandi occasio à meretricibus, quarum cellulæ circa omnia loca publica: quod astruitur testimonio Lampridij, qui de Heliogab. *Fertur & vna die ad omnes Circi, & Theatri, & Amphitheatri, & omnium vrbis locorum meretrices ingressus.*

373. 2. SCANDALVM.] Præclarè idem Chrysost. Homil.21.ad Pop. σκανδαλῶ indigetat. Est enim scandalum genus insidiarum. Quia scilicet nitor auri & margaritarum, quibus cultus excolitur (in hac enim re ille exemplum adhibet) incautis insidiatur.

2. ACCVRATIOR.] Vox signata ad cultũ corporis. Est enim *corpus curare*, conciliare nitorem corpori, siue ab cibo, siue ab auro & vestibus. Exempla obuia vbique.

2. IPSA CONSESSIO.] Debet mihi Lector hãc lectionem, quam spero probandam doctis, in omnibus enim codicibus legitur *ipsa consensio*. Nam cur scriptor minimè lacinios us dicat hîc consensionem, qui statim subiicit conspirationem? Res certè eadem, nec repetenda. Quid quòd totus hic locus Tertulliani translatus est, vt puto, ab Ouidio lib.1.de Arte, vbi inter præcepta amandi principe loco ponitur spectatio spectaculorum. Percurram verba Tertulliani vt conformem cum Ouidianis. Ait Noster, nusquam *accuratiorem cultum*, quàm in spectaculis. Quid Ouidius? post comparationem formicarum, & apum, subiicit,

Sic ruit ad celebres cultissima fœmina ludos.

Ait Noster *ipsa consessio*: ait ille,

Proximus à Domina nullo prohibente sedeto.

Noster, *ipsa in fauoribus aut conspiratio, aut dissensio*: ille,

Cuius equi veniant, facito studiose requiras,
Nec mora, quisquis erit, cui fauet illa, fauе.

Est nempe præceptum, vt amans consentiat ad consensum puellæ, dissentiat ad dissensum; & hæc est *conspiratio*, & *dissensio* Tertulliani: vt scilicet placeat is, qui placeat puellæ; displiceat, qui displicet. Redeo ad viam. Noster, in spectaculo omnes cupiunt *videre & videri*: ille de fœminis,

Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.

Noster, *Nullum magis scandalum occurret*, &c. Ouid.

Ille locus casti damna pudoris habet.

Cùm ergo in reliquis conformis sit Ouidio Tertullianus, cur non in confessione? Mihi res clara, nescio an tibi.

374. 2. FAVORIBVS.] Vox propria Circi & Theatri. de Circo Hieron.ad Demetriad. *Equorum cursus fauore pernicior fuit.* Et Ouid.3.Am.eleg.2.

Non ego nobilium venio spectator equorum,
Cui tamen ipsa fauet, vincat vt ille precor.

De Theatro pleni Terentius & Plautus. Legatur huius prolog. in Amphitheat. vbi de *fauitoribus* histrioniæ.& quis nescit clausulam, *fauete & plaudite.* De fauentia hac Greg. Nyssenus serm.1. de Orat. εὐφημίας αὐτοποιεῖσθαι.

2. DE COMMERCIO.] Iungenda hæc vox cum sequentibus, non cum præcedentibus: attende itaque interpunctioni nostræ. Iunius *commercium* explicat ὁμιλίαν. nam olim, teste Velio Longo, dictum *commircium*. & autumat Iunius *commircium* à commiscendo esse, ex litterarum commutatione. Originatio ista hîc ad rem, nam à promiscua coniunctione scintillæ libidinum. Quod illustro loco Clementis Alex. lib.3.Pædag.c.11. vbi loquens de spectaculis, παραλήθασι γοῦν πολλὴς ἀμιξίας καὶ παρανομίας αἱ συναγωγαὶ αὗται· καὶ αἱ περιφάσεις τῆς συμπλοκῆς, ἀκοσμίας ἔχουσιν αἰτίαν, ἀναμὶξ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν συνιόντων ἐπὶ τὴν ἀπόλαυσιν θέας: *Magna itaque confusione & iniquitate hi cœtus pleni sunt, & occasio conuentus caussa est turpitudinis, cùm viri & fœminæ mistim conueniant alter ad alterius spectaculum.* Et eundem Clementem lib.2.c.7. Pædag.vbi: τῷ σώματι οὐχὶ τραγικῶν δίκην προσωπείων διακοσμῶμεν καὶ κεχηνότα: *Ore non instar tragicarum personarum diducto & hiante.*

375. 2. SCINTILLAS LIBIDINVM.] Ita Ambros. lib.ad Virg. lapsæ cap.7. *Æstu libidinis arescere.* Et Prosper de Promiss. *Ardore libidinis æstuans.* Tertull. satis propriè, nam scintillæ à flatu. Has scintillas libidinis optimè Ambros.lib.1.de Cain & Abel cap.1. *Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat.* Quæ istæ scintillæ libidinis? Videtur tibi quæpiam earum satis tuta, vt accedas? Accedat huic Claudianus lib.2. de laud. Stiliconis, licèt nomen libidinis mutauerit in luxuriam, sic itaque ait:

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membráque Circæis effœminat acriùs herbis.
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior vlla,
Interius fucata genas, & amicta doloris
Illecebris, toruos auro circumlinit hydros:
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

Quamobrem præclarè dixit Valerianus Episc. Cemelienſ. *Quis te castum putabit, si te viderit meretricum fabulis mistum scenico sermone compositus, aut loquentem turpia, aut inhonesta resonantem? Laudo quidem cõscientiam castitatis in te, sed odi colloquium meretricis. In quo loco fortasse dicat aliquis, sufficit mihi pura conscientia. Quantum ad innocentiam pertinet, tibi soli sufficit, sed prouidendum est, ne facilitate tua alter peccet, & alienum peccatum in te redundet.* Habentur hæc Homilia prima. & postea Homil. 6. addit: *Cauendum est ergo, dilectissimi, ne scenico sermone alter alterum lædat, & theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat.*

376. 3. TRAGOEDO VOCIFERANTE.] Studium fuit Tragicorum vastissimè loqui & vociferanter. Illustrat Herald. in Arnob. lib. 7. ex Crantore, qui apud Diogenem dicebat Tragœdos habere vocem ἀπελέκητον. Ex Demosthene, qui Æschini obiicit φωνασκίας ἐπίδειξιν, *ostentationem & iactantiam vocis.* Nam Æschines histrioniam exercuerat. Ex Dione Chrysost. orat. 6. de Regno, vbi de his, ὀξὺ καὶ διάτορον βοᾶν: *Vociferari acutè & clamosè.* Inde Arnobius ipse de illis *vociferari.* & infrà, *buccas vento distendere.* Adiice à me Themistium Euphradam orat. 3. qui de Oreste in Tragœdia, βοᾷ, *vociferatur.* & Lucianum de Gymnasiis: αὐτοὶ δ' ἔνδοθεν μεγάλα τε ἀνακράγεσιν: *Verùm ipsi intenso clamore vociferantur.* Agit porrò de Tragicis. & Iuuenalem Sat. 6.

Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.

Tatianum, qui dixit δυσμοι ἄν de Tragœdis. & Horatium,

An Tragica desauit & ampullatur in arte.

Et in Arte, *---populares*
Vincentem strepitus.

Lucianum qui in Anacharsi, μεγάλα κράζειν: *Magnum clangere.* Laërtium, qui illos habere dixit vocem φλοιοῦ μεστὸν, *plenam cortice.*

3. INTER EFFOEMINATIONIS MODOS.] Notat mimos, de quibus suprà, *Muliebribus curantur.* Vide ibi. Clemens etiam Alex. lib. 2. Pædag. cap. 7. ait esse effœminatorum vocem fractam, τὸ τεθρυμμένον τῆς φωνῆς, θηλυδρεῖον.

377. 3. POTERIT ET DE MISERICORDIA MOVERI.] Consentit Seneca, cuius hæc sunt epist. 7. *Nihil est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere.* Reddit rationem, quia *redeo crudelior & inhumanior.* Imò hanc caussam ludi gladiatorij & venationis reddit Capitol. in vita Maximi & Balbini, nam Imperatores ituri in bellum, dabant ante profectionem ludos gladiatorios & venatus, vt cùm priùs vidissent pugnas, vulnera, ferrum, efferatiores in bello redderentur, neque vulnera & sanguinem perhorrescerent. Cæterùm pro *moueri* rescribunt aliqui *moneri*, neque displicet. Hîc volo notes assumptos vrsos, ad damnandam sæuitiam huius ludi: nam sæuitia propria est vrsorum. Spartianus in vita Getæ: *Vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt.* Inde Virgilius nullius doctrinæ ignarus, lib. 7.

---atque in præsepibus vrsi
Sæuire.

Intelligit scilicet Virgilius frendorem huius feræ. Itaque vt lupis datur *vlulo*, ita vrsis *sæuio.*

378. 3. VRSORVM.] Vrsi sæpe ad arenam producti. De Gordiano Capitol. *Feras Libycas vna die centum exhibuit, vrsos vna die mille, homines, meridie spectatoribus suis obiiciuntur.* Ergo vt aliis feris, ita quoque vrsis obiecti Martyres Christi. Aldhelm. de Virg. cap. 19. *In Amphitheatrum sanctos ferreis collariis connexos cruentus carnifex imperat duci, quatenus patefactis cauearum cistellis, & apertis clatrorum obstaculis, vrsorum genuinis carperentur, & leonum rictibus roderentur.* Et cap. 25. loquens de sancta Agnete: *Inter sæueros leonum rugitus, & feroces vrsinæ rapacitatis rictus.* Ab hoc ergo more, quo vrsi in arenam producti, Seneca epist. 7. *Mane leonibus & vrsis.* Et de Probo Vopiscus: *Editi vrsi trecenti.* Volunt corrigi versiculum Martialis,

Namque grauem gemino cornu sic extulit vrsum:

non *vnum*, vt in nonnullis legitur.

3. SPONGIAS RETIARIORVM.] *Retiariis* (genus est gladiatorum) attributas *spongias*, certum est: sed quo fine, incertum. Turnebus lib. 18. c. 33. ait datas ad siccanda vulnera, & reprimendum sanguinem. Fulcio Turnebum à Plin. lib. 31. c. 11. vbi *fracturæ & vulnera spongiis vtilissimè fouentur.* & sup. *conglutinant vulnera.* & facta quidem hæc gratia Retiariis, non aliis gladiatoribus, quia nudi pugnabant, tantùm cum rete, aut rete iaculo. Lipsius tamen lib. 2. Satur. c. 8. ait, datas spongias retiario tegendo pectori. Fulcio Lipsium à Liuio lib. 9. vbi Samnitum arma describens & cum respectu quidem ad Samnites gladiatores, vt ipse ait Liuius (nam & genus aliud gladiatores dicti Samnites) illis pro thorace dat spongias. Verba Liuij *spongia pectori tegumentum.* Si ergo militibus tegumentum, cur non gladiatoribus? Sed ego tamen, si quid valeo, Turnebo accedo, & datas puto tantùm siccando sanguini, & fouendis vulneribus. Nam cùm omnes clament, retiarium nudum pugnasse, cur ego illi dem tegmen? Suetonius Calig. *Retiarij tunicati quinque*, quia sine clypeo, aut thorace, aut alio tegmine, tantùm cum tunica. & Iuuen. Sat. 2. 379.

---tunicati fuscina Gracchi:

Quia scilicet Gracchus quidam pugnauit cum habitu retiarij: vt sine thorace, etiam sine galea. De Graccho illo Iuuenal. idem Sat. 8.

---nec galea frontem abscondit.

Et postea,

---nudum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.

Denique sine clypeo. ibidem Iuuenal.

---nec clypeo Gracchum pugnantem.

Latiùs hæc alij, ego tantùm assumpsi ad rem meam quæ necessaria ad probandum, retiario nullum fuisse tegmen. Ergo si sine thorace, galea, & clypeo obiectus fuit aduersarij vulneribus. & tantùm cum tunica, cur habet à Lipsio tegmen? Tantùm igitur spongia vsui, quem aperui. Inueni postea assertorem meæ sententiæ Baronium tom. 1. Annal. pag. 178. & firmatorem: ait enim Adonidi ab apro recenter vulnerato, à ministro quopiam admotam spongiam, ac vulneri superpositam, vt fluentem cruorem sisteret. Quæ sanè historia siue fabula in antiquo sarcophago insculpta erat: quod Romæ asseruabatur in ædibus Tiberij Ceuoli.

3. VOLVPTATIS EXITIOSÆ CVPIDITATEM.] Cur voluptas *exitiosa*? quia certè tota ad mortem. Cyprian. de Hab. Virg. *Lethales illecebræ, & mortiferæ voluptates.* & de hac ipsa spectaculorum voluptate ait Seneca epist. 7. redire se semper *luxuriosiorem.* Rectè etiam ad hanc perniciem vox *cupiditatis.* Afranius notantissimè: *Amabit sapiens, cupient cæteri.* 380.

4. IN DIABOLI ECCLESIAM.] Potest capi de omni loco spectaculorum. Si notare Circum velis, vt explicui, poteris ab hoc scriptore, qui sup. cap. 8. vbi Circi ornamenta singula vocauit *singula templa.* & cap. 11. loquens de stadio, sed cum aspectu ad Cir-

cum, *templum est & ipsum*. Latiùs ad omnia omnium spectaculorum loca Zeno Veronens. serm. de Iuda: *Thamar cùm esset in domo patris sui, id est, in templis, infamibusque spectaculorum omnium locis.*

381. 4. DE COELO IN COENVM.] Prouerbialis forma. Tale illud de Cor. Mil. *De castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre.* Certè *cœno* nihil abiectius. Plautus alicubi. *Cœnum hominis.* Et in Persa leno impurus dicitur, *lutum lenonium.* vtique quod in Casin. *Ex sterquilinio effuse.* Clemens 3. Pæd. c. 2. de Deo Ægyptiorum, βορβόρου αὐτάξιον, *cœno dignum.* Theodoritus lib. 1. Hist. c. 8. ait Arrianos voces suas eruere ἐκ κοπρίας, *ex stercore.* Michaël Syngelus in Encomio Dionysij Areopag. ad notandas res nullius precij dicit ἰλυώδη, *lutum.* & postea ad deturpandam idololatriam, vocat illam λίμνην βορβορώδη: *lutulentum stagnum.* Sed & Themistij orat. 2. ad rem Tertulliani, nam cum oppositione etiam ad cœlum intulit has voces ἰλυὼ καὶ βόρβορον.

4. EAS MANVS QVAS AD DOMINVM EXTVLERIS.] Dolet, eas manus, quæ sublatæ ad B Deum, occupari rei idololatricæ. Eadem querela magni Athanasij Apolog. aduersus Gentes, vbi dolet membra dicata Deo, inseruire idolorum obsequio, intérque alia adducit etiam manus, quæ factæ εἰς ἔκτασιν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχῆς: *Vt porrigantur ad Deum in oratione.* Putant aliqui verba Tertulliani (in his est Stephanus Durant. lib. c. 40. de Ritib. Eccles.) capienda esse de manuum sublatione ad adorandum corpus Christi, cùm in Missa attollitur.

382. 4. LAVDANDO HISTRIONEM FATIGARE.] Plaudendo scilicet. Plausus enim manuum licèt in rebus aliis, sed præcipuè in scenis in fauorem histrionum, quod notum vel ex scenarum clausula illa, *plaudite & valete*: quam formam habes in extremo versu Epidici. & hic est ille *histrionalis fauor* Taciti, lib. de Orat. Huius rei locus est apud Ruffinum lib. 7. Hist. Eccles. cap. 26. vbi loquens de superbia Pauli Samosateni, inter alia, tum hæc: *Ab auditoribus non fauorem neque plausum sperare solum, sed theatri more oraria moueri sibi expectabat, & vocem tanquam de caueis dari.* Eadem Eusebius scribit lib. 7. c. 30. à quo accepit Ruffinus, imò transtulit. Eadem itaque Euseb. scribens ait, ὡς ἐν τοῖς θεάτροις: *vt in theatris*, notans scilicet fauorem istum histrionalem. Themistius Euphrada orat. 14. ait ita magnum hunc fuisse, vt esset pene similis fragori, quem illisi littori fluctus emittunt, καὶ σμικρὸν διαφέρειν ῥοθίου κυμάτων αἰγιαλοῖς προσπιπτόντων. & pene dixerim cum Petronio *puer manu loquaci.* & cum Claudiano Panegyr. Manlij.

383. *---qui nutu manibúsque loquax.*

Manibus enim loquebantur. Quin res eò processit, vt sicut mortuis defendis se fœminæ locabant, ita & homines plaudendis histrionibus; quod liquidum ex loco Petronij isto,

---neue plausor in scena
Sedeat redemptus histrioniæ addictus.

Qui locus mirè ab interpretibus exagitatur nulla necessitate. Hi homines ministerio huic redempti & locati, dicuntur ab Eusebio σαπῶται, hos enim Paulus sibi induxerat ad plausum. Cæterùm à locutione non dissidet Cyprian. lib. de Spectac. vbi, *loqui digitis elaborat.* vt enim Tertull. *fatigare*, ita Cyprian. *elaborare.* Vide Eusebium & Ruffinum dictis locis, vbi notabis strepitus, quos plaudendo sibi amabat Samosatenus, ita certè magnos, vt fatigari deberent plausores. Scias obiter, quæ sint *oraria* illa Ruffini, videlicet instrumenta ori apposita augendæ voci. Vopiscus de Aureliano scribit, *donasse oraria Populo Romano, quibus vteretur populus ad fauorem.* Etenim fauor histrionalis duplici re constabat, & plausu manuum & clamore vocum. inde Themistius Euphrada de hoc fauore loquens orat. 1. βοήσεις τε καὶ κρότους. vt etiam orat. 4. κρότον καὶ βόμβησιν, & postea δόρυβον.

4. EX ORE.] Legerem libentissimè *eo ore.* Quã 384. lectionem probant euidentissimè superiora. Vt enim ait iniustum esse fatigare manus, in laudando histrione, quæ ad Deum tolluntur: ita etiam iniustum, reddere testimonium gladiatori, eo ore quo in laudando Deo proferimus Amen.

4. AMEN.] Hæc aduerbialiter sumitur Latinis, qua affirmamus, vel optamus aliquid, quasi interpretemur, verè & fideliter. Quæ etiam à Christo seruatore assumitur, sua per hãc particulam verba firmante. Aliqui vertunt γένοιτο, id est, *fiat.* Non quod Hebraïcè significet *fiat*, sed quòd per eam optetur perfectio eorum quæ dicuntur. Ansbertus lib. 1. Apocalyp. sic explicat: *Quod est apud Latinos, Etiam, hoc apud Hebræos Amen; vtrunque autem aduerbium affirmandi est, tanquam in geminando diceret: verum est, verum est.* Vide etiam nostrum Salmeronem prolegomeno 7. C

4. ΕΙΣ ΑΙΩΝΑΣ.] Modò referas acclamationem istam ad gratiam Xysticorum, vt indicaui: modò ad principem, qui ludis Theatralibus intererat, certè vsitatissimus mos. Quod Tertull. εἰς αἰῶνας, Gentiles illi dicebant in *æuum.* Vtraque forma comprecatur vitam quàm longam. De precatione ista facta in gratiam Principum, dixi ad Apolog.

4. NISI DEO CHRISTO?] Phrasis Punica. Latinè diceres *quàm Deo Christo?*

CAP. XXVI. ARGVMENTVM.

Dæmones ingrediuntur in spectatores ludorum.

TERTVLLIANVS.

385. 1. CVR ergo non huiusmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam exemplum accidit, Domino teste, eius mulieris, quæ Theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cùm oneraretur immundus spiritus, quòd ausus esset fidelem adgredi, Constanter & iustissimè quidem, inquit, feci, in meo eam inueni.

EXPLICATIO.

1. HVIVSMODI, subaudi homines. *Penetrabiles.* Quid mirum penetrent dæmones & inuadant spectatores ludorum? *Ausus esset.* Nota verbum: est enim maligni spiritus summa au-

dacia adgredi hominem ſignaculo baptiſmi inſignitum. *Conſtanter.* Poteſt iungi cum verbo *inquit*, & erit ſenſus. liberè, intrepidè, aſſeueranter reſpondit. Poteſt & cum verbo *feci*. & erit ſenſus. *Feci conſtanter*, id eſt, conſequenter. Ratio, quia *eam inueni in meo* aut loco, aut templo, aut regno. q.d. Conſequens eſt vt occupem illam, quæ eſt in loco mihi dicato. nam hæc mutuò ſeſe conſequuntur. id eſt, petit hoc rerum ἀκολουθία, *conſequentia*.

386. 2. Conſtat & alij linteum in ſomnis oſtenſum eius diei nocte, qua Tragœdum audierat, cum exprobratione nominato Tragœdo, nec vltra quintum diem eam mulierem in ſeculo fuiſſe. Quo vtique & alia documenta ceſſerunt, de his qui cum diabolo apud ſpectacula communicando à Domino exciderunt. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire. Quid luci cum tenebris? quid vitæ & morti?

Matth. 6. 2. Cor. 6. Eccleſ. 33.

2. *Alij*, fœminæ. *Qua*, die. *Quo vtique*, acceſſerunt eò plura alia documenta, quibus inſtrui poſſimus, plura alia exempla. *Communicando*, &c. Expendatur hoc. Ille verè à Deo cadit, qui communicat cum diabolo. *Nemo enim poteſt*, &c. Habet hoc de more Tertullianus, vt ſæpe curſum ſermonis claudat ſtata quadam & ſollemni ſententia, quaſi ea fulciat præcedentem ſermonem.

NOTÆ.

387. 1. EXEMPLVM ACCIDIT, &c.] Ex capitis huius curſu, atque ex pœna qua affectæ fœminæ ſpectatrices ludorum, videtur colligi poſſe vetita olim Chriſtianis ſpectacula. Et adiungo auctoritatem Ioannis Chryſoſtomi orat. 2. contra Iudæos, vbi: *Quòd ſi famulum habes, ſi vxorem, multa cum auſteritate illos domi contines. Etenim ſi non permittis illis, vt in Theatrum eant, quanto magis à ſynagoga Iudæorum ſunt arcendi? Maior eſt hæc tranſgreſſio, quàm illa. Quod illic fit, peccatum eſt; quod hic, impietas.* Quamuis enim in grauitate criminis anteponat ſynagogam Theatro, ſed de Theatro ait, ἁμαρτίαν, id eſt, *peccatum*. & de vtroque ſimul παρανομίαν, id eſt, *tranſgreſſionem*. ſi tranſgreſſio, certè legis. Theophilus Patriarcha Antioch. lib. 3, ad Autolycum, clarè præceptum indicat, cùm ait: ταῖς θεαῖς τῶν μονομάχων ἡμῖν ἀπείρητα ἰδεῖν: *Nobis interdictum eſt cernere gladiatorum ſpectacula*. Et in vita Hilarionis Hieronymus inquit: *Auriga quoque Gazenſis in curru percuſſus à dæmone, totus obriguit.*

1. DOMINO TESTE, EIVS MVLIERIS.] Mutant punctionem, *Domino teſte eius, mulieris*. vt dicat, *teſte eius*, nimirum exempli. Vt velint; nihil enim refert.

388. 1. MVLIERIS.] Meditor hîc quidpiam. Quid ſi *mulier* ſumatur propriè de nupta, vt in profanis auctoribus, aliis etiam: de qua re iam à me multis in Æneidem Virgilij. Quid (inquam) ſi nupta ideò occupatur à dæmone, quòd iniuſſu viri iuerit ad ſpectacula? intererat enim virorum continere vxores domi, ne irent ad ſpectacula; quod habes ex laudato teſtimonio Chryſoſtomi. & præterea hæc diſciplina apud ethnicos fuit. Nam P. Sempronius Sophus (vt habetur lib. 5. Codicis tit. 17.) coniugem repudij nota affecit, quòd ſe ignorante auſa fuiſſet ludos Theatrales ſpectare.

1. IN EXORCISMO.] Hunc ad locum Iunius quæpiam ineptè. Videvt illum refutet Gretſerus Noſter lib. Animaduerſ. in Notas Iunianas cap. 7.

1. IN MEO EAM INVENI.] Putat quidam legendum, *in meo enim inueni*. Sed nihil moror.

2. LINTEVM IN SOMNIS OSTENSVM.] Hærebam, cur linteum? Si enim Circenſes ſpectauiſſet hæc mulier, dici poterat oſtenſum linteum cum aſpectu ad mappam. Sed quid linteo cum Theatro? Vide an dicantur iſta cum aſpectu ad vela Theatralia, vel tu aliud melius cogita. De iſtis velis iam ego in Georg. Itaque oſtenſum eſt fœminæ velum ludi illius, quo delectata, vt ita recognoſceret delictum, propter quod puniebatur. Aliquis poſſit referre ad omen mortis: inuoluimur enim linteo cùm ducimur ad ſepulturam. & eo magis hoc poterit placere, quia vela in ludis aliis fuere, non in Theatralibus. de velis enim ludi gladiatorij locus eſt Sueton. cap. 26. Calig. Atqui *linteum* dici ſindonem, qua defuncti inuoluuntur, certum eſt. Paulin. lib. 1. in vita ſancti Martini, loquens de defuncto, 389.

---motantur lintea membris.

2. NOMINATO TRAGOEDO.] Quid ſi olim, vt nunc in Hiſpania, Tragœdi aut hiſtrionis nomen in compitis & locis publicis, cum elogio affigebatur? Vt ita inuitati ciues pergerent ad Theatrum auidiores? Cur enim non eò poſſit ſpectare Tertullianus? Ergo quæ nomen Tragœdi & elogium legerat, & iuerat ad Theatrum, nunc audit in ſomnis nomen idem, & cum exprobratione. Fortaſſe hæc minima placebunt ſtudioſo rerum indagatori. 390.

2. QVO VTIQVE ET ALIA DOCVMENTA CESSERVNT.] Vvoueren. ex M. S pro *quò* legit *quot*. & Iunius ex coniectura pro *ceſſerunt* legit *acceſſerunt*.

2. QVID VITÆ ET MORTI?] Helleniſmus: vt Ioann. 2. τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι; *Quid mihi, & tibi, mulier?*

CAP. XXVII. ARGVMENTVM.

Blaſphemiæ & mala alia in ſpectaculis.

TERTVLLIANVS.

1. ODISSE debemus iſtos conuentus & cœtus ethnicorum, vel quòd illic nomen Dei blaſphematur, illi quotidiani in nos leones expoſtulantur, inde perſecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur.

EXPLI-

EXPLICATIO.

391. 1. RATIO quadruplex cur odio habenda ſpectacula, ſcilicet blaſphemiæ ludorum, expoſtulati leones in Chriſtianos, perſecutiones, tentationes. Sed cur *inde*? an quia Gentiles cùm viderent ludos iſtos à Chriſtianis vituperari, inde ſumebant occaſionem contra illos? erat enim voluptas ita ingens, vt erumperent in odium contra vituperatores. *Inde tentationes emittuntur*, quia inde effuſim ruebant emiſſarij quæſituri Chriſtianos, quo tentamento nullum maius.

392. 2. Quid facies in illo ſuffragiorum impiorum æſtuario deprehenſus? Non, quaſi aliquid illic pati poſſis ab hominibus, nemo te cognoſcit Chriſtianum, ſed recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim illo momento; quo in diaboli Eccleſia fueris, omnes Angelos proſpicere de cœlo, & ſingulos denotare, quis blaſphemiam dixerit, quis audierit? quis linguam, quis aures diabolo aduerſus Deum adminiſtrauerit?

2. Dilatat mala hæc. *Quid facies*, &c. *deprehenſus*, ſubaudi *à Deo*, & loquitur cum aſpectu ad Pſalmum primum. Itaque, quod ibi *conſilium impiorum*, hîc *æſtuarium ſuffragiorum impiorum*. Ait *æſtuarium* ſermone ſumpto à mari, Virgilius *æſtum* vocat,

---furit æſtus arenis.

Ita furor in hoc æſtu ſuffragiorum. & *ſuffragiorum* ait, quia illic decernuntur perſecutiones veluti per ſuffragia, & loquitur cum aſpectu ad fauores ludorum. *Non, quaſi*, &c. Senſus eſt. *Non* cogita, *quaſi aliquid illic pati poſſis ab hominibus*, videlicet leones emitti poſſe contra te, perſecutiones decerni, tentationes emitti, hoc enim formidandum non eſt, *quia nemo te cognoſcit Chriſtianum*, vel eo ipſo, quòd ades ſpectaculis, *ſed recogita quid de te fiat in cœlo*, nam certè à Deo deprehenſus es. *Dubitas enim*, &c. Explicat quid ſit illud, quod *fit in cœlo* de Chriſtiano deprehenſo in ludis. *Singulos*, ſcilicet Angelos. Vt ſenſus ſit. Singuli ſingularéſque cuiuſque cuſtodes denotant *quis* nam *blaſphemiam dixerit*, *quis audierit? Quis linguam*, &c. Dixerat, *quis blaſphemiam dixerit*, ideo *quis linguam*, &c. & quia, *quis audierit*, ideo *quis aures*, &c.

393. 3. Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti, illam cathedram peſtilentiariam, ipſúmque aërem qui inſuper incubat ſceleſtis vocibus conſtupratum?
Pſal. 1.

3. Continuat alluſionem ad pſalmum. *Conſtupratum*, loquitur cum aſpectu ad peſtem, id eſt, afflatum malo habitu, & vitio laborantem.

394. 4. Sint dulcia licèt, & grata & ſimplicia, etiam honeſta quædam. Nemo venenum temperat felle & helleboro, ſed conditis pulmentis, & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali iniicit: ita & diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia, proinde habe ac ſi ſtillicidia mellis delibacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuauitatem.

4. *Sint dulcia*, id eſt, eſto eſſent dulcia. Cùm autem ait, *dulcia, grata, ſimplicia*, iacit ſemen ad futuram comparationem. De primis clarum, de *ſimplicibus* ideo, quia *ſimplicia* ſunt minùs expoſita venenis. Aitque non vim veneni effugere quæ ſunt *dulcia, grata, ſimplicia*. *Etiam honeſta quædam*. Nihil honeſtum in ſpectaculis, ſed ſupponit, eſto eſſent honeſta, veluti concedens hoc aduerſario. Niſi quis referat ad ludos aliquos, qui cum honeſtate exercebantur, vel ſaltem exerceri poterant, vt in ſtadio curſus, & peritia ſagittandi, &c. *Nemo venenum*, &c. Comparatio ſatis apta. *Conditis*, à verbo condio. *Plurimum dulcibus*, affatim ſatiſque dulcibus. *Id mali*, id eſt, venenum. *Lethale*, pharmacum quod conficit. *Rebus Dei gratiſſimis*, &c. id eſt, imbuit rebus Dei, quæ gratiſſimæ ſunt & acceptiſſimæ hominibus. *Seu fortia*, propter gladiatores, aurigas, athletas. *Honeſta*, non verè honeſta, ſed quæ habent ſpeciem honeſtatis. *Sonora, canora, ſubtilia*, propter ſcenas theatrales: prima duo reſpiciunt ſuauitatem vocum, ſubtilitas verò, acumen poëticum. *Proinde*, id eſt, perinde. *Acſi*, ſubaudi eſſent. vt dicat, ac ſi eſſent ſtillæ mellis ex venenato poculo, quod vocat *libacunculum* à verbo *libo*. vel ſubaudi ſuperius verbum, *ac ſi haberes*. In toto hoc tractu aliqua ſunt minùs congrua, itaque ambigo de veritate lectionum. De hoc aliqua in Notis.

NOTÆ.

395. 1. ODISSE DEBEMVS ISTOS CONVENTVS, &c.] Seneca epiſt. 7. *Quid tibi vitandum præcipuè exiſtimes, quæris? turbam.* & poſt pauca. *Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut allinit. Vtique quo maior eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Nihil verò eſt tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere.*

1. LEONES EXPOSTVLANTVR.] Dixi ad cap. 40. Apol.

2. NON QVASI, &c.] Attendatur interpunctio, & verbum, cogita, quod ſubaudiui, ita enim clariſſima eſt ſententia. Quæ ſequuntur, *Nemo te cognoſcit Chriſtianum* poſſint intercipi parentheſi. Illa *quid de te fiat* corrigunt, *quid te fiat*, ſed otioſè. Nam eſto non ſit præpoſitio, certè debet ſubaudiri.

2. DVBITAS ENIM, &c.] Eſſe poteſt duplex 396.
ſententia, vel cum interrogatione. Vt dicat, Nun-

quid dubitas? &c. vel abſque illa: & erit ſenſus. Nam A tu verè dubitas, Angelos, &c. Suppedito hîc lectiones duas. Barræus ita legit: *Dubitas? illo enim momento quod in diaboli Eccleſiam fueris. Omnes Angelos*, &c. Ad oram etiam eius ita ſcriptum: *Dubitas illo eum momento, quo diabolus in Eccleſia fuerit.* Vtrãque reſpuo. Sed quæ pertinent ad verbum ſtatim.

2. IN DIABOLI ECCLESIA.] Loca ſimilis locutionis coniunxi ad cap. 25. Vvoueren. præfert Manuſcripti lectionem hanc, *quo diabolus in Eccleſiam fuerit.*

2. QVIS BLASPHEMIAM, &c.] In his omnibus poſſet legi *qui*, & tunc ſenſus eſſet, Angeli denotant ſingulos homines, qui blaſphemant, &c. Sed nihil muto: eſt enim commodus ſenſus, vt ſinguli Angeli denotent, quis blaſphemet? Ego libenter voces tranſponerem hunc in modum, *Angelos omnes proſpicere*, &c. Vt ſenſus eſſet, Angeli proſpiciunt omnes homines, & denotant ſingulos, qui, &c.

2. ADMINISTRAVERIT.] Vox ſignata; nam ſenſus dicuntur eſſe miniſtri animæ. De hoc alibi.

397. 4. SAPORATIS.] Sic Ammianus lib. 31. *Saporatis cibis.* Themiſtius Euphrada orat. 7. τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων μέλιτι τῷ κύλικα περιχρίσαντες πίνειν διδόασι: *Propinantes amariora pharmaca poculis melle circumlitis.* Gregor. Nyſſenus contra Fatum: ὥσπερ οἱ διὰ τῶν δηλητηρίων κακοποιοῦντες πολλάκις καὶ μέλιτι ἰῶν φθαρτέων ἐφηδύνοντες φάρμακον, ἐκ εὐφραίνειν τῇ γεύσει τὸν βλαπτόμενον παρασκευάζοντες, ἵνα ἐκκλέψωσι τῷ τῆς φθορᾶς τὸν ἄνθρωπον: *Quemadmodum qui veneficia exercent, lethale pharmacum melle reddunt dulce, non eo animo, vt comedentis guſtum oblectent, ſed ne lethale eſſe ſentiant.* Non abit Vincentius Lirinenſ. in Commonit. cap. 35. qui ait: *Itaque faciunt, quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, priùs oras melle circumlinunt, vt incauta ætas, cùm dulcedinem præſenſerint, amaritudinem non reformident.* Porrò vt in Virgilio 6. Æneid. legam *ſaporatam offam*, nondum adducor, præfero enim *ſoporatam*. Vide ibi.

398. 4. ID MALI.] Id eſt, id veneni. Sed notetur vox, nam Latinis, *malum* & Græcis κακὸν, eſt *venenatum*. Vide me 2. Æn. ad illud,

---coluber mala gramina paſtus.

4. LETHALE QVOD CONFICIT.] Proba lectio, & hæc ante Pamelium. Ille legit *quo*, pro *quod*, hoc credo ſenſu. *lethale*, id eſt, pharmacum *quo conficit*, id eſt, quo interemit. Probus ſenſus, ſed non neceſſarius. & lectio antiqua retineri poteſt, & debet.

4. CONFICIT.] Quæro hîc occaſionem ad rem non Tertulliani, parcat Lector, & prætereat hanc Notam. Indicatum mihi eſt eſſe in libro quodam Arabico, ſignum lactis veneno infecti eſſe, cùm in eo apparent lineolæ quædam aut punctuli nigricantes, hi enim ſi cernantur in lacte, argumentum eſt infectionis. Hinc ergo explicant locum Virg. 4. Æn. vbi,

---nigri cum lacte veneni.

Ita vt dicat Poëta adductum ad magicos vſus Reginæ venenatum hoc lac. Sed iſta omnia longè à vero. Aliud eſt enim venenum arte *confici*, quo verbo vſus Tertullianus, aliud eſt naturale venenum *quæri*, quo verbo vſus Virgilius. Certè in hoc vate nihil conficitur arte vlla, tantùm ad ſpeciem quæruntur venenata ab ipſa natura ſine vllo artificio & confectura. & ita quæruntur herbæ quibus lac nigrum, id eſt, venenatum, & caruncula adnata in fronte equi. Eſt etiam mihi argumentum, quo reiici debeat acumen illud. Ait enim Ariſtot. lib. 3. de Hiſt. Animal. c. 21. τῶν δὲ γυναικῶν τὸ πελιδνότερον γάλα, βέλτιον τὸ λευκοῦ τοῖς πιότερον ἔχουσι: *Mulierum lac commodius lactentibus eſt, quod liuidum eſt, quàm quod candidum.* Eſt verò πελιδνὸν explicatore Galeno οἱονεὶ μολυβδοειδὲς, quod ſcilicet liuidum eſt inſtar plumbi. Cùm ergo lac optimum quod non album, ſed cui color liuidus & plumbeus, quî dici poteſt alluſum ad eam confecturam? Certè Arabs ille, quiſquis eſt, nulla veritatis ſpecie loquitur. Adde, lac ſumi ſolitum ad euomenda venena, tantùm abeſt vt in eo dari venenum debeat; facilè enim egereretur. Sed iam ad viam.

4. AC SI STILLICIDIA.] Ego adimerem voculam *ſi*, vt non neceſſariam.

B 399. 4. LIBACVNCVLO.] Vvouer. ex codice antiquo legit *ranunculo*. Iunius ex coniectura *lucunculo*. & explicat eſſe *lucunculum* genus operis piſtorij. nam *lucuns* Varroni, & *leucanter* Feſto eſt opus piſtorium, ita dictum ἀπὸ τοῦ λευκοῦ, ab albedine. Ergo ab *lucuns* per formam diminuentem *lucunculus*, cuius mentio apud Afranium Fratriis, cuius verba: *Piſtori nauat, cur non ſcribilitario, vt mittat fratris filio lecunculos?* Producit etiam Iunius Apuleium, & Athenæum. quæ omnia accepit à Turnebo lib. 18. c. 20. Hæc tamen ad rem Tertulliani otioſa ſunt. Nam cùm præmittat mentionem mellis ſtillantis, conſequens eſt vt meminerit Vaſculi. Eſt enim ſenſus, ſpectacula habenda inſtar ſtillarum mellis, quæ defluunt ex poculo venenis imbuto. Itaque non video, cur non debeat vulgaris lectio retineri. & quidem ſimiles formæ in vſu ſunt Scriptoribus medij ævi. Vt cùm pro penicillo aut peniculo Sidonius lib. 3. epiſt. 7. dixit *pigunculum* à pingendo. Vide Sauar. Cur non ergo à libando *libancunculum*? Nam ſi ſæuitia criticorum admittatur mutantium auctorum verba pro libidine, ego quoque reſcriberem *lenunculo*, eſt enim vaſis genus, inde & piſcatorij lenunculi, id eſt, ſcaphulæ apud Ammian. lib. 14. & lib. 1. Scriberem etiam *barrunculum*, quod eſt vinarij vaſis genus, vt ſcribit Turnebus in Comment. orat. 1. ad Rullum.

C

400. 4. NEC TANTI GVLAM FACIAS VOLVPTATIS.] Reſcribit quidam: *Ne tanti gulam facias voluptatis.* & vocem *voluptatis* regit ab χάειν Græca ellipſi. vt dicat, ἡδονῆς χάειν, id eſt, Ne tanti gulam facias gratia voluptatis. Sed acumen hoc neceſſarium non eſt, nam ſequentia meliùs cohærent cum vulgata lectione.

D 4. QVANTI PERICVLVM.] Vvouer. ex antiquo codice coniungit verbum ſequentis capitis, vt dicat, *quanti periculum per ſuauitatem.* neque diſplicet; nam vt periculum reſpondet gulæ, ita ſuauitas voluptati; quia ſicut gula eſt voluptuoſa, ita periculum ſuaue. & deinde commodius eſt, vt caput ſequens incipiat à verbo *ſaginentur*. & ita excudi fecimus.

CAP. XXVIII. ARGVMENTVM.

Christianorum gaudia longè alia sunt à gaudijs Gentilium.

TERTVLLIANVS.

401. I. SAGINENTVR eiusmodi dulcibus conuiuæ sui, & loca & tempora & inuitator ipsorum est. Nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt: non
Ioann. 16. possumus cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum. Vicibus dispositа res est, nunc illi lætantur, nos conflictamur. Seculum (inquit) gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo dum ethnici gaudent, vt cùm lugere cœperint, gaudeamus: ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es Christiane, si & in seculo voluptatem concupiscis; imò nimiùm stultus, si hoc existimas voluptatem.

EXPLICATIO.

402. I. CONVIVÆ *sui*, id est, conuiuæ diaboli. *& loca, & tempora, & inuitator ipsorum est.* Horum miserorum conuiuarum sunt loca spectaculorum, vitæ huius tempora, demum diabolus ipse qui illos inuitat. *Nostræ cœnæ*, &c. Cum oppositione ad præcedentia. q. d. Tempus vitæ huius Gentilibus est ad lætitiam, non Christianis. *Vicibus dispositа res est*, debet esse rerum vicissitudo. *Nos conflictamur* propter tormenta & agones Martyrum. *Seculum (inquit) gaudebit*, firmat rem à verbis Christi. *Delicatus es*, &c. Est enim delicatuli velle lætari & in hac & in futura vita. *Et in hoc seculo.* est hîc & idem quod etiam. *Imò*, correctio.

403. 2. Philosophi quidam hoc nomen quieti & tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea auocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi metas, & scenas, & puluerem, & arenas suspiras? Dicas velim, Non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quàm quod
Philipp. 1. & Apostoli, exire de seculo & recipi ad Dominum? Hîc voluptas, vbi & votum.

404. 2. *Philosophi quidam*, videlicet Epicurei. *Hoc nomen*, voluptatis. Dicit, Epicureos *quietem* & *tranquillitatem* affecisse nomine voluptatis. *In ea auocantur*, scilicet ab occupationibus, & negotiis molestissimis. *Tu mihi*, emphaticè. q.d. Philosophi Gentiles putabant voluptatem positam in quiete, & *tu* Christianus suspiras? &c. *Mihi*; vsitatissimus Hellenismus. *Metas*, propter Circum; *scenas*, propter Theatrum; *puluerem*, propter stadium; *arenas*, propter Amphitheatrum. *Non possumus viuere*, &c. Dignissima hæc quæ expendantur, vt etiam explicatio Apostoli. Cùm enim dixerit *cupio dissolui*, eo ipso putauit Christiani voluptatem positam in morte: nos ergo tali exemplo idem putemus, ac perinde spe voluptatis habendæ in morte poterimus præcedentem vitam sine voluptate habere.

NOTÆ.

405. I. SAGINENTVR DVLCIBVS.] Non satis hoc probabam, & ego *saturentur* scriberem, non *saginentur*. nam ex comparatione superioris capitis, ad quam alludit, & ex mentione mellis, quæ præcessit, dulciaria videtur intelligere: atqui ex dulciariis nũquam sagina, vel ex illo Aristot. in Problem. *Ἧττον πλησμονὴ ἀπὸ τῶν γλυκέων*, *citiùs satiamur à dulcibus*. & mera quidem sagina à carneis est. Inde signatè Hieron. 2. Iouin. *sagina carnium*. Sed defendi potest Tertull. imò debet; nam condîta illa pulmenta, & bene saporata, ac plurimùm dulcia superioris capitis, non necesse est vt accipiantur de dulciariis, sed verissimè de pulmentariis, à quibus certissima sagina. Nec verò nouum est condîta carnea, & pulmentaria, & sagimina dici posse dulcia. Corip. l. 3. apparatum conuiuij Iustini Principis vocat *dulces epulas*, & post aliqua,

--dulcia Bacchi
Munera. & millena.

1. CONVIVÆ SVI.] Inueniunt hîc forensem locutionem, nam *conuiuæ sui*, vt hæredes sui, & similia.

1. NON POSSVMVS CVM ILLIS DISCVMBERE.] Ita legendum ex M. S. Vvoueren. non vt A in vulgatis, *possum*.

1. VICIBVS.] Sic Plaut. captiu. *heri vicem meãque*, pro, *vicissitudinem*. Et Aldhelm. de Virg. c. 17. *Alternis vicibus disputans altercaretur*. Puto autem sermonem ductum Tertulliano à militibus, qui obeũt vigilias, quas Virg. 9. Æn. *vices* vocat, 406.

---vigiles simul excitat, illi
Succedunt seruántque vices.

Ergo, vt qui vigilant in labore sunt, alij in quiete: ita Tertull. *Vicibus dispositа res est, nunc illi lætantur, nos conflictamur.*

1. NVNC ILLI LÆTANTVR, NOS CONFLICTAMVR.] Apto huic loco locum Hieronym. 2. Iouin. vbi consimiliter: *Quoscunque formosos, quoscunque calamistratos, quos crine compositо, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt, imò inter tuos sues gruniunt. De nostro grege tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius seculi.* Ambros. ita exhortatur fideles serm. 17. *Omni studio Gentilium festiuitatem & ferias declinemus, & quando illi epulantur & læti sunt, tũc nos simus sobrij atque ieiuni, quo intelligant lætitiam suã nostra abstinentia cõdemnari.* Huc etiam pertinet locus Sidonij epist. 6. l. 7. *Ordinis res est, vt dum in hac figurata*

Babylonis fornace decoquimur, nos cum Ieremia ſpiritualem Hieruſalem ſuſpirioſis plangamus vlulatibus: & Aſſur faſtu regio tonans Sanctorum ſancta proculcet. Videatur & de hac re exoursus Greg. Nyſſeni tract. 1. in Pſalm. c. 6. Et Macarius Hom. 5. ab eo loco, *Chriſtianorum mundus alius eſt*, &c.

1. GAVDEBIT.] Ita de Spectaculis Saluianus, Martialis, Ammianus. huc pertinent *delicia* & *voluptas*, quæ obuiæ in Martiali. Ioann. Chryſ. hom. 5. ad Pop. τέρψιν dat theatro.

407. 1. SI HOC EXISTIMAS VOLVPTATEM.] Reſcribunt, *ſi hanc exiſtimas voluptatem*, ſed peſſimè. Alij rectiùs, *ſi hoc exiſtimas voluptati*, pro, ſi hoc ducis voluptati. Sed errant tamen. Veriſſima lectio eſt vulgaris, *ſi hoc exiſtimas voluptatem*, eſt enim tritus Helleniſmus, vt ſuprà cap. 24. *Hoc erit pompa diaboli.*

2. PHILOSOPHI QVIDAM.] Ita volui, vt etiam alij, pro eo, quod in vulgatis eſt, *quidem.*

2. MORI CVM VOLVPTATE.] Hoc vt certum ſupponit de Chriſtiano, qui bonus. Idipſum patres alij putauere. Ioann. Chryſoſt. Hom. 18. ad Popul. de homine, cui mens bona, & pura conſcientia, ἡ τότε (θανάτου) προσδοκία οὐ μόνον αὐτὸν οὐ λυπεῖ, ἀλλὰ καὶ εὐφραίνει μᾶλλον: *huius* (mortis) *expectatio non tantùm ipſum non contriſtat, verùm & potiùs delectat.* Nō aliter loquitur Cyprian. lib. de Mortalitate: *Quis non A triſtitia carere optet?* id eſt, vita. *Quis non ad lætitiam venire feſtinet?* id eſt, ad mortem. Macarius Hom. 5. *Qui re vera & ſtrenuè Chriſtiani ſunt, confidunt, & gaudent migrantes è corpore*, &c. Et de ipſis adhuc Gentilibus Ambroſ. lib. de Fidei Reſurrect. *Eos qui in hoc vitæ ſalum veniſſent, mœrendos putabant: eos verò, qui ex iſtius mundi procellis & fluctibus emerſiſſent, non iniuſto gaudio proſequendos arbitrabantur.* Obſeruare hoc à Seneca huius rei pleniſſimo ocioſum erit.

2. HIC VOLVPTAS VBI ET VOTVM.] 408. Ita ſcripſi ex M.S. Vvouer. pro eo, quod in vulgatis eſt, *hæc voluptas.* Sed melius adhuc eſſet, *ibi voluptas vbi & votum.*

2. VBI ET VOTVM.] Iunius particulam ſequentis capitis *iam* coniungit cum fine iſtius, & legit: *Vbi votum iam. Nunc*, &c. Non placet ex infinitis locis vnus Tullij, qui cùm ad res alias tranſit incipit à particula *iam*. Aduoco exemplum ab Manliana. Cùm præmiſiſſet res quatuor debere eſſe in ſummo Imperatore, ſcientiam, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Cùm poſt ſcientiam tranſit ad virtutem, arripit hanc vocula m vt idoneam: *Iam verò virtuti Cn. Pompeij quæ poteſt par oratio inueniri?* Sic Tertull. caput ſequens exorditur: *Iam nunc ſi putas*, &c. Vbi plena eſt & grauis oratio, non ita, ſi incipias, *Nunc ſi putas.*

C

CAP. XXIX. ARGVMENTVM.

Chriſtianorum gaudia maiora adhuc ſunt gaudijs Gentilium.

TERTVLLIANVS.

409. 1. IAM nunc ſi putas delectamentis exigere ſpatium hoc, cur tam ingratus es vt tot & tales voluptates à Deo contributas tibi ſatis non habeas, neque recognoſcas?

EXPLICATIO.

1. PVTAS, notat ignorantiam volentis viuere cum voluptatibus; nam hoc verbum inſipientium eſt. *Exigere ſpatium hoc*, tranſigere ſpatium hoc vitæ. *Ingratus*, præclarè ſatis reducit rem iſtam ad vitium ingratitudinis. *Contributas*, quia multæ tributæ. *Non habeas, neque recognoſcas*, Non habeas fruendo, neque recognoſcas meditando.

410. 2. Quid enim iucundius, quàm Dei Patris & Domini reconciliatio, quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retro criminum venia? Quæ maior voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis, quàm ſeculi totius contemptus, quàm vera libertas, quàm conſcientia integra, quàm vita ſufficiens, quàm mortis timor nullus? Quòd calcas Deos nationum, quòd dæmonia expellis, quòd medicinas facis, quòd reuelationes petis, quòd Deo viuis? Hæ voluptates, hæc ſpectacula Chriſtianorum ſancta, perpetua, gratuita.

2. Numerat luculenter hoc tractu voluptates contributas Chriſtianis, eáſque reducit ad tria capita. Primò ad illas, quas accipiunt qui initiantur ſacris baptiſmatibus: deinde ad illas, quæ comitantur perfectos virtute viros: tertiò ad illas, quæ dicuntur gratiarum diuiſiones, de quibus locutus Apoſtolus 1. Corinth. 12. Primas continet prima periodus; alteras altera ab illo, *Quæ maior voluptas*; tertias tertia ab illo, *Quod calcas.* Inde triplex illa vox in exitu, vbi ſpectacula Chriſtianorum dicuntur *ſancta*, quia ſacra baptiſmalia nos ſanctificant: *perpetua*, quia vitæ bonæ & perfectæ curſus eſſe debet perpetuus vſque ad mortem, ideò in illam deſinit, non vt humana ſpectacula, quæ ſæpe intercipiuntur: demum *gratuita*, quæ vox vnicè conuenit diuiſionibus gratiarum. Hæc ſententia integra: in Notis erit quicquid notatu dignum.

411. 3. In his tibi ludos Circenſes interpretare, curſus ſeculi intuere, tempora labentia dinumera, metas conſummationis expecta, ſocietates Eccleſiarum defende, ad ſignum Dei ſuſcitare, ad tubam Angeli erigere, ad martyrij palmas gloriare.

3. Post recensitas voluptates Christianorum transit ad quatuor genera ludorum, quæ semper inducit, incipítque à Circensibus. Sententia est: *In his* voluptatibus & spectaculis Christianorum *interpretare tibi ludos Circenses*, id est, quidquid est plenum gustu in ludis Circensibus redige & confer ad voluptates Christianas. v. g. In Circo sunt cursus, tu ergo, *cursus seculi intuere*: ita de aliis. Vide Notas.

412. 4. Si scenicæ doctrinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis vocum: nec fabulæ, sed veritates; nec strophæ, sed simplicitates.

4. Adhibet secundo loco Theatrales ludos, in quibus si delectat doctrina Poëtarum, cur non potiùs delectent litteræ sacræ paginæ, vbi nobis satis litterarum, doctrinarum, disciplinarum? pro versibus illorum, *satis* nobis *versuum* in psalmis Dauidicis; pro sententiis illorum, *satis sententiarum* in Salomone, & alibi; pro vocibus cantorum in scena, *satis vocum* in Ecclesiarum choris. Pro illorum comicis fabulis, nobis *veritates* sunt; pro illorum strophis nobis *simplicitates*.

413. 5. Vis & pugilatus & luctatus? præsto sunt non pauca, sed multa. Aspice impudicitiam deiectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sæuitiam à misericordia contusam, petulantiam à modestia adumbratam, & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur.

5. Adhibet tertio loco ludos Xysticos stadij, & ait plures in re Christiana & clariores *pugilatus* ac *luctatus* esse, quàm in stadio: nam *castitas deiicit* impudicitiam, vt solet luctator suum hostem; deinde *fides cædit perfidiam*, & *misericordia contundit sæuitiam*, ad eum modum quo pugnans cæstibus cædit, & contundit aduersarium; *modestia* etiam *adumbrat*, id est, obscurat petulantiam, illámque tenebris opacat, ne tale vitium clarum sit inter homines. Denique ait propter hos *agones* (id est, certamina) feliciter confectos *coronari* Christianos, vt hi qui victores erant in stadio.

414. 6. Vis autem & sanguinis aliquid? habes Christi.

6. Postremum hoc respicit sanguinarios gladiatorum ludos. Ergo Christiani, qui delectantur sanguine, cur quærant alium, quàm Christi? Sensus esse potest, vt Christiani delectentur vel contemplantes sanguinem qui manauit à corpore pendentis Christi, vel sumentes Eucharisticum; vel vtrumque.

NOTÆ.

415. 1. PVTAS.] De hoc verbo, cùm notat stultitiam, dicebam ad Virgil. Vide ibi abundanter.

1. SATIS NON HABEAS.] Forensis locutio.

2. DEI PATRIS ET DOMINI.] Legerem, *Dei patris & hominis reconciliatio*. Sed nihil muto.

2. QVÆ MAIOR VOLVPTAS, &c.] Hæc periodus vnicè pertinet ad viros religiosos.

2. QVÒD CALCAS DEOS NATIONVM, &c.] Pamelius periodum istam ita conformat ad gratias gratuitas. Donum sapientiæ, quo *calcas Deos nationum*: operatio virtutum & fides, qua *dæmonia expellis*: gratia sanitatum, qua *medicinas facis*: donum prophetiæ, quo *reuelationes petis*: discretio spirituum, qua *Deo viuis*. Sed possunt certè horum aliqua aliò referri. Nam *calcare Deos nationum*, esse poterit, vitia pessumdare, quæ sunt Dij gentium. *Deo viuere*, potest respicere Paulum, qui non sibi, sed Deo viuebat. De reuelationibus dicam statim.

416. 2. QVÒD REVELATIONES PETIS.] Malunt aliqui *peteris*, Græca locutione, vt dicat, consuleris, & petuntur à te reuelationes. Quid si *reuelatione potis*, vt dicat potens in reuelationibus, quod proprium prophetarum. Sed nihil muto. Etenim frequentissimas fuisse in primitiua Ecclesia reuelationes viris sanctis satis apparet ex Dionysio Areopag. epist. 8. vbi scribit virum sanctissimum Carpum nunquam accessisse ad celebranda diuina mysteria, nisi priùs ἱερᾶς τινὰ ἐνυπνίοις ὀφείλοντος ὑπαινιττόμενος: *Sacra & læta apparente visione*. Inde fit, vt non necessariò cum A Pamelio deriuari Tertullianus ad prophetias debeat, sed ad illustrationes & illuminationes animi.

3. TEMPORA LABENTIA DINVMERA.] Refert Pamelius ad illud Cassiodori lib. 3. epist. 51. qui de Circo ita: *Nec vacat quòd viginti quatuor mensibus conditio huius certaminis expeditur, vt diei noctisque horæ tali numero clauderentur*. Iunius verò ad colores quatuor, album, prasinum, russeum, venetum, in quibus repræsentata quatuor anni tempora; hyems albo, ver prasino, æstas russeo, autumnus veneto. & addo referri posse sententiam ad illud cap. 16. *Tardus est illi Prætor, semper oculi in vrna eius cum sortibus volutantur, dehinc ad signum anxij pendent*.

3. SOCIETATES, &c.] In *societatibus* respicit ad factiones Circi: in *signo* ad mappam: de *tuba* in B Circo iam suprà: demum cùm ait *palmas*, etiam respicit ad palmam Circi, id est, victoriam & gloriam. sic enim explico: nam Plinius lib 8. c. 42. loquens de ingeniis equorum: *Claudij Cæsaris Secularium ludorum Circensibus, excusso in carceribus auriga, albati equi palmam occupauêre, primatum obtinuêre*. Et quidem *palmam* dici de victoria & gloria iam in Æneidem. 417.

4. STROPHÆ.] Explico technæ & fraudes, sed cum respectu ad strophas & odas histrioniæ, quibus oppositæ antistrophæ, & antodæ. Sed, vt dixi, hîc fraudes sunt, & ita etiam accipit hunc locum Carol. Pascal. lib. 1. de Cor. c. 11. firmátque à Prudent. qui Præfat. in Apoth.

Væ captiosis sycophantarum strophis.

Ab Hieronym. qui epist. 50. l. 1. captiunculas hæreti-

corum vocat *ſtrophas*. ab Plinio, qui epiſt.18.l.1. *Ego aliquam ſtropham inueniam, agámque cauſſam tuam.* Et certè nullo opus firmamine, vbi audis oppoſitionem, *ſimplicitatum*. Volui hæc multis, ne quis putet accipi merè ſtrophas comicas, ſatis eſt, ad illas fieri alluſionem. Ab Aldhelm. lib. de Virg. c.6. ponuntur ſynonymicè *ſtrophæ & deceptiones*.

5. NON PAVCA, SED MVLTA.] Ita repoſui ex mſ. nam in vulgatis omnibus non aptè *parua*.

418. 5. ADVMBRATAM.] Ita legendum, nam ita ante Pamelium, vt ipſe fatetur, nec oportuit mutare: nam *adumbro*, idem eſt, quod *obumbro*, ſcilicet vmbras offundo rei alteri, illámque opaco, atque inumbro. Columella lib.5. c.5. *M. Columella patruus meus palmeis tegetibus vineam adumbrabat.* quod verbum poſtea explicat per verbum *opaco*, ſubiiciens, *vt niſi tegminibus vites opacentur.* Hactenus de lectione, ſed in ſententia certè hæreo, nam ad quam rem ſtadij alludat (& verè ad aliquam alludit, niſi ineptus eſt) nondum video. Cùm enim in verbis *deiectam, cæſam, contuſam*, res ſtadij ſpectet, cur non & in iſto? Dupliciter ſoluo nodum. Erat artis athleticæ (hæc ſemper in bello frequentiſſima) aduerſarij vultum & oculos Soli obiicere, vt luce ipſa impediretur; at tunc neceſſariò alter vmbram iaculabatur in eum. Cùm ergo hæc eſſet pars victoriæ, potuit Tertull. dicere, *petulantiam à modeſtia adumbratam*, id eſt, victam. Deinde athletæ celebrabantur grandi corpore, vt apparet in Darete & Entello apud Virgilium. de illo,

---caput altum in prælia tollit. de iſto,

Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.

Hæc granditas, quæ tota ad victoriam, obumbret neceſſe eſt aduerſarium: magni quippe inumbrant paruos. Ergo modeſtia, quæ ingens & verè athletica inumbrat petulantiam minorem ſe, quæ res ad victoriam aſpirat. Hæc ego cogitabam, ſi quid tu melius, adiunge. Aliquando ſubiit legendum *adumbatam*, id eſt, vmbone propulſam; cui lectioni acquieſcerem, ſi in ſtadio mentio aliqua vmbonis, quam fruſtra quæras, cùm à nudis ibi pugnaretur.

5. CORONAMVR.] Quis neſcit coronas Gymnicas ſtadij? imò de his vnis dictæ coronæ, κατ' ἐξοχήν. Id perſequi ocioſum, imò putidum. Inde Hieronym. 2. Iouin. dum quærit verborum conſequutiones, luctatoribus dat coronas, ad eum modum, quo nauigantibus portum, & pugnantibus triumphum. 419.

6. HABES CHRISTI.] Impurus qui ſum, quî poſſum loqui de Chriſti ſanguine?

CAP. XXX. ARGVMENTVM.

Spectaculum omnium maximum iudicij dies.

TERTVLLIANVS.

420. 1. QVALE autem ſpectaculum in proximo eſt aduentus Domini iam indubitati, iam ſuperbi, iam triumphantis? Quæ illa exultatio Angelorum? quæ gloria reſurgentium ſanctorum? quale regnum exinde iuſtorum? qualis ciuitas noua Ieruſalem?

EXPLICATIO.

1. IN explicando hoc capite tantùm ſi quid difficile eſt, attingam, ab ſcholiis abſtinebo, ne meis ſordibus inquinem altiſſimum ſtilum. *In proximo*: ſequitur vſum ſcripturæ. Nam Philipp.4. *Dominus prope eſt.* & Apocal. vlt. *Ecce venio velociter.* Ita & de iudicij die ſemper alij patres, in primis M. Gregorius. *Iam ſuperbi*, in bonam partem, id eſt, ſuperantis omnes, dominantis ſupra omnes. Particula *iam* miram habet emphaſim. q. d. Tunc iam nemo dubitabit Chriſtum eſſe Deum, ſuperiorem, triumphatorémque, vt dubitatum olim, cùm viueret inter homines humilis, & inglorius.

421. 2. At enim ſuperſunt alia ſpectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus inſperatus, ille deriſus, cùm tanta ſeculi vetuſtas, & tot eius natiuitates vno igne haurientur.

2. *Alia ſpectacula*, quia in die iudicij non erunt ſolùm lætabunda illa ſpectacula ſuperioris tractus, ſed alia complorabunda ab igne deuaſtaturo orbem. *Perpetuus*, quippe decreta eo die perpetua erunt. *Inſperatus*, non ſperant, imò rident nationes reſurrectionem mortuorum. *Natiuitates*, explica rerum omnium generationes. Itaque, ne ad homines tantùm determines. Huic explicationi facilè aſſentietur qui legat cap.3. epiſt.2. Petri, vbi: *Cœli de magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.*

422. 3. Quæ tunc ſpectaculi latitudo? quid admirer quid rideam? vbi gaudeam, vbi exultem ſpectans tot ac tantos reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipſo Ioue, & ipſis ſuis teſtibus in imis tenebris congemiſcentes? Item præſides, perſecutores Dominici nominis ſæuioribus quàm ipſi flammis ſæuierunt, inſultantibus contrà Chriſtianis, liqueſcentes? Quos præterea ſapientes illos Philoſophos coram diſcipulis ſuis vnà conflagrantibus erubeſcentes, quibus nihil ad Deum pertinere ſuadebant, quibus animas aut nullas, aut non in priſtina corpora redituras affirma-

bant? Etiam Poëtas, non ad Rhadamanthi, nec ad Minoïs, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes?

423. 3. *Latitudo*, explicabit statim quæ sit latitudo ista. *Quid admirer? quid rideam?* Quæ sequuntur digna sunt partim admiratione, partim risu; vel potiùs digna sunt omnia & admiratione simul & risu. *Vbi gaudeam, vbi exultem*, explica, cùm gaudeam, cùm exultem spectans, &c. *Spectans tot*, &c. En illa latitudo spectaculorum quadrimembris. Spectabuntur *Reges*, qui putati Dij; deinde *præsides*, qui persecuti Christianos; tertiò *philosophi*, qui docuerunt contra doctrinam Christi; demum *poëtæ*, qui palpitabunt. Et credo adhiberi notantissimè quatuor spectacula cum oppositione ad quatuor illa, quæ toto hoc libro exagitat. Habes integram sententiam, percurro quædam. *Testibus*, videlicet illis qui testificati mentitam illorum Regum diuinitatem. Quinam hi sint diuinare ipse potes me tacente. *Item præsides*, subaudi, spectans. *Quos præterea sapientes*, id est, quos præterea spectabo sapientes, &c. *Aut nullas*, propter illos, qui mori cum corpore putabant animas. *Etiam poëtas*, &c. Id est, quos etiam spectabo Poëtas? *Rhadamanthi*, *Minoïs*: hi duo iudices inferorum putati à Gentilibus. *Inopinati*, palpitabunt scilicet ad tribunal Christi, quem iudicem summum fore nunquam opinati sunt, vt qui Minoëm & Rhadamanthum iudices sperabant. Potest etiam referri sententia ad inopinatum Christi aduentum, nam iudicij dies erit vt fur. Sed primum credo.

424. 4. Tunc magis Tragœdi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate: tunc histriones cognoscendi, solutiores multò per ignem: tunc spectandus auriga, in flammea rota totus rubens: tunc Xystici contemplandi non in gymnasiis, sed in igne iaculati: nisi quod ne tunc quidem illos velim visos, vt qui malim ad eos potiùs conspectum insatiabilem conferre, qui in Dominum desæuierunt.

425. 4. Inducit iam quatuor illa genera spectaculorum, de quibus in hoc opere perpetuus sermo. Incipit à *Theatro*, in quo tragœdi & histriones: inde transit ad *Circum*, in quo aurigæ: tertiò ad *stadium*, vbi Xystici: demum ad *Amphitheatrum*: vbi dominata sæuitia gladiatorum. Percurro *vocales*, videlicet vasta voce vsi semper Tragœdi, & tunc miseri vocaliores erunt & vociferantiores cùm proprias calamitates querentur. *Solutiores*, solutissimæ vitæ habiti histriones, tunc solutiores erunt, cùm soluentur cruciabuntúrque igne. *Rubens*, alludit ad factionem coloris russati, aut russei, & sententia est clara, sed videtur mihi indicare, tunc ex quatuor illis coloribus Circi vnum tantùm superstitem fore, scilicet russeum ab rubente gehennæ igne. *Gymnasiis*, ita dicuntur loca stadij ab athletis Gymnicis, id est, nudis, quia nudi pugnabant. *Iaculati*, acumen præclarum. Certabant gymnici in stadio ludebántque multis, tum iaculo, & sagittandi peritia, vt iam suprà. Ergo ait, non iam miseri iaculabuntur sagittas in stadio suo, sed ipsi iaculati erunt, ludetur cum ipsis pro stadio in igne. Itaque ignis iam erit stadium, quo illi non iactabunt iacula, sed iactabuntur vt iacula. *Nisi quod*, &c. Credo postrema ista dici cum aspectu ad Amphitheatrum, vt constet sibi Septimius, qui semper nominat quatuor spectaculorum genera. Ducit me in hanc mentem verbum *desæuierunt*, quod vnicum Amphitheatri, in quo dominata sæuities, vt vidisti sæpè, sed præcipuè cap. 19. huius operis. Ergo attribuit Tertullianus sæuitiam gladiatorum vnis Iudæis, qui in Dominum sæuierunt, & hos ait auidiore tunc visu se contemplaturum.

426. 5. Hic est ille (dicam) fabri aut quæstuarij filius, Sabbathi destructor, Samarites, & dæmonium habens. Hic est, quem à Iuda redemistis. Hic est ille arundine & colaphis diuerberatus, sputamentis dedecoratus, felle & aceto potatus. Hic est, quem clam discentes surripuerunt; vel hortulanus detraxit, ne lactucæ suæ frequentia commeantium læderentur.

5. Insultat Iudæis conferens in ipsos, quæ ipsi olim in Christum per contumeliam. *Hic est ille*, &c. Hic, qui vos iudicat & condemnat, est ille quem vos dicebatis esse filium *fabri*. Ita de reliquis. *Redemistis*, emistis precio. *Discentes*, id est, discipuli. *Ne lactucæ*. Iactatum fortasse tunc istud à Iudæis, cùm mentionem hortulani viderent in Euangelio. Et magnum certè argumentum vulgaris huius loquelæ, scribit à Tertulliano.

427. 6. Vt talia spectes, vt talibus exultes, qui tibi Prætor, Consul, aut Quæstor, aut Sacerdos de sua liberalitate præstabit? Et tamen hæc iam quodammodo habemus per fidem spiritu imaginante repræsentata. Cæterùm qualia illa sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Credo, Circo & vtraque Cauea, & omni stadio gratiora.

428. 6. *Vt talia spectes*, &c. Quasi è contrario dicat, Non tibi opus ad cernenda hæc spectacula gentilicis illis editoribus, qui sua liberalitate edebant ludos. Hi editores erant sæpè & Magistratus & Sacerdotes. *Qui* pro quis frequentissimo vsu Tertulliani. *Et tamen hæc iam*, &c. Poterat obiici: Hæc tua spectacula Tertulliane, longissimè absunt. Respondet: Habemus illa præsentia per fidem, & illis iam nunc fruimur spiritu imaginante. *Cæterùm qualia*, &c. Vltimo loco ponit illa spectacula, quibus fruituri in cœlo Christiani, imò non ponit, sed admiratur, nam *qualia illa sunt, quæ nec oculus*, &c. Absoluit tandem hæc spectacula esse gratiora *Circo, Cauea vtraque*, id est, Theatro, & Amphitheatro, *& omni stadio*. Non sibi hîc defuit Tertullianus, nam in extremis verbis intulit quatuor illa spectacula toties in hoc opere decantata.

NOTÆ.

429. 1. SVPERBI.] Exempla huius vocis in bonam partem, alij congesserunt; & nos quoque aliqua in Æneidem. Ita & Sidonio epist. 12. l. 3. dicitur *virtus superba* in bonam partem. Et in ipso sacro eloquio non semper vox ista malè audit. Nam Sapient. 8. Sapientia ipsa ita loquitur: *Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitiæ.* Quid quòd *superbus* à Græco ὑπέρϊος, quæ vox nec semper malo illo significato, vt cùm Hesiod. in ἔργ.

--- ὑπέρϊον ἄχθος.

Neque hîc absona: nam die illa Deus super omnium vitas peculiari quadam energia. Et deinde præcipuè vox ista conuenit Deo vt iudici, cui in ore gladius bis acutus, oculi flammei, & reliqua, quibus à Ioanne describitur Apoc. 1. illa enim ad terrorem: Cui incutiendo vox *superbiæ* aptissima.

430. 1. QVÆ ILLA EXVLTATIO ANGELORVM.] De cultu fœminarum cap. 7. *Atque vtinam miserrimus ego, in illo die Christianæ exultationis, vel inter calcanea vestra caput eleuem*, &c.

2. INSPERATVS.] Potest alludere ad illud de *fure*, quod verbum vide vt expendat Ioann. Chrys. Hom. de diabolo tentatore.

2. DERISVS.] Ita certè nationes. Origenes lib. 1. contra Celsum, τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον θρυλλεῖται γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων: *Resurrectionis mysterium vulgò ridetur ab infidelibus.* Minutius: *Aniles fabulas astruunt & annectunt, renasci se ferunt post mortem, & cineres, & fauillas. Et nescio qua fiducia mendaciis suis inuicem credunt: putes eos iam reuixisse.*

431. 3. QVÆ TVNC SPECTACVLI LATITVDO? QVID ADMIRER? QVID RIDEAM? &c.] Cum hoc loco mirè congruit Eusebius Gallicanus Episcop. Hom. de Ascensione: *Et quid de nobis erit, si cum talibus ornamentis processuri sumus in illum conuentum omnium Sanctorum? Qui dies ille? quæ trepidatio? quæ terræ & cœli spectatio erit, cùm inter aliorum præclara gesta & illustria merita, aliorum probra & dedecora proferentur? & quid grauius, quid intolerabilius, quàm si illo tempore malorum ignominia reueletur, quo bonorum gloria manifestabitur? Multò enim inuidiosior & damnabilior erit causa criminum sub assistentium comparatione virtutum. Quid erit terroris? quid miseriæ, quid mœroris, quando sub illo admirabili Apostolorum martyrúmque concilio, sub illo Angelorum sidereo ac præfulgente conspectu, cum rubore veterum delictorum diuersis tetra maculis anima producetur? Quãdo latissimam iniquitatum suarum, confusibilémque vitæ totius historiam ante oculos suos videbit exponi, vt illam inaudita clamantium vox malorum conscientia obmutescente & deficiente condemnet?*

432. 3. IN COELVM RECEPTI.] Indicat gentilicas apotheoses: illustre exemplum est in Herodiano loquente de Seuero, qui vixit æuo Tertulliani. Iustinus Martyr Apolog. 2. ἢ τί γὰρ τοὺς ἀποθνήσκοντας παρ' ὑμῖν αὐτοκράτορας ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦντες, ἢ ὁμωνύμῳ τινὰ πυρὰ φέρετε ἐκφανίναι ἐκ τῆς πυρᾶς ἀνερχόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν καταφέροντα Καίσαρα; *Porro cur morientes apud vos imperatores semper immortalitati consecrare dignamini, producentes quempiam, qui iureiurando confirmet, vidisse se è rogo in cœlum ascendere ardentem Cæsarem?* Sanè in Augusti funere, ac postea in Drusillæ idem fuisse affirmatum à viris ordinis Senatorij, constat ex Suetonio & Dione.

3. FLAMMIS.] Similis pœna statuitur à Iulio Firmico, de errore profanæ religionis cap. 16. *Stat sententia, manet pœna, ignis imminet, ignis vrget, quem vitare non poterit. Iam parturit flamma cœlestis, iam diuina animaduersionis monstratur aduentus, iam futuræ cladis nuntiatur exitium, in hoc incendio Palladium latebras inuenire non poterit, ignis iste scrutatur abdita, quærit absconsa; & quicquid errantis hominis vanis persuasionibus perdidit, rapida flammarum populatione complectetur.* Agit porro de incendio, quo deuastandum est Palladium.

3. INSVLTANTIBVS CONTRA CHRISTIANIS.] Sic legi volui cum Pamelio, non *Christianos*, vt priùs. Sed & Vvouer. ex vetere codice lectionem aliam suppeditat, quam ipse verissimam arbitratur, scilicet: *Item præsides persecutores Dominici nominis contra Christianos sæuierunt, flammis insultantibus liquescentes.* Sed tantam licentiam non fero. 433.

3. QVOS PRÆTEREA SAPIENTES.] Libenter adimerem voculam *quos*, & adimit Vvouer. ex veteri codice.

3. CONFLAGRANTIBVS.] Hoc malum canit gentilibus, qui putabant non esse resurrectionem. Non sic est, resurgetis, sed ad pœnam. Ita etiam Hilarius canone 5. in Matth. *Requies nulla gentibus, neque mortis, vt volunt, compendio quies dabitur, sed corporalis & ipsis æternitas destinabitur, vt ignis æterni in ipsis sit æterna materies, & in vniuersis sempiternis exerceatur vltio sempiterna.*

3. AD RHADAMANTHI.] Tatianus aduersus Græcos: Διαφέρουσι δὲ ἡμῖν οὐ Μίνως, οὐδὲ Ραδάμανθυς.

3. MAGIS VOCALES.] Vide suprà ad cap. 25. ad illud *Tragœdo vociferante.* Similiter Hippolytus Martyr sermonem de extremo iudicio concludit cum his, qui *spectacula, saltationes, in sublime iactationes* exercent. Arnobius lib. 7. ait Scenicos frustra vocifecrari. Persius per verbum *hio* hoc expressit,

Fabula seu mœsto ponatur hianda Tragœdo.

Et Prudentius in Symmachum per *anhelo*, dixit enim,

Vt Tragicus cantor ligno tegit ora cauato,
Grande aliquid cuius per hiatum carmen anhelet.

Athenæus dixit, ἐνθουσιᾷν.

4. IN FLAMMEA ROTA TOTVS RVBENS.] Non hinc abit Macarius, aut eius interpres Hom. 2. vbi amictum tenebrarum facit *purpureum.*

4. IACVLATI.] Expendatur obiter verbum Iudæ Apostoli, qui in canonica sua dixit *procella tenebrarum.* Ignis itaque inferni est vt maris procella. Ergo vt naufragi iactantur tempestate, ita damnati iactabuntur mari illo inferorum ignifluo. 434.

4. NE TVM QVIDEM.] Ita legi volui, non *nec*, vt in vulgatis omnibus.

5. HIC EST ILLE (DICAM) FABRI, &c.] Ita scilicet insultabant Christo hostes fidei, vt est apud Theodoritum lib. 3. c. 18. Hist. τί ποιεῖ τὸ τέκτονος ὁ υἱός: *Quid rerum gerit fabri filius?* Apud eundem tyrannus quidam ad virum pium lib. 5. c. 38. ἀρνήσῃ τὸ τέκτονος τὸν υἱόν: *negato filium fabri.* Simili planè modo insultat Iudæis Cyrillus Alexand. in epist. ad Monachos Ægypti: τότε γελάσει μᾶλλον ὁ παράφρων Ἰουδαῖος, τότε κυριοκτόνος ἔσται κατ' ἀλήθειαν. ἀλλ' ἀσται δὲ πεφλημμελικὼς, ὃν εἰς ἕνα τῶν καθ' ἡμᾶς, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν τῶν ὅλων σωτῆρα Χριστόν: *Tunc insanus Iudæus incassum ridebit, tunc verissimè occisi Domini reus agetur, tunc illum non in vulgarem quempiam hominem nobis similem sæuisse apparebit, sed in vniuersorum seruatorem Christum.*

5. QVÆSTVARII.] In omnibus codicibus ante Pamelium, & in codice Barræi aliisque omnibus legitur *quæstuaria*, quam lectionem restituendam vult Iunius, eámque defendit: sed esto ea vera sit, reuocare 435.

illam opus non est; imò perpetuo silentio abolenda esset impietas Iudæorum, qui ita ausi contra virginem. Certè apud Theodoritum lib. 3. Hist. c. 11. Felix quæstor thesauri regij Iuliani Apostatæ, cùm vidisset vasa aurea, quibus Christo ministrabatur, ita iactauit insolenter, ἰδοὺ ἐν ποίοις σκεύεσιν ὑπηρετεῖται ὁ Μαρίας υἱός; *Ecce quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur?* Certè si scisset illud de quæstuaria, dixisset. Et Iulianus ipse inter abominandas contumelias, quas ore in Christum iactauit, hanc non siluisset. Dices, Hieronymus qui totum hunc locum ex Tertulliano transtulit, in fine epistolæ ad Heliodorum, sic ait: *Hic est ille operarij & quæstuariæ filius.* Respondeo, in Hieronymo quoque legendum, *operarij aut quæstuarij filius*, nam tametsi vera sit lectio, vt dixi; sed abolenda silentio. Sed non esse veram lectionem Pamelius efficit ex Græco. Etenim *quæstuaria* semper significat, quæ lucrum fecit corpore, & sic dicta est Vlpiano, Glossæ etiam, *quæstuaria*, πορνικὴ πόρνη.

5. HIC EST ILLE ARVNDINE, &c.] Chrysost. in Epist. ad Olympiadem mirè aurea, Christi Optimi Maximi perpessionem narrat: digna est quæ adeatur semper & legatur.

436. 5. COLAPHIS DIVERBERATVS.] Colaphi semper contumelioſi. Ambros. lib. 3. de Virg. loquens de Virgine quadam: *Cùm teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quàm martyr iniuriæ cederet.* Cyrillus Alex. in cap. 2. Amos, τύπτοντες ταπεινὸν πυγμαῖς: *pugnis percutientes humilem.* Et in cap. 5. ἔτυπτον μὲ πυγμαῖς ταπεινὸν, καὶ ἐκονδύλιζον εἰς κεφαλὰς πλουσίων: *pugnis percutiebant humilem, & colaphos impingebant in capita pauperum.* Simeon Metaph. in vita Dionys. Areopag. πληγαῖς οὐ φορηταῖς ὑποβάλλει (ἱερέα) καὶ τὴν τῆς κόρης παίων αὐτῷδεῖ: *subiicit sacerdotem plagis intolerandis, atque in faciem percutiens repellit.* De Christo seruatore Ioann. Chrysost. Epist. ad Olympiadem, αὐτὸν ἐῤῥάπιζεν ὁ δοῦλος. *Verberauit illum colapho seruus.* Petron. Sat. *Colaphis obiurgare puerum.* Adhuc inter Gentiles summa erat pœna. Inde Chariclea iubẽte Arsace (ait Heliod. lib. 8. Hist. Æthiop. διαῤῥαπισθῆναι κελεύσασα, *cùm iussa esset colaphis cædi.* Dixi & de hac contumelia ad librum de Patientia, & suprà in hoc lib. vbi de alapis histrionum. Notanda locutio Quintiliani lib. 6. c. 3. *Colaphum tibi ducam.* Cui similis illa Vlpiani: *si eum seruo pugnum ducere vellem.* Extrema hæc notula Turnebi est. & ego ex Plauti Persa: *colaphum icit:* vbi *icere colaphum* est, quod Vlpianus dicit, *pugnum alicui ducere.* atque ex Terent. Adelph. *Plus quingentos colaphos infregit mihi.*

5. SPVTAMENTIS DEDECORATVS.] 437. Magnum contumeliæ genus. Seneca epist. 14. *Quid aliud quàm vociferatus est Cato, cùm modò per populi leuatus manus, & obrutus sputis, & deportandus extra forum traheretur?* Petron. Satyr. *Nec contenta mulier tam graui iniuria mea, conuocat omnes quasillarias, familiæque sordidissimam partem, ac me conspui iubet. Oppono ego manus oculis meis, nulliſque precibus effusis, quia sciebam quid meruissem, verberibus sputisque extra ianuam eiectus sum.* Nicephorus Constantinopolitanus in Breuiario Historiæ, καὶ ὑπὸ τοῦ λαοῦ παντὸς ὑβρισθῆναι τε, καὶ καταπτυσθῆναι, εἴτε μετ' οὐ πολὺ ἐν τῷ τῆς πόλεως κωνείῳ τῷ κεφαλῷ αὐτὸν ἀποτμηθῆναι προστάξαι: *Et ab vniuerso populo maledictis ac sputis appeti, paulóque post in Cynegio capite truncari imperat.* Eusebius Gallican. Epis. Hom. 6. de Pascha: *Sed fortè hic aliquis in corde suo dicat: Quid hoc est, quòd semetipsam diuinitas humiliauit? Non poterat per virtutem & potentiam brachij sui liberare à potestate diaboli hominem suum, vt necesse non haberet humanum corpus assumere, vt necesse non haberet vniuersæ miseriæ atque damnatæ conditionis iniurias experiri, sputis ac flagellis, contumelijs ac doloribus affici, patibulo crucis affigi?* ita Nicolaus Damascenus de moribus Gentium narrat de Cercetibus, qui vt rem nauicularem magni faciunt, ita animaduertunt in nautas pigros, idque seuerè. Nam si quis scapham regens aberrarit, & vectores in discrimen adduxerit, hunc singuli accedentes conspuunt, & omni contumelia afficiunt.

5. DISCENTES.] Firmaui loco alio hanc lectionem. Hic affero Scribonium Largum in Præfatione: *Hippocrates conditor nostræ professionis, initia disciplinæ ab iureiurando tradidit, in quo sanctum est ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur aut demonstretur à quoquam Medico: longè præformans animos discentium ad humanitatem.* 438.

6. QVI.] Pro quis, vt *aliqui* pro aliquis, quod iam alibi notatum.

6. DE SVA LIBERALITATE.] Demunt præpositionem, nec debent, nam verè Tertullianica est locutio: quam qui ignorat, nihil in eo legit.

6. CAVEA.] In nonnullis codicibus legitur *caula*, quod Barræus monet, & etiam Lipsius lib. de Amphith. c. 2. sed manifesto, vt puto, errore. Cæterùm de Cauea, in duplici significato, pro Theatro & Amphitheatro, dicebam lib. 5. Aen. ad illud,

Hic totum caueæ concessum ingentis.

Vbi protuli testimonia vtriusque significati.

FINIS LIBRI DE SPECTACVLIS.

DE IDOLOLATRIA,

SIVE LIBER X.

ARGVMENTVM.

POST librum de ſpectaculis editum, quamuis adhuc durante perſecutione, cupiens Tertullianus reliquas Idololatriæ ſpecies in vniuerſum tollere, hunc ſibi conſcribendum putauit; ne diutiùs Chriſtiani ignorantia craſſa laborarent, exiſtimantes in ſolo Idolorum cultu Idololatriam conſiſtere.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Omnia crimina deprehenduntur in Idololatria, & ipſa in omnibus deprehenditur.

TERTVLLIANVS.

1. 1. PRINCIPALE crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, tota cauſſa iudicij, Idololatria. Nam & ſi ſuam ſpeciem tenet vnumquodque delictum, & ſi ſuo quodque nomine iudicio deſtinatur, in Idololatriæ tamen crimine expungitur.

EXPLICATIO.

1. PONit initio tria Idololatriæ elogia. Nam primò illa eſt *principale crimen generis humani*, deinde *ſummus reatus ſeculi*, tertiò *tota cauſſa iudicij*. Pergit & probat extremum illud de tota iudicij cauſſa, quod videbatur eſſe difficilius. Nam etiamſi omne *delictum ſpeciẽ* habet qua cõtinetur, & ſuo peculiari nomine ac titulo *deſtinatur* futuro Dei *iudicio*, vt puniatur; tamen quodcunque illud ſit, & ſub quacunque ſpecie, & ſub quocunque nomine, *expungitur*, perficitur, conſummatur in eo crimine Idololatriæ, id eſt, accipit expunctionem, perfectionem, conſummationem ab crimine Idololatriæ.

2. 2. Omitte titulos, operas recognoſce; Idololatres, idem homicida eſt. Quæris quem occiderit? Si quid ad elogij ambitionem facit, nõ extraneum, neque inimicum, ſed ſe ipſum. Quibus inſidiis? erroris ſui. Quo telo? offenſa Dei. Quot plagis? quotquot Idololatrijs. Qui negat Idololatren periiſſe, is negabit Idololatren homicidiũ feciſſe.

2. Poſt generalem propoſitionem, probat peculiariter de multis delictis, quæ inueniuntur in idololatria, & incipit à grauiſſimo homicidij. Sunt *tituli* elogia illa & nomina, quæ reis in cuſtodia affigebantur, vt noſcerentur, aut cùm ducebantur ad ſupplicium. v. g. Qui homicidium fecerat, titulum iſtum præferebat, HOMICIDA. Ergo ait: Ne cura titulos criminum, ſed res criminosè factas, & inuenies Idololatren verè eſſe homicidã. Vt hoc probet, clarum eſt, omitto. Nota ilud de *ambitione elogij*: nam quo maiora delicta, eo tituli ambitioſiores, & grauiores. q. d. Parum eſt dici in titulo ab hoc homicida interfectum aut extraneum, aut inimicum. Vis pompatius quiddam & enormius? ſe ipſum interficit Idololatra. Illi ergo aſcribi poteſt hic titulus, hoc elogium, IDOLOTRA HOMICIDA SVI.

3. 3. Proinde adulterium & ſtuprum in eodem recognoſcas. Nam qui falſis Deis ſeruit, ſine dubio adulter eſt veritatis, quia omne falſum, adulterium eſt. Sic & in ſtupro mergitur. Quis enim immundis ſpiritibus operatus, non conſpurcatus & conſtupratus incedit? Atque adeò Scripturæ ſanctæ ſtupri vocabulo vtuntur in Idololatriæ exprobratione. *Ezech. 23.*

3. Pergit ad probandum de reliquis criminibus, quæ inueniuntur *recognoſcuntúrque* in Idololatria. Nã in ea eſt *adulterium*; *falſis* enim *diis ſeruiens* veritatem adulterat; ergo idololatra adulter eſt. Eſt in ea etiam ſtuprum, in quo verè idololatra *mergitur*, vt in cœnoſo luto: quia cùm & dæmones ſpurciſſimi ſint, & dein-

de *stuprum* vocem vsurpent sacra elogia ad exprobrandam Idololatriam, fit perinde vt Idololatra sit verè *constupratus consp*urcatusque. *Operari immundis spiritibus*, est sacrum facere dæmonibus.

4. 4. Fraudis conditio est ea opinor, si quis alienum rapiat, aut alij debitum deneget: & vtique erga hominem admissa fraus maximi criminis nomen est. At enim Idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos denegans, & conferens aliis, vt fraudi etiam contumeliam coniungat.

4. Clara hæc sunt. Accipit *fraudem* de furto fraudulento, aut per rapinam, aut pernegando debitum. Ait *opinor* ironicè. *Maximi criminis nomen est*, id est, fraus est titulus elogiúmq; maximi criminis. *At enim*, &c. Duplex malum. Nam cùm Deo honores debitos negas, *fraudem* illi *facis*: cùm alij confers, *contumeliam* adiungis. Idololatra ergo & fraudulentus, & contumeliosus est erga Deum. Cur fraudulentus? quia adimit Deo *honores* debitos. Cur contumeliosus? quia dat alteri. Vt si quis à primate & principe fœmina auferret gemmas, en furtum; & daret meretrici, en contumelia.

5. 5. Quod si tam fraus, quàm stuprum, atque adulterium mortem adferunt, iam in his æquè Idololatria de homicidij reatu non liberatur.

5. Summa superioris excursus. Si hæc tria crimina Idololatræ occidunt animam, fit perinde, vt Idololatra rectè dici queat HOMICIDA certissimo elogio, titulo, nomine.

6. Post talia crimina tam exitiosa, tam deuoratoria salutis, cætera quoque ad aliquem modum, & seorsum proinde dispositа, in Idololatria conditionem suam repræsentant.

6. Sententia est, non illa solùm, quæ retulit, sed & alia crimina *repræsentare* ac referre crimen Idololatriæ, habere in se vtique imaginem Idololatriæ. Crimina *exitiosa*, & *deuoratoria salutis* sunt mortalia, lethalia, quæ exitio sunt animæ, eámque absumunt. *Ad aliquem modum*, id est, aliquo modo.

6. 7. In illa & concupiscentiæ seculi: quæ enim Idololatriæ solemnitas sine ambitione cultus & ornatus? In illa lasciuiæ & ebrietatis, cùm plurimum victus & ventris & libidinis caussa frequentatur. In illa iniustitia: quid enim iniustius ea quæ iustitiæ patrem nescit? In illa etiam vanitas, cùm tota eius ratio vana sit. In illa mendacium, cùm tota substantia eius mendax sit. Ita fit vt omnia in Idololatria, & in omnibus Idololatria deprehendatur.

7. Affert iam plurima crimina, quæ habent in se imaginem Idololatriæ. Sunt hæc *concupiscentia seculi*, *lasciuia* atque *ebrietas*, *iniustitia*, *vanitas*, *mendacium*. Vti verò cognationes atque affinitates horum criminum cum Idololatria probentur à Tertull. ita clarum, vt pagina egeat tantùm lectore, non commentatore. De conclusione illa, *Ita fit*, &c. quia eget maiore explicatione, dicam in Notis.

7. 8. Sed & aliàs cùm vniuersa delicta aduersus Dominum sapiant, nihil autem quod aduersus Dominum sapiat, non dæmoniis & immundis spiritibus deputetur, quibus Idola mancipantur: sine dubio Idololatriam admittit, quicunque delinquit: id enim facit, quod ad idolorum mancipes pertinet.

8. Sensus est: *Cùm vniuersa delicta* omnino in Deum pugnent, & quicquid in Deum pugnet, *mancipetur*, id est, adscribatur dæmonibus quodam proprietatis iure; fit perinde, vt *quicunque delinquit*, *admittat Idololatriam*, quia *facit id quod pertinet ad mancipes Idolorum*, id est, ad proprios Dominos Idolorum.

NOTÆ.

8. 1. PRINCIPALE ENIM, &c.] Grauissimum sanè exordium, cui forsan non dissimile Nazianz. orat. 38. de Idololatria, ἔσχατον τῶν κακῶν, καὶ πρῶτον: *extremum & primum malorum*. Et Cyrill. Alex. in Amos num. 36. ait esse facinus, παιδεῖον ἀλλήλοις καὶ δυσσεβές, *longè sceleratissimum, & verè impium*. In Concilio Eliberitano cap. 1. Idololatria dicitur *crimen capitale*. Ab Lactant. lib. 1. Instit. c. 18. *scelus inexpiabile*.

1. ET SI SVO QVODQVE NOMINE, &c.] Ita verè legendum, non *quoque* vt in vulgatis Pamel.

1. EXPVNGITVR.] Nemo melius Plauto expressit verbi huius significatum. Nam Cistel. Ita ait:

Nunc, quod reliquum restat, volo persoluere.
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.

A Ergo, quia persoluto debito nomen debitoris expungebatur, id est, delebatur; inde factum vt *expungo* sit, rem perfectam absolutámque exhibeo.

2. TITVLOS.] Morem hunc habes in Sueton. Calig. cap. 32. *Serum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, vt manibus abscissis atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui caussam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur*. Et Domit. cap. 10. *Patrem familias canibus obiecit cum hoc titulo, Impiè locutus Parmularius*. Huc spectat titulus Christi Crucifixi I. N. R. I. Ita enim appellat Ioannes, ἔθηκαν ἐπὶ σταυροῦ τίτλον: *Posuerunt titulum super Crucem*. Quem Marcus & Lucas ἐπιγραφὴν nominant, id est, *inscriptionem*. Et Matthæus ait: τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην: quia ibi scripta

9.

cauſſa, cur cruci affixus. Attingit & morem eundem Tertull. Apolog. cùm ait: *Chriſtiani ſuo titulo offeruntur.*

10. 2. OPERAS RECOGNOSCE.] Legunt *opera*, neque diſplicet. Sed lectio vulgata defendi poteſt, imò debet. Vt dicat *recognoſce operas* pro *opera*. vel (quod potius puto) vt dicat *operas* pro operarios. Vt enim cuſtodia non ſolùm eſt ipſum cuſtodiarium, ſed ipſe etiã qui cuſtodit: ſic *opera* nõ ſolùm eſt opus, ſed ipſe etiam qui operatur. Plaut. Amphit. *Dies operis*, id eſt ſeruis & operariis. Ergo *recognoſcere operas* eſt, recognoſcere operarios ſcelerum, ad eum modum quo Sueton. Tiber. c. 61. dixit *cuſtodias recognoſcere.*

2. ELOGII AMBITIONEM.] Eſt elogium idem quod titulus noxiorum. Sueton Calig. c. 27. *Cuſtodiarum ſeriem recognoſcens nullius inſpecto elogio, ſtans tantummodo intra porticum mediam à caluo ad caluum duci imperauit.* Eandem vocem & pro re eadem vſurpat Tertull. in Apolog. & ad Scapulam. Rectiſſimè præconium, quod hodie noxios ſupplicio afficiendos antecedit voce publica præconis, dici quiuerit elogium, Hiſpanè *el pregon.* Neque ego aliter capio Vulcatium in vita Auidij Caſſij, vbi Auidius ipſe ita loquitur: *Vides multis opus eſſe gladijs, multis elogiis, vt in antiquum ſtatum publica forma reddatur.* Contendit ſcilicet puniendos noxios ſeueriſſimè. Sed clariſſimè Ammian. lib. 14. *Antiochia ordinis verendi duces ſub vno elogio iuſſit occidi.* Et lib. 15. *Conſtabat nos omnes ſub elogio vno morte multandos.* Nota illud de *ambitione*, cuius contrarium illud Sueton. cap. 61. Tiber. *Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum ſimpliciumque verborum.* Ergo *ambitioſum elogium*, quod non ſimplicibus verbis, aut paucis conceptum: ſed multis & enormibus. Eſt enim parum audire inimicum interfectum ab inimico, hoſtem ab hoſte. Quid enim mirum, quod etiam liceat iure belli? Atqui *interfectorem eſſe ſui*, dirius, enormius, grauius. Erit verè ambitioſum elogium illud, quo ſeruiculi litteris plurimis ſcribebantur in facie, vt *caue à fure, caue à fugitiuo.* Hoc enim aliquando in vſu. Quin verſus integri in facie ſcribebantur, quibus contineretur maleficium. Scribit enim Zonaras Tom. 3. Annal. duos monachos, quia Imperatorem Theophilum liberiùs monuiſſent, ita inſcriptos fuiſſe in facie vt vultu ipſo contineretur epigramma verſuum duodecim. Quo titulo quid ambitioſius? Notatur & hæc ambitio in verbis Ammiani lib. 19. *Pérque elogium principis torqueri præceptus.* Creſcit enim res à mentione principis.

2. ERRORIS SVI.] Cyrill. Alex. in Amos num. 36. loquens de Idololatria, errabundum quiddam notat, cùm ait: ἀποπλανᾶν. Verba eius, παραλείπον δὲ τὸ ἀποπλανᾶν ἑτέρωθεν τὰ εἰς δόξαν Θεοῦ, καὶ τῆς αὐτῷ πρεπούσης πιμῆς ἀξιοῦν ἑτέρους: *Indigniſſimum eſt aliò per errorem deriuare quæ pertinent ad Dei gloriam, & alios afficere honore, qui Deo debitus.*

11. 3. OPERATVS.] Verba ſacrorum. Petrus Chryſol. ſerm. 38. *Chriſtus ingreditur in Synagogam, ſed Iudæus nec recipit intrantem, nec operantem cæcatus intelligit.* Sulpit. Seuer. Dial. 2. loquens de Sancto Martino: *Senſit hic Martinus operandum, & annuntiante ſibi Spiritu totus infremuit, nec mortale ſonans verbum Dei gentibus prædicabat.* Teſtimonia infinita in humanis.

3. SCRIPTVRÆ SANCTÆ STVPRI VOCABVLO.] Multa ſunt loca in ſacris, vbi fornicatio & ſtuprum de Idololatria. Vide Pamelium, & Eliam Cretenſem. Aduocat & Barræus illud Hierem. 3. *mœchatus eſt cum ligno & lapide.* Quo tamen loco Hieremias multas alias vſurpat voces adſimiles: nam Idololatriam vocat fornicationem, pollutionem, contaminationem, meretricium quiddam: ait tandem, *Vide vbi non proſtrata ſis, in viis ſedebas.* Alludit ſcilicet ad formicarias, quæ proſtituuntur, & proſternuntur, & ad meretrices, quæ olim ſedebant in viis ad inuitandos amatorculos. Adduco etiam Concilium Eliberitanũ, vbi ita ſcriptum cap. 3. *Flamines qui non immolauerunt, ſed munus tantùm dederunt, eo quòd ſe à funeſtis abſtinuerunt ſacrificiis, placuit in fine eis præſtare communionem, acta tamen legitima pœnitentia. Item ipſi ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit vlterius eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videãtur.* Vides *mœchiam* de Idololatria. Mihi enim perſuaſi non aliter capiẽdum hunc locum, ac propterea miror hoc ſubticuiſſe, qui in hoc Concilium ſcripſit, aliàs diligentiſſimum.

4. FRAVDIS CONDITIO, &c.] Plato 2. de Repub. iuſtitiæ quoque opponit: *Dixerit namque ſuo indicio commotus illud ad ſe Pindaricum*, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον ἢ σκολιᾶς ἀπάτας αἰκάς, *vtrum iuſtitiæ arduum murum, an tortuoſæ fraudis conſcendam, ſicque velut maceria quadam circumſeptus, vitam trãſigam.* Porro Pindarus quem imitatur Plato, hic eſt: πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον ἢ σκολιᾶς ἀπάτας αἰκάς. 12.

4. MAXIMI CRIMINIS NOMEN EST.] Idem quod ſuprà *ambitioſum elogium.*

6. CRIMINA EXITIOSA DEVORATORIA.] Nota mihi enormes περιφράσεις peccati, quod dicunt mortale. Ita etiam Greg. Theolog. orat. funeb. Baſilij de re eadem *exilij voraginem* dixit, ἀπωλείας βυθόν.

6. REPRÆSENTANT.] Explicui, referunt, & verè. Sed tu cõcionator expende rem planè Tragicã. Eſt Idololatria veluti theatrum omnium ſcelerũ, vbi omnia vitia perſonas ſubſtinent. Sed abſtineo à re non mea.

7. CVLTVS ET ORNATVS.] De diſcrimine harum vocum lib. de Habit. Mulieb.

7. VICTVS ET VENTRIS ET LIBIDINIS CAVSSA FREQVENTATVR.] Coniungit vtrumque vitium. Illuſtrabit itaque hunc locum his quæ dicam lib. 1. ad Vxor. cap. vlt. ad ea verba, *Deus enim illis venter eſt, & quæ ventri propinqua.* Quæ hîc Iunius de Voce *cùm plurimum*, quæque de interpunctione, reſpuo, vt omnino inutilia ad hunc locum. Malui verò *frequentatur* quàm *frequentantur*, quod viſum quoque Pamelio; vt dicat, victus frequentatur tum ventris tum libidinis cauſſa, ita vt venter reſpiciat ebrietates, libido laſciuias. 13.

7. IN ILLA MENDACIVM.] Iſaias cap. 44. ſub perſona Idololatræ: *Mendacium eſt in dextera mea*, id eſt, Idolum, & mendax Deus. Porphyr. lib. 2. ἀποχ. ἐμψύχ. vnicè dat mendaciũ Idololatriæ. Loquens enim de incantatoribus, qui ſibi arrogant diuinos honores: τὸ γὰρ ψεῦδος τούτοις οἰκεῖον, βούλονται γὰρ εἶναι θεοί: *Illis enim proprium eſt mendacium; cupiunt enim Dei haberi.* Euſeb. Gallican. in Exhortat. ad plebem: *De mendaciis legitur, os quod mentitur, occidit animam. Quàm grauis ictus teli iſtius, qui cutem, viſcera, oſſa pertranſit, & animam penetrat, ac nouo violentiæ genere infert ei mortem, quam non poteſt facere mortalem.*

7. ITA FIT, &c.] Eſt hæc præcedentium ἀνακεφαλαίωσις. Et ſenſus eſt. Ita fit vt omnia crimina in Idololatria deprehendantur, quia Idololatra eſt, qui ſe interficit, (en homicidiũ:) adulterat veritatem, (en adulterium:) operatur ſpurciſſimis dæmonibus, (en ſtuprum:) aufert à Deo honores per fraudem, (en furtum:) & ſic de aliis. Regredior. Ita fit, vt in omnibus Idololatria deprehendatur, quia qui deditus eſt cultui & ornatui, amat id quo fiebant ſollemnia Idolorum: qui vẽtri ac libidini carnis, ebrietates & laſciuias Idolorum: qui iniuſtitiæ, ſummam iniuſtitiam, qua cõſtat Idololatria: qui vanitati, ſummã vanitatem, nam Idololatria vaniſſima eſt: qui mendacio, ſubſtantiam mendacij, nam nihil mendacius Idololatria. Is enim excurſus 14.

cursus ex consequenti verissimus est. Ita fit vt omnia crimina deprehendantur in idololatria : quò pertinet prior pars capitis: & rursus ipsa idololatria in omnibus deprehendatur, quò posterior. Inde cùm statim subiicit, *Sed & alias cùm vniuersa delicta*, &c. ex abundanti arguit ostendens alio modo vniuersa delicta pertinere ad idololatriam, quia videlicet pertinent ad dæmonem patrem omnis idololatriæ, qui illam sibi mancipauit.

8. ADVERSVS DOMINVM SAPIANT.] Verbum hoc elegans est in hoc significato l. 4. de vitis Pat. *Cui* (Christo) *sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod sæuit.*

8. IDOLORVM MANCIPES.] Eo sensu dicuntur dæmones esse *idolorum mancipes*, quo in Iure audis *mancipes locorum, viarum, salinarum*, & similia, id est, conductores reductoresve operum publicorum.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Idololatria multiplex est.

TERTVLLIANVS.

15. 1. SED vniuersa nomina criminum discedant in operum suorũ proprietates, remaneat idololatria in eo quod ipsa est: sufficit sibi tam inimicum Deo nomẽ, tam locuples substantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tot venas defundit, vt de hoc cùm maximè materia suscepta sit, quot modis nobis præcauẽda sit idololatriæ latitudo.

EXPLICATIO.

1. PRIMA clara sunt, postrema ab illis, *vt de hoc*, &c. quæ non satis videntur cohærere, ita conglutinanda. Sufficit nomen hoc, crimen hoc tot ramis porrectum, tot venis defusum, *vt de hoc maximè* crimine *materia suscepta sit* ad sciendum *quot modis*, &c. Nam hoc loco *cùm maximè*, est idem quod *maximè*, aut *quàm maximè*, aut quod *præsertim* & *potissimùm*, vtique ἐξαιρέτως. Abeant vitia alia in suas species. nam idololatria iustam dabit materiam meo volumini. Rami, quos habet, pares sunt modis, quibus præcauenda est: hi modi multi, rami ergo multi, & inde est vt de hoc crimine quàm maximè materiam susceperim.

16. 2. Quoniam multifariàm seruos Dei, nec tantùm ignorata, sed etiam dissimulata subuertit.

2. Ait *multifariàm*, cum respectu ad tot ramos, tot venas, tot modos, quæ præcesserunt. Hi verò tot rami, venæ, modi, continentur duplici discrimine, scilicet aut ignorantiæ aut dissimulationis. Quia serui Dei incurrunt in hoc vitium, aut vera decepti ignoratione, aut prætextu aliquo subornati.

3. Plerique idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam, si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus aut Sacerdotiis obligetur: quemadmodum si quis existimet adulterium in osculis, & in amplexibus, & in ipsa carnis congressione censendum: aut homicidium in sola sanguinis profusione, & in animæ ereptione reputandum.

3. Dixit, *ignoratione & dissimulatione subuerti Dei seruos*. Loquitur iam in reliquo hoc capite de ignoratione, & in aliis etiam, dicturus postea de prætextu, & dissimulatione. Clara omnia. tantùm sciat nouitius, verbum *polluceo* esse dedicare, vouere, libamenta & sacra offerre. Notetur etiam modestissima illa τῆς συνουσίας periphrasis, scilicet *carnis congressio*, quæ sumpta est à militia, nam συνουσία constat nocturnis & furtiuis bellis.

17. 4. At etiam Dominus quàm extensiùs ista disponat, certi sumus, cùm adulterium
Matth. 5. etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinosè, & animam
Ibid. commouerit impudicè: cùm homicidium etiam in verbo maledicti vel conuicij iudi-
1. Ioann. 3. cat, & in omni impetu iræ & in negligentia charitatis in fratrem. Sicut Ioannes docet, homicidam esse qui oderit fratrem.

4. Respectat caput quintum Matthæi. Itaque, quod Christus ibi, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum*, Tertullianus, *Impingere oculum libidinosè, animam impudicè commouere*. Rursus quod ibi Christus, *Qui iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio*, &c. Tertullianus, *homicidium in verbo maledicti vel conuicij iudicat*. Postrema quæ pertinent ad homicidam osorem spectant ad cap. 3. epist. 1. Ioannis.

18. 5. Alioquin in modico consisteret & Diaboli ingenium de malitia, & Dei Domini de disciplina, qua nos aduersus Diaboli latitudines munit, si in his tantùm delictis iudicaremur, quæ etiam nationes decreuerunt vindicanda.

5. Nationes tantùm puniunt adulterum & homicidam, non libidinosè appetentem, nec conuicio irruentem, nos aliter iudicamur, alioquin modicum esset Diaboli ingenium & Dei, illius in malitia, huius in disciplina: atqui vt Diaboli ingenium latè patet permittens libidinosum oculum, ita similiter latè patet ingenium Dei vetans libidinosum oculum. Itaque hîc *latitudines* sunt omnia illa, quæ Dæmon permittit ex summa malitia, aduersus quas nos Deus munit. Ad eum modum quo Petr. Chrysolog. serm. 11. dixit, *Sicut Diabolus impellit ad mala, sic Deus deducit ad bona.*

19. 6. Quomodo abundabit iustitia nostra super Scribas & Pharisæos, vt Dominus
Matth. 5. præscripsit, nisi abundantiam aduersariæ eius, id est, iniustitiæ, perspexerimus? Quòd si caput iniustitiæ idololatria est, prius est vti aduersus abundantiam idololatriæ præmuniamur, dum illam non solùm manifestis recognoscimus.

6. *Quomodo abundantia*, &c. Verba illa Christi apud Matth. 5. de iustitia Christiana abundante supra iustitiam Pharisæorum, explicat de multis illis, quæ Christus iustissimè non permittit, & dæmon iniustissimè permittit. Ergo vt abundet *iustitia nostra* supra iniustitiam illorum, oportet intelligamus perspiciamúsque tot illas abundantias, iniustitiásque, quas dæmon permittit. *Quòd si caput*, &c. Cùm ergo caput huius *iniustitiæ* sit *idololatria*, præmuniri debemus recognoscentes illam non solùm in *manifestis*, sed in aliis etiam non manifestis, quibus illa abundat; abundantiæ enim istæ sunt non manifestæ. Explico. Incensum offerre idolis, manifesta est idololatria, & ita neque præmuniendi sumus de hoc, neque Tertullianus de hoc vult agere: sed tantùm de abundantiis quæ occultæ sunt, vt cùm capite quarto quærit, an fabricare idolum pertineat ad idololatriam? & ita de aliis. Ergo, recognoscentes illam non solùm in *manifestis*, sed & in abundantiis occultis. Has porro *abundantias* vocauit initio capitis *venas*, & *ramos*: & postea, *ignorationes* & *simulationes*.

NOTÆ.

20. 1. NOMINA CRIMINVM.] Sicut *nomina* sumuntur pro debitoribus vel syngraphis creditarum pecuniarum, sic hoc loco *nomina criminum* sunt ipsa crimina, vel elogia criminum. Sic Seneca dixit, *Segnes & tardi, lenta nomina non mala, hos ego non appellabo, sed commonefaciam.*

1. TOT VENAS DEFVNDIT.] Legunt *diffundit*, neque displicet. Cùm præsertim Cyprian. hærens magistro sermonem ab illo arripuerit, loquens de virtute Patientiæ, hunc in modum: *Latè patet Patientiæ virtus, & vbertas eius, & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarũ itinera diffunditur.* Simili sermone vsus Greg. Nyssen. lib. de Virginit. c. 19. vbi loquens de voluptate. ὥσπερ τι ὕδωρ ἐκ μιᾶς πηγῆς εἰς διαφόρους ὀχετοὺς μεριζόμενον: *Veluti aqua, quæ manans ab vno fonte in diuersos riuulos partitur.*

3. POLLVCEAT.] Videantur eruditi, qui Notas scripsêre in Varronem, Festum, Plinium, Plautum. Lectori nostro satis explicatio nostra.

21. 3. ADVLTERIVM.] In hoc loco anceps esse potest, quid sit *adulterium* in Tertulliano. Verumtamen adulter est, in hoc auctore, fornicator. Quod enim Apostolus dixit 1. Corinth. c. 6. *Fugite fornicationem*, iste l. de Monogamia c. 9. *Omne delictum, quod admiserit homo, extra corpus est; qui autem adulteratur, in corpus suum delinquit. Adulteratur autem, sicut suprà præstruximus, qui aliam carnem sibi immiscet, super illam pristinam, quam Deus aut conduxit in duos, aut coniunctam deprehendit.* & paulo antè dixerat: *Adulterium est cùm quoquomodo disiunctis duobus, alia caro, immò aliena, miscetur, de qua dici non posset: Hæc est caro ex carne mea, & hoc os ex ossibus meis.* Nisi fortè (ait Noster Iustinianus in hanc Pauli epistolam & caput) maluit vti adulterij nomine, quòd *fornicationis* nomen in illo ævo nondum esset in vsu.

22. 4. OCVLVM IMPEGERIT LIBIDINOSE.] Hoc est, quod Ambros. l. 1. de Virg. *Oculorum flagitiosis aspectibus verberare.* & Tertull. de Veland. Virg. c. 14. *Oculis percutere.* Cyprian. de Habit. Virg. *Oculis ad libidinem curiosis.* Ab Hieronymo ad Eustoch. dicũtur *impudici oculi.* & l. 1. aduers. Iouinian. ait, *Oculos plenos adulterio & insatiabili libidine.* Aldhelm. de Virgin. c. 1. *Lasciuus oculorum obtutus.* Cassian. Collat. 12. c. 2. *Illecebrosi aspectus.* & lib. 6. de vita Monast. c. 12. *Petulantes oculos.* & Eusebius Epis. Gallican. Homilia de Epiphan. & septem fratribus Machab. *Quàm facilè potest in puncto temporis euagari velocitas oculi, tam solli-*

A *citè præcauenda est irruentis noxa delicti.* Idem Homil. 3. de Pascha: *Qui alienam mulierem importunis oculis & mortem ad se trahentibus conspicit*, &c. Ego admiror vnius Ioannis Chrysost. eloquentiã: nam sæpe id attingit, & vario sẽper flexu, vt cùm ait, Homil. 3. ad Popul. ὄψεσιν εὐμόρφοις ἐπιπηδᾷν: *Formosis obtutibus insilire.* Iterũ, μὴ φάγῃς ἀκολασίαν διὰ τῶν ὀφθαλμῶν: *Ne lasciuiam edas per oculos.* & orat. de Nouilun. περιεργάζεσθαι ἀλλότρια κάλλη. quasi, incuriosè inquirere in alienam pulchritudinem. & orat. de ira, περιέργους ὄψεις: *Curiosos aspectus.* & Homil. 21. ad Popul. ἐπιμείδας γυναιξὶν ἀδίκως πρόσεχε: *Cupidè oculos intendere fœminis meritoriis.* & in epist. 2. ad Olympiadem, πῶς γὰρ γυνὴ τὸν πάτριον ἀδικοῦς ἰδοῦσα ὀφθαλμοῖς: *Cùm patris mulierem sceleratis oculis conspexisset.* Omitto infinita eiusdem. Huc possis referre *plenos oculos*, Senecæ epist. 94. *Et totam oculorum aciem*, Ambrosij in obitu Satyri. & eiusdem *procaces oculos*, in libro

B De Fidei Resurrectione. atque etiam *putres oculos*, Horatij, & *patrãtem ocellum*, Persij Sat. 1. & *contentis & tumentibus oculis* Suetonij, in Tiberio c. 7. quasi erumpente oculo præ auiditate spectandi fœminam. De qua lectione vide Turnebum l. 14. c. 17. Et ὅλοις ὀφθαλμοῖς ἐντρίζον, quod in re turpi dixit Nicetas Choniates cap. 1. 23
Alexij Imperatoris. & Clementis l. 3. Pædagog. cap. 11. κλαδαρὰς ὄψεις. & Alcippi in epist. quadam, δυσμενὴς γὰρ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός: *Inimicus & inuidus est vicinorum oculus.* Optimè dixit Gregor. Nazianzenus Carm. 63. ὄμματα λίχνα. q. d. oculos auidos, helluones, gulosos. & Prudentius in hymno Agnetis,

Intendit vnus fortè procaciter
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico.

His omnibus oppone *rectos oculos* Cyrilli Hierosolymitani, Cateches. 2. ait enim, ὀρθοῖς βλέπε τοῖς ὄμμασί σου, καὶ οὐκ ἔσῃ ἐπιθυμία, *Cerne rectis oculis, & non est concupiscentia.* Sed missis locutionibus, dere ipsa locus

C est Hilarij Can. 4. in Matthæum, his verbis elegantissimis: *In Euangelicis præceptis adulterio motus tantùm oculi incidentis æquatur, & cum fornicationis opere punitur illecebrosa visus transcurrentis affectio.* & Gregorij Nysseni lib. de Virginitat. cap. 19. τῶν ὀφθαλμῶν τῷ ἐπιθυμίαν ὁ πληρώσας, ἐν τῇ καρδίᾳ τῷ βλάβην ἐδέξατο: *Qui oculis cupiditatem explenit, plagam in corde accepit.* Valerianus Epis. Homil. 16. *Veloces iactus oculorum.* & Homil. 17. *Ecce cupiditas oculorum nostrorum portas iugiter pulsat.*

4. ANIMAM COMMOVERIT IMPVDICE.] Hi homines dicuntur ab Ignatio Martyr. epist. 3. ἐπιθυ-

κατὰ ἀλλοτρίων κόλλας. Itaque non malè explicabis *commotionem* ἐπθυμίαν, & *commouere* ἐπθυμεῖν. A

24. 4. HOMICIDIVM ETIAM IN VERBO MALEDICTI, &c.] Omitto patres plures, assumo Saluianum, qui lib. 3. de Gubernat *Intelligere possumus multos esse homicidas, qui se innoxios putant, quia, vt videmus, homicidium non sola tantummodo occidendi manu, sed etiam odientis animo perpetratur. Vnde est, quòd Saluator mandati istius normam censura adhuc seueriore cumulauit, dicens, Qui irascitur fratri suo sine caussa, reus erit iudicio, Ira mater est odij, & ideo Saluator excludere iram voluit, ne ex ira odium nasceretur.* In Pœnitentiali tit. 1. cap. 7. leges: *Qui occidit, & qui odit fratrem suum, & qui detrahit, pariter homicida esse monstratur.* Certè sententiam nostri sic ediserit Paulinus epist. 2. l. 1. *Hoc enim est adimplere, quod desiit adiicere. Lex dicit, Non occides: at ipse, neque irascaris sine caussa fratri tuo. Lex adulterium interdicit, at ipsa veritas curiosum in fœminas damnat aspectum.* B

4. IVDICAT.] Legi potest *indicat*, non mala coniectura, vt respondeat præcedenti *designat*. nam vt adulterium designatur in concupiscentia, ita homicidium indicatur in maledicto.

25. 4. IMPETV IRÆ.] Rectè & propriè, nam verè ira in impetu, & hæc est ὀργὴ, absit impetus, iam est iracundia, id est, ἕξις τοῦ ὀργίλου. vide Senecam.

5. DIABOLI INGENIVM DE MALITIA.] Athanasius lib. de Virginit. Διάβολος φρόνιμός ἐστιν ἐν τῇ κακίᾳ: *Diabolus prudens est in malitia.*

5. DEI DOMINI.] Reseribunt *Dominium*, sed futiliter; nam contra sermonem Tertulliani vsitatissimum. Vide lib. 1. ad Vxor. cap. 7. vbi habet hanc locutionem & initio & fine capitis. & sæpe aliàs.

5. LATITVDINES.] Ita legi volui ex manuscripto non *altitudines*, vt in vulgatis. Ita certè commodiùs expedietur scriptor, nam suprà, *At enim Dominus quàm extensius.* Quid quòd ramorum porrectio, & venarum defusio ad extensionem, aut latitudinem pertinent, non ad altitudinem & profunditatem? & cùm Christus dixit *lata est via, quæ ducit ad perditionem*, non malè intelligi quiuerint latitudines istæ, quas dæmon permittit. Pertinent ista ad tuendam lectionem, sed ad sententiã ipsam egregius est locus Zenonis Veronens. serm. *Attende tibi*, vbi ait prouisum à Domino, vt vbi est velox occasio peccati, ibi etiam celeris remedij cura sit, scilicet quia solet puncto temporis (ait ille) cogitatio euagari, & noxa adhærere. Hoc autem nihil est aliud, quàm assequi Deum celeri quoque remedio velocem occasionem peccandi, vt ita assequatur Diabolicas latitudines.

6. PRÆSCRIPSIT.] Ea forma, qua sæpe in Iure *præscriptis verbis*, id est, præfinitis.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Idolorum origo, etymologia, acceptio.

TERTVLLIANVS.

26. 1. IDOLVM aliquando retro non erat. Priusquam huius monstri artifices ebullissent, sola templa & vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. Tamen idololatria agebatur, non in isto nomine, sed in isto opere. Nam & hodie extra templum, & sine idolo agi potest.

EXPLICATIO.

1. RETRO, priùs, olim. *Artifices ebullissent*, vbertim extitissent plurimi, séque passim obuios darent. *Vacuæ ædes* idolis. *Non in isto nomine, sed in isto opere*: Id, est, dici non poterat idololatria, quia nondum idola, sed erat opus ipsum, sicuti nunc est. Idola non visebantur, opus intra mentem erat.

27. 2. At vbi artifices statuarum & imaginum, & omnis generis simulacrorum Diabolus seculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis, & nomen de idolis consecutum est, & profectum.

2. *Vbi*, postquam. *Diabolus seculo intulit*, ideo suprà dixit, omnem idololatriam mancipatam Diabolo, scilicet vt principi & inuentori. *Rude illud negotium*, &c. Sententia est: Negotium illud rude priùs & non formatum obtinuit tandem tum nomen de idolis, tum profectum. Nam scilicet res illa, quæ initio caruit nomine, cùm rudis erat; postea ebullientibus artificibus consecuta est nomen idololatriæ, nec solùm nomen, sed & perfectionem. Est enim hic *profectus*, progressus, auctus, προκοπὴ. dicit *negotium*, nam per fabricam idolorum gentiles victum negotiabantur. Sed hoc in capitibus sequentibus.

28. 3. Exinde iam caput facta est idololatriæ ars omnis, quæ idolum quoquomodo edit. Neque enim interest, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an Phrygio detexat: quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum.

3. *Exinde*, &c. Ab eo initio, quo cœptæ sunt formari statuæ, imagines, simulacra, cœpit & nomen habere idololatria. & ars ista conficiendi idola, caput est totius idololatriæ, quomodocumque idolum conficiatur, & quacumque ex arte, aut materia. Nihil enim interest, aut ars varia, aut materia. Nota concinnitatem, *plastes* respicit gypsum: *cælator* lapidem, æs, argentum: *Phrygio* filum: & omnes isti artifices aspectant colores suos.

29. 4. Quando enim & ſine idolo idololatria fiat, vtique cùm adeſt idolum nihil interest quale ſit, qua de materia, qua de effigie, ne qui putet id ſolum idolum habendum, quod humana effigie ſit conſecratum.

4. Probat, nihil intereſſe hanc vel illam *materiam* ad veram idololatriam, nihil hanc vel illam *effigiem*, quia etiam abſque idolis patrabatur hoc malum animo interiore. Quia ſcilicet dixerat, *Idololatria agebatur non iſto nomine, ſed in iſto opere:* Ait *nequi putet*, pro, ne quis putet.

30. 5. Ad hoc neceſſaria eſt vocabuli interpretatio. εἶδος Græcè formam ſonat, ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma, vel formula idolum ſe dici expoſuit. Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & ſeruitus.

5. Interponit notitiam nominis. Idololatria conſtat duplici dictione. Primò Græcis εἶδος eſt idem quod *forma*, apud Latinos, & εἴδωλον diminutiuum, idem quod *formula:* deinde λατρεία idem eſt, quod *ſeruitus* aut *famulatus*. Erit ergo idololatria *famulatus formulæ*. Datur enim per illam obſequium formis aut pictis, aut cælatis, aut textis.

Exod. 32. 6. Inde & omnis idoli artifex eiuſdem & vnius eſt criminis: niſi parum idololatriam populus admiſit, quia ſimulacrum vituli & non hominis ſibi conſecrauit.

6. Si idolum veriſſimè ſignificat formulam, certè cuiuſcunque formulæ artifex obnoxius eſt eidem crimini idololatriæ. Ita & populus Iſraeliticus verè idololatriam admiſit, cùm ſibi conſecrauit in Deum ſimulacrum formulámque *vituli*, etiam ſi *non hominis*.

NOTÆ.

31. 1. EBVLLISSENT.] Hoc verbum quod A ſignatiſſimum eſt, mihi videtur Chronicum Alexandrinum explicuiſſe. Adducam locum Latine tantùm, omiſſis Græcis, quia multa. *Græciſmus & Gentiliſmus tempeſtate Seruchi cœpit per idololatriam, cùm ſua quiſque ſuperſtitione quadam ductus hominum ſecula ad politicam potiſſimùm viuendi rationem, & vſum ſeu conſuetudines, cultúmque idolorum informaret: quibus tum progreſſi, magiſtratus, & tyrannos, & duces, aut ſi quid æuo memoriáve dignum factitaſſe viderentur, quod vel pugnam, vel corporis robur commendaret, pictura effigiabant. Poſtea verò temporibus Tharæ, qui Abrahamum habuit filium, etiam per ſtatuas & ſimulacra errorem idololatriæ propagauerunt, dum maiores ſuos per effigies coluerunt, fatóque functos primùm per figlinam expreſſerunt, mox cæteri artifices ſecuti primos, architecti quidem lapidem cædebant, argentary verò & auri cælatores pro ſua quiſque materia ſimulacra fabricati ſunt: ararij & ſculptores etiam pro ſuo ingenio artificis opus variabant, poſtremò fabri & alij deinceps opifices.*

32. 1. SOLA TEMPLA ET VACVÆ, &c.] Clemens Alex. lib. 1. Stromat. loquens de Numa: Διεκώλυσεν ἀνθρώπῳ εἰδώλῳ τε ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίοις κτίζειν: *Prohibuit Romanis ne homini aut animali ſimilem Dei facerent imaginem.* & adiicit. ἐν γοῦν ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσι ναοὺς οἰκοδομούμενοι ἄγαλμα οὐδὲν ἔστι πλαστὸν, οὔτε μὴν γραπτὸν ἐποιήσαντο: *Igitur qui templa adificarunt per centum & ſeptuaginta annos ſimulacrum nullum fecere, neque efficium, neque depictum.* Idem ſcribit Euſebius lib. 9. de Præp. Euang. cap. 3. & vterque ait feciſſe id Numam inſtructum innixúmque lege Moſeos. Vide & Tertull. ipſum Apol. 25.

D 1. NON IN ISTO NOMINE, SED IN ISTO OPERE.] Retuli in explicatione ad mentem. nam Clemens ibid. ἐπεδείκνυτο γὰρ αὐτοῖς ὁ Νουμᾶς δι' ἐπικρύψεως, ὡς ἂν ἐφάψαιτο τὸ βελτίστου διανοίᾳ μόνῃ τῷ νῷ: *Occulta enim eis indicabat Numa, non alia ratione quàm ſola mente attingendum id quod eſt optimum.* Et Euſeb. dicto loco: *Ita Numa occultè ſignificauit nullo modo, niſi mente ad ſimilitudinem Dei hominem peruenire poſſe.* Cæterùm verbis Tertulliani non abſimilia iſta Lactant. lib. 1. cap. 19. *Mendacium poëtarum non in facto, ſed in nomine.*

2. AT VBI ARTIFICES, &c.] Hac de re eſt locus Athanaſij Apolog. adu. Gent. Lege ab eo loco, 33. πολλοὶ γὰρ ἐμόχθησαν, &c. Omitto, quia multa. Summa, eſt initium idololatriæ ſumptum ab ſtatuarum artificibus, nam cùm ſtatuæ fuerint ob memoriam defunctorum conſeruandam, factum vt poſteri, διὰ τὸν πλάσαντα, καὶ τὸν τεχνίτην φιλοτιμίαν Θεοὺς ἐξεπόνησαν. *Propter elegantiam artificiúmque operis pro Diis haberent.* Nullum itaque aliud principium idololatriæ, quàm imaginibus homines religiosè coli. Lege de hac re Conſtantinum Manaſſen in Annalibus, Cyrillum contra Iulianum, Philaſtrium de Hæreſibus, Auguſtinum in Ciuit. Dei multis in locis, ſed præcipuè lib. 14. cap. 11. Lactant. lib. 1. cap. 15. Artifex eſt, ὁ τῆς κακίας τεχνίτης, vtinquit Nyſſen. lib. de Scopo Chriſtiani.

B 3. AN PLASTES AFFINGAT.] Notat Pamel. plaſtem rectè præponi à Tertulliano aliis artificibus, quia Plinius c. 7. l. 34. *Plaſtice prior quàm ſtatuaria fuit.* Addo locum alium eiuſdem Plinij l. 35. c. 12. vbi de plaſtice, *Creuitque res in tantum, vt nulla ſigna ſtatuæve ſine argilla fierent.* Quo apparet antiquiorem hanc fuiſſe ſcientiam, quàm fundendi æris.

3. AN CÆLATOR EXSCVLPAT.] Cùm hoc loco, *plaſtes* reſpiciat *gypſum; cælator, æs, lapidē, argentum; Phrygio, filum*, non fruſtrà ſuſpicatur Pamelius legendum in Tertull. *An plaſtes, an pictor, an cælator*, vt ſcilicet pictor reſpondeat coloribus, de quibus poſtea. Sed præpono tamen veterem lectionem, non enim opus fuit meminiſſe pictoris, nam colores ad tres alias artes pertinent, plaſticem, cælatoriam, textoriam. De ſingulis breuiter. Plaſtica & fictilia ſimulacra minio olim pingebantur: quod Romana religione firmat Plinius lib. 35. cap. 12. Nam de Ioue dedicando in Capitolio, à Tarquinio Priſco, ait, *Fictilem eum fuiſſe, & ideo miniari ſolitum.* & addit: *Hæ enim tum effigies Deorum erant laudatiſſimæ.* Eodem loco ait, *Dibutadis inuentum eſt, rubricam addere aut ex rubrica cretam fingere.* Fuit verò Dibutades inuentor plaſticarum. Rubricatæ autem imagines ſunt rubrica pictæ. & Pauſan. Achaicis ait ſimulacrum Bacchi intinctum fucatúmque fuiſſe minio. De cælatoria id notiſſimum. Quippe ζωγραφία & γραφὴ, 34.

voces Græcę æquè reſpiciunt cælaturam & picturam. Itaque quicquid cælatum, eo ipſo dici quid pictum. Et verbum γράφειν ad vtrumque pertinet. Id ipſum Ægyptiorum ratio docet, quos erat neceſſe non ſolùm pingere, ſed etiam ſcalpere, quod vellent ſignificare. Vitruuius etiam l.1.c.2. Orthographiam accipit de architectonica. & Greg. Nazianz. orat. 3. narrans fraudem Iuliani, qui ſtatuis imperatorum addebat dæmonas, vt iſti vnà cum ſtatuis adorarentur, vſurpat verbum συμπαεγχάσων. Demum, nemo eſt qui ignoret olim in cera ſtilis ferreis ſcriptitatum, quę ſcriptio dicitur & pictura & ſcalptura. Reſtat de textoria arte, quæ tota ad picturam refertur Virg. 9. Æn.

Pictus acu chlamydem.

& lib. 11.

Pictus acu tunicas.

& lib. 3. *Picturatas veſtes.* Corippus lib. 1.

Pictor acu tenui multa formauerat arte.

Lucretius, *Textilibus picturis.* Catull. linum dixit καταγραφον, quaſi picturatum. Martial.

--- picti tunica Nilotide Mauri.

Vides vt *colores* Tertulliani ad triplicem artem ſpectent, & inde neceſſe non fuerit meminiſſe pictoris.

35. 3. AN CÆLATOR.] Dixi iam in ſuperiore Nota, quæ pertinent ad colores, dicam in hac vti Prudentius 1. in Symmach. percurrat alias etiam huiuſmodi ſpecies:

Si lapis eſt, ſenio diſſoluitur, aut crepat ictu
Percuſſus tenui: mollis ſi bractea gypſum
Texerit, infido rareſcit glutine ſenſim.

Deinde tranſit ad laminas.

3. PHRYGIO.] Plinius lib. 8. cap. 48. *Pictas veſtes iam apud Homerum fuiſſe, vnde triumphales natæ. Acu facere id Phryges inuenerunt, ideoque Phrygiones appellati ſunt.* Plaut. Menæchmo.

Pallã illã, quã dudũ dederas, ad Phrygionẽ vt deferas.

Rectè Plinius *pictas*, notans varietatem, nam & Phrygiones Græcis propria voce dicuntur ποικίλοντες.

36. 3. DETEXAT.] Verbum hoc eſt perfectè texere. ἰσὸν ὑφαίνειν. ita Titinius Full. *togam detexere.* & Plaut. Pſeud. *ad detexendam telam.* Virg. 2. Ecl.

---detexere iunco.

Cicero in Aratæis:

Hic non perpetuum detexens conficit orbem.

Vbi Cicero *detexere*, pro texere dixit, explicatore Turnebo l.8.c.17. illáque *detexta tela* eſt perfectè iam texta, atque ita vt detrahi poſſit ab inſtrumentis textrinis.

A Paulinus epiſt. 10. ad Seuerum: *Sed hunc ordinem non à Rhetoricis inſtitutis magis quàm de Euangelicis præceptis vſurpari, doctiſſimus Lucas mihi teſtis eſt, qui Baptiſtæ beati merita ab originis claritate detexuit.* & ad Ionium: *Hoc ſcilicet lanificio autumans* Plato *eas* Parcas *conficere res hominum, & tempora cuique ſignata detexere.* Inde eſt vt *detexo* apud Plautum Amphit. & *texo* apud Virg. 10. Æn. ſit auferre & ſpoliare. Talia multa, in quibus *de* auget, non minuit ſignificatum. Stat. 9. Thebaid.

Quercus erat Triuiæ quam deſacrauerat ipſa,

pro, conſecrauerat. Ita multi capiunt Virgilianũ illud,

Dum pelago deſæuit hyems.

quod ſecus tamen mihi viſum. Apud Statium,

--- Regna
Decertata odiis,

B eſt, pertinaciter certata. Ita *deperire alium*, pro vehementer amare. & *deproperare*, pro, valde properare, in Ioanne Caſſiano l.4.c.19. Scio verbum *detexo* contrariam ſignificationem habere, vt ex illo Narſetis eunuchi potentiſſimi liquidum eſt, quem ita reddit Meurſius apud Conſtantinum imperatorem ad Porphyrogenitum de adminiſtrando Imperio cap. 2. *Quibus intellectis Narſes patricius reſcripſit, poſtquam nere me rectius, & filum torquere videtur tibi Irene, veluti fœminam, telam me ordiri noſſe ſcias, quam nunquam Romani detexant.* In Græco eſt ὑφανῶμαι. Mitto Anaſtaſium in Ioann. 3. & Diaconum de Geſtis Longobardorum lib. 2. cap. 5. qui de Narſe, eadem.

3. GYPSO.] Simulacra olim è gypſo Iuuenal. Sat. 2. *Gypſo Chryſippi*, id eſt gypſea imagine Chryſippi. De inuctore imaginis gypſeæ legatur Plin. l.35.c.12.

4. QVA DE EFFIGIE.] Legunt, *Quaue effigie*, poſſunt. 37.

5. ΕΙΔΩΛΟΝ.] Quæ Diis fiebant, εἴδωλα dicebantur: quæ Heroibus ξόανα: quæ Regibus, ἀνδριάντες: C quæ ſapientibus, εἴκελα: quæ viris bene meritis ἀγάλματα.

5. SE DICI EXPOSCIT.] Eſt hoc, quod ipſe alibi, *dici habet*, Græcanica locutione. Nazianz. orat. 3. προσπαγχάζεσθαι χαίρουσιν: *Appingi gaudent.*

6. SIMVLACRVM VITVLI.] Ad eum modum, quo à Gentilibus adorati ſerpens, canis, hircus, cycnus, quia illis repræſentati Æſculapius, Mercurius, Pan, Iuppiter. Et eſſe hoc agalma ſtatuit Stephanus Durantus lib. 1. de Ritib. Eccleſiæ cap. 5. & de eo accipit, quæ Adrianus Papa ſcripſit in epiſt. quæ extat in 2. Act. Synod. 7.

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Interdicta Chriſtianis Idolorum fabrica.

TERTVLLIANVS.

38. 1. IDOLVM tam fieri quàm coli Deus prohibet. Quanto præcedit vt fiat quod coli poſſit, tanto prius eſt ne fiat, ſi coli non licet.

EXPLICATIO.

1. IDOLVM *tam fieri*, &c. q.d. vt *coli* prohibet, ita *fieri*, & probat à contrario, quia vt fieri poteſt, quod coli poteſt; ita nec fieri, quod coli non licet. In vtroque par antiquitas.

2. Propter hanc cauſſam, ad eradicandam ſcilicet materiam idololatriæ, lex diui na proclamat: Ne feceritis idolum. & coniungens, Neque ſimilitudinem eorum quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, & quæ in mari. Toto mundo eiuſmodi artibus interdixit ſeruis Dei. *Exod.* 32. *Ibid.* 20.

2. Adducit ergo teſtimonia, quæ prohibent nefariam fabricam. *Ad eradendam materiam*, eradicandam penitus ſylueſcentem idololatriam. *Proclamat*, adiuuanda dictio tono vocis, vt viuidior. *Ne feceritis idolum*, ſumptum ab libro Exod. *Neque ſimilitudinem*, &c. Explicat quæ ſit ſubſtantia prohibiti idoli, ſimilitudo ſcilicet rerum, quæ ſunt in cœlo, terra, mari. *Toto mundo*, &c. Veluti epiphonema ſuperiorum.

39. 3. Anteceſſerat enim hoc prædicens Enoch, omnia elementa, omnem mundi cenſum, quæ cælo, quæ mari, quæ terra continentur, in Idololatriam verſuros dæmonas & ſpiritus deſertorum Angelorum, vt pro Deo aduerſus Dominum conſecrarentur.

3. Pergit ad aliud teſtimonium, Enochi ſcilicet, qui prophetico ſpiritu præuiderat rem deteſtabilem. *Anteceſſerat*, Enochus ſcilicet ante Moyſen, & hiſtoriam quæ narratur in Exodo. *Mundi cenſum*, explica, res omnes creatas, quas ſtatim ſubiicit. Itaque cenſus mundi eſt, quæ continentur cœlo, terra, mari. *Verſuros*, conuerſuros. *Dæmonas & ſpiritus*, &c. Alterum eſt explicatio alterius, quod in Notis elucido. *conſecrarentur*, ſcilicet omnia illa, quæ continentur cœlo, terra, mari.

40. 4. Omnia igitur colit humanus error, præter ipſum omnium conditorem. Eorum imagines, Idola; imaginum conſecratio, Idololatria. Quicquid Idololatria committit, in artificem quemcumque & cuiuſcumque Idoli deputetur neceſſe eſt.

4. *Omnia igitur*, &c. Sententia digniſſima, quæ hæreat, & ea certè conuerti ad mores præclarè poteſt. Sed hoc concionantis eſt. *Eorum imagines Idola*, extendit vocabulum, ad alia ſcilicet ſimulacra quàm hominis. *Imaginum conſecratio*, indicat Gentilicas apotheoſes. *Committit*, peccat. *Deputetur*, id eſt, redundet quoque in artificem neceſſe eſt.

41. 5. Denique idem Enoch ſimul & cultores Idoli & fabricatores in comminatione prædamnat. Et rurſus: Iuro vobis peccatores, quòd in diem ſanguinis perditionis, pœnitentia parata eſt. Qui ſeruitis lapidibus, & qui imagines facitis aureas, & argenteas, & ligneas, & lapideas, & fictiles, & ſeruitis phantaſmatibus, & dæmoniis, & ſpiritibus infamibus, & omnibus erroribus non ſecundùm ſcientiam, nullum ab his inuenietis auxilium.

5. Aduocat alterum teſtimonium Enochi. *Et cultores & fabricatores*: reſpicit initium capitis, nam & fieri & coli prohibita Idola. *Comminatione*, quia præceſſit *ſimul*. Ait, *prædamnat*, quaſi diuinando damnat; nam æuo Enochi nondum Idola pullulauerant. *Iuro*, perinde eſt atque obteſtor. *In diem ſanguinis perditionis*, id eſt, ſanguinolentæ perditionis: aperio in Notis. *Pœnitentia*, accipe pœnitentiam ὅλμον ἐν ἄκμεσιν, vt quæ iam non opportuna, neque ad ſalutem. *Qui ſeruitis lapidibus*. videlicet informibus: de quo in Notis. *Qui imagines facitis aureas, & argenteas, & ligneas, & lapideas*. Indicat funditores, cælatores, ſculptores. *& fictiles*: en plaſticos & argillaceos artifices. *Phantaſmatibus*, id eſt, ſpectris, quæ viſum ludunt, & illudunt. *Dæmoniis*, principibus aliorum. *& ſpiritibus infamibus*, qui ſint hi, in Notis. *Non ſecundùm ſcientiam*, imò inſcientiſſimè. *Nullum auxilium*. Nam quod in fictili, in mendacio, in vanitate?

42. 6. Iſaias verò: Teſtes, ait, vos eſtis, ſi eſt Deus abſque me. Et non erant tunc
Iſa. 44. qui fingunt, & exſculpunt? omnes vani, qui faciunt libita ſibi, quæ illis non proderunt. Et deinceps tota illa pronuntiatio quà in artifices, quà in cultores deteſtatur: cuius clauſula eſt, Cognoſcite quòd cinis ſit cor illorum, & errant, & nemo animam ſuam liberare poſſit.

6. Poſt Exodi & Enochi auctoritatem tendit ad Iſaiam idoneum æquè teſtem. *Teſtes vos eſtis*, videatur caput 44. Iſaiæ, vbi luculentè de hoc malo. *Et non erant*, &c. Verba ſunt eiuſdem Iſaiæ ironica, & irriſoria, quæ ego duxi adiuuanda interrogatione. q.d. Teſtes vos eſtis ſi eſt Deus abſque me. & multi certè erant teſtes contra Deum, nam multi fictores Idolorum, & exſculptores: tamen *omnes vani*, &c. Nam quæ maior vanitas, quàm ſequi libidinem & guſtum in confingenda diuinitate, quæ nequit prodeſſe? *Tota illa pronuntiatio* Iſaiæ. *Quà in artifices, quà in cultores*, id eſt, iam in artifices, iam in cultores. *Quòd cinis ſit cor illorum*, vti explicet locum Iſaiæ, dicam in Notis. *Nemo*, &c. id eſt, nemo illorum Deorum ſe poterit liberare, ſi quid iniuriarum accipiat. *Animam ſuam*, hoc admodum irriſoriè. nam quî animam ſuam liberent, quibus nulla anima?

43. 7. Vbi æquè Dauid: Et tales fiant, inquit, qui faciunt ea. Et quid ego modicæ
Pſal. 113. memoriæ homo vltra quid ſuggeram? quid recolam de ſcripturis? quaſi aut non ſufficiat vox Spiritus ſancti, aut vltra deliberandum ſit, an malè dixerit atque damnauerit Dominus ipſos priùs artifices eorum, quorum cultores maledicit, & damnat?

7. Vltimum teſtimonium Dauidis eſt. *Et tales fiant*, vide Pſalm. 113. *Et quid ego*, &c. Quis enim tam tenax & firmus memoria, qui teneat, quæ de hac re redundent in ſacris teſtimonia? *Quaſi aut non ſufficiat*, &c. Vbi enim damnati Idolorum cultores, certè conſequenter illorum fabri. Vox illa *Spiritus ſancti* eſt aut Iſaiæ, aut Dauidis, aut vtriuſque, non Exodi, vt apparebit capite ſexto.

NOTÆ.

44. 1. QVANTO PRÆCEDIT VT FIAT QVOD COLI POSSIT.] Locus notantiſſimus, vt ſcias nunquam iure naturali prohibitas imagines veri Dei. Itaque ab omni æuo, ab ipſo Adamo potuit fieri imago Dei vt coleretur. Huius ſententiæ laudandus Tertullianus hoc loco: paritatem enim temporis in vtroque conſtituit. Sicut nullo æuo potuit fieri quod non potuit coli; ita omni æuo

potuit fieri, quod potuit coli. An verò Iurescripto id A vetitum Iudæis, dissident doctores duo æui huius grauissimi. Vasquius affirmat prohibitum, Soarius negat, postremo hæreo ego tantulus.

2. NEQVE SIMILITVDINEM EORVM, QVÆ IN CÆLO SVNT, ET QVÆ IN TERRA, ET QVÆ IN MARI.] Hæc tria vocat l. 2. Marcion. c. 22. *Idololatriæ substantiam.* Verba eius: *Proinde & similitudinem vetans fieri omnium quæ in cælo, & in terra, & in aquis, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes.* Ergo sententia huius loci est: Ne feceritis idolum, cuius tota substantia posita in similitudine rerum illarum quæ in cœlo, terra, mari.

45. 3. ANTECESSERAT ENIM, &c.] Hinc habes, idololatriam tempore Enochi nondum fuisse exortam, tantùm annuntiatam. Vide Salianum Nostrum in Annalib. anno Adami 250. vbi latè.

3. ENOCH.] Liber Enoch, cui titulus *Duodecim* B *Patriarcharum Testamentum*, sæpe citatur ab Origene, Procopio, Tertulliano, aliis. Multa ibi vaticinia de sceleribus Hebræorum & pœnis, intérque illa tum & hoc propagandæ per vniuersum terrarum orbem idololatriæ. Iactatum & vulgò illud de duabus columnis, lapidea, quæ resisteret aquis; lateritia, quæ ignibus, in quibus inclusi libri huius viri.

3. CENSVM.] In vulgatis legitur *sensum*, rescripsi ex ms. *censum*, locutione verè Tertullianica. Sed ad hunc locum probandum satis ille, qui habetur l. de Veland. Virg. c. 4. *Et si mundum dixeris, illic erit & cœlum, & quæ in eo, Sol, & Luna, & sidera, & astra, & terra, & freta, & omnis census elementorum.* Gemini verè loci. Salianus in Annalib. anno mundi 250. legit *sensum*, vt alij multi.

46. 3. DÆMONAS, ET SPIRITVS DESERTORVM.] Nihil est opus vt discrimines alterum ab altero. Locutio fere est poëtica. Virg. 1. Æn. C

--- molémque & montes insuper altos
Imposuit.

Id est, molem montium. Tritum illud eiusdem,

Pateris libamus & auro,

Id est, aureis pateris. Ergo, *Dæmonas & spiritus desertorum Angelorum erit*, dæmonas spirituum Angelicorum, qui fuere desertores.

3. DESERTORVM ANGELORVM.] Nomen militiæ. Isidorus, *Desertores vocati, eo quòd desertis militaribus officiis euagantur.* Verè λειποστρατώτας, λειποτάκτας. vox est contumeliæ plenissima. Vnde postea, *Spiritibus infamibus.*

47. 4. OMNIA COLIT HVMANVS ERROR.] Arnob. lib. 6. loquens de Roma, *Numinum cunctorum cultrix.* Quod scilicet Firmicus lib. 4. Astron. c. 13. *Omnes religiones suscepere.* Minutius, *Vniuersarum gentium sacra suscipiunt*, scilicet Romani. Dixerat quippe, *Vndique hospites Deos quærunt & suos faciunt, aras exstruunt etiam ignotis numinibus & manibus.* D Quasi auidi essent conquirendorum vndique numinum. Et alibi: *Vniuersa* (videlicet numina) *Romanos.* Aldhelmus de Virginit. *Roma fallacis idololatriæ cultrix.* Leo PP. serm. 1. in Natali Apostol. De Romana vrbe, *Omnium gentium seruiebat erroribus.* & statim, *nullam respuebat falsitatem.* Propior ad Tertullianum Saluianus lib. 6. de Gubernat. *Omnia amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est.* Spectauit fortasse Tertullianus epistolam Iudæ Apostoli, vbi, *Solum dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.*

4. DEPVTETVR.] Hoc sensu Cassianus Collat. 8. cap. 4. *Vt ei nec plena credulitas, nec absoluta reputatio deputetur.* Zeno Veronensis serm. de Iuda: *Quia inter agnos venturo tempore, non inter hœdos deputatur, qui pignus Trinitatis acceperit.*

5. IN DIEM SANGVINIS PERDITIONIS.] Iunius interserit coniunctionem, vt dicat, *In diem sanguinis & perditionis.* Potest, sed non est necesse. Nam duo substantiua poni posse pro substantiuo & adiectiuo, iam vidêre erudituli. Sic Græci, νηῶσι πρυμνῆσι: *Nauibus puppibus*, pro, extremis partibus nauium. Ita volunt accipi illud Virgilij, 48.

Ferro sonat alta bipenni,

pro, ferro bipennato. Sed de Virgilio ambigo. Ita idem Poëta 7. Æneid.

--- vt fibula crinem
Auro internectat.

Id est, fibula aurea. & Catoni *Syracusis soleæ* sunt, Soleæ Syracusanæ. Varroni, *cultri Bithynia*, sunt cultri Bithynij. Sallustio, *tæda pice*, est tæda picea. Huiusmodi exemplula inuenies in Taubmanno Comment. ad Plautum Act. 2. Scena 2. Bacchid. Nota vltima. Sed de his quoque ambigo. Nam cur non explicari ista queant ita, soleæ è Syracusis, cultri è Bithynia, tæda ex pice? Sic Tertullianus dicit (nam illum huic præcepto hæsisse aliquis credat, tametsi multa falsa sint) *diem sanguinis perditionis*, pro, diem sanguineæ & cruentæ perditionis, diem planè plenum cædium. Quid quòd non opus tanto molimine? nam interpunctio sententiæ medebitur, si legas *in diem sanguinis, perditionis.* Vel explica, *In diem perditionis sanguinis*, id est, quo perdendus sanguis, id est, peccatores. Nam vt dicat, *Pœnitentia perditionis*, non concedam.

5. QVI SERVITIS LAPIDIBVS.] Obiici potest, cur qui hoc dicat, addat postea, *Qui imagines facitis lapideas.* Duplex solutio. Prima: aliud est, colere idola; quod primo membro explicatur: aliud, facere; quod altero. Sed mihi arridet explicatio, quam dabo. Cùm hæc verba sint prophetantis Enochi, potuit profectò præuidisse genus idololatriæ insanissimæ. Etenim Gentes colebant lapides, tum formatos humana effigie, tum informes, & planè rudes, & absque vlla arte, & quales tu sæpe rure inuenis. Testis Herodianus, qui Pessinuntiam Deam ait fuisse informem lapidem è cœlo lapsum. Arnob. quoque lib. 6. ait: *Coluisse informem Arabas lapidem.* Oecumenius in Acta Apostol. cap. 26. *Qui dæmonia veritus, omnia pro numinibus colit, & lapidem, & lignum, & spiritum.* Lactant. lib. 1. cap. 20. *Quid qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus?* Ergo Enochus, *Qui seruitis lapidibus*, id est, idolis informibus, & nulla arte cultis. Cum horum discrimine postea infert *imagines lapideas.* Iuuat hanc mentem, fuisse quoque è truncis arborum informia idola: quod attingit Tertullianus Apolog. quod iam firmaui. Ergo, cur non intelligam Ambrosium lib. 1. Offic. cap. 26. locutum cum hoc discrimine, cùm ait: *Necturpe iudicant saxa adorare, & à simulacris auxilium petere?*

5. SPIRITIBVS INFAMIBVS.] Legunt ali- 49. qui *infamis*, ita vt sit forma nominis hæc, *Infamus, infama, infamum*; ad eum modum, quo *imbecillis*, & etiam *imbecillus, a, um.* & talia huiusmodi. Alij ex ms. rescribunt *Spiritibus insanis.* Sed qui isti *infames spiritus*? Psellus in libro, quem de Dæmonibus scripsit, illos confert ad sex genera: *igneum*, quod peruagatur ad æthram ipsam circa sublimiorem aërem: *aërium*, quod in propinquo nobis aëre oberrat: *terrenum*, quod circa terram versatur, & terrenis machinis mortalium aduersatur, eásque difficit: *marinum*, quod tempestates excitat, & lacus aut fluuios amat: *subterraneum*, à quo terræ hiatus, & infestatio aduersus fossores puteorum, & miseros metallorum ergastularios: Demum *lucifugum*, quod omnino tenebrosum, & passionibus frigidis multas res perdens. Additque aliqua ex his esse admodum malefica & pernicioſa. Cur non ergo *infames spiritus* Tertulliani possint hi esse

Dæmones? præsertim marini, subterranei, lucifugi? A nam hos Psellus ceteris facit maleficentiores. Ad hunc modum dicebam 1. Æneid. de duplici ventorum genere, vno nobili, altero infami. Cui postremò Neptunus exprobrat versu illo,

Tantàne vos generis tenuit fiducia vestri?

Possunt etiam dici *infames spiritus* quia *desertores*, sic enim illos aliquoties Tertullianus indigetat. Nam quę maior desertore infamia?

50. 6. ET NON ERANT TVM, &c.] Sciat Lector desiderari hæc verba in vulgata versione, sed habentur in Septuaginta, hoc tenore. καὶ οὐκ ἦσαν τότε οἱ πλάσσοντες, καὶ οἱ γλύφοντες, πάντες μάταιοι οἱ ποιοῦντες τὰ κατασκευάσματα αὐτῶν, ἃ οὐκ ὠφελήσουσιν αὐτούς. Ad verbum transtulit Tertull. & addit Leo Castrensis, sententiam egere interrogatione. quem secuti sumus. Ergo sententia est: ait Deus: Testes vos estis si est Deus absque me. cui B statim propheta: Quid ais, Deus? certè multi contra te testes, non pro te. Nonne tunc erant fingentes & exsculpentes? Multi ergo contra te testes, nam multi qui putarent esse Deos absque te. Nihilominus tamen ait Deus, testes vos estis, si est Deos absque me; nam qui faciunt libita sibi, vani sunt, faciunt enim quæ sibi non proderunt. Hic est plenus conceptus Isaiæ, iuxta lectionem Septuaginta. Itaque Deus ita confidit caussæ suæ, vt suos contrarios etiam testes pro se aduocet. Quod genus argumentandi nos pleno stylo firmauimus ad illud magni vatis:

Vel Priamo miseranda manus.

11. Æneid. Tale illud maioris Vatis, *Et inimici nostri sunt iudices.*

6. COGNOSCITE QVÒD CINIS SIT COR ILLORVM.] Hoc Isaias non dicit. imponit ergo illi Tertullianus? non. Sed explicat. Ait Isaias, ita homines stultos fuisse, vt medium lignum cremēt, ad calefaciendum se, ad coquendos panes, & carnes; de reliquo ligno sibi Deum faciant, & adorent. Ait ergo Tertullianus, sub persona Isaiæ, cor Deorum esse cinerem, quia media pars arboris & princeps conuersa in cinerem. Itaque *cor* Septimij, & *medium* Isaiæ idem est. 51.

7. VBI ÆQVE.] Iunius legit, *vti*, non est necesse.

7. ET QVID, &c.] Legerem libenter, *Ecquid ego*, &c. Sed retineri potest lectio vulgaris, ita vt primum *quid* sit pro ad quid; alterum, pro aliquid, hoc sensu, *Ad quid ego aliquid suggeram?*

7. MODICÆ MEMORIÆ HOMO.] Ita de se viri magni. Pergamius Epis. de se, Action. 3. Concilij Chalcedonens. τὴν ἡμετέραν βραχύτητα, *exiguitatem nostram.* Ibidem Theodorus diaconus Alexand. ἡμετέραν μικρότητα, *paruitatem nostram.* Ambros. lib. 2. de Virgin. *Nos infirmi admodum sumus, & impares ad docendum.* Fortunat. in vita Sancti Hilarij, *Mei ingenij breuitatem.*

7. SVGGERAM.] Huic verbo respondet Græcum ὑποβάλλεσθαι. Nam in Concil. Chalcedonens. Act. 3. ὑποβάλλομεν τῇ γνώσει: *Suggerimus ad notitiam.*

CAP. V. ARGVMENTVM.

Euertit prætextum illorum, qui Pauli verbis decepti insistunt Idolis fabricandis.

TERTVLLIANVS.

52. 1. PLANE impensiùs respondebimus ad excusationes huiusmodi artificum, quos nunquam in domum Dei admitti oportet, si quis eius disciplinam norit.

EXPLICATIO.

1. IMPENSIVS, accuratius. *Excusationes*, prætextus, προφάσεις. *Domum Dei*, Ecclesiam. *Eius*, id est, Dei. Dicit quippe huiusmodi idolorum artifices non posse recipi in Ecclesiam Dei ab eo qui nouerit Dei disciplinam, & Ecclesiasticam doctrinam.

2. Iam illa obiici solita vox, non habeo aliud quo viuam, districtiùs repercuti potest, Viuere ergo habes? Quid tibi cum Deo est, si tuis legibus?

2. *Obiici solita vox.* Obiiciebant scilicet artifices idolorum, non posse aliter vitam tolerare, nisi ab hac fabrica. *Districtius*, arctiùs, acriùs, seueriùs. *Viuere ergo habes?* id est, vitam ergo habes? sed voluit *viuere* potiùs quàm (vitam) quia artifex dixerat, non habeo aliud quod *viuam.* Sequitur. *Quid tibi cum Deo est, si tuis legibus?* Quasi è contrario diceret. Si vitam habes, & à Deo habes, non certè illa tuis legibus ducenda, sed Dei.

53. 3. Tum quòd & descripturis audent argumentari, dixisse Apostolum, vt quisque inuentus fuerit, ita & perseueret. Possumus igitur omnes in peccatis perseuerare exista interpretatione. Nec enim quisquam nostrum non peccator inuentus est, cùm Christus non alia ex caussa descenderit, quàm peccatorum liberandorum.

1. Cor. 7. 3. *Audent*, notat inuerecundiam illorum, qui audaciter torquebant sacram scripturam ad rem omnino futilem. Hac re nihil inuerecundius. *Vt quisque inuentus*, &c. Verba Pauli 1. Corinth. 7. sunt: *Vnusquisque in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud Deum.* Hinc ergo argutabant: si ante baptismum, fui artifex idolorum, ero & postea, vt paream Apostolo. *Possumus igitur*, &c. Perinde ac si dicat: Bellissimum argumentum. Sic ergo & in peccatis perseuerandum tibi, quia peccatorem te Deus reperit.

54. 4. Item: eundem præcepisse dicunt secundùm suum exemplum, vt manibus v-
1. Cor. 4. nusquisque operetur ad victum. Si hoc præceptum ab omnibus defendatur, credo &
1. Thess. 4. fures balnearios manibus suis viuere, & ipsos latrones manibus agere quo viuant. Item, falsarios vtique non pedibus, sed manibus operari malas litteras. Histriones

verò non manibus ſolis, ſed totis membris victum elaborare. Pateat igitur Eccleſia omnibus, qui manibus & ſuo opere tolerantur, ſi nulla exceptio eſt artium, quas Dei diſciplina non recipit.

4. *Vt manibus vnuſquiſque*, &c. Verba Pauli 1. Theſſ. 4. *Operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis.* Illud, *ſecundùm ſuum exemplum*, additum Tertulliano. *Credo*, irriſoriè. *Fures balnearios*, in Notis. *Malas litteras*, falſas. *Totis membris*, quia Hiſtriones toto corpore fatigantur. *Pateat igitur*, &c. Colligit id quod eſt abſurdum. *Tolerantur*, ſuſtentantur. *Si nulla exceptio eſt artium*, &c. Non ſcilicet omnes artes exercendæ à Chriſtianis, ſed quæ probæ, neque bonis inſtitutis contrariæ.

55. 5. Sed ait quidã aduerſus ſimilitudinis interdictæ propoſitionẽ, cur ergo Moſes in
Num. 21. eremo ſimulacrũ ſerpentis ex ære fecit? Seorſum figuræ quæ diſpoſitioni alicui arcanæ præſtruebantur, non ad erogationem legis, ſed ad exemplarium cauſſæ ſuæ.

5. *Ait quidam.* Noluit, credo, dare gloriam huic obiectori, ideo à nomine abſtinet. *Ex ære*, id eſt, æreum. Locutio eſt poëtica. *Seorſum figuræ*, &c. Id eſt, ſingularis eſt ratio figurarum, nam præſtruuntur alicui arcano & occulto myſterio ſignificando, Iſtæ ſeorſum ſeparãtur. Ita ſoluit argumentum illius argutuli indigni qui nominetur. *Erogationem*, abolitionem, deſtructionem, derogationem. *Cauſſæ ſuæ*, ſcilicet figuræ.

56. 6. Alioquin ſi hæc vt aduerſarij legis interpretemur, nunquid & nos, quod & Marcionitæ, inconſtantiam aſcribimus omnipotenti, quem illi hoc modo deſtruunt vt mutabilem, dum alibi vetat, alibi mandat?

6. Deducit argutatorem illum in eas anguſtias, vt eſſe Marcionitam vel nolens dicat. Quippe Marcion (vt ſcribit Tertull. l. 2. aduerſum illum c. 21.) exprobrabat Deo *præceptorum contrarietates, vt mobili & inſtabili.* Tales, inquit, nos erimus, ſi putemus Deum, qui prohibuit fieri idola, etiam permiſiſſe, quia iuſſit fieri ſerpentem æneum. Hoc enim, quid eſt aliud, quàm Deum facere mutabilem, inconſtantem, inſtabilem? Hoc cùm dici nequeat, non debet figura illa in argumentum adduci.

57. 7. Si quis autem diſſimulat illam effigiem ærei ſerpentis ſuſpenſi in modum, figurã deſignaſſe Dominicæ crucis à ſerpentibus, id eſt, ab Angelis Diaboli liberaturæ nos, dum per ſemetipſam Diabolum, id eſt, ſerpentem, interfectum ſuſpendit; ſiue quæ alia
1. Cor. 10. figura iſtius expoſitio dignioribus reuelata eſt: dummodo Apoſtolus affirmet omnia tunc figuratè populo accidiſſe: bene quòd idem Deus, qui lege vetuit ſimilitudinem fieri, extraordinario præcepto ſerpentis ſimilitudinem interdixit.

7. Sententia eſt: negari nequit, ſerpentem ſuſpenſum in deſerto fuiſſe typum crucis, vt omnes putamus, ſiue alterius cuiuſdam rei, quam ego ignoro, & quæ reuelata aliis fuerit: nam fuiſſe figuram rei alicuius futuræ certum eſt auctoritate Apoſtoli; ſi quis verò ita malus eſt, vt diſſimulet negétque hunc vel illum typum, non tamen poterit diſſimulare aut negare ſerpentem illum ſublatum fuiſſe Dei iuſſu, idque extraordinario præcepto. Itaque, idem ipſe Deus, qui vetuit fieri alia ſimulacra, iuſſit hoc fieri. Percurro quædam. *Diſſimulat*: notat hoc verbo dolum negantis hunc typum. Eſt enim non tam vera perſuaſio, quàm vafra diſſimulatio. *Serpentis ſuſpenſi in modum.* Ita ordina: effigiem ſerpentis ærei in modum ſuſpenſi. *Figuram deſignaſſe*, denotaſſe, delineaſſe. *Dignioribus*, quàm ego ſum. *Bene quod*, &c. Annecte ita. Si quis diſſimulat ſerpentis effigiem fuiſſe typum aut crucis, aut rei alterius, hoc ſaltem ad argumentum meum bene eſt mihi abominanti artifices, quòd hoc ſimulacrum cuiuſcunque rei fuerit figura, factum eſt Dei auctoritate, non Moyſis. De verbo *interdixit*, vide Notas.

58. 8. Si eundem Deum obſeruas, habes legem eius, Ne feceris ſimilitudinem. Si &
Exod. 20. præceptum factæ poſtea ſimilitudinis reſpicis, & tu imitare Moyſem, ne facias aduerſùm legem ſimulacrum aliquod, niſi & tibi Deus iuſſerit.

8. Concludit ex dictis, & conuincit Chriſtianum, ne faciat *ſimilitudinem* aliquam, quia ita lex præcipit: vel ſi faciat, imitetur Moyſen, qui fecit extraordinario præcepto. Hoc enim Deus ſi dederit, cur det, rationem habebit ſatis idoneam.

NOTÆ.

59. 1. IN DOMVM DEI ADMITTI OPORTET.] Non dubium quin reſpiciat formam illam, qua profani ſacris & templo arcebantur. Nam *Dei domus* eſt Eccleſia: ſic ſæpe Græcum οἶκον dicunt pro *templo*: eſt autem οἶκος, *domus*. Qua vſurpatione (vt profanos omittam) vſus Cyrillus Alexand. in c. 1. Micheæ, num. 4. inde & κατοικεῖν de Deo. Huc pertinet vox ναὸς pro *templo*, ſcilicet παρὰ τὸ ναίειν, *ab inhabitando*. De hac re iam plenè in lib. 8. & 10. Æneid. Forma profanorum ſcriptorum ad arcendos è ſacra domo improbos erat ἐκὰς, ἐκὰς βέβηλος, ἀλιτῆρες: *Procul, procul profanus, ſceleratus.* Par fermè ſacrorum ſcriptorum forma. Nam in Concil. Calchedonen. Actu 4. καθηρημένος εἶ, ἔξελθε: *Damnatus es, exi.* iterum. τὸν τοῦ θεοῦ βάλε, ἄρον ὕβριν τῆς συνόδου: *Iſtos mitte foras, tolle iniuriam à Concilio*: & adhuc, ἀποβάλλεσθαι τῆς ἐκκλησίας.

1. SI QVIS EIVS DISCIPLINAM NORIT.] Ita volui cum Iunio, non vt in vulgat. *Si quis eam diſciplinam*, &c. nam inf. in hoc capite, eodem planè ſenſu, *Quas Dei diſciplina non recipit.* Neque verò lectio quam repoſuimus, hoc fulcro egebat, adeo eſt perſpicua.

2. NON HABEO ALIVD QVO VIVAM.] 60.
Satis indicat, multos præuaricari ſolitos à fide propter

neceſſitatem: de his qui præter illam adhuc præuari carentur eſt can. 11. Concilij Nicæni. vide ibi.

2. DISTRICTIVS.] Hoc vſu ad ſeueritatem declarandam vſi patres. Caſſian. Collat. 8.c.1. *Pro abſtinentia diſtrictiore blandè ſolet ac latenter irrepere.* & c. 3. *Diſtrictiſſimi monachorum.* & Collat.1.c.7. *Sollemnitatem noſtræ diſtrictionis non poterimus implere.* & Greg. Mag. paſſim.

2. VIVERE ERGO HABES? &c.] Variant lectiones, mihi placet, quam repræſentaui. Pamelius legit: *Viuere ergo habes. Quid tibi cum Deo eſt? ſi tuis legibus.* In mſ. eſt *ſit vis tuis legibus.* vnde & Ful. Vrſinus. *Fit vis tuis legibus.*

61. 3. AVDENT, &c.] Homines, quibus hic auſus ad torquendas ſcripturas, vocantur ab Alexandro Epiſc. Alexãdrino χαμαιλέοντες, quibus animalculis inſita mutatio. Vide illum in epiſt. quæ præponitur Nicenæ Synodo. Notetur verbum Theodoriti l.1. Hiſt. cap. 4. τοὺς γραφὰς ἐμπαροινοῦντες. loquitur de hæreticis. Scilicet eos qui audent vim ſacris ſcripturis adducere, veluti debacchari per ebrietatem in ſacras litteras. Iterum de iiſdem, πάντα γὰρ οἱ γόητες ψεύδονται: *Mentiuntur omnia præſtigiatores.*

3. VT QVISQVE, &c.] Videatur c. 3. Concilij 2. Hiſpalenſ. vbi quiddam eſt ſimile.

3. NON ALIA EX CAVSA DESCENDERIT, &c.] Adiungatur hoc teſtimonium infinitis aliorum, in patrocinium eius ſententiæ, quæ aſſerit Deum non aſſumpturum carnem, niſi Adam peccaſſet. Verè enim Deus ſubſtantiam accepit ex ſubſtantia hominis, quia φιλάνθρωπος, vt loquitur Dionyſ. Areop. in epiſt. Nec alia eſt ratio Chalcedon. Concil. Act. 2. vbi Deus dicitur ſe totum exinaniſſe, tantùm εἰς τὸ σῶσαι τὸν ἄνθρωπον πεπλανημένον; *vt hominem deceptum ſeruaret.* Et poſt pauca ait: Deum factum hominem πρὸς τὸ χεωστούμενον ὄφλημα τῆς ἁμαρτίας φύσεως: *ad reſoluendum naturæ noſtræ delictum.*

62. 4. MANIBVS OPERETVR AD VICTVM.] Sollemne eſt dici ita de manibus. Cic. 2. Nat. *Multarum artium miniſtras manus.* Vocat Arnob. l.3. *Manus miniſtras operum.* Inde & χεῖρες, Græcis, Galeno in primis dictæ, πεχεῖται ἀπὸ τῆς ἐργάτιδος: *artifices, opifices.* Nec aliunde nata vox *manupretium*, quàm à mercede, quam manus merentur. Factum quoque hinc, vt *manus* ſumatur pro arte, quod humanis auctoribus facile eſſet illuſtrare. Vide me 1. Æneid. ad illud,

Artificúmque manus.

4. FVRES BALNEARIOS.] Sollemne genus furunculorum. Tertull. Apolog. *Lauantium prædo.* & de fuga in perſecutione: *Fures balnearum.* Catull.

O furum optime balneariorum.

Inde ſcriptum Plauto Rudent.

--- Scin tu etiam, qui it lauatum
In balneas, ibi cùm ſedulò ſua veſtimenta ſeruat,
Tamen ſurripiuntur.

Euitandis his furunculis deſtinati ſerui qui dicti *capſarij*, quòd in capſis veſtes lauantium includerent, & aſſeruarent, dictíque iſti Luciano in Hippia ἱματοφυλακοῦντες. Eorum meminit Epiphan. l.1. de Hæreſ. vbi loquens de Ioanne Euangeliſta ait: ἦλθεν εἰς αὐτὸ τὸ λουτρὸν, καὶ γνώμιμος πρὸς τὸ εἰωθότα ὑποδέχεσθαι τὸ λουόμενον τὰ ἱμάτια, ἤρετο, τίς ἔνδον ἐστὶν ὁ τῷ βαλανείῳ; *Venit ad balneum, cúmque acceſſiſſet ad eum, qui ſolitus lauantium veſtes accipere, interrogauit, quis intus in balneo eſt?* Quòd ſi aliquando iſti Capſarij aliquid furarentur, iudex erat in illos conſtitutus. Iureconſultus l. nam ſalutem 3. ff. de Offic. præf. Vigil. *Aduerſus Capſarios quoque qui mercede ſeruanda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt, iudex eſt conſtitutus, vt ſi quid in ſeruandis veſtimentis fraudulenter admiſerint, ipſe cognoſcat.*

63. 5. EROGATIONEM LEGIS.] Intellige abolitionem; hoc enim vſu hoc verbum Tertull. ſic Apolog. c. 44. *Cùm tot iuſti impendimur, cùm tot innocentes erogamur.* Id eſt, abſumimur: Quæ acceptio non abit à ſignificato iuris, vbi *erogatio* pro impenſa & ſumptu. Vnde *erogare odores & vnguenta ad funus*, non ſolùm eſt præſtare, ſed ita præſtare vt omnia exhaurias. Ita in hoc lib. c. 8. *Coronas luxuria erogat*, id eſt, conſumit, & deterit.

6. MARCIONITÆ.] De hoc errore legatur Tertull. lib. 2. aduerſ. Marc. cap. 21. & 22.

7. AB ANGELIS DIABOLI LIBERATVRÆ NOS.] 64. Hæc certè vis Cruci, hæc virtus: quam planam facit Gregor. Nazianz. contra Iulianum, narrans abominanda illius ſacra, quibus cùm perpetrandis Apoſtata inſiſteret, atque contra illum dæmonum examina obuolitarent, terrerentque deformiter, ille ſe cruce communiit, ac tunc πίπτουσι οἱ δαίμονες, λύονται οἱ φόβοι: *Cedunt victi dæmones, ſoluuntur terrores.* Rectè verò Tertull. *liberaturæ*, ſcilicet vt remedium, & medicina: nam & ibi Nazianz. Crucem vocat φάρμακον. Virtus verò crucis elegantiſſimè ab eodem Theologo loco alio eiuſdem orationis declaratur, vbi ait vinci phalangas hoſtium ab homine, cui extentæ manus in oratione. Cyprian. de Lapſis: *Frons cum ſigno Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit, coronæ ſe Domini reſeruauit.* Origenes Homilia 8. in diuerſos Euangelij locos: *Immortale lauacrum portemus in frontibus noſtris, cùm viderint dæmones, contremiſcent, qui aurata Capitolia non timent, crucem timent.* Athanaſ. de Incarnatione Verbi: *Signo Crucis magica omnia compeſcuntur, veneficia inefficacia ſunt, idola vniuerſa deſeruntur, omnis irrationabilis voluptas conquieſcit.* Euſeb. Gallican. Epiſc. Homil. 3. de Paſcha: *Ergo inter diuerſos morſus reſpiciamus ad Chriſtum, vt ad nos ille reſpiciat.*

7. DIABOLVM, ID EST, SERPENTEM INTERFECTVM SVSPENDIT.] 65. Certum eſt ſerpentem æneum fuiſſe typum Chriſti affixi & ſuſpenſi. Tertull. ait non ſolùm fuiſſe typum Crucis liberaturæ nos, ſed etiam diaboli ſuſpenſi: Chriſtus ſcilicet illum ſuſpendit & interemit. Non caret patrono Tertullian. nam Theodorus Prodromus in explicatione Canonis Coſmæ Hieroſolymitani, ita ſcribit: μυθεῖς οἴεσθω τὸν χάλκεον ὄφιν τύπον εἶναι τοῦ Χριστοῦ, ἐκ τοῦ βλέπειν τοὺς ὀφιοδήκτους ἰᾶσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον τῆς ἀντικειμένης δυνάμεως τύπον εἶναι: *Nemo putet ſerpentem æneum typum fuiſſe Chriſti, quòd ſcilicet laſi à ſerpentibus aſpectu eius curabantur; ſed potiùs cenſendum eſt, fuiſſe typum aduerſariæ poteſtatis.* Sed errat Theodorus hic cùm ait, *Nemo putet.* Tertullianus cautior eſt, qui non negat typum fuiſſe Chriſti, ſed tantùm triumphatum ibi Diabolum, ſuſpenſum, traductum, quod veriſſimum eſt. Origenes etiam explicans illud Ioſue 8. vbi ſuſpendit Regem Hai *in ligno*, ita ait: *Domini noſtri Ieſu Chriſti Crux gemina fuit, hoc eſt gemina ratione & duplici conſtat. Quia viſibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus eſt, inuiſibiliter verò in ea cruce Diabolus cum principibus ſuis & poteſtatibus affixus eſt cruci*: & probat ex verbis Pauli, qui ait, Quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens cruci ſuæ, & exſuens principatus & poteſtates traduxit liberè triumphans in ligno Crucis. Prudent. etiam hymno 1. περὶ στεφ.

Cæſaris vexilla linquunt, eligunt ſignum Crucis,
Proque ventoſis draconum, quos gerebant, palliis,
Præferunt inſigne lignum quod draconem ſubdidit.

7. OMNIA TVNC FIGVRATE, &c.] Ita verè eſt, & omnes clamant. Adduco Metaphraſtem, qui in vita Dionyſij Areop. πάλαι μὲν ἐν τύποις καὶ τοῖς τῆς πίστεως ἀπὸ αἰνιγμάτων καὶ τοῦ τῆς ἀληθείας φέγγους τῷ τῆς σκιᾶς νέφει συνεκαλύπτετο. *Fides olim poſita erat in figuris & ænigmatibus, & veritatis fulgor latebat vmbroſa in nube.*

7. BENE QVOD IDEM, &c.] Vſurpat aliàs hanc locutionem.

7. INTERDIXIT.] Fruſtra ſudant Critici. Lati-

nius quippe pro *interdixit* legit, *fieri iussit:* Iunius *interduxit:* alij *introduxit.* Sed frustra omnes, offensi credo insolentia vocis. Sed ab ingenio huius Afri non abhorret vt dixerit *interdixit,* pro, interim dixit. Id est, idem Deus, qui vetuit fieri simulacra, tamen tunc interposuit hoc præceptum de fabricando serpente æneo. Non video cur hoc absonum videri possit. Præsertim cùm apud Iureconsultos *interdicta* non sint semper prohibitiones, sed etiam formæ quædam & corruptiones verborum (ita docet Iustinian.) quibus Prætor aut iubebat, aut prohibebat aliquid fieri. Inde Isidorus doctè l. 5. Etymol. *Interdictum est, quod à iudice non in perpetuum, sed pro reformando momento ad tempus interim dicitur.* Nota extrema verba: Nam & sic Tertull. *interdixit,* id est, interim & ad tempus dixit. Non enim Deus voluit semper fieri simulacra in eo populo, sed tantùm tunc & ad tempus, ad typum figuratiuum. Vetus etiam Gloss. apertissimè. *Interdictum* διαλεγόμενον μεταξὺ δύο ἀμφισβητούντων ἐπὶ νομῆς. Inde Brisson. lucem dat Tullio lib. 7. Famil. epist. 32. vbi: *Vrbanitatis possessionem, amabo, quibusuis interdictis defendamus.* Id est, qua possimus forma. & quidem *interdictum* vsurpatum pro *interim dictum,* ex alia forma Latij perspicuum fit, quæ contraria huic: dicitur enim *satis agere* pro *satagere:* quam formam vide in Lucifero Episc. Cal. in opere, cui titulus, Moriendum esse pro filio Dei.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Fabricam idolorum coargui ex sacramento baptismi.

TERTVLLIANVS.

67. 1. SI nulla lex Dei prohibuisset idola fieri à nobis, nulla vox Spiritus sancti fabricatoribus idolorum non minùs quàm cultoribus comminaretur: de ipso sacramento nostro interpretaremur nobis, aduersas esse fidei eiusmodi artes.

EXPLICATIO.

1. RESPICIT hoc caput ea quæ dicta sunt cap. 4. vbi adducta lex Exodi hęc: *Ne feceritis idolum:* adductus etiam locus Isaiæ, qui doctus à Spiritu sancto, iam in artifices, iam in cultores comminatur. Ergo ait: Esto nihil lex præcepisset, esto nihil Isaias scripsisset in cultores & artifices idolorum, certè de ipso Christianismi sacramento interpretaremur nobismetipsis, artes conficiendi idola, esse contrarias fidei.

68. 2. Quomodo enim renunciauimus Diabolo & Angelis eius, si eos facimus? Quod repudium diximus his, non dico cum quibus, sed de quibus viuimus? Quam discordiam suscepimus in eos, quibus exhibitionis nostræ gratia obligati sumus?

2. Efficit ergo ex sacramento baptismi, quod proprium Christianorum (ideo *nostrum* esse dixit) idolorum formas aduersas esse fidei. Nam in eo sacramẽto, qui fidem ingrediuntur, renuntiant *Diabolo & Angelis eius,* illis *repudium* dicunt, *discordiámque* suscipiunt aduersus eos. Ista omnia (*renuntiatio, repudium, discordia*) inania & cassa sunt, si idola conficias. Illa, *Non dico cum quibus, sed de quibus viuimus:* dicuntur, quia qui conficiunt idola, necessariò habitant cum illis in eadem domo. Ergo ait, Non solùm viuis cum illis cùm conficis; sed viuis de illis, nam ex ea fabrica victum quæris. De *exhibitione,* in Notis. Considerentur oppositiones. Nequeunt enim ista stare, scilicet, *renuntiare* idolo, & *facere* illud: *repudium* dixisse, & *conuiuere*: demum *discordiam* suscepisse, & eidem cum quo suscepisti, *obligari* illigaríque.

69. 3. Potes lingua negasse, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto struis? Vnum Deum prædicare, qui tantos efficis? Verum Deum prædicare, qui falsos facis?

3. Pergit vrgétque idem argumentum crebris interrogationibus, quæ omnes nituntur certissimo sanctorum fulcro asserentiũ sæpissime verba absque operibus esse inania: nam facta in omni re semper potiora.

4. Facio (ait quidam) sed non colo. Quasi ob aliam caussam colere non audeat, nisi ob quam facere non debeat, scilicet ob Dei offensam vtrobique.

4. Ineptissimæ huic excusationi, *Facio sed non colo,* respondet, eâdem caussâ non facienda, quâ non colenda, scilicet, propter *offensam Dei.* q. d. Cur non colis? Respondebit: Quia Deum offendo. Cur ergo facis, si Deum quoque faciendo offendis?

5. Imò tu colis, qui facis vt coli possint. Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicuius, sed tuo proprio: nec anima pecudis impensa, sed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis.

5. Dixerat ineptus ille, Quamuis *facio, non colo.* Ait doctor, *imò colis,* nam nemo magis cultum exhibet, quàm qui facit Deum, vt alij colant. verissimè. Pergit. *Colis* Deos falsos si non nidore fumantium carnium, certè tuo *spiritu,* quo totus incumbis anhelásque in eam fabricam: si non *anima pecudis,* certè *tua,* quam exhauris atque impendio defatigas in id opus: pro victima *immolas illis tuum ingenium,* pro hostia *sudorem libas,* pro thure *accendis tuam prudentiam.* Pulcherrimè omnia, & admodum propriè. *Prudentiam accendere* est, solertiam acuere, & vigorem mentis impendere in artificium idolorum.

70. 6. Plus es illis quàm Sacerdos, cùm per te habeant Sacerdotem. Diligentia tua numen illorum est. Negas te, quod facis, colere? sed illi non negant, quibus hanc saginatiorem, & auratiorem, & maiorem hostiam cædis, salutem tuam.

6. Fecerat artificem immolatorem idolorum, ac perinde Sacerdotem, iam hîc facit plus quàm Sacerdotem. Nam *plus* est, *quàm Sacerdos*, qui facit vt *habeant Sacerdotem*. Addit, *Diligentia tua numen illorum est*. q. d. Non haberent numen nisi tu diligens esses in fabricandis. *Diligentia tua* potest esse casus vltimus, vt dicat, ex tua diligentiâ pendet illorum numen: vel rectus, neque tunc caret commodo sensu, vt dicat, in tantum est illis numen, in quantum tu es diligens in fabricando. *Negas te*, &c. Ait: Si tu neges te Deos *colere*, Dij ipsi *non negant*, in quorum fabricam absumis vitam *salutémque*, & verè illam *cædis* non aliter ac hostiam cæderes. nec *hostiam* vilem, sed *saginatiorem*, *acuratiorem*, *maiorem*. De his in Notis.

NOTÆ.

71. 1. ADVERSAS ESSE FIDEI, &c.] Legunt, *Aduersas esse & fidei*, &c. vt dicat, aduersas esse nobis, & fidei: non displicet, sed non est necesse. Cæterùm ad sententiam legantur, quæ scripta de quinque martyribus, qui passi quòd nollent facere idolorum statuas. Habentur in vita Sanctorum quatuor Coronatorum. Certè quia putarunt hanc artem esse aduersam fidei.

2. RENVNCIAVIMVS.] Tria verba signatissima *renuntiatio*, *repudium*, *discordia* aduersus Diabolum in ingressu baptismi. Dionys. Areop. de Eccles. Hier. 2. ritus omnes in hac re seruari solitos exactè persequitur. In his non hunc omittit. Hanc renuntiationem ἀποταγὴν vocat, quasi defectionem à Diaboli castris. & post multa, περὶς τὸ τῆς θεοειδοῦς ἐναντίον ἀποταγάς. q. d. *Nuntium remitti ei, quod Dei similitudini est contrarium.* Atque hominem, qui tale repudium dixit, vocat παντελῶς ἄοικτον καὶ ἀκοινώνητον γεγονέτα: *Omnino liberum, & priuatum, ab omni communione*, quæ esse possit cum Diabolo. De his moribus vberiùs alibi.

72. 2. EXHIBITIONIS.] Alimoniæ, victus. Cyprian. epist. 3. *Siue viduæ*, *siue Clydomeni* (alij *Clynomeni*, vide Pamelium) *qui se exhibere non possunt, siue hi qui in carceribus sunt, siue excluſi à sedibus suis, vtique habere debent, qui eis ministrent.* Id est, qui se non possunt alere. & lib. de orat. Dominica: *Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti simus.* Id est, victum. Arnoldus in vita Sancti Godehardi cap. 12. *Charitatis exhibitionem suscipere.* Mitto Tertull. ipsum, qui sæpe hac voce.

3. MANV CONFITERIS.] Acumen in voce. Confessio ore fit, at iste artifex manu confitetur.

4. OB ALIAM CAVSSAM.] Ita rescripsit Pamelius, cùm priùs esset *aliquam*. Nec scio cur lectionem mutauerit.

73. 5. SPIRITV NIDORIS.] Vocat *spiritum* olfactum illum, atque odorem, & vstrinam, quæ ex assis coctisve prouenit: nam est veluti spirans quidam flatus, quo nasus percutitur, ex quo nidoris spiritu aut flatu pungente nares dixit Horat. 2. Sat. 7.

nasum nidore supinor.

Ergo ait, *non spiritu nidoris, sed tuo proprio spiritu*, Ludit quippe in voce coniungens spirantem olfactum cum spiritu, quo homo viuit.

5. IMPENSA.] Cùm *impendo* sit sumptus facere, verè alludit ad impendium, quod animæ suæ facit miser faber. Illam enim absumit ac deuorat totámque impendit lethali crimine, quod ipse sup. vocauit *deuoratorium* & *exitiosum*. De pecude impensa dicam statim.

74. 5. ILLIS SVDOREM TVVM LIBAS.] Est *libare* aliquid effundere in terram. Heliod. lib. 2. Hist. Æthiopicæ. καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπέχεε τῆς φιάλης ἄκρατον τὸ ὕδωρ. τοῦτο καὶ σπένδω ἔφη θεοῖς ἐγχωρίοις τε καὶ Ἕλλησιν: *Hæc loquutus effundebat ex cyatho meram aquam, & libo* (dicebat) *Diis huius terræ, & Græcis.* Optimè ergo *sudorem libare*, quia libatio omnis ex aqua fit. Vnde idem lib. 4. κἀπειδὴ τῷ λιβανωτῷ λαβὼν ἐπέθυσα, καὶ ὕδατος ἔπεισα: *Postea verò quàm accepto thure adoleui, & aqua libationes feci.*

6 SAGINATIOREM.] Notat farcturam pecudis, quæ præcedebat sacrum. Non enim macra Diis offerebantur, sed saginata & farcta. Vtramque vocem Plaut. coniunxit Most.

Este, effercite vos, saginam cædite.

Et Propert. lib. 4. Eleg. 8.

Venalia farta saginæ.

Ac fortasse cùm suprà dixit *impensam pecudem*, intellexit farctam & saginatam, & qualem offerri in sacris moris erat, vel si non intellexit, quin eò alluserit, mihi non est dubium. Itaque sententia illa superior esse potest. *Nec anima pecudis impensa, sed anima tua*, id est, nec anima pecudis saginata, sed tua. Nam *impensa* de sagina dicitur. Plautus Captiu.

--- Cibo iste factus est impensior.

Id est, farctior & saginatior. Arnob. lib. 7. *Cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit, quid cum libis, quid diuersis cum fratribus, confectionis iure multiplici, atque impensarum varietate conditis.* vbi *impensæ* sunt farcturæ: Vt etiam *diuersi fratres* sunt diuersa genera farciminum. Vide Frider. Taubmannum Comment. ad Plaut. Act. 1. Scen. 1. Milite Glorior.

6. AVRATIOREM.] Quippe hostiæ & victimæ auro ornabantur. Plato 2. Alcib. χρυσόκεροις βουσί. Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 16. ταῦρος χρυσοκέρωτας. Plinius lib. 33. cap. 3. *Auratis cornibus hostiæ.* Prudent. hymno 10. 75.

Necnon & auro frons coruscat hostiæ,
Setasque fulgor bractealis inficit.

Vide quæ plena manu lib. 9. Æn. ad illud,

Aurata fronte inuencum.

6. MAIOREM.] Maior victima aut hostia est taurus, bos, vacca: minor, ouis, capra, sus. Hoc certius discrimen, quàm vt maiora dicantur, de victimis; minora, de hostiis. Scias etiam inter primas, maiorem esse taurum, inter alteras maiorem esse ouem. Hoc sensu antiqui dicebant *maius*, sic *maioribus poculis* prouocare ad eum modum, quo dixit Maximus Episc. Taurinens. Homil. de Defectu Lunæ: *Quando copiosa cœna venter distenditur, quando maioribus poculis caput mouetur.*

6. SALVTEM TVAM.] Non de nihilo, potuisset vitam dicere, aut aliud quoduis, dicit salutem, quia *saluto* dicitur de aris de victimisque, Lucret. lib. 1. 76.

--- tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, prætérque meantum,

Id est, adorantium. & Plaut. in Sticho dixit,

Deos salutatum deuertor.

Ergo *salutem cædis* est, alteram hostiam offers pro illis.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Producit zelum Fidei contra hos perorantem, intonantémque.

TERTVLLIANVS.

77. 1. TOTA die ad hanc partem zelus Fidei perorabit ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, de aduersaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus matres Idolorum, his manibus adorare quæ foris aduersus Deum adorantur, eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt.

EXPLICATIO.

1. NIhil potuit πραγικώτερον, ad crimen hoc exacerbandum. En *zelum* producit qui debeat *perorare*, rectiùs *ingemere*, & *die tota*, non definito spatio, contra Christianos artifices Idolorum. Hîc mille sunt emphases. Nam quale est, audire *zelum perorantem*, vti *Christianus veniat in Ecclesiam* Dei, in *domum Dei* ab *officina* dæmonum? Tu reliqua expendes, quæ non modò emphatica, sed supra omnem emphasim. Pulcherrimè vocat manus *matres idolorum*, videlicet ob fabricam, & opponit Patri Deo. *Foris*, id est, extra Ecclesiam. *Adorantur*, metonymicè. Quia scilicet in ipsis Idolis adorātur quoque manus artificis. *Eas manus admouere corpori Domini*, &c. Dicit hoc, quia æuo Tertulliani sacerdos non inferebat Eucharistiam in os laïci communicantis, sed dabat in manus, & ipsemet laïcus sumebat. De quo more iam in lib. de oratione ad Exitum. Ergo ait: Manus illæ accipiant *corpus Domini*, quæ fabricando conferunt idolis corpora? Omnia πανπονηρά.

78. 2. Nec hoc sufficit. Parum sit si ab aliis manibus accipiant, quod contaminant, sed etiam ipsæ tradunt aliis quod contaminauerunt. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices Idolorum.

2. Non est satis suprà memoratum scelus, vt laïcus scilicet accipiat corpus Domini manibus contaminatis abominando artificio, sed quod est dirius (clamabit zelus) *Idolorum artifices adleguntur in ordinem Ecclesiasticum*, & ita *tradunt aliis*, corpus Domini, *quòd* priùs *contaminauerunt*.

3. Proh scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt; isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! viderint iam, an per similitudinem dictum sit, si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur?

3. Exhorrescit Tertullianus, potiùs zelus Dei & Fidei, & meritò, ad tantum facinus. Superantur Iudæi ipsi ab istis in atroci scelere. Illi semel manus Christo intulerunt, sacerdotes isti architecti Idolorum quotidie impuris manibus diuinissimum corpus lacessunt, prouocant, pungunt, & verè lacerant. Inde viuida exclamatio, *ô manus præcidendæ!* Sequitur! *Viderint iam*, &c. q. d. non iam typo aliquo, & figuratè dictum à Christo amputandas manus scandalizantes, quando istæ verissimè, amputandæ sunt, quæ scandalo sunt ipsi corpori Domini. Hæc porro omnia deriuare concionator potest in sacerdotem celebrantem in mortali.

NOTÆ.

79. 1. TOTA DIE AD HANC PARTEM.] Putat A Iunius initium huius capitis esse ab illis, *ad hanc partem*. Et verba illa *tota die* annectenda superiori capiti, in quo inuenit emphasim, vt dicat *salutem tuam tota die*. Sed si consideres, non minor emphasis, & maior credo, si *zelum* Domini *perorantem* audias, ac tota die vociferantem cum gemitu contra artifices. Itaque nihil mutabis me censente.

1. PERORABIT.] Hîc non est peragere caussam, id est, finire: sed orare diem totum & perseuerare. Ita Petron. *In ebrios fugitiuósque diu perorabit*. Itaque præpositio *per* totum indicat diem, ad cum modum, quo *pernoctare*, de quo lib. 50. II. tit. 16. l. *Vrbana familia*. Vbi *Pernoctare extra vrbem intelligendus est, qui nulla parte noctis in vrbe est, (per) enim totam noctem significat*. Similis vsus in aliis. Nam cùm Sidon. epist. 10. lib. 5. ait, *perorantem & rhetorica sedilia plausibili oratione frangentē*, certè intelligit diu multúmq; orantem. Videatur & testimonium præclarū Saluiani epist. 4. vbi de Galba perorante. Ex sequentibus enim multis efficitur clara significatio, quam dixi.

1. ECCLESIAM VENIRE.] Latissimus est 80.
hîc Pamelius adducens nomina, quæ fuerint locis dedicatis diuino cultui. Nominat θυσιαστήριον, οἶκον, domum Dei, & ναὸν, sanctuarium, sanctum, templum, tabernaculum Domini, oratoria, loca sancta, basilicas, demum Ecclesiam. Adiungo ego quæ ille omisit, qui tametsi sit doctissimus, sed miror multa alia loca prætermissa, quæ non videbantur negligenda in exquisita narratione. Dicam autem loca hæc Sacrosancta adductis testimoniis veterum. Vt autem procedam vti par est, his solùm terminabo orationem, adductis locis, in quibus Missa celebraretur. Primo, in Concilio Chalcedon. Act. 4. Basilicæ Martyrum dicuntur *Martyria*. Dicitur enim ibi 81.
Concilium congregatum, ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας καὶ καλλινίκου Μάρτυρος Εὐφημίας: *In Martyrio sanctæ & pulchræ Martyris Euphemiæ*. Vnde cùm Augustinus,

dixit lib. 1. Ciuit. cap. 1. *Testantur hoc martyrum loca, & basilicæ Apostolorum*, non dubium quin membro primo intellexerit martyria. Concilium primum Carthaginiense can. 2. *Martyrum dignitatem nemo profanus infamet tempore quo Martyria celebrentur.* Chrysostomus in sermone Ascens. ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς Ρωμαικῆς: *in Martyrio Romanensi.* Theodorit. etiam lib. 2. Hist. cap. 24. ait, rerum diuinarum studiosos congregatos ad canendos psalmos, εἰς τοὺς τῶν Μαρτύρων οἴκους, *ad sepulcra Martyrum.* Sed nemo dubitabit qui audiat Eusebium lib. 2. de vita Constantini cap. 40. vbi: ἐν μὲν ἐν τοῖς τόποις αὐτοῦ οἱ τοῖς πόθοις τῶν μαρτύρων τετιμῶσι, τίς ἂν ἀμφιβάλοι, μὴ οὐχὶ τοῖς ἐκκλησίοις προσήκειν; *Quin etiam loca illa, quæ Martyrum corporibus honorata sint, quis dubitet quin ad Ecclesias pertineant?* Est & alius eiusdem locus clarissimus lib. 4. de vita Constantini, vbi ædem Apostolis sacram vocat cap. 58. μαρτύριον, & capite sequenti νεών. Quin templum Hierosolymis, B in Caluariæ loco, à Constantino ædificatum, magnum *martyrium* dicebatur. Vide etiam Palladium in vita Ioannis Chrysost. signata verba, *in martyriis orantes. cum lacrymis.* Et adhuc, admonente
82. Stephano Duranto lib. 1. de Ritib. Ecclesiæ cap. 1. quod Græci *martyrium* vocant, Latini appellant *Confessionem*, id est, Ecclesiam. Anastasius Bibliothecarius in vita Sixti 3. Papæ: *Sixtus Papa fecit confessionem Sancti Laurentij, martyria cum columnis porphyreticis, & ornauit transcœnam, fecit quoque ibi ad confessionem altare Sancti Laurentij.* Anastasius: *Propitiatorium laminis argenteis ornatum circumduxit, atque sacram confessionem eius interius exteriúsque cum regulis suis constituxit.* Sixtus III. *Ornauit de argento confessionem Beati Petri Apostoli.* Idem est quod altare. Petrus Vrbeuetanus, in libello ordinis Romani: *Confessio est capsa, vel sepulcrum, vel ipsum corpus Petri conditum sub altari.* Vide au- C ctorem ipsum, qui latè de Confessione. Et adduco tibi vnicum Paulini testimonium Epistola 12. ad Seuerum: *Verùm hanc quoque basiliculam* (aduerte ad nomen basilicæ addi quoque basiliculam) *de benedictis Apostolorum & Martyrum reliquiis sacri cineris, in nomine Christi Sanctorum sancti, & Martyrum Martyris, & Dominorum Domini, consecrabunt: ipse enim testatus est se vicissim confessorum suorum confessorem futurum.* Proculdubio insinuat confessionem sub nomine confessorum. Idem honos contigit Apostolis: vt enim Martyria dictæ sunt basilicæ Martyrum; ita Apostolorum dicta sunt *Apostolia* siue *Apostolea:* Concilium Ephesinum: τὰ ἅγια Μαρτύρια, ἢ τὸν ἅγιον Ἀποστόλιον ἀπέκλεισε: *Sancta Martyria, & sanctum Apostolium clausit.* In eodem Concilio inuenitur de Martyribus, Ἀποστόλιον τὸ ἁγίου Μωκίου: *Apostolium Sancti Mocij.* Transeo tandem ad alia breuiore gyro, dum de Apostolio videas Sozomenum
83. lib. 8. cap. 17. Secundo, Basilius Seleucienses Episcop. D in vita Teclæ, templum Diui Pauli non solùm vocat νάον, id est, domum, sed etiam ἑστίαν, quasi dicas, *larem & focum.* Tertio, Zeno Veronensis in psalm. 126. quas omnes Ecclesias vocant, ille cum adiecto *conuentus Ecclesiarum*, quòd eò fideles conueniant. Verba eius: *Conuentus Ecclesiarum, quos ad secretam sacramentorum religionem, ædificiorum septa concludunt.* Quarto, apud Greg. Nazianz. orat. 9. ponitur βῆμα pro sacrario, quòd gradibus ascendatur ad eum. Vide Cæsarem Bulengerum virum doctissimum cap. 21. lib. 3. de Templis. Quinto, Sanctus Paulinus *ædem* vocat epist. 12. ad Seuerum; sic enim ait:

Quisquis ab æde Dei perfectis ordine votis
Egrederis, remea corpore, corde mane.

Sexto, Balsamon Patriarcha Antiochenus in Me- 84.
dit. multa περὶ τῶν σκευῶν, *de sacellis.* Imò ait curatorem Monasteriorum & Ecclesiarum, dici inde σκευοφύλακιον, *sacellarium.* Est & *sacelli* nomen in Sidon. epist. 18. lib. 4. video tamen ab Aldhelmo de Virgin. cap. 15. numerari sacella vt loca Idolatrica. Septimo, adiicio *locum sanctificationis* pro Ecclesia: Gregorius enim Nyssenus in lib. de Baptismo loquens de Eunucho, de quo Act. 8. fit mentio, ait, illum exoptare baptismum, neque expectare ad illud recipiendum, πόλιν, ἢ κώμην, ἢ τὸν τόπον ἁγιάσματος: *Ciuitatem aut diuersorium, aut locum sanctificationis.* Octauo, *Titulus* pro Ecclesia 85.
accipitur, quod me docuit Iosephus Vicecomes lib. 1. de Baptismo, cap. 6. Et Bulengerus lib. 3. de Templis cap. 4. Anastasius de Sancto Marcello Papa: *Hic viginti quinque titulos in vrbe Roma constituit, quasi diœceses, propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis, & propter sepulturas Martyrum.* Ado etiam Episcopus Treuerensis in vita Sanctæ Praxedis, ita ait: *In titulo verò, quem Pater eorum Pudens, nomine beati Pastoris dedicauit, vnà cum consilio Beati Pij sedis Apostolicæ Episcopi, fontem baptismi construere soror, & ipsa, studeant, vt familia earum die Sancto Paschæ baptizaretur.* Dicit videlicet Praxedem virginem & sororem eius Potentianam ædificasse baptisterium in titulo, & *titulum* vocat ipsam Capellam adhærentem Ecclesiæ. Nono, idem 86.
Vicecomes *regale palatium* pro Ecclesia accipit. Ibidem, illud Cyrilli Hierosolymitani explicans, *Iam est beatitudinis odor in vobis, iam circa porticum regalis palatij fuistis, vtinam verò & ab ipso Rege introducamini.* Quem in locum, sic ait: *Animaduertendum est Regalis palatij nomine Ecclesiam sumi, in qua immortalis Deus Christiana Reipublicæ princeps & custos, præcipua religione colitur.* Mox explicat locum. Videsis illum. Decimo, Victor 87.
Episcop. Vticensis lib. 1. Hist. *Aulam* vocat, cùm ait: *Fortè venerabilis aulæ clausas repererunt portas, certatim ictibus dextralium, aditum reserabant.* Et Sanctus Paulinus epist. 12. ad Seuerum, vbi ait:

Antiqua digressè sacri Felicis ab aula,
In noua Felicis culmina transgredere.

Iterum:

Attonitis noua lux oculis aperitur, & vno
Limine consistens geminas simul aspicit aulas,

Adhuc iterum:

Tergeminis geminæ patuerunt arcubus aulæ,
Mirantúrque suos per mutua limina cultus.

Decimo primo, Rabanus Maurus in partem ec- 88.
clesiæ intrudit *absidam*, cùm lib. de Pœnitentib. cap. 35. ait: *ante absidam Ecclesiæ manus ei imponatur.* Et Paulinus in epist. 12. ad Seuerum. *Apsidem* (sic legit) *solo & parietibus mormoratam camera musiuo illusa clarificat.* Et quidem esse *absidam* atrium Ecclesiæ explicat Antonius Augustinus in Notis ad Rabanum. Et rectè: nam semper putatus est pars Ecclesiæ locus ille, vbi defuncti; atqui olim fideles sepeliebantur in atriis Ecclesiarum: quem morem obseruo ex Romano Pœnitentiali tit. 7. cap. 25. vbi inter alia: *Cùm venerint in atrium Ecclesiæ, vbi sepulta sunt corpora fidelium, & dum calcauerint sepulcra proximorum,* &c. Credo autem, siue *absidam*, siue *atrium* esse locum, quem *cryptoporticum* vocat Sidon. epist. 57. cap. 5. cùm ait: *Basilica cincta diffusis cryptoporticibus.* Omnino quod Eusebius lib. 3. de vita Constant. cap. 49. μακρῆς ἔξωθεν περιβόλους τὸν πάντα νεὼν περιλαβών: *circumludens templum totum longis porticibus.* Et quod idem lib. 14. c. 59. in descri-

ptione templi Apostolorum, αὔριος ἀυλὴ παμμεγέθης, A ait scilicet circa templum illud fuisse *aulam ingentem subdialem*. Et in hanc partem venire *cœmeteria* possunt olim saltem, nam olim pro Ecclesia habebantur. Nam in cœmeteriis & synodos congre-
89. gabant Episcopi, & psalmos canebant, & sacramenta administrabant, vt Clemens lib. 6. Constit. Apost. cap. 29. Et Athanasius in Apologia sua. Inde est vt *cœmeterium* pro oratorio vsurpet Cassiodorus lib. 5. Hist. Tripart. cap. 3. Victor Episc. Vticens. lib. 1. Hist. *Præsertim in Ecclesiis Basilicisque, & cœmeteriis, & Monasteriis sceleratius sæuiebant, vt cum maioribus incendiis domus orationis magis quàm vrbes cunctáque oppida concremarent.* Tandem Ecclesiæ rebus pacatis distincta fuerunt templa à cœmeteriis. Vide Onuphrium in lib. de Rit. sepeliendi mortuos. Et hanc eandem absidam puto esse *adiculam* illam *salutariam*, quæ erat ante templum, cuius fit mentio ab Theodorito lib. 5. Hist. B c. 17. vbi latè narrat Historiam Theodosij atque Ambrosij, ille vocat οἶκον ἀσπαστικόν. Eusebius lib. 3. de vita Constant. c. 52. vocat πρὸ πύλων. Itaque hoc numero inclusi absidam, atrium, cryptoporticum, porticum, locum subdialem, cœmeterium, ædiculam salutariam, πρὸ πύλων, quæ voces sunt annexæ inter se, & hoc numero debuerunt includi. Decimo secundo, Simeon Metaphrast. in vita Dionys. Areop. vsurpat εὐκτήριον. Videlicet *precatorium.*
90. αὐτεγείρει (inquit) εὐκτήριον τῷ ναῷ: *Excitabat precatorium, & templum.* Esse εὐκτήρια propriè precatoria illa, quæ habentur in priuatis ciuium ædibus satis liquet ex Concil. Constantin. in Trullo can. 31. & 59. quibus in locis priuata domorum precatoria auctoratoria dicuntur εὐκτήρια. Video ab Eusebio lib. 3. de vita Constant. cap. 49. dici εὐκτήριον interiorem templi partem, vtique sanctuarium ipsum. Et quidem C hanc vocem inter sacratissimas voces templorum vsurpatam vt sacerrimam apparet satis ab eodem
91. Eusebio eodem lib. cap. 63. Decimo tertio, Ægilus in vita Sancti Sturmionis, *capellam* vocat locum precationis & orationis, quæ vox vulgo Hispanico vsitatissima. Huc refero *Sanctuarium* in epist. 2. Clementis, qui ita ait: *Non licet ea, quæ in Sanctuario fuerint, malè tractari.* Et in Epist. 2. Vigilij: *Si verò Sanctuaria quæ habebat Ecclesia, ablata sint, rursus eorum repositione, & Missarum sollemnitate reuerentiam sanctificationis accipient.* Quo loco *Sanctuaria* sunt Martyrum reliquiæ. Quin addatur huic numero *Pharus.* In vita enim Sancti Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani sic leges: ἐν μέσοις τοῖς ἀδύτοις τοῦ ναοῦ τῆς Θεομήτορος, ὃν δὴ φάρον ἐν τῷ παλατίῳ φασί: *In mediis adytis templi Sanctissimæ* D *Dei parentis, quem Pharum in palatio dicunt.* Decimo quarto, *cellas* quoque in numerum sacrorum locorum intrudo, vt destinatas non solùm habitationi monasticæ, vt vulgò agnosceretur, sed aliis sacris vsibus, patrocinante loco Aldhelmi lib. de Virgin. c. 26. verba eius: *cellam, in qua virgines psalmodiæ conuentum celebrabant, violenter irrumpere non veretur.* Decimo quinto, ex Ammiano lib. 15. dico & Ecclesias Christianorum dici *conuenticula.* Ait enim: *Syluanum extractum ædicula, quò exanimatus confugerat, ad conuenticulum ritus Christiani*
92. *tendentem.* Decimo sexto, inuenio vnum in Vitruuio in Præfat. libri 7. scilicet *sessimonium* (quod aperit Turnebus lib. 2. Aduers. cap. 3.) deductum à sessu, vel sede, vt à merce mercimonium. ait itaque: *Suspectus habent in Deorum sessimonio*, id est, in Deorum templis ædificandis, & sedibus statuendis. Decimoseptimo, in historia Ecclesiast. Theodoriti aliquas voces reperi, nam lib. 1. cap. 14. ἱερατεῖον, nominat Ecclesiam Christianorum, id est, *sacrarium.* Vide eundem lib. 2. cap. 13. vbi ἱερατεῖον distinguit ab Ecclesia, vt partem sanctiorem. In eodem est, τόπος ἱερὸς lib. 1. cap. 14. pro Ecclesia. Et idem lib. 5. cap. 17. in numerum locorum sacrorum intrudit ἀνάκτορον, quæ vox Gentilibus est templum & delubrum. Quæ vox est etiam in Magno Dionysio Areopag. In Eusebio est non solùm vox trita *basilica*, sed etiam βασιλεῖον. Vide illum lib. 3. de vit. Constant. cap. 37. Inde *basilicani* basilicarum custodes dicuntur Augustino, & Orosio. De- 93.
cimo octauo, *Episcopium* locum esse celebrandis Missis, docemur à Leontio Neapoleos Cypriorum Episcopo in vita Sancti Ioannis Alexand. vbi scriptum reliquit, Ioannem illum eleemosynarium Alexandrinum Patriarcham, cùm post lectionem Euangelij de Ecclesia ciues exiuissent, exisse & ipsum, sedissèque cum his, qui egressi erant: quibus obstupescentibus, dixisse ad eos: *Vbi oues, illic & pastor. Ingredimini Ecclesiam, & ego accedam. Quòd si extra Ecclesiam manseritis, hærebo, ego propter vos descendi ad Sanctam Ecclesiam. Nam poteram mihimet facere Missas in Episcopio.* Vide vt in Episcopio celebrarentur Missæ. Decimo nono, est *tugurium.* In vita Sancti Apollinaris primi
Episcopi Rauenatis: *Habebant autem Christiani* 94.
tugurium non longè à mœnibus, in quo ille missas faciebat. Sed credendum est illum locum Ecclesiam fuisse, dici tamen *tugurium*, quia primò tugurium fuisset. Vigesimo, est etiam σκηνεῖον, id est, augustum templum, vel μοναστήριον, quod Latinè reddas, solitarius separatúsque locus. quam vocem pro templis me docet Gazæus in Cassiani lib. 3. cap. 7. Vigesimus primus sit *proseucha*, 95.
quæ orationem valet seu precationem: προσευχὴ enim oratio est, & pro templo sumitur. Ioseph. in vita sua sic ait: *Sequenti die populus conuenit in proseucham, quam vocant precationis domum amplam.* Accinit Philo de vita Moysis: *Apud Iudæos destinata oppidatim sacris precationibus loca quæ proseuchas vulgus nominat.* Inde & Iuuenal. Sat. 5. cùm ageret cum Iudæis, ait,

Ede vbi consistas, in qua te quæro proseucha?

Vigesimus secundus est *Analogium*, quod me docet Valafridus de rebus Ecclesiasticis cap. 6. cuius sunt hæc: *Analogium, quòd in eo verbum Dei legatur & annuntietur.* Verum est *analogium* dici propriè *Lectorium* ab Anastasio. Et Isidorus ait, *Lectorium, analogium*, vbi scilicet Euangelium recitatur. Absoluo denique, & sit vigesimus tertius, hunc excursum cum voce *Dominico* pro Ecclesia, quod Græci κυριακὸν dicunt, quod docet Stephanus Durantus lib. 1. de Rit. Ecclesiæ cap 1. Et Iosephus Vicecomes lib. 2. de Baptismo cap. 7. Et Clemens Romanus lib. 2. Constit. Apostolicarum cap. 63. *Sed quotidie conueniatis mane & vespere, psallentes atque orantes in Dominicis.* Quæ verba sic vertit Carolus Bouius, & Cyprianus lib. de Eleemosyna: *Quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis.* Ruffinus lib. 7. Hist. cap. 3. vbi meminit disputationis Episcopi ineruditi, cum Gentili philosopho, verba hæc Episcopi adhibet: *Hæc si vera esse credis, ô philosophe, surge, sequere me ad Dominicum, & huius fidei signaculum suscipe.* Saluianus 7. de Prouident. *Ad domos videlicet statim dominicas currimus, corpora humi sternimus, missis cum fletu gaudiis supplicamus.* Pachomius in Regula: *Quòd si necessitas impulerit, vt foris maneat, vt vescatur in paterna, aut propinquorum domo, hoc non faciet, sed manebit in Dominico, vel in monasterio eiusdem fidei.* Patres Concilij Neocæsariensis can. 5. *Catechumenus si in Dominicum ingrediens in eo*

techumenorum ordine steterit. Quæ dixi, aspergam historia Anisiæ virginis & Martyris. Hæc cùm obiecto velo iret in Ecclesiam, occurrit illi Miles, ac roganti quò iret, *Eo*, inquit, in *Dominicum*, ac simul velum abstulit: tunc illa insufflauit in militem, tanquam in dæmonem: ille statim educto gladio illam transfixit. Et historia Sanctissimi Cypriani, de qua Metaphrastes ait, εἰσιὼν τοίνυν εἰς τὸ κυριακόν. Hæc habui quæ te admonerem Lector amice, boni consule & faue.

96. 1. IN DOMVM DEI VENIRE.] Id est, venire supplicem. Allusum ad ἱκέτας, sic enim dicti *supplices* παρὰ τὸ ἱκνεῖσθαι, quòd venirent. Inde apud Curtium lib. *Si veneris supplex, & matrem & coniugem, ac liberos recepturum te esse promitto.* Itaque *venire supplicem* est, ἱκνεῖσθαι ἱκέτην, qua forma est *furere furorem.* Sed carent Latini simili περιουσίᾳ. barbarè diceres, *venire venientem*, id est, *esse supplicem.* Sic in 11. Æn.

En supplex venio.

Stat. 1. Thebaid.

---supplex
Aduenio.

Arnob. lib. 1. *Supplices irent.* Inde ergo, *de aduersaria officina in domum Dei venire.*

97. 1. ATTOLLERE AD DEVM PATREM MANVS.] Quod Ambr. de obitu Valentiniani Imperat. *Manus erigere.* Quod Nazianz. orat. 20. αἴρειν χεῖρας, vt etiam Theodorit. lib. 1. Hist. cap 14. αἴρω τὰς χεῖρας. Mihi tamen non dubium, quin Patres cùm dicunt manus sublatas aut erectas; semper intelligant expansas quoque: nam hic fuit olim verissimus orantium habitus, vt dixi & firmaui in his comment. nec semel, credo.

98. 1. HIS MANIBVS ADORARE.] Propriè προσκύνεῖν. Itaque *adorare* est orare ad. vt *adprecari* est, precari ad. Inde in vitis Pat. accipitur etiam pro loqui ad homines. Ita enim Ruffinus lib. 3. c. 11. *Procidénsque pronus in terram, adorabat eosdem fratres, dicens.* Et cap. 23. *Tunc senior adorauit eos dicens.* Et cap. 119. *Cùm quidam iudex prouinciæ abbatem Moysen vellet adorare.* Est vir doctus, qui alias ab hac notiones rideat, quod non debet: nam tametsi hæc verissima, & huic loco Tertulliani aptissima, aliæ tamen pari veritate constant. Nam ita velle arctare hanc vocem, vt adorationem Persarum, cùm humi decumbebant, huc conferamus, extra omnem veritatem est. Cæterùm locus est Cyrilli Alex. Homil. 8. de festis Paschalib. huic loco proximus: *Ergo quasnam manus agedum ad Deum tolles? quidnam Deum precando effabere? Aut quo pacto bona tibi vt concedantur deposces?*

99. 1. ADORANTVR.] Vide vt explicui, nec muto. Heraldus tamen in Arnobium, & Iunius in Tertull. legunt *adornantur.* Ita tamen vt etiam defendant vulgarem lectionem. Aduertatur mos obiter nec conducens ad Tertullianum. Adoratio enim erat, suam manum osculari. De hoc more videndus Iob cap. 31. in illis, *si osculatus sum manum meam ore meo.* Et libri Regum in Hist. Eliæ, in illis, *Omne os, quod non adorauit eum, osculans manum.* Et Minutius: *Cæcilius simulacro Serapidis viso, vt vulgus superstitiosum solet manum ori admouens, osculum labijs præsit.* Apul. Apol. 1. *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere.* Ritus verò obseruandos in hac re vide apud Apuleium lib. 4. de Asino, & Plinium lib. 11.

100. 1. CORPORI DOMINI.] Videatur Gretserus A in lib. Animaduers. contra Notas Tertullianeas Iunij cap. 5. vbi ex variis locis Tertulliani clarè efficit sensisse Tertullianum, Christum realiter & substantialiter sub speciebus Eucharisticis præsentem esse. Nam in lib. de orat. *corpus eius in pane censetur.* Et lib. 5. Carminum contra Marcion.

Acceptum panem pariter, vitisque liquorem,
Corpus, ait, sanguisque meus, qui funditur, hic est,
Pro vobis.

Sed vnde lux maior, quàm ab hoc capite? Qui enim legat locum, in quo sum: & quæ sequuntur de præcidendis manibus, &c. videbit clarè, hoc sensisse Tertullianum. Videndus etiam Baronius lib. 1. Annal. pag. 160. vbi multa loca coniungit Tertulliani.

101. 2. ACCIPIANT, QVOD CONTAMINANT.] Rescribunt ex ms. *Accipiant, quod contaminent, sed etiam ipsi tradunt.* Cæterùm de more accipiendi in manus Eucharistiam, qui hîc attingitur, dixi in lib. de B orat. cap. vlt. Nota mihi & verbum *contamino*, quod in fame est, & sumptum à foro, scribente ita Asconio Pædiano: *Corrupta iudicia sunt in his, qui acceperunt pecuniam: contaminata in his, qui offensione ordinis infamantur.* Sed de hoc alibi.

2. ADLEGVNTVR, &c.] Proh propudiosam infamiam. Quid querimur nostra tempora, cùm in primo æuo nascentis ecclesiæ hæc peruersitas? Quantum hoc distat ab *Angelico choro*? Ita enim sæpissimè Chalcedonense Concilium sacerdotes indigetat.

102. 3. PROH SCELVS.] Ad rem aliam similis est conquestio Optati Mileuitani lib. 6. *O scelus nefarium, ô facinus inauditum! Auferre Deo, quod Idolis præstet, subducere Christo, quod proficiat sacrilegio,* &c.

3. IVDÆI CHRISTO MANVS INTVLERVNT.] Constant. Magnus in epist. ad Ecclesias de C Iudæis loquens: ὡ τὰς ἑαυτῶν χεῖρας ἀθεμίτῳ πλημμελήματι χραίσαντες: *suas ipsorum manus detestabili scelere polluentes.*

3. LACESSVNT.] Adhibui inter alia synonyma *lacerant*, conuenientissimè, quia cùm verbum *lacesso* deducant Grammatici à verbo *lacero*, aptissimè ita Tertullianus explicatur. Nam sensus est, corpus Domini dilacerari, & diuertebrari impiissimis manibus, non aliter atque in passione Christi accidit.

103. 3. O MANVS PRÆCIDENDÆ!] Non dubium quin loquatur Tertull. cum respectu ad genus pœnæ, quod multis vsurpatum: vt enim oculi, nares, & partes aliæ corporis, ita manus solebant amputari. Hanc pœnam exercuit in deuictos Prusæos Andronicus Byzantinus, vt scribit Nicet. Choniates in Ann. verba eius: ὧν μὲ τὰ χεῖρας ἀπέτεμψε, ὧν δ' δακτύλους ὡς ἀμπέλων πεπείκειρε κλάδους: *Horum manus abscidit, horum digitos amputauit non aliter ac ramos vitium.* Auidium Cassium id pœnæ exercuisse in milites desertoD res scribit Vulcatius Gallicanus in eius vita. Valer. Max. l. 2. c. 2. loquēs de Q. Fab. Maximo: *Omnium qui ex præsidiis Romanorū ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit, vt truncæ præ sē brachia gestantes metum defectionis reliquis iniicerent.* Eadem pœna Claudius Flaccus transfugas milites affecit, vt auctor est Appian. Annibalicis. Plura huius pœnæ exempla videantur in Petro Fabro lib. 1. Sanct. c. 18. & lib. 3. cap. 19. vbi his & similibus Tertulliani locum hunc illustrat. Cum aspectu ad rem eandem milites decepti à Iuliano ita conclamant apud Nazianz. orat. 3. ἀπόκοψον χεῖρας, αἳ κακῶς προὐτείναμεν: *Manus amputa, quas sceleratè porreximus.*

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Vetantur omnes artes, quæ affines fabricæ idolorum.

TERTVLLIANVS.

104. 1. SVNT & aliæ complurium artium ſpecies, quæ etſi non contingunt Idolorum fabricationem, tamen ea ſine quibus Idola nil poſſunt, eodem crimine expediunt.

EXPLICATIO.

1. ABſoluit quæ pertinent ad fabricam ipſius Idoli, & adiicit eſſe etiam alias plures *artium ſpecies*, quæ tametſi Idola non conficiant, conficiunt tamen ea, *ſine quibus Idola* carent omni auctoritate, & inualida omnino ſunt, atque hæc vult eſſe euitanda. Illud *expediunt*, eſt, conficiunt accuratè & expeditè. q.d. expeditior multò & facilior eſt fabrica Idoli cum aliis artibus ſociis.

105. 2. Nec enim differt, an extruas, vel exornes: ſi templum, ſi aram, ſi ædiculam eius inſtruxeris, ſi bracteam expreſſeris, aut inſignia, aut etiam domum fabricaueris. Maior eſt eiuſmodi opera, quæ non effigiem confert, ſed auctoritatem.

2. Numerat iam artes affines fabricæ Idoli. Et ait, nullum eſſe diſcrimen inter fabricam Idoli, nam hoc eſt *extruas*, & eius ornatum, nam hoc eſt *exornes*. Id eſt, nihil differt an Idolum efficias de nouo, an factum exornes. Qui verò hic ornatus? inſtructio apparatúſque & cumulus earum rerum, quibus exornantur *templa, aræ, ædicula*. Satis Lector intelligit, quæ eſſe hæc ornamenta poſſint. Pergit. Eſt etiam affine fabricæ Idoli *bracteas* aureas exprimere, id eſt, tenues auri nebulas, quibus Idola deaurantur: tum etiam *inſignia*, quæ Dij geſtant aut manibus, aut capite, aut ſub pedibus: tertiò demum ipſa Deorum templa fabricare. Hactenus de ornatibus Idoli, & addit veluti epiphonema, eſſe culpabiliores has operas ipſa Idolorum effigie: nam iſtæ operæ illis conferunt *auctoritatem*. Præclarè: eſſent enim deſpicabilia Idola, ſi carerent exornatione templi, aræ, ædiculæ, ſi bractea, inſignibus, domo.

106. 3. Si ita neceſsitas exhibitionis extenditur, habent & alias ſpecies, quæ ſine exorbitatione diſciplinæ, id eſt, ſine Idoli confectura opem victus præſtent.

3. Eſto premat te ratio quærendæ alimoniæ, habes alias artium ſpecies, quæ victum præſtent etiam ſi nunquam conficias Idola. *Extenditur*, id eſt, ſi ita patens, & lata neceſſitas. *Habent*, id eſt, artifices. *Exorbitatione*, tranſgreſſione.

107. 4. Scit albarius tector & tecta ſarcire, & tectoria inducere, & ciſternam liare, & cymatia diſtendere, & multa alia ornamenta præter ſimulacra parietibus incriſpare.

4. Numerat iam illas alias ſpecies, quas habent artifices ad victum quærendum. Eſt *albarius tector*, qui tecta ſarcit & reficit calce ne perpluant, ita dictus ab albente calce. *Tecta ſarcire*: iam facta, & ideo deficientia. *Tectoria inducere*, id eſt, calce tegere ædificium, aut gypſo. *Ciſternam liare*, linere, illinere, expolire. *Cymatia diſtendere*, tendere æqualiter in omnem partem prominentias ædificiorum, vtique κυμάτια. *Et multa alia*, &c. Id eſt, ornare parietes cruſtis criſpantibus marmorum, quo ſint ſpectabiliores, non ſimulacris. Ita ſcilicet vt in parietibus formetur ex marmore criſpulum quiddam ad elegantiam.

108. 5. Scit & pictor, & marmorarius, & ærarius, & quicunque cælator, latitudines ſuas vtique multò faciliores. Nam qui ſignum deſcribit, quanto faciliùs abacum linit? qui de tilia Martem exſculpit, quanto citiùs armarium compingit? Nulla ars non alterius artis aut mater, aut propinqua eſt. Nihil alterius vacat. Tot ſunt artium venæ quot hominum concupiſcentiæ.

5. Pergit in eadem re oſtendenda. *Pictor*, ne hîc capias artificem qui vtitur penicillo, ſed Sculptorem aut ſtatuarium. Itaque ſenſus eſt: Scit pictor tam marmorarius, quàm ærarius, &c. vtique ζωγράφος. *Latitudines ſuas*, id eſt, ſcit artis ſuæ opera quàm latè pateant, quàm latè diffundantur. *Signum*, id eſt, Idolum. *Abacum linit*, illinit & perpolit, hoc enim faciliùs fit quàm ſimulacrum. *Qui de tilia*, &c. Senſus eſt: Multò citiùs artifex armarium de tilia compingit, quàm Martem de eadem exſculpit: quippe lignum eſt molle & flexile, ac perinde aptius armariis, quàm ſtatuis. *Nulla ars*, &c. Veluti epiphonema ſuperioris excurſus. *Nihil alterius vacat*. Id eſt, nihil artis alterius otioſum eſt ad artem alteram. *Tot ſunt artium venæ*, &c. Dictum hoc præclaro conceptu quaſi homo fons ſit concupiſcentiarum, quibus explendis velit artes omnes pertrahere; vt ergo multæ concupiſcentiæ, ita multæ venæ cuiuſque artis, ſingulæ venæ ſingulis concupiſcentiis. Itaque ars quælibet, & homo quilibet fons eſt: illa habet venas, iſte concupiſcentias; venæ illius reſpondent huius concupiſcentiis.

109. 6. Sed de mercedibus & manupretiis intereſt. Proinde intereſt & de labore. Minor merces frequentiore actu repenſatur. Quot parietes ſigna deſiderant? Quot tem-

pla & ædes Idolis ædificantur? Domus verò, & prætoria, & balnea, & insulæ quantæ? Soccus & baxa quotidie deaurantur, Mercurius & Serapis non quotidie.

6. Obiicit artifex contra Doctorem suum. Longè alia merces & lucrosius pretium erit meis manibus, si statuas faciam Idolorum: itaque multum interest has fabricem, an aliud quidpiam. Respondet Doctor, *Proinde interest & de labore*, vbi *proinde*, idem est, quod perinde. q. d. vt tu ais, multum interesse inter mercedem & mercedem, ita ego aio multum interesse inter laborem & laborem: fatigaris quippe & totus conficeris in Idolis fabricandis, quem tuum sudorem non poscunt alia opera. Pergit, *Minor merces frequentiore actu repensatur*. Ego tecum fateor (ait Tertull.) minorem esse aliorum operum mercedem, sed considera esse frequentiorem, & ita recompensari lucrum. Probat, quia cùm *signa*, id est, Idola, diu durent in parietibus, neque ibi desiderentur de nouo fieri; cùm etiam *templa* & *ades* rarò ædificentur, tamen *domus, prætoria, balnea, insulæ* permultæ sunt. Deinde probat, quia cùm *soccus* & *baxa* (calceamenta sunt) *quotidie deaurentur, Mercurius* tamen & *Serapis* vix vno seculo.

110. 7. Sufficiant ad quæstum artificiorum frequentiores omni superstitione luxuria & ambitio. Lances & Scyphos faciliùs ambitio, quàm superstitio desiderabit. Coronas quoque magis luxuria, quàm sollemnitas erogat.

7. Frequens est Idolorum superstitio, sed frequentior, mi homo, luxuria atque ambitio mortalium: *sufficiant* hæc vitia ad lucrum tuum, & vix credo sudor tuus erit illis explendis. Adducit exemplum primò de ambitione, deinde de luxuria. De ambitione, nam *scyphi* & *lances* superstitioni Idolorum & ambitioni hominum deseruiunt, sed *faciliùs*, id est, frequentiùs, ambitio desiderat hæc vasa, vt sibi necessaria. De luxuria, nam *coronas solemnitas* Idolorum *erogat*, id est, consumit, sed multò magis *luxuria* inter epulandum.

111. 8. Cùm igitur ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ Idolum quidem, & quæ Idolo competunt, non attingant, sint autem & hominibus communia sæpè quæ & Idolis, hoc quoque cauere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliquibus de manibus nostris in rem Idolorum postuletur.

8. Cùm dixerit esse artes quæ seruiunt pariter vsui Idolorum & hominum, vetueritque cùm impenduntur non hominibus, sed Idolis; admonet nunc vigilantes esse debere artifices, ne ab ipsis aliquid postuletur prætextu humani vsus quod debeat seruire Idolis: hoc enim si sciant, debent ab illis operibus abstinere, nec conniuere vsui hominum.

112. 9. Quod si concesserimus, & non remediis tam vsitatis egerimus, non puto nos à contagio Idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium in officio, vel in honore, & vsu dæmonum deprehenduntur.

9. Adhibet rationem, cur ita cautos velit artifices, quia si scienter hoc faciant, iam afflantur contagio pestilentissimo Idololatriæ. *Remedijs vsitatis*, quæ scilicet toto hoc capite adhibuit.

NOTÆ.

113. 1. CONTINGVNT.] Ita inf. in hoc cap. *Et quæ Idolo competunt, non attingant.* Aliqui legunt *continguunt* duplicato v, possunt: sic enim tingo, vel tinguo. Ad eum modum, quo Paulinus epist. 3. ad Delphinum ex censura Scothi nostri, *& rursus in Phœnicium vitiis tinguentibus infecta conuerti.*

1. EXPEDIVNT.] Legi posset commodè *impediunt*, sed nihil temerè mutandum.

2. NEC ENIM DIFFERT, &c.] Eadem fermè sententia est in Theodorito lib. 5. Hist. c. 38. ἴσον γάρ μοι δοκεῖ τὸ προσκυνῆσαι τὸ πῦρ, τὸ, τὸ τύμβος διὰμαθεῖν: *Par mihi videtur ignem adorare atque ei ædificare delubrum.* Sermo est de persecutione Christianorum ab Persis, qui ignem adorabant. Et dicuntur ista ore Audæ viri sanctissimi.

114. 2. AN EXTRVAS VEL EXORNES.] Retuli primum ad fabricam ipsius, alterum ad ornatum, nam ita perfectissimus sensus. Verbum verò *instruxeris*, quod posteà sequitur, ne capias de ædificio templi, aræ, ædiculæ, nam ita perturbatur sententia, sed de ornamentis, quibus ista omnia instruuntur & adornantur. Hoc etiam sensu accepit hoc verbum Synodus prima Toletana in assertione Fidei, vbi: *Si quis autem dixerit, aut crediderit à Deo omnipotenti mundum hunc factum non fuisse, atque omnia eius instrumenta, anathema sit.* Quo loci *instrumenta* sunt ornamenta mundi. Itaque Tertullianus dicit, quod post illum Zeno Veronens. serm. *Attende tibi.* Verba Zenonis: *Ingentes domos intra momentum extruunt, eâsque subitis & sola mente conceptis facultatibus replent.* Vbi *extruũt* de ædificiis, vt Noster: *replent* verò quod Tertull. *exorno & instruo.*

2. TEMPLVM.] Probo alibi *templa* in hoc auctore semper capienda de Gentilibus.

115. 2. ÆDICVLAM.] Discriminat à templo, vt etiam infrà: *Quot templa & ædes Idolis ædificantur?* Erat *templum* moles illa, quæ attollebatur in honorem alicuius Dei, ad eum modum, quo nunc Ecclesiæ Christianorum: in quo præter simulacrum, cui dicatum templum, erant simulacra alia veluti ornamenta, quæ propriè dici ἀγάλματα doctè probat in Arnobium Heraldus: *ædes* verò aut *ædicula* erat instar eorum, quæ Christiani nuncupamus, oratoria, aut sacella, in qua ædicula ipse Deus cui ea sacra. Probat hoc Iuuenal. Sat. 8.

Si quis in ædicula Deum vnicum.

Potest esse & alia Tertulliani explicatio, vt per *ædiculam* intelligat adytum illud & sacrarium, quod erat in templis, in quo sacrario Numen collocabatur. Itaque sacrarium discluſum erat à reliquo templo etiam si in eo incluſum. Huius moris mentio clara in Polluce lib. 1. ᾗ τὸ μὲ ἔνδοθεν, ἐν ᾧ ἱδρύονται τὰ ἀγάλματα, ἱερὸν ἢ ναός. ὅπου δὲ κατακρύπτονται, σηκὸς, τύμβος: *Locus in quo*

Deus colitur, templum & fanum vocatur: quo verò Deus collocatur, sacellum & delubrum. Sed de hoc more satis ego lib. 1. Æn. ad ea verba,

Tum foribus Diuæ media testudine templi.

Potest demum esse (& hæc est insignior explicatio) locus ille, qui *cella* dicitur, in quo tantùm est aliquis Deus. Ouid. 4. de Ponto:

Me quoque secretò grates sibi magnus agentem
Audiret media qui sedet Aede Deus.

Iouem enim intelligit, qui in media erat cella constitutus è tribus, quæ erant in Capitolio. de quibus proceduntilla apud Silium lib.10.

---Tarpeie pater qui templa secundam
Incolis à cœlo sedem, & Saturnia nondum
Iliacis mutata malis, tuque aspera pectus
Aegide Gorgoneos Virgo succincta furores.

Valerius etiam Maximus lib.5.cap.9. *Iouem Optimum Maximum, Iunonem Reginam, & Minervam precatus sum, vt,* &c. Etenim Capitolium his tribus Numinibus præsertim erat dicatum, itavt statua Iouis in medio esset, à dextris Minerua, à sinistris Iuno, post cætera multitudo Deorum. Tradit hanc rem disertim Dionys.lib.3.Antiquit. & Victor in descriptione Regionis octauæ.

116. 2. BRACTEAM.] Explicationem, quam adhibuit de vsu bractearum (sunt hæ laminæ aureæ) ad inauranda idola, firmat Ammian. lib. 14. vbi de statuis: *Eásque auro curant imbracteari.* & lib.17. *auro imbractcatum.* Erant etiam & bracteæ ad alios sacrorum vsus. Lamprid in Alexandro: *In templis sanè nunquam, praeter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem, aut bracteolam posuit, susurrans versum Poëtis,*

---in sanctis quid facit aurum?

Erant adeo tenues bracteæ, vt digito possent deradi, cuius rei vide epigramma 33.Martial.lib.8. & Sueton. in Calig.c.32.

117. 2. INSIGNIA.] Labitur Pamelius, qui *insignia* confundit cum *signis* num.39. Nam *signa* sunt idola ipsa; *insignia* verò ea quibus idola ornabantur, vt dracones sub pedibus Palladis. Cuius rei locus clarus apud Nazianz.orat.3.vbi ait imaginibus Imperatorum apponi solitum aliud quidpiam, Verbum eius est περιπαραχάττειν, quo satis indicatur id quo signum est insignitum, quod picturæ appingitur, quod simulacro additur. Adhibet exemplum. Nam alij statuis adiungebant νίκας ὑπὲρ κεφαλῆς στεφανούσας: *Victorias caput imaginum coronantes.* & postea, οἱ δὲ βαρβάρων ἡνιόχων, καὶ ὑπὸ τοῖς ποσὶν ἐρριμένων, πολυειδῆ σχήματα: *Alij barbarorum domitorum, atque ad pedes iacentium multiplices figuras.* Ex quo more fraudem Iuliani aperit, qui statuis Imperatorum addi fecit dæmonas pro insigni, vt ita Christiani decepti, dum cultum exhibent imaginibus Principum, putarentur quoque exhibuisse dæmonibus qui adiuncti. Idem probant verba Hygini hæc: *Qui Neptuno simulacrum faciunt, delphinum aut in manu, aut sub pede eius constituere videmus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur.* Est etiam locus clarus apud Eusebium in vita Constant.lib.3.c.3. vbi hic princeps addidit imagini suæ crucem pro insigni. Vide illum. De his ergo insignibus, quibus idola ornabantur, clarissimè loqui Tertullianum puto; nam, vt vides, inter ornamenta numerat. Et credo de hac re ambigere neminem posse. Huius moris plenissimus Pausanias. Hæc *insignia* Arnob. lib.6. *habitus* vocat. Nam postquam dixit Vulcanum cerni cum *malleo*, Apollinem cum *plectro*, Neptunum cum *fuscina*, adiungit: *Neque vllum est reperire figmentum alicuius Numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos.*

118. 3. EXTENDITVR.] Iunius legit *attenditur*, alij ex M.S. *obtenditur*, ita hi placent, vt non tamen præferam vulgatæ lectioni. Commodè enim *necessitas extenditur*, ad eum modum, quo artibus dat postea *latitudines* ad medendum his necessitatibus, imò puto dixisse latitudines cum aspectu ad has extensiones.

3. CONFECTVRA] Iunius legit *confictura*; nam ita antè excusum.

4. ALBARIVS TECTOR.] Esse *Albarium*, qui calce vtitur; & *Albaria opera*, quæ calce farciuntur, rectè colligit Pamelius ex Plin. qui lib.35.c.16.de terra Chia, si lacte diluatur, ait interpolari *tectorium albaria.* & lib.36.c.23.ait: *In albario opere vt macerata calx ceu glutinum cohæreat.* Addo Palladium qui lib. 2. de Re Rust.tit. 14. *Opus albarium sæpe delectat, cui calcem debemus adhibere.*

4. TECTA SARCIRE.] Videtur mihi alludere ad formam Latij tritam de *sartis tectis*, quæ verò 119.
sint *sarta tecta* vbique obuium. Porrò caussas, vnde ædium corruptiones, tres enumerat Themistius Euphrada orat. 3. ἢ χειμῶνος ὀπιβεί σαντος, ἢ πνεύματος ἐπηρμένου, ἢ ὕδατος λάβρου καταῤῥαγνύντος: *Aut ab hyeme ingrauescente, aut à vento incumbente, aut à pluuia maxima conuellente.* Hæc ergo sarcienda incommoda.

4. TECTORIA INDVCERE.] Hęc locutio in Plinio est lib.36. cap.23. *In Gracia tectoriis etiam arenarum, quod inducturi sunt, prius in mortario ligneis vectibus subigunt.* Iterum: *Frater Phidiæ Panneus tectorium induxit lacte & croco subactum.* Sed & vox hæc *inductio* in sermone tectoriorum frequentissima est apud Pallad.lib.1. Rei Rust.tit.15. & Vitruu.lib.8. cap.3. *Inducunt eam crustam.* & Sen.epist.115. *Parietes tenui marmore inductos.* Est autem *tectorium inducere*, linere & tegere pauimentum, aut parietem, aut quamuis partem domus crusta calcis. Hoc sensu accipit Columella cap. 6. Rei Rust. Huic opponit Petron. *detectum parietem*, cùm ait, *vt putares detectum parietem nimbo laborare.* Iuuenal. *tectorium* de fuco fœminarum accepit Satyr.6.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit.

4. CISTERNAM.] Pertinere hoc ad opificem 120.
Albarium colligi certum est ex Plin. adducto loco, vbi inter alia quæ ex calce & arena fiunt, ponit principe loco *cisternas.*

4. LIARE.] Verbum *lio* ductum à Græco λειαίνω, quod est *linere*, expolire, complanare. Vsus eo verbo Apicius lib.5. c.1. *Permisces & lias, vt quasi succus videatur.* Fuit olim & *leo* in eodem vsu, quod iam absurduit, & tantùm mansit præteritum *lêui.* Itaque nihil est, cur Pamel. existimet legendum in Tertull. *cisternam ligare*, pro compingere. Neque *litare*, vt alij rescribunt, pro linere, ducto verbo à supino *litum.*

4. CYMATIA.] Esse hæc omnes ὑπορροὰς, id est, prominentias in ædificiis, tum Hesychius definit, tum id facilè colliget, qui Vitruuium legerit. Itaque iniustè Pamelius arctat hanc vocem ad arces tectorum & templorum. Sunt enim prominentia, quæ in modum vndæ sinuantur, Suidæ λύσεις dicuntur, Vitruuio *sima*, à forma.

4. INCRISPARE.] Ita legi volui, & ita legunt 121.
Barræus in suo Codice, & Iunius in hunc locum, & Gutherius lib.2.de Iure Manium cap.29. demum omnes excusi ante Pamelium, & Pamelius ipse, qui in textu voluit legi *incrustare*, monet in Notis non mutandam lectionem antiquam. Itaque verissimè Tertullianus scripsit *incrispare*, non *incrustare*, & quidem explicandus fuit, non mutandus. Fateor quidem ego hoc opus crispans parietibus inditum, cuius hic meminit Tertull. fieri ex crustis marmorum, quod iam ante me Gutherius sensit dicto loco. quod tamen nullo testimonio probat, cùm posset: nam quod Tertull.

ait, *ſimulacra parietibus inciſpare.* Plinius lib. 36. dixit, *parietes cruſta marmoris operuiſſe.* & Ouid. vbi loquitur de Circe,

--- pérque atria marmore tecta.

Hieronym. ad Demetriad. *veſtiant parietes marmorum cruſtis.* & Mamertin. ad Iulianum, *picturata marmorum cruſtæ.* Cyprian. epiſt. 2. *Precioſi marmoris cruſtis veſtita domicilia.* Vtique quod Greg. Nyſſen. orat. in laudem Magni fratris, μαρμαρίνοις τε ἐν χρυσοπάστοις οἴκοις ἐναβρυνόμενα: *Marmoreis inauratis ædibus gloriantes.* & Ioann. Chryſoſt. Homil. 2. ad Popul. μαρμάρου περιβάλλειν τοῦ τοίχους: *Parietes marmore veſtire.* Hoc genus operis voce vnica μαρμαρώσεις dicunt Græci. Ita verò cruſtis dicuntur parietes incriſpari, vt Columellæ criſpari terra herbis. Omnino opus ὕπτυλον, & ἐνυλωπάλμον. vel potiùs locutio ſumitur à re maris. Hieronym. ad Heliod. *Iacentis elementi terga criſpentur.* Victor lib. 2. de Perſecut. Vandal. *aluei criſpantes.* Vt ergo à vento criſpantur vndæ, ita marmor. Dici etiam poteſt incriſpatio iſta ſpectare picturas marmoris: etenim varij colores criſpulum quiddam reddunt. Et quidem de pictis marmoribus mentio multa. Satis mihi nunc & Statius in Tiburtino Manlij Vopiſci,

---picturata lucentia marmora vena.

Et Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant. c. 35. vbi ὕλης μαρμάρου ποικίλης διηλλυπτον πλακώσεις: *Operuerunt incruſtationes materia varij pictique marmoris.* Sed quidem hæc aut incriſpamina, aut incruſtamina referri poſſunt ad varias lapidum formas, ſcribente Sidonio lib. 2. epiſt. 2. *Parij, Charyſtus, Proconeſſus, Phryges, Numidæ, Spartiatæ, rupium variarum poſuere cruſtas.* Et Lamprid. in Alexandro meminit marmorationis ex Porphyretico & Lacedæmonio lapide, vt etiam in vita Heliogabali. Themiſtius quoque Euphrada orat. 6. meminit inſtrationis, quæ fieret ex marmore Laconico, Libyco, Ægyptio. Artifices verò huius aut incriſpationis aut incruſtationis, vt hoc obiter ſcias, dici poſſunt *quadratarij.* Ita opinor colligi poteſt ex vocis huius explicatione, quæ eſt apud Briſſonium in lexico iuris.

122. 5. PICTOR.] Non retuli ad artificem, cui in manu penicillus; nam hoc tractu nihil tale vult Tertull. tantùm enim loquitur de ſtatuis, & iſtæ veriſſimè dicebantur pingi. Adeat Lector, quæ iam ſcripſi ad cap. 3. huius operis ad num. 3. & quæ latiùs 6. Æn. ad ea verba, *Perlegerent oculis.*

Vbi viſum verba γράφειν, γραμμὴν, γραφικὴν, æquè, imò priùs referenda ad ſtatuariam quàm ad pictoriam. & hîc aduoco Fabium, qui lib. 2. c. 8. *Non inutile erit eas tabellas quàm optimè ſcalpi, vt per illos velut ſulcos ducatur ſtilus.* vbi ſcribendi rationem reuocat ad ſcalptoriam. Sed quid tandem *marmorarius?* is nempe, qui *marmorationem* efficit. Eſt *marmoratio* genus ædificij è duobus marmoribus compoſitum. Plin. lib. 35. cap. 1. *Neronis principatu inuentum, maculas quæ non eſſent in cruſtis, inſerendo, vnitatem variare, vt onatus eſſet Numidicus, vt purpura diſtingueretur Synadicus, qualiter illos naſci optarent deliciæ.* Senec. epiſt. 86. *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis ac precioſis orbibus refulſerint, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint.* Statius in Surrent. Pollij, *--- ibi marmore picto*

Candida purpureo diſtinguitur area gyro.

Huius genus marmorationis *Alexandrinum opus* appellabatur, forſitan quia ibi inuentum, vel quia ad id opus vterentur Alexandrino marmore, vt viſum iam ex Seneca. Vtcunque id certum. Lamprid. in Alex. Seuero: *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc eſt, Porphyretico & Lacedæmonio, primus inſtituit, palatio exornato hoc genere marmorandi.* Honeſtauit hanc Notam Caſper. c. 37. lib. 1. Syl. Statij, vbi marmorarium explicat.

5. ABACVM LINIT.] Hoc verbum vt etiam *ſublino*, & *oblino*, ſemper referuntur ad fucum & politurам, & elegantiam. Inde fœminæ dicuntur os linere, aut ſublinere fuco: quæ locutiones ideo traducuntur παρὰ τὸν ἀπάτην. 123.

5. TILIA.] Cenſet Pamel. legendum *thya*, ſed futili coniectura, adeo vt neque ipſe audeat lectionem mutare.

5. ARMARIVM.] Eſt theca aſſeruandis primùm armis, nam inde nomen; deinde rebus aliis, vt libris, veſtibus, &c.

5. NVLLA ARS NON ALTERIVS, &c.] Ita ex Platone dixit Tullius lib. 3. de Oratore: *Omnem doctrinam ingenuarum & humanarum artium vno quodam ſocietatis vinculo contineri.* Spectat credo locum Platonis in Polit. vbi latè probat hunc artium mutuum nexum.

6. MANVPRECIIS.] Ita legendum, non *manuspreciis.* Seneca epiſt. 101. *Caſtrenſium laborum tarda manuprecia.* Plin. lib. 33 c 11. *Nec copia tantùm argenti fuerit vitæ, ſed validius pene manuprecium.* Lege B Briſſ. lib. 4. c. 23. de ſelectis Antiq.

6. PRÆTORIA.] Ducit me animus, vt de prætoriis ruſticis capiam, vel ex frequentia, quam Tertull. intendit, & ex coniunctione cum balneis, quæ vt plurimum in villis. quo ſenſu accepit Sueton. c. 37. Calig. *In extructionibus prætoriorum atque villarum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur.* Eſt autem *prætorium* pars illa villæ, quam dominus inhabitat, cùm ruri agit.

6. INSVLÆ.] De vrbanis intelligit. Notetur, inſulas nuncupari Eccleſias, vt adnotat Durantus lib. 1. de Rit. Eccleſiæ, ab omnibus ædibus diſtinctæ & ſeparatæ eſſe debent, tanquam οἰκίαι περιμόφοι, id eſt, nullis aliis parietibus continuæ. Auctores laudat Cyrillum, & Hieronym. Vide illum.

6. SOCCVS ET BAXA QVOTIDIE DE- 124.
C AVRANTVR.] Quid ſit *ſoccus* nemini eſſe dubium poteſt, eſt enim calceamentum tum Comicum, tum fœmineum. Comicum, ex illo Martialis,

An iuuat ad Tragicos ſoccum transferre cothurnos.

Id eſt, visne relicto epigrammatum ſtudio aliud genus carminis tractare, heroïcum, aut tragicum? Fœmineum ex Suetonio in Vitellio cap. 2. vbi ſic Vitellius ipſe: *A Meſſalina petiit vt ſibi pedes præberet excalceandos, detractúmque ſocculum dextrum inter togam & tunicam geſtauit aſſiduè.* Ergo Meſſalina ſoccis erat calceata. Conſtat autem iſtos mirificè ſplendidos fuiſſe & pulchros; cùm dicat Tertullian. Quotidie eos deaurari. Ita Balduinus de Calceo cap. 16. de *baxa* aut *baxea* dixi ad librum de Pallio, hîc tantùm de luxuria; vides enim calceamenta deaurata. Hieronym. epiſt. ad Marcellam meminit loquens de luxu fœminarum *auratorum calceorum.* Plaut. Bacchid. *Soccis habeat auro* D *ſuppactum ſolum.* Sed de ornamentis calceorum dicam pleniùs ad lib. de Habit. Mulieb. c. 7.

7. LANCES ET SCYPHOS.] Lances fuiſſe in vſu ſacrorum liquidum ex illo Virg. Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Et in Æn.

--- cumulántque oneratis lancibus aras.

De ſcyphis vide me 8. Æn.

7. CORONAS.] Has quoque vſurpatas fuiſſe non ſolùm ad hominum luxum, ſed ad cultum etiam idolorum, docet totus liber de Cor. Militis.

7. EROGAT.] Explicui iam in hoc libro ad cap. 5. num. 5. & coronari quamuis omnibus conueniret conuiuis, ſed præſertim modiperatores coronabantur tranſacto conuiuio. Erant *modiperatores*, quos conuiuij Reges, aut Rectores, aut Magiſtros, aut Sympoſiarchas vocabant. Igitur re bene peracta or-

namentum coronæ accipiebant. & hunc sensum habent verba Ecclesiastici 31. *Omni cura tua explicita recumbe, vt lateris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam.* præcessit enim, *Rectorem te posuerunt.*

CAP. IX. ARGVMENTVM.

Astrologia, Mathematica, Magia, Circulatoria, & reliquæ huiusmodi artes obnoxiæ sunt idololatriæ:

TERTVLLIANVS.

125. 1. ANIMADVERTIMVS inter artes, etiam professiones quasdam obnoxias idololatriæ.

EXPLICATIO.

1. AIT non solùm artes mechanicas esse obnoxias idololatriæ, sed etiam *professiones* aliquas, id est, facultates litterarias. Clarè. Profitentur aliqui ac docent disciplinas, quæ fidei aduersantur.

2. De Astrologis ne loquendum quidem est. Sed quoniam quidem istis diebus prouocauit defendens sibi perseuerantiam professionis istius, paucis vtar.

2. *Ne loquendum quidem est*, vt de doctrina clarè aduersante fidei, nam hîc de astrologis iudiciariis intelligit, qui multis legibus damnati. *Prouocauit*, subaudi me ad loquendum. *Defendens*, id est, astruens argumentis posse se tutò perseuerare in profitenda & docenda hac arte.

126. 3. Non allego, quòd idola honoret, quorum nomina cœlo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit: quòd propterea homines non putant Deum requirendum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi.

3. *Honoret.* Qui maior honor quàm cœlo inscripsisse Iouem, Venerem, alios? *Quibus omnem Dei potestatem addixit.* cum stomacho. q d. Tu ergo iudiciarie à Deo potestatem eripis, & illam das astro Iouis, Saturni, &c.? *Quòd propterea homines*, &c. Ratio verè Tertullianica, id est, verè acutissima. Nam qui docet, agi necessariò homines trahique *immutabili arbitrio stellarum*, eo ipso docet *Deum* hominibus *non requirendum*, vt à quo non pendeant.

127. *Gen. 6.* 4. Vnum propono, Angelos esse illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam huius curiositatis, propterea quoque damnatos à Deo.

4. Vocula *esse* annectenda cum verbo *damnatos*, vt dicat: *Angelos illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam huius curiositatis, propterea quoque damnatos* esse *à Deo.* id est: Damnati à Deo sunt, non solùm quòd *desertores*, quòd *amatores fœminarum*, sed quòd etiam primi prodiderint tradiderintque mortalibus curiosas Astrologiæ iudiciariæ disciplinas.

128. 5. O diuina sententia vsque ad terram pertinax, cui etiam ignorantes testimonium reddunt! Expelluntur Mathematici, sicut Angeli eorum: Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, sicut cœlum & Angelis eorum: eadem pœna est exilij discipulis & magistris.

5. *Pertinax*, perseuerans *ad terram vsque*, & perdurans. Quia scilicet Deo exterminanti è cœlo Angelos Doctores primos huius facultatis applaudunt præclarè principes mundi exterminantes è suis vrbibus & prouinciis discipulos doctrinæ infandæ. En cur dixerit sententiam Dei esse pertinacem. *Ignorantes* subaudi principes ipsi terreni & Gentiles. Et ideò *ignorantes*, quia consentanei cum sententia Dei, cùm tamen scripturas nostras ignorarent.

129. *Matth. 2.* 6. Sed Magi & Astrologi ab Oriente venerunt. Scimus Magiæ & Astrologiæ inter se societatem. Primi igitur stellarum interpretes natum Christum annuntiauerunt, primi munerauerunt.

6. Verba hæc obiicientis aduersarij sunt, húncque habent conceptum. Quid ita tu Tertulliane in Astrologos? *Magi & Astrologi*, id est, *Magi* ac perinde *Astrologi venerunt ab Oriente*, nunquam enim Magia sine Astrologia. Quasi dicat. Si permissa Magia, ergo & Astrologia, quia illa nunquam sine hac. Respondet. Scimus Christiani hanc societatem. Itaque verum est interpretes stellarum *annuntiauisse Christum primos* omnium, & *primos muneraussse*, id est, muneribus affecisse.

130. 7. Hoc nomine Christum (opinor) sibi obligarunt. Quid tum? Ideo nunc & Mathematicis patrocinabitur illorum Magorum religio? De Christo scilicet est Mathesis: hodie stellas Christi, non Saturni & Martis & cuiusque ex eodem ordine mortuorum obseruat & prædicat.

7. Soluit obiectionem ridendo. quasi dicat è contrario: Pietate certè & religione *Christum obligauerunt*, non vano Astrologorum nomine. Nec putetis scientiæ vestræ vanissimæ posse solidam illorum religionem patrocinium aliquod adferre. Pergit. *De Christo scilicet*, &c. Hoc ironicè, & ideo sententia est: *Mathesis* non *est de Christo*, id est, non est de Christi disciplina, neque secundùm eius doctrinam. *Stellas Christi*, &c. hoc quoque ironicè, & ideo conuerte sententiam, vt dicat: Mathesis obseruat & prædicat *stellas* non *Christi*, sed *Saturni*, &c. q. d. non est Mathesis ex Christi doctrina. Probo. quia hodie nulla est stella, quæ dicatur Christus, sed Saturnus, Mars, &c.

131. 8. At enim scientia ista vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur. Nam & thus illud, & myrrham, & aurum ideò infanti tunc Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis & gloriæ secularis, quam Christus erat adempturus.

8. Soluit hactenus obiectionem ridendo, iam via alia. Imò (ait) sciendum est vobis, scientiam illam, quæ ex siderum ratione interpretatur natiuitates hominum, concessam permissámque vsque ad Christum, exinde verò iam abolitam. Probat à simili. Olim idolis dabatur *thus*, *myrrha*, *aurum*: illis hanc gloriam Christus ademit, voluit enim in se totam conuerti: sic postquam Magorum scientia se exercuit in diuinando genethliaco Christi, cesset deinde oportet in tanti Natalis gloriam.

132. 9. Quod iisdem Magis somnium sine dubio ex Dei voluntate suggessit, vt irent in sua, sed alia non qua venerant via, id est, ne pristina secta sua incederent: non ne illos Herodes persequeretur, qui nec persecutus est etiam ignorans alia via digressos, quoniam & qua venerant ignorabat. Adeo viam, sectam & disciplinam intelligere debemus. Itaque Magis præceptum exinde aliter incederent.

9. Dixerat, post natum Christum nunquam deinde exercendam hanc scientiam, probat hoc adducens peculiarem explicationem oraculi illius, quo admoniti in somnis sunt Magi, vt redirent per aliam viam in patriam. Explicat ergo *aliam viam* esse aliam sectam & disciplinam. *Non ne illos*, &c. id est, non iussi sunt ire per aliam viam, ne illos Herodes persequeretur, nam hic cùm ignoraret viam primam, qua venerant, æquè incertus erat, modò per eandem, modò per aliam redirent. Ergo per *viam* sectam debemus intelligere: & Magis præceptum est, vt aliter incederent, id est, iuxta aliam disciplinam, aliam doctrinam: nam hæc est illa alia via. Notes, non negari à Tertulliano Magos digressos alia via, nam id clarè ait, sed tantùm non digressos alia via ob metum Herodis, & mentem oraculi fuisse per viam illam aliam, qua sunt regressi, intelligendam sectam aliam. Huic loco tenebras obtendit Pamelius, cuius lectionem si sequaris, locum non capies, aperiam clariùs in Notis.

133. 10. Sic & alia illa species Magiæ, quæ miraculis operatur, etiam aduersus Moysen
Exod. 7. æmulata, patientiâ Dei traxit ad Euangelium vsque.

10. Caue intelligas, Tertulliani mentem esse velle reprehendere ex professo speciem Magiæ, quæ operatur miraculis: hanc enim, vt rem clarè malam, non vsurpabant Christiani, sed cùm dixerit, Astrologiam perseueraſſe vsque ad Christum natum, deinde extinctam, & punitam; adducit ad firmandum quæ dixerat de Astrologia, consimilem & verè geminam pestem: nam Magi quoque qui miraculis operabantur ante Christum, tolerati in mundo sunt, nec puniti; post illum puniti, & non tolerati. Ergo ait, *species* hæc *Magia traxit*, id est, durauit vsque ad Euangelium, idque ex infinita Dei *patientia*, vt apparet in Magis illis, qui *aduersus Moysen*.

134. 11. Nam exinde & Simon Magus iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circula-
Act. 8. toria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem enundinaret, maledictus ab Apostolis de fide eie-
Ibid. 17. ctus est: & alter Magus, qui cum Sergio Paulo, quoniam iisdem aduersabatur Apostolis, luminum amissione mulctatus est. Hoc & Astrologi retulissent credo, si quis in Apostolos incidisset.

11. Probat duplici exemplo semper post natum Christum punita falsa Magorum oracula. Sententia huius tractus clara est. *Circulatoria secta*, ita signatè dicta ars patrandi falsa miracula, qui in circulis & cateruis. *Enundinaret*, venditaret veluti in nundinis, vtique denundinaret, vt loquitur Isidorus. *De fide eiectus est*, id est, de communione Ecclesiæ, verè excõmunicatus. *Et alter Magus*, vide Act. 17. *Hoc & Astrologi*, &c. id est, pari modo punirentur. Vide verò vt iam redierit ad Astrologos. non ergo de miraculis ex professo, sed tantùm consequenter ad firmanda quæ dixerat contra Astrologos.

135. 12. Attamen cùm Magia punitur, cuius species est, vtique ea species in genere damnatur.

12. Verè ergo & talem pœnam retulissent Astrologi ab Apostolis, nam si Magi puniti ab illis sunt, cur non & Astrologi, qui sub illis vt sub *genere* continentur? Itaque *cuius species est*, id est, cuius Magiæ Astrologia est species, Astrologia (inquam) iudiciaria, vt explicat Baronius tom. 1. Annal. pag. 66.

13. Post Euangelium nusquam inuenias aut sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut Magos, nisi planè punitos. Vbi sapiens, vbi litterator, vbi
1. Cor. 1. conquisitor huius æui? Nonne infatuauit Deus sapientiam huius seculi?

13. Loquitur iam in exitu capitis generatim de omnibus, qui vetitas artes exercent: & ait, nunquam fieri in sacris illorum mentionem, nisi fiat etiam punitionis. Ad quam rem firmandam aduocat verba Apostoli 1. Corinth. 1. vbi seculi huius sapientes, litterati, conquisitores dicuntur *infatuati.* (en punitio) à Deo.

136. 14. Nihil scis Mathematice, si nesciebas te futurum Christianum. Sin sciebas, hoc quoque scire debueras nihil tibi futurum cum ista professione. Ipsa te periculo suo instrueret, quæ aliorum climacterica præcauit. Non est tibi pars, neque sors
Act. 8. in ista ratione. Non potest regna cœlorum sperare, cuius digitus aut radius abutitur cœlo.

14. Nihil clarius hoc tractu, vt nihil acutius. *Nihil scis Mathematice,* Acumen in vocibus: nam qui habes Mathematicam, id est, doctrinam, tamen scis nihil. *Ipsa te de periculo suo instrueret,* id est, ipsa Mathesis te instrueret, quàm sit periculosum Christiano illam profiteri. *Climacterica præcauit,* vt formidanda. *Non est tibi pars,* &c. Qui cœlo abutitur, cœlum quî sperat? ô audaciam!

NOTÆ.

137. 1. INTER ARTES ETIAM PROFESSIONES.] Doctè: ars quippe latiùs patet scilicet ad manuales & intellectuales, professio de ea tantùm quæ publicè docetur. Bene ergo *professio inter artes.* Notabis in tractatu de Idololatria commodè à Tertulliano damnari has artes. Legatur vita sancti Godehardi, eò loci, vbi à sancto viro expugnatur dæmon, qui inuaserat corpus Magi cuiusdam, & rogatus dæmon, cur in eum irruisset, respondit: *Nonne legisti quia Dominus pythones, diuinos, & incantatores iussit exterminari? Quid enim tales faciunt, nisi quòd mihi meisque principibus deseruiunt? idololatra enim sunt.*

2. ASTROLOGIS.] Ad Sethi tempora coniicit Iosephus lib. 1. Antiq. *Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam absque seditione colebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & sideralem scientiam, & cœlestium rerum cognitionem excogitauerunt.* Præstat proculdubio hæc sententia alteri Diodori Siculi lib. 1. *Quia verò Deos in Aegypto natos fabulantur, eisque prima siderum obseruatio tribuitur;* quia cùm profiteatur scribere Deorum fabulas, minimè ei fides habenda est.

138. 3. IDOLA HONORET.] Id est, cultum det idolis. *Honor* enim veteribus dictus de cultu Deorum. Virgil. 1.

---haud equidem tali me dignor honore.

Vix est vlla pagina poëtarum sine hoc.

3. NON PVTANT.] Legit Iunius, *non putent.* Cæterùm ad sententiam pertinent verba Romani Pœnitent. tit. 6. c. 6. vbi de Magis dicitur existimare illos *Dei iudicium peruertere posse.*

3. ARBITRIO.] Festus ita ait: *Arbitrium dicitur sententia, quæ ab arbitrio statuitur; arbitrarium autem, cùm adhuc res apud arbitrum geritur.* Inde est, vt Plaut. Amphit. opponat certum & arbitrarium, eo versu:

Hoc quidem profectò certum est, non arbitrarium.

4. AMATORES FOEMINARVM.] Ita putarunt etiam alij ante Tertullianum, nec mihi dubium quin virum doctum deceperit doctus alius, scilicet Iustinus Martyr, qui Apolog. οἱ δὲ Ἄγγελοι παρεβάντες τὸν τόπον τὸν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες: *Angeli autem ordinem transgressi victi sunt amoribus fœminarum, quibus misti sunt, & filios procrearunt, qui dicti dæmones.* Sed de hoc iam alibi.

139. 4. PRODITORES HVIVS CVRIOSITATIS.] Dæmones quippe habiti auctores huius doctrinæ. Augustin. lib. 3. Ciuit. c. 7. *His omnibus consideratè non immeritò creditur, cùm Astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus atque firmare.* Porphyr. lib. 2. περὶ ἀποχ. διὰ μόνοι τῶν ἐναντίων ἡ πᾶσα γοητεία ἐντελεῖται· τούτοις γὰρ μάλιστα, καὶ τὸν θρησκευόντα ἀνθρώπων ἐπιμῶσιν οἱ τὰ κρείττω διὰ τῶν γοητειῶν: *Per contrarios* (dæmonas) *omnes præstigiæ perficiuntur. Hos enim præcipuè & illorum præsidem venerantur, qui maleficia incantationibus procurant.* Fortasse ideo Manil. lib. 5. has artes dixit,

---peruersáque munera:

quia inuenta dæmonum tota ad peruersitatem. Et Romanum Pœnitentiale tit. 6. c. 2. signatè *diabolicas incantationes.* Et cap. 2. *incantationes dæmonum.* Affero etiam D. Clementem lib. 4. de Rog. qui de Angelis peccatoribus ita ait: *Docuerunt homines, quòd dæmones artibus quibusdã obedire mortalibus possent, ac velut ex fornace quadam & officina malitiæ totum mundum subtracto pietatis lumine, impietatis fumo repleuerunt. Pro his & aliis nonnullis caussis diluuium mundo inductum est.*

140. 4. CVRIOSITATIS.] Doctè. *curiositas* enim dicitur de artibus vetitis & magicis. In vita sanctæ Eugeniæ Virg. & Mart. Philippus præfectus Ægypti, *Cunctis magicam curiositatem sectantibus finem imposuit.* Zosimus lib. 2. Hist. τύσει δ' ὢν φιλοπράγμων, καὶ ἄπιστος: *Cùmque natura curiosus & infidus esset.* Cassian. Collat. 8. cap. 21. *Curiosáque ex ea maleficorum artes atque præstigias, ac magicas superstitiones audacter instituit.* Et fortasse apud Fulb. epist. 8. *Quapropter desine curiosos instigatores audire.* Horat. clarè od. 17. Epod.

An quæ mouere cereas imagines,
Vt ipse nosti curiosus, & polo
Diripere Lunam vocibus possum meis.

Rabanus Maurus lib. Pœnit. c. 23. citat verba Concilij Toletani, vbi scriptum, *Ariolos, vel sortilegos, aut eos qui profitentur artem aliquam curiosam.* Spartian. in Pescennio Nigro responsa illa quæ petebantur à dæmonibus, vocat *curiositatem.* Verba eius: *Nec defuit alia curiositas, requisitum est, qui esset obtenturus Rempublicam.* Græci etiam ita vsurpant. Euseb. lib. 2. de vita Constant. cap. 44. μαντείαις καὶ ταῖς ἄλλαις περιεργίαις ἐπιχειρεῖν: *Incumbere diuinationibus, aliisque curiositatibus.*

141. 5. VRBS ET ITALIA INTERDICITVR MATHEMATICIS.] Inde *vetitas artes* nominat Amm. lib. 14. en cur *interdicitur.* Sed ad sententiam de ejectis Italia Mathematicis pertinet Sueton. Vitell. cap. 14. *Nullis infensior quàm vernaculis & Mathematicis, vt quisque deferretur inauditum capite puniebat.* De eodem Vitellio Constantinus Manasses in Annalibus.

---ἐκ τῶν ἀστρολόγων
Κηρύγματα προστάττοντα φεύγειν ἐξ Ἰταλίας:
---qui astrologos
Edictis propositis Italia iussit excedere.

Tacitus de æuo Tiberij 2. Annal. *Facta & de Mathematicis Magisque Italia pellendis Senatus-consulta.* Imò & ante hoc æuum. Nam Valerius Max. lib. 1. *M. Popilio Lænate, Cn. Calpurnio Coss. C. Cornelius Hispalus Prætor edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex vrbe atque Italia iussit: leuibus atque ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendacii suis caliginem inicientes.* Qui multa volet, legat Barræum in hunc locum, Lipsium in Tacitum.

6. SED ET MAGI ET ASTROLOGI AB ORIENTE VENERVNT.] Magos Reges fuisse dicit Astrologos. Porphyrius eos περὶ τῶν θείων σοφοὺς vocat, quod est cognitione Dei imbutos, & cultus diuini peritos. Plato in Alcibiade 1. μαγείαν ait esse θεῶν θεραπείαν, *Deorum cultum.* Sanctus Basilius earum rerum, quæ naturæ obscuritate continentur, Magos peritos, & arduarum cœlestiúmque caussarum intelligentes esse ait. An verò Babylonij fuerint, vt putat Nyssenus, Hieronymus, Patrésque alij; an Persæ, vide Bulengerum lib. 1. de Magia cap. 2.

142. 6. MAGIÆ ET ASTROLOGIÆ INTER SE SOCIETATEM.] Hanc vtriusque artis societatem etiam clamat Greg. Nazianz. orat. 3. vbi loquens de Iuliano: *Ipsi porrò Asia impietatis schola erat, tam quæ circa siderum scientiam & genituras, inanémque præscientiæ speciem vanissimè occupatur, quàm quæ circa præstigiarum artem, earum assectam, versatur.* Vides vt Magiam assectam Astrologiæ: sic enim non malè vertit interpres Nazianzen. ἐποφθίλιν γοητικήν. in Concilio etiam Toletano primo in assertione fidei pariter astrologia damnatur cum mathesi. verba Concilij: *Si quis astrologiæ vel mathesi existimat esse credendum, anathema sit.* Astrologos & Mathematicos intelligit Constantinus Manasses: cùm ait in Annal.

Οὗτος ὁ Καῖσαρ ἤλαυνε τοὺς μετεωρολόγους,
Μόνος κωδώνων τοὺς σοφοὺς τιμᾶς τοῖς θεσκουσους:
Hic Cæsar eos profligat, qui de cœlestibus nugātur,
Solus sapientes viros honore afficiens.

Prudent. etiam 1. in Symm. magiam insignit illis, de Mercurio loquens,

Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scitè incantare fauillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia nouit.

Ista autem quæ sequuntur sunt de astrologia,

Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisque leues pedibus transcurrere ventos.

Etenim volatu illo in sydera, intelligebant Gentiles, quos ibi apponit Prudentius, Astrologiam. Ita etiam aliqui dabant operam Magiæ sub nomine Astronomiæ: id enim circo Manuel Imperator (vt de eo narrat Nicetas Choniates in eius vita lib. 4. c. 7.) quosdam excæcari fecit, qui λόγῳ μὲν Ἀστρονομίας ἐχόμενοι, ἔργῳ δὲ μαγγανείαις προσκείμενοι καὶ δαιμονιώδεσιν ἐπτοίοις φενακισμοῖς: *Sermone quidem Astronomiæ incumbebant, opere autem addicti erant Magiæ & dæmonum impostu-ris.*

143. 6. IGITVR.] Explicui *itaque.* Plaut. Casin. *Mox magis cùm otium erit igitur tecum loquar.* Certè qui versatus est in Auctoribus, particulas *ergo* & *igitur* videbit sæpissimè abire à vulgari significato.

7. DE CHRISTO SCILICET, &c.] In vulgatis ita legitur: *De Christo scilicet est Mathesis hodie, stellas*, &c. Malui interpunctionem Iunij, *De Christo scilicet est Mathesis: hodie*, &c. Est enim ratio cur Mathesis non sit ex disciplina Christi, quia nulla est hodie stella, quæ dicatur Christus, sed Mars, Saturnus, &c. Est enim Mathesis de eorum doctrina, quia stellæ illis sunt cognomines. Sed neque assentio illis, qui in Tertull. legunt *stellam Christi*, & accipiunt de stella Magorum. Non sic est. Verissima explicatio est, quam iam adhibui.

8. VSQVE AD EVANGELIVM FVIT CONCESSA.] Ne putet Lector concessam diuinis legibus, sed tantùm humanis, quia ante Christum non punita, imò per omnes nationes vagata insolenter, & in pretio & gloria habita. Neque contra hoc est concessam Magis adoratoribus Christi, nam isti illa vsi sunt ex mera pietate & religione, non vt aliæ gentes ad vsus maleficos. Sed & explicandus est Tertull. cùm ait concessam vsque ad Euangelium, scilicet concessam vt plurimùm: ne inscitiæ damnetur: nam verba adducta Valerij notant annum vibis DCXIIII. Hoc enim anno, qui certè ante Christum, M. Popilius Lænas, & Cn. Calpurnius Coss. fuerunt. 144.

8. CLAVSVLAM, &c.] Notet hoc diligenter, qui populum ad virtutem exhortatur. Quid tu ô plebecula, quid tu homuncio gloriam quæris impensam iam & addictam Christo? Hic tibi omnem gloriam ademit, cùm voluit in se conuerti; nam hoc facto voluit clausulam fieri gloriæ tuæ.

8. CHRISTVS ERAT ADEMPTVRVS.] Ideo Zosim. lib. 1. Hist. μοιρῶν δ' αὐάγκλιν ἢ ἀστρῶν κινήσεων ἀποτελεσμάτων, ἢ θεοῦ βούλησιν: *Necessitatem fatalem, vel siderearum motuum reuolutiones, vel Dei voluntatem.* Vbi Dei voluntas vltimo loco, quasi adimat potestatem reliquis.

9. NON NE ILLOS HERODES PERSEQVERETVR.] Turbauit sententiam Pamelius adimens primam negationem *non*, putans esse superfluam, in quo mirè deceptus est, neque animaduertit cursum sententiæ Tertullianicæ, quam iam explicui. Aliud est enim quærere de vera Euangelistæ sententia, aliud de ea quam affert Tertull. Euangelistæ enim sensus est, isse Magos alia via, quia scilicet regressi ad Herodem non sunt, sed statim à Bethleem tenuerunt rectum cursum ad Orientem. Atqui mens Tertulliani est, ignorasse Herodem, viam, & qua à patria venerant in Hierusalem, & qua regressi in patriam sunt, ac perinde tutò possent Magi, quà volent, redire. Inde colligit cùm illos non potuerit Herodes persequi, restat vt via illa alia monitoris Angeli debeat accipi de secta alia. Quasi Angelus diceret ad Magos: Dirigo vos per viam aliam, non, ne vos Herodes persequatur, qui nescit nec qua venistis, nec qua reditis, & tutò possetis per eandem redire: sed dirigo vos (inquam) per viam aliam, vt hoc ipso doceam vos sequendam deinceps aliam doctrinam, non Magicam. Itaque via ista alia materialis qua vos in patriam reduco, significat doctrinam aliam, quam debetis deinde sequi. Et Euseb. Gallican. Episcop. de Machab. ait: *Viæ enim immutatio, vitæ intelligitur emendatio.* 145.

9. ADEO VIAM, SECTAM, &c.] In omnibus Codicibus legitur, *Adeo viam rectam & disciplinam intelligere debemus*, apertissimo lapsu. Correxit Iunius. Ratio clara. Nam sup. *ne pristina secta sua incederent.* Sed & lib. de Pallio vtramque vocem coniunxit. Verba eius: *At ego iam illi etiam diuinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero.*

9. ITAQVE MAGIS PRÆCEPTVM.] In omnibus, quos vidi, scriptum est, *Itaque magis præceptum.* puto legendum *Magis.*

10. SIC ET ALIA ILLA SPECIES MAGIÆ.] Ita scriptum in omnibus Codicibus, & ita retinuit Barræus. Primus omnium lectionem mutauit Pamelius, neque debuit, cùm commodè explicari Tertullianus potuerit. In quo verbum *traxit* absolutè positum, est (explicatore Brisson. à quo sumpsit Iunius, quamuis non nominet) moram traxit, & immorata est species. Hoc enim vsu I. C. Nam Vlpian. l. 3. si quis 146.

si quis hæredi D. de statu liber. *Sed quid si data opera traxit?* id est, moram fecit. Ergo ait Tertull. species alia traxit, id est, morata diu est, idque patientiâ (in auferendi) Dei. Hæc significatio ignorata Pamelio occasionem dedit errandi. Nam scripsit *aliam illam speciem Magiæ patientia* (in recto) *Dei traxit*: ἀντόπως.

10. QVÆ MIRACVLIS OPERATVR.] Propriè loquitur, nam *miracula* dicuntur etiam de Magicis & incantatoribus. Inde præstigiatores dicti θαυματοποιοὶ, à miraculis, quæ patrant, & de illis Plato τὰ θαύματα δεικνῦσιν: *ostendunt miracula*. Virg. de Proteo 4. G.

Omnia transformat sese in miracula rerum.

Ita scilicet vocat Protei γοητικὰ. Noster inf. de Simone Mago, *inter miracula professionis suæ*.

147. 11. CIRCVLATORIA SECTA.] *Circulatores* sunt, quos Græci vocant ἀγύρτας, & ὀχλαγωγοὺς. Notátque Iunius ex adducto Suetonij loco, dictos Latinè *vernaculos*. Nam Sen. 6. de Benef. cap. 11. loquens de Cleanthis puero: *Alter apud proximum circulatorem resedit, & dum vagus atque erro vernaculis congregatur & ludit, transeuntem Platonem, quem non quæsierat, inuenit.* Doctè ergo Sueton. de Vitell. *Nullis tamen infensior quàm vernaculis & Mathematicis.* vbi *vernaculi* sunt circulatores. Artem hanc vocat Nazianzenus orat. 20. ἄχρηστον τοῖς εὐσεβεῖν ἐθέλουσιν: *Inutilem volentibus pietatem colere.* Videatur Concilium quartum Tolet. c. 28. vbi contra illos, qui consulunt professores artis huius.

148. 13. SOPHISTAS.] Sophistarum voce Magi & incantatores notati, vt animaduertit Heral. lib. 1. Digress. c. 17. Nam Firmic. lib. 2. Mathes. cap 12. *Vates, Magos, Sophistas.* & Tertull. lib de Ieiuniis, ita appellat coniectores. Verba eius: *Circa somnium Regis Babylonis omnes terrentur sophistæ.* Ita & Magos & diuinos vocat Philo lib. de Ioseph; loquens enim de Pharaone ait: μεταπέμπεται τῶν σοφιστὰς ἅμα τῇ ἔῳ, καὶ πλὴν φαντασίαν διηγεῖται: *Accersit diluculo sophistas, & somnium narrat.* Hoc idem latissimè probat Clemens Alex. lib. 1. Stromat. ex Cratino & aliis, adducens illorum versus, qui Magos appellarunt σοφιστάς. Huc pertinet verbum Græcorum σοφιστομανεῖν, de insano quodam studio, quo vtitur Greg. Theol orat. Funeb. Magni Basilij. Hinc in Exod. Magi Pharaonis σοφιστάς.

149. 13. CHALDÆOS.] Habiti Chaldæi principes huius artis, & inde factum, vt nomen dederint omnibus Magis & coniectoribus. Itaque Tertull. hoc loco non Chaldæos, id est, gentem ipsam intelligit, sed artis huius sapientes, quos ab illis Chaldæos nominat. Agell. cap. 9. lib. 1. *Vulgus autem, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos nominat.* Apul. lib. 2. *Chaldæus quidam hostis miris totam ciuitatem responsis turbulentat.* Cato de Re Rust. c. 5. *Augurem, Aruspicem, Hariolum, Chaldæum ne quis consuluisse velit.* Iuuenal. Sat. 6.

---Chaldæis sed maior erit fiducia.

Capitolinus in Pertinace: *Hac re motus pater* Pertinacis *ad Chaldæum venit*, id est, ad coniectorem & diuinum. Spartian. in Seuero: *In Sicilia quasi de imperio Chaldæos consuluisset.* Valer. Max. *Edicto Chaldæos* (inquit lib. 1. cap. 3.) *intra decimum diem abire ex vrbe atque Italia iussit.* Tota, vt dixi, horum ars à Chaldæis ipsis. de quibus Cicero lib. 1. Diuin. *In Syria Chaldæi cognitione astrorum solertiáque ingeniorum antecellunt.* Iosephus lib. 1. cap. 8. Antiq. citat Berosum Historicum, μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τὶς ἐν δικαιος ἀνὴρ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος: *Post diluuium autem decima ætate apud Chaldæos erat quidam iustitiæ tutor vir magnus, & sideralis scientiæ peritus.* Clemens Alex. 1. Stromat. Cùm dixerit Ægyptios A primùm astrologiam intulisse, subiicit, ὁμοίως δ' οἱ Χαλδαῖοι: *Similiter autem & Chaldæi.* Sunt vtique Chaldæi, quos Amm. lib. 18. vocat *prodigiorum gnaros, notarum peritos.* vide insuper Auctores, quos citat in c. 1. Danielis Gaspar Sanctius.

13. INCANTATORES.] Sunt isti, qui cantibus 150.
vtuntur & carminibus, ad eum modum, quo *præcantatrix* apud Mil. Glorios. Plauti, quæ cantionibus & incantamentis vsa omnia disturbat.

13. CONIECTORES.] Obseruarunt iam docti, in his Turnebus, officia hæc distincta fuisse per sexus, itavt viri vterentur coniectoribus, fœminæ coniectricibus; ita etiam in aliis. Colligunt ex illo Plauti Mil. Glor.

---da quod dem Quinquatribus
Percantatrici, coniectrici, ariolæ, atque aruspicæ.

Noto hîc vocem hanc *coniectura* infamem esse patribus, vt quæ sapiat idololatriam, vt vox *coniector.* B Planus locus Ioannis Cassiani Collat. 14. c. 11. *Non solùm à ceremoniis idolorum, sed etiam ab omni superstitione Gentilium & auguriorum, omniúmque signorum & dierum ac temporum obseruatione discedat: vel certè ne quorundam verborum aut nominum coniecturis, quæ simplicitatem fidei polluunt, implicetur.* Ennius dixit, *Non Isiacos coniectores, non interpretes somniûm.*

13. VBI SAPIENS.] Cùm Tertull. adducat te- 151.
stimonium hoc Pauli ad rem suam, proculdubio explicat *sapientes* Apostoli esse, quos ipse *sophistas* dixerat, id est, Incantatores & Magos. Qua in explicatione comitem habet Tertullianus Clementem Alex. lib. 1. Stromat. qui adducens locum alium Pauli 1. Corinth. 3. κύριος γὰρ μόνος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶ μάταιοι: *Dominus enim solus cognoscit disceptationes sapientum, quoniam vanæ sunt.* In hæc (inquam) verba ita Clemens: σοφοὺς δήπου τοὺς σοφιστὰς τοὺς περὶ τοὺς λέξεις καὶ τοὺς τέχνας πειστικοὺς καλούσης τῆς γραφῆς. ἔστιν οἱ Ελλήνες καὶ αὐτοὶ τοὺς περὶ ὁποιῶν πολυπραγμονεῖς σοφοὺς ἅμα καὶ σοφιστὰς κεκλήκασι: *Sapientes vtique scriptura vocat sophistas, qui in dictionibus versantur & artibus superfluis. Vnde ipsi quoque Græci eos qui in re aliqua curiosi versantur sapientes simul & sophistas vocarunt.* Sed & aliunde efficio *sapientes* & *sophistas* esse eosdem, etiam extra significatum incantatorum. Nam Tertull. lib. de Anim. ita scribit: *Errauit & Christus piscatores citius quàm sophistas ad præconium emittens.* Et Ambros. explicans locum Lucæ c. 4. ait: *Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisiuit.* Vides vt quos Tertull. *sophistas* dixerit, *sapientes* nominat Ambros. vterque enim de re eadem loquitur. Doctè ergo Tertull. in hoc capite, vt *sophistas* exterminet, vtitur verbis Pauli repre- D hendentis sapientes.

13. LITTERATOR.] In Græco Pauli est, γραμ- 152.
ματεύς. Vulgatus reddit *scriba*, Noster voluit *litterator*, propriè satis.

13. CONQVISITOR.] Hic Paulo est συζητητὴς, quam vocem Tertull. vt vides, in Astrologos detorquet, quippe testimonium Apostoli contra illos aduocat. Habétque in hac re comitem Ambrosium, qui ita etiam Paulum interpretatur. Verba Ambros. *Conquisitor seculi hic est, qui à constellationibus agi mundum, & duodecim signis, ortus & occasus fieri decernit calculis, nihil omnino sine eorum motu putans posse fieri.*

13. HVIVS ÆVI.] Vulgatus reddit *huius seculi.* Sed Noster propriè *huius ævi*, quippe Paulus συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου.

13. INFATVAVIT DEVS SAPIENTIAM.] 153.
Vulgatus: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Tertull. maluit *infatuauit.* propriè hoc quoque, nam in Græco est, ἐμώρανεν σοφίαν. quam proprie-

tatem interpres vulgatus alibi retinuit, nam vbi mentio eſt ſalis *infatuati*, in Græco eſt, ἐμωράνθη. Et præclarè de iſtis *fatuitas*, nam & illam Plin.c.1.lib.30. *inanem* vocat. Item c.9. lib.37. *vanitatem magicam.* & Curtius lib. 7. ita ſcribit: *Erat in eo conuiuio Cobares natione Medus, ſed magicæ artis (ſi modò ars eſt, non vaniſſimi cuiuſque ludibrium) magis profeſſione, quàm ſcientia celeber.* Vides inanitatem, vanitatem, & merum ludibrium. Greg.etiam Nyſſen.lib.de Virg.cap. 3.vocat λήρους, *ineptias*, & addit hæc omnia obſeruata τῷ ματαίας συνηθείας, *ſtulta conſuetudine.* Alexander Epiſc. Alexandrin. dat his ἀπάτην, *fraudem.* In epiſt. quæ præpoſita Nicenæ ſynodo. & mendacium ῥῆτις (inquit) ψεύδονται. Cyrill.Hieroſ.Catecheſ.2.dat huic arti verbum ματαιολογεῖν, ab ſtultitia. & Catecheſ. 4. de his magiſtris, ληροῦσι, *blatterant, nugantur.* Ambroſ.l.1.Offic. c.26.vocat *ſtultitiam.* Rabanus Maur. lib.Pœnit.cap.23. vocat *artem maleficam.* & cap. 24. *inanem ſignorum fallaciam.* Videatur Can. 61. Synodi Trullanæ, & Lamprid. initio vitæ Commodi, vbi deprehenditur vanitas harum artium, quas *funeſtas* vocat Vopiſcus in Aureliano. Euſeb.lib.1. de vita Conſtant.c.27. has artes vocat κακοτέχνους. Demum Philoſtratus lib.3. Apollon. cap. 13. his artibus mirè inſultat, & Apuleius Apolog.2. Nemo denique eſt eruditorum, qui non in hanc artem inuehatur.

154. 14. MATHEMATICE.] Abiit hoc nomen in generale huius profeſſionis. Zeno Veronenſ.ſermon. de Iſaia propheta: *Sed Belial filius Ezechiæ, vir cruentus, & prodigus genealogiæ, mathematicus, catabolicorum, fatidicorum, & Pythonicorum antiſtes.* Ad rem quod attinet, vide epiſt.11. lib. 8. Sidonij, vbi inter alia, *quamquam ſint maximè falſa, ideóque fallentia.* Martian.Felix lib.2. *Verum illud, quod naſcenti ab ipſo Ioue ſyderea nuncupatione compactum, ac per ſola Aegyptiorum commenta vulgatum fallax mortalium curioſitas aſſeuerat.* Marcus Victor lib.4.

Quoſdam infelices qui decipit, incitat error,
Dum cauſſam rerum, aſtrorúmque meatus.

Valerius Max.lib.1. *Leuibus atque ineptis ingeniis fallaci ſyderum interpretatione quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem inicientes.*

14. CLIMACTERICA.] Agell. c. 10. l.3. *Pericula quoque vitæ fortunarúmque hominum, quæ climacteras Chaldæi appellant, grauiſſima quaque fieri affirmat ſeptenariis.* Clemens Romanus ad Iacobum fratrem Domini lib.9. Recog. *Climacteras introducunt, vt de rebus incertis ſcientiam fingant, climacteras enim dicunt, quaſi periculi tempus,* &c. Itaque *climacterica* Tertull. dixit, pro, pericula. Sed quis ſit annus climactericus, video non ſatis certum eſſe. Nam ex verbis Agellij adductis videtur is eſſe, qui reſultat ex ſeptenariis. Cenſorin. etiam clarè ait in lib. de Die Nat. cap. 14. *Per omnem vitam ſeptimum quemque annum periculoſum, & velut criſimon eſſe, & climactericum vocari.* Alij eum capiunt, qui reſultat ex nouenariis, & ſignatè ex nouem nouenariis, nam hic periculoſiſſimus fuit multis. eos numerat in hunc locum Barræus, alij etiam. Certum eſt, Auguſtum ſolitum congratulari amicis annum hunc elapſis. Tu vide Iulium Firm.lib. 8. Matheſ.cap.26.

14. DIGITVS.] Doctiſſimè: nam ex more Ma- 155.
thematicorum & Aſtrologorum vtentium digitis ad ſuas ſupputationes. Plin. lib. 2. epiſt. 20. *Quotidie, qua horâ nata eſſet interrogauit. Vbi audiuit, componit vultum, intendit oculos, mouet labia, agitat digitos, computat diu.* Huc fortaſſe ſpectatum ab Ennodio epiſt. 14. lib.1. *Peritorum mos eſt medicorum in venis deprehendere vires corporum, & de ſucceſſu hominis digitos interrogare.* Quia medici ab aſtris ſolent ducere ſucceſſum ægritudinis. Dixi fortaſſe, quia quis poſſit Ennodium referre ad medicum attrectantem digitis ægri pulſamen?

14. RADIVS.] Virga eſt, qua vtuntur Aſtrologi, & Mathematici. Virg.6.Æn.

---cœlique meatus
Deſcribent radio.

Et Eclog.3.

Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Cicero 5. Tuſcul. *Humilem homunculum à puluere, & radio excitabo.* Sidon. epiſt.3. lib.4. cùm variis profeſſoribus varia aſſignet inſtrumenta, vni Archimedi dat *radium.*

CAP. X. ARGVMENTVM.

Chriſtiani eſſe non debent ludimagiſtri, nam eo ipſo obnoxij ſunt idololatriæ.

TERTVLLIANVS.

156. 1. QVÆRENDVM autem eſt etiam de ludimagiſtris, ſed & cæteris profeſſoribus litterarum. Imò non dubitandum affines illos eſſe multimodæ idololatriæ.

EXPLICATIO.

1. QVÆRENDVM *eſt*, quæſtio eſſe poteſt, an Chriſtiani eſſe poſſint ludimagiſtri? *De ludimagiſtris.* Sunt hi qui primas litteras docent, inde ludus litterarius. *Profeſſoribus litterarum*, ſubaudi, humaniorum, vt poëticæ, oratoriæ, &c. Itaque non ſolùm quærit de his, qui docent prima rudimenta, ſed qui altiora, ideo, *ſed & cæteris*, itaque nihil mutandum. *Imò non dubitandum.* Quia dixerat, *quærendum*, quaſi ſe corrigens dicat: Quid opus eſt quæſtione, vbi nulla eſt dubitatio illos *eſſe affines multimodæ*, multiformi, *idololatriæ.*

157. 2. Primum quibus neceſſe eſt Deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enuntiare, tum ſollemnia, feſtáque eorúmdem obſeruare, vt quibus vectigalia ſua ſuppetant.

2. Duplex ratio cur hi magiſtri ſint *affines idololatriæ*; primò, quia prædicant in his litteris Deos Gentilium. Sententiam ita annecte. *Non dubitandum affines eſſe idololatriæ illos, quibus primùm neceſſe eſt*

Deos nationum prædicare. Mox explicat, quid sit *prædicare?* videlicet, *enuntiare* auditoribus *eorum nomina, genealogias, fabulas, ornamenta quæque honorifica.* En prima ratio. Altera, quia *obseruant sollemnia eorumdem & festa.* probat. *Vt quibus* sollemnibus & festis *vectigalia sua suppetant*, quia scilicet Christiani ludimagistri conferebant aliquid de suis fructibus ad festa Deorum Gentilium, quæ pueruli Gentiles discipuli celebrabant. Nonne hæc vera obseruatio?

158. 3. Quis ludimagister, si non tabularia idolorum, Quinquatria tamen frequentabit? ipsam primam noui discipuli stipem Mineruæ & honori & nomini consecrat; vt, etsi non profanatus alicui idolo, verbo tenus de idolothyto esse dicatur, pro idololatra vitetur, quid minus est inquinamento, quod præstat quæstus, & nominibus & honoribus idoli nuncupatus?

3. Quis Christianus *ludimagister*, & *si non* reliquorum *idolorum tabularia, tamen frequentabit* vnius Mineruæ *Quinquatria*? q.d. Ideóne permittetur frequentare *Quinquatria*, quia non reliqua idola? Absit: nam bonum omni ex parte. Est autem necesse vt frequentet saltem *Quinquatria*, nam magister est. Quia videlicet vt magister *consecrat & honori & nomini Mineruæ primam stipem noui discipuli.* Sequitur: *Vt, etsi*, &c. quem locum vide vt explicem, nam interpretes Pamelius & Iunius mirè aberrant. Pendet sententia vsque ad illud *nuncupatus*? Ait ergo: illum, qui *stipem consecrat honori & nomini Mineruæ* vitandum pro idololatra, quia hæc stipes non minor est *inquinamento* illo, *quod præstat* quilibet alius *quæstus nuncupatus nominibus & honoribus* cuiuscunque *idoli*, etiam si hic magister dicatur tamen tantùm *verbo tenus esse de idolothyto*, id est, pertinere ad idolothytum, & ideo *verbo* tantùm *tenus*, quia *non* re *profanatus alicui idolo*, id est, profanè addictus alicui idolo. Hæc est sententia. Vide verò vt aptem illam ad verba Tertulliani: *Vt* hic magister *vitetur pro idololatra, quid minus est inquinamento* illo, *quod præstat quæstus nuncupatus & nominibus & honoribus idoli? etsi verbo* tantùm *tenus dicatur esse de idolothyto non* re ipsa *profanatus alicui idolo?*

159. 4. Tam Minerualia Mineruæ, quàm Saturnalia Saturni, quæ etiam seruiculis sub tempore Saturnalium celebrari necesse est.

4. Probat paritatem inter magistrum conferentem illam stipem, & inter quemlibet alium idololatram. Nam tam Minerualia Mineruæ sunt, quàm Saturnalia Saturni sunt: vt ergo Saturnalia celebrant seruiculi, ita magistri Minerualia collocata illa stipe, quæ stipes dicitur *Minerual*, & ideo pertinebit ad Quinquatria.

160. 5. Etiam strenæ captandæ, & septimontium, & brumæ, & charæ cognationis honoraria exigenda omnia, flore scholæ coronandæ: Flaminicæ & Ædiles sacrificant Cereri, schola honoratur feriis. Idem fit idoli natali. Omnis diaboli pompa frequentatur. Quis hæc competere Christiano existimabit, nisi qui putabit conuenire etiam non magistro?

5. Adhibet cumulatim plures celebritates, quas discipuli vt Gentiles colebant, ac perinde necesse erat redundare in eorum Christianos magistros. De celebritatibus quas attingit hoc excursu, nihil hîc dico, nam petendæ à Notis. Subiicit. *Quis hæc competere*, &c. id est, *Quis hæc* (quæ sunt idolorum cultus) *existimabit competere* posse *Christiano* (subaudi) magistro, *nisi qui putabit* posse *conuenire etiam non magistro*? sed Christiani *non magistro conuenire* non possunt duplici ex caussa, & ratione *Christiani*, & *non magistri*. Ratione *Christiani*, quia iam esset idololatres, & non Christianus absolutè. & ratione *non magistri*, quia *non magister* non potest hæc, quæ propriè magistrorum sunt, exsequi & exigere. Ergo nullo modo Christianus potest esse ludimagister. Ne ergo Christiane sub magisterij velamine hæc excuses. Hæc est sententia. Itaque nisi in *Christiano* subaudias (magistro) intelligere locum non poteris.

161. 6. Scimus dici posse. Si docere litteras Dei seruis non licet, etiam nec discere licebit. Et quomodo quis institueretur ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcunque sensum vel actum, cùm instrumentum sit ad omnem vitam litteratura? Quomodo repudiamus secularia studia, sine quibus diuina non possunt?

6. Obiicit nodum. Si non licet docere humanas litteras, nec licebit discere. Soluit sic. Quæ erit ergo institutio *ad prudentiam*, & ad rem omnem sine humanis litteris? cur repudientur humana *studia*, *sine quibus diuina non possunt*? id est, nihil possunt. Quia scilicet diuina studia humanis iuuantur. Itaque negatio *non* posita hîc pro *nihil*.

7. Videamus igitur necessitatem litteratoriæ eruditionis, respiciamus ex parte eam admitti non posse, ex parte vitari: fideles magis discere, quàm docere litteras capit.

7. Soluit clariùs nodum. Post illa, *ex parte vitari*, repete *non posse*. Itaque ait, *ex parte admitti non posse, ex parte vitari* non posse. Et se explicans addit, *fideles* debent *discere litteras* humanas, en illud, *ex parte vitari non posse*: sed non debent *docere*, en illud, *ex parte admitti non posse*. De locutione *capit*, in Notis.

162. 8. Diuersa est enim ratio discendi & docendi. Si fidelis litteras doceat insertas idolorum prædicatione, sine dubio, dum docet, commendat: dum tradit, affirmat: dum commemorat, testimonium dicit: Deos ipsos hoc nomine obsignat, cùm lex prohibeat (vt diximus) Deos pronuntiari, & nomen hoc in vano collocari. Hinc prima diabolo fides ædificatur ab initiis eruditionis. Quære an idololatriam committat, qui de idolis catechizat.

8. Ostendit longè aliud esse discere, aliud docere humaniores litteras. *Deos ipsos hoc nomine obsignat*, valet, veluti sigillo suo subscribit veros esse Deos Gentiles. *Vt diximus*, scilicet c. 4. & respicit locum Exod. 23. vbi, *Nomen aliorum Deorum non memorabitis.* Pergit. *Et nomen hoc in vano collocari.* Duplex sensus: ille collocat nomen Dei in vano, qui vanam statuam dicit esse Deum. &, qui mendaciter iurat, Primum capio. *Prima fides.* Attolluntur his litteris prima fundamenta idololatriæ. *Quære an*, &c. Ironicè. *Catechizat*, instruit, instituit.

163. 9. At cùm fidelis hæc discit, si iam sapit qui sit, neque recipit, neque admittit: multò magis si nondum sapit; nam vbi cœperit sapere, priùs sapiat oportet, quod priùs didicit, id est, de Deo & fide; proinde illa respuet, nec recipiet. Et erit tam tutus, quàm qui sciens venenum ab ignaro accipit, nec bibit.

9. In discente fideli non sunt ea pericula, nam vel nescit iam vanitatem gentilicam, & ideo non admittet: vel si ignorat, multò magis eam non admittet. Quia cùm cœperit discere, necesse est recurrant statim in animum, quæ didicit de Deo & fide: quod quidem prius est non solùm dignitate, sed etiam tempore, nam priùs didicit. Summa est, imbutum diuinis mysteriis posse tutò adire Gentiles magistros, modò priùs nouerit falsorum Deorum genealogias, modò ignorauerit. Et adhibet exemplum hominis, scientis se venenum accipere, quod non bibet; etiam si ignoret esse venenum is qui porrigit. De particula illa *qui fit*, dicam in Notis.

164. 10. Huic necessitas ad excusationem deputatur, qui aliter discere non potest. Tanto autem facilius est litteras non docere, quàm non discere, quanto & reliqua scholarum de publicis & propriis sollemnitatibus inquinamenta faciliùs discipulus fidelis non adibit quàm magister non frequentabit.

10. Tandem fidelis discipulus excusatur, quia aliter non potest discere. quod secus contingit in docente, non enim excusatur, nam facilè potest *non docere*, & tanto hoc *facilius est quàm non discere*, quanto est facilius non frequentari à discipulis *inquinamenta* Gentilica, quod bonum magistris non contingit. Itaque Tertullianus combinat hunc in modum. Tibi magister facile est *non docere*, tibi discipule difficile est *non discere*: sicut contrà, tibi discipule facile est non adire publicas & proprias sollemnitates quæ in scholis fiunt, tibi magister difficile est eas non frequentare: ideo tu discipule in omnibus excusaris, tu magister in nullo excusaris.

NOTÆ.

165. 1. QVÆRENDVM AVTEM EST, &c.] Initio nascentis Ecclesiæ necessaria fuit seueritas ista Tertulliani damnantis humaniorem litteraturam, vt seminarium non solùm lasciuiæ, sed etiam idololatriæ, vt hic ait scriptor, & conspirat Origenes lib. 3. contra Celsum. signata verba, ἀπορρίπτομεν ἀπὸ διδασκάλων διδασκόντων τὰ ἀστεῖα τῆς κωμῳδίας, καὶ τοῦ ἀκολάστους τῶν ἰάμβων: *Auertimus* iuuentutem *à magistris docentibus leuitates comicas, & obscœnitates iambicas.* Integrum locum Heral. aduocat in Arnobium.

1. SED ET CÆTERIS.] Latin. legit, *& de cateris*, & probat Iun.

2. NOMINA.] Non accipio tantùm de diuersis Diis, sed etiam singulis, vt dicat nomina, quibus afficitur vnus Iuppiter, vnus Apollo, vnus Mars, &c.

166. 2. FABVLAS.] Athanas. de vita Antonij: *Et cùm iam puer esset, non se litteris erudiri, non ineptis infantium iungi passus est fabulis: sed Dei desiderio flagrans, secundùm quòd scriptum est, Innocenter habitabat domi.*

2. ORNAMENTA HONORIFICA.] Explico *numina honorifica.* Singuli enim Dij habebant multa numina, id est, multas potestates, ac tutelas. Arnob. lib. 2. *Dij certi certas habent apud vos tutelas, licentias, potestates.* Ouid. in Ibim,

Si de tot læsis sua Numina quisque Deorum
Vindicet, in pœnam non satis vnus eris.

Hæc ergo numina, potestates, tutelæ sunt *ornamenta honorifica* Tertulliani.

2. VECTIGALIA SVPPETANT.] Erogabant scilicet Gentiles in Deorum celebritates bona sua, non nummos solùm, sed & reliqua alia, quibus etiam homines aluntur, sustentantur, viuunt. Videndus Arnob. lib. 7.

3. TABVLARIA IDOLORVM.] Suspicatur Pamel. fuisse *tabularia* festum aliquem diem, quo tabulæ litterariæ idolis dedicabantur: Iunius esse ἱεροφυλάκια, id est, loca consecrata idolorum tabulis asseruandis. Hoc rectius puto, ducto argumento à tabulario illo publico, cuius meminit Liuius lib. 43. in quo instrumenta publica asseruabantur, vt Cicero in orat. pro Arch. atque etiam Festus. Quem locum *Archiuum* vocant Tertullianus, atque Ambrosius: *Archium* Vlpianus, & Paulus I.C. Vide Ræuard. lib. 1. Coniectan. c. 3. ita par est 167.

fuisse locum dicatum tabulis idolorum conseruandis, A in quibus tabulis fuissent initia & origines celebritatum. Alicui placebit torquere aliò Tertullianum. Fuit in more, vt Minerua dedicaretur in omnibus Bibliothecis; de quo more accipiendus Iuuenal. Sat. 3.

Hic libros dabit, & foculos, mediámque Mineruam.

Is locus, vbi in bibliothecis signum Deæ, dici potuit tabulare. Ergo dicet Tertull. Certè si non tabularia ista frequentabit, nam illis, vt Christianus carebit, tamen stipem saltem consecrabit. Huic explicationi vt non adnutum præbeo, ita neque abnutum.

168. 3. QVINQVATRIA.] Fuisse hæc festa Mineruæ, certum: & fuisse maiora ac minora, certum quoque: & respondere illis, quæ Græci vocabant παναθήναια, id etiam certum, & efficit locus Xiphilini in Domitiano, Θεὸν μὲν γὰρ πᾶν Ἀθηναῖον ἐς τὰ μάλιστα ἥγαλλε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ παναθήναια μεγάλως ἐώρταστε: *Mineruam præcipuè ex omnibus Diis coluit, atque ob eam causſam Quinquatria magnificè celebrauit.* Vbi Græcè habentur παναθήναια. De etymo non ita clarum, B Mihi Sosipatri sententia vera esse pronuntiatur, qui *à quinquando, id est, lustrando*, dicta esse vult, qui agnoscit *quinquatrus*, non, *quinquatria*. alias etymologias tibi alij suppeditant. Certè Ouid. 2. Fast.

Nomina quæ à iunctis quinque diebus habent.

De numero etiam ambigitur, videndus vnicè Ouid. in Fast. Varro, & Festus ad vnum tantùm dicta determinant. Scilicet ad diem, qui erat post diem quintum Idus Martias. Adduco locum Heliodori lib. 1. Hist. Æthiopicæ: Παναθηναίων τῶν μεγάλων ἀγομένων, ὅτε πομπὴ νεὼν Ἀθηναίοις ἐπὶ γῆς τῇ Ἀθηνᾷ πέμπουσιν, ἄσας δὲ τὸν εἰωθότα παιᾶνα τῇ Θεῷ, ἃ τὰ νενομισμένα παρεσκεύασας ὡς εἶχον τάλης αὐτῇ χλαμύδι, καὶ αὐτοῖς στεφάνοις, ἤρχομαι οἴκαδε ὡς ἐμαυτόν: *Cùm Quinquatria Magna celebrarentur: quando nauem Athenienses Palladi terra mittunt, postquam cecini vsitatum pæanem Deæ, C & legitimo ritu & pompa prosequutus sum, quemadmodum eram amictus, vnà cum chlamyde & coronis redeo domum.* Similia multa in eo populo: nam sic etiam triatrus, sexatrus, septimatrus, decimatrus. Omitto multa.

169. 3. TAMEN FREQVENTABIT? Latinius legit, *Quinquatria tamen non frequentabit?* Iunius, *non Quinquatria tamen frequentabit?* vterque, vt vides, addit negatiunculâ non necessariam, quia neuter Tertullianum intellexit: nam, vt explicui, perfectissimus est sensus. Barræus suppeditat monstrum lectionis. Ait enim legi in vetere lectione: *Quis ludimagister sine tabula VII. idolorum Quinquatria tamen frequentabit?* Non assequor, sed tantùm diuino aliquid subesse ad eum modum, quo olim Quinquennalia, & decennalia ita enuntiabantur, *V. ennia: X. ennia.* de quibus vide Lipsium lib. 2. Quæst. epist. c. 15.

170. 3. PRIMAM NOVI DISCIPVLI STIPEM.] Stipes ista, quam noui discipuli magistro dabant, & quam magister ipse Mineruæ in Quinquatribus, propriè dicebantur *Minerual.* De ea capiendus Iuuen. Sat. 10.

Eloquium aut famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat
Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

Pueri ipsi stipem hanc dabant magistris Idibus mensium, vt Horat. scribit Sat. 6. lib. 1.

Noluit in Flaui ludum me mittere magni,
Quo pueris magnis è Centurionibus orti,
Læuo suspensi loculos tabulámque lacerto
Ibant Octonis referentes Idibus æra.

Qui locus capiendus non de fenebri pecunia, sed de stipendio magistrorum. Nec me mouet qui secus sentit. Ergo pecuniam Idibus acceptam à discipulis cõsecrabant ipsi magistri Mineruæ in Quinquatribus quinto pòst die: Quinquatria enim, vt auctor est Sext. Pompeius, post diem quintum Iduum celebrabantur in honorem Mineruæ. De hac stipe est etiam locus apud Ouid. 2. Fast.

Vos quoque Phœbea morbos qui pellitis arte,
Munera de vestris pauca referte Deæ.
Nec vos turba feri sensu fraudata magistri
Spernite: discipulos attrahit illa nouos.

Sed & in genere solita dari munuscula eo die satis liquidum ex illo Plauti Mil. Glorios.

---da quod dem Quinquatribus
Præcantatrici, coniectrici, hariolæ, atque aruspicæ.

171. 3. DE IDOLOTHYTO ESSE DICATVR.] Aliquis hîc auguretur aliquid de cœna propter locum Varronis lib. 3. Rust. vbi *Minerual* explicat esse *cœnam.* Sed explicandum Varronem puto; dicitur enim *cœna*, quia hæc conflabatur ex Mineruali. Nam alij in enuntiando Mineruali nominant æra, stipem, pecuniam. neque est credibile aliud Varronem voluisse. Et hoc loco *idolothytum* non est *immolatum idolo*, sed quicquid pertinet ad idolum Sic lib. de Spectac. cap. 13. ipsa spectacula dicuntur *idolothyta*, cum relatione tamen ad immolationem. quem locum vide. Itaque *esse de idolothyto*, non est hîc, edere, sed pertinere ad idolothyta, id est, ad idola. quia magister iste Christianus tantùm confert stipem illam in honorem Mineruæ, & nihil aut immolat, aut edit de immolato.

172. 3. QVID MINVS EST, &c.] Barræus & Iunius legunt, *Quid minus est inquinamento, quod*, &c. & ita ante Pamelium excusum. Nam *esse inquinamento* Latinè satis dicitur, vt esse honori, vitio, &c. Addit posterior legi quoque posse: *Quid? minus est inquinamento*, &c. Ex his liquet non intellectum Tertullianum Iunio, nam *inquinamento* est in vltimo casu, non in tertio, vt ipse putat, quod iam explicui: sed neque Pamelio, qui si intellexisset, non lectionem mutasset: ipse enim fatetur, prius legi, vt à me scriptum est, videlicet, *quid minus est inquinamento quod*, &c. Ipse verò mutauit *quid minus est inquinamenti eo, quod*, &c. frustra.

3. QVÆSTVS ET NOMINIBVS ET HONORIBVS IDOLI NVNCVPATVS.] Ita volui secutus editiones priores Pamelianas, & Iunium, & rationem. Nam sicut suprà dixit, *stipem Mineruæ & honori & nomini consecrat*, ita hîc *nominibus & honoribus idoli nuncupatus.* Malè itaque in Pamelio legitur *idolo.*

173. 4. MINERVALIA MINERVÆ.] Subaudiendum est verbum *inquinant*, aut *sunt*, aut *non minus inquinamento sunt Minerualia*, &c. Id enim sententia petit. Vocat *Minerualia* discipulorum stipes. D

4. SATVRNALIA SATVRNI.] Quid addas Macrobij & Lipsij operæ? vtrumque consule.

4. SERVICVLIS.] Pars magna Saturnalitiæ celebritatis deuoluebatur in vtilitatem seruorum. Ad quam rem Lips. lib. 1. Saturn. c. 2. aduocat Dionem, Athenæum, Attium, Senecam. Primus de seruis in hac celebritate ἑορτάζουσι, *festiuè agunt.* Alter, ἑστᾶν τῶν οἰκέτας, quia conuiuium illis dabatur. Inde tertius,

Exercent epulas læti, famulósque procurant.

Quartus denique ait, non solùm illis communicatas epulas, sed etiam *datum honores in domo gerere, ius dicere.* Vide ista in illo latiùs.

174. 5. STRENÆ CAPTANDÆ.] Mos fuit in Ro-

mano populo missitare inter se & commutare munu- A
scula, quæ dicta strenæ: & quia vicissim, ideo Suetonio
c.34. Tiber. dictum *Strenarum commercium*. Dabantur verò Calend. Ianuar. vt idem scribit c. 57. in vita
Augusti. Concilium Antisiodorense c. 1. strenas hasce
Calendarum Ianuar. vocat *diabolicas*. De etymo videatur Fest. & Dempsterus in Rosinum. Hæc dona
fuisse numismata, Herodianus scribit lib. 1. addunt alij
caricas, mella, & similia. Suetonius in August. c. 57.
strenam in Capitolio. & origo ipsa à Romulo. Symmach. lib. 10. epist. 28. *Strenarum vsus aboleuit auctoritate Tatij Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco*
Streniæ, anni noui auspices, primus accepit. Quippe
Streniam dictam Deam, quæ *xeniis aut muneribus*
Cal. Ianuarij dandis accipiendisque præesset, asserit Augustlib. 4. de Ciuit. cap. 16. Hinc malè aliqui pro Strenia Sireniam legunt in Festo Pompeio.

5. SEPTIMONTIVM.] Fuit Romanis celebri-
tas, quæ dicta *Septimontium*, à septem montibus, eius B
meminit Festus, Varro, Plutar. ἐν Ρωμ. Incidebat ea
celebritas in mensem Decembrem. Captabantur &
hoc die strenæ in honorem vrbis conditæ. Hæc satis in magna aliorum luce. Vide & Ios. Scal. in Festum.

175. 5. BRVMÆ.] Intelligit τροπὴν χειμερινὴν, *hyemale solstitium*, sic enim indigetant; qua tamen voce
non vsi principes Latij, in quibus *solstitium* semper
de æstiuo, nunquam de hyemali: itaque Tullius, Plinius, Varro, & infiniti semper apponunt has duas voces *brumam* & *solstitium*. & laudandus Tertull. qui
ex vsu Latij *brumam* dixit. sed de hac re dicebam ad
lib. 1. Georg. Ergo breuissimus anni dies, (nam hic
est bruma,) celebratus est magna populi lætitia, similes sibi & multos solares reditus optantis. Et credibile est hoc die missitata fuisse munera, quæ synodus Trullana can. 61. vocat βρουμάλια, *brumalia*. Isidori Glossæ: *Bromosa*, immunda. *Brumosus*, anno- C
sus, resinosus. *Brumalia*, resinosa, pluuia.

176. 5. CHARÆ COGNATIONIS HONORARIA.] Intelligit munera Charistiorum (ait Iunius in
hunc locum, & Stuch. lib. 1. Antiq. Conuiu. cap. 33.)
qui dies festus inter Charas stites, id est, agnatos superstites solebat agitari X. Cal. Martias mense Februario peractis Februis. Itaque defunctis iam deploratis agitabatur lætitia de cætera cognatione superstite. Huius celebritatis meminere Ouid. 2. Fast. &
Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Sed ego non video, cur sententia non possit referri ad vnos tantùm Prætores, in
quibus vox ista propriè hæret. Etenim *ius honorarium*,
est ius Prætorium. & *Honorary ludi* apud Sueton. cap.
32. August. dicuntur ab honore Prætoris. & millena
alia. Ergo potest dicere: Exiguntur petuntúrque à D
Christiano magistro, vt conferat munera charistica
cùm Prætor agitat lætitiam de cognatione superstite.

5. FLORE SCHOLÆ CORONANDÆ.]
Nullus penè locus Gentilibus non coronatus, vt satis docet scriptor iste lib. de Corona Mil. ab quo opere lustrato locus iste illustrissimus erit. Locum hunc
ad Floralia refert Stuch. lib. 1. Antiq. Conuiu. c. 33.
Non placet. Generatim loquitur Tertull. ex more,
quo loca omnia coronabantur.

177. 5. FLAMINICÆ.] Erant istæ vxores Flaminū.
Totum hunc locum ita legit Iunius: *Flore scholæ, coronandæ Flaminicæ, & Aedile sacrificante Cereri, schola honoratur feriis*. Sed huius mutationis nullam video necessitatem. Nam esto Flaminicæ coronarentur, quod non inficior, cur non induci queant etiam
sacrificantes? Itaque tantùm ait Tertull. de re sacrificali, cui operam deberent dare Gentiles discipuli,
ac perinde magistri quoque Christiani eidem interesse.

5. SCHOLA HONORATVR FERIIS.] Dicebantur magistri pueris *dare ludum*, cùm Floralibus
& aliis huiusmodi diebus sinebant feriari discipulos.
Vide Villiomar, lib. 5. c. 4. in Titium.

5. IDEM FIT IDOLI NATALI.] Mauult
Iunius legere *Idolis*, neque abnuo, sed diuersa erit sententia. Nam *idoli natali*, est in natalitio idolorum: at
idolis natalis est, in die natalitij Domini fit sacrum idolis. Cæterũ cui non notæ natalitiæ celebritates? Symmach. lib. 6. epist. *Aeuum maneat hic dies, qui te nobis*
filia dedit. Notetur religio in celebrando hoc die,
quam attingit Censorin. lib. de die Natal. c. 3. *Id moris institutique maiores nostri tenuerant, vt cùm die natali munus annale genio soluerent, manum à cæde ac sanguine abstinerent: ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis*
demerent. Hæc ergo caussa, cur etiam natalitia idolorum impensè colerentur; vt quam ipsi Dij accepissent vitam, mortalibus non adimerent.

6. SINE QVIBVS DIVINA NON POS- 178.
SVNT.] Non audio mutantem ita, *sine quibus diuina*
non pote sunt? Hæc enim mera est corrigendi lasciuia.
Cæterùm de humanæ eruditionis vtilitate ad res diuinas lege, quæ elegantissimè scribit Greg. Theolog.
in orat. funebri Magni Basilij. vocat ille παιδείαν τὴν
ἔξωθεν, *doctrinam externam*.

7. CAPIT.] Est hoc, quod Græci ἐνδέχεται. Trita Tertull. locutio. id est, fideles dent locum litteris
discendis potiùs, quàm docendis. Vide quæ dicam lib.
de Habit Mul. cap. 2. ad ea verba, *Sed hæc non capit æstimare*.

8. INSERTAS IDOLORVM PRÆDICATIONE.] Legit Vvouer. ex M.S. *inserta*. Iunius *infertas*. Barræus producit lectionem, in qua *incertas*. ἀπίστως lectio vltima.

8. DEOS IPSOS HOC NOMINE OBSIGNAT.] *Obsignare* est, nomen suum tabulæ mandare, Hispanè *firmar*. Cicero lib. 5. Tuscul. *Tu quidem*
tabellis obsignatis agis mecum, & testificaris quid dixerim
aliquando, aut scripserim.

8. CATECHIZAT.] Is qui præerat catechumenis, dici solebat catechista. & apud Ægyptios, vt
ait Iustinianus in c. 2. ad Rom. propria voce dicebãtur
catechistæ, qui mysteria tradebant. Vnde propriè dixit, *Quære an idololatriam committat qui de idolis cate-*
chizat. Itaque ludit à Catechistæ Gentilis origine ad
Catechistam Christianum.

9. SI IAM SAPIT.] Est hic peculiaris vsus
huius verbi, vt Cic. de Diuin. *Qui sibi semitam non*
sapient, aliis monstrant viam.

9. QVI SIT.] Non dubium, quin sententia sit, 179.
quam repræsentaui, sed ei sententiæ aptare particulam
qui non est facile. Nam obuium illud, *si iam sapit*
quid sit, id est, quis sit, scilicet, quòd sit Christianus,
ridiculum est, & longè à mente Doctoris, propter sequentia. Ergo legendum fortasse *sint*, vt dicat, si iam
sapit quæ sint hæc. Nam *qui* pro *quæ* in vtroque numero. Ita Plaut. dixit in Capt.

Itidem hæc mihi aduenienti vpupa, qui me delectet,
data est.

Pro, quæ me delectet. & veram lectionem Plauti esse
qui me delectet, docti consentiunt. Tu vide Taubmãnum. vel dici potest, dictum Tertulliano, *qui sit* pro,
qui sint, aut *quæ sint*, more Græcorum, qui neutro plurali adiungunt verbum singulare, vt ζῶα πέτεται, pro,
πέτεται, qui lepos in Latinos irrepsit, vt iam alij adnotarunt. Tertiò, *qui sit*, pro, quæ sit idololatria, idque
exemplo Plauti iam adducto, *vpupa qui*, pro, vpupa
quæ. Quartò, *si iam sapit qui sit*, id est, si iam sapit vt sit idololatria. *Qui* enim pro *vt* frequentissimum est. Plaut. Cas. initio scenæ, *Qui illum*
Dij omnes Deæque perdant. id est, vt illum perdant.
Vide Taubmannum. Quinto, esse potest *qui*, pro,

quomodo, vt dicat, si iam sapit quomodo Idololatria admittatur. Demum si legatur *sint*, potest esse sententia, si iam sapit, qui sint Dij. Aliquis possit legere, *quid sit*, vt dicat, si iam sapit quid sit Idololatria.

9. NAM VBI COEPERIT SAPERE.] In vulgatis est, *aut vbi cœperit sapere*: legi volui, *nam* postulante sententia. Et docti credo annuent.

10. PVBLICIS ET PROPRIIS.] Nam solemnitates aliæ publicæ, aliæ priuatæ. Vide Iunium.

CAP. XI. ARGVMENTVM.

Negotiatores mercium, quæ seruiunt cultui Idolorum, obnoxij sunt Idololatriæ.

TERTVLLIANVS.

180. 1. DE generationibus si cætera delictorum recogitemus, in primis cupiditatem radicem omnium malorum, qua quidam irretiti, circa fidem naufragium sunt passi (quamuis & Idololatria ab eodem Apostolo dicta sit cupiditas) tum mendacium cupiditatis ministrum (taceo de periurio, quando ne iurare quidem liceat) negotiatio seruo Dei apta est?

EXPLICATIO.

1. CVm scopus huius capitis sit, negotiatores thuris affines esse obnoxiósque Idololatriæ, incipit ab hoc exordio. *Si cætera* delicta *recogitemus* iuxta suas generationes, *in primis cupiditatem* matrem *omnium malorum*, deinde *Mendacium* eiusdem *cupiditatis* filium & *administrum*, inueniemus *negotiationem seruo Dei aptam* non *esse*, neque posse cohærere cum illo. q. d. Quî potest negotiatio esse apta seruo Dei, quæ habet pro matre cupiditatem, pro fratre mendacium? bella scilicet familia & soboles. Vt verò ostendat, negotiationem filiam cupiditatis affinem esse Idololatriæ, adducit Apostolum affirmantem multos irretitos cupiditate passos esse naufragium fidei. Hæc est integra & clara sententia loci, si Pamelium intuearis, satis difficilis. Porrò parenthesis prima. *Quamuis*, &c. hunc habet sensum. Quid dixi, cupiditate irretitos naufragium fidei fuisse, iuxta Apostolum? imò idem ait Apostolus cupiditatem esse meram Idololatriam. Parenthesis altera, *taceo*, &c hunc habet sensum. Habet negotiatio fratrem alterum, videlicet periurium, à quo seruus Dei abesse longè debet, quando & à simplici iuramento, quod minus malum, sed taceo tamen de illo, & contentus sum ad deturpandam negotiationem coniunctione illa, quam habet cum matre cupiditate, cum fratre Mendacio. Nam si cupiditas facit naufragium fidei, etiam Mendacium faciet, vt filius & minister cupiditatis.

181. 2. Cæterùm si cupiditas abscedat, quæ est caussa adquirendi: cessante caussa adquirendi, non erit necessitas negotiandi.

2. Velim intelligas, id dictum Tertulliano obiter, & ex occasione præcedentis periodi, nam ipse totus aspirat ad id, quod statim sequitur. Et vt verè dicam, si hinc paucula ista abessent, sententiam non impedirent.

3. Sit nunc aliqua iustitia quæstus secura de cupiditatis & mendacij obseruatione, in crimen offendere Idololatriæ eam opinor, quæ ad ipsam Idolorum animam & spiritum pertinet, quæ omne dæmonium saginat.

3. Dixerat, negotiationem alienam esse à seruo Dei, quia filia & cupiditatis, & soror mendacij. ait iam: Esto *sit nunc aliqua iustitia quæstus*, id est, aliquis iustus quæstus, & ideo iustus, quia securus alienúsque ab cupiditate & mendacio; tamen mihi certum est, eum quæstum *offendere in crimen Idololatriæ*, qui pertinet ad dæmonia. Clariùs. Fieri potest, vt aliqua negotiatio quæstuosa verè sit iusta, quia caret cupiditate & mendacio: sed certè illa iusta non erit, imò tota Idololatrica, quæ versatur circa res dæmonum.

182. 4. An non illa principalis Idololatria? Viderint si eædem merces (thura dico, & cætera peregrinitatis) ad sacrificium Idolorum, etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ vsui sunt.

4. Addit hoc, se corrigens. Quid dixi *offendere* hanc negotiationem *in crimen Idololatriæ*? Imò hæc *principalis* est *Idololatria*. Non certè offendis pedem, sed totum te immergis diro barathro. Probat; nam *eadem merces*, quæ omnibus hominibus *vsui sunt ad medicinalia pigmenta*, & Christianis ad sepulturam, istis negotiatoribus sunt vsui, *ad sacrificium Idolorum*. Particula *viderint* semper est plena emphaseos, & quia res improbatur, adducitúrque in detestationem. post verbum *Idolorum* ego adderem particulam *quæ*, quo clarior extaret sententia.

5. Certè cùm pompæ, cùm sacerdotia, cùm sacrificia Idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus negotiationibusve instruuntur, quid aliud quàm procurator Idolorum demonstraris?

5. Ait, verè dici posse *procuratorem* dæmonum illum, cuius labore *instruuntur* quæ pertinent ad apparatum Idolorum. *De periculis*, id est, ex periculis tuis, vel, ob tua pericula, phrasi cognata huic viro. Vide verò vt augeat orationem ex *periculis*, *damnis*, *incommodis*, &c.

183. 6. Nemo contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controuersiam fieri. Grauiora delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam extẽdunt obseruationis, vt non ab his tantùm abscedamus, sed ab his per quæ fiunt. Licet enim ab aliis fiat, non interest si per me. In nullo necessarius esse debeo alij, cùm facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me.

6. *Nemo contendat*, &c. Nemo putet expugnari à me negotiatores, nemo existimet moueri à me litem contra negotiationes absolutè, quasi istæ vetitæ sint. Absit, non ideo facio. Sed *grauiora quæque delicta* hoc habent, vt *pro magnitudine periculi* extendant augeántque diligentiam & cautionem obseruantissimam, vt non solùm ab illis patrandis caueamus, sed etiam à mediis, quibus ad ea peruenitur. Verissimè hoc. Quia non solùm vetor thura Idolis offerre, sed etiam vendere vt alij offerant. Inde consequenter addit, *licet enim*, &c. Id est, nihil interest dicere, alij faciunt, si illud fit per me, id est, mediante me. Nam licèt ab aliis fiat, non interest hæc excusatio. Quia *in nullo necessarius* deuinctúsque *esse debeo alij*, cùm velit per me facere, *quod mihi non licet*. *Ex hoc quod vetor*, &c. Sensus est: Eo ipso *quòd vetor facere* malum aliquod, *debeo intelligere*, *curandum mihi esse ne* alius faciat me procuratore.

184. 7. Denique in alia causa non leuioris reatus præiudicium istud obseruo. Nam quòd mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut operæ aut conscientiæ exhibeo: nam quòd ipsam carnem meam à lupanaribus segregaui, agnosco me neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius causa exercere posse. Sic & homicidij interdictio ostendit mihi, lanistam quoque ab Ecclesia arceri: nec per se non faciet, quod faciendum aliis subministrat.

7. Adhibet exempla duo, quibus confirmet quæ docuit, primum de stupro, alterum de homicidio, quæ esse possunt veluti præiudicia. Cùm enim Christianis hæc duo mala sint vetita, eo ipso vetantur quæ sunt media ad hæc mala. Nam eo ipso, quòd *mihi interdictum* est stuprum, scio perinde non posse me conferre operã meam aut conscientiam, vt alius admittat stuprum; nec posse me lenoniam artem exercere, aut *lucrum* quærere *alterius causa*. Deinde, cùm vetor hominem interficere, & homicida ab Ecclesia arceatur, scio inde *lanistam*, qui alios instruit ad cædes patrandas, *arceri ab Ecclesia*. Ratio. Nam certè qui doctor est aliis ad cædes, ipse princeps eas patrabit. *Faciet per se*, *quod aliis faciendum subministrat*. Duplex negatio affirmat.

185. 8. Ecce magis proximum præiudicium. Si publicarum victimarum redemptor ad fidem accedat, permittes ei in eo negotio permanere? Aut si iam fidelis id agere susceperit, retinendum in Ecclesia putabis? Non opinor, nisi si quis & de thurario dissimulabit. Scilicet ad alios peruenit procuratio sanguinis, ad alios, odorum.

8. Tertium *præiudicium* & *proximum* institutæ materiæ. Erant *redemtores victimarum*, qui quæstum faciebant ex conductis victimis, quas nemo nisi ipsi, poterat populo diuendere ad sacrificia. Ergo ait *redemtorem* hunc & thurarium similes esse planè: sermo est de redemtore accedente *ad fidem* capessendam, & de thurario fideli. Vt igitur redemtori nunquam permittitur exercere in Ecclesia id genus lucri, ita nec thurario debet. Et ille certè censebit dissimulandum redemtorem, qui censeat dissimulandum thurarium, nam par est ratio. Ille enim procurator est sanguinis offerendi idolis, hic procurator odorum ad eorundem dæmonum cultum.

186. 9. Si antequam Idola in seculo essent, his mercibus adhuc informis Ididolatria transigebatur, si & nunc fere & sine Idolo opus Ididolatriæ incendiis odorum perpetratur, ecquid maioris operæ & erga dæmonia thurarius: nam faciliùs sine Idolo Ididolatria, quàm sine thurarij merce.

9. Efficax argumentum. *Antequam essent Idola*, perpetrabatur *Ididolatria* vstione tantùm odorum: & nunc sæpè cùm iam sunt Idola, tamen absque illis odores incenduntur, & ita putatur perpetrata Ididolatria; maiorem ergo operam confert *thurarius* ad cultum dæmonum, quàm ministri alij Idolorum. Est *informis Ididolatria* quæ carebat formis Idolorum. Illud *ecquid maioris operæ*, explica, aliquid maioris operæ, &c.

187. 10. Ipsius fidei conscientiam perrogemus. Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, fumantes aras despuet, & exsufflabit quibus ipse prospexit? Qua constantia exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat?

10. *Ipsius fidei conscientiam*, id est, fidelis hominis *conscientiam*. Nota mihi vim argumenti. Tu ne thurarie *aras despuet? exsufflabis* dæmones? *exorcizabis* tuos alumnos diabolos? quos scilicet pascis tuis odoribus, & veluti nutris vt filiolos. Est *domus cellaria* quæ seruit penori dæmonum conseruando.

11. Ille quidem si excluserit dæmonium, non sibi placeat de fide. Neque enim inimicum excluſit. Facilè debuit de eo impetrare, quem quotidie pascit.

11. Ne tumescas thurarie, ne tibi plaudas, si fortè *excluſisti dæmonium* ab humano corpore: non enim excluſisti, sed impetrasti vt ab amico. est certè tibi amicus is, *quem quotidie pascis.*

188. 12. Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruendis, aut formandis Idolis administrat, carere potest titulo idololatriæ: nisi si aliud omnino interpretemur Idololatriam, quàm famulatum Idolorum colendorum.

12. Epilogus non huius tantùm, sed præcedentium capitum. *Nulla ars* propter illos, qui Idola fabricabant, templa, ædiculas. *Nulla professio*, propter Mathematicos, Astrologos, ludi magistros. *Nulla negotiatio* propter thurarios, de quibus hoc capite. Ergo ait, has siue artes, siue professiones, siue negotiationes non *carere titulo Idololatriæ*, cùm sint administræ instruendis aut formandis Idolis: nam nihil aliud est *Idololatria, quàm famulatus* dæmonum. Idololatras enim δαιμονῶντας vocabant, propter diabolum, qui ipsos exagitabat, vt inquit Cyrill. Alex. lib. 4. Glaphyrorum.

NOTÆ.

189. 1. DE GENERATIONIBVS, &c.] In vulgatis Pamelij legitur *degenerabimus*, & notat nullo sensu legi priùs, *de generationibus*. Sed verè deceptus est vir doctus. Et quidem Tertullianus explicandus fuit, non mutandus. Vt verò ego explicui optimus est sensus, in quo aliis assensi. Itaque nec Latinium audio legentem *de grauioribus*. nec Vvouerenium & Heraldum legentes, *de negotiatione*, primum in Emendat. Epidict. alterum in Notis ad lib. 2. Arnobij. Verissima est lectio *de generationibus*. Est enim nemo qui neget semper lectionem primam retinendam, si habeat bonum sensum; hæc autem optimum habet, & eo plus.

1. QVAMVIS ET IDOLOLATRIA, &c.] Inclusi parenthesi & partem hanc, & illam *taceo de periurio*, præterea aliter interpunxi. Qui legat Pamelium & alios codices, nullum sensum aptum eliciet. Sed & τὸ *quamuis* legit Herald. *quum bis*, nam auaritia dicta est bis ab Apostolo Idololatria, scilicet ad Ephes. c. 1. & ad Colos. c. 3. vt velis. Sententiam certè qua ait cupiditatem pecuniarum, esse Idololatriam, illustrabis à Ioanne Cass. collat. 12. c. 2. vbi de auaro, *quam* (pecuniam) *infideli tenacitate conseruat.*

3. SAGINAT.] Cùm de thure loquatur, dæmonia ita ait illo *saginari*, vt infrà *pasci*. Et Plaut. *saginam cadite*, in Mostellaria, quia fronde saginabatur pecus.

190. 4. AN NON ILLA PRINCIPALIS IDOLOLATRIA?] Notam interrogationis adiunxi, qua carent vulgati codices. τὰ *thura dico*, &c. inclusi parenthesi. Scripsi *ad sacrificium Idolorum* secutus Iunium; nam in omnibus deest præpositio, & videtur addenda: ex sequentibus. Ita enim clariora omnia. *Catera peregrinitatis*, constructio est Græca, notat scilicet exotica odoramenta, quæ ex Arabia in nostrum orbem aduehuntur. Et vox ipsa indicat mollitiem, quippe exotica omnia ad mollitiem. Inde Ambros. lib. 1. offic. c. 29. ait olim quicquid esset molle, *dici peregrinum*, & hanc esse mollem appellationem, adeo vt qui hostes suos vellet infamare mollitiei, illos nominarent non *hostes* sed *peregrinos*. Rectè ergo Tertull. *peregrinitatem* dixit de odoramentis. Pigmenta dicuntur *medicinalia* tum ad alios vsus, tum præcipuè ad medicandam faciem. De vsu, quo mortui vnguentis adornantur, vide quæ scripsi 6. Æn. ad illud,

--- corpúsque lauant frigentis & vngunt,

In funere Miseni. Et hîc adde Ioannem Cassian. Collat. 15. c. 3. *corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus*, loquitur de vnis Ægyptiis. Et Linum l. 1. de Actis Petri & Pauli vbi corpus sancti Petri sic curatum est: *Tenénsque* (Marcellus) *mastiches, & aloës minas mille quingentas, & myrrhæ ac folij atque stactes cũ cæteris variis aromatibus alias minas mille quingentas, condiuit eũ diligentissimè. Melle quoque Attico nouum replenit sarcophagum, & in eo corpus aromaticis perlitum collocauit.*

A Et Firmicum de Profan. Relig. cap. 13. *Vnguentum hoc reseruat mortuis, reseruat morituris.* Lege & Arnob. lib. 5. vbi loquitur de matre Deûm, & præterea etiam in Apologetico.

6. NON INTEREST SI PER ME.] Iunius qui scripsit: *Non interest nisi per me*, locum non intellexit; vt ego explicui, euidentissima est sententia.

7. LANISTAM.] Magister fuit gladiatorũ. Gloss. 191. *Lanista*, ἐπιτάτης μονομάχων. Eleganter Ennod. epist. 11. lib. 1. *Lanista Iudæicus, qui per cicatrices inguinum.* Ducunt à laniando, quod Lipsio non probatur, & sequitur Isidorum, qui vult esse vocem Thuscorum, & illis carnificem significare. Horum ars *impia* dicitur Prudent. l. 1. contra Symm. (vide an arcendi ab Ecclesia,)

Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?

De eadem arte ita grauiter Cyprian. epist. ad Donatum: *Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis possit occidere, peritia est, vsus est, ars est: scelus non tantum geritur, sed & docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? disciplina est, vt perimere quis possit; & gloria est, quod perimit.* Inde Amm. lib. 19. Paulũ quendam crudelissimum cum lanista comparat; eius verba: *Paulus peritus artium cruentarum, vt lanista ex commerciis libitina vel ludij.* Mira sunt, quæ de huius artificio Seneca scribit epist. 80. lege ab eo loco, *Detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant. Hominem inuolutum æstimas?* Etenim lanistæ nuda volebant corpora cernere, priusquàm docerent. Pseudocornutus in Sat. 6. Persij: *Apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebantur, vt in eis possent omnia membra inspici.* Longum esset, addo & iniquum, dicere vti res ad fœminas deuenerit. Tu lege Sueton. in Caligula cap. 36.

7. AB ECCLESIA ARCERI.] Tertull. Apolog. C 39. *Si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.* Et l. 2. ad vxorem c. 3. *Arcendos ab omni communicatione fraternitatis.* De Pudicit. c. 3. *Illis traditis Satanæ.* Longum esset patrum placita afferre.

7. NEC PER SE NON FACIET, QVOD FACIENDVM ALIIS SVBMINISTRAT?] 192. Displicet vehementer Iunius, qui explicans hunc locum, accipit de Ecclesia. Verissimè capiendus de lanista. Putabam addi hîc posse notam interrogationis, vt diceret: *An per se non faciet, quod faciendum aliis subministrat?* Sed nihil muto.

7. SVBMINISTRAT?] Accepit hoc verbum ab Nostro bis aut ter Cyprianus.

8. PVBLICARVM VICTIMARVM REDEMTOR.] Immaniter errat Barræus, qui hæc verba accipit de lenone.

9. PERPETRATVR.] Sæpè hoc verbum Tertull. accipit in bonam partem, sæpè in malam, vt hoc

loco. Ita Rabanus Maurus lib. Pœnit. c. 1. *Dignum confusionis perpetrauerat opus.* in Roman. etiam Pœnit.tit.8.cap 3.*scelus perpetrauerit.*

9. ECQVID.] Non est necessaria interrogatio. Nam *ecquid* pro *quid*, aut *aliquid*, quo vsu sæpè Plaut.

9. NAM FACILIVS SINE IDOLO IDOLOLATRIA.] Ita correxi, nam in omnibus tantùm legitur, *nam facilius sine Idololatria.* Facilis fuit lapsus typographo, vel ex sequente voce putauit præcedentem redundare, cùm verè sit necessaria; nam aliter ineptus est sensus. Non enim vstio odorum esse potuit sine Idololatria, nam contrarium ipse probat: atqui Idololatria esse potuit sine Idolo, quia cum vstione, quæ vera Idololatria.

193. 10. CONSCIENTIAM PERROGEMVS.] Non dissident verba Plinij hæc lib.8.c.2. *Licet hanc in partem singulorum quoque conscientiam coarguere.* Neque Apul. Apolog. *Quod si à cæteris silentium est, tamen ipsi* B *sibimet conscij sunt, posse se meritò increpari.* Vnde & idem Tertull.lib. 4. contra Marc. *Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sui.* De vi conscientiæ accusantis, vide Ioann. Chrys. Homil. 12.ad Pop.vbi loquitur de Peccato Adæ.

10. QVO ORE CHRISTIANVS, &c.] Latinius corrigit hunc locum adimens particulam *Si.* Pamelius & vulgo omnes ita legunt, *Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet.* Lectio hæc indigna Tertulliano. Scripsi, vt vidisti, adimens alterum *quo ore.* Neque enim Tertull. stupet transitum thurarij per templa, sed admiratur, si transiens non despuat. Nam thurarius quî poterit aras despuere, si fortasse per templum transeat? aras scilicet, quas vidit fumantes odoribus à se præbitis. Omnes credo lectionem nostram probabunt.

10. FVMANTES.] Prudent.hymno 3. περὶ στεφ. *Facibus fumicis*, dixit.

194. 10. DESPVET.] Hac contumelia vsi fideles ad- C uersus Idola & templa, vt aduersus res dæmonum. Greg. Theolog.orat.funeb. Bas. ὅσον ἐις δαίμονας φέρει, διαπτύσαμεν: *Quicquid fert ad dæmonas, despuimus.* in vita sanctorum Martyr. Abdon & Sennon: *Cùm in vrbe ad simulacrum attracti essent, id detestati conspuerunt.* Antoniusque, vt habetur in eius vita, sputaculum ingerit in os dæmonis. Minutius, *Templa vt busta despiciunt, Deos despuunt.* Prudent.lib.1.in Sym.

--- quis in vrbe est,
Qui Iouis infectam sanie non despuat aram?

Ergo ait Tertull. non faciet Christianus thurarius, quod Christiani reliqui. cum respectu ad hunc morem dixit Concil. Tolet.3. *Errores pernicioses respuere.*

195. 10. EXSVFFLABIT.] Hæc quoque contumelia iactata à Christianis in immundos spiritus. Ita Dionys. Exiguus in vita Pachomij: *Qui signo Crucis frontem suam muniens, exsufflauit in eum* (dæmonem) *mòxque fugatus est.* Iterum: *Et exsufflans in eum.* Irenæus lib.1.c.9. *Iam verò quædam ex fidelissimis mulieribus, quæ habent timorem Dei, & non sunt seducibiles, quas similiter vt reliquas affectauit seducere, iubens eas prophetare, exsufflantes, & anathematizantes eum, separauerunt se ab eiusmodi insano.* Prudent.in Agon.Roman.

Ingressus ille vt hos paratus perspicit,
Insufflat, ipsos cùm videret dæmones.

Seuer. Sulp.lib.3.de virtutib. Sancti Martini: *Vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem, quem eminus* (*vt verbo, quia ita necesse est, parum Latino vtamur*) *exsufflans, Amitianus se exsufflari existimans: Quid me, inquit, sancte sic adspicis? Tum Martinus, Non te, inquit, sed eum, qui ceruici tuæ teter incubuit.* Ita lib.2. ad vxor.cap.5. *Latebis ne tu quum lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm aliquid immundum flatu expuis?* Quem locum vide, vt hunc ampliùs illustres. Erat enim (exsufflatio) nota auertentis se ab Idololatria.

10. DOMVM.] Lactant.lib.1.c.16. *Si duo sunt sexus Deorum, sequitur concubitus: & si coëunt, & domos habeant necesse est.* 196.

10. CELLARIAM.] Est *cella* (σηκὸν vocat Dionys. lib.3.Antiq.) loculus ille in templo, in quo erant statuæ Deorum. Varro vocat *cellas, in quibus Dei sedes sunt.* Hinc ergo *domus* vocatur *cellaria.*

11. ILLE QVIDEM SI EXCLVSIT, &c.] Ita hîc dicitur thurarius dæmonium excludere, vt à Cecilio Episc. Bittensi dicitur, *exorcizat dæmoniacus, sacramentum interrogat cuius os & verba cancer emittunt, fidem dat infidelis, veniam delictorũ, tribuit sceleratus, in nomine Christi tingit Antichristus, benedicit à Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus, pacem dat impacificus, Deum inuocat blasphemus, sacerdotium administrat profanus, ponit altare sacrilegus.* Habentur hæc in Concil. Carthag. sub Cornelio PP.

12. NVLLA IGITVR ARS, &c.] Aliqua hic 197. crisis, & cum modestia. Potuisset Tertull. adiungere tria verba, quæ respicerent artem, professionem, negotiationem. Et tãtùm subiunxit duo, scilicet *instruẽdis aut formandis Idolis.* Et quidem *formo* tantùm respicit fabricam Idolorum, *instruo* autem templa & ędiculas, de quibus locutus c 8. dixit enim: *Si templum, si aram, si ædiculam instruxeris*, quæ omnia pertinent ad exornationem idoli. Nullum ergo hîc verbum, quod respondeat *professioni, & negotiationi.*

12. FAMVLATVM.] Propriè vsus voce; notat enim seruitium, id est, seruitutem, qua gentiles addicti dæmonibus. Atqui *famulatus* propriè est illorum, qui dicuntur familiares, id est, serui. Sen. epist. 47. *Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint: dominum, patrem familiæ appellarunt, seruos* (*quod etiam in Mimis adhuc durat*) *familiares.* Plaut. Amphit. *Aduenisse familiares dicito*, id est, seruos. Itaque honesta vox, ne serui notarentur contumelia, erat, familia, & famulatus: & ipsi domini dicebantur patres familias. Propriè ergo Tertull. *famulatũ* notans seruitutẽ.

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Post fidem susceptam non debent Christiani vti prætextu necessitatis ad Idololatriam.

TERTVLLIANVS.

198. 1. MALE nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, Non habeo quo viuam. Iam enim hîc pleniùs illi abruptæ propositioni respondebo.

EXPLICATIO.

1. EXhibitionis, id est, necessitatis, inopiæ. *Supplaudimus*, malè nobis blãdimur, malo vtimur blandimento. *Fidem obsignatam*, scilicet baptismo. Est enim baptismus signaculum fidei. *Abruptæ propositioni*,

nam cap 5. huius operis incepit refutare propositionem istam, *Non habeo quo viuam.* Sed interrupit, & distulit in hunc locum, & ideo iam plenè respondet.

2. Serò dicitur. Antè enim fuit deliberandum ex similitudine prouidentissimi ædificis illius, qui priùs sumptus operis cum viribus suis supputat, ne vbi cœperit, defunctus postea erubescat.

2. Serò (inquit) dicis verbum hoc, *Non habeo quo viuam*, considerandum hoc tibi erat ante baptismum, nam post illum, iam hoc serò obiicis. *Ædificis*, id est, ædificatoris, artificis. *Defunctus*, id est, cessans ab opere, etiam defungens ædificio propter inopiam.

199. 3. Sed & nunc habes dicta Domini, & exempla adimētia tibi omnem caussationem.

3. *Habes* insuper *dicta* & *exempla* Christi, quibus occurras isti tuæ diffidentiæ. *Caussationem* explica, prætextum, excusationem.

Matth. 5. 4. Quid enim dicis? Egebo: sed felices egenos Dominus appellat. Victum non
Matth. 6. habeo: sed, Nolite (inquit) cogitare de victu. Et vestitus habemus exemplum lilia. Sub-
Ibid. stantia mihi opus erat: atquin omnia vendenda sunt, & egentibus diuidenda. Sed filiis
Matth. 9. & posteritati prouidendum: Nemo aratro manum imponens, & retro spectans, aptus
Luc. 9. est. Opera conditionalis eram: Nemo duobus dominis seruire potest.

4. Dixerat esse *dicta* Domini, esse & *exempla*. Vtrumque persequitur. Ergo singulis diffidentiæ humanæ verbis opponit aut sententias Christi medentis morbo aut facta. Eget verò hic tractus lectore tantùm, non interprete. Cùm ait: *Et vestitus habemus exemplum lilia*, aspirat ad sententiam illam, *cernite lilia agri*, &c. Itaque hoc inter *dicta* annumerandum potiùs putem, quàm inter *exempla*, etiamsi vox illa *exemplum* exciderit Tertulliano parum cautè. *Opera conditionalis*, est is qui operarius est, & operas suas locat certis conditionibus. Ergo homini obiicienti, operam meam locaueram fabricæ idolorum, dicitur, Nemo potest seruire duobus Dominis. Est *atquin* in hoc auctore, atqui.

200. 5. Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris ne-
Matth. 6. cesse est; id est, angustias & cruciatus tuos: vel corpus solum quod in modum Christi
Ibid. 16. est: parentes, coniuges, liberi propter Deum relinquendi erunt.
Marc. 10.

5. *Dicta* in superiore tractu sunt, *exempla* in hoc. Vt Christus crucem sustulit suam, sic tu *tuam tolle, si vis* eius *esse discipulus*. Quæ est autem crux tua? tuæ necessitates, incommoda, paupertas, angustiæ, cruciatus. Ergo *tolle*, id est, patere tuos cruciatus, & ita crucem tolles, eríque Christi discipulus, & illum sequeris. Quod sequitur, satis est difficile. De lectionibus, & explicationibus aliorum dicam in Notis, Lectionem quam sequor, ita expedio. *Tolle tuos cruciatus*, & tulisti *crucem*: tolle insuper corpus tuum, sed illud solum, quod formatum est in *modum* formámque *Christi* crucifixi, & ita quoque tulisti crucem. Quia videlicet viri sancti carnem suam (nam hoc est corpus) crucifixerunt eum vitiis & concupiscentiis suis. Sequitur, *parentes, coniuges*, &c. Acutissimè hoc. Est & crux alia, quæ non tollenda, sed relinquenda. Tolle *cruciatus tuos* atque *angustias*, tolle tuum corpus crucifixum, sed relinque tamen *parentes, coniuges, liberos*, & ita Christum sequeris, eríque eius discipulus.

201. 6. De artibus, & negotiationibus, & de professionibus etiam liberorum & pa-
Matth. 4. rentum caussa dubitas. Iam tum demonstratum est nobis & pignora, & artificia, & ne-
Matth. 9. gotia propter Dominum derelinquenda: Cùm Iacobus & Ioannes vocati à Domino,
Matth. 8. & patrē, nauémque derelinquunt: cùm Matthæus de telonio suscitatur: cùm etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum, quos Dominus allegit, Non habeo dixit quo viuam.

6. Pergit in demonstrandis exemplis, quibus muniamur. Sententia est. Obijcis mihi inopiam liberorum tuorum & parentum, quos vt alas, dubitas de relinquendis *artibus*, quibus idola fabricantur; *negotiationibus*, quas thurarius persequitur; *professionibus*, quas Mathematici & ludi magistri exercent. Atqui mi vir, *iam tum*, id est, iam olim *demonstratum est nobis* à prædicante Christo *derelinquenda propter Dominum pignora* omnia quæ amamus, tum *artificia*, tum *negotia*. Videlicet *artificia*, in Iacobo & Ioanne, qui artem piscatoriā reliquerunt, patrémque Zebedæum exercentem hanc artem: *negotia* in Matthæo, qui statim surrexit *de telonio: pignora* in eo, qui non permissus *patrem* amantissimum *sepelire*: immorari enim in re tam pia visum est Christo *tardum* ad fidem capessendam. Inde concludit Doctor, tu qui mihi obiicis, *Non habeo quo viuam*, cōsidera exēpla illorū, *quos* Christus *allegit* sibi in discipulos, & videbis à nemine ita iactatū.

202. 7. Fides famem non timet. Scit etiā famem non minùs sibi contemnendam pro-
Rom. 8. pter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis vic-
Luc. 18. tum? Quotus quisque hęc adimpleuit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia. Sic tamen nobis de mansuetudine & clementia Dei blandiamur, vt non vsque ad Idololatriæ affinitates necessitatibus largiamur.

7. Cur mihi obiicis *Non habeo quo viuam*, cùm noueris *famem* non timeri à fide? vt enim fides contemnit omnia mortium genera, ita & mortē illatam per famem. Cùm vitam non curet, multò minùs *victum* curabit. Obiicies mihi, *quotus quisque hac adimpleuit?* Respondet. Fateor esse difficile, sed hominibus quidē, non Deo. Obiicies iterum, clementissimus est Deus, & ignoscet. Respondet. Apage hoc, ita tibi de misericordia Dei blandiri, vt non tamen *largiaris*, id est, indulgeas necessitatibus corporis *vsque ad affinitates Idololatriæ*. q.d. Ne tam diros fines attingas.

NOTÆ.

203. 1. EXHIBITIONIS.] Vide cap. 6. huius operis.
1. SVPPLAVDIMVS.] In fine capitis, per verbum *blandiri*.

1. OBSIGNATAM.] Ita etiam lib. de Spectac. c. 24. *Nonne eieramus, & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius?* Vbi sermo est etiam de Baptismo.

2. ÆDIFICIS.] Ita *ædifex*, vt *ædificare*. Notauit enim Langius ad Plautum veteres dixisse *ædificare* & *ædifacere*, vt *ludificare* & *ludifacere*, vt *significare* & *signifacere*.

3. DICTA DOMINI ET EXEMPLA.] Ita volui legere ex ms. Vvouer. non *dicta Domini exempla*.

4. CONDITIONALIS.] Legunt aliqui *conductionalis*, non est necesse, quod iam Heral. in Arnob. notauit. Nam conditionales sunt, qui certis conditionibus locant suas operas, idque ex I. C. forma. Ita Arnob. ipse lib. 3. *Seruitutis conditionem imponere*. Et iterum de Neptuno & Apolline, *muris vrbem Ilium conditione adiuncta cinxerunt*. Zeno Veronens. serm. 2. de Auarit. *A vobis multi redemti, multi edictis feralibus liberati, multi conditionibus exuti gratias agunt*. Explicationem Pamelij meritò reprehendit Iun.

4. NEMO DVOBVS DOMINIS SERVIRE POTEST.] Expendatur obiter sententia Hieronymi ad Heliod. *Non potestis duobus Dominis seruire, & audet quisquam mendacem Christum facere, Mammonæ & Domino seruiendo?* Itaque velle seruire vtrique, est, velle Christum mendacem facere.

5. CRVCIATVS TVOS.] Signatissima vox, nam præcessit *crux*. Etenim *cruciatus* à cruce. Et verbum ipsum *crucio*, pro, cruci affigere, vsitatum. Ausonius,

--- cruciauerat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonim.

Hegesipp. lib. 5. c. 18. *Capiebantur innumeri* Iudæi, *quingenti fermè ad diem cruciabantur*. Id est, crucibus affligebantur. Gloss. *cruciat, crucificat*, σταυροῖ. Hæc Lips. lib. de Cruce c. 3.

204. 5. VEL CORPVS SOLVM, &c.] In vulgatis Rhenani & Pamelij libris legitur, *vel corpus solum, quod in domum Christi est*. Quam tamen lectionem Pamelius aut corruptam, aut mutilam meritò putat, ideo & illam contemsi. Iunius ita corrigit suo ductu, & nullo ms. adiumento: *Vel corpus solum, quod in dominio Christi est, parentes, coniuges*, &c. Vbi sententia est, relinquendum corpus, vt etiam parentes, &c. Et ratio, quia sub Christi dominio. Contemsi & hanc lectionem, quia ex mera libidine. In codice Barræi ita habetur, *vel corpus solum, quod in modum Christus est. Parentes, coniuges*, &c. Hanc sequi placuit, vt ex qua potui meliorem sententiam conformare, tantùm illud *Christus* mutaui in *Christi*. Notat quippe ipse in aliis legi *in domum Christi*. Et certè quod astruxi explicans, plenum est pietatis, tollendum scilicet corpus illud solummodò, quod in modum Christi crucifixum est; nam qui Christi sunt, carnem suam (ait Paulus) crucifixerunt cum vitiis & cõcupiscentiis. Dici etiam possit, tollendum corpus, quod in modum est Christi crucifixi, quia, vt Tert. Apolog. *Nos ad Deum expansos vngulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani*. Vides vt corpus expansum, quod formam gerit crucis, dicat esse aptissimum omnibus malis sustinendis. Ergo ait hic, in tuo corpore non qualicumque habitu, sed tantùm cùm & expansum & in modum Christi, formam habes Crucis, ac perinde illud inuadunt egestates omnes & mala, eunt videlicet hæc ad locum suum, id est, Crucem. Hæc igitur mala, hoc corpus, hanc crucem tolle, & Christum sequeris. Et quidem cùm Christus dixit, tollendam Christiano crucem suam, de qua cruce meliùs potest intelligi, quàm de corpore, quod plenum mille miseriis? Tolle has miserias, & crucem tulisti. Hoc enim est, quod Saluianus dixit lib. 5. de Gubern. *Abdicare à te ipso, ne abdiceris à Christo, repudia te, vt recipiaris à Christo; perde te ipse, ne pereas*, &c. Quid quòd locutio ista *in modum Christi crucifixi* Tertullianica est, nam cap. 5. huius operis, *effigiem ærei serpentis suspensi in modum*. Vel dici etiam potest (non enim necesse est tanta verborum ambage) tollendum corpus nostrum, non qualecunque, id est, non cum vitiis, sed solùm reformatum, quod est in similitudinem Christi. Etsi legas *Christus*, cum Barreo, eundem sensum efficit, nam corpus nostrum purum & sanctum in similitudinem Christus est, id est, Christum refert.

6. PIGNORA.] In multis legitur *pignera*, quod non alienum ab ingenio Tertulliani, & quidem olim creberrimè *pignus pigneris*, quin hodie composita secundam retinent vocalem. 205.

7. FIDES FAMEM NON TIMET.] Magni semper fecit Hieronymus Tertullianum, nam ab hoc plures ille sumsit sententias, intérque illas etiam hanc: ita enim ad Heliod. *De cibo cogitas? sed fides famem non timet*. Arat. lib. 2. Hist. Apost. dixit:

--- neque enim discrimina nouit
Formidare Fides.

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

Non debent Christiani interesse festis Gentilium.

TERTVLLIANVS.

206. 1. SED omnem afflatum eius vice pestis etiam de longinquo deuitemus, non in his tantùm quæ præmisimus, sed in vniuersa serie humanæ superstitionis, siue Deis suis, siue defunctis, siue Regibus mancipatæ, vt ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modò per sacrificia & sacerdotia, modò per spectacula & hoc genus, modò per festos dies.

EXPLICATIO.

1. *Afflatum vice pestis*. Satis emphaticè; neque enim aliter loquendum de Idololatria quàm vt de peste, qua nulla pernicio sior & virulentior. Ait *de longinquo*, quia *afflatũ*. Pergit. *Quæ præmisimus*, sunt hæc tria, videlicet *artificia, professiones, negotiationes*. *Mãcipatæ*, id est, addictæ & obnoxiæ. Ait scilicet, omnẽ superstitionem Idololatrarum addictam fuisse *Deis, defunctis, Regibus*. hæc enim tria personarum genera colebantur diuino cultu à Gentilibus: sed addit præclarè, cultum his tribus personarum generibus, impensum,

impensum redundare verè in ipsos Dæmones. Itaque siue Iuppiter coleretur, siue Defunctus aliquis, siue viuus Rex, in his omnibus Dæmon colebatur. *Modò per sacrificia*, &c. Cum respectu ad superiora. *Sacrificia* enim & Sacerdotia Deos respiciunt, nam flamines erant Diales, Martiales, &c. *Spectacula*, & aliæ hoc genus celebritates respiciunt defunctos; quippe illa in honorem Defunctorum instituta, vt liquidum in ludo gladiatorio. *Dies festi*, vt plurimùm celebrabantur in honorem principum, videlicet in natalitiis eorum, &c. Itaque sic coniunge: superstitio mancipata Deis, per sacrificia & Sacerdotia; Defunctis, per spectacula; viuis Regibus, per dies festos; vt videas quàm leuiter percurri soleat à legẽtibus Tertullianus.

207. 2. Sed de sacrificiis & de Sacerdotiis quid loquar? De spectaculis autem & voluptatibus eiusmodi suum iam volumen impleuimus. Hoc loco retractari oportet de festis diebus, & aliis extraordinariis sollemnitatibus, quas interdum lasciuiæ, interdum timiditati nostræ subscribimus aduersus fidei disciplinam communicantes nationibus in idolicis rebus.

2. *De sacrificiis & Sacerdotiis* non vult loqui, vt de re clarè idololatrica. Quis enim Christianus putaret sibi licere, esse flaminem Iouis, & illi sacrificium offerre? De secundo membro, id est, *De spectaculis* & comœdiis loqui non vult, cùm præcesserit iustum *volumen*. Restat vt loquatur *de diebus festis, aliisque sollemnitatibus*, quas fideles sæpe vel proprio voluptatis gustu, vel metu principum frequentabant, & ita communicabant cum Gentilibus in re verè idololatrica. *Retractari* est, tractari accuratè, non, iterum tractari.

208. 3. De hoc quidem primò consistam, an cum ipsis quoque nationibus communicare in huiusmodi seruus Dei debeat, siue habitu, siue victu, vel quo alio genere lætitiæ earum.

3. *Consistam*, stabo in gradu contra illos, & in acie, pedémque conferam. *Habitu*, vestitu quo sollemnia adibantur. *Vel quo alio genere lætitiæ*, nihil dici strictius potuit. Itaque non vult lætitiam capi ex lætitia Gentilium. Omnia vetat, *habitum victum*, & quod mirere, adhuc *lætitiam* cum Gentilibus communem. Fortasse per *lætitiam* indicat spectacula.

209. 4. Gaudere cum gaudentibus, & lugere cum lugentibus, de fratribus dictum
Rom. 12. est ab Apostolo ad vnanimitatem cohortante. Cæterùm ad hæc nihil communionis
2. *Cor.* 6. est lumini, & tenebris, vitæ & morti: aut rescindimus quod scriptum est, seculum
Ioann. 16. gaudebit, vos verò lugebitis. Si cum seculo gaudemus, verendum est ne cum seculo & lugeamus. Seculo autem gaudente lugeamus, & seculo posteà lugente gaudebimus.

4. Posset aliquis obiicere Tertulliano, dixisse Apostolum *gaudendum cum gaudentibus, lugendum cum lugentibus*. Soluit: nam Paulus *de fratribus*, id est, de Christianis dixit, hortans eos ad concordiam. Itaque Christiani gaudeant & lugeant cum Christianis, non cum Gentilibus: imò his gaudentibus lugeant, vt posteà in die iudicij gaudeant illis lugentibus. Nam si gaudeant *cum* gaudente *seculo*, timendum est ne lugeant cum eodem lugente in die iudicij. Id nisi facimus, rescindimus quantum in nobis est oraculum illud Christi, *Seculum gaudebit, vos verò lugebitis*. Ad eandem rem confert illud de *lumine & tenebris*, de *vita & morte*: vt enim his nihil est communionis, ita nec gaudiis Christianorum cum gaudiis Gentilium.

210. 5. Sic & Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, contrà
Luc. 16. Diues in tormento ignis constitutus, alternas malorum & bonorum vices æmula retributione compensant.

5. Post Christi oraculum iam nunc ad rem eandem aduocat exemplum Lazari & Diuitis: ille viuus luxit, vt postea gauderet, cùm longè aliter Diuiti accideret. Ait *refrigerium* notans aquam, & ideo opponit tormento ignis; quo Diues cruciatus, caruit vel gutta vna refrigerante. Nota mihi illa de *alternis vicibus*, de *æmula retributione*, quæ mira.

1. 6. Sunt quidem dies munerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel reddam alienum. Si hunc morem sibi homines de superstitione consecrauerunt, tu extraneus ab omni eorum vanitate, quid participas idolothyta sollemnia, quasi tibi quoque præscriptum sit de die, quo minùs id quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, citra dici obseruationem luas vel recipias?

6. Dixit se non dicturũ nec *de sacrificiis* nec *de spectaculis*, tantùm de *diebus festis* extraordinariisque *sollemnitatibus*. In his ergo numerat dies munerum. Quæ sint hæ dies, ipse explicat. videlicet *quæ expungunt* id est, quæ præstant aliis quidem *titulum honoris*, aliis autem *debitum* ex mercede. Dicit quippe in diebus munerum præstari, perfici, absolui, verè impletim & cumulatim exhiberi, aliis quidem dona quæ titulo Honoris (Honoraria intelligit) debentur aut principi, aut viris magnis; aliis autem debita, quæ contracta ex mercede sunt. Pergit. *Nunc ergo, inquis*, &c. q.d. Hic est ergo ô Christiane tuus prætextus, aut recipere, quod tibi debetur, aut luere quod debes, & ita putas te tutò posse his celebritatibus adesse. *Si hunc morẽ*, &c. Si mos iste totus innititur superstitione, cur tu qui es extra hãc *vanitatem, participas* sollẽnitates idolis consecratas? *Quasi tibi quoque*, &c. Sententia inuoluit ironiam. *Quasi tibi quoque præscriptum de die sit, quo*

citra dici obſeruationem non *aut luas aut recipias* ? Ridiculũ eſt id putare. Nam certè potes recipere quod tibi debetur, vel luere quod debes citra obſeruationem dici. Non tu eges hac obſeruatione ad luendum vel recipiendum. Notet Lector particulam *minùs* valere idem quod *non*. quæ acceptio omnibus, vni in primis Tullio, frequentiſſima.

212. 7. Da formam in quam velis agi tecum. Cur enim lateas cùm ignorantia alterius tuam conſcientiam contamines? Si non ignoraris quòd ſis Chriſtianus, tentaris, & contra conſcientiam alterius agis, tanquam non Chriſtianus. Enimuero etſi ſimulaueris, tentatus addictus es. Certè ſiue hac ſiue illac reus es confuſionis in Deo. Qui autem confuſus ſuper me fuerit penes homines, & ego confundar ſuper illo, inquit, penes patrem meum, qui eſt in cœlis.

Matth. 10. *Luc.* 2.

7. *Da* mihi *formam* Chriſtiane, qua *tecum* agam, ſequar tuum ductum. Vel putaris eſſe Gentilis, cùm non ſis; vel putaris eſſe Chriſtianus, vt verè es. En duplex forma, & nulla alia agendi tecum. Si lates, putariſque eſſe Gentilis, iam contaminas *conſcientiam* tuam *ignorantia* Gentilium. Nam abominandum eſt, vt à Gentilibus habearis Gentilis, cùm ſis Chriſtianus. *Si non ignoraris*, id eſt, ſi putaris, *quòd ſis Chriſtianus, tentaris*, id eſt, iam incidiſti in tentationem, id eſt, in peccatum: tentatio te peccatúmque apprehendit. Quare? quia *iam agis contra conſcientiam alterius*, videlicet operans *tanquam non Chriſtianus*. Sequitur, *Enim vero & ſi*, &c. Obiicis mihi ô Chriſtiane, tantum ſimulo me eſſe vnum è Gentilibus, & ideo interſum eorum diebus feſtis, vt *luam vel recipiam* debitum, ſed ego verè ſum Chriſtianus. Reſpondet: Nihil hoc eſt, mi vir, enimvero *& ſi* tantùm *ſimulaueris, tentatus es*, id eſt, iam es in peccato, iam te vicit tentatio & dæmon, *addictus es* ſuperſtitioni diei & tuæ conſcientiæ, quæ te ſæuiſſima lacerat inſtar carnificis, vt ſolebant addicti homines. Concludit. *Certè ſiue hac*, &c. eſt vera concluſio, huiuſmodi Chriſtianum vtraque agendi forma *reum eſſe confuſionis erga Deum*. q. d. Modò lateas & ignoreris eſſe Chriſtianus, modò non ignoreris, certè tu ignorari vis, & confunderis de Chriſtiana ſecta, ac perinde tibi miſero intonatur illud Chriſti, *Qui confuſus in me fuerit*, &c.

NOTÆ.

213. 1. SED OMNEM AFFLATVM, &c.] Iunius cenſet hoc initium annectendum capiti ſuperiori, ita vt initium huius capitis ſit ab illis mox verbis. *Sed de ſacrificiis*, &c.

1. PESTIS.] Par locutio Hilarij, qui *venenum* vocat. Nihil frequentius in Conciliis ſacris, vbi omnia quæ corrumpunt fidem, vt ſunt idololatria, hæreſes, & Iudaiſmus, ſæpiſſime afficiunt contagij, afflatus, & peſtis nomine. Synodus Sardicenſ. in epiſt. ad Iulium PP. *Quorum ſacrilegas mentes Ariana hæreſis peſtifero tinxit veneno.* Et in epiſt. eiuſdem Concilij ad Alexandrinos θανάσιμος θανατηφόρος: *Mortiferum propoſitum.* Idem Conſtantin. apud Euſebium lib. 3. de vita eiuſdem c. 62. ἰοβόλοις φαρμάκοις: *Pharmacis venenatis.* Quin Conſtantinus Magnus in epiſt. ad Eccleſ. Alexand. quæ habetur in Concil. Nicæno, & quam vide etiam in Socrate lib. 1. cap. 6. diſcordias & tumultus, quibus fides euertitur, vocat θανάσιμα φάρμακα, *lethalia venena.* Ita ſup. c. 8. *contagio idololatriæ.* Concil. Tolet. 3. Arianam perfidiam vocat *peſtem, contagionem.* Nazianz. orat. funebri Baſilij, loca obnoxia idololatriæ vocat βλαβερά. Inde & *tabes*, quæ affinis vox. Sic in Concil. Carthag. ſub Cornelio *tabidos hæreticos.* & non multò pòſt, mens *hæretica, quæ diuturna tabe polluta eſt.*

214. 1. MODÒ PER SPECTACVLA.] Retuli ad defunctos veriſſimè. Hæc enim origo ſpectaculorum. Tertull. ipſe de Spectac. *Olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captiuos vel malo genio ſeruos mercati in exſequiis immolabant. Poſtea placuit voluptatem impietate adumbrare. Itaque quos parauerant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo.*

2. VOLVPTATIBVS.] Ita dicta vniuerſim ſpectacula cuiuſcumque generis, quod frequens in Tertullian. Prudentio, Cypriano, aliis. Græci quoque ita vocant. Nam Gregor. Theolog. orat. Funebri Baſilij hiſtriones ἡδυς vocat. Sed & Heriueus Remorum Archiepiſc. in epiſt. *Vt rogaſtis humilitatem noſtram quærere de diuinis oraculis, qualiter conſulendum vobis foret his qui rebaptizati ſunt, & æquè vt ante baptiſmum, iuxta paganiſmi morem, quemadmodum ſues ſunt reuerſi ad volutabrum, & canes ad vomitum, ludicras voluptates nefando paganorum ritu exercuêre.*

215. 2. DE FESTIS DIEBVS.] Notetur ſtricta hæc Tertulliani acceptio: vt enim apparet ex integro totius capitis curſu, feſtos dies determinat ad celebritates, quæ fiebant in honorem Principum, vt fuerunt Auguſtalia, vt quæ in natalitiis Regum, & victoriis, &c.

2. SVBSCRIBIMVS ADVERSVS FIDEI DISCIPLINAM.] Credo alluſum ad baptiſmi ſignaculum. Vt dicat, aliter ſubſcribimus & obſignamus, quàm ſubſcripſeramus in baptiſmo, vbi diſciplinam fidei accepimus, & ſignaculo noſtro renunciauimus celebritatibus ſeculi.

3. CONSISTAM.] Eſt hoc, quod lib. de Pallio *veniam ad acuta tecum.* Quod Chryſoſt. orat. de Nouil. ἐπὶ τὸν μάχιμον χωρῶμεν: *Procedamus ad pugnam.* Stat quippe in acie contra Gentiles. Nazianzen. quoque orat. 20. loquens de pugna verborum ait, τοὺς εἰς χεῖρας ἰόντας, *Conferentes manus.*

216. 4. DE FRATRIBVS DICTVM EST.] Sententia eadem in epiſt. Concilij Sardicenſis ad Eccleſiã Alexãd. συμπάσχομεν γὰρ τοῖς πάσχουσιν ἀδελφοῖς ἡμῶν, καὶ τὰ εἰκότων παθήματα ἴδια ἡγούμεθα, καὶ τοῖς δάκρυσιν ὑμῶν τὰ ἡμέτερα δάκρυα συνεμίξαμεν: *Compatimur enim fratribus noſtris patientibus, & eorum paſſiones, noſtras proprias arbitramur, & noſtras lacrymas cum veſtris commiſcuimus.* Veriſſimè ergo Tertull. determinat ſententiam Apoſtoli ad gaudium & luctum inter fratres, id eſt, inter Chriſtianos. Non enim gaudendum cum gentilibus. Illuſtre eſt exemplum Liberij Papæ ſanctiſſimi apud Theodoritum lib. 2. Hiſt. c. 16. nolentis accipere vel eleemoſynam ab homine impio. contempſit enim illam addens, ἄπελθε, πρῶτον γενοῦ Χριστιανός: *Abi, & primùm ſis Chriſtianus.* quia noluit accipere illam niſi à Chriſtiano.

4. NIHIL COMMVNIONIS EST, &c.] Par locus est in epist. Concilij Sardicens. ad Episcopos, vbi interdicitur infidelium communicatio. ἀδιάφορα γὰρ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος. τὸ τοῦ παύτας μακρὰν ποιεῖτε. ἀδιάφορα γὰρ συμφωνία Χριστῷ πρὸς Βελιάλ· ἢ φυλάξασθε ἀγαπητοὶ, μήτε γράφειν πρὸς αὐτοὺς, μήτε γράμματα παρ' αὐτῶν δέχεσθαι: *Nihil commune luci cum tenebris. hos procul à vobis arcete. nulla enim concordia Christo & Belial. Cauete dilecti, ne vel scribatis ad eos, vel eorum epistolas recipiatis.*

217. 5. LAZARVS.] In nonnullis codicibus legitur *Eleazar*, quod ad Syram formam refert Iunius; quos enim Hebræi *Lazaros*, Syri nominant *Eleazaros*.

5. APVD INFEROS.] Iunius in hunc locum: *Inferos, Latini patres, vt Graci ἅδου, pro omni loco aut statu mortuorum dixerunt promiscuè.* Errat pessimè, & enormiter; nam ita cæli erunt inferi, est enim & cœlum locus mortuorum. Itaque Tertull. tantùm capiendus de loco subterraneo. Ipse lib. de Anima cap. 55. de loco inferorum: *Infossa terræ & alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* & post pauca, opponit *sublimia cœlorum, & inferiora terrarum.* Tu vide Gretser. cap. 8. Animad. in Notas Iunianas.

218. 6. SVNT QVIDEM DIES MVNERVM.] Iunius legit, *Sunt quidam dies*, &c. ex his, quæ scripta cap. 10. huius operis.

6. MVNERVM.] Cùm *munus* sit ludus gladiatorius, non hoc tamen loco; latè enim accipit, scilicet pro honoraria omni celebritate, vt postea explicat.

6. EXPVNGVNT.] Cùm hoc verbum propriè sit expungere nomen debitoris, cùm is iam soluit, fit vt per metathesim accipiatur pro absoluo, perficio, adimpleo, & complementum do. Ergo *expungere honoris titulos* est, complere quicquid pertinet ad titulos honorarios, videlicet dona quæ titulo Honoris dantur principibus, verè *Honoraria*. Nam, nisi hæc, nulla alia accipi in Tertulliano queunt. Inde ergo dicti *dies munerum*, & ab honorario quod principibus, & ab debito quod aliis datur.

6. IDOLOTHYTA.] Non satis scio cur hic acriter Iunius flagellet Pamelium, cùm idem vterque videantur dicere. Is enim locus non de cibis capiendus, sed extensiùs, vt explicui. Presse, idolothytum est, caro immolata idolo, sed hic locus extra hanc rem est, & celebritas omnis idolorum est idolothytum.

6. QVO MINVS ID, &c.] Est *minus* idem quod *non*: & explicatio quam adhibui, verissima est: non tamen negligo viri docti iudicium, qui hic mauult legere *munus*.

219. 7. DA FORMAM.] Quo sensu Tertull. *formam*, Chrysost. σχῆμα. Sententiam verò Tertull. ita Hilar. de Concil. Ariminens. *Quæro in quam te sententiam concedere æquum videbitur?* & Hieronym. lib. 2. Iouin. *Eligat aduersarius è duobus quod vult, optionem enim damus.* Cæterùm totus hic locus malè in vulgatis omnibus legitur, laborat enim interpunctione, quæ peruersissima: vt scripsi, & interpunxi, clara sunt omnia.

7. CONSCIENTIAM CONTAMINES.] Vox ista & similes sæpissime de peccatis. Fortunatus in vita Hilarij *contaminari peccatis*. Ephrem Syrus in serm. de Patient. *Voluptas peccati verè immunda & sordida.* Eligius Homil. 7. *Sordes scelerum.* Nazian. orat. 7. peccatis dat βόρβορον, cœnum. & Greg. Nyssen. Præfat. ad lib. de Virgin. dixit, ἁμαρτιῶν μυσὸν. & lib. de Virginit. cap. 12. πηλὸν, id est, cœnum, lutum, & Cyrill. Hierosol. Cateches. 2. ἐμόλυνα τὸ σῶμα πορνείαις ἀκολασίαις. 220.

7. IGNORARIS.] Quo sensu Tertull. dixit *ignorari*, pugnare contra conscientiam; *non ignorari*, contra exemplum: eodem Hilarius contra Arian. dixit, *De integritate conscientiæ, & de exempli auctoritate.* Cæterùm hic locus respicit caput 10. epist. 1. ad Corinth. vbi Paulus: *Nolite manducare* (videlicet immolata idolis) *propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?*

7. TENTARIS.] Hyperbolico sensu dicitur ab scriptoribus sacris. Qui enim incidit in peccatum dicitur esse tentatus, vel addictus & obnoxius tentationi, quia videlicet succubuit iam tentatori diabolo. Et ita explicui in Tertull. sic etiam Cyrill. Hierosol. Cateches. 1. in re graui vsurpat hoc verbum. εἰ γάρ τις τῶν ἐνταῦθα νομίζοι πιεράζειν τὴν χάριν, ἑαυτὸν ἀπατᾷ, καὶ τὴν ἀνωφελῆ ἀγνοεῖ: *Si enim quispiam ex his, qui hic adsunt, tentat gratiam Dei, se ipsum decipit, & virtutem ignorat.* & Ambros. lib. 1. Offic. c. 5. *Qui talia dicit, non est mitis atque humilis, non est sine tentatione, tentator eum exagitat.* Hieronym. etiam lib. 2. Iouin. sæpissimè *tentationem* sumit pro peccato. Cùm petimus non induci in *tentationem*, certè petimus liberari à peccato.

7. CONTRA CONSCIENTIAM ALTERIVS AGIS.] Nota mihi hæc verba in re scandali: *Agis contra*, tu ergo hostis. Ita sanè est; nam qui scandalo sunt aliis, hostes illorum sunt. Signatissimè Clemens lib. 2. Pædagog. c. 1. de istis πωλοδύνειν τὸ πλοῦτος τῶν ἀδυνάτων ἀδελφῶν: *Verberantes conscientiam infirmorum fratrum.* Iterum de re eadem ἀπόλλυται ἀδελφὸς ἀδυνάτων: *Perit frater infirmus.* Inde & Tert. de Veland. Virgin. c. 15. ab re quoque hostili *iacula scandalorum.* 221.

7. REVS EST CONFVSIONIS IN DEO.] Censent aliqui legendum *confusionis Deo*, ita vt particula *in* adtexta sit ab insciente librario. Sed nihil adimendum. Nam in Græco textu Matthæi cap. 10. ὀνείδισόν με. Itaque amauit Tertull. phrasin Græcam.

7. QVI AVTEM CONFVSVS SVPERME, &c.] Ab Matthæo 10. ab Luc. 12. ab Marc. 8. Præclarè autem dixit Ignatius Martyr epist. ad Philadelph. ἡ τὸ πάθος ἐπαισχύνεται, ὁ τοιοῦτος ἤρνηται τὴν πίστιν. Ait scilicet, illum negaturum fidem, venturúmque in idololatriam, cui pudor erit de Christi passione. Quod testimonium ad mentem omnino Tertulliani.

CAP. XIV. ARGVMENTVM.

Non dissimulandum cum celebritatibus Gentilium.

TERTVLLIANVS.

222. 1. SED enim plerique iam induxerunt animo, ignoscendum esse quandoque his, quæ ethnici faciunt, ne nomen blasphemetur.

EXPLICATIO.

1. AIT plerosque Christianos fuisse in ea opinione, vt putarent dissimulandum rebus Gentilium, ne si illis obuiam eatur, Christianũ nomen blasphement. *Induxerunt*, veluti decepti, & fucum sibi facientes.

2. Porrò blaſphemia quæ nobis deuitanda eſt, hæc opinor eſt, ſi quis noſtrum ad iuſtã blaſphemiã ethnicũ deducat aut fraude, aut iniuria, aut cõtumelia, aliave materia dignæ querelæ, in qua nomen meritò percutitur, vt meritò iraſcatur & Dominus.

2. Illa tantùm (aperit mentem ſuam Doctor) *deuitanda eſt blaſphemiã* occaſio, quæ culpam habeat, vt ſi quis Chriſtianus Gentilem afficiat aut fraude, aut iniuria, aut contumelia, &c. Tunc enim veluti iuſtam occaſionem blaſphemiæ dabit, & nomen Chriſtianum *meritò* percutietur & flagellabitur, ac perinde Deus quoque *meritò* iraſcetur.

223. 3. Cæterùm ſi de omni blaſphemia dictum eſt: veſtri cauſſa nomen meum blaſphematur, perimus vniuerſi.

3. Illud Iſaiæ, *Veſtri cauſſa nomen meum blaſphematur*, non dictum eſt vniuerſim de omni blaſphemia, nam ſi ita eſſet, perit omnino & peſſumdatur res Chriſtiana.

4. Cùm totus circus ſceleſtis ſuffragiis nullo merito nomen laceſſit, deſinamus, & non blaſphemabitur.

4. Inducit perſonam Chriſtianorum ignoſcentium diſſimulantiúmque rebus Gentilicis. Loquitúrque ſatis amare adducens illos in inuidiam. Præclara ſcilicet ratio veſtra, *Deſinamus & non blaſphemabitur* nomen Chriſtianum. Abſit mei fideles ratio iſta, furente Circo & idololatria. Vel poteſt eſſe interrogatio vt dicat: cùm *Circus laceſſit nomen* Chriſtianum, dicetis *deſinamus* hoc nomen *& non blaſphemabitur*? Percurro quædam. *Sceleſtis ſuffragiis*, nam ſuffragia, id eſt, fauores Circi ſpirabant *merum* ſcelus, id eſt, idololatriam. *Laceſſit nomen*, eſt, deturpat, dehoneſtat, prouocat, deteſtatur.

224. 5. Imò dum ſumus, blaſphemetur in obſeruatione, non in exorbitatione diſciplinæ, dum probamur, non dum reprobamur, ob blaſphemiã martyrij affinem, quę tunc me teſtatur Chriſtianũ, cùm propterea me deteſtatur. Benedictio eſt nominis maledictio cuſtoditæ diſciplinæ. Si hominibus, inquit, vellé placere, ſeruus Chriſti non eſſem.

Gal. 1.

5. Reſpondet Doctor, Chriſtiani, *Imò dum ſumus, blaſphemetur* nomen Chriſtianum, *in obſeruatione*, &c. id eſt, ideo quòd ſimus obſeruantes diſciplinæ Chriſtianæ non exorbitantes & tranſgreſſores. nam tunc iuſta eſſet querela illorum. *Dum probamur*, &c. Quaſi dicat: Blaſphemia iſta Gentilium eſt inſtar martyrij, quæ nos probat, & teſtatur eſſe Chriſtianos. Ergo, *dum probamur* exercemúrque hoc martyrij genere, *blaſphemetur* nomen Chriſtianum, non cùm *reprobamur*: deficere enim nos, cùm ipſi blaſphemant nomen Chriſtianum, eſſet deficere in martyrio, ac perinde eſſet reprobari. Vel eſſe poteſt conceptus alius, ſi *nondum* conſuatur per ὑφὲν, & ſit veluti vnica dictio. Erit ergo ſententia, *Dum probamur* ob blaſphemiam martyrij affinem, *nondum reprobamur*, id eſt, nondum vincimur, non reprobi efficimur, non deſertores: inde conſequenter: *Benedictio eſt nominis* Chriſtiani *maledictio*, &c.

225. 6. Sed idem alibi iubet, omnibus placere curemus, quemadmodum ego (inquit)
1. *Cor.* 10. omnibus per omnia placeo. Nimirum Saturnalia, & Calendas Ianuarias celebrans hominibus placebat: an modeſtia & patiẽtia, an grauitate, an humanitate, an integritate?

6. Obiicit contra ſe Apoſtolum, qui dicebat ſe omnibus placere, verbis illis. 1. Corinth. 10. *Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia omnibus placeo.* Soluit per irriſionem adiuncta interrogatione. Nunquid iſta Apoſtoli placendi omnibus benignitas extendi debuit ad ſollemnitates gentilicas? Abſit: tantùm placebat cumulo virtutum, quo erat præditus. Dabat videlicet ſe omnibus modeſtum, patientem, grauem, humanum, integrum.

7. Proinde cùm dicit, omnia omnibus factus ſum, vt Omnes lucrifaciam, nunquid idololatris idololatres, nunquid ethnicis ethnicus, nunquid ſecularibus ſecularis?

7. Clara hæc ſunt, & eò ſpectant, vt fideles Chriſtiani intelligant, non diſſimulandum & conniuendum cum Gentilibus. nam hoc eſſet fieri idololatrem cum idololatris, &c.

226. 8. Sed & ſi non prohibet nos conuerſari cum idololatris & adulteris & cæteris cri-
1. *Cor.* 5. minoſis, dicens, cæterùm de mundo exiſſetis: non vtique eas habenas conuerſationis immittit, vt quoniam neceſſe ſit & conuiuere nos, & commiſcere cum peccatoribus, ideo & cum eis peccare poſſimus.

8. Niſi Chriſtiani conuerſentur *cum idololatris* & peccatoribus, commigrandum eſſet illis in alium mundum, & exeundum de hoc, vt ait 1. Corinth. 5. Apoſtolus; ergo cùm idem permittit, vt cum illis conuerſemur, tantùm vult vt commune vitæ genus cum illis habeamus, non vt cum illis peccemus.

9. Ibi eſt commercium vitæ, quod Apoſtolus concedit: hîc peccare, quod nemo permittit. Licet conuiuere cum ethnicis, commori non licet. Conuiuamus cum omnibus, conlætemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis. Pares animaſumus, non diſciplina: compoſſeſſores mundi, non erroris.

9. Explicat quæ ſint illa, in quibus conuiuendum cum gentilibus, & in quibus non conuiuendum, ac perinde explicat mentem Apoſtoli. Illud *commori non licet*, eſt, commori per peccatum.

227. 10. Quòd ſi nobis nullum ius eſt cõmunionis in eiuſmodi cũ extraneis, quanto ſceleſtius eſt hæc inter fratres frequentare? Quis hoc ſuſtinere aut defendere poteſt?

10. Vrget. Si Chriſtiani non poſſunt cum Gentilibus communicare in eorum ſollemnitatibus, multò minùs Chriſtiani ipſi poterunt *frequentare* illas interſe. Quis ita amens, vt argumentis & pertinacia *ſuſtinere* queat & *defendere* rem hanc licitam eſſe Chriſtianis?

Isa. 1. 11. Iudæis dies suos festos exprobrat Spiritus sanctus. Sabbata (inquit) vestra, & neomenias, & ceremonias odit anima mea. Nobis quibus Sabbata extranea sunt, & neomenia, & feriæ à Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, & Ianuaria, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, cõuiuia constrepũt.

11. Primæ lineæ videntur ociosæ, nam argumento Tertulliani tantùm seruiunt illa, *Nobis quibus*, &c. Sed dici tamen possunt prima non otiosa, hoc sensu. Si adhuc ipsis Iudæis exprobrantur Sabbata à Deo ipso, qui illa instituit, scilicet propter abusum: si nobis quoque eadem Sabbata *extranea* sint, etiamsi aliquando dilecta à Deo, cur *frequentantur* Gentilica, videlicet *Saturnalia*, &c. quæ neque à Deo instituta, neque vnquam dilecta? Itaque duplici argumento vrgentur Christiani, qui defendunt dissimulandum cum Gentilium celebritatibus. Peculiaria harum sollemnitatum à Notis pendent.

228. 12. O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam sollemnitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecostem! Etiam si nossent, nobiscum non communicassent, timerent enim, ne Christiani viderentur. Nos, ne ethnici pronuntiemur, non veremur.

12. Hæc omnia plena emphaseon, & clarissima. Cùm ait, *Etiam si nossent*, &c. Soluit tacitam obiectionem. Dici enim posset, Non vendicant Gentiles nostra sollemnia, quia non noscunt. Ait Doctor: *Etiam si nossent*, non vendicarent, nam *timerent*, &c. Vide verò vt vrgeat ab impudentia. Nam *timerent* hoc loco est, vererentur, pudefierent. Nos *non veremur*, non pudescimus communicare cum Gentilibus, cùm illi timeant & vereantur nobiscum communicare. Illis est frons lenis, nobis os ferreum.

13. Si quid & carni indulgendum est, habes non dicam tuos dies tantùm, sed & plures. Nam ethnicis semel annuus dies quisque festus est, tibi octauo quoque die. Excerpe singulas sollemnitates nationum, & in ordinem texe, Pentecostem implere non poterunt.

13. *Carni indulgendum*, id est, si aliqua voluptas honesta, & recreatio captanda. *Nam ethnicis*, &c. Quia scilicet Gentiles semel tantùm in anno celebrãt suas sollemnitates, cùm tamen Christianis *octauo quoque die* recurrat celebritas Dominica. *Excerpe*, &c. Addit maiorem vim. Quin omnes sollemnitates Gentilicæ, si numerentur coniunctim, non habent tot dies, vt implere possint Pentecostem. Itaque dupliciter Christiani superant Gentiles, & quòd habeant dies festos recurrentes, & quòd plures numero. nam Pentecoste, id est, dies à resurrectione vsque ad spiritum sanctum, quæ vna est perpes & continua Christianorum celebritas, superat dierum numero festos dies Gentilium.

NOTÆ.

229. 1. INDVXERVNT ANIMO IGNOSCENDVM.] In vno ms. legitur, *Induxerunt animo id ignoscendum esse, si quando quæ ethnici faciunt*, &c.

1. NE NOMEN BLASPHEMETVR.] Ita infrà (notante Pamelio) *Nomen percutitur. & nomen lacessit*: &, *benedictio est nominis*.

2. BLASPHEMIA, QVÆ NOBIS DEVITANDA EST, &c.] De scandalo & actiuo & passiuo, quam rem hic attingit, videndi Doctores Theologici.

2. IVSTAM BLASPHEMIAM.] Nulla esse potest iusta, sed *iustam* ait respectu actiui scandali. Habent enim quodammodo Gentiles iustam causam, vt Christianum nomen flagellent, si viderint Christianum adulterum, &c.

2. MATERIA DIGNÆ QVERELÆ.] Legerem libenter, *Materia digna querelæ*.

3. VESTRI CAVSSA NOMEN MEVM BLASPHEMATVR.] Sumptum ab Isaiæ c. 52. vbi: *Hæc dicit Dominus, propter vos nomen meum semper blasphematur in Gentibus*. & inde Paul. 2. Roman.

230. 4. SCELESTIS SVFFRAGIIS.] Fauor suffragantis Circi non est alienus ab idololatria, imò in hac totus ille nititur. Inde signatè *sceleſtis*, nam *scelus* in sacris dicitur de idololatria, quod clarum adeunti inspiratas litteras. Ego hic tibi tantùm rationem aperiam, quia scilicet *scelus* propriè notat crimen sanguinis (de qua re iam ego in Ecl. 9. Virg.) atqui sacra gentiliũ tota sanguinea ab cæsis victimis. Inde extẽsio vocabuli ad res alias idololatricas, vt thus, vinum, &c.

5. IMÒ DVM SVMVS.] Iunius explicat, *Dum sumus in Circo*. Displicet vehementer. Id enim eo æuo non permissum Christianis, & rem hanc atroci verborum censura vnus Tertullianus vetat lib. de Spectac. Demum quàm esset friuolum, & plenum etiam imprudentiæ, Christianos irrumpere in Circum & in alia spectacula ad reprehendendam vanitatem Gentilium. Potior mea explicatio, tum quia euidens, tum quia statim, *Quæ me testatur esse Christianum*, quod idem est, atque illud, *Dum sumus Christiani*. q. d. dum sumus Christiani, blasphemetur in obseruatione Christianismi nostri.

5. OB BLASPHEMIAM.] In ms. *O blasphemiam*, &c. non placet.

5. QVÆ TVNC ME TESTATVR CHRISTIANVM, CVM PROPTEREA ME DETESTATVR.] Prætuli istam aliquorum lectionem vulgatæ huic Pamelianæ, *Quæ tunc me testatur Christianum, cùm propter eam detestatur*. Video ferri hanc posse. Sed vt feratur, deglutienda est enormitas orationis, est quippe enorme subaudiri *eam* blasphemiam. 231.

6. SATVRNALIA.] Quid de his ego in tanta Lipsij luce?

6. CALENDAS IANVARIAS.] Has crimine ἀσεβείας, id est *impietatis*, notat Ioann. Chrysost. orat. de Nouilun. Quo loci gentilium exorbitantias memorat, quas patrabant hoc die, scilicet Diabolicas pernoctationes, saltationes nocturnas, cauillationes, conuitia, comœdias, intemperantias. Vide alibi. Vbi & rationem reddit, cur hic dies in tanto cultu. νομίζουσι δὲ τῶν νομιζομένων τὰ μάλιστα τὰ τότε ὑπ' ἀνθρώπων ἐν εὐφροσύναις ἐπιτελούμενα, καὶ τὰ ἅπαντα τοιοῦτον ἄγειν ἐνιαυτόν: *Putant si nouilunium mensis huius cum voluptate & Letitia transigant, reliquum se annum sic transacturos*. Quippe Græci calendas suas ad Nouilunia referebant, nam ab his mensem inceptabant. Videatur can. 62. Synodi Trullanæ. & Ambros. serm. 17. vbi commemorat, quæ Christiani etiam his Calendis facerent, parum modestè.

232. 8. HABENAS CONVERSATIONIS IMMITTIT.] Manifesto errore in vulgatis omnibus legitur *immutat*. Dicuntur *habenæ immitti* cùm laxantur. Virg. lib. 6.

--- classique immittit habenas.

& lib. 5.

--- furit immissis Vulcanus habenis, & 12.

--- Irarúmque omnes effundit habenas.

Philostrat. in Proclo, πασιν αφιεις ἡνίας, *Habenas omnes laxans*. Nazianz. ὅλην ἐφιεσα τὴν ἡνίαν, *Omnes habenas permittens*. Plutarc. in Numa, τὰς ἡνίας ἀνεὶς, *Habenas indulgens*. Itaque tria verba posui, ἀνεὶς, ἀφεὶς, ἐφεὶς. Sequor etiam in lectione hac Ciaconium, Latinium, Iunium.

9. PARES ANIMA SVMVS.] Allusio aliqua ad illud Virg. 10. Æn.

--- totidem nobis animæque, manúsque.

quem locum vide vt illustrauerim.

233. 10. CVM EXTRANEIS.] Aspectat ad Pauli locutionem, qui 1. Corinth. 5. gentiles ait esse *foris*, & extranei quidem, qui foris sunt. Inde & lib. de Testim. Anim. de Gentilibus philosophis loquens ait, pulsari ab illis *veritatis fores*. quem locum vide. Inde esse *extra Ecclesiam*, & esse *foris* pro eodem accipit Concil. Carthag. quod celebratum sub Cornelio PP. verba Fortunati Episcopi in eo concilio sunt: *Quare qui extra Ecclesiam sunt, & contra Christum stantes, oues eius & greges sparguntˌ baptizari foris non possunt*. Cyrill. quoque Hierosolym. Cateches. 5. opponit Christianos τοῖς Ἕξωθεν.

10. FREQVENTARE.] Legi posset *frequentari*.

11. IANVARIÆ.] Subaudi, Calendæ de quibus iam sup. De harum celebritate Gentilica videatur Concil. 4. Tolet. cap. 10. Raban. etiam Maur. lib. de Pœnit. cap. 24. ex Concilio quodam vocat *iniquas obseruationes Calendarum*. Coripp. lib. 2. & 4.

Dona Calendarum.

11. BRVMÆ.] Dixi in cap. 10. huius operis.

11. MATRONALES.] Peragebantur Matronalia Calendis Martiis. Videndus Ouid. in Fast. Fiebant hæc & propter perpetuitatem coniugij, & propter sobolis incrementum.

234. 11. MVNERA COMMEANT, &c.] Locum hunc ita legit Iunius: *Munera commeant & strenæ, consonant lusus, conuiuia constrepunt*. Neque displicet. Possit aliquis inuenire concinnitatem Tertulliano, vt munera aspectent Saturnalia, strenæ Ianuarias Calendas, lusus Brumas, conuiuia ludos Matronales. De muneribus in Saturnalibus magna vbique mentio. Spart. in Adriano. *Saturnalitia & sigillaritia amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit*. Martial.

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt, meritò tumet Sabellus.

De strenis in Calendis Ianuariis auctor Sueton. c. 57. Augusti, vbi memorat, quibus honoribus Augustum Romani prosequerentur. Verba eius: *Item Calendis Ianuariis strenam in Capitolio etiam absenti, ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat*. De lusibus in Bruma aduoco Virg. 5. Ecl. vbi cantantes pastores inducit, & saltantes Satyros, videlicet.

Ante focum, si frigus erit.

Nam cur ista dici non queant cum allusione ad Romanas celebritates? Talia multa in Virg. Scio in Bruma mitti solita munera, vel ex illo Mart. lib. 8. epigram. 41.

Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quæ mediâ Brumæ mittere mense solet.

Sed ista nihil impediunt Tertullianicam concinnitatē, quam astruo in hac Nota. Restant conuiuia, quæ respiciunt ludos Matronales. Hoc iam Pamelius aperuit, aduocans illud Varronis: *Libum testuarium, quod in testa calida coquebatur, vt etiam nunc Matronalibus faciunt matronæ*. Scio hîc quoque mitti solere munera in Matronalibus, & ita à multis accipi illud Iuuen. Sat. 9.

Munera fœmineis tractas secreta Calendis,

Id est, Martiis Calendis, in quibus fiebant Matronalia. Necnon illud Mart. lib. 5.

Scis certè puto vestra iam venire
Saturnalia, Martias Calendas,
Tunc reddam tibi Galla quod dedisti.

Quibus ex locis Ræuard. lib. 3. Coniectan. cap. 4. illustrat verba ista Vlpiani: *Si vir vxori munus immodicum Calendis Martiis, aut natali die dedisset, donatio est*. Hæc quamuis se ita habeant, non muto combinationes, quas astruxi, vt scilicet dixerit munera propter Saturnalia, strenas propter Calendas, lusus propter Brumam, conuiuia propter Matronalia.

11. STRENÆ.] Dixi iam cap. 10.

11. CONVIVIA CONSTREPVNT.] Hæc 235. nota conuiuiorum Gentilium. Apul. Apol. *Triclinium comessatoribus inquietum*. Nazianz. orat. 33. conuiuio dat φλυαρίαν. De conuiuiis Medorum Xenoph. l. 4. παιδ. ἔπινον καὶ ἐθορύβουν. Ammian. lib. 18. *conuiuij strepitum*. Hæc ego latiùs 1. Æn. ad illud de conuiuio Didonis,

Fit strepitus tectis.

Hac nota dixit Zeno Veronens. serm. 8. de Exodo: *Quis non intelligat, fratres, illud Pascha non esse, sed bramosum latronis cruenti conuiuium*. id est inquietum, & plenum strepitibus, fremitibus, mugitibus. βρυάομαι enim Græcis est, *irascor, clamo, mugio*, vt solet maris vnda. Sed cur signatè de conuiuiis dicatur *strepitus*, video posse explicari ab Clemente lib. 2. Pæd. c. 1. vbi cùm doceat non esse loquendum in conuiuio, adhibet hāc rationem. ἀπρεπὴς γὰρ καὶ ἄκομψος ἡ φωνὴ γίνεται, πλήρεσι τοῖς γνάθοις κενοχωρουμένη. καὶ γλῶσσα τῇ τροφῇ παχυνομένη τῆς κατὰ φύσιν ἐνεργείας παρεμποδίζεται τῷ ἀναφορέα ἐκ διδυσι πεφιλημένῳ: *Fit vox indecora, & non satis significans atque expressa, vt quæ plenis maxillis in angustum coercetur: & lingua quæ nutrimento premitur, à naturali operatione præpedita, obscuram & oppressam quasi edit vocem*. Quæ verba satis indicant describi à Clemente non sermonem conuiuij sed strepitum, quia locutio non formata: & quia à multis, ideo constrepitus. Tanti est hoc præceptum vt dicat Cassian. lib. 4. cap. 17. institutam in refectionibus fratrum lectionem, *Non tam spiritualis exercitationis causſa, quàm compescendæ superfluæ ociosaque confabulationis gratia, & maximè contentionum quæ plerumque solent in conuiuiis generari*.

12. DOMINICVM DIEM.] Vide Pamelium 236. in epist. 33. Cypriani. Etenim Dominica dies instituta iam inde à tempore Apostolorum, vel ex illo Ioann. in Apocal. *Fui in spiritu Dominica die*. Consule interpretes Apocalypseos. Nec te turbet Eusebius qui lib. 4. de vita Constant. cap. 18. & 23. ait iussum lege à Constantino Magno, Imperium totum Romanum σχολὴν ἄγειν τῶν ἐπωνύμων τῆς Σωτῆρος ἡμέρας: *Ab omni opere feriari diebus nuncupatis à nomine Seruatoris*, id est, Dominicis. Non enim inde sequitur tunc primùm hos dies cœptos haberi in feriis. Sed princeps iussit propagari in omne imperium, quod Christiani ante illum tenebant. Ait Ioann. Chrysost. Homil. 5. de Resurrectione, hunc diem triplici numine fuisse insignitum, dictus enim *Dies Dominicus, Dies Panis, Dies Lucis*. Rationes in ipso habes. Ab Gentilibus dictus est *Dies Solis*. Vide & Eusebium laudato lib. cap. 19. vbi diem Dominicum vocat etiam ἡμέραν φωτὸς καὶ ἡλίου, *Diem lucis & Solis*. & σωτήριον, *salutarem*. Addit Salmeron hac die Christum natum, &

ideo dictum Dominicum. vide illum tom. 1. Prolog. 38.

12. PENTECOSTEM.] Notetur hic locus diligentissimè, illo enim astrui potest spatium illud inter vtramque Pascham in primitiua Ecclesia fuisse sollemne, feriatum, & festiuum. Et quidem de toto spatio intelligendum Tertullianum ex sequentibus liquidò apparet. Indicat hoc quoque Ambros. serm. 61. *Per hos quinquaginta dies nobis est iugis, & continuata festiuitas, ita vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Dominum genibus succidamus.* Attribuitur sermo hic Maximo Episcopo Taurinensi. Hoc idem indicat verba ista Eusebij lib. 4. de vita Constantini cap. 64. *Hæc sigillatim gesta & consummata sunt maxima illa celebritate venerandæ & sacratæ Pentecostes, quæ septem continuas hebdomadas omnibus honoribus decorata, ad extremum vnitatis numero consignata est: quo tempore sacræ litteræ testantur, & communis nostri Seruatoris in cœlos ascensum, & sancti ad homines spiritus descensum accidisse.* Quæ verba videntur indicare vnam continuam celebritatem. Et postea loquens de toto hoc tempore, ait signatissimè ἑορτὴν ἑορτῶν. Ait scilicet esse *celebritatem celebritatum* omnium principem & maximam. Adduco & historiam, quæ est apud Aldhelmum lib. de Virgin. c. 21. Vbi loquens de sanctissimo viro Apollonio Archimandrita, ita ait: *Tempore quodam, cùm sacrum ante Paschalis sollemnitas spelæum celebraretur, & plures ad viri Dei speluncam, velut examen ad alueārium, pro festiuitate frequentanda certatim glomerarentur, qua peracta solitæ frugalitatis dapibus saginantur, id est, siccis & pauculis paxum crustulis & sale aspersis olerum saliculis, tum fusis precibus Dei patrocinium fideliter implorant, & dicto citius pro foribus vestibulo tantas deliciarum affluentias (gerulis quos nunquam nouerant gestantibus) solita pietate Christus famelicis suis tam vbertim contulit, vt vsque ad Pentecostem, quæ septenis hebdomadarum curriculis calculatur, diuinitus allata epularum stipe quotidie affatim pascerentur.* Hæc historia planè indicat Christianos in eam speluncam congregatos, vt cum viro Dei septem integris hebdomadis feriarentur in Pascharum sollemnibus; cui pietati Deus patrocinium cœleste contulit alens illos diuinitus per tot dies. Videtur quoque id elici ex Can. 20. Concilij Nicæni coniungentis cum die Dominica omnes dies Pentecostes, in quibus decernit habendam orationem à fidelibus stantibus, non flexis genu. Cùm enim hos dies coniungat cum Dominicis, videntur omnes fuisse paris celebritatis. Sed quidem Paschalem saltem totam hebdomadam fuisse olim feriando transactam, iam Rhenan. notauit in lib. de Corona Milit. aitque, hoc præcepisse in suis Regnis Carolum Magnum, Ludouicum, & Lotharium in legibus de feriarum obseruationibus. & clarè extat can. 68. Trullan. Synodi, vbi præcipitur vt tota illa hebdomada feriata sit. In quem locum videatur Balsamon, atque etiam Berno de rebus ad Missam spectantibus. Habeo & ex his morem alium, scilicet in primitiua Ecclesia tantùm fuisse sollemne & hoc tempus, & dies omnes Dominicas, ac nondum institutas celebritates Sanctorum, quæ nunc in Ecclesia peraguntur; meminisset enim Tertullianus. Ab æuo tamen Constantini cœptæ sunt celebrari dies martyrum, & aliæ sollemnitates, vt in eius vita scribit Eusebius lib. 4. c. 23. Inde ergo nulla mentio ieiuniorum in celebritatibus Sanctorum, tantùm, in celebritatibus Domini. Philastrius de Hæresib. *Per annum quatuor ieiunia in Ecclesiis celebrantur, in Natali primùm, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste.* Hîc obiter scias olim in Ecclesia toti tempori Pentecostæ opponi directè totum quadragesimale, in quo nullæ festiuitates, cùm cœptæ illæ peragi, adeo vt Sanctorum natalitia per id temporis non celebrarentur. Scribit enim Radulphus in obseruation. cap. 16. hac vna caussa sollemnitatem Gregorij Magni translatam olim in diem qua fuerat ordinatus. Vide Baronium in Notis ad Martyrolog.

237. 238.

12. ETIAM SI NOSSENT, NOBISCVM NON COMMVNICASSENT.] Quasi è contrario dicat, Christiani non gaudeant cum Gentilibus, sed secum. Alexander Episcop. Alexandrinus in epist. quæ præcedit Nicænam Synodum, ἢ συμπάσχωμεν, ἢ συχαίρωμεν ἀλλήλοις: *Nos inter nos vel patiamur vnà, vel lætemur vnà.* Notat scilicet neque in tristibus, neque in lætis communicandum cum extraneis ab Ecclesia, & adducit exemplum membrorum vnius corporis. Est hoc, quod suprà Tertull. cap. 13. *Gaudere cum gaudentibus, & lugere cum lugentibus, de fratribus dictum est ab Apostolo.* Huc pertinent verba Rabani Mauri lib. de Pœnit. cap. 24. vbi: *In Concilio Laudicensi capite trigesimo nono scriptum est de his Christianis, qui celebrant festa Gentilium, quòd non oporteat cum Gentilibus festa celebrare, & communicare prauitatibus eorum qui sine Deo sunt.* 239.

13. HABES NON DICAM TVOS DIES TANTVM.] Secutus sum lectionem communem, nam Ciaconius, qui voluit *suos*, pro, tuos, errauit: est enim contra mentem auctoris, qui prohibet Christianis dies festos ethnicorum, & sic non possunt esse *sui*. Dicit ergo *tuos*, id est, proprios & Christianos, & quidem plures, quàm illi habent, in quibus possis honestè & sine periculo idololatriæ, tibi indulgere.

13. TIBI OCTAVO QVOQVE DIE.] Corrigit Vvoueren. ex ms. *Tibi octauus quisque dies.* Non displicet. Sed & qui vulgarem lectionem sequuntur, possint corrigere, *Tibi octauo quoque die.* Vt verò hîc ait Dominicum diem destinatum induigentiæ carnis, ita Apolog. c. 16. *Diem Solis lætitiæ indulgemus.* Quem locum vide.

13. IN ORDINEM TEXE. [Ad oram libri Barræi scriptum, *In ordinem exere.*

CAP. XV. ARGVMENTVM.

Vetat accendi lucernas in foribus, & lauros in postibus poni in celebritatibus Cæsarum, quia origo huius sollemnitatis nata ab idololatria.

TERTVLLIANVS.

240. Matth. 5.

1. SED luceant, inquit, opera vestra. At nunc luceant tabernæ & ianuæ nostræ. Plures iam inuenies ethnicorum fores sine lucernis & laureis, quàm Christianorum.

1 FACTVRVS verba de lucernis & laureis, quas abnuit à foribus Christianorum, incipit hoc exordio. *Sed luceant, inquit, opera vestra.* Id est. Inquit is, qui dissimulandum censet ignoscendúmque sacris Gentilium, dixisse Christum, *Luceant opera vestra.* Ita ego capio verbum *inquit*, quia infrà eodem sensu *inquis.* Sed referri quoque possit ad Christum, hoc sensu: Aiunt illi, qui defendunt sacra Gentilium, Christo, *inquit*, *luceant*, &c. vt velis. Pergit Doctor & respondet. *At nunc luceant tabernæ & ianuæ nostræ.* Adiuuanda hæc gestu, vt sint viuida. Quasi respondeat Tertullianus interrogans, Quia scriptum, *luceant opera vestra*, inde est vt *luceant tabernæ & ianuæ nostræ* mero Gentilismo? Apagite fideles, neque enim istud ex illo sequitur. *Plures iam*, &c. q. d. Imò iam superatis ipsos Gentiles.

241. 2. De ista quoque specie quid videtur? Si idoli honor est, sine dubio idoli honor idololatria est. Si hominis caussa est, recogitemus omnem idololatriam, in homines esse culturam, cùm ipsos Deos nationum homines retro fuisse, etiam apud suos constet. Itaque nihil interest superioris, an huius seculi viris superstitio ista præstetur. Idololatria non propter personas quæ opponuntur, sed propter officia ista damnata est, quæ ad dæmones pertinent?

2. Post exordium ait, quæri posse, *Quid videatur de ista specie*, & sollemnitate Gentilica? Respondet, esse verè idololatricam, modò fiat in honorem *idoli*, modò in honorem viuentis principis, nam semper homini religio ista impenditur, siue mortuo, nam hoc est idolum, siue viuo. & reddit rationem, quia *idololatria*, non tam respicit *personas* humanas, quàm dæmonas, & ideo illa damnata. Quicquid enim siue idolo, siue viuenti præstas, id totum redundat in auctores huius vanitatis dæmonas. Est *retro*, priùs. Illud *in homines*, id est, erga homines.

242. 3. Reddenda sunt Cæsari quæ sunt Cæsaris. Bene quod apposuit, & quæ sunt Dei Deo. Quæ ergo sunt Cæsaris? scilicet de quibus tunc consultatio mouebatur, præstandúsne esset census Cæsari, an non? ideo & monetam ostendi sibi Dominus postulauit, & de imagine cuius esset, requisiuit. Et cùm audisset, Cæsaris: Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, id est, imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est; & imaginem Dei Deo, quæ in homine est: vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. Alioquin quid erit Dei, si omnia Cæsaris?

Matth. 22. Luc. 1.

3. Ex verbis Christi his, *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris*, argutabantur Christiani constituendas lucernas & laureas in ianuis, quia fiebant sollemnia ista in honorem Cæsaris. Soluit hanc obiectionem, quia ibi quoque additum, *Reddite quæ sunt Dei, Deo.* Mox explicat sententiam Christi, ita vt *reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, debeant capi de nummo, in quo imago Cæsaris: at verò illa, *Reddite quæ sunt Dei, Deo*, de homine, in quo est imago Dei. Itaque tu homo eo modo es Dei, quia eius imago; quo nummus est principis, quia eius imago. Vide ergo ne detritus sis, ne derasus, & imminutus, nam hanc monetam Deus non agnoscet. Illud, *Vt Cæsari quidem pecuniam, Deo temetipsum*, ita explica. Permitto tibi vt *reddas pecuniam Cæsari*, dum *temetipsum Deo.*

243. 4. Ergo, inquis, honor Dei est, lucernæ pro foribus, & laurus in postibus.

4. Obiectio. *Inquis*, id est, obiicis mihi tu fidelis, qui lucernas has defendis, estne hic Dei honor, vt non possit præstari alteri? Quasi dicat hic obiector: Non certè in hac re positus Dei cultus, ac perinde nihil vetat dari illum alteri.

5. Non vtique quòd Dei honor est, sed quòd eius qui pro eo huiusmodi officiis honoratur, quantum in manifesto est, salua operatione, quæ est in occulto, ad dæmonia perueniens.

5. Soluit obiectionem. Non tibi veto has *lucernas in foribus, & laureas in postibus*, quia in illis positus sit Dei veri cultus; sed quia eius qui pro Deo habetur; & hic cultus omnino redundat in Dæmonas, quantum externis signis intelligi potest: nam conscientiam intentionémque mitto, quæ *in occulto est*, hæc enim conscientia est *operatio.*

244. 6. Certi enim esse debemus, si quos latet per ignorantiam litteraturæ secularis, etiam ostiorum Deos apud Romanos, Cardeam à cardinibus appellatam, & Forculum à foribus, & Limentinum à limine, & ipsum Ianum à ianua: & vtique scimus licèt nomina inania atque conficta sint, cùm tamen in superstitionem deducuntur, rapere ad se Dæmonia & omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum. Alioquin & Dæmonia nullum habent nomen singulatim, sed ibi nomen inueniunt, vbi & pignus.

6. *Certi enim*, &c. Explicat hic tractus superiorem, aperítque ignoranti Christiano secularem doctrinam, vt ita instructus sciat dare se cultum his, qui pro Deo *huiusmodi officiis honorantur.* De his porrò Diis Gentilium in Notis. *Et vtique scimus*, &c. Hic cultus necessariò redundat in honorem Dæmonum:

nam Dij illi falsi nullibi sunt gentium, & tantùm *inania* & ficta vocabula. Cùm ergo ad exsistentem aliquem debeat pervenire ille honor, certè ad Dæmonem, qui verè exsistit. Illud *per consecrationis obligamentum*, est, cum sollemni forma & ritu. Limen v. g. consecratur Limentino, fit perinde vt Gentiles ligent ibi obligéntque dæmonem ex vi superstitionis, nam nomen tantùm Limentini inualidum esset ad hoc, vtpote confictum. *Alioquin & dæmonia.* Dæmon non est nomen singulare, sed generale omnium, fit tamen vt nomen sortiatur ab ea parte, *vbi* habet *pignus*. Quia scilicet Limentinus non est aliud, quàm Dæmon Limentinus, id est, Dæmon præsidens limini, à quo limine nomen inuenit, quia ibi habet pignus. Ita de aliis.

245. 7. Etiam apud Græcos Apollinem Θυραῖον, & Antelios dæmonas ostiorum præsides legimus.

7. Puto sententiam esse, Latinos hausisse à Græcis similem vanitatem, vt à magistris. Apollo Θυραῖος, est qui præsidet θύραις, id est, *ianuis, foribus*. Sic & *Antelij*. Sed hoc in Notis.

8. Hæc igitur ab initio præuidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionem ventura præcecinit per antiquissimum prophetam Enoch. Nam & alia ostia in balneis adorari videmus.

8. Cùm ex doctrina Latinorum & Græcorum ostenderit varios deos præsides forium, ait nunc id iam olim ab Spiritu sancto prædiuinatum, idque ore Enochi antiquissimi prophetarum. *Nam & alia ostia* q. d. vide an verè Enochus prophetauerit hanc vanitatem, cùm etiam ostiis balneorum Dij quoque præsideant, vnde fit vt ostia illa adorentur. Illud *alia* refert Iunius, quasi ad discrimen communium ostiorum. Nam hæc in publico & subdio: sed ostia balneorum alia, nam non sub dio, nec in publico, sed in recessu & secreto, vt ait Vitruuius.

246. 9. Si autem eorum sunt quæ in ostiis adornentur, ad eos & lucernæ & lauræ pertinebunt. Idolo feceris quicquid ostio feceris.

9. Memineris Lector, dixisse Tertull. suprà num. 5. *Lucernas & laureas esse eius qui pro Deo huiusmodi officiis honoratur.* Ergo cùm iam ostenderit num. 6. & 7. hanc turbam Deorum, qui his officiis honorantur, rectè nunc concludit, ad eos pertinere hæc lucernarũ & laurearum officia. Ergo ait: *Si quæ adornantur in ostiis* sunt horum Deorum, liquet perinde *lucernas & laureas* esse eorumdem, & ideo quam rem sacram *ostio* facis, *idolo* facis præsidenti illi ostio.

247. 10. Hoc in loco ex auctoritate quoque Dei contestor, quia nec tutum est subtrahere quodcunque vni fuerit ostensum, vtique omnium caussa. Scio fratrem per visionem eadem nocte castigatum grauiter, quòd ianuam eius subitò annuntiatis gaudiis publicis serui coronassent. Et tamen non ipse coronauerat aut præceperat (nam antè processerat) & regressus deprehenderat factum. Adeo apud Dominum in huiusmodi etiam disciplina familiæ nostræ æstimatur.

10. *Hoc in loco*, id est, hoc articulo quæstionis, ad hanc difficultatem enodandam. *Ex auctoritate quoque Dei contestor*, id est: volo probare hoc ipsum *auctoritate Dei*, volo vt Dei auctoritas contestis sit mihi. *Quia nec tutum est*, &c. id est: *Non est tutum* celare, *quod vni fuerit ostensum*, quia ostenditur *caussa* multorum. *Scio fratrem*, &c. Notent modestiam hanc liberi concionatores, qui feruore dicendi notant & nominant personas, quod non debent: quando acritudo Tertullianica se continet. Sed redeo ad viam. *Annuntiatis gaudiis publicis*, vt solet plerumque fieri ob victoriam principum, vel ob rem aliam. *Processerat*, domo exierat: non enim hîc opus est ad rem aliam recurrere. *Adeo apud Dominum*, &c. grauis sententia, & digna quæ hæreat, disciplina enim seruorum curæ esse debet dominis. *Disciplina* est in recto: quæ *æstimatur in* rebus *huiusmodi* apud Deum.

248. Rom. 13. 11. Igitur quod attinet ad honores Regum vel Imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundùm Apostoli præceptum, subditos magistratibus & principibus & potestatibus. Sed intra limites disciplinæ, quo vsque ab idololatria separamur.

11. Posset aliquis rogare ab Tertulliano, quinam cultus dandus principibus? Respondet hoc iam præscriptum ab Apostolo cap. 13. epist. ad Rom. Clara omnia.

Dan. 3. 12. Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui aliàs obsequentes erga Regem Nabuchodonosor, honorem imaginis eius constantissimè respuerint, probantes idololatriam esse quicquid vltra humani honoris modum ad instar diuinæ sublimitatis extollitur. Sic & Daniel cætera Dario subnixus, tamdiu fuit in officio, quamdiu à periculo disciplinæ vacaret. Nam id ne subiret, non magis leones Dan. 6. regios timuit, quàm illi regios ignes.

12. Præcesserat, colendos Reges *intra limites* tantùm *disciplinæ*: firmat hoc iam exemplo trium puerorum, & Danielis. Totus cursus clarus est. *Probantes*, id est, confirmantes. *Cætera Dario subnixus*, erga cætera Dario obediens.

249. 13. Accendant igitur quotidie lucernas, quibus lux nulla est; adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent: illis competunt & testimonia tenebrarum, & auspicia pœnarum. Tu lumen es mundi, & arbor virens semper.

Matth. 5. Psal. 1.

13. Præclara hæc. *Quibus lux nulla est*, Euangelij. *Ignes imminent*, subaudi inferni. *Illis competunt & testimonia tenebrarum*, quia scilicet illi accendunt lucernas *quibus lux est nulla*. Nam eo ipso quòd illas accendunt, testimonium dant carere se luce. *Et auspicia pœnarum*, quia laurus arsuræ sunt auspicia misera pœnæ subterraneæ ignis perpetui. *Tu lumen es mundi*, non vt illi, quibus lux nulla. *Et arbor virens*, non vt laurus Gentilium arsura postmodum.

250. 14. Si templis renuntiasti, ne feceris templum, ianuam tuam. Minùs dixi. Si lupanaribus renuntiasti, ne indueris domi tuæ faciem noui lupanaris.

14. *Templis*, gentilicis. *Minùs dixi*, parum dixi, minùs dixi quàm poteram, corrigam me. *Si lupanaribus renuntiasti*, &c. Duplex sensus. *Si renuntiasti templis* Gentilium, quæ veriùs dici possunt lupanaria, *ne*, &c. vel accipi possunt vera lupanaria, nam in baptismo renuntiamus rebus omnibus Diabolicis, ac perinde etiam luxuriæ & voluptuosis illecebris. Ergo, *si* veris *lupanaribus renuntiasti, ne*, &c. Ne *indueris*, quippe lupanaria & floribus coronabantur, & in eorum ianuis lucernæ accendebantur.

NOTÆ.

251. 1. SED LVCEANT, INQVIT, OPERA VESTRA.] Ita scripsit, cùm tamen in Matthæo legatur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

1. AT NVNC LVCEANT TABERNÆ, &c.] Explicui hærens textui, sed legi possit, *lucent*, sensu quoque luculentissimo, & qui satis clarus. Cæterùm Ioannes etiam Chrysost. orat. de Nouilun. reprehendit in celebritatibus Gentilium lucernas accendere, λύχνους ἅπτειν & ianuas domus coronare, πλὴν θύρας τῆς οἰκίας στεφανῶσαι. in Concil. Eliberitano leges cap. 37. *Prohibendum etiam, ne lucernas publicè accendant.* Mos hic in auctoribus gentilibus satis est notus. Quis ignorat illud Iuuenal.

Orneutur postes & grandi Ianua lauro.

Idem Sat. 12. ex correctione Lipsij,

--- longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

Et Satyr. 9.

--- foribus suspende coronas
--- Iam pater es.

Non dubium quin huc alluserit Stat. 2. Theba.

--- fractisque obtendunt limina syluis.

Videatur Themistius Euphrada orat. 13. per initia, vbi de celebritate, qua Mineruam colunt Ægyptij, inter alia, καὶ λύχνα ἀναχύσεων, *lucernas accendunt*, scilicet in templis. Sed scias obiter vsum lucernarum receptum posteà in Ecclesiam, vt scilicet mos Gentilicus in bonum conuerteretur, sicut multi alij. Videatur Euseb. l. 4. de vita Constantini c. 22. vbi is princeps nocturnum Paschæ peruigilium clarissimum fecit accensis facibus, cereis, igneisque lampadibus, scilicet, ὡς λαμπάδας ἡμέρας τηλαυγεστέραν τῇ μυστικῇ διανυκτέρευσιν ἀποτελεῖσθαι: *Vt illa mystica pernoctatio longè clarior redderetur.* Clarior videlicet sole ipso.

252. 1. LAVREIS.] De hoc more Gentilico alibi copiosiùs. Hic affero Rabanum Maurum lib. de Pœnit. c. 24. vbi ex Concilio quodam: *Non liceat lauro, aut viriditate arborum circuire domos. Omnis hæc obseruatio Paganismi est.* Attingit Corippus lib. 3.

Exornant postes, & arundine limina comunt.

& lib. 4.

--- primordia fertilis anni
Ferre domum gaudent, postesque & limina comunt.

2. SINE DVBIO IDOLI HONOR IDOLOLATRIA EST.] Non dubium quin verba ista *idoli honor* abesse hinc possint sine sententiæ incommodo. Puto addita imprudenter.

2. RECOGITEMVS OMNEM IDOLOLATRIAM IN HOMINES, ESSE CVLTVRAM.] Hoc argumentum tractat etiam Tertull. in Apolog. & August. lib. 8. de Ciuit. & Cyprian. lib. Quòd idola non sint Dij. Auctores istos aduocat Pamelius, plures Barræus, videlicet Lactantium lib. 1. c. 15. & 18. Clementem in Recognit. lib. 10. Athanasium orat. contra idola, Eusebium lib. 5. de Præp. cap. 9. & Augustini loca plurima.

253. 2. PERSONAS QVÆ OPPONVNTVR.] Ita scripsi secutus Codicem Pamelij, imò veritatem, non *apponuntur*, vt vult Latinius, & approbat Iunius. Itaque (opponuntur) est, non propter personas, quæ differunt inter se oppositione quadam, quod modò dixit, *Itaque nihil interest superioris, an humilis seculi viris superstitio ista præstetur.* Ex hoc apparet neque Latinio, neque Iunio, intellectus Tertullianus.

2. SED PROPTER, &c.] Est hoc quod scripsit cap. 13. *Vt ad eosdem spiritus immundos pertinentis.* Itaque tota ratio, cur honores isti damnentur, quia verè pertinent ad dæmonas. Sic & inf. in hoc cap. *ad dæmonia perueniens.*

3. BENE QVOD APPOSVIT.] Ita sup. cap. 5. *Bene quod idem Deus*, &c. & c. 23. *Bene quòd in animo & conscientia delinqui Dominus dixit.*

3. ET QVÆ SVNT DEI DEO.] Notetur explicatio ista Tertulliani plena acuminis, quam rimatur ex verbis Christi. Vt enim nummus dandus Cæsari, quia nummus imago est Cæsaris: sic homo dandus Deo, quia homo est imago Dei.

5. HONORATVR.] Scripsi *honoratur, quantum* interposita distinctione, vt ita plena sit sententia; nec pendeat quod necesse est, si illam adimas. Est enim plenum, *quantum in manifesto est perueniens ad dæmonia.*

254. 6. OSTIORVM DEOS APVD ROMANOS, &c.] Ita in lib. de Cor. Mil. *At enim Christianus nec ianuam suam laureis infamabit, si norit quantos Deos etiam ostiis Diabolus adfinxerit.* & aduers. Gnostic. *Quas mihi potestates ianitrices affirmas iuxta Romanam superstitionem.* August. lib. de Ciuit. *Vnum quisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit; tres Deos isti posuerunt*, &c. Ad eosdem Deos referas plurimas superstitiones Gentilium. Vt cùm noua nupta ingrediens viri domum, tollebatur, ne limen calcaret, nimirum quia ibi Deus. Item aduersum omen illius qui ad limen offendisset, scilicet quia egrediebatur irato Deo, qui ad limen. Item oscula, quæ dabantur liminibus ostiorum, quia ita salutabantur Dij præsides ostiorum. Omitto multas.

6. CARDEAM A CARDINIBVS APPELLATAM.] Iunius censet legendum, *appellatum*, quia Cardea Deus est cardinum, & quia Tertull. aduersus Gnostic. *Cardum* nominat. Sed nihil mutandum. Meminit Cardeæ August. dicto loco, & Cyprian. lib. de idolorum Vanit. Ouidius *Carnam* vocat lib. 6. Fast.

Prima dies tibi Carna datur, Dea Cardinis hæc est,
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Alij Cardineam vocant: quod tamen nondum vidi in locuplete Auctore. Non malè iudicio meo legeretur in Ouid.

Prima dies tibi Carda datur.

6. FORCVLVM A FORIBVS.] Rescribunt
255. aliqui *Foriculum*. Sed cum Tertulliani vulgari lectione consentiunt August. & Cyprian. dictis locis, qui constanter legant *Forculum*.

6. LIMENTINVM A LIMINE.] Huius Dei mentio non solùm in Cypriano, sed etiam in Augustino de Ciuit. lib. 4. cap. 8. *Tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini.* Arnob. lib. 1. vbi *Limentinos* legendum, non *Libentinos*, & lib. 4. vbi *Limentinum præsidem liminum*, & paulò sup. *Quis Limentinum, quis Lunam custodiam liminum gerere, & ianitorum officia sustinere*, &c. Hæc est lectio vetus Arnobij, vbi aliqui rescribunt *Limam*, alij *Ianum*, aut *Ianem*. Ego *Lunam* defendo ex conformitate cum Apolline Thyræo, de quo postea.

6. IANVM A IANVA.] De hoc iam ego in Æn. ait, *ipsum*, δεικτικῶς, addo & ἐμφατικωτέρως, quia Deorum omnium, qui præsunt liminibus, Ianus ipse princeps est.

256. 6. NOMINA INANIA.] Nazianzenus orat. 1. vocat ψιλὰ τὰ ὀνόματα, *nuda nomina* ibidem, ὄνομα κενὸν ἱερεύς, *Inane nomen Sacerdos*, scilicet cùm est absque charitate: & Persius de his, qui condendo carmine, aut soluta oratione, ineptè eruditionis nomen captant, & à vera laude aberrant, dixit:

O quantum est in rebus inane.

Iulius Firmicus de errore profanæ religionis cap. 29. *Deos istos aut monetæ ignis, aut metallorum flamma coquat.*

6. PER CONSECRATIONIS OBLIGAMENTVM.] Vsitatus hic modus dæmoniacæ Magiæ, vt videlicet dæmones illigarentur, obligarentúrque esse in loco aliquo, & inde fit, vt dicantur esse obligati illigatique alicui rei faciendæ. Ergo dicit nunc esse illigatos Limini, Cardini, Ianuæ.

257. 7. APOLLINEM ΘΥΡΑΙΟΝ.] In nonnullis scribitur Latinis Characteribus *Apollinem Thyræum*. Fuit Apollo præses portarum, videlicet quia per illas aditus est luci in domum, inde Θυραῖος dictus, nam Græcis θύρα est *ianua*. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 9. hanc adhibet rationem. *Etenim, sicut Nigidius quoque refert, apud Græcos Apollo colitur, qui Θυραῖος vocatur, eiúsque aras ante fores suas celebrant, ipsum exitus & introitus demonstrantes potem.* Huc pertinent verba Scholiastæ Sophoc. in Elect. Cùm enim Phœbum *Prostaterium* vocet Sophoc. Scholiastes ait, προστάτης, ὅτι πρὸ τῶν θυρῶν ἵδρυται: *Prostaterie, quoniam ante fores statuitur.* & Aristides Hymno ad Mineru. meminit Apollinis προπυλαίου, id est, *qui ante fores.* & quidem Phœbum olim depictum in foribus, videtur effici ex verbis Arnobij lib. 6. *Ecce si aliquis, vobis nescientibus & ignaris, Rex vrbanus & callidus ex foribus suis Solem tollat, & in Mercurij transferat sedem*, &c. His defenditur lectio vetus eiusdem Arnobij lib. 4. quam suprà dedi. Vt enim Apollo præses forium, ita & Luna: eædem enim vtriusque rationes.

258. 7. ANTELIOS DÆMONAS.] Sunt hi præsides ostiorum dicti ab αὐτὴ ἠλίου, sic enim Græci vocabant statuas Deorum subdiales, vt quæ essent Soli expositæ. Hesychius, Ἀντήλιοι θεοί, οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρυμένοι: *Dij Antelij qui ante portas locati.* Iterum, Ἀντήλιος, ὁ αὐτόκρυ ἡλίου ἱδρυμένος βωμὸς, ἢ θεός. Ait scilicet aut altare, aut Deum positum Soli è regione, dici Antelium. Aliqui aspirant, Ἀνθήλιος.

8. ENOCH.] De hoc iam suprà ad cap. 4.

9. ADORNENTVR.] Ita rescripsi, secutus Iunium, quia ita melius expediendo Auctori. In vulgat. omnibus legitur, *adorentur.*

10. CASTIGATVM.] Ioann. Chrysost. ait incurrere in culpam eum hominem, qui permittat suos famulos (οἰκέτας ille nominat) celebrare Gentilium Nouilunia. videatur Clemens Alex. lib. 3. Pædag. c. 11. vbi attingit qua cura debeant ancillæ σωφρονίζεσθαι πρὸς τῶν δεσποινῶν: *Castigari ab heris.* & addit rationem, διὰ τὸ ἐπὶ πλεῖον δεσποίνας ἀκολασίαν: *In dominam enim retorquetur ancillæ intemperantia.*

10. GAVDIIS PVBLICIS.] Sunt hæc, quæ habebantur in populo publica re bene gesta. Ita Sueton. Calig. dies Saturnalitios vocat *lætitiam publicam.*

10. DEPREHENDERAT FACTVM.] Ita 259.
melius, quàm vt in vulgatis *reprehenderat.* Verum est augeri vim sententiæ si legas *reprehenderat*, nam castigatus etiam si reprehensor. Sed tamen non placet, nisi, malis legere duplici voce *re* & *prehendere*, ita vt dicat re factum prehenderat.

10. FAMILIÆ NOSTRÆ.] Doctè: nam præcessit sermo de seruis, & hi dicti propriè *familia.* quod alibi firmo, scilicet c. 11. huius operis.

11. MAGISTRATIBVS.] Aptè. quippe *magistratus* commune fuit nomen. Festus: *Magistrare, regere & temperare est: vnde magistri non solùm doctores artium, sed & pagorum, societatum, vicorum, colloquiorum, equitum dicuntur: quia omnes hi cæteris magis possunt. Vnde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quàm priuati.* Spartianus in Adriano: *Ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans.* Seneca epist. 15. *Accedunt pessimæ notæ mancipia in magistratum recepta.*

12. RESPVERINT.] Signatè, nam alludit ad morem fidelium. Vide suprà ad cap. 11.

12. A PERICVLO DISCIPLINÆ.] Rescribit Iunius *disciplina.*

13. AVSPICIA POENARVM.] Par locus l. de Cult. Femin. cap. 6. *Malè ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite.* & lib. 1. ad vxor. cap. 6. *Auspicia pœnæ suæ*, &c. ita & Hieronym. ad Lætam: *Nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* Tale quid Zeno Veronens. serm. in Exodo: loquens enim de auspiciis sinistris populi Israëlitici, ait: *Columna nubis te perduxit per diem, vt ostenderet cæcum; ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum.*

14. TEMPLIS.] Semper hic scriptor *templa* 260.
accipit de gentilismo. Ambros. in Obitu Valentiniani Imperat. loquens etiam de Gentilibus: *Templorum iura, Sacerdotiorum profana priuilegia.* Zeno Veronens. serm. de Iuda loquens de idololatris: *Decernentes sibimetipsis pro domibus templa, erigentes aras nomini suo.* Paulinus lib. 2. in vita Sancti Martini,

Discernens templi fœtorem à chrismate Christi.

Arator lib. 2. Histor. Apost. loquens de Diana Ephesia,

---templi quoque nobilis ædem
In cineres stragémque dari.

Ita Arnobius, Minutius, Prudentius, alij. Extremus ita dixit in Agone Laurent. diuinans fore Principem,

Qui templa claudat vectibus,
Valuas eburneas obstruat,
Nefanda damnet limina,

Obdens aëno peſſulos.
Cum reſpectu credo ad templa Gentilium dixit Drogon Epiſc. Hoſtienſis *exit de templo perfidiæ.* Non tamen omnes ſcriptores (vt quidam falsò putant) qui eadem ſcripſere, quæ Tertullianus, ita accepere. Nam Saluian. lib. 6. de Gubern. *Spernimus Dei templum, vt concurratur ad theatrum: Eccleſia vacuatur, Circus impletur.*

14. DOMVI TVÆ.] Ita corrigit Iunius, in vulgatis, *domi.* De lupanaribus coronatis in l. de Cor. Mil.

CAP. XVI. ARGVMENTVM.

Priuatis & communibus Gentilium ſollemnitatibus adeſſe Chriſtiani poſſunt.

TERTVLLIANVS.

261. 1. CIRCA officia verò priuatarum & communium ſollemnitatum, vt togæ puræ, vt ſponſalium, vt nuptialium, vt nominalium, nullum putem periculum obſeruari de flatu idololatriæ quæ interuenit.

EXPLICATIO.

1. AIT in priuatis ſollemnitatibus, quales ſunt *togæ puræ*, & *nominalium*; & in communibus, quales ſunt *ſponſalium*, & *nuptialium*, *nullum* eſſe *periculum* idololatriæ, & ideo præſtari poſſe officium amicis. Celebritates iſtæ petendæ à Notis. Sciendum hîc vltimo loco opponi *Nominalia*, quia ſtatim fit mentio trium, ſcilicet *Togæ*, *Sponſalium*, *Nuptialium*. *Obſeruari*, id eſt, φυλάττεσθαι, *Timeri, cauери*. *De flatu*, reſpicit ad peſtem quæ flatu etiam inficit. *Quæ interuenit*, quia ſcilicet nulla interuenit. q.d. *Nullum eſt* periculum interuenientis idololatriæ.

2. Cauſſæ enim ſunt conſiderandæ quibus præſtatur officium. Eas mundas eſſe opinor per ſemetipſas, quia neque veſtitus virilis, neque annulus, aut coniunctio maritalis de alicuius idoli honore deſcendit.

2. Ratio ſuperioris ſententiæ, & ſatis clara. *Mundas*, ſcilicet à contagio idololatriæ. *Veſtitus virilis*, id eſt, toga pura. *Annulus*, propter ſponſalia. *Coniunctio maritalis*, propter nuptias. In his ergo tribus nihil eſt, quod pertineat ad idolum. De Nominalibus tacet, vt de re clara. Nam impoſitio nominis nihil habet commune cum idololatria.

262. 3. Nullum denique cultum à Deo maledictum inuenio, niſi muliebrem in viro.
Deuter. 22. Maledictus enim, inquit, omnis qui muliebribus induitur. Toga verò etiam appellatione virilis eſt. Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quàm nomen imponi.

3. Hoc propter togam dicit. Senſus eſt. Si nullus veſtitus maledictus à Deo, niſi tantùm *muliebris in viro*, certè toga maledicta non erit, quæ tantum abeſt à muliebri veſtitu, vt tota ſit *virilis*, quod indicat eius appellatio. *Nuptias quoque*, &c. vt non prohibet Deus habitum, ita nec nuptias, nec nominis celebritatem: fas enim illas contrahi, fas hoc imponi. Hic aſſumit Nominalia, quæ in ſecundo numero omiſſa fuerant.

4. Sed his accommodantur ſacrificia. Si ſim vocatus, nec in ſacrificiis ſit titulus officij & operæ meæ expunctio, quid tum? ſi lubet. Vtinam quidem nec videre poſſimus, quæ facere nobis nefas eſt. Sed quoniam ita malis circumdedit ſeculum idololatria, licebit adeſſe in quibuſdam, quæ nos homini, non idolo officioſos habent.

4. Occupat quod poterat obiici, de *ſacrificiis* quæ interueniunt. Pergit. *Si ſim vocatus*, &c. reſpondet obiectioni hunc in modum: *Si ſim vocatus* ad celebritatem Togæ, Nuptialium, Sponſalium, Nominalium, *Nec in ſacrificiis ſit titulus officij*, id eſt, nec vocer ad officium illud titulo ſacrificij, non ſit titulus officij mei poſitus in ſacrificiis: *Et operæ meæ expunctio*, id eſt, ſi nihil ego præſtem opera mea ad ſacrum illud. *Quid tum? ſi lubet* poſſum adeſſe. Reliqua clara ſunt. extrema illa, *Quæ nos homini, non idolo officioſos habent*, explica, quæ nos faciunt officioſos cauſſa hominis, non idoli.

263. 5. Planè ad Sacerdotium & ſacrificium vocatus non ibo (proprium enim idoli officium eſt) ſed neque conſilio, neque ſumptu, aliáve opera in huiuſmodi fungar. Si propter ſacrificium vocatus adſiſtam, ero particeps idololatriæ: ſi me alia cauſſa coniungit ſacrificanti, ero tantùm ſpectator ſacrificij.

5. Hic tractus clarus eſt, & clariorem facit ſuperiorē. Sententia integra vtriuſque eſt. Aliud eſt vocari directè & per ſe (vt loquuntur Dialectici) vt interſim ſacrificio gentilico, vt quum quis initiatur Sacerdotio, tunc nec poſſum intereſſe, neque conſilium operam ſumptumve præſtare, *Ero enim particeps idololatriæ*: aliud eſt vocari directè ad Togam, Sponſalia, Nuptialia, Nominalia, in quibus tamen conſequenter interuenit ſacrum aliquod (nam Gentiles nihil abſque ſacrificio) tunc intereſſe poſſum huic ſacro, ſum enim tantùm veluti materialiter ſpectator, non enim me ſacrificium adducit in eum locum, ſed cauſſa alia, qua officium meum præſto amico ſumenti togam, ducenti vxorem, &c. Qui videat titulum, quo Pamelius afficit caput, iudicabit illud non intellectum.

NOTÆ.

NOTÆ.

264. 1. OFFICIA.] Adesse amicis in celebritatibus propriè dicebatur *esse officiosum*, qua forma infrà vtitur. Et actus ille dicebatur *officium*. Plin. epist. 9. lib. 1. *Nam si quem interroges hodie, quid egisti? respondet, officio togæ virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentani.* Petron. *Ne maiorem iniuriam in secreto frater acciperet, consurrexit ad officium nuptiale.* Sueton. Calig. c. 25. *Liuiam Orestillam C. Pisoni nubentem, cùm ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperauit.* Iuuenal. sat. 2.

Qua causa officij quid quæris? nubit amicus.

Huc spectat illud eiusdem, Sat. 10.

Illinc cœnicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia.

1. PRIVATARVM.] Ita de Tiberio Sueton. & hoc eodem sensu, quo Tertull. *priuata officia obiens.* Et loquens de Augusto priuata hæc officia vocat sollemnitates *cuiusque*, quod notauit Casaub. ad verba Suetonij: *Officia cum multis mutuò exercuit, nec priùs dies cuiusque solemnes frequentare desiit, quàm grandior iam natu*, &c. Vbi *dies cuiusque solemnes* sunt, sollemnitates priuatæ. Dicta hæc ab Symmacho *familiaria officia*, notat idem & ab Arist. li. 6. Nicomach. τὰ ἔνπνια, nam adhibens characterem hominis, cui magni sunt spiritus ait, τὰ ἔνπνια μὴ ἔχειν.

265. 1. COMMVNIVM.] Vt priuatæ sollemnitates dicuntur, quæ vni tantùm personæ conueniunt, ita *communes*, quæ duabus, vt sunt nuptiæ & sponsalia. Et inde tam priuatæ quàm communes sollemnitates, de quibus in hoc capite, opponuntur publicis de quibus in superiore. Ita Pamelius referens hoc caput tantùm ad priuatas sollemnitates, errat. Nam sponsalia, & Nuptialia communia sunt. Plautus Amphit.

Bene vale Alcumena, cura rem communem.

Id est, rem familiarem, nam coniugum omnia sunt communia. Creusa ad Æneam virum suum 2. Æn.

--- nati serua communis amorem.

Id est, amorem nati communis mihi ac tibi. Itaque notetur significatio ista Tertulliani, qui *communitatem* dicit de duobus tantùm. Sic lib. de Cor. Mil. c. 12. ad finem loquens de Deo & Cæsare vocat *communes Dominos*, sed Deum potiorem. Ita Arator lib. 1. Hist. Apost. loquens tantùm de Anania & vxore eius, qui mortui ad vocem Petri, ait:

Fit commune nefas.

Clemens lib. 3. Pædag. c. 5. κοινὰ accipit de duobus.

266. 1. TOGÆ PVRÆ.] Toga pura, aut candida, aut virilis, eadem est, quam scilicet induebant iuuenes die tyrocinij deposita prætexta. Dicta pura, quia tota candida, & carens purpura, quæ in prætexta, πίβεννος ὁλόλευκος. Dixi *indui tyrocinij die*, nam Plin. lib. 8. *Tanaquil prima texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura induuntur tyrones.* Itaque Sueton. in Claud. tyrocinium indicat, cùm scribit: *Togæ virilis die circa mediam noctem sine sollemni officio lectica in Capitolium latus est.* Vbi *virilis toga & pura*, vt etiam illam indigetat infrà Tertullianus, idem tempus indicant. Et Lamprid. in Commodo: *Cooptatus inter tres solos principes iuuentutis cùm togam sumsit, adhuc in prætexta puerili congiarium dedit.* Vbi togam opponit prætextæ. Et Catull. ad Mallium,

Tempore quo primùm vestis mihi tradita pura est.

Alcimus loquens de habitu Monialium *sinceram* vocat notanter,

Sed tibi cùm geminum tetigerunt tempora lustrum,
Mox stola sincero velat te candida cultu.

Non desunt, qui *candidum vmbonem* Persij huc referant. Porrò *togæ puræ* frequentissima est mentio in vno Tullio epist. ad Atticum.

267. 1. NOMINALIVM.] Celebritas nominalium est illa, qua nomẽ alicui imponitur siue proprium, siue gentilitiũ; modò liberis imponatur, modò seruis, modò adoptiuis. Gloss. *Nominalia*, ὀνομαστήρια. A Varrone lib. 7. Ling. Lat. dicitur *Nominalis Gentilitas.* Græci insuper ὀνομασίεια vocant, & Latini diem in quo hæc nomina imponebantur, dicunt *Lustricum.* Festus: *Lustrici dies infantium, appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus, quia his lustrãtur, atque eis nomina imponuntur* Paria Macrob. 1. Sat. cap. 16. *Est lustricus dies, quo lustrantur, & nomen accipiunt: sed is in maribus nonus, octauus est in feminis.* Symmachus *lustratus sollemnitas.* Videatur Casaub. in Satyr. 2. Persij. De more Græcorum, qui decimo die imponebant, pleno stilo Ruben. lib. 1. Elect. c. 5. Ex Suida, Aristophane, Euripide. De Amphidromiis Græcorum, quæ sollemnitas non longè ab Lustrico die Latinorum, in quo quinto die ponebantur infantibus nomina, vide Scal. in Festum. Et Salmeronem prolegomeno. 9. canone 43.

268. 2. ANNVLVS.] Dari ab sponso annulum ab Scriptura sacra Genes. 38. originem ducit, vbi Thamar dicit ad Iudam, *annulum tuum*, id est, mitte mihi annulum tuum pro arrabone. Et Plin. lib. 33. ait in vsu sponsis fuisse ferreum annulum. Et non solùm ornatus caussa dabatur annulus gestandus sponsæ, sed vt eo occluderet res domesticas, quarum custodia ad vxorem spectabat, vt ait Xenophon in Oeconomico. De hac re vide latè Clementem Alex. in Pædag. Et Tertull. in Apolog. latè.

2. IDOLI HONORE.] Lactant. lib. 1. Instit. c. 22. *Picum patrem inter Deos honorauit.*

269. 3. MALEDICTVS OMNIS QVI MVLIEBRIBVS INDVITVR.] Spectatum ad verba Deuteron. c. 22. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Locus est hac de re in Niceta Chon. lib. 6. Manuelis imperatoris cap. 8. vbi sic ait: ἐλθὼν διὰ τῶν ἀμφόδων τῆς πόλεως ἐκθαυλίσαι Ἀνδρόνικον γυναικείαν στολὴν περικείμενον. Ait videlicet de Imperatore, *parum abfuisse quin Andronicum muliebri habitu per vrbem circumduci iuberet.* Et in Simocatta lib. 3. c. 8. τοῦτο διαγνοὺς ὁ Ὁρμίσδας, ἐς τὸ τῶν ἀτυχημάτων οὐ φέρων κομψὸν, αἰσχύνης ὕβρεσι τὸν Βαρὰμ ἐξουδένωσε, γυναικείας ἐσθῆτας ἐπάθλα τῆς ἀδοξίας κληροδοτήσας αὐτῷ: *Hæc vbi didicit Hormisdas, ignominiæ ex infortunio labem non sustinens, Varamum probro turpissimo deformat, vestes nimirum muliebres in pretium contracti dedecoris ad eum mittens.* in Concil. Gangrensi cap. 13. ita habetur: *Si qua mulier propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri amictum virilem sumit, anathema sit.* Notetur locus Saluiani lib. 7. *Quis credere aut audire etiam possit, conuertisse in muliebrem tolerantiam viros, non vsum suum tantùm, atque naturam, sed etiam vultum, incessum, habitum?* Et iterum: *Cùm muliebrem habitum viri sumerent, & magis muliebrem gradum fingerent.* Sed de hac re in lib. de Pallio.

270. 4. SI SIM VOCATVS.] In vulgatis. *Si in vocatu.* Iunius legit. *Si nec in vocatu.* Ego assensi Vvouer. corrigenti, *si sim vocatus.* Quæ lectio clarissimè sequentibus astruitur, *ad sacerdotium & sacrificium vocatus.* Iterum: *Si propter sacrificium vocatus.* Nisi scribas, *sin vocatus*, quæ lectio proximior Tertulliano est, & pronior ad lapsum Typographi. Est autem *sin vocatus*, idem quod, si verò vocatus fuero.

CAP. XVII. ARGVMENTVM.

De ſeruis & magiſtratibus.

TERTVLLIANVS.

271. 1. CÆTERVM quid facient ſerui vel liberti fideles, item officiales, ſacrificantibus dominis vel patronis vel præſidibus ſuis adhærentes? Sed ſi merum quis ſacrificanti tradiderit, imò ſi verbo aliquo ſacrificio neceſſario adiuuerit, miniſter habebitur idololatriæ.

EXPLICATIO.

1. OCcaſione præcedentis ſermonis quærit nunc, an peccent *ſerui* Chriſtiani, qui, cùm peragitur ſacrificium, tantùm adhærent ſuis *dominis*, eorúmque latus ſtipant, ipſi verò nihil conferunt ad ſacrificium: eadem quæſtio eſt de *libertis*, qui hærent ſuis *patronis*: eadem de *officialibus*, qui ſuis *præſidibus*. Si nihil (inquam) conferant, nam ſi *merum* tradiderint, aut quidpiam aliud neceſſarium præſtiterint ad ſacrum, nulla eſt quæſtio, nam clarè peccant.

272. 2. Huius regulæ memores etiam magiſtratibus & poteſtatibus officium poſſumus reddere ſecundùm patriarchas & cæteros maiores, qui Regibus idololatris vſque ad finem idololatriæ apparuerunt.

2. Reſpondet quæſtioni. Et ait: *Memores huius* ſuperioris *regulæ*, videlicet *ſi me alia cauſſa coniungit ſacrificanti*, &c. (vt habitum præcedente capite) poſſumus *reddere officium*, id eſt, officium noſtrum exhibere *magiſtratibus & poteſtatibus*, adimplere erga illos quod noſtri eſt officij, idque exemplo Patriarcharum, qui nihil conferebant ad ſacrificia idolorum, ſed tantùm *apparebant Regibus idololatris vſque ad finem* ſacri idololatrici peracti. Tunc enim tantùm materialiter erimus ſpectatores ſacri illius. q. d. Vtinam non videremus, quæ nefas eſt fieri. Sed quoniam idololatria circumdedit ſeculum, licebit adeſſe illis ſacris, quæ nos habent officioſos non idolo, ſed homini, puta *domino, patrono, præſidi.*

273. 3. Hinc proximè diſputatio ſuborta eſt, an ſeruus Dei alicuius dignitatis aut poteſtatis adminiſtrationem capiat, ſi ab omni ſpecie idololatriæ intactum ſe aut gratia aliqua, aut aſtutia etiam præſtare poſsit: ſecundùm quod & Ioſeph & Daniel mundi ab idololatria, & dignitatem & poteſtatem adminiſtrauerunt, & in ornamento & purpura exſtiterunt totius Ægypti ſiue Babyloniæ.

Gen. 41. *Dan.* 2. & 7.

3. Satisfecit iam quæſtioni, atque adeo reliqua huius capitis annectuntur veluti parergica atque ex abundanti, & inſtar mantiſæ. Quæritur ergo, an ſicut *Ioſeph & Daniel adminiſtrauerunt poteſtatem*, ille in Ægypto, hic in Babylone, inter idololatras, mundi tamen ipſi ab omni idololatria; ſic liceret æuo Tertulliani Chriſtiano homini eſſe iudicem, dummodo ſe tueretur incolumem *ab* omni *Idololatria* qua poſſet arte, ſiue gratia, ſiue aſtutia.

274. 4. Credamus itaque ſuccedere alicui poſſe vt in quoquo honore, vt in ſolo honoris nomine incedat, neque ſacrificet, neque ſacrificiis auctoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non ſpectacula edat de ſuo aut de publico, aut edendis præſit: nihil ſollemne pronuntiet, vel edicat, ne iuret quidem.

4. Reſpondet diuidens officia iudicis in extraordinaria & ordinaria: & in hoc tractu loquitur de extraordinariis, qualia ſunt ſacrificia, hæc enim ad iudicem directè non pertinent. Intellige autem mentem Tertulliani, non reſpondet directè quæſtioni, ſed ex his quæ dicit, permittit cuique intelligendum, vti debeat quæſtioni ſatisfieri. q. d. Si *credamus*, id eſt, fingamus, & demus talem iudicem obire poſſe ſuum munus nihil conferendo ad idololatriam, ſed *incedere in ſolo honore*, ſit iudex, aliter non ſit. Ideo autem non directè reſpondet, quia vt ego puto inclinat in partem negantem, quia ſcilicet non eſt credibile poſſe ab illo munus iudicis adminiſtrari ſine ſacrificiis idololatricis: & mens Tertulliani negantis clarè patebit c. 19. num. 3.

275. 5. Iam verò quæ ſunt poteſtatis, neque iudicet de capite alicuius vel pudore (feras enim de pecunia?) neque damnet, neque prædamnet; neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat, ſi hæc credibile eſt fieri poſſe.

5. En iam de ordinariis officiis. Ergo inquit: Si credibile eſt fieri poſſe, vt *quæ ſunt* ordinariæ *poteſtatis* exerceat abſque nocumento Chriſtiani nominis, obeat Chriſtianus munus iudicis, non aliter. Sed vt

dicebam in superiore tractu, neque hîc decernit vt sit iudex, sed relinquit cuique decernendum. Itaque respondet non categoricè & absolutè, sed hypotheticè & ex suppositione. Et etiam hîc inclinat in negationem, vt apparebit in dicto capite 19. Et ideo non directè respondet. q. d. Non est credibile administrari hoc munus posse sine nocumento Christiani nominis, & ideo non sit iudex. Nam furente persecutione vix credi potest, vt non damnet aliquos propter Christianam causam. Peculiaria petenda à Notis.

NOTÆ.

276. 1. LIBERTI.] In omnibus legitur *liberi*, debere tamen legi, vt scripsi, ex oppositione ad patronos, mihi dubium non est. Vt enim serui dominis, ita liberti patronis opponuntur. Idipsum placitum Iunio.

1. FIDELES.] Id est, Christiani. Neque enim hîc sermo est de fidelitate illa, qua serui dicuntur *spectati*, de qua ego in eclog. Virgilian. & de qua videndus Plaut. Menæch. Scen. *Spectamen bono seruo id est*, &c.

1. OFFICIALES.] Sunt hi qui alicui magistratui aut iudici præsto sunt, illique apparent & ministerium officiúmve exhibent, illique adhærent. Videndus Briss. de Verbor. signif. lib. 13.

1. PRÆSIDIBVS.] Non dubium quin sint illi, quibus commissæ prouinciæ regendæ, tuendæ, bellandæ: Iidem ipsi, qui sæpè Christianos excarnificarunt.

277. 1. SED SI MERVM QVIS.] Ita in omnibus legitur, ego libenter legerem, *Nam si*, &c.] Sententia clariore. Defendi tamen potest lectio Tertulliani, imò debet cum respectu ad ea quæ dixit superiore capite. q. d. De illis est quæstio, qui tantùm adhærent suis dominis, sed si quis tradiderit merum, non est quæstio: clarè enim habebitur minister idololatriæ, nam aliqua opera fungitur in huiusmodi sacro, éstque expunctio eius aliqua. Itaque ideo *sed*, quia iam hoc docuerat. Vt si dicat: sed si operâ quis impendit, iam docuit esse ministrum idololatriæ. Pace tua addam vnum verbum: Videri mihi posse constare sententiam, si adimas in superiori *quid*, & ponas *id* demta interrogatione. Ita vt sit hic sensus: Cæterùm idem ipsum facient serui, liberti, & officiales, qui adhærent suis dominis, vel patronis, vel præsidibus, sine idololatria. Sed si quis merum porrexerit, clarum est illum incidere in idololatriam.

278. 2. HVIVS REGVLÆ MEMORES, &c.] Iuxta id quod posui in superiori, cùm dixi: *Pace tua addam*, &c. Expendenda similiter hæc. q. d. Nam patriarchæ & prophetæ materialiter erant spectatores, iuxta eandem regulam serui, liberti, officiales poterunt adhærere suis dominis, patronis, præsidibus.

2. SECVNDVM PATRIARCHAS.] Credo aspectatum ad cap. 18. lib. 3. Reg. vbi Elias videt suis oculis abominanda sacrificia Gentilium coram Rege Achab. Ad caput etiam 2. Danielis, vbi non solùm fiunt sacra præsente Daniele, sed adhuc ipsi Danieli tanquam Deo. Verba sacra sunt: *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit: & hostias & incensum præcepit vt sacrificarent ei.* Videlicet post expiatum somnium.

279. 3. SERVVS DEI.] Fortis est illa Philonis sententia in lib. (Quòd vir bonus liber sit,) omitto Græca, quia multa: *Non seruus est, quicunque despuit necem, tanquam qui prudenter perspexerit quid consequi soleat. Existimauit enim nihil adeo seruiliter animi impetum subigere, atque interitus metum, propter innatum vitæ desiderium. Cogitandum verò nobis est, non solùm illum, qui mortem contemnat, liberum esse, sed & eum qui egestatem, infamiam, dolorem, & id genus alia, quæ vulgus hominum in malis ducit, forti animo despiciat.* A Laudat porrò auctorem huius Senarij,

Τίς ἐστι δοῦλος; ὃς θανεῖν ἀφροντις ὤν:

Haud seruus est, quicunque mortem despuit.

Quo loci Philo mirificè eum celebrat, qui ita se gerat seruus Dei, vt contumeliam etiam sciat tolerare vocante illum occasione.

3. ET IN ORNAMENTO ET PVRPVRA.] In vulgatis deest particula &, addendam puto, & addit Iunius, quem vide. *Ornamentum* refert Pamelius ad torquem aureum, & stolam byssinam Iosephi apud Ægyptum, dono Pharaonis, *purpuram* autem ad eam, quam induit Daniel dono Nabuchodonosoris.

4. CREDAMVS, &c.] Explicui inclinare Tertullianum in partem negantem. nec mihi hoc dubium, nam illius æuo omnes præsides & iudices prouinciarum erant Gentiles. Et ab æuo Constantini, quod longè inferius, mutata est ista administrandi ratio. Theodorit. lib. 1. Hist. cap. 2. loquens de hoc principe: καὶ ἀρχοντας μὲν πίστει κοσμουμένους ἐφίστη τοῖς ἔθνεσι, χειραίρειν κελεύων τὸν ἱερέα: *Quin etiam præsides, quorum mentes fides Christiana imbuerat, gentibus præfecit, deditque illis mandatum vt sacerdotes honore afficerent.* Et ante illum Eusebius lib. 2. de vita Constantini c. 43. ᾧ πρῶτα μὲν τοῖς κατ' ἐπαρχίας διῳκημένοις ἔθνεσιν ἡγεμόνας κατέπεμπε τῇ σωτηρίῳ πίστει καθωπλισμένους τὸν πλείους: *Ac primùm gentibus per varias prouincias dispersos præfectos plures misit salutari fidei addictos.* 280.

4. VT IN SOLO HONORIS NOMINE.] Iunius mutat in &, & putat esse ἐμφατικώτερον. Ego retineo, & explico per *velut* frequenti Latij vsu, vt dicat, credamus itaque succedere alicui posse vt in quoquo honore, velut in solo honoris nomine incedat, quæ sententia luculentissima est. Alicui fortè placebit adimere primum *vt*.

4. INCEDAT.] Est *incessus* proprius principum in his scriptoribus, in Gentilibus Deorum. Vide me 1. Æn. ad illud, 281.

Aſt ego quæ magni incedo Regina, &c.

4. NEQVE SACRIFICIIS AVCTORITATEM SVAM ACCOMMODET, &c.] Nota Pamelij huc adscribenda, vt necessaria. Habet speciem idololatriæ primò *sacrificare*, quod sacerdotum est. Deinde *accommodare sacrificiis auctoritatem* præsentia sua, quod summorum Pontificum est. Tertiò, *hostias locare, curas templorum delegare, vectigalia eorum procurare*, quod ædituorum est. Quartò, *Spectacula edere, aut edendis præesse*, quod est Ædilium Curulium aut Prætorum. Quintò, *sollemne aliquid pronuntiare, vel edicere*, quod est Augurum. Denique *iurare*, quod apud Ethnicos non fit, nisi in nomine falsorum Deorum.

5. IAM VERO QVÆ SVNT POTESTATIS, &c.] Pamelius mihi non placet, qui ait mentem Tertulliani esse Christiano iudici non fuisse licita capitalia iudicia. Neque ei fauet locus, quem adducit è lib. de Cor. Mil. Nulla est certè ratio, quæ vetaret Christianum iudicem damnare capitis tam Ethnicum, quàm Christianum, si tam Ethnicus quàm Christianus hominem. v.g. interfeciſſent. Ergo, Tertull. tantùm loquitur in 282.

cauſſa fidei, de qua illi eſt ſermo, aliter eſſet aberrare ab ſcopo. Quia verò difficillimum erat furente perſecutione non ſiſti ad iudicium aliquos titulo tantùm ſuſceptæ fidei & Chriſtiani ſigni, ait, Chriſtianus eſto iudex, dum neminem propter fidem neces, vincias, premas, quod vix eſt credibile. Barræus quoque hîc mirè aberrat.

5. VEL PVDORE.] Iunius explicat de honore, vt dicat, nec de capite, nec de honore, fortaſſe, quia apud I. Conſultos *pudor* eſt exiſtimatio hominis, dignitas, opinio, reputatio, vt explicat Briſſonius. Poſſit ſententia referri ad pudendam traductionem, Hiſpani dicunt, *ſacar ala verguanea*. Vt dicat, nihil decernat de capite, de honore, de pecunia Chriſtiani in cauſſa fidei. Aliquis poſſit ita concipere. Non iudicet de capite alicuius, vel pudore ipſo. Eſſet enim pudendum, Chriſtianum à Chriſtiano damnari propter fidem.

283. 5. FERAS ENIM DE PECVNIA.] Nihil inopportunius commentatione Barræi, qui hîc *feras* accipit, quibus damnati interdum obiiciebantur. Verba eius: *Sontes qui verebantur ſententiam capitis, ſolebant quaſi mitiorem pœnam, redimere pecunia damnationem ad beſtias, quòd inde etiam quædam ſpes elabendi ſupereſſet*. Nam eſto hoc eſſet verum, quomodo A aptetur Tertulliano non video. Iunius totum locum mutat hunc in modum: *Iam verò (quæ ſunt poteſtatis) neque iudicia de capite alicuius vel pudore ferat, etiam de pecunia, neque damnet*, &c. Ego hærentem lectionem defendo, & tantùm addo notam interrogationis, vt dicat, feras tu de pecunia minore malo? q. d. Non damnet capite, cùm ferendum non ſit malum minus, vt ſcilicet damnet de pecunia?

5. RECLVDAT.] Profani auctores, quotquot ſunt, hoc verbo vtuntur pro reſero & aperio: Eccleſiaſtici verò ſæpiſſimè contrario ſignificato, videlicet pro includo. Ita hoc loco Tertullianus, & Hieronym. in epiſt. ad Paulinum: *Poſt ſolitudinis libertatem vrbe, quaſi carcere, ſunt recluſi*. In Concil. ſeptimo Tolet. cap. 5 legitur: *Quos in cellulis propriis recluſos ſanctæ vitæ ambitio tenet*. Sic in Sanctorum vitis apud Surium, & apud Ruffinum in vitis Pat. & alibi, occurrit ſæpè mentio illorum, qui dicuntur *Recluſi*, non certè liberi, imò incluſi. Sufficiat vnicum teſtimonium Ioannis eleemoſynarij: *Ipſum autem verberari, & in carcere ſecretò recludi*. Hiſpani itaque vſurpamus, dici enim ſolet: *condenado à perpetua recluſion*.

5. CREDIBILE EST.] Signatè, quia ſuprà, *credamus*. q. d. ſi credamus quod vix eſt credibile.

CAP. XVIII. ARGVMENTVM.

Determinat, purpuram ſuo ævo fuiſſe obnoxiam Idololatriæ.

TERTVLLIANVS.

284. 1. IAM verò de ſolo ſuggeſtu & apparatu honoris retractandum.

EXPLICATIO.

1. LEmma & titulus totius capitis. *Suggeſtu*, id eſt, habitu, veſte. *Retractandũ*, frequens in hoc auctore pro ſimplici *tractandum*. Intellige verò mentem Tertulliani. q. d. Definiui iam de poteſtatibus & magiſtratibus, nunc volo tractare de horũ tantùm indumẽto. An videlicet Chriſtianus poſſit geſtare purpuram, dummodò non ſit iudex?

2. Proprius habitus vniuſcuiuſque eſt tam ad vſum quotidianum, quàm ad honorem & dignitatem.

2. Ego puto totum hoc caput fuiſſe hactenus in tenebris. Verba hæc, mi Lector, non ſunt Tertulliani, ſed tertiæ alterius perſonæ ventilantis quæſtionem, atque conſtituentis pro fundamento purpuram geſtari poſſe à quocunque fideli, nam non ſolùm habitus quotidianus, ſed etiam iſte perhonorificus, verè eſt *habitus proprius vniuſcuiuſque*. Hæc argutantis pertinacia durat vſque ad verba illa, *Cæterùm purpura*, &c. Inde enim incipit Tertullianus. Et veriſſimum eſſe hunc excurſum apparet ex capite ſequenti, vbi ſimillima alterius argutantis verba, & Tertulliani deinde refutantis.

285. 3. Igitur purpura illa & aurum ceruicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabe, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum prouincialium; ſed non eadem conditione.

3. Ex fundamento poſito ducit ventilator iſte primam concluſionem, ac definit, purpuram & torques aureos *apud Ægyptios & Babylonios* fuiſſe tantùm habitus *dignitatis*, vt apud Romanos *prætextas* viriles, &c. ſed non fuiſſe eiuſdem idololatricæ conditionis. Porrò indumenta, quæ hoc tractu memorat, petenda à Notis.

4. Tantum enim honoris nomine conferebatur his qui familiaritatem Regum merebantur. Vnde & Purpurati Regum vocabantur à purpura, ſicuti apud nos à toga candida candidati: ſed non vt ſuggeſtus ille ſacerdotiis quoque aut aliquibus idolorum officiis adſtringeretur.

4. Explicat quæ dixit in superiore tractu. Erat purpura illa nota dignitatis honorisque, quia dabatur familiaribus principum Ægypti & Babylonis, dictis propterea *purpuratis* ad eum modum quo Romani dicebantur *candidati à toga candida: sed non* erat *eiusdem conditionis*, quia nunquam fuit purpura hæc *adstricta*, addicta, obligata vilis idolorum sacris, vt fuit adstrictus Romanorum habitus. Dicit hoc, quia *apud Romanos* viri sacrificia facturi sæpissime gestabant *prætextas*, *trabeas*, *coronas*, &c. Itaque ornamenta Romana & honori & sacris destinabantur; purpura Ægyptiorum & Babyloniorum, tantùm honori. Hæc eò pertinent, vt argutator iste astruat suam opinionem.

286. 5. Nam si ita esset, vtique tantæ sanctitatis & constantiæ viri statim habitus inquinatos recusassent; statímque apparuisset, Danielem idolis non deseruisse, nec Belem, nec draconem colere, quod multò postea apparuit.

Dan.12. *Gen.41.* *Dan.7.*

5. Probat hic ventilator bona, vt sibi videtur, coniectura purpuram illam Danielis & Ioseph fuisse tantùm notam honoris, non obligatam sacris. Nam si ita esset, statim illam *recusassent* sanctissimi & constantissimi viri. Et certè Daniel qui postea palam aperuit, nolle se obsequium idolis dare, id ipsum initio ipso statim aperuisset, reiiciens à se habitum destinatum idolis.

287. 6. Simplex igitur purpura illa, nec iam dignitatis erat, sed ingenuitatis apud barbaros insigne. Quemadmodum enim & Ioseph, qui seruus fuerat & Daniel qui per captiuitatem statum verterat, ciuitatem Babyloniam & Ægyptum sunt consecuti per habitum barbaricæ ingenuitatis: sic penes nos quoque fideles, si necesse fuerit, poterit & pueris prætexta concedi, & puellis stola, natiuitatis insignia, non potestatis; generis non honoris; ordinis, non superstitionis.

6. Hactenus de prima conclusione, qua determinauit *purpuram* & torquem fuisse *apud barbaros* notam magistratuum. Ducit alteram, qua determinat, purpuram simplicem, id est, sine torque, fuisse apud barbaros notam non hominis in dignitate & magistratu constituti, sed tantùm *ingenui*: ac decernit exemplo Iosephi & Danielis, quid fieri apud Christianos possit. Vt enim illi habuere eam purpuram, quæ nota erat ingenuitatis, quam assecuti sunt relicta seruitute & captiuitate: sic Christiani vti poterunt illis indumentis, quæ sunt insignia *natiuitatis* præclaræ, *generis* perillustris, *ordinis* ampli; tales sunt prætextæ puerorum, & stolæ puellarum, hi enim habitus tantùm sunt insignia nobilitatis, nec illis dantur ad notandam potestatem aliquam, aut honorem in Republica, neque vllam habent maculam *superstitionis*. Habes iam binas argutatoris conclusiones. Prima, purpura & torques insignia sunt magistratuum apud barbaros, & nulli obnoxia superstitioni, vt sunt apud Romanos: altera, purpura sola sine torque, tantùm erat insigne honoris apud barbaros, vt prætexta apud Romanos, & neutra subiecta erat superstitioni.

288. 7. Cæterùm purpura vel cætera insignia dignitatum & potestatum, insertæ dignitati & potestatibus Idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis suæ maculam: cùm propterea ipsis etiam idolis induantur prætextæ, & trabeæ, & laticlaui, fasces quoque & virgæ præferantur, & meritò. Nam dæmonia magistratus sunt seculi huius, vnius collegij insignia, fasces, & purpuras gestant.

7. Hactenus argutator ille, iam hîc Tertullianus ipse loquitur, & categoricè definit quid sit tenendum, in qua re definienda vtitur grandi illo quo semper vsus supercilio: nam abnuit negátque gestari à fidelibus posse *purpuram* aut alia quæuis *insignia*, quæ aliquando seruierint idolis, nam eo ipso *habent maculam profanationis*. Dicit hoc propter viriles *prætextas*, *trabeas*, palmatas, coronásque aureas sacerdotum, de quibus locutus est initio capitis: cum his enim vestibus peragebantur sacra idololatrica. Nouitius verba ita ordinet. *Purpura vel cætera insignia dignitatum & potestatum dicata ab initio idololatriæ inserta dignitati & potestatibus*, &c. Pergit. *Cùm præterea*, &c. Noua ratio. q. d. Non solùm habent maculam, quia *dicata idololatriæ* peragendæ, sed quia etiam indumenta sunt idolorum, adiicit, *meritò* esse indumenta idolorum, quia cur dæmones non gestent *insignia* magistratuum cùm ipsi sint verissimi *magistratus seculi*, quique mundo imperitant?

289. 8. Quid ergo proficies, si suggestu quidem vtaris, opera verò eius non administres? Nemo immundis mundus videri potest. Tunicam si induas inquinatam per se, poteris forsitan illam non inquinare per te, sed tu per illam mundus esse non poteris.

8. Triplex ratio, cur vestibus superioris tractus non sit vtendum. Prima, quia nulla vtilitas: altera, quia immunda non te mundum facient: tertia, quia etiam si immundis vestibus *mundus esse* velis *non poteris*.

9. Iam nunc quid de Ioseph & Daniel argumentaris? scito non semper comparanda esse vetera & noua, rudia & polita, cœpta & explicita, seruilia & liberalia. Nam illi etiam serui conditione erant, tu verò nullius seruus, in quantum solius Christi, qui te etiam captiuitate seculi liberauit, & forma Dominica agere debebis.

9. Reiicit iam argumenta argutatoris illius. Esto argutiolæ aliquæ tibi occurrant & cauilla circa rem Iosephi & Danielis, *scito non semper*, &c. reliqua clara sunt. Illud, *tu verò nullius seruus, in-*

quantum filius Christi, est, etiam si tu sis seruus conditione, tamen in quantum Christianus, *seruus* non es alterius hominis, sed tantùm *Christi*, qui te emit, & ideo debes agere iuxta formam Christi tui Domini, tui emtoris, tui liberatoris. *Et forma Dominica*, est, quam debent serui dominis.

290. 10. Ille Dominus in humilitate & ignobilitate incessit domicilio incertus; nam Filius, inquit, hominis non habet vbi caput suum collocet: vestitu incultus, neque enim dixisset, Ecce qui teneris vestiuntur in domibus Regum sunt: vultu denique & aspectu inglorius, sicut Isaias pronuntiauerat. Si potestatem quoque nullam ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est: si Regem denique fieri conscius sui regni refugit; plenissimè dedit formam suis dirigendo omni fastigio & suggestu tam dignitatis quàm potestatis.

Luc. 6. Matth. 11. Esai. 53.

10. Explicat quæ sit forma illa, qua Dominus incessit, videlicet *humilitas & ignobilitas*. Humilitas spectata in *domicilio*, quod incertum, quia non proprium; in *vestitu*, qui incultus; in *vultu*, qui inglorius. Probat singula locis singulis Scripturæ sacræ. Ignobilitas verò apparuit tum in nulla *potestate exercenda in suos, quibus*, id est, erga quos potiùs *functus est ministerio sordido*, id est, seruili, lauans eorum pedum sordes; tum in deuitando regno, cùm sciuit attollendum se à turbis in Regem: quo duplici facto *formam dedit* suis declinandæ *tam dignitatis* regiæ, *quàm potestatis* herilis. Vtraque enim re potuisset noscitari, & vtramque abiecit, eligens ignobilitatem. De verbo *dirigendo* vide Notas. Nota mihi verba illa *conscius sui regni*. Quid mirum fugeret Christus regna mundi huius caduca, qui paterni regni hæres æternus?

291. 11. Quis enim his magis vsus fuisset, quàm Dei filius, quales & quanti eum fasces producerent, qualis purpura de humeris eius floreret, quale aurum de capite radiaret, nisi gloriam seculi alienam & sibi & suis iudicasset?

11. In his enallagem propriam Tertulliani agnoscit Iunius. *Vsus fuisset*, id est, vti potuisset. Sic, *quales & quanti*, &c. pro, quales & quantos ipse *fasces* produceret. *Purpura floreret*, pro, splenderet. Sententiam non aperio, vt cuique obuiam.

12. Igitur quæ noluit, reiecit, quæ reiecit, damnauit, quæ damnauit, in pompa diaboli deputauit. Non enim damnasset, nisi non sua: alterius autem esse non possent, nisi diaboli, quæ Dei non sunt. Tu si diaboli pompam eierasti, quicquid ex ea attigeris, id scias esse Idololatriam.

12. *Quæ noluit, reiecit*, &c. q. d. reiiciendo *damnauit*; damnando, *deputauit*. *Non enim damnasset*, &c. Totus hic cursus nititur certissimè huic propositioni: *Quæ Dei non sunt, diaboli* sint necesse est. *Eierasti*, in baptismo.

293. 13. Vel hoc te commonefaciat, omnes huius seculi potestates & dignitates non solùm alienas, verùm & inimicas Dei esse, quòd per illas aduersus Dei seruos supplicia consulta sunt, per illas & pœnæ ad impios paratæ ignorantur.

13. *Vel hoc*, id est, saltem hoc. *Alienas, verùm & inimicas*. Correctio, qua se explicat. q. d. Cùm dixi suprà, *Non damnasset nisi non sua*, ne putes, per *non sua*, velle me tantùm notare hæc aliena esse à Deo, sed etiam contraria illi, vt hostiliter inimica. *Quòd*. reddit rationem huius simultatis. *Supplicia consulta*, &c. Dicit, *supplicia consulta* esse à potestatibus seculi, decreta, statuta aduersus seruos Dei; ignorari verò pœnas, quibus impij debeant affici. non quia verè ignorentur, sed quia ita ignorantur, ac si nullæ essent. Et obserua *supplicia* opponi *pœnis*. Illa sunt extrema, & quibus vita deseritur, non pœnæ. Ergo serui Dei afficiuntur supplicio extremo, impij nè pœnis quidem. Videsis igitur quales sint *potestates seculi*. Ita explicandus hic locus, si sequaris lectionem hærentem in omnibus libris, sed in Notis duplex est correctio.

14. Sed & natiuitas & substantia tua tibi molesta sunt aduersus Idololatriam. Ad euitandum remedia deesse non possunt: Cùm &, si defuerint, superfit vnicum illud, quo felicior factus non in terris magistratus, sed in cœlis.

14. *Sed & natiuitas*, &c. Est obiectio. Accidet, inquit, fortasse vt ex *natiuitatis* tuæ splendore, & ex domus tuæ *substantia* obligeris ad vestem purpuream & insignia alia, quæ Idolis seruierint, quia maiores tui insignia illa vsurpauerint, vt qui cultui Idolorum addicti. *Ad euitandum*, &c. Soluit obiectionem. Non deerunt remedia in Ecclesia & apud Christianos contra hoc malum. Sed esto nullum sit remedium, vt aliter vitam agas, nisi cum his insignibus Idololatricis: Certè tibi deesse illud non potest, quo in cœlis regnaturus es feliciore multò purpura & magistratu. Puto indicari martyrium. q. d. Remedio passionis pro Christo obitæ habebis in cœlis purpuram martyris, cui magistratui nullus terrenus comparandus.

NOTÆ.

294. 1. SVGGESTV.] Hec vox pro habitu frequens huic ſcriptori in lib. de Pall. c. 4. *Pallium ſuper omnes exſuuias & peplos auguſta veſtis, ſupérque omnes apices & titulos ſacer ſuggeſtus*, &c. & ſæpe alibi.

1. RETRACTANDVM.] Pro tractandum ſæpe, ad eum modum quo Ioann. Caſſian. *retentare* pro, tentare, ſæpiſſime.

3. PVRPVRA ILLA ET AVRVM CERVICIS ORNAMENTVM?] De purpura ſacerdotum loquitur Tertull. cap. 15. Apolog. hîc tantùm eſt ſermo de purpura magiſtratuum, quod & certum eſt, & Heral. quoque monuit in Minut. & de hac eadem accipit locum eiuſdem Minut. *Honores & purpuras deſpiciunt ipſi ſeminudi.* & ſtrictiùs adhuc ſermo eſt de purpura barbarorum, quam ſcilicet illi pro præmio conferebant. Ita lib. 3. Eſdr. c. 3. Δώσει αὐτῷ Δαρεῖος ὁ βασιλεὺς δωρεὰς μεγάλας: *Dabit illi Rex Darius magna præmia.* inter quæ præmia numerat πορφύραν περιβάλλεσθαι, notat ſcilicet *indumentum purpuræ.* Sic & apud Ioſephum c. 5. lib. 13. Antiquit. Rex Alexander (non ille Magnus) mittit Ionathæ ad notam amoris στολὴν πορφύραν. Et Lucian. in Gymnaſiis, τεκμαίρομαι γὰρ τῇ πορφυρίδι τῶν ἀρχόντων τινὰ τοῦτον εἶναι: *Etenim purpura coniecturam facio hunc eſſe vnum ex illis principem.* Sic & cùm de torque aureo, quem hic nominat *cervicis ornamentum*, non de illo loquitur, qui apud Romanos, ſed de illo, qui à Medis & Perſis ducit originem, quem στρεπτὸν χρυσοῦν vocat Xenoph. lib. 1. Anabas. & de illo Ioſeph. lib. 10. Ant. c. 12. Et Themiſtius Euphrada orat. 5. διεκόσμητο στρεπτοῖς, καὶ παρᾳ, καὶ διαδήμασι: *Erat ornatus torque, tiara, purpura.* Vide eundem orat. 7. Hinc apud Ioſephum loco laudato Balthaſar Rex pollicetur Danieli, ſi ſcripturam aperiat, πορφύραν δώσειν ἐνδύσασθαι, καὶ χρυσοῦν περὶ τὸν αὐχένα στρεπτόν: *Daturum ſe purpuram ad indumentum, & torquem aureum ad collum.* Fortaſſe Ioſephus idem lib. 13. Antiquit. c. 8. per auream fibulam, (ille vocat πορφύρᾳ χρυσέᾳ,) iſtum ipſum intelligit torquem, cùm ait miſſam illam Ionathæ ab Alexandro Rege, præſertim cùm addat, ὡς ἔθος ὂν δίδοσθαι τοῖς τῶν βασιλέων συγγενέσι, quia ſcilicet cognatis tantùm regum concedebatur. Vocat verò torquem fibulæ nomine, ab innexu. Inſigniter errat Carol. Paſch. lib. 6. de Cor. cap. 21. vbi adducens locum hunc Tertull. ait *aureum cervicis ornamentum, id eſt, aurea corona.* De torque enim hic Tertull. non de corona. Mitto purpuram olim Regibus datam, de qua vide me in Æn. Virgiliana, & Zoſimum lib. altero Hiſt. & Conſtantinum Manaſſ. in fine Annalium.

295. 3. PRÆTEXTÆ.] Non dubium quin duplex fuerit prætexta: puerorum, de qua infrà loquitur, quæ non obligata ſacris vllis; & magiſtratuum de qua hîc, & hæc obnoxia erat idololatriæ. Scaliger verba & ſententiam Feſti ita repræſentat: *Prætexta nulli alij licebat vti, quàm ei qui iure alicuius magiſtratus haberet, & in loco publico ludos faceret. Is enim ea vtitur, & ſcribam habet ob eos, quos facit, ludos.* His verbis clarè agnoſcis maculam idololatriæ, quæ mens Tertulliani.

3. TRABEÆ.] Dixi ſatis ad Æneidem Virgilij; ad rem ſatis eſt ſcire fuiſſe trabeam adſtrictam rei idololatricæ. qui mos vel ex Virgilio ipſo clarus, nam Conſul relaturus iam limina, trabeatus referabat. Verba Principis Poëtæ 7. Æneid.

Ipſe Quirinali trabea cinctúque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.

Sed & Conſules Romani profecturi in prouincias priùs vota nuncupabant trabeati & paludati.

3. PALMATÆ.] Palmatam veſtem (ſiue toga ſiue tunica fuerit, nam vtriuſque vſus fuit) obligatam fuiſſe idololatriæ, quod hîc attingitur, clarè liquet ex more Romano, quo illam geſtabant triumphatores; triumphus autem totus mancipatus fuit idolis. Probant hoc verba Auſonij in Grat. Act. *Palmata veſtis, vt in pace Conſulis eſt, ſic in victoria triumphantis eſt.* & verba hæc Liuij lib. 10. *Cui Deorum hominúmve indignum videri poteſt, inquit, iis viris, quos vos ſellis curulibus, toga, prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali laureáque honoraritis, quorum domos ſpoliis hoſtium affixis inſignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia inſignia adiicere?* 296.

3. CORONÆ AVREÆ SACERDOTVM PROVINCIALIVM.] Non egeo hîc fulcro ad probandum has coronas fuiſſe obnoxias idololatriæ, cùm eſſent ſacerdotum. Quid quòd in genere corona omnis ididolatrica fuit? Potrò de materia aurea ſacerdotalium coronarum, Prudentium profero qui περὶ στεφ. de ſacerdote Gentilico, 297.

Summus ſacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta, in profundum conſecrandus mergitur
Mirè infulatus, feſta vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino ruſſeam fultus togam.

Iam verò cùm ait coronam iſtam auream geſtari à ſacerdotibus Prouincialibus, firmabitur auctoritate Epicteti lib. 1. cap. 19. vbi quidam volens adſcribi in vrbe Nicopoli inter ſacerdotes Auguſti, proponens ſacerdotij huius vtilitates, inter alias ait, χρυσοῦν στέφανον φορήσω, *coronam auream geſtabo.*

4. HONORIS NOMINE CONFEREBATVR, &c.] Sulpitius Seuer. loquens de Daniele lib. 2. Hiſt. ſacræ: *Nam & Nabuchodonoſor eum regno præfecerat, & Balthaſar veſte purpurea & torque aureo donatum tertium regni principem conſtituerat.* Apud Ioſeph. lib. 11. Antiq. cap. 4. Darius Rex ſoluenti quæſtionem proponit in præmium inter honorifica alia, etiam πορφύραν ἐνδύσασθαι, vt ſcilicet *indueretur purpura.* vt etiam Rex Balthaſar apud Danielem cap. 5. declaranti litteras in pariete ſcriptas. Id genus præmij apud Romanos frequens. Maximinus *à Seuero poſt argentea præmia torque aureo donatus eſt*, ait Capitolinus in Maximinis. Idipſum de Probo Vopiſcus.

4. CANDIDATI.] Plautus diceret *candidè veſtiti.* Loquitur cum aſpectu ad candidatos ambientéſque Romani populi, vt aliàs ſæpe. vel dici poteſt aſpectaſſe ad certum militiæ genus, quo *candidati* protectores erant Principum ſcutariique. Ammian. lib. 25. *Cùm Iulianus inter belli diſcrimina verſaretur, clamabant hinc inde candidati, quos diſiecerat terror, vt fugientum molem, tanquam ruinam malè compoſiti culminis declinaret.* Victor Turonenſis in Chronico: *Cui nepos Iuſtinianus vocabulo fuit, candidati militia functus.* 298.

4. ADSTRINGERETVR.] Bene, contraheretur. vt *adſtricta fronte*, Martialis lib. 10. & *conſtricta fronte* Petronius. Sic *adductum patrem* Cornelius. idem quod Apuleius *ſtriatam gerens frontem.* & *conſulcare frontem* Plautus Bacchid.

5. INQVINATOS.] Sic poſtea de idololatria *maculam.* & Auguſt. 18. de Ciuit. c. 45. *Idololatriæ contaminatione.*

6. SIMPLEX IGITVR PVRPVRA, &c.] Poſſit aliquis accipere hanc ſimplicitatē, vt dicat purpuram non fuiſſe apud barbaros, vt prætextas & tra- 299.

beas Romanas, nam istæ & honori & sacris seruiebant, illa honori tantùm, simpliciter. vel simplicem purpuram, id est sine auro, vt explicat Capitolinus in vita Albini. Verba eius: *Habiturus es purpuram, sed sine auro.* Secutus tamen sum viam aliam, vt simplicitas referatur ad singularitatem purpuræ sine comitatu torquis. Nam si hoc non est, contrarius est sibi hic argutator. Dixerat enim initio capitis: *Purpura illa & aurum ceruicis ornamentum apud Aegyptios & Babylonios insignia erant dignitatis:* Hæc stare non possunt cum verbis istis, *Simplex igitur purpura illa, nec iam dignitatis erat.* Conciliabitur ergo si dicas, purpuram simul & torquem esse insignia dignitatis ac magistratus, vt apparuit in Iosepho, quem, quia Rex præposuit toti Ægypto, honestauit, & torque & purpura: & in Daniele, qui, quia præpositus est regno, ornatus est & purpura & torque, vt habetur Danielis 5. & hoc est, quod sup. dixit cap. 17. de Iosepho & Daniele, qui *dignitatem & potestatem administrauerunt*, videlicet *in ornamento & purpura.* vbi ornamentum est torquis: purpuram verò solam non fuisse notam dignitatis, tantùm ingenuitatis: quod licèt in sacris non sit, tamen argutator ita explicat, vt apparet ex hoc tractu. vbi ait, purpurā fuisse notam recuperatæ libertatis, quam amiserant Iosephus & Daniel, ille per seruitutem, hic per captiuitatem. Vnde postea cum hac purpura comparat prætextam puerorum, & stolam puellarum, quæ mera nobilitatis ornamenta, nulla potestate adiuncta.

6. STATVM VERTERAT.] Ita hoc dictum vt *solum vertere*, apud primæ classis viros.

300. 7. CÆTERVM PVRPVRA, &c.] Vidisti vt totum caput explicuerim. Hîc moneo, mihi non displicere illos qui capita ista aliter diuidunt, itavt caput decimum sextum finiatur verbo *apparuerunt*: decimum septimum incipiat ab illis, *Hinc proximè disputatio*, &c. decimum octauum ab hoc loco, *Cæterùm purpura.* Ita fiet, vt totum decimum septimum contineat disputationem meram alterius quæstionem obiectantis ac ventilantis; nam, vt vides, nihil ita decernitur: postea verò capite decimo octauo definiat ipse categoricè quod sit tenendum. Percurrat Lector post Notam hanc lectam præcedentia capita, & fortasse nihil inueniet offendiculi.

7. INSERTÆ DIGNITATI ET POTESTATIBVS.] Nam, vt inquit Simocatta lib. 1. cap. 9. φίλον ὄ Πέρσαις ἐν τῶν ἀξιωμάτων προσαγορεύεσθαι, ὡσαὐτῶ ἀπαξιούντων τοὺς ἐν τῆς ἡγεμονίας ὀνόμασιν ἐπφέρεσθαι: *Nomen dignitatis apud Persas, quos à dignitatibus indigetari delectat; dedignantes videlicet nomina ab ortu sibi imposita.*

301. 7. IDOLIS INDVANTVR PRÆTEXTÆ.] In omnibus vulgò legitur, *Idolis in quantum prætexta* nullo sensu. debes correctionem Latinio. Cæterùm idola solita indui prætextis clarè docet Vopiscus in vita Firmi: *Aurelianus sellam constituerat facere, additis aliis duobus* (dentibus elephantinis) *in qua Iuppiter aureus & gemmatus sederet cum prætexta, ponendus in templo Solis.* Sed prætextarum macula etiam liquet aliunde, nam Trebellius in Gallienis sacerdotes Gentilicos euntes in Capitolium ad sacra *prætextatos* inducit. & quidem purpuras fuisse vestes, quibus idola induebantur, patet etiam ex cap. 7. Iosuë, vbi inter spolia quæ Achan de Iericho abstulit, vnum fuit *pallium coccineum*, & interpretes peritiores dicunt esse ornamentum idoli. & probant, quia vbi textus dicit, furatum fuisse Achan *regulam auream*, alia littera dicit *linguam auream* nempe idoli, vnde vestis quoque iustè præsumitur esse idoli.

7. LATI CLAVI.] Ita dicti pro veste, cui latus clauus, enallage vsitata.

7. ET MERITÒ. NAM DÆMONIA.] Melius fortasse legetur, *præferantur. Et meritò, nam dæmonia*, &c. Itavt periodus incipiat à particula, *Et meritò.*

7. DÆMONIA MAGISTRATVS SVNT.] Hilar. can. 15. in Matth. *Dominatu immundorum spirituum.* Sic & à Christo dæmon dictus est *Princeps mundi.* Ioann. Chrysost. orat. 4. de incomprehens. Dei Nat. vocat κοσμοκράτορας, *rectores mundi.* & reddit rationem cur ita dicantur.

7. VNIVS COLLEGII.] Cum respectu ad rem Romanam, vbi collegia augurum. hîc ergo ait, & magistratus Romanos & dæmones, eodem habitu incedere, vt qui vnius collegij.

9. DOMINICA FORMA.] Velim notes hac forma vsos scriptores Ecclesiasticos cum respectu ad filium, non ad patrem. Itaque cùm dicunt *dominicum* respiciunt dominum filium. Ita Græci, ita & Latini. Nam Theodoritus lib. 3. Hist. c. 3. crucem Christi vocat σωστικὸν τρόπαιον: *Dominicum trophæum.* & Eusebius orat. de laudib. Constantini ait templa constructa in honorem Christi dicta signatè κυριακὰ, *dominica.* & Ioann. Cassian. lib. 1. cap. 9. *Iugi memoria Dominicæ passionis.* & Greg. Mag. Homil. 26. in Euang. *Corpus Dominicum clausis ianuis ad discipulos ingredi potuit.* Alios tu obseruabis. Certè Tertull. hac voce semper Christum respicit. 302.

10. DOMICILIO INCERTVS.] Ciaconius legit *domicilij incertus* locutione satis Romana. non improbo. sed præfero tamen hærentem lectionem, quia statim *vestitu, vultu.* 303.

10. DEDIT CORONAM SVIS, &c.] Applaudit Tertulliano locus Ambrosij lib. 3. offic. c. 5. *Nolebat se Christus hîc cognosci, nolebat prædicari in Euangelio nomen suum cùm in terris versaretur, venit vt lateret seculum hoc. Ergo & nos simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus iactantiam, prædicari non expetamus.* Est hæc illa Christi forma, quam prædicat Tertull.

10. DIRIGENDO OMNI FASTIGIO.] Potest lectio ista sustineri, vt dicat, dirigendo regulandóque omni fastigio. vel accipiatur *dirigo* pro discedo. nam Festus: *Dirigere apud Plautum inuenitur pro discedere.* Scio hunc Plauti locum mirè agitatum & mutatum. Vide Scal. in Festum, & Taubmānum in Curculionem Plauti pag. 288. ad verbum *dissicit.* vel dici potest, hîc *dirigere* esse demittere. Inter decreta Lucij PP. quæ habentur tomo 1. Concil. post Concil. Carthag. dicitur de Episcopo, aliquem *de latere suo dirigat*, id est, demittat aliquem de suo latere & comitatu. & in Concil. Arelatens. 1. c. 1. dicitur *litteras dirigere*, id est, dimittere. & Ambros. lib. 2. Offic. c. 29. *Si quem habes hostem aut insidiatorem rerum tuarum, illuc eum dirige, & flagellatum recipies eum.* id est, mitte, demitte. Verba sunt Heliodori ad suum principem, postquam expertus est Hierosolymis equi calces. Capitolinus in vita Albini: *Manu mea scriptam epistolam dirigo.* Ergo, *dirigendo fastigio*, id est, mittendo, ac demittendo. Nam cùm *dirigo* significet idem quod mitto, & *mitto* accipiatur pro demitto, vt mitte togam, id est, depone: cur non & *dirigo*? vel legatur *de regendo.* vel tandem accipiatur Iunij lectio, qui legit *derigendo*, quod verbum glossæ agnoscunt, vbi *derigeo*, ἀποπήγνυμι. ipse sic explicat: *derigendo, id est, deponendo & destituendo fastigio, quamuis rigere, id est, quàm firmissimè stare, atque immotum esse videretur.*

11. PVRPVRA FLORERET.] Quæ nitent, dicuntur florere. De Habitu Mulieb. cap. 6. loquens de gemmis, *Subdole substruuntur vt floreant.* Lucretius, 304.

-- *florentia lumina.*

Id est, splendentia. Vide me lib. 7. Æn. ad illud,

---*florentes ære catervas.*

Sed & de purpura in primis dici florem iam Herald. A scripsit lib. 1. Digress. cap. 7. productis testimoniis Luciani, qui in Tyranno dixit πορφύρας τὸ ἄνθος, *florem purpuræ*. & ῥυπρ. διδασκ. πορφύρᾳ ἐυανθεῖ, *florulenta purpura*. & has purpuras esse quas *claras* Lamprid. vocat, & Græci λιπανθεῖς, id est, veras. Cùm contrà Themistius Euphrad. orat. 1. illas, quæ non splenduerint, dixerit *mentiri florem*. verba eius, πορφύραν ἐψευσμένην τὸ ἄνθος: *purpuram mentientem florem*.

In capite eius corona stellarum duodecim.

11. AVRVM DE CAPITE RADIARET.] Ita Plin. Paneg. *radiatum caput*. Hieronym. per verbum *fulgent*, cùm ad Gaudentium dixit: *Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum*. Non dubium quin alludat ad gestamen principum, quibus in capite radiantes coronæ ad similitudinem B radiorum Solis. Ne verò repetam, quæ semel scripsi, vide me lib. 12. Æn. aduersus illos,

---ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt,
Solis aui specimen.

Vide etiam interpretes Apocalypseos ad illud cap. 12.

12. REIECIT.] Spectatum fortasse ad Scriptores Rei Rusticæ, quibus hoc verbum in vsu, cùm oues non probarent, quia scilicet dicebantur *reiici*, & inde oues *reiculæ*. Vide quæ scripsi 3. Georg. ad illud, 305.

Nigra subest vdo tantùm cui lingua palato,
Reiice.

13. IGNORANTVR.] Latinius rescribit *irrogantur*, & probat Iunius. Alicui placebit coniectura nostra, vt scribatur *dignorantur*. Est *dignoro* cùm signum inuritur pecori. quod Virg. 3. Georg.

---& nomina gentis inurunt.

Festus: *Dignorant, signa imponunt, vt fieri solet in pecoribus*. Isid. lib. 20. cap. extremo: *Character est ferrum caloratum, quo notæ pecudibus inuruntur*. Hæc ergo ἐπιχρίσματα, id est, vstiones, potuit intelligere Tertull. sancti quippe admotis laminis, & caloratis ferris cruciabantur, ac patiebantur ardentissimas ἐπιχρίσεις. Non ego muto lectionem Doctoris, sed sequor interdum libidinem corrigendi, vt alij.

CAP. XIX. ARGVMENTVM.

Interdicit Christiano militiam.

TERTVLLIANVS.

306. 1. POSSET in isto capitulo etiam de militia definitum videri, quæ inter dignitatem & potestatem est.

EXPLICATIO.

1. DIXIT capite decimo septimo, *Disputatio suborta est, an seruus Dei alicuius dignitatis aut potestatis administrationem capiat?* & respondit, non directè vt ibi vidisti, posse capere, si neque sacrificiis interfit, neque Christianum ob caussam fidei damnet, quod vix est credibile. Ait ergo nunc, eandem responsionem definiri, & conuenire quærenti an Christianus possit esse Imperator exercitus, tribunus, centurio, &c. nam scilicet hæc *inter dignitatem & potestatem* sunt, id est, sunt inter officia dignitatis & potestatis. Ita istud, *militia quæ pertinet ad dignitatem & potestatem* est, militia imperatoria, & centuriata, id est, munus Imperatoris & centurionis, &c. vt dicat: Si quæris de potestatibus militaribus, iam hoc videtur definitum à me. Obiicio, videbatur dicendum, *Potest definitum videri*. Soluo. Ait *posset*, q.d. Cùm posset ibi & hæc disputatio suboriri, posset & hoc idem responderi.

307. 2. At nunc de isto quæritur, an fidelis ad militiam conuerti possit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata vel inferior quæque, cui non sit necessitas immolationum, vel capitalium iudiciorum.

2. Sensus est. Cùm iam definitum sit de potestatibus militaribus, *quæritur nunc de* re alia, an videlicet quispiam Christianus esse possit sub signis, & exercere inferiores gradus militiæ, quando in his nullum est periculum aut immolandi idolis, aut damnandi Christianos ob caussam fidei. De *caligata militia*, in Notis.

308. 3. Non conuenit sacramento diuino, & humano; signo Christi, & signo diaboli; castris lucis, & castris tenebrarum: non potest vna anima duobus deberi, Deo, & Cæsari. *Matth. 22.*

3. Respondet negatiuè (vt loquuntur Dialectici) aitque, nullam esse conuenientiam *sacramento* baptismi, & sacramento militari: nullam *signo Christi*, id est, cruci, *& signo diaboli*, quia scilicet in vexillis præferebantur idola. reliqua clara sunt. En Lector, cur dixerim cap. 17. in quæstione de Iudiciaria potestate, inclinare Tertullianum in partem negantem. Nam si vetatur à Tertulliano, æuo illo posse aliquis esse miles, vel in militia infima, propter idola quæ erant in vexillis, potiore iure vetabitur esse Imperator, aut Centurio, aut tribunus: Cùm verò hoc, quod pertinet ad has dignitates, dicat definiendum, imò definitum ex his, quæ dicta sunt de iudiciaria potestate; clarè liquet ibi inclinare illum in partem negantem. Itaque definit, Christianus non sit iudex, non exerceat potestatem aliquam in exercitu, non sit miles.

309. 4. Et virgam quoque portauit Moyses, fibulam & Aaron, cingitur loro & Ioannes, agmen agit & Iesus Naue, bellauit & populus, si placet ludere. *Exod. 3. Exod. 28. Matth. 3. Exod 17.*

4. Dicuntur ista per obiectionem, ad eum modũ, quo capite 18. cùm esset sermo de suggestu. Ergo ait obiectator quispiam argutulus, quid tu prohibes militiam Tertulliane Christiano homini? nulla est ratio cur prohibeas. Nam *Moyses virgam portauit*, quæ repræsentat virgam militaris Centurionis: *Aaron fibulam*, quæ fibulas caligati & peronati militis: *Ioannes* Baptista *loro cingitur*, vt solent milites baltheo: *Iesus Naue*, qui & Iosuë, *agmen agit*, vt habetur in sacra historia, ac perinde licebunt agmina: demum *bellauit populus* Israëliticus, ac perinde licebunt bella. Illud *si placet ludere* concipe vt volueris, ego sic concipio, si placet vt ludam tecum, ô Tertulliane, illudámque tuam censuram, & proponam meas argutiolas, *Moyses virgam portauit*, &c.

310. 5. Quomodo autem bellabit, imò quomodo etiam in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit? Nam etsi adierant milites ad Ioannem, & formam obseruationis acceperant, si etiam Centurio crediderat; omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit. Nullus habitus licitus est apud nos illicito actui ascriptus.

Luc. 3. Matth. 8. Matth. 26.

5. Respondet iam Tertullianus obiectori ad eum modum, quo cap. 18. euertit quæ obiecta fuerant de purpura Iosephi & Danielis. q.d. Doctor, *Quid comparas noua & vetera?* Cùm præsertim nemo bellare possit in pace Euangelij, nemo militare sine gladio. Neque obstat si mihi adduxeris, milites fuisse in lege Euangelij, & bonos quidem, nam illi adiuere Ioannem Baptistam, & petiuêre formam obseruationis; fuisse etiam Centurionem, etiam bonum, nam credidit: hæc scilicet nihil obstant: nam lex Euangelij tota est pacifica & sine gladio; exarmauit enim omnem militem Christus cùm Petrum exarmauit, iubens vt conderet gladium in vaginam, cùm illum *discinxit*, id est, exauctorauit. Denum absoluit caput sententia hac, *Nullus habitus*, &c. qua satis indicat, ipsum putare militiam eo æuo actum esse illicitum, quia scilicet si spectares vexilla, in illis erant Dij falsi; si Imperatores, semper erant Gentiles, & addicti idololatriæ; si causas bellandi, vt plurimùm illæ ex libidine & iniustitia; demum semper militia gentilis tota fuit idololatrica. Itaque, si hoc æuo esset Tertullianus non diceret absolutè militiam esse actum illicitum; sed vixit illo, in quo omnis militia obnoxia erat idololatriæ. Posset aliquis explicare Tertullianum, vt vetet arma tantùm contra fideles, non alios, iuxta Canonem Octauum Concilij primi Toletani; sed hoc vix credo, neque ista eius mens.

NOTÆ.

311. 2. CALIGATA MILITIA.] Fuit *caliga* A τὸ δῆμα στρατιωτικὸν, vt loquitur Dio, *calceamentum militare*, inde milites manipulares & gregarij dicti sunt *caligati*. Hieronym. in cap. 20. Isaiæ: *Calceamenta*, LXX. σανδάλια, *id est*, *caligas*, *vocant*. & Actor. 12. quod Græcè est ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου; Latinus transtulit, *calcea te caligas tuas*. Inde Caius Imperator dictus *Caligula* ab hoc calceamento. & rationem reddit Tacit. 1. Annal. quia *eo tegmine pedum induebatur*. Cassian. lib. 1. cap. 10. *Tantummodo caligis suos muniunt pedes*. In vitis Patrum lib. 4. cap. 15. sic leges: *Calceamenta quoque, velut interdicta Euangelico præcepto, recusantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus rigor hiemis sæuit, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodo muniunt pedes. Quibus tamen caligis, quanquam licitè vtantur*, &c. Vbi vides, quæ priùs calceamenta vocauit, statim vocat, caligas. Iuuenal. Sat. 16.

---offendere tot caligatos
Millia clauorum.

B

Caligæ enim suffixæ erant clauis. Inde *clauarium* in Tacito lib. 19. donatiuum est in clauos caligarum. Et quidem *caligatos* fuisse ex infimis, satis patet ex verbis istis Sueton. August. cap. 25. *Murales coronas quam parcissimè, & sine ambitione, etiam caligatis tribuit.* & in Vitell. cap. 7. *Tota in caligatorum quoque militum obuios exosculans.* Senecam vide loquentem de Mario de Breuit. vitæ cap. 17. Plinius etiam ait lib. 7. cap. 43. *Iuuentam inopem in caliga militari toleraſſe.* Iuuenal. Sat. 3.

Audax Hesperios veniam caligatus in agros.

Simpliciter militem dicit, sed audacem & propugnatorem. Caligatis porrò, gregariis, munificibus, & omnibus inferioribus in bello ordinibus Ammianus lib. 16. opponit *celsas potestates*. & lib. 17. ita appellat tribunos, centuriones, aliósque qui discreti à gregariis. Themist. Euphrad. orat. 9. opponit quoque centurionibus, aliisque celsis ὑπλιτῶν τάγμα: sunt enim τάγμα milites, qui Plutarcho alicubi τυχόντες, *obuij, vulgares, gregarij*.

2. VEL INFERIOR QVÆQVE.] In M.S. *vel inferior quoque*.

2. CAPITALIVM.] Ad graues ruinas assumpta vox. Eusebius Gallic. Episc. vel Cæsarius, Homil. ad Monachos: *Si verò quisque conscientiam suam intus interrogans, facinus aliquod capitale commisit, aut si fidem suam falso testimonio expugnauit ac prodidit, ac sacrum veritatis nomen periurij temeritate violauit*, &c. idem in serm. Castig. *noxia* dixit *crimina*.

3. NON CONVENIT, &c.] Contra hanc con- 312.
clusionem obiici potest, aliquos Christianos fuisse duces exercituum; & multos quidem centuriones, tribunos, vexilliferos; plurimos verò milites, vt clarè patet ex historiis. Respondeo, verum id esse, improbari tamen à Tertulliano, qui supra mortales omnes rigidus: quæ improbatio non debet videri insolens, cùm in Romano Pœnit. tit. 9. cap. 14. scribatur, *Miles, vel negociator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit.* & tit. 1. cap. 20. ita habetur, *Fecisti homicidium in bello, iussu legitimi principis, qui pro pace hoc fieri iusserat; & interfeciſti tyrannum, qui pacem peruertere ſtuduit, tres quadrageſimas per legitimas feriaſ pœniteas.* Rabanus etiam Maur. in lib. de Pœnit. cap. 40. adducit ex decretis Leonis Papæ, statum ab eo esse, *quòd ad militiam ſecularem poſt pœnitentiam rediri non debeat.* Vide ibi plura. Hæc verissima sunt de æuo illo, quo Tertullianus scripsit, in quo omnis vt plurimùm militia addicta erat Gentilismo. Alia est ratio æui huius, & nunc Christianorum, qui iustissimè bellare possunt, nullo periculo idololatriæ. Itaque perperam ex Tertull. argumentantur hæretici illicitam esse omnem militiam.

3. SIGNO CHRISTI.] Explicui de Cruce, sci- 313.
licet qua in baptismo insignimur, vt esse è castris Dei

intelligamur, inde ſtatim de caſtris loquitur, & res tota militiam ſpectat. Ita Cyrill. Hieroſol. Catecheſ. 3. loquens de baptiſmo: μέλλει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σφραγίζειν ὑμῶν τὰς ψυχὰς, μέλλετε στρατολογεῖσθαι τῷ μεγάλῳ βασιλεῖ: *Spiritus ſanctus obſignauit animas veſtras, deligendi eſtis in militiam magno Regi.* Poteſt etiam eſſe alluſio ad annulum ſignatorium. Caſſian. Collat. 6. cap. 12. *Itaque mens viri iuſti non debet eſſe ſimilis ceræ, vel alterius cuiuſquam materiæ mollioris, quæ ſemper characteri ſignantium cedens pro eius forma atque imagine figuratur, quámque in ſe tandiu retinet, donec alia rurſus ſuper impreſſo ſignaculo reformetur, atque ita fit, vt nunquam in ſua qualitate perſiſtens, ad formam eorum quæ imprimuntur ſemper conuertatur ac tranſeat; quin potiùs debet velut quoddam eſſe adamantinum ſignatorium, vt inuiolabilem mens noſtra figuram ſui ſemper cuſtodiens characteris, vniuerſa quæ incurrerint ſibi, ad qualitatem ſui ſtatus ſignet atque transformet, ipſa verò inſigniri nullis incurſibus poſſit.* Scias medij æui ſcriptoribus *bullam* ſumi pro ſigno. In vita Ioannis Eleemoſynarij: *Dat ei proprium pictacium bullarum (deſus firmas.)* Inde bullo, bullas. In vita Magni Baſilij, quam Græcam edidit Amphilochius, & Vrſus Latinam, ſcriptum eſt: *Nouiſſimè verò ſcripſi magnum quod fuerat peſſimúmque peccatum, & plumbo bullauit chartam illam.* vbi aliqui *ſiggillauit* legunt. certè in Græco Amphilochij eſt, ἐσουλλωσεν. Notauit hoc Roſueydus in vitam Baſilij.

314. 3. CASTRIS LVCIS, ET CASTRIS TENEBRARVM.] Hoc vt multa ſimilia prouerbialiter. Venuſtè Euſebius lib. 1. de vita Conſtant. cap. 41. vt explicaret deforme imperium Licinij in Oriente, & pulcherrimum Conſtantini in Occidente, traxit inde locutionem, cùm ait, imperium Romanum in partes duas diuiſum, ἑσπέρᾳ νυκτὶ καὶ ἡμέρᾳ: *ſimile fuiſſe nocti & tenebris. Nam his* (inquit) *qui Orientem obtinebant, tanquam noctis caligo offundebatur: illis autem, qui erant alterius partis incolæ ſplendor clariſſimæ diei illucebat.*

4. VIRGAM.] De Virga Centurionum ſcribit Silius lib. 12. loquens enim de Ennio, qui fuit Centurio in bello, ita canit,

Ennius antiqua Meſapi ab origine Regis
Miſcebat primus acies, Latiæque ſuperbum
Vitis adornabat dextra decus.

Et lib. 6. *---vitis Latiæ præſignis honore.*

Videndus Plin. lib. 14. c. 1. qui, *Centurionum in manu vitis.* & Tacit. 1. Annal. vbi loquitur de Lucillio centurione. & Iuuenal. Sat. 8. Erat quippe virga Centurionum vitea. Inde *vitis* pro centurionatu ab Spartiano, qui de Adriano: *Nulli vitem, niſi robuſto, & bonæ famæ daret.*

315. 4. FIBVLAM.] Retuli ad clauos militares, qui in caligis militum & peronibus. Iuſtinus lib. 38. *Argenti certè aurique tantum, vt etiam gregarij milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant.* inde dicti *claui caligares*, Plinio lib. 9. c. 18. & lib. 22. c. 22. ad finem. & forma alia *claui caligarij* eidem lib. 38. c. 14. niſi legendum in extremo loco *clauis caligaribus* tum ex locis aliis, tum ex Soſipatro, qui apertè diſcriminat has formas. Verba eius: *Caligarius artifex, caligaris clauus.*

4. LORO.] Neſcio cur Iunius lorum referat ad calones, cùm poſſet æquiùs ad baltheum militarem, cuius magna mentio in omnibus ſcriptoribus, & quem *cingulũ militiæ* vocat Auguſt. ſerm. 19. de Verb. Dom. verba eius: *Non multi qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu ſunt publico, cùm peccant grauiter, hæc ſolent à peccatis ſuis prima ſe voce excuſare, quòd militant.* Eſt enim *lorum* vox ita generalis, vt Balſamon faſciam illam, quæ circundat caput Pontificum, vocet λῶρον in Meditat. verba eius: ὁ μέγας ἅγιος Κύριλλος ὁ Πάπας Ἀλεξανδρείας ὁπὶ περιθῆς χρυσοῦν λῶρον περιέβαλετο: *Magnus ac ſanctus Cyrillus Alexandrinus Papa circumdedit capiti lorum aureum.* & paulò infrà, faſciam ſancti Sylueſtri *lorum* vocat. Quid ergo mirum Tertullianus ſub Ioannis loro ad baltheum reſpectaret?

4. IESVS NAVE.] Sed & abſolutè Ioſue dicitur *Ieſus* ab Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 29.

5. QVOMODO AVTEM BELLABIT, &c.] 316. Reſcribit Iunius, *Quomodo autem bellabit iam? quomodo etiam in pace militabit*, &c. Ego ita ſcriberem, ſi ſequerer meum arbitratum: *Quomodo autem bellabit in pace? imò quomodo etiam militabit ſine gladio?* quæ ſententia euidens.

5. NAM ETSI ADIERANT MILITES AD IOANNEM, &c.] Narrat Lucas 3. veniſſe milites ad Ioannem dicentes, *Quid faciemus & nos? & ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Huc alluſit ſanctus Ioannes monachus, cùm à Ruffino Aquil. dicitur apparuiſſe vxori Tribuni militum; audiuit enim ab eo hæc verba: *Sed & vos memores eſtote beneficij à Deo collati, & timete Deum ſemper, nec ampliùs quàm ſtipendiis veſtris debetur, aliquid requiratis.*

5. CENTVRIO.] Quidni hic eſſet primorum ordinum centurio, id eſt, primipilus, primus princeps, primus haſtatus, is cuius erat maior dignitas in legione?

5. OMNEM POSTEA MILITEM DOMINVS IN PETRO, &c.] 317. Ita & Hieronym. ad Gerontiam: *Illo tempore bellatoribus dicebatur, accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime: modò audit Petrus, conde gladium tuum in vaginam.* Notanda verba Optati Mileuitani lib. 1. per initia, vbi tractans illud, *Pacem meam do vobis*, ſic ait: *Sic igitur pax Chriſtianis omnibus data eſt, quam rem Dei eſſe conſtat, cùm dicit meam: vt autem dicit, do vobis, non ſolùm ſuam voluit eſſe, ſed & vniuerſorum in ſe credentium.* & verba Baſilij Magni in epiſtola, quam Federicus Metius interpretatus eſt: *Nihil tam proprium Chriſtiani eſt, ac pacem conciliare.*

5. EXARMANDO.] Petron. Sat. *Gniton mirabili forma exarmauerat nautas.* id eſt, arma excuſſerat. vtique quod Apul. lib. 5. *dearmare.*

5. ASCRIPTVS.] Eſt hoc loco *attributus.* vt aſcripta, vel attributa pecunia.

CAP. XX. ARGVMENTVM.

Verba obnoxia eſſe interdum idololatriæ ex praua conſuetudine.

TERTVLLIANVS.

318. *Matth. 12. Exod. 23.* 1. SED enim cùm conuerſatio diuinæ diſciplinæ non factis tantùm, verùm etiam verbis periclitetur (nam ſicut ſcriptum eſt, Ecce homo, & facta eius: ita, Ex ore tuo iuſtificaberis) meminiſſe debemus etiam in verbis quoque idololatriæ incurſum præcauendum, aut de conſuetudinis vitio, aut timiditatis.

EXPLICATIO.

1. HACTENVS de factis, quæ obnoxia sunt idololatriæ, iam nunc de verbis in quibus idem quoque periculum. In hos verborum scopulos incurri potest dupliciter, vitio scilicet aut consuetudinis, aut timiditatis, & ab vtroque præcauendum. Parenthesis rationem continet nouæ disputationis, adductis locis sacri eloquij. q. d. Periculum est & *in factis & in verbis*, & vtrumque *præcauendum*: quia vt scriptum est, hominem, qualis sit, factis eius pensitari, ita quoque scriptum est, *ore* proprio *iustificandum* hominem.

319. 2. Deos nationum nominari lex prohibet, non vtique ne nomina eorum pronuntiemus, quæ nobis vt dicamus conuersatio extorquet. Nam id plerumque dicendum est, In templo Aesculapij illum habes, & Vico Isidis habito, & Sacerdos Iouis factus est, & multa alia in hunc modum, quando & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, si ita vocauero cum suo nomine: tam non honoro, quàm Marcum, si vocauero Marcum.

2. *Lex prohibet*, nam scriptum Exod. 23. *Nomen externorum Deorum non audietur ex ore vestro. Conuersatio*, conuictus hominum. *Extorquet*, velimus nolimus Deos nominamus. *In templo Aesculapij*, &c. Exempla conuersationis quotidianæ. *Quando & hominibus*, &c. id est, quando hic loquendi stylus introductus est ab hominibus, vt scilicet dicamus *vicum Isidis*, & similia.

320. 3. Sed ait: Nomen aliorum Deorum neque commemorabitur, neque audiatur de ore tuo: hoc præcepit, ne Deos vocemus illos. Nam & in prima parte legis, Non
Exod. 20. sumes, inquit, nomen Domini Dei tui in vano, id est, idolo. Cecidit igitur in idololatriam, qui idolum nomine Dei honorauerit.

3. Explicat iam, quis sit sensus verborum Exodi, non, ne ore Deos Gentilium *pronuntiemus*, nam quotidiana *conuersatio extorquet* nobis hanc pronuntiationem; sed *ne vocemus illos Deos*, & honoremus vt Deos. Aliud enim est pronuntiare, aliud vocare. Nam (pronuntiare) est materiale quiddam, at (vocare Deum) est honorare vt Deum. Verba ita annecte. *Deos nationum nominari lex prohibet*, quod cùm facit, *non vtique* prohibet, *ne nomina eorum pronuntiemus*, *sed* tantùm *ait, Nomen aliorum Deorum neque commemorabitur, neque audiatur de ore tuo*: quibus verbis *hoc præcepit, ne*, &c. Inde non displicet, qui censet media omnia parenthesi includenda, quod tamen necessarium non est. Notetur interpretatio illa, *in vano, id est, idolo*, quæ arguta satis. q.d. Qui Deum dicit illum, qui verè non est, dat grande hoc nomen rei vanæ. Absoluit, *Cecidit igitur*, &c. quibus explicat, vocare Deum esse honorare vt Deum.

321. 4. Quòd si Deos dicendum erit, adiiciendum est aliquid, quo appareat, quia non ego illos Deos voco. Nam & scriptura Deos nominat, sed adiicit suos, vel natio-
Psal. 113. num: sicut Dauid, cùm Deos nominasset, vbi ait: Dei autem nationum dæmonia. Sed hoc mihi ad sequentia magis præstructum est.

4. Adhibet nouam cautionem, qua vti debeant fideles, cùm Deos nominant. Clara omnia. Extremum illud, *sed hoc mihi*, &c. ideo, quia cùm præmiserit dicturum se de vitio *consuetudinis* & *timiditatis*, & eò sermonem destinet, priùs intulit ista de pronuntiandis & vocandis Diis, quasi præstruens viam ad ea quæ dicturus de *consuetudine* & *timiditate*. Ait *magis*, pro, potiùs.

322. 5. Cæterùm consuetudinis vitium est me Hercule dicere, me Dius Fidius, accedente ignorantia quorundam, qui ignorant iusiurandum esse per Herculem. Porrò quid erit deieratio per eos quos eieraſti, quàm præuaricatio fidei cum idololatria? Quis enim per quos deierat, non honorat?

5. Absoluit breuiter quæ pertinent ad *consuetudinem*, & quia breuiter ideo annectit huic capiti, referuans ad sequens quæ pertinent ad *timiditatem*, non tamen displiceret, vt duo ista vnico capite connecterentur. Clara omnia. Hoc loco *deierare* nihil est aliud, quàm sanctè iurare, & obtestari. *Quos eieraſti*, id est, quos in baptismo detestatus es, quibus abrenunciasti. Si ergo tibi iam eierati sunt in baptismo, id est, detestati, certè præuaricaris si postea per illos deieres, id est, sanctè iures: nam ita confers illis diuinitatem. De iuramento *Me Dius Fidius*, in Notis.

NOTÆ.

323. 1. CONVERSATIO.] Heral. lib. 2. Digress. cap. 5. scribit firmatque, veteres Ecclesiæ Doctores appellauisse πολιτείαν certam viuendi rationem, genus, institutum. cui voci Græcorum respondet & *disciplina* & *conuersatio* Latinorum Patrum. Itaque quod in Actis Apost. legitur πολιτεύεσθαι, & in Paulo ad Philippenses πολίτευμα, rectè redduntur *conuersari*, & *conuersatio*. & μοναστικὴ & μοναχικὴ πολιτεία nihil est aliud, quàm *monastica* & *monachica disciplina* & *conuersatio*. vt cùm Hieronym. de Hilarione scripsit, *Necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachos ante sanctum Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis*, &c. & Greg. lib. 2. Dialog. de sancto Benedicto: *Relicta domo rebúsque patris, soli Deo placere desiderãs, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit.* ita & verbum *conuersor*, vt cùm Auctor vitæ sancti Fulgentij ait, *Ad balneas penitus non accedebat, & sub ipsa adhuc professione*

feſſione laïca, plenè iam monachus conuerſabatur. Ergo A *conuerſatio* Tertullianica non eſt aliud, quàm inſtitutum & ratio diſciplinæ. Vide Heraldum dicto loco: & adiice à me Gregorium Nyſſen. Homil. 1. Eccleſ. vbi πολιτείαν ἐκκλησιαστικὴν eodem planè ſenſu accipit. & Auctorem vitæ ſancti Ludgeri lib. 1. c. 4. *Tonſura in Traiecto monaſterio accepta, moderatis valde moribus in omnium illic dilectione conuerſatus eſt.* Obiicies. Si *conuerſatio* & *diſciplina* res eſt eadem, cur Tertull. dixit, *Conuerſatio diſciplinæ*? Soluo hunc nodum. Secutus eſt formam Iureconſultorum, qui *cauſſa proprietatis, poſſeſſionis*, pro, proprietate, poſſeſſione. Sic & Græci, τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν, pro, ἡδονή. Sic in lib. Eſther *verba ieiuniorum* ſunt ieiunia. Vide Ritterhuſium in lib. 1. Halieut. Oppian. & Taubmannum in Amphit. Plauti. Ergo, *conuerſatio diſciplinæ* nihil eſt aliud, quã diſciplina. His duabus vocibus adde, ſi lubet, ἄσκησιν Græcorum, & *exercitationem* Latinorum. Iſtæ enim voces patribus Græcis, & Latinis ſumuntur pro diſciplina & conuerſatione ſpirituali, vt cùm de Ioanne Baptiſta ait Cyrill. Hieroſolym. catecheſ. 3. ἔνδυμα πεπεισμένον ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ τῆς ἀσκήσεως τὸν τύπον ἐν ἑαυτῷ δεικνύμενα: *Indutum pilis cameli, ac perinde monſtrantem in ſemetipſo typum exercitationis.* B

324. 1. ECCE HOMO, ET FACTA EIVS.] Pamel. ita ſcribit: *Scripturæ hunc locum hactenus reperire non potui, quærat diligens Lector alicubi in editione 70. Habet eandem B. Auguſt. M edit. cap. 39. ſed ſine adſcriptione loci.* Iunius ſuſpicatur deſumpta ex lib. Enoch, & eſſe coniuncta cum his quæ Tertull. citauit cap. 4. huius operis.

1. MEMINISSE DEBEMVS ETIAM IN VERBIS.] In M. S. legitur, *Meminiſſe debemus eſſe in verbis*, & præfert Vvouer. vulgatæ.

1. INCVRSVM.] Credo reſpectum ad ſcopulos, in quos naues incurrunt impingúntque, & id putabit qui legat caput vltimum huius operis.

2. IN TEMPLO ÆSCVLAPII ILLVM HABES.] Puto referendum ſermonem ad illos, qui C incubabant in templo Æſculapij, putantes ſibi inter dormiendum remedium præſcribi. Itaque de templo huius Dei Pauſan. Corinth. ἔνθα οἰκέται τὸ Θεοῦ καθεύδουσιν: *Ibi, qui precatum ad Deum veniunt, dormiunt.* Quò alluſit Plaut. Curcul.

---qui hic leno agrotus incubat
In Aeſculapij fano.

Ergo, cùm multi eò commearent cauſſa ſalutis obtinendæ, factum, vt requirenti aliquem, reſponderetur, *Iubes illum in templo Aeſculapij.* Notet & Lector formam iſtam, *in Aeſculapij templo*, aut *fano.* Cui oppoſita Chriſtianorum forma, *in Dei nomine.* Concil. Gang. ad exitum loquens de Eccleſiis, *Omnem locum in nomine Dei adificatum honoramus.* Ab hac forma ſæpe adimebatur nomen, & tantùm characteres iſti ſculpebantur in foribus, *Aeſculapij, Apollinis, Dei, Barbaræ.* id eſt, Templum, Eccleſia. D

325. 2. IN VICO ISIDIS HABITO.] Habeo domicilium. Plaut. Amphit.

In ſuperiore qui habito cœnaculo.

Vide quæ ſcripſi 8. Æn. ad illud,

---habitat Deus.

Hæc enim vox ſemper ad domicilium refertur. Inde illud Pſalmi, *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus ſuis.* Ita & Græci verbum κατοικεῖν, vt cùm Manaſſes loquens de templo ſanctæ Sophiæ,

Αν γὰρ Θεὸς καταξιοῖ μόνην ἐν χειροκμήτοις,
Ἐν τούτῳ πάντως κατοικεῖ:
Si Deus dignatur morari in manufactis,
In hoc omnino templo habitat.

2. QVANDO ET HOMINIBVS HOC GENVS NOMINA INDVCVNTVR.] Helleniſmus eſt, &, *hoc genus*, eſt in quarto caſu, id eſt, τὸ hoc genus. Illud *hominibus* poſuit in vltimo caſu, & iuxta hærentem lectionem Vvouer. qui in verbis ſequentibus, vbi legitur, *Neque enim Saturnum honoro, ſi ita vocauero ſuo nomine*, reponit, *ſi ita quem vocauero ſuo nomine.* Iam erit alia explicatio, vt dicat, contingere ſæpe, vt homines habeant Deorum nomina, ad eum modũ, quo Mercurij nomen aptatur etiam magno illi Τειμιγίῳ, & tunc, *hominibus*, erit in tertio caſu.

2. MARCVM.] Notat Briſſon. in indice iuris, 326. nomen *Marcus* vſurpari à Tertull. pro *quidam*, ad eum modum, quo ab aliis ponitur *Caius* & *Lucius.* ſic & à Perſio Sat. 5. *Marcus* dicitur quidam manumiſſus veluti pro exemplo, vt potuiſſet dici *Caius*, quã vocem quinquies repetit, lege ab illo *Marcus Dama*, &c. Firmat hoc idem Tertull. ipſe lib. aduerſ. Valent. cap. 32. vbi, *Fabulæ tales vtiles, vt Marcus, aut Caius in hanc carnem barbatus*, &c. id eſt, quiſpiam.

3. NOMEN ALIORVM DEORVM NEQVE COMMEMORABITVR.] Spectat locum Exodi, de quo initio capitis. Cæterùm in vulgatis omnibus legitur *commemoremini*, reſcripſi *commemorabitur*, ſecutus M. S. ex auctoritate Vvouer.

3. IN VANO, ID EST, IDOLO.] Firmat explicationem Tertulliani Pamel. Nam vbi 1. Reg. c. 12. dicitur, *Nolite declinare poſt vana*, Hieronymus interpretatur *idola.* & Act. 14. dicitur, *Annuntiantes vobis ab his vanis conuerti*, ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων, id eſt, idolis. Eſt enim certum *vanitatis* nomine notari idololatriam. Auctor vitæ ſancti Ludgeri lib. 1. c. 17. *Veteris vanitatis culturas auferens.*

4. DEOS DICENDVM ERIT.] Helleniſmus, de quo lib. de Pall. ad ea, *Phyſconem & Sardanapalum tacendum eſt.*

4. ADIICIENDVM EST ALIQVID.] Le- 327. ge Pamelium. & adiice à me locum ſimilem Ioannis Chryſoſt. orat. 5. de Incomprehen. Dei Natura, vbi ait, αὐτὸς ἀλίσκῃ τοῖς ἐγκλήμασι τούτοις, Θεοὺς λέγων, καὶ ὢ Θεόν: *Ipſe eidem es obnoxius crimini, cùm Deos dicis, non Deũ.* Cùm verò dicat adiiciendum aliquid, pulchrè Athanaſ. Apolog. aduerſus Gent. adiicit ad tollendam amphibologiam, πλὴν πιστοῖς λεγομένοις Θεοῖς, quaſi dicat, *Deos Poeticos.*

4. SICVT DAVID.] Priùs erat *ſic & Dauid*, & nulla ratio mutationis.

4. MAGIS PRÆSTRVCTVM.] Ad hunc modum dixit Plaut. Amphit. *Magis facere*, id eſt, conducere, pro potiùs facere. quod enim fit potiùs, conducibile eſt.

5. MEDIVS FIDIVS.] Cùm multæ ſint explicationes huius formæ, certè qui explicant, ita me amet Hercules filius Διὸς, id eſt, Iouis, habent pro ſe fauentem Tertullianum, qui clarè ait hoc iuſiurandũ dici de Hercule. *Fidius* pro *filius* ex vicinitate harum litterarum, ſic & *ſella* dicitur quaſi *ſedda.* Aues *melicæ* & *medicæ.* & quod Græci, μελετᾶν, nos *mediari.* & *Dius* idem quod, διογενὴς, *genitus à Ioue.* Aduertatur hîc nota Turnebi, hoc iuramẽti genere mulieres olim non ſe aſtringebant, quaſi illæ indignæ eſſent Herculem aſſumere ad iuramentum. Inde Titinius adoleſcentem, qui in fœminam degeneraret, hoc iuſiurandum non audentem attingere, monet, vt quando hoc nomen ita litteris eſſet immutatum, dicat: *Anquia Pol, ædepol fabulare, medi edi*, id eſt, medius fidius.

5. QVID ERIT DEIERATIO.] Ita ſcripſi, ſe- 328. cutus Latinium, Iunium, atque etiam M. S. ex fide Vvouer. in vulgatis omnibus legitur *erat.*

5. QVIS ENIM PER QVOS DEIERAT, NON HONORAT?] Harmenopulus lib. 1. tit. 7. περὶ ὀμνύων. ἱκανὸς γὰρ ὁ ὅρκος ἔχειν τιμωρὸν τὸν Θεὸν, εἰ κατὰ τοῦ Θεοῦ γένοιτο: *Satis enim Deum vltorem habet iuſiurandi per Deum præſtiti contempta religio.* Velleius lib.

1. *Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ à Sulla captæ sunt, imputat Athenienſibus, nimirum veri vetuſtatiſque ignarus eſt: adeò enim certa Athenienſium in Romanos fides fuit, vt ſemper & in omni re, quicquid ſincera fide peteretur, id Romani Attica fide fieri prædicarent.*

CAP. XXI. ARGVMENTVM.

Interdum ex timiditate, addit non curandas maledictiones Gentilium.

TERTVLLIANVS.

329. 1. TIMIDITATIS eſt autem, cùm te alius per Deos ſuos obligatiuratione vel aliqua teſtificatione, & tu ne intelligaris, quieſcis: nam æquè quieſcendo confirmas maieſtatem eorum: cuius cauſſa videris obligatus.

EXPLICATIO.

1. TRANSIT ad vitium timiditatis. *Alius*, id eſt, Gentilis, quia alienæ ſectæ. *Obligat*, aſtringit. *Quieſcis*, diſſimulas, taces, vt non intelligaris cognoſcariſque eſſe Chriſtianus. *Nam æquè quieſcendo*, id eſt, Nam quieſcendo, æquè confirmas. Quia ſcilicet tritum eſt illud, Qui tacet, conſentit.

2. Quid refert, Deos nationum dicendo Deos, an audiendo confirmes? Iures per idola, an ab alio adiuratus acquieſcas? Cur non agnoſcamus verſutias Satanæ, qui quod ore noſtro perficere non poteſt, id agit vt ſuorum ore perficiat, per aures inferens nobis idololatriam?

2. *Quid refert*, &c. Quia æquè eſt noxa. *Ab alio adiuratus*, quod ſuprà *obligatus iuratione* vel *teſtificatione*. *Verſutias*, præclarè. Nam qui non poteſt à nobis verbum idololatricum extorquere, vertit formam pugnæ, vt ſaltem audiamus. Itaque hic non dolos, fraudes, &c. ſed ſignatè *verſutias*. *Inferens*, inſtillans nobis, ſed melius inferens; nam verbum hoc ſemper ad nocumentum.

330. 3. Certè quiſquis ille eſt, aut amica, aut inimica congreſſione adſtringit. Si inimica, iam ad pugnam vocaris, & ſcis tibi dimicandum eſſe. Si amica, quanto ſecuriùs in Dominum transferes reſponſionem tuam, vt diſſoluas obligationem eius, per quem te malus honori idolorum, id eſt, idololatriæ, quærebat annectere.

3. *Aut amica, aut inimica*, &c. Dilemma illuſtriſſimum. *Ad pugnam vocaris*, vt ſi eſt opus, martyrium etiam ſubeas, & dimices pro fide. *Securius*: nihil enim timendum, ſi coram amico Gentili *transferas reſponſionem tuam* in Deum verum, & ita ſoluas obligamentum, quo te dæmon voluit illigare idololatriæ. v. g. Si quis te velit illigare ad rem aliquam per Iouem, reſponde, ego obligandus ſum per Deum verum, non per falſum.

4. Omnis patientia eiuſmodi idololatria. Honoras eos, quibus impoſitis obſequium præſtitiſti.

4. Poſt *idololatria* ſubaudi verbum *eſt*. illa, *Honoras eos*, &c. rationem reddunt præcedentis membri. *Impoſitis*, id eſt, interpoſitis, vt explicat Iun. vel verè tanquam onus quoddam *impoſitis* tibi.

331. 5. Scio quendam, cui Dominus ignoſcat, cùm illi in publico per litem dictum eſſet, Iuppiter tibi ſit iratus, reſpondiſſe, immò tibi. Quid aliter feciſſet ethnicus, qui Iouem Deum credidit?

5. Adducit exemplum cuiuſdam Chriſtiani qui inter litigandum maledictus à Gentili per Iouem, remaledixit eidem per eundem Iouem, quæ remaledictio verè fuit Gentilica.

6. Etiamſi non per eundem retorſiſſet maledictum, nec per vllum Iouis ſimilem, confirmauerat Iouem Deum, per quem ſe maledictum indignè tuliſſe demonſtrauerat remaledicens.

6. Vide an verè remaledictio illa fuerit gentilica, cùm ſolùm tacita indignatione & ira in maledicentem concepta confirmaret *Iouem* eſſe *Deum*.

332. 7. Ad quid enim indigneris per eum, quem ſcis nihil eſſe? Nam ſi inſanis, iam eſſe confirmas, & erit idololatriæ profeſſio timor tuus: quanto magis cùm per ipſum remaledicis, eodem Iouis honorem facis, quo & ille qui te prouocauit?

7. *Per eum*, id eſt, propter eum. vel ſubaudi aliquid. v. g. per eum maledictus. *Si inſanis*, id eſt, ſi indignaris. *Timor tuus*, quo ſcilicet times maledictionem illam habituram aliquid ponderis. *Eodem Iouis*, &c. Senſus eſt: Nonne facis æſtimáſque magni honorem Iouis eodem maledicto, quo & is qui te prouocauit, fecit magni eundem Iouis honorem?

8. Fidelis autem in huiusmodi ridere debet, non insanire. Imò secundùm præceptum ne per Deum quidem remaledicere, sed planè benedicere per Deum, vt & idola destruas, & Deum prædices, & adimpleas disciplinam.

8. Dat fideli consilium hoc. Ne irascere, imò ride. Nulla tibi maledictio licita est, non solùm per Deos falsos, sed *ne per Deum* verum, vt sic *idola destruas*, &c. Verba *remaledicere*, & *benedicere* pendent à verbo *debes*, quod priùs posuit.

NOTÆ.

333. 1. VIDERIS OBLIGATVS.] Ita habebam A ad oram mei libri. Alij scribunt *videberis*, alij *videbaris*.

2. VERSVTIAS SATANÆ.] Zen. Veron. serm. 1. de Natiu. *Cùm hæc ita sint, humanitas te versuta cognosce, vel sero.* Versutia à versandis assandisque piscibus. Vide Turn. lib. 11. cap. 7. & lib. 26 cap. 29. vbi ait *versare* esse *assare*, trahique à piscibus. Plaut. Asin. cũ præmiserit, *quasi piscis*, subdit deinde, *Vel patinarium, vel assum, verses quo pacto lubet.* Ergo, benè de Satana *versutias*, versante & assante homines.

3. CONGRESSIONE ASTRINGIT.] Addit Latinius, *te adstringit*. Non est necesse.

3. TRANSFERES.] Maulut Iunius legere *transfers*. Non placet.

3. MALVS.] Ita antonomasticè dæmon & ab Tertulliano sæpe, & ab aliis. Nyssenus quidem in laude Basilij fratris diabolum vocat τῆς κακίας εὑρετὴν, *malitiæ inuentorem*. Nazianz. orat. 9. ἐπαπείρας τὰ ζιζάνια πονηρὸς, *Malus zizania superseminans.*

334. 4. IMPOSITIS.] Contuli ad onus, vel ex veteri prouerbio apud Ammian. lib. 16. *Clitellæ boui impositæ sunt, planè non est nostrum onus.* Et cùm in Auctoribus audis simpliciter & nulla re addita *imponere alicui* pro decipere, debes subaudire aut onus, aut sarcinam, vt sensus sit, ducere hominem illum instar iumenti.

5. IMÒ TIBI.] Hac verborum forma regerebantur imprecationes & diræ. Exemplum habes etiam in Martiali lib. 5.

Hoc sentis? inquis. faciat tibi sic bene Cæsar,
Sic Capitolinus Iuppiter, imò tibi.

5. QVID ALITER FECISSET.] Rescribunt, *Quid aliud*, nulla necessitate. Imò *aliter* sapit Afri huius penu.

6. RETORSISSET MALEDICTVM.] Locutus est aspectu teli, quod dicitur torqueri & retorqueri, & quidem maledicta tela sunt, iuuante Saluiani loco lib. 3. de Gub. *Prima semper irarum tela maledicta sunt, & quicquid non possumus imbecilli, optamus irati: ac sic in omni animorum indignantium motu votis malis pro armis vtimur.* 335.

7. ET ERIT IDOLOLATRIÆ PROFESSIO TIMOR TVVS.] In vulgatis omnibus legitur, *Et erit idololatriæ professio timoris tui*, sensu non satis apto. Iunius corrigit, *Et erit idololatria professio timoris tui.* Sed professio *timoris* non satis aptè dicitur. Mutaui, vt vidisti, sensu cohærentissimo. Qui velit, amplectatur tamen lectionem Iunij, vt dicat, professio timoris tui erit idololatria. Deinde Pamelij, vt dicat professio timoris tui, erit professio idololatriæ. Habes Me, Iunium, Pamelium.

B 7. EODEM IOVIS HONOREM FACIS.] Dissident lectiunculæ. Iunius, *eodem Iouis honore facis.* Vvoueren. ex M. S. *eodem Ioui honorem facis.* Alij, *eodem Iouem honore facis.* Vt placeat. Vulgarem secutus sum, quia illa defendi potest. 336.

8. DISCIPLINAM.] Semper hæc vox in hoc viro notat non simpliciter disciplinam, sed disciplinam seueram. vt etiam in Cypriano locis infinitis. vt cùm ait lib. de Disc. & Hab. Virginum: *Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris*, &c. Vide ibi Pamelium, & adiice ista Valeriani Episcop. Cemelienſis Homil. 1. *In principio enim operis sui Deus nihil prius quàm disciplinam fecit.* & latè prosequitur ab initio orbis conditi. & suprà dixerat: *Disciplina igitur magistra est religionis, magistra veræ pietatis; quæ nec ideo increpat, vt ladat; nec ideo castigat, vt noceat.*

CAP. XXII. ARGVMENTVM.

Nolit Christianus benedici per Deos nationum.

TERTVLLIANVS.

337. 1. ATQVE benedici per Deos nationum Christo initiatus non sustinebit, vt non semper reiiciat immundam benedictionem, & eam sibi in Deum conuertens emundet. Benedici per Deos nationum, maledici est per Deum.

EXPLICATIO.

1. DIXIT superiore cap. non curandas maledictiones Gentilium, adiicit in hoc nec benedictiones. *Christo initiatus*, per baptismi sacra. *Vt non semper reiiciat*, &c. Quemadmodum in superiore cap docuit obligamenta Gentilium transferenda in Deum, ita nunc ait benedictiones eorundem conuertendas in Deum, & hoc modo emundabuntur immundæ benedictiones. De lectione dicam in Notis, Pamel. quippe & Iun. mirè cæcutiuere, diuersa tamen ratione.

338. 2. Si dedero eleemosynam, vel aliquid præstitero beneficij, & ille mihi Deos suos, vel coloniæ genium propicios imprecetur, iam oblatio mea, vel operatio, idolorum honor erit, per quæ benedictionis gratiam compensant. Cur autem non sciat me Dei

causſa feciſſe, vt & Deus potiùs glorificetur, & dæmonia non honorentur in eo quod propter Deum feci?

2. Cùm dixerit, benedictiones Gentilium conuertendas à Chriſtiano in Deum, adhibet exemplum hoc, verè occaſionem, qua hoc ſoleat fieri. Si quis Gentilis dixerit Chriſtiano eleemoſynam largiēti, aut quoduis aliud beneficium conferenti, Iuppiter tibi benefaciat, reſpondeat, imò Deus, vt ità Gentilis ſciat, me Dei causſa feciſſe. *Oblatio mea*, id eſt, beneficium quod offero. *Operatio*, id eſt, eleemoſyna: reſpicit quippe immediatè dicta. *Per quæ* idola.

338. 3. Deus videt, quoniam propter ipſum feci. pariter videt quoniam propter ipſum feciſſe me nolui oſtendere, & præceptum eius idolothytum quodammodo feci. Multi dicunt, Nemo ſe debet promulgare. puto autem nec negare. negat enim quicunque diſſimulat in quacunque causſa pro ethnico habitus. Et vtique omnis negatio idololatria eſt, ſicut omnis idololatria negatio, ſiue in factis, ſiue in verbis.

3. *Deus videt*, &c. Obiectio argutuli cuiuſquam. *Pariter videt*, &c. Solutio Doctoris. *Præceptum eius*, &c. Senſus eſt. Eleemoſyna, quam ex præcepto dedi, inſtar fuit idolothyti. Eſt enim in hoc auctore *idolothytum*, non ſolùm, quòd idolis immolatur, ſed etiam munus quodcunque illis oblatum. Ergo ait, Eleemoſynam oblatam pauperi fieri *idolothytum*. *Multi dicunt*, &c. Obiectio alia. *Puto autem*, &c. Solutio. *Diſſimulat*, eſt hoc, quod ſup. *acquieſcit*. illud *pro ethnico habitus*, eſt quod ſup. *pro ethnico intellectus*. Cæterùm totum hunc locum expendit Pamel. vt inſignem contra ſimulatores, firmátque ex lib. 2. Macab. c. 6.

NOTÆ.

339. 2. VT NON SEMPER REIICIAT, &c.] Ante Pamelium legebatur *vt non ſemper reiiciat*. Ademit ille malè negatiunculam, quam ego retinui, eandem Iunius retinet, ſed peſſimè explicat. Itaque Pamelius illam ademit putans officerè ſententiam, cùm tamen non officeret. Nam ſententia Tertulliani hæc eſt: Chriſtianus non ſuſtinebit benedici per Deos nationum, non ſuſtinebit vt non ſemper reiiciat immundam benedictionem, id eſt, reiiciat ſemper. Itaque verbum *ſuſtinebit*, pertinet & ad præcedentia, & ad ſequentia. atque adeo ego retineo ſenſum Pamelij, non lectionem: contrà, retineo lectionem Iunij, non ſenſum. Nam is ita ſcribit in hunc locum: *Negationem malè ſuſtulit Pamelius: ſenſus enim eſt; vt non ſit ei neceſſe immundam illam benedictionem auerſari ſermone, & impium benedicentem reprehendere ad purgationem ſui quocunque tempore promiſcuè: propterea ab occaſionibus participandi benedictiones iſtas, prudenter diligentérque abſtinebit. Poſt ſequitur ex hypotheſi, ſi dedero eleemoſynam*, &c. *Sic apta omnia*. imò ſic ille ineptè. Peſſimè enim monetur Chriſtianus fugere occaſiones benefaciendi, & prætextus iſte *non ſit ei neceſſe immundam benedictionem auerſari ſermone*, meram ſpirat impietatem. & quæ ille dicta putat ex hypotheſi, ego exempli gratia accipio. Dedi lucem loco difficili.

2. DEOS SVOS.] Dictum hoc ad eum modum, quo Horat. 340.

Te copias, te conſilium, & tuos
Prabente Diuos.

Poſſis capere Tertullianum vel de propriis Penatibus & Laribus ſingularium familiarum, vel de genio cuique mortalium aſcripto, ex doctrina Gentilium: quem Deum eſſe dicebant.

2. COLONIÆ GENIVM.] Cuiuis vrbi, aut municipio, aut coloniæ publicum geniū, id eſt, Deum attribuebant gentiles, qui vniuerſim curaret res populi, qui genius verè erat dæmon.

2. IMPRECETVR.] Dictum pro *adprecetur*. Sed notanter voluit ſcribere *imprecetur*, indicans, adprecationes gentilium eſſe veriùs imprecationes.

2. OPERATIO.] Retuli ad eleemoſynam, vt apparebit ſequenti capite.

2. VT ET DEVS POTIVS GLORIFICETVR, ET DÆMONIA NON HONORENTVR.] Sic ſuperiore capite ſcripſit, *Vt & idola deſtruas, & Deum prædices*. Quia ſcilicet in his omnibus adhortatiunculis quærit & gloriā Dei, & dęmonis contumeliā.

CAP. XXIII. ARGVMENTVM.

Iuramentum per Deos Gentilium ſcriptum in cautione obnoxium eſſe idololatriæ.

TERTVLLIANVS.

341. 1. SED eſt quædam eiuſmodi ſpecies, in facto & in verbo, bis acuta & infeſta vtrinque, licèt tibi blandiatur, quaſi vacet in vtroque dum factum non videtur, quia dictum non tenetur.

EXPLICATIO.

1. ANNECTITVR hoc caput præclarè cum fine ſuperioris, imò ab illo fine veluti nata occaſio huius capituli. Ait autem eſſe ſpeciem quādam incidendi in idololatriam & negandi Deum, & hanc ſpeciem poſitam tam *in facto* quàm *in verbo*, & inde *bis acutam* & *vtrinque infeſtam*. Sumit locutionem à gladio bipennato & ſecante vtrinque. *Licèt tibi*, &c. Ait hanc ſpeciem & formam negandi, blan-

dam videri vacantémque in vtroque, id est, *in facto & verbo*. Sed quare *blanda*, & *quasi vacans*? Quia cùm de verbo non constet, videtur nullum esse factum. Est *vacare* idem quod nihil esse. Itaque ascendit oratio, non solùm blanda videtur hæc negatio, sed potiùs nulla.

342. 2. Pecuniam de ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciati, iurati cauent, & sic negant.

2. Explicat iam, quæ sit species ista negandi Deum *blanda*, sed *bis acuta*; *quasi vacans*, sed *vtrinque infesta*. Christiani qui mutuantur ab ethnicis pecuniam, dantes pignus aliquod veluti in fiduciam & hypothecam, addunt insuper cautionem, id est, syngraphan, in qua non verbo, sed scripto tantùm iurant per Deos Gentilium se reddituros; hi idololatræ sunt & Deum negant. Itaque *cauent iurati*, est, faciunt cautionem & syngraphan cum iuramento. Sic hodie sæpe contingit, vt mutuantes pecuniam dent tum pignus veluti in fiduciam, tum syngraphan aliquam, quam *cautionem* dicimus aut *cauere*.

343. 3. Scire volunt scilicet tempus persecutionis, & locum tribunalis, & personam præsidis.

3. Ironica oratio, quam explico hunc in modum. Si dicas his Christianis, negari ab illis Deum verum, & esse meram idololatriam si iurent scripto tantùm, non ore, per Deos gentilium, respondebunt tibi, nunc non est persecutio contra Christianos, non tribunalia, non præsides, tutò possumus ludere. Volunt scilicet isti scire esse persecutionem, vt abstineant ab hoc iuramento, aliter non curant. q. d. Qui tam leui ex occasione negant fidem, quid speras facturos furente persecutione

344. 4. Præscribit Christus, non esse iurandum. Scripsi, inquit, sed nihil dixi; lingua, non littera, occidit.

4. Accingitur iam ad errorem hunc expugnandum. Non potestis ita iurare, quia *Christus præscribit*, id est, præscripto vetat, *non esse iurandum*. Respondent illi: Nihil iurauimus ore, tantùm scripsimus iuramentum: *lingua* est quæ *occidit*, *non littera*. non tenemur dicto, ac perinde nec factum videtur. nihil ergo admisimus.

5. Hîc ergo naturam & conscientiam aduoco: naturam, quia nihil potest manus cribere, etiamsi lingua in dictando cessat immobilis & quieta, quod non anima dictauerit: quanquam & ipsi linguæ anima dictauerit aut à se conceptum, aut ab alio traditum.

5. Aduocat contra istos *naturam*, *& conscientiam*. Naturam, quia quicquid manus scribit, *anima* dictat, etiam si taceat *lingua*, *cessetque immobilis*. Pergit. *Quanquam & ipsi linguæ*, &c. id est: Quanquam quid dixi dictari scripturam manui ab anima tacente lingua? imò & tunc etiam si videatur lingua tacere, ipsi linguæ dictat anima, modò à se concipiat, modò ab alio accipiat. Itaque sensus est, cùm anima dictat aliquid manui, etiam tunc dictari rem eandem linguæ quantumuis tacenti, nam videlicet in manu, vt cum proprio instrumento, loquitur semper lingua etiam tacens. Ergo tria sunt scripturæ instrumenta, animus, lingua, manus.

345. 6. Iam ne dicatur, alius dictauit, hîc conscientiam appello, an quod alius dictauit anima suscipiat, & siue comitante, & siue residente lingua ad manum transmittat? & Matth. 5. bene, quòd in animo & conscientia delinqui Dominus dixit: Si, inquit, concupiscentia vel malitia in cor hominis ascenderit, pro facto teneris.

6. Possent isti dicere, dictante alio illam cautionem manui alterius, non esse peccatum. *Hic ergo* Doctor omissa natura prouocat ad *conscientiam* vniuscuiusque. *Quæro*, ait, *an quod alius dictauit* (siue tacente, siue non tacente tua lingua) *anima tua susceperit, transmiserit que ad manum?* q.d. Certè susceptit anima tua, & transmisit ad manum, ac perinde conscia est illa. Atqui, mi vir, bene se habet dici à Deo *delinqui in animo & conscientia*. Cùm dictatum ab alio susceperit necessariò tua anima, mox aduocat verba Christi.

7. Cauisti igitur quod in cor tuum planè ascendit, quod neque ignorasse te contendere potes, neque noluisse. Nam cùm caueres, sciisti: cùm scires, vtique voluisti, & es tam in facto, quàm cogitatu.

7. Concludit iam, cautionem illam, aut syngraphan factam esse necessariò cum scientia animæ, nam cùm manus scripsit, sciuit anima: cùm sciuit, voluit. Ac perinde (ait) tu miser deprehensus es, & obligatus *tam in facto*, quia scripsisti; *quàm in cogitatu*, quia sciuit tua anima.

346. 8. Nec potes leuiore crimine maius excludere, vt dicas, falsum planè effici cauendo, quod non facis; tamen non negaui, quia non iuraui: Imò etsi nihil tale fecisses, tamen dicereris deierare, si consenseris.

8. Sequitur obiectio, quam vt intelligas, præmitto. Leuius crimen est *iurare*, maius *negare*. Potuisset ergo dicere Christianus iste, tu me Tertulliane ais negasse, cùm dedi eam cautionem, quia in ea iuraui per Deos Gentilium: ego contrà, non enim *iurani*, quia tantùm scripsi, non ergo *negaui*. & ideo

repellendo excludendóque leuius crimen, excludo maius. Ait itaque Doctor: Non potes mi homo leuiore crimine excluſo maius excludere, vt dicas, *cauendo*, id eſt, cautione iſta, *effici planè falſum*, quod ego tibi imputo, *quod* tamen falſum *non facis*. nam tota illa vis tua, *tamen non negaui, quia non iuraui*, nihil valet. quia ſi conſenſiſti (& verè conſenſiſti ex ſuperioribus, nam *anima ſciuit, & voluit*) etiam ſi nunquam feciſſes hanc cautionem, tamen non ſolùm *dicereris* iurare, ſed etiam *dierare*, id eſt, non vtcunque iurare, ſed ſanctè iurare: vnde ſequitur clara negatio Dei, quia res tota poſita in conſenſu. Hæc eſt ſententia, & nequit (vide auſum) eſſe alia. Nota mihi verba *effici*, & *facis*. In illo vis maior, in iſto exigua. q.d. Tu hoc conaris falſum efficere, ego contrà aio, nec te facere, quod eſt multò minus.

347. Luc. 1. 9. Non valet tacita vox in ſtylo, & mutus in litteris ſonus. At enim Zacharias temporali vocis orbatione mulctatus, cum animo collocutus linguam irritam tranſit, manibus ſuis à corde dictat, & nomen filij ſine ore pronuntiat, loquitur in ſtylo, auditur in cera manus omni ſono clarior, littera omni ore vocalior. Quære an dixerit, qui dixiſſe compertus eſt.

9. Sequitur obiectio altera, quam vt claram percurro tantùm notulis. *Stylo*, vocat ſtylum ſyngrapham illam & ſchedulam. *At enim*, &c. hinc ſoluit obiectionem. *Cum animo collocutus*, &c. Ab animo ad manus conceptus fit, *linguam tranſit* Zacharias *irritam*, & impeditam vſu loquendi, illam nihil curat, ſine illa loquitur, ſine illa pronuntiat. Plena omnia acuminum. Nam quale eſt pronuntiare ſine ore, loqui ſine lingua, audiri ſine ſono, imò manum clariorem eſſe ſine ſono, litteram vocaliorem eſſe ore, ſtylum ipſum non legi ſed loqui? *Quære an dixerit*, &c. ironicè.

348. 10. Dominum oremus, ne qua nos eiuſmodi contractus neceſſitas circunſiſtat. Et ſi ita euenerit, det fratribus operandi copiam, vel nobis abrumpendæ omnis neceſſitatis conſtantiam, ne illæ litteræ negatrices vicariæ oris noſtri in die iudicij aduerſus nos proferantur, ſignatæ ſignis non iam aduocatorum, ſed angelorum.

10. Concluſio totius capitis, & ſatis clara. *Operandi copiam*, benefaciendi facultatem, copiámque largiendi eleemoſynam fratribus egenis, vt ſcilicet ita adiutis non ſit neceſſe recurrere ad peſſimos hos *contractus*. *Vel nobis abrumpendæ*, &c. vel det conſtantiam ad ſubeundum martyrium, quo neceſſitas illa abrumpatur, ſi nequeat aliter fieri. Reliqua clara ſunt.

NOTÆ.

349. 1. IN FACTO ET IN VERBO, BIS IACVTA.] Iunius legit, *in facto & in verbis acuta*, ſatis frigidè.

2. SVB PIGNORIBVS FIDVCIATI.] Ex formula Iure Conſult. Paulus 2. Sentent. tit. 10. §. vlt. *Diſtractiones eorum pignorum & fiduciarum.* & tit. 4. lib. 2. *de pignore fiduciáque.* Sidon. lib. 4. epiſt. 24. *Pecuniam pater tuus Turpio vir Tribunitius mutuam pridem, ſi recordaris, à Maximo Palatino poſtulauit impetrauitque, nil quidem loco fiduciæ pignoriſque, vel argenti ſequeſtrans, vel obligans prædiorum.* Vide Ioann. Sauar. in dictum locum Sidonij, vbi his plura. Addit etiam *pignus* eſſe quod propter rem creditam obligatur, cuius ſcilicet poſſeſſionem creditor habeat ad tempus, & dominium ſit penes debitorem, Hiſpani dicunt *prenda*: eſſe verò *fiduciam*, cùm res aliqua ſumendæ mutuæ pecuniæ gratia, vel mancipatur, vel in iure ceditur. Puto tamen Tertullianum non ſeparare fiduciam à pignore. itaque oratio iſta, *accipio mutuum fiduciatus ſub pignore*, tantùm eſt, accipio mutuum dans tibi pignus in fiduciam futuræ ſolutionis.

2. IVRATI CAVENT.] Non ſolùm Iure Conſulti ſed paſſim alij Latini Auctores ſimiles ſchedulas aut ſyngraphas vocant *cautiones*, & *cauere*. Quia ſcilicet cauemus ita nobis & reddimur ſecuri, cùm mutuum damus. Si non ſatis intellexiſti in explicatione quid ſit *iurati cauent*, finge Chriſtianum petentem pecuniam mutuam ab ethnico, dare illi ſyngrapham ita ſcriptam, *Ego iuro per Iouem redditurum me tibi pecuniam iſtam, quam mutuam accipio à te.* Hæc eſt cautio, & hæc dabatur præter pignus, illámque Chriſtiani decepti putabant ſe dare tutò poſſe, quia cùm non iurarent verbo, ſed tantùm ſcripto, dicebant nullum eſſe periculum idololatriæ. Eſt enim hæc trita iurandi forma, cuius meminit etiam Græcus Nicetas A Dauid in vita ſancti Ignatij Archiepiſc. Conſtantinopolitani, ille vocat, οἱ ἐγγράφως ὁμωμοκότες: *Iurantes in ſcriptis.* Ac ne tibi deſit exemplum, Euſebius Gallic. Epiſ. Homil. de Beat. Iatrone, ſic inquit: *Nam dum tam inſignem reum relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conſcripſit ſecuritatem, vt conſolatio & ſpes fieret totius populi, abſolutio vnius deſperati.* Cicero pro Muræna, Iure Conſ. vocat *formularum cautores.*

350. 2. ET SIC NEGANT.] Iunius coniungit cum ſequentibus, & legit, *Et ſic negant ſcire. Volunt*, &c. Quæ correctio ſatis indicat locum ab illo non intellectum: videtur enim innuere negari mutuum ab hoc Chriſtiano. Cùm tamen Tertull. dicat negari fidem, vt apparet & ex contextu ipſo, & ex fine præcedentis capitis. In fine etiam huius dicuntur *litteræ negatrices.*

4. OCCIDIT.] Locutio Scripturæ, vt videre eſt paſſim.

5. HIC ERGO NATVRAM, &c.] Legunt B multi, *hic ego naturam*, neque abnuo, eſt enim efficacius, ſed non neceſſarium.

5. NATVRAM, QVIA NIHIL POTEST MANVS SCRIBERE, ETIAM SI LINGVA IN DICTANDO CESSAT IMMOBILIS ET QVIETA, QVOD NON ANIMA DICTAVERIT.] Sanè Hippolytus Martyr venuſtiſſimè ad hanc rem: *Ego enim, qui lingua loquor, & manu ſcribo, vnam & eandem meæ animæ intelligentis notionem enuntio, quæ naturalis operatio ipſius eſt, quam nulla ratione oſtendo ex lingua aut manu naturaliter naſci, nec eſſe aut dici notionem linguæ aut manus, quia per linguam & manum enuntiata ſit. Linguam enim aut manum ratiocinantem nullus intelligentia praditus nouit.*

351. 5. LINGVA.] Præclarè dicit animum reum, non linguam, modò hæc ceſſet, modò non ceſſet.

Plautus quidem Asinar. linguam tantùm vocat *patronam* periurij, quasi illa tantùm patrocinetur, sed culpa præcipua ac reatus in alio hæreat.

6. SI CONCVPISCENTIA, VEL MALITIA, &c.] Verba hæc non exstant in sacro eloquio, sed Tertull. illud Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo*, verbis aliis reddidit, hærens, vt sæpè solet, sententiæ, non verbis. Profert Pamelius & locum alium, cui potuerit hærere. Lege illum.

6. PRO FACTO TENERIS.] Profert Vvouer. ms. in quo *teneri*.

7. QVOD NEQVE IGNORASSE TE CONTENDERE POTES.] Præclarè ait, non ignorari quod scribitur. Ita etiam inquit Aristot. περὶ ἑρμην. cap. 1. litteras esse animi σημεῖα, *signa*: & suprà dixerat, ὄσι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα, τῶν ἐν τῇ φωνῇ, dicit, *quæ sunt in voce, esse symbola & notas passionum animæ, & quæ scribuntur, esse notas passionum vocis.* Ac perinde de primo ad vltimum (quod aiunt) quæ scribuntur indicabunt passionem animi. Cæterùm in nonnullis B legitur *contendere potest*, absurdissimè. Legendum *potes*. Sic legunt Petr. Fab. 3. Semest. cap. 10. Iunius in hunc locum, & Vvouer. & ms. Quin in nonnullis codicibus Pamelij apertè legitur *potes*, vt in eo, qui cusus Parisiis Anno M. DC. VIII.

352. 7. ET ES TAM IN FACTO.] Legunt, *& hæres tam in facto*, neque displicet, sed vulgata lectio omnino è penu Tertulliani.

8. NEC POTES LEVIORE CRIMINE MAIVS EXCLVDERE.] Ita scripsi secutus auctoritatem Latinij, & aliorum qui illum secuti: nam in vulgatis legitur *manus excludere* sensu non satis apto. Deinde illa *quod non facis*; *tamen*, &c. scripta à me, nam in omnibus ineptè, *quod non facis. Tamen*, &c. Postea *dicereris* bene est, & defendo vulgatam lectionem, quæ apta, nam Iun. legit *dicêris*, perperam.

8. TAMEN NON NEGAVI, QVIA NON IVRAVI.] Nicetas Choniates lib. 4. vitæ Manuelis C Imperatoris, cap. 4.

Τὸ τὸ τραγῳδοῦ ὁ βάρβαρος ἐκεῖνος ἐπῃνέσας, καὶ εἰπών,
Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος:
Tragicum illud homo barbarus collaudauit,
Iurauí lingua, mentem iniuratam gero.

353. 9. OMNI SONO CLARIOR.] Est hoc, quod Ioann. Chrys. Homil. 19. ad Pop. καὶ νῦν φωνῆς ἁπάσης λαμπρότερον: *Et nunc omni voce illustrius.* Sed cognatius illud eiusdem Homil. 9. eiusdem operis: σιγᾷ γὰρ ὁ οὐρανὸς, ἀλλ' ἡ ὄψις ὡσπερ φωνὴν σάλπιγγος λαμπροτέραν ἀφίησι: *Tacet cœlum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit.* Anonym. inter opera Hieronymi tom. 9. *Archangeli vocem omni buccina clariorem.* Paginam hanc non integram reddit Gregorius Madera A discur. 2. de Sancto Ioanne Baptista §. 1.

10. CONTRACTVS NECESSITAS.] Vocat *necessitatẽ* in contractibus tricas illas, quæ solent esse in syngraphis & scripturis, vt quæ nos necessitate quadam constringant & illigent, vt apud Ammian. lib. 15. quidam, qui alios nexibus columnarum implicabat, dictus est cognomento *catena*. Vnde & Horatius illustrabitur vocans has tricas *catenas* & *vincula* verba eius:

--- mille adde catenas,
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.

Sidon. epist. 13. lib. 5. ita dixit: *Flexuosa calumniarum fraude circumretire.* Et epist. 23. lib. 4. *hamata syllogismorum puncta.* Aldhelm. de Virg. c. 16. *Strophosi fallaciarum fabricatores.* Et cap. 23. *deceptionum muscipulis.* Them. orat. 3. præclarè, ἐπιβουλαὶ δολμάτων, *insidias dogmatum.*

10. OPERANDI COPIAM.] Optimè Pa- 354. melius explicat de eleemosyna. Verbum enim *operari*, est largiri eleemosynam, fortasse quia inter bona opera quæ conferuntur fratribus, principem locum habeat eleemosyna Hinc Cyprian. librum inscripsit *de opere & eleemosynis*, vbi sæpè hanc rem inculcat. Vt cùm ait: *Sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur: & quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & iugis operatio* (nota verbum) *baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur.* Tert. ipse lib. 4. contra Marcion. loquens de eleemosynis, *bonitas quæ operatur in extraneos.* Inde & Prudent. Psych. directè opponit *Auaritiam & operationem.* Notetur in primis versus ille,

Tum subitò in medium frendens operatio campum
Prosilit auxilio sociis, pugnámque capessit.

Quam vocis vim non intelligentes aliqui substituêre, *Miseratio*, pessimè satis. Debes notam hanc Pamelio in Notis ad Cyprianum. Adiungo locum Ambrosij notabilem lib. 2. offic. c. 16. *Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperis.* Et post pauca: *Quo plus te operari viderit populus, magis diliget. Scio plerósque sacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundasse: quoniam quicunque bonum operarium videt, ipsi confert quod ille suo officio dispensset, securus quòd ad pauperem sua perueniat misericordia.* Dixi (notabilem,) quia tres voces de re eadem, *operator, operor, operarius.* Beda etiam dixit lib. 4. c. 54. in Luc. 12. *eleemosynas operando.*

10. VICARIÆ.] Sic etiam Hieronym. epist. ad Ruffin. litteras vocat *vicarias*. Verba eius: *Has mei vicarias, & tibi obuias mitto.* Et Cyprian. in epist. ad Lucium PP. *Vicarias pro nobis ego, & collegæ, & fraternitas omnis has ad vos litteras mittimus, frater charissime.* Ita Ammian. lib. 17. *Vicariam potestatem, &, vicariam præfecturam.*

CAP. XXIV. ARGVMENTVM.

Comparat fidem cum naui, quæ patitur naufragium inundante in illam idololatria.

TERTVLLIANVS.

355. 1. INTER hos scopulos & sinus, inter hæc vada & freta idololatriæ velificata spiritu Dei fides nauigat, tuta si cauta, secura si attonita.

EXPLICATIO.

1. EPilogus totius operis allegoricus. *Scopulos*, montes saxeos eminentésque mari. *Sinus*, littora incurua mare complectentia. *Vada*, minùs profunda maris loca, & vndarum breuibus infesta. *Freta*, maris angustiæ, vbi quasi æstu feruescit mare, nauigantibus insidiosa & periculosa sunt. Hæc Hoyus in formulas

prouerbiales. *Tuta si cauta*, quo quis cautior, eo tutior. *Secura si attonita*, id est, secura si cum timore & tremore, veluti is, cui de cœlo attonitum est & intonitum. Est enim quod postea, *si timor eius in capite sit.*

356. 2. Cæterùm inenatabile excussis profundum est, inextricabile impactis naufragium est, irrespirabile deuoratis hypobrychium in idololatria, quicunque fluctus eius offocant, omnis vertex eius ad inferos deforbet.

2. Fingit idololatriam esse mare, in quo nauigat fides. in hoc mari sunt scopuli, sinus, vada, freta. præterea *profundum* ita vastum, vt sit *inenatabile excussis* è nauigio vi tempestatis, & nunquam euitetur: *naufragium* ita periculosum, vt sit *inextricabile impactis* in scopulos, non se extricabunt, non se eripient à tam diro naufragio: *hypobrychium*, id est, periculum deuorans exsorbénsque naufragos, & ideo *irrespirabile deuoratis*. Hæc omnia in idololatria sunt. Nihil mitte in hoc mare: *nam quicunque fluctus eius offocant*, (suffocant:) *omnis vertex* (vortex) *deforbet ad inferos* vsque excussos, impactos, deuoratos.

357. 3. Nemo dicat quis iam tutò præcauebit? exeundum de seculo erit. Quasi non tanti sit exire, quàm idololatrem in seculo stare.

3. Poterat obiici. Potius est mori, nam quis tutus inter tot pericula? Respondet, *quasi non tanti*, &c. Sententia est, *tanti* esse mori hominem, quàm eundem viuere *idololatrem*. Sed scriptor loquitur cum aceto, & ironia. Quid mihi obiicis *exeundum de seculo? quasi non sit tanti*, &c. id est, idem est mori atque esse *idololatrem*: nã idololatria mors est animę. Ac perinde melius est mori colendo fidem, quàm viuere idololatrem. Ideo statim, *quacunque necessitas minor est, periculo tanto comparata.*

4. Nihil esse facilius potest, quàm cautio idololatriæ, si timor eius in capite sit. Quæcunque necessitas minor est periculo tanto comparata.

4. Dicis *exeundum de seculo*, non opus, mi vir, facillimè vitabis idololatriam, tantùm si timeas eam. Nam, hanc qui timuerit, mori non dubitat. *Quæcunque* enim *necesitas* etiam mortis, minor est, *comparata* cum *tanto periculo*. Cur loquens de timore dicat *in capite*, vide Notam.

358. 5. Propterea Spiritus sanctus consultantibus tunc Apostolis, vinculum & iugum nobis relaxauit, vt idololatriæ deuitandæ vacaremus.

Act. 15. *Isai.* 34.

5. Scribitur Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria.* Hoc ergo est, *vinculum & iugum nobis relaxauit Spiritus sanctus.* Additur in textu sacro ratio ista, *vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.* Et ideo Tertull. *vt idololatriæ deuitandæ vacaremus.* Breuiter. Ideo Christianis ademtum est onus legis, *iugum, vinculum*, vt abstineant ab immolatis, vacentque vni tantùm vitandæ Idololatriæ.

359. 6. Hæc erit lex nostra, quo expedita, hoc pleniùs administranda; propria Christianorum, per quam ab Ethnicis agnoscimur & examinamur. Hęc accedentibus ad fidem proponenda, & ingredientibus in fidem inculcanda est; vt accedentes deliberent, obseruantes perseuerent, non obseruantes renuntient sibi.

Matth. 7. *Philip.* 3. *Luc.* 10.

6. *Quo expedita*, id est, quo magis expedita (est enim Hellenismus ellipticus) ab onere & iugo legis, eo *pleniùs administranda* à nobis. *Propria Christianorum*, non iam Iudæorum, omisimus enim illorum onera. *Examinamur*, dictum cum aspectu ad trutinam. *Accedentibus* vt catechizentur. *Ingredientibus*, fontem baptismi. *Inculcanda*, præclarè, quasi ianua & porta. *Renuntient sibi*, subaudi fidem, & Ecclesiam, putent irritam sibi esse fidem, & omnino vacare.

360. 7. Viderimus enim si secundùm archetypum & coruus & miluus & lupus & canis & serpens in Ecclesia erit, certè idololatres in archetypo non habetur. Nullum animal in idololatrem figuratum est; quod in arca non fuit, in Ecclesia non sit.

Genes. 7.

7. Addit rationem, cur isti debeant renuntiare fidem, neque esse in Ecclesia. Nam cùm arca Noë, quæ fuit typus Ecclesiæ, imò principalis typus & ideo *Archetypus*, habuerit *coruum*, *miluum*, *lupum*, *canem*, *serpentem*; quæ feræ designant homines improbos, rapaces, sanguinarios, libidinosos, vaferrimos; ac perinde esse possint in Ecclesia isti homines: sed non certè esse in Ecclesia possunt idololatræ, quia nullum animal fuit in arca, quo figuraretur idololatra: ergo *quod in arca*, quæ fuit Ecclesiæ archetypus, *non fuit, in Ecclesia non sit*, & ideo idololatra renuntiet sibi Ecclesiam. Porrò arcam fuisse typum Ecclesiæ omnes clamant. Tu vide Prosperum Aquitanicum lib. de Promiss. Dei. Ambros. serm. 11.

NOTÆ.

361. 1. INTER HOS SCOPVLOS ET SINVS, &c.] Adeatur duplex locus, alter Magni Clementis PP. primi in epist. ad Iacobum fratrem Domini, alter Anacleti PP. epist. 1. vtraque habetur tom. 1. Conciliorum. Vterque vniuersum statum Ecclesiæ magni naui comparat, quæ nauigat per vndosum pelagus. Accepit Anacletus à Clemente verbatim omnia. Hilarius can. 7. in Matthæum: *Ecclesia est instar nauis, quæ diuersissimi generis & gentis vectore susceptо, subiecta est omnibus & ventorum flatibus, & maris motibus.* Ambr. l. 3. de Virg. *Nauis Ecclesia est, quæ pleno Dominicæ crucis velo, sancti flatu Spiritus in hoc bene naui-*

gat mundo. Euseb. Episc. Gallic. de symbolo fidei: *Hanc ergo nobis fidem, velut magnam lampadem, Christus adueniens, errantibus viam monstraturus exhibuit, per quam posset Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inueniri.* Sed hoc persequi putidum est.

362. 1. FRETA IDOLOLATRIÆ.] Consentit Petr. Chrysolog. serm. 21. qui scopulos & sinus & freta, quæ prætervehitur nauis Dominica, id est, Ecclesia, explicat esse tum extrinsecus gentium moles, quæ vndabundæ illam quatiunt: tum intrinsecus tumidos hæreticorum fluctus, qui irruunt in eam & sæuiunt.

1. FIDES NAVIGAT.] Constantinus de administrando imperio, κοσμικὸν ὁλκάδα: *nauem mundi.*

1. TVTA.] Ita Zeno Veronens. serm. 3. de Abraham: *Sola fides deambulat inter gladios tuta, inter esurientes feras amica, in ignibus frigida,* &c.

1. SECVRA SI ATTONITA.] Rescribunt, *si attenta,* nulla necessitate. Et lectionem firmat idem Tertull. lib. de Fuga cap. 1. vbi: *Tempore persecutionis Ecclesia in attonito est.* Euseb. Gallic. Episc. Homil. 1. ad Monach. *Solus metus exanimabit attonitam.* Sed esto velint significari intentionem attentionémque, quid mutant lectionem? Consulant Cassianum, qui hoc dubitant, in quo sæpè *attonitus,* est, intentus attentúsque. Vt cùm ait collat. 11. cap. 13. de charitate: *attonita semper pietate distenditur.* Et collat. 12. c. 1. *Grata est mihi, non solùm attonita, ad discendum vestræ mentis intentio, sed etiam proposita disciplina quæstionis.* Id est, intenta intentio. Et cap. 13. *attonita consideratione flammatus,* id est, attenta, intentáque: nam aliud ariolari non permittit sententia.

363. 2. CÆTERVM INENATABILE EXCVSSIS PROFVNDVM EST.] Eusebius Homil. 3. de Pascha: *Sine dubio illud terribile profundum atque secretum assistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiam sui cessit auctoris: & ideo filij Israël securi vel inter vndas transeunt, vel sub vndas: cùm super eos præruptæ vastorum gurgitum moles pendentibus dextera lanáque fluctibus immineret, cùm creatura insensibilis elementi factorem suum sentiens, transeuntibus circumfusa præberet viam, & in persequentes pararet refusa vindictam.*

2. EXCVSSIS.] Verbum proprium Virg. 1. Æn. in tempestate,

--- excutitur, pronúsque magister
Voluitur in caput.

Petron. Sat. *Illum quidem vociferantem in mare ventus excussit.*

2. IMPACTIS.] Hoc quoque proprium. Impingit scilicet nauis Ecclesiæ in scopulos gentilitatis. Signatè enim Hilar. can. 6. in Matth. *Lapidem duritiæ gentilis.* Et repetit can. 33. & can. etiam 21. gentilibus dat *ferocitatem,* quæ fracta à Christo.

2. NAVFRAGIVM.] Hilar. etiam in libello ad Constant. Augustum *fidei naufragia* dixit.

364. 2. HYPOBRYCHIVM.] In mari est hypobrychium quasi exsorbens & deuorans, inde signatè *deuoratis hypobrychium*: βρυχάω enim & βρύκω est ἐσθίω, κατεσθίω, καταπίνω, ἀναπίνω. Inde & aquæ dicuntur *deuorare.* Virg. 1. Æn.

Rapidus vorat æquore vortex:

quem locum vide vt illustrauerim ab Aristotele & aliis. Quod verò Tertull. per *hypobrychium,* Græci alij per *barathrum,* in his Ioan. Chrys. Homil. 4. ad Popul. βαθὺ τὸ βάραθρον, καὶ κρημνός: *profundum barathrum & præcipitium.* Et can. 1. Concilij in Trullo, ἀπωλείας καὶ ἀθεότητος βάραθρον: *perditionis & sacrilegij barathrum.* Vide & Euseb. lib. 2. de vita Constant. c. 12. Ita & Hilarius ad Constant. Augustum, *blasphemiæ barathrum.* Et Aldhelm. Virg. c. 4. *barathrum voraginis.* Cyrill. Alexand. in epist. ad Monachos per βόθρον. Ait enim hæreticos aperiré, βόθρους ματαιότητος: *Voragines stultitiæ.* Et postea ait illos ferri, εἰς βόθρους καὶ πέτρας: *in foueas & scopulos.*

2. IN IDOLOLATRIA.] Ego libentissimè adimerem præpositionem, ita vt *idololatria* esset rectus. Ad eum modum quo cap. 2. de Spectac. *Summa offensio penes Dei idololatria est.* Et c. 1. huius operis, *Principale crimen generis humani idololatria.*

2. VERTEX.] Fortasse Tertull. *Vortex* scripsit.

2. DESORBET.] Mihi non dubium, quin quæ scripsit Tertull. de hypobrychio, de fluctibus offocantibus, de vortice desorbente, dixerit cum respectu ad Charybdin, videlicet ex magna notitia huius nautici periculi. Vide me lib. 3. Æn. ad illud,

Sorbet in abruptum fluctus.

365. 3. NEMO DICAT, QVIS IAM TVTO PRÆCAVEBIT.] Huc pertinent verba Senecæ epist. 76. ad finem: *Audimus aliquando voces imperitorum dicentium: nesciebam hoc mihi restare. Sapiens scit sibi omnia restare: quicquid factum est, dicit, Sciebam.* Cæterùm legi volui *quis iam tutò,* quod aliis ante me placitum, pro eo, quod in vulgat. est, *quis tam tutò.*

4. IN CAPITE SIT.] Sensus est, si ante omnia & principe loco atque *in capite sit timor* idololatriæ. Signatissimè tamen, non corde, mente, animo, &c. quia sup. *Secura, si attonita.* Est enim *attonitus,* cui intonitum est, vtique ἐμβεβλημένος: quippe afflatus est fulmine, & tactus igne. At *afflati* qui sunt, id mali indicant capite, quo semper sunt languido, defluo, vacillante.

4. QVÆCVNQVE NECESSITAS MINOR EST, PERICVLO TANTO COMPARATA.] Ita censeo legendum mutatis distinctionibus, quod iam alij monuêre. Nam in vulgatis legitur. *Quacunque necessitas minor est periculo, tanto comparata.* Cuius lectionis sententia clara est.

5. VINCVLVM ET IVGVM.] Lex quippe Moysi tota seruilis & onerosa. Inde illi Hilarius can. 11. in Matth. opponit *libertatem euangelicam.* Et can. 19. ait, Iudæos recusare *transire in Euangelicam libertatem.* Et iterum can. 11. ait: *Legis deinde difficultatibus Iudæos laborantes, & peccatis seculi oneratos ad se Christus aduocat, demturumque se laborem onúsque promittit, iugi suauis & lenis oneris blandimenta proponens.* Et commodè *relaxauit,* vnde idem Tertull. de Pudicitia: *Operum iuga reiecta sunt non disciplinarum.* Vnde *reiecta,* hic *relaxauit.*

366. 6. ACCEDENTIBVS AD FIDEM.] Explicui de Catechesi, cum discrimine ad baptizandos, de quibus *ingredi in fidem.* Neque alio sensu verbum ἔρχομαι, id est, *venio, accedo,* dixit Dionys. Areopag. lib. de Eccles. hierar. vbi loquitur de sacramento illustrationis. Verba eius: ὁ τούτων ἀγαπήσας τῶν ὄντως ὑπερκοσμίων τῶν ἱερῶν μεμυημένων, ἐλθὼν ἐπί τινα τῶν μεμυημένων, πείθει μὲν αὐτὸν ἡγήσασθαι αὐτὸν τῆς ἐπὶ τὸν ἱεραρχικὸν ὁδόν: *Qui autem horum, quæ verè cœlestia sunt, particeps fieri cupit, cùm ad aliquem eorum, qui initiati sunt, accedit, suadet illi vt se rectà ad Pontificem ducat.* Vbi sermo est clarè de eo, qui accedit non ad baptismum, (nam de hoc postea discriminatim Dionys.) sed de eo qui ad iam initiatum. Vnde, cùm postea in Theoria meminit τῆς προσιόντος *accedentis,* fortasse capiendus etiam de eo, quem ἐλθεῖν priùs dixerat. Eodem sensu accipit verbum προστίθεσθαι Concilium Constantinop. primum can. 7. cùm ait: πάντας βουλομένους προστίθεσθαι τῇ ὀρθοδοξίᾳ, ὡς ἤδη καὶ πολλάκις ἐσχόμεθα: *Omnes volentes apponi rectæ fidei, vt Gratos accipimus.* Vbi, *velle apponi,* est *accedere,* ad catechesin, nam postea additur, hos fieri catechumenos, & postea baptizari. Qui legat verba Concilij Græca, id planè esse inueniet. Vnde illud Actor. 11. *Apposita est multa turba Domino,* intellige ad catechesin, nam in Græco, προσετέθη ὄχλος ἱκανὸς τῷ Κυρίῳ.

Sed redeo ad verbum, in quo eram. Clariſſimè Cyrill. Hieroſ. Catecheſ. 1. verbum προσέρχομαι, id eſt, *accedo*, accepit de catecheſi, nam de hoc loquens, non de baptiſmo, ait, προσέλθετε εἰς τὸ μυστικὸν σφραγίδα: *accedite ad myſticum ſignaculum*. Et obiter conſidera morem antiquum Eccleſiæ. Nota accedentis, & admiſſi ad catecheſin, erat inſigniri cruce: & ideo ait Cyrillus, *accedite ad myſticum ſignaculum*. Morem hunc probo ex Auguſt. lib. 2. de ſymb. vbi ita alloquitur catechumenos: *Nondum quidem adhuc per ſacrum baptiſmum renati eſtis, ſed per Crucis ſignum in vtero ſanctæ matris Eccleſiæ iam concepti eſtis*. Et lib. 3. ita ait: *Dum per ſacratiſſimum crucis ſignum vos ſuſcepit ſancta mater Eccleſia: quæ ſicut & fratres veſtros cum ſumma lætitia ſpiritualiter pariet: nouæ proles futura tantæ matris, quouſque per lauacrum ſanctum regeneratos mox luci reſtituat*. Vides, vt cùm Cyrillus dixit *accedite*, intelligendus ſit, ad catecheſin; iniuſtè enim traducetur ad baptiſmum, quod meminerit ſignaculi; nam etiam iſt ad ſignaculum in catecheſi, non tantùm in baptiſmo. Ex dictis collige, verbo *accedo* opponi verba *accipio* & *ſuſcipio*. Itaque catechumenus *accedebat*, Eccleſia *accipiebat*, vt habes in Concil. Conſtantinopolitano; & *ſuſcipiebat*, vt habes in altero teſtimonio Auguſtini.

367. 6. INGREDIENTIBVS IN FIDEM.] Malè legit, & explicat locũ iſtum Iunius. Ait enim: *Lego ingredientibus in fide, id eſt, incedentibus in doctrina & profeſſione fidei*. ἐμπίστοις. Legendum certè *in fidem*, & accipiendum de baptiſmo. Nam Doctor ipſe cap. 4. de Spectaculis: *Ne quis argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem conuertar ipſius ſignaculi noſtri. Cùm aquam ingreſſi, Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo, & pompæ, & Angelis eius ore noſtro conteſtamur*. Quem locum vide.

7. ARCHETYPVM.] Ita in vulgatis omnibus legitur. Latinius correxit, *arcæ typum*, & poſtea *arcæ typo*, quam correctionem feliciſſimam vocat Iunius. Non mihi diſplicet lectio Latinij propter ſequentia. Sed ſuſtineri vulgaris lectio non ſolùm poteſt, ſed debet. Nam Tertull. non ait, arcam Noë eſſe typum Eccleſiæ, ſed hoc vt certum ſupponens, ait eſſe principem typum Eccleſiæ. Et ideo & lectio eſt optima, & ſententia optima. Qui enim dicturus de coruo, cane, & cæteris animalibus arcæ, non eguit meminiſſe arcæ, nam clarum ſatis illam typum eſſe Eccleſiæ. Vnde vt de re clara Albert. Pighius lib. 1. Hierar. Eccleſ. 6. *Seſe præcipitant extra arcam Catholicæ Eccleſiæ*. Repetit ſæpe. Præſertim cùm Tertull initio capitis Eccleſiam comparauerit cum naue, inde commodum eſt vt abſoluat, dicens, huius nauis principem typum fuiſſe arcam Noë, imò (vt dixi) ſupponens.

7. CORVVS.] Explicui improbos ex formis adagiorum. Nam illud, ἀλλ' εἰς κόρακας, improbos notat. Ita & ſimiles formæ. Sed tibi liberum poteſt eſſe accipere quos velis, vt etiam in cæteris feris, quæ ſequuntur. Ego enim hic non concionor. Certè Proſper Aquitanic. lib. 5 de Prædict. per *coruum arcæ* intelligit hæreticum. Et lib. 2. eiuſdem operis intelligit hominem errabundum & vagantem. Drogon Epiſc. Hoſtienſ. peccatorem.

7. MILVVS.] Per hanc volucrem intellexi rapaces, tum quia ita Hieronym. in epiſt. ad Caſtrutium; tum quia nota auis huius natura. 368.

7. LVPVS.] Accepi de ſanguinariis, quia idem Hieronym. & eodem loco per *lupos* intelligit feritatem. Syngelus in Encom. Dionyſ. Areopag. per *lupos* intelligit κακοδιδασκάλους, *malos doctores*. Infrà dat, ἕξιν λύκου, *habitum lupi*, inſidiatoribus, & malis amicis.

7. CANIS.] Explicui de libidinoſis. Nota enim feræ huiuius libido. Sed & ſequor Ioannem Chryſoſt. qui orat. 2. aduerſus Iudæos ita ſcribit: οὕτω γοῦν καὶ κύνας καλεῖ, καὶ ἵππους θηλυμανεῖς, ἐπειδὴ πρὸς τὴν φύσιν ἐκείνων μετέπεσαν. ἀλλ' ἐπειδὴ τὴν τῶν ζώων τούτων λαγνείαν ἐζήλωκαν: *Similiter & canes illos appellat, & equos inſanientes in fœminas: non quòd illorum eſſet transformata natura, ſed quòd horum animalium incontinentiam imitarentur*.

7. SERPENS.] Quis neget hoc animal ſymbolum eſſe aſtutiæ, vel ex verbis Chriſti?

7. QVOD IN ARCA NON FVIT, &c.] Dicit hoc propter idololatrem. Hincmarus Archiepiſ. Remenſ. Opuſc. de Diuort. Regis Clotharij: *Sicut in diluuio omnes perierunt, quos non arca continuit, ita nemo ſaluari poteſt, qui fide recta & bonis operibus in vnitate ſanctæ Eccleſiæ non permanſerit*. Quo verborum complexu notantur & idololatræ & hæretici.

FINIS LIBRI DE IDOLOLATRIA.

DE HABITV MVLIEBRI, SIVE LIBER XI.

ARGVMENTVM.

CONSIDERATO *excessu habitus muliebris, tam in cultu quàm in ornatu, librum hunc Paræneticum scripsit Tertullianus.*

CAP. I. ARGVMENTVM.

Ab defectu fidei habitus eximius in fœminis, quæ lugere potiùs debent, quàm ornari pretiosis vestibus, vt quæ Euam circumferunt indutam ad funus post peccatum.

TERTVLLIANVS.

1. 1. SI tanta in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cœlis, nulla omnino vestrûm, sorores dilectissimæ, ex quo Deum viuum cognouisset, & de sua, id est fœminæ conditione didicisset, lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem appetisset, vt non magis in sordibus ageret, & squallorem potiùs affectaret, ipsam se circumferens Euam lugentem & pœnitentem: quo pleniùs id quod de Eua trahit (ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ) omni satisfactionis habitu expiaret.

EXPLICATIO.

2. 1. CONijcit in fidei languorem habitum lætum, & glorioſum. Extrudam ſi quæ ſunt ſpinæ. *Moraretur.* Fides enim terram agnoſcit vt proprium domicilium, in qua moratur. *Nulla omnino*, &c. En quid pariat fides languida. Cognouiſtis, ô fœminæ, Deum in baptiſmo, didiciſtis veſtrã conditionem ſatis miſeram: Sed quia non alta fidei fundamenta ieciſtis, ideò appetitis habitum *latiorem* veſtra miſeria. Quid dixi habitum *latiorem*? imò *glorioſiorem*: & non agitis *in ſordibus*, nec *ſqualloremaffectatis*, quæ *Euam* ipſam circumfertis veſtitu *lugentem & pœnitentem*. Si enim Euam habitu meditaremini, expiaſſetis, deleretiſque quod de illa trahitis, ſcilicet *ignominiam primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ.*

3. 2. In doloribus ex anxietatibus paries mulier, & ad virum tuum conuerſio tua, & ille dominabitur tui; & Euam te eſſe neſcis? Viuit ſententia Dei ſuper ſexum iſtum in hoc ſæculo; viuat & reatus neceſſe eſt. Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es diuinæ legis prima deſertrix, tu es quæ eum ſuaſiſti quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem tam facilè eliſiſti. Propter tuum meritum, id eſt mortem, etiam filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente eſt, ſupra pelliceas tuas tunicas?

4. 2. Ignoras te eſſe Euam lacrymabilem & miſeram, cùm te ſequatur cumulus dolorum in partu, cùm *conuerſio tua* ſit *ad virum*; quod nihil eſt aliud, quàm ſeruilè quiddam. Serui enim attenti, intentique ſunt nutui heri, ſiquid imperet: imò & ſui dominetur. *Viuit*, &c. Adhuc Deus dicit te eſſe Euam, & *ſententia* illius te pungit; *viuat* ergò *neceſſe eſt reatus* & pœna: id eſt, cùm Deus te propter peccatum pellicea veſte induerit, nota eſt te adhuc eſſe in reatu. *Tu es*, &c. Hîc ego aduoco omnium ſcriptorum ingenia, qui fœminas atroci ſtylo pupugêre, nemo certè cõferendus eſt cum aceto iſto Tertulliani. *Ianuam* vocat lethi *reſignatricem*, quæ arborem illam, quam Deus eſſe occultam, & in myſteriis voluit, aperuit, & reſignauit: *Deſertricem diuinæ legis*, à re belli; fuit enim transfuga à caſtris Dei ad caſtra ſerpentis. In verbo *ſuaſiſti*, agnoſce potentiam fœminæ quæ ore lenocinante potentior eſt dæmone. Cùm verò ait, *eliſiſti imaginem Dei*, quid non concipis grande, & inuſitatum? Demum *Filius Dei mori* debuit propter te. Et ſuper hæc omnia aliquid ducitis addere *ſupra pelliceas* veſtes?

5. 3. Age nunc si ab initio rerum & Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tinguerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margaritæ canderent, & Ceraunia coruscaret; si ipsum quoq; aurum iam de terra cum cupiditate prodisset; si iam & speculo tantum mentiri liceret: hæc Eua concupisset de paradiso expulsa, iam mortua opinor? Ergo nec nunc appetere debet, aut nosse, si cupit reuiuiscere, quæ nec habuerat, nec nouerat, quando viuebat. Ideo omnia ista damnatæ & mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta.

6. 3. Conficit hoc argumentum: si artes, quæ processu temporis inuentæ sunt ad ornatum, extitissent *initio* orbis creati, appeterétne illas *Eua expulsa* iam *de paradiso*, & *mortua* per peccatum? Non vtique: quia omnes illæ datæ sunt in ignominiam & notam peccati. In ignominiam, (inquam) nam cùm erat in gratia, nuda erat. Ergò nec nunc cùm vult reuiuiscere à peccato, nosse debet. Nam omnes istæ artes nihil aliud sunt in fœmina *mortua* iam & *damnata*, quàm *pompa ad funus*.

NOTÆ.

7. 1. SI TANTA IN TERRIS MORARETVR FIDES.] Ipse lib. 2. ad vxorem, cap. 8. *Fidei imbecillitatem pronam semper in concupiscentiam sæcularium gaudiorum.* Cyprianus lib. de Mortalitate, tribuit *parcitati fidei*, quicquid aduersi anima patitur. Contrà Zeno Veronensis serm. 3. de Abraham: *Nihil difficile est fidei, quæ tantum habet, quantum credit.*

1. SORORES DILECTISSIMÆ.] Compellatio vtraque amoris. De prima Ambrosius lib. 1. de Virg. *Vide mi soror.* De altera Iustinus Dialogo Tryphonis φίλτατε, ad eum (inquam) cum quo loquitur. Dionysius Areopagita in epist. ad Ioannem Apost. ἀγαπώμενε. Fulbertus Carnotensis Episcop. epist. 9. *Cùm vestram charitatem nouerim*, &c. Idem
8. epist. 102. *Dilectissime Princeps*, quod idem valet.

1. VT NON MAGIS IN SORDIBVS AGERET, ET SQVALLOREM POTIVS AFFECTARET.] Sordes & squallor indicant habitum pœnitentem. Ipse lib. de Pœnitent. cap. 9. *De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit tristissima tractatione mutare.* Nazianzen. in Sanctum Cyprian. κακοπαθείᾳ θεραπεύεται Θεὸς, καὶ δάκρυσι τὸ φιλάνθρωπον ἀποδίδοται: *Afflictatione conciliatur Deus, lacrymisq; misericordia eius repeditur.*

1. AFFECTARET.] Cùm sæpè hoc verbum vsurpet in malam partem ad indicandam inanem quandam ostentationem, hîc in bonam partem sumit; sed ita in bonam, vt opponat appetentiæ, indicans quandam veluti improbitatem. Quasi dicat: Appetebas habitu mlætum & glorioſum, nunc pari obstinatione affecta sordes & squallorem.

1. CIRCVMFERENS.] Rabanus Maurus lib. de Pœnitētibus cap. 1. *Præcepit, vt portet ignominiā depositionis suæ.* Ita que *portare* & *circumferre* ignominiā, idem.

9. 1. EVAM LVGENTEM ET POENITENTEM.] Sic est. Irenæus lib. 3. cap. 35. ait de Eua: *In pœnam peccati sui susceptisse tædia & labores, & gemitus, & tristitias partus, & seruitium, & increpationem Dei, sicut & virum suum, ne maledicti à Deo in totum perirent.* Tertullianus etiam lib. 2. aduersus Marcionem, ait, Adamum & Euam, *restitutionis candidatos, & confessione relevatos.*

1. QVOD DE EVA TRAHIT.] Locus hic non rigidè explicandus; nam verè peccatum originis ab Adam trahitur, non ab Eua. Trahitur verò ab Eua occasionaliter, vt dicunt. Et tu mihi expende verbum *trahit*, quo indicātur quæuis incommoda. Nihil quod suaue est, trahitur. Neque obstat,

Trahit sua quemque voluptas,

nam certè vt tyranna.

1. IGNOMINIAM, &c.] Duo ait trahi ab Eua, primò *ignominiam primi delicti*, id est, habitum, vestes, indumenta. Nam hæc data in notam ignominiæ, vt se operiret: nā cùm gratioſa Deo, nuda fuit. Alludit verò ad seruos, qui habitu ipso ignominiā ostentant. Quasi dicat: Si tibi datæ sunt vestes in ignominiam, cur vis illas pretiosas? Eodem planè argumento vsus Saluianus l. 6. de Gubernat. *Quid tam perditi luxus, quàm in luctu res desiderare luxuriæ? aut quid amentius quàm in malis esse, & malorum intelligentiā non habere?* Deinde, *inuidiam perditionis humanæ.* Pulchrè ait, *inuidiam*, contraxit enim Eua mortalium omnium odia.

1. SATISFACTIONIS HABITV.] Dicimur quippe Deo *satisfacere* per luctum & squallorem, habitúmque sordidum. Cyprianus de Lapsis: *Conuertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimētes, Dei misericordiā deprecemur: illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat.* 10.

2. IN DOLORIBVS ET ANXIETATIBVS PARIES MVLIER.] Adducit diuinum oraculum, quo mulier cognoscat se verè esse Euam. Primò, dolores, anxietatésque parturientium. Qui autem hi dolores? audi Aristotelem l. 7. de Histor. animal. cap. 9. τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ζώοις οὐκ ἐπιπονοι γίνονται οἱ τόκοι, ταῖς δὲ γυναιξὶ συμβαίνουσιν οἱ πόνοι ἰσχυρότατοι: *Cæteris animalibus partus eueniunt non laboriosi, at mulieribus dolores vehementissimi incidunt.* Ambros. l. 1. de Virg. *Parturit & ægrotat. Quàm dulce pignus quod à periculo incipit, & in periculis desinit, priùs doloris futurum, quàm voluptatis?* Basilius quoque in Psal. 114. parientibus dat *dolores acutissimos, cruciatus vehementes, conuulsiones, contractiones.* Et quæ non! *Anxietates* Tertullianicas refero ad tempus illud quo parturiunt fœminæ, in quo vexāt illas *dolores capitis* (verba sunt Plinij l. 7.) *oculorū vertigines, tenebraq; fastidiū in cibis, redundātia stomachi.* Quę ille accepit ab Aristotele lib. item 7. de Histor. animal. 11.

2. ET AD VIRVM TVVM CONVERSIO TVA.] Redit ad verba Græca, quæ sic habent 3. Genes. καὶ πρὸς τὸν ἄνδρά σου ἡ ἀποστροφή σου. Ita quoque Cyprianus de habitu virginum. Et Hieronym. in epist. ad Demetriadem. Et Ambr. l. de Institut. Virg. cap. 4. Atque etiam August. l. 11. de Genesi ad literam c. 27. vbi sic explicat, quid sit *conuerti ad virum.* Ait itaque: *Videndum est quemadmodum propriè possit accipi illud quod mulieri dictum est, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Neque enim & ante peccatum aliter fuisse decet credere, nisi vt vir mulieri dominaretur, & ad eum ipsa seruiendo conuerteretur.* Vulgatus codex reddit, *& sub viri potestate eris.* Sed versio, quam sequitur Tertullianus, acetum habet in fœminas. Nā *subiici* alteri generalius est: famuli enim, filij, clientes subiiciuntur heris, parentibus, patronis. Atqui *conuersio* explicatore Augustino, seruile quiddam indicat. *Reuersio* habet Sedulius Hybernensis in Collectanea prioris epistolæ ad Corinth. cap. 14. sic scribens: *Sicut & lex dicit, vt in Genesi: sub viri potestate eris, & erit reuersio tua ad virum tuum, & ipse tui dominabitur.*

2. ET

2. ET ILLE DOMINABITVR TVI.] A Clarè ait vxorem seruam esse mariti, vel explicatore Ambrosio, qui verba hæc ita expendit, lib. 1. de Virg. *Quid ergò famulatus graues, & adducta viris seruitia replicem fœminarum, quas antè Deus iussit seruire quàm seruos?* Augustl. 1. 1. super Genes. quæst. 153. *Est autem ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris.*

2. TV ES DIABOLI IANVA.] Ad eum modum quo Arnobius lib. 2. *Omnis passio, lethi atque interitus ianua est.* Et Sidonius epist. 1. lib. 7. *Irruptioni Gothorum nos miseri Auerni ianua sumus.* Vide me 2. Æneid. ad illud,

Patet isti ianua letho.

Sed Tertulliano vnicè adiungendus Ambrosius lib. 3. de Virg. *Introiuit mors per fenestram, hoc est, per Euæ ostium.* & Proclus Episcop. Cyzici, mulierem vocat ἁμαρτίας θύραν, *ianuam peccati*, & hoc est quod Augustinus dixit serm. 2. Dominicæ Annunt. *Mater generis* B *nostri pœnam intulit mundo*, certè vt ianua.

13. 2. ARBORIS RESIGNATRIX.] Alludit ad illos, qui dicti *resignatores mysteriorum*; quo sensu & Prudentius dixit,

Resignare iura lethi.

Eadem emphasi Ambrosius loquitur lib. 1. de Virg. *Caueamus diligenter, ne quod accepimus pignus in cordibus nostris aut morum leuitas, aut vllius adulterij fraus resignet.* Vbi ducens castitatem loco mysterij, vult à nemine eam *resignari*, id est, aperiri, ac profanari. Omnino quod Cyprianus dixit de Habitu Virg. reprehendens: *Sic flos virginum extinguitur, honor continentiæ, ac pudor cæditur, gloria omnis ac dignitas profanatur.*

2. SVASISTI.] In manuscripto est, *persuasisti*, quæ lectio facit ad rem.

2. AGGREDI.] Rectè subaudit Rhenanus *per-* C *suasionibus.* Nam verbum hoc in hoc vsu. Virg. 4. Æneid.

Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.

14. 2. ELISISTI.] In lib. de Spectacul. cap. 18. *Primos homines Diabolus elisit.* Simpliciter explico, ad eum modum quo Plautus Pœn. *caput elidere*, & Milite, *talos elidere.* & Rudente, *oculos elidere*, id est, diffringere. Sic ergò hîc *elisisti* erit, perfregisti spiritualiter Dei imaginem, eámque deformasti, vt quæ hominem occidisti spiritualiter. Similiter explico Eusebium Gallicanum Episcopum Homil. 6. de Pascha: *Potuit autem Filius Dei hostem humani generis in cœlis positus nutu ipso suæ diuinitatis elidere: sed ne quid tale Diabolus conqueri posset, placuit Deo secundùm iustitiam suam, pro humano genere offerre hominem purum, & immaculatum, segregatum à peccatoribus. Sed talem regio nostra non habet.* Et statim Homil. 7. loquens de Christo: *Qui ad hoc cessit vt glorioſus surgeret; ad hoc cecidit, vt omnes eleuaret; quia aduersarium effusus obruit, prostratus elisit, iacentémque hominem deiectus erexit, mortémque eius dum succumberet, pertulit, ac mortuum, dum resurgeret, suscitauit.*

15. 2. MORTEM.] Actiuè accipitur pro morte quam ipsa Eua intulit principi homini. Ergò ait, commerita malè es de primo homine, eúmque occidisti, ac proinde Filius Dei mori habuit.

2. MORI HABVIT.] Purus Helleniſmus & frequens huic Afro. aduersum Iudæos cap. 8. *Quoniam omnes Prophetæ nuntiabant de ipso, quòd esset venturus, & pati haberet.* id est, passurus esset, deberet pati.

2. ET ADORNARI TIBI IN MENTE EST, SVPER PELLICEAS TVAS TVNICAS?] Maximus Taurinensis Episcopus Homil. 2. de auaritia: *Vnde enim Barbaris auri, gemmarúmque monilia? vnde pellito serica vestimenta?*

3. MILESII OVES TONDERENT.] 16. Oues Mileti in pretio propter vellera. Alexis apud Athanas. lib. 12. celebrat πόκους ἐν Μιλήτῳ, *Oues Mileti.* vt etiam Aristophan. in Lysist. ἔρια Μιλήσια, *vellera Milesia.* Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 10. Μίλητος ἀυχῶ, ait scilicet Miletum gloriari propter vellera, nam de his loquitur. Plura his ego lib. 3. Georg.

3. SERES ARBORES NERENT.] Nihil hic dico, qui multa, neque obuia, lib. 3. Georg. Quod hic *nerent*, Virgil. *depectere.*

3. TYRII TINGVERENT.] Muricis ad tin- 17. genda vellera inuentum Tyriis assignant scriptores. Eunapius in Porphyrio. Τύρος πρώτη τῶν ἀρχαίων Φοινίκων ἡ πόλις. *Ciuitas est primaria antiquorum Phœnicum Tyros.* Inde, inquit ille, detorta est appellatio ad Philosophum. Nam cùm priùs Malchus vocaretur, dictus Porphyrius est à purpura, quæ Syrorum lingua sonat, regium indumentum. Ideo Virg. 3. Georg. *Tyrios rubores.* & Plinius lib. 5. cap. 19. loquens de Tyro, *Omnis eius nobilitas conchylio atque purpura constat.* Vide me 2. Georg. vbi mentio Sarrani ostri. Notetur præterea in vsu esse verbum *tinguo*, adeò vt Virgilius, & Horatius, vbi nunc *tingere*, antiqui Codices *tinguere.*

3. PHRYGES INSVERENT.] Signatè & doctè; nam spectat ad opera *acus*, cuius propriè est *suere.* & quidem *acu facere, id Phryges inuenerunt*, ait Plinius lib. 8. cap. 48. & adiicit, inde *Phrygiones* appellatos artifices. Vnde ipse Tertullianus lib. de Idololatria, *Phrygio detexet*, scilicet acu. Hæc Phrygum opera picturæ nomine celebrant Authores, nam verè acus pingit. Nonius: *Phrygia vestis picta est.* Et Seruius 3. Æneid. obseruat vestem Phrygiam fuisse *acu pictam.* & Virgilius Phrygias vestes vocat *picturatas.* Hanc rem sæpiculè inculcat Plautus. Inde Phryges infamiam suam contraxêre: nam hæc qui faciunt, certè mollissimi & delicatissimi. Cum stomacho Iuno 4. Æneid.

Liceat Phrygio seruire marito,

Id est, delicatulo. Non abeunt Lydi & Sidonij: de quibus Heliodorus lib. 7. Histor. Æthiop. ἀλλὰ καὶ δάπεδά τινας, καὶ φωτὰς ποικιλμάτων, Σιδωνίας τε καὶ Λυδίας ἔργα χειρός: *Sed etiam tapetes & peristromata versicoloria Sidoniæ & Lydiæ manus arte elaborata.* Porro à Phrygibus dictum est *Phrygium*, quod non est *pallium*, vt vult malè Baronius, nam gestabatur in capite: imò *mitra*, ob id ipsum, Græci dicunt λῶρον. *Lori* seu *Phrygij* mentio plurima, de quo aliàs Deo dante. Interim videndus Bulengerus lib. 1. de veste Pontificis cap. 7.

3. BABYLONII INTEXERENT.] Intex- 18. D tum hunc quem Babylonij docuerunt, ad varios colores possis referre, dicente Plinio loco iam laudato: *Colores diuersos picturæ intexere Babylon maximè celebrauit, & nomen imposuit.* Quid est, *& nomen imposuit?* explicat Lucretius, loquens de damno amoris insani,

Adde quòd alterius sub nutu degitur ætas,
Labitur interea res, tum Babylonia fiunt.

Itaque tapetia intexta variis coloribus dicta sunt Babylonia ab vrbe, vnde nata. Sic etiam indigetat Martial. lib. 8.

Non ego prætulerim Babylonica picta superbè
Texta. Ego *Babylonia* ex Lucretio.

Plinius lib. 8. cap. 48. *Metellus Scipio triclinaria Babylonica sestertiùm octingentis millibus væniſſe iam tunc posuit in Capitoris criminibus, quæ Neroni Principi quadragies sestertio nuper stetere.* Sed non explicat Plinius quæ materia horum colorum. Certè *aurum* intextum vestibus. Adducit Petronius Satyr.

Tuo palato cluſus pauo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.

Hieronymus ad Lætam, addit auro *vermiculum*, quo veſtes pingerent Babylonij. Verba eius: *In quibus non auri, & pellis Babylonicæ vermiculata pictura.* Fuere & plures alij: quod notum ex Apuleio, qui in libro Florid. loquens de baltheo, ait. *Quod genus picturæ Babylonicæ miris coloribus variegatur.* Et quidem hos *diuerſos colores* iam te Plinius docuit. Hæc ſunt quæ Hieronymus ad Pammachium vocat *picta tapetia.* Martialis vbi ſuprà,

--- Semiramia, quæ variantur acu.

Ex dictis lucem accipit Cyprianus lib. de Habitu & diſcip. Virg. apud quem, *Serica contexta cum auro & hyacintho*, erunt fortaſſe ipſa Babylonia. & Hieronymus ad Euſtochium, vbi *Quarum veſtibus attenuata in filum auri metalla texuntur.* Porrò *tricliniaria Babylonica* magni pretij Plinius commemorat lib. 8. cap. 48.

20. 3. MARGARITÆ CANDERENT.] Aliqui hic *margarita.* Poſſunt, quia ita etiam ipſe, & alij ſcriptores. Ait *canderent*, quia Plinius de illis cap. 35. lib. 9. *Dos omnis in candore.* & ibidem ait, in margaritis, *Si purus ros influxerit, candorem conſpici.* Hieronymus ad Demetriad. *Vt taceam de inaurium pretiis, candore margaritarum eſſe.* & in epiſt. ad Ruſticum. *Vbi naſcitur carbunculus, & ſmaragdus, & margarita candentia.* Aldhelmus de Virg. cap. 8. *Candidis meritorum margaritis decorari virgo deſiderat.* Heliodor. lib. 2. Hiſtor. Æthiop. μαργαρίδες τε γὰρ ἦσαν εἰς κεφάλου μικροῦ μέγεθος, εἰς κύκλον τε ἀκριβῶς ἀπαρτιζόμεναι, καὶ λευκότητι πλεῖσον ἀγλαϊζόμεναι. *Margaritæ enim inter illos erant nucis paruæ magnitudine, exacta rotunditate ſuis partibus omnibus in modum circuli abſolutæ, & candore maximè ſplendentes.* Affert Iſidorus libro 19. cap. 32. mollicellos verſus Mœcenatis de morte Horatij iſtos:

Lugent te mea vita, te ſmaragdus,
Beryllus quoque Flacce: nec nitentes,
Nunc per candida margarita quæro,
Nec quos Thynica lima perpoliuit
Annellos, nec iaſpios lapillos.

An hi verſus legendi ſint, vtà me repræſentantur, ipſe in dubio ſum; Turnebum tantùm ſum ſecutus lib. 20. cap. 2.

21. 3. CERAVNIA CORVSCARENT.] Græcis κεραυνὸς, *Ceraunus*, eſt fulmen, & quia hoc coruſcum eſt & nitidum, ideo *Ceraniæ* gemmæ, aut *Ceraunia* nomen habuêre, quia rutilant vt fulmen. Tertullian. lib. de Anima cap. 9. *Ceraunïis gemmis A non ideo ſubſtantia ignita eſt, quòd coruſcent rutilato rubore.* Plinius 37. cap. 9. *Eſt inter candidas, & quæ Ceraunia vocantur, fulgorem ſyderum rapiens* &c. Hieronymus ſignatè ad Demetriadem, *Ceraunïorum flammis.* Vide & Solinum cap. 33. & 36. Claudian.

--- Pyrenæiſque ſub antris
Ignea fulmineis legere Ceraunia Nymphæ.

Hunc ardorem dat Silius lib. 15. gemmæ Garamantidi:

Ardebat (inquit) *gemma Garamantide cærula veſtis.*

3. SI IPSVM QVOQVE AVRVM DE TERRA CVM CVPIDITATE PRODISSET.] Non enim ſolùm aurum è terra prodiit, ſed etiam eius cupiditas. Habet hæc ſententia ſuum fundum. Ante aurum nulla eius cupiditas, ſed exarſit ad viſum aurum. Ita ſunt ſcilicet humani affectus qui B excitantur ad viſum obiectum, priùs quippe dormierant.

3. SI IAM ET SPECVLO TANTVM MENTIRI LICERET.] Id eſt, ſi tantum frequentaretur vt nunc: ſi eſſet in vſu. Clarè dat ſpeculo mendacium. Quamuis enim vulgatum ſit, *Speculum non mentiri*, vt apparet ex Petron. *Nec ſpeculum mihi nec fama mentitur.* ex Sidonio etiam lib. 7. epiſt. 18. *Commendo igitur varios iudicio tuo noſtri pectoris motus, minimè ignarus, quòd ita mens pateat in libro, veluti vultus in ſpeculo.* Quamuis itaque hoc ſit verum, ſed mentiri tamen ſpeculum dici poteſt. Primò, quia quæ in illo redditur imago, eſt vultus, non tamen verus. Deinde, quia ſicut fœmina dicitur mentiri pulchritudinem ex decore aſcititio: ita ſpeculum cùm reddat mendacium illud, dici etiam poterit mentiri. Sic Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædag. cap. 2. ſpeculum vocat ἀπάτων, *fraudem.* Ergò ait Tertullianus, ſi iam & ſpeculo tantum mentiri liceret, quantum nunc licet. Subaudio, quantum nunc licet: nam Iuniana lectio *ex ſpeculo* neceſſaria non eſt. 22.

3. IMPEDIMENTA.] Ambroſ. lib. 1. de Virg. hæc eadem vocat *impedimenta corporalia.* Sed Tertullianus alludit ad ſarcinas pompæ funebris. Ipſe alibi, *Et reliqua compoſitionis veſtræ impedimenta.* Nam veſtes omnes precioſæ, vt Mileſiæ, aut Tyriæ datæ ſunt fœminæ poſt mortem ſpirituali, ac perinde ad funus. Et quia in funere precioſa quæque proferebantur, ideo talia huiuſmodi ad funus deputat. Non multùm abeunt verba Hieronymi in epiſt. ad Paulinum: *Quanti hodie diu viuendo portant funera ſua.*

CAP. II. ARGVMENTVM.

Habenda odio fœminarum ornamenta, vt quæ & inuenta & donata ab Angelis deſertoribus, ad pernicïem ipſarum.

TERTVLLIANVS.

23. 1. NAM & illi qui ea conſtituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur: illi ſcilicet Angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, vt hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cùm & materias quaſdam bene occultas, & artes pleraſque non bene reuelatas ſæculo multò magis imperito prodidiſſent (ſiquidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant,

& incantationum vires prouulgauerant, & omnem curioſitatem, vſque adſtellarum interpretationem diſſipauerant) propriè & quaſi peculiariter fœminis inſtrumentum iſtud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur: & circulos ex auro, quibus brachia arctantur: & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur: & ipſum illum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.

EXPLICATIO.

24. 1. ORDITVR nouum argumentum, ad damnandũ pretioſum habitũ fœminarum: nam auctores eius *Angeli* deſertores, ſcilicet dæmones. *Conſtituerũt*, dixerat quippe indumenta pretioſa, conſtituta ad pompam funeris. *Illi ſcilicet Angeli*, &c. Fuerunt aliqui Patres è vetuſtioribus in hoc errore, vt putarent, illos qui Geneſ. 6. dicuntur *Filij Dei*, qui *filias hominum* amarunt, fuiſſe veros Angelos. *Nam cùm*, &c. Dicit *quaſdam materias bene*, id eſt, vtiliter occultas, & artes non bene, id eſt, inutiliter inuentas, proditas ſæculo harum deliciarum inſolenti, intérque eas *propriè & peculiariter* in fœminarum gloriam inuentum à dæmonibus mundum muliebrem; hoc enim eſt *inſtrumentum*: & mox numerat *lumina lapillorum, circulos ex auro, medicamenta ex fuco, nigrum puluerem*, de quibus in Notis: quò etiam refero totam parentheſin, ab eo verbo *ſiquidem*, vſque ad illud, *diſſipauerant*.

25. 2. Hæc qualia ſint, interim iam ex Doctorum ſuorum qualitate & conditione pronuntiari poteſt, quòd nihil ad integritatem peccatores, nihil ad caſtitatem adamatores, nihil ad timorem Dei deſertores ſpiritus aut monſtrare potuerunt, aut præſtare. Si doctrinæ dicendæ ſunt; mali magiſtri malè docuerint neceſſe eſt. Si mercedes pro libidine; nullius rei turpis merces decora eſt. Quid autem tanti fuit iſta monſtrare ſiue conferre? Vtrumne mulieres ſine materiis ſplendoris, & ſine ingeniis decoris placere non poſſent hominibus, quæ adhuc incultæ, & incompoſitæ, & (vt ita dicam) crudæ ac rudes Angelos mouerant? Anne ſordidi, & per gratuitum vſum contumelioſi amatores viderentur, ſi nihil fœminis in connubium allectis contuliſſent? Sed hæc non capit æſtimare.

26. 2. Clara omnia: ſed quæ illa oppoſitio, *Nihil ad integritatem peccatores*? Sumit peccatum pro delinquentia & defectu, quæ voces directè opponuntur integritati. Quaſi dicat, qui deficit, nihil curat de integritate. *Aut monſtrare, aut præſtare.* Dicit *monſtrare*, quia dicturus de doctrina dæmonum, vnde hîc *monſtrare* eſt docere: *præſtare* verò, quia de mercede. *Si doctrinæ*, &c. Sententia eſt; ea quibus dæmones ornauerunt fœminas ad excolendum corpus, dici poſſunt aut *doctrina*, aut *mercedes*. Vtrumque eſt malum. *Si doctrinæ*, malæ erunt, quia à *malo magiſtro: ſi mercedes*, indecoræ, quia *pro libidine*. Vſurpat propriè *mercedem*, indicans meritorias fœminas. *Quid autem tanti*, &c. Probat iam has artes vacare in fœmina, & illas eſſe viam tantùm ad offenſam Dei ex inuidia diaboli. Et nota concinnitatem, *monſtrare*, cum reſpectu ad *doctrinam*, *conferre*, ad *mercedem*. *Vtrumne mulieres*, &c. Vt inſiſtas eidem concinnitati, aduerte, *Materiam ſplendoris* reſpicere *mercedem*; *ingenia decoris*, *doctrinam*: ingenioſæ enim fœminæ, nam à talibus doctoribus. voces illæ, *Incultæ*, *incompoſitæ*, referuntur ad mundum muliebrem: illæ verò, *crudæ*, *& rudes*, ad ornatum fuci, & colorum. Inſuper *incultæ* & *crudæ* ſibi reſpondent; vt *incompoſitæ* & *rudes*. Primæ duæ ſumuntur à re agreſti & naturali: inculta enim & cruda ſunt poma, quæ ſemper agreſtia & acerba, & nunquam mitia: tales fœminæ ſine ornatu & fuco. Duæ alteræ ab re artificiata; eſt enim artis componere & erudire, ſine qua arte, id eſt mundo muliebri, fuere olim fœminæ, ac proinde *incompoſitæ & rudes*. *Anne ſordidi*, &c. Nunquid *ſordidi* viderentur Angeli, *ſi fœminis in connubium allectis nihil contuliſſent*, illiberales & parciſſimi? Inſuper etiam *contumelioſi*, quia per *gratuitum vſum*, & abſque vllo præmio potiti illis eſſent? *Sed hæc non capit æſtimare.* Apage iſta. *non capit æſtimare hæc.* non habebit locum hîc æſtimatio. Propriè, intellectus non capit, & debet illa æſtimare, nihil contulêre Angeli. *No cabe en razon.* Locutio eſt Græcorum, illi dicerent. οὐκ ἐνδέχεται τιμᾶσθαι τοῦτο. vel, οὐκ ἐνδέχεται τοῦτο εἶναι τίμιον. Itaque verbum *capit* abſolutè ponitur, vt ἐνδέχεται, Græcis, ad eum modum, quo Latini *vacat*, *conuenit*, & ſimilia.

27. 3. Nihil plus deſiderare poterant quæ Angelos poſſidebant, magno ſcilicet nupſerant. Enimverò qui vtique interdum cogitabant vnde cecidiſſent, & poſt libidinum vaporata momenta cœlum ſuſpirabant; illud ipſum bonum naturalis decoris vt cauſam mali, ſic remunerauerunt, ne eis profuiſſet fœlicitas ſua, ſed vt deuectæ de ſimplicitate & ſinceritate, vnà cum ipſis in offenſam Dei peruenirent. Certi erant omnem & gloriam & ambitionem, & affectionem per carnem placendi, Deo diſplicere. Hi ſunt nempe Angeli, quos iudicaturi ſumus: hi ſunt Angeli, quibus in lauacro renuntiamus: hæc ſunt vtique, per quæ ab homine iudicari meruerunt.

Galat. 6. *1. Cor. 6.* *2. Cor. 6.* *Matth. 22.*

Quid ergo faciunt apud iudices ſuos res eorum? Quod eſt commercium damnaturis cum damnandis? Opinor quod Chriſto & Beliæ. Qua conſtantia tribunal illud aſcendemus, decreturi aduerſus eos quorum munera appetimus? Nam & vobis eadem tunc ſubſtantia Angelica repromiſſa, idem ſexus qui & viris, eandem iudicandi dignationem pollicetur. Niſi ergo hinc iam præiudicauerimus, res eorum prædamnando, quas in illis tunc damnaturi ſumus, illi potiùs nos iudicabunt, atque damnabunt.

28. 3. Quia quæ *Angelos poſſederant* connubio, ſatis *magno* præmio *nupſerant*, neque plus hoc præmio poterant deſiderare. *Enimuerò qui*, &c. Ponit iam veram cauſam cur Angeli affecerint fœminas his muneribus. Arſerant in illas, ſed illud *momentum* & impetus libidinis elanguit, exhalauit, vaporatúſque eſt; cogitare cœperunt vnde cecidiſſent, ſuſpirarunt amiſſum cœlum; ergò *Illud ipſum bonum fœminarum naturalis decoris vt cauſam mali* ſui *ſic remunerauerunt*, decorarúntque nouis muneribus fuci, ceruſſæ, ſtibij, auri, argenti, veſtium; *Ne eis profuiſſet ſua felicitas, ſed deuectæ*, deiectæque *de ſimplicitate, & ſinceritate* natiui decoris, *vnà cum ipſis in offenſam Dei peruenirent*, aſcititio illo pulchritudinis ornamento. Hoc autem poſtea accidit, non cùm nupſerunt, tunc enim ſatis fuit habuiſſe Angelos. Ergo tempore deinde ſequente aperuerunt illis omnem mercimoniam veſtium. *Certi erant omnem*, &c. Hæc omnia ad finem vſque clara ſunt, ſi quid dubitatione dignum, apponemus in Notis.

NOTÆ.

29. 1. DEPVTANTVR.] Credo hoc verbum, cùm hîc ſumatur in malam partem, trahi à militia. Iuſtinian. Nouell. de armis (vt ait Meurſ.) de illis, qui καταλεχόμενοι τῇ πυρατάξει, ait, ὡς ὁπλοποιοὺς καὶ δεπουτάτους καλοῦσι, *Quos vocant armorum artifices & deputatos.* Eadem penè verba habet Baſilic. Eclog. 57. niſi quòd non δεπουτάτους, ſed δηπουτάτους ſcribit. Vidi & qui ſcriberent δαπουτάτους. Ergò, vt *deputati* dicuntur addicti labori fabricandorum armorum, ita dæmones damnati cruciatibus dici poſſunt *deputari.* Non enim iſta abhorrent à mente huius ſcriptoris, qui in iure peritiſſimus. In malam etiam ſumpſit Liberius in epiſt. ad Epiſcopos Catholicos: *Auctor perfidiæ perditè deputatus Eccleſiæ Catholicæ ſpiritali vigore plectetur.* Et Hilarius Canon. 24. in Matth. *Qui igni æterno deputantur.*

30. 1. ILLI SCILICET ANGELI, &c.] In hoc errore (præter Tertullianum) ſunt Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Origenes, Lactantius, Cyprianus. Ego hic vnius tantùm Cypriani verba adducam, qui explicat quæ hic Tertullianus. In libro itaque de habitu & diſciplina Virginum, ita ait, damnans habitum mulierum. *An vulnera inferri Deus auribus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara crucietur, vt poſtea de aurium cicatricibus & cauernis precioſa grana dependeant; grauia, etſi non ſuo pondere, mercium quantitate? quæ omnia peccatores & apoſtatæ Angeli ſuis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti à cœleſti vigore receſſerunt. Illi oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & corporis veritatem corruptelæ ſuæ impugnatione docuerunt.* Ad hunc errorem alluſit Ambroſius: *Non Poëtarum more Gigantes illos terræ filios vult videri diuinæ ſcripturæ conditor, ſed ex Angelis & mulieribus generatos aſ-*

31. *ſerit.* Supponit error iſte alium, ſcilicet Angelos fuiſſe corporeos, qui propagatus quoque eſt. Videatur præter alios etiam Caſſianus Collat. 10. cap. 4. vbi erroris huius originem deputat ignorationi priſtinæ gentilitatis, quæ dæmones adorabat ſub humana figura. Contrarium porrò ſentientes plurimos inuenies: in primis vide Cyrillum Alexandrinum lib. 1. Glaphyrorum in Geneſin vbi per Angelos Dei intelligit filios Seth atque Enos. & Chronicon ipſum, A vbi ait, οὐχὶ ἐκ τῶν οὐρανῶν: *Non illos calites.* Et poſteà latè explicat, qui mortales deuenerint ad hunc errorem. Ad hæc Suidam ex veteri ſcriptore, vbi explicat *Angelos Dei* eſſe filios Seth, Enoch & Enos. οἱ τὰ Σὴθ καὶ Ενὼχ καὶ Ενὼς παῖδες υἱοὶ Θεοῦ νοείδωσαν, οἵ τινες ἀλόντες ἀκολασίᾳ περὶς τὰς θυγατέρας Καὶν εἰσῆλθον, ἀφ' ὧν οἱ ἐκ τῆς καταλλήλου μιαιγαμίας γίνονται γίγαντες: *Seth, Enoch, & Enos liberi intelligantur filij Dei dicti, qui capti amore filiarum Cain inceſtas cum illis nuptias copulârunt, ex quibus nati ſunt gigantes.* Et Auguſtinum lib. 15. de Ciuitat. cap. 23. & Theodoretum quæſtion. 74. *Quidam nimis ſtupidi & ſtolidi exiſtimarunt eos Angelos eſſe, putantes ſuæ forſan intemperantiæ patrocinium habituros, ſi Angelos eiuſdem criminis reos tenerent.* Sed certè hæc ratio non quadrat in Cyprianum, nec in aliquos eorum qui huic opinioni aſſenſi ſunt. Huc ſpectauit Syncellus apud Raderum Nota 3. in Chronicum Alexandrinum, περὶ τῶν γιγάντων ἀσέβειαν. *Gigantum impietatem.*

1. DE COELO RVERENT.] Hoc verbo ſa- 32.
tis indicat impotentem libidinem, vt Horat. od. 15. B
lib. 2.

Tauri ruentis in venerem.

Et Virgil. lib. 3. Georg. loquens etiam de vi amoris,

In furias ignémque ruunt.

Hieronymus etiam in Epiſtola de ſuſpecto contubernio, *ruinam* dixit de peccato luxuriæ. Manſuetiore verbo Cyprianus lib. de Habitu & diſcipl. Virg. loquens de hac ipſa Angelorum libidine, *Ad terrena contagia deuoluti.* & manſuetiore adhuc Iuſtinus Martyr de iiſdem Angelis γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν: *Victi amore, & commiſti fœminis filios genuerunt.* Et Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædagog. cap. 2. διὰ κάλλος παραυάλωμον καὶ τοσοῦτον ἀφ' οὐρανῶν ἀποπεσόντες χαμαι: *Propter pulchritudinem, quæ marceſcit, è cœlis in terram deciderunt.* Ad rem autem pertinet illud Cyrilli Alexandrini lib. 3. in Geneſin. *Vt primùm ad auidas carnis libidines prolapſi ſunt, mulierum pulchritudine incenſi, à via recta plurimum aberrarunt.* Hinc flagitium eorum, ſuperbia, impietas. De quibus ſingulis vide opus, aureum ſanè, noſtri Saliani. Anno 1042. Vide inſuper librum apocryphum, quem citat ipſe. Anno 1170.

33. I. VT HÆC QVOQVE IGNOMINIA, &c.] Dicit obiter, cedere in fœminarum ignominiam, concubuisse cum illis Angelos apostatas. Nam quæ diaboli mistione ignominiosior? obiter (inquam) nam ideo *hæc quoque*, quia non ex professo: vel, quod ego existimo, hæc est sententia. Dixerat in primo capite, ruinam hominum ex fœmina inundasse: dicit in hoc capite, similiter illam fuisse causam ruinæ Angelicæ, & id est, *Vt hæc quoque ignominia accedat.*

I. BENE OCCVLTAS, &c.] Ideo *bene*, nam quid hæc nisi *irritamenta malorum*?

I. SÆCVLO IMPERITO.] Priscum ævum rude fuit, & insolens artium. Lucret. lib. 5.

Nec robustus erat curui moderator aratri
Quisquam, nec scibat ferro molirier arua, &c.

Virg. 1. Georg.

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni. &c.

34. I. METALLORVM OPERA NVDAVERANT.] Fodinas auri, & argenteas, aliasque intelligit, quæ dæmonum opera nudatæ, id est erutæ, & manifestatæ sunt. Est hoc, quod sequenti libro: *Materias eiusmodi illecebras detexerunt.* Quod Ambrosius in exhortatione ad Virg. *Aurum & argentum de latentibus eruant venis.* Seneca epist. 94. de hac ipsa re: *Per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur.* & prius dixerat: *Nos in lucem, propter quæ pugnaremus extulimus; nos & causas periculorum nostrorum & instrumenta, disiecto terrarum pondere, eruimus; nos fortunæ mala nostra tradidimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerãt ima terrarum.* Manilius l. 5.

Quærere sub terris aurum, furtóque latentem
Naturam eruere omnem.

His opponit Plinius in Prœmio lib. 33. verbum *occulto*, Ouidius *recondo*, Seneca adducto loco *abscondo*.

35. I. HERBARVM INGENIA TRADVXERANT.] De herbis *ingenium*, vt Virgil. de aruis, eo versu 2. Georg.

--- arborum ingeniis,

Id est conditionibus & naturis. Plinius lib. 14. cap. 1. *Ad cœli mores, soliſque ingenia*, id est, naturam. Ouid. lib. 15. metamorphos.

At quibus ingenium est immansuetumque ferumque,
Armeniæ tigres, iracundique leones,
Cumque lupis vrsi dapibus cum sanguine gaudent.

Plinius Paneg. *Aliud sollicitudinis, aliud securitatis ingenium est.* Gloss. *Ingenium*, ἐυφυΐα, φύσις. Sallust. *ingenium loci.* Auson. *ingeny fontes.* Pacatus Paneg. *Naturæ solertis ingenio.* Tacitus 2. Hist. *Spadonum gregibus, & cætero Neroniana aulæ ingenio.* & *traduxerant* ait, id est, transtulerant in vsum publicum, & cognitionem vtique publicauerant. Nyssen. Orat. aduersus eos, qui ægrè ferunt castigationem, τὰς φύσεις τῶν βοτανῶν ἐξετάζομεν: *Naturas herbarum perquirimus.* Sed Tertullianus noluit abire à significato huius verbi, & notat infamiam quandam. Nam herbis potentissima est vis ad omnia maleficia, veneficia, incantationes. Ergo *traduxerant* erit quoque, infamauerant. Firmat sequens membrum, *Et incantationum vires prouulgauerant.*

I. PROVVLGAVERANT. Aliàs *promulgauerãt.*

36. I. OMNEM CVRIOSITATEM.] Non dubium quin notet artes vetitas magicorum. Istæ enim *curiosæ* sunt nota voce. Ipse lib. de Idololatria cap. 9. loquens de his artibus: *Vnum propono, Angelos esse illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam huius curiositatis, propterea que damnatos à Deo.* Augustin. epist. 5. ad Marcellinum. *Illud, si sapiunt, attendant, qui Magicas artes non vtique nisi pro felicitate terrena, vel damnabili curiositate conquirũt.* Horat. od. 17. Epod.

An quæ mouere cereas imagines,
Vt ipse nosti curiosus, & polo
Diripere Lunam vocibus possum meis.

A Sed & Græci ita vsurpant. Nam Cyrillus Alexand. in cap. 8. Amos, ἔδοκουν οἱ παλαιοὶ περὶ μαντείας τὰ παρὰ τῶν δαιμόνων ἀποκεῖσθαι: *Curiosiores in re magica dæmonum responsa posse scire existimabant.*

I. VSQVE AD STELLARVM INTERPRETATIONEM.] Explica, arcana & secreta stellaria, quibus Astrologi vtuntur ad artes vetitas.

I. LVMINA LAPILLORVM.] Petron. Satyr. 37. *Ignes lapideos.* Ambros. lib. 3. de Virg. *Nobilia coruscantium gemmarum serta.* Hieronymus ad Pammachium, *Ardentes gemmæ.* & ad Rusticum, *Rutilantium pictura gemmarum.* & ad Gaudentium, *Quod vernat in floribus, quod rutilat in gemmis.* Gregor. Nyssen. serm. 3. de Orat. λίθων αὐγάς: *Fulgores lapidum.* Paulin. lib. 4. in vita Sancti Martini.

--- Sydereis radiantia tempora gemmis.

Manil. l. 5. *--- Phœbeis certantia lumina flammis,*
Gemmarúmque illi radiabant lucibus ignes.

Ad quem modum Plin. lib. 36. cap. 22. specularem lapidem vocat *phengiten* ab splendore.

I. CIRCVLOS EX AVRO, QVIBVS BRACHIA ARTANTVR.] Petronius de hoc ornatu: *Dextrum nudauit lacertum armilla aurea cultum, & eboreo circulo lamina splendente connexum.* Cyprian. de habitu & discip. Virg. *Auro, & margaritis, & monilibus adornatæ* Et iterum admonens Virgines: *Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus catena preciosa.* Verbum *arto* ad rem eandem contulit Hieronymus ad Marcellam. *Mitellis crispantibus vertex artabatur innoxius.* & in epist. de suspecto contubernio: *Papillæ fasciolis comprimuntur, & crispanti cingulo angustius pectus artatur.*

38. I. MEDICAMENTA EX FVCO, QVIBVS LANÆ COLORANTVR.] Cyprianus loco adducto, *Conchyliis tingere, & colorare lanas.* Quo loci etiam colores vocat *medicamina*, sicut Plinius loquens de purpura. Ambros. l. 5. Hexaëm. c. 11. *Aureum etiam vellus aqua nutrit, & lanam in memorati speciem metalli gignunt littora.* Aristot. l. 5. de Histor. animal. c. 15. αἱ δὲ πίνναι ὀρθαὶ φύονται ἐν τῇ βύσσῳ ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσι. *Pinnæ erectæ ex locis arenosis, cœnosisque, ex byſſo*, id est, villo siue lana illa pinnali *proueniunt.* Basil. Hom. 7. Hexaëm. πόθεν τὸ χρυσοῦν ἔριον αἱ πίνναι τρέφουσιν; *Vnde lanã auream pinnæ nutriunt?* Ait, *ex fuco*, quia fucus marinus ad tincturas expetitur, & quæritur. Græci vocant φῦκος θαλάσσιον. Quin Aristoteles l. 6. Hist. c. 13. marinas ait purpuras ex sententia aliquorum pasci hoc fuco, & inde trahere pretiosissimum colorem. Iunius legit *genæ colorantur.* Cuius coniectura mihi non tanti est, vt discedam à veteri Lectione. Quam etiam firmant verba adducta Cypriani, qui proculdubio transcripsit Tertullianum. & quæ notaui de fuco ex Aristotele. Itaque certissimè de lanis loquitur Tertullianus. Sed esto mutanda esset lectio, malæ, legerem, non *genæ.* Equidem fuco vtuntur fœminæ ad faciem. Plaut. Mostell. *Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt.* Ibidem fœminas vtentes fuco vocat *purpuratas.* Aldhelm. de Virg. *Stibio genas, ac mandibulas fucare satagit.* Nazianzen. Carm. 53. fucum vocat φαρμακα μαχλοσύνης *pharmaca adultery.*

39. I. IPSVM ILLVM NIGRVM PVLVEREM, QVO OCVLORVM EXORDIA PRODVCVNTVR.] Calliblepharum intelligit: quod quibus è rebus fiat non vno in loco Plinius. Fucum hunc vocat Clemens Alexan. l. 3. Pædag. c. 2. ἀσβόλιον. verba eius, ἢ τοῖς ὀφρύσι τὸν ἀσβόλιον ἀναπλώμενοι, loquitur de fœminis, *Supercilia fuligine illinentes.* Tertullianus autem *nigrum pulnerem.* Hoc quippe medicamine solebant fœminæ *oculos* (verba sunt Cypriani de habitu Virgin.) *circumducto nigrore fucare.* & lib. de lapsis, ait ita: *Quæ nigri pulueris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lacrymis oculos tuos ablue.* Lucianus

in Dialogo Mort. celebrat ὄμματα μέλανα. Hic autem *niger puluis*: credo fuisse illum, quem Plinius attingit lib. 30. cap. 15. *Ouis formicarum supercilia denigrari cum muscis tritis tradunt.* & Omphale Lydiæ regina hoc vsa est medicamine, quod Ion narrat, ᾗ τῶν μέλανων στίμμι ἐμμασσόμενον: *Nigrumque stibium oculorum picturamentum.* Sed Tertullianus hoc loco non oculos, sed *oculorum exordia* ait infici hoc nigrore, id est cilia, & supercilia: sunt enim hæc quasi aditus & exordia ad oculos. Artemidorus lib. 1. cap. 27. οὕτως γὰρ ἐυμορφίας καὶ μέλανι χρίονται τὰς ὀφρῦας: *Istæ* (fœminæ) *ad conciliandam gratiam nigrore illinunt supercilia.* Aristænet. lib. 1. loquens de Laide, ὀφρύς τε μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον: *Supercilia nigra purissima nigredine.* Apud Athenæum quispiam ὀφρῖς ὑπογράφεσθαι, *Cilia pingere.* Ita & Clemens lib. 3. Pædag. cap. 2. inter alias fœminarum lasciuias, ὑπογραφὰς ὀφθαλμῶν, *Picturas oculorum.* Vide eundem cap. 10. lib. 2. Est etiam superciliorum mentio in Martiale, & Iuuenale. Quibus in locis non dubito, quin cilia intelligenda sint, etiamsi scriptores supercilia nominent. Nam inumbratio illa oculorum tota est à proximis ciliis. Loco *exordia* legunt aliqui *exodia*, vt significentur fines oculorum atque ambitus: & possis huc trahere Cyprianum, qui *circumducto nigrore* dixit, quasi in ambitum. *Producuntur* autem verbum proprium in hac re. Illo enim fuco protenduntur cilia, & cuibrantur, vt longiuscula aliquanto appareant, & oculos obumbrent. Ita enim loquitur Arnobius lib. 2. *Fuligine oculos obumbrant.* Quæ dixi, clara ex Iuuenale Sat. 2.

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Omitto loca Martialis & Petronij, de quibus iam alij. Hieronymus ad Furiam, *Non habuit orbes stibio fuliginatos.* & ad Marcellam dixit, *oculos depingunt.*

40. 2. MALI MAGISTRI MALE DOCVERINT NECESSE EST.] Illustra ab Iustino Martyre, à quo in Dialogo Tryphonis dæmones dicuntur magistri τῆς πλάνης, *impostura.* In voce *magistri*, respicit ad concionatores, hi enim dicti *magistri.* Florus, qui floruit sub Carolo Caluo, in exegesi Missæ: *Primò igitur conuenientibus in vnum & adstantibus in domo Dei fidelibus, præcedente modulatione diuinarum laudum, præcedente lectione Apostolorum & Euangeliorum, præcedente etiam nonnunquam sermone & alloquutione magistrorum.*

2. CRVDÆ.] Ita Gregor. Turonens. Lib. in Gloriam confess. cap. 2. *Cruda rusticitas.*

2. SED HÆC NON CAPIT ÆSTIMARE.] Alio loco *capit interpretari*, id est, locus est interpretationi. Iterum, *Alia capit opinari*, locus est opinioni.

3. POSSIDEBANT.] Referri potest ad nuptias illas, quæ fiebant per *coemptionem.* Nam hæ stabiliores; non ita quæ per vsum & confarreationem: istæ enim non ita stabiles.

41. 3. VAPORATA MOMENTA.] Vapori comparat flammas amoris. Sic etiam de re vitiosa Prosper lib. 2. de Promiss. cap. 21. *Vaporis sui aspersione afflantes*, & signatè de re venerea vocem hanc vsurpat Ambrosius in exhortat. ad Virg. vbi *corporei vaporis incendia.* Iterum loquens de libidine, *Vapor omnis corporis temperetur.* Et adhuc, *Vapores carnis exagitant.* Ad hunc modum Græci. Nam Ioann. Chrysost. orat. 5. de incomprehensibili Dei natura dicit, *Mœrorem lacrymis διαπνεῖσθαι, euaporari.* Seneca dixit per verbum *despumo*, nam epist. 68. loquens de ætate iam languida: *Hæc ætas iam despumauit, iam vitia primo feruore adolescentiæ indomita lassauit.* Dixit verò *momenta* æquè eleganter, nam puncto temporis transuolat. Pulchrè Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 10. πτεροῖ γὰρ αὐτὴ ἐρώντων καρδίας. *Corda amantium pennata.* vt Augustin. epist. 3. dat vapori *tantillam apparentiam, & citissimam vanescentiam.*

3. CÆLVM SVSPIRABANT.] Quia *libido transacta semper sui relinquit pœnitudinem*, verba sunt Hieronymi ad Gerontiam, quæ hic accommodo; nam sensus illius est.

3. REMVNERAVERVNT.] Alluisum ad tritum illud δῶρα ἐχθρῶν ἄδωρα: *Dona hostium non dona.* 42. Donant scilicet dæmones quæ faciunt ad perniciem tuam & offensam Dei. Vide vt hanc sententiam ditauerim lib. 2. Æneid. ad illud,

Timeo Danaos, & dona ferentes. Et hîc tibi indico Ambrosium, qui lib. 3. de Virgin. exponit multa de Iudæ osculo. Nam tametsi osculum, tamen inimici. Quia videlicet *vtiliora sunt* (vt vult Sapiens) *vulnera amici, quàm oscula inimici.* Idem in exhortat. ad Virg. de honore, quem inimicus præbet, ait, *Omni immanitate acerbior.* Sic & Seneca dixit epist. 8. *Munera ista putatis? insidiæ sunt.* & statim perquàm emphaticè, *Viscata beneficia.*

3. DEVECTÆ.] Rescribunt *denictæ*, sed non assequor. Si mutanda esset lectio, *deiectæ* rescriberem.

3. DE SIMPLICITATE, ET SINCERITATE.] Voculæ istæ de naturali decôre sunt in Ambrosio & Cypriano. De prima prior lib. 3. de Virginib. *Nuda simplicitas corporeæ fraudis exuta tegminibus.* De altera posterior lib. de habitu Virg. *Quæ sincera sunt, polluuntur colorum adulteriis.*

3. IN OFFENSAM DEI PERVENIRENT.] 43. Geminus profectò locus Ioan. Chrysost. orat. de Nouiluniis. Vt enim Tertullianus ait, animum dæmonum fuisse, his lenociniis facere, vt fœminæ incurrerent in offensam Dei: ita ille tractat factum Madianitarum hunc in modum: *Madianitæ olim volebant infensum Deum Iudæis facere, hac via arbitrati se illos superare posse, si beneuolentiam Dei erga illos minuerent, puellas exornantes, & in exercitus conspectu collocantes, lenocinabantur eos; vt ad stuprum primo, deinde etiam ad impietatem adducebant.* Nihil simili loco Tertullianico.

3. PER CARNEM PLACENDI.] Caro hoc loco non significat carnale, id est voluptuosum delictum; sed delictum corporis vt opponitur spiritui. Ioan. Chrysost. Homil. 3. de Pœnit. ἀπελείφθην μὲν σώματι γνώμῃ. ἀπελείφθην ἀπουσίᾳ σαρκὸς, οὐ διαθέσει διανοίας: *Corpore quidem abfui, non item voluntate: absentia carnis, non affectione mentis.* Sed hoc alibi.

3. CERTI ERANT OMNEM, &c.] Aspectum ad Pauli locum Galat. 6. *Quicunque volunt placere in carne*, &c. Pamelius, Cùm dicit *affectionem* intellige læsionem mentis, sicut *affecta* valetudo est, non integra, sed læsa. & *affectum* corpus est Celso malè habitum. Cicero in Verrem. *Nemo Agrigenti neque ætate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit.* Sic *affecta fides* iam collabefacta, Tacito lib. 19. & corpus tabe *confectum* est acciſum: nam *accidere* est extenuare, & *acciſum* est κατηναλωμένον. Notauit ista eruditè in Budæi epistolas priores Tussanus. 44.

3. HI SVNT ANGELI QVIBVS IN LAVACRO RENVNTIAVIMVS.] Hunc execrationis ritum, quo ingressuri in aquam baptismatis, sub Antistitis manu contestabantur se *renuntiare diabolo*, attingunt sæpe Sancti Patres. Basil. in lib. de Spiritu sancto, ἀποτάσσεσθαι τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. Sic & Dionys. lib. de Ecclesiastica Hierarchia. cap. 2. hanc *abrenuntiationem* ἀποταγὴν, nominat: aitque obseruatũ vt abrenuntiãs ter Satanę insufflaret, ἐμφυσᾶται αὐτῷ τρὶς, quasi ita illũ pectore expelleret. Reliquos ritus huius abrenuntiationis, qui multi, lege apud eundẽ Dionysium. Est verò relatum apud Gratianum in Canone Ecclesiasticorum Dist. 11. Hæc in Ecclesia obseruata potiùs silentio, quàm publicata scripto, vt quæ plena

mysteriis. Quæ ille à Basilio accepit laudato loco. Vt verò hanc renuntiationem adducit Tertullianus ad damnandum cultum fœminarum; ita pariter Ioann. Chrysost. Homil. 21. ad Populum, vbi formam hanc constituit, *Abrenuntio tibi Satana, & pompa tua, & cultui tuo*, quam explicans addit, ἡ γὰρ περὶ τὸν κόσμον τῶν μαργαριτῶν μανία, πομπὴ Σατανική ἐστι, *Insania enim circa cultum margaritarum, est pompa Satanica.* Hieronymus etiam ad eandem rem aduocat eandem formam, scribens ad Demetriadem, vt scilicet cultum & ornatum omittat corporis. Vide illum.

45. 3. RES EORVM.] Munera quæ Angeli contulerunt fœminis iudicaturis illos. Quid si hîc legendum *res reorum*? asperitas credo pronuntiationis librariam fecit errare. Etenim cùm fœminas faciat iudices Angelorum, non ineptum est vt illi rei dicantur. Repetit inferius. Non idcirco damno lectionem.

3. CONSTANTIA.] Notanter: nam hæc virtus iudicum. Nullis enim donis reorum debent ab administranda iustitia dimoueri. Qui illa accipiunt, *corrupti* dicuntur ab Aristotele lib. 2. Polit. cap. 9. διαφθαρέντες ἀργυρίῳ. Respuant itaque fœminæ iudices dona Angelorum, qui in reatu.

3. ASCENDEMVS.] Aliqui Codices habent *ascendimus*, non ita benè.

46. 3. NAM ET VOBIS EADEM SVBSTANTIA, &c.] Aperit Hieronymus hunc locum, in Apologetico aduersus Ruffinum, aitque fuisse hæresin, quæ dicit (verba sunt eius) *Omnes rationales creaturas in Angelos reformari.* Itaque dixit hæc hæresis fore, vt in resurrectione homines relinquerent propriam formam, & inducrent Angelicam. Ex hac ergo locutus hic Tertullianus, ait fœminis repromissam eandem substantiam Angelicam. Itaque quamuis primo aspectu videatur nullus subesse error, & simpliciter alludsum ad locum Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicuti Angeli Dei in cœlo.* Sed non sic est, verè errat. Aliud est enim esse *sicut* Angelos; aliud esse *substantialiter* Angelos, & hoc postremum dicit Tertullianus. Sequitur, *Idem sexus* A *qui & viris*, id est, masculus: nam cùm Angeli corporei ab Tertulliano existimarentur, & virili forma, fit perinde vt fœminæ reformandæ in Angelos, ex eius opinione habituræ essent sexum virilem. Eandem hæresin cõfutat idem Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & locum Matthæi ita explicat. *Non substantiam nobis Angelorum, sed conuersationem, & beatitudinem Dominus repromittit.* & statim. *Quando dicitur, eritis similes Angelorum, similitudo promittitur, non natura mutatur.* In Epitaphio quoque Lucilij Hispani hominis ita ait: *Quando dicit, non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cœlis, non natura & substantia corporum tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur. Neque enim scriptum est, erunt Angeli, sed sicut Angeli. Vbi similitudo promittitur, veritas denegatur. Erunt, inquit, sicut Angeli, id est, similes Angelorum; ergo homines esse non desinent. Inclyti quidem, & Angelico* B *splendore decorati, sed tamen homines, vt Apostolus, Apostolus sit; & Maria, Maria, & confundatur hæresis, quæ ideo incerta, & magna promittit, vt quæ certa & moderata sunt, auferat.* Hæc ita latè, quia contra Iunium Caluinistam, qui defendens Tertullianum, ait, illum non hîc flagellandum. Hieronymum audio, non Iunij catachresin. Hilarius verè & pro Catholico Canon. 5. in Matth. *In resurrectione similes homines Angelis erunt.* & Greg. Nyssen. lib. de Virg. cap. 13. de vita beata. ζωὴ ἰσάγγελος, *Vita similis Angelorum.* Non ideo ego flagellandum puto Tertullianum: nam hunc librum scripsit Catholicus, & incidit in hunc errorem, vt alij: sed profuit veritatem explicuisse.

3. DIGNATIONEM.] Hæc vox familiaris etiam Cypriano epist. 16. *Diuinæ dignationis hortamenta*, & 25. *Lætatus quòd vos confessione sui nominis parauerit ad coronam Domini nostri præcipua dignatio.* Atque etiam Hieronymo in epist. ad Exuperantium. *Dignatio tua aut dies est, aut tenuis.* 47.

3. PRÆIVDICAVERIMVS.] Ille præiudicat, qui adhuc ante verum iudicium prædamnat reum, & res illius. Ergo præiudicamus, ne iudicemur; prædamnamus, ne damnemur.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Defenditur scriptura Enochi ratione triplici.

TERTVLLIANVS.

48. 1. SCIO scripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi à quibusdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur. Opinor non putauerunt, illam ante cataclysmum editam, post eum casum orbis omnium rerum abolitorem, saluam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur, pronepotem ipsius Enoch fuisse superstitem cataclysmi, Noë, qui vtique domestico nomine & hæreditaria traditione audierat, & meminerat de proaui sui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis eius: cùm Enoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandauerit, quàm vt notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione succedisse, vel quia & aliàs non tacuisset tam de Dei conseruatoris sui dispositione, quàm de ipsa domus suæ gloria.

EXPLICATIO.

49. 1. DICET aliquis, vbi gentium est scriptura Enoch, quæ *Angelis dedit* hunc vitæ modum, & eos conduxit in hunc ordinem maritalem? cùm neque in Canone scripturarum Iudaicarum seruetur in templo populi Hebræorum. *Opinor non*, &c. Ratio cur Iudei reiecerint scripturam hanc Enoch. Quia non putauerunt saluam esse potuisse scripturam *illam editam ante Cataclysmum*, nimirum *abolitorem omnium rerum orbis post eum casum. Si ista ratio*, &c. Prima ratio, qua impugnat Iudæorum opinionem. Nam Noë pronepos Enochi potuit post diluuium, cui superuixit, tradere mortalibus notitiam rerum, quam à proauo Enocho ipse audierat, vt ad quem hæreditario quodam iure pertinebat earum rerum traditio;

cùm præsertim Enochus filio suo Mathusalæ hoc impensè *mandauerit*. Præceptum itaque datum Mathusalæ potuit, imò debuit pro suo capere Noë, vt qui eiusdem domus. De *prædicatis* dicam in Notis. *Igitur sine dubio*, &c. Potuit igitur Noë sine vlla controuersia manifestare mortalibus maioris sui delegationem. Sed esto non delegatus successerit, certè non tacuisset domesticam suam gloriam; erat verò magna, proaui sui scripturam manifestare; tum etiam conseruatorem suum, & dispositorem Deum.

50. 2. Hoc si non tam expeditè haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentia cataclysmi in spiritu rursus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum. Sed cùm Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino reiiciendum est quod pertinet ad nos. Et legimus omnem scripturam ædificationi habilem diuinitus inspirari, à Iudæis postea iam videri propterea reiectam, sicut & cætera ferè quæ Christum sonant. Nec vtique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eò accedit, quòd Enoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet.

Iudæ 1.

51. 2. Sequitur ratio altera. Demus huic viro nihil fuisse *expeditum* & promptum, quod verbis posset manifestare, certè *assertionem scripturæ illius illud tueretur*, quod subiiciam. Nam *proinde potuit reformare rursus in spiritu* scripturam *eam abolefactam violentia cataclysmi*, *quemadmodum Esdras*, &c. Quasi dicat. Esto perierit non solùm scriptura illa, sed etiam traditio verbalis, neque aliquis fuerit, à quo discere potuerit Noë; nonne suppetente diuino spiritu posset illam restaurare, sicuti Esdras? &c, *Sed cùm Enoch*, &c. Posset aliquis obiicere: si restaurauit Noë scripturam sui proaui, vbinam gentium illa? vt periit? quid factum de ea? Respondet. Prædixit Enoch multa de Christo, quæ à nobis Christianis non reiicienda; nam scriptura omnis *habilis ædificationi* (id est, quæ habetur ad ædificationem) diuinitus inspiratur. Sed credibile eam reiectam à Iudæis, quòd multa de Christo habuerit; sicuti cætera omnia, quæ Christum sonant. Et quid *mirum*, *si* qui *recepturi loquentem coram non erant*, *non receperint scripturas loquentes* & prophetantes *de illo*? *Eò accedit*, &c. Sequitur vltima ratio astruens auctoritatem scripturæ Enochi. Est enim magnum citari illam ab Apostolo Iuda.

NOTÆ.

52. 1. SCRIPTVRAM ENOCH.] Quæ dicta superiore capite de Angelis desertoribus cõnubio iunctis cũ fœminis, nituntur auctoritate libri Enochi, cuius libri fit magna mẽtio apud Patres Tertulliano etiam antiquiores, Irenęum, Iustinum, Athenagorã, aliosque. Enochus igitur in eo libro locũ Geneseos, vbi nunc legitur *filias hominum amatas à filiis Dei*, ipse pro *filiis Dei*, habebat *Angelos Dei*. Quæ scriptura irrepsit in sacrũ Codicem, quo vsi prædicti Patres, in quo legebatur, οἱ Ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, pro eo quod postea lectum inuenitur, οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ. Hæc breuiter prælibari oportuit ad capitis huius cognitionem: qui plura velit, adeat Pamelium, & in hunc locum, & in Prolegomenis. Ad rem. Cùm Tertullianus nitatur vnius Enochi scriptura, defendit illam in hoc capite. Veritas autem est, scripturam Enochi nunc nullam extare, nisi quæ ab nonnullis Patribus citatur, neque eam defendi posse: de qua tamen dicam ad finem huius capitis. Hoc volui monere, ne dum Tertullianum explico, videar defendere eam scripturã. Notandum hic Patres vsos hac loquendi forma, vt *scripturam Enoch* dicant: qua etiam forma locutus est Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 23. cùm ait: *Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cùm hoc in Epistola Canonica Iudas Apostolus dicat*, &c. Quæ tamen ratio non procedit nisi coniectura, cùm Apostolus Iudas non dixerit *scripsisse*, sed *prophetasse*, ait enim: *Prophetauit & de his septimus ab Adam Enoch, dicens*, &c. Quod sine scripto facere potuit, inquit Salianus, Anno mundi 987. quemadmodum Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis*.

53. 1. HVNC ORDINEM.] In lib. de cultu fœminarum: *Iidem Angeli qui & materias huiusmodi illecebras detexerunt, aurum dico & argentum illustrium, & opera eorum tradiderunt, etiam calliblepharum vellerúmque tincturas inter cætera docuerunt, damnati à Deo sunt, vt Enoch refert.*

1. ARMARIVM IVDAICVM.] Intelligit Canonem (ait Pamel.) scripturarum Iudaicarum, qui (teste Augustino) seruabatur in templo populi Hebræorum. Sunt *armaria* capsæ, vtique κιβωτίσκια vel promptuaria ταμιεῖα. Sunt qui putent dicta ἀρμάσια quasi ἁρμάσια. Vopiscus in Tacito: *Habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum*. Prudentius in Apotheosi, *scriptorum armaria*.

1. ABOLITOREM.] Cataclysmus *abolitor* dicitur, vt in Apologet. *Totum orbẽ cataclysmus aboleuit*.

1. SVPERSTITEM CATACLYSMI.] Iungit ita, non *cataclysmo*, nam Latini illud quoque. Tacit. lib. 2. *Superstes bellorum*. Sueton. in Tiber. *Superstes omnium suorum*.

1. PRÆDICATIS.] Illud *prædicata* explica asserta, dicta, & pronunciata ab Enocho, vtique Ἀγγελούμενα, vt loquitur Dionysius Areopagita in epist. Possis etiam *prædicata*, id est, prædicta. Sic infrà in hoc capite, *prædicationem*, pro, prędictionem. & *prædicarit*, pro prædixerit, manifestissimè. Nam prædictiones Enochi de Christo Domino reperiuntur in testamento duodecim Prophetarum, quod citatur ab Origene & Procopio. Omitto, quia iam Pamelius. 54.

2. PROINDE.] Explica *perinde*, & verius *ideo*, nam ita frequens accipit hic scriptor, & alij. Cicero pro Planco, *Constiti vt proinde ad omnia paratus essem*, id est ideo, ita, perinde. Sed & ista vocum consecutio, *Proinde quemadmodum*, quæ minùs Latina, erit Latinissima si dicas, *proinde vt*. Exempla obuia in Tullio, Plauto, aliis: & Varro dixit, *Proinde vt milites faciunt cùm castra mouent*. Sic ergo, *Proinde vt constat restauratum*. sed Afer, *Proinde quemadmodum constat*.

2. PER ESDRAM CONSTAT RESTAVRATVM.] Irenęus l. 3. aduersus Hęres. c. 25. *Inspirauit Esdrę Sacerdoti Tribus Leui Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem quæ data esset per Moysem*. Clemens Alexan. 1. stromat. *Esdras* 55.

Leuites, qui factus fuerat Sacerdos, prophetauit, omnes veteres rursus scripturas renouans. Sed & citatur Epistola Basilij ad Chilonem, in qua sunt hæc: *Hic campus, in quo secessu facto Esdras omnes diuinos libros ex mandato Dei eructauit.*

2. SED CVM ENOCH, &c.] Mutationem Iunij circa textum Tertullianicum, nihil moror.

2. A IVDÆIS POSTEA IAM, &c.] In manuscripto legitur, *A Iudæis potest iam videri propterea reiecta.* Probari potest.

56. 2. CHRISTVM SONANT.] Hoc verbi, & ad eandem rem est in Optato Mileuitano lib. 7. vbi, *Illius sunt proculdubio ambæ voces, sed non ad vnum populum sonat vtraque. Prima est per Moysen ad certum genus hominum; secunda, per Ezechielem ad alterum genus hominum.*

2. EÒ ACCEDIT QVÒD ENOCH, &c.] Extrema hæc ratio nullius fortasse est ponderis, cùm dicat Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis: *Propterea à Patribus nonnullis reiectam Epistolam Iudæ quòd citaret scripturam Enochi.* Sed in epistola ad Titum excusat Iudam Hieronymus. & Augustin. lib. 15. de Ciuit. ait, *Nonnulla fuisse in scriptura Enochi diuina, ac propterea potuit illum Iudas aduocare.* Tu vide Pamelium.

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Diuidit habitum muliebrem in cultum & ornatum: vtrumque explicat, & vtriquevitium vnum attribuit.

TERTVLLIANVS.

57. 1. NVLLA nunc muliebri pompæ nota inusta sit prædamnationis de exitu auctorum. Nihil Angelis illis imputetur præter repudium cœli, & matrimonium carnis. Rerum ipsarum qualitates examinemus, consilia quoque concupiscentiæ earum deprehendamus.

EXPLICATIO.

1. ANNECTENDVM hoc caput cum secundo, vbi dixerat dæmones fuisse inuentores cultus fœminarum, & ideo damnandum; omittitque istud argumentum vt remotum, assumitque aliud hærens in ipsius causæ visceribus, aitque: Esto *nulla* infamis *nota prædamnationis inusta sit* (sumit locutionem à seruis) *de exitu* & exitio *auctorum* dæmonum *pompæ muliebri*, id est, non sit infamis cultus ab dæmonibus, neque ab exitio eorum postimus iam nunc prædamnare fœminas ad pompam funeris. *Nihil Angelis*, &c. Clara hæc sunt, tantùm vide concinnitatem; nam qui dicturus *matrimonium carnis*, præmisit *repudium cœli.* Quasi amauerint carnalia, qui potuissent frui æternis cœlorum nuptiis. Hoc enim verborum conceptu grandis fit oratio. Nam quale est, repudium cœlo dedisse, amauisse carnalia? Nec dissidet hic sermo à sacro eloquio, vbi nuptiarum & accubitus nomine cœlestes voluptates.

58. 2. Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, & cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro & argento, & gemmis, & vestibus deputatur; iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis: vt iam hinc prospicias, Dei ancilla, quid ex his disciplinæ tuæ conueniat, quæ de diuersis institutis censearis, scilicet humilitatis & castitatis.

2. Discriminat cultum ab ornatu, constituens species duas habitus fœminei. Primam speciem vocat *cultum*, alteram *ornatum. Cultus* versatur in *muliebri mundo, ornatus* in *muliebri immundo.* Nam aurum, argentum, gemmæ, vestes pretiosæ, mundissima sunt: cura tingendi capilli, cutis curandæ fucus, corporis pigmentandi ad trahendos aliorum oculos, immundissimum est. *Alteri ambitionis*, &c. Has duas species refert ad vitia duo, quibus opponit virtutes duas. *Cultus* respicit *ambitionem*, ornatus, *prostitutionem:* ambitioni *humilitas* opponitur, prostitutioni *castitas.* Quid ergò faciet cum *ancilla Dei*, quæ esse debet humilis, aurum ambitiosorum? Quid cum ea, quæ esse debet casta, fucus prostitutarum meretricum? In illis, *Quæ de diuersis institutis censearis*, sententia est, quæ numereris de institutis humilitatis & castitatis, diuersis ab ambitione & prostitutione.

NOTÆ.

59. 1. PRÆTER.] In manuscripto legitur *propter*, sensu alio, sed claro.

2. CVLTVM ET ORNATVM.] Non dubium, quin, cùm Cyprianus vtramque hanc vocem coniungit, intelligat eo modo quo magister; vt cùm ait lib. de Hab. Virg. *Continentia verò & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus honore.* Iterum. *Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus.* vbi *improbitas* refertur ad sumptuositatem auri & vestium, *impudicitia* ad fucos & pigmenta. Et adhuc idem Cyprianus: *Parem se integritas in omnibus præstet nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum habeat, aut quærat?* Quibus in locis & aliis cultum accipit de mundo muliebri, vestibus, argento, auro: ornatum de cura corporis, cutis, capillitij. Quin ita idem Cyprianus Paulum explicat: *Locupletem te dicis, & diuitem, sed diuitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum iusto fine moderandum sua voce præscribit. Sint, inquit, mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non intortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa*, &c. vbi *intortos crines* ad ornatum, aurū

margaritas, veſtem ad cultum refert. Et Barthius in animaduerſionibus ad Claudianum in tertium conſulatum Honorij, accipit *cultum* de veſtitu cultiore in Tertulliano: verſus Claudiani eſt,

Gemmatóſque humilem diſpergere Perſida cultus.

Ita poteſt accipi Plautus Moſtell.

Nam amator meretricis mores ſibi emit auro & purpura.

Vbi *aurum* ad cultum; nam addit, illo tegi turpitudinem corporis: *purpura* ad ornatum; nam addit, *purpura ætas occultanda eſt*, ſcilicet purpuriſſo: nam ita corrupti mores, vt tales eſſent viri. Non ſum neſcius aliam eſſe poſſe & obuiam ſententiam Plauti.

60. 2. IMMVNDVM MVLIEBREM.] Id propter Hieronymus epiſt. ad Marcellam, fœminis gypſatis & purpuriſſatis dat *deformitatem*, notans credo immunditiam. & in eandem epiſt. *Facies pſimmithio ſordidata*, id eſt, ceruſſa, nam Græcis hæc ψιμύθιον. Plautus pulcherrimè Moſtell. de huiuſmodi fœminis.

Vbi ſe ſudor cum vnguentis conſociauit illico
Itidē olent, quaſi cũ vnà multa iura confundit coquus.

Vide an dici queat immundities. Menander in verſiculo mulieris ornatæ dat ῥῦπος, ſordes, inquinamentum. Clemens Alexan. lib. 3. Pædag. cap. 11. κόσμον ἄκοσμον καὶ ἀνελεύθερον καὶ ἑταιρικόν: *Mundum immundum, illiberalē, meretricium.* Seneca Pater controu. 1. *Immundiſſimis ſe excolere munditiis noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Inde Ianus Gulielmus in Mercatore Plauti legit verſum illum, *Multo opere immundo ruſtico ſe exercitum.* Non *in mundo*, *immundum* enim ruſticum vocat ſordes agreſtium.

61. 2. ISTE IN CVRA CAPILLI.] Vides vt *ornatum* referat ad *capillum*. Locutus eſt propriè admodum, nam verbum *orno* de vno præcipuè *capillitio* dici in profanis auctoribus obſeruabis. Ouid. 2. Am.

Ecce tuum ſolers caput exornare Cypaſſis.

Et infrà:

Adde quòd ornandis operoſa eſt illa capillis.

Inde veniunt expendendi verſus Iuuenal. Sat. 6.

Nam ſi conſtituit, ſolitóque decentiùs optat
Ornari, & properat, iamque expectatur in hortis,
Aut apud Iſiacæ potiùs ſacraria lenæ,
Diſponit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humero Pſecas infœlix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare concinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen, facinuſque capilli.

Vides vt *ornatus* totus ſit in *capillitio*. Inde obſeruatur doctis, ancillas eas, quæ curabant capillum dominarum, dici proprio vocabulo *ornatrices*. Ouidius enim laudato loco,

Tota ſit ornatrix.

Itaque propriè admodum Ambroſius lib. 3. de Virg. *Matris in gremio fertur ornaſſe caput.* Eadem proprietate Hieronymus ad Demetriad. *Ornare crinem.* Iterum: *Fuge laſciuiam puellarum, quæ ornant capita.* Quem ſermonem poſſum referre ad ancillulas illas ornatrices; has enim vt fugiat, admonet Demetriadem Virginem, præſertim cùm ipſe dixerit in epiſt. ad Marcellam, loquens de Bleſilla: *Tum crines ancillulæ diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex artabatur innoxius, nunc neglectum caput ſcit ſibi tantum ſufficere, quod velatur.* Ex dictis video propriè ſatis ſcripſiſſe Clement. Alex. l. 3. Pædag. c. 4. κομμώτρια περὶ τὰς γυναῖκας ἀμφιπολοῦσιν· αἱ μὲν, τὰ κάτοπτρα, αἱ δὲ, τὸν κεκρυφάλους, ἄλλαι δὲ τὸν κτένας. *Ornatrices mulieribus ornandis deſeruiunt, & hæ quidem ſpeculis, illæ vittis, aliæ præſunt pectinibus.* Vtique ornatricibus dedit ornamenta pectendi capillitij, & illigandi.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Quæ ſequuntur capita, omnia pertinent ad cultum: & primo loquitur de auro, atque argento: quas materias deturpat ab officinis, quæ ferales; ab genere, quod terreum; ab vſu, in quo illis ferrum atque æs præferuntur.

TERTVLLIANVS.

62 I. AVRVM & argentum principes materiæ cultus ſæcularis aſſint neceſſe eſt, vnde ſunt; terra ſcilicet planè glorioſior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata nomen terræ in igni reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias, de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur. Sed & ferri, & æris, & aliarum viliſſimarum materiarum par conditio eſt, & terreni generis, & metallici operis: quo nihilo glorioſior iudicari poſſit auri, & argenti ſubſtantia penes naturam.

EXPLICATIO.

63. I. DICIT *aurum & argentum*, qui *principes* ſunt *in cultu*, inde adeſſe, *vnde ſunt*; idque redigit ad neceſſitatem. Nimirum ſunt terra, ſed hæc *terra planè* eſt *glorioſior*. Quare? *Quoniam nomen terræ reliquit in igni*, quæ tamen *in feralibus officinis metallorum maledictorum* ſatis *deplorata* eſt à miſeris damnatis *pœnali illo opere*, id eſt, ob pœnale opus. Dicit videlicet, aurum terram eſſe, ſed glorioſiorem terram, quàm antè fuit. Quia cùm terra igni excoquitur, aurum inde prodit purum. Sed hæc terra, quæ iam glorioſior, quid putas fuit? Certè feralis quædam officina pœnarum, in quam damnati contrudebantur ad effodienda metalla. Id propter & terra ipſa *deplorata*, & eius metalla *maledicta*. Sed en tibi, *de tormentis*, *de ſuppliciis*, *de ignominiis* miſerorum ergaſtulorum *mutatur* terra *in ornamenta*, *in delicias*, *in honores* fœminarum. Sed vti mutatur? Certè cum ignominia ſui, nam *refuga metalli*. Sicuti enim *refugæ* ſunt ſerui, qui fugiunt à pœna: ita aurum fugitat & nomen metalli, & dici vult torques, monile, armilla, idque glorioſiori nomine. *Sed & ferri*, &c. Hactenus aurum, & argentum à matre deturpauit, nam terra gignuntur; iam à fratribus germanis, quos habent, videlicet *à ferro, ære, aliiſque viliſſimis materiis*, quæ omnes ſunt generis *metallici*; quo ſcilicet genere *ſubſtantia auri & argenti nihilo* eſt generoſior. Intellexiſti credo mentem Tertulliani, non vult ille deturpare æs & ferrum, ſed ab his fratribus aurum & argentum.

64. 2. Quòd si de qualitate vsus, gloria est auro & argento; at quin magis ferro & æri: quorum ita disposita est vtensilitas, vt & proprias operas plures & necessariores exhibeant rebus humanis, & nihilo minus auri & argenti de sua vice accommodant iustioribus causis. Nam & annuli ferro fiunt. Quædam esui & potui vascula ex ære adhuc seruat memoria antiquitatis. Viderit si etiam ad spurca instrumenta auri & argenti demens copia deseruit. Certè nec ager auri opere paratur, nec nauis argenti vigore contexitur. Nullus bidens aurum demergit in terram, nullus clauus argentum intimat tabulis.

65. 2. Gradum facit, & æs atque ferrum anteponit *auro, & argento* quantum ad vsum. Probat duplici ratione. Prima, nam horum *vtensilitas plures & necessariores operas exhibet rebus humanis.* Altera. *Nihilo minus*, non ideo minùs *de vice sua*, id est de re sua, de se ipsis *accommodant operas auri, & argenti*, id est, perficiunt, complentque operas omnes auri, & argenti, supplentque pro auro & argento, idque *causis iustioribus.* Probat has iustas causas, ex *annulis ferreis, ex esu & potu. Viderit si etiam* &c. Cum irrisione. Quid si iam proferantur vsus alij *auri & argenti*, immundissimi, spurcissimi, & indignissimi nobili materia. Semper enim particula *viderit* improbat, vt cùm ait Hieronymus ad Rusticum, *Viderint alij quid sentiant.* & sæpè Cyprianus. *Certè nec*, &c. Profert alios vsus, in quibus æs & ferrum præferuntur auro & argento: nam *non ager* scinditur, colitúrque aureo aliquo opere, quia *nullus bidens aurum demergit in terram.* Deinde, *non nauis argenti vigore contexitur*, quia *nullus clauus intimat* infigitque *argentum* suum *tabulis* naualibus. Otiosum ergò aurum ad arandas terras; otiosum argentum ad compingendas naues. Opus istud ferri est.

66. 3. Taceo totius vitæ necessitates ferro & æri innixas, cùm illæ ipsæ diuites materiæ, & de metallis refodiendæ, & in quocumque vsu producendæ sine ferri & æris operario vigore non possint. Iam igitur æstimandum est vnde obueniat tanta dignitas auro, & argento, cùm & consanguineis quantum ad genus, & potioribus quantum ad vtensilitatem materiis præferantur.

67. 3. Hîc iam σωπόμως & compendiosè, contentus dixisse de agricultura & nauigatione. Quin adhuc istæ *diuites* & splendidæ *materiæ* ita pendent ab *ære & ferro*, vt sine illis nec *refodi ex metallis* possint, nec refossæ duci & *produci* in mollitudinem ad quascunque formas; accedat enim necesse est *vigor* malleorum, qui ferrei, & ærei. *Iam igitur*, &c. Conclusio capitis. Cùm aurum, & argentum, si *genus* spectes, non sint generosiora suis fratribus *consanguineis*; si *vsum*, non potiora: *æstimemus* iam cur illis præferantur? (vtraque vox miram habet emphasin) quæ est nostra *æstimatio*, si fratres pares generis ignobilitate, vsu deteriores suis fratribus *præferantur*?

NOTÆ.

68. 1. AVRVM ET ARGENTVM, &c.] Latinius sic legit; *Aurum & argentum principes materiæ sæcularis id sint necesse est, vnde sunt.* Quæ lectio aliquanto est clarior, vt dicat, terra sunt quia è terra sunt. Sic Hieronymus ad Nepotianum, diuitias *lutum* vocat. & Petrus Chrysol. serm. 22. *Aurum de profundo terræ.* Cum respectu verò ad natales auri, idem Chrysol. serm. 27. ita arguit de auaritia: *Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta; pérque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetit naturam, cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper, alta mentium in terrena demergit.*

1. TERRA SCILICET.] Theophrastus tamen Opusculo de lapidibus, aurum & argentum ex aqua fieri autumat, ὕδατος μὲν, τὰ μεταλλευόμενα, καθάπερ ἀργυρος καὶ χρυσός: *Et metalla quidem ex aqua, qualia argentum, & aurum.* & Themist. orat. 6. ὥστε καὶ παρὰ Σόλωνα τὸν Ἀθηναῖον ὑ πυρῶν σωροὺς, ἀλλὰ χρυσοῦ ψήγμασιν ἐκαλλωπίζετο, ὃς καὶ ἡγῶν αὐτῷ ἐδωροφόρει, ἀλλὰ ποταμὸς ἀλαζὼν, πλοῦτον ἄκαρπον καὶ ἀέλαστον: *Itaque apud Solonem Atheniensem non frumenti aceruos, sed auri ramenta venditabat: quæ non terræ munera sed arrogantis fluuij erant, infructuosæ opes ac steriles.*

69. 1. IN MALEDICTORVM METALLORVM FERALIBVS OFFICINIS.] Adducit Rhenanus elegantem hunc locum Cypriani ex epist. 25. *Non fouetur in metallis lecto, & culcitris corpus. Humi iacent fessa laboribus viscera. Squallent sine balneis membra situ, & sorde deformia. Panis illic exiguus, vestis algentibus deest. Semitonsi capitis capillus horrescit.* Sed quidem cùm Cyprianus adducat *semitonsum* caput, eò alludere videtur Apuleius lib. 8. *Frontes litterati, & capillum semiraſi, & pedes annulati.* Sed & Nyssenus epistola ad Flauianum, feralem hanc puniendi rationem vocat σκυθρωπὸν κολαστήριον. Adeò autem misera hæc puniendi ratio, vt dicat Ioan. Chrysostom. Orat. 3. de incomprehensibili Dei natura, solitas olim in Ecclesia fundi preces pro deputatis ad metalla, & ibi seruientibus, sicuti pro ægrotis, & pro vexatis malo dæmone. Verba eius: εἰ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἐν νόσοις, ἐν μετάλλοις, ἐν σκληραῖς δουλείαις, καὶ ὑπὲρ τῶν ἐνεργουμένων κελευόμεθα τὸν θεὸν παρακαλεῖν. Et in Liturgia Iacobi fratris Domini habetur clarè: *Memento Domine eorum, qui ad metalla, & supplicia damnati sunt.* Inde Hieronymus de istis lib. 1. aduersus Iouinianum, exaggerans, *Multo labore fessorum.* & lib. 2. de iisdem, *Duro opere mancipati.* & Aldhelm. de Virg. cap. 25. *Olidos ergastulorum squallores horrescit.* & cap. 27. *Arcta sordentis ergastuli latibula.* Solent porrò Christiani in magno periculo, & re admodum formidanda munire se signaculo crucis. Atqui de monacho quodam Petrus Episcopus Alexandrinus apud Theodoretum lib. 4. Histor. cap. 20. ait, ingredientem in metalla se priùs cruce signauisse. Vide Hadrianum Iunium Cent. 4. Adag. 99. vbi de proficuo famulatu loquitur.

1. POENALI OPERE.] Hæc vox in vsu Patrum. 70.

Sic & Hieronym. de muliere ſepties percuſſa dixit, *Pœnalis carceris horrore.* Et Cyprian. in epiſt. 16. *Horribiles cæteris, atque funeſtas pœnalis loci tenebras.* Chryſolog. ſerm. 44. *Qualis finis eſt vbi eſt origo pœnalis.* Saluian. lib. 5. de Gubern. *Illud indignius, ac pœnalius.* Zeno Veronenſ. ſerm. de Iuda, *Pœnali ſupplicio.* Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap. 4. *Munus pœnalis conditionis exequitur.* Valerianus Epiſcopus Cemelienſ. Homil. 10. *In quo loco ad excuſandam execrabilis erroris inuidiam aliquanti forſan luſum prætendant, & pœnalibus cauſis lætitiæ nomen imponant.* Idem infrà, *pœnalis amicitia.* Sed & aliorum. Plinius cap. 11. lib. 18. *Vinctorum pœnali opera.* & loquitur de iiſdem de quibus Tertullianus. Ammian. lib. 14. *Gladios pœnales.* & lib. 16. *Pœnaliter interibat.* Dixit autem *opere* quemadmodum Græci de hac re. Themiſt. orat. 1. ad notandas fodinas argenti dixit, ἐκ τῶν ἔργων τῶν ἀργυρείων. Et Prudentius in agone Laurentij *pœnalem laborem* vocauit, eundem intelligens, quem Tertullianus:

Aurum, quod ardenter ſitis,
Effoſſa gignunt rudera,
Et de metallis ſquallidis
Pœnalis excudit labor.

71. 1. DEPLORATA.] Legit quiſpiam *depurata:* poteſt, ſed retineo veterem lectionem, quia commoda. Poſſet legi non malè *deputata*; iudicij ſit tui.

1. IN IGNI.] Certum hoc. Sed & de ære Plinius in Procœmio lib. 34. *Effoditur, ignique perficitur.*

1. DE TORMENTIS IN, &c.] Vide vt explicui, nec muto, ſed affero aliam explicationem, ſi quem pungat. Quid ſi *tormenta, ſupplicia, ignominiæ* referantur ad cocturam auri, qua purgatur, vt depuretur? Præceſſit quippe reliquiſſe *in igni* nomen. Ergò poſt tormentum auri in igne, quo veluti noxium inter ſupplicia, & extremas flammarum ignominias verſatur, ſeruit poſtea ornamento. Non vendito. Sed certè multa à multis minore probabilitate in Tertullianum.

72. 1. METALLI REFVGA.] Vox propria eſt iuris, vbi *refugæ* dicuntur, qui fuga ſe ſubducunt à pœna, cui addicti. Inde in iure inueniuntur iſta, *Refugæ metalli, refugæ cuſtodiæ,* de hominibus qui fugiunt à metallis, & carcere. Ad quem modum Petrus Chryſolog. ſerm. 1. loquens de Prodigo: *Affectionis deſertor, pietatis refuga, deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur ſeruituti.* Et Ambroſ. de Fidei reſurrect. *Mors culpæ refuga.* Prudent. Hym. 1. περὶ στεφ. *Chriſti defugas.* Et pari forma, *Defugæ, confugæ, perfugæ, transfugæ.* Vide Schardium, Briſſonium & alios. Nec dubium quin formam iuris ſpectauerit Tertullianus, vocans aurum *refugam metalli*, vt poſſet ſeruum. Perinde ac ſi dictum. Aurum addictum erat ignominiæ metalli, ſed fuga ſe ſubtraxit, atque vt eſſet *pretioſius*, noluit *nomen cuſtodire.* Ita enim de re pari loquitur Plinius in Procœmio lib. 33. Ergo, aurum fuit inſtar ſerui fugitiui. Sedulius Hybernenſis in Collectanea epiſtolæ Poſterioris ad Theſſalonicenſes, vocat Antichriſtum *refugam veritatis.* Aliquis volet referre ſententiam ad belli transfugas, quod non probo.

1. TERRENI GENERIS.] Ita etiam de ferro
73. Ioan. Chryſoſto. Homil. 9. ad Popul. σίδηρον ἀπὸ γῆς ἔχει τὸ ὑπαρξιν: *Ferrum à terra habet ſubſtantiam.*

2. GLORIA EST AVRO ET ARGENTO.] Hieronymus ad Gaudentium. *Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Sueton. in Nerone cap. 31. de aurea huius domo: *In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis, vnionúmque conchis erant.* Lucan. lib. 9.

--- laqueatáque tecta ferebant
Diuitias, craſſúmque trabes abſconderat aurum.

2. DE SVA VICE.] Mutant, *de ſuo vicem*, ſed explicandus eſt Tertullianus, non mutandus, niſi graui neceſſitate. Ego nihil in eo inuenirem difficile, ſi arbitrio meo mutarem, quæ non intelligo. *Atquin* pro *atqui* ſæpiſſimè Tertullianus.

2. ANNVLI FERRO FIVNT.] Annulorum 74.
ex ferro mentio multa. Stat. in lacrymis Etruſci,

Mutauitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exſuit, & celſò vatorum æquauit honore.

Appianus in Libycis meminit militum σιδηροφορούντων, qui geſtarunt annulos ferreos. Nam modica horum gloria; quia Plinius lib. 33. cap. 1. *Vulgoque ſic triumphabant, & cùm corona ex auro Etruſca ſuſtinebatur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æqua fortuna triumphantis, & ferri coronam ſuſtinentis.* Nam ſerui tantùm vti poterant ferreo annulo. Inde ſeruulæ promittitur apud Plautum Caſſin.

Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo, & annulum in digito Aureum:

vt ita inuitetur. Habebant ſcilicet ſerui aureos annulos in peculio, ſed geſtare non poterant. Ideo magno inuitamento *in digito.* Sed redeo. Notentur in primis verba Apulei, & Macrobij, quæ ad mentem Tertulliani. Ait prior lib. 10. *Donec iuſſu magiſtratuum miniſteria publica contrectatis nequiſſimi ſerui manibus, annulum ferreum deprehenſum cum ſigno ſacculi conferunt.* Ait poſterior lib. 3. Saturnal. cap. 13. *Veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa annulum ſecum circumferebant.* Et poſt pauca. *Imprimebatur autem ſculptura materiæ annuli, ſiue ex ferro, ſiue ex auro foret.* Hi duo pertinent ad cauſas iuſtiores Tertulliani, nam ad ſignandum, non ad ornandum. In verbis *annuli ferro fiunt*, ſubaudi præpoſitionem *ex*, ſic enim Græcè dicitur. Ioan. Chryſoſt. Homil. 3. ad Popul. μάχαιραν ἀπὸ σιδήρου, *Gladium ex ferro.* & Homer. 16. Iliad. σιδήρου κατασκέυασσε.

2. ADHVC SERVAT MEMORIA, &c.] Vi- 75.
detur loqui de vaſis, quæ æuo ſuo adhuc extarent. Certè in Plinio lib. 34. cap. 3. mentio eſt tricliniorum, & abacorum ex ære. vbi capi poſſunt vaſa ærea, quæ in abacis. Sed quidem magnificentiſſimorum operum ex ære magna eſt mentio in Plinio ipſo. Iuſtin. lib. 38. *Culinarum quoque argentea inſtrumenta fuêre, prorſus quaſi ad epulas, non ad bella pergerent.* Sed hæc potiùs pertinent ad ſequentem Notam.

2. VIDERIT SI ETIAM, &c.] Vox *viderit* ſemper improbat, ergò *viderit copia*, erit, ſemper improbo copiam illam, quæ aurum confert ad ſpurcitias. & *viderit copia*, id eſt copioſi homines. Miſerum ſanè eſt aurum, quod onus ventris excipit, quod trullis vomitoriis inſeruit. Lampridius ait de Heliogabalo habuiſſe *argenteos cacabos.* Et iterum poſtea: *Onus ventris auro excepit.* Hoc idem reprehendit Clemens Alexan. l. 2. Pædag. c. 3. χλεύη δὲ καὶ γέλως πλατὺς ἐφεδύχας ἀργυρᾶς: *Res eſt ludibrio habenda, & maximè ridicula, argentea vrinæ receptacula.* Et poſt pauca: χρυσοῦ ποιεῖσθαι τῶν ἐκκρίσεων τὰ ἐνδοχεῖα: *Facere ex auro excrementorum receptacula.* & initio capitis dixerat, τὰ δὲ (σκεύη) εἰς ἄλλας πινὰς αἰχωύομαι καὶ λέγειν χρείας: *Alia verò* (vaſa) *ad alios vſus, quos me pudet dicere.* Eſt etiam huius rei mentio in Vlpiano l. 29. §. penul. ff. de aur. & argen. vbi: *Argento legato non puto ventris cauſa habita ſcaphia contineri.* Notetur obiter vox *ſcaphium* de eo vaſe, quod ſeruit ventri exonerãdo. Sic & à Polluce σκαφίον numeratur inter vaſa, quæ εἰς ὀπόπατον, in vſum ſcilicet latrinarum. Redeo, vel ſi mauis, recedo, cùm *Poppea* (ait Plinius l. 33. c. 11.) *Neronis Principis vxor delicatioribus iumentis ſoleas ex auro induere ſolebat.* Ecce vt receſſerim ad ornanda quoque iumenta auro. Adhibuit modum Tiberius. Dio l. 57. *Ne quis vir ſerica veſte vteretur, neu quis aurea vaſa, niſi ad ſacrum haberet.*

2. DESERVIT.]

76. 2. DESERVIT.] Qui mutat *deseruit* in *deseruit*, otiosè mutat, & tantùm vt videatur aliquid noui afferre. Habet quod voluit. O ingenia. Certè in re simili *turpe seruitium* dicit Hieronymus in epist. ad Nepotianum, vbi reprehendit captatores testamentorum, qui *purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt*, scilicet vt hæredes relinquantur. Ergo, vt de iis Hieronymus *seruitium*, ita de auro miserè ad spurcitias adducto, Tertullianus *deseruit*.

2. CERTE NEC AGER, &c.] Si velis tractum istum illustrare, lege cap. 3. lib. 2. Pædag. Clementis Alexan. vbi multa vicina Tertullianicæ sententiæ. Ibi enim Græcus aurum atque argentum exterminat, aitque spectandum tantùm vsum, non ambitionem. Affert hoc ipsum de instrumentis agri colendi; *Nemo enim* (ait) *ligonem argenteum facit, nemo falcem auream: nam vtendum apta materia ad agriculturam, non diuite.* Verba Clementis, si quæras, hæc sunt: μαχαίριον δ' ἂν αὖτις ἀργυροῦν οὐδὲ ἄροτρον χρυσοῦν χαλκεύοι. τῷ δὲ ἐνεργῷ τῆς ὕλης, οὐ πλουσίους εἰς πενίαν συγχωρήσει. Ioannes etiam Chrysosto. Homil. 21. ad Popul. ita scribit, πολὺ τοῦ χρυσοῦ σίδηρος ἀναγκαιότερος: *Ferrum multò plus necessarium est auro.* Et reddit rationē hanc: *Aurum nullum vitæ confert vsum, ferrum pleraque necessaria nobis expedit, innumeris artibus seruiens.* Cyrill. Alexan. Homil. 7. de Festis Paschal. *Ferrum telluri vertendæ apprimè aptum, atque ad id potissimum à Deo procreatum, maximæ omnium impietatis ministrum effecere.* Et Homil. 8. ita ait: *Poteris fulgenti ferro admouere manus, quod in vsus minimè ipsi proprios translatum hominis cæde contaminasti?* Nam videlicet ferrum dicatum est agriculturæ. Prudent. lib. 1. contra Symmach.

Haud aliter quàm stiaſtris quis tentet eburnis
Cœnosum versare solum, limóque madentes
Excolere aureolis si fortè ligonibus vluas,
Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et pretiosa acies squallenti sordet in auro.

Vide tamen insaniam Iudæorum. Isti apud Theodoritum lib. 3. Histor. cap. 17. cùm iussu Iuliani Apostatæ vellent restaurare templum Hierosolymitanum, φασὶ αὐτοὺς ἐκ σκαπάνας ἐξ ὕλης ἀργύρου, καὶ ἄμας, καὶ κοφίνιδας κατασκευάσαι: *Feruntur ligones ex materia argentea, palas etiam & sportas confeciſſe.*

77. 2. NEC NAVIS ARGENTI VIGORE CONTEXITVR, &c.] Ironicè, nam flexile potius. Quasi dicat. Claui ex argento vigorem non habent, cedant necesse est ferro. Nota locutiones illas, *nullus bidens, nullus clauus*, vbi quod tribuendum homini, tribuit ipsi instrumento. Vt possis dicere: Nullus penicillus formam hanc expingeret. Sic supra, *viderit copia*, pro, copiosi homines.

2. INTIMAT.] Vox ista in scriptoribus ævi medij. Auctor vitæ Sancti Ludgeri lib. 2. cap. 24. *Viam ei ad locum sacri sepulchri intimauerunt.* Ammian. lib. 15. *Oceani gurgitibus intimatur.* In vita Sanctæ Eugeniæ Virg. & Martyris. *Cùm opportunum fuerit, intimabo ei omnia secundùm verbum tuum.* Iulius Firmicus de errore profanæ Religionis: *Quæ omnia sacris sensibus vestris specialiter intimanda sunt.* Fulbert. Episcop. Carnotens. *At nos serenitati tuæ verum quiddam intimare volumus.* Et in sermon. de Natiuit. Beatiss. Mariæ: *Hæc est ergò mulier ad quam diuinum illud intendebat oraculum, hanc quandoque nasciturum innuebat, hanc singulariter intimabat.* Idem verbum vsurpat Paulinus epist. ad Iouium. Et Ruricius Episcop. Lemouicensis lib. 2. epist. 3.

B 3. PRODVCENDÆ.] Ad aurum *ductile* & argentum fit mentio. Ars enim dat his materiis mollitudinem, teneritudinem, flexibilitatem. Et verba sunt propria *duco* & *produco*. Vide quæ scripsi in 6. Æneid. duabus Notis ad illud, 78.

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.

Itaque *producendæ materiæ* in Tertulliano sunt materiæ ductiles in omnem formam ab artifice.

3. SINE FERRI ET ÆRIS OPERARIO VIGORE.] Corrigit Latinius, *sine ferri & æris operario vigere non possint.* Et per *operarium* intelligit fabrum. Sed non est necessarium, nam sententia commoda est. Et nescio quid exquisitius & ex Afri huius ingenio est, vigorem dici operarium. Neque verò hic daret argento verbum *vigeo*, qui suprà ab eodem vigorem ademit: dixit enim, *nec nauis argenti vigore contexitur*, quod est, non vigorem habent claui argentei. Porrò vt sententiam illustres, lege Senecam epist. 94. ab illis verbis, *Vis scire, quàm falsus oculos tuos decipit fulgor*, &c.

3. VTENSILITATEM.] Vox Patribus in vsu. Ruffinus lib. 2. de vit. Patr. cap. 2. *Vbi verò perfecta fuisset, ipse eam omnibus vtensilibus vel necessariis instructam tradebat fratri.* Ibidem cap. 23. *Nihil omnino vel vtensilium, vel quæ ad victum requiruntur, deesset.*

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Gemmarum vilitas, inutilitas, stupor, vitium.

TERTVLLIANVS.

79. 1. SED lapillos istos qui cum auro superbiam iungunt, quid aliud interpretet quàm lapillos & calculos, eiusdem terræ minutalia: nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis necessaria? solum hunc mulierum stuporem ædificare nouerunt, quia tardè teruntur vt niteant, & subdolè substruuntur vt floreant, & anxiè forantur, vt pendeant, & auro lenocinium mutuum præstant.

EXPLICATIO.

80. 1. TRansit ad *lapillos*, qui in pretio, imò in stupore habentur, quod non debent, cùm tantùm sint *calculi*, & *minutalia* (minutiæ, minutiolæ) nata etiam è terra, vt aurum, & argentum, quæ *cùm auro* inseruntur ex artificum arte, *superbiam* suam cum illo *iungunt*. Sed hem tibi hi lapilli nullis *fundamentis* deorsum mandandis, & iaciendis prosunt: nullis *parietibus* cum molimine attollendis: nullis *fastigiis* fulciendis: nullis *tectis densandis*. Loquitur ex more Afrorum Afer ipse, quibus sæpè tecta ex densato & aggesto laterculo. Terracea possis nuncupare, Hispani *terrados* nominant: quæ hodie in Murciana vrbe visuntur Afris proxima. *Solum hunc*, &c. Nihil dici maius potuit. Est *stupor* affectio animi tantùm, sed nihil exteriùs apparet. Verè notat inane studium fœminarum. Finge domum, vbi fundamenta nulla, parietes, fastigium, tecta; sed pro his omnibus ludibrium mentis. hoc ludibrium lapilli ædificant. Inde cum op-

positione loquitur ad quatuor illas res quas præmisit. *Teruntur tardè vt niteant*, vide quantum absint ab fundamentis ædificiorum, quibus nulla est politura, nullus nitor: ad hæc præcipitanter fiunt, cura solùm habita firmæ aggestionis, in poliendis autem lapillis mira est tarditas. Deinde *subdolè substruuntur vt floreant*, est enim artificum variis coloribus auro affecto lapillos insertare, vt ex vicinitate illa lapilli trahant colores florulentos & varios; & quia hic dolus est, ideò *subdolè*; & quia in aliena materia, ideo *substrui*. Non autem seruiunt lapilli *parietibus moliendis*, in quibus calx & lapides subglutinantur; sed ipsi auro & materiæ alteri substruuntur. Tertiò, *anxiè forantur vt pendeant*, Vide quantum absint à sustinendis fastigiis, cùm ipsi potiùs sustineantur, pendeántque ab auribus, *anxietatem* refert ad curam qua *forantur*, ne effringantur. Demum *& auro lenocinium præstant*, quæ lenocinatio longè abest à densitate tectorum.

81. 2. Sed si quid de mari Britannico aut Indico ambitio piscatur, conchæ genus est, non dico conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. Ad hoc enim conchas nouerim maris poma. Quòd si concha illa aliquid intrinsecus postulat, vitium eius magis debet esse quàm gloria. Et licèt margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum quàm conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca. Aiunt & de frontibus draconum gemmas erui, sicut in piscium cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerit Christianæ, vt de serpente cultior fiat. Sic calcabit diaboli caput, dum de capite eius ceruicibus suis aut ipsi capiti ornamenta struit.

82. 2. Quæ gratia piscatui erit? nulla certè. Tantum enim abest, vt conchæ quæ ferunt margarita, sapidiores sint *conchylio aut ostreo*, non pretiosis piscículis ad gustum; vt neque palato gratiores sint *peloride*, fatuo & insipido piscículo. *Ad hoc enim*, &c. Perinde ac si diceret, vt poma terrestria esui tantùm seruiunt, ita deberent maris conchæ, quas possis dicere *maris poma*, non vestiendis, & ornandis hominibus. Etenim conchas vocat *maris poma*, eo quo solet ausu. *Quod si*, &c. Sed esto conchæ illæ intus pustulam habeant, quam dicunt margaritam, certè hoc *vitium* est, non *gloria*. Nec te nomen *margaritæ* rapiat, nam potiùs *verruca* quædam est, & callosa durities. *Aiunt &* &c. Quin gemmæ, auctores sunt multi, è cerebris *draconum* existunt, vt *lapidositas* in *cerebris piscium*. Hoc scilicet *deest Christianæ*, amare draconum illecebras. *Sic calcabit diaboli caput*, qui illam decepit. Allusum ad locum Geneseos 3. vt etiam Hieronymus epist. ad Marcellam, *Calcato diabolo coronam iam securitatis accepit*.

NOTÆ.

83. 1. QVI CVM AVRO SVPERBIAM IVNGVNT.] Explica de gemmis insertis ex aurificum arte, vtique quod Virgilius dixit:

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariúsue lapis circumdatur auro.

Itaque non satis est lapillos esse superbos pulchritudine sua, nisi etiam *superbiam* suam *cum auro iungant*, vt illo vtantur ad ornatum veluti ministro, & famulo, & conspectiores sint hoc throno. Potest esse & alia explicatio: Vt addant, *iungant*, concilient cum auro superbiam fœminis. Ad hunc modum Nyssenus lib. de Virg. cap. 3. ait: κόμιω τι χρυσοῦν, καὶ βαθεῖαν τῷ ποικίλῳ τῆς ἐμπλοκῆς τὴν κεφαλὴν περιπλέουσαν: Vbi non solùm ait comam auro intextam, sed etiam variis coloribus refulgentem. Quia scilicet ornatum caput & auro, & gemmis: & bene *superbiam iungunt*, vt Vitruuius lib. 7. cap. 3. *superbiam candoris*. Et Martialis,

Illas purpureas & arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

Vitruuium porro, & Martialem commodauit mihi Salmasius in Notis ad Spartianum.

1. MINVTALIA.] Clemens Alexan. lib. 2. Pædag. ca. 12. inter alios ortus gemmarum, ait etiam esse, τῆς γῆς ἐκπώματα, *ramenta terræ*. Et Heliodorus lib. 9. Æthiop. Hist. σμαράγδια μέταλλα, *smaragdeas fodinas*. Notetur obiter oppositio Augustini epist. 3. *In minutias deteri, grandescere in molem*.

84. 1. NEC TAMEN AVT FVNDAMENTIS DEMANDANDIS, &c.] Elegans locus est Ioannis Chrysost. Homil. 21. ad Popul. vbi τῶν γὰρ πολυτελῶν λίθων ἀναγκαιότεροι οἱ λίθοι οὗτοι: *Vulgares lapides magis necessarij sunt, quàm pretiosi*. Et reddit rationem Tertulliani hanc: *Ex pretiosis nihil vtile fieri potest, ex vulgaribus construuntur domus, muri, vrbes*. Et Homil. 5. *Margaritarum natura nihil vitæ nostræ prodest, nec vllum vsum habentibus necessarium explet*. Simile argumentum Nysseni orat. de mortuis, τί γὰρ κοινὸν ἔχει πρὸς τὸ τῆς τροφῆς χρήσιμον, ὁ διάλυφος ἄργυρος χρυσῷ, καὶ λίθοις ἐπαιζόμενος: *Quid enim vtile habent ad corporis alimoniam vasa argentea auro lapillisque tanquam floribus distincta?*

1. AVT FASTIGIIS SVSTINENDIS, AVT TECTIS DENSANDIS.] Seneca etiam epist. 122. discriminat tecta, & fastigia, *Sylua in tectis domorum ac fastigijs nutant*. Ego puto à Tertulliano intelligi vtraque hac voce quæ Græci vocant ὠΐα, aut ὠά, id est *oua*: & ὑπερῶα, id est, *superoualia*. Quas voces ex Clearcho Athenæus notat. Etenim fastigia dici queunt *oua*, quia ouali forma: tecta quæ desuper, *superoualia*. Sed video *terracea* à Rhenano explicari; id si verum, notetur dicta signato verbo à Sallustio & aliis scriptoribus *tuguria*: de quibus nos in Georgicis. 85.

1. STVPOREM.] Ita de eadem re Ambros. lib. 3. de Virg. loquens de Christo: *Non stupet auratam vestem, aut monile pretiosum, aut nobilia coruscantium gemmarum serta miratur*. Affine admodum verbum Ioannis Chrysost. homil. 21. ad Popul. μαργαριτῶν μανίαν, *insania margaritorum*, quia scilicet fœminæ insaniunt, stupentque ad hanc pretiositatem. Ita & Seneca epist. 87. de hac ipsa re: *Insanitis, erratis, stupetis ad superuacua*. Et Clemens Alex. l. 3. Pædag. c. 5. ait, homines esse κεχηνότας ὑπὸ ταῖς μαργαρυγαῖς τοῦ χρυσίου, *hiante ore & stupidos ad splendorem auri*. Et l. 2. c. 12. ait, esse puerile ad gemmas τεθηπέναι, *obstupere*. Simocatta l. 4. cap. 3. Hormisdam describens, ita ait: *Caput velabat tiara ex auro gemmis distincto, & insutorum splendore carbunculorum rutilans, & vnionibus florens largiter, qui & ipsam illustrabant: & smaragdini viroris pulcritudinem candore suo perfundebant, vt propemodum ipsi quoque spectantium oculi præ insaturabili pretiosissimorum lapidum stupore (πωπαπολιθοῦσθαι) collapidescerent*. De studio hoc erga gemmas Manil. lib. 5.

Hinc lenocinium formæ, cultúsque repertus
Corporis, atque auro quæsita est gratia frontis,
Pérque caput ductilapides, per colla, manúsque.

Alexander apud Lampridium dicebat, possidere gemmas, esse vitium muliebre. Et quæ maior insania, qui stupor conferri queat cum Arsace illa Gentili, de qua Heliod. l. 7. Æthiop. Histor. ἀλουργῷ μὲν ἠμφιεσμένην καὶ χρυσοπαστῷ τῇ ἐσθῆτι φαιδρυνομένην, ὅσων δὲ πολυτελείᾳ καὶ πάσης ἀξιώματι μεγαλαυχουμένην, καὶ παντοίᾳ κομμωτικῇ σοφῇ τὸ ἀξιοθέατον ἐξιωδισμένην: *Purpura & auro intexta veste exornatam, moniliúmque pretio, & tiaræ dignitate superbientem, ac delicatè delibutam & fucatam.*

86. 1. ET SVBDOLE SVBSTRVVNTVR VT FLOREANT.] Vis tota est in verbo *subdolè*: ea enim arte substruuntur lapilli, vt varias species, visúsque reddant. Sic Poëta quidam:

Alterno rubuit fulgens Amethystus ab igne.

Et Horat. de Ioue, *Rubente dextra*. Non certè illa rubuit, sed ab ignito fulmine, quod in dextra, rubere ipsa dicitur. Est hoc credo quod Plinius dixit lib. 9. cap. 15. *Smaragdis margaritisque alterno textu fulgentibus*. Et Ammianus lib. 16. vbi loquens de Constantio Imperatore: *Insidebat aureo solus ipse carpento fulgenti claritudine lapillorum variorum, quo micante lux quædam misceri videbatur*. Etenim mistio ista indicat rem quam scribo. Sed & signatissimè ad hanc rem Achilles Alexandrinus lib. 2. *In medio lapilli tres visebantur, ita collocati, vt alterius colorem alter exciperet. In vnum quippe omnes coalueranr; pars ima nigra erat; summa quæ in cuspidem surgebat, rubra; media alba cùm esset, hinc nigrori, rubori illinc candorem communicabat.*

87. 1. ET ANXIE FORANTVR VT PENDEANT.] Cyprian. de habit. Virg. *De aurium cicatricibus & cauernis pretiosa grana dependeant*. Et Ambros. lib. 3. de Virg. *Similis aurium causa est, quibus non suspendenda onera, non figenda vulnera, sed vnus ornatus est, audire quod prosit*. Plin. lib. 9. cap. 35. *Hos* (vniones) *digitis suspendere, & binos aut ternos auribus, fœminarum gloria est*. Iuuenal. Satyr. 6.

Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Est *elenchus* genus margaritarum. Vide Plinium dicto loco, redeo. Hieronym. ad Lætam: *Caue ne aures eius perfores*. Et quidem forari margarita, præter Plinium docet etiam Hieronym. in epist ad Eustochium: *Margaritum quippe est sermo Dei, & ex omni parte forari potest*. Gestamen hoc ex auribus fœminarum grauiter reprehendit Plinius lib. 9. cap. 35.

88. 2. SED SI QVID DE MARI BRITANNICO AVT INDICO AMBITIO PISCATVR.] Margaritarũ ex Britannico mari meminit Plinius lib. 9. cap. 35. *In Britannia paruos atque decolores* (vniones) *nasci certum est: quoniam Diuus Iulius thoracem, quem Veneri genitrici in templo eius dicauit, ex Britannicis margaritis factum voluit intelligi*. Et Sueton. in Iulio cap. 47. ait, Iulium *Britanniam petiisse spe margaritarum*. Ammian. lib. 23. ad calcem: *Quod genus gemmæ* (margaritæ) *etiam in Britannici secessibus maris gigni, legique, licèt dignitate dispari, non ignoramus*. Quin hanc pretiositatem non modò mari, sed fluminibus ipsis Britannicis dat Pomponius Mela lib. 3. cap. 35. nam de Britannia ita loquitur: *Fert nemora, saltus, ac præter grandia flumina, alternis motibus modò in pelagus, modò retro fluentia, & quædam gemmas margaritásque generantia*. De *Indicis* Plinius in eod. cap. *Indicas maximè has* (margaritas) *mittit Oceanus*. Et statim: *Fertilissima est Taprobane, & Troidis, item Perimula promontorium Indiæ. Præcipuè autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris Rubri*. Theophrast. lib. de lapidib. φέρει δ' ἡ τῶν Ἰνδικὴ χώρα, ἃ γίνεται παρὰ τοῖς ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ. *Fert autem* (margaritum, de eo enim loquitur) *India, & insulæ quædam Rubri maris*. Cyrill. Alexandrin. ad Theodosium Imperat. λίθοι μὲν οὖν Ἰνδικοὶ τὰς ἀοιδίμους ὑμῶν καταφαιδρύνουσι κεφαλάς: *Exornant Indici lapilli veneranda vestra capita*. Corippus loquens de gemmis,

Quas virides Nereus, quas protulit Indica tellus.

A Clemente Alexan. lib. 3. Pædag. cap. 2. gemmæ dicuntur, ὁ φόρτος ἀπ' Ἰνδῶν καὶ Αἰθιόπων: *Onera quæ deportantur ab Indis & Aethiopibus*. Et Indicum procul dubio mare intelligit idem, cùm lib. 2. cap. 12. ait, gemmas esse sputamenta τῆς ἀπεξενωμένης θαλάσσης, *maris peregrini* Ammian. lib. 23. ad fin. *Apud Indos & Persas margaritæ reperiuntur in testis marinis robustis & candidis, permistione roris anni tempore præstituto conceptæ*. Inde Aurelius Victor gemmas vocat *lumina Nympharum*, quasi dicat, oculos Nympharum. Nam Clemens Alexan. lib. 2. Pædag. cap. 16. μέγεθος δὲ, ἡλίκος ἰχθύος ὀφθαλμὸς εὐμεγέθης: *Magnitudo eius quantus est permagnus piscis oculus*.

89. 2. CONCHÆ GENVS EST.] Ennodius epist. 20. lib. 1. *Scio quæ conchæ superbas pretio gemmas includant*. Sic enim sæpè in eo cap. indigetat Plinius domicilia margaritarum.

2. PELORIDE.] Piscículus est fatuus. Martial. li. 10.

Et fatuam summa cœnare Pelorida mensa.

Et lib. 6. illam secernit à bonis piscibus, cùm ait:

Tu Lucrina voras, ne pascit aquosa Peloris,
Nec minus ingenua est & mihi, Marce, gula.

Dicitur *aquosa*, vt à Dionys. Areopagita in epist. ad Titum, πηφὴν ὑγρὰν, cui opponitur ab eodem, πηφὴν ξηράν.

90. 2. POSTVLAT.] Sic lego vt in omnibus codicibus, non *pustulat*. Nam olim veteres *postulam* dicebant pro *pustula*. Et nihil certè crebrius apud antiquos. Sic olim *volgo, Volcanus, iocundus, voltus*. Vetus Poëta.

Quis isthic voltus, quæ caligans tristitas.

Sic & *seruom, virom*, de quibus lege Lipsium 2. Variar. Lect. cap. 12. Sic & *iacolis* pro *iaculis*. Sic vetus Poëta apud Nonium,

Onguenta, mensam, talos, vinum.

Sic in vita Sancti Ludgeri lib. 2. cap. 19. *Incolomis* pro *incolumis*. Quam vocem cùm alibi repetat, non est cur ascribamus erranti typo, sed vsui antiquo. Sueton. quoque cap. 87. Augusti, notat hunc Principem scribere solitum, *domos* genitiuo casu *singulari pro domus*.

91. 2. MARGARITVM VOCETVR.] Olim in vsu *margarita*, & *margaritum*. Nec statim codices, in quibus legatur *margaritæ* in numero plurali, damnandi sunt. Sic olim (adnotatore Brissonio in Parergis) *concordia* & *concordium*: *alimonia, alimonium*: *tegula, tegulum*: & centena. Quin si Patres adeantur, frequentiùs illi *margaritam* vsurpãt, quàm *margaritum*. Cito tantùm Hilarium Canon. 13. in Matth. & centies eandem vocem vsurpat in epist. ad filiam Abram. Ambrosium qui Latinissimus, lib. ad Virginem deuotam c. 1. Pet. Chrysol. serm. 47. Trebell. ad Zenobia. Aldhelm. de Virginit. cap. 3. Arator. lib. 2. Histor. Apost. Faust. in vita S. Maximi Abbatis & Episcopi Lirinensis. Quin Græci μαργαείτης dicunt. Certum est autem nomina hæc Græcorum reduci ad primam & secundam Latinorum declinationem.

2. VERRVCA.] Plinius vocat *callum* conchæ, quod Tertullianus *verrucam*. Virg. in Culice,

--- nec Indi
Conchea bacca maris pretio est.

Nam Margaritum in conchis generatur. inde à Plinio conchæ *margaritiferæ* appellantur. Et Persius *baccam conchæ* appellat. Et quod hic de *rotunditate*, Plinius quoque. Imò ait, ab hac rotunditate quædam margarita *tympania*.

2. FRONTIBVS DRACONVM.] Huius rei

Auctor Plinius lib.37.cap.10. *Draconites, siue draconitia* (gemma) *è cerebris fit draconum, sed nisi viuentibus abscisso nunquam gemmescit, inuidia animalis mori se sentientis. Igitur dormientibus amputant.* Subiicit quædam alia. Philostratus quoque lib.3. Apollon. cap.2. ait, in capitibus draconum montanorum esse gemmas, τὸ μὲν εἶδος αὐγοειδὲς, *floridas quidem aspectu: & πάντα ἀπαυγαζούσας χρώματα: & quæ splendorem coloribus inducunt.* Denique τὸν ἰσχὺν ἀῤῥήτους, *potentia mirabiles.* Scribit etiam has gemmas esse similes annulo illi, quem solitum gestare Gygen auctores dicunt. Meminit & Aldhelmus lib.de Virginit. cap.7. *Succini dracontias quodammodo vilescere videbimus*, sumpti è dracone, *ipse enim* (verba sunt Iulij Firmici in errore profanæ Religionis) *est basiliscus & scorpio, qui fidelium securis vestigijs premitur: ipse malitiosus anguis, cuius caput quærit decepta mortalitas: ipse tortuosus draco, qui hamo ducitur, qui captiuus includitur: iste Deus vester Lernæi anguis crinibus adornatur, videns vt percusso Domino morientium anguium turba succedat.* Videatur etiam de hac gemma Isidorus, & Solinus. Pudescat fœminas huius gestaminis. Videatur etiam Hesychius Milesius, vbi asserit in pisce lapidem inueniri Asteritem nomine, qui solis radiis inflammetur, eúmque ad philtra facere, amorísque illecebram conciliare. A

2. SICVT IN PISCIVM CEREBRIS LAPIDOSITAS QVÆDAM EST.] Plinius loco laudato: *Cinædiæ* (gemmæ) *inueniuntur in cerebro piscis eiusdem nominis, candidæ, & oblongæ, euentúque mirandæ, si modò est fides præsagire eas habitum maris nubilo colore, aut tranquillitate.* Et post multa in eodem cap. *Synodontites è cerebro piscium est, qui synodontes vocantur.* 93.

2. HOC QVOQVE DEERIT.] Aliàs, *deerat*, vt velis.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Earumdem dedecus apud Barbaros. Quod probatur exemplo Æthiopum, Parthorum, Medorum.

TERTVLLIANVS.

94. 1. HÆC omnia de raritate & peregrinitate sola gratiam possident. Denique intra terminos suos patrios non tanti habentur. Semper abundantia contumeliosa in semetipsa est. Apud Barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Aliquando reuera inuentum est, quomodo & aurum non ametur.

EXPLICATIO.

1. ITa verè est, nam copia depretiat, raritas attollit. *Semper abundantia contumeliosa in semetipsa est:* nam vbi abundantia, ibi contemptus: vbi inopia, ibi pretium. *Apud Barbaros*, &c. Probat copiam rerum expositam esse contumeliæ. Hi *Barbari* Æthiopes sunt, & de illis loquitur Tertullianus: possunt etiam esse Persæ. Probat verò à vinculis, quæ insignis est contumelia. Quæ enim maior, quàm aurum eò vilitatis protrusum vt seruiat vinculis? & *vernaculum* id est, domi natum, non aliunde ascitum. Et interim attende nomen dedecoris datum auro. *Aliquando re*, &c. Agnosce emphasin. Putabas inter reliquas artes, non & hanc futuram, quæ doceret non aurum amare? certè est: nam nemo sapiens sua amet vincula, etiam si aurea.

95. 2. Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum, & Medorum cæterorúmque Gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quòd nec ad ostensionem fere habentur. Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit, & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt. Denique iam gemmatum habent quod gemmatum esse non debet, si non comparet: aut ideo comparet, vt neglectum quoque ostendatur.

2. Sententia est, gemmas eo neglectu habitas à Parthis & Medis, cæterisque Orientalibus, vt videantur erubescere *coram* Romanis *matronis*. Deinde corrigens addit: Sed nec locus est huic rubori, quia gemmæ non palam gestantur ab illis gentibus, nam *latent smaragdi in cingulis*, cylindri gladiorum *sub sinu* sunt, *vniones in* ipsis *peronibus* luto pleni: *Denique gemmatum* est, *quod gemmatum esse non debuisset*, quia non apparet; vel si apparet, ideo fit, vt neglectus ipse *ostendatur*. Notetur vox *sub sinu*, & *latent*, contra ambitionem fœminarum, quæ gemmas gestant in capite, collo, auribus.

NOTÆ.

96. 1. HÆC OMNIA DE RARITATE ET PEREGRINITATE SOLA, &c.] Plinius lib. 35. cap. 7. *Omnia meliora tunc fuêre, cùm minor copia.* Ruritius epist. 11. lib. 1. *Quia sæpè per abundantiam pretiosa vilescunt, & facit copia quotidiana fastidium.* Herodotus lib. 3. scribit, æs esse apud Æthiopas τιμιώτατον *pretiosissimum*, & addit rationem, quia σπανιώτατον, rarissimum. Petronius præclarè.

Quicquid quæritur, optimum videtur.

Et priùs dixerat, *vile est, quod licet.* Seneca epist. 68. *Furem signata sollicitant, vile videtur quicquid patet, aperta effractarius præterit.* Et suprà: *Multi aperta transeunt, condita & abstrusa rimantur.* Nazianzen. orat. 2. εὐκαταφρόνητον ἄπαν τὸ ῥᾳδίως νικώμενον: *Contemptui est quod facilè superatur.* Helio-

dor. lib. 9. Histor. Æthiop. ὦ βασιλεῦ, ἔφασαν, ἡμῶν A *rium vinciunt.* Ad hæc vincula alluſit forſitan Cyprianus de habitu Virg. *Sint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo Deo digni.* Sed & Romani indignè vſi ſunt auro, tametſi non ad vincula. Poppæam appello Neronis Principis vxorem, de qua Plinius lib. 33. *Delicatioribus iumentis ſolcas ex auro induere ſolebat.* Quid iam ergò auro vilius ex opinione huius fœminæ? vt iam nihil mirandum ſit, quod de quopiam Plautus in Bacchidib. *Soccis habet ſuppactum ſolum.* Et Conſtantinus Manaſſes in Annalibus, licèt ad rem aliam: καὶ χειρὸς πέδης δύσλυτος, ἄῤῥηκτος πυροκάκη: *Indiſſolubilis eſt manica, & cippus qui frangi nequit.* Veriſſimè ergò noſter, *ſemper abundantia contumelioſa in ſemetipſa eſt.*

1. TANTO LOCVPLETIORES, QVANTO NOCENTIORES.] Hoc, ni fallor, explicant verba adducta Dionis, qui παχείας πέδας dixit, *craſſa & robuſta vincula.* Qui ſunt ergò *locupletiores* iſti, niſi quibus craſſiora vincula malo ſuo? 99.

1. QVOMODO ET AVRVM NON AMETVR.] Optimè dixit Dio Chryſoſtomus loco laudato, de ijs qui vincti aureis compedibus, οὐδὲν ἧττον εἰσὶ δεσμῶται: *Non minùs vincti ſunt.* B

2. GEMMARVM QVOQVE, &c.] Cùm Seuerus Byzantium expugnaſſet, accepiſſe illum Parthos in ditionem, qui Nigro fauerant, auctor eſt Spartianus in eius vita, ac Romam rediiſſe illis comitantibus: quo tempore à ſe viſos Tertullianus hîc teſtatur; qui ſanè vt amici venerant auro & gemmis ornati in comitatu Principis. Non enim ſermo eſt de tempore, quo rurſum victis Parthis, de illis triumphauit, nam multò ante hæc tempora Romæ fuerat Tertullianus, quia tunc ferreis catenis, non auro ſunt ducti. Hæc Baronius.

2. NOBILITATEM. [Ambroſ. lib. 3. de Virg. *Nobilia coruſcantium gemmarum ſerta.* 100.

2. VIDIMVS ROMÆ.] Vidit quippe Parthos Romæ Tertullianus ipſe legatione fungentes ad Seuerum Imperatorem. Legationis huius circumſtantias vide apud Iunium.

2. DE FASTIDIO.] Propter faſtidium. Lectio fuit, *de faſtigio*, ſed inſipida.

2. LATENT IN CINGVLIS SMARAGDI.] Claudianus de Raptu.

Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis.

Ornatus porrò cingulorum ex auro & gemmis celebratus veteribus, & plurimo in vſu. Trebellius in Salonino militares baltheos *conſtellatos* facit, videlicet gemmis. Liuius de Samnitibus, *aurata balthea illis erant.* Seneca epiſt. 76. *Deauratus baltheus.* Simocatta lib. 5. Hiſtor. cap. 3. λιθοκόλλητον ζῶνιον: *Baltheum lapillis diſtinctum.* Et lib. 6. cap. 2. ζῶνιον χρυσοῦν. Et cap. 10. eiuſdem libri, χρυσῆς ζώνης. Plinius lib. 33. cap. 12. *Baltheï laminis crepitent.* Hieronymus ad Marcellam, *Cingulum non auro gemmiſque diſtinctum.* Claudianus 2. de laudibus Stiliconis, C

--- & cingula baccis
Aſpera.

Coripp. lib. 2.

--- pretioſaque cingula gemmis.

Iterum,

Nobilibus gemmis, & cocto lucidus auro
Baltheus effulgens.

Et lib. 4.

--- atque auro lucebant ſingula mundo.

Ambroſ. ſerm. 14. ſeu potiùs Maximus: *Omnes etiam militantes accurati ſericis veſtibus, accincti operoſis cingulis auro fulgente pretioſis, ambiant ſolito nitidius in conſpectu Regis incedere.* Aldhelm. de Virg. 4. *Eal-*

1. APVD BARBAROS QVOSDAM, &c.] Idem ſcribit Clemens Alex. 2. Pædag. cap. 12. παρὰ τοῖς Βαρβάροις φασὶ δεδέσθαι τοὺς κακούργους χρυσῷ: *Dicunt apud Barbaros vinciri auro maleficos.* Hi Barbari ſunt Æthiopes: quod liquidum ex Plutarcho in Amatorio, vbi χρυσᾶς ὥσπερ οἱ Αἰθιοπικὰ πέδας: *tanquam aureis pedicis Aethiopia.* Et Dione Chryſoſt. qui orat. 79. περὶ πλούτου, ait: *Si poſſeſſio auri eſſet vtilis, certè Aethiopes, qui ſupra nos habitant, eſſent beatiores, apud quos aurum eſt abiectius, quàm plumbum apud nos:* καὶ φασὶν αὐτόθι τοὺς κακούργους ἐν παχείαις δεδέσθαι πέδαις: *Et ferunt ibi nocentes craſſis vinciri compedibus*, ſcilicet χρυσαῖς, *aureis.* Idem ſcribit Herodotus lib. 3. ait enim, omnes qui erant in carcere Æthiopum, ligatos aureis vinculis. Verba eius, ἔνθα (ἐν δεσμωτηρίῳ) τοὺς πάντας ἐν πέδῃσι χρυσέῃσι δεδέσθαι. Et Heliodorus lib. 9. Æthiop. vbi ait, Theagenem & Charicleam vinctos aureis vinculis ab
98. Æthiopibus, ſic: *Tum vt vincula permutarentur, &* χρυσᾶ (*aurea*) *illis iniicerentur. In quem enim vſum apud alios ferrum, in eum apud Aethiopes aurum deſtinatur.* Mox explicat, vſum nunc eſſe, vt vincti aurea habeant vincula. De Æthiopibus Euſtathius in Dionyſium: Σπανιώτατος δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ τιμιώτατος ὁ χαλκός. πολὺς δὲ ὁ χρυσός. καὶ οἱ δεσμῶται παρ' αὐτοῖς χρυσαῖς πέδαις δέδενται: *Rariſsimum ac pretioſiſsimum inter eos eſt æs, aurum abundat, captiuique apud eos in aureis vinculis habentur.* De iiſdem Solinus cap. 43. *ornantur ære, auro vincula faciunt noxiorum.* His vinculis delectati Perſæ: nam Ammianus D lib. 27. de Sapore Rege Perſarum, *Captum Regem ipſum Arſacem, adhibitumque in conuiuium, iuſsit ad latentem trahi poſticam: eumque effoſsis oculis vinctum catenis argenteis (quod apud eos honoratis vanum ſupplicum æſtimatur eſſe ſolatium) exterminauit ad caſtellum Agulanæ nomine.* Et de Crœſo vincto à Cyro, ita ſcribit Auſonius in Ludo ſept. ſapientum,

Vinctumque pedicis aureis ſecum iubet,
Reliquum quod eſſet vitæ, totum degere.

Apud Trebellium Zenobia ducta in triumphum: *vincti erant pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat.* Iuſtinus lib. 5. *Quod cùm nuntiatum Artaxerxi eſſet, accerſitum ad ſe fratrem, & innocentiam diſſimulatione belli ſimulantem, compedibus aureis vinxit, interfeciſſetque, ni mater prohibuiſſet.* Curtius lib. 5. *Aureis compedibus Da-*

theus bullifer. Vopiscus dat Carino *baltheum gemmatum*, & etiam Trebellius Galieno. Et *latent* (inquit) optimè; ad quem modum dixit Statius in Balneo Hetrusci.

Mœret onyx longè, queritúrque excluſus ophites.

Dicit enim has gemmas dolere, & conqueri quòd excludantur, & sint in parte parum decora.

101. 2. CYLINDROS.] Sunt teretes gemmæ & oblongæ instar cylindri rustici, quo æquantur areæ. De *rotunditate* clarum, vel ex nomine. De *longitudine* Plinius lib. 37. cap. 5. *Cylindros facere malunt, quàm gemmas, quia est summa commendatio in longitudine.* Huius lapilli mentio in Iuuenale Sat. 2.

Donant arcana cylindros.

Et in Plinio, præter adductum locum, cap. etiam 8.

2. VAGINÆ SVÆ.] De Parthis Iustinus lib. 41. in genere loquitur de armis vniuersis: *Auri argentique nullus nisi in armis vsus.* Propert. lib. 4.

Ferreus aurato ceu cataphractus equo.

Vbi malè Duza reposuit *ærato*, sed habet reprehensiorem Dansqueium lib. 7. in Silium. Trebellius in vita Probi, *Scuta chrysographata.* Capitolinus in Maximinis, *Clypeos gemmatos, galeas gemmatas, loricam auream.* Ammian. lib. 16. *Hastarum aureis gemmatisque summitatibus.* Et lib. 19. *Armis stellantibus coruscabant.* Sed de cultu gladiorum mentio crebra. Claudian. 2. de laudibus Stiliconis,

--- capulis radiantibus enses.

Capitolin. in Pertinace: *Arma gladiatoria gemmis auróque composita.* Plinius dicto loco: *Et quid hîc attinet colligere, cùm capuli militum, ebore etiam fastidito, calentur argento?* De gladio Thyamidis Heliodor. lib. 2. Histor. ἐλέφας εἰς ἄκρον ἐκτετόρνευται: *Aquila enim ebore cælata est.* Idem lib. 9. ᾗ ἅμα ἐδείκνυε τὸν ξιφισκον τὸ σατράπου λιθοκόλλητόν τε, καὶ πολύτιμον, καὶ ἐκ πολλῶν ταλάντων κατεσκευασμένον: *Et simul ostendebat pugionem satrapæ, lapillis distinctum magni pretij, & multorum talentorum sumptu comparatum.* De Samnitibus Liuius: *Auratæ vaginæ.* Seneca adducto loco: *Vagina gemmis distinguitur.* Clauos aureos gladio Agamemnonis Homerus dat, & vaginæ gladij parem ornatum. Clemens Alexan. lib. 2. Pædag. cap. 3. ait: gladiolum adhuc illum, qui ministerio mensæ seruiret, fuisse ἀργυρόηλον, cum clauis argenteis.

102. 2. ET IN PERONIBVS VNIONES EMERGERE DE LVTO CVPIVNT.] Est hoc, quod Plinius dixit lib. 9. cap. 35. *Neque enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per vniones etiam ambulent, satis est.* Lampridius in Heliogabalo: *Habuit in calceamentis gemmas, & quidem sculptas, quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærerent.* Manil. lib. 5. de margaritis gemmísque aliis,

Pérque caput ducti lapides, per colla, manúsque,
Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

De ambitione fœminarum Lampridius (is est enim, non Spartianus, vt citat vir Doctus) in Heliogab. *Aurum vel gemmas in calceamentis haberent.* Quod repetit A in vita Alexandri Seueri, de Carino Vopiscus, *Habuit gemmas in calceis.* Seneca 2. de benefic. cap. 12. de Caio Principe: *Aiunt soccului auratum, imò aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse.* Clemens Alexan. lib. 2. Pædag. cap. 11. τὸν ἵλεως ἱλικοειδῶς τοῖς καλύμμασιν ἐγκατακρούειν ἀξιοῦσιν: *Clauos circumcisos soleis infigere æquum censent.* Intellige *clauos aureos*, ad eum modum quo Iustinus lib. 38. *Argenti certè aurique tantum, vt etiam gregarij milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant.* Aut *fibulas aureas*, de quibus Vopiscus in Aureliano: *Vt fibulas aureas gregarij milites haberent.* Iterum Clemens ibidem meminit calceorum, quos vocat ὀπηγύσους, καὶ διαλίδους, ab auro, B & gemmis. Ioann. Chrysost. orat. de Nouilunio, ὑποδήματα καλλωπίζειν, ἢ πανταχόθεν αὐτὰ ποικίλλειν, οὐχ ἧττον καὶ ταῖς ὄψεσι ἕπεσι: *Calceos exornare, atque* 103. *omni ex parte variare, non aliter atque alij faciem.* Nec mihi dubium, quin ad hunc luxum pertineant verba Hieronymi ad Eustochium, cùm ait: *Digiti de annulis radiant, & nè plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia.* Hic enim cautus in ambulando, ab gemmis est quæ in calceis. Videatur de hac re apud Trebellium luxus Galieni, qui maximus; & Diocletiani apud Eutropium lib. 9. qui incredibilis. Plaut. Bacchid.

Qui soccis habeat aurum suppactum solum,

vbi *solum* est solea ipsa suppacta clauis aureis. Plin. lib. 33. cap. 3. de Teio Alexandri Magni purpurato: C *Aureis clauis suffigere crepidas solebat.* Credibile hunc luxum manasse in hos Principes ab Regibus Orientalibus: tales Parthi & Medi, de quibus Tertullianus; talis & Sophites ille, de quo Curtius lib. 9. *Aureis soleis gemmas inseruerat.* Notetur obiter alius luxus: Non solùm gemmæ in calceis, sed in ipso pauimento mira erat pretiositas, ita vt opes calcarentur. Seneca de Tranquillit. cap. 1. *Domus etiam qua calcatur pretiosa diuitiis per omnes angulos dissipatis.* Statius in Tiburt. Manlij.

Calcabam nec opimus opes.

Et ad hæc referri possunt ista Senecæ epist. 86. *Quid* D *cùm ad balnea libertinorum peruenero, quantum statuarum, quantum columnarum etiam nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum impensa causa? Eò deliciarum peruenimus, vt nisi gemmas calcare nolimus.* De *Peronibus* porrò tum rustico, tum delicato calceamento, dixi iam ad Tertullianum lib. de Pallio cap. 5. ad ea verba: *Magnum incessui munimentum sutrinæ venereæ prospexere perones effœminatos.* Et copiosissimè ad lib. 7. Æneid.

--- crudus tegit altera pero.

Etenim hîc Parthi ac Medi gestant perones gentilitio more.

2. GEMMATVM.] Papinius in Psittaco Melioris,

Quem non gemmata volucris Iunonia caudâ
Vinceret.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Transit ad tapetia, quæ etiam vilia apud barbaros.

TERTVLLIANVS.

104. 1. PROINDE & vestium de coloribus honorem serui etiam eorum terunt. Sed & parietes Tyriis & Hyacinthinis & illis regiis velis, quæ & vos operosè resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. Vilior est apud illos purpura, quàm

rubrica. Quis enim est vestium honor iustus, de adulterio colorum iniustorum? Non placet Deo, quod ipse non produxit, nisi si non potuit purpureas & earinas oues nasci iubere. Si potuit, ergò iam noluit: quod Deus noluit, vtique non licet fingi. Non ergò natura optima sunt ista, quæ à Deo non sunt auctore naturæ. Sic à diabolo esse intelliguntur, ab interpolatore naturæ. Alterius esse non possunt, si Dei non sunt: quia æmuli sint necesse est, quæ Dei non sunt. Alius autem præter diabolum & Angelos eius, æmulus Dei non est.

EXPLICATIO.

105. 1. PERGIT ad probandam indignitatem, qua Barbari afficiunt res pretiosas, vt inde suos doceat, non eas magnificare. Incipit à seruis Barbarorum, qui sericis induuntur. Est *proinde* similiter. Ait *terunt*, indicans quotidianum vsum. Notetur locutio, *terunt honorem vestium de coloribus*, id est, honorificas vestes expictas coloribus. Amat scilicet Tertullianus loqui poëticè. *de coloribus*, explica coloratas, aut *honorem de coloribus*, id est, honoratas propter colores, vt suprà, *de fastidio*, id est, propter fastidium. *Sed &*, &c. Probat secundò ab vsu parietum, quibus ornandis seruiunt apud Barbaros vela *Tyria*, id est, purpurea: & *Hyacinthina*, id est, quæ referunt colorem Hyacinthi, aut gemmæ, aut floris: & *Regia*, id est, Attalica, ac perinde aurea; quæ vos *resoluitis*, atque *operosè*, & cum magno artificio & labore aptatis ad vsum humanum, vt ornetis vestra corpora: hæc enim verissima est *transfiguratio* velorum. Itaque filatim resoluta mutabant in formam vestium; & quidem integris velis istis vtebantur Barbari *pro pictura* & rubrica, qua exornari parietes deberent. Ideo addit, *viliorem* esse apud illos *purpuram*, *quàm* ἰάλινον & *rubricam*: nam rubrica naturalem habet colorem, non fucatum, & adulteratum vt tapetia & peripetasmata. Terra ergò potuisset tegere terreas ædes, non colores artificiati lanæ. nullus enim *iustus est honor* vestibus, id est, tapetiis consutis opere iniusto & adulterino. *Non placet*, &c. Omnis color non naturalis & adulterinus Deo non placet. Ratio, quia *non ipse produxit*. & potuisset quidem Deus producere in lanis colores, quos ars inuenit; nam potuit *oues* facere *purpureas*, & *earinas*, id est, vernas & virides. Nec potestas defuit, sed voluntas Dei, atque adeò *non licet fingi*. *Non ergò*, &c. Nam colores omnes adulterini non sunt de officina Dei, sed diaboli, ad quem pertinet *interpolare* omnia, & reducere ad artem mangoniam, &c.

106. 2. Cæterùm materiæ ex Deo sunt, non statim & huiusmodi fructus, latet in omnibus, quæritur, & vnde sint conchæ, & qua dispositione decurrant, & vbi collocentur. Nam & omnes istæ profanæ spectaculorum sæcularium voluptates, sicut de ipsis suum volumen edidimus; ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat. Non tamen ideo Circi furoribus, aut Arenæ atrocitatibus, aut Scenæ turpitudinibus Christianum affici oportet: quia & Deus equum & pantheram, & vocem homini dedit. Nec ideo idololatriam impunè faciet Christianus, quia Dei conditio est & thus & merum & ignis qui vescitur, & animalia quæ victimæ fiunt, cùm & ipsa materia quæ adoratur, Dei sit. Sic ergò & circa actum materiarum census à Deo descendens, propterea excusatus: Deo extraneum & reum scilicet gloriæ sæculum.

107. 2. Esto *materiæ* ipsæ sint *ex Deo*, qui omnia creauit, non inde sequitur ex Deo esse *huiusmodi fructum*, id est, vsum licentiosum rerum, vtique fruitionem. Nam hic vsus in materiis *latet*, non palam propositus est mortalibus, in illis abditur ad eum modum, quo ignis in lapide: sed en tibi à mortalibus diligenter inuestigatur, & *quæritur*. ea scilicet est illorum improbitas in artibus inueniendis, nouisque vsibus, & rerum fructibus. Atque hac diligentia inuenere, & *vnde sint conchæ* & margaritæ expiscandæ, *& qua dispositione* & arte *decurrant* in monilibus & armillis, *& vbi collocentur*, qua parte corporis, collóne, an brachiis, an auribus. Itaque inuenere illas primùm; deinde ordinem quo debeant disponi & extrui: tertiò quam partem corporis debeant ornare. Nihil clarius hac explicatione. *Nam & omnes*, &c. Id probat exemplo duplici spectaculorum, & idololatriæ, quæ duo constant ex rebus Dei, non tamen vsus bonus est. & obiter dicit scripsisse iam opus de spectaculis. *Non tamen*, &c. Assumit ergò spectacula, *non ideo oportet Christianum affici Circi furoribus, quia Deus equum dedit; aut Arenæ atrocitatibus, quia pantheram; aut Scenæ turpitudinibus, quia vocem homini*. Deinde pergit ad idololatriam. Deus condidit *thus, merum, ignem, animalia, & materiam ipsam quæ adoratur*; nemo tamen Christianus impunè faciet idololatriam, quia punietur acerrimè. De igne *vescente* dicam in Notis. *Sic ergò*, &c. Concludit ex duplici exemplo. Sicuti res spectaculorum, & idololatriæ bonæ sunt seipsis, non tamen earum vsus bonus est: *Sic ergò & circa actum materiarum census* & copia *vt à Deo descendens, propterea*, id est, propter hoc ipsum, quòd à Deo descendat, *excusatus* est. Non tamen ideo *sæculum* excusatur, nam iudicari debet *Deo extraneum, vt scilicet reum gloriæ*. Itaque ait, copiam materiarum auri, atque argenti, & gemmarum, damnandam non esse vt creatam à Deo; sed damnandum sæculum, vt quod sit in reatu gloriæ, nam his omnibus vtitur ad inanem quandam gloriam ostentabundè.

NOTÆ.

108. 1. SED ET PARIETES TYRIIS ET AHYACINTHINIS.] Simocatta lib.1.cap. 10. ἡ δὲ πᾶσαι ἡ βασίλειος μεγαλουργὼς ὠκεκόσμητο. ἐν τῷ περιβόλῳ τῶν προπυλαίων μεγάλων τῶν βασιλέων σικῶν, χρυσῷ καὶ λίθοις ἀγερώχοις κατάκοσμος, καὶ μὴν καὶ δημιουργοῖς ἰματίοις βαφῆς δευσοπόου Τυρίας μεγαπρεποῦς περιπόρφυρος ἦν: *Iam verò thalamus Imperatorius magnificè exornatus visebatur. In circuitu siquidem primorum & magnorum illorum Imperatorum simulachra auro & lapillis conspicua apparebant, parietésque velamina è purpura Tyria tinctura optimæ ac pretiosissimæ vestiebant.* Gregor. Turonens. lib.2. Hist. Eccles. cap. 31. *Velis depictis adumbrantur platea Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur.*

109. 1. VESTIVM HONOR IVSTVS.] Accipe de tapetiis & aulæis, & verè, ex vsu Græco, vbi χπῶνες & ἰμάπα, quæ voces vestium sunt, capiuntur sæpè de B stragulis. Athenæus lib. 5. χπῶνες χρυσοῦφεῖς, *vestes auro intextæ*, id est, stragula, vt legenti perspicuum. & lib. 1. ait, reclinatoria conuiuij Alexandri Magni fuisse *constrata veste purpurea*, id est, tapetiis. Græca sunt, κλινήρων δημουργοῖς περιστρώσας ἱματίοις. & Ioan. Chrysostomus, vbi ait in celebritate Nouilunij forum adornatur, nominat ἱμάπα πολυτελῆ. Plura ego in lib. 1. Æneid.

110. 1. DE ADVLTERIO COLORVM.] Omnis color non naturalis dicitur *adulterium*. Ambros. lib. 1. de Virg. *Hinc illa nascuntur incentiua vitiorum, vt quæsitis coloribus ora depingant, (dum viris displicere formidãt,) & de adulterio vultus meditentur adulterium castitatis.* Iterum de eadem re, *natura adulteratur.* Cyprianus quoque de habitu Virg. *Mutare adulterinis coloribus crinem.* Iterum: *Quæ syncera sunt, polluuntur colorum adulteriis, & medicaminum fucis in* C *mendacium vera mutantur.* Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 2. νόθον κάλλος, *pulchritudo adulterina.* Et lib. 2. cap. 10 picturam, fucum, & alia huiusmodi vocat ἀπάτας, id est, *fraudes, deceptiones, mendacia.* Hos autem colores Greg. Nyssenus orat. de Mortuis, vocat ἱμάτιον τῆ χρυσοῦ νήματος, καὶ τῆς ἐυανθούσης πορφυρίδος, καὶ τῆς ὑφαντικῆς ζωγραφίας: *Vestes contextæ filo aureo, florulenta purpura, pictura textili.* Et explicans picturam hanc, ait, πόλεμοι, θῆρες, καὶ τὰ τοιαῦτα: *prælia, feræ, & similia.*

111. 1. PVRPVREAS.] Sententiam Tertulliani complexus est etiam Cyprianus de habitu Virg. *Neque enim Deus coccineas, aut purpureas oues fecit, aut herbarum succis & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit.* Sed certè apud profanos scriptores magna mentio huius rei, fortasse fabulosa. Lampridius in Diadumeno ait, *oues purpureas duodecim natas.* Et Spartia- D nus in Geta meminit agni, *qui vellus in fronte purpureum haberet.* Et Vopiscus in Aureliano, vituli cum *purpurantibus maculis.* Appian. lib. 2. Cynæget. ouium in Creta, quibus λάχνη πορφυρέοντα, *lana purpurea.* Aristot. lib. 3. Hist. animal. cap. 12. agnoscit ad Scamandrum fluuium ξανθὰ πρόβατα, *flauas oues*, imò & inde fluuium ipsum dictum (Xanthum.) Vide & Columel. lib. 7. cap. 2. & Macrob. lib. 3. Satur. cap. 7. & me ad quartam Eclogam Virgilij.

112. 1. EARINAS.] In nonnullis legi *arinas*, testificatur Rhenanus, quæ lectio commoda est, nam Græci pariter dicunt *arinon* & *earinon*, vt liquidum ex lib. 1. Epigram. titulo εἰς ὄρνις, vbi de hirundine recipiente cicadam ita,

Τὸν λάλον ἁ λαλέουσα, τὸν εὔπτερον ἁ πτερόεσσα,
Τὸν ξένον ἁ ξεῖνα, ἄρινον ἠερινά.

Garrulam rapuit *garrula, bene alatam alata,*
Hospitem hospes, vernam verna.

Vernum autem colorem viridem explicui, nam vernus color est viridis.

1. FINGI.] Quod hic *fictionem*, Virgilius vocat *mendacium* Eclog. 4.

Nec varios discet mentiri lana colores.

Ambrosius *fraudem*, lib. 3. de Virg.

1. INTERPOLATORE.] Pertinet *interpolator* ad artem mangoniam, quæ rebus dolo quodam & fuco nouam formam inducit. Huic opponit Tertullianus lib. de Spectac. cap. 2. *institutorem.* ait enim: *Multum interest inter corruptelam, & integritatem: quia multum est inter institutorem & interpolatorem.* Et quidem vno verbo interpolator est diabolus, qui ψεύδους πατὴρ, *mendacij pater*, vt dixit Nyssenus serm. 2 de Oratione. Hanc interpolationem vocat Clemens Alexan. lib. 2. Pædag. cap. 10. πάθος, quia cùm natura interpolatur, tunc verè patitur & πεφυχαφίαν ait de illo, qui illam interpolat.

1. QVIA ÆMVLI SINT NECESSE EST, QVÆ DEI NON SVNT.] Est hoc, quod idem dixit lib de Patient. cap. 5. *Nam quod ab æmulo Dei conceptum est, vtique non est amicum Dei rebus. Eadem discordia est rerum, quæ & auctorum.* Pergit aliis. Nec multùm abit sententia Ambrosij in lib. de Exhortat. ad Virg. *Illud verum quod nascimur, non in quod mutamur, quod à Creatore accepimus, non quod de contubernio assumpsimus.* Hieronymus potior ad rem Tertulliani in epist. ad Heliodor. *Generaliter aduersum Deum sapit quicquid diaboli est.* 113.

2. CÆTERVM MATERIÆ, &c.] Ad hunc modum dixit Plinius lib. 18. cap. 1. *Genuit* (terra) *venena, sed quis inuenit illa, præter hominem?* & Hieronymus ad Nepotianum, non damnat creaturam Dei, sed malum vsum. & Ioan. Chrysost. Homil. 1. ad Populum, ait: Vinum non damnandum, sed malum eius vsum, nam οἶνος ἔργον Θεοῦ, μέθη ἔργον διαβόλου: *Vinum opus est Dei, ebrietas opus diaboli.* Et Homil. 2. idem repetit, & addit, οὐ κακὸν ὁ πλοῦτος, ἀλλὰ κακὸν ἡ πλεονεξία: *Non mala sunt diuitiæ, sed mala est auaritia,* notans scilicet malum vsum diuitiarum. Nam, vt dixit Seneca epist. 31. *Honesta & turpia virtutis & malitiæ societas efficit,* quia res ipsæ indiscriminatæ sunt: si bonus vsus, honestæ erunt; si malus, turpes. Ita dixit Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 3. τὰ τοῖς βωμοῖς προσφερόμενα τῇ φύσει ὄντα λιτὰ, μεμολυσμένα γίνεται τῇ ἐπικλήσει τῶν εἰδώλων: *Quæ in aris offeruntur, cùm natura sint pura, inuocatione damonum impura efficiuntur.* 114.

2. LATET.] Elegi lectionem Latinij: nam visa mihi est commodissima. lectio vulgaris hæc est: *Cæterùm materiæ ex Deo sunt, non statim & huiusmodi fructus latere in omnibus, quæritur & vnde*, &c. vt dicat, non statim, subaudi, sequitur, vel dicendum est, huiusmodi fructus latere in omnibus, scilicet materiis, quæritur & vnde sint conchæ, &c. 115.

2. VOLVPTATES.] Vox elegans ad spectacula ludorum. Trebellius in Gallienis: *Ne diutius addicta Resp. per voluptatum deperiret illecebras.* Cassiodorus lib. 5. epist. 42. spectacula insectatus ait, *Ludum crudelem, & sanguinariam voluptatem.* Prudent. 2. in Symmach.

Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari,
Nullus in vrbe cadat cuius sit pœna voluptas.

Demum infiniti sunt loci.

2. NON TAMEN IDEO CIRCI, &c.] Huic

loco Hieronymus instituit in vita Hilarionis: *Non Circi furoribus, non Arenæ sanguine, non Theatri luxuria delectabatur.* Et in epist. ad Marcellam: *Arena sæviat, Circus insaniat, Theatra luxurient.* Itaque nota Circi est *furor*, arenæ *atrocitas*, scenæ *turpitudo.* Porrò in *arena*, id est, ludo gladiatorio, bestiarij pugnabant cum feris. Ponit exemplum in *panthera.* Cæterùm de his Notis alibi latiùs.

116. 2. NEC IDEO IDOLOLATRIAM, &c.] Scias hîc hunc locum, & quæ præcessere, transcripta à Cypriano lib. de Habitu Virg. verba eius: *Delinquis hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo diuitias datas credis, vt illis non salubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non sunt idcirco amatoria cantanda, nec turpia: & ferrum esse ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia sunt idcirco facienda: aut quia thura & merum & ignem Deus instituit, sacrificandum est inde idolis: vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas & hostias immolare debebis.* Numerat *thus* & *merum*, nam hæc duo in omni sacro. Seneca 3. de Ira cap. 18. *Cui* (Mario) *thure & vino Romanus populus supplicabat.* Sueton. in Augusto cap. 35. *Thure ac mero supplicaret.* Hieronymus ad Heliodorum: *Non est tantum in eo seruitus idoli, si quis duobus digitulis thura in bustum aræ iaciat, aut haustum pateræ poculo fundat merum.* Et lar familiaris apud Plautum ait sibi supplicatum *thure aut vino.*

2. IGNIS QVI VESCITVR.] Vsitata metaphora: sic in sacris, *Ignis deuoratorius.* Sic & Symmachus verbo *vrendi* dedit *admorsum*, & Sidonius *igni* dedit *dentem.* Prior lib. 1. epist. 25. Posterior lib. 1. epist. 11. 117.

2. CENSVS.] Explicui *copiam*, ex frequentissimo vsu Tertulliani. Sic *census elementorum, census coronarum, census diuinitatis ab Saturno, censu criminis sui splendida est idololatria.* Sic ergò, *census materiarum* est rerum abundantia in omnem orbis partem distributa, vt ipse explicat sequenti capite.

2. REVM GLORIÆ SÆCVLVM.] Ea forma dicitur, qua *reus maiestatis.* Correctio Iunij, qui non *Sic*, sed *Hic*: aliæ item correctiunculæ eiusdem necessariæ non sunt.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

Ornatus totus muliebris natus ab ambitione.

TERTVLLIANVS.

118. 1. NAM vt quæque rerum per singulas quasque terras, & vnamquamque regionem, materiis à Deo distributa sunt, inuicem sibi peregrina apud exteros, mutuò rara, apud vos iure sic vtique vel appetuntur, vel negliguntur, quia non tantus est in illis feruor gloriæ inter domesticos frigidæ. Sedenim ex possessionum distributione, quam Deus vt voluit ordinauit, raritas & peregrinitas apud extraneos semper gratiam inueniens, de simplici caussa non habendi quæ Deus alibi collocauit, concupiscentiam concitat habendi. Ex hac vitium aliud extenditur immoderatè habendi: quod etsi fortè habendum sit, modus tamen debetur.

EXPLICATIO.

119. 1. SENTENTIA est, *iure* & naturaliter posse à fœminis *appeti* quæ sunt rara & *peregrina*; *negligi*, quibus abundant: cùm videantur ita *distributa à Deo per singulas terras, & regiones*; vt quæ desunt in vna, conferantur in aliam, & contrà. Et tota ratio, cur vel *appeti*, vel *negligi* possint *iure*, posita in illis verbis, *vt distributa à Deo sunt.* Vt dicat, sic vel *appeti*, vel *negligi* posse, vt sunt *distributa à Deo*: quasi Deus ideo distribuerit, vt appetantur quæ hîc non sunt, negligantur quæ sunt; & conuersim. Nam hoc est, quod ait *sibi inuicem peregrina & mutuò rara*, quia inuicem res peregrinantur, & mutuatis vicibus contingit illis raritatis gloria. Illud *feruor gloriæ inter domesticos frigidæ*, est, frigentis inter domesticos. *Sed enim ex*, &c. Dixit, quæ iure possent appeti, declarat iam vitium, cui exposita hæc appetentia. Sensus est, non iam homines sistere in appetentia, quæ iusta est; sed gradum facere ad *concupiscentiam*, quam concitat raritas & peregrinitas: & hæc concupiscentia nata tantùm est *de simplici caussa non habendi, quæ Deus alibi collocauit.* En itaque primus gradus ad offensam Dei. *Ex hac*, &c. Sequitur alter. *Ex hac* concupiscentia *extenditur* & procreatur tanquam in sobolem & propaginem *vitium aliud*, scilicet vitium *immoderatè habendi*, quod est contra legem Dei. Nam demus, habendum esse; certè cum modo.

120. 2. Hæc erit ambitio, vnde & nomen eius interpretandum, quòd concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad gloriæ votum: grande scilicet votum, quod (vt diximus) non natura, nec veritas; sed vitiosa animi passio concupiscentia commendauit, & alia vitia ambitionis & gloriæ: sic & pretia rebus inflammauit, vt se quoque accenderent. Non tanto maior fit concupiscentia, quanto magni fecit quod concupiit?

121. 2. Declarat iam hoc vitium *immoderatè habendi*, esse ambitionem. Primò est appetentia, deinde concupiscentia, tertiò ambitio. Et quia ambitio filia est concupiscentiæ, interpretatur ambitionem esse verè illam, quæ à *concupiscentia ambiente*, id est, omni ex parte possidente *animum*, *nascatur* vt filia *ad votum*

gloriæ, quod *ſcilicet votum grande* eſt, enorme, atque immoderatum, vt *quod non commendauit natura, nec veritas, ſed concupiſcentia vitioſa animi paſſio, & alia* item *ambitionis & gloriæ vitia.* Summa eſt, ambitionem grandem eſſe debere & immoderatam, vt quam pariat, *non natura & veritas, ſed concupiſcentia vitioſa paſſio, alia etiam vitia, quæ* parentes ſunt *ambitionis & gloriæ.* Ab parentibus ita grandibus quàm grandis erit filia ambitio! Nec contenta eſt concupiſcentia genuiſſe ambitionem: ſed en flabellum aliud, nam *inflammauit rebus pretia, vt* hæc *quoque accenderent ſe*, id eſt, ipſiſſimam concupiſcentiam. Ita ſanè auida eſt ex ſe, & ardens concupiſcentia; ſi verò pretia ſint maiora, tunc auidior, & ardentior. *Non tanto*, &c. Probat hoc, nonne *tanto maior* ardentiorque *fit concupiſcentia, quanto quod concupiit, magni fecit?* Vel ſi legas *magno*, vt eſt in Pamelio, dicas, *quanto quod concupiit magno* fuit pretio.

122. 3. Breuiſsimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus & inſulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum vſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo baiulare.

123. 3. Vis ſcire an verum hoc ſit? ita verum, vt primò exiguis admodum thecis & repoſitoriis ſeruentur monilia æquantia *grande patrimonium.* Ita concipit Rhenanus. vel explicatore Iunio, *loculi* ſunt loculamenta in habitu muliebri, in quibus locantur res pretioſæ ad oſtentationem, vt videantur ab omnibus, ideo *profertur*, id eſt, fertur palam. Deinde, *vno lino* vnoque filo *inſeritur decies ſeſtertium*, id eſt, vicies quinquies mille aureorum coronatorum, Hiſpanè, (*veynte y çinco mil ducados, vel doçientos y çinquenta mil reales, vel diez cuentos de marauedis*) vel, quinquaginta millia florenorum. Tertiò, *ceruix* etiam *tenera* (emphaticè) *fert* præmia inſularum vrbanarum & ſaltuum. Quartò, pelliculæ extimæ *aurium*, & hæ *graciles* (hoc quoque emphaticè) *expendunt* & conſumunt, vel appendunt & circumferunt expenſam omnem, & ſummam, ſumptuſve qui continentur in Tabulis vnius menſis, quod *Kalendarium* vocant. Quintò denique, *ſiniſtra ludit*, irridet, & contemnit, *per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis*, vt qui auro tumentes & plenos ſaccos quiſque digitulus maiorem geſtet gazam. Et digiti quidem *ſiniſtræ*, quaſi ex contemptu. *Hæ ſunt vires ambitionis, vno & muliebri corpuſculo* (ad αὔξησιν) *baiulare* (nam penè inſudat ad pondus) *tantarum ſubſtantiam vſurarum.* Nihil dici grandius potuit.

NOTÆ.

124. 1. QVÆQVE RERVM.] Locutio trita. A Hieronym. ad Euſtochium: *Concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta.* Abundant exempla.

1. SIC VTIQVE.] Malè legit Pamelius, *Si vtique.* Pendet enim particula *vt* à particula *ſic*, nam ſic debent appeti, vt diſtributa à Deo, quaſi ratio appetentiæ tota ſit à diſtributione Dei.

1. DE SIMPLICI CAVSA NON HABENDI, CONCVPISCENTIAM CONCITAT HABENDI.] Fundum habet hæc ſententia in trito illo, homines in vetita pergere, & æſtuare in negata. Lamprid. in Alexandro: *Cùm homines illicita magis poſcant, prohibit. ique furore proſequantur.*

1. MODVS TAMEN DEBETVR.] Anonymus inter opera Hieronymi: *In bonis quoque rebus quicquid modum exceſſerit, vitium eſt.* Conſtantin. Manaſſes in Annalib. μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτριον. καλὸν ἡ συμμετρία: *Nihil vltra modum, præclara eſt mediocritas.* B

125. 2. HÆC ERIT AMBITIO, &c.] Coniicit in ambitionem omnia ſcelera, quibus fœminæ vtuntur vt pulchriores appareant, quod in Hamartigenia fecit Prudentius:

Dum venas ſqualentis humi ſcrutatur inepta
Ambitio, ſcalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foueis radiantes forte lapillos
Rimata inueniat: nec enim contenta decore
Ingenito, externam mentitur fœmina formam.

126. 2. PRETIA REBVS INFLAMMAVIT.] Dixi ambitionem eſſe vehementiorem. Sic eſt. Hieronymus ad Ruſticum: *Vniones quibus nobilium fœminarum ardet ambitio.* Et ad Demetriadem, poſt enumerata plura gemmarum genera, addit: *Ad quæ ardent, & inſaniunt ſtudia matronarum.* Et quidem pretia iſta maxima nata ſunt ex raritate, dicente eodem Hieronymo ad eandem Virginem: *Pretia facilitate decreſcunt, quæ ſemper in raritate maiora ſunt.* Et rectè *inflammat*, pro auget & accendit, vt Ioan. Chryſoſt. orat. de Ira, ἐπιθυμία φλέγει, *cupiditas inflammat.* Plin. cap. 25. lib. 18 dixit, *pretia veſtium accendunt.* & ſuprà, *augent lacernarum pretia.* Sic enim legendum, non *lucernarum*, vt perperam, etiam in correctiſſimis. Eſt enim hoc, quod dixit Ammianus lib. 23. loquens de margaritis, *amplitudines pretiorum.*

2. NON TANTO, &c.] Latinius legit, *Nam* 127.
tanto, &c. Admitti poteſt lectio, ſed non eſt neceſſaria. Nam *non*, pro nonne, vel annon, vſitatum ſcriptori, cuius rei Pamelius exemplum aduocat.

3. PATRIMONIVM.] Hac voce Vopiſcus in Aureliano vtitur ad pretium enorme indicandum: *Vidimus proximè Conſulatum Furij Placidi tanto ambitu in Circo editum, vt non præmia dari aurigis, ſed patrimonia viderentur.* Ad alteram explicationem, B
quam adduxi, pertinet verſus Ouidij lib. 3. Art.

Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?

Et Manilij lib. 5.

Cenſibus æquantur Conchæ.

Omnia illa quæ auro & gemmis teguntur, ſunt verè *loculi.* ſic ſup. ſignatè Tertullianus, *& vbi collocentur.* Propert. lib. 3. Eleg. 13.

Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Notabis hic dici *patrimonium* pro pretio patrimonij: vt ſtatim *ſaltus & inſulas* pro pretio ſaltuum, & inſularum. Hoc locutionis genere vſus Hieronymus ad Ruſticum: *In vitro & patella fictili aurum comeditur*, id eſt, pretioſiſſimi cibi. Ita capio Martialis illud,

---hominem Calliodore voras.

Id eſt, pretium hominis. Non negem poſſe eſſe in Martiali aliam ſententiam. Redeo. Dicebant *libros patrimoniorum* illos, in quibus diuitiarum rationes continebantur. Seneca de Benefic. lib. 7. cap. 10. *O*

miserum, si quem delectat sui patrimonij liber magnus. Erit ergo sensus, breuissimis loculis contineri opes illas, quæ possint æquare immensam gazam librorum patrimonialium.

128. 3. PROFERTVR.] Nota vim verbi. Perinde ac si dicat: Quid ibi apparet, quid ostentatur? certè patrimonium & opes, non ipse qui opes gestat: hic enim præ suis opibus nihili est: nam illæ tantùm visuntur, proferuntur, ostentantur. Ouid. de Remed.1.

Auferimur cultu, gemmisque auróque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.

Seneca epist.87. de illis qui sunt *domini magnorum patrimoniorum*, adiicit, *accessiones illorum & appendices sunt*, quasi ipsi accedant suis patrimoniis, & sint pars minima suarum opum.

129. 3. VNO LINO, &c.] Hieronymus in vita Pauli Eremitæ: *Vno filo villarum insuunt pretia.* Huc refero Symmachum lib. 6. Epist. *Aeuum maneat hic* B *dies, qui te nobis filia dedit: adiicere etiam ingrauata tibi iucunda munuscula, vt nunc lineam mist.* scilicet *lineam* margaritorum. Nam *linea margaritarum* mentio fit l.26. ff. ad leg. Falcid. Et cur huc non referenda *linea dines* Martialis? Certè qui secus explicant, inuitè explicant. Cyprianus hanc lineam *seriem* vocat. Verba adduco sequenti Nota. Extra Chorum sit Constantinus Manasses, qui in Annalibus,

Τὰς κοείσσω πυφερὰ ἀπὸ νυμφευομένω,
Χειροφόρεσν, σὺλουσαν πάπλοις καταμαργάροις.

Ait scilicet terram ornatam splendidiùs & nitidiùs,

Quàm puella tenera, primúmque viro desponsata,
Quæ auro & vnionibus intertexta veste fulget.

Et Prudent. in Hamartigenia:

Ac velut artificis domini manus imperfectum
Os dederit, quòd adhuc res exigat, aut hyacinthis
Pingere sculptilibus redimita frontis in arce,
Colla vel ignitis sincera accingere sertis,
Auribus aut grauidis virides suspendere baccas.

Sic videlicet fœmina,

Nectitur & nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.

130. 3. SALTVS ET INSVLAS TENERA CERVIX FERT.] Cyprian. de Hab. Virg. *Nec distinctis auro lapillis & margaritis, contexta serie & numerosa compage digestis, monilia instituit, quibus ceruicem, quam fecit, absconderes: vt operiatur illud, quod Deus in homine formauit; & conspiciatur id desuper, quod diabolus adinuenit.* Et Hieronym. ad Lætam: *Caue ne collum auro & margaritis premas.* Porrò catenas au- D reas collo appensas, dici vulgò *murenulas*, testificatur idem Hieronymus, scribens de laudibus Asellæ hunc in modum: *Aurum colli sui, quod quidem murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, absque parentibus vendidit.* Vt verò ait *saltus & insulas* ferri, pro pretio saltuum & insularum, ita illud Plauti in Epidico., *Impluuium induta*, explicant aliqui, impluuij pretio indutam, sed inuitè, vt credo: Ego per *impluuium* in Plauto, capio vestem impluuiatam. Ita enim Plautus meliùs cohærebit cum præcedentibus. Itaque ait, induta formam impluuij, non pretium impluuij.

131. 3. INSVLAS.] Vrbanas intelligit. Capitolinus in Antonino Pio: *Romæ incendium trecentas quadraginta insulas vel domos absumpsit.*

3. GRACILES AVRIVM CVTES, &c.] Ambros. lib.1. de Virg. *Gemmis ornantur aures.* Seneca lib.7. de Benefic. cap.9. *Bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* Idem lib. de Remedio fortuitorum: *Cuius auriculis vtrinque bona patrimonia dependent.* Hieronym. ad Demetriadem: *Graues censibus vniones*, est quippe accipiendus de inauribus, nam vniones huic sæpè vsui. Quia ipse ibid. *Vt taceam de inaurium pretiis candore margaritarum Rubri maris profunda testantium.* Anonymus inter opera eiusdem Hieronymi, *Suspendere ex auribus patrimonia.* Pulchrè Prudent. Hamartig.

Auribus aut grauidis virides suspendere baccas.

Vbi *grauidæ aures* ab pondere. Quas Tertullianus vocat *cutes* aurium, Arnobius lib.2. nominat *laminas*, cùm ait: *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent.*

3. CALENDARIVM.] Est liber pecuniæ fœne- 132.
bris, quæ scilicet datur in fœnus; & quidem Calendis vsuræ repetebantur, exigebantúrque. Martialis,

Centum explicentur pagina Calendarum.

Seneca lib.1. de Beneficiis cap.2. *Nemo beneficia in Calendario scribit, nec auarus exactor ad horam & diem debitorem appellat.* & lib.7. de Benef. cap.10. *Quid fœnus, & Calendarium, & vsura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Idem epist.87. *Diuitem illum putas, quia aurea supellex etiam in via eum sequitur, quia in omnibus prouinciis arat, quia magnus Calendarij liber euoluitur?* Cyprian. de bono pudicit. *Quorum pretia etiam sine artibus Calendarium cuiusuis excedunt.* Calendarium indicat proculdubio Cyrillus Alexan. in cap. 8. Amos, vbi ait, homines sordidos & lucro deditos, ac fœnori, *finem mensis semper sitire.* (verba eius, τὸ τῆς μισθὸς ἀεὶ δίψῶσι) vt cumulent lucrum, & aceruos amplificent.

3. ET SINISTRA PER SINGVLOS DI- 133.
GITOS, &c.] Cyprianus laudato loco: *Quid cùm digiti tali auro onerati nec intrare possunt, nec egredi,* C *vtrum vsus exposcitur, an patrimoniorum inanis pompa monstratur?* Plin. lib.33. cap.2. *Manus & prorsus sinistræ maximam authoritatem conciliauere auro.* Hieronymus ad Eustochium: *Digiti de annulis radiant.* & ad Sabinianum: *Digitos annulis oneras.* Et Plinius lib. 9. cap.35. *Hos* (vniones) *digitis suspendere, ac binos ac ternos auribus, fœminarum gloria est.* Et lib.33. cap.1. *Gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque opimo digitos onerando.* Et lib.33. cap.3. *Habeant fœminæ in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera è collo dominarum auro pendeant, vt in summo quoque vnionum conscientia adsit.* Huc pertinet versiculus Martialis,

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas vno
Portat in articulo Stella, Seuere, meus.

Et Manilij,

Pérque caput ducti lapides, per colla, manúsque.

3. DE SACCIS.] Propriè ita Horat. 134.

---congestis vndique saccis
Indormis inhians.

Alibi, *effundere saccos nummorum.* Hieronymus ad Nepotianum, *Matronarum sacculi*, scilicet nummarij. Sunt hi, quos in Epitaphio vocat *suffocata marsupia*, nam ita implentur nummis, vt vix illos capiant. Idem omnino, quod in epist. ad Rusticum, plenis *sacculis*, vt & Seneca epist.87. *pleno sacculo.*

3. LVDIT.] Ad hunc modum Hieronymus ad Furiam, *iciunia pro ludo habet.*

3. BAIVLARE.] Est hoc, quod Cyprian. de 135.
bono pudicitiæ: *Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris.* Et quidem *oneris* nomine has fœminarum diuitias nuncupari, clarum ex Plinio multis in locis, Cypriano, Ambrosio, Ouidio quoque, *---aures onerate lapillis.*

Et Gaudent. Tract. 13. *Quædam fœminæ onerant auro & margaritis vel ſua, vel filiarum membra.* Et Hieronymus ad Heliodorum dixit, *Onuſtus auro.* Et in epiſt. ad Gerontiam, *diuitiarum ſarcina.* Et in Epitaphio Marcellæ ait de fœminis, *aurum portare ceruicibus.* & ad Marcellam, *diuitiarum faſciis colligata in ſæculi iacebat ſepulchro.* Et in epiſt. ad Lætam, per verbum *premo*, ait enim: *Ne collum auro, & margaritis premas.* Meretur autem locus Ambroſij integer adduci ob elegantiam. Is lib. 1. de Virginibus: *Hinc collum catena conſtringit, inde pedes compes includit. Nihil refert, auro corpus oneretur, an ferro. Si ceruix premitur, ſi grauatur inceſſus; nil pretium iuuat: niſi quòd vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid intereſt, vtrùm aliena ſententia, an veſtra vos damnet? Hinc vos etiam miſerabiliores, quàm qui iure publico damnantur; quòd illi optant exſui, vos ligari.* Nazianzen. orat. 25. τὰ Σηρῶν νήματα, καὶ ὁ βαδεὶς εἰς ἔδη τὰ χρυσός: *Serica fila, & aurum veſtibus per vim aſſutum.* Clemens Alex. 2. Pædag. cap. 12. τὰς δὲ καὶ θαυμάζειν ἔπεισί μοι ὡς ἄρα οὐ ἀποκναίονται, τοσοῦτον ἄχθος βαστάζοντες: *Mihi autem ſubit admirari, quòd non onerentur, dum tantum oneris ferunt.* Nicetas Choniates lib. 1. Alexij cap. 3. de Imperatrice ita ait: περιέβαλλετο λαμπρῶς διεσκευασμένη, λίθοις τε καὶ μαργάροις διαφανέσι τὸ τύμπαιον αὐαδέουσα, καὶ τὸν τράχηλον ὁρμίσκοις πολυτίμοις διδυμαδούσα: *Eximiè ornata aſſidebat, lapillis & margaritis pretioſis pileolo ornato, & torques pretioſiſſimos de collo ſuſpendebat.* Sed Tertulliano ſignatiſſimè *baiulo*, ad notandum enorme pondus. Sic in libro de Pallio de re pari, *baiulo, onuſtus, ſarcina.*

FINIS LIBRI DE HABITV MVLIEBRI.

DE

DE CVLTV FOEMINARVM,

SIVE LIBER XII.

ARGVMENTVM.

IVSDEM penè argumenti est liber iste cum præcedenti: præterquam quòd hic curam capilli & cutis magis peculiariter reprobet.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Quòd pudicitia etiam in cultu ornatúque consistat.

TERTVLLIANVS.

1. 1. ANCILLÆ Dei viui, conseruæ & sorores meæ, quo iure deputor vobiscum, postremissimus omnium quidem; eo iure conseruitij & fraternitatis audeo ad vos verba ista facere; non vtique affectationi, sed affectioni procurans in causa vestræ salutis. Ea salus nec fœminarum modò, sed etiam virorum in exhibitione præcipuè pudicitiæ statuta est. Nam cùm omnes templum simus Dei, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua, & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec prophanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam fidem offensus derelinquat. Sed modò non de pudicitia, cui indicendæ & exigendæ sufficiunt instantia vbique diuina præcepta; verùm de pertinentibus ad eandem, id est, qualiter vos incedere oporteat.

EXPLICATIO.

2. 1. ANCILLÆ *Dei*, &c. *Quo iure deputor vobiscum* ô *ancillæ Dei*, nam sum *omnium postremus*, *eo* sanè *audeo ad vos verba ista facere*, quia conseruus & frater vester: non vtique nimia diligentia, & immoderato studio salutem vestram procurãs; sed caritate affectus mei. *Ea salus*, &c. *Salus* ista non *modò fœminarum*, *sed etiam virorum*, constituta est *in exhibitione pudicitiæ*. *Nam cùm omnes simus templum Dei*, per spiritum sanctum, qui illatus est *in nos* & consecratus, *templi* huius *pudicitia est antistes*, *quæ nihil* sinit esse *immundum*, ne Deus inde auolet. *Sed modò*, &c. Mihi tamen nunc non est sermo *de pudicitia*, *sufficiunt* enim isti parti *diuina præcepta*; tantùm sermo est *de pertinentibus ad* eam, id est, *qualiter* debeant *incedere* ancillæ Dei, & seruæ.

3. 2. Pleręque enim (quod ipsum mihi reprehendendo in omnibus, reprehendere Deus permittat) aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, ita ingrediuntur, quasi pudicitia in sola carnis integritate, & stupri auersione consistat; nec quicquam extrinsecus opus sit, de cultus dico, & ornatus dispositione. Sed enim perseuerant in pristinis studiis formæ & nitoris sui, eandem sui speciem circunferentes, quam fœminæ Nationum, à quibus abest conscientia veræ pudicitiæ: quia nihil verum in his, quæ Deum nesciunt præsidem & magistrum veritatis.

4. 2. *Pleraque* enim aut cum simplicitate *ignorantes*, aut cum audacia *dissimulantes*, ita incedunt, *quasi pudicitia consistat in sola* interiori *auersione stupri*, & nihil sit necessaria exterior habitus forma. Itaque sic perseuerant in cultu & ornatu, vt nullum sit discrimen inter illas, & *Nationum fœminas*, quæ nullam ha-

bent curam *pudicitiæ*, vt quæ verum *Deum* ignorent, totius *veritatis præsidem. Conscientia verâ pudicitiæ* nihil est aliud, quàm notitia veræ pudicitiæ. De parenthesi vide Notas.

5. 3. Nam etsi qua in Gentilibus pudicitia credi potest, vsque adeò eam imperfectam & inconditam constat, vt licèt animo aliquatenus tenax sui agat, in habitus tamen licentia sese dissoluat, propter vanitatem Gentilium, solatium appetendo cuius rei deuitat effectum. Quota denique est quæ nec placere quidem extraneis concupiscat, necnon velit idcirco se expingere, vt neget appetitum? Quanquam & hoc Gentili pudicitiæ familiare sit non delinquere, attamen velle: vel etiam nolle, attamen non denegare, mirum; quia peruersa sunt omnia quæ à Deo non sunt. Videant igitur quæ totum bonum non obtinendo, facilè & quod obtinent, malo permiscent. Vos illis, vt in cæteris, incessu quoque deuertere necessarium est: quoniam perfectæ esse debetis, sicut Pater vester qui est in cœlis.

6. 3. *Nam etsi*, &c. Esto enim in fœminis Gentilibus aliqua sit *pudicitia*, tamen *adeò imperfecta, vt licèt animo* aduersum incursantia pericula munito, tamen ex *vanitate Gentilium dissoluat sese* hæc pudicitia ex *licentia* sui *habitus*, appetens *solatium* eius *rei*, *cuius deuitat effectum*. Clariùs. *Licèt* pudicitia aliquantulum in *animo tenax* sit *sui* & integra, aliquantulumque conseruetur in animo, *licentia* tamen *habitus sese dissoluat*. *Quota denique*, &c. Quæ enim est, quæ licèt ab *extraneis* viris munda sit, nolit expingi, vt sic fateatur palam se alios concupiscere, & mente delinquere? vel sit duplex interrogatio, vna in voce *concupiscat*, cum hoc sensu: Nulla quidem est, quæ non *concupiscat extraneis placere*. Altera in fine, vt dicat: Nulla est, quæ *non velit* ideo *se expingere*, vt non fateatur *appetitum*, id est, volunt se expingere, vt acuant, & incitent appetitionem sui. *Quanquam & hoc*, &c. *Quanquam familiare sit Gentili* fœminæ *non delinquere* corpore, *attamen velle* animo delinquere est etiam familiare. Deinde quanquam etiam familiare sit nolle delinquere animo, attamen *non denegare* etiam familiare est, & hoc est *mirum*. Et quare mirum? *quia peruersum est quod à Deo non est*. Etenim pudicitia corporis & animi eadem esse debet, & sibi respondere vt vera sit. *Videant igitur*, &c. *Quæ totum bonum non obtinent*, illam partem quam *obtinent*, *permiscent malo*. Igitur *videant* & faceſſant hinc, *quæ totum bonum non obtinendo*, id *quod* habent *malo permiscent*. Itaque *videant* pro viderint, quod verbum commune est in hoc Auctore. *Vos illis*, &c. Igitur debetis vos in habitu quoque & specie (nam hæc est *incessu*) diuertere ab *illis*, quemadmodum *in cæteris*, vt sitis *perfectæ, sicut Pater vester*.

NOTÆ.

7. 1. POSTREMISSIMVS.] Non est superlatiuum superlatiui, vt vult Rhenanus, sed positiui; nam *postremus* positiuum est; etenim *postimus*, *postumus*, vel *postremus* positiuum est. Eo vtitur Agellius lib. 15. cap. 12. *Si cuiusquam seruulus propter me sollicitatus est, omnium nationum postremissimum, nequissimumque existimatote*, &c. vel *omnium natorum*, vt vult Lipsius, lib. 2. Elect. cap. 3. Talia sunt illa Plauti in Menæch. *Exclusissimus sum*. & in Casinar. *Otiosissimus sum omnium, qui viuunt*. & in Apologet. 19. *extremissimi*. Cæterùm Pamelius sic legit, *Postremissimus omnium, qui de meo iure*, cum aperto mendacio; cùm Tertullianus scripserit eisdem litteris, *postremissimus omnium quidem, eo iure*, &c. Qua lectione nihil dexterius: & Iunio debes: docet enim se eo iure fœminis scribere, quo iure est ipsis conseruus & frater.

8. 1. CONSERVITII.] Istud componendi & confuendi dictionum genus vsitatum est Patribus. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in epist. frequentissimè, alibi etiam, *consacerdos*, *comministeri*, *comprouincialis*, *confrater*, & talia eiusmodi. Et Cyprianus Mart. de Mortalitate *consacerdotis*. Ruricius Episcop. in epist. *compresbyter*. Desiderius Episcop. in epistolis item, *consacerdotes*. Marius Victorin. lib. 1. aduersus Arrium: *Condoctores*. Paulinus epist. 7. ad Seuerum: *Compallidi nostri*. & epist. 3. ad Aprum, *commembrata compago*. & in epist. Concilij Sardicens. ad Iulium Papam, *compresbyteri*. & in Concilio Toletano 2. *contradere*. & Ennodius epist. 6. lib. 1. *contrabeas*. Sidonius in epist. 7. lib. 3. *conquadrant*. Concil. Altisiodorense, *commater*, *conclericus*. Lucifer Calaritanus lib. 2. ad Constantium, *consacrilegis*, *conblasphemis*, *conserpentes*, & lib. de non conueniendo cum hæreticis, *contyranni*, & lib. de non parcendo delinquentibus, *coamens*, id est, simul amens. Fulbert. Episcop. Carnotens. epist. 17. *Complanctum suum, & consilium meum*. Græci quoque; nam Ignatius epist. ad Smyrnenses συνδιάκονος, συναδελφός. Nazianzen. orat. ad 150. Episcopos, συμπολίτας. Dionys. Alexandrin. in epist. ad Paulum Samosatensem συμπρεσβύτερον. Concil. Sardicense in epist. ad Ecclesiam Alexandrin. συλλειτουργοί.

1. AFFECTATIONI.] Vide ad Martyras cap. 5.

1. NAM CVM OMNES TEMPLVM SIMVS DEI.] Cyprian. de Disciplin. Virg. *Considerantes pariter ac scientes, quòd templa Dei sint membra nostra, ab omni face contagionis antiquæ lauacri vitalis sanctificatione purgata*.

1. ANTISTES.] Cyprianus epist. 69. *Annue aliquando, & dignare pronuntiare de nobis, & Episcopatum nostrum cognitionis tuæ auctoritate firmare, vt Deus, & Christus eius agere tibi gratias possint, quòd per te sit Antistes & Rector altari eorum pariter & plebi restitutus*. Sumpta est Metaphora à sacris idolorum, quorum primarij sacerdotes dicebantur *Antistites*, Liuio, & Ciceroni. 9.

2. QVOD IPSVM, &c.] Rhenanus, & Pamelius legunt, *Quod ipsum, mihi reprehendendo in omnibus, reprehendere Deus permittat*. & ponunt, *reprehendendo*, in datiuo, id est, *digno qui reprehendar*. Quæ explicatio dignissima est Tertulliano. Iunius perperam scribit, *quod ipsum mihi, reprehendendo*, &c. Et sic in Ablatiuo erit. Cur autem perperam? Quia nihil habet Tertullianus cur agnoscat in se istum errorem. Deinde, quia non omnes fœminas reprehendit, sed

pleraſque. Quamobrem optimè dicit, ego reprehendendus in omnibus pleraſque volo reprehendere. Cæterùm concionator debet ſe primum reprehendere. Præclarè Salomon Eccleſ.15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Vnde Hieronymus in Epitaphio Marcellæ: *Fruſtra eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleemoſynam, qui Cræſi diuitiis tumet.* Chryſoſtom. Homil.10. in 1.ad Timoth. *Diſcipuli Doctorum ſemper vitam intuentur. At ſi viderint nos eadem quoque ſecum appetere, quando illi Chriſtianam Religionem poterunt admirari?*

10. 2. QVASI PVDICITIA IN SOLA CARNIS INTEGRITATE,&c.] Cyprian.de diſciplin. Virg. id ſumpſit ex Tertulliano: *Continentia verò & pudicitia non in ſola carnis integritate conſiſtit, ſed etiam in cultus & ornatus honore pariter ac pudore, vt ſecundùm Apoſtolum, quæ innupta eſt, ſancta ſit & corpore & ſpiritu.*

2. EANDEM SVI SPECIEM, &c.] Adieci vocem *ſpeciem*, quæ eſt in manuſcripto, auctoritate Vvouerenij. Itaque non oportet ſupplere *formam* cum Rhenano, neque legere cum Iunio, *perſeuerant in priſtinis ſtudiis, formam nitoris eandem ſui circumferentes.*

11. 2. FOEMINÆ NATIONVM.] Quid de iſtis loquar? an ne illæ pudicæ? Angylæ (natio eſt) fœminas ſuas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt patere, mox ad pudicitiam legibus aſtringunt, narrat Solinus in Polyhiſt. Longum eſſet de reliquis ſermonem facere.

3. VT LICET ANIMO ALIQVATENVS TENAX SVI AGAT, IN HABITVS TAMEN LICENTIA SESE DISSOLVAT PROPTER VANITATEM GENTILIVM, SOLATIVM APPETENDO CVIVS REI DEVITAT EFFECTVM.] Ita diſertè ſcripſi, neque puto in illis, *ſeſe diſſoluat* ſupplendum aliquid, *vanitatem* ſcripſi cum Latinio, non *veritatem* cum Rhenano, neque proteruitatem cum Iunio; malè enim iſta, *in habitus tamen licentia ſeſe diſſoluat proteruitatem*, nec è Grammaticæ ratione. Vocem verò *Gentilium* coniunxi cum *vanitate*, non cum *ſolatio*. Retinui verò vocem *effectum* cum Pamelio, nec malui *affectum* cum Latinio, & Iunio.

3. PLACERE.] Clemens Alexan.3. Pædag.cap. 2. κοσμοῦνται ἵνα ἄλλοις ἀρέσκοιεν, αἱ ἐν προσώπῃς χαιρώμεναι, οὐκ ἐν καρδίᾳ: *Ornantur enim vt aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur.*

3. EXPINGERE.] Hieronymus ad Lætam: *Caue ne ceruſſa & purpuriſſo conſecrata Chriſto ora depingas.* id eſt, ora filiæ tuæ. Et in epiſt.ad Demetriadem: *Polire faciem purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere.* Eadem in Epitaphio Paulæ,& ſæpè aliàs. Ennodius lib.1. epiſt. 18. *Quiſquamne coloratis frontem pingit illecebris, & famam valida impugnatione labefactat; nec manifeſta excuſatione contentus malè credulæ conſcientiæ ſuffi-* B *cere non æſtimat, quod probauit?* 12.

3. QVANQVAM ET HOC, &c.] Attendendum eſt maximè qua ratione ſcripſi: diſcrepo enim à Pamelio, qui ſic ſcribit: *Quanquam & hoc Gentili pudicitiæ familiare ſit non delinquere, attamen velle; vel etiam nolle, attamen non denegare, mirum.* Ego verò: *Quanquam & hoc Gentili pudicitiæ familiare ſit non delinquere, attamen velle: vel etiam nolle, attamen non denegare, mirum.* Clariſſima ſententia, quam non do, quia eam in explicatione vidiſti. Hinc reiicies Iunium ſic legentem, *Quanquam & hoc Gentili pudicitiæ ſit non delinquere velle, vel etiam nolle; attamen non dene-* C *gare, mirum.* & ſic interpretantem, Eſto hoc Gentili pudicitiæ ſit familiare non velle delinquere, addat etiam affirmanter, nolle delinquere, mirum eſt tamen non denegare. In primis amputat primum *attamen*, dicit enim irrepſiſſe per iniuriam ſcriptoris, & ipſe incurioſus omnino eſt. Deinde idem eſt, quantum ad præſentem caſum attinet, *non velle delinquere*, & *nolle delinquere*, neque diſcriminantur, vt ille vult. Vt ego autem ſcripſi conſtantiſſima eſt ſententia, nam *non delinquere* de corpore dicitur, *velle* autem de animo: ſimiliter *nolle delinquere* de animo, *non denegare* de animo & corpore. ac perinde omnia conſtant. 13.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Quòd ſtudium placendi per decorem, de integra conſcientia non veniat.

TERTVLLIANVS.

14. 1. PERFECTÆ autem, id eſt, Chriſtianæ pudicæ, appetitionem ſui non tantùm non appetendam, ſed etiam exſecrandam vobis ſciatis. Primò, quòd non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus. Quid igitur in te excitas malum iſtud? quid inuitas, cuius te profiteris extraneam? Tum quòd tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus à ſuis abigat) inſtando perficiunt, certè vel ſpiritu ſcandalum permouent. Debemus quidem ita ſanctè & tota fidei ſubſtantia incedere, vt confeſſæ & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes perſeuerare id in nobis, non tamen præſumere. Nam qui præſumit, minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt: præſumptio impedimentum timoris. Vtilius ergò ſi ſperemus nos poſſe delinquere: ſperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo ſalui erimus: contrà ſi præſumamus, neque timendo, neque cauendo, difficilè ſalui erimus. Qui ſecurus agit, non eſt ſollicitus, non poſſidet tutam, & firmam ſecuritatem. At qui ſollicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus. Et de ſuis quidem ſeruis Dominus pro miſericordia ſua curet: etiam præſumere illis de bono ſuo feliciter liceat.

EXPLICATIO.

15. 1. DVPLEX ratio. Prima, *appetitionem sui non tantùm non appetendam* : altera, *sed etiam exsecrandam vobis*. Ergò cùm sequitur, *Primò*, &c. ratio est qua probatur illud, fugiendam *appetitionem sui*. Cùm verò ait, *Tum quod*, &c. ratio est *exsecrationis*. *Id*, securitatē conscientiæ. *Vtilius ergò*, &c. Ergò vtilius erit nobis si cum formidine aliqua simus delinquendi; hîc enim, *speremus*, est cum formidine aliqua esse cadendi, vt mox *sperando timebimus*, & vt integra sit ratio, supplendum est, *erit nobis*, quod ego suppleui, vel aliquid simile.

16. 2. Quid autem alteri periculo sumus? quid illis alteri concupiscentiam importamus? quam si Dominus ampliando legem à facto stupri non discernit in pœna, nescio an impunè abeat, qui alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit, & facta es tu gladius illi. Vt à culpa vaces, ab inuidia non liberaberis. Vt cùm in alicuius agro latrocinium gestum est, crimen quidem dominum non constringit; dum res tamen eius ignominia notatur, ipse quoque infamia aspergitur. Expingamus nos vt alteri pereant. Vbi est ergò, Diliges proximum tuum, sicut teipsum? Nolite vestra curare, sed alterius. Nulla enuntiatio Spiritus sancti ad præsentem tantùm materiam, & non ad omnem vtilitatis occasionem dirigi & suscipi potest.

Matth. 5. *Marc.* 19.

17. 2. *Illis*, formæ nimirum studiis. *Quam si*, &c. *Quam* concupiscentiam *si* quidem *Dominus ampliando legem* & perficiendo (scilicet quando iubet non mœchandum, ipse ampliauit addendo, non concupisces) *non discreuit à facto, nescio an*, &c. *simul*, id est, simul atque concupierit, *perit in tua forma*. *Vt alteri pereant*, est *alteri* pluralis numeri. *Nulla enuntiatio*, &c. Nihil enim Spiritus sanctus dixisse credendus est *ad* vnam *tantùm materiam*, sed credamus illum amplexum esse omnes.

18. 3. Cùm igitur & nostra & aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, iam non tantùm confictæ & elaboratæ libidinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione & incuria, vt proinde oculorum incursibus molestum. Nam etsi accusandus decor non est, vt felicitas corporis, vt diuinæ plasticæ accessio, vt animæ aliqua vestis vrbana; timendum tamen est vel propter incuriam & violentiam spectatorum; quæ etiam Pater fidei Abraham in vxoris suæ specie pertimuit, & sororem mentitus Saram, salutem contumelia redemit.

Genes. 12. & 20.

19. 3. *Versetur*, videlicet expolitio nostra & forma. *Molestum*, id est, non aliter fugiendus decor corporis, ac si esset molestus intuentibus. *Vt animæ aliqua vestis vrbana*, Quis igitur homo tam amens est, vt vestem, quantumuis pretiosam, corpori humano anteponat? *Quæ etiam*, iniuriam & violentiam, vt dicat, quæ duo discrimina. *Mentitus*, mentiri hîc accipit pro simulare. *Contumelia*, hæc scilicet fuit, quam *Abraham* passus est, dum sibi auferretur Sara. De reliquis vide Notas.

NOTÆ.

20. 1. VT CONFESSÆ ET SECVRÆ SIMVS DE CONSCIENTIA NOSTRA.] In vulgatis Pamelij legitur *confessæ*, & lectionem retinendam arbitror, vt dicat *confessæ*, id est, manifestæ. Si malis *confisæ* legere cum Iunio, erit sententia toleranda.

1. TIMOR FVNDAMENTVM SALVTIS.] Hùc confero verba Fortunati in vita sancti Hilarij, vbi ita scribit ad Pascentium Episcop. *Culmen fabricæ cœlestis continuare festinas non sine timore diuino*, id est, non sine fundamento timoris diuini. Drogon etiam Episcop. Hostiens. timorem Domini vocat *basin* & *fundamentum* ad domum Dei spiritualem. Non abiit, dici timorem Dei à Ioan. Chrysost. orat. de Nouilunio, θησαυρὸν, *thesaurum*. Nam thesauri latere in terris solent, vt latent fundamenta ædium. & Homil. 18. ad Popul. vocat consequenter ῥίζαν, *radicem*, à qua scilicet exuberans fructus. & ibidem πηγὴν, *fontem*. Itaque *fundamentum*, *basis*, *thesaurus*, *radix*, *fons*, quinque hæc eandem rem notant, etiam si diuerso cōceptu, nam hæc omnia latent. Nec abiit locutio Gregorij Nysseni Tract. 1. in Psalm. cap. 8. vbi timorem Dei vocat τῶν ἀγαθῶν φυλακτήριον, *custodiam bonorum*. Affero tandem Cassianum de timore Dei ita mirabiliter loquentem, Collat. 11. cap. 15. *Quisquis igitur in huius fuerit charitatis perfectione fundatus, necesse est, vt ad illum sublimiorem timorem gradu excellentiore conscendat; quem non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel frater fratrem, vel amicum amicus, vel coniugem coniux sollicito reueretur affectu, dum eius non verbera, neque conuitia; sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verùm etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcunque feruor dilectionis illius intepescat.*

21. 1. PRÆSVMPTIO IMPEDIMENTVM TIMORIS.] Argumentum hoc, quàm necessarius sit timor Dei ad salutem consequendam, tractat Prosper Aquitanicus lib. 3. de vita contemplatiua cap. 11. vbi etiam loquitur de timore cum oppositione ad præsumptionem, vt hic Tertullianus: ait enim homines cessare à timore Dei, illectos *spe præsumptæ impunitatis*. Ioan. etiam Chrysost. Homil. 2. ad Popul. ti-

morem vocat χαλινὸν, *frenum*, quo vtendum in præsumentem, & plus iusto efferatum. A

1. SI SPEREMVS.] *Spero*, id est, esse cum formidine, vt mox in sequentibus. Ammianus lib. 14. *Antiochensi plebi suppliciter obsecranti, vt Indiæ dispelleret metum, quæ permultas difficilésque causas afferre sperabatur.* Sophocles in Trachin.

Κακὸν δύστηνον ὑπέρχουσαι αἶσαν:
Sperantem fatum malum & infelix.

2. QVID AVTEM ALTERI PERICVLO SVMVS?] Id est, πρόσκομμα, ἢ σκάνδαλον, vt loquitur Nazianzen. orat. 1. *Offendiculum aut scandalum ponimus.*

22. 2. QVID ILLIS ALTERI CONCVPISCENTIAM IMPORTAMVS?] Multi redundare *illis* suspicantur, defendit Pamelius, atque *illis*, id est, *formæ studiis*, interpretatur. Mihi verisimile fit legendum *illius*, id est formæ, quod ex manuscripto legit Vvouerenius.

2. CRIMEN QVIDEM DOMINVM NON CONSTRINGIT.] Prosper Aquitan. lib. 1. de Promiss. cap. 17. *Vinculisque peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* Legunt aliqui *crimine.* B

2. IGNOMINIA NOTATVR.] Notæ quæ sint, sciunt vel pueruli, est enim *nota* quæ apponebatur vini amphoris, vt Iuuenal. Sat. 5.

---cuius patriam titulúmque senectus
Deleuit multa veterum fuligine testæ.

Et cùm aliquem laudamus, dicentes, *eum esse de meliore aut peiore nota*, translationem à vino ducimus vel bono, vel malo. Ita Plinius dixit in Panegyrico: *Neque, vt antea, exsanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant, sed spectent paria damno præmia.* Puncta quæ notet, difficile est scire: forsitan (vt inquit Turneb.) qui delatoris partes agebat, D, apponebatur; qui çalumniatoris, C, sed in notis ad vinum respicit.

23. 3. PERICVLOSISSIMI DECORIS.] Prosper lib. 2. de Promiss. cap. 12. *Quarum* (fœminarum speciosarum) *forma, ornatusque ferrum virtutémque molliret.* Sanctus Antiochus Homil. 17. *Ipse vel aspectus mulieris telum est veneno lethali litum.* C

3. CONFICTÆ ET ELABORATÆ LIBIDINIS.] Pulchritudinem artificio comparatam vocat hîc libidinem. Præclarè Hieronymus epist. ad Gaudent. vocat *genus fœminarum* φιλόκοσμον, vt quod naturaliter velit ornari vel sibi ipsi soli, etiamsi nulli essent viri, quibus deberet placere; Ita enim explicat Hieronymus. Sed vt plurimùm hoc ornatu vtuntur ad aliorum scandalum, &, vt statim ait Tertullianus, vt violentiam inferant spectatoribus, hoc animo solent *purpurisso & cerussa ora depingere* (verba sunt eiusdem Hieronymi in Epitaphio Marcellæ) *sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare cerucibus, & auribus perforatis Rubri maris pretiosissima grana suspendere.* D

24. 3. SVGGESTVM.] Comarum suggestum appellat Statius 1. Syluar.

---procul aspice frontis honorem,
Suggestúmque coma.

Quem in locum Ianus Gebhardus lib. 1. Crepundiorum cap. 12. notat Græcis dici εὐσταθίζειν καὶ τάξιν. nam τάξις statio dicitur Ouidio:

Ponere compositas in statione comas.

Fabius lib. 12. cap. 10. ait: *Sed me hactenus reddentem nemo insequatur vltra, do tempori, ne crassa toga sit, non serica: ne intonsum caput, non in gradus atque annulos comptum.* Demum *suggestum* est ornamentum non solùm capillorum, sed totius corporis, & ita hîc accipiendum est. Nam Hieronymus vellicans iam suo tempore vestitum delicatulum, & ad lasciuiam compositum, inquit: *Quibus amicta corpora nudantur potiùs quàm operiuntur.* Et hoc vocat Tertullianus *periculosissimum decus*, cùm ita induitur fœmina, vt prosæ partes sese ostentent hominibus ad pelliciendos eorum animos. De his suggestis & tegumentis dixi satis copiosè in lib. de Pallio, vbi coniungit cum *tectione nuditatem.*

3. DISSIMVLATIONE ET INCVRIA.] 25.
Hieronym. ad Demetriadem: *Illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum non pectus & colla denudat, nec pallio reuoluto ceruicem aperit; sed quæ celat faciem, & vix vno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur.*

3. NAM ETSI ACCVSANDVS DECOR NON EST, VT FELICITAS CORPORIS, VT DIVINÆ PLASTICÆ ACCESSIO, VT ANIMÆ ALIQVA VESTIS VRBANA.] Lucianus in Imaginibus, τὸ δὲ ἐπιπλὲς κάλλος, οἶμαι, τοῦτό ἐστιν, ὁπόταν ἐς τὸ αὐτὸ συνδράμῃ ψυχῆς ἀρετὴ, καὶ εὐμορφία σώματος: *Porrò autem ea mihi demum omnibus numeris absoluta pulchritudo esse videtur, quoties in idem concurrunt anima exculta virtutibus, & corpus amabili forma exornatum.* Dixit *vestis*, quemadmodum Meursius illud Constantini Manasse in Annalib. χροτάφους ἰουλίζων, reddit, *lanugo malas vestire cœpisset.* Sed hæc iam alibi.

3. MENTITVS.] Non putat Pamelius mentitum Abraham, sed ita hîc dictum *mentitus*, quemadmodum Plinius lib. 35. cap. 6. *Color ille Chrysocoloram mentitur.* Non enim dixit Abraham, *non est vxor mea*; sed *soror mea est*, quod est conforme veritati. Citat præterea alios Patres, qui liberant Abraham à mendacio.

3. CONTVMELIA.] Dixi sententiam obuiam. 26.
Quid verò si contumelia non fuerit, quam passus est Abraham, sed quam fecerit, simulatione mentitus Saram esse sororem suam, de qua queruntur Reges, Ægyptius 12. Genes. & Abimelech. 20. Ægyptius enim dixit, *Quidnam est hoc, quod feci mihi? quare non indicasti quòd vxor tua esset?* Abimelech autem, *Quid feci nobis?* &c. Hæc itaque contumelia est, qua salutem suam redemit. Dices, contumeliam ergò fecit Abraham? Nequaquam, hæc enim potiùs extitit illorum Regum interpretatione, qui existimauere se affectos contumelia, quàm Abrahami facientis, iuxta Senecam lib. de Constantia sapientis cap. 10. *Nimio otio ingenia natura infirma & muliebria, & inopia veræ iniuriæ lasciuientia his commouentur; quorum pars maior constat vitio interpretantis. Itaque nec prudentiæ quicquam in se esse, nec fiduciæ ostendit, qui contumelia afficitur.* Itaque Abraham non fecit contumeliam, verum enim dixit, nam Sara ex patre tantùm erat soror illius, sed illi non intellexerunt: itaque contumelia affecti sunt interpretatione sua. Sic licet conjectare de hoc loco.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Quòd cùm in carne gloriandum non sit, nec proinde etiam in laude formæ.

TERTVLLIANVS.

27. 1. NVNC non sit timenda dignitas formæ, vt nec possidentibus grauis, nec appetentibus exitiosa, nec coniunctis periculosa, nec exposita tentationibus, non circundata scandalis existimetur; sufficit quòd Angelis Dei non est necessaria. Nam vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo; quia propriè vsus & fructus pulchritudinis corporis, luxuria; nisi si quis aliàs esse decorem arbitratur. Illæ sibi formositatem & datam extendant, & non datam conquirant, quæ quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putent, cùm alteri præstant. Dicet aliquis, Quid ergò non est excluſa luxuria admissa castitate? Laude formæ sola frui, & de bono corporis gloriari licet. Viderit quem iuuat de carne gloriari. Nobis autem nullum gloriæ studium, quia gloria exaltationis ingenium est. Porrò exaltatio non congruit professionibus humilitatis ex præceptis Dei.

EXPLICATIO.

28. 1. NVNC *non sit timenda*, &c. Quasi dicat, est enim *timenda forma*, vt quæ *grauis* est *possidentibus*, & *coniunctis periculosa*, & *exposita tentationibus*, & *circundata scandalis*. *Angelis Dei*, videtur alludere ad illud Pauli 1. Corinth. 11. *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.* Sequitur, *vacua pulchritudo*, necessaria non est pulchritudo, inanis omnino est; quia *luxuria* est *fructus pulchritudinis.* Itaque ait, luxuriam (turpe malum) & redundantem appetentiam esse propriè *fructum corporis. Nisi si quis* (irridetur hoc) aliud putat, & *decorem* corporis aliud existimat. *Illæ sibi*, &c. Aduerte diphtongum esse debere in *illæ*, in multis enim Pamelij deest. *Quæ quod ab illa*, &c. Quæ fœminæ cùm libidinem, & actum carnalem qui *ab illa flagitatur* formositate, *præstent alteri*, *sibi quoque* satisfaciendum *putant. Dicet aliquis*, &c. Si aliquis obiiciat iam esse *castitatem admissam*, ac perinde *excluſam luxuriam*, licet *sola laude formæ* gloriari & *de bono* corporis. Quasi dicat; *excluſa* est à me *luxuria* admisso bono castitatis, cur ergò gloriari non possum de forma corporis? *Viderit quem*, &c. Facessat hinc istud quod dicit, nam de gloria carnis *gloriari* non licet. Hoc enim *studium nobis* Christianis *nullum* est, quia omnis *gloria* natura est *exaltationis.* & omnis *exaltatio non congruit* nobis *ex præcepto Dei*, qui humilitatem profitemur. Itaque illud *laude formæ*, &c. nihil est, quàm ratio præcedentis periodi; adde *quia*, & constabit integer sensus. Postea autem cùm adiicit *viderit*, &c. dissoluit rationem.

29. 2. Dein si omnis gloria vana & stuporata, quanto magis quæ in carne! Nobis duntaxat. Nam etsi gloriandum est in spiritus bono, non in carnis placere velle debemus, quia spiritalium sectatores sumus. In quibus operamur, in illis & gaudemus. De his gloriam capimus, de quibus salutem speramus. Planè gloriabitur Christianus in carne, sed cùm propter Christum lacerata durauerit, vt spiritus in ea coronetur, non vt oculos & suspiria adolescentium post se trahat. Ita quod ex omni parte in vobis vacat, meritò & non habentes fastidiatis, & habentes negligatis. Sancta fœmina sit naturaliter speciosa, non adeò sit occasioni. Certè si fuerit, non ignorare, sed etiam impedire se debet.

30. 2. Ratio altera, qua disiicit illud de gloria. nam si gloriari non licet, quanto minùs de gloria carnis! *Stuporata*, quæ intuentium oculos atque animos stupore detinet; quanto illa magis quæ carnalis est gloriola? *Nobis duntaxat*, fidelibus nimirũ Solis, nam Gentiles aliam gloriam agnoscunt. *Nam etsi*, &c. Ista tantùm egent lectore. *Ita quod*, &c. Itaque cùm in vobis vacua sit & otiosa pulchritudo & decor corporis, meritò non habentes fastidite, habentes contemnite. *Nõ adeò sit occasioni*, ne se comat exquisitiùs, vt occasionem det adolescentulis; ne in eas inuehatur Isaias, cap. 3. *Eleuatæ sunt filiæ Sion pedibus suis, composito gradu incedebant*, & vt alij legunt: *Pedes suos laqueolis vinciebant.* Procedo. *Ignorare*, vide Notas.

NOTÆ.

31. 1. ANGELIS DEI.] Nescio qua lubentia feror, vt non hîc alluserit ad locum Pauli; quod tamen ita explicui; sed Angelos Dei appellauerit *ancillas Dei*, vox enim *Dei* addita suspicionem hanc mouit. *Sufficit*, inquit, *quòd Angelis Dei*, id est, Dei ancillis, *non est necessaria.* Longum esset adducere multos Patres, qui *ancillas Dei* vocauerint Angelos Dei.

1. FLAGITATVR.] *Flagitium* veteres vitium quod virgini infertur, dixerunt. Sic enim scribit Fe-

ſtus: *inter cutem flagitatos dicebant antiqui, mares qui ſtuprum paſſi aliquando eſſent.* Fortè eo ſenſu locutus eſt Agellius lib. 7. cap. 11. vbi P. Africanus his verbis vtitur: *Sed tu plus tertia parte pecuniæ paternæ perdidiſti atque abſumpſiſti in flagitiis.* Iſidor. lib. 5. etymolog. *Flagitium à flagitando corruptela libidinis.* Cato: *Intercutibus ſtupris flagitatus*, id eſt, inteſtinis probris infamatus. Inde poſtea fœneratores dicti ſunt *flagitatores*, quòd fœnus repetant cum conuitio. Inde *occentare* vetabantur, cùm repetebant rem; id enim erat propriè *flagitare.* Plautus Mercat. *Occentent oſtium.* Idem omnino, quod *pipulo poſcere.* Idem enim Plaut. Aulul. dixit: *Pipulo hic differam te ante ædes.* Iſidorus in Gloſſ. *Pipulo*, id eſt, conuicio, ploratu. Idem omnino, quod Plaut. Men. *Qui me impleuit flagitij.*

32. 2. PLANE GLORIABITVR CHRISTIANVS IN CARNE, SED CVM PROPTER CHRISTVM LACERATA DVRAVERIT.] Teſtimonium huius rei abundè & clarè extat in vita Epicteti & Aſtionis martyrũ, vbi Epictetus ad Aſtionem ita: *Si nos ô dulciſſime fili, craſtina die interrogauerit iudex, dicens: Quod genus, vel quæ nomina veſtra, vel ex qua prouincia eſtis, & vnde huc veniſtis? nos nihil illi penitus reſpondeamus; neque genus ei vel nomina noſtra indicemus: ſed nec patriam, vnde ſumus oriundi, illi fateamur: niſi hoc tantùm dicamus, quia Chriſtiani ſumus, & hoc nomen nobis, hoc genus, hæc patria: & nihil aliud ſumus quàm Dei cultores.* Et hoc accidit poſtea exemplo. Cùm enim ſancti Martyres rogarentur à tyranno qui eſſent, nihil aliud dicebant, quàm *Chriſtiani ſumus*: ſimiliter cùm verberarentur & cæderentur acriter, idem reſponſum obiectabant.

2. DVRAVERIT.] Duri homines ſunt καρτεικοὶ, καρτερόθυμοι, tolerantes ac patientes, quales priſci Lacedæmones. Cato: *Ego iam à principio in parſimonia atque in duritia omnem adoleſcentiam meam obſtinaui.* Cornelius Nep. de Alcibiade: *Sic duritiæ ſe dediſſe, vt parſimonia victus atque cultus omnes vinceret.* Plautus Moſtell.

Parſimonia & duritia diſciplina aliis eram.

Vide Taubmannum.

33. 2. VT SPIRITVS IN EA CORONETVR.] Monet Pamelius pertinere hoc ad coronas & mercedem bonorum operum, de qua ſuprà ad Martyres cap. 5.

2. NON VT OCVLOS ET SVSPIRIA ADOLESCENTIVM POST SE TRAHANT.] Hieronym. in epiſt. ad Furiam, pulchrè ait, ceruſſam in fœminis, qua ſe ornant, *eſſe ignem iuuenum, & fomenta libidinum.* Et in epiſt. ad Gerontiam: *Ne oculorum nutibus, & hilaritate vultus iuuenum poſt ſe greges trahat.* Et in epiſt. ad Euſtochium: *Hæ ſunt quæ per publicum notabiliter incedunt, & furtiuis oculorum nutibus adoleſcentium greges poſt ſe trahunt.* Ioan. Chryſoſt. hom. 14. ad Popul. hiſtoriam repetit ex ſacris litteris, vbi virgines ſpeciosè ornatæ, εἰς ἀπέλπιδαν ἐξεκαλοῦντο τὸν στρατιώτας, *prouocabant milites ad laſciuiam.*

2. NON ADEO SIT OCCASIONI.] Clemens Alexand. 3. Pædag. cap. 11. δοκεῖ δὲ ὑπὲρ πάντα τῶν γυναικῶν ὄψεως ἀπεστράφθαι. οὐ γὰρ ἀψαμένοις μόνον, ἀλλὰ καὶ θεασαμένοις ἔστιν ἁμαρτεῖν ὧν μάλιστα ἀποφεύγειν χρὴ τὸν γνησίως παιδαγωγούμενον: *Videtur autem ſuper omnia eſſe auerſandus mulierum aſpectus: non ſolùm ſi tangantur, ſed etiam ſi ſpectentur, peccari poteſt: quæ maximè vitare oportet eos, qui rectè & ſyncerè inſtituuntur.* Et lib. 2. cap. 7. ἔστι δ' ὅτε καὶ ἄλλοις παρίστοι γίνονται σφαλμάτων τὸ ὀπτήδυνον τῆς ὥρας ἐπιδεικνύμενοι: *Quin etiam nonnunquam aliis cauſa ſunt offenſionum, dum florem ætatis oſtentant.* Lucianus in Toxar. ἡ δὲ (Χαρίκλεια) πολλοὺς ἤδη νέους ἐκπεπληξαμένη, καὶ μυρίους ἔρωτας ὑποκριναμένη, καὶ οἴκους πολυτελεῖς ἀνατρέψασα, ποικίλον τι καὶ πολυχρόνιον κακὸν, παρεσκεύασε εἰς τὰς χεῖρας ἁπλοϊκὸν καὶ ἄπειρον τῶν τοιούτων μηχανημάτων νεανίσκον, ὃν ἀγνὴν ἔτι τῶν ὀνύχων: *Illa porro (Chariclea) quæ complures iam adoleſcentes iugularat, & innumerabiles amores fuerat mentita, domoſque opulentas euerterat, varium quoddam atque inexpugnabile malum: vbi nacta manibus eſt ſimplicem, & eiuſmodi artium imperitum adoleſcentulum haud quaquam emittebat ex vnguibus.* Ioann. Chryſoſt. orat. de Nouilunio monet, μηδὲν καλλωπίσῃς τὸ πρόσωπον, μηδὲ πρὸς θέλγητρα τῶν ὁρώντων κατακοσμήσῃς: *Neque vultum tuum ornaueris, neque te ad illecebras & lenocinia eorum qui te intuentur, compſeris.* Et Homil. 21. ad Populum ita ait: *Vis ornare faciem? non margaritis orna, ſed modeſtia & honeſtate, & ita vir grauiorem faciem cernet.* Hieronym. ad Marcellam: *Illa Chriſtianos oculos ſcandalizant, quæ purpuriſſo, & quibuſdam fucis ora oculoſque depingunt, quarum facies gypſea, et nimio candore deformes idola mentiuntur.*

2. IGNORARE.] Legitur in omnibus *ignorare*, ita vt non excuſetur à culpa ſi dixerit ſe ignorare eſſe ſpecioſam; ſed deinde tenetur ſe impedire, diſſimulare, & occultare. Aliquis legat *inornare* cum Heraldo lib. 1. Digreſſ. cap. 15. pro ornare. Cùm enim Tertullianus moneat, ne nimia cultus curioſitate pudicitiam non modò ſuam, ſed alienam in diſcrimen vocent: Quòd ſi natura ipſæ ſint excultæ vt vel hoc modo occaſioni eſſe poſſint, prouidere eas monet, vt ſeſe impediant potiùs, quàm vt adiecto inſuper cultu alienam cupiditatem irritent: Iſta cùm ſit ſententia, videtur potiùs legendum *inornare*, quo verbo vſus quoque eſt lib. de Anima cap. 19. *Aut vnde mox illis & frutices inocculantur, & folia formantur, & germina inflantur, & floſculi inornantur, & ſucci condiuntur*, &c.

34.

35.

CAP. IIII. ARGVMENTVM.

Quòd mariti cauſa componere ſe mulier non debeat.

TERTVLLIANVS.

36. 1. QVASI Gentilibus dicam, Gentiles communionum præceptis alloquens, vos ſolis maritis veſtris placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaueritis. Securæ eſtote benedictæ, vxor nulla deformis eſt marito ſuo. Satis placuit cùm electa eſt, ſeu moribus ſeu forma commendata. Ne quæ veſtrûm putent ſi temperauerint à compoſitione ſui, odium & auerſionem maritorum proſecuturam. Omnis maritus caſtitatis exactor eſt. Formam verò fidelis non ſpectat, quia non iiſdem bonis, quæ Gentiles putant, capimur. Infidelis contrà etiam ſuſpectam habet, vel propter illam ſceleratam in nos opinionem Gentilium.

Cui ergò pulchritudinem tuam nutrias, si fidelis non exigit, si Gentilis non credit? quid gestias aut suspecto, aut non desideranti placere?

EXPLICATIO.

37. 1. *Qvasi Gentilibus*, &c. Putat Christianas esse Gentiles, & alloquitur communibus præceptis Gentilium, quæ *maritis* etiam suis *placere* volunt. *Alloquens præceptis communionum*, id est, præceptis sumptis ex natura communi. Sic omnes explicant, mihi autem arridet plurimum, vt hîc *communionum* sit coniugiorum, eo modo quo etiam dicuntur *consortia, coniunctiones, connubia*, &c. *Ne quæ*, &c. Si temperaueritis *à compositione* vestra, ne existimate *odium* aliquod, aut *auersionem* mariti *prosequuturam* vos: non vos mariti persequentur, aut, persequentur odio & auersione aliqua. Clariùs. Ne aliquæ *vestrûm putent* valiturum *odium* maritorum aduersùm vos, quod remissæ sitis & temperatiores in *compositione* vestra. Ne sit aliqua inter vos, quæ putet, &c. *Propter illam scelleratam*, &c. Scelerata Gentilium opinio de Christianis est, quam Ethnici habebant, qui putabant Christanismum incestis abundare: de quo in Apologetico. Igitur *si fidelis, non exigit*, &, *si* infidelis *non credit* huic pulchritudini, quid illa est opus? *quid gestias placere*, aut infideli *suspecto* & suspicaci de te, aut fideli *non desideranti* illam pulchritudinem?

NOTÆ.

38. 1. VOS SOLIS MARITIS VESTRIS PLACERE DEBETIS.] Clemens Alexand. 3. Pædag. cap. 11. καὶ γὰρ ἴσως ὅτι συγγνωστὸν τοῖς ἐν σπυχούσαις περὶ γάμον σώφρονα, καὶ τ' ἀνδρὸς διὰ τὴν ἀφέσπειαν κοσμουμένοις. ὅσοις δὲ ἀπλῶς ἐπιτέτακται ἢ πρὸς μόνους τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας φιλοτιμία: *Nonnunquam enim concedendum est illis, quæ in coniugem minùs continentem incidunt, ornari, vt marito suo placeant. Hic autem eis constituatur terminus, vt à solis suis maritis laudari, & eis placere ambiant.*

1. PROSECVTVRAM.] Sic legit Rhenanus in prima editione, & retineo. In vulgatis Pamelij est *prosecuturas*, quo dat passionem, quam non admittit voxilla, ideo *prosecuturam* vos *auersionem*.

1. SPECTAT.] Ita Latinius, & commodè, nam *suspectam*, & *suspecto*. Pamelius non aptè *expectat*.

CAP. V. ARGVMENTVM.

De fuco quo cutem vngunt fœminæ.

TERTVLLIANVS.

39. 1. HÆc vtique non ad crudam in totum & ferinam habitudinem insinuandam vobis suggeruntur, nec de bono corporis squallorem, sed de pudoris suademus, sed de modo & cardine, & iustitia corporis excolendi. Non supergrediendum vltra quàm quod simplices & sufficientes munditiæ concupiscunt, vltra quàm Domino placere. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adiiciunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, id est, diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? Ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodò manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est: ergò quod fingitur, diaboli negotium est. Diuino operi Satanæ ingenia superducere quàm sceleſtùm est.

EXPLICATIO.

40. 1. *Crudam*, ἄμιλλαν ἕξιν, crudam & trucem habitudinem. *Nec de bono corporis squallorem*, non suademus vobis habitum humilem ratione ducta à *bono corporis*, sed à bono pudicitiæ, ex *modo*, &c. *Pudoris*, bono. *De modo*, ita vt munditiæ sint simplices. *De cardine*, limite, ita vt munditiæ sint sufficientes. *Iustitia*, ita vt non delinquatur in illam, &c. Omnia hæc pertinent ad iustitiam. *In ipsis*, medicaminibus & fucis. *Huiusmodi ingenia*, has machinas, hæc artificia poliendi se. *Ingenia*, &c *ingenium*, opus, negotium pro eodem sumuntur. Ergo inquit, *ingenia*, id est, exquisita negotia, & qualia dæmones inuenere. Consulendæ Notæ.

41. 2. Serui nostri ab inimicis nostris nihil mutuantur, milites ab hoste Imperatoris sui nihil concupiscunt. De aduersario enim eius in cuius manu sit, aliquid vsui postulare, transgressio est. Christianus à malo illo adiuuabitur? Nescio an hoc nomẽ ei perseueret. Erit enim eius, de cuius doctrinis instrui concupiscit. Quantum autem à nostris disciplinis & professionibus aliena sunt, quàm indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri, qui-

bus lingua non licet: appetere quod datum non sit, quibus alienum abstinendum: speciem exercere, quibus studium pudicitiæ est! Edite benedictæ, quomodo præcepta Dei custodietis, linamenta non custodientes.

42. 2. *De aduersario eius in cuius manu sit*, periphrasis est Domini, ille enim est mancipium, qui est in alterius *manu* & potestate. *Malo illo*, à Principe & Imperatore, à diabolo inquam, sub cuius potestate militauerit, ex vsu Scripturæ sacræ, in qua dæmon *malus* vocatur. Etenim sicut in illis *de aduersario eius*, respicit seruum: ita in istis, *à Malo*, &c. respicit militem. *Hoc nomen*, id est, Christiani. *Faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur*: opponit contraria: etenim *fictæ faciei, simplicitas* opponitur. Similiter in sequentibus, & *indicitur*, quasi præscribitur. *Effigiem mentiri*, quid *si effigie* cum Ciaconio, vt nõ liceat mentiri nec effigie, nec lingua? Quasi dicat, *mentiri* aliam se esse *effigie*, cui *lingua non licet* mentiri: mentitur enim habitu aliam se esse quàm sit, cùm non liceat lingua. *Alienum* pro ab alieno. *Speciem exercere*, operam dare pulchritudini corporis. *Edite*, dicite, ostendite. Sic enim legendum est, non *credite*, aut *cedite*. Sequitur, *lineamenta*, id est, decorem. *Præcepta* enim dicuntur lineæ, & peccatum est transgressio lineæ: inde natus error Stoicorum facientium peccata æqualia. Quod verò si legas *lineamenta*, erit, non abstinentes à pigmentis & fucis.

NOTÆ.

43. 1. CRVDAM.] Plautus in Truculento: *Ego faxo dicat me in diebus pauculis crudum virum esse*, id est, trucem, & immitem. In vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Paulus Diaconus, *immansuetis, & irrationabilibus eluctans desideriis*, id est, crudis, & feris.

1. INSINVANDAM.] Est in sinum dare, vel sinu accipere. Tertullian. lib. 1. ad vxorem: *Non modò thoro decedunt, sed & alias eis vtique ridentibus loco suo insinuant.* Cicero in Tuscul. *insinuasse se in antiquam Philosophiam videtur.* Idem: *His muneribus tandem insinuauit in familiaritatem Prætoris.*

1. SQVALLOREM.] Contrarium posuit Phædrus fabula 46. *Vnde sic, quæso, nites? aut quo cibo fecisti tantum corporis?* Etenim *facere corpus* est contra squallorem & macritiem corporis.

1. CARDINE.] Explicui limitem, vt *anni cardo* 44. apud Plinium lib. 18. cap. 28. est anni limes. Inde pro postibus forium. Balsam. in Meditat. κάρδων γὰρ παρὰ Ρωμαίοις, αἱ φλιαὶ τῶν θυρῶν ὀνομάζονται.

1. QVÆ CVTEM MEDICAMINIBVS VNGVNT.] Petron. Satyr. *Quò enim spectant flexæ pectine comæ? quò facies medicaminibus attrita? & oculorum quoque mobilis petulantia?* Artemidor. lib. 1. ἔδοξε καταχρίεσθαι τὸ πρόσωπον, ὥσπερ αἱ γυναῖκες. Basil. in cap. 3. Isaiæ: ὧν ἡ τὸ μὲν, (id est, χρῶμα) λευκότητα τῷ σώματος καταψεύδεται: *Is quidem color ementitur albedinem corporis.* Iuuenalis,

Interea fœda aspectu, ridendàque multo
Pane tumet facies.

Et sæpè meminit.

45. 1. GENAS RVBORE MACVLANT.] Basilius statim, τὸ δὲ ἐρυθρὸν ταῖς παρειαῖς ἐπανθεῖ: *Color autem purpureus in ipsis genis efflorescit.* Cyprian. de disciplin. & hab. virg. *Genas mendacio ruboris inficere.* Athanas. de Virginit. οὐδὲ μὴ ἀκτείνῃ τὰ μῆλα τῆς ὄψεώς σου: *Non expolieueris genas vultus tui.* Apuleius in Apologet. *Quis non disciplinam matris agnouit, cùm in puella videret immedicatum os, & purpurissatas genas, & illices oculos?* Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædagog. cap. 2. οὐδὲ ταῖς παρειαῖς φυκοῦν: *Neque genas fucare.* Et suprà dixerat, χρίσματά τε παρειῶν, καὶ ὑπογραφὰς ὀφθαλμῶν, καὶ βαφὰς μετοπώρου τειχῶν: *Genarum vnctiones, oculorum picturæ, capillorum tinctura.* Et *maculant* inquit præclarè. Cyprian. de disciplin. & hab. virg. vsurpat etiam, *corrumpere, inficere, polluere, violare* eodem sensu. Dicit etiam *contagio* infectas fœminas, quo colorem adulterant. Eodem sensu μολύνειν, id est, *inquinare* dixit Ioan. Chrysostom. Homil. 21. ad Populum. Hos fucos optimè Ambrosius lib. 3. de Virginib. vocat, *affectati nugas decoris, adulterini amoris illecebras.* Et Ioan. Chrysost. loco adducto, ζηλοτυπίας ὑποψίαν, *suspicionem zelotypiæ.* Igitur, *genas rubore maculant*, est, purpurisso inficiunt, iuxta Apuleium, quem vidisti in hac Nota.

1. OCVLOS FVLIGINE COLLINVNT.] 46. Nigrum puluerem intelligit, quo collinuntur oculi. Ambros. de Virg. lib. 1. *Oculis color alter infunditur.* Cyprian. de discip. & hab. Virg. *Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit.* Ibidem: *Oculos circumducto nigrore fucare.* Hieron. ad Furiam: *Orbes stibio fuliginatos.* Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 2. οὐδὲ τὸν ὀφθαλμοὺς ὑπογράφεσθαι: *Neque oculos depingere.* Similiter Herodianus de Heliogabalo, l. 5. & Athenæus de Sardanapalo, lib. 12. dixerunt, ille ὑπογραφόμενος τὸν ὀφθαλμοὺς, hic ὑπεγράψατο τὸν ὀφθαλμούς. Et Themistius orat. 7. de Philosophia, ait, οὐδὲ ὑπογράφει τὰ ὄμματα. Arnob. lib. 2. *Fuligine oculos obumbrarent.* Tertullian. de habitu muliebri cap. 2. *Illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Ouid. lib. 3. de Arte,

Nec pudor est oculos tenui signasse fauilla,
Nec prope te nato lucide Cydne croco.

Plinius lib. 11. cap. 37. *Tanta est decoris affectatio vt tingantur oculi quoque.* Pollux lib. 5. cap. 16. τὸν ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, ταῖς ὀφρῦς μελαίνει, εἰς γραμμὰς ἡμικυκλίων περιάγει, γεωμετρεῖ περὶ ὀπισκιόν: *Oculos subtus inficit, supercilia denigrat, lineas semicirculares circumducit, frontem exercet in modum Geometriæ.* Basil. in cap. 3. Isaiæ, τὸ δὲ μέλαν, μιμουμένως ταῖς ὀφρῦσι τοῖς ὀφθαλμοῖς περιγράφει: *Niger autem color supercilia pingit, vt in speciem lunæ in cornua inflexa oculos ambiant.* Quem in locum Ducæus noster adducit Pollucem, & citat Tertullianum sic: *Oculos fuligine circumlinunt.* In omnibus autem, quos vidi, est *collinunt.*

1. REPREHENDVNT ARTIFICEM OMNIVM.] Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædag. cap. 2. 47. τῶν ἀνθρώπων τὸν δημιουργὸν ἀτιμάζουσι, ὡς κατ' ἀξίαν μὴ διαφορηκυῖαν τὸ κάλλος: *Hominum artificem reprehendentes fœminæ, tanquam eis pro meritis non fuerit pulcritudinem largitus.* Et eodem lib. cap. 11. ait: καταμέμφουσι δὲ τὸν Κύριον, τὸ ὅσον ἐπ' αὐτῇς, ἐπιμελικῶς κοσμούμεναι, εἰς ἀπάτην ἀληθείας, καὶ πλὴν ὄντως οὖσαν καλὴν βλασφημοῦσι κεφαλήν: *Dominum autem, quantum in ipsis est, dedecore afficiunt, dum meretricìè ornantur in fraudem veritatis, & caput quod verè pulchrum est vt maledictum sic efficiunt.* Attingit idem lib. 2. cap. 12. Cyprian. de disciplin. & hab. Virg. *Manus Deo inferunt, quando id quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur; diaboli quodcunque mutatur.*

Prudent. in Hamartig.

Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit.

48. 1. NAM QVIS CORPVS MONSTRARET MVTARE.] Ita quoque locutus Ambros. lib. 1. de Virgin. *Quanta hæc amentia est, effigiem mutare naturæ, picturam quærere*, &c. Iterum: *Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est. Ita dum aliÿ studet placere, priùs sibi ipsa displicet.* Et Cyprian. de discipl. & hab. Virg. *Mutare adulterinis coloribus crinem.* Iterum: *Et audet quisquam mutare, & conuertere quod Deus fecit.*

2. SERVI NOSTRI, &c.] A seruis etiam & à militibus elicit Tertullianus comparationem lib. aduersus hæreticos cap. 12. hunc in modum: *Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostilibus regibus donatiuum & stipendium captat, nisi planè desertor & transfuga, & rebellis?* Tantum hoc abest, vt potiùs *miles regis sui periculum etiam obiectu corporis sui & contemptu depellat*, ait Hilarius in opere de Concilio Ariminensi.

49. 2. FACIEM FICTAM GESTARE.] Cyrill. Alexandrin. in Amos num. 34. sic ait: γυναῖκας ἐπονομάζει, A αὐ τεθριφῆτι, ἢ χλιδαῖς, καὶ τοῖς εἰς ὡραϊσμὸν κοσμήμασιν ἐνασπαλιῶσαι, καὶ καταπαιτόμβρᾳ, τῇς τῦ σώματος ὥρας: *Fœminas denotat, quæ mollitie & vestium luxu, & fuco illitis nitoribus delicias facientes, & decori corporis conciliando saginantur.*

2. EFFIGIEM MENTIRI.] Ambros. lib. 1. de Virg. *Cur te formosam esse mentiris?* Adeò hoc verum, vt subdat idem, *nihil suum remanere*, in fœmina commutante omnia mendacio quodam. Cyprianus quoque lib. de disciplin. & hab. virg. *mendacium* appellat ornatum illum, quo vult fœmina pulchrior videri. Verba eius: *Genas mendacio ruboris inficere.* Et, *expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est.* Et Hieronym. ad Furiam: *Ruborem genarum, labiorúmque mentitur.* Prudentius in Hamartig.

--- neque enim contenta decore
Ignito, externam mentitur fœmina formam.

Eodem pertinet dici à Cypriano de discip. & hab. virg. natiuum colorem & naturalem *veritatem*.

2. QVIBVS LINGVA NON LICET.] Clemens Papa lib. 3. Recognit. apud quem Petrus Apostol. *Me enim mentiri fas non est, neque vt infidelis hic* (Simon Magus) *saluetur, aut non saluetur, ego fallere debeo.*

CAP. VI. ARGVMENTVM.

De capillorum colore immutato.

TERTVLLIANVS.

50. 1. VIDEO quasdam & capillum croco vertere. Pudet eas etiam nationis suæ, quòd non Germanæ, aut Gallæ sunt procreatæ, ita patriam capillo transferunt. Malè ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite, & decorum putant, quod inquinat. Atqui & detrimentum crinibus medicaminum vis inurit, & cerebro perniciem etiam cuiuslibet sinceri humoris assiduitas reseruat, tum Solis animando simul & siccando capillo exoptabilis ardor. Quis decor cum iniuria? quæ cum immunditiis pulchritudo? Crocum capiti suo mulier Christiana ingerit vt in aram. Quodcunque enim immundo spiritui excremari solet, id nisi probis & necessariis & salubribus vsibus adhibeatur, ad quod creatura Dei est prospecta, sacrificium videri potest. Sed enim Dominus ait, quis vestrûm potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Hæ quæ reuincunt Deum, Ecce, inquiunt, pro albo vel atro flauum facimus gratiæ faciliorem. Quamuis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad senectam vsque vixisse.

EXPLICATIO.

51. 1. TRansferunt, mutant. *Auspicantur*, augurantur, diuinant, prædicunt. *Flammeo capite*, croceus color, & *flammeus* dicitur. *Detrimentum crinibus*, Cyprius puluis *detrimentum* affert *crinibus*. *Reseruat, assiduitas* medicaminum *reseruat cerebro perniciem cuiuslibet sinceri humoris*, id est, *assiduitas*, corrumpit tandem sincerum humorem cerebri. Vel, *assiduitas*, etiam humoris innoxij & sinceri perniciem cerebro *reseruat*, id est, recondit, agglutinat, thesaurizat. Sed quare *reseruat*? Dictum puto *reseruare*, quasi congerere in thesaurum ægritudinis. *Tum Solis animando simul & siccando capillo exoptabilis ardor.* Tum *Solis ardor* reseruat ægritudinem capillo animans illum, augens, & producens; & exsiccans pariter, & *exoptabilis*, quasi vehementer exoptetur ab his fœminis ad capillorum transmutationem; itaque *exoptabilis*, & proficuus ad exsiccandum, & irrufandum animandúmque capillum, tamen assiduus cùm sit in fœminis pariter *perniciem* affert *cerebro*. *Vt in aram*, in sacrificium idolis. *Pro albo vel atro.* Distingue, nescio enim quid Rhenano & Pamelio irrepserit, vt *vel atro*, vnam facerent dictionem. *Hæ quæ reuincunt Deum*, quæ *Deum* videntur *reuincere* de falsitate. *Gratiæ* ad gratiam.

52. 2. Prô temeritatem! Erubescit ætas exoptata votis, furtum confitetur, adolescentia in qua delinquimus, suspiratur, occasio prauitatis interpolatur. Absit à sapientiæ filiabus stultitia tanta. Senectus cùm plus occultari studuerit, plus detegetur. Hæc est æternitas nostra, de capitis iuuentute. Hanc incorruptibilé habemus semper indue-

re ad domum Domini, quam ἀκακίαν pollicetur. Benè properatis ad Dominum, benè festinatis excedere de isto iniquissimo sæculo, quibus in finem appropinquare deforme est.

53. 2. *Prô*, heu temeritatem. *Erubescit ætas*, &c. Ipsa senectus, adeò *exoptata*, confunditur cùm videat se esse despicatui & odio: & id non dissimulat *confitendo furtum* & fucum: *suspiratur adolescentia* vbi peccatur: *occasio* luxuriæ resarcitur & renouatur. *Hæc est*, &c. Dixi quid faciant stultæ, prudentes verò non sic, sed *hæc est æternitas nostra*, id est fidelium, curare *de iuuentute capitis*. Hanc *iuuentutem capitis* appellat quam induimus in baptismo, & dicit *capitis*, quod Logici vocant indiuiduum & personam: dicit, inquam, *capitis* respectu illarum quæ caput adulterant coloribus & pigmentis. Hanc igitur iuuentutem non debemus exuere, sed *incorruptibilem* conseruare *semper ad domum Domini*, id est, ad cœlum, *quam domum* ἀκακία, id est, innocentia, *pollicetur*. Si vis vt *quam* referatur ad iuuentutem *incorruptibilem* (nam hoc est intentum Auctoris) congruè referas, nam simplicitas in ornatu pollicetur hanc incorruptionem iuuentutis & nouitatis. *Benè* igitur sapientes *properatis*, *quibus in finem*, hoc est, *in domum Domini* facit *appropinquare* deformitas & incuria, & contemptus formæ. Hæc sententia est, nec existimo in ea aliquid esse de Christo. Vide Notam.

NOTÆ.

54. 1. CAPILLVM CROCO VERTERE.] Cura erat olim flauorum crinium. Petron. Satyr. *Sed huic tristitiæ eadem illi succurrit ancilla, seuocatúmque me non minùs decoro exornauit capillamento: imò commendatior vultus enituit, quia flauicomum Corymbion erat.* Valer. Max. lib. 2. cap. 1. de Romanis matronis, *& summa diligentia capillos cinere rutilabant.* Martial. lib. 14. Epigr. 26.

Causlica Teutonicos accendit spuma capillos.

id est rufat, rutilat, Tibull. lib. 1.

Tum studium formæ est, coma tum mutatur, vt annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis.

Lamprid. in Commodo Antonino. *Fuit forma quidem corporis iusta, vultu insubido, vt ebriosi solent & sermone incõdito, capillo semper fucato, & auri ramentis illuminato.* Capitolinus in Vero: *Dicitur sanè tantam habuisse curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta respergeret, quo magis coma illuminata flauescereret.* Trebell. in Galienis: *Crinibus suis auri scobem asperserit.* Quintil. lib. 2. cap. 5. *Atque etiam qui specie capiuntur, vulsis leuatisque & iniustas comas acu comantibus, & non suo colore nitidis plus esse formæ putant quàm possit tribuere incorrupta natura.* Hieronym. ad Lætam: *Ne capillum irrufes.* Menander apud Clement. Alexan. ταὶς τείχας ξανθὰς ποιοῦ: *Capillos flauos reddens.*

55. 1. PVDET EAS ETIAM NATIONIS SVÆ, QVOD NON GERMANÆ AVT GALLÆ SVNT PROCREATÆ.] Hieronymus de Germano quodam in vita Hilarionis, *rutilus coma, & candore corporis indicans prouinciam.* Herodianus de Antonino: κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπιπάττετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν Γερμανῶν ἠσκημένας: *Comas etiam flauas capiti circumposuit, & ad tonsuram Germanicam factas.* Ouid. ad puellam,

Iam tibi captiuos mittet Germania crines.

Adducit Rhenanus illud Ausonij celebrantis Bissulam natam in Martiana Sylua ad Danubij fontem:

Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret
Vt facies, oculos cærula, flaua comas.

56. 1. MALE AC PESSIME SIBI AVSPICANTVR FLAMMEO CAPITE.] Croceum colorẽ appellat *flammeũ* cum allusione ad ignes inferni. Cyprianus, quem adducit Rhenanus, dixit: *Audaci conatu & sacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præsagio futurorum, capillos iam tibi flammeos auspicaris.* Et Hieronym. in Epist. ad Lætam: *Cane ne* (Paulæ tuæ filiæ) *capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* Quin existimo eundem Hieronymum in epist. ad Iulian. huc allusisse, etiamsi tacitè: loquẽs enim de diuite & Lazaro ait: *Diuitẽ purpuratũ gehennæ flamma susc epit.* Quasi à purpura transierit ad flammam concolorem, & illa fuerit auspicium flammæ. Non dissimile argumentum Senecæ epist. 122. vbi ait, qui nocturnis comessationibus viuunt ad faces, auspicari sibi aliquid de funere, in cuius ministerio faces. Si non hæc Senecæ verba omnia, certè sententia.

1. RESERVAT.] Iunius legit *referat*, pro eo quod est viam ad perniciem exitiúmque illius affert. Existimo legendum *reseruat*, pro thesaurisat, & lentè admodum exitium affert.

57. 1. EXOPTABILIS.] Ita his nominibus solent vti Patres. Hilar. can. 17. in Matth. *Generatio incredibilis & peruersa*, pro incredula. Sed & Taubmannus, alij etiam, illud Plauti in Epidico, *immutabilis ornatus*, dicunt valere, *mutatus ornatus*. In qua voce notandum quoque præpositionem *in* habere vim incrementi. Et *impetrabilis* in Mostell. Plauti est, πειστικὸς, qui facilè quod vult, impetrat. Sic *suasibilis vox*, Gunthero est, ἐκρητικὴς, persuadere efficax. Vtique quod Symmachus dixit lib. 3. ep. 6. *Delenifica & suada facundia.* Vide Taubmannum in Mostellaria.

1. QVIS DECOR CVM INIVRIA?] Hieronym. in Eluidium: *Illa hoc agit vt turpior appareat, & natura bonum infuscet iniuria. Hæc ad speculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior esse, quàm nata est.*

1. PRO ALBO, VEL ATRO.] Clemens Alexan. 3. Pædag. cap. 11. οὐκοῦν οὐδὲ βαπτέον τὰς τείχας, οὐδὲ μὴν τὰς πολιὰς μεταχρωστέον: *Non ergo pili sunt tingendi, nec cani colorandi.*

58. 2. INTERPOLATVR.] Ennodius lib. 1. epist. 6. *Tu per duratum proauorum auorúmque Scipionũ tramitem iam grandiorum penè præced ntium connexus lateribus ambulasti, ita vt sub coniunctione nunquam interpolatæ felicitatis morderes.*

2. CAPITIS.] Sumit pro indiuiduo, ad eum modum quo tributum dicimur in capita exigere, tot capita recensa sunt, quot capita tot sententiæ, & millena.

2. QVAM ἀκακία POLLICETVR.] Monet Rhenanus allusum ad locum Psalmi 83. *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Pamelius autem ad locum illum Psalmi 23. *Quis ascendet ad montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? innocens*, &c. Est verò ἀκακία, pro, puritate à vitiis & simplicitate, vtique id est quod innocentia, vt etiam Areopagita ait. Et princeps eloquentiæ Græcæ Demosthenes, Orat. in Euergum. εἴπερ ἀγνοήσας τυγχάνοις ἀκάκως ἠγήσατο καὶ ἀπροφύλακτος εἶναι.

59. 2. QVIBVS IN FINEM APPROPINQVARE DEFORME EST.] Pamelius legit *in fine*, Latinius, *in finem*. Adiicit Iunius, *esse consenescere*. Non puto. Sed, *deforme est appropinquare in finem*, est, deformitas, quam vocat *deforme, est appropinquare in finem*, id est, facit appropinquare ad domum Domini. Mihi videtur (vt non notem alios) legendum cum ironia, vt dicat benè properatis, benè festinatis, quæ non vultis *in finem appropinquare*, & tunc, *deforme est*, significat, quod displicet, pœnitet, pudet, erubescit: quibus verbis suprà vsus est. Quid verò si totum ironicè sumatur ab eo loci. *Hæc est æternitas nostra*, &c. vsque ad finem capitis totius? Profectò mihi aut mens imbecilla est, aut totum hoc ironicè legendum. Hæc tamen aliter explicui, Lectori, quid velit, eligendum relinquens.

2. INIQVISSIMO SÆCVLO.] Sæculum in malam partem. Sanct. Maximus Episcop. Taurinensis Homil. 2. Cypriani Martyris: *Quis non huiusmodi virum quantis valet præconiis prosequatur, cuius eloquentia diuinitus & Ecclesias docuit, & sæculum confutauit?* 60.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

De capillamentis adscititijs.

TERTVLLIANVS.

61. 1. QVID enim tanta ornandi capitis onerositas salutem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet, modò substrictis, modò relaxatis, modò suscitatis, modò elisis? Aliæ gestiunt in cincinnis coërcere, aliæ vt vagi & volucres eleuantur non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in ceruicem retrò suggestum. Mirum quòd contra Domini
Matth.6. præcepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adiicere posse pronuntiatum est. Vos planè adiicitis ad pondus collyridas quasdam scutorum vmbilicos ceruicibus astruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti: ne exuuias alieni capitis forsitan immundi, forsan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti suppares. Imò hanc ornatus seruitutem à libero capite propellite. Frustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis. Deus vos velari iubet. Credo ne quarumdam capita videantur.

EXPLICATIO.

62. 1. QVid, ad quid. *Onerositas*: vocat *onerositatem* multiplex studium ornandi capitis, quo oneratæ videntur fœminæ. *Substrictis*, vt capilli dicuntur *modò substricti, modò relaxati* oppositiuè; eadem oppositione dicuntur *modò suscitati, modò elisi. Substricti* dicuntur coartati & compressi capilli, quibus oppones *relaxatos*, id est, solutos & remissos. Deinde *suscitatis* & excitatis capillis oppones *elisos* & depressos & in orbem fractos. *Cincinnis*, tortis crinibus, ait Pamelius; quibus oppones *vagos* & *volucres*, aut volantes capillos. *Bona simplicitate*, videtur hoc fieri simpliciter, & tamen non fit. Quæ enim simplicitas est, volanti crine implicare homines? *Affigitis præterea*, &c. Aliæ affigunt sibi adulterinam comam, quam vocat *enormitates*, id est excedentes normam & mensuram, videlicet *sutiles* & consutas capillaturas, aliæ verò *textiles* & contextas. *Nunc in galeri modum*, quo tota ambitio capitis operculo quodam contegatur; nunc *suggestum retro*, quasi apparatum & ornamentum. Et sic *mensuram* & staturam vestram vultis augere. *Vos planè*, &c. Vos planè adiicitis *collyridas* quasdam: est enim *collyrida* placenta aut placentula panis, & hîc sumitur pro ornatu capitis, qui astruebatur in modum illius placentæ. Erat autem hæc placenta seu collyris rotunda, idem omnino quod vmbilicus in scutis. Ergò ait, astruitis *ceruicibus collyridas quasdam*, hoc est *scutorum vmbilicos*. Vide tamen Notam. *Si non pudet*, &c. Quis dubitat contingere posse, vt istud capillamentum adscititium alicuius sit fœminæ cõdemnatæ, & in inferno ardentis. Igitur *pudeat inquinamenti, si non enormitatis*. Cur Christiana fœmina *capiti* suo *suppareret*, id est, sufficiat substituatque capillaturam illius capitis. *Structores*, magistros, concinnatores. *Deus vos*, &c. Quamobrem *iubet Deus* fœminas *velari*? Ego credo hanc esse causam, *ne quarumdam capita videantur*.

63. 2. Atque vtinam miserrimus ego, in illo die Christianæ exultationis, vel inter calcanea vestra caput eleuem, videre, an cum cerussa & purpurisso, & croco, & in illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictam Angeli in nubila subleuent obuiam
2.Thess.4. Christo. Si nunc bona & Dei sunt, tunc quoque occurrent resurgentibus corporibus, & sua loca agnoscent. Sed non potest resurgere nisi caro, ac spiritus solus ac purus. Damnata sunt igitur quæ in carne & spiritu non resurgunt, quia Dei non sunt. Damnatis hodiè abstinete. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit.

64. 2. *Exultationis*, resurrectionis. *Vel inter calcanea vestra*, vel abiectissimus. *Videre*, vt videam, vel ad videndum. *Cerussa*, album colorem inducit. *Purpurisso*, rubeum colorem adfert. *Croco*, diluit crocus colorem purpurissi. *Ambitio*, propter appositicias comas. *Si nunc*. Si nunc colores isti bona Dei sunt, &c.

NOTÆ

NOTÆ.

65. 1. SVBSTRICTIS.] Ambrosius dixit hoc in Exhortatione ad Virg. *Vt nodos crinium Euangelica solueret disciplina*: nam Tertullianus nodosos crines intellexit.

1. ELISIS.] *Elisi* crines esse videntur, qui depressi sunt, neque *suscitati*, qui fortasse intorti Ambrosio lib. 1. de Virg. vbi ait: *Non intorto crine caput comta, sed Christo: non flosculis redimita, sed moribus.* Crines enim vt formam accipiant, eliduntur, torquentur, vexantur, franguntur, & in orbem deprimuntur. Hi ergò opponuntur *suscitatis*: nam *suscitatus* est, in quo non fracta forma; *elisus* in quo fracta. Cyprianus quoque de discipl. & hab. Virg. dixit: *Non intortis crinibus, neque auro, neque margaritis.* Quæ verba accepit à Paulo 1. ad Timoth. c. 2. vbi ἐμπλέγμασιν, ἢ χρυσῷ, ἢ μαργαρίταις. Est autem πλέγμα propriè *crinis intortus*, ad quam tortionem necessaria elisio & fractio formæ, ac depressio.

66. 1. CINCINNIS.] Explicantur per *intortos crines*. Additur autem formæ *elisorum* cincinnus, vt sit in orbiculum rectè formatus, cùm *elisi* sint variè torti & dispositi. Inde cincinnus *annulus* dictus Martial. lib. 2.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus.

Hi calamistro flectuntur. Varro lib. 4. de lingua Lat. Hieronym. ad Eustochium: *Crines calamistri vestigio rotantur.*

1. VAGI.] Apuleius lib. 10. *Crines sensim intendi, per colla passim dispersi.* Petron. Satyr. *Crines ingenio suo flexi per totos sese humeros effuderant.* Gregor. Nazianzen. carm. 63.

Ἠὲ κόμης ἀδίτοιο κατωμαδὸν ἔνθα καὶ ἔνθα
Σκιρτώσης ἀπαλῶν Μαινάδος ἢ ἀέμων.

Quæ sic vertit Fed. Morellus,

Siue comæ huc illuc agitatæ, & pone vagantes,
Perque leues auras Mænadis instar eant.

67. 1. AFFIGITIS PRÆTEREA, &c.] Firmicus Astronom. lib. 8. cap. 7. *Appositis alienis crinibus fictam pulchritudinem mentiantur.* Petron. Satyr. *Ancilla Tryphænæ Gytona in partem nauis inferiorem ducit, corymbióque dominæ pueri adornat caput: imò supercilia etiam profert è pyxide, scitéque iactura lineamenta sequuta, totam illi formam suam reddidit.* Eadem est enim ratio de superciliis. Artemidorus lib. 1. ἀλλοτρίαις τρίξιν αἱ γυναῖκες χρῶνται. *Vtuntur fœminæ aliena capillatura.* Apuleius lib. 11. *Adtextis capite crinibus.* Quem in locum Beroaldus asserit *caliendrum* & *galericulum* vocari eam adiectionem capillorum. Nyssen. orat. 1. de oratione προσκόμιον dixit *appositam comam.* Hieronym. ad Demetriadem. *Quando eras in sæculo, ea quæ erant sæculi, diligebas, polire faciem purpurisso, & cerussa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere.* Inde est vt ædificium sumatur pro coma aliena, à Iuuenal. Sat. 6.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput, Andromachen à fronte videbis,
Pòst minor est.

Et etiam *turritus crinis* pro ascititia coma. Prudentius in Psychomachia in habitu superbiæ:

Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, exstructos augeret vt addita cirros
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret.

Manil. lib. 5.

Illis cura sui vultus, frontisque decoræ
Semper erit, tortosque in plexum ponere crines,
Aut nodis reuocare, & rursus vertice docto
Fingere, & appositis caput emutare capillis.

Gregor. Nazianzen. carm. 63. ἐδὴ λοφον, &c. Latinè sic redde cum Morello:

Fœmina nec cristam galeæ instar vertice gestet,
Nempe viris latè vt splendeat hæc specula.

Lucan. in Pharsal. quem ad id ipsum adducit Scaliger in Varronem:

Turritáque gerens frontem matrona corona.

Clemens Alexan. l. 3. Pædag. c. 11. ἀλλοτρίων δὲ αἱ περιθέσεις τριχῶν, τέλεον ἐκβλητοι, ὀθνείας τὲ ὀπισκευάζεσθαι τῇ κεφαλῇ ταῖς κόμαις, ἀθεώτατον, νεκρεῖς ἐπὶ δυσκόσμοις πλοκάμοις τὸ κρανίον: *Alienorum autem capillorum appositiones sunt omnino reiiciendæ, & externas comas capiti adhibere est maximè impium, quæ mortuis pilis cranium induunt.* Demum aduerte id quod notat Scaliger in Festum: *Seni crines dicuntur in capite matronæ Romanæ sex sertæ crinium, vitta & crinibus ipsis implexæ, quas vulgus treccias vocat. Sic apud Martialem,*

Portabat vxor rufa crinibus septem,
nihil aliud significat, quàm capillos in septem sertas distinctos, vt videmus matronas ornatas in veteribus numismatis. Puto autem supposititiam comam hîc intelligi.

68. 1. ENORMITATES.] Quæ sint istæ *enormitates*, clarum ex superiore Nota, turres & alia huiusmodi, quæ fingebantur. Hieronymus ad Marcellam, *Quæ capillis alienis verticem struunt.* Iuuenal. Satyr. 6.

Tot premit ordinibus, &c. quem iam adduxi. Manil. lib. 5. Astronom. id præclarè expressit, illis versibus quos adduxi,

Illis cura sui vultus, &c.

Plautus in milite glorioso,

Vtique eam ornatam adducas matronarum modo
Capite comto, crines vittásque habeat.

1. SVTILIVM.] Perperam in nonnullis scribitur *subtilium.* Perperam, inquam, cùm ludat à sutilibus, & textilibus.

69. 1. CAPILLAMENTORVM.] Non possum non laudare viri huius proprietatem, qui cùm appositiam comam recenseat, hac voce *capillamento*, vtitur. Habes enim hîc exemplum, quo possis ditare Turnebi doctrinam, cap. 17. lib. 1. qui ait, Tranquillum in Caligula cap. 11. cùm scribit, *Et genas & adulteria capillamento calatus, & veste longa noctibus ambiret*, intelligere comam appositam, vt gestarent fœminæ. Sic apud Plinium lib. 18. c. 24. *Capillata* arbor est, ad quam capillus Vestalium ferebatur. Vtique τρίχωμα. & lib. 4. cap. 19. cùm explicat illud Petronij in fragmentis, *Corymbióque dominæ pueri adornat caput.* explicat *corymbium* esse appositiam comam, & differre à capillamento, quòd corymbium fœminarum sit, capillamentum virorum. In quo tamen non rectè iudicat: nam vides in Tertulliano dari capillamentum fœminis.

1. NVNC IN GALERI MODVM, &c.] Quis sit iste habitus, clarum ex præcedentibus, & ipse in sequentibus satis explicat.

1. NVNC IN CERVICEM RETRO SVGGESTVM.] Suetonius in Nerone cap. 51. *Circa cultum habitúmque adeò pudendus, vt comam semper in gradus formatam peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit.*

70. 1. COLLYRIDAS QVASDAM, SCVTORVM VMBILICOS.] Explicui quæ sint hæ collyridæ. Lectio porrò Iunij peruersa est, scribentis, *Collyridas quasdam, vel scutorum vmbilicos*, & discriminantis has duas res. Non sic est, sed *vmbilici scutorum* sunt explicatio collyridarum, nam vtrumque rotundum est,

& collyrida & vmbilicus in ſcutis. Et hæc eſt mens Pamelij. Non grauabor autem & lectionem Ioſ. Scaligeri adducere, & quæ notat in hunc locum. Legit ille: *Vos planè adiicitis ad pondus collyridas quaſdam, ſputorum vmbilicos cerucicibus adſtruendo.* vbi vides, non *ſcutorum*, ſed *ſputorum*. Notat verò *collyridas* dici à ſucco craſſiore. vnde Iuuenal. Sat. 6. *Offas* vocauit.

--- fouetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & madidæ facies dicetur, an vlcus?

Idem omnino quod infra *panem*, nam collyris fiebat ex pane ſiligineo,

Et preſſum in faciem digitis extendere panem.

De *ſputo* autem ait: *Sputum Tertullianus vocat tenue corium aut cruſtam, quæ ex illo, tectorio inducebatur.* Martial. lib. 8. epig. 33.

Hoc linitur ſputo Iani caryota Kalendis.

Dicit autem *ſputi vmbilicos*, bullas & pompholygas illius cruſtæ. Sic tenuis lamina Polybio dicitur σάλωμα, id eſt, *ſputamentum*. Hæc Scaliger.

1. EXVVIAS ALIENI CAPITIS, &c.] Ouid. 1. Amor. Eleg. 14.

Nunc tibi captiuos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O quàm ſæpè comas aliquo mirante rubebis,
Et dices, empta nunc ego merce probor.

71. 1. SVPPARES.] *Supparandi* verbum frequens Tertulliano ait Rhenanus. Hinc illud in Valentinianis. *Quantum lupæ fœminæ formam quotidie ſupparare ſollemne eſt!* id eſt, ſufficere, ſubſtituereque. & lib. de reſurrectione carnis, *Neque generis ſupparatura.* vbi etiam ſignificationem indicat. Nam *ſupparatur* genus, dum ſobolem ſubſtituimus. Hæc ille. Hinc credo *ſuppara* manare, quæ ſunt non tam vela, quàm velorum ſupplementa, & ſummæ partes quæ ſupra ipſa vela, & antennam expandebantur. Lucan. lib. 5.

--- ſummâque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.

Et Statius lib. 5. Sylu.

--- vos ſummis annectite ſuppara velis.

Quæ nimirum annectebantur & ſufficiebantur. Hinc etiam *ſuppara* dicuntur illa capillamenta, quæ aliena cùm ſint, capiti tamen ſuo inſerit fœmina, quemadmodum ſuppara ſunt ſupra vela & antennam. Vide etiam epiſtolam Senecæ 78. vbi vberior mentio ſuppari.

72. 1. STRVCTORES.] Notat Ræuardus lib. 2. Coniectaneor. cap. 19. hos dictos fuiſſe etiam *magiſtros* à Marciano cap. 65. §. 3. ff. de leg. 3. Adiicit etiam à Columella lib. 1. de re ruſtica, dici *concinnatores*, verba Columellæ, *Capitum & capillorum concinnatores non ſolùm eſſe audiui, ſed & ipſe vidi.*

2. ATQVE VTINAM MISERRIMVS EGO, &c.] Vide Cauſinum in Parallelis lib. vlt. conferentem iſta ad pietatem.

2. CHRISTIANÆ EXVLTATIONIS.] De Spectaculis cap. 30. *Quale autem ſpectaculum in proximo eſt aduentus Domini, iam indubitati, iam ſuperbi, iam triumphantis? Quę illa exultatio Angelorum? quę gloria reſurgentium Sanctorum?* &c.

2. CERVSSA.] Theophraſtus conficiendæ ceruſſæ artem hanc tradit, lib. de Lapidibus, πίθητι δὲ μόλυβδος ὀξοῖς ἐν πίθοις· ὅταν δὲ λάβῃ πάχος ἡλίκον πλῆθος (λαμβάνει δὲ μάλιστα ἐν ἡμέραις δέκα) τότ' αὐοίγουσιν, εἶτ' ἀποξύουσιν ὥσπερ ἐυρῶτα πυὰ ἀπ' αὐτῦ· καὶ πάλιν ἕως ἂν καταναλώσωσι. τὸ δὲ ἀποξυόμενον, ἐν τρίπτρει τρίβουσι, καὶ ἕφθουσιν ἀεί. τὸ δὲ ἔσχατον ὑφισταμενον ὄζει τὸ ψιμύθιον: *Ponitur enim plumbum ſuper aceto in fictilibus: & quando craſſamentum acceperit lamina (accipit autem vt plurimùm decem diebus) adaperiunt, & deradunt veluti cariem aliquam ex eo, rurſus idem repetunt, donec abſumatur omnino plumbum. Quod itaque abraſum ſit, terunt in tudicula, & continuè coquunt: quódque ad imum ſubſidet, ceruſſa eſt.* Petron. Satyr. *Perfluebant per frontem ſudantis acaciæ riui, & inter rugas malarum tantum erat cretæ, vt putares detectum parietem nimbo laborare.* Etenim creta pariter ac ceruſſa candorem adfert. 73.

2. PVRPVRISSO.] αἰδείκελον, calliblepharum, cuius meminit Plinius lib. 23. cap. 4. hoc enim palpebras & ſupercilia venuſtat, & in fœminis acuit pulchritudinem. eſt enim *purpuriſſum* ſpuma collecta efferueſcente purpura, auctore Dalecampio, quem adducit Taubmannus in Moſtellaria Plauti. Adduco Apul. 2. *Cùm in puella videret immedicatum os, & purpuriſſatas genas, & illices oculos.* & Tertullianum in hoc libro: *Quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant.* vbi *maculare genas rubore* eſt purpuriſſare. 74.

2. CROCO.] Rubeum inducit colorem. De Americanis fœminis narrat Lerius hunc in modum: *Pauci hunc adhibent cultum. Accerſita ad hoc miniſterium ſocia, vel vicina, circulum penicillo in media gena delineat; in cochleæ verò formam fucum caruleum, flauum, rubrum tantiſper circumducit, dum vniuerſam faciem coloribus illis diſtinxerit ac variarit. Quin etiam palpebrarum ac ſuperciliorum locum (quod fœminas parum pudicas in Gallia factitare audio) penicillo oblinit.*

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

De ſtudio formæ in viris.

TERTVLLIANVS.

75. 1. VIDELICET nunc & vir & ſexu æmulus fœminas à ſuis depello. An & nobis quædam reſpectu obediendæ grauitatis propter metum debitum Domino, detrahunt? Siquidem & viris propter fœminas, & fœminis propter viros vitio naturæ ingenita eſt placendi voluntas. Propriaſque præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acriùs cædere, interuellere, circumdare capillum, diſponere, etiam colorare caniciem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtinguere, cætera pulueris cuiuſdam aſperitudine leuigare, tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxiè inſpicere: cùm

tamen cognito Deo, adempta placendi voluntate per luxuriæ vacationem, omnia illa vt otiosa, vt hostilia pudicitiæ recusantur. Nam vbi Deus, ibi pudicitia, ibi grauitas adiutrix & socia eius. Quo ergò pacto pudicitiam sine instrumento eius, id est sine grauitate tractabimus? Quomodo autem grauitatem administrandæ pudicitiæ adhibebimus, nisi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione seueritas circumferatur?

EXPLICATIO.

76. 1. Ego enim *vir*, vt qui fœminam duxerim; ac perinde *sexu æmulus* & contrarius *fœminas depello* & repello *à suis* fucis & pigmentis. *An & nobis*, &c. Sed quid hoc? Nonne & *nobis* viris *quædam* in hoc fucorum genere *respectu grauitatis*, cui obediri debet à fœminis *propter metum* & religionem debitam *Deo*, quas sub potestate viri esse constituit, obiici reprehensibilia possunt? Possunt quidem, si quidem *viris & fœminis* inuicem innata est *placendi voluntas. Propriasque*, &c. Numerat lenocinia virorum, quia radicitus *barbam* tondent aliqui, iam alij interuellunt, præsertim ad mediam barbam, vt sic secta in duas partes videatur: iam capillum in rotæ similitudinem cædunt, & disponunt: iam albam caniciem colorant nigro: cauent à lanugine, & extrahunt illam, & si quam propter elegantiam formæ relinquunt, fuco *muliebri* distinguunt: cætera corporis nigro puluere adleuigant, qui asper est: tum *speculum* consulunt, & *anxiè* inspiciunt. *Cùm tamen*, &c. *Cùm tamen* post cognitum Deum, *adempta per vacationem*, cessationemque *luxuriæ* ex præcepto Domini *placendi voluntate*, *omnia* hæc *vt otiosa* & inutilia *pudicitiæ* debeant recusari. Itaque *vacatio* nihil est aliud quàm cessatio, & interdictio à luxuria, idque ex præcepto Domini. *Nam vbi Deus*, &c. Clara hæc sunt ad finem vsque.

NOTÆ.

77. 1. Obediendæ.] Latinius vult legi *obeundæ*: multo melius est *obediendæ*, nam fœmina subdita est viro.

1. Siquidem et viris propter foeminas, &c.] Non abludit ab hac gnome illa quæ est in Spectac. cap. 25. *Nemo denique in spectaculo ineundo priùs cogitat nisi videri & videre.*

1. Proprias quæ prestigias formæ, &c.] Verum hoc esse testatur Seneca de Quæstion. natural. lib. 7. *Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero & molli gressu suspendimus gradum: non ambulamus sed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur.* Et Seneca Pater in controuersiis: *Capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. Quis æqualium vestrorum, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, imò quis satis vir est? Emolliti, enerueſque, quod nati sunt, inuiti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ.* Vt autem propriè sensum intelligas, debes innectere hæc verba præcedenti periodo, sic: *Voluntas; propriásque*, &c. cùm tamen Pamelius malè, *voluntas. Propriasque*, &c.

78. 1. Barbam.] Cyprian. de Lapsis: *Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata.* Et infrà: *Cumque scriptum sit: Non corrumpetis effigiem barbæ vestræ, barbam vellit, & faciem comit.* Sidonius epist. 2. lib. 1. *Barba concauis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas aduſque forpicibus euellit.* & lib. 4. epist. 13. *Ad cutem secta* (barba) *forpicibus.*

79. 1. Circumdare capillum.] Sic scriptum est, & rectè, cùm dicat Sidonius l. 4. epist. 13. *Crinis in rotæ specimen accisus*: idē est enim quod Tertullianus dixit, *Circumdare capillum*, ita enim adigebatur, vt circumdaretur in morem rotæ. & Pollux lib. 2. cap. 3. ἔτερον δέ τινες ὀπισθίαν κόμην ἢ κατόπιν ἢ ὑπὲρ τὸ μέτωπον ποταμοῖς ἢ θεοῖς: *Nutriebant verò comam quidam in obliquum vergentem, aut super tergum, aut super frontem, fluminibus aut diis consecratam.* Dixi hoc, nam Iunius peruersissimè legit, *Circumdare, capillum disponere*, putátque illud, circumdare, pertinere ad barbam, quæ densa, longa, atque fluens alebatur: innixus loco Dionis seu Xiphilini, quem ille non adducit, sed citat. Est autem hic locus in Traiano: ἔπειτα ἡ κουρέα, καὶ δι' ἐκείνου τὸ ῥεῦμα ἐξύρατο. τοῦτο γὰρ οὐκ παλαιοῦ παντὸς οἱ ἄλλοι καὶ αὐτοὶ οἱ αὐτοκράτορες ἐποίουν. Ἀδριανὸς γὰρ πρῶτος γνησίαν κατέδειξε: *Quo facto* (Traianus) *tonsorem eius venire iussit, isque mentum Imperatoris rasit. Nam hæc vetus consuetudo ciuium Romanorum ac Principum fuit. Adrianus enim primus barbam nutriuit.* Dicit enim Iunius ad factum Adriani respexisse Tertullianum in verbo *circundare*, cùm neque in Græco, neque in Latino tale sit verbum.

80. 1. Primam quamque subducere totius corporis lanuginem.] Hanc exspoliationem pilorum *euirationem* appellat Plinius lib. 29. cap. 2. Dicebam de hac ad Tertullianum de Pallio. vt etiam de nigro & aspero puluere ad leuigandum, præced. lib. cap. 2. & de speculo ibid. cap. 1.

1. Recusantur.] Legit Iunius *recussantur*, sic pila *recussabilis* dicta Aureliano. Placet, etiamsi inuitè, nam *recusantur* perquam optimum habet sensum.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

De veſtitus pompa.

TERTVLLIANVS.

81. 1. QVAMOBREM erga veſtitum quoque, & reliqua compoſitionis veſtræ impedimenta, proinde vobis curanda eſt amputatio, & decuſſio redundantioris nitoris. Nam quid prodeſt, faciem quidem frugi, & expeditam, & ſimplicitate condignam diuinæ diſciplinæ exhibere, cætera verò corporis lacinioſis pomparum & deliciarum ineptiis occupare? Hæ pompæ quàm de proximo curent luxuriæ negotium, & obſtrepant pudicitiæ diſciplinis, dignoſcere in facili eſt, quòd gratiam decoris cultus ſocietate proſtituant: adeò ſi deſint, irritam, & ingratam reddunt, velut exornatam & naufragam. Contrà ſi forma deficit, adminiculum nitoris quaſi de ſuo gratiam ſupplet. Ætates denique requietas iam, & in portum modeſtiæ ſubductas ſplendor & dignitas cultus auocant, & ſeueritatem appetitionibus inquietant, compenſantibus ſcilicet habitus irritamento pro frigore ætatis.

EXPLICATIO.

82. 1. IMPEDIMENTA. *Impedimentum* hoc loco eſt tota illa ſarcina, quæ fœminas comitatur, vt nitidiores ſint; eo modo quo dicimus, militaria impedimenta. *Expeditam*, faciem expeditam, & liberam à fucis. *De proximo*, proximè in iure ſæpè eſt. *Obſtrepant*, impediant *pudicitiæ diſciplinas*, & veluti perturbent. *Quòd gratiam: decoris gratiam proſtituant ſocietate cultus. Si deſint*, pompæ & luxurioſi faſtus. *Exornatam*, vide Notas. *Contrà ſi forma deficit: ſi deficit forma* & venuſtas in vultu, *adminiculum* & ceruſſa nitoris *ſupplet gratiam de ſuo* fuco. *Subductas*, metaphora eſt à nauibus, cùm in terram ſubducuntur è mari. *Splendor* natalium, *dignitas* officiorum & diuitiarum. *Inquietant*, quia dixerat *requietas iam. & compenſantibus* ſcilicet *appetitionibus* & deſideriis carnis *pro frigore ætatis* ſenilis. *Irritamento* ſeu incentiuo habitus.

83. 2. Ergò benedictæ, primò quidem, vt lenones & proſtitutores, veſtitus & cultus ne in vos admiſeritis; tum ſi quas vel diuitiarum ſuarum, vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit, ita pompaticas progredi; vt ſapientiam conſequutæ, temperare ſaltem ab huiuſmodi curate, ne totis habenis licentiam vſurpetis prætexto neceſſitatis. Quomodo etenim humilitatem, quam Chriſtiani profitentur, implere poterimus, non repaſtinantes diuitiarum veſtrarum, vel elegantiarum vſum quæ ad gloriam faciunt? Gloria autem reconſueuit. Non enim vtemur noſtris, Quis autem prohibet vti? Secundùm Apoſtolum tamen, qui nos vti monet mun-
1. Cor. 7. do iſto, quaſi non abutamur. Præterit enim, inquit, habitus huius mundi. Et qui emunt, inquit, ſic agant quaſi non poſſidentes. Cur ita? Quoniam præmiſerat dicens: Tempus in collecto eſt. Si ergò vxores quoque ſic habendas demonſtrat, tanquam non habeantur, propter anguſtias temporum; quid de vanis his
Matth. 19. inſtrumentis earum? Non enim & ita multi faciunt, & ſe ſpadonatui aſſignant propter regnum Dei, tam fortem, & vtique permiſſam voluptatem ſponte ponentes.

84. 2. *Ergò benedictæ, primò quidem ne in vos admiſeritis veſtitus & cultus, vt lenones & proſtitutores*, qui proſtituunt & lenocinantur vobis. *Retrò*, priùs: *Vt ſapientiam conſecutæ.* vos *benedictæ vt conſequutæ ſapientiam, curate temperare ab huiuſmodi. Prætexto*, in neutro genere vſitatum auctori. *Repaſtinantes*, vide Notas. *Quæ ad gloriam faciunt.* Gloria etenim ad hanc rem pertinet, non dignitas. *Gloria autem reconſueuit. Gloria* autem, inquiunt ipſæ fœminæ, vſitata iam vſu conſuetudinis ius ſibi vendicat. Itaque *reconſueuit* eſt, vſu antiquo inueterata eſt. *Non enim vtemur noſtris?* An non obſecro *vtemur noſtris* conſuetis, & reconſuetis?

Nonne vtemur noſtro fuco, noſtro ornatu? *Quis autem*, &c. Reſponſio Tertulliani. *Abutamur* poſitum pro *vtamur*, dicente Apoſtolo, qui vtuntur hoc mundo, quaſi non vtantur. *Habitus*, figura, σχῆμα. *Tempus in collecto eſt*, breue eſt tempus, in breui eſt tempus. *Spadonatui*, continentiam indicat, qua ſe multi, quaſi ſpadones eſſent, caſtigant.

85. 3. Quidam ipſam Dei creaturam ſibi interdicunt, abſtinentes vino, & animali-
1. Cor. 10. bus exulantes, quorum fructus nulli periculo, aut ſollicitudini adiacent, ſed humilitatem animæ ſuæ in victus quoque caſtigatione Deo immolant: Satis igitur vſæ eſtis diuitiis, atque deliciis, ſatis dotum veſtrarum fructum cecidiſtis. Vnde notitiâ ſalutarium diſciplinarum nos ſumus, in quos decurrerunt fines ſæculorum. Nos deſtinati à Deo ante mundum in æſtimationem temporum, tanquam caſtigando & caſtrando
Philipp. 3. (vt ita dixerim) ſæculo, erudimur à Domino. Nos ſumus circumciſio omnium, & ſpiritalis & carnalis, nam ſpiritu & carne ſæcularia circumcidimus.

86. 3. *Exulantes*, exules facti *ab animalibus*, *abſtinentes* vos ab *animalibus*, & eſu eorum. *Satis dotum veſtrarum fructum cecidiſtis*, percepiſtis fructum vti lignatores. *Vnde notitiâ*, &c. pro notitiâ: eſt in auferendi. *In quos decurrerunt fines ſæculorum*, qui in extremo fine *ſæculorum* ſumus *in æſtimationem*, vt ſciamus æſtimare tempus. *Tanquam caſtigando & caſtrando ſæculo*, veluti qui caſtigemus, & caſtremus ſæculum, tanquam hi qui ſæculum caſtigant & caſtrant.

NOTÆ.

87. 1. IMPEDIMENTA.] Tertullianus de habitu A muliebri: *Omnia iſta damnata, & mortuæ mulieris impedimenta ſunt.* Seneca epiſt. 87. *Hîc itaque conticeſcam quantum ad iſta: quæ ſine dubio talia diuinauit futura, qualia nunc ſunt, qui primus appellauit impedimenta.*

1. DECVSSIO REDVNDANTIORIS NITORIS.] Ad elegantiam exprimendam vox *nitor* apprima eſt, teſte Caſperio in Statium, Horat. *Ex nitido fit ruſticus.* Statius in Protreptico Criſpini:

--- & frons tranquilla, nitorque
Luxuriæ confine tenens.

Inde idem Statius in Syluis Meliorem vocat *nitidum*, cùm ait,

Stat quæ perſpicuas nitidi Melioris opacet
Arbor aquas.

Et à Martiale,

--- nitido ſis Meliore licet. B

Vel hoc dicit propter amatores fœminarum. Sollemne enim Latinis huiuſmodi amatores *nitidos* dici. Plaut. Caſina: *Qui poſtquam amo Caſinam, magis niteo.* & Iuuenal.

--- hilares nitidique vocantur,

Quod monuit Taubmannus. Sed vnde decuſſio? an à vento imminente qui floſculos omnes in terram proſternit? Crediderim, dicente Tullio 2. Offic. *Ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt.* Qui tropus inuenitur in epiſt. Iacobi cap. 1. vbi, ἡ τὸ εὐπρεπὲς ἀυτῆς ἔκπτωσις: *Et flos eius decidit.* Ab hoc itaque Tertullianum ſumpſiſſe metaphoram exiſtimo.

88. 1. LACINIOSIS.] Cùm aliqui Codices habeant *laſciuioſis*, hanc vocem elegit Iunius, Pamelius verò, *lacinioſis*, cui hæſimus. Sequitur *ineptiis*, vbi aliqui legunt *ingeniis*. Ad ſententiam pertinet illud Fulgentij epiſt. 2. cap. 12. *Habitus tuus talis ſit, qui non ad laſciuiam excitet, ſed ad continentiam prouocet;* C *qui non illiciat ad libidinem, ſed comprimat ad timorem; qui non accendat carnis concupiſcentiam, ſed extinguat; qui non illiciat ad concubitum, ſed excitet ad profectum: ex quo cordis compunctio, non carnis libido naſcatur*, &c.

1. OBSTREPANT PVDICITIÆ DISCIPLINIS.] Vox Tertulliani, idem omnino quod Hincmarus in epiſtola: *Nullo reſultante, atque obdicente.*

1. EXORNATAM.] Hanc vocem, inquit Rhenanus, vſurpat pro ſpoliatam, & deſtitutam. Similiter Terent. vſurpauit, cùm dixit in Phormione, *Adeò exornatum dabo, adeò depexum, vt dum viuat, meminerit ſemper mei.*

1. SVBDVCTAS.] Eſt hoc naues trahere in terram è mari, deducere autem, è terra in mare mittere. Ita Græci opponunt αἴρειν νῆας, & καθέλκειν, vt & ἀνάγειν, & κατάγειν.

1. FRIGORE ÆTATIS.] Iunius, *Rigore ætatis*, non placet.

2. LENONES ET PROSTITVTORES VESTITVS ET CVLTVS.] Hanc lenoniam, & proſtitutionem cultus in primis video deſcriptam in vita Sanctæ Pelagiæ meretricis, auctore Iacobo Diacono; vbi ſic ait: *Proceſſit cum ſumma phantaſia, adornata ita, vt nihil videretur ſuper ea, niſi aurum, & margaritæ & lapides pretioſi; nuditas verò pedum eius ex auro & margaritis erat cooperta: cum qua maxima erat pompa puerorum & puellarum in veſtibus pretioſis amicta: & torques aurea ſuper collum eius. Quidam præcedebant, alij verò ſequebantur eam: pulchritudinis autem decoris eius nõ erat ſatietas omnibus ſæcularibus hominibus. Quæ tamen tranſiens per nos, totum impleuit aërem ex odore muſci, vel cæterorum odoramentorum fragrantia.* Iunius legit cum inciſo ſic: *Vt lenones, & proſtitutores, veſtitus & cultus nẽ in vos admiſeritis.* Id eſt, ne aſſumatis iſtos ornatus, quos lenones & proſtitutores ſolent ſuis meretricibus ad pelliciendos amatores induere: Imò qui vos (dixiſſet meliùs) proſtituunt. 89.

2. PRÆTEXTO NECESSITATIS.] Eſt hoc quod Nyſſenus Orat. de mortuis, ὁδοὺς παθημάτων τοῖς ἀναγκαίοις χρείαις ποιεῖν: *Aditum vitiis aperire prætexto vſus neceſſitatis.* Et poſtea ait, eodem neceſſitatis prætexto ingreſſam in hominũ vitam auaritiam, mollitiẽ, otium, ſuperbiam, oſtentationem, luxuriam multiplicem, quibuſdam πλατείαις ταῖς πύλαις, *latis portis.*

2. REPASTINANTES.] Inquit Rhenanus eſſe, 90. euellentes, repurgantes, eruentes, metaphora ab eo ſumpta, qui ſolum futuro nouali præparat, inutilibus omnibus reſectis. Feſtus verba hæc Catonis adducit: *Ego iam à principio in parſimonia, atque in duritia, atque induſtria omnem adoleſcentiam meam abſtinui, agro colendo, ſaxis Sabinis, ſilicibus repaſtinãdis, atque conſerendis.* Tertullian. in lib. de Pœnit. *Et biſulcum aliquid ferri vel æris vnguibus repaſtinandis.* Et 2. lib. in Marcionem cap. 18. *Interim commiſſio iniuriæ metu vicis ſtatim occurſuræ repaſtinaretur.*

2. QVASI NON ABVTAMVR.] Expreſſit illud, inquit Pamel. ὡς μὴ καταχράμενοι. vt enim χράομαι eſt *vtor*, ita καταχράομαι *abutor*. Tertullian. de coron. c. 10. *Nobis autem abuti apud Apoſtolum non licet, facilius non vti docentem.*

2. COLLECTO.] Hieronymus ad Euſtochium reddit, *Breuiatum eſt*; alij *breue eſt*. Vidi, ſed Auctor excidit qui reddat, *Tempus in arcto eſt*. Poſſis & *tempus in anguſto eſt*, vt vides ſtatim, ait enim, *Anguſtias temporum*. Græcè ὁ καιρὸς συνεσταλμένος.

2. SPADONATVI.] Expendatur Ambroſ. lib. 3. de Virg. qui voluntarium ſpadonatum vocat *præclaram militiam*. Auctor in Apologet. cap. 9. *Quidam multò ſecuriores totam vim huius erroris virgine continentia depellunt ſenes pueri*. Et lib. 1. ad Vxor. *Qui ſtatim à lauacro carnem ſuam obſignant*. Quin vſus eſt (illud obiter expendatur) Spadonatu, non caſtratione. *Spadones* enim ſunt qui ſic nati, tamen cum cole; caſtrati, qui ſe euirarunt, & colem amiſerunt, & nullum in eis eſt viri argumentum. Vnde & Iuſtinianus hoc iuris concedit ſpadonibus, vt adoptent; non caſtratis, qui impudici habentur. Hinc eſt vt Tertullianus voluntarium Spadonatum nominet, non caſtratum: intelligens fortem, & virilem; non ſegnem, & effœminatum. Egregia eſt laus Spadonum apud Xenophontem lib. 7. Cyropæd. Theodoretus in hiſtoria Sanctorum Patrum, in Aphraate ſic meminit: *Vnus ex his, qui nec viri cenſentur nec fœminæ, ſed poſſe vnquam patres fieri eſt eis ademptum, & hac de cauſſa cenſentur bene velle imperatori*. vbi ſignatè loquitur de ſpadonibus, & illos ait, eſſe charos imperatoribus.

92. 2. FORTEM VOLVPTATEM.] Auguſtin. ſermon. de caſtitate coniugali dat libidini *dominatum*. De Galieno Trebellius, *Obſtupefacto voluptatibus corde*. ita voluptas iſta & dominatur, & obſtupefacit. Ab Clemen. Alexand. lib 2. Pædag. cap. 2. iſtæ cupiditates dicuntur ὀξεῖαι ἄγχιαι, φλεγμαίνουσαι: *Immanes agreſtes, ardentes*.

3. ABSTINENTES VINO, ET ANIMALIBVS EXVLANTES.] Sanct. Anaſtaſius quæſt. 64. eius libri quem ὁδηγὸν inſcripſit: *Duo itaque ſunt ſcopi ieiunij, & omnis duræ tractationis corporalis, quæ à Græcis σκληραγωγία dicitur: vnus, vt non fruentes voluptatibus, fruamur futuris: alter, vt humiliato corpore, ſimul anima humilietur; humiliata autem Deum orat, & veniam impetrat*.

3. ANIMALIBVS EXVLANTES.] Inuenerat Pamelius *exſolentes*, quod Iunio quoque placuit, 93.
quod valet, abſolentes, & ſolitum, conſuetúmque vſum abdicantes. Melius eſt autem *exſulantes*, quo vtitur, notante Rhenano, de Pœnit. *Exules à libertatis & lætitiæ felicitate*. & de Reſurrectione carnis, *Exſules carnis*.

3. SATIS DOTVM VESTRARVM FRVCTVM CECIDISTIS.] Sumitur metaphora à lignatoribus, qui cedendo & amputando fructum percipiunt. Latinius excogitauit quiddam argutulum, nimirum: *Satis dotum veſtrarum fructu. An excidiſtis de notitia ſalutarium diſciplinarum*? Sed quidem hoc genus argutiæ minimè admittendum eſt. Nota *cecidiſtis*, ſcribendum abſque diphthongo. Martial. lib. 6. Epigr. 21.

Sæpè ego laſciuum Martem furibunda cecidi.

Pamelius ſanè & Iunius diphthongum notant. An verò hæc *dos* eſt, ea quæ habetur in lib. de Pœnitent.

3. CASTIGANDO.] Ac ſi verè caſtigaretur, 94.
quemadmodum dixit Ouid. 1. Amor. eleg. 5.

Quàm caſtigato planus ſub pectore venter?

Innuit enim pectus ita caſtigatum, vt nullus in eo tumor appareat.

3. SÆCVLO.] Hinc ſequitur *ſæculum* ſumi in hoc Authore pro eo quod ad carnis deſideria pertinet. Vnde libro ad Martyras, ſæculum à mundo diſtinguit.

CAP. X. ARGVMENTVM.

Quòd veſtium colores non à Deo, ſed à deſertoribus Angelis monſtrati ſint.

TERTVLLIANVS.

95. 1. NIMIRVM enim Deus demonſtrauit ſuccis herbarum, & concharum alueis incoquere lanas. Exciderat illi cùm vniuerſa naſci iuberet, purpureas & coccineas oues mandare. Deus & ipſarum veſtium officinas commentus, quo leues & exiles, ſolo precio graues eſſent: Deus & auri tanta opera produxit contemplandis & diſtinguendis lapillis: ſcrupuloſa Deus auribus vulnera intulit; & tanti habuit vexationem operis ſui & cruciatus infantiæ tunc primùm dolentis, vt ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus, grana neſcio quæ penderent, quæ planè Parthi per omnia quæque ſua bullarum vice inſerunt. Quanquam & aurum ipſum, cuius vos gloria occupat, cuidam genti ad vincla ſeruire referunt Gentilium litteræ. Adeò non veritate bona ſunt, ſed raritate.

EXPLICATIO.

96. 1. HIC tractus quàm longus eſt, tectam ironiam includit. Neque enim Deus docuit *lanas incoquere ſuccis herbarum, & alueis concharum*. & ſimiliter reliqua. *Commentus*, nihil minùs commentus eſt. *Vulnera*, foramina auricularum. *Bullarum vice*, vt Romani bullas, ita Parthi per omne corpus aurum inſerunt, & inſinuant iactabundi. *Gloria*, hoc maluit, non dignitas, non aliud quoduis.

97. 2. Per Angelos autem peccatores demonſtrata ſunt, qui & ipſas materias prodi-
Geneſ. 6. derunt, & operoſitas cum raritate commiſſa pretioſitate, excitat libidinem poſſidendæ precioſitatis fœminarum. Quod iidem Angeli, qui & materias huiuſmodi ad illecebras detexerunt, aurum dico & argentum illuſtrium, & opera eorum tradiderunt, etiam calliblepharum, vellerúmque tincturas inter cætera docuerunt, damnati à Deo

sunt, vt Enoch refert. Quomodo placebimus Deo, gaudentes rebus illorum, qui iram & animaduersionem procurauerunt? Nunc Deus ista prospexerit, Deus permiserit,
Isa. 3. nullam de conchylio vestem Isaias increpet, nullas lunulas reprobet, nullum botronatum retundat: tamen non vt Gentiles, ita nos quoque nobis adulemur, instituto-rem Deum solummodo existimantes, non etiam despectorem institutorum suorum.

98. 2. *Et operositas*, &c. *Et operositas cum raritate commissa* simul cum *preciositate excitat libidinem possidendæ* illius rei quæ preciosissima est in fœminis. *Excitat* scilicet *libidem* possidendi corporis *fœminarum*. Adde præpositionem *cum* in *preciositate*, & sic clarissima est sententia. *Quod iidem Angeli*, propter quod, vel quare *iidem Angeli à Deo damnati sunt, vt Enoch refert, qui materias huiusmodi ad illecebras detexerunt*, &c. De Calliblepharo, vide Notas. *Iram, & animaduersionem*, aquas diluuij fortè an intelligit. *Nunc Deus ista*, &c. Demus (inquit) Deum ista prospexisse, quod non prospexit, itáne *Deum* existimamus *institutorem solùm* fuisse, & *non institutorum despectorem*? Ita reliqua intelligenda sunt, *Deus permiserit, & nullam de conchylio vestem Isaias increpet, nullas lunulas reprobet*, & demum *nullum botronatum retundat*. De quibus vide Notas.

99. 3. Quanto enim meliùs & cautiùs egerimus, si præsumamus omnia quidem à Deo prouisa tunc, & sæculo posita vti nunc esset in quibus disciplina seruorum eius probaretur; vti per licentiam vtendi, continentiæ experientia procederet? Nonne sapientes patres familiæ de industria quædam seruis suis offerunt atque permittunt, vt experiantur an æqualiter permissis vtantur, si probè, si modestè? Quanto autem laudabilior qui abstinuerit in totum, qui timuerit etiam indulgentiam Domini! Sic igi-
1. Cor. 10. tur & Apostolus: Omnia, inquit, licent, sed non omnia ædificant. Quanto faciliùs illicita timebit, qui licita verebitur?

3. Hæc omnia ita perspicua sunt, vt nihil clarius.

NOTÆ.

100. 1. DEMONSTRAVIT.] Iunius legit *monstrauit*, elegi *demonstrauit*, quia infrà, *Per Angelos autem peccatores demonstrata sunt*.

1. CONCHARVM ALVEIS.] Scita est ars, quam Hercules inuenit, qui amiculæ suæ donum attulit preciosum purpuræ, qua vestem intingeret alueolo conchulæ. Narrat Pollux lib. 1. cap. 4.

1. PVRPVREAS ET COCCINEAS OVES MANDARE.] Dixi de his lib. de Habit. mulieb. cap. 8.

1. SOLO PRECIO GRAVES ESSENT.] Est hoc quod dixit Cyprian. de disciplin. & hab. Virg. *Grana grauia, etsi non suo pondere, mercium quantitate.*

101. 1. SCRVPVLOSA DEVS AVRIBVS VVLNERA INTVLIT.] Clemens Alexan. lib. 3. Pædag. cap. 11. κωλύει δὲ βιαζομένους τῷ φύσιν ὁλόγρυσα, τοὺς λοβοὺς τῶν ὠτίων πιέζειν: *Prohibet autem verbum, ne auriculas fauciemus vim naturæ afferentes.* Hieronym. de vita & obitu Marcellæ: *Auribus perforatis rubri maris preciosissima grana suspendere.* Aldhelm. de Virg. & Sidon. lib. 1. epist. 2. *Aurium ligulas* vocant. Nazianz. Carm. 63. ἓως ἀπίζων ἄχθει μαργαρίτῳ: *Deprimens & offendens aures pondere margaritarum.* Vide Hadrian. Iunium cent. 6. adag. 24. vbi multa sunt, quæ pertinent ad aures fractas, vnde ego nihil. Legi malui *scrupulosa*, Latina dictione, ab *scrupo*, vnde *scrupeus* & *scrupulosus*: quàm *crobylosa*, à crobylis Barbarorum: multò minùs *scrobulosa*, à scrobe. De hac re vide Hadrian. Iunium lib. 2. Animaduers. cap. 1.

1. CRVCIATVS INFANTIÆ.] Sumpsit totum hoc Cyprianus de disciplin. & hab. Virg. *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali sæcularis ignara crucietur, vt postea de aurium cicatricibus & cauernis preciosa grana dependeant.*

102. 1. VT EX ILLIS AD FERRVM NATI CORPORIS CICATRICIBVS.] Latinius legit, *Iam ferruminati corporis*, vt loquitur Plinius lib. 31. cap. 6. *Aquæ marinæ ferruminant fracturas, ossaque contusa*, id est, explicatore Iunio, conferuefaciunt & consolidant. Cæterùm maiorem maiestatem includunt verba Tertulliani, ideo ea seruaui. Sed quid velit Auctor, difficile est. Mihi proculdubio placet mens Rhenani prior dicentis, humanum corpus intelligi, quod in illa Adami maledictione ad laborem & agrorum culturam, quæ *ferro* potissimùm exercetur, ipso Deo pronuntiante sententiam, damnatum est: non posterior, affirmantis ad bellum natum hominem. Qui ad sectionem aurium, & traiectionem, transfixionémque referunt, omnino falluntur, cùm dicat, *Natum corpus ad ferrum. Nasci* enim *ad ferrum* est destinari ad ferrum, nequaquam autem propter transfixionem auricularum natum ad ferrum dicetur.

1. PARTHI.] In argumentum hoc adducit Brissonius, quòd sepulchro Cyri illata fuissent ἐνώπια, vt refert Arrianus lib. 7. illud etiam quòd Perosæ Regi Persarum μάργαρος λευκότητι τε, καὶ μεγέθους ὑπερβολῇ ἔξοχος ἐκ τοῦ δεξιοῦ ἀπεκρέματο, *Penderet ex aure dextra margaritum albore & magnitudine eximium*, quod refert Procop. lib. 1. de Bello Persico.

1. AVRVM AD VINCLA SERVIRE REFERVNT GENTILIVM LITTERÆ.] Dixi de hoc lib. de habit. mulieb. cap. 7. Placitum adiicere ea quæ adducit Iacobus Durant. lib. 2. Variar. cap. 13. de Zenobia, quæ ab Aureliano vincta, & triumphata est, de qua sic Trebellius Pollio, *Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat.* Ammianus de Rege Arsace capto à Sapore ita ait: *Eumque effossis oculis, vinctum catenis argenteis, quod apud eos honoratos vanum suppliciorum æstimatur esse solatium, exterminauit ad Castellum Agabaneum nomine.* Curtius de Dario rege vincto, *Ne tamen honos Regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, noua ludibria subinde excogitante fortuna.* 103.

2. PER ANGELOS AVTEM PECCATORES, &c.] Vide lib. de habit. mulieb. cap. 2. & 3. A

104. 2. OPEROSITAS, &c.] Pamelius legit, *Et operositas cum raritate commissa pretiositate, ex ea libidine possidendæ pretiositatis fœminarum.* Vbi nullum est verbum vt vides, nec aliis in lectionibus. Nam Wouereuius ex manuscripto legit, *Et operositas cum raritatis commissa pretiositate, ex ea libidine possidendæ pretiositatis fœminarum.* Iunius etiam sic: *Et operositatis cum raritate commissæ pretiositatem, ex ea libidine possidendæ pretiositatis fœminarum.* Rosas autem meus sic legebat, *Excitat libidinem possidendæ precioſitatis fœminarum.* & sic clarissima est sententia: nam operositas simul cum raritate, & pretiositate excitant libidinem in hominibus possidendæ illius rei, quæ pretium est fœminarum. Est inquam clara hæc sententia, quia verbum *excitat*, quod deerat in oratione, nunc illam complet.

105. 2. QVOD IIDEM ANGELI, &c.] Wouereuius ope manuscripti legi mauult totum hoc sic: *Quòd si iidem Angeli, qui & materias huiusmodi ad illecebras detexerunt.* ita verò clarissima est sententia. Ademi tamen illud *si*, contentus explicuisse *quod* per quare. Illud autem *ad* necessarium duxi ad explicationem, quippe sic legitur in Pamelio, *Quod iidem Angeli, qui & materias huiusmodi illecebras detexerunt.* B

2. AVRVM DICO ET ARGENTVM ILLVSTRIVM.] Tradit Rhenanus hoc esse aurum & argentum, quo illustres matronæ vtuntur: nam quemadmodum Vlpianus docet, fœminæ nuptæ mariti dignitate censentur, vt illustribus nuptæ, sint illustres; quæ spectabilibus, spectabiles; quæ clarissimis, clarissimæ. Erant autem illustres, qui Senatorum ornamentis prædíti erant, & hic erat summus gradus dignitatis. Tradit enim Isidorus, primos ordines Senatorum, dici illustres; secundos, spectabiles; tertios, clarissimos. Viri *illustris* titulo primos illos veterum Francorum Reges contentos fuisse, tabellæ vetustæ quæ extant, abundè testantur. Extat formula *illustratus* vacantis apud Cassiodor. lib. 6. epist. 11. C

106. 2. CALLIBLEPHARVM.] Καλλιβλέφαρον, oculis venustandis medicamentum inseruiens, & fucandis palpebris. Illud *vellerúmque tincturas* (inquit Rhenanus) est quod Author superiori opere dixit, *Medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur.*

2. NVLLAM DE CONCHYLIO VESTEM ISAIAS INCREPET.] Isaiæ 3. vbi Auctore Pamelio reprehenduntur τὰ ὡριπόρφυρα, καὶ τὰ μεσοπόρφυρα. & alio in loco, τὰ βύσσινα, καὶ τὰ ὑακίνθινα, καὶ τὰ κόκκινα.

2. NVLLAS LVNVLAS REPROBET.] Sunt *lunulæ* inter ornamenta fœminea. Aldhelm. de Virg. cap. 26. loquens de Sanctis Virginibus Anatolia, & Victoria. *Ornamentorum gloriam, tam discriminalia capitum, & periscelides crurum, quàm olfactoriola nardi, & crepundia collo gemmiferis lunulis pendentia ad stipem mancis, & matricularis prodiga liberalitate contulerunt.* & cap. 8. loquens de fœmina: *Collum lunulis, & lacertos dextralibus ornari, ac gemmiferis digitorum annulis comi concupiscit.* Sunt istæ quas Isaias μηνίσκους vocat.

2. BOTRONATVM.] Cyprian. de disciplin. & habit. Virg. *Et humiliauit Deus principales filias Sion, & reuelauit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam vestis illarum & ornamenta earum, & crines, & cincinnos, & lunulas, & discriminalia, & armillas, & botronatum, & dextralia, & annulos, & inaures, & serica contexta cum auro & hyacintho.* Diuinat verò Rhenanus esse redimiculum capillos capitis stringens, ita dictum quòd botri speciem referret, nam in Græco textu Septuaginta interpretum nihil est tale, fierique potest vt sit vocabulum quo vulgus id temporis vtebatur, ad ornamentum capitis fœminei explicandum. 107.

3. VTI NVNC ESSET.] Credo legendum *essent*, nam sequitur, *in quibus.* facilis lapsus.

3. NONNE SAPIENTES PATRES FAMILIÆ, &c.] Annectit Petrus Faber illud Ambrosij ad Constantium, *Seruos quoque Dominus purè seruitij subditos habeat, pro moderamine coercitionis quasi animæ consortes; paterfamilias enim dicitur, vt quasi filios regat, quoniam & ipse Dei seruus est: & patrem appellat Dominum cæli, moderatorem potestatum omnium.* Cyrill. Alexan. aduersus hæreticos: *Et ipsi patres plerunque vt filios suos, seruos vocant: ita & seruos honorantes filios nominant: nec vocabula naturam permutant.* Plinius l. 7. epist. ad Paulin. *Videó quàm molliter tuos habeas, quo simpliciùs tibi confitebor qua indulgentia meos tractem. Est mihi semper in animo Homericum illud,* 108.

πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν,

Et hoc nostrum, pater familias. Quòd si essem natura asperior & durior, frangeret me tamen infirmitas liberti mei Zosimi, cui tanto maior humanitas exhibenda est, quanto nunc maior venit debilitas ægrotanti.

3. OMNIA, INQVIT, LICENT, SED NON OMNIA ÆDIFICANT.] Habentur hæc 1. Corinth. 6. Cyprian. de disciplin. & habitu Virg. *Omnia licent, sed non omnia expediunt; omnia licent, sed non omnia ædificant.*

CAP. XI. ARGVMENTVM.

Quòd nulla sit causa ornatiùs prodeundi.

TERTVLLIANVS.

109. 1. QVÆ autem vobis causa est structiùs prodeundi, cùm remotæ sitis ab his, quæ ad aliud indigent? Nam nec templa circuitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies Gentilium nostis. Propter ipsum enim conuentum, & mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur. Quoduis horum grauitatis & sanctitatis negotium, & cui opus non sit habitu extraordinario, & composito, & soluto. Ac si necessitas amicitiarum, officiorúmque Gentilium vos vocat, cur non vestris armis indutæ proceditis, tanto magis,

quanto ad extraneas fidei? vt sit inter ancillas diaboli & Dei, discrimen: vt exemplo sitis illis, vt ædificentur in vobis: vt (quomodo ait Apostolus) magnificetur Deus in
Philipp 1. corpore vestro. Magnificatur autem, si per pudicitiam, vtique & per habitum pudicitiæ competentem.

EXPLICATIO.

110. 1. STRVCTIVS, comptiùs, ornatiùs. *Quæ ad aliud indigent: ab his* fœminis *quæ ad aliud* quàm vos *indigent structiùs* prodire. *Omnes pompæ in publicum proferuntur.* Omnes quàm possunt Attalicè ornatæ & pompaticè producuntur; idque propter luxuriam, vt amatores conquirant; aut vt *gloria* potentiæ, & diuitiarum *insolescat. Procedendi,* prodeundi. hìc enim *procedo* est aliò se conferre, domo exire. *Non tetrica*, id est, grauis, iusta, seuera, vel tristis. *Aut sacrificium offertur.* Missæ solemnia. *Aut Dei verbum administratur*, audienda concio. *Armis indutæ*, quid si alludit ad locum Pauli de armis spiritualibus? *Ad extraneas fidei*? alienas à fide, vtique Gentiles. *Si per pudicitiam*, connecte ita. *Si per pudicitiam magnificatur*, quod clarum est: *vtique per habitum* pudicum. Nam aliter redundaret *si.*

111. 2. Sed enim dicitur à quibusdam, Ne blasphemetur nomen in nobis, si quid de
Rom. 2. pristino habitu & cultu detrahamus. Non auferamus ergò nobis & vitia pristina, simus & moribus iisdem, & superficie eadem: & tunc verè non blasphemabunt Nationes. Grandis blasphemia, si qua dicatur, ex quo facta est Christiana, pauperiùs incedere. Timebit pauperior videri, ex quo locupletior facta est; & sordidior, ex quo mundior. Secundùm Gentilium, an secundùm Dei placitum incedere Christianos oportet?

2. *Sed enim*, &c. Obiectio. *Non auferamus*, &c. Soluit obiectionem. Reliqua vide ipse.

NOTÆ.

112. 1. MVTVVM VIDERE, AC VIDERI.] Eadem scribit Cyprianus lib. de discip. & hab. Virg. vbi ait, virgines sæpè publicas balneas adire, vbi *pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt, quæ cùm viros atque à viris nudæ vident turpiter ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant?*

1. LVXVRIA NEGOTIETVR.] Chrysolog. serm. 24. *Ex lumbis tota carnis negotia suscitantur.*

1. PROCEDENDI.] Sic in lib. de Idololatria cap. 15. *Et tamen non ipse coronauerat, aut præceperat, nam antè processerat, & regressus reprehenderat factum.* Nihil est aliud quàm domo exierat. Et in lib. de Præscriptionib. *Processio modesta*, id est, modestus in publicum progressus.

1. SACRIFICIVM OFFERTVR.] Intelligi Missæ sacrum, manifestius est quàm debeat multis manifestari, contra impudentiam Iunij, qui quaspiam orationes generatim intelligit. Videndus Gretserus noster in Notis contra Iunium cap. 3. & Pamelius hoc loco, qui ista dilucidè. Ambros. l. 2. de Virg. ait de B. Virgine, *Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conueniret.*

1. AMICITIARVM.] Non oportet derelinquere amicos, etiamsi Gentiles sint, quia, vt inquit Lucianus in Toxar. ἐγὼ δ' οὐδὲν ἄλλο ἡγοῦμαι ἀνθρώποις εἶναι τοῦτο κτῆμα ἄμεινον, οὐδὲ κάλλιον: *Ego autem puto nullam esse mortalibus possessionem hac præstantiorem, neque pulchriorem.*

2. GRANDIS BLASPHEMIA.] Hieronymo in epist. ad Paulinum satis fuit dicere esse *iactantiæ seminarium*, si quæ fœmina Christiana pudescat esse se sordidatam inter alias fœminas, quæ serico & gemmis lucent: huic Afro non satis hæc censura, viuidiùs & acriùs pungit; *Blasphemam* putat fœminam, & *granditer* blasphemam, quæ dolet vt paupere sit cultu. 113.

2. LOCVPLETIOR FACTA EST.] Ita sanè est, nam locupletior facta est paupertate Christiana. Seneca epist. 25. *Nemo ad hæc pauper est, intra quæ quisquis desiderium suum eluſit.* Et epist. 4. ex Epicuro dixit: *Magna diuitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas.*

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Quòd lenocinia formæ magis prostitutis conueniant.

TERTVLLIANVS.

114. 1. OPTEMVS tantummodo, ne iustæ blasphemationis causa simus. Quanto autem blasphemabile est, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ, aut expictæ? Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas si quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coërcebant, iam certè sæculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibúsque fœminis vsque ad errorem dignoscendi coæquauit: quanquam lenocinia formæ nunquam non prostituto corpori coniuncta & debita, etiam scripturæ suggerunt. Illa ciuitas valida, quæ super septem montes & plurimas aquas præsidet, cùm prostitutæ à *Apoc. 17.* Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est? Sed & certè in purpura cum coccino & auro, & lapide precioso, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi.

EXPLICATIO.

1. QVANTO *autem blaſphemabile eſt*, ſupplendum eſt *magis*, Græca ellipſi. *Matronalibus decoramentis*, ſcilicet ſtola. *Vſque ad errorem dignoſcendi coæquauit*, ita vt dignoſci non poſſint. *Nunquam non*, ſemper. *Appellationi ſuæ*, proſtitutæ appellationi.

115. 2. Thamar illa, quia ſe expinxerat, & ornauerat, idcirco Iudæ ſuſpicioni viſa eſt
Geneſ. 38. quæſtui ſedere, adeò, quia ſub velamento latebat, habitus qualitate quæſtuariam mentiente, & fecit vt quæſtuariam, & voluit, & compellauit, & pactus eſt. Vnde addiſcimus aduerſus congreſſus etiam, & ſuſpiciones impudicas prouidendum omnino eſſe. Quid enim caſtæ mentis integritas in alterius ſuſpicione maculatur? quid ſperatur in me quod auerſor? Cur non mores meos habitus pronuntiat, ne ſpiritus per aures ab impudentia vulneretur? Liceat videri pudicam, certè impudicam non licet.

2. *Quæſtui ſedere*, ſedere ad quæſtum faciendum. *Et fecit vt quæſtuariam*, fecit vt decebat quæſtuariam. *Ne ſpiritus per aures ab impudentia vulneretur?* Ne animus offendatur audiens verba impudica, & libidinem ſpirantia.

NOTÆ.

116. 1. QVANTO AVTEM BLASPHEMABILE EST, SI QVÆ SACERDOTES PVDICITIÆ DICIMINI, IMPVDICARVM RITV PROCEDATIS CVLTÆ!] Sanctus Maximus Taurinenſis Epiſcop. Homil. Circumciſionis: *Nunquid non omnem excedit inſaniam, cùm decorem vultus humani, Dei ſpecialiter manibus in omnem pulchritudinem figuratum, ſquallore ſordium, & adulterina fœditate deturpant?*

1. EXPICTÆ.] Ambroſ. l. 1. de Virginit. *Quæſitis coloribus ora depingant.* Et ſtatim: *Effigiem mutare naturæ, picturam quærere.* Tertullian. infrà, *Thamar illa, quia ſe expinxerat, & ornauerat, idcirco Iudæ ſuſpicioni viſa eſt quæſtui ſedere.* & Martial. lib. 7. Epigram. 83.

Entrapelus tonſor dum circuit ora Luperci,
Expingitque genas: altera barba ſubit.

Sed & Ouid. 1. de Arte amandi per verbum *pingo*.

Quid toties poſitas pingis inepta comas?

Ianus etiam Gruterus aduocat Phædrũ, qui in fabell.

Ambæ videri dum volunt illi pares,
Càpillos homini legere cœpere inuicem,
Qui ſe putarat pingi cura mulierum.

Reperi ego in Nazianzeno, qui dixit per verbum γράφω, *ſcribo*, ita enim Carm. 63. ὦ γράψης τὸ πρόσωπον ἀπάθαλε: *Ne ſcribas faciem infelix.* quod eſt, ne *pingas*, ne *expingas*.

117. 1. IN FOELICISSIMÆ ILLÆ PVBLICARVM LIBIDINVM VICTIMÆ.] Ita etiam de Pallio cap. 4. *Aſpice lupas popularium libidinum nundinas.* Et deinde: *Ab eiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis.* Vnde rectè monemur ab interpretibus, legendum *publicarum*, non *impudicarum*. Adiungo Arnobium l. 2. *In fœminis fierent meretrices, ſambuciſtriæ, pſaltriæ, venalia vt proſternerent corpora, virilitatem ſui populo publicarent.* Quem ad locum Eraldus adducit Iulium Firmicum 4. Matheſ. c. 6. qui ait, *publica meretrix.* & Zenonem Veronenſ. qui: *publicanas mulieres.* & ego Hieronymum in Ionam c. 3. *Differentia erit inter matrem Domini, & victimas libidinum publicarum.* & de monogamia ad Geruntiam: *Si publicarum libidinum victimas ſuperet.* & Senecam epiſt. 114. *Luxuriæ publicæ.*

1. VICTIMÆ.] Rectè *victimæ*. miſellæ ouiculæ! Ambroſ. l. 1. de Virgin. de illis quę profitentur Virginitatem, dicit, *Pudoris hoſtia, victima caſtitatis:* ita Tertullianus ait de contrario vitio, *Victima libidinis.* Ab Tertulliano, credo, Hieronymus ad Heliodorũ, *Membra Chriſti, & hoſtiam viuam placentem Deo cum publicarum libidinum victimis nefaria colluuione violauit.*

118. 1. QVAS SI QVÆ LEGES A MATRONIS, ET MATRONALIBVS DECORAMENTIS COERCEBANT.] In lib. de Pallio ita ait: *Conuerte ad fœminas: habes ſpectare, quod Cæcinna Seuerus grauiter Senatui impreſſit. Matronæ ſine ſtola in publico. Denique Lentuli auguris conſultis, quæ ita ſe exauctoraſſet, pro ſtupro erat pœna: quandoquidem indices cuſtodéſque dignitatis habitus, velut lenocinij factitandi impedimenta, ſedulo quædam deſuefecerant.* Quæ autem erant *matronalia decoramenta*? Nimirum *ſtola*, quæ fuit pudicarum. Vnde Martial. lib. 1.

Quis Floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Tales fœminas exilio affecit Tiberius: de quo ſic loquitur Suetonius in eius vita cap. 35. *Fœminæ famoſæ vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exſoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: quas, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exſilio affecit.*

119. 1. QVANQVAM LENOCINIA FORMÆ, &c.] Cyprian. de diſcip. & hab. Virg. *Ornamentorum ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè precioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt.*

1. ILLA CIVITAS VALIDA, &c.] Romana ciuitas. Cyprianus vbi ſuprà: *Sic in ſcripturis ſanctis, quibus nos inſtrui Dominus voluit, & moneri, deſcribitur ciuitas meretrix, compta pulchriùs, & ornata, & cum ornamentis ſuis, ac propter ipſa potiùs ornamenta peritura.* Vtérque citat Apocalypſin c. 17. Cùm ait *ſuper montes ſeptem*, notum eruditulis de Romana vrbe dici. Cùm ſubiicit, *Plurimas aquas præſidet*, eſt, quod Ioannes dixit: *Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.* Græcè habentur, ἡ καθημένη ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν.

120. 1. SEDET CERTE IN PVRPVRA CVM COCCINO, &c.] Hoc ſtudium fuiſſe Lacedæmoniis Clemens Alexan. teſtatur l. 2. Pædag. c. 10. his verbis: ἄγαμαι δὲ Λακεδαιμονίων τὴν πόλιν τὴν παλαιὰν ἢ μόναις ταῖς ἐπιφανείς αὐτόθι ἐδώκατε ἐξ ἀρχῆς χρυσοῦν κόσμον ἐπιτρέψαι φορεῖν, ἀφαιρουμένη τὸ δοκίμων γυναικῶν τὴν φιλοκοσμίαν τῷ μόναις ἀφεῖναι καλλωπίζεσθαι ταῖς ἑταιρούσαις. *Laudo ego, & admiror veterem Lacedæmoniorum ciuitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes, & aurum mundum geſtare permiſit, à probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quòd ſolis meretricibus ſe ornare concederet.* & *ſedet* quaſi triumpharet. aliàs *ſedere* auſpicium habet triſte. Vide librum aduerſum Iudæos, vbi de ſedentibus & plangentibus mulieribus: & Nicetam Choniatem l. 6. Manuelis c. 4. vbi ait, appono verba propter elegantiam, ἀδημονῶν ἅπας κάθηται ὑπὲρ τῷ τῆς χειρὸς κοιλώματι τὴν κεφαλήν: *Quiſque ſedet triſtis manibus capita ſuſtinens.* Accidit id poſt peractum infeliciter bellum.

2. QVÆSTVI SEDERE.] *Sedere* eſt mulierum

quæ fornicariæ sunt. De eadem Thamar leges in Genes. 38. *Operuit se peplo & obtexit se, consedítque in porta oculorum.* vel, vt vulgatus: *Mutato habitu, sedit in biuio itineris.* & Ieremiæ cap. 3. *Vide vbi non prostrata sis, in viis sedebas.* Fuit enim sollemne Hebræis, vt meretrices publicas obsiderent vias. Vnde illud Ezechiel. c. 16. *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* & iterum: *Ædificasti lupanar tuum in capite omnis viæ.* Inde etiam apud Romanos *prosedæ*, quarum meretricum frequens mentio, quòd ante fores sederēt. Plaut. Pœnul. *Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias.*

121. 2. QVIA SVB VELAMENTO LATEBAT.] Habitus mœchantium, vt obnupto essent capite. Capitolinus in Vero. *Intantum vitiorum Caianorum & Neronianorum fuisse æmulum vt vagaretur nocte per tabernas, & lupanaria, obtecto capite cucullo vulgari.* Fortunatian. lib. 1. Rhetoric. *Inuenit filius adulterum obuoluto capite, nec eum occidit.* Iuuenal. Satyr. 6.

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos:
Sed nigrum flauo crinem abscondente galero,
Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Morem hunc attingit S. Ambrosius lib. 2. de Virgin. verbis istis, quæ ad Virginem quandam dicuntur ore militis: *Sume pileum, qui tegat crines, abscondat ora. Solent erubescere qui lupanar intrauerint.* Et vt de Thamar ait scriptura Genes. 38. *Quam* (Thamar) *cùm vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur.* Sed quæ ratio huius operculi & velamenti? Nulla credo alia, quàm vt ita repræsentarent latebras cellularum, in quibus morari consueuerant. Nam cellæ illæ dici solebant *latibula*, vt vel ex Aldhelmi loco patet lib. de Virgin. c. 26. vbi loquens de Sanctis Ruffina, & Secunda, ait: *Romam adducuntur, putrido squallentium ergastulorum latibulo mancipandæ, & subsannantis ganaturæ ludibrium laturæ.* Vocat scilicet cellam illam *latibulum*, & *ganaturam* dixit pro quæstu.

122. 2. HABITVS QVALITATE QVÆSTVARIAM MENTIENTE.] *Quæstuaria* est quæ corpus alit corpore, vt ait Plautus. Gloss. *Quæstuaria, πορνικὴ πόρνη.* Dicitur à Plauto in Milite glorios. *Quæstuosa,*

--- dummodò
Eam des, quæ sit quæstuosa, quæ alat corpus corpore.

Cicer. in orat. pro M. Cælio de Clodia Metelli vxore dicit: *Nisi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* Loquitur videlicet tectè, vt par erat, in perstringenda potente fœmina, quæ pro nummo balneatori numerari solito pro ingressu, ipsa quadrantem accepisset à balneatore in gratiam stupri.

123. 2. ET FECIT VT QVÆSTVARIAM, ET VOLVIT, &c.] Iunius sic legit: *Et fecit vt quæstuaria, nam & voluit.* Placet, sed ita vt Tertullianum nihil lædat dixisse *quæstuariam*, cum additione verbi *decebat*, non vt scribatur, sed vt suppleatur.

2. CVR NON MORES MEOS HABITVS PRONVNTIAT.] *Mores* dicuntur ἕξεις. & latè patent, vt aduertit Casperius lib. 2. cap. 5. Sic Statius in syluis,

Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores.

Tibull. lib. 4. ad Messalam,

Nec violenta suo consumpsit more Charybdis.

Sic Virgil. lib. 1. Georg. *cali morem* dixit. Idem notauit in Claudianum de Bello Gild. Barthius, & profert illud de laudibus Stilicon. 1.

--- qualibus orbem
Moribus, & quanto frænet metuendus Amore.

Itaque hîc mores *virtutes* accipe.

2. LICEAT VIDERI PVDICAM, CERTE IMPVDICAM NON LICET.] Nazianz. carm. 63.

Ἄνθος ἐν ὀφθαλμοῖσι γυναικείοισιν ἐρεύθος,
Αἰδὼς. τοῦτο χρόα φῦκος ἀμείψατο:

Vnus amabilis in mulieribus est color, & flos,
E'que pudore rubor: pinxit eum ipse Deus.

Sic reddit Morellus, non tamen assequitur: assequeris si dicas: *Pudor est in mulieribus amabilis flos, & rubor delectabilis.*

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

Quòd cùm lucere debeant bona opera coram hominibus, persecutionis tempore non conueniat ornatus.

TERTVLLIANVS.

124. 1. ALIQVA forsan dicat: Non est mihi necessarium hominibus probari, nec
1. *Reg.* 16. enim humanum testimonium requiro. Deus conspector cordis est. Scimus omnes, cùm tamen quid idem per Apostolum dixerit, recordemur: Probum ve-
Philipp 4. strum coram hominibus appareat. Ad quid, nisi vt malitia ad vos accessum omnino
Matth. 5. non habeat, vt & malis & exemplo, & testimonio sitis? Aut quid est, Luceant opera vestra? Aut quid nos Dominus lumen terræ vocauit? Quid ciuitati supra montem constitutæ comparauit, si non relucemus inter tenebras, & exstamus inter dimersos? Si lucernam tuam sub modium abstruseris; in tenebris relictæ à multis incuseris necesse est. Hæc sunt quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra.

EXPLICATIO.

125. 1. DEVS *conspector cordis est.* Adhuc pertinent ad obiectantem. *Probum vestrum.* Paulus ad Philipp. 4. τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν, vertit vulgatus Interpres, *modestia vestra.* Sed quid illud, *Lumen terræ?* Græcè habet τὸ φῶς τῦ κόσμυ, *Lumen mundi*, ergò *terræ* pro *mundo* posuit. *Exstamus*, eminemus, prominemus. *Dimersos*, abstrusos, & absconditos in pelago vitiorum. *In tenebris relictæ*, lucernæ videlicet, id est, quòd relinqueris in tenebris lucernam tuam. Græca constructio, ait Iunius: sed vbi est constructio Græca? non illam satis odoror. Donec alluceat, sit alius sensus, *à multis* fœminis quæ fuerint *relictæ in tenebris necesse est incuseris.*

126. 2. Bonum autem duntaxat verum & plenum non amat tenebras, sed gaudet videri, & ipsa denotatione sui exultat. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verùm &

videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat quasi supellectilem suam, vt conueniat fidei continendæ in perpetuum. Discutiendæ enim sunt deliciæ, quarum mollitia & fluxu fidei virtus effœminari potest. Cæterùm nescio an manus spathalio circumdari solita, in duritia catenæ stupescere sustineat. Nescio an crus de periscelio in neruum se patiatur artari. Timeo ceruicem, ne margaritarum & smaragdorum laqueis occupata, locum spathæ non det.

127. 2. *Denotatione*, ostensione & publica sui testificatione. *In habitum*, vestimentum, siue indumentum. *A conscientia in superficiem*, à cognitione sui in faciem omnium. *Supellectilem suam*, pulcrè vocat id quod foris ostenditur, *supellectilem*: est enim modestia & compositio exterior interioris animi supellex. *Vt conueniat fidei continendæ in perpetuum*, cùm fides non permaneat in perpetuum, sed quamdiu viuimus, de fideli pudicitia intelligendum videtur, ita vt dicat, *Conueniat fidei*, id est, veræ & fideli pudicitiæ. Similiter infra cùm dicit, *Fidei virtus effœminari potest*, intelligi quoque potest de fideli pudicitia. Dicit enim *discutiendas* amandandásque *delicias*, cùm *virtus* pudicitiæ *mollitia & fluxu* effœminetur. Nam tametsi Tertullianus alibi dicat, *Fidem in perpetuum durare*, hîc non constringimur. Adhuc tamen quî dixerit, intelligi fidem Christianam, non errabit; ita vt dicat, *Fidei continendæ* perpetuo tempore quamdiu durabit. Quid quòd non tam de fide, quàm de fidei confessione, quæ in æternum duratura est, intelligi debet? *Spathalio*, est *spathalium* ornamentum fœmineum ex variis rebus in lineam flexibilem concinnatum. *In duritia catenæ stupescere sustineat*, vsque ad stuporem catenæ. *Periscelio*, est *periscelium* vel *periscelis* quo tibiæ vel crura exornabantur, σκέλος enim Græci *crus* vocant. *Timeo ceruicem*, Dicit spathas vel gladios maiores è ceruice dependere solitos, Hispani vocant, *taheli*. *Laqueis*, multiplici ordine, vt videri solent apud nostros catenæ aureæ, ter aut quater collum circumdare.

128. 3. Quare benedictæ meditemur duriora; & non sentiemus: relinquamus lætiora, & non desiderabimus. Stemus expeditè ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus. Retinacula ista sunt spei nostræ. Proiiciamus ornamenta terrena, si cælestia optamus. Ne dilexeritis aurum, in quo prima delicta populi Israëlis denotantur. O dissè debetis quod Iudæos perdidit, quod, derelinquentes Deum adorauerunt: iam tunc aurum ignis est esca. Cæterùm tempora Christianorum semper, & nunc vel maximè non auro sed ferro transiguntur: stolæ martyriorum præparantur. Angelis baiulis sustinentur. Prodite vos iam medicamentis & ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inferentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.

Exod. 32. *Apoc.* 6.

129. 3. *Meditemur duriora*, assuescamus durioribus. *Relinquamus latiora*, delicias, voluptates, lenocinia formæ. *Retinacula ista sunt spei nostræ*. retinent ista nostram spem, & hæc ornamenta sunt veluti vincula. *Denotantur*, Exod. 32. vbi vitulus conflatur ex auro. *Iam tunc aurum ignis esca*, ex eo tempore aurum in ignem damnatum est. *Stolæ martyriorum præparantur*. Apocal. 6. dicitur, datas singulis stolas albas. *Angelis baiulis sustinentur*. Angeli stolas habent & ostentant illas inuitabundi. Quid si per *angelos* verè pudicos intelligit? Reliqua clara sunt, & quæ dixi etiam, si qui tardi sunt, habebunt hanc opem.

NOTÆ.

130. 1. HÆC SVNT QVÆ NOS LVMINARIA MVNDI FACIVNT, BONA SCILICET NOSTRA.] Ad exemplum ista pertinent: qua de re idoneus est in primis locus Eusebij Episcopi Gallicani Homil. 7. ad Monachos: *Ideoque Charissimi, quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio positi agere studeamus, ne vitia nostra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum feruorem tepor noster debilitet, ne aliorum patientiam iracundia nostra violet, ne aliorum humilitatem superbia nostra degrauet, ne aliorum sanitatem infirmitas nostra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem fœditas nostra contaminet, ne aliorum ardentes extinguamus lampadas, si nostras illuminare non possumus.*

2. DELICIÆ.] Quæ amentant, & dementant. Plautus in Amphitruone: *Delinitus sum profectò ita, vt me qui sim nesciam.* Quem in locum Taubmannus adducit Scipionem Gentilem, qui ait apud Iureconsultos *delinimenta* & *delinifica dicta* sumi pro incantationibus & venenis, quibus mens à statu deiicitur.

2. SPATHALIO.] An scribendum sit *spathaliũ*, an verò *Spatalium* anxiè quærunt aliqui. Illud certum est, esse muliebre ornamentum armillæ loco & brachialis, vt apparet hîc ex Tertulliano. Pamelius etiam adducit locum Plinij l. 13. c. 15. vbi, *Spathalia eo facere & monilia fœminas*, eo scilicet coralio, quod in eo cap. adducit. & Claudianus in Epithalamio ait, 131.

Et granibus

Et grauibus Spathale baccis diadema ferebat
Intextum, rubro quas legerat ipsa profundo.

Vbi nomen Nymphæ Spathale à spathaliis tribuit. Et Petronius dixit: *Huc huc conuenite nunc spathalocinædi.* Quasi dicat, delicatuli. Quem in locum Petronij Vvoueren. adducit hunc locum Tertulliani, *manus spathalio circumdari solito*, sed *solita* debuit scribere, lapsu credo Typographi. Aliqui discriminant, vt hoc genus ornamenti sit *spathalium*, ἀπὸ τῦ σπαθαλάω, ex rebus in vnum consertis: *spathalium* verò ἀπὸ τῦ σπαθᾶν, sit textorium opus. De *duritia* vide suprà cap. 3.

132. 2. PERISCELIO.] Aldhelmus de Virg. cap. 26. *Et periscelides crurum.* Glossæ: *Periscelides, ornamenta vel circuli aurei crurum muliebrium.* Seneca in Hippolyto:

Crura distincto religauit auro.

Petron. Satyr. *Jam mentum, iam cernix, iam manus, iam pedum candor intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor extinxerat.* In extrema verba illa, *iam pedum*, &c. ait Vvoueren. describi περισκέλιον.

2. IN NERVVM.] Dixi in libro ad Martyras. B Hic audiendus Plautus in Menæchm.

Tergum quàm gulam, cura quàm ventrem oportet
Potiora esse.

Et sequenti scena:

Nisi quidem vos vestra crura, aut latera nihil pendentis.

Etenim ξυλοπέδην dici neruum, & veteribus Atticis κάλον, hoc est, lignum, adducto loco disserui. Cùm ait *artari* in neruum, est contrahi in neruum, ad eum modum quo dixit Tacitus: *Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus.* Et *artibus* idem est quod *artatus.* Et Prudent. dixit:

Loth ipse raptis expeditus nexibus
Artita boŷs colla liber erigit.

2. TIMEO CERVICEM.] Plinius lib. 13. cap. 3. *Habeant fœminæ* (aurum) *in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ per latera, & inserto margaritarum pondere è collo dominarum pendeant.*

133. 2. SMARAGDORVM.] Hæc quoque gemma in ardore fœminarum, vt testatur Hieronymus ad C Demetriadem: *Vt taceam de smaragdorum virore, cerauniorum flammis, hyacinthorum pelago, ad quæ ardent & insaniunt studia matronarum.*

3. RETINACVLA SVNT ISTA SPEI NOSTRÆ.] Ad hunc modum Ambros. lib. 3. de Virg. ieiunia, & parcimoniam cibi vocat *retinacula* cupiditatum, quia illas cohibent.

3. ODISSE DEBETIS, QVOD IVDÆOS PERDIDIT.] Dicit capiendum exemplum ab aliis. Cuius sententiæ si adducenda essent testimonia, quis finis? Prosper Aquitanicus rem non vulgariter dixit lib. de Promiss. *Vxor Loth statua salis effecta suo exemplo fatuos conducit.* Cæterùm Tertulliano simillimus locus Cypriani lib. de Discipl. & habit. Virg. Vt enim noster vult deterrere fœminas à nimio cultu & copia auri, quia iam alios perdidit; ita similiter Cyprianus, cuius hæc sunt: *Quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle quod & nocuerit semper & noceat; & putare quòd inde ipsa non pereas, vnde alios periisse* A *cognoscas!* Dicit hoc, postquam latè narrauerat, adducto Isaiæ loco, fœminas studiosas ornatus à Deo pessumdatas.

3. SED FERRO TRANSIGVNTVR.] Nam 134. *ferrum* (inquit Ambros. lib. 3. de Virg.) *instrumentum belli, insigne discordiæ.* Dicit hoc Tertullian. propter martyres quorum copia tunc erat.

3. DEPICTÆ OCVLOS VERECVNDIA.] Nam oculi sedes pudoris. Ambros. lib. 1. offic. cap. 18. *Est in oculis verecundia.* Et *verecundia*, inquit, non croco, aut quouis alio quod deforme.

3. MANVS LANIS OCCVPATE.] Est quoque consilium hoc magni Hieronymi ad Demetriadem: *Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusa vertãtur: aliarúmque neta aut in globum collige, aut texenda compone: quæ texta sunt inspice; quæ errata reprehende; quæ facienda, constitue.* Dixit multis quæ Tertullianus vnico verbo.

3. PEDES DOMI FIGITE.] Præceptum hoc 135. sæpè inculcant Ambrosius, Hieronymus & alij, ab quibus facile erat paginam complere. Ioan. Chrysost. orat. de Nouilun. οἴκοι μένε, *mane domi.* Iuuenal. Sat. 3.

---sedem figere Cumis.

Stat. 1. Theb.

Mira decore pio seruabat nata penates.

3. BYSSINO SANCTITATIS.] Aretas (vt auctor est Hadrian. Iunius Cent. 3. adag. 6.) Cæsariens. in Apocalyp. ait, *Byssum* esse corticem Indicæ plantæ, ad linum redactum. Pollux *byssum* lini speciem Indici exponit, quod è ligni fructu, Ponticæ nucis assimili, in modum lanæ carpitur. Mira fuit semper byssini sanctitas. Apud Ioseph. lib. 6. belli Iudaici, Sacerdotes quorum magna erat auctoritas, byssinis vestibus amicti fuisse leguntur. Quin symbolum erat primariæ auctoritatis. Sophocles in Laocoonte de Ænea succollante patrem:

Πάρες ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεφαυτίου
Νώτου καταστάζοντα βόσπιον φάρος.
Adest, in humeris efferens dorso patrem,
Sublimi, pallium trahentem byssinum.

3. PIGMENTATÆ.] Plaut. in Mostell. 136.

---scita es tu quidem,
Noua pictura interpolare vis opus lepidissimum.
Non istam ætatem oportet pigmentum vllum attingere,
Neque cerussam, neque meliuum, neque vllam aliam offuciam.

Ad sententiam pertinet illud Niceta Choniatæ, lib. 1. Manuelis cap. 2. vbi loquens de vxore Imperatoris, sic ait: αὕτη μὲν τοι οὐ τοσοῦτον τὸ σωματικὸν κάλλος ἐφρόντιζεν, ὅσον τὸ ἔνδον καὶ πρὸ ψυχῆς ἐπεμέλετο, οὐκοῦν ἐξημυθεῖτο τὰ ἐκ τῶν κόπων ὑπορρέοντα, καὶ τὸν τῶν ὀφθαλμῶν ὑπογεγραμμένους, καὶ τὸν πλάσην τὸν κάτωθεν, καὶ τὸ πρόχειρον ἀλλ' οὐ φυσικὸν ἔρευθος, καὶ ταῖς ἄφεσι τῶν γυναικῶν αὐτὰ ἐπῃρίπλουτα, ταῖς ἀρεταῖς περισειέτο καὶ ὡραίζετο: *Hæc non tam formam corporis curabat, quàm animi pulchritudinem. Itaque omnibus fucis, & ascititiis ornamẽtis repudiatis, vt quæ vecordes mulierculas decerent; naturali rubore contenta, virtutum ornamentis fulgebat.*

FINIS LIBRI DE CVLTV FOEMINARVM.

AD VXOREM LIBER PRIMVS,
ET IN ORDINE LIBER XIII.

ARGVMENTVM.

TERTVLLIANVS *Presbyter vxorem pari inter se consensu à se separatam, si fortè de seculo prior euocaretur, admonitione hac, vt post excessum suum nuptijs renuntiet, adhortatur.*

CAP. I. ARGVMENTVM.

Rationes quibus permotus librum hunc scribat ad Vxorem.

TERTVLLIANVS.

1. 1. DIGNVM duxi, dilectissima mihi in Domino conserua, quid tibi sectandum sit post discessum de seculo meum, si prior te fuero vocatus, iam hinc prouidere, vt prouisum obserues mandare fidei tuæ.

EXPLICATIO.

1. VVlt vxori prouidere in futurum, si prior ipse obeat, hoc quippe viro *dignum*: nam quis curet rem vxoriam, nisi vir ipse? Illud, *vt prouisum*, &c. est, *vt prouisum* à me *obserues mandare*, id est, *obserues & mandes fidei tuæ*. Est verò *mandare fidei*, præceptum viri fideliter custodire. Vt verò illa obseruet fideliter, & bonis auribus præceptum capiat, præcessit scintilla amoris, *dilectissima mihi in Domino conserua*. Est *sectandum* eligendum. indicat αἵρεσιν, *electionem*.

2. 2. Nam secularibus satis agentes sumus, & vtrique nostrûm consultum volumus. Si talibus ordinamus, cur non magis de diuinis atque cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus, & legatum quodammodo prælegare, admonitionẽ & demonstrationem eorũ, quæ ex bonis immortalibus, & de hęreditate cœlorũ deputãtur?

2. Ratio cur vir debeat prouidere, cur vxor obseruare. *Nam satis agentes* (satagentes) *sumus de secularibus*, quæ inania & futilia, & de his inanibus *volumus vtrique nostrûm consultum* prouisúmque. Ergo *si de talibus* friuolis *ordinamus* & prouidemus, *cur non magis debeamus prospicere posteritati nostræ de diuinis atque cœlestibus?* Id est, circa res diuinas & cœlestes prospiciamus æuo nostro postero? Pergit. Si puncto mortis, & exitu animæ instante solemus *legatum* perituræ hęreditatis legare quibus bene volumus, cur non ante hoc periculum *debeamus prælegare quodammodo legatum*, videlicet, *admonitionem & demonstrationem eorum, quæ deputantur* (reputantur numerantúrque) *ex bonis* non perituris, sed *immortalibus*; *& de hæreditate* non terrarum, sed *cœlorum*? q.d. Temporale legatum, quod instante morte solet fieri balbutiente lingua, nihili duco: ideo, nondum æger, volo tibi iam nunc *prælegare*, vt vni ex meis hæredibus *admonitionem* veri & amantissimi coniugis, & *demonstrationem* bonorum immortalium ac cœlestis hæreditatis. Dicit *quodammodo*, quia admonitio hæc vicem habet prælegati.

3. 3. Tu modò vt solidũ capere possis hoc meæ admonitionis fidei cõmissum, Deus faciat, cui sit honor, gloria, claritas, dignitas, potestas, nũc & in secula seculorũ. Amen.

Apoc. 5. & 7.

3. Restat vt vxor accipiat hanc admonitionem, quod situm in Dei voluntate. Ergo, *Faciat Deus, cui honor in secula*, &c. *vt tu modò possis capere solidum hoc admonitionis meæ fidei commissum*. q. d. capax non eris tantæ admonitionis, nisi Deus dederit. Dicit, *hoc fidei commissum*, quia suprà, *mando fidei tuæ*. Vult verò amantissimus coniux, vt hoc *admonitionis fidei commissum* deuoluatur ad vxorem totum & *solidum*.

4. Pręcipio igitur tibi, quanta continentia potes, post excessum nostrum renuncies nuptiis, nihil mihi isto nomine collatura, nisi quòd tibi proderis.

4. Incipit iam prælegatum hoc fidei commissum, & verbo forti, *præcipio*, quippe vir tuus: & cui ius præcipiendi. Quid verò præcipit, *renunties nuptiis post excessum nostrum* (postquã è viuis excessero) *idque quãta*

continentia potes, quippe validè oppugnaberis à libidine, vt assueta diu vsui matrimonij, itaq; annitere *continentia quanta potes*. Nunquid verò præcipio hoc cõsulens meis rebus? Absit. *Nihil mihi* tu *collatura* es *isto* viduitatis & continentiæ *nomine, nisi quòd tibi proderis*. q. d. Quia tibi *proderis*, multum mihi conferes; nam nisi hoc esset, nihil mihi conferres. Clariùs. Tuum tantùm negotium agitur; & quia tuum, ideo meum.

5. Cæterùm Christianis seculo digressis nulla restitutio nuptiarum in diem re-
4. surrectionis repromittitur, translatis scilicet in Angelicam qualitatẽ & sanctitatem.

5. Dixerat, tuum tantùm negotium agitur, non meum. Quare non meum? Quia, cùm in resurrectione nulla sint futura matrimonia, nullas ego tecum nuptias contraham, ac perinde mea nihil interest alterius hîc sis vxor. Illud *in diem*, explica, post diem. Particulam *cæterùm*, ita annecte. *Cæterùm* ne puta me sollicitum esse caussa mei, sed tui; nam *Christianis*, &c. Proinde sollicitudo nulla, quæ de carnis zelo, vel Domini sententia.

Matth. 22. 6. Post voculã *zelo* subaudi verbũ *veniat*, vel quid simile. Est *vel*, etiam. Secutus sum interpunctionẽ Iunij.

7. Illa quam septem fratribus per successionem nupsisse voluerunt, neminem tot maritorum resurrectionis die offender, nec quisquam illam confusurus expectat.

7. Explicat, quæ sit sententia Domini, sed explicat malo & prauo sensu. Quæsiuere Sadducæi à Christo, cuius futura esset vxor post resurrectionem *illa*, quæ *septem fratribus per successionem* nupserat? Ille respondit. *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erũt sicut Angeli Dei in cœlo.* Hæc ergo verba ita explicat Tertull. virtutem Dei positam in mutatione conuersionéque, qua ille homines in resurrectione transferet in Angelos; ac perinde mulier illa neminem tot maritorum in cœlo inueniet, qui eam possit confundere propter repetitas nuptias. Prauus sensus, cùm Christus tantùm dixerit, fore homines similes Angelis puritate & sanctitate. Verbum *voluerunt* explico in Notis, & *confusurus*.

5. 8. Quæstio Sadducæorum cessit sententiæ Domini.

8. Quia scilicet ait Matth. Christum *silentium imposuisse Sadducæis*, vt quos conuicerit. Itaque conuicti cessere Deo, & manus dedêre.

9. Ne me putes propter carnis tuæ integritatem mihi reseruandam, de contumeliæ dolore suspectum, insinuare iam hinc tibi consilium viduitatis: nihil tunc inter nos dedecoris voluptuosi resumetur. Neque enim tã friuola tã spurca Deus suis pollicetur.

9. Posset vxor dicere. Tu mecum ô vir Rhetorico agis dolo atque ambage, nam prætextu *consilij viduitatis* pungit te non tam mea sanctitas, quàm dolor *contumeliæ* tuæ, ésque suspicax de iniuria, si tibi mortuo alium superinduxerim. Esse viuam hanc sententiam Tertulliani clarè liquet ex verbo *insinuo*. Rhetores enim vtuntur insinuatione, cùm prætextu sub dolo rem aliam moliuntur. Satisfacit ergo vxori. Cur hoc putes, cùm in resurrectione nihil voluptuosum & sordidum? Apage, vt in cœlo *tam friuola*, & *spurca* bona; cùm præsertim *Deus* sit bonorum *pollicitator*. A tanto verò pollicitatore quis expectet merum dedecus?

10. Sed an tibi, vel cuicumque alij fœminæ ad Deum pertinenti proficiat quod suademus, licet retractare.

10. Sincerior sum & candidior, quàm putas. Tractatum hunc tantùm dirigo, vt *tibi proficiat*, *vel cuicumque fœminæ ad Deum pertinenti*; id est, Christianæ. Verbum *retracto* frequenter vsurpat Tertull. pro, disputo, & tracto. Nota verbum Rhetorum, *suademus*, oppositum τῷ *insinuo*. Putabas me vti dolosa *insinuatione*? non sic est. tantùm candidè *suademus*.

NOTÆ.

1. DVX 1.] Nescio qua lubentia feror, vt alludat ad
6. verbum viri. q.d. Qui te in vxorem duxi, dignũ duxi, &c. Sed vt velis. Nota hoc initio librũ hunc scriptum à Tertulliano adhuc adolescente, vt testis Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. verba eius: *Certè Tertullianus cùm adhuc esset adolescens, lusit in hac materia*, &c. Si hoc acumine Tertullianus in lusu, quid de cæteris putabis à iam grandæuo?

1. DILECTISSIMA.] Græci Patres ad rem similem ἀγαπητός, vt Areopagita in epist. & alij. Constantinus Magnus in epistola apud Euseb. l. 3. de vita eius cap. 51. ὁ θεὸς ὑμᾶς διαφυλάξοι, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί. Eodem modo concludit epistolam suam Dionysius Alexandrinus ἀγαπητέ, sic enim Basilidem compellat. Gregor. Magnus in Ezech. *Dilectissimo fratri Mariano*. Et Hippolytus Martyr in sermone de extremo iudicio. Tale illud:

O socia nostri sanguinis, casta fide,

Cùm Amphitruo Megara salutauit apud Tragicum.

1. CONSERVA.] Signatè & propriè. Nam *seruitus* de matrimonio. Infrà in hoc lib. c. 7. *Quid libertatem collatam tibi iterata matrimonij seruitute fastidis?* Quem locum vide.

1. OBSERVES MANDARE.] Explicui *obserues*, & *mandes*, non solùm Græca, sed poëtica locutione. Nulla Poëtarum pagina absque illa.

2. SATIS AGENTES.] Dissoluit verbum *satago*, vt antè illud Plaut. Bacchidib. *Nunc agitas tute satagis rerum*. Id est, satagis. Talis ea Plauti formula in Mostell. & Stich. *Satis accipere ab aliquo*, cui opponitur *satisdare*. Dissoluerunt Patres alij, vt Eusebius Gallicanus Episcopus Homilia altera de symbolo: *satis agite charissimi*, id est, satagite. 7.

2. SI TALIBVS.] In ms. *si de talibus*, &c.

2. PRÆLEGARE.] Sunt propriè *prælegata*, quæ legantur vni ex hæredibus præter hæreditariam portionem. Cùm hoc verum sit, non dubium tamen, quin Tertull. *prælegare* dixerit pro *priùs legare* & in vita, & adhuc sano corpore, vt explicui.

2. DEMONSTRATIONEM.] Puto alludi ad ἀπόδειξιν dialecticam, & ita inferri hanc vocem hoc loco, vt postea ex eadem officina *insinuare*, & *suademus*.

3. SOLIDVM.] Alludit ad hæredem ex asse. q.d. Non te volo hæredem ex triente, quadrante aut semisse: sed ex asse & in solidum. Et ait *solidum capere*, quæ forma in Vlp. est.

3. FIDEI COMMISSVM.] Ita in lib. de Proscript. aduersus hæreticos: *Sicut Apostoli cauerunt sicut fidei commiserunt, sicut abiurauerunt, ita teneo.* Est propriè *fidei commissum*, quod fidei hæredis alteri restituendum demandatur, vel (definiente Vlpiano) *quod non ciuilibus verbis, sed precatiuè relinquitur: nec ex rigore iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.* Inde fidei commissum, vt totum fiduciarium, pendebat à fide, in pudore hæredum. Vetus Gloss. *Fidei commissum, τὸ τῇ πίστει τῶ κληρονόμου κείμενον.* Lusit ergo cum respectu ad ius hoc loco Tertull. vt etiam Arnob. l. 6. *Per tramites ergo quosdam, & per quædam fidei commissa, vt dicitur* (nota formam esse adagij) *vestras sumunt, atque accipiunt cultiones.* Ambros. de obitu Theodos. Imperat. *vt legata dimitteret, fidei commissa signaret.*

9. 4. PRÆCIPIO IGITVR TIBI, &c.] Retuli ad imperium viri in vxorem. Sed videtur Tertullianus parum iuris obseruator, scientissimus alioquin. Nam in *fidei commisso*, cur *præcipit*? Certè cùm *fidei commissum* penderet à fide hæredum, vsitata verba erant, *peto, rogo, cupio, opto, fidei tuæ committo, credo te daturum, exigo, desidero vt des*, & talia. Hæc omnia longè à verbo *præcipio*. Duplex solutio. Prima peti potest ab Iustinian. lib. 2. Instit. tit. 23. §. *Et quia prima*, &c. Vbi ait, prima fidei commissorum incunabula pependisse omnino à fide hæredum, sed Augustum retraxisse ad iuris necessitatem. Itaque post Augustum cogi illi poterant, cui hæc fidei commissa. Sciens huius Tertullianus non tam *rogat*, quàm *præcipit*. Certè & Schardius non solùm verba precatoria, sed etiam alia, vt *volo, mando, iniungo, impero*. Quia videlicet, quo ad iuris effectum iam Iustinianus æquauerat *legata*, & *fidei commissa*. Potest esse & altera solutio, vt *præcipio* hîc referatur ad præceptorem & magistrum. Vt dicat: Sum tibi huius rei præceptor. Quod firmo ex Ioanne Chrysostomo Hom. 13. ad Pop. vbi ait: πολλοὺς δὲ καὶ ἑτέρους μὴ τῶ σωτῆρος ἐπίστασιν ἡμῖν διδασκάλους ὁ θεός. καὶ γὰρ καὶ πατέρας τοῖς υἱοῖς, καὶ δεσπότας τοῖς δούλοις, καὶ ἄνδρας τὰς γυναῖκας: *Multos alios præter conscientiam nobis Deus magistros* (id est, præceptores) *præposuit, videlicet patres filijs, dominos seruis, viros vxoribus*, &c.

10. 4. QVANTA CONTINENTIA POTES.] Quia ad seruandam viduitatem opus forti & magna virtute. Ipse cap. 8. huius lib. *Vidua habet aliquid operosius virgine, quia facile est non appetere, quod nescias; & auersari, quod desideraueris nunquam. Glorioſior continentia, quæ ius ſuum ſentit; quæ, quid viderit, nouit. Poterit virgo felicior haberi, at vidua laborioſior.* Quem locum illustrabo verbis Hieronym. Ergo laboriosa est viduitas, quia iam gustata est voluptas, & ideo, quantacumque fuerit continentia, tota tibi necessaria, ait Tert.

2. EXCESSVM.] Id est, mortem, vt etiam Sueton. & Tacit. Sed & Cyprianus ad Demetrian. *Quando iſthinc exceſſerit, pœna iam ſola ſuperest ad dolorem.*

4. RENVNTIES NVPTIIS.] Ex Plauti loco Aulul. intelligimus, cur veteres pro *repudiare* dixerint *renuntiare*, aut *nuntium remittere*: quia scilicet per nuntium repudium renuntiabatur. Verba Plauti:

Is me nunc renuntiare repudium iuſſit tibi.

4. NIHIL MIHI ISTO NOMINE COLLATVRA, NISI QVOD TIBI PRODERIS.] Eadem sententia est in Ioann. Chrysost. Hom. 20. ad Pop. *Non pro me ipſo, ſed pro ſalute veſtra hoc facio. Imò verò & pro me ipſo hoc non facere negauerim: veſtra enim bona puto mea eſſe merita.* Simile etiam argumentum conficit Saluian. lib. 5. de Gubernat. *Nec contra legem tantùm, ſed etiam contra te: hoc enim ipſo quòd contra illam, & contra te, quia in illa ſalus & vita tua eſt.* q. d. Agere contra legem Dei, est agere contra te ipsum, quia salus tua in illa est posita.

5. TRANSLATIS IN ANGELICAM QVALITATEM.] Explicui, mentem Tertulliani esse, conuertendos homines in resurrectione in substantiam Angelicam. Etenim Tertullianus in hoc fuit errore, ne dicam hæresi. Et quod Hieronym. lib. aduers. Ruffin. reprehendens illam, dixit, *in Angelos reformari*, iste per verbum *transfero*. Illud *Angelicam qualitatem* explicui, *Angelicam ſubſtantiam*. Verissimè. Nam idem ita loquitur lib. de hab. mulieb. c. 2. Verba eius: *Vobis eadem tunc ſubſtantia Angelica repromiſſa.* Itaque hoc loco *qualitatem* pro *ſubſtantia* accepit. Nam ad eum modum, quo differentia essentialis dicitur in *quale*, aduenién sque indiuiduo illud *quale* reddit, vt docet Aristot. & ratio est, quia quicquid aduenit naturæ, subit quodammodo vicem qualitatis; ita forma Angelica & substantia, quia superuentura humanæ, dici potest quodammodo qualitas, sed substantialis, vt rationalitas. Mihi certè non dubium, quin hîc errauerit, vt etiam ibi, etiam si ibi *ſubſtantiam*, hic *qualitatem* dixerit. Vti hæc hæresis confutetur ab Hieron. vide ibi. 11.

7. VOLVERVNT.] Videtur mihi Tertullianus explicare locum Matthæi, vbi Sadducæi ita ad Christum: *Erant apud nos ſeptem fratres*, &c. Explicat verò Tertullianus, hos fratres nullos fuisse, neque duxisse per successionem eandem fœminam, sed hoc instar sermonis parabolici confictum à Sadducæis. Hoc enim indicant hæc verba, *illa, quam ſeptem fratribus per ſucceſſionem nupſiſſe voluerunt.* q. d. Ipsi hoc voluêre, & parabolicè confixêre. Inclinat Matthæus ipse, qui de imperfecto, *Erant*. 12.

7. NEMINEM TOT MARITORVM, &c.] Possent hæc verba bono sensu explicari, vt diceret, *neminem ibi offendet maritum*, id est, nullas iam ibi offendet nuptias. sed possent, si sola: at, cùm præcesserit, *transſlatio* illa *in Angelicam qualitatem*, & quæ scripsit in lib. de hab. mulieb. c. 2. videntur consequenter explicanda, vt ego explicui.

7. CONFVSVRVS.] Ecclesiastici Scriptores *confundor* dicunt pro *confundo*. Vide in Hieron. & aliis.

9. CONTVMELIÆ DOLORE.] Non puto hîc acriter pungendum Tertullianum, quòd dicat secundas nuptias cedere in contumeliam viri mortui. Nam *contumelia*, (auctore Seneca cap. 11. libri, quo probat in sapientem non cadere iniuriam) *à contemtu dicta eſt.* Nemini autem dubium, quin nuptiæ posteriores cedant in contemtum priorum: Cùm hodie apud nos honestissimæ fœminæ rogatæ, cur non repetant nuptias, respondent, nolle à se priorem virum contemni. Notanda verba eiusdem Senecæ cap. 10. eiusdem operis: *Contumelia eſt minor iniuria, quam queri, quam exſequi poſſumus; quam leges quoque nulla dignam vindicta putauerunt.* Quæ verba satis indicant, contumeliam olim habitam pro minima iniuriarum. Et verè, nisi se alibi explicuisset Tertullianus, hinc nihil colligi contra illum posset. 13.

9. FRIVOLA.] Cùm hæc vox ducatur à *frio*, id est, tero, & *friuolum* sit quasi friabile, rectè Tertull. de rebus spurcis *friuola*. In congressu enim maris & fœminæ corpus corpore teritur. Ergo hîc *friuola* sunt voluptuosa. Arripio illud Isidori: *Friuolum eſt, cùm eo animo ſeparantur coniuges, vt ad ſe inuicem reuertantur.* Quod omnino ad mentem Tertull. qui ait, Non post mortem reuertemur iterum ad friuola

voluptatum. Inde *friuſculum* aut *fribuſculum*, quæ vox ſignificat diuortium.

9. TAM SPVRCA.] Hoc nomen dat voluptuoſo dedecori, quod ſpurcum, & inſtar canis: hoc enim nomen in Abrahæ vita dæmon occupat: *Canis, inquit, immunde, & ter miſerande*, &c. Et infrà, *catulum vocat: Sic autem pro nihilo te ſpernam, veluti ſi vnus catulus contritus ab aliquo contemnatur.*

10. VEL CVICVMQVE ALII FOEMINÆ.] Nunc te punget ſuperius illud de *fidei commiſſo*. Relinquebatur enim fidei hæredis, vt alteri daretur. Ergo Tertull. hæc admonitio non tibi ſoli, ſed alij cuicumque fœminæ.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Polygamia cur olim permiſſa.

TERTVLLIANVS.

14. 1. NON quidem abnuimus coniunctionem viri ac fœminæ benedictam à Domino, vt ſciremus generi humano, & replendo orbi, & inſtruendo ſeculo excogitatam, atque exinde permiſſam, vnam tamen.

EXPLICATIO.

1. TRia hic nota. Primum, *vt ſciremus*, legēdum ex coniectura noſtra, *vt ſciamus*, id eſt, vt qui ſciamus. Etenim librarius ex (a) ſcripta cum hiatu iſto, &, vt ſæpè accidit, fecit (re) per inſcitiam. Alterum, duplex eſt ratio, cur permiſſa viri ac fœminæ coniunctio: prima *repletio*, & multiplicatio orbis; altera, *inſtructio* ſeculi & inſtitutio familiæ in timore Dei. Hoc enim fine inſtituta ſunt matrimonia, vt ex legibus etiam conſtat, quæ non permittunt adulteros, quos ſcilicet nequeas benè, & ex doctrina ſana componere. Itaque debuit *orbis* & *repleri*, & *inſtrui ſeculum* piè. Tertium, cùm ait, *vnam tamen*, verè Montanizat. Nam tametſi in Eua hoc verum, ſed certè ipſe totus incumbit in monogamiam.

15. 2. Nam & Adam vnus Euæ maritus, & Eua vna vxor illius, vna mulier,
Geneſ. 16. vna coſta.

2. Probat illud, *vnam tamen*.

Geneſ. 30. 3. Sanè apud veteres noſtros, ipſóſque Patriarchas non modò nubere, ſed etiam plurifariàm matrimoniis vti, fas fuit. Erant & concubinæ.

3. Per *veteres noſtros*, Iudæos intelligit, in quorum ſacramenta & religionem ſucceſſêre Chriſtiani. Per *Patriarchas*, Abraham & Iacob. *Vti matrimonijs plurifariàm*, pro, vti pluribus matrimoniis. Notetur vox *matrimonij*, erant enim omnes veræ vxores, & matrimonio coniunctæ: ideo addit *fas fuit*. Sequitur de concubinis, quæ licitè habebantur.

4. Sed licèt figura tum in Synagogam & Eccleſiam ceſſerit; vt tamen ſimpliciter interpretemur, neceſſarium fuit inſtituere, quæ poſtea aut amputari, aut temperari mererentur. Superuentura enim lux erat.

4. Licèt tempore Patriarcharum matrimonia ceſſerint, & fuerint *figuræ* ſynagogæ & Eccleſiæ, vt matrimonium Iacob cum Lia & Rachel, quorum prima Synagogam, ſecunda Eccleſiam figurabat; tamen omiſſâ hac interpretatione, inſtituta ſunt matrimonia eo fine, vt veniente lege Euangelij luxuries illa & redundantia matrimoniorum temperaretur, amputaretur. Itaque vult ſcriptor, inſtitutam à Deo polygamiam, vt poſtea quanta eſſet vis Euangelij noſceretur, reprimentis auctoritate ſua luxuriam connubiorum, etiam aliquando licitam. Nollem diceret Tertullianus, *neceſſarium fuit inſtituere*: ſatis erat, *neceſſarium* fuit permittere.

16. 5. Oportebat legis adimplendæ cauſſas præcucurriſſe. Eidem mox legi ſuccurrere habebat Dei ſermo, circumciſionem inducens ſpiritalem.

5. Probat quæ dixerat. *Adimplere legem*, eſt hoc loco, non opere illam exſequi, ſed conſtituere legem perfectiſſimam, & omnibus numeris abſolutam. Ergo ait: debuerunt *cauſſæ præcurrere*, vt *lex* deinde exſtaret *perfectiſſima*. Ideo ſequitur. *Mox* enim *Dei ſermo* (id eſt, Chriſtus) *inducens circumciſionem ſpiritalem*, *habebat* (debebat) *ſuccurrere*, opitulari, mederi *eidem legi* vt imbecillæ & languidæ. q. d. Lex vetus (ſiue naturalis Patriarcharum, ſiue ſcripta Moyſis) imbecilla admodum fuit & languida, neque potuit reprimere abundantiam matrimoniorum præ inopia gratiæ, quam dabat: debuit illi ſuccurrere lex Euangelij quæ fortiſſima ſuppeditandis viribus, & præbendæ virtuti ad nuptias ſuperfluas reſecandas.

6. Igitur per licentiam tum paſsiuam materiæ ſubſequentium emendationum præminiſtrabantur, quas Dominus Euangelio ſuo, dehinc Apoſtolus in extremitatibus ſeculi aut excîdit redundantes, aut compoſuit inconditas.

6. Concludit. *Licentia passiua* est, frequens & passim vsitata permissio, ambigua, promiscua, communis, vaga. Ait *emendationum*, nam lex Euangelij veterem emendauit, & correxit. Huius *emendationis* auctorem ponit principe loco Christum, deinde Paulum: vterque enim aut *redundantes materias* legum *excidit*; aut *inconditas composuit*. In primo sumit locutionem ab sylua, quæ exciditur: in altero, ab ædificio, quod attollitur. q. d. Excidit Christus veterem syluam legum, & alias de nouo condidit, componens spirituale ædificium. Illa, *in extremitatibus seculi*, spectant verba Pauli, qui de se & Apostolis ait, *in quos fines sæculorum deuenerunt*.

NOTÆ.

17. 1. CONIVNCTIONEM.] Explica matrimonium & coniugium, non commistionem maris & fœminæ. Ambrosius clarè lib. de Institut. Virg. c. 6. *Cùm initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adsciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cùm iungitur puella, coniugium est, non cùm virili admistione cognoscitur.* Itaque ait Tertull. matrimonium excogitatum replendo orbi: quia scilicet coniunctionem sequitur cognitio, sed vox quidem ipsa primariò non notat cognitionem. Hinc fit, vt salua sit Mariæ (quod ibi Ambros. probat) integritas, etiamsi dicatur coniux Ioseph. Varro etiam vxores vocat *coniunctas*. Locum postea indicabo ad rem aliam. Minut. *Deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore coniunctos.*

18. 2. NAM ET ADAM VNVS EVÆ MARITVS, &c.] Verbatim ab Nostro Hieronym. in epist. ad Gerontiam. *Primi hominis creatura nos docet plures nuptias refutare. Vnus Adam, & vna Eua, imò vna ex costa, separatur in fœminam.* Sumsit verò verba tantùm, non animum.

19. 3. VETERES NOSTROS.] Vox notanter posita. Iactabant enim Iudæi vanos esse Christianos, & præsumtionis multæ plenos, quòd dicerent, successisse in sacra Iudæorum. Dicebántque palam, (nec vos nostri estis, nec nos vestri:) Hunc errorem diluit Iustin. Martyr Exhortat. 1. ad Græcos, loquens de re simili, scilicet de libris sacris, quos adhuc Iudæi retinent. γνώτω ἀπ' αὐτῶν τῶν ἐν ταῖς βίβλοις γεγραμμένων, ὅτι οὐκ αὐτοῖς, ἀλλὰ ἡμῖν ἡ ἐκ τούτων διαφέρει διδασκαλία: *Is scire debet, ex rebus ipsis, quæ in libros hosce sunt relatæ, non ad ipsos* (Iudæos) *verùm ad nos* (Christianos) *doctrinam eorum pertinere.* Inde postea Tertull. ait, rem Christianam *præministratam* in eo populo.

3. NVBERE.] De viris. Profani Scriptores *duco* de viris dicunt, *nubo* de fœminis: Ecclesiastici confundunt, nam *nubo* de vtroque sexu, secuti Græci, quibus γαμεῖν, de vtroque sexu. Inde *monogamia*, *digamia*, *polygamia* tam de viris quàm de fœminis. Quin profani adhuc scriptores, si non verbum *nubo*, certè *nuptias* (quæ ab eo verbo ducuntur) de vtroque dicunt sexu. Tam enim de viro, quàm de fœmina dicuntur nuptiæ.

20. 3. PLVRIFARIAM MATRIMONIIS VTI.] Illius populi polygamia certissima, & sine peccato permissa. Nam Iacobo non solùm fuere Lia & Rachel, sed Bala, & Celpha. Et posteriores duæ verè fuêre vxores, vt priores, vt liquidum vel ex illo Genes. 30. *Deditque illi Balam in coniugium.* Agar quoque vxor fuit Abrahæ veluti secundaria, vt satis potest constare ex his quæ habentur Genes. 16. Huc etiam confero illud Deuteronomij 21. vbi: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam & alteram odiosam.* Et quidem licitam fuisse in eo populo polygamiam firmat auctoritas Augustini lib. de bono coniugali c. 13. & 15. eius ratio. Nam oportebat populum Dei multiplicari, crescente numero Gentilium, qui adorabant idola. Et c. 18. ait, veterum patrum polygamiam significasse gentium multitudinem & varietatem, quæ in Ecclesia erat subiecta futura Christo. Quis autem fuerit primus, affirmat Hieronymus in epistolis, de Lamech loquens: *primus Lamech sanguinarius & homicida, vnam carnem in duas diuisit vxores.* Vide illum epist. ad Saluinam, & epist. ad Ageruchiam, quæ est de monogamia. Adducam hîc, licèt longum, locum Augustini contra Faustum Manichæum, vbi disertè & clarè loquitur de Iacobo Patriarcha, his verbis: *Iam verò filio eius Iacob, quòd pro ingenti crimine quatuor obiiciuntur vxores, generali proloquutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus habitis vxoribus obiiciatur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi caussa illis mulieribus vtebatur. Si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus, & legibus non licet?* &c. De polygamia gentilium, quid te fatiem? Adi plena fercula Pinedæ nostri lib. 7. de Rebus Salomon. cap. 5. Sed scias velim, adhuc apud gentiles vniuiratum semper fuisse in laude. Plautus Mercatoribus:

Quæ proba est, contenta est vno viro.

Afranius, 21.

Nam proba & pudica quòd sum consulo & parco mihi,
Quoniam comparatum est, vno vt simus contentæ viro.

Celebris est hac de re sentētia Eurip. in Andromacha,

Οὐδὲ ποτ' ἂν δίδυμα
Λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
Οὐδὲ διφυιάτοχας κόρους
Εἶεν μὴ οἴκων,
Δυσπενεῖς τε λύπας.
Τλὰν μίαν μοι στέργετω πόσις γάμοις
Ἀκοινώνητον ξυναν ἀδέξ:
Nunquam geminos
Lectos laudabo mortalium:
Neque liberos, qui habent diuersas matres,
Litem odium,
Et tristes dolores.
Maritus in nuptiis mihi sit contentus vno
Lecto viri non communicato cum vllis aliis.

Circa rem grammaticam monearis hæc omnia *multifariam, plurifariam, bifariam*, & similia esse non aduerbia, vt vulgus putat, sed nomina, & subaudiendum esse aliquid. Video enim Ammian. l. 14. *ratione bifaria deserebatur.*

3. MATRIMONIIS VTI.] Ita lib. de Hab. mulieb. c. 2. de matrimonio loquens dixit *vsum gratuitum*, & Plaut. Amph. *vxorem vsurariam.* Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. *vsum veneris.*

3. CONCVBINÆ.] Erat etiam concubinatus permissus in eo populo sine peccato. Ita Dauid 2. 22.

Reg. 5. *Accepit adhuc concubinas, & vxores de Ierusalem, postquam venit de Hebron.* Eodem lib. cap. 15. dicitur Dauid ipse reliquisse ad custodiam domus *concubinas decem*, cùm fugeret filium Absalon. Scio ab Abulens. reprehendi Regem, sed has omnes veras vxores fuisse plerique interpretes fatentur. Vide Pinedam, loco dicto, ne repetam, quæ ille. Horum in numero pono Tertullianum, qui certè grandi suo supercilio non hoc loco concubinarum meminisset, nisi in re licita. Erat verò discrimen inter vxorem & concubinam hoc. nam illa ducebatur cum sollemnitate, & dote; non hæc. Ita hoc verum, vt posteriore æuo, vxor indotata proprio nomine diceretur *concubina*. Quo significato capiendum necessariò Concilium Toletan. primum, in cuius can. 17. scribitur: *Si quis habens vxorem fidelis, concubinam habeat, non communicet. Cæterùm is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur; tantùm, vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ (vt ei placuerit) sit coniunctione contentus.* Quò loci necessariò *concubina* de vxore indotata sumitur, quod iam Gratian. notauit distinct. 34. canone. Discrimen hoc non abit ab illo, quod ex Varron. lib. 1. Rust. c. 17. eruditi adnotarunt, videlicet, liberorum coniuges dici *vxores*, seruorum coniuges dici verè *coniunctas*. & quidem cùm Concilium Toletan. 2. c. 3. diuidit mulierem coniunctam matrimonio aut ingenuam, aut libertam vel ancillam. Existimo per *ingenuam* intelligi vxorem, per *libertam* vel *ancillam*, concubinam. Hoc enim consequens ad adductum locum Concilij Toletani primi. Hæc eadem est sententia Rabani Mauri lib. Pœnitent. c. 8. si bene expendatur, ibi enim de ancilla, vt de coniuge loquitur, cui opponit vxorem ingenuam. Similiter can. 7. Apostolorum, cùm dicitur: *Qui concubinam habuit, non potest esse Episcopus*, &c. Intelligendus est canon (ait Turrianus lib. 1. pro Canonib. Apostolicis cap. 13.) de ea, quæ secundùm legem matrimonij, infra dignitatem tamen vxoris, ducitur. Dixi permissum concubinatum in populo Iudaïco, quem tamen debes intelligere, si cum modo, & ad propagationem: nam si extra modum, & ad meram scortationem, permissus non fuit. Quis enim non reprehendat exuberantem luxuriam Salomonis, cui numerus *quasi Reginarum septingentarum, & concubinarum trecentarum*? Nã vt ait Chrysost. orat. de Nouilun. quisque debet capere vxorem, *vitæ sociam, non κατηλείας κοινωνὸν, lenociniorum comitem.* Ad concubinas refero *focarias*, quarum mentio fit 1. Reg. cap. 8. versu 13. & Antoninus Imperator Cod. de donationibus inter virum & vxorem lib. 2. vbi ait: *Milites autem meos à focariis suis hac ratione fictisque adulationibus spoliari nolo. Focariæ* dictæ sunt concubinę à parandis in foco cibis, idem vtique quod *coquinariæ.*

23. 4. FIGVRA IN SYNAGOGAM, ET ECCLESIAM.] Consentit cum mente Tertullianica Augustinus, sermone de Tempore, & Rupertus lib. 7. Comment. in Genes. cap. 29. & 30. Allegoriam coniugij Iacob cum Lia & Rachele referunt ad duos populos, Iudaicum & Gentilem. Discrimen est tantùm; nam Augustinus Liam facit figuram populi Iudaici, Rachelem Gentilis: Contrà Rupertus, Liam Gentilis, Rachelem Iudaici. Mihi non dubium quin Tertull. respexerit Paulum, scribentem ad Galat. c. 4. duas Abrahami vxores ancillam & liberam, fuisse allegoricè duo testamenta. Nam Agar ancilla, id est, Synagoga, in seruitutem generauit Ismaëlem, id est, Iudæos: Sara libera, quæ notat cœlestem Ierusalem, id est, Ecclesiam, Christianos gignit. Porrò Iunium non audio, qui pro *figura tum*, legit *figuratum*. Nam figura in figuratum cedit, non figuratum in figuratum, hoc enim ἐνηθῶς dicitur.

5. SVCCVRRERE HABEBAT.] Merus Helleniſmus, tum in coniunctione vtriusque vocis, tum in significato τῶ *habeo*; nam Græci ἔχειν dicunt eodem sensu. ita lib. 2. de Pall. *habet mutare.* & lib. aduers. Iudæos cap. 5. *Exire habebat prædicatio.* Et quidem hîc *habeo* esse *debeo*, satis nos docet Augustinus, qui illud Euangelistæ, *ego à te opus habeo baptizari*, explicat tractat. 6. in Ioannem: *Ego à te debeo baptizari.* 24.

6. PASSIVAM.] Dixi alibi de hac voce, sed hîc audi Aldhelmum lib. de Virg. cap. 28. *Passiua plurimorum generalitas nequaquam iure lacerari debet, vbi specialis singulorum proprietas culpari non valet.* Augustinus contra Adimantum cap. 24. *Si hoc dictum est vt non seruetur panis in crastinum, magis hoc implent vagi Romanorum, quos passiuos appellant, qui annona quotidiana saturato ventre, aut donant statim quod restat, aut abiiciunt.* Sanctus Hieronymus in Ezechielem cap. 16. cùm *passiuam libidinem* dixit, eam intellexit, quæ vaga est, & nullis maritalibus legibus obstricta. Cassian. collat. 1. c. 5. *Passiuus obtusus*, dixit. Tertullianus lib. de Carne Christi, *passiuos discipulos* dixit, hoc est, inconstantes & vagos. Concilium Carthaginiense primum can. 2. *Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, nec passiua corpora Martyrum nomine appellet.* Vbi *passiua corpora* appellat, quælibet corpora mortuorum aut occisorum. Notauit autem Iacobus Billius, hanc vocem non à *passim* originem trahere, vt vult Rhenanus, quod ego tamen alicubi secutus sum, sed à Græco ἐμπάθειαν, quod *passiuitas* est sæpe Tertulliano, & ἐμπαθὴς, *passiuus*, hoc est, lasciuus, & voluptatibus deditus.

6. EMENDATIONVM.] In lib. de Orat. vocat *reformationem*, nam cap. 7. *Vt legem in melius reformaret.* & cap. sequenti huius operis vocat, *posteritatis castigationem.* 25.

6. PRÆMINISTRABANTVR.] Est hoc quod cap. 1. lib. de Orat. *præstruebantur.* Verba: *Sed omnia Ioannis Christo præstruebantur.*

6. IN EXTREMITATIBVS SECVLI.] Est hoc, quod Augustinus dixit epist. 3. *Mundo declinante in extrema, fessisque rebus ætatem vltimam protestante.*

6. EXCIDIT, COMPOSVIT.] Retuli primum ad Syluam, nam ipse Apolog. c. 4. *Totam illam veterem & squallentem syluam legum nouis Principalium rescriptorum & edictorum securibus truncatis & cæditis.* Alterum ad ædificia. Nam Virg. 3. Georg. *templum ponam.* & 6. Æn.

---posuitque immania templa.

pro, ædificauit. Quid quòd *condo* totum est ædificiorum?

CAP. III. ARGVMENTVM.

Nuptiæ nullæ imperatæ, tantùm permissæ.

TERTVLLIANVS.

26. 1. SED non ideo præmiserim de libertate vetustatis, & posteritatis castigatione, vt præstruam Christum separandis matrimoniis, & delendis coniunctionibus aduenisse; quasi iam hinc finem nubendi præscriptum, viderint qui inter cætera peruersitatum suarum disiungere docent carnem de duobus vnam, negantes eum qui fœminam de masculo mutuatus, duo corpora ex eiusdem materiæ consortio sumpta, rursus in se matrimonij compactione compegit.

EXPLICATIO.

1. CLARA omnia, sed iuuabunt Notulæ. Vocat *libertatem*, quam superiore cap. *licentiam* ad multiplex coniugium & concubinatum: his opponit *castigationem*. Vox *coniunctionibus* signatissima ad rem coniugalem. Cui statim *disiungere* opponit. *Cætera peruersitatum*, pro, cæteras peruersitates. Hellenismus. *Docent* scilicet Marcionistæ. *Eum*, Deum. *Mutuatus*: elegans locutio, cùm enim Euam produxit ab Adamo, videtur aliquid mutuum ab eo accepisse, quasi redditurus in coniunctione matrimonij. *Compactione compegit*, nulla aptior locutio ad significandum *erunt duo in carne vna*. Certè in ædificiis ex diuersis materiis corpus vnum compingitur, vnum efficitur.

27. 2. Denique prohiberi nuptias nusquam omnino legimus, vt bonum scilicet. 1. Cor. 7. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Qua ratione vtriusque pronuntiationis inspecta, facilè dignoscitur necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem. Quod autem necessitas præstat, depretiat ipsa.

2. *Nusquam*, neque in veteri, neque in nouo instrumento. *Vt bonum scilicet*, ratio cur nusquam prohibentur. Quid enim prohibeatur, quod *bonum* est? *Permittente*, &c. Nam 1. Corinth. 7. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*. Sequitur, *illud propter insidias tentationum*, ibid. Paul. *Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. Pergit, *hoc propter angustias temporum*, nam Paul. *tempus breue est*. Itaque Paulus nuptias permittit, ne miseri propter incontinentiam suam insidiis appetantur: sed *præfert abstinentiam* nuptiarum, quia tempus breue, atque angustum est. Etenim qui cogitat & vitæ & voluptatum breuitatem, omnino præferet abstinentiam à nuptiis. *Pronuntiationis*, id est, assertionis, propositionis. Qui Pauli rationes consideret, altiúsque inspiciat, videbit, nuptias nobis *necessitate* tantùm permissas. Quippe *necessitas* adimit rei pretium, commendationem, æstimationem.

28. 3. Quod denique scriptum est, Melius est nubere, quàm vri; quale hoc bonum Ibid. est, oro te, quod mali comparatio commendat? Vt ideo melius sit nubere, quia deterius est vri. At enim quanto melius est, neque nubere, neque vri? Sed etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido in oppidum, quàm compressum & distortum negare.

3. Posset aliquis dicere, *Nubere* omnino est *bonum*, imò *melius*, quia Apostolus, *melius est nubere*. Hîc ergo Tertullianus, considera mihi quod sequitur, *quàm vri*. Non ergo ex se *bonum*, sed ex *comparatione mali*. certè melius esset, *neque nubere neque vri*. Adducit rem similem. *Fugere* in persecutione *bonum* est, sed tantùm *ex permissu*. &, si est *melius*, certè ex *comparatione mali*, nam *melius* est, *quàm negare*. quasi dicat: Hæc melioritas deprecianda est. Porrò *compressum* referunt ad tormenta, quæ comprimunt; *distortum* ad equuleum, qui extendit membra. quæ duo opponuntur.

29. 4. At, quæ ista beatitas est, ideo, ne qui neget, beati testimonij confessione excidere? Possum dicere, quod permittitur, non est bonum. Quid enim necesse est mori mihi? Si ploro, bonum est; si timeo. Quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ caussam: quod autem melius est, nemo permisit, vt indubitatum, & sua sinceritate manifestum.

4. *At* obsecro illum, quisquis mihi hæc obiicit, *quæ beatitas est ista*? scilicet *excidere*, à grandi bono, videlicet *confessione testimonij* (id est, martyrij) *beati* (beatum te facturi) & hoc *ideo* tantùm *ne qui neget*? id est, ne quis neget. nam *qui*, pro, *quis*. q. d. Ista beatitas, mi vir, exigua est, & tantula quidem. Nam *quod permittitur*, pene audeo *dicere*, *non esse bonum*. Hîc moderatior est in errore suo Tertullianus, alibi effre-

natior. Nam hîc, tantùm dicit, non esse modum glorioſum, retineri fidem ab illo, qui negaturus esset, nisi fugeret persecutorem. Adhibet verba illius, qui fugit in persecutione, & quàm potest indigna, & indecora, vt ex illis appareat indignitas, & dedecus fugientis. Verba sunt: Volo me in tuto collocare, *fugere ex oppido in oppidum. quid enim mihi* nunc *necesse est mori? si ploro, bonum est: si timeo*, bonum est. q.d. Gratias ago meo ploratui, meo timori, quæ mihi nunc dant vitam; nam nisi plorarem, nisi timerem, obiicerem me martyrio, & amisissem vitam dulcissimam. Ergo mihi *bonum est*, nunc *plorare & timere*. Perdit sententiam istam Iunius suis interrogatiunculis. Redeo. Hactenus verba timentis. Quid huic homini tam formidoloso Tertullianus? Fuga ista tibi tantùm permissa est, atqui quod permissum est, &c. reliqua clara.

30. 5. Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur: & si quodammodo vetantur, cùm alia illis præferuntur. Prælatio enim superior, dissuasio est infirmorum. Non ideo quid bonum est, quia malum non est: ideo malum non est, quia non obest. Porrò planè bonum hoc antecedet, quod non modò non obest, sed insuper prodest. Itaque malle debes, quod prodest, quàm quod non obest.

5. Clara hæc sunt, & omnia firmanda cursui Tertullianico. Assertio certissima, & in qua est gradus ascensúsque (Græci dicunt κλίμακα) vt colligat iungátque de primo ad vltimum duo hæc extrema, *Non ideo quid bonum est, quia non obest.* Fieri quippe potest, vt multa etiam si non obsint, mala tamen in seipsis sint: exemplo sunt multa animalcula, quæ tametsi homini non obsint, non noceant; eidem tamen bona non sint, neque proficua. Hinc *porrò*, id est, vlteriùs statuit *planè* quæ sit vera ratio boni: non scilicet quod *non obest*, sed quod *insuper*, id est, præterea *antecedit*, superátque in *hoc*, quòd scilicet *prodest*. Ideo concludit, *Itaque malle debes, quod prodest, quàm quod non obest.* Breuiter, *Non ideo aliquid est bonum, quia non obest; sed quia insuper prodest.* Vnde *quod prodest* amandum nobis vt bonum verum; non illud tantùm, *quod non obest.*

31. 6. Ad primum enim locum certamen omne contendit: secundus solatium habet, victoriam non habet. Quòd si Apostolo auscultamus, obliti posteriorum, extendamur in priora, & meliorum donationum sectatores simus. Si nobis laqueum
Philipp. 3. non imponit, quid vtilitatis sit ostendit, dicens: Innupta de Dominicis cogitat, vbi
1. Cor. 12. corpore & spiritu sancta sit: nupta verò sollicita est, quomodo coniugi suo placeat. Cæterùm nusquam ita nuptias permittit, vt non potiùs ad suum exemplum nos eniti
1. Cor. 7. malit. Felicem illum, qui Pauli similis exstiterit.

6. Egregia gnome, cui aptat locum Apostoli, imò quam compingit ex loco Apostoli, qui 3. ad Philipp. *Quæ retro sunt obliuiscens, &c. ad destinatum persequor, ad brauium*, &c. Ne scilicet sim secundus. & idem 1. Corinth. 12. *Æmulamini charismata*, non bona, sed *meliora*. Ergo in certamine sequamur locum primum, in actis priora, in charismatis meliora; vt victoriam habeamus, nec sit opus solatiolo. Respicit verba Pauli: *Hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam.* Quid verò ille? *Mulier innupta & virgo*, id est, mulier omnis libera à coniugio, *cogitat* quæ sunt Domini; *nupta*, quæ sunt viri: illa de sanctitate corporis ac spiritus; ista de rebus placitis ad gustum, scilicet quomodo placeat & mundo, & viro. ô quantum interest. Quia scilicet Paulus, *Volo omnes vos esse, sicut meipsum.* &, *Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Nota verbum *permittit*, quia nunquam Paulus vrget ad nuptias. Illud *eniti* emphaticῶς, nam castitas non labor obuius, nitendum est, imò *enitendum*, vt euadas.

NOTÆ.

32. 1. DELENDIS CONIVNCTIONIBVS.] *Coniunctio* matrimonium significat. Græcus Heliod. lib. 4. Hist. Æthiopicæ, καὶ τὸ μὲν ὀπθυμίας αἰσχρὸν ὄνομα διώσασθαι, τὸ δὲ συναφείας ἔννομον συμπλοκὴν ἀσπάσασθαι, καὶ εἰς γάμον τρέψαι τὸν νόσον: *Cupiditatis nimirum turpe nomen repellere, coniunctionis autem legitimum vinculum amplecti, & in matrimonium vertere morbum.*

1. QVI INTER CÆTERA PERVERSITATVM SVARVM, &c.] Quippe Marcionistæ, vt scribit Tertull. lib 1. contra illos: *Non tinguitur caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi caleb, nisi diuortio baptisma mercata.*

1. COMPACTIONE COMPEGIT.] Referendus necessariò est sermo ad ædificia propter verbum *compingo*. Itaque nihil ad Tertullianum quæ notant de voce ista *de compacto*, vel *de compecto* ἀπὸ τῆς *compeciscor*, vt innuat aliquid ἐκ τῆς συμπήματος.

33. 2. PERMITTENTE QVIDEM NVBERE, SED ABSTINENTIAM PRÆFERENTE.] Cur *permittit*? quia *ibi remedium infirmitatis*. Cur *abstinentiam præfert*? quia *hîc gloria castitatis*. Quæ nubit, *non reprehenditur*: quæ abstinet, *laudatur*. Hæc omnia Ambrosij sunt lib. 1. de Virg. qui sic pergit: *Conferamus, si placet, bona mulierum cum vltimis virginum. Iactet licèt fœcundo se mulier nobilis partu, quo plures genuerit, plus laborat: numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. nubit, & plorat. qualia sunt vota, quæ flentur?* Parco infinitis, & in primis Tertulliano de Monogam. cap. 3. nam Ambrosius mihi visus est præ aliis speciosior. Parco item Hieronymo, qui expendens hæc verba, inquit: *Si autem acceperis vxorem, non peccasti: aliud est enim non peccare, aliud benefacere.* mox explicat longissimè.

2. PROPTER ANGVSTIAS TEMPORVM.] 34.
Explicui, vt vidisti, quia commentarij Hieronymo ascripti: *Tempus vitæ nostræ modicum asserit* Paulus, *vt doceat, voluptatem, quæ citò finitur, non magnopere appetendam; sed magis concupiscendum esse æternum præmium castitatis.*

2. PRONVNTIATIONIS.] Vox iuris, dicitur enim *pronunciare* qui fert sententiam. Inde *pro-*

nunciatus hæres eſt, qui ſententia iudicis declaratus eſt eſſe hæres. Facit ergo Tertull. Apoſtolum iudicem & cognitorem rei totius, vt cuius ſententiæ ſtandum ſit. A

2. DEPRECIAT.] Gloſſ. *Depreciati* ἡττηθέντες, vt quibus imminutum pretium. Hæc certè vis rei depreciatæ. Non enim abſolutè danda *vilitas*, vt facit Iſid. ſed pretij imminutio. Tale verbum *depauperor* apud Eccleſiaſticos Scriptores.

3. MELIVS EST NVBERE, QVAM VRI.] Quæ iſta ſit *vſtio*, & vti accipienda, appellet ſanctos Doctores. Mihi videtur accipienda de ſemine ita incendente & proritante hominem, vt tandem libidini ſuccumbat. Nitor Iſidori verbis, qui in Moralib. *Apprehende robuſtam mulierem, ne à Dei gratia excidas, & cùm ignem exercueris, cum bona ores conſcientia.* Quæ affinia verbis Salomonis Eccleſiaſtici 23. *Anima calida, quaſi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo nequam in ore carnis ſuæ non deſinet, donec incendat ignem.* Cæterùm verbum *vro* in re amoris, quis ignorat? Catull. B

Ignes interiorem edunt medullam.

Virg. *---vritur infelix Dido.*

Sic Græci αὔειν & φλέγω in re amoris. vt Latini verba *ardeo* & *flagro*.

35. 3. QVALE HOC BONVM EST, ORO TE, QVOD MALI COMPARATIO COMMENDAT?] Neget lucem meridianam, qui neget Hieronymum aſpiraſſe omnino ad conceptum Tertulliani & mentem, cùm ita ſcribit ad Saluinam: *Vide qualia ſint ſecunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur, quia declinauerunt quædam poſt Satanam. Ideo adoleſcentula vidua, quæ ſe non poteſt continere, vel non vult, maritum potiùs accipiat, quàm diabolum. Pulcra nimirum & appetenda res, quæ Satanæ comparatione ſuſcipitur.* In epiſt. quoque ad Gerontiam, de ſecundo matrimonio ait, *mali comparatione fit leuius.* Et iterum: *aliud eſt, quod vult Apoſtolus, aliud quod* C *cogitur velle. vt concedat ſecunda matrimonia, mea eſt incontinentia, non illius voluntatis.* Pergit multis in eandem ſententiam. & lib. 1. aduerſ. Iouinian. de hac ipſa re loquens: *Quale autem illud bonum eſt, quod conditione deterioris conceditur?* & iterum: *Suſpecta eſt mihi bonitas eius rei, quam magnitudo alterius mali, malum eſſe cogit inferius.*

36. 4. QVI.] Pro, *quis*. Apolog. 48. *Age iam ſi qui philoſophus affirmet hominem fieri ex mulo.* Sic *aliqui* pro aliquis. Apolog. 9. *Aut mores ſuos aliqui Deus mutat.*

4. EXCIDERE.] Iunius legit *excedere*. & perdit ſententiam. Altior quippe conceptus, cadere grandi bono; quàm, loco cedere.

6. SECVNDVS SOLATIVM HABET.] Cùm *ſecundus* in Tertulliano ſit *victus*, credo Virgilio inſtitiſſe, qui 5. Æn. D

Victori velatum auro, vittiſque iuuencum:
Enſem, atque inſignem galeam, ſolatia victo.

Claudian. etiam Paneg. Honorij, *ſolatia caſis fratribus*. Addit Tertull. *victoriam non habet.* Verè Ioann. Chryſoſt. orat. de Ira, *Nihil commodi habet decurſio per multa ſtadia, ſi à præmio excidas.* Scio Senecam dixiſſe epiſt. 100. *In re tanta eminere eſt & poſt duos eſſe.* Sed hoc certè ille excuſans dixit, & amico prouidens; non ex vero: nam poſt duos nemo eminet.

6. MELIORVM DONATIONVM SECTATORES SIMVS.] Aduerte qua ratione appellet *Chariſmata* Pauli, videlicet *donationum*.

37. 6. LAQVEVM IMPONIT.] In Græco eſt ἐπιβάλλειν. Vulgatus interpres *iniicere*, quem laudo. Noſter *imponere*, præpoſterè. Nam quid verbum oneris *impono* cum *laqueo*? Certè *impoſtores* onus reſpiciunt. & *imponere alicui* pro decipere, nihil eſt aliud, quàm clitellam imponere. Multò melius Chryſoſt. Hom. 2. ad Pop. ἐν παγίδι κόπτεται. quod verbum propriè ad laqueum, non, impono. Sed liberemus Tertullianum hac calumnia. Certè *laqueus* ſumitur prouerbialiter pro omni malo, aut calamitate, vt cùm idem Chryſoſtom. Homil. 8. dixit ἠλγήσαμεν ὥσπερ τινὶ παγίδι κατεχόμενοι: *Doluimus tanquam laqueo quodam detenti.* vbi particula *tanquam* ad prouerbium nos ducit, vt ſit, *tanquam malo quodam detenti.* Hinc eſt vt illi aptari poſſit quodlibet verbum nocumenti. Sic idem iuramento dedit κατέδησεν, nam illo quaſi laqueo illigamur. Et Homilia 5. παγίδας, id eſt, *laqueos*, non ſolùm explicat per δόλους, *dolos*; ſed etiam per βαράθρα, id eſt, *voragines*. Hilarius omnino prouerbialiter ad Conſtantium Aug. *Paleis aquas tegis, vt foneas ceſpitibus occultas, & eſcis laqueos ſupponis.* Et quid aliud voluit, qui in Pſalmo dixit, *Præoccupauerunt me laquei mortis?* certè, dolores mortis, atque anguſtiæ.

6. NVPTA SOLLICITA EST, QVOMODO CONIVGI SVO PLACEAT.] Hanc ſollicitudinem nuptæ fœminæ iſtis explicat Hieronym. lib. aduerſus Heluid. *Illa ad hirundinis modum luſtrat vniuerſa penetralia, ſi torus rigeat, ſi pauimenta verrerint, ſi ornata ſint pocula, ſi prandium præparatum. Reſponde quæſo inter iſta vbi ſit Dei cogitatio?* Ait ſcilicet facere hoc nuptam, cùm nuntiatur vir venire. Tractat hunc locum eleganter Ambroſ. lib. 1. de Virg. refértque hanc *ſollicitudinem* primò ad pretium & opes, quæ neceſſariæ, vt vxores placeant viris ſuis. Verba eius: *Iam quanto pretio opus eſt, ne etiam pulcra diſpliceat. Hinc pretioſa collo dependent monilia, inde per humum veſtis trahitur aurata. Emitur igitur hæc ſpecies, non habetur.* Pergit aliis. Deinde ait, in hac ſollicitudine incentiua eſſe vitiorum, his grauiſſimis verbis, & dignis oſculo: *Hinc illa naſcuntur incentiua vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidant, vt de adulterio vultus, meditentur adulterium caſtitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale iudicium, prodere ſuum?* Conſentit Chryſoſt. qui orat. de Nouilun. ait ornatum corporis eſſe indicium ψυχῆς ἀκαθάρτου & διεφθαρμένης, *animæ impuræ & corruptiſſimæ.* Vt verò nupta ſollicita eſt, ita 38.

---libera curis
Virginitas.

dixit Statius lib. 5. Thebaid.

6. AD SVVM EXEMPLVM.] Quippe Paulus exemplo ſui conſulit, non præcipit. nam vt præclarè Ambroſ. loco laudato: *Non imperari poteſt virginitas, ſed optari: nam quæ ſupra nos ſunt in voto magis quàm in magiſterio ſunt.* Et Aldhelm. de Virg. cap. 8. *Hæc quidem humanæ fragilitatis præſcius (Deus) non rigido præcepti ſtimulo, ſed clementi ſuggeſtionis conſilio ſuadere videtur.* Hæc etiam ſi vera ſint, & Paulus dicat de hac re non *præceptum*, ſed *conſilium*, expendatur tamen verbum illud Pauli *volo*, cùm ait, *volo omnes vos eſſe ſicut meipſum*, videlicet ad indicandum quantum hoc ſit conſilium. Meruit certè virginitas dignitate ſua, vt conſuleretur verbo merè imperiali, & ab tanto Apoſtolo. Hinc etiam liquidum, Paulum ſemper fuiſſe virginem, quod iam alij aſtruxerunt: omitto, ne actum agam. Tantùm moneo oſcitantiam Typographorum in epiſt. 6. Ignatij Martyris, quæ eſt ad Philadelph. vbi per iniuriam in communibus exemplaribus nomen Pauli ponitur inter eos qui vxores duxerunt, cùm abeſſe inde debeat, vt abeſt in antiquiſſimis codicibus Ignatij. Fortaſſe, quia ibi mentio Petri, placitum Typographo & Paulum adiungere. Scio Liuineium eius eſſe ſententiæ, vt dicat, Paulum ſibi vxorem duxiſſe, quod probat ab prædicto Igna- 39.

tij loco, ab Clemente, ab Chryſoſtomo. Sed de Ignatio iam vidimus additum nomen Pauli, quod etiam Vuilhelmus Lindanus aſſerit: de Clemente Alexandrino Vaſquius Noſter, tum eius opera ab Gelaſio inter apocrypha numerata ait, tum de Pauli verbis multa diſputat, cui innititur Clemens: de Chryſoſtomo clarè aſſerente Paulum inter viduos fuiſſe, neſcio quid queat reſponderi ad rationem Vaſquij hanc. Cùm Paulus *non nuptis & viduis* ſe exemplum proponat, vt ipſum imitentur, & per *non nuptos* intelligat virgines, vt clarum eſt, fruſtra hortaretur illos ad ſui imitationem, ſi ipſe nuptus aliquando fuiſſet. In ſumma vide Vaſquium in ordine Diſputation. 249. cap. 8. qui id egregiè, vt aſſolet.

6. FELICEM ILLVM, QVI PAVLI SIMILIS EXSTITERIT.] Ita Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinian. *Beatus qui Pauli ſimilis erit.* accepit omnino à Noſtro.

CAP. IIII. ARGVMENTVM.

Duplex peſtis quæ fœminas ſubornat ad nuptias, ſcilicet concupiſcentia carnis, & concupiſcentia ſæculi: Vtrique medicina adhibetur, prima ab exemplo ſanctarum fœminarum; alteri à prouidentia Dei.

TERTVLLIANVS.

40. 1. SED carnem legimus infirmam, & hinc nobis adulamur impenſiùs. Legimus tamen & ſpiritum firmum. Nam in vno ſenſu vtrumque poſitum eſt. Caro terrena materia eſt, ſpiritus verò cœleſtis. Cur ergo ad excuſationes proniores, quæ in nobis infirma ſunt opponimus; quæ verò fortiora, non tuemur? Cur cœleſtibus terrena non cedant? Si ſpiritus carne fortior, quia & generoſior, noſtra culpa infirmiora ſectamur.

EXPLICATIO.

1. NIHIL in his difficultatis. Expende verbum *adulamur*, quod ſeruile, infame, paraſiticum. Vt videas quis ipſe tibi ipſi ſis, qualis tua caro. &, ſpiritus *generoſior*, quia cœleſtis. Nota & multiplices oppoſitiones, *firmum, infirmum: caro, ſpiritus: cœleſte, terrenum.* Quia *fortiora*, ideo *tuemur*: vtrumque militare: ideo & *cedant*, etiam è militia. Sic quoque *opponimus*, vt ſcutum. Omitto alia quæpiam minutula. *In vno ſenſu* cùm dixit *vtrumque*, litteralis eſt.

41. 2. Nam diſiunctis matrimonio, duæ ſpecies humanæ imbecillitatis neceſſarias nuptias faciunt. Prima quidem potentiſſima, quæ venit de concupiſcentia carnis: ſequens de concupiſcentia ſæculi. Sed vtraque repudianda eſt à ſeruis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni renunciamus.

2. *Duæ* ſunt, non tam cauſſæ veræ, quàm *ſpecies*, (quippe *ſpecies* dicit quid apparens & fictum) quæ fœminas *imbecillas* admodum ſubornant, vt putent ſibi *nuptias* eſſe *neceſſarias*: prima eſt *concupiſcentia carnis*, altera *concupiſcentia ſæculi.* Prima eſt *potentiſſima, ſed vtráque repudianda à ſeruis Dei, qui renuntiauimus* in baptiſmo *& luxuriæ*, id eſt, concupiſcentiæ carnis; & *ambitioni*, id eſt, concupiſcentiæ ſæculi. q. d. Quæ renuntiata iam ſunt, cur non repudientur?

42. 3. Carnis concupiſcentia ætatis officia defendit, decoris meſſem requirit, gaudet de contumelia ſua: dicit virum neceſſarium ſexui, vt auctoritatis & ſolatij cauſſa, vel vt à malis rumoribus tuta ſit. Et tu aduerſus conſilia hæc eius, adhibe ſororum noſtrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occaſione preſſæ, maritis ſanctitatem anteponunt: malunt enim Deo nubere. Deo ſpecioſæ, Deo ſunt puellæ. Cum illo viuunt, cum illo ſermocinantur, illum diebus & noctibus tractant. Orationes ſuas, velut dotes, Domino adſignant; ab eodem dignationem, velut munera maritalia, quotieſcunque deſiderant, conſequuntur. Sic æternum ſibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur. Talium exemplis fœminarum ad æmulationem te continentiæ exercens, ſpiritali affectione carnalem illam concupiſcentiam humabis, temporalia & volatica deſideria formæ, vel ætatis inimicantium bonorum, compenſans delenda.

43. 3. Præmiſit, duabus cauſſis fœminas ſubornari ad nuptias. Prima fuit *carnis concupiſcentia.* Quid ergo hæc? Primò *ætatis officia defendit*, id eſt, pugnat acriter pro viridi ætate, cui vnicè debentur officia nuptiarum. Deinde *decoris meſſem requirit*, id eſt, dicit deeſſe decori *meſſem* & fructum ſuum, ſcilicet voluptatem; eſt enim voluptas veluti fructus pulcritudinis. Tertia *gaudet de contumelia ſua*: ita vocat actum

carnalem. En quæ proponit carnis concupiſcentia, & ideo *dicit*, tanquam ſi ius det, *virum neceſſarium ſexui*, ad *auctoritatem*, ad *ſolatium* voluptuoſum, ad *tuitionem à rumoribus*. Sequitur, *& tu aduerſus conſilia eius* (ironiam agnoſco, optima ſcilicet conciliatrix caro) *adhibe ſororum noſtrarum exempla*, &c. Per *ſorores* intelligit Chriſtianas fœminas, quæ perſeuerant, vel in virginitate, vel in viduitate. *Deo ſunt ſpecioſæ, Deo ſunt puellæ*, id eſt, ſi pulcræ ſunt, pulcritudinem ſuam & virginitatem Deo dicant. *Adſignant*, id eſt, *orationes ſuas*, quæ illas Deo coniungunt ſpirituali matrimonio, velut adſignatis conſignatiſque tabellis *Domino* offerunt, loco dotis ampliſſimarum diuitiarum. *Dignationem*, id eſt, multiplicem gratiam, & miſericordiam Chriſti, quæ inſtar *munerum maritalium*. *Quotieſcumque deſiderant*. hîc fit alluſio ad rem coniugum. q. d. Vir tuus non fortaſſe ſemper votis tuis ad voluptatem annuiſſet, Dei tibi erit liberalior dignatio. *Sic æternum*, &c. Ab tot bonis ſequitur hoc velut epiphonema. *Humabis*. emphaticè. quaſi dicat. Mortuam omnino & putridam reddes. *Volatica deſideria*. Nulla vox aptior ad mortalium inanes fumantéſque cogitationes atque errabundas. *Inimicantium bonorum*. Præclarè ſatis. Nullus enim fœminis hoſtis maior quàm ſua forma, & ætas. Illud *compenſans delenda* pertinet ad locutiones poëtarum, qui ſæpiſſime per vnum duo, id eſt, compenſabis cum æternis bona temporalia, & putabis hæc delenda, atque obliteranda. Poteſt etiam repeti verbum *humabis* poſt *bonorum*, vt dicat, humabis compenſans, id eſt, multum penſans *delenda* eſſe.

44. 4. Cæterùm ſecularis concupiſcentia cauſſas habet gloriam, cupiditatem, ambitionem, inſufficientiam, per quas nubendi neceſſitatem ſubornat: videlicet cœleſtia repromittens, dominari in aliena familia, in alienis opibus incumbere, cultum de alieno extorquere ſumptu, quem non ſentias cedere in te. Hæc procul à fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vitæ, niſi ſi diffidimus de promiſsis Dei, & cura & prouidentia, qui lilia agri veſtit, qui volatilia cœli nullo ipſorum labore paſcit, qui prohibet de craſtino, victuque curari, reſpondens ſcire ſe, quid cuique ſeruorum ſuorum opus ſit; non quidem monilium pondera, non veſtium tædia, non Gallicos vultus, nec Germanicos baiulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt; ſed ſufficientiam, quę modeſtiæ, & pudicitię apta eſt. Preſume, oro te, nihil tibi opus eſſe, ſi Domino appareas: imò omnia habere, ſi habeas Dominum, cuius omnia: cœleſtia recogita, & terrena deſpicies: Nihil viduitati apud Deum ſubſignatę neceſſarium eſt, quàm perſeuerare.

45. 4. Tranſit iam ad *concupiſcentiam ſæculi*. Hæc peſtis ortum habet à rebus quatuor, videlicet à *gloria, cupiditate, ambitione, inſufficientia*. Ergo illa fœminis *repromittit*, id eſt, affatim abundéque promittit primò *cœleſtia* quædam, id eſt, eximia & grandia, ad *gloriam*; particula *videlicet* poſita hîc ironicè, & pro ſcilicet. deinde *dominatum in aliena* mariti *familia*, ad *ambitionem*: tertiò promittit *incumbere in alienis opibus*, id eſt, lautè & magnificè diuerſari, quieſcere, agere, in opibus alienis, ad *cupiditatem* explendam: demum promittit, *cultum extorquere* ad ornandum corpus, & hunc *de alieno ſumptu*: nam ipſe *inſufficientiam* prætenderat. Verbum *extorquere* dictum ex natura fœminarum, quæ, vt ſunt auidæ, exſugunt opes marito vel per vim. Illud, *quem non ſentias cedere in te*, eſt, quem ſumptum ſentias non in te deriuari, ſed in vſus alios, fortaſſe in concubinam, & pellicem. Itaque clauſula reſpondet initio ironico *videlicet*. q. d. Promittit tibi videlicet ſæculi concupiſcentia bona quæ fortaſſe non in te cedent. Sequitur. *Hæc procul à fidelibus*, &c. quibus diſſuadet hanc concupiſcentiam ſæculi. Quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, non ab explicatione, nam hæc clariſſima, ſed ab Notis pendent, quas iam dabimus. Tantùm hîc notetur illud *tolerandæ vitæ*, eſſe, alendæ & ſuſtentandæ, vtcumque & miſerrimè. *Appareas Domino*, eſt, inſeruias, miniſtres, locutione ſumpta à foro, vbi apparitores præſulum. vel, *appareas*, pro, pareas & obedias. *Subſignata viduitas*, forenſi etiam locutione, eſt, ſubſcripta, & veluti obligata Domino, & iam dicata. Cùm in exitu ait *quàm perſeuerare*, ſubaudi particulam *magis*, vſu Tertulliani, vt dicat, Nihil magis *neceſſarium eſt, quàm perſeuerare*.

NOTÆ.

46. 1. CARNEM LEGIMVS INFIRMAM, &c.] Blandiuntur verba Senecæ epiſt. 80. *Corpus multis eget rebus, vt valeat: animus ex ſe creſcit, ſe ipſe alit, ſe exercet*. Inde idem epiſt. 65. *Non erimus* (anima videlicet & corpus) *æquis partibus ſocij, animus ad ſe omne ius*, &c. Gregor. Nyſſenus de perfecta Chriſtiani forma duplicem veluti aciem conſtituit in homine, & partem pertinentem ad ſpiritum, vocat κρείττονα παράταξιν, *aciem meliorem*; eam verò quæ ad carnem, φάλαγγα πονηρὰν, *deteriorem phalangem*.

1. SPIRITVM FIRMVM.] Cùm in Græco ſit πρόθυμος, meliùs reddit interpres vulg. *promptus*, quàm Noſter, *firmus*. Sed certè quæſiuit oppoſitionem.

1. CVR ERGO AD EXCVSATIONES PRONIORES, &c.] Simile eſt argumentum Hilarij etiamſi in re alia, can. 8. in Matth. querentis de ſtultitia Gentilium, qui Chriſtum, *ex humilitate paſſionis hominem potius nuncupent, quàm ex virtutibus Deum*. Anonymus quidam, inter opera Hieronymi, ait ab ſcripturis ſanctis damnari malos crimine voluntatis, non excuſari neceſſitate naturæ, & carnis infirmitate. Lege Ambroſium lib. ad Virginem lapſam cap. 4. vbi diſſoluit hoc argumentum. dicebat quippe lapſa, *Non potui ſuſtinere, quia carnem fragilem circumferebam*.

1. CVR COELESTIBVS TERRENA NON CEDANT?] Ammian. lib. 16. *Terrenis diuina præcellunt*. Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini cap. 29. τῶν ἀνθρωπίνων

ἀνθρώπων τὰ οὐράνια δυνατώτερα : *humanis cœlestia potentiora.* Elias Cretenſ. orat. 10. Nazianzeni, præter alias *mundi* ſignificationes, *mundum* affert dici deceptionem & vitium: cuius cùm diabolus per auerſionem à bono, inuentor exſtiterit, tum principatum in eum obtinere dicitur. Hic autem mundus quid aliud eſt, quàm terra, & terrena ipſa?

47. 2. DVÆ SPECIES.] Has duas cauſſas etiam adhibet Hieronym. in epiſt. ad Furiam, vt videatur omnino hæſiſſe curſui Tertullianico. Prima eſt *concupiſcentia carnis.* De hac Hieronymus: *Quid obtendis matrimonium, quid ſuperbiam ſeruulorum? Confitere turpitudinem. Nulla iccirco maritum ducit, vt cum marito non dormiat.* Altera eſt *concupiſcentia ſæculi.* Pergit & de hac idem Hieronym. *Aut ſi certè libido non ſtimulat, quæ tanta inſania eſt in morem ſcortorum proſtituere caſtitatem, vt angeantur diuitiæ, & propter rem vilem atque perituram, pudicitia, quæ & pretioſa & æterna eſt, polluatur?* Hæc incentiua etiam attingit in epiſt. ad Gerontiam. Eaſdem adhibet Aldhelmus de virg. c. 8. De prima, *ſe maritalis laſciuiæ fomitem* eſſe *lætatur.* De altera: *Collum lunulis, & lacertos dextralibus ornari, ac gemmiferis digitorum annulis comi concupiſcit.* & cap. 28. dat iiſdem *appetitum pretioſarum veſtium.* Has duas peſtes Chryſoſt. orat. de Nouilun. afficit nominibus τῆς ἐπιθυμίας, τῆς φιλοτιμίας. Noſter ſtatim comprehendit nominibus *luxuriæ & ambitionis.* & ſequenti cap. vocat *inſigniora vitia.* & lib. de Patient. cap. 5. *Principalia delicta.* Saluianus lib. 3. de Gubernat. *Mala capitalia.* Caſſianus collat. 9. cap. 2. vtrique huic vitio dat *noxium fomitem.* & lib. 6. cap. 3. *peſtiferum.* Clemens Alex. lib. 2. Pæd. cap. 3. cupiditatem opum vocat ἀκρόπολιν τῆς κακίας, *arcem vitiorum.* ſupra omnes Apoſtolus ῥίζαν ἁπάντων κακῶν : *radicem omnium malorum.*

2. RENVNCIAMVS.] Quo ſenſu Latini patres dicunt *renunciare* ſæculo, Græci ἀποτάσσεσθαι, ſcilicet Baſil. de ſpirit. Sanct. Cyrill. in catecheſ. Dionyſ. & Clemens Romanus, & Ioan. Chryſ. Hom. 21. ad Populum.

48. 3. DECORIS MESSEM.] Quid ſi tacitè ad pubertatem alludit, quæ lanuginoſa, & qua appetente iam luxuria in foribus. Sententia eadem eſt. cum Virgiliana iſta,

---Veneris nec præmia noris?

3. CONTVMELIA.] Ita vocat actum carnalem, præſertim in repetitis nuptiis. Ambroſ. lib. 1. de Virg. *conuitium* nominat. verba eius: *Naturæ parilis conuitia declinamus.* & infrà, *opprobrium.* Hieronym. ad Lætam, rem hanc *fœditatis* nomine afficit. & in epiſt. ad Gerontiam vix credas, quibus nominibus de re hac? Parum eſt illi actum carnalem in ſecundis nuptiis, dici *contumeliam*, *abiectionem*; nam addit eſſe meram *proſtitutionem*, & *meretricium* quiddam. Sed quidem, quæ ſit eius mens in epiſt. alia explicat. & lib. 1. aduerſ. Iouinian. vocat *ſordes nuptiarum.* Aldhelm. de Virg. c. 4. nubentes vocat *næuorum maculis deformatos, ſæcularis ſcoriæ atramento fœdatos.* & cap. 9. afficit nuptas nomine *captiuitatis, tenebrarum, noctis, ancillarum.* & cap. 11. *olidarum polluta nuptiarum contubernia.* & cap. 25. connubia vocat, *lurida fœtantis cloacæ volutabra.* In vita ſanctæ Euphraſiæ dicitur, *infelicitati ac miſeriæ ſæculi.* Prudentius in Agone Laurentij *damnum* paſſas vocat, quæ iam nupſerunt. Sic enim ait,

Cernis ſacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique poſt damnum tori
Ignis ſecundi neſcias.

Valer. Max. lib. 2. c. 1. *Multorum matrimoniorum experientiam quaſi legitimæ cuiuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes.* Baſilius in epiſt. ad Amphilochium, A viduam, quæ ſexaginta annos nata, nubit, afficit nomine *impuritatis*, quia videlicet in ea ætate, vt interpretatur Balſamon.

3. EXEMPLA.] Pulcrè Seneca epiſt. 6. *Longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla.* & Greg. Nyſſ. lib. de Virg. c. 23. ἐνεργεστέρα ἡ διὰ τῶν λόγων διδαχῆς ἡ διὰ τῶν ἔργων ὑφήγησις : *Efficacior eſt præceptorum explicatio quæ factis ſit, quàm quæ verbis.*

3. DE FAMILIA ANGELICA.] Ambroſ. 49. lib. 1. de Virg. *In cœlo profectò eſt patria caſtitatis. Itaque hîc aduena, ibi incola.* Præclarè adhuc: *Caſtitas Angelos fecit: qui eam ſeruauit Angelus eſt; qui perdidit, diabolus.* Ex verbis etiam illis, *in reſurrectione neque nubent, neque nubentur*, colligit idem Ambroſ. *Quod nobis promittitur, vobis* virginibus *præſto eſt, votorúmque noſtrorum vſus apud vos eſt.* Aldhelm. de Virg. c. 3. *Sanctæ virginitatis gloria Angelicæ beatitudinis germana creditur.* Vide eundem cap. 8. Caſſian. collat. 12. c. 14. *Cœleſtis atque Angelicæ caſtitatis.* Athanaſ. Apolog. ad Imperat. Conſtantium vocat virginitatem εἰκόνα τῆς τῶν ἀγγέλων ἁγιότητος, *imaginem angelicæ ſanctitatis.* Hieronym. ad Euſtoch. *Statim vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit* (intelligit virgines) *vt qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris.* & lib. 1. aduerſ. Iouinian. virginitatem & caſtitatem vocat virtutes *Angelicas.* Cyprian. ad Virgines, *Angelis Dei eſtis æquales.* Gregorius Thaumat. orat. 2. Annunt. παρθενία ἀληθὴς πρὸς ἀγγέλους συγχώρεια τυγχάνει : *Vera virginitas affinitatem habet cum Angelis.* Ibid. Virginitatem vocat ἀγγελικὸν βαθμὸν, *Angelicum gradum.* Nam ſicut Angeli ſunt maiores humano faſtigio, ita & virgines. Videatur & Greg. Nyſſ. lib. de Virg. cap. 2. ait Nazianz. orat. 20. virgines μετ' ἀγγέλων τυπάχθω, *cenſeri inter Angelos.*

4. GLORIAM, CVPIDITATEM, AMBI- 50. TIONEM.] Quàm ſint cauſſæ iſtæ potentiſſimæ ſatis oſtendit Clemens lib. 3. Pæd. cap. 2. vbi loquens de fœminis, quæ ὅρον ἐπιθυμίας οὐκ ἔχουσι, *limitem cupiditatis non conſtituunt*, ait eas impingere in omnem impudentiam, & vt conſequantur gloriam ab hominibus, amare pompas, theatra, plauſus, tantùm vt ſpectentur. nec ſatis eſſe illis gemmas omnes, Aurum, Tyrum, Indiam, Æthiopiam, Pactolum, neque alterum Midam, vt ſe ſatient. A quibus ſi quæras, cur ita ornentur? tantùm ὡς πᾶσιν ὀφθαλμοῖς γίνεσθαι καταφανεῖς, κοσμοῦνται ἵνα ἄλλοις ἀρέσκωσιν, *vt omnibus ſe conſpicuas oſtendant, vt aliis placeant.* & lib. 2. c. 10. dat illis hanc concupiſcentiam δι' ἀδένειαν, quia hic ſexus imbecillior virili.

4. INSVFFICIENTIAM.] Hunc prætextum, quo vti ſolent viduæ ad ſecundas nuptias, etiam attigit Hieronym. in epiſt ad Furiam, ab illis verbis: *Patrimoniolum meum quotidie perit, maiorum hæreditas diſſipatur, &c.* Pergit multis. Lege eundem in epiſt. ad Gerontiam ab illis, *ſcilicet perierunt domus cœlibum*, &c.

4. SVBORNAT.] Verbum iuris, vbi *ſubornatus debitor, accuſator, teſtis, ſeruus.* Quod verò Tertull. *ſubornat*, Clemens Alex. loquens de cupiditate hac fœminarum, πάντα πλάττεται, ᾧ φαναίζειν βέλεται : *Omnia effingit, & vult fucum facere.*

4. IN ALIENIS OPIBVS INCVBARE.] 51. Ita hoc verum, vt dicat Clemens lib. 3. cap. 2. de huiuſmodi fœmina, περιαπολλύει καὶ τὸν ἄνδρα, προστιθεῖσα ᾧ τὸ κέρδος, καὶ τὸ συλᾶν τοὺς πέλας· πάντα τ' ἄλλα γὰρ ἔργ' αὐτοῖς πάρεργα γίνεται : *Affert exitium marito, primum quidem in lucro, & in ſpoliandis proximis: omnia enim alia opera ab eis fiunt obiter.* Ergo quia cætera alia obiter & vt parerga, huic vni tantùm incumbunt operi, vt omnium facultatem trucident, & mariti opes deuaſtent.

4. CVRA ET PROVIDENTIA.] Ioann. Chryſoſt. de hac re loquens Hom. 1. ad Pop. etiam Deo dat προνοιαν, *prouidentiam*. & quidem προνοιαν τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων, *prouidentiam humanarum rerum*, in Deos coniicit Schol. Eurip. in Hippol. vt vnicam illis.

4. QVI LILIA AGRI, &c.] Idem argumentum, & ad rem eandem in Hieronym. verbis iſtis ad Gerontiam: *Si de veſte cogitaueris, lilia tibi de Euangelio proponuntur: ſi de cibo, remitteris ad aues*, &c. copiosè eundem locum tractat Clemens lib. 2. Pædag. cap. 10.

52. 4. MONILIVM PONDERA.] Hieronym. ad Heliod. *Onuſtus auro*. & de veſtibus Ammian. lib. 14. *Sudant ſub ponderibus lacernarum*. Ioann. Chryſoſtomus Homil. 21. ad Pop. auro dat verbum καταδύσαι, quia non tam ornat, quàm vincit & ligat corpus. & Homil. 16. de ambitioſis fœminis, χρυσῷ παντοίῳ ἑαυτὰς καταδεσμοῦσι: *Auro vndique ſe circumligantes*. inde etiam apud Lucianum de Amicitia, tradita eſt ſponſa apportanda Adyrmacho, ὅτι χρυσᾶς τε φιάλας δέκα ἔχειν λέγοι, καὶ ἁμάξας τετρακλίνους ἐλαύνοντα, καὶ πρόβατα, καὶ βοῦς πολλούς: *Quòd aureas phialas ſe diceret habere decem, præterea currus quaternis ſedilibus octoginta, ad hæc ouium boúmque multam copiam*. Inde contra apud Sen. de Tranquill. c. 14. Zeno dicitur *expeditiùs philoſophari*, qui bona ſua amiſerat.

4. VESTIVM TÆDIA.] De his in lib. de Pallio. Legatur hic Ioann. Caſſian. lib. 1. vitæ Monaſt. c. 3. vbi optimè expendit locum Pauli.

4. GALLICOS VVLTVS.] Ait ſcilicet, Deum non velle, vt fœminæ habeant comites aut verè Gallos, aut qui Gallorum vultus referant, id eſt, homines candidulos, quales ſæpe ſolent fœminæ à viris ſuis petere. Hoc quippe in epiſt. ad Furiam reprehendit Hieronym. *Nec candidulus & rubicundus aſſecla adhæreat lateri tuo*. & lib. 1. aduerſ. Iouin. ait in fœminarum comitatu eſſe *formoſum aſſeclam, procuratorem calamiſtratum*. Atqui candor & pulchritudo Gallorum celebrantur Auctoribus. Vide me lib. 8. Æn. ad illud de Gallis, *---tum lactea colla*.

Nam Galli dicti ἀπὸ τοῦ γάλακτος, à lacte, quod mirè candidum. & Ammian. lib. 15. dixit: *Celſioris ſtaturæ & candidi pene Galli ſunt omnes & rutili*. Agathias cùm occiſus eſt Clothomerus Rex Francorum, ait lib. 1. Hiſtoriæ, eius κόμην μέχρι τῶν μεταφρένου κεκλασμένην: *Comam ad ſcapulas vſque pertingentem*. Qua occaſione Regem deinde Gallorum depingit. Lege illum. Inclino, vt Tertull. non intelligat veros Gallos, ſed homines, qui Gallorum vultus referunt, adpoſita creta. Ita enim corrupti tunc mores, vt vigeret ars hæc ad ſatisfaciendum votis fœminarum, ideo ſignatè non *Gallos*, ſed *vultus Gallicos* forma quadam adagij. Inde Petron. Satyr. *Quin tu, inquit, Gniton, & circumcidenos, vt Iudæi videamur: & pertunde aures, vt imitemur Arabes: & increta facies, vt ſuos Gallia ciues putet*. Et quid mirum vigeret hæc ars in ſchola Veneris, quando eadem in ſchola ambitionis? incretabant enim togas candidati magiſtratuum, vnde illud nemini ignoratum *cretata ambitio*.

53. 4. GERMANICOS BAIVLOS.] Plaudunt quoque ſibi fœminæ ſi baiuli lecticarum ſuarum aut ſellarum, ſint formoſi & procero corpore, iuxta illud Senecæ epiſt. 80. *Lectica formoſis impoſita calonibus*. Quamuis autem Iunius aduocet Curopalatem, qui Germanos baiulos facit, vt etiam Anglos; & ego poſſum aduocare Clementem, qui morem hunc dat Celtis, verè Gallis, lib. 3. Pædag. cap. 4. vt videantur Galli accepiſſe hoc oneris à Germanis vicinis: ſed puto tamen Tertullianum explicandum forma adagiali, vt dixi in vultibus Gallicis. non enim tam veros Germanos intelligit, quàm eos, qui Germanos referunt corporis proceritate. ideo ſignatè *Germanicos baiulos*. Ad hunc modum notant Chryſoſt. & Oecumenius dici Actor. 6. de murmure Græcorum contra Hebræos, dici ab Luca, Ἑλληνιστῶν, non Ἑλλήνων, quia ſcilicet non tam illi eſſent Græci, quàm Græcanici, id eſt, Hebræi ipſi qui Græcos imitabantur aut moribus aut ſermone, murmurabant aduerſus Hebræos alios non græcizantes. Vt ergo ibi Lucas, *Græcanicus*, ita Tertullianus, *Gallicus, Germanicus*. Nam ſcilicet vt plurimum, non Germanos video ad hoc munus. Martial. Cappadocibus dat,

Quid te Cappadocum ſex onus eſſe iuuat?

Et Syris, cùm ſcribit,

Octo Syris ſuffulta datur lectica puellæ.

Iuuenalis Sat. 9. Mœſis,

---& duo fortes
De grege Mœſorum, qui me ceruice locata, &c.

Alij Cretenſibus, aut aliis barbaris. Eſt verò proceritas Germanorum (nam hæc mens Tert.) celebrata non nemini. Solinus *immanes* facit à corpore, non à moribus. Iulius lib. 1. Gall. *Ingenti magnitudine corporum Germanos*. Ammian. lib. 16. de illis, *grandiſſimis corporibus freti*. Sidonius Panegyr. Maioriani de illis,

Strictiùs aſſutæ veſtes procera coërcent
Membra virûm, patet his altato tegmine poples.

Mitto Tacitum, Senecam, alios. Incidit aliquando ſuſpicio legi poſſe in Tertull. *Germanos balios*, cum alluſione ad *balium*, aut *baium* colorem. Lectionis huius cauſſas quiuis, me tacente, cognoſcet. Sed abiicio tamen. Cæterùm de comitatu famularum, quo gaudent fœminæ, videndus locus Hieronymi in epiſt. ad Furiam, vbi *ſpadonum exercitum* nominat, & eiuſdem locus lib. 1. aduerſ. Iouin. vbi inter alia: *Multa eſſe, quæ matronarum vſui neceſſaria ſint, pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lectica, & eſſeda deaurata*. & antè alios Ammiani l. 14. ab illis verbis, *Quo comitatu matronæ*, &c. locus eſt ad rem hanc inſignis. & Heliodori in 7. Hiſtor. Æthiop. vbi Arſacem deſcribit, δορυφόρων τε ἐμπαρεζώντων, καὶ τῶν ἐπὶ δόξης ἑκατέρωθεν περιόντων περιαγωγίμων: *Satellitibus aſtantibus, & primariis vtrinque magiſtratibus aſſidentibus*.

4. BAIVLOS.] Lecticarios, gerulos, ſellarios, quæ voces obuiæ. Poſſis item vocare *Cathedralitios*, nam ita Martialis epigramm. 13. lib. 10. Fuit enim *cathedra* ſella geſtatoria fœminarum, vt liquidum. Inde morſus Iuuenal. omitto. Poſſis & *fertorios* dicere, nam *fertoriæ ſellæ* mentio in Cælio Aureliano lib. 1. tard. affect. 54.

4. CÆLESTIA RECOGITA, ET TERRENA DESPICIES.] Nouit hoc & Gentilis Seneca epiſt. 102. & ita te exhortatur Chriſtiane: *Imaginare tecum quantus ille ſit fulgor tot ſideribus inter ſe lumen miſcentibus. Nulla ſerenum vmbra turbabit, æqualiter ſplendebit omne cœli latus*. Pergit multis dignis quæ legantur, & abſoluit: *Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile*. Verè ergo qui cœleſtia cogitat, deſpiciet terrena. Præclara eſt illa vox Sanctiſſimi protoparentis noſtri Ignatij, ſidera contemplantis. *Heu quàm ſordet terra, cùm cœlum aſpicio*.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Cauſſa tertia quæ ad nuptias concitat, liberorum procreatio: huius voti medela multiplex.

TERTVLLIANVS.

55. 1. ADIICIVNT quidem ſibi homines cauſſas nuptiarum de ſollicitudine poſteritatis, & liberorum amariſſima voluptate. Sed id quoque penes nos odioſum eſt.

EXPLICATIO.

1. FLABELLVM aliud, quo mortales ad nuptias accenduntur. *Amara voluptas*, pulcrum oxymoron. Incipit diſſuaſio ab odio. *Penes nos*, id eſt, Chriſtianos. *Eſt*, id eſt, eſſe debet odioſum. Cùm ait *odioſum*, interpretandus κατὰ τὸ, & candidè, vt capiatur de odio ſancto: ad eum modum, quo Chriſtus loquitur de odio, quo habendus pater, mater, & chariſſima quæque.

2. Nam quid geſtiamus liberos ſerere, quos, cùm habemus, præmittere optamus, reſpectu ſcilicet, imminentium anguſtiarum, cupidi & ipſi iniquiſſimo ſæculo eximi & recipi ad Dominum? quod etiam Apoſtolo votum fuit. *Philipp. 1.*

2. Ratio prima Chriſtiani odij erga liberos. Nam quid cupiamus procreare, *quos*, *cùm* iam *habemus*, *optamus* mori ante nos, nobis præmori, ne illos premant præſentes tyrannorum anguſtiæ? Cùm præſertim & nos ipſi, qui illos gignimus, velimus etiam diſſolui, *Pauli* voto hoc ipſum optantis.

56. 3. Nimirum neceſſaria ſoboles ſeruo Dei. Satis enim de ſorte noſtra ſecuri ſumus, vt liberis vacemus. quærenda nobis onera ſunt, quæ etiam à Gentilium prophanis vitantur, quæ legibus locantur, quæ parricidiis expugnantur: nobis quidem plurimum importuna, quantum fidei periculoſa.

3. Ratio altera, & tota fermè ironica: nam ſenſus eſt, non eſſe *neceſſariam ſobolem ſeruo Dei*. Primò, nam cur *vacemus liberis*, quaſi, imminente perſecutore, *de ſorte noſtra* (ſecutus ſum lectionem Iunij) *ſecuri ſimus?* Deinde, cur liberos quæramus, quos Gentiles ipſi abnuunt, & ſæpe *legibus* inuitantur, & veluti *locantur*, vt eos procreent? quin ſæpe latentes adhuc in vtero ab ortu eiiciunt, quod merum parricidium. Tertiò, non videtis hæc *onera*, eſſe & vobis *importuna*, & *fidei periculoſa*? Extremum hoc probabit ſequenti oratione.

57. 4. Cur enim Dominus, væ prægnantibus & nutrientibus cecinit, niſi quia filiorum impedimenta teſtatur in illa die expeditionis incommodum futura? vtique nuptias imputaturus. Tum autem ad viduas non pertinebit: ad primam Angeli tubam expeditè proſilient. Quamcumque preſſuram perſecutionémque liberè perferent: nulla in vtero, nulla in vberibus æſtuante ſarcina nuptiarum. *Matth. 24.*

4. En cur liberi periculoſi ad fidem. Diem iudicij vocat iam *diem expeditionis*. Multæ expeditiores erunt viduæ. Illud, *nulla ſarcina æſtuante* explica, *nulla ſarcina* adducente illas ad æſtum curarum & anxietatem ſeruandæ prolis. vel *nulla ſarcina* premente illas. Eſt enim *æſtus*, cùm compreſſis & denſatis fluctibus feruet mare.

5. Igitur ſiue carnis, ſiue ſæculi, ſiue poſteritatis gratia nubet, nihil ex iſtis neceſſitatibus Dei ſeruis, vt non ſatis habeam ſemel alicui earum ſuccubuiſſe, & vno matrimonio omnem concupiſcentiam huiuſmodi expiaſſe.

5. Concludit ex ſuperiore capite, atque ex iſto, nihil *Dei ſeruis* ita magnum poſſe prouenire ex nuptiis, vt non ſit *ſatis* illas *ſemel* aſſumptas, atque *vno matrimonio* triplicem *concupiſcentiam* carnis, ſæculi, liberorum, expiatam, & abolitam. In verbo *nubet* ſubaudi, fœmina, vel lege *nubetur*. Expende verbum *expiaſſe*, quaſi matrimonia ſint piacula. Nihil potuit acriùs.

58. 6. Nubamus quotidie, & nubentes ab illo die deprehendamur, vt Sodoma, & Gomorrha. Nam illic non vtique nuptias & mercimonia ſolummodo agebant: ſed cùm dicit, Nubebant & emebant, inſigniora ipſa carnis & ſeculi vitia definit, quæ à diuinis diſciplinis plurimum auocent: alterum per laſciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi voluntatem.

6. Prima dicuntur ironicè. quasi dicat. Non *nubamus*, ne *à die* iudicij *deprehendamur* in nuptiis, *vt* deprehensæ olim *Sodoma*, & *Gomorrha*. Ne videlicet deprehendamur toti incumbentes concupiscentiæ carnis, & concupiscentiæ sæculi. Nam cùm de illis vrbibus dicitur deprehensas *in nuptiis* & *mercimoniis*, ne puta simpliciter hæc capienda: nam notat insigniora duo vitia, *carnis* scilicet *concupiscentiam*, & *sæculi*: illam per *nuptias*, in quibus voluptas lasciuiendi, hanc per *mercimonia*, in quibus voluntas studiúmque acquirendi.

7. Etenim illa tunc cæcitas longè à finibus sæculi habebatur. Quid ergo fiet, si quæ olim detestabilia sunt penes Dominum, ab his nos nunc arceat? Tempus, inquit, in collecto est. Supereſt, vt qui matrimonia habent, tanquam non habentes, agant. 1. Cor. 7.

7. Homines illi cæci longè fuere *à finibus sæculi*: quid ergo fiet de nobis, si & iam simus *in finibus sæculi*, & si arceamur ab illis, *quæ olim detestabilia*? atqui sumus: nam *tempus in collecto* & breue est; & arcemur: nam monemur, *Vt qui matrimonia habent, agant tanquam non habentes*. q.d. Supereſt ergo, vt hoc ipsum præceptum adimpleamus, videlicet, vt habentes vxores, simus *tanquam non habentes*. Hoc enim concludit initio sequentis capitis.

NOTÆ.

59. 1. LIBERORVM AMARISSIMA VOLVPTATE.] Cùm dulcissimi sint filij, dicente Virg. 4. Æn. *dulces natos*, & Arnob. lib. 1. *dulcissimas procreant liberorum stirpes*; tamen ait hanc voluptatem esse *amaram*. Sophocl. in Elect. δεινὸν τὸ τίκτειν ἔστι: *Miserum est liberos parere*. Plaut. Mil. Glor. *---satis cepissem miseriarum liberis.* Vbi sensus est: Ob liberos. Terent. Adelph. *Duxi vxorem, quam ibi miseriam vidi? nati filij*, &c. Heliodor. lib. 2. Hist. Æthiopicæ, Συγατείου πατὴρ ἀνηγορεύθω, ὡς ἐπ' αἰσίοις ἔσεσθαί μοι ταύτην τὸ Θεοῦ προσαγορεύσαντος: *Filiolæ pater sum appellatus, cùm Deus mihi non feliciter eam nasciturum esse prædixisset*. Paulinus epist. ad Militem: *Nam vxore accepta primùm optantur filij, & si non suscipiuntur, sterilitas lugetur; si suscipiuntur, orbitas timetur*. Boëtius lib. 3. *Euripides liberis carentem, infortunio dixit esse felicem*. Est verò pulcrum oxymoron, *voluptas amara*, vt apud Ioseph. lib. 2. Bell. Iud. cap. 17. νίκην πικρὰν, *amaram victoriam*. & Ennod. in Declam. *lugenda felicitas*. Hilarius vocat Constantium Imperatorem, *hostem blandientem*. idem can. 16. in Matth. *beatum damnum, iactura felix*. Drogon Episc. Hostiens. *Sapientia stultescens, fortitudo infirma*. Anonymus quidam inter opera Hieronymi dixit de adulatoribus *blandum vulnus*. Augustin. loquens de Magdalena, *pia impudentia*, in opere 50. Hom. in Hom. 23. & epist. 54. *Misericordia puniens, crudelitas parcens*. Gregorius Magn. lib. 27. Moral. cap. 27. *Noxam sapientiam, laudabilem fatuitatem*. De qua re iam à me tum 7. tum 8. Æneid. & plenè, sed non ab sacris scriptoribus vt hîc. Sed vnde Nostro *voluptas amara* dicitur? Fortasse à re medica; solent enim medici amara dulcibus miscere, vt meliùs capiantur.

2. GESTIAMVS.] Verbum aptè positum, nam sæpe in Plaut. ad pruritum signandum.

60. 2. LIBEROS SERERE.] Honesta locutio, & quam Latini à Græcis. Nam Sophocl. Antiq. τέκνων σπορᾷ. Eurip. Alcest. σπείραντος Διός. Philo de his, qui mares amant in lib. de special. legib. ait illos relinquere ταῖς μὲν βαθυγείοις καὶ ὑγκάρποις ἀρούραις. Proclus Episcop. Cyzici loquens de Virgine, ὦ ἄρουρα, ὃν ἡ ὁ τῆς φύσεως γεωργὸς ἀσπόρως ἐβλάστησεν: *ô aruum ex quo naturæ colonus sine semine exortus est*. Hinc ergo Latini *aruum*, & *sulcum* de muliebribus, *vomer* de virilibus. Vide quæ scripsi lib. 3. G. ad illud,

Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes.

Huic rei hærens Minut. *Dum passim liberos seritis*. & Petron. *Libidinis suæ solum vertit*.

A 2. PRÆMITTERE OPTAMVS.] Seneca epist. 99. *Quem putas periisse, præmissus est*. Ambros. lib. ad Virginem lapsam de hac etiam re loquens dixit *præmittere*. & August. epist. 6. ad Italicam. *Nostros migrantes non amisimus, sed præmisimus*. Cyprianus lib. de Mortalitate, cùm dixerit non lugendos mortuos, addit rationem, *Cùm sciamus non eos amitti, sed præmitti: recedentes præcedere, vt proficiscentes & nauigantes solent*. Arnoldus in vita sancti Godehardi cap. 14. *intercessorem præmisimus*. Sed mihi hunc locum, quem viuidè non intellexeram, Hieronymus explicat in epist. ad Gerontiam. Est *liberos præmittere* idem, quod gaudere de obitu liberorum, & satis se explicat Tertull. cùm addit *optamus*. Ergo Hieronym. postquam dixerat, viduam recolentem præteritas voluptates esse sollicitam & anxiam, adiungit: *Maximè si virum putet præmisisse, non perdidisse; quorum alterum doloris, alterum gaudij est*. Nam videlicet, quem amamus, dolemus perdere; quem non amamus, gaudemus præmittere, id est, vocari ad mortem ante nos. Quod omnes *præmitto*, Capitolinus in Antonin. Philosopho *præcedo*. Moriturus enim princeps ita ad amicos: *Vale vobis dico, vos præcedens*. & Scriberius hinc efficit in Martial. legendum lib. 10. epig. 12. B

Nec viuam, nisi te Domiti præmitto libenter:

Cùm priùs *permitto* legeretur.

61. 2. RESPECTV SCILICET IMMINENTIVM ANGVSTIARVM.] Notantissimè Quintil. Declamat. *Inter infelices alius est ordo votorum. Cæcus filius optat superstitem patrem*. Ergo apud Tertull. mutatur ordo, quia in infelicitate persecutionum pater optat filium præmittere. Nihil vita carius. at de miserrimis Ammian. lib. 15. *Viuendi moras per ærumnas detestati multiplices*. vbi nõ votum vitæ, sed mortis. Cùm verò ait gaudium esse mori respectu imminentium angustiarum, illustrabitur à Theodorito lib. 3. Hist. cap. 14. vbi loquens de sæuitia Iuliani Apostatæ, qua martyrio affecit duos magnos viros, ita ait: ἐστέρησε μὲν τῆς παρούσης ζωῆς, μᾶλλον δ' ἠλευθέρωσεν αὐτοὺς τοῦ δυσήνου καιροῦ: *Priuauit illos vita, imò donauit libertate eripiens ab infelici tempore*. C

62. 2. EXIMI.] Non displicent, qui legunt ex Vatic. M.S. *excuti*, vt fiat alluſio ad tyrannos, qui æuo Tertull. Ecclesiam persequebantur, quorum tormentis Christiani velut turbine aliquo excutiebantur in tempestate. sic Virg. de maris procella,

---excutimur cursu.

Iuuat hanc lectionem dici consequenter, & *recipi ad Dominum*, tanquam ex vndis sæuissimis ad portum

tranquillum. Itaque tyranni excutiunt vt tempestas, & Christus est portus. Iuuat locus Cypriani lib. de Mortalitate, vbi in re simili : *Ne inopinatus nos & nouus rerum infestantium metus quateret, magis ac magis in nouissimis temporibus, aduersa crebrescere præmonuit.* Videatur hac de re querela Sanctorum Martyrum Iuuentini & Maximi apud Ioannem Chrysostom. Homil. 40. vbi sancti ipsi mirantur, esse homines qui furente persecutione Iuliani velint ζῆν, ἀναπνεῖν, ἥλιον ὁρᾶν, *viuere, respirare, solem aspicere.* Quia scilicet multò est satius tali in tempestate eximi de mundo. Inde Theocrito Εἰδ. 2. & Æschylo in Pers. mortui dicuntur μακαρίτας, scilicet vt Horatio *felices.*

64. 3. SATIS ENIM DE SORTE NOSTRA.] Lectio antiqua erat, *satis enim desunt nostra.* Qui hanc velit, ita explicet. *Satis* affatimque nobis *desunt nostra*, vixque habemus, quibus vitam toleremus, & volumus liberos procreare; stulti sumus. Audeo & aliam explicationem, si cui placeat, vt sunt varia ingenia mortalium. *Satis*, id est, procreatis iam liberis (præcessit quippe *liberos serere*) *nostra desunt.* id est, non habemus quid demus liberis iam genitis, & volumus de nouo procreare.

3. ONERA.] Hieronym. quoque de obitu Blesillæ de liberis dixit *onera.* & Plaut. Mil. Glor. non sine morsu, *procreare liberos lepidum est onus.* Sidonius epist. 21. lib. 4. dixit liberos esse *matrum pondera, patrum semina.* A quo Auitus lib. 6.

Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matris.

3. GENTILIVM PROPHANIS.] Locutio poëtica, pro, Gentilibus prophanis.

65. 3. LOCANTVR.] Qui locant conductoribus fabricam ædium, persoluunt postea mercedem. Huc respexit scriptor, nam leges erant quæ præmium conferebant patribus propter liberos procreatos. ita lib. de Exhortat. ad Castit. *Ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines.* Sed quæ hæ leges? illa 12. Tabul. *Censores, cælibes esse prohibentur.* Suetonius ait Augustum sanxisse legem de maritandis ordinibus, cap. 34. eius. videatur & Plato lib. 6. Leg. & Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 26. De præmiis nihil dicam, de quibus plena manu Lipsius lib. 3. Annal. Taciti, vbi per tres quatuorve pagmas de honoribus, qui filios procreassent. Huc aspectatum ab eodem Tertull. lib. de Monogam. *Aliud est si & apud Christum legibus Iuliis agi credunt, & existimant cælibes & orbos ex testamento Dei solidum non posse capere.* Certè Vlpianus scripsit: *Cælibi relictum legatum caducum fieri, nisi legi intra centum dies pa-*

A *ruerit.* Stat. dixit lib. 3. Syluar. ad lacrymas Hetrusci,

--Celso natorum æquauit honore.

Id est, pari cura affecit cum his qui tres liberos suscepissent. Græcè dicitur, τριῶν τέκνων.

3. PARRICIDIIS.] De Parricidio ex aborsu, consulenda quæ iam in Apolog.

4. EXPEDITE.] Possis etiam *expeditæ.*

4. SARCINA.] Ita etiam Ambros. lib. de Exhortat. ad Virg. verba eius: *Et verè graues nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonij, nam etiam grauari aluo feruntur, cùm semina conceptionis acceperunt.* vbi explicat sarcinam de grauitate vteri concepto semine. Arnob. lib. 3. *Intestini ponderis morositate cunctari.* Apuleius lib. 10. *Sarcinam prægnationis.* Prudent. Cathem. *Alui pondus.* Quintilianus Declam. 6. *Vteri pondus.* Ouid. 2. Fast. 66.

B *Exuerat tunicas vteri manifesta tumore,*
Proditur indicio ponderis ipsa sui.

Et Lucret. lib. 4.

--ex aliisque
Suscipiunt aliæ pondus, magis inque grauescunt.

Tot tibi damus ad *sarcinam vteri* explicandam, pro latente in secreto vtero infante.

5. VT NON SATIS HABEAM.] Latinius legit *habeamus.* potest, sed non est necesse. Vt enim Latini omnes ponunt secundam personam pro qualibet, ita hic Afer primam voluit pro qualibet, veluti in seipso exemplum ponat.

5. SVCCVBVISSE.] Intellige viri mentem. in se exemplum ponit, vt dicebam: indicat scilicet se veluti inuitum peruenisse adhuc ad primas nuptias. Succubui (inquit) & victus semel, cur redeam iterum. C Hæc quippe verbi vis. Sen. epist 8. *Non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos cedentésque in opere detineo.* 67.

6. VT SODOMA, &c.] Duplex μνημονικὸν ἁμάρτημα, lapsus memoriæ. Nam hæc non diebus Sodomæ & Gomorrhæ, sed Noë. Deinde neque in diebus adhuc Noë sermo est mentium. Verba Christi Matth. 24. *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, & nuptui tradentes,* &c.

7. FINIBVS SÆCVLI.] De tempore Euangelij nascentis. Ita illud, *In quos fines sæculorum deuenerunt.* Cyrill. Alexandrin. ad Theodos. Imperat. ἐν ἐσχάτοις τῆς ἐναν θρωπήσεως χρόνοις: *Extremis temporibus incarnationis.*

7. TEMPVS IN COLLECTO EST.] Dixi lib. de Cult. fœm. cap. 9.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Rem efficit exemplo Gentilium fœminarum, quæ & virginum & viduarum affectationem secutæ.

TERTVLLIANVS.

68. 1. QVÒD si habentes oblitterare debent, quod habent; quanto magis non habentes prohibentur repetere, quod non habent? Vt cuius maritus de rebus abiit, exinde quietem sexui suo nubendi abstinentia iniungat, quum pleræque gentilium fœminarum memoriæ chariſſimorum maritorum parcant. Cùm quid difficile videtur, difficiliora aliis obeuntes recenseamus.

EXPLICATIO.

1. QVASI dicat. Si qui habent vxores, esse debent tanquam *non habentes*: qui verè illas *non habent*, cur repetant? Quod putandum est dici quoque fœminis, vt illæ, quarum mariti iam obie-

rint, à nuptiis abſtineant, *quum* adhuc ipſæ Gentiles fœminæ *parcant* ſibi, abſtineántque à nuptiis, id eſt, parcæ ſint in hac re, & retinentiſſimæ. Secutus ſum lectionem Latinij, qui non *quam* legit, ſed *quum*. Hoc membrum non ſatis conſtat. vel legendum cum Latinio, *Quod quia difficile videtur*. vel mecum, *recenſemus*. vt dicat: Exempla ſtatim adducimus ad firmandum, quod eſt difficile.

69. 2. Quot enim ſunt qui ſtatim à lauacro carnem ſuam obſignant? Quot item qui conſenſu pari inter ſe matrimonij debitum tollunt? Voluntariis ſpadonibus pro cupiditate cœleſti ſaluo matrimonio abſtinentia toleratur, quanto magis adempto? Credo enim difficilius ſaluum derelinqui, quàm amiſſum non deſiderari.

2. En difficiliora illa, quæ vult recenſere. Nam multi ſtatim à baptiſmo *carnem ſuam obſignant* caſtitatis ſignaculo. Multi etiam *debitum* ſibi *tollunt* ex *conſenſu pari*. Atqui hæc eſſe difficiliora, quàm viduam permanere in caſtitate, non negabis vxor mea. Nam *voluntariis ſpadonibus*, &c. Dixit quæ ſint difficiliora: probat iam cur ſint difficiliora. Senſus itaque & argumentum eſt. Si voluntarij ſpadones *tolerant abſtinentiam ſaluo* adhuc & permanente *matrimonio*, meliùs tolerarent illo *adempto*, id eſt, altero coniugum è viuis ſublato. nam *difficilius* eſt relinqui *ſaluum* matrimonium, & viuentem coniugem; *quàm amiſſum non deſiderari*. Quia primum illud à voluptate diuellit, quæ magnum habet in homines imperium ex occaſione, nam vbi hæc præſens, quid non patrat? hoc alterum animi tantùm leue eſt opus.

70. 3. Durum planè & arduum ſatis, continentia ſanctæ fœminæ poſt viri exceſſum, Dei cauſſa, cùm Gentiles Satanæ ſuo & virginitatis & viduitatis ſacerdotia perferant?

3. Ironica oratio. In lectione cenſeo nihil mutandum. *Sanctæ fœminæ*, Chriſtianæ, vt explico cap. 1. ſequentis libri. Quæ ſint iſta ſacerdotia, ſtatim explicat, primò *virginitatis*, deinde *viduitatis*. Nota verbum *perferant*, vt de re graui, & intoleranda.

4. Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo dracone curantes, de virginitate cenſentur. Achææ Iunoni apud Ægium oppidum virgo ſortitur. & quæ Delphis inſaniunt, nubere neſciunt.

4. Ecce iam tibi ſacerdotia virginitatis in tribus locis, videlicet *Romæ*, vbi Veſtales æternum ignem ſeruabant: deinde *in Aegio oppido* Achaiæ, vbi *virgo ſortiebatur* cuſtos templi Iunonij: tertio Delphis, vbi inſanæ fœminæ, quæ oracula edebant, erant virgines. Percurro quædam leuiter. Dicit *ignis inextinguibilis imaginem tractare*: nam miſeræ Veſtales in æterno igne, quem ſeruabant, habebant imaginem & auſpicium æterni ignis, qui in gehenna. *Draconem curantes*, id eſt, Æſculapium draconis forma, quem curantes auſpicium ſibi faciunt diabolici draconis, ſub quo futuræ in inferno. *Cenſeri de virginitate*, eſt, eſſe virgines. Verbum *ſortitur*, habet hîc paſſiuam ſignificationem. id eſt, ſorte educitur.

71. 5. Cæterùm viduas Africanæ Cereri aſſiſtere ſcimus, duriſſima quidem obliuione matrimonij adlectas. Nam manentibus in æternum viris, non modò toro decedunt, ſed & alias eis vtique ridentibus loco ſuo inſinuant, adempto omni contactu vſque ad oſculum filiorum: & tamen durante vſu perſeuerant in tali viduitatis diſciplina, quæ pietatis etiam ſanctæ ſolatia excludit.

5. Tranſit ad ſacerdotia viduitatis. Periodus clara, ſi audias quæpiam. *Scimus*, nam ipſe Africanus, & ideo de re Africana loquitur quaſi oculatus teſtis. *Manentibus in æternum viris*, eſt, viris viuentibus, non mortuis. *Ridentibus*, quia ipſi vxorum rident fatuitatem. *Durante vſu*, id eſt, matrimonio. *Pietatis ſanctæ ſolatia*, qualia ſunt habere ſecum liberos, & illos pietate materna exoſculari.

6. Hæc diabolus præcipit, & auditur: prouocat nimirum Dei ſeruos continentia ſuorum, quaſi ex æquo. ô continentiam gehennæ ſacerdotem! Nam inuenit quomodo homines etiam boni ſectationibus perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuria, alios continentia occidere.

6. Concluſio capitis. *Hæc* emphaticè. quaſi dicât. hæc intoleranda. ſequentia etiam plena emphaſeon, nam *diabolus*, qui Dei hoſtis, cur *præcipiat*? cur *audiatur*? cur ſtare velit *quaſi ex æquo* contra Deum? ſequitur exclamatio: *ô continentiam* non cœli, ſed *gehennæ ſacerdotem*. q. d. ô continentiam, quæ inferno litat. *Sectationibus boni*, id eſt, dum bona ſectantur, dum bona affectant.

NOTÆ.

72. 1. DE REBVS ABIIT.] Id est, mortuus est. Festus: *Abitionem antiqui dicebant mortem.* Tertullian. de Testim. Anim. ait de defuncto dici, *abyit iam & reuerti debet.*

1. PLERÆQVE GENTILIVM FOEMINARVM.] Hoc argumento ad rem eandem vtitur Hieronym. in epist. ad Saluinam, adducto exemplo Reginæ Carthaginis, quæ semel vidua testificatur apud Magnum Poëtam,

Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, seruetque sepulcro.

Et in epist. ad Furiam: *Habes generis tui grande priuilegium, quòd exinde à Camillo, vel nulla, vel rara vestræ familiæ scribitur secundos nosse concubitus: vt non tam laudanda sis, si vidua perseueres; quàm exsecranda, si id Christiana non serues, quod per tanta secula gentiles fœminæ custodierunt.* Idem argumentum tractat epist. ad Gerontiam, vbi Reginæ Carthaginis adiungit vxorem Asdrubalis viduam, *quæ se in incendium præcipitauit, ne pudicitiæ damna sentiret.* De Gentili Calpurnia Trebellius in 30. tyrannis: *Sancta & venerabilis fœmina, quam maiores nostri vniuiram sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt.* Valer. Max. lib. 2. c. 7. *Quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipuè matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi illegitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Quæ etiam ab Gentili, & de Gentilibus fœminis dicta sunt. Quid Cornel. apud Propertium lib. 4.

Iungor Paule tuo sic discessura cubili,
In lapide hoc vni nupta fuisse legar.

73. 2. CARNEM OBSIGNANT.] Locus notandus digito, vt sciatur viguisse in antiquissima Ecclesia votum castitatis. Notetur etiam locutio. Quæ casta est *obsignata* dicitur, vt in iure, tabulæ, testamenta, pecuniæ. Vide quæ dixi lib. de Patientia ad ea verba, *virginem adsignat.*

2. QVOT ITEM QVI CONSENSV PARI, &c.] Minut. *Tantum denique abest incesti cupido, vt nonnullis rubori sit etiam pudicæ coniunctio.* Tertullianus de Resurrectione Carnis, hanc vocat honestam in occulto matrimonij dissimulationem. Et de velandis Virginibus cap. 13. de coniugibus ait: *Qui ex consensu contumeliam communem iam recusarunt.* Cyprian. de Singul. Cleric. *Grande miraculum, vt virginum caritas, virgines faciat veluti coniuges credi; & coniugum caritas, coniuges faciat Virgines æstimari. Ecce vera dilectio, quæ in coniugalitate diuidit, vt in castitate coniungat.* Athenagoras Apolog. ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀπολάυομεν εἶναι ἀπέχοντες, ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν περὶ ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι: *Tantum absumus à cupiditate, vt nobis neque cernere propter illam liceat.*

74. 2. SALVO MATRIMONIO.] In hunc locum ita Iunius: *Integro iure matrimonij, quia ex consensu alter alterius ad tempus.* Fallitur, & imponit Tertulliano, qui hîc nihil de abstinentia ad tempus, sed de perpetua. Hoc probat capitis huius, imò totius libri cursus. Et hoc est idem, quod lib. de Veland. Virginibus c. 10. dicit: *Siue ex consensu contumeliam communem iam recusarunt.* Inde & postea de fœminis Gentilibus *sacerdotia perferant*, notans omne vitæ tempus, non enim ait *ferant*, sed *perferant.* Notus versiculus Senecæ, *leue est miserias ferre, perferre est graue.* Quo notantur miseriæ æternæ. Et non dubium quin matrimonium saluum esse possit, non modò cum perpetua castitate, sed adhuc cum perpetua Virginitate, vt accidit in Maria & Ioseph.

2. DESIDERARI.] Vide vt expendi. Etenim vis tota argumenti posita in leui tantùm animi opere, id est, in reprimendo desiderio, quod non est difficile. Itaque simile argumentum Chrysost. orat. de Ira, vbi: *Quid enim facilius, dic quæso, quàm homini, qui te læserit, iram remittere? Non enim longis ad id peregrinationibus opus est, non pecuniarum insumtu, non aliorum exorationibus; sufficit vt tantùm velis, ac iam virtus illa suum opus expleuit.* Secutus sum versionem Petr. Nannij. Græca signatiora: ἀρκεῖ θελῆσαι μόνον, καὶ τὸ κατόρθωμα τέλος ἔλαβε. Adsonat Seneca epist. 80. vbi, *Quid tibi opus est, vt sis bonus? velle.*

75. 3. CVM GENTILES SATANÆ SVO ET VIRGINITATIS ET VIDVITATIS SACERDOTIA PERFERANT?] Constantinus Manasses in Annal. loquens de Vestalibus.

Νενομοθέτητο δ' ἀγναὶ τὰς ἱερείας μένειν,
Παρθενικὰς, καθαρὰς, καὶ γάμων ἀπείρους:
Erat autem perscriptum legibus vt huiusmodi sacerdotes permanerent
Virgines, & mundæ, veneriſque inexpertes.

4. IGNIS ILLIVS INEXTINGVIBILIS.] Valerius Maximus l. 1. c. 1. *Æterni ignis custos fuisset.*

4. AVSPICIA POENÆ SVÆ.] Tale illud li. de Cult. Fœm. c. 6. de Fœminis, quæ capillum irrufant, *Malè ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite.* Geminus planè locus, nam & irrufatus capillus auspicium est ignis inferni, & custodia æterni ignis, auspicium perpetui illius, qui in gehenna. Athanas. de vita Antonij, vbi agit de dæmonibus: *Fulgor ille, qui lucere se simulat, non veri splendor est luminis: sed, quibus arsurus est, indicat flammas. Nam dicto citius recedens, suarum secum refert simulacra pœnarum.*

76. 4. CVM DRACONE CVRANTES.] Hîc quoque allusum ad diabolum, vt explicui. Est simillimus locus lib. de Cor. Mil. c. 15. vbi, *Quid caput strophiolo aut dracontario damnas diademati destinatum?* q. d. Quid iam tibi auspicium facis, & caput *damnas* isto *dracontario*? Id est, auro in formam draconis flexuoso? Verbum porro *curare* esse è numero sacrorum, sciunt etiam Alphabetarij. Tertull. de Ieiuniis: *Qui in idolis comendis & ornandis, & ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur.* Quæ porrò hic de *comendis idolis* illustrabuntur ab Seneca epist. 95. vbi de Iunonis speculo.

77. 4. ACHÆÆ IVNONI APVD ÆGIVM OPPIDVM.] Adi lib. de Monogam. c. vlt. vbi Iunonem vocat *Achaïeam.* Itaque siue *Achæam* siue *Achaïcam* dicas, eadem est Iuno, quæ culta in Achaia, vt ipse quoque ait lib. de Castit. cap. vlt. verba eius: *Noueram virgines Vestæ, & Iunonis apud Achaiæ ganeum.* Et quidem *Aegium* oppidum fuisse Achaiæ Plin. scribit lib. 4. c. 5. per ipsa initia. Fuisse hanc Iunonem, quam *Achiuam* nominat Hieronym. in epist. ad Gerontiam, testificatur Pamelius. Sed potius est, vt Hieronym. ab Tertulliano corrigatur, & legatur vel *Achæa*, vel *Achaïca*, nõ *Achiua.* Meminit eiusdem idem Hieronym. li. 1. aduersus Iouin. vocans, *Virgines Vestæ & Iunonis.* Ex tot testimoniis Tertulliani fit, vt Lilio non sit standum, qui legit *Aereæ*, multò illis minùs, qui *Æeæ.* Et de Iunone quidem Achæa locus est Pausan. in Achaic. qui ad rem Tertull. & quem alij aduocant. Græcus itaque, τῆς δὲ Ἥρης τὸ ἄγαλμα, ὅτι μὴ γυμνὸν ἢ μὴ ὅπλα αὐτῇ ἱδρυσάμενον ἔχει, ἄλλο πλὴν ὅτι θαλασσία: *Iunonis simulacrum, nemini præter eam mulierem,*

cui sacerdotium obtigit, fas est aspicere. Aerea quidem Iuno, cuius meminit in Corinth. idem Pausan. nihil ad Æeam.

78. 4. DELPHIS.] Huius oraculi præ aliis meminit, quod habitum à Gentilibus illustrius. Tullius 1. Diuinat. *Oraculi Delphici veritatem omnis ætas experta est.* Vice Parœmiæ Plaut. Pseud. *Delphis tibi responsum dicito.*

4. INSANIVNT.] Verbum proprium Delphicarum mulierc̃larum. Virgil.

Insanam vatem aspicies.

Arnob. lib. 1. *Insanire, bacchari, & velut quiddam ex oraculo promtum dicere.* Prudent. περὶ στεφ.

Furere ac rotare ius putatur mysticum.

Cicero de Claris oratoribus: *Eos, quorum altior oratio, actióque esset ardentior, furere ac bacchari arbitraretur.* De his iam multa 6. Æn. Adiungo & hîc Cyrillum Alexand. in caput 8. Amos, meminit *Virginum quæ erant in idolorum delubris, per quas curiosiores in re magica dæmonum se posse cognoscere putabant.* Ergo *insaniunt*, oracula edunt. Guntherus lib. 1.

Solis licet insanire poëtis.

5. VIDVAS AFRICANÆ CERERI.] Ex loco eiusdem Tertull. de Exhortat. Castitat. *Fœminas verò Cereris Africanæ, cui, etiam sponte abdicato matrimonio, adsenescunt, exinde ademto contactu masculorum, vsque ad oscula filiorum.* Ex alio item in lib. de Monogam. liquet hîc legendum *Cereri Africanæ*, non *Cœlesti Africanæ*, vt volunt aliqui. Et ego quidem tam Pamelio quàm Iunio suscribo. Cęterùm rem similem habes apud Hieronym. lib. 1. aduers. Iouin. in exitu. vbi ait: *Vnicubas semper habuisse inter matronas decus, per illas fortunæ muliebri sacra fieri solitum, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum*, &c.

79. 5. MANENTIBVS IN ÆTERNVM VIRIS.] Explicui, viuentibus, nam sic quoque vsus Horat. hac vocula lib. 1. epist. quod alij notarunt,

Seruiet æternùm, qui paruo nescit vti.

Id est, seruiet quàm diu vita fuerit comes. Sed nemo melior interpres ipso Tert. qui lib. de Monog. *Cereris sacerdotes viuentibus etiam viris, & consentientibus amica separatione viduantur.* Ac perinde *viuere & manere in æternum*, idem. Quin sermone familiari dici solet *in æternum miser ero*, id est, dum vixero. Itaque non est necesse legamus cum Latinio, *manentibus interim viris*, aut *annuentibus interim viris.* Hinc explicari queant loca aliqua sacri eloquij, vt cùm Psalm. 11. dicitur: *Tu Domine seruabis nos & custodies nos à generatione hac in æternum.* In cœlo quippe satis tuti A erimus, & custodia illa videtur peti ad vitam. Tale illud Ecclesiast. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Tu similia. Lege Iacobum Ræuard. lib. 1. Coniectan. cap. 2. vbi, quod cap. de Donat. dicitur, *dissolui matrimonium posse bona gratia coniugum propter sacerdotium*, refert ad hoc ipsum sacerdotium Africanæ Cereris. Et ibi quidem *bona gratia*, quod Tertull. *amica separatione*, & quod Amb. l. 2. de Abraham cap 6. dixit *bonam veniam.*

5. RIDENTIBVS.] Nihil muto.

5. VSQVE AD OSCVLVM FILIORVM.] 80. Tale quiddam narrat Hieronym. in Regulis Monachor. vbi ait, sacerdotes Ægyptios, vbi semel se huic ministerio consecrauerint, *nunquam deinde mulieribus se miscere, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem videre.* Adducit hæc ex Chæremone philoso- B pho Stoico.

5. DVRANTE VSV.] Digna vox, quæ notetur: dicit enim *vsum* de matrimonio, in quo nullus vsus maritalis in abstinentia perpetua, sed tantùm vinculum coniugale.

6. QVASI EX ÆQVO.] Notanter, quia non verè *ex æquo*, sed tantùm, *quasi ex æquo.* Nulla enim parilitas in continentia diaboli, sed tantùm affectatio quædam. De qua re præclarus est Ambrosij locus lib. 1. de Virg. vbi ridens Gentilium Virgines dat illarum *pudicitiæ petulantiam, integritati corruptelam, castitati libidinem, disciplinæ impudicitiam, religiosis mysteriis incentiuum libidinis.*

6. O CONTINENTIAM.] Correctio & iudi- D cium Iunij non placent. Hic enim concupiscendi modus non alienus ab scriptore planè tragico.

6. SECTATORIBVS.] Herald. lib. 1. digress. c. 33. 81. censet legendum *affectationibus*, nam hac voce frequenter Tertull. vtitur in virtute affectata. Ita verè est, & illi assentior. Nihil enim verum in virtute Gentilium, sed *frigidum & inane*, vt de affectatione loquitur Fabius l. 9. c. 3.

6. ALIOS LVXVRIA, ALIOS CONTINENTIA OCCIDERE.] Non dissidet ab hac sententia illa Hieronymi lib. 1. Commēt. in ca. 5. Matth. *Si à recta via virtutis paullulum declinaueris, non interest, vtrùm ad dexteram vadas, an ad sinistram, cùm verum iter amiseris.* Item illa Gregorij Nysseni lib. de Virginit. cap. 16. *In corporalibus ægrotationibus nihil referre quis dixerit, vtrùm morbi tabes à nimia cibi tenuitate sit, an ab immoderata ingurgitatione, cùm vtriusque immoderatio eodem termino concludatur.*

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Qui abstinet à secundis nuptiis, dat testimonium fidei, & sustinet voluntatem Dei: vtrumque probat.

TERTVLLIANVS.

82. 1. NOBIS continentia, ad strumentum æternitatis, demonstrata est à Domino salutis Deo ad testimonium fidei: ad commendationem carnis istius exhibendæ superuenturo indumento incorruptibilitatis, ad sustinendam nouissimè voluntatem Dei.

EXPLICATIO.

1. DVo continentiæ encomia; nam primò *demonstrata est nobis à Domino ad testimonium fidei*; tanquam *ad instrumentum æternitatis*, est enim fides *instrumentum* consequendæ *æternitatis.* Mutaui interpunctiones, vt illud, *ad instrumentum æternitatis*, sit tanquam parenthesis. Pergit. *Nouissimè*, id est, postremo loco, demonstrata est *ad sustinendam voluntatem Dei*, quæ Dei voluntas pertinet *ad commendationem carnis*, &c. q. d. *Si voluntatem Dei* sustineamus in abstinentia nuptiarum, caro nostra commendabilior

aptiórque erit induendæ ſuperuenturæ *incorruptibilitati*. Cogor ita explicare, rationem reddam in Notis. Expende illud *ſalutis*, quaſi cum oppoſitione ad præcedens caput. Dæmon continentiam oſtendit, ſed ad perniciem: Deus ad ſalutem.

83. 2. Super hæc enim recogites moneo, neminem, niſi ex Dei voluntate, de ſeculo duci, ſi ne folium quidem ex arbore ſine Dei voluntate delabitur. Idem qui nos mundo infert, idem & educat neceſſe eſt. Igitur defuncto per Dei voluntatem, etiam matrimonium Dei voluntate defungitur. Quid tu reſtaures, cui finem Deus poſuit? quid libertatem collatam tibi, iterata matrimonij ſeruitute faſtidis? obligatus es, inquit, matrimonio, ne quæſieris ſolutionem: abſolutus es matrimonio, ne quæſieris obligationem. Nam & ſi non delinquas renubendo, carnis tamen preſſuram ſubſequi dicit. Quare facultatem continentiæ, quantum poſſumus, non diligamus? quam primùm obuenerit, imbibamus: vt quod in matrimonio non valemus, in viduitate ſectemur. Amplectenda occaſio eſt, quæ ademit quod neceſsitas imperabat.

2. Ex duobus, quæ propoſuerat, aſſumit primò *voluntatem Dei*. vti vrgeat, palam intuenti. Quid enim explicem, quæ tantùm egent lectore? Minutulas quaſdam mutationes Latinij & Iunij contemno.

84. 3. Quantum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli declarat, cùm digamos non ſinit præſidere, cùm viduam adlegi, in ordinationem, niſi vniuiram, non concedit. Aram enim Dei mundam proponi oportet. Tota illa Eccleſia candida de ſanctitate deſcribitur.

3. Pergit ad rationem alteram. Aitque digamos non poſſe *præſidere*, id eſt, non poſſe eſſe preſbyteros. neque viduas adlegendas *in ordinationem* (quæ hæc ſit, dicam in Notis) *niſi vniuiras*. Hinc colligit cùm hæc ſit *diſciplina Eccleſiæ, vtque præſcripta ab Apoſtolo*, certè videntur ſecundæ nuptiæ aliquid *fidei detrahere*, & *ſanctitati* aduerſari. Non puto mentem Tertulliani eam eſſe, quam verba præferunt, ſed vrget acriter ex ingenio procliui in omnem auſteritatem & rigorem. Itaque amor continentiæ hominem præcipitat. Ergo cùm ait, *detrahunt fidei*, tantùm eſt, detrahunt ſanctitati fidelis: arguunt fidelem non ita ſanctum. Si enim hîc aliquid contra dogma fidei ſentiret, non dixiſſet in hoc cap. *Nam & ſi non delinquas renubendo*. Et in lib. de Exhortat. ad Caſtit. cap. 4. loquens de ſecunda vxore: *ſed, & ſi duxeris, non delinques*. Abſoluit, *Aram enim Dei mundam proponi oportet*. Id eſt, ſicut ara Dei munda eſſe debet, ita & preſbyteri (de quibus ad Titum) mundi ſint continentia ſua; & viduę, quę adleguntur (de quibus ad Timoth.) mundæ ſint quoque ſuo vniuiratu: ad eum modum, quo *tota illa* cœleſtis *Eccleſia* in Apocalypſi deſcribitur *candida de* ſua *ſanctitate*.

4. Sacerdotium viduitatis & celebratum eſt apud nationes, pro diaboli ſcilicet æmulatione. Regem ſeculi Pontificem maximum rurſus nubere, nefas eſt. Quantum Deo ſanctitas placet, cùm illam etiam inimicus adfectat: non vtique vt alicuius boni adfinis, ſed vt Dei Domini placita cum contumelia adfectans?

4. Concludit cum exemplo Gentilium, quibus *viduitas* in cultu. Vnde colligit *ſanctitatem* Deo perquam *placitam*, cùm *diabolus* illam affectet, non quia ille, quod bonum eſt, amet; ſed vt ludat per affectationem de *Dei placitis*, id eſt, ſcitis, decretis, inſtitutis.

NOTÆ.

85. 1. CONTINENTIA.] Eſt relinquere coniuges ſuas; non abiicere, vel excludere, quod eſt inhumanum; ſed relinquere, id eſt, non miſceri cum eis.

1. STRVMENTVM.] In mſ. reperiri *inſtrumentum* teſtificatur Vvouer. Sed ex penu Afri huius nihil eſt mirum prodiſſe *ſtrumentum*, vt alibi *ſtructius*, pro, inſtructius. Et fortaſſe ex Græcorum ingenio, quibus ὄργανον vox ſimplex, non compoſita, eſt inſtrumentum, quaſi dicas *ſtrumentum*. Itaque nihil cenſeo mutandum, præſertim cùm in Pœnitentiali Romano tit. 6. de incantatorib. cap. 4. legatur, *Septima Luna ſtrumenta confici non debent*. Quam lectionem defendit Antonius Auguſtinus ex lib. veteri, adducítque ſimilitudinem: nam ita etiam, *Spaniam, Spanos, Spalim, & Spalenſe conciliũ*. dixerunt aliqui, pro, Hiſpania, Hiſpanis, Hiſpali, & Hiſpalenſi Concilio. Et ego adduco Auiulphum Epiſcopum, qui *Spania*, pro, Hiſpania. Quin Paulus ad Romanos 15. Σπανία dicit. Et quia ferax eſt fertiliſque, Plinio teſte, Mela, & omnibus ſcriptoribus, omnium rerum, ita à Græcis dicitur Σπανία, id eſt, rara, & precioſa. Et Luciferum Calaritanum Epiſcopum, qui ſæpiſſimè vſurpat, *Iudam Scarioth*, pro Iudam Iſcarioth. Et Sanctum Maximum Hom. 1. de Sancto Latrone: *Quem Judas Scarioth in hortulo paradiſi diſtraxerat, hic in crucis patibulo confitetur*. De Iuda Scariote, pro, Iſcariote, vide Serarium inter opuſcula, qui inde ait à Varrone dici *coniam* pro ciconiam. Aratorem, qui *crementa* dixit pro incrementa, lib. 1. Hiſt. Apoſtol. verba eius,

Fœcundi crementa mali, &c.

Et Caſſianum qui collat. 9. c. 7. *flammatur* pro inflammatur.

1. ÆTERNITATIS.] Quamuis videantur quatuor continentiæ encomia, ſcilicet eſſe, *Æternitatis inſtrumentum, teſtimonium fidei, commendari ea virtute carnem noſtram, & ea tandem ſuſtineri voluntatem Dei*. Ego tamen ad duo contuli, ſcilicet, *fidei teſtimonium, Dei voluntatem*, quibus duo reliqua annectantur. Rationem hîc reddo. Non dubium quin reſpexerit lo- 86.

cum Pauli 1. Corinth. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Duo ait Paulus, *incorruptionem*, *immortalitatem*: primam vocem retinuit Tertull. alteram mutauit in *æternitatem*. q. d. Continentia tibi demonstrata est primò vt des testimonium fidei, & ita reddaris in cœlesti gloria immortalis, æternúsque: deinde, ad sustinendam Dei voluntatem in abstinentia nuptiarum, & ita reddas iam hinc carnem tuam commendatiorem ad incorruptionem, quam habiturus es. Dices. Quomodo ita explicationem meam adstruam? Certè inde: nam animus Scriptoris esse videtur, nolle ex professo (sic dicam) has duas res, sed tantùm quæ pertinent ad *fidem* & *voluntatem* Dei, vt constat ex reliquo capite; quibus denique appendiculus inseritur versiculus Pauli. Cruciaui me multis, quia nequeo ferre διαφωνίαν Tertulliani. Est enim magna absurditas, quatuor proponi ab illo, qui duo tantùm debeat B resumere. In reliquo autem cap. tantùm resumit *testimonium fidei*, & *voluntatem Dei*. Non ergo de *instrumento æternitatis*, nisi vt annectitur fidei; nec de *commendatione carnis*, nisi vt annectitur voluntati Dei in vnis nuptiis. Et obiter habes explicatum locum Pauli. Dat enim Tertullianus continentiæ nuptiarum has vires, vt illa confirmet fidem nostram, ad immortalitatem consequendam: & faciat sustineri perferríque Dei voluntatem, ad incorruptionem futuram. Quasi immortalitatem & incorruptionem Pauli, vna pariat nuptiarum continentia, illam media fidei, hanc media voluntate Dei.

87. 1. INCORRVPTIBILITATIS.] Ab hac incorruptibilitate carnis, non absimilis locus Clement. lib. 2. Pæd. c. 1. vbi ait debere esse studium hominis ἁγνίζειν τὸ σάρκα, *carnem sanctificare*.

1. NOVISSIME.] Potest vox ista blandiri illis, qui putant hîc quatuor encomia posita, vt de vltimo C tandem dicatur *nouissimè*. Sed ego explicui *nouissimè*, id est, loco vltimo. Nam de duobus rectè id dici quit. Sicuti Matth. 25. *Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua; nouissimè verò veniunt*, &c. id est, deinde, loco vltimo.

2. IDEM QVI NOS, &c.] Necesse est probare lectionem ms. *Adeo qui nos mundo*, &c. ne bis repetat eandem particulam otiosè. Vt verè sententiam illustres, lege homiliam Ioannis Chrysostomi quartam ad Populum, vbi copiosè dissertat, cur mors esse debeat, non ad nostram voluntatem, sed ad Dei placitum.

2. INFERT.] Notantissimè. Est hoc verbum infaustum, & totum funerale, inde *inferiæ* mortuorum. q. d. Cùm nati sumus, non tam nascimur quàm inferimur in corpus, veluti in custodiam, potiùs in sepulcrum. Huic opponit verbum *educo*, nam mors vera est vita, quæ nos è carcere liberat, è sepulcro educit. Damascen. de Transfigurat. σαρκὸς δέσμια, dixit *carnis* D *vincula*. Et Plato, σῶμα ἡμῖν σῆμα: *corpus nobis est sepulcrum*. Trita eruditio, vide me lib. 6. Æn. Ex infelicitate eiusdem verbi Isid. prologo in libros synonymorum: *Quascumque afflictiones pateris in hoc seculo retributione tibi infligentur.*

88. 2. MATRIMONII SERVITVTE.] Quod vno verbo Tertull. multis Ambros. lib. de Exhortat. ad Virgines, vbi non solùm ait matrimonium esse *seruitutem*, sed rem speciosè explicat his verbis: *Quæ nupserit, ad seruitutem pecunia sua venditur. Meliori conditione mancipia, quàm coniugia, comparantur. In illis meritum emitur seruitutis, in istis pretium adseruitutem additur. Nupta venalis auro grauatur, auro æstimatur.* Finge hominem, qui ipse pecuniam dat, vt fiat seruus: talem describit Ambros. nuptam. Hieronymus etiam non aliter de matrimonio ac de seruitute loquitur ad Exuperantium, eius verba: *Qui igitur* A *seruit officio coniugali, vinctus est; qui vinctus est, seruus est: qui autem solutus est, liber est: cùm ergo Christi gaudeas libertate*, &c. Ignatius Martyr epistola ad Philadelphens. γυναῖκας, id est, *vxores*, vocat ὁμοδούλους *conseruas*. Gregor. Nyssen. lib. de Virginit. cap. 18. πεδηθῶσι τῷ τοῦ γάμου δεσμῷ: *compedibus* (sunt hi seruiles) *nuptiarum illigari*.

2. AMPLECTENDA OCCASIO EST.] Præclarè Seneca epist. 22. *Occasionem obseruare properantem*. Symmach. epist. 7. l. 1. *Occasionem accipere, prudentis est*. Ioann. Simocatt. lib. 5. hist. μὴ διαχεῖν τὸν καιρὸν, *non sinere labi occasionem*. Sophocl. in Elect. καιρὸς ἐλάγη dixit. Verè Liuius ore Martij ducis lib. 25. *Quia si occasionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paullum fueris, ne quicquam mox amissam queraris.*

3. OBSTREPANT SANCTITATI.] Eadem 89.
locutio in Græcis, & ad rem eandem. Nam Chrysost. orat. 2. aduers. Iud. ἐνοχλεῖτε τῇ ἐκκλησίᾳ: *obstrepitis Ecclesiæ*. Et iterum pari potestate, ἐνοχλῶν. Senec. epist. 56. *Animus illi obstrepit*. Natum ab his, qui cùm aliter nequeant vincere, vocibus omnia confundunt, ad eum modum, quo scriptum à Theodorito lib. 2. Hist. c. 27. ἀλλὰ βοὴ πολλὴ τῶν περὶ Ἀκάκιον καὶ Εὐδόξιον ἐγένετο: *Sublatus est clamor à factione Acaciana & Eudoxiana.*

3. NVPTIÆ SECVNDÆ.] Dixi iam in expli- 90.
catione mentem Tertull. qui hoc loco suspectus esse de errore non debet, quamuis vehementiùs vrgeat, quàm par est. Fortasse, quia apud pleróque secundæ aut tertiæ nuptiæ non benè audierunt. Et quidem Hieronym. non abstinet in hac re ab nomine *Scortationis* & *meretricum* in epist. ad Gerontiam, tametsi alibi se explicuerit. Et Athenagoras dixit, εὐπρεπὴς μοιχεία δευτέρος γάμος: *Secunda nuptia honestum adulterium*. Inde Gul. Forner. de Verbor. significat. his verbis, *dum nupta erit*, absolutè ait signari primas nuptias, etiam si nihil addatur. Aitque à Theologis primas nuptias vocari νόμον, id est, legem: secundas, συγχώρησιν, *concessionem*: tertias, παρανομίαν χειρώδη, *subationem ex lege*: quartas, ἀκρώδη βίον, *vitam belluinam*. Hæc ita accipienda sunt, non quia damnentur secundæ aut tertiæ nuptiæ, sed quia signum sint intemperantiæ, & quanto illæ plures, maior erit intemperantia. Non dissident verba Hilarij in Psalm. 131. *Quanta viduarum dignitas est, & honesta vnius tori conscientia, & felicis continentiæ indemutata constantia.* Quasi, quæ bis nupsit, nec ita honesta, nec satis felix dici potest. Notandus can. 18. Concilij Toletani primi, vbi audies: *si qua vidua Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi, maritùm acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea conuiuium sumat: nunquam communicet, morienti tantum ei sacramentum subueniat.* Vide an rigidiùs quicquam statui possit in secundas nuptias? Consimillima etiam cum Tertulliano Ambros. lib. 1. offic. cap. vlt. *De castimonia autem quid loquar, quando vna tantùm, nec repetita permittitur copula? Et in ipso coniugio lex est non iterare coniugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionem.* Ab hac frequenti repetitione nuptiarum, quæ gentilibus aliquando fuere detestabiles, factum vt verbum *nubo* sumatur in malam partem, & pro scortatione meretricia. Ita Plaut. Cistell. *Quotidie viro nubit*, id est, quotidie meretricatur. Ita viri docti capiunt locum Iustini lib. 31. qui de Antiocho, *Rex ipse per hyemem in luxuriam lapsus, nouis quotidie nuptiis deditus erat.* Capiunt (inquam) de frequenti scortatione; nam cæteri historici Liuius lib. 16. & Ath. lib. 10. illi vnam tantùm dant vxorem. Ita & Martial.

Nolito fronti credere, nupsit heri.

Id est, heri operam dedit amoribus meretriciis.

9. DIGAMOS NON SINIT PRÆSIDERE.] 91.

Alludit ad locum Pauli cap.1.epist.ad Titum, vbi ait, ad legendum siue in Episcopum siue in presbyterum, debere esse *vnius vxoris virũ*. Vide verò vt explicui. Nihil est enim aliud, *non sinit præsidere*, non sinit, non permittit esse presbyteros. Ita verò est, nam digamus sine dispensatione nequit esse presbyter. Maluit verò more suo obscuriùs, quàm clarè, loqui. Clarè loqueretur, si diceret: *Non sinit esse presbyteros*. Ita lib. de Cor. Mil. c. 3. *Nec de aliorum manu, quàm præsidentium* Eucharistiam *sumimus*, id est, de manu, aut Episcoporum, aut presbyterorum. Et in Apologetico *præsident probati quique*. Ita etiam loquitur Dionys. Areopag. epist. ad Demophil. vbi προϊστασθαι. Et Hieronym. in ep. 1. ad Timoth. c. 3. verba eius: *præsit Ecclesiæ Dei*. Vbi etiam iisdem dat verbum *guberno*, cùm scribit: *Si enim filios suos erudire nesciuit, quomodo tantos Dei filios gubernabit?* Quin idem Hieronym. *Ecclesiæ principes* ibidem vocat. Quod, nisi fallor, accepit ab Hilario l. 8. de Trinit. vbi de Paulo instituente Titum, ait: *Perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum* B *virtutum bonis instituit*. Idem can. 27. in Matth. *Populi principibus, id est, Episcopis*. Ioann. Chrysostom. orat. de Simultate & ira προεστῶτες. Nam certè de præsidibus Ecclesiasticis Chrysostomum capio, non de secularibus. Et loco alio, προστάτας nominat. Et Homilia 20. ad populum, sacerdotem vocat ἡγεμόνα, id est, *ducem*. Et κυβερνήτην, id est, *gubernatorem*, quod iam ex Hieronymo. Nec te turbet aliqua horum dirigi ad Episcopos. Nam olim sub *Episcopi* nomine æquè comprehendebantur & verè *Episcopi*, & *presbyteri*: Quod satis clarè Hieronym. (vt alios omittam) in dictum locum, vbi ait: *Quæritur cur de presbyteris nullam* Paulus *fecerit mentionem, sed eos in Episcoporum nomine comprehenderit? Quia secundus, imò pene vnus est gradus: sicut ad Philippenses Episcopis ac diaconis scribit, cùm vna ciuitas plures Episcopos habere non possit. Et in Actibus Apostolorum presbyteros Ecclesiæ, iturus Hierosolymam, congregans, ait inter cætera, videte* C *gregem, in quo vos Spiritus Sanctus Episcopos ordinauit*. Idem Doctor in cap. 1. epist. ad Titum ait: *ipsum dicit Episcopum, quem superius presbyterum nominauit.*

92. 3. VIDVAM ADLEGI IN ORDINATIONEM, NISI VNIVIRAM.] Alludit locum Pauli 1. Timoth. c. 5. Ne verò puta fœminis datum aliquem sacrum ordinem, neque id vult Tertull. cùm enim nomen *ordinis* in fœminis videris, impropriè capias necesse est. Dicuntur *ordinari*, quia ad obsequium destinabantur, præsertim instruendis muliebribus catechumenis, præparandísque illas ad baptismum. Erant præterea res sacræ earum curæ & custodiæ commissæ. De his & alis minutulis capiendi patres, qui illis ordinationem attribuunt, nõ de alia. Imò Clemens Romanus cap. 8. lib. 25. *Vidua non ordinatur, sed cooptatur in gradum vidualem*. Et Epiphan. expressè notat vocari ab Apostolo 2. cap. ad Titum πρεσβύτιδας, non πρεσβυτίδας, ne scilicet quispiam existimet, ab illis aliquid sacri muneris administrari in Ecclesia. D Et quidem admitti ad illud obsequium dicebatur *ordinatio*. Quam ordinationem Tertull. lib. de Velandis Virg. vocat *sedem*, cùm ait: *Ad quam sedẽ præter annos sexaginta non tantùm vniuiræ aliquando eliguntur*. Et Clemens loco dicto vocat *gradum vidualem*. Nec te turbet, in Scriptoribus sacris inueniri interdum nomen *Diaconissarum*. Idem enim his munus, non ordo aliquis. Apertè Ignatius epist. 12. *Saluto custodes sacrorum vestibulorum diaconissas*. tantùm ergo ianitrices. Clemens Rom. lib. 8. Constit. c. 28. *Diaconissa non benedicit, nec facit aliquid eorum quæ presbyteri, aut diaconi faciunt, nisi quòd ianuas custodit, & presbyteris ministrat, cùm mulieres baptizantur, idque propter decorem & honestatem*. Et Concilium Nicænum can. 16. loquens de Diaconissis, ait, ὥστε ἐξ ἅπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς ἀριθμεῖσθαι αὐτὰς καὶ ἐπιτελεῖν: *& ideo modis omnibus eas inter laicas deputari*. Et in baptismo olim. Nam in constit. Apostol. lib. 3. c. 15. ita habetur: *Cum illuminantur mulieres, diaconus vngit oleo sancto, deinde diaconissa ipsas abstergit*. Has diaconissas hodie in Oriente seruari auctor est Sedulius Hybernen. in Epistolam priorem Pauli ad Timoth. cap. 3. Omitto nomen *Episcopæ* quoties occurrat, nihil enim ad rem nostram; nam tantùm notat vxorem Episcopi. Ita in Concil. Turonensi 2. cap. 14. *Episcopum Episcopam non habentem,* 93. *nulla sequatur turba mulierum*. Ad quem modum Concil. Antisiodorense can. 21. vxorem presbyteri vocat presbyteram. Verba Concilij: *Non licet presbytero in vno lecto post acceptam benedictionem cum presbytera dormire*. Neque video, quî Pamelius dixerit Scholio 72. in librum de Exhortat. ad Castit. Gregorium per has *presbyteras* intellexisse Abbatissas aut Priorissas. Hoc enim non probat Pamelius. Sed incidit suspicio, Tertullianum posse adhuc simpliciùs explicari, nam cùm respiciat locum Pauli, & Paulo sermo sit de viduis, quæ alebantur Ecclesiæ opibus, fortè *adlegi in ordinationem*, erit, non χειροτονεῖν, sed adlegi in numerum ordinémque harum viduarum. Hoc qui dixerit, quomodo possit redargui ignoro, cùm præsertim istæ deberent esse vniuiræ: nam multiuiræ excludebantur hoc beneficio. De his viduis loquitur Hieronym. epist. ad Nepotian. his verbis: *Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater, aut probat æquælibet apud omnes fidei. Quòd si huiusmodi nõ fuerint cõsanguinitatis castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officiũ præbeant, & beneficiũ præbeãt ministrando, vt infirmitas quoque tua fructũ habeat eleemosynæ*. Et in opere de muliere septies icta, meminit anus, *quæ Ecclesiæ sustentabatur opibus*. Et l. 1. aduers. Iouinian. post verba Apostoli: *Hoc omne præceptum de his est viduis, quæ Ecclesiæ pascuntur eleemosynis. Et idcirco ætas præscribitur, vt illæ tantùm accipiant pauperum cibos, quæ iam laborare non possunt. Simúlque considera, quòd qui duos habuit viros, etiam si anus est, & decrepita, & egens, Ecclesiæ stipes non meretur accipere*. Et hæ sunt illæ quas Paulus vocat *veras viduas*, quia non, nisi probatis moribus, eligebantur. Nazianzenus orat. ad 150. Episcop. de his loquens dixit, χηρῶν συνήματα, *cœtus viduarum*. Adiicio adhuc Tertullianico cursui notitiam antiquitatis. Ego puto honores istos habitos vniuiris ab Ecclesiæ patribus exemplo Gentilium, à quibus & multa irrepsêre in Ecclesiam mutata in melius. Ergo cùm gentiles ipsi magnos honores dedissent fœminis vniuiris, placuit mos idem nostris maioribus ab initio nascentis Ecclesiæ. Inter honores Gentilium ille fuit magnus, vt simulacrum pudicitiæ nefas esset attingi nisi ab ea quæ semel nupsisset, quod scribit Festus. Alius, nam *quæ vno contentæ* (verba sunt Valer. Max. lib. 2. c. 1.) *matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur*. Hinc factum, vt inter titulos sepulcrorum hic gloriosus esset. Propertius eleg. 12. l. 4.

In lapide hoc vni nupta fuisse legar.

Hoc doluit Dido apud Ouid.

Nec consumta rogis inscribar Elissa Sichæi.

Hoc gloriatur Martia apud Lucanum,

--- liceat tumulo scripsisse Catonis
Martia.

Quasi non alterius deinde, sed tantùm vnius Catonis. Sic contra multiuiræ infames habebantur. Pub. Syrus: *Habent locum maledicti crebræ nuptiæ*. Seruius in illud 4. Æneid.

Huic vni forsan potui succumbere culpæ,

Scribit dictum hoc *propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio bis nuptæ*. Hinc factum vt repetitæ nuptiæ apud Romanos fierent occultè, & sine frequentia, quasi pudẽdæ essent: quod Plut. scribit ἐν Ρωμ.

94. 3. VNIVIRAM.] Quas nunc fœminas, olim vocabant *viras*, inde *vniuiræ*, *multiuiræ*, &c. Sic Hebræis non solùm erat *is* vir, sed *issa* vira. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. non solùm vocat *vniuiram*, sed etiam *vnicubam*.

3. ARAM.] Legi vult Iunius *aream*, non probo. Et Turrianus lib. 1. Can. Apost. c. 1. *aram* legit.

4. REGEM SECVLI PONTIFICEM MAXIMVM.] Intelligit Flaminem Dialem, qui non solùm *Pontifex Maximus* dicebatur, sed etiam *Rex*, quia arbiter rerum humanarum & diuinarum. Tertull. in Exhortat. ad Castit. cap. vlt. *Certè Flaminica non nisi vniuira est, quæ & Flaminis lex est, nam duo ipsi Pontifici Maximo iterare matrimonia non licet, quod Monogamiæ gloria est.* Vides vt Pontificem Maximum dicat esse Flaminem. Igitur tam viro Flamini, quàm vxori Flaminicæ erant vnicæ tantùm nuptiæ. Inde in sensu Christiano *Pontificium* dicitur potestas, de qua re vide Notam Petri Ciaconij in Cassianū. Et *seculum* in eo significato est, Cassian. collat. 18. c. 16. *Nec peruersos atque exsecrabiles quosque Sanctorum virorum numero insertos latitare miremur, quia dum in huius seculi area conculcamur atque conterimur, necesse est etiam paleas igni perpetuo deputandas, inter electissima frumenta misceri.*

95. 4. NVBERE.] Verbum hoc dat viro Plautus A Casin. act. 5. Scen. 1. maritum vocat *nouum nuptum*. Quemadmodum notat Turnebus lib. 2. c. 8. verbum *pario* & *partus* dari etiam viris, id quod obseruauit Quintilianus lib. 10. & Homer. dixit,

Ον ἀδμήτος τέκετο Ζεύς.

Et Cicero 2. Tuscul. scribit, *& apud tragicos & iam leo pariet, at pater est.* At verbum *nubo* (vt dixi) viris datum. Ouid. in 1. Met.

Pan videt hanc, pinúque caput præcinctus acuta,
Talia verba refert: tibi nubere, Nympha, volentis
Votis cede Dei.

B Nonius ex vetustissimo fabularum scriptore Pomponio hæc verba ponit: *Sed meus frater maior, postquam videt me inde eiectum domo, nupsit dotatæ, vetulæ, uariosæ Afræ.* Sed de hac *nubendi* acceptione alibi. Hîc noto ab vno Beda in lib. de Remedio peccatorum, sæpè poni pro coïtione viri cum fœmina, quæ acceptio insolens satis. Itaque vir nubit cum vxore, est, coït cum vxore, & ita explicat Ant. Augustin. in Notis ad librum illum. Credo hoc natum ex prisco more, quo voces omnes nuptiales conuersæ sunt ad sensum impudicum, quod in Comment. ad Catull. notauit Muretus, firmauitque exemplis.

4. DEI DOMINI.] Ita initio capitis, *Domine Deo*.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Viduitatis honor, gloria, prærogatiua; exhortatio ad illam.

TERTVLLIANVS.

96. *Isai.* 1. NAM de viduitatum honoribus apud Dominum, vno dicto eius per Prophetam expeditum, Iustè facite viduæ, & pupillo, & venite, disputemus, dicit Dominus.

EXPLICATIO.

1. RESpicit locum Isaiæ cap. 1. *Iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Incipit à particula *Nam*, veluti reddēs rationē, non solùm superioris capitis, sed totius libri. q. d. Nihil mirēre, ô vidua, tātopere tibi continentiā commendatā ad gloriā Dei tui, nā ille honores tuos curat.

2. Duo ista nomina in quantum despectui humano, in tantum diuinæ misericordiæ exposita suscepit tueri pater omnium. Vide quàm ex æquo habetur, qui viduæ benefecerit. Quanti est vidua ipsa, cuius adsertor Dominus disputabit? Non tantum virginibus datum opinor.

2. Erat hic locus aliquantulum difficilis, qui iam clarus ex interpunctione, quam vides, & quam Iunio debes. Itaque Deus *suscepit tueri duo ista nomina* pupilli, & viduæ. Ratio: quia *in tantum exposita diuinæ misericordiæ, in quantum despectui humano.* Et ideo verè debet dici *Pater omnium*, quia non tantùm diuitum, sed etiam miserorum. Nota verba tria, *exposita, suscepit, Pater.* Sed hoc in Notis, Sequitur. *Vide quàm ex æquo*, &c. Id est: *Qui viduæ benefecerit, vide* quid assequatur, nam *quàm ex æquo habetur* cum Patre omnium Deo, éstque illi simillimus, nam hoc est, *quàm ex æquo haberi.* Pergit. *Quanti*, &c. Magni habenda *vidua*, cui datus *assertor* (vindex, patronus, defensor) Deus, quæ gloria nō contingit virgini. videlicet perspicua testatione sacrarum litterarum; nam Deum esse bonorum omnium assertorem nemo neget. *Opinor*, puto, οἶμαι.

97. 3. Licèt in illis integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura est faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operosius: quia facile est nō appetere, quod nescias, & auersari, quod desideraueris nunquam. Glorioſior continentia, quæ ius suum sentit; quæ quid viderit, nouit.

3. Ideo *solida* & *tota*, quia nihil ibi operati viri, & nihil inde liberi acceperunt, hi enim ex materna substantia procreati illam imminuunt, nec relinquunt integram. *De proximo*, id est, proximè & propiùs, vel (vt loquitur Cassiod.) proximiùs. Quippe virgines altiorē gloriæ gradū, quàm viduę, habebunt in cœlis, videlicet vt sponsæ propiores suo sponso, & ideo sequentur agnum, quocumque ierit. Reliqua clara.

98. 4. Poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior: illa, quòd bonum semper habuit; ista, quòd bonum sibi inuenit: in illa gratia, in ista virtus coronatur. Quædam enim

enim sunt diuinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ à Domino indulgentur, sua gratia gubernantur: quæ ab homine captantur, studio perpetrantur.

4. Collatio ista inter virginem & viduam pulchertima est, & nullæ hîc salebræ difficultatis. Ait de vidua *inuenit*, quia bonum quod minimè sperabat, defuncto *inuenit* marito, videlicet vidualem statum. *Perpetrantur*, est, perficiuntur. Cæterùm, quæ hîc ait Tertullian. de viduarum *virtute*, *operatione*, *studio*, non ita accipienda, vt hoc det viribus humanis, nihil enim boni moralis sine Dei gratia: sunt enim leniter interpretanda. & quid ipse vellit, satis notum. Certè ad hunc modum & Patres alij loquuntur. Vt cùm Ioann. Chrysostom. Homil. 16. ad Popul. dixit de Paulo, sositum gloriari ex vinculis, non ex reuelationibus. & addit rationem, quia reuelationes erant mirè χαρίσματα, *gratuita dona*. Atqui vincula erant indicia χαρτερίας καὶ ὑπομονῆς: *Tolerantiæ & patientiæ*. Nunquid negat hæc etiam esse ex mera gratia Dei? apage.

99. 5. Stude igitur ad virtutem continentiæ, modestiæ, quæ pudori procurat: sedulitati, quæ nugas non facit: frugalitati, quæ seculum spernit: conuictum atque commercia Deo digna sectare, memor illius versiculi sanctificati per Apostolum: Bonos
1. Cor. 15. corrumpunt mores congressus mali.

5. Præcessit viduæ *studio* perfici eius operationem, ideo continenter cum ea loquens, *stude igitur*. Hinc iam te volo Lector attentum, vt plenè capias extremam partem capitis. Monet igitur viduam, vt quatuor rebus studeat *ad continentiæ* consequendam *virtutem*, primò *modestiæ*, *quæ pudori procurat*, quasi eius administra: deinde, *sedulitati*, *quæ nugas non facit*, vt quæ seria & seuera: tertiò, *frugalitati*, *quæ seculum spernit*, id est, delicias in cibo & potu, quæ sunt in magno seculi precio: quartò, *sectetur conuictum*, id est, congressum aliarum fœminarum, atque *commercia*, id est, conuersationes, *Deo digna*, retinens animo versiculum, *Bonos corrumpunt*, &c. Ait *sanctificatum* ab Apostolo, nam profani Poëtæ versum Paulus ore suo protulit, & calamo exarauit.

100. 6. Loquaces, ociosæ, vinosæ, curiosæ contubernales, vel maximè proposito viduitatis officiunt. Per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica: per ocium seueritate deducunt: per vinolentiam quiduis mali insinuant: per curiositatis æmulationem libidines conuehunt. Nulla huiusmodi fœminarum de bono vniuiratus lo-
Philipp. 3. qui nouit: Deus enim illis (vt ait Apostolus) venter est, ita & quæ ventri propinqua.

6. En iam vitia quatuor opposita præcedentibus virtutibus. Officiunt proposito viduitatis primo fœminæ *loquaces*, quia *per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica*; atqui viduæ studendum modestiæ & pudori: deinde *ociosæ*, quia *per ocium deducunt* alias *à seueritate*; atqui viduæ studendum *sedulitati*, *quæ nugas non facit*: tertiò *vinosæ*, quia *per vinolentiam quiduis mali insinuant*; atqui viduæ studendum *frugalitati*: quarto demum officiunt *curiosæ* fœminæ, quæ *in contuberniis* sunt, quia *per curiositatis æmulationem libidines conuehunt* (quasi naues plenæ mercimoniis) atqui viduæ sectandum *conuictus*, *& commercia digna Deo*, & fugiendi *mali congressus qui bonos mores corrumpunt*. Inde concludit, *Nulla huiusmodi*, &c. Nota verba illa, *Quorum Deus venter est*, explicari ab hoc viro, non solùm de gula ventris, vt clamant concionatores; sed etiam de libidine, quæ ventri proxima non calore solùm, sed etiam situ. Illud *vel maximè*, est, etiam maximè.

7. Hæc tibi iam hinc commendo, conserua chariſſima, post Apostolum quidem ex abundanti retractata, sed tibi etiam solatio futura, quòd meam memoriam, si ita euenerit, in illis frequentabis.

7. Conclusio totius libri. *Commendo*, vt respondeat initio, vbi de legato, & prælegato. *Ex abundanti*, quia Apostolus breuior, Tertullianus abundantior. *Retractata*, quia post Apostolum tractata à se iterum. *Si ita euenerit*, id est, si prior te vocatus fuero.

NOTÆ.

101. 2. DESPECTVI HVMANO.] Dicit, viduas, pupillos despectui humano esse expositos, ita verè est. Saluian. lib. 5. de Gubernat. *Quis ergo locus est, vbi non à principalibus ciuitatum, viduarum & pupillorum viscera deuorentur?* Inde Can. 7. Concilij Sardicensis, τοῦτο τὰ ὀνόματα (loquitur de vidua & orphano) δικαίαν ἔχει τὴν αἴτησιν, *Hæc nomina iustam habent supplicationem*.

2. EXPOSITA, &c.] Dicuntur infantes *expositi*, qui verè abiecti sunt, & fortunæ ac sorti expositi: tales pupilli, & viduæ. Et quidem respectum à Tertulliano ad infantes expositos, liquidum ex verbo *suscepit*. Dicuntur enim liberi *suscipi*. q.d. Pupillum & viduam, quos mundus exponit, Deus suscipit tollítque in liberos. & ideo signatissimè non Deus, aut Dominus, sed *Pater*.

2. QVAM EX ÆQVO.] Duplex formula Tertullianica opposita. In re vera, *quàm ex æquo*, vt hoc loco: in affectata, *quasi ex æquo*, vt cap. 6. huius libri, vbi, *Prouocat nimirum Diabolus Dei seruos continentia suorum quasi ex æquo*.

3. INTEGRITAS.] Credo virgines dici *integras* cum respectu ad actiones, quæ in iure dicuntur *integræ*. Itaque forensis vox traducta est ad virginitatem. Deinde, cùm Briss. notet *integrum* in iure esse idem, quod *solidum* & *totum*, huc credamus aspectum à Tertull. qui *integritas solida, castitas tota*. Id est, vnde nihil delibatum. Quod non contingit viduis, quibus res *non in integro*, etiam cum respectu ad ius, ad eum modum quo Tullius dixit pro Ligar. *Sed quoniam diligentia inimici inuestigatum est, quod latebat, confitendum est, vt opinor: præsertim cùm meus necessarius*

C. Pansa fecerit, vt id iam integrum non esset. Integritatem istam complexus est paucis Augustinus epistol. 179. ad Probam & Iulianum: *Hæc est vberior fœcundiorque felicitas, non ventre grauescere, sed mente grandescere; non latescere pectore, sed corde candescere; non visceribus terram, sed cœlum orationibus parturire.*

103. 3. VIDVA HABET ALIQVID OPEROSIVS, &c.] Eandem pene sententiam habes in Hieronym. epistol. ad Geront. verba illius: *Virginitas in eo facilior est, quòd carnis incentiua non nouit: & viduitas in eo sollicitior, quòd præteritas animo recolit voluptates.* & hæc est *operositas* & *laboriositas* Tertulliani. Et quidem loquens de viduis ita ibid. ait Hieronym. *Libido transacta semper sui relinquit pœnitudinem, nunquam satiatur, & extincta reaccenditur.* Ideo itaque *vidua habet aliquid operosius.* & Cyprian. de Bono Patient. dixit, *In virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem.* Vide & librum de Veland. Virg. vbi similia.

1. FACILE EST, NON APPETERE QVOD NESCIAS.] Seneca ad Martiam cap. 12. *Minùs homines desiderant ea, ex quibus nihil gaudij lætitiæque perceperunt.* Et quidem de vidua dici poterit, quod idem epist. 56. *Voluptates non damnatas, sed relictas petit.*

104. 4. VIRGO FELICIOR.] Huc confero Cyrillum Hierosol. cateches. 4. qui virginitatem comparat cum auro, alios qui coniugium duxêre cum argento. Quanto ergo materia illa preciosior, tânto virgines feliciores viduis. Aldhelm. quoque de Virg. cap. 9. Virginitatem dicit esse *Solem, & reginam:* castitatem verò vidualem esse tantùm, *lucernam, & dominam.* Multùm enim interest Sol à lucerna, Regina à vulgari quapiam domina. Explicat rem eandem multis aliis comparationibus.

4. IN ILLA GRATIA.] Munus quippe gratiosum virginitas. Aldhelm. de virginitate cap. 8. vocat virginitatem *diuinæ dilectionis munificentiam.*

4. PERPETRANTVR.] Verbum *perpetro* pro facio vsurpatum patribus. Millies illud in Tertulliano. Drogon Episcop. Hostiens. *Homicidium perpetrare.* iterum: *peccatum perpetrare.* Ambros. ad virginem lapsam cap. 5. *perpetrat adulterium.* vox iuris est, vbi *perpetrare adulterium, facinus.* & similia. Vnde & in epist. Synodi Tricassinæ ad Nicolaum PP. fit mentio *perpetratæ in imperatorem actionis.*

105. 5. STVDE IGITVR, &c.] Simili verborum ambitu exhortatur monachos, siue Cæsarius, siue Eusebius Gallicanus; vtrique enim tribuitur, homilia ad illos, vbi sic ait: *Elaborate potiùs deinceps, vt inter vos contentione laudabili, at meliore tandem æmulatione certetis. Sit vnusquisque vestrûm in opere Dei promtior, in oratione feruentior, in lectione solicitior, in castitate purior, in ebrietate parcior, in corde sincerior, in ira mitior, in mansuetudine moderatior, in risu rarior, in compunctione feruentior, in grauitate fundatior, in charitate iucundior.*

5. MODESTIÆ.] Vt Tertullian. accipit *modestiam* cum oppositione ad lenocinia carnis, ita Chrysostom. ἐπιείκειαν in oratione de Nouilun.

5. SEDVLITATI, QVÆ NVGAS NON FACIT.] Proprium hoc sedulitatis. Certè Ioann. Chrysostom. Homil. 1. ad Pop. cum sedulitate, (ἀκρίβειαν vocat,) coniungit προύοιαν, *prouidentiam.* & multa præterea alia, quæ longè à nugis, vt διαπόζειν & φιλοσοφίαν.

106. 5. FRVGALITATI, QVÆ SECVLVM ASPERNIT.] Ioann. Chrysost. Homil. 1. ad Pop. in re etiam epularum infert verba similia, nam loquens de Timotheo Pauli discipulo, σωφρόνως τρυφῆς, καὶ καταγέλα πολυτελοῦς τραπέζης: *Lauticum aspernabatur, & sumtuosam mensam deridebat.* Sed oportet intelligas fundum Tertullianicæ sententiæ, videtur debuisse pressiùs loqui. Nam *frugalis* contemnit lautitiam, cibos, mensas, quæ directè contra frugalitatem. *Seculum* alia respicit, scilicet quicquid cadit sub Auaritiam & cognata vitia. Frugalis ergo cur seculum spernat? Est hoc latè nimiùm loqui, & laciniosè; non presè, & strictè. Et quidem vitium non quærere directas oppositiones. Sed soluat nodum istum Chrysostom. Homil. 15. ad Popul. & explicet fundum Tertullianum. Sequuntur ventrem & gulam vitia omnia. Ergo os aureum ita: λειτουργίας τῇ γαστρὶ λειτουργῶν ἀφορήτους, καὶ κλέπτειν ἀναγκάζεται πολλάκις, καὶ τὰ ἑτέρων ἁρπάζειν, καὶ πλεονεκτεῖν, καὶ βιάζεσθαι: *Qui ventri ministeria impendit, vt illum premat cibario onere, furari sæpe cogitur, & aliena rapere, & opprimere, & violare.* Vides vt venter famulam habeat Auaritiam, & cognata vitia. Sic suprà dixerat: *Deliciis vacare, τρυφᾶν, non videtur esse crimen manifestum, atque expressum; attamen multa nobis parit mala, scilicet ebrietatem, furorem, auaritiam, rapinas.* Ita certè est. Innexæ sunt pestes animi, & non potest virtus vna concuti, quin non aliæ labefactentur. Præclarè ergo Noster ait de homine frugalitatis studioso, contemni etiam ab illo seculum. Neque verò opus fuerat ore aureo ad defensionem Tertulliani, cùm lurcones ventris id satis doceant: cui qui studeant, quid non faciunt illi implendo? Est etiam elegantissimus locus Gregor. Nysseni sermon. 4. in oration. Dominic. vbi ait ab vno tantùm edendi vitio pendêre malorum catenam infinitam, & seriem vitiorum. Omitto verba, quia multa. Sed certè locus est mirificus, & dignissimus, qui vbique legatur. Idem sermon. 5. eiusdem operis gulam vocat ῥίζαν τῶν πλημμελημάτων, *Radicem omnium peccatorum.* Nazianzen. etiam oration. 3. ait γαστέρα, id est, *ventrem* esse πάντων κακῶν μητέρα, *Malorum omnium parentem.*

107. 5. VERSICVLI SANCTIFICATI PER APOSTOLVM.] Est hoc, quod Hieronym. in epistol. ad Demetriad. *Secularem versum assumens Apostolus, fecit Ecclesiasticum.* Ad vsum Tertullian. facit omnino sententia Ioann. Chrysostom. Homil. 1. ad Popul. vbi monens fideles vt alapa percutiant quosquos audiuerint blasphemantes Dei nomen, adiicit, ἁγίασον διὰ τῆς πληγῆς, *Percussione manum tuam sanctifica.* Nam manus, quæ percutiendo fuisset profana, certè iam *sanctificata*, quia in tali causa. Neque abit vsus Hilarij Pictauiens. can. 2. in Matth. vbi loquens de Ioanne Baptista ait: *Cùm exuuiis immundarum pecudum, quibus pares existimamur, Christi prædicator induitur, fit sanctificatum habitu prophetali quicquid in nobis vel inutile fuerat antè, vel sordidum.* Neque vsurpatio Basilij orat. de Quadrag. Martyr. vbi ait aërem illum, qui à prophanis hauriebatur, *sanctificatum* statim vt excepit vocem Sanctorum, ἁγιάσθη.

108. 5. BONOS CORRVMPVNT MORES CONGRESSVS MALI.] Menandri versiculus, quem Cyprian. de Simpl. præl. ita reddit: *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ.* Citat Hieronym. bis, aut ter. & Liberius Papa in Epistola ad Vincentium. & Concil. quartum Tolet. cap. 61. vbi pro *congressus* est *consortia.* Ioann. Chrysostom. orat. 2. de incomprehens. Dei Natura tractans hunc locum

vocat ὁμιλίας, συνουσίας, συλλόγους. Videatur & Clemens lib. 2. Pædagog. cap. 6. vbi ſatis indicat fuiſſe hunc verſiculum in frequenti prouerbio, cùm illum attribuat *poeticæ*. Sidonius epiſt. 13. lib. 3. *Contubernia impudicorum*. Nazianzen. latè tractat hunc locum Carmine Iambico 3.

Φεύγειν κατάκρον τ' κακῶν ὁμιλίας,
Καὶ τὰς ἐν αὐταῖς ἡδονὰς χὴ τ' νέον.
Πολλοὶ γὰρ εἰσιν ὥσπερεὶ βοσκήματα,
Ψώρας γέμοντα κ' νοσήματος πινός, &c.
Iuuenem improborum fugere cœtus noxios,
In hiſque quicquid prorſus eſt lati ſitum.
Sunt namque multi, more qui pecudum ſcatent,
Fœdáque ſcabie, grauibus & morbis ſimul, &c.

109. 6. LOQVACES, OCIOSÆ, &c.] Huc pertinent verba Hieronym. ad Euſtoch. *Eas autem virgines & viduas, quæ ociosæ & curioſæ domos circumeunt, matronarum, quæ rubore frontis abſtrito, paraſites vincunt mimorum, quaſi quaſdam peſtes abiice.* De ocio & eius malis legatur epiſtola Hieronymi ad Ruſticum. & cur vitandæ ocioſæ? Audi Senecam epiſtol. 56. *Nunquam vacat laſciuire diſtrictis* (occupatis) *Nihilque tam certum eſt, quàm ocij vitia negotio diſcuti.* Verba ſunt aurea. Itaque laſciuia omnis in ocio. & Plaut. Moſtell. cùm multa vitia ignauiæ attribuit, tum *deturbatam verecundiam.* & ſequenti ſcena, *modeſtiam.* Clemens etiam Alexandrin. lib. 3. cap. 4. Pædag. cùm ocioſæ fœminarum loquacitati multa attribuat mala, tum etiam μύθους ἐρωτικούς, *Fabulas amatorias.* & poſtea ait, eas multa addiſcere εἰς ὀλέθρῳ γάμων, *In perniciem nuptiarum.* Thomas Morus præclarè dixit,

Blanda, ſalax, petulans, audax, vaga, garrula virgo,
Si virgo eſt, virgo eſt bis quoque quæ peperit.

110. 6. OCIOSÆ.] Valerianus Epiſcop. Cemelienſ. Homil. 6. *Ocioſa ſunt enim ſemper infructuoſa colloquia ficti rumoris expoſita. Qui autem putandus eſt ocioſus eſſe ſermo niſi ignarus rationis, & nuntius falſitatis, cui id ſtudij eſt, aut ridenda confingere, aut de incertis quaſi certa ſentire?*

6. VINOSÆ.] Vitandæ & iſtæ, nam *per vinolentiam quiduis mali inſinuant*, ait poſtea. & Chryſoſtom. ita præclarè Homil. 1. ad Popul. *Non enim ita terræ natura vexata aquarum ſuperabundantia continuè diſſoluitur, vt corporis vis molleſcit & diffluit, & exilis redditur vini potu continuo ingurgitata.* & Ignatius Martyr epiſtol. ad Philadelph. ait viduas non debere eſſe λίχνους, *guloſas.* Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 2. ἐγγὼσι γοῦν αὐαιδέστερον αὐαζέοντος οἴνου, καὶ οἰδοῦσι μαστοί τε κ' μήρεα, προκηρύσσοντες ἤδη πορνείας εἰκόνα: *Effervescente vino luxuriant intumescúntque vbera & pudenda, fornicationis imaginem iam prænuntiantia.* Expendas etiam velim vocem Tertulliani. Eſt enim *vinoſus*, non qui ſemel, aut iterum, ſed qui ſæpius vino madidus, *crapulam exhalat*, ait Tullius; & δυσωδίας πνέει, ait ibidem Ioann. Chryſoſtom. *Exhalat tetros fœtores*, & cui ἐρυγαὶ καὶ χασμῶσις, *Eructationes, oſcitationes.*

111. 6. CVRIOSÆ.] Cùm per has intelligat, quæ domos circumeunt, & redeunt malis oneratæ, rectè quadrant verba Ignatij Martyris epiſtol. ad Philadelph. ἔσωσαν δὲ καὶ αἱ χῆραι μὴ ῥημῶδεῖ, μὴ περιτροχάδες: *Sint autem viduæ non vagæ, non circumcurſantes.* Quæ per *curioſitatem* rectè intelligi poſſunt, quæ ſordibus auaritiæ ſunt plenæ, & iſtud vitium opponitur etiam honeſtati, caſtitati, continentiæ, vt in oratione pro lege Manilia dixit Cicero, & Vitruuius lib. 1. cap. 1. de qua re vide Turnebum lib. 25. cap. 11. Vnde Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus de Conſtitutione Monachi cap. 5. *Declina ergo frequentias turbarum, ne in ciuitate poſitus compellaris, quæ te non tam natura cogit facere quàm voluntas; videlicet, ne alterius furore monearis, ne aliena bella patiaris, ne te capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus, ne auaritiæ cæterorúmque vitiorum alligeris vinculis, quæ omnia vitantur in ſolitudine.*

6. PER LOQVACITATEM IRREPVNT VERBA PVDORIS INIMICA.] Valerian. Epiſcop. Cemelienſ. Homil. 5. *Quod tamen vitium* (loquendi) *ſi requiras, ſuperabundat in aliquantis fœminis, quæ ſicut non dubitant quæ ſunt turpia, dicere, ita nec ea, quæ ſunt impudenda, confundat audire.*

6. SEVERITATE] Rhenan. legit *ſecuritatem inducunt.* Pamel. *ſe à veritate deducunt.* Sed ſtylus Tertullian. eſt *per ocium ſeueritate deducunt.* id eſt, ducunt de ſeueritate: quod liquidum ex ipſa oppoſitione, nam ſeueritas contraria nugis. Vt enim *loquacitatem* opponit *modeſtiæ*, & *vinolentiam frugalitati*, &c. ita *ſeueritatem* ſeriæ *ſedulitati*, & diligentiæ, *quæ nugas non facit.* Neque de hac lectione dubitari debet. Sic idem Tertullian. de Veland. Virginibus cap. 15. *ſeueritatem* dat virgini, vt præcipuam virtutem. 112.

6. PER VINOLENTIAM QVIDVIS MALI INSINVANT.] Hieronym. ad Euſtoch. *Vinoſæ atque laſciuæ quiduis mali inſinuant, ac ferreas quoque mentes ad delicias emolliunt.* Vitium hoc quàm ſit fœcundum diſce à Petro Chryſolog. ſermon. 26. *Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ magiſtra.* Vide an merito vinolentiæ Noſter det quoduis malum. Hieronym. 2. Iouinian. *Votus vini ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt.* & Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 20. ait conuiuio ſolere relaxari omnem harmoniam virtutum. Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 2. vinolentis dat ὀρέξεις, id eſt, appetitiones libidinoſas, ὁρμὰς *impetus*, ζόφον mentis, id eſt, caliginem. & multa alia, quæ ibi luculento ſtylo perſequitur. Rem hanc ita reprehendit Cyprian. lib. de Diſciplin. & Habit. Virgin. *Quaſdam non pudet nubentibus intereſſe, & in illa laſciuiendi libertate ſermonum colloquia inceſta miſcere, audire quod non decet, quod non licet, dicere, obſeruare, & eſſe præſentes inter verba turpia & temulenta conuiuia.* Audiatur & gentilis Varro Agathone: *Virgo de conuiuio abdicatur, ideo quòd maiores noſtri virgines acerbæ aures Veneris vocabulo imbui noluerunt.* & Ouid. 1. de Ponto eleg. 6. 113.

--- nimio marceſcere vino.

Sed cùm coniungat *vinolentiam* & *curioſitatem* duo hæc vitia ait Valerian. Epiſcop. Cemelienſ. Homil. 6. eſſe parentes omnium vitiorum, hoc verborum ambitu: *Frequenter diximus dilectiſſimi, ebrietatem & cupiditatem quoſdam eſſe fontes vitiorum* (quippe curioſitatem ad cupiditatem refero) *ex quibus quidam torrentes præcipitati peccatorum naſcuntur, qui ſecum maximam partem humani generis in profundum trahunt: cùm hinc ebrietas gulæ gurgitem fouet, inde cupiditas furorem improbæ perſuaſionis accendit: hæc enim mater eſt ſuperbiæ; illa luxuriæ: quarum vna falſitatis, altera deformitatis eſt ſocia: quibus ſtudij eſt homicidia exercere, adulteria fabricare, amicitiarum fundamenta deſtruere: cum quodam commercio fœditatis furtiuo amori mercedem ſuggerit cupiditas, occaſionem præſtat ebrietas.*

6. LIBIDINES CONVEHVNT.] Explicui cum alluſione ad naues. ita Plaut. Caſin. 114.

Ibo intro, & ſubducam nauim rurſum in puluinarium?

Vbi vxorem *nauem* vocat. Neque abit illud eiuſdem Pſeudol.

--- vnde onustam celocem agere te prædicem?
Per *celocem* enim intelligit ventrem cibo & vino saburratum. Sic & rursum in Casin. de estricibus fœminis, & quæ ventrem explent, ait *corbitant*, quia in ventrem cibos aggerunt quasi in nauigium. Sanctus Antioch. Homil. 4. Cum naue magnis oneribus prægrauata comparat hominem eduliis plenum, & cui venter suffarcinatus. Ergo *nauis* de hac re translatè: vt de re longè alia Nazianzen. Orat. 20. πλήρης πυδεύσεως ἡ φορτὶς, *Doctrinæ mercibus onusta nauis.*

115. 6. ET QVÆ VENTRI PROPINQVA.] Hieronym. ibid. *Nulla illis nisi ventris cura est, & quæ ventri sunt proxima.* & 2. Iouinian. de eadem re loquens, *Vfus aut in ventre, aut sub ventre est.* Nyssenus oration. aduersus eos qui ægre ferunt castigat. A vtrumque coniunxit, γαστρὶ καὶ λαγνείαις. Vt etiam Ambros. libro ad Virginem deuotam cap. 1. *Ventrem & pudenda.* & Seneca epist. 55. *Ventrem & libidinem.* Similiter Petr. Chrysolog. serm. 2. *Viuunt ventri, & æstus carnis in volutabro luti temperant.* & serm. 22. *Ventri seruiunt, de voluptate solliciti.* Nyssen. iterum lib. de Virginit. cap. 4. τῇ γαστρὶ, καὶ τοῖς μετὰ γαστέρος: *Ventri, & his quæ post ventrem sunt.* Clemens lib. 2. Pædagog. cap. 10. γαστρός τε ἔπι, καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα ἀπόζειν: *Ventri, & his quæ sunt infra ventrem, dominari.* Zeno Veronens. sermon. *Attende tibi*, vbi, *non ventrem spectet, neque infra ventrem positis vitiis vacet.* Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. *In ventrem & libidinem proponi.* Cassian. lib. 5. cap. 6. *Refectus venter seminaria luxuriæ parit.*

FINIS LIBRI I. AD VXOREM.

AD VXOREM LIBER SECVNDVS,

QVI IN ORDINE EST XIV.

ARGVMENTVM.

SCRIPTO *ad vxorem libro præcedenti; respectu humanæ infirmitatis, ad secunda consilia conuersus, hunc quoque Librum ad eam scripsit, quo vti salutem à matrimonio cum Gentilibus abstineat, adhortatur.*

CAP. I. ARGVMENTVM.

Quod tantùm in Domino, id est, Christiano, nubendum præcipiat Apostolus.

TERTVLLIANVS.

1. 1. PROXIME tibi, dilectissima in Domino conserua, quid fœminæ sanctæ, matrimonio quacunque sorte ademto, sectandum sit, vt potui, prosecutus sum. Nunc ad secunda consilia conuertamur, respectu humanæ infirmitatis, quarundam exemplis admonentibus, quæ diuortio, vel mariti excessu, oblata continentiæ occasione, non modò abiecerunt opportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo
1. *Cor.* 7. quidem rursum disciplinæ meminisse voluerunt, vt in Domino potissimùm nuberent. Itaque mihi confusus est animus, ne qui te nuper ad vniuiratus, & viduitatis perseuerantiam hortatus sum, nunc mentione nuptiarum, procliuum tibi labendi ab altioribus faciam. Quòd si integrè sapis, certè scis id seruandum tibi esse, quod sit vtilius.

EXPLICATIO.

2. 1. SANCTÆ. Christianæ. *Nunc ad secunda consilia conuertamur.* Ponit argumentum huius libri. In superiori libro ad vniuiratum hortatus fuerat, iam si hoc non possit assequi ab vxore, vult saltem vt illa *in Domino* nubat. *Diuortio.* Fingebant illæ in *diuortio* posse cum aliis nubere. *Vt in Domino potissimùm nuberent*, cum fideli: hoc est enim Apostolicum illud sancitum. *Procliuum*, procliuitatem. *Quòd si integrè sapis.* Si enim tota integritate tua sapiens es & docta, certum est *seruandum tibi* vniuiratum, & viduitatem, quæ vtilior est multò.

3. 2. Quod verò difficile est, & non sine necessitatibus; & hoc maximum propositum vitæ supremi præsidij, nec mihi de isto quoque referendi ad te causæ fuissent, nisi grauiorem meam sollicitudinem comprehendissem. Nam quanto grandis est continentia carnis, quæ viduitatem ministrat, tanto si non sustineatur, ignoscibilis videri potest. Difficilium enim facilis est venia. Quanto autem nubere in Domino perpetrabile est, vti nostræ potestatis, tanto culpabilius est non obseruare quod possis.

4. 2. Transit ad alterum membrum, & ait, verumtamen cùm *difficile* sit permanere viduam, & coniunctum cum multis *necessitatibus*; & hoc quod est nubere sit vltimum & *supremum præsidium vitæ*, nec *referendi ad te* super ista re & secundo matrimonio causas habuissem, nisi grauiores me rationes vrgerent, & sollicitudines spiritus. Vt intelligas Grammaticam, hæc est. Finge illum sic dicere: *Nec verò mihi de isto quoque, quod difficile est, & non sine necessitatibus; & hoc maximum propositum supremi præsidij vitæ referendi ad te causæ fuissent,*

nisi grauiorem meam sollicitudinem comprehendissem. illud *quod* est nomen, nam illud *de isto* ad *quod* refertur. Deinde, illud *referendi ad te causæ fuissent*, est, habuissem causas referendi ad te. *Viduitatem ministrat*, præstat. *vti nostræ potestatis*, vt nostræ potestatis.

5. 3. Eò accedit, quod Apostolus de viduis quidem & innuptis, vt ita permaneant
Vbi suprà. suadet, cùm dicit: Cupio autem omnes meo exemplo perseuerare. De nubendo verò in Domino, cùm dicit, Tantùm in Domino, iam non suadet, sed exertè iubet. Igitur in ista maximè specie nisi hoc sequimur, periclitamur: quia suasum impune quid negligas, quàm iussum: quòd illud de consilio veniat, & voluntati proponatur: hoc autem de potestate descendat, & necessitate obligetur; illic libertas, hîc contumacia delinquere videatur.

3. *Exertè*, disertè & manifestè. *Specie*, casu & proposito. *Quia suasum* &c. id est, Potiùs impunè suasum, quàm iussum quid negligas.

NOTÆ.

6. 1. FOEMINÆ SANCTÆ.] Adnotat Rhenanus Christianos dictos olim *Sanctos*. Sic cap. 2. dicit, *Permiserat sanctis vulgò nubere.* Item: *Carnis sanctæ in carne Gentili inquinamentum.* & cap. 6. lib. præcedentis: *Durum planè & arduum continentia sanctæ fœminæ.* Vide etiam quæ docet de hac re Gaspar Sanctius cap. 1. in Act. Apostol. Sed & Cassian. Collat. 1. cap. 1. *Cum sancto Abbate Germano.*

7. 1. DIVORTIO.] Non sentit Tertullianus, Christianos post diuortium posse nubere, qui satis nobis suam sententiam declarauit libro de Monogamia, vbi: *Repudiatis non permitteret nubere aduersus pristinum præceptum.* Sed dicit, quid facerent illæ fœminæ repudiatæ?

1. VT IN DOMINO POTISSIMVM NVBERENT.] Lib. de Monogam. cap. 7. *Et illa nuptura, in Domino habet nubere, id est non Ethnico, sed fratri, quia & vetus lex coniugium adimit allophylorum.* Hieronymus in Apologetico ad Pammachium: *Tantùm in Domino, id est, Christiano, qui secundas nuptias tertiásque concedit in Domino, primas cum Ethnico prohibet.* & ad Gerontiam: *Quodque addidit, tantùm in Domino, amputat ethnicorum coniugia.* & Concilium Elibertinum: *Propter copiam puellarum Gentilibus minimè in matrimonio dandæ sunt virgines Christianæ, ne ætas in flore tumens in adulterio resoluatur animæ.*

2. QVOD VERÒ DIFFICILE EST.] Latinius legit, *Quoniam verò*, &c. & arripit Iunius. Mihi visum nullo alio modo constare posse litteram, nisi quo posui: & relinqui illam, vt iacet. Rhenanus hoc sic explicat. Videtur figura Græca, hoc est, secundùm maximum propositum, id est, spem quæ posita est in matrimonio, tanquam supremo præsidio vitæ commodiùs transigendæ, cùm maritus sit auctoritatis & solatij causa mulieri necessarius. 8.

3. EXSERTE IVBET.] Zeno Veronens. serm. 3. in Genes. *Nullus exsertè hîc alteri iubet.* & notetur verbum *iubet*, quia non consilium, sed verè præceptum. Hieronym. lib. 1. aduersus Iouinianum: *At nunc pleræque contemnentes Apostoli iussionem, iunguntur Gentilibus, & templa Christi idolis prostituunt.*

3. QVIA SVASVM, &c.] Vt intelligas, tantùm opus est transpositione verborum, sic: *Quia suasum quid impunè negligas, quàm iussum.* Rhenanus ait, subaudiendum *magis*. Wouerenius autem, *tam.*

CAP. II. ARGVMENTVM.

Quid sibi velit Apostolus vbi de viro agit infideli, & vxore fideli.

TERTVLLIANVS.

9. 1. IGITVR cùm quædam istis diebus nuptias suas de Ecclesia tolleret, id est, Gentili coniungeretur: idque aliis retrofactum recordarer, miratus aut ipsarum petulantiam, aut consiliariorum præuaricationem, quòd nulla scriptura eius facti licentiam proferrent, Nunquid, inquam, de illo Capitulo sibi blandiuntur, primæ
1. Cor. 7. ad Corinthios, vbi scriptum est: Si quis frater infidelem habet vxorem, & illa matrimonio consentit, ne dimittat eam. Similiter mulier fidelis infideli nupta, si consentaneum maritum experitur, ne dimiserit eum. Sanctificatur enim infidelis vir à fideli vxore, & infidelis vxor à fideli marito: cæterùm immundi essent filij vestri. Hanc monitionem fòrs fidelibus iniunctis simpliciter intelligendam putent, etiam infidelibus nubere licere, qui ita interpretantur. Absit, vt sciens se circumscribat.

EXPLICATIO.

10. 1. PRÆVARICATIONEM, propriè, verbum aduocatorum. *Sibi blandiuntur*, sibi blandè permittunt. *Si quis frater*, &c. Placitum adiungere vulgatum interpretem: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem*

ſancti ſunt. His intelligis ſi quid eſt difficile in Auctore. *Hanc monitionem*, &c. Fortè autem iſti *hanc monitionem ſimpliciter intelligendam putant* omnibus *fidelibus* matrimonio non iunctis, & ſolutis illo; dicúntque etiam licitum eſſe *infidelibus nubere. Circumſcribat*, ſcribendo ſe decipiat.

11. 2. Cæterùm manifeſtum eſt ſcripturam iſtam eos fideles deſignare, qui in matrimonio Gentili inuenti à Dei gratia fuerunt, ſecundùm verba ipſa: Si quis fidelis vxorem habet infidelem: non dicit, vxorem ducit infidelem: oſtendit iam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei conuerſum perſeuerare cum vxore debere: ſcilicet propterea, ne qui fidem conſecutus, putaret ſibi diuertendum eſſe ab aliena iam & extranea quodammodo fœmina. Adeò & rationem ſubiicit, in pace nos vocari à Domino, & poſſe infidelem à fideli per vſum matrimonij lucrifieri. Ipſa etiam clauſula hoc ita intelligendum eſſe confirmat, vt quiſque, ait, vocatur à Domino, ita perſeueret: vocantur autem Gentiles, opinor, non fideles. Quòd ſi de fideli ante matrimonium pronuntiaſſet abſolutè, permiſerat ſanctis vulgò nubere. Si verò permiſerat, nunquam tam diuerſam, atque contrariam permiſſui ſuo pronuntiationem ſubdidiſſet, dicens: Mulier defuncto viro libera eſt, cui vult, nubat, tantùm in Domino. Hic certe nihil retractandum eſt, nam de eo quod tractari potuiſſet, Apoſtolus cecinit: ne, quod ait, cui velit, nubat, malè vteremur, adiecit, tantùm in Domino, id eſt, in nomine Domini, quod eſt, indubitatè Chriſtiano.

Ibid. *vbi ſuprà.* *Ibid.*

12. 2. *A Dei gratia*, cùm vocati ſunt ad Chriſtianiſmum. *Ne qui fidem conſecutus*, ne quis, quod ſæpiſſimè inculcat. *In pace*, &c. verba Pauli, *In pace autem vocauit nos Dominus.* q. d. Si vult abire infidelis, abeat: nam *in pace vocauit nos Dominus. Quòd ſi*, &c. *Quòd ſi* illa verba *abſolutè pronuntiaſſet ante matrimonium*, eo ipſo *permiſerat* Chriſtianis indiſcriminatim atque promiſcuè *nubere. Hîc certè nihil retractandum eſt*, nihil addendum eſt, ſi quid enim addendum fuiſſet, iam Apoſtolus addidit, cùm de eo qui debeat nubere, dicat, *Tantùm in Domino. Indubitatè Chriſtiano*, viro Chriſtiano.

13. 3. Ille igitur Apoſtolus ſanctus, qui viduas innuptas integritati perſeuerare mauult, qui nos ad exemplum ſui hortatur, nullam aliam formam repetundarum nuptiarum niſi in Domino præſcribit, huic ſoli conditioni continentiæ detrimenta concedit; *Tantum*, inquit, *in Domino.* Adiecit pondus legi ſuæ, Tantum. Quo ſono & modo enuntiaueris dictum iſtud, oneroſum eſt: & iubet & ſuadet; & præcipit, & hortatur; & rogat & comminatur: detractata & exſerta ſententia eſt, & ipſa ſui breuitate fœcunda. Sic ſolet, Diuina, vxor, ſtatim obſerues. Quis enim alius poſſit pericula multa, & vulnera fidei in huiuſmodi nuptiis, quas prohibet Apoſtolus, prouidiſſe: & primo quidem carnis ſanctæ in carne Gentili inquinamentum præcauiſſe?

14. 3. *Apoſtolus Sanctus*, caſtus, continens, mundus: niſi mauis Chriſtianus. *Integritati*, integritate, vel ad integritatem perpetuam. *Nullam aliam formam repetundarum nuptiarum. Præſcribit*, nullam debere ſecundò nubere, & repetere nuptias, *Niſi in Domino. Huic Soli conditioni continentiæ detrimenta concedit.* Incontinentiam, & vt nubere poſſit, indulget. *Adiecit pondus ſuæ legi, Tantùm*, vide vt exaggeret. *Et iubet, & ſuadet*, &c. Verba Apoſtoli ſunt, *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Ecce, cùm ait, *Suadet, hortatur, rogat*, reſpicit illud, *cui vult nubat*: cùm verò addit, *iubet, præcipit, comminatur*, illud, *tantùm in Domino.* Hinc ſequitur, *detractata & exſerta ſententia eſt*, ita vt *detractata* ſit peruulgata, cum reſpectu ad illud, *cui vult, nubat*; illud verò *exſerta*, ſit ſtricta, & ſuo pondere oneroſa, cum reſpectu ad illud, *tantùm in Domino.* Iam verò cùm ait, *ſic ſolet, Diuina, vxor, ſtatim obſerues*, eſt, ſic ſolet Apoſtolus, vxor ſtatim deprehendas ea quæ diuina ſunt. Hæc ſententia eſt, niſi mutetur littera, vide Notas. *Vulnera fidei*, religionis Chriſtianæ, ſic ſæpè capit fidem. *Carnis ſanctæ.* Carnis Chriſtianæ.

15. 4. Hoc loco dicet aliquis. Quid ergò refert inter eum qui in matrimonio Gentilis à Domino allegitur; & olim, id eſt, ante nuptias fidelem, vt non proinde carni ſuæ caueant? alter arceatur à nuptiis infidelis, alter in his perſeuerare videatur: cur ſi à Gentili inquinamur, non & ille diſiungitur, quemadmodum iſte non obligatur? Reſpondebo, ſi ſpiritus dederit, ante omnia allegans Dominum magis ratum habere matrimonium non contrahi, quàm omnino diſiungi: denique diuortium prohibet, niſi ſtupri cauſa, continentiam verò commendat. Habet igitur ille perſeuerandi neceſſitatem, hic porrò etiam non nubendi poteſtatem. Tum ſi ſecundùm ſcripturam, qui in matrimonio Gentilis à fide deprehenduntur, ac propterea non inquinantur, cum ipſis alij quoque ſanctificantur: ſine dubio iſti, qui ante nuptias ſanctificati ſunt, ſi extraneæ carni commiſceantur, ſanctificare eam non ſint deprehenſi. Dei autem gratia illud

sanctificat quod inuenit. Ita quod sanctificari non potuit, immundum est: quod immundum est, cum sancto non habet partem, nisi vt de suo inquinet & occidat.

16. 4. Obiicit quid sit discriminis *inter eum qui* cùm sit *Gentilis* & *in matrimonio*, vocatur *à Domino* ad Christianismum; & inter illum, qui vocatus est *ante nuptias* factas; vt non similiter debeat vtérque *cauere* sibi. *Alter arceatur*, &c. Cur extremus ille *arceatur à nuptiis infidelis* alterius, & ille *alter*, qui vocatus *à Domino* est, postquam iniit matrimonium, videatur & iubeatur permanere in matrimonio? *Cur si*, &c. Cur non æqua est ratio inquinamenti? sicut enim vnus obligatur, ita & alius. *Respondebo, si*, &c. Deo dante *respondebo*, & pro fundamento dicam, Domino magis placere *matrimonium* nunquam *contrahi*, quàm contractum dissolui; qui ita vult firmiter vt homines adhæreant vxori, vt nisi *ob stuprum* nunquam dissoluantur. *Habet igitur*, &c. Igitur ille qui vocatus à Deo est in matrimonio Gentili, habet *perseuerandi necessitatem*; hic qui ante nuptias vocatus est, habet *potestatem* nunquam *nubendi* si velit. *Tum si*, &c. Deinde dico, qui secundùm sententiam Pauli vocati sunt *in matrimonio*, hi cùm *deprehendantur* in *fide*, alios sanctificant etiam infideles: quod non cõtingit his qui sanctificantur, & vocantur *ante nuptias*, qui sine dubio non sanctificant infidelem nuptam si illi adhæreant. *Dei autem*, &c. Deus autem *illud quod inuenit* aptum ad sanctificationem, *sanctificat*: ac propterea illud non sanctificabit quod *immundum est*, & per se non habet aliud *nisi vt inquinet, & occidat.*

NOTÆ.

17. 1. DE ECCLESIA TOLLERET.] Esto, matrimonia sæpè domi fiant, tamen postremæ benedictiones semper adhibentur in Ecclesia; vt meritò dixerit, de Ecclesia tollere nuptias, qui Gentili coniungitur.

1. INIVNCTIS.] Id est, non iunctis. Quid verò si legendum *innuptis*? Nulla esset anxietas in sensu.

1. INTELLIGENDAM.] Wouerenius ex scripto Codice *intelligendo*.

2. NE QVI.] Quid si *nequis* legendum? ita enim scriptum est in Codice manuscripto.

2. ADEÒ ET RATIONEM SVBIICIT.] Legunt *ideo* aliqui, immeritò, cùm *adeò* viuidam exprimat sententiam.

3. INTEGRITATI.] Ablatiuus est, non datiuus. Itaque hic casus in omnibus nominibus vtramque sortitur terminationem. Etenim caput in auferendi facit *capite*, nihil clarius, & tamen Virgilius dixit,

Capiti tremit arca cassis.

& latus mittit *latere*, & tamen idem,

Includunt cæco lateri.

vbi & *capiti*, & *lateri* dixit, pro capite, & latere. Sic *ruri*, & *vesperi*, pro rure & vespere passim.

18. 3. ET IVBET, ET SVADET; ET PRÆCIPIT ET HORTATVR; ET ROGAT, ET COMMINATVR.] Quî hoc, cùm dixerit in 1. cap. *Cùm dicit, tantùm in Domino, iam non suadet, sed exsertè iubet*, hic igitur ait, *& iubet & suadet*. Respondeo: idcirco à me dictum, in illis, *Cui vult, nubat*, intelligi suasionem, hortationem, rogationem: in illis verò, *Tantùm in Domino*, iussionem, præceptionem, comminationem. Aduerte illa, *Et rogat & comminatur*. Basilius ad Martyres quadraginta, δεινὸς γὰρ ὢν ποικίλος, τὰ μὲν δωρεὰς ὑπελθεῖν, τὰ δὲ, ἀπειλαῖς παρηγρέλλει: *Vafer enim erat ac varius, vt partim blandis eos verbis tentaret, partim comminationibus in errorem impelleret*. Nazianzen. orat. 20. de Valente Imperatore, τὸ πείθειν, οὗ καιρὸς ὢν. τὸ βιάζεσθαι, τὸ πείθειν ὢν ὄντος: *Persuadebat; nactus opportunitatem: instabat acerrimè, vbi blanditiis locus non erat*. Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædagog. cap. 8. τὰ μὲν παραίνεσιν, τὰ δὲ ὠνείδισιν: *Alia suadet, alia exprobrat*. Nicetas Choniates in vita Isaaci lib. 1. ἀπειλῆς ἅμα καὶ παραινέσεως ἐδείκνυτο: *Minis simul & admonitione vtitur*. Vide me in Æneidem, si non istis, ista tamen persequentem.

3. SIC SOLET, DIVINA, VXOR, STATIM OBSERVES.] Inuitat me lectio Wouerenij: *Sic solet diuina vox: statim obserues*. Alias huic capiti adhibet, vt *nequis* pro *nequi*. & *intelligendo* pro *intelligendam*, quas iam sparsimus.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Quòd arcendi sunt à communicatione fraternitatis matrimonia cum infidelibus contrahentes.

TERTVLLIANVS.

19. 1. HÆC cùm ita sint, fideles Gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis, ex litte-

1. Cor. 5. ris Apostoli dicentis, cum huiusmodi nec cibum sumendum. At nunquid tabulas nuptiales de illo apud tribunal Domini proferemus? & matrimonium ritè contra-

Ibid. ctum allegabimus quod vetuit ipse? Non adulterium est quod prohibetur? non stu-

1. Cor. 6. prum est extranei hominis admissio? Minùs templum Dei violat? minùs membra Christi cum membris adulteræ commiscet? Quod sciam, non sumus nostri, sed pre-

Ibid. tio empti: & quali pretio? Sanguine Dei. Lædentes igitur carnem istam, eum lædimus. De proximo quid voluit ille, qui dixit, delictum quidem esse extraneo nubere, sed minimum, cùm aliàs deposita carnis iniuria ad Dominum pertinentis, omne deli-

ctum voluntarium in Domino grande sit? Quanto enim potestas vitandi fuit, tanto contumaciæ crimen oneratur.

EXPLICATIO.

20. 1. HÆc cùm ita sint, probat, fideles Gentilibus nubentes arcendos à communione Ecclesiæ, quando rei sunt stupri. *Nec cibum sumendum.* Videndum 1. Corinth. 5. *Tabulas nuptiales*, syngraphas intelligit. Vtitur enim translatione causarum forensium. *De proximo*, id est, proximè. Vox trita, in iure. *Quid voluit ille*, &c. Videtur aliquis illius ævi fuisse huius opinionis, vt diceret nuptias Christiani cum infideli esse quidem peccatum, *sed minimum* & veniale. Huic ergò satisfacit, & duplici ratione occurrit: tum quòd huiusmodi facit iniuriam carni suæ, quæ iam est Christi, quam rationem vt minorem prætergreditur, dicens *deposita*, relicta & prætermissa; tum etiam quia præceptum Domini est, & *omne delictum voluntarium* contra præceptum Domini *grande* est. *Quanto enim*, &c. Addit vim rationi, quia *quanto* maior *fuit* facultas *vitandi* criminis, *tanto* maius est *contumaciæ* delictum, & prævaricasse.

21. 3. Recensеamus nunc cætera pericula & vulnera, vt dixi, fidei ab Apostolo prouisa, non carnis tantùm, etiam ipsius spiritus molestissima. Quis enim dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes
1. *Cor.* 15. malæ; quanto magis coniunctus & indiuiduus vsus? Quæuis mulier fidelis Dominum
Matth. 6. obseruet necesse est. Et quomodo potest duobus dominis deseruire, Domino, & marito, adde Gentili? Gentilem enim obseruando, Gentilia exhibebit, formam, exstructionem, munditias seculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonij secreta maculosa: non vt penes sanctos officia sexus, cum honore ipsius necessitatis, tanquam sub oculis Dei modestè & moderatè transiguntur.

22. 2. *Fidei*, Christianæ religionis. *Bonos corrumpunt* &c. Vide 1. Corinth. 15. *Coniunctus*, sic astruxi, non *conuictus*, tametsi hoc placeat. *Domino*, Christo. *Exstructionem*, expolitionem siue expictionem, & totius muliebris instrumenti accurationem. *Non vt penes sanctos*, &c. *Non vt penes* Christianos, sed præpostera venere vtentes. Vel tu aliud quid finge, in quod intemperanter irruant, nobis enim datum non est secreta rimari.

NOTÆ.

23. 1. FIDELES GENTILIVM MATRIMONIA SVBEVNTES.] Cyprian. de Lapsis: *Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, prostituere Gentilibus membra Christi.* Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinian. *At nunc pleræque contemnentes Apostoli iussionem, iunguntur Gentilibus, & templa Christi idolis prostituunt; nec intelligunt se corporis eius esse partem, cuius & costæ sunt.*

1. STVPRI.] Cùm *stuprum* propriè sit ὄθνεῖα, & in viduam, vel virginem committatur, rectè illos, qui matrimonia cum Gentilibus ineunt, *reos stupri* dicit. Etenim *adulterium* propriè est cum nupta muliere concubitus, quasi ad alterius thorum accessus. *Incestus* cum consanguinea, vel aliqua quam quis legibus ducere prohibetur. *Stuprum* autem cum virgine, aut vidua. Sed tamen hoc ita est, vt *stupri* nomen interdum generale sit. Cicero Verrina 7. *Noctu stupri causa lectica in vrbem intro ferri solitus est, ad mulierem nuptam vni, propositam omnibus.* Vide in hanc rem Popman. lib. 1. de different. verbor. Inde est vt Noster *stuprum* vocet matrimonium cum Gentilibus.

24. 1. TABVLAS NVPTIALES.] Hispanè dicas *los conciertos del casamiento.* His tabulis fides sancta habebatur. Nazianzenus enim in funebri Athanasij oratione, reuerentiæ atque augusti planè decoris ait Athanasij existimationem fuisse, vt quicquid ille conferet, religione plenum videretur, non aliter atque tabulæ Moseos, πλάκες Μωσέως. Quid itaque mirum si in religione haberentur conficiendi tabulæ matrimonij?

1. NON SVMVS NOSTRI, SED PRETIO EMPTI.] Vide Benedictum Fernandium, in cap. 12. Genes. sect. 4. qui piè hunc locum tractat.

25. 2. NON VT PENES SANCTOS.] Christiani, vt alibi adnotaui, sic dicebantur. Saluian. lib. 1. de Gubernat. *De sanctis, id est, de veris, ac fidelibus Christianis.* Paulus ad Thessalonic. cap. 1. epist. 2. *Omnibus qui sunt Romæ vocatis sanctis.* & Lucas Act. 26. *Petrus cùm transiret vniuersos, deuenit ad Sanctos, qui erant Lydæ.* Demum eodem nomine vsi sunt Ignatius, Philon, Polycarpus, & alij.

2. CVM HONORE NECESSITATIS.] Id est (interprete Heraldo in lib. 5. Arnobij) cum pudore & verecundia, qua necessitas quasi obumbratur, & obtegitur. Iulius Firmicus lib. 4. Mathes. cap. 12. *Vitia facit circa naturalia & necessaria.* Idem eodem l. c. 18. *Aut ex necessariis & muliebribus locis graue valetudinis vitium indicit.* & lib. 5. cap. 3. *Quidam etiam affines suas sortientur vxores, sed vitia habebunt, & in necessariis corporis locis assiduos labores.* Et in eodem cap. *Hi præterea dolores & valetudines in extremis corporis partibus, aut in absconsis & necessariis locis habebunt.*

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Quòd Deo satisfacere, Gentili viro nupta non possit.

TERTVLLIANVS.

26. 1. SED viderit qualiter viro officia pendat. Domino certè non potest pro disciplina satisfacere habens in latere diaboli seruum, procuratorem domini sui ad implenda fidelium studia & officia. Vt si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio aduenìat. Quis enim sinat coniugem suam visitandorum fratrum gratia, vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis denique sollemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad conuiuium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur?

EXPLICATIO.

27. 1. VIDERIT tunc vxor quæ nubit viro infideli ipsa Christiana, *Qualiter viro officia pendat. Domino certè*, &c. Ista non poterit æterno Deo *pro disciplina* Christiana *satisfacere, habens in latere* infidelem maritum *Diaboli seruum, procuratorem Domini sui dæmonis*, qui procurator impediet *fidelium studia & officia. Statio*, vigilia diurna tempore sollemnis ieiunij. *Maritus*, &c. maritus dicet eo die se iturum *ad balneas*, & vxorem arripiet illò, ac tunc hæc deseret stationem. *Procedendum*, si eundum sit ad Processiones. *Visitandorum fratrum*, vt visitet Christianos infirmos, & ægrotos. *Nocturnis conuocationibus*. De nocte conuocabantur Christiani, tractaturi de rebus necessariis ad æternam vitam. *Sollemnibus Paschæ*, Sola Paschæ peruigilia peragebantur æuo Tertulliani. *Conuiuium Dominicum*, conuiuium Domini peragebatur, celebrabatúrque sacra Eucharistia, ac tunc mentiebantur Gentiles, ac dicebant, Christianos panem sacrum Eucharistiæ edere intinctum sanguine iugulati infantis. *Martyris*, adhuc viui, & qui in vinculis seruabatur occidendus.

28. 2. Iam verò alicui fratrum ad osculum conuenire? aquam Sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo inuadere, desiderare, in mente habere? Si & peregrè frater aduenìat, quod in aliena domo hospitium? si cui largiendum erit, horreum, proma præcluſa sunt.

2. *Inuadere*. Sub vtraque specie illo tempore conuiuium Domini celebratur, quod tanta auiditate arripiebatur, vt illud *inuadere* dicerentur, *desiderare, in mente habere*. Si peregrè, &c. Demus fratrum aliquem peregrè aduenire, *Quod in aliena domo hospitium* habebit, vtpote Gentilis domini? *Si cui*, &c. Si erit *largienda* eleemosyna alicui, tunc temporis *horreum* erit *præclusum, & proma* promptuaria similiter, vbi esculenta seruantur, vt inde promus condus educat.

NOTÆ.

29. 1. DOMINO CERTE NON POTEST PRO DISCIPLINA SATISFACERE.] Hieronym. in Heluidium: *Idem tu putas esse, diebus & noctibus vacare orationi, vacare ieiuniis; & ad aduentum mariti expolire faciem, gressum frangere, simulare blanditias?* Perinde ac si dicat: non possunt duo hæc simul adimpleri.

1. PROCVRATOREM DOMINI SVI.] Gregorius quoque Nyssen. in Orat. 5. de Dominica Orat. diabolo dat τὸ τυραννεῖσθαι, cùm dicit, τὸ τυραννεῖσθαι παρὰ τῆς καταφθειρούσης δυνάμεως: *Sub tyrannide corrumpentis potestatis*. Et Proclus Episcopus Cyzici, Homilia de Incarnatione verbi, ὃ παρεῖδε τοίνυν τὴν φύσιν τὴν ἀνθρωπίνην τυραννουμένην, ὁ φύσει βασιλεὺς ἀπαράχωτ· οὐκ ἀφῆκεν εἰς τέλος εἶναι τῷ διαβόλῳ τύραννον ὁ φιλοικτίρμων Θεός: *Ille igitur qui suaptè natura Rex est, humanam naturam tyrannide oppressam non despexit: neque permisit misericors Deus, vt perpetuò obligata diabolo teneretur*. Non autem abiit tyrannis à Domino.

1. STATIO.] Dixi esse diurnam vigiliam tempore sollemnis ieiunij. Cùm enim publicè & sollemniter (inquit Bellarminus lib. 2. de Bonis operib. cap. 22.) ieiunabatur, vigilabant in orationibus, & eiusmodi vigiliæ, & quasi excubiæ orantium, & ieiunantium, *stationes* dicebantur, vocabulo sumpto ex militia, vti ait in libro de Oratione Tertullianus. Hoc autem intererat inter *stationem*, *vigiliam*, & *ieiunium* propriè loquendo, quod *ieiunium* fieri poterat noctu & interdiu, *vigilia* solùm de nocte, *statio* solùm de die. & idcirco explicans dixi, *stationem* non esse vigiliam simpliciter, sed vigiliam diurnam. Quòd autem ea sit diurna, patet ex hoc loco, vbi opponit stationem faciendam, & eo die condicere maritum ad balneas. Quod verò *statio* distinguatur à ieiunio & oratione, clarum efficitur ex Tertulliano in libro de Fuga in persecutione, vbi ait: *Quando Deus magis* 30.

creditur, nisi cùm magis timetur, nisi tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est, tunc ex fide in expeditione sollicitior, & disciplinatior in ieiuniis, stationibus, orationibus. Denique quòd statio fieret in diebus sollemnium ieiuniorum, docent Isidorus lib. 6. cap. vlt. Rabanus lib. 2. de instit. Clericor. cap. 18. vbi ait: *Ieiunium & statio dicitur. Discernunt autem quidam inter ieiunium & stationem. Nam ieiunium indifferenter cuiuslibet diei est abstinentia, non per legem, sed secundùm propriam voluntatem: statio est obseruatio statutorum dierum, vel temporum; dierum, vt quartæ & sextæ feriæ ieiunium ex veteri lege præceptum; temporum autem, vt ieiunium quarti, quinti, septimi, & decimi, & obseruatio Quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe institutione Apostolica obseruatur.* Et ante omnes Tertullianus in libro de Ieiunio, vbi dicit, stationes fieri feria quarta & sexta, & tamdiu stationem durare, quamdiu non soluitur ieiunium. Sciendum tamen Cassianum indiscriminatim vti *stationis* nomine, tam pro ieiunio voluntario quàm indicto. Nam cap. 24. lib. 5. stationem quotidianam paulò pòst, ieiunium quotidianum nominat, & solui solere dicit in aduentu hospitis. & Collat. 21. cap. 29. vtrumque coniungens, (inquit Alardus Gazæus) *stationem* ieiunij appellat.

31. 32. 1. CONDICAT.] Bellarmin. in lib. 2. de Bonis operib. cap. 22. legit *conducat.* Nihil tamen mutauerim, cùm *condicat* habeat significatum pungens.

1. SI IEIVNIA OBSERVANDA SVNT.] Meminit Minutius ieiuniorum, quæ faciebant Christiani: inquit enim, *Et ieiuniis sollemnibus.* Vide etiam quæ iam dedi suprà in *statione.* Etenim cùm *ieiunium* opponat *exercentibus conuiuia*, nè puta opponi conuiuiis sobriis, imò temulentis & comessabundis, nam verbum *exerceo*, frequentiam indicat, & homines parum sobrios. Itaque sententia est eadem cum sententia Chrysostomi Orat. 2. aduersum Iudæos, vbi νηστεύοντας, id est, *ieiunantes*, opponit homines, μεθύοντι, καὶ παροινοῦσι, καὶ κωμάζουσι: *Ebriis, temulentis, comessantibus.* Tales videlicet qui conuiuia exercent.

33. 1. SI PROCEDENDVM ERIT.] Id est, ad Processiones, quæ sollemniter peraguntur, quarum apparatum describit Luitprandus in legat. Lubet verba apponere: *Non pigeat me πομπέλευσιν ipsam describere, & dominos meos audire. Negotiatorum multitudo copiosa, ignobiliúmque personarum ea sollemnitate collecta, ad susceptionem & laudem Nicephori, à palatio vsque ad S. Sophiam, quasi pro muris via margines tenuit, clypeolis tenuibus satis, & spiculis vilibus dedecorata. Accessit & ad dedecoris huius augmentum, quòd vulgi ipsius potior pars ad laudem ipsius nudis processerat pedibus. Credo sic putasse sanctam eos potiùs ornare πομπέλευσιν. Sed & optimates sui, qui cum ipso per plebeiam & discalceatam multitudinem ipsam transierant, magnis & nimia vetustate rimatis tunicis erant induti. Satis decentiùs quotidiana veste induti procederent. Nullus est cuius atauus hanc nouam haberet. Nemo ibi auro, nemo gemmis ornatus erat.* Et ista Sidonij lib. 5. epist. 17. *Conueneramus ad Sancti Iusti sepulchrum, sed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adesses, processio fuerat antelucana, sollemnitas anniuersaria, populus ingens sexu ex vtroque, quem capacissima Basilica non caperet, & quamlibet cincta diffusis crypto*
34. *porticibus.* Hieronymus ad Lætam: *Nusquam absque te procedat* filia tua *in publicum, Basilicas martyrum, & Ecclesias sine matre non adeat.* ad Gaudentiam: *Ne liberiùs procedat ad publicum, ne semper Ecclesiarum quærat celebritatem.* Denique idem ad Eustochium eiusdem ritus meminit. Et lib. 2. in Iouinianum. In vita Sancti Godehardi cap. 14. *Abbatem tamen vobis, qui vice mea, Processionis, & missarum sollemnia peragat, mittam.* Fulbert. Carnotens. Episcop. epist. 21. *Die proxima Comes Theobaldus redit, se in monasterium recipi cum processione præmandat.* Remansit hæc vox in vetusta Roma. Iulius enim Capitolinus infert hanc vocem in Pertinace, in hoc credo sensu: sic enim ait: *Qui cùm de castris ad obsequium Principis conuenissent, & Pertinax eo die processionem, quam ad Athenæum parauerat, vt audiret Poëtam, ad sacrificij præsagium distulisset, hi qui ad obsequium venerant, redire in castra cœperunt.* Ioannes Chrysostom. Orat. de Nouilunio vocat πομπὴν, quasi progressionem. Videndi insuper Balsamon ad Concilium, Constantinus Imperator, & Cedrenus, Alcuinus de diuinis officiis, Martinus Polonus de Agapeto Papa, Synodus Laodicena cant. 17. Nicephor. lib. 15. cap. 15. & multi alij. Et Baronius censet has *processiones* dictas postea Litanias, Tomo 1. Annalium, pagina 534.

35. 1. VISITANDORVM FRATRVM GRATIA.] Est hoc (inquit Pamelius) quod dixit de cultu fœminarum cap. 11. *Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitandus.*

36. 1. NOCTVRNIS CONVOCATIONIBVS.] Minutius has fieri solitas religiosè Christianis, sed à Gentilibus carpi testatur his verbis: *Quæ nocturnis congregationibus, & ieiuniis sollemnibus, & inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo fœderantur.* Baronius Tom. 1. Annal. pag. 382. inquit appellatas *conuocationes*, quòd in Ecclesiam coniungerentur oraturi. Vnde Ignatius ad Magnesianos dixit: *Omnes ad orandum in vnum locum conuenite, sit vna communis precatio, vna spes.* Et paulò pòst: *Omnes velut vnus quispiam ad templum Dei concurrite, velut ad vnum altare.*

1. SOLLEMNIBVS PASCHÆ ABNOCTANTEM.] Inter cætera quibus Pascha Resurrectionis ornari consueuerat, ait Brissonius ad L. Dominico, C. de Spectacul. hoc vnum fuit, vt noctem peruigilio Christiani in Ecclesia transmitterent; quod Eusebius lib. Eccles. hist. cap. 20. tradit κατὰ πλῶ μεγάλῳ, ποτὲ τὸ πάσχα διανυκτερεύουσιν, τέλεον φασὶ τοῖς διακόνοις ἀπολιπεῖν: Quæ verba Ruffinus sic vertit: *Accidit aliquando in die sollemni vigiliarum Paschæ oleum deesse luminaribus.* Et eodem lib. 34. de Philip. Imp. ita loquitur, τοῦτον κατέχει λόγος Χειμασὸν ὄντα, ἐν ἡμέρᾳ τῆς ὑσπάτης τῶν Πάσχα παννυχίδος, τῶν ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἐυχῶν τὸ πλῆθος μεταχεῖν ἐθελῆσαι. Quæ verba etiam ita Ruffinus reddit: *De hoc traditum nobis est quòd Christianus fuerit, & in die Paschæ, id est, in ipsis vigiliis, cùm interesse voluisset & communicare mysteriis, ab Episcopo loci non priùs esse permissum, nisi confiteretur peccata sua, & inter pœnitentes staret.* Gregor. Nyssenus in Orat. de festo Paschæ: *Quod oculis cernitur lumen, nocte nobis per lampadas in nube ignis præferebatur. Sermo autem per totam noctem circumsonans in psalmis, hymnis, cantionibúsque spiritualibus, tanquam flumen quoddam gaudij per aures omnium influens, nos optima repleuit. Quoniam hæc igitur lucida nox commista lampadum luminibus cum matutinis radiis solis, vnum continuum nullarum interpositione tenebrarum diremptum diem effecit.* De hac etiam Paschali nocte versus Ausonij proferam, quibus Christum sic affatur:

Ad temet properant vigilatu conuenientes:
Nox lucem reuehit funalibus anteferendam:
Nox lumen pariens credentibus indubitatum:
Nox flammis operum meditatrix sydereorum.

37. 1. QVIS AD CONVIVIVM DOMINICVM ILLVD, QVOD INFAMANT.] Vide cap. 6. & 7. Apologetici. Infamabant isti sacram Eucharistiam, quòd dicerent eos vesci panem intinctum sanguine recèns cæsi infantis. Hanc calumniam dissipat eleganter Minutius. Adeò sollemnis fuit hæc vox, vt *Dominicum* substantiuè pro missa ponatur. Quod doctè monet Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 1. Augustin. epistol. 86. ad Casulanum: *Hora Dominici*, id est, Dominici conuiuij. Idem Augustin. in Breuicul. collat. 3. *Sicut ipsis gestis Martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis se collectam & Dominicum egisse.* & Cyprianus epist. 63. *Nunquid ergò Dominicum post cœnam celebrare debemus?*

1. QVIS IN CARCEREM AD OSCVLANDA VINCVLA MARTYRIS REPTARE PATIETVR?] Vide lib. ad Martyras, vbi de hac religione fusè. Et non dicit, ad osculandum Martyrem, vt vult Iunius; sed vincula martyris, vt religionem martyrum, & reliquiarum eius approbes.

38. 2. ALICVI FRATRVM AD OSCVLVM CONVENIRE.] Mos ille osculandi Christianos, nam hi sunt fratres, receptus fuit in primitiua Ecclesia, Paulo attestante, cui dicitur *osculum sanctum* 1. Corinth. 16. Elegantissimè Iustinus Martyr 2. Apologetic. vbi ait, ἀλλήλους φιλήμασι ἀσπαζόμεθα παυσαμένου τῶν εὐχῶν: *Finita oratione inuicem accipimus osculis.* Augustin. in Libello de Anima cap. 6. *Corporale osculum impressione labiorum certis & honestis horis conceditur; vt in reconciliatione, in pacis contestatione, communione cœnæ, amoris professione, vt inter sponsum & sponsam, cùm aduena & hospes suscipitur, & in Catholicæ vnionis signo.* Ambros. in cap. 2. ad Corinth. *Sunt quædam oscula spiritualia, non carnalia, in quibus testimonium synceræ, & puræ charitatis apparet, non autem affectus libidinosi indicium est.* In vita Onuphrij cap. 8. *Osculum mihi pacis tribuit.* Videndus Baronius Tom. 1. Annal. & Rosueyd. in Onomastico, de quo eruditè.

2. AQVAM SANCTORVM PEDIBVS OFFERRE.] Ad abluendos pedes. Id nimirum fiebat exemplo Christi Seruatoris. Hieronymus Apologetic. contra Ruffinum: *Nobis in monasterio hospitalitas cordi est, omnèsque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus; veremur enim ne Maria cum Ioseph locum non inueniat in diuersorio, ne nobis* IESVS *dicat excluſus, Hospes eram, & non suscepistis me. Solos hæreticos non recipimus. Propositum quippe nobis est pedes lauare venientium, non merita discutere.* Trita res Christianis. Sed in Gentilibus aliquid lucis est. Heliodorus enim lib. 2. Histor. Æthiop. καὶ ἡ μὲν ἀπένιζε τοὺς πόδας, καὶ τῆς κόνεως ἐλευθέρου τὰ ὑπὸ κνήμην: *Et hæc quidem lauabat pedes, & puluerem abstergebat sub tibia.* 39.

2. DE CIBO, DE POCVLO INVADERE, DESIDERARE, IN MENTE HABERE.] Legit Iunius peruersissimè, *Desideras in mente habere.* & peruersiùs explicat sic, *Vt obeat, ac præstet desideras. id est pia omnia illa Sanctorum ministeria atque officia, quæ olim à desidendo assiduè, desideræ vocabantur.* Et si fas est, confirmat explicationem hanc loco altero huius libri cap. 6. *De cuius manu desiderabit.* Quid autem velit Tertullianus cap. 6. clarum est, videlicet, Eucharistiam appetere. Hìc autem hæc eius est mens, De cuius manu desiderabit Eucharistiam, de cuius poculo participabit. Videndus Gretserus in Notis aduersus Iunium cap. 5. Et quidem Ambrosius de obitu fratris Satyri, idem verbum vsurpat, *Alia auxilia non desiderauit.* 40.

2. PROMA.] Reponit Iunius *poma*, vt non tantùm horreum sit præclusum, sed etiam poma, quæ viliora sunt. Sed falsus est; *proma* vtique legendum; nam poma delicatiora sunt. & per *proma* intelligit promtuaria, in quibus esculenta reponuntur. Et lib. de resurrectione carnis illud Isaiæ cap. 26. *Vade populus meus, intra in cubicula tua*, sic legit, *Populus meus introite in cellas promas.* Et deinde explicat ad eum modum, quo iam explicui. Et vt Seneca loquitur epist. 94. *Non enim reposita illa esse oportet, sed in promptu.* 41.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Quòd Gentiles non expediat nostra nosse.

TERTVLLIANVS.

42. 1. SED aliqui sustinent nostra, nec obstrepunt. Hoc est igitur delictum quòd Gentiles nostra nouerunt, quòd sub conscientia istorum sumus, quòd beneficium eorum est si quid operamur. Non potest se dicere nescire, qui sustinet: aut si cælatur quia non sustinet, timetur. Cùm autem scriptura vtrumque mandet, & sine alterius conscientia, & sine nostra pressura operari Domino; nihil interest in qua parte delinquas, aut in conscientia mariti, si sit vt patiens; aut in conflictatione tui, dum vitatur impatiens. Nolite, inquit, margarita vestra porcis iactare, nè conculcent ea, & conuersi vos quoque euertant. Margarita vestra sunt quotidiana conuersationis insignia. Quanto curaueris ea occultare, tanto suspectiora feceris, & magis cauenda Gentili curiositati.

Matth. 6. & 2. Cor. 7.

Matth. 7.

EXPLI-

43. 1. DIces fortasse, *aliqui* mariti *sustinent nostra*, neque oblaterant & interdicunt. *Hoc est*, &c. At hoc est, mi soror, *delictum* nostrum, *quòd Gentiles nostra nouerunt*, &c. *Non potest*, &c. Verè scit nostra, *si illa sustinet, aut si celatur, quia* illa *non sustinet*, omnino *timetur. Cùm autem*, &c. Cùm Deus *vtrumque mandet*, scilicet nostra operari taliter vt nemo Gentilium sciat, in quo alludit ad illud Matth. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Et deinde, sine vlla nostra oppressione, in quo illud Pauli respicit 2. Corint. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate.* Paulus enim sine vlla nostra pressura vult nos Deo administrare. *Nihil interest*, &c. In vtro hoc peccaueris, delinquis; neque tibi aliquid proderit, nisi ab vtroque caueas: debes cauere à *conscientia mariti* sustinentis hoc & patientis: & à tua pressura & *conflictatione*, quæ posita est in marito impatiente, & non sustinente. Reliqua clara sunt.

44. 2. Latebis ne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm aliquid immundum flatu expuis, cùm etiam per noctem exurgis oratum, & non magiæ aliquid videberis operari? Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciuerit, panem non illum credit esse qui dicitur. Et hæc ignorans quisque, rationem simpliciter sustinebit, sine gemitu, sine suspicione panis, an veneni? Sustinent quidem, sed vt inculcent, vt inludant huiusmodi fœminis: quarum arcana in periculum quod credunt, seruent, si fortè lædantur, ipsi sustinent: quarum dotes obiectione nominis, mercedem silentij faciant, scilicet apud arbitrum spiculatorem litigaturi. Quod pleræque non prouidétes, aut re excruciata, aut fide perdita recensuerũt.

45. 2. Vide Notas. *Et hæc*, &c. Putasne, hæc cùm ignoret maritus, hac simplici ratione contentus erit, *sine gemitu* suspicans illum panem esse, an venenum? *sustinent quidem*, &c. Hi mariti *sustinent*, sed ita quidem vt proculcent diuina mysteria, & in tales fœminas grassentur. *Quarum arcana*, &c. Vt earum fœminarũ *arcana* & mysteria *in periculum* eius *quod credunt* & profitentur fœminæ, *seruirent* mariti; nam *ipsi* taciti *sustinent si fortè* arcana *lædantur*. Et hæc pertinent ad inculcationem arcanorum. Deinde pergit ad illusionem: nam in harum fœminarum *dotes* subitò inuolant, & *obiectione nominis* Christiani dicunt esse suas dotes pro *mercede silentij*, alioquin *litigaturi* sunt *apud arbitrum spiculatorem* & iudicem. *Quod pleræque*, &c. Periculum hoc multæ fœminæ non prouidentes, aut re excruciata, id est, re per tormenta extorta, aut fide renunciata & perdita non solùm censuerunt, verùm recensuerunt non esse ineunda huiusmodi matrimonia.

NOTÆ.

46. 1. MARGARITA VESTRA PORCIS IACTARE.] Aspectat ad cap. 7. Matth.

2. SIGNAS.] Non tantùm Martyres, sed omnes Christiani vsurpabant signum crucis. Neque hunc librum ad Martyras, sed ad vxorem scribit. Et aliter Iunius, ac falsò.

2. IMMVNDVM FLATV EXPVIS.] Tertullian. de Idololatria cap. 11. *Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, fumantes aras despiciet, & exsufflabit, quibus ipse prospexit?* Minutius: *Templa vt busta despiciunt, Deos despuunt, rident sacra.* Prudent. 1. in Symmach.

--- quis in vrbe est,
Qui Iouis infectam sanie non despuat aram?

Etenim tractum hoc esse à primo fonte Baptismi sciunt omnes, vbi exsufflantur Christiani. Augustin. de Ecclesiast. dogmat. cap. 31. *Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cùm siue parvuli siue iuuenes ad regenerationis venirent sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.* Et lib. 5. Hypognost. ad finem, ita ait: *Parvuli propterea catechizantur, & exsufflantur ac baptizantur, vt princeps mundi huius foras mittatur.* Inde ergo tractum vt Christiani iam exsufflati in baptismo, ipsi etiam dæmonas exsufflent. Notabis hîc malè legi hunc locum apud Stephanum Durantum lib. 3. de ritib. Eccles. cap. 4. vbi pro *expuis* legit *exponis*: demit enim optimam sententiam.

47. 2. CVM ET IAM PER NOCTEM EXVRGIS ORATVM.] Ammianus lib. 28. *Festo die in Ecclesia Christiani pernoctabant.* Hinc Hieronymus Vigilantium accusat, quòd vigilias, & pernoctationes in Basilicis martyrum negligendas existimarit, ne Pascha sæpius celebrari videretur.

2. ET NON MAGIÆ ALIQVID VIDEBERIS OPERARI?] Non solùm cùm exurgit oratum, sed etiam cùm signat corpusculum & lectulum, & cùm expuit & exsufflat immundum aliquid flatu. Conuitium hoc sollemne fuit, quo aures Christianorum pulsabant, & dicebant, *Magos esse.* Suetonius in Nerone: *Christiani genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ.* Prudentius in Agone Roman.

Quod cùm tumenti nuntiatum est iudici,
Commouit iram fellis implacabilis,
Quousque tandem summus hic nobis Magus
Inludit, inquit, Thessalorum carmine
Pœnam peritus vertere in ludibrium?

48. 2. NON SCIET MARITVS QVID SECRETO ANTE OMNEM CIBVM GVSTES?] Eucharistiam à sacerdote domum ferebãt, & reseruabant, vt pro opportunitate sumerent. Tertullian. lib. de orat. cap. vlt. *Accepto corpore Domini, & reseruato, vtrumque saluum est.* Et Pamelius in lib. de Monogamia, vbi ait Tertullianus: *Sic dabunt viros & vxores, quomodo bucellas:* De his accepit bucellis, quas domum ferebant à sacerdote acceptas. Cyprian. in lib. de Lapsis: *Cùm quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Et de Spectacul. cuiusdam meminit: *qui festinans ad spectaculum, dimissus & adhuc gerens secum, vt assolet, Eucharistiam inter corpora obscœna meretricum tulit, plus damnationis meritus de spectaculi voluptate.* Basil. in epist. ad Cæsaream Patriciam: *Illud in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam non præsente sacerdote, aut ministro, communionem propria manu sumere, nequaquam esse graue, superuacaneum est demonstrare.* Vide Ambrosiũ de obitu fratris Satyri, vbi appensam

collo Eucharistiam Satyrus gestauit, cùm nauis qua fortè ferebatur, naufrago illisu quateretur. Hinc putatur à nonnullis manasse consuetudo, vt communicaturi nunc nitido linteamine præcingantur, quando olim simili in lino inuoluebant corpus Domini, & ferebant domum. Quantum ad litteram pertinet, illud *secretò* potest aduerbium esse, & id credo potiùs, quàm suppleas (in secreto domus tuæ,) vti vult Baronius.

49. 2. ANTE OMNEM CIBVM GVSTES.] Ioan Chrysost. Homil. 27. in epist. ad Corinth. in illud: *Itaque quicunque manducauerit*, ita ait: *Tu autem priusquam accipias* (Eucharistiam) *ieiunas, vt aliquo modo dignus communicatione videaris.* Eutychianus Papa apud Bruchardum lib. 5. cap. 25. & Iuonem parte 2. cap. 45. *Qui acceperit sacrificium post cibum, aut post aliquam modicam refectionem, pueri tres dies, maiores septem, clerici viginti dies pœniteant.* Nazianzen. Orat. in sanctum Baptisma: *Ad hæc ille Paschatis mysterium discipulis in cœnaculo tradidit, & à cœna, & vnico ante passionem die: nos templis, & ante cœnam.* Rangolius istud adducit immutatis verbis. Videsis illum comment. in lib. 1. Reg. cap. 4. vers. 4.

A 2. ET SI SCIVERIT, PANEM, NON ILLVM CREDIT ESSE QVI DICITVR.] Apponit Iunius interrogationem, neque est opus. Ait enim Tertullianus, maritum, si sciat, vxorem ante reliquos cibos panem gustare, non habiturum illum panem pro pane Eucharistico, hoc est, pro corpore Christi, sed pro pane communi, & vulgari. Ita Gretserus in Iunium cap. 5.

2. SVSTINENT QVIDEM.] *Sustinent* (legit Vvouerenius) quidam.

2. QVARVM ARCANA, &c.] Destruit hunc contextum Iunius: verè capiendus de arcanis & mysteriis Tertullianus, de quibus in Apologetico cap. 7. & id insinuat, cùm ait, *mercedem silentij faciant.* Et hæc Hellenicè loquitur, in illis, *quarum arcana seruent*, pro, vt earum arcana seruent. 50.

2. RECENSVERVNT.] Huic simillimus locus est in lib. de Pallio cap. 2 *Sic & terram, si recenseas, temporatim vestiri amantem*, &c. Vbi *recenseas* est, si obserues, & voces in examen: hîc *recensuerunt*, est, re examinata constitit sibi malè consuluisse. Vvouerenius ex Codice scripto colligit, *recesserunt.*

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Quòd Gentili viro iuncta debeat obseruare Gentilium sollemnia.

TERTVLLIANVS.

51. 1. MORATVR Dei ancilla cum laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus sollemnibus regum incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur. Et procedit de ianua laureata, & lucernata, vt de nouo consistorio libidinum publicarum. Discumbit cum marito in sodalitiis, sæpè in popinis. Et ministrabit nonnunquam iniquis, solita quondam sanctis ministrare. Et non hinc præiudicium damnationis suæ adcognoscet? & eos obseruabit, quos erat iudicatura?

EXPLICATIO.

52. 1. CVm *laribus alienis*, cum Diis Gentilium domesticis. *Et inter illos*, &c. Et in *omnibus honoribus* & sacris, quæ dicantur dæmonibus: & in omnibus sollemnitatibus *Regum, nidore thuris agitabitur, incipiente anno*, incipientibus Calendis vniuscuiusque mensis. *Et procedit*, &c. Et quod mirêre, *procedit de ianua* ramis lauri obuoluta, & lucernis accensis, tanquam *de nouo consistorio libidinum publicarum*, id est, publicæ idololatriæ. *Discumbit cum*, &c. *Discumbit cum marito in sodalitiis*, sodalitatibus & Collegijs: & adhuc quod peius est, *in popinis. Et ministrabit*, &c. Et *iniquis ministrabit* & infidelibus infideli nupta, quæ *sanctis* & Christianis *solita* est *ministrare* fideli nupta. *Adcognoscet*, ad has res cognoscet. Sic in Glossis.

53. 2. De cuius manu desiderabit? de cuius poculo participabit? Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sanè, audiat aliquid Dei cœna de taberna, de gehenna. Quæ Dei mentio? quæ Christi inuocatio? Vbi fomenta fidei de scripturarum interlectione? vbi spiritus refrigerium? vbi diuina benedictio? Omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata adterendæ saluti, à malo immissa.

54. 2. *De cuius manu*, &c. Hîc appetitio ad sacram Eucharistiam describitur, ad sacrum poculum, quod in domo Gentili palam desiderabit, *echara menos. Quid maritus*, &c. Quem hymnum, quem psalmum inuicem canent? *Audiat sanè*, &c. *Audiat sanè, audiat* (necesse est) *Dei cœna*, quando mulier fidelis secretò ante cibum sumit corpus Domini, aliquod carmen ructatum *de taberna*, & crapula; exhalatum, inhalatúmque *de gehenna* & dæmonibus. *Quæ Dei mentio*, &c. Omnia quæ hîc sequuntur, deficient in mensa Gentili. *Diuina benedictio.* De consecratione Eucharistiæ. *A malo*, à dæmone.

NOTÆ.

55. 1. OMNIBVS SOLEMNIBVS REGVM, &c.] De his solemnitatibus diximus fusè multis in locis, præsertim lib. de Idololatria. Hic autem adducam locum Ambrosij serm. 14. vbi sic loquitur: *Lætitia quanta sit, quantúsque concursus cùm Imperatoris mundi istius Natalis celebrandus est, benè nostis: quemadmodum Duces & Principes, omnes etiam militantes, accuratè sericis vestibus accincti, operosis cingulis auro fulgente pretiosiùs ambiunt solito nitidiùs in conspectu Regis nitere. Credunt enim maius esse Imperatoris gaudium, si viderit maiorem suæ apparitionis ornatum, tantoque illum lætum futurum, quanto ipsi fuerint in eius festiuitate deuoti*, &c. Sequuntur multa. Hæc autem sollemnia fiebant à multis principibus Calendis Ianuariis incipiente anno, vel etiam singulis Calendis mensium.

56. 1. LAVREATA.] De laureis & lucernis in portis diximus satis in Apologetico, & de Idololatria, & dicam insuper in libro de Corona militis. Ambros. lib. 2. de virg. dixit: *Postes frondium sertis cernere coronatos.* Cyrillus Alexand. Homil. 5. de festis Paschalib. Ὥσπερ οἱ περὶ τὸν τῆς νυκτὸς ἀποπλίζουσι σκότον, ἢ μελανούσης τῆς ἑσπέρας αὐτοῖς, πλὴν ἑσίαν ἐκ ἀνέχονται, ὅλον δὲ λύχνοις τὸ δωμάτιον καταστέφαντες, τοῖς εἰσιοῦσιν μαρμαρυγὰς πλὴν ἀπὸ τοῦ σκότου καταφανεῖς ἐξελαύνουσιν: *Faces illi noctis caligini discutiendæ adhibent, neque adueniente vespera domum tenebris obduci patiuntur, verùm lychnis, ex omni ædium parte suspensis, illorum fulgore squallorem à tenebris inductum effugare nituntur.* Et Martial. lib. 8. Epigram.

Laurigeros Domini liber intrature penates.

Et Ouid. 3. Trist. Eleg. 1.

Cur tamen opposita velatur ianua lauro,
Cingit & Augustas arbor opaca comas?

57. 1. VT DE NOVO CONSISTORIO LIBIDINVM PVBLICARVM.] Per *consistorium libidinum* intelligo idololatriam; quod sæpè frequens in his libris, vbi idololatria dicitur *fornicatio*, & in sacro textu. Potest etiam capi lupanar, olim enim libidinum domunculæ hoc apparatu ornabantur ad inuitandos iuuenum animos propudiosos: & *consistorium* dicatur, quòd ibi consistat libido. Quod Ambros. lib. 2. de Virg. vocat *libidinis diuersorium*, quòd ibi diuertat libido. Adiuuat dici lupanar ipsum à Tertulliano lib. de Spectacul. cap. 17. *Priuatum consistorium impudicitiæ.* Et datum illi verbum *sto* à Seneca in Controuers. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, stetisti puella in lupanari, stetisti cum meretricibus.* Et *consistorium* cùm dicit, videtur allusisse ad *stabulum*, etenim dictus est meritorius locus *stabulum*, quòd ibi starent ad quæstum, & etiam neutro genere *meritorium*. Isid. *Prostibula, quod ante stabulum stant quæstus diurni ac nocturni gratia.* vel etiam dictum est *consistorium* cum respectu ad titulum meretricis inhabitantis domum illam. De quo idem Tertullianus lib. de Pudicit. *Sub ipsis libidinum ianuis, sub ipsis libidinum titulis.* Seneca in Controuers. *Educata es in lupanari, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est.* Iuuenalis de Messalina, quæ abiit ad lupanar,

--- tum nuda papillis
Constitit auratis titulum mentita Lyciscæ.

Et Martialis in Epigrammate quodam:

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, siue puella tibi.

58. 1. SODALITIIS.] Sunt hæc, quæ Cyprianus epist. 68. vocat *collegia*, hoc verborum ambitu: *Martialis quoque præter Gentilium turpia & lutulenta conuiuia, & collegia diu frequentata*, &c. Et *sodalitates* à Cicerone, lib. de Senectut. ibi enim Cato Senior ita ait: *Sodalitates me quæstore constitutæ sunt sacris Idæis magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus modicè.* Quintilianus, quem adducit Antiquitatum Conuiuialium Auctor lib. 1. cap. 31. Et *tempestiua conuiuia, & perunigiles iocos, aduocata sodalium turba soluti atque effluens agebam.* Et quidem hæc vetita fuere lege Licinia, vt Budæus notat in alteris annotationibus.

1. SANCTIS.] Id est, Christianis, quod iam explicui cap. 1. huius libri.

2. DE CVIVS MANV DESIDERABIT?] Recurrit iterum Iunius ad suas illas *desideras*, qui quoties illas inculcat, mihi risum amarum commouet.

59. 2. QVID MARITVS SVVS ILLI, &c.] Cyprian. de orat. Domin. *Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus.* Idem ad Donatum: *Nec sit vel hora conuiuij gratiæ cœlestis immunis, sonet psalmos conuiuium sobrium, & vt tibi tenax memoria est, voce canora aggredere hoc munus ex more; magis charissimos pasces si sit nobis spiritualis auditio, proleget aures religiosæ mulcedo.* Sanctus Ignatius Archiepiscop. Constantinopolitanus Imperatoris filius, vt auctor est Nicetas, Dauid in eius vita: καρποφορεῖ πρῶτον μὲν νηστείαν, ἀγρυπνίαν ψαλμῳδίας ὑποτεταγμένην: *Primùm omnium temperantiæ studebat, cum studio vigilabat, psalmorum cantilenam proferebat.*

2. AVDIAT SANE, AVDIAT ALIQVID DEI COENA, &c.] De Eucharistiæ sacramento est sermo. Videndus Pamelius, vbi disputat contra Rhenanum. Vvouerenius ex scripto libro corrigit: *Audiat aliquid de scena, de taberna, de ganea.*

2. VBI FOMENTA FIDEI, &c.] In Apologet. 39. Sic dicitur: Coimus ad scripturarum diuinarum commemorationem.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Quòd alia sit ratio earum quæ cum Gentili, matrimonio ante baptismum iunctæ sunt.

TERTVLLIANVS.

60. 1. HÆc si eis quoque euenire possint quæ in matrimonio Gentili fidem adeptæ morantur, tamen excusantur, vt in ipsis deprehensæ à Deo, & iubentur perseuerare, & sanctificantur, & spem lucrationis accipiunt. Si ergò ratum est apud

Deum matrimonium huiusmodi, cur non prosperè cedat, vt & à pressuris, & angustiis, & impedimentis, & inquinamentis non ita lacessatur, iam habens ex parte diuinæ gratiæ patrocinium? Nam & ad aliquam virtutem cœlestem documentis dignationis alicuius vocata, terrori est Gentili, quo minùs sibi obstrepat, minùs sciat, minùs speculetur. Sensit magnalia, vidit experimenta. Scit meliorem factam, sic & ipse candidatus est timoris. Ita faciliùs huiusmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia consuetudinem fecit.

EXPLICATIO.

61. HÆc, mala & incommoda. *Vt in ipsis*, malis & incommodis. *Et iubentur perseuerare*, & nihilominus *iubentur perseuerare* in matrimonio, *& sanctificantur*, &c. *Nam & ad aliquam virtutem cœlestem.* Sæpè notaui in hoc Auctore vocem *aliquam* significare insigne aliquid, vt *aliqua Carthaginis conditrix* in Apolog. cap. vlt. Sic hoc loco intelligo *insignem virtutem*, id est, fidem. Item, *documentis dignationis alicuius vocata*, id est, prædicatione alicuius insignis & sanctissimi viri, in dignitate constituti. *Sensit magnalia*, Dei intus, *Vidit experimenta*, exteriùs. *Candidatus est timoris*, id est, religionis veri Dei: hanc enim significat timor Domini. *In quos Dei gratia consuetudinem fecit.* Quos gratia Dei fecit perseuerare in matrimonio.

62. 2. Cæterùm aliud est, vltrò & sponte in prohibita descendere. Quæ Domino non placent, vtique Dominum offendunt, vtique malo se inferunt. Hoc signi erit vt solis, quòd solis petitoribus placet nomen Christianum. Ideo inueniuntur qui tales non exhorreant vt exterminent, vt arripiant, vt à fide excludant. Habes causam, qua non dubites, nullum huiusmodi matrimonium prosperè decurri. A malo conciliatur, à Domino verò damnatur.

63. 2. *Quæ Domino non placent*, fœminæ. *Hoc signi erit vt solis, quòd solis petitoribus placet nomen Christianum.* Hoc signum erit fœminis fidelibus, *vt solis*, id est, velut solis & eximiis, *quòd solis* earum *petitoribus*, procis, & maritis infidelibus *placet nomen Christianum. Ideo inueniuntur qui tales non exhorreant*, illud *qui tales*, est, solas & eximias *non exhorreant*, & ita non exhorreant, vt necesse habeant eas *exterminare*, *arripere*, aut *à fide excludere*. Vtique *non exhorreant*, non *exterminent*, non *arripiant*, non *à fide excludant. Habes causam*, &c. Dixi *causam*, quare *matrimonium* infidelis viri cum fideli fœmina improsperè cedat. Et si vis repetam clarè, hæc est, *conciliatur* à dæmone, *damnatur à Domino*.

NOTÆ.

64. 1. CANDIDATVS EST TIMORIS.] In schola & disciplina timoris versatus: à petitoribus magistratuum sumpta locutione, qui candidam induebant. Cyprian. de Habitu & disciplina virg. *integritatis candidata*. Hieronymus ad Lætam, *candidatus fidei*. De corona militis cap. 7. *candidatus diaboli*. Mitto hîc digladiationem Hieronymi aduersum Tertullianum, de qua iam Vasquius quæst. 68. art. 3. de baptismo.

65. 2. HOC SIGNI ERIT VT SOLIS.] Aliqui delent illud, *vt solis*: aliqui mutant, *vt Solis*, ita vt sermo sit de Sole ipso. Vtrumque quantum assequor, contra mentem Auctoris. Nam cùm postea ait, *qui tales non exhorreant*, illud *tales* non inuenies vbi proximè fecerit mentionem, nisi illud, *hoc signi erit vt solis*. Atque adeò *solæ* erunt, velut eximiæ, & priuilegiatæ, & signatæ à Deo: quòd soli illi Gentiles erant benignè affecti erga disciplinam & religionem Christianam.

2. EXTERMINENT.] Non hinc abit exterminium Christi: quod enim habet Psalmus, *foderunt manus meas*, ipse Tertullianus aduersum Iudæos, explicat, *exterminauerunt*: quo explicat, adeò ingratum esse populum Iudæorum, vt manus illas liberales, & sic dicam, prodigas ad benefaciendum, illi à se amouerent, & exterminarent, & respuerent. Vide hac de re Benedictum Fernandium cap. 2. in Genes. sect. 2.

66. 2. A MALO CONCILIATVR.] Hæc vis huius verbi, ad eum modum, quo Plautus in Epidico ait, *Conciliauisti pulchrè*. Etenim *benè*, ac *pulchrè conciliare*, est, vili emere: contra, *malè conciliare*, est, carè & magno pretio emere. Nam, vt ait Donatus, omnis conuentio est conciliatio. Arnob. lib. 2. *Edunt per vteros fœtus, & corporalibus conciliis procreant: & nos corporum coniugationibus nascimur, & ex aluis fundimur, atque emittimur.* Vbi conciliis meretricum opponit coniugationes honestas. Itaque *conciliare* est, vtique malè, & à malo dæmone conciliare, etiamsi interdum in bonam partem sumatur.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Quòd etiam de iure huiusmodi matrimonia rata non sint.

TERTVLLIANVS.

67. 1. AD hoc quæramus an iure, quasi reuera despectatores diuinarum sententiarum. Nonne quique domini & disciplinæ tenacissimi seruis suis foras nubere interdicunt: scilicet ne in lasciuiam excedant, officia deserant, dominica extraneis promant? Nonne insuper censuerunt seruituti vindicandas

quæ cum alieno ſeruo poſt dominorum denuntiationem in conſuetudine perſeuerauerunt? Seueriores habebuntur terrenæ diſciplinæ cœleſtibus præſcriptis? Vt Gentiles quidem extraneis iunctæ, libertatem ſuam amittant: noſtræ verò diaboli ſeruos ſibi coniungant, & in ſtatu ſuo perſeuerent. Scilicet negabunt ſibi à Domino per Apoſtolum eiuſdem denuntiatum.

EXPLICATIO.

68. 1. AD *hoc*, &c. Sed fingamus nos deſpectores, & *deſpectatores* diuinæ ſententiæ, & *quæramus an* hoc etiam *iure* humano condemnetur? *Nonne quique*, &c. Qui eſt Dominus ſeruorum, illos iubet nequaquam *foras nubere*, adeò eſt tenax diſciplinæ, *ne ſcilicet*, &c. De verbo *nubo* quod viris datur, dixi ſuperiori libro. *Nonne inſuper*, &c. *Inſuper cenſuerunt ſeruituti vindicandas*, diiudicandáſque fœminas, quæ *perſeuerarent cum ſeruo*, poſtquam dominus denuntiaſſet non cum illo rem habendam. *Noſtrę verò*, Chriſtianæ. *Diaboli ſeruos*, Gentiles. *Scilicet negabunt*, &c. Nihil iſtis reſtat, præterquam negare id per Paulum diuinitus pronuntiatum.

69. 2. Quam huius amentiæ cauſam detineam, niſi fidei imbecillitatem pronam ſemper in concupiſcentiam ſæcularium gaudiorum? Quod quidem plurimùm in lautioribus deprehenſum eſt. Nam quanto dies aliqua eſt commatrona nomine inflata, tanto capacem domum oneribus ſuis requirit, campum in quo ambitio decurrat: Sordent talibus Eccleſiæ. Difficilè in domo Dei dies, ac ſi quis eſt, difficile cœlebs. Quid ergo faciant? Vnde niſi à diabolo maritum petant bonum exhibendæ ſellæ, & mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis? Chriſtianus iſta etiam dies fortaſſe non præſtet.

70. 2. *Detineam*, definiam, complectar. *Lautioribus*, fœminis. *Nam quanto*, &c. *Quanto aliqua eſt* tum *dies* tum *commatrona*, & hoc maximè *nomine inflata*. *Capacem*, capaciorem. *Campum*, &c. Eleganter domum vocat *campum ambitionis*, ſiue comparans cum Campo Martio, ſiue cum Athletico, quod innuit verbum *decurro*. *Difficile in domo*, &c. *Difficilè* eſt *dies* aliqua *in domo Dei*, ac ſi qua eſt dies, *difficilè* hæc eadem eſt *cœlebs* & caſta. *Quid ergo*, &c. *Quid ergò* iſtæ diuites *faciant*? *Vnde petant* maritum niſi Gentilem & *à diabolo*, optimum *exhibendæ ſellæ* geſtatoriæ, ſiue etiam *mulabus* ad vehiculum, vel ciniflonibus & *cinerariis* ſtructoribus comæ & capillamenti, hiſque *peregrinæ proceritatis* & faſtuoſis, vt heras ſuas tanquam pompam proſequantur, ſintque omnibus admirandi. Nam Chriſtianus etiamſi dies, forſitan iſta non præbebit.

71. 3. Quæſo te, Gentilium exempla proponas tibi. Pleræque & genere nobiles, & re beatæ, peſſimis de ignobilibus & mediocribus ſimul, coniunguntur, aut ad luxuriam inuentis, aut ad licentiam expertis. Nonnullæ ſe libertis, & ſeruis ſuis conferunt, omnium hominum exiſtimatione deſpecta, dummodo habeant à quibus nullum impedimentum libertatis ſuæ timeant. Chriſtianam fidelem fideli, re minori, nubere pi-
Matth. 5. get, locupletiorem futuram in viro paupere? Nam ſi pauperum ſunt regna cœlorum, quia diuitum non ſunt, plus dies in paupere inueniet maiore dote. Sit illa ex æquo in terris, quæ in cœlis forſitan non erit.

72. 3. *Quæſo te*, &c. Gentilium exempla propone tibi. *Pleræque &*, &c. *Pleræque* illarum *& genere* nobiliſſimę, *& re* familiari beatiſſimæ, inuentæ ſunt quæ *de ignobilibus & mediocribus ſimul coniunguntur peſſimis* in matrimonio, vt vel cum illis luxuriosè & procaciter viuant, vel licentiam obtineant quiduis faciendi illicitum, quod expertæ iam ſunt. *Nonnullæ*, &c. Clarum hoc. *Chriſtianam fidelem*, &c. Cùm itaque illæ ſolùm licentiæ & libertatis cauſa, nobiles & diuites cùm ſint, *ſeruis ſuis* nubant, etiam peſſimis; cur *Chriſtianam fidelem* viro *fideli* etiam pauperi *pigebit nubere*, cùm hoc matrimonio *locupletior ſit futura*? *Nam ſi*, &c. *Nam ſi pauperum regnum cœlorum eſt, cùm non ſit diuitum*, mulier *dies inueniet* aliquid *plus*, & maius *maiore* ſua *dote, in paupere* viro. *Sit illa*, &c. *Sit illa ex æquo* cum viro paupere dies *in terris* vi coniugij, quia *forſitan in cœlis non erit*.

NOTÆ.

73. 1. NONNE INSVPER CENSVERVNT SERVITVTI VINDICANDAS, &c.] Malè in nonnullis *vindicandos, qui*. malè item infrà *iuncti*, cùm *vindicandas, quæ*, & *iunctæ* ſcripſiſſe Tertullianum conſtet. De hac lectione videndus Faber 1. Semeſt. cap. 25. idque intelligendum eſſe, quæ poſt trinam denuntiationem in conſuetudine cum ſeruo perſeueraſſent, admonet Briſſonius de iure connubiorum, per initia. Iunius etiam Tacitum adducit lib. 12. Annalium in hæc verba ſcribentem: *Inter quæ refertur ad Patres de pœna fœminarum, quæ ſeruis coniunguntur; ſtatuitúrque vt ignaro domino ad id prolapſa, in ſeruitutem ſui conſenſerit, & qui nati eſſent pro libertis haberentur.* Item que iſtud Suetonij cap. 11. vitæ Veſpaſiani: *Libido atque luxuria nullo coërcente inualuerat. Auctor itaque Senatui fuit, vt quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet, ancilla haberetur.*

2. DETINEAM.] Latinius *definiam* legit. Certè *detineam* omnino legendum, vt in omnibus legitur. Et pro ſimplici *teneã* ſumit: ſic *retractatus* pro tractatus.

2. NISI FIDEI IMBECILLITATEM,&c.] A Vide cap.1.de habitu mulieb.

2. COMMATRONA.]Iunius legit,*quum matronæ*. Et quamuis videatur attingere, melius tamen est *commatrona*,vt videatur nomen fastum indicare.Et similiter *matronæ* legit Faber 1. Semest. cap.16.

2. ONERIBVS SVIS REQVIRIT.] Gemmas accipit Faber, lapillos, monilia lib.1. Semest.cap. 16.eo argumento,quod Plinius lib.33. cap. 3.dixerit: *Multis hoc modis, vt cætera omnia, luxuria variauit, gemmas addendo exquisiti fulgoris, censúque optimo digitos onerando.* Et paulò pòst: *Galliæ Britanniæque in medio dicuntur vsæ,hic nunc solus excipitur,cæteri omnes onerantur.* Et Hieronym.ad Lætam de institutione filiæ: *Nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres.* Et Claudian. Panegyr. in 6. Consulat. Honorij.

Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

Trebell.Pollio de Zenobia:*Ducta est igitur per triumphum ea specie, vt nihil pompabilius populo Romano videretur, iam primum ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissima sæpissimè restitisse, cùm diceret se gemmarum onera ferre non posse.*

75. 2. CAMPVM IN QVO AMBITIO DECVRRAT.] An alludit ad Campum Martium, vbi candidati magistratuum, in quo loco ambitionis schola & disciplina? Fortasse: Sed verbum *decurrat* aliò me ducit. Itaque alludit credo ad stadium, & curriculum, in quo cursus exercebatur: ibi enim currebat effusa ambitio, vt præcedentem sequeretur. Et huc spectasse Tertullianum, inuitat me locus Senecæ epist.73. *Adiice nunc,quòd nemo eorum, qui in Republica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur, adspicit: & illis non tam iucundum est, multos post se videre, quàm graue, aliquem ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio, non respicit.* Est hoc fermè quod Saluianus dixit lib. 1. de Gubernat. *Vsitatum hoc humanæ mentis est vitium, illa magis semper velle quæ desunt.*

76. 2. SI QVIS EST.] Explicui *aliqua*. Verè, hæ enim voces, *quis, quisquam, quisquis*, & similes, promiscuè pertinent ad marem & fœminam. Ennius,

Quisquis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine.

Terent.in Eunucho,

Hunc oculis nostrarum quisquam non vidit.

Liuius Andronicus,

Mulier, quisquis es, te volumus.

Ennius iterum.

Et quisquis illic est, quæ lugubri accincta est stola?

Vtuntur his Cælius Calcagninus de verbor. & rer. signif. & Delrius in Oetæum Senecæ. Idipsum notarunt Cepolla, Alciatus, Brechæus.

2. BONVM EXHIBENDÆ.] Veteres scripsisse *duonum* in hoc loco penè certum est, cùm Sauaro ad testificationem *duelli* pro bello, vtatur hoc exemplo, & legat:*Vnde nisi à diabolo maritum petant,duonum exhibendæ sellæ.* Habetúrque id lib. 2. epistolarum Sidonij epist.1.& explicat à Glossis,quibus est *duonus*, ἀγαθὸς, *bonus*.

77. 2. EXHIBENDÆ SELLÆ.] Caue fallaris, non hîc de sella meretricum, sed de honesta matronarum. Matronæ enim gestatoriis sellis vehebantur honoris ergô. Imò has *custodes dignitatis* fœmineæ vocat Tertullianus lib.de Pallio, dolétque abiuratas à fœminis nobilibus. De his itaque sellis loquitur hoc loco. Seneca lib.1.de Benefic. cap. 9. *Rusticus, inhumanus, ac maleuolus, & inter matronas abominandæ conditionis est, si quis coniugem in sella prostare vetuit, & vulgo admissis inspectoribus vehi vndique perspicuam.* Et lib.2. de Tranquillit. cap. 14. *Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures,quàm laxam sellam*, &c. Iuuenalis,

Respicit hoc primùm qui litigat, an tibi serui
Octo, decem comites; post te sit sella, togati
Ante pedes.

Tacitus lib. 14. Annal. *Agrippinam, auditis insidiis gestamine sellæ Baias peruectam.* Sueton. in Domitiano cap. 2. *Habitabat cum patre vnâ, sellámque eius ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur.* Aliæ enim sellæ meretricum, de quibus Plautus in Pœnulo,

Quæ tibi olent stabulum, statum, sellam, & sessibulum merum.

B Vnde meretrices *sellariæ*, aut *prosellariæ*, aut *prosidæ* directè opponuntur *prostibulis*,aut *prostibulariis*.

2. MVLABVS.] Seneca epist. 87. *Vehiculum in quo positus sum, rusticum est, mulæ se viuere ambulando testantur.* Eadem epistola post paulum de sumptuoso homine loquens: *Quid ad rem pertinent mulæ sagina-* 78. *tæ, vnius omnes coloris? quid ista vehicula cælata?* Lampridius in Commodo Antonino: *Dedit & vehicula cum mulabus, & mulionibus, & iuncturis argenteis, vt ita à conuiuio redirent.* Hæc Rhenanus.

2. CINERARIIS PEREGRINÆ PROCERITATIS.]Acro lib.1.ad Horat. Sat.2.*Cinisiones &* 79. *cinerarij eadem significatione apud veteres dicebantur ab officio calamistrorum, qui acus & veruta flando calefaciebant; quibus matronæ capillos crispabant.* Catull. Epithalam. *tuum cinerarius tondet os.* Cato apud Sosipatrum: *Mulieres nostræ capillum cinere, vt rutilus*
C *esset,tinxerunt.* Varro lib.4.de Lingua Latina: *Qui calamistros calefactos in cinere ministrabat, à cinere cinerarius est appellatus.* Valer. Max.lib.2.cap.1. *Cæterùm vt non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitantis genere,temperata esset, indulgentibus maritis,& auro abundanti, & multa purpura vsa sunt; &, quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt.* Horum fit mentio in Concilio Eliberitano cap. 67. *Prohibendum est ne qua fidelis, vel catechumena aut comatos, aut viros cinerarios habeat: quicumque hoc fecerit, à communione arceatur.* Ita habet Codex Garsianus: nam in vulgatis legitur, *aut comicos, aut viros Scenicos.* Non autem, quòd addatur *peregrinæ proceritatis*, existimandum est *cinerarios* alios esse quàm dictum est: nihil enim vetat eosdem heram suam, vt pompam consequi. Quamobrem bene stat, *cinerarios* esse eosdem qui capillos rutilant, & dominam consequuntur: ac perinde necessariam esse peregrinam & insolitam proceritatem.
D

3. QVÆSO TE, GENTILIVM EXEMPLA PROPONAS TIBI.]Ambros.lib.3.de Virg. ad rem suam Gentilium exempla proponit, & ad hanc ipsam rem. Et Ioan. Chrysost. orat. 2. aduersus Iudæos. Hieronym. passim. 80.

3. CONFERVNT.] Legunt *conserunt* nulla necessitate: & illud *despecta*,reddunt *despectandas*.

3. SI PAVPERVM SVNT REGNA CÆLORVM.] Hieronymus ad Heliodor. *Affatim diues est, qui cum Christo pauper est.* Paupertas *nuditas* vocatur à Cassiano lib.7.cap.25.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

De matrimonio Christiano.

TERTVLLIANVS.

81. 1. DVBITANDVM, & inquirendum, & identidem deliberandum est, an ideo sit investis dotalibus, cui Deus censum suum credidit. Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet? Nam nec in terris filij sine consensu patrum ritè & iure nubent. Quale iugum fidelium duorum vnius speciei, vnius voti, vnius disciplinæ, eiusdem seruitutis? Ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritus carnisve discretio. Atquin verè duo in carne vna. Vbi caro vna, vnus & spiritus. Simul orant, simul volutantur, & simul ieiunia transigunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes. In Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter. In angustiis, in refrigeriis, neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis est.

EXPLICATIO.

82. 1. INVESTIS *dotalibus*. Nuda dote, re, opibus: non vestita dotibus. Translatione ducta ab impubere (inquit Rhenanus) qui propriè *investis* dicitur. *Quod Ecclesia conciliat*, vt patet ex Conciliis, & Synodalibus, & examine personarum. Itaque *Ecclesia conciliat*, est idem quod diceret, Ecclesia spectatrix est, testis, approbatrix. *Confirmat oblatio*, sacra Eucharistia, quæ pro ipsis offertur. *Obsignatum Angeli renuntiant*. vel verè *Angeli* Dei, qui ad Patrem cœlestem tanquam internuntij deferunt eo modo, quo Angelus Raphaël preces Tobiæ Deo offerebat: vel ministri Ecclesiæ, qui instar Angelorum renuntiant verè *obsignatum* matrimonium, quod in benedictione coniugum, & sub signaculo sanctæ Crucis adhibitum est. *Pater rato habet?* cœlestis scilicet habet ratum, & gratum tale coniugium. *Nam nec in terris filij sine consensu patrum ritè & iure nubent.* Hæc verba (scribit Rhenanus) aureis litteris scribi deberent. *Simul volutantur.* Hoc respicit pœnitentiam, fortè chameuniam intelligit, id est, in solo dormitionem, humi cubationem, vel *volutantur* vnà oratum. *Alterutro ducentes*, alter dux est alterius ad bonum. *Neuter alterum celat*, vt cùm vnus eorum est Gentilis.

83. 2. Liberè æger visitatur, indigens sustentatur. Eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Non furtiua signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. Sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuò prouocant, quis meliùs Deo suo canet. Talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit. Vbi duo, ibi & ipse; vbi & ipse, ibi & malus non est. Hæc sunt quæ Apostoli vox illa sub benignitate intelligenda nobis reliquit. Hæc tibi suggere, si opus fuerit. His te ab exemplis quarundam reflecte. Non licet aliter fidelibus nubere: & si liceret, non expediret.

84. 2. *Liberè æger visitatur*, discurritur per viciniam vt visitentur ægri, nullius coniugum *impedimento*. *Sacrificia*, missæ. *Non furtiua*, signantur cruce non furtim, nulla gratulatio fit trepidè & cum timore alterius coniugum: *non benedictio muta* est & clancula, sed apertè benedicunt Dominum. *Sonant inter duos* coniuges, psalmi & hymni canebantur simul ab vtroque, vnde prouocatio illa. Non enim tunc diuisim & alternatim canebantur psalmi: hoc enim Ambrosius instituit, & approbauit Damasus. *Malus*, dæmon. *Hæc sunt*, &c. Cùm videlicet (admonet Rhenanus) indulgenter loquitur Apostolus, *Mulier defuncto viro libera est; cui vult, nubat, tantùm in Domino.* Absoluit vniuersum opus cum istis, *Hæc tibi suggere*, &c.

NOTÆ.

85. 1. VNDE SVFFICIAM AD ENARRANDAM, &c.] Attingit hoc matrimonium quàm felix sit, Constantinus Imperator ad filium Porphyrogenitum. Libat hanc rem cap. 13. cùm inquit, Romanis in vsu esse non coniungi cum peregrinis, μάλιστα ἢ ἀλλοπίστου ἢ ἀβαπτίστου, *maximè quæ fidei alterius, & baptizata non sit.* Et postea in eodem cap. ponit quæ sequuntur connubium Catholicum, ὡσαύτως ἕκαστον, &c. *Vt enim singula animalia cum his quæ sui generis sunt, rem habent, sic gentes quoque non cum alienigenis, & diuersa lingua vtentibus, sed cum sui generis & sermonis nuptias facere homines æquum & iustum est. Vnde nimirum mutua concordia, & amabilis conuersatio, ac conuictus exsistit: mores verò diuersi & diuersa statuta offensas potiùs, odiáque, & seditiones gignere solent; quæ non amicitias aut communiones, sed*

inimicitias ac diuortia efficere amant.

86. 1. QVOD ECCLESIA CONCILIAT, &c.] Mirum, quantum deblateret hîc Iunius, sed habet acrem reprehensorem Gretserum in Notis contra illum cap. 1. Quem vide, & Pamelium vnicè, qui dexterrimè dixit inter alia alludsum à Tertulliano ad Epistolam Euaristi Papæ scriptam ad Episcopos Africæ. Et Baronium Tom. 1. Annal. pag. 440. Omnia hæc Tertulliani placita confirmant. Etenim Ecclesia conciliare dicitur per sacerdotem suum elicientem consensus mutuos; quibus accedit libatio & velatio: de quibus lib. de Velandis virginib. cap. 11. *Ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu masculo mistæ sunt, per osculum & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritu.*

1. CONFIRMAT OBLATIO.] Missæ sacrificium insinuat, quod (vt antiqui rituales libri Ecclesiastici tradunt) in matrimonij confœderatione offerri à Sacerdotibus consueuit. Et quid mirum hoc facerent pij homines, cùm Ethnici hoc non peragerent sine sacro aliquo? Pòst verò Eucharistia dabatur contrahentibus. Tertullianus de Monogamia cap. 11. *Illi* (sunt sacerdotes) *sic dabunt viros & vxores quomodo buccellas.*

87. 1. NAM NEQVE IN TERRIS FILII &c.] Vide Fornerium de verb. signif. cap. 125. His declarat primum omnium voluntates contrahentium à parentibus esse ratas habendas, ac subinde subsequi per sacerdotem, publicam in Ecclesia denuntiationem, quòd periculum sit, si sine hac denuntiatione fiat matrimonium. quod Tertullianus lib. de Pudicitia, declarat his verbis: *Penes nos occultæ quoque coniunctiones*, id est, non priùs apud Ecclesiam professæ, *iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Quin Apuleius lib. 6. (quod mirere) ita ait: *Impares nuptiæ, & præterea in villa sine testibus, & patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri.* Præterea non coram vno sacerdote matrimonia astruebantur, sed, vt ait Tertullianus de Monogam. cap. 11. coram Episcopo, Presbyteris, Diaconis, interuenientibus etiam in Ecclesia viduis maiore celebritate.

88. 1. QVALE IVGVM, &c.] Ita etiam Ambros. lib. 3. de Virg. *Bona igitur vincula nuptiarum, sed tamen vincula.* Et post pauca: *Bonum coniugium, sed tamen à iugo tractum.* Plaut. in Curcullione, *Iamne ea fert iugum?* Horat. ode 5. l. 2. *Ferre iugum subacta ceruice.* Gregor. Nazianz. orat. 32. γυναικῶν ὅσον ὑπὸ ζυγόν. Hinc contra de Virgine dixit Greg. Nyssen. lib. de Virginit. cap. 3. ἐλευθερίαν τῆς παρθενίας, *libertatem virginitatis.*

1. ATQVIN VERE DVO IN CARNE VNA.] Cyprian. de habitu & discipl. Virg. hoc satis inculcat. *In scripturis ferè omnibus ad protoplastum Deus loquitur, quia sunt duo in carne vna*, & qui non?

1. VOLVTANTVR.] In bonam partem postulante hoc sensu. Scio plerumque in malam sumi. S. Maximus Episcop. Taurinens. Homil. de Martyribus: *Atque ideo quotiescunque voluptatibus voluta-* A *mur, crucem Saluatoris amittimus.*

1. IN CONNVBIO DEI PARITER.] Legit Vvouerenius ex Codice scripto, *In conuinio Dei pariter.* Quæ lectio mihi proculdubio arridet; & erit sacra Eucharistia.

2. LIBERE AEGER VISITATVR, &c.] 89. Aliqua opera misericordiæ infercit, & coniungit. Ita etiam sanctus Maxim. Episcop. Taurinensis Homil. de Hospitalitate, misericordiæ opera inter Christum & Ecclesiam recensет: *Quæ domus fidelior Ecclesia? quis hospes dignior Saluatore? iste peregrinos vt filios suscipit, illa susceptos refouet, vt infantes: iste hospitibus, sicut experti sumus, pedes lauare gestit; illa mensam parare festinat: quos enim Saluator viua aqua refrigerat, hos reficit cœlestibus cibis Ecclesia.* Faustus Homil. de muliere illa, quæ misit duo æra in gazophylacium: *Tu dabis eleemosynas, & misericordias, quæ capere præmium* B *possunt; ille reddet, quæ pretium habere non possunt. Fregisti in terra esurienti panem tuum; in cœlo, vitæ pane, qui est Christus, satiaberis. Hic peregrinis domus tua patuit; in domo Dei Angelorum ciuis efficieris. Tu hîc trementia rigore membra vestisti, illic liberaberis ab illo frigore, in quo erit fletus & stridor dentium. de quo dicit Propheta; ante faciem frigoris eius quis subsistit? Vestisti tu hîc (inquam) nudum, tu illic immortalitatis gloria vestieris. Tu hîc consolatus es miseriam inopum, & gemitum pauperum, introduceris in illam consolationem, de qua fugiet dolor & gemitus, de qua absentabit omnis miseria, de qua omnis exulabit angustia; in qua iactata retrò morte, quicquid ante fuerit, vita erit; in qua sicut Auctoris tui perennitas initium non habet, ita tua terminum non habebit.*

2. FVRTIVA SIGNATIO.] Transfert hanc 90. vocem, vt Noster, Iulius Firmicus de errore profanæ religionis: *Quid tu ad immaculatas superstitiones furtiua fraude venerandi transfers nominis dignitatem?*

2. SONANT INTER DVOS PSALMI ET HYMNI.] Dionysius Areopagita vocat psalmorum cantum sanctam modulationem, ἡ τῶν ψαλμῶν ἱερολογία, cap. 3. de Eccles. hierarch. Legimus præterea in Pœnitentiali, Damasum Papam constituisse psalmos die noctéque decantari per omnes Ecclesias. Sanctus Hippolytus oratione de Consummatione mundi, enarrans miserias futuras Antichristi tempore: *In diebus illis psalmorum decantatio cessabit.* Tertullian. de velandis virginib. *Quantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter psalmos, vel in quacunque Dei mentione retectæ perseuerant!* De hymnis verò Chrysostom. Homil. 59. ad Popul. de monachis: *Statim surgentes stant, hymnos cantantes propheticos multa cum vocis consonantia, cum aptè compositis concentibus: neque cithara, neque fistulæ, nec vllum aliud musicum instrumentum talem emittit vocem, qualem audire licet in profunda quiete & solitudine sanctis illis cantantibus.* Videndus Cassianus. Ambros. ad virginem lapsam: *Aures tuas non penetrabat hymnorum spiritualium cantus.*

FINIS LIBRI II. AD VXOREM.

LIBER DE CORONA MILITIS, SIVE LIBER XV.

ARGVMENTVM.

EORTASSE Miles quidam, cùm ſollemnia Cæſaris peragerentur, acceſſit ad Tribunum, qui donatiuum militibus erogabat; lauream Caſtrenſem manu geſtans, quam cæteri capite: interrogatúſque cauſſam, cùm Chriſtianum ſe eſſe reſpondiſſet, in carcerem truditur: hinc itaque occaſionem ſumit diſceptandi variè de Coronis, quæ illo æuo interdictæ Chriſtianis erant.

CAP. I. ARGVMENTVM.

Libri huius occaſio & argumentum.

TERTVLLIANVS.

1. 1. PROXIME facta eſt liberalitas præſtantiſſimorum Imperatorum. Expungebantur in caſtris milites laureati. Adhibetur quidam illic magis Dei Miles, cæteris conſtantior fratribus, qui ſe duobus dominis ſeruire non poſſe præſumſerat, ſolus libero capite, coronamento in manu ocioſo. Vulgata iam & iſta diſciplina Chriſtianorum relucebat.

EXPLICATIO.

2. 1. PROXIME, calente quippe ſucceſſu iſto Militis, ſcripſit hoc opus Tertullianus. *Liberalitas*, donatiuum. *Præſtantiſſimorum Imperatorum*, L. Septimij Seueri patris, & M. Antonini Caracallæ filij. *Expungebantur*, Accipiebant ſinguli milites donatiuum ſuum, tranſeuntes per ordinem, & cùm accipiebant, expungebantur, id eſt, notabantur puncto ſignabantúrque, vt conſtaret quis accepiſſet. vel explica, *expungebantur*, id eſt, delebantur illorum nomina, vt conſtaret. *Magis Dei Miles*, ſcilicet magis quàm laureati alij. *Cæteris conſtantior fratribus*, cæteris Chriſtianis. *Præſumſerat*, priùs ſecum ſtatuerat, & præoccupauerat animo *non poſſe duobus ſe dominis ſeruire*. *Solus libero capite*, non impedito, & vincto laurea illa. & poteſt reſpicere ad ſeruitutem, vt dicat; erat & abſque corona, & verè liber. *Coronamento in manu ocioſo*, inutili & vacante, cùm capiti non aptaretur. *Vulgata iam & iſta diſciplina Chriſtianorum relucebat*. Poteſt eſſe rectus, vt omnes concipiunt: vel vltimus caſus, vt vult Iunius, ita vt dicat, Miles *relucebat* præclaro iſto, & iam tum vulgato *Chriſtianorum* inſtituto.

3. 2. Denique ſinguli deſignare, eludere eminus, infrendere cominus in Noſtrum. Tribuno defertur, & perſona iam ex ordine acceſſerat. Statim Tribunus, Cur, inquit, tam diuerſus habitu? Negauit ille cum cæteris ſibi licere. Cauſſas expoſtulatus, Chriſtianus ſum, reſpondit: ô Militem in Deo glorioſum. Suffragia exinde, & res apud Acta, & reus apud Præfectos.

4. 2. *Denique*, id eſt, itaque, quod locis aliis obſeruaui, & firmaui. *Deſignare*, notabant digito: hiſtorica locutio. Hi qui *deſignabant, eludebant, infrendebant*, erant ipſiſſimi Chriſtiani. *In Noſtrum*, militem. *Tribuno defertur*, accuſatur apud Tribunum, fit ad Tribunum delatio eius criminis. *Et perſona iam ex ordine acceſſerat*, iam perſonaliter *ex ordine* Miles *acceſſerat* donatiuum accepturus: vel, iuxta ordinem & ſtilum iuris *acceſſerat* reſponſurus pro ſe; & redditurus rationem. *Cum cæteris*, Gentilibus. *Cauſſas expoſtulatus*, Græca locutio, & poëtica. id eſt, expoſtulatus de cauſſa. *Suffragia exinde*, res venit in conſultationem, & ſuffragiis decernitur. *Et res apud Acta*, res perſcribitur conſignatúrque litteris in Actis publicis. *Et reus apud Præfectos*, deditur ſtatim, vt reus, Præfectis.

5. 3. Ibidem grauiſsimas penulas poſuit, reuelari auſpicatus, ſpeculatoriam moroſiſſimam pedibus abſoluit, terræ ſanctæ inſiſtere incipiens, gladium nec Dominicæ defenſioni neceſſarium reddidit, laurea & de manu claruit.

6. 3. Renunciauit ſtatim glorioſus Miles militiæ ſeculari, ſéque libentiſſimè exauctorauit. *Grauiſſimas penulas*, ita vocat habitum militarem, milites enim penulati eſſe dicuntur. & *grauiſſimas* ait, cum alluſione fortaſſe ad iugum Domini, quod ſuaue. *Reuelari auſpicatus*, incipiens detegi. *Speculatoriam*, &c. Caligas militares tædij plenas, quibus illigatus erat, abſoluit pedibus, ſéque illis exſoluit. Itaque cùm audis *ſpeculatoriam* ſubaudi caligam, vt apparebit ex teſtimonio Suetonij, quod adducam in Notis. *Terræ ſanctæ*, &c. Alluſum ad caput 3. Exodi. *Gladium nec Dominicæ defenſioni neceſſarium*, Quia ſcilicet Matt. 26. noluit Chriſtus defendi Petri gladio, nec probauit obſequium diſcipuli. *Reddidit*, reſtituit. *Laurea & de manu claruit*. Cum oppoſitione ad ſuperiora. Qui *penulas poſuit*, qui exſuit *ſpeculatoriam* caligam, qui *gladium reddidit*, non indecorus tamen permanſit, certè enim inclaruit illuſtri *laurea*, quia hæc *de manu*, non de capite. Phraſis Tertulliani eſt. pro, in manu.

7. 4. Et nunc ruſſatus ſanguinis ſui ſpe, calceatus de Euangelij paratura, ſuccinctus de acutiore verbo Dei, totus de Apoſtolo armatus, & de martyrij candida, laurea meliùs coronandus, donatiuum Chriſti in carcere exſpectat.

8. 4. *Et nunc ruſſatus ſanguinis ſui ſpe*, præclarè dicit *ſpem ſanguinis*, indicans ſpem martyrij: opponitque hoc membrum *penulis*, quas depoſuit. Pro *grauiſſimis penulis* ſperat ſe habiturum ruſſeam veſtem martyrij. vel explica cum Baronio, hunc Militem cæſum fuſtibus ſtatim fuiſſe, vnde ait *ruſſatum ſpe ſanguinis*. Hæc mihi concinnior videtur ſententia, etiamſi in Notis ſequar filum prioris explicationis. & *nunc*, inquit, (quia tunc Romæ erat Tertullianus.) *Calceatus de Euangelij paratura*, ita reddit illud Pauli ad Epheſ. 6. *Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis*, & hoc membrum opponit *ſpeculatoriæ*, quam ſibi à pedibus ademit. *Succinctus de acutiore verbo Dei*, ſcilicet verbum Dei acutius & penetrabilius *gladio*, quem *reddidit*. *Totus de Apoſtolo armatus*, vt præcepit Paulus 6. Epheſ. *Et de martyrij candida, laurea meliùs coronandus*. id eſt: *Martyrij* faſcia *candida* aut veſte *meliùs* quàm *laurea* viridi *coronandus*. & *coronandus* de futuro, quia illi dedit ſpem ſanguinis. *Donatiuum Chriſti*, id eſt, liberalitatem: nam hac voce vſus ſuprà pro donatiuo. Intelligit verò exſpectari ab illo martyrium, quæ vera liberalitas Chriſti, verum *donatiuum*.

9. 5. Exinde ſententiæ ſuper illo, neſcio an Chriſtianorum: non enim aliæ Ethnicorum, vt de abrupto, & præcipiti, & mori cupido; qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit: ſolus ſcilicet fortis, inter tot fratres commilitones ſolus Chriſtianus. Planè ſupereſt, vt etiam martyria recuſare meditentur, qui prophetias eiuſdem Spiritus ſancti reſpuerunt.

10. 5. *Sententiæ*, non iudicum: nam ſententia iudicum iam lata eſſe intelligitur, cùm dixit exſpectari ab illo martyrium. ſed hîc *ſententiæ* ſunt iudicia Chriſtianorum cenſentium acriter de facto magni huius Militis. *Neſcio an Chriſtianorum*, id eſt, neſcio an ſententiæ, quæ de Milite ferebantur, ſint hominum, qui verè Chriſtiani, non enim aliter de illo loquerentur Ethnici: nam ſcilicet Chriſtiani vocabant illum *abruptum, præcipitem, moriendi cupidum*, quique Chriſtiano *nomini negotium fecerit*, vocans adducénſque in apertum periculum Chriſtianos reliquos. *Inter tot fratres commilitones ſolus Chriſtianus*, quaſi reliqui ſemichriſtiani. *Planè ſupereſt*, &c. ita effrenatè loquebantur de glorioſo hoc Milite, vt poſſes dicere, *meditari* illos & cogitare de *recuſando martyrio*, ſi eius eſſet occaſio. Certè ab illis nihil aliud poſſes ſperare. Notat bene Pamelius pertinere hoc ad errorem Tertulliani, qui ſenſit non fugiendum in perſecutione. Hæc verò opinio docebatur à Montano, quem miſer Tertullianus putauit eſſe Spiritum ſanctum. *Qui prophetias eiuſdem Spiritus ſancti reſpuerunt*. id eſt, directiones, reuelationes, reformationes. *Eiuſdem*, Montani, ſic enim loquitur cap. 1. de Veland. virginib. Ait ſcilicet, qui recuſant martyria, reſpuere reuelationes Montani. Ex hoc loco mihi non dubium, quin librum hunc ſcripſerit Tertullianus poſtquam Montano inhæſerat. Nam cùm ait *eiuſdem*, neceſſariò referendus eſt ad Montanum, à quo illud præceſſit de recuſando martyrio. Aliter vocula *eiuſdem* nullum habet innexum.

11. 6. Muſsitant denique tam bonam & longam ſibi pacem periclitari. Nec dubito quoſdam ſcripturas emigrare, ſarcinas expedire, fugæ accingi de ciuitate in ciuitatem. Nullam enim aliam Euangelij memoriam curant. Noui & paſtores eorum in pace leones; in prælio, ceruos.

12. 6. *Muſsitant*, &c. Obmurmurant Chriſtiani in ſanctum Militem, & queruntur adduci in periculum eius cauſſa *pacem*, qua tunc fruebantur, &c. *Nec dubito quoſdam*, &c. En metus perſecutionis quid faciat. Senſus eſt. *Quoſdam emigrare* iuxta *ſcripturas*. id niſi placeat; accipe verbum *emigrare*, μεταβάτως, id eſt, tranſitiuè & actiuè, vt dicat, *emigrant*, id eſt, conuertunt *ſcripturas* ad rem ſuam. *Nullam enim aliam*, &c. ironicè, & cum ſtomacho. Nulla alia *Euangelij* loca ſciunt, niſi in quibus monentur de fuga & migratione. *Noui*, &c. Quid mirum plebecula rem iſtam agitet, cùm ego nouerim *paſtores*, &c. Notat Epiſcopos, qui fugiebant.

13. 7. Sed de quæſtionibus confeſsionum alibi docebimus. At nunc quatenus illud opponunt, vbi autem prohibemur coronari? Hanc magis localem ſubſtantiam cauſ-

ſæ præſentis aggrediar: vt & qui ex ſollicitudine ignorantiæ quærunt, inſtruantur; & qui in defenſione delicti contendunt, reuincantur (ipſius vel maximè exemplo) Chriſtiani laureati, quibus in ſolatium quæſtio eſt, quaſi aut nullum aut incertum ſaltem haberi poſsit delictum, quod patiatur quæſtionem. Nec nullum autem, nec incertum hinc interim oſtendam.

14. 7. *Sed de quæſtionibus*, &c. Scilicet *de quæſtionibus*, quibus Martyres adigebantur confiteri, an eſſent Chriſtiani. Itaque, *de quæſtionibus*, martyriorum ſcilicet. Iunius non placet. *Alibi docebimus*, certè in Apologetico ſæpe hanc rem inculcat, & ſatis abundè in Scorpiaco. *Quatenus illud opponunt*, id eſt, quoniam illud opponunt. barbarè explicabis, in quantum. *Vbi autem prohibemus*, verba Chriſtianorum quærentium, vbinam prohibeantur coronari? *Hanc magis localem ſubſtantiam*, &c. id eſt, expediam hanc *præſentis cauſſæ ſubſtantiam*, quæ conſiſtit magis in loco vbi prohibeatur, quàm in examinanda prohibitione. Quia ſcilicet certum eſt prohiberi, non certum, vbi prohibeatur. *Vt & qui*, &c. Ratio, cur id velit quærere. *Ipſius*, &c. Militis, qui noluit geſtare coronam. *Quibus in ſolatium quæſtio eſt*, &c. Sententia eſt. Eſt illis *ſolatium* eſſe quæſtionem, de loco ſcripturæ, *vbi prohibeatur corona, quaſi* videlicet *delictum*, *quod* ex aliqua circumſtantia habeat *quæſtionem* aliquam, idcirco *aut* ſit *nullum*, *aut* ſaltem *incertum*. *Nec nullum autem, nec incertum*, &c. Oſtendam interea falſam eſſe hanc prætextus ſpeciem. Certum eſt coronam prohiberi, incertus locus, vbi prohibeatur: non tamen incertitudo hæc faciet, vt delictum nec dici queat *nullum*, nec *incertum*. id ſe oſtenſurum promittit.

NOTÆ.

15. 1. FACTA EST LIBERALITAS.] Reſcribunt, *factum eſt liberalitate*. Alij: *facta liberalitate*. idque ex prioribus editionibus. Nihil moror.

1. LIBERALITAS.] Ita vocat *donatiuum*: nam infrà, vt vides, *donatiuum Chriſti exſpectat*. Suetonius de Auguſto cap. 41. *Liberalitatem omnibus ordinibus per occaſiones frequenter exhibuit*, id eſt, donatiuum. & adhuc de Seuero ipſo, de quo hîc loquitur Tertullianus, liberalitatem dixit Spartianus in eius vita: *Et cùm eos* (milites) *voluiſſet comprimere Seuerus, nec potuiſſet, tamen mitigatos addita liberalitate dimiſit*. Dionyſius lib. 4. φιλανθρωπίαν vocat. Quin Spartianus in vita Adriani, dicit largitionem. Verba eius: *Militibus ob auſpicia imperij duplicem largitionem dedit*.

16. 1. PRÆSTANTISSIMORVM IMPERATORVM.] Chriſtianè ac piè. & quidem hæc verba fundum habent. Nam Gentiles ſæpiſſime ſuorum Principum memoriam cum contumelia aſſumunt; Chriſtiani non ita, imò cum laude & gloria. Pleniſſima ſunt huius rei concilia omnia, & vacanter illa adducam: & quamuis in reliquis ſuppetat hæc ſeges, ſed in vnis Toletanis conciliis ita eſt vberrima, vt ſemper glorioſiſſimè de Principibus.

17. 1. EXPVNGEBANTVR.] Dixi ſæpe de hoc verbo, quod ita tritum Tertulliano, vt iam ferè non egeat obſeruatione. Bene enim Rhenanus monet in hunc locum, præpoſitionem *ex* in hoc verbo, ex vſu huius auctoris, augere ſignificationem, non minuere. Itaque *expungebantur* milites, eſt, ornabantur, afficiebantur, veriùs perficiebantur munere & liberalitate Principis. & ſignificatio ducta ab accepti & dati ratione, quæ expungitur cùm iam perfecta. vnde Hermogenianus lib. 13. *Rationes ſubſcriptæ, & expunctæ*. & Plautus Ciſtellaria, *vt expungatur nomen, ne quid debeam*. vel dici poteſt, *expungebantur*, id eſt, nomina militum delebantur accepto donatiuo, & ad deletionem nominis, illi donabantur. & ſic in idem recidit.

18. 1. FRATRIBVS.] Ita in primitiua Eccleſia vocari Chriſtianos, certum eſt, & firmo alibi. Inde factum (noto hoc obiter) vt *fraternè reprehendere*, ſit reprehendere leniter, id eſt, Chriſtianè. Quæ forma iam indeab antiquiſſima Eccleſia, & Chriſtiana fraternitate, non humana. Concilium enim Conſtantinopolitanum in Trullo can. 8. ἀδελφικῶς ἐπιπλήττειν: A *Fraternè obiurgare*. Certè Chriſtiana fraternitas potior humana. Audi Ambroſium Serm. 9. *Melior eſt fraternitas Chriſti, quàm ſanguinis. Sanguinis enim fraternitas ſimilitudinem tantummodo corporis refert, Chriſti autem fraternitas vnanimitatem cordis animæque demonſtrat*. itaque *fraternè reprehendere*, eſt, inſtar Chriſtianæ legis, non inſtar carnalis fraternitatis. & Theodoritus lib. 1. Hiſt. cap. 21. ἀδελφικὴν φιλοφροσύνην dixit, *fraternam beneuolentiam*, ſignificans Chriſtianam beneuolentiam.

19. 1. QVI SE DVOBVS DOMINIS SERVIRE NON POSSE PRÆSVMSERAT.] In omnibus excuſis ante Pamelium abeſt negatiuncula *non*, quam ſi adimas, erit ſententia. Erat hic Miles ita excelſo animo, vt præſumeret poſſe ſe ſeruire tam B Deo quàm Principi; Deo, ſeruata Chriſtiana diſciplina; Principi, ſeruata militari. inde eſt, vt egregiam operam nauâret in bello, nam hanc debebat ſuo Principi; & coronam ſibi adimeret, nam contra diſciplinam Chriſti. Non video, cur non hic ſenſus commodus ſit, & ita potuiſſet retineri antiquiſſima omnium codicum lectio. Et mihi non dubium, quin ita Tertullianus ſcripſerit. Malè verò ait Rhenanus hoc eſſe contra dictum Dominicum. Non ita eſt, ſed tantùm contra corticem dicti Dominici, & verè ex mente ipſius Domini, qui dixit, Reddenda Cæſaris Cæſari, & Dei Deo: quod verè hic Miles ſe poſſe facere, generosè præſumſerat. Non eſt tamen animus adimere negationem, neque illis aſſentio qui corrigunt, *qui ſe duobus Dominis ſeruire poſſe præſumſerant*, itavt hoc membrum reſpiciat fratres cæteros, non Militem. C

20. 1. DISCIPLINA.] Hæc vox in hoc ſcriptore, in Cypriano, & aliis patribus, adhuc etiam in Gentilibus ſcriptoribus, ſæpiſſime ſumitur pro ea diſciplina, quam ſeueram dicimus, coërcentem, caſtigatricem. Vide Pamelium in Cyprianum lib. de Diſcip. & Habitu virginum, prima ſtatim Nota. Addo ego Baſilium in principio Prouerbiorum: *Diſciplina eſt quædam inductio vtilis, quæ ſæpe cum labore vitiorum maculas purgat. Quæ quidem impræſentiarum non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris; verùm poſtremò fructum ſalutarem, & quietum per ipſam exercitatis reddit*. Poſtea adducit comparationem puerorum, qui metu ferularum flagellorúmque, dictata attentiùs ſuſcipiunt. Dicam & aliquid cap. ſequenti.

21. 1. CORONAMENTO IN MANV OCIO-

so.] In vita Pionij Martyris sanctissimi dicuntur datæ coronæ Martyri & sociis eius, quas illi discerpserunt, & abiecerunt. Vide Epistolam Smyrnensium. Sciendum tamen hanc consuetudinem gestandi coronas mox receptam ab Ecclesia fuisse nullo periculo idololatriæ, vt patet de baptizatis. Seuerus Alexandrinus lib. de Baptismo id apertè sic ait: *Eleuant baptizatos ad altare, eisque dant mysteria, Eucharistiam, & sertis coronat eos sacerdos.* & paulò post, dum baptizatos ad lætitiam exhortatur, inquit: *Fratres mei psallite hymnum filio dominatori omnium, qui Regum corona vos coronauit.* & Nazianzenus orat. 23. *Coronis te deuinciam,* &c. Lege reliqua.

22. 1. RELVCEBAT.] Nam iam tum æuo Tertulliani, Christiani coronas sibi demebant. Ita Apolog. cap. 42. *Non emo capiti coronam.* Sed & ante illud, nam Iustinus Martyr Apologetico ad Antoninum: *Sed neque victimis multis, & florum coronis colimus.* Hæc Pamelius. Minutius: *Sanè quòd caput non coronamus, ignoscite.* Hoc etiam reprehendit in Psychomac. Prudentius, cùm ait pudendum esse ferre

---ferrugineo vernantes flore coronas.

Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. latissimè de hac re, & improbans.

2. DENIQVE.] Firmaui locis aliis hanc particulam sumi in Tert. pro *itaque*, in quo dubitare nemo poterit, qui illum vel à limine salutauerit.

23. 2. TRIBVNO DEFERTVR.] Rhenanus legebat, *murmur tribuno defertur.* Sed ita tamen, vt mutaret præcedentem vocem *cominus* in *continuò*, & adimeret partem illam *in Nostrum.* Itaque integra eius loci lectio est. *Denique singuli designare, eludere, eminus infundere, continuò murmur Tribuno defertur.* Ita etiam habetur in codice Barræi, & in codice Basiliensi Anno 1550. Placuit tamen sequi lectionem codicis Pameliani, quæ hæret in codicibus excusis ante editiones Rhenani, & in M.S. Vaticano, atque etiam in codice Paterniacensi & Hirsaugiensi, quibus fulcris non dubito, veram esse lectionem, quam sequor. & *defertur* explicui accusatur, vt etiam Rhenanus, nam Pamelij explicatio non placet. Ita Sidonius epist. 7. lib. 5. *Deferre personas.* Non morabor partem epistolæ adscribere Paulini, quæ est secunda ad Victricium, in qua casus est fere idem, qui Nostro huic Militi contigit. ait itaque: *Cùm primo Christi amore succensus, ordinante ipso Domino quandam operis sui pompam, per insignem consilio militari diem progressus in campum es, toto illo (quem iam mente respueras) muniminum bellicorum præcinctus ornatu, cunctisque mirantibus accuratissimos in te habitus ac terribiles apparatibus, repentè obstupefacto conuersus exercitu, ante pedes sacrilegi Tribuni militiæ sacramenta permutans, arma sanguinis abiecisti, vt arma pacis indueres, contemnens armari ferro, quia armabaris Christo: & illico antiqui serpentis inuidia, concitato in furias Tribuno, districtus in verbera, & vastis fustibus fractus; nec tamen victus es, quia crucis ligno innitebaris; geminatáque mox corpori pœna acuto testarum fragmine laniata immanibus plagis membra substratus es, tunc molliùs fulciente Christo: cuius tibi gremium lectulus erat, & dextra puluinar.* Mihi visa sunt digna, quæ hîc apponerem, propter historiæ similitudinem. Ipse porrò Victricius est, qui passus hanc carnificinam.

24. 2. ET PERSONA IAM EX ORDINE ACCESSERAT.] Audisti explicationem duplicem, prima est Pamelij, nostra altera, nec video cur non vtraque apta sit. Proponam tertiam Gulielmi Fornerij Comment. ad titul. de verb. signif. cap. 109. vbi ita explicat, *procurator iam ordinarius accesserat.* Ducit explicationem à Cassiodoro, & Festo. Primus, procuratorem seu causidicum vocat *personam*: alter in voce, *Ordinarius*, ait, dici *ordinarium* qui assiduè moratur in litibus. Hæc explicatio aliquid habet acutum, quod tamen non tanti est, vt primis præferam. Accipio enim *personam* pro ipsomet Milite, qui apparuit coram Tribuno; ad eum modum, quo in Concil. Chalcedonensi Act. 3. in litteris, quibus Dioscorus vocatur ad Concilium, vt reddat rationem sui, dicitur ἡ παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Εὐσεβίου, οἷα καὶ τῆς σῆς ὑψυμίας θεοσεβείας, τὸ σὸν ἐπιζητοῦσα πρόσωπον: *Religiosissimi Eusebij Episcopi accusatio, sicut aduersus tuam reuerentiam, tuam quærit personam.* & Sidonius *deferre personas* dixit epist. 7. lib. 5. omnino quod *adesse coram*, quæ formula est ad calcem Concilij Toletani 10. de decreto pro Potamio Episcopo. De lectione est quod moneam. Rescribit quidam, *vt persona iam ex ordine accesserat, statim Tribunus.* Sed non moror.

2. ET RES APVD ACTA.] Vocat *Acta* librum illum, in quo scribuntur causæ illorum, qui traduntur in vincula, vbi successus rei totius. Sic lib. 5. contra Marcionem: *Alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius in Actis refert.* 25.

3. PENVLAS.] Vestis arcendæ pluuiæ, & inde militaris. Caligula ab Suetonio cap. 52. dicitur in bello *indutus penulas.* Idem Nerone cap. 49. *Irrumpenti centurioni, & penula ad vulnus apposita.* Seneca lib. 3. de Benefic. cap. 28. *Quo te penulati isti in militum, & quidem non vulgarem cultum subornati?* & lib. 5. cap. 24. *Quendam ex commilitonibus penulam suam substrauisse,* scilicet Cæsari. vocat verò *grauissimas* à villis, quia penula villosa fuit. Duplicem faciunt hybernam & æstiuam, ideo numero multitudinis *penulas.* Non pugnant contra ea, quæ dixi, verba Codic. Theod. hæc: *Nullus Senatorum habitum sibi vendicet militarem, sed chlamydum terrore depositio, quieta colobiorum ac penularũ induat vestimenta.* Non (inquam) pugnant hæc, & si quæ alia occurrant, quæ videantur penulas excludere à militia: nam varius fuit earum vsus. & quidem Tertullianus aliique, quos adduxi, clarè illas dant militibus.

3. REVELARI.] Aliàs *releuari*, neque displicet: nam consequenter ad *grauissimas.*

3. SPECVLATORIAM.] Verissima lectio, neque audiendus Iunius, qui reponit *spiculatoriam.* Suetonius Calig. cap. 52. *Modò in crepidis vel cothurnis, modò in speculatoria caliga.* Sic enim legendum, non *spiculatoria caliga,* vt malè corrigit idem Iunius. Putauit fortasse, *speculatores* tantùm esse exploratores, & ignorauit esse quoque nomen & genus militiæ, scilicet qui custodes sunt corporis imperatorij, & veluti in specula magnæ vitæ. Clarum hoc ex Suida, qui σπεκουλάτωρας interpretatur τὸν δορυφόρον. & ab Suetonio & Tacito, à quibus *speculatores* semper inter satellites Principum. Sed quæstio ista appellet Lipsium, qui in lib. 1. Histor. Taciti rem hanc latè docet, probátque hoc genus militum dici *speculatores,* idque efficit ab scriptoribus, ab lapidibus, ab nummis. Adiicio Glossarium optimum, vbi *speculator,* δήμιος. Quia scilicet stipatores isti ad publicam principis custodiam. Ergo ab his *speculatoria* caligæ, non *spiculatoria.* Qua in re falsus quoque est Turneb. lib. 24. cap. 41. Adiicio tamen bene ab Interprete Latino Marci 6. scribi, *missо spiculatore,* etiamsi Græcè habeatur, ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα. Quæ tamen Latina vox non ab spiculo, id certè nemo mihi suadebit, sed tantùm ex vicinitate, quæ est inter litteras, e, &, i, vt docet idem Turnebus lib. 27. cap. 20 sed huius rei magna seges in scriptionibus Smetij & Gruteri, vbi millena exempla commutationis vtriusque vocalis in alteram. Porrò lectiones Rhenani, & quæ ille de *spiculis, sloria, loris,* excogitauit, ego hîc nolui, quia puto alieniissima à mente Tertulliani, cùm præsertim se correxerit in secunda editione. 26.

3. MOROSISSIMAM.] Nam qui erant in specula 27.

cula vitæ Principum, & ideo cum hoc calceamento, A speculatum ibant & exploratum, vt scirent quid de Principe diceretur. Sed præcipuè *morosissimam* vocat, vt vult Balduinus libro de Calceo cap. 13. quoniam caligæ clauis erant suffixæ. Ioſephus lib. 7. de Bell. Iudaico : *Calceos habens creberrimis atque acutis, vt cæteri solent milites, clauis fixos, dum strato saxeis crustis solo occurrit, labitur.* Egesippus lib. 5. excidij Hierosolymitani idem narrans cap. 30. ait : *Hic Iulianus dum alios perimit, ipsa alacritate incautior, confixum clauis calceamentum gerens, vsu militarium virorum, non considerans polito lapide solum stratum, sed quasi in campo præliaretur, securus labitur.* & Iuuenal. Sat. vlt. dixit,

--- Millia clauorum.

In his aliisque huiusmodi intelligendum est calceamentum speculatorium. Vides ergo quàm sit res plena tædij & morositatis suffigere tot clauos.

28. 3. PEDIBVS ABSOLVIT.] Hanc ad rem simile Anglorum exemplum adducit Balduinus lib. de Calceo cap. 24. ex Valsingano in Eduardo 2. vbi sic ait: *Andreas hercle transfuga Anglus, antequam suspenderetur degradatus, securi amputatis ei ad talos calcaribus, mox discinctus baltheo militari, & ablatis calceis & chirothecis, mox tractus, & suspensus, & in quatuor partes diuisus.* Aduocátque fulcra quædam moris huius ex Deuteronomio cap. 25. & ex historia Ruth. B

3. TERRÆ SANCTÆ.] Rescribit Iunius *sanctè*, neque est opus.

3. INSISTERE.] Est propriè quod Terentius dixit *resistere*, & Græcè ἐφίστασθαι, sumtúmque ab cursoribus, qui, cùm sunt in medio cursu, illum abrumpũt, ac tum sponsiones faciunt de victoria. Huic opponit Cicero verbum *procedo*, in Orat. cùm ait: *Sæpe accidit, vt aut citiùs insistendum sit, aut longiùs procedendum.*

3. CLARVIT.] Meliùs fortasse *caruit*, & ita in M.S. & quidem consequentius ad superiora. Suspicatur Vvouerenius scriptum fortasse *aruit*, non puto. C Rhenanus hæret an scribat, laurea *ruit*, aut lauream *eruit*, vtrumque displicet.

4. ET NVNC RVSSATVS SANGVINIS SVI SPE, &c.] In libris Pamelij, & aliis vulgo ita legitur: *Et nunc russatus sanguine suo, spe calceatus, de Euangelij paratura succinctus*, &c. Nolui hanc, vt quæ non conformis loco Pauli. & præterea lectio, quam ego sequor, est conformior vestigiis editionis primæ Rhenani. Quid quòd eandem reponit Latinius, & alij. & nescio quî rem clarissimam Pamelius non viderit. Clarissimam dixi, nam qui videat locum Pauli, ibit certissimè in lectionem nostram.

29. 4. RVSSATVS.] Præclarè admodum, nam cum respectu ad penulas, quæ russæ. q d. Voluit russatum martyrium, non russatam penulam. Vidit hoc ante me Philippus Ruben. lib. 2. Elect. cap. 12. Et quidem D penulas fuisse russas, & Rubenius ibi probat, & Lipsius quoque lib. 1. Elect. cap. 25. Prior de penulis accipit illud Trebellij in Claudio *tunicas russatas militares.* Posterior versum Martialis in Apophor. lemmate *Canusinæ ruffæ*, cùm scribit:

Roma magis fuscis vestitur, Gallia ruffis;
Et placet hic pueris militibúsque color.

Ruffis, id est, penulis ruffis, nam Plinius: *Appulæ lanæ breues villo, nec nisi penulis vtiles, circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent.* Sententia est, Canusinam lanam optimam penulis, ruffis videlicet: nam Martialis, *Canusinæ ruffæ.* Inde idem Mart.

Vt Canusinatus nostro Syrus affere sudet.

Id est, ait Lipsius indutus penulas coloris ruffi, aut russei. Fuêre hæc necessaria ad explicationem Tertulliani. Eandem sequitur Salmasius in Notis ad Trebellium. Ex dictis iam poterit placere alicui lectio alia, vt scilicet legatur, non *russatus*, sed *ruffatus*, quam vocem Rhenanus hîc agnoscit in prima sua editione, licèt aliter disponat. nam *russum*, & *ruffum* idem. Quas enim Vopiscus in Aureliano vocauit *tunicas russas*, idem in Probo nominauit *tunicas ruffulas*, & in vtroq; loco sermo est de militibus. Horum enim siue in penulis, siue in tunicis proprius color fuit russatus ruffatúsque.

4. TOTVS DE APOSTOLO ARMATVS.] 31. Armauit iuxta Apostolum sanctus Martialis (vel quis ille) militem Christianum epist. ad Burdegalenses cap. 8. hunc in modum : *Crux enim Domini armatura vestra inuicta contra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens.*

4. ET DE MARTYRII CANDIDA MELIVS, LAVREA CORONANDVS.] Ita volui legi, non vt in vulgatis *coronatus*. Est enim in M.S. ex fide Vvoueren. *coronandus*, quę vox magis consequens ad spem sanguinis. Sed & vox illa *laurea* adimitur à Latinio, & Iunio, & abest etiam in prima editione Rhenani, & in codice Basilicnsi, cuso Anno 1528. Eam tamen ego non ademi, quia video sententiæ non nocere. Sed non est facile explicare, quæ sit *candida martyrij*, cùm præsertim *russatum* dederit Militem. Et quidem Beda serm. 18. de Sanctis, directè opponit coronas candidam & purpuream, cùm scribit: *Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donauit, ipse in pace viuentibus pro iustitiæ meritis dabit candidam.* & Aldhelm. de Virginitate cap. 26. *Rubra Martyrij serta fuso sanguine sortitur.* Duplex solutio. Primo potest accipi de fascia (Græci dicunt διάδημα) quæ albi coloris & regiæ maiestatis insigne: hac ergo coronandus miles meliùs quàm laurea. Deinde de veste, quæ etiam si russata & cruenta, quia martyrij, tamen dealbata sanguine, vt fiat allusio ad caput 7. Apocalyps. vbi stolæ Martyrum dicuntur dealbatæ sanguine agni: hac ergo coronandus Miles, non quia vestis ad coronam, sed quia per vestem signatur martyriũ, quo debebat coronari. Vnde Cyprianus dixit de Lapsis: *Adest militum Christi cohors candida, qui persecutionis vrgentis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt.* & Augustinus lib. 2. de Fide ad Catechum. cap. 6. *In isto sanguine sancti Martyres stolas suas lauerunt, candidas eas fecerunt.*

4. DONATIVVM.] Propriè satis, nam liberalitas Principum erga milites ita dicta κατ' ἐξοχήν. Petrus Damianus de Contemtu sæculi cap. 5. *In talis quippe militiæ arma iuratli, quæ nudos & agiles expetit bellatores; onustos autem atque in Deo segnes à castrorum excubiis arcet, donatiui immunes.* Etenim *donatiuum* stipendium erat, militi non debitum, ex mera liberalitate Principum donatum, & ob quamcumque rem. Hieronymus ob militiam datum ait: sic enim in epist. *Ecce donatiuum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant.* Simocatta lib. 2. cap. 6. ἡ δώρεὰ τὸν τραυματίαν ἐφιλοφρονήσατο, ἡ χρύσεος κόσμος ἀργύρεός τε ἀμα τῆς ψυχῆς ἀπέδοτο τῷ : *Vulneratos donatiuis humaniter est prosecutus, animique non imbellis aureus & argenteus ornatus precium erat.*

5. NESCIO AN CHRISTIANORVM.] 33. Non displicent qui legunt, *Nescio an & Christianorum*, vt sit sententia, De ethnicis omnino constat, de Christianis non planè ausim affirmare.

5. SOLVS CHRISTIANVS. PLANÈ SVPEREST.] Legunt, *Solus Christianus planè. Supereſt*, &c. Non multum curo.

5. QVI PROPHETIAS EIVSDEM SPIRITVS SANCTI RESPVERVNT.] Claret sententia ex verbis eiusdem lib. de Fuga in persecutione cap. 1. vbi: *Procuranda autem examinatio penes*

vos, si fortè Paracletum non recipiendo, deductorem omnis veritatis, meritò adhuc etiam aliis quæstionibus obnoxij estis. Quem locum vide.

34. 6. NEC DVBITO QVOSDAM SCRIPTVRAS EMIGRARE.] Scripsi *quosdam*, secutus omnes editiones & antiquissimas & recentissimas: omnes enim ita legunt, excepto vno Pamelio, qui rescripsit *quasdam*, non aptè, quia nullus aptus sensus. Pamelium secutus est Baronius, sed malè. Tertullianus verò Hellenicè loquitur. Nemo est enim in Græcis mediocriter versatus, qui ignoret, accusatiuum sæpe poni sine vlla præpositione, sed illam subaudiri. Quo præcepto sæpe vsi Latini. Virgilius,

Os humerósque Deo similis.

Ergo hîc subaudi præpositionem *iuxta*, vt dicat, emigrare quosdam iuxta scripturas. Dixi subaudiendam, quia malè aliqui apponunt in textu: hoc enim est auctorem corrumpere, & hoc ipsum rem indicat. Nisi verò me constantissimæ editiones mouerent, irem in correctionem hanc, *Nec dubito quosdam cryptas emigrare.* pro, *in cryptas.* Est enim credibile cùm scriptum esset *cryptas*, amanuensem, cùm vocem non B intellexerit, putauisse esse vocem abbreuiatam pro *scripturas*, vt solet *clici* scribi pro *clerici.* Sed propter constantissimas, vt dicebam, editiones mutare lectionem non ausim. Porrò metabasis Iunij in explicando Tertulliano potest arripi, sed facilius multo est, ad Helleniſmum, quem aperui, recurrere. Possit etiam legi *scripturis* sensu clarissimo.

35. 6. FVGÆ ACCINGI.] Improbat Tertullianus de Fuga in persecut. nec debet. Caussæ, cur fugiendum, videantur apud Gregorium Theolog. orat. 3. vbi loquitur de Mario.

6. IN PACE LEONES, IN PRÆLIO CERVOS.] Adagij forma. Sidonius lib. 5. epist. 7. *Cùm sint in prætorio leones, in castris lepores.* Phædrus in id lusit, *qui re secunda fortis est, dubia fugax.* Liuius lib. 4. *In ocio tumultuosi, in bello segnes.* Ioannes Archiepiscopus Lugdunensis epist. 239. ad Iuonem Carnotensem, *in bello fugaces, in pace audaces.* Sauarus in Sidonium notauit hæc. Et quidem initium Adagij sumtum à Chabriæ apophthegmate, qui dixit, formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quàm leonum duce cerno, vt scribit Plutarc. in Apophthegmate. verba eius, εἰώθει δ' λέγειν (Χαβρίας) ὅτι φοβερώτερον ἔστιν ἐλάφων στρατόπεδον, ἡγουμένου λέοντος, ἢ λεόντων, ἐλάφου. Andreas Hoyus aduocat Synesium, qui, ἐν μὲν εἰρήνῃ θρασεῖς, ἐν δὲ πολέμῳ δειλοί: *in pace audaces, in bello timidi.* Et Hadrianus Iunius Cent. 4. Adag. 67. Aristophanis versiculum, οἴκοι μὲν λέοντες, ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες: *Domi leones, in prælio vulpes.* Et vulpes ait, vt Alciphron in Epistolis Græcis, ἁμάλιστα οἱ μισητοὶ Λακεδαιμόνιοι, ἵνα δοκῶσιν ἀφδρες εἶναι οἱ ἐν Ἐφέσῳ ἀλώπεκες: *In primis, scelerati Lacedæmonij, vt viri viderentur, qui apud Ephesum vulpes fuerunt.* De lectione est quod moneam, nam à nonnullis legitur: *Noui & pastores eorum, in pace leones, in prælio cerui.* Hîc similiter Tertullianus impingit in errorem suum. *In pace* (inquit) *leones*, propter Victorem Papam, vt ait Baronius, qui damnauit hæresim Montanistarum, & eosdem *in prælio ceruos* vocat.

7. LOCALEM.] Ita lib. de Spectac. cap. 20. 36. *Localiter in Scripturis determinari.* Est ergo, tractare *localem substantiam*, tractare, quo ex loco habeatur localiter & substantialiter prohibitio coronarum.

7. IPSIVS VEL MAXIMÈ EXEMPLO.] Omnes includunt verba hæc parenthesi, sed video non esse necessariam.

7. QVIBVS IN SOLATIVM.] Vt Tertullianus, *in solatium delicti*, ita Hieronymus in epitaphio Paulæ, *in solatium delinquendi.*

7. OSTENDAM.] Vereor vt in propria significatione sit, & potiùs sit, intendam & opponam, quemadmodum Turnebus explicat illud Tullij orat. 7. in Verrem: *Sed quædam mihi munifica, & præclara eius defensio ostenditur.* Vide 3. Aduers. cap. 1.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Statuit semper obseruatum à fidelibus, ne gestetur corona.

TERTVLLIANVS.

37. 1. NEMINEM dico fidelium coronam capite nosse aliàs extra tempus tentationis eiusmodi. Omnes ita obseruant à catechumenis vsque ad confessores & martyres. vel negatores viderint, vnde auctoritas moris, de qua cùm maximè quæritur. Porrò cùm quæritur, cur quid obseruetur, obseruari interim constat. Ergo nec nullum, nec incertum videri potest delictum, quod committitur in obseruationem suo iam nomine vindicandam, & satis auctoratam consensus patrocinio.

EXPLICATIO.

38. 1. NEMINEM *dico*, &c. Conclusio, nemo *fidelium* vel fando audiuit licitam esse *coronam.* Sed adhibet exceptionem, *aliàs extra tempus*, &c. id est, nisi *extra tempus.* q.d. In tempore tentationis huiusmodi cùm milites gestabant coronam, cum aspectu claro ad idololatriam, gestari nullo modo potest: sed *extra* hoc *tempus* gestari bene potest. Adhibeo exemplum, vt intelligas. Nemo fidelis ingreditur templum Gentilium, cùm fiunt ibi sacra Gentilica; *extra* id *tempus* potest, si velit, eò diuertere ad negotium aliud, vt ipse Tertullianus statuit lib. de Spectac. cap. 8. Ergo, *tempus tentationis* est, cùm est periculum idololatriæ, extra hoc multa sunt licita. *Omnes ita obseruant*, &c. Adeò est certum, ita fideles sentire, vt *omnes* hoc *obseruent, à Catechumenis*, qui sunt in statu Ecclesiæ imperfectissimo, *vsque ad confessores & martyres*, qui in perfectissimo. *Vel negatores viderint*, &c. Vel dicant nobis, qui negant hunc mo-

rem, qua auctoritate negent. Ergo *viderint*, id est, valeant abeantque. *Cùm maximè*, id est, quàm maximè, vsu frequentissimo Tertulliano. Alibi probo. *Porrò cùm quæritur*, &c. Propositio certissima. *Ergo nec nullum*, &c. Colligit quod intenderat è superiore capite. Itaque cùm perpetua est obseruatio, delictum in illam nec dici quit esse *nullum*, *nec incertum*. est verè tum delictum, tum certum, quia *in obseruationem. Committunt*, peccant. *Suo iam nomine vindicandam.* Si obseruatio est, *suo* se *iam* obseruationis *nomine* vindicat & tuetur. *Auctoratam*, auctenticam, & quæ satis habet auctoritatis, satis vigoris ad obligandum solùm quòd sit obseruatio.

39. 2. Planè, sic tamen vt ratio quærenda sit. Sed salua obseruatione, nec in destruc-
2. Cor. 13. tionem eius, sed in ædificationem potiùs, quo magis obserues cùm fueris etiam de ratione securus. Quale est autem vt tunc quis in quæstionem prouocet obseruationem, cùm ab ea excidit? & tunc requirat vnde habuerit obseruationem, cùm ab ea desiit? quando etsi ideo velit videri ad quæstionem vocare, vt ostendat se non deliquisse in obseruationis destitutione, nihilominus deliquisse eum constet retro in obseruationis præsumtione. Si enim non deliquit hodie susceptа corona, deliquit aliquando recusata. Et ideo non ad eos erit iste tractatus, quibus non competit quæstio; sed ad illos, qui studio discendi, non quæstionem deferunt, sed consultationem.

40. 2. *Planè, sic tamen*, &c. Ego puto prima ista verba esse argumentantis contra Tertullianum, & ita clarissima erit sententia, alioquin difficilis. Argutatori ergo respondet ab illis verbis, *sed salua obseruatione*, &c. Quæ responsio clara est, nam tantùm ait, placere sibi reddi rationem, scilicet vt ea inuenta *ædificetur* obseruatio, non *destruatur*. *Quale est autem*, &c. Mira absurditas velle tunc rationem scire obseruationis, quam iam non obseruas? *Quando etsi ideo*, &c. Acutissima certè ratio, cuius neruus hic est. Ista auiditas, qua prouocas *ad quæstionem*, & vis rationem scire *obseruationis*, inanis est prætextus mi vir, & tantùm vis ad ostentationem videri non delinquere, attamen delictum in te est. Probo. Quia si hodie non delinquis deserens obseruationem, quia non scis rationem: ergo deliquisti *retro* (id est, priùs) cùm ea fuisti in consideratione, vt præsumeres (id est, præriperes, & antecaperes) obseruationem, cuius rationem nesciebas. Inde sequitur, *si enim non deliquit hodie susceptа* impositáque capiti *corona*, ergo *deliquit aliquando recusata*, quia scilicet recusans occupabat nimis præsumtuosè nouam obseruationem carens coronamento. *Et ideo non ad eos erit iste tractatus*, &c. Clarum hoc.

41. 3. Nam & semper quæritur de isto. & laudo fidem, quæ antè credit obseruan-
Isa. 7. dum esse, quàm didicit. Et facile est statim exigere, vbi scriptum sit, ne coronemur. At enim vbi scriptum est, vt coronemur? Expostulantes enim scripturæ patrocinium in parte diuersa, præiudicant suæ quoque parti scripturæ patrocinium adesse debere. Nam si ideo dicetur coronari licere, quia non prohibeat scriptura: æquè retorquebitur, ideo coronari non licere, quia scriptura non iubeat. Quid faciet disciplina? vtrunque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit? An vtrunque reiiciet, quasi neutrum præceptum sit? Sed quod non prohibetur, vltro permissum est. Imò prohibetur, quod non vltro est permissum.

42. 3. *Nam semper quæritur de isto*, refero ad studium discendi, vt dicat, ex discendi studio semper oriuntur quæstiones. Sed phrasi sua ait *de isto*, pro, *ex isto*. *Et laudo fidem*, &c. Egregia sententia, quam ita annecte. Agitabo quæstionem de loco, quo constet licitam non esse coronam, idque propter studium volentium discere, sed ego tamen laudo fidem, quæ non eget hac quæstione: nam *antè quàm didicit* causam obseruationis, *credit* obseruationi. *Et facile est statim*, &c. Puto hæc verba esse argumentatoris, non Tertulliani, vt dicat: Ais Tertulliane credendum antequam discamus rationem, ego verò contra dico *facile* esse & dignum venia, si quis in ipso *statim* fidei aditu rationem quærat obseruationis, velitque scire, *vbi scriptum sit, ne coronemur*. *At enim*, &c. Respondet retorquens, & sententia est satis clara. *Quid faciet disciplina?* id est, quid ergo facient morigeri, &, sic dicam, disciplinati Christiani? *Sed quod non prohibetur*, &c. Hæc quoque verba argutatoris sunt, cui respondet Tertullianus, *imò prohibetur*, &c. Vides, vt aliquoties in hoc capite posuerim has argumentantis & respondentis vices. Certè non intellexêre hoc caput, qui id non fecerunt, vt liquidum ex reciprocante serra, quæ est initio sequentis capitis.

NOTÆ.

43. 1. CORONAM CAPITE NOSSE.] In M. S. est, *capiti*, fortasse vsu antiquo, quo ablatiuos in (e) desinebant in (i.) sic & hodie *ruri* & *vesperi*, pro, rure & vespere. & Plautus sæpissime *Carthagini*, pro, Carthagine. & Concilium Constant. in Trullo can. 36. *Chalcedoni*, pro, Chalcedone, credo quia in Græco est, ἐν Χαλκηδόνι. & adhuc *capiti*, pro, capite dixit 6. Ecloga Virgilius: idem alibi,

---Capiti tremit ærea cassis.

4. CATECHVMENIS.] *Catechumeni* dicuntur A nondum initiati, sed qui adhuc imbuuntur elementis religionis, nondum ad sacra spectanda introducti, idque κατήχησις appellatur. Sic *Catechumeni* ante Baptismum dicuntur. Inde Budæus pro anno probationis aut nouiciati accepit in epist. ad Germanum Brixium: *Ego enim, si fortè nescis, hîc annuam Catechesim, tanquam in vestibulo philosophiæ facio.*

44. 1. VSQVE AD CONFESSORES ET MARTYRES. VEL NEGATORES VIDERINT.] In omnibus libris, qui circumferuntur, alia est interpunctio, videlicet, *vsque ad confessores & martyres, vel negatores. Viderint*, &c. Cuius lectionis sententia posita in oppositione, quæ est inter eos, qui constantes sunt in tormentis, aut qui metu illorum negant.

1. SVO IAM NOMINE VINDICANDAM.] Rescribunt, *suo nomini vindicandam.* Sed præfero vulgarem.

1. AVCTORATAM.] Hîc proculdubio in bonam partem sumitur, aliàs in malam, vt cùm Seneca in Apocolocyntosi scripsit: *& proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet.* Hîc enim nouos auctoratos dicit, qui nuper mercede conducti sunt, vt depugnent, qui pro auspicio ferulis vapulabant, & alij gladiatores per ludibrium ferulis eos cædebant. Hinc illud Martialis habes in Præfat. lib. 2. *Denique videas an te delectet contra retiarium ferula.*

45. 2. PLANÈ, SIC TAMEN VT RATIO, &c.] Particulam *planè* coniungit Iunius cum superiore, vt dicat, *auctoratam consensus patrocinio planè. Sic tamen*, &c. Nihil moror, vt etiam dicam sequenti capite. Attribui verò in Explicatione verba hæc arguatori, quia ita melius. Si verò sequaris editionem primam Rhenani hanc, *planè, vt ratio quærenda sit*, &c. attribui posset Tertulliano, itavt ille loqueretur continuato filo.

2. OBSERVATIONE.] Obseruationem hoc sensu παρατήρησιν sæpe vocat Ioannes Chrysostomus. Voce ipsa Latina ad signandam formam traditionis vtuntur sepe patres, vt cùm Ambros. de Obitu Theodosij Imperatoris dixit, *vtraque obseruatio habet auctoritatem.*

2. NEC IN DESTRVCTIONEM EIVS, SED IN ÆDIFICATIONEM.] Verba sunt Pauli 2. Corinth. 13.

46. 2. CONSVLTATIONEM.] Notanda verba; non enim ille censendus est malè de fidei rebus sentire, qui, dum res adhuc definita non est, dubitat: quæ dubitatio angit illum ad rem sollicitè consultandam explorandámque. Apertè Cyprian. Epist. 52. *Quod quidem si pro sollicitudine fidei, & rei dubiæ veritatem sollicitus exploras, reprehendenda non est in timore diuino æstuantis animi sollicitudo suspensa.* Quem ad locum Pamelius Augustinum coniungit, qui epist. 168. inter hæreticos non esse deputandos dicit, qui aut ab hæreticis seducti, aut à parentibus in errorem lapsis acceptam sententiam, nulla pertinaci animositate defendunt; quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint. Probè ergo ait Tertullianus, tractatum istum esse ad eos tantùm, qui studio discendi consultant, an licitè possint coronam Gentilium gestare: non ad eos, qui cùm nondum certi sunt, exciderunt tamen ab obseruatione fidelium. & hoc est quod dixit Athanas. Apolog. aduersus Gentes, πρέπειν δέ σοι ἡγοῦμαι, φιλοχρίστῳ ὄντι, τὰ περὶ Χριστοῦ διαλέγεσθαι: *Æquum censeo tecum disputare de Christi rebus, qui studiosus es Christi.*

B 3. ET LAVDO FIDEM, &c.] In vno codice 47.
Basilien si est lectio hæc: *Et laudo fidem quæ antecedit. Obseruandum esse quam didicit.* Non moror. Notat verò Pamelius verba Tertulliani respicere Isaïam. vide illum.

3. QVID FACIET DISCIPLINA.] Turrianus verba Tertulliani notat ad suam rem, nimirum vt probet haberi ex traditione, licere radi caput clericis, quia nulla est scriptura, quæ probet, licere non radi: sicuti nulla est scriptura, quæ iubeat non coronari, neque ideo licere coronari. Habentur hæc lib. 5. in canonibus Apost. cap. 19.

3. DISCIPLINA.] Hæc vox semper de seuera 48.
institutione, quod alibi. & nunc habeo ante oculos Ægilum, qui in vita sancti Sturmionis: *Sanctæ conuersationis disciplinam indefessa & incessabili perseuerantia fratres ibi Domino seruientes tenuerunt.* & Bedam, qui
C serm. 18. de Sanctis, *in disciplinæ seueritate censuram.* & Aldhelmum, qui cap. 2. de Virg. *Monasticæ conuersationis disciplina.* Notetur vox Ioannis Cassiani, qui sæpissime pro disciplina vsurpat *districtionem*, vt cùm ait collat. 11. cap. 4. de Chæremone Abbate: *Nequaquam censuram præteritæ districtionis amiserat.* id est, seueritatis, disciplinæ. & collat. 12. *Continentiæ districtionem.*

3. SED QVOD NON PROHIBETVR.] Verbum iuris, vbi *prohibere* est auertere, & impedire, ne quid fiat, vnde *prohibitoria edicta* Prætorum.

CAP. III. ARGVMENTVM.

Traditiones non scriptæ recipi debent.

TERTVLLIANVS.

49. 1. ET quamdiu per hanc lineam ferram reciprocabimus, habentes conuersationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum priùs non est?

EXPLICATIO.

1. LINEAM. *Linea* in longum ducitur, qua sectores agunt ferram. Cum aspectu ergo ad hanc, vocat *lineam*, alternam argumentandi & respondendi rationem, quam vidisti in superiore capite. Aitque non toties reciprocandam *ferram* per eandem *lineam*, id est, non toties trahendam vnam eandém-

que operam argumentando & respondendo, cùm Christiani habeant *inueteratam* obseruationem, quæ *præueniendo* anteuertendóque & præoccupando omnem obseruationem *statum fecit*, quia scilicet iam non dici debet quæstio, sed *status*, in quo causſa tota consistit, vt loquuntur Rhetores. & hoc ipsum dicitur cum respectu quoque ad *ferram*, quæ post multam reciprocationem, tandem stat finita sectione. *Hanc si nulla scriptura*, &c. Cùm hoc *nulla scriptura* sit determinatum, tamen certissimè corroboratum est *consuetudine*, quæ necessariò fluxit à *traditione*. Probat. Quia nulla consuetudo potest *vsurpari*, nisi *priùs* sit *tradita*.

50. 2. Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus an & traditio non scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.

2. *Etiam in traditionis*, &c. Dices, *in obtentu traditionis*, id est, vt obtineatur traditio, etiam exigi auctoritatem alicuius scripturæ sacræ. *Ergo quæramus*, &c. Sententia est: Vis ergo vt quæstio sit, an non debeat recipi traditio illa, quæ non ex aliqua scriptura? *Planè negabimus*, &c. Respondet quæstioni positæ hunc in modum. *Negabimus omnes recipiendam*, id est, affirmabimus planè non recipiendam, si nullæ aliæ sint obseruationes, quæ abierint in consuetudinem, *traditionis* tantùm *titulo*, & nulla scriptura: atqui sunt multæ aliæ hoc modo iam receptæ traditiones, quæ præiudicio quodam seruiunt causſæ nostræ: ergo hanc quoque *recipiendam non negabimus*. Dicit hoc, quia verissimè traditiones multæ in Ecclesia, quæ non constant scripto aliquo, sed viua voce tradebantur, imò hoc propriè erat κατηχεῖν, vnde dicti *catechumeni*.

51. 3. Denique vt à baptismate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed & aliquanto priùs in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, ampliùs aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque eà die, lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.

3. Texit itaque longum catalogum multarum traditionum, quæ habitæ in Ecclesia nullo instrumento scripturæ: vnde erit liquidum traditionem de non recipienda corona pari virtute pollere, etiamsi careat omni scripturæ fulcro. Incipit autem à traditionibus baptismalibus, quas hoc tractu incluſi, de quibus hîc nihil, cùm pendeant à Notis.

52. 4. Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino; etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

4. Pergit ad alias traditiones, quæ habentur nullo litterarum instrumento, & tamen abierunt in obseruationem, & vindicantur consuetudinis patrocinio. Numerat ergo traditiones quasdam Eucharistię, oblationum, ieiuniorum, orationum, calicis & panis, demum Crucis: quæ omnia Notis aut explicanda, aut illustranda.

NOTÆ.

53. 1. LINEAM.] Formatam ex rubrica, aut alia quauis materia. *Lineam* vocat Ioānes Cassianus collat. 23. cap. 9. funambuli. Ait enim: *Quasi per extentas in sublime lineas suspenso feruntur incessu.* De alba linea vide Hadrian. Iunium Cent. 4. Adag 19. & eundem Cent. 6. Adag. 75. quo loci loca quædam Tertulliani aperit aduersus Hermogenem, & Marcionem. Intelligit autem Tertullianus fabrilem lineam, quæ γάθων dicitur; non mathematicam, quæ dicitur γραμμη.

1. SERRAM RECIPROCABIMVS.] Innuit parœmia laborem inutilem eorum, qui in eodem argumēto immodici sunt. Tales illæ: *eadem semper chorda oberrare*, & *eandem incudem semper tundere*. Vide Andream Hoyum in formulis Tertullianicis. verbo *reciprocare* ait Festus *vsos* antiquos pro vltro citroque poscere, nam illis *proco* erat peto, vnde nunc *proci*, id est, petitores nuptiarum. Athanasius Apolog. aduersus Gent. hoc idem vocat μανίας ἀναπόστατα, vt quod sibi sæpe aduersetur. Quod Noster cum magna energia *ferram reciprocare*, Varro de Re rustica lib. 3. *Serram ducere*. Vide Notam *vocare* in lib. Nonij.

1. STATVM FECIT.] Ita, obseruatore Pamelio, & Quintilianus, *statum facere*.

2. TRADITIO NON SCRIPTA.] Vide Pamelium Nota 1. ad hoc caput.

2. PLANÈ NEGABIMVS.] Exemplum hoc, & similia validè pugnant contra Iunium, qui multis in locis Tertulliani diuellit particulam planè ab initiis periodorum, & facit finem præcedentis clausulæ. Etenim eius ductum si sequamur, hîc quoque legi 54.

posset, *recipi planè. Negabimus*, &c. Nam & similiter facit Iunius superiore capite, & debuisset hîc quoque facere, vt constaret sibi. Sed certè neque ibi, neque hîc, & nullibi fortasse oportet transfugam facere hanc voculam. A

2. INSTRVMENTO.] Vox hæc iam vsu Patrum pro sacris Bibliis. Cassian. collat. 10. cap. 9. *Hic versiculus non immeritò de toto scripturarum exceptus est instrumento.* & in præfatione librorum de vita Monastica: *Veteris instrumenti narrat historia.* Græci ὄργανον, & σκεῦος. Vt enim scriptoris instrumentum est penna, pictoris penicillus, ferra fabri, arma militis; ita & hominibus scriptura sacra. Quid quòd ea instruimur? vnde Dauid, *viam iustificationum tuarum instrue me.* & Paulus 2. Tim. 3. *Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Quibus Paulus vim vocis *instrumenti* videtur explicare.

3. DENIQVE.] Explica, *itaque*, vt sæpe visum.

3. A BAPTISMATE INGREDIAR.] *Ingredi* verbum est baptismi, vt *ingredi aquam*, vnde illi verbum accommodauit. Idem de baptismo cap. 19. *Ingressuros baptismum, orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & perunigiliis orare oportet.* B

55. 3. SVB ANTISTITIS MANV.] Hæc pars claret ab Dionys. Areopag. lib de Eccl. Hierarch. cap. 2. vbi antistes (ἱεράρχης dicitur à Dionysio) erga abluendum salutis lauacro ritus quosdam peragebat, nam manum capiti eius admouebat, & ita iubebat τὰ τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι, *profiteri verba abrenuntiationis.* Vides fieri abrenuntiationem sub manu hierarchæ. Neque ociosè præmissum à Tertulliano, *in Ecclesia*, nam hæc renuntiatio non fiebat in loco ablutionis, sed in Ecclesia (ἱερὸν χῶρον nominat Dionysius) inde ibatur ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας, *ad matrem adoptionis* (sic enim nominat baptisterium) vbi fiebat ablutio. Doctè ergo Tertull. ait, renuntiationem fieri *aliquanto priùs*, & *in Ecclesia*, & *sub antistitis manu*, omnia signatè. C

3. AQVAM ADITVRI.] Verbum *adeo* pertinet ad sacra, & ideò consulto ab Nostro illatum. Cicero 2. de Legib. *Ad diuos adeunto castè.* De Natura Deor. lib. 1. *Vt essent simulacra, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent.* Virg. 4. Æneid.

Principio delubra adeunt,

Et Augustinus signatiùs ad rem Baptismi lib. de Ecclesiast. Dogmatib. cap. 31. *Non priùs fontem vitæ adeant, quàm*, &c. Adi lib. 2. ad Vxorem cap. 5. vbi integrum posui Augustinum.

56. 3. RENVNTIARE DIABOLO.] Adducam hîc locum Chrysostomi ex Homilia 21. ad Pop. non vt necessarium ad Tertullianum, sed ad pietatem. Cur enim non ista interdum venia? Ait ergo: *Sicut sine calceamentis aut vestimentis vestrûm nemo in forum descendere eligeret: ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cùm ianuæ vestigium transgressurus, hoc priùs verbum loquere,* ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου, καὶ τῇ λατρείᾳ σου, καὶ συντάσσομαί σοι Χριστέ, *abrenuntio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo, & coniungor tibi Christe. Nec vnquam absque hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis.* Ter autem fieri huiusmodi abrenuntiationem notauit Vasquius quæst. 71. Art. 4. de Baptismo, idque ex patribus. & Stephanus Durantus lib. 1. de Ritibus Ecclesiæ cap. 19. vnde verba illa Constantini Imperatoris in edicto ad Sylvest. Papam, mihi videntur ter repetita, etiamsi non dicet. Verba sunt hæc de seipso: *Per manus impositionem clericorum vsque ad ipsum præsulem veni, ibique renuntians Satanæ, pompis, & operibus eius, & vniuersis idolis manufactis, credere me in Deum patrem spontanea voluntate coram omni populo professus sum.* D

3. TER MERGIT AMVR.] Hæc traditio hodie apud Græcos perpetua est, apud Latinos fermè desita; nam plerunque vna mersione contenti sunt. Magna huius mentio apud patres Græcos, nec modica apud Latinos. Dionysius loco adducto, τρὶς ὑφ' αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει. Basilius de Spiritu sancto ad Amphiloch. τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι πόθεν; Meminit & Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. 62. & Hieronym. aduersum Luciferianos, & Leo epist. ad Episcopos per Siciliam constitutos, Bernardus serm. de Cœna Domini, Rabanus Maurus lib. 1. de institut. Cleric. cap. 28. Horum omnium verba latissimè adducit Brissonius tractatu de die Dominico, quem vide. Adeò hoc olim sollemne, vt canone 49. Apostolor. iubeatur deponi Episcopus aut Presbyter, qui non ter mersitauerit. Vide Brisson. laudato loco. Posset etiam aduocare Concilium Toletanum quartum cap. 5. & Theodoritum lib. 4. Hæreticarum fabularum, vbi ait: *Non oportere ter mergere eum, qui baptizatur*, quæ verba tribuit Eunomio. & addo Vasquium Nostrum. & latissimè Durantum lib. 1. de Ritibus Ecclesiæ cap. 19. & Theodorum Balsamonem, cuius ego, præter citatos auctores, verba adducam in verba Apostolica: *Statuit hic canon per tres immersiones peragi oportere mysterium sacri baptismatis, scilicet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Semel autem baptizare propter vnitatem Deitatis, & Trinitatem personarum. Eum quidem certè qui per vnam immersionem in mortem Domini baptizat, canon dicit deponendum, vt qui præter Domini doctrinam faciat, & apertè impius sit.* 57.

3. AMPLIVS ALIQVID RESPONDENTES, &c.] Videatur Manuale Romanum.

3. SVSCEPTI.] Vt infantes dicuntur *suscipi*, & *tolli* à parentibus; ita *baptizati*, quia renascuntur. Ad hunc modum Ægilus in vita S. Sturmionis, vbi puer Sturmio dicitur *susceptus ab Episcopo precatu parentum*, scilicet regenerandus in virtute. Hi autem vt paruuli alendi sunt lacte & melle. Itaque non dubito, quin vox *susceptorum* trahatur ab ægrotis, quos medicus curandos suscepit. Ambros. serm. 27. *Si medicum animarum nostrarum fideliter exoremus, & præcepta eius tanquam susceptii idonei minimè dispernamus.* Cassianus lib. 10. cap. 14. *Itaque fomiti vitiorum tantorum congruam nunc emendationem conferre festinat, & illa Apostolica, qua vsus fuerat paulò ante, depositi potestate, iterum ad viscera pij patris, vel clementis reuertitur medici, & velut filiis susceptisque suis consilio salubri infert remedia sanitatis.* & Tertullianus aduersum Valentinianos: *Hîc opinor ille susceptam confirmat, & omnibus iniuriis passionis expumicat.* Ad rem verò, quam hîc attingit, pertinet locus Ambrosij ex serm. 93. *In tantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, in quantum fuerit fides deuota suscepti.* Notat autem Vasquius Noster quæst. 67. artic. 7. de Baptismo, videri Tertullianum hoc loco *susceptores* vocasse, quos in lib. de Baptismo cap. 18. vocat *sponsores*. Sunt autem *sponsores*, homines quibus baptizati committuntur. Idem notat Stephan. Durantus lib. 1. de Ritibus Ecclesiæ cap. 19. qui ait præterea dici *fidei iussores* ab Augustino sermone 116. & 163. & 215. & ab eodem *fidei doctores* epist. 23. ad Bonifacium. & quamuis Danesius crederet dici *fidei datores*, reuera *fidei doctores* dicuntur, nam tenentur suo tempore baptizatos symbolum Christianámq; doctrinam docere. Hi ergo, quibus suscepti committebantur, *susceptores* dicebantur, Græcè ἀνάδοχοι. Augustinus de Rectitudine Catholicæ Conuers. *Quos ex baptismo suscepistis, docete & castigate.* In Synodo Moguntina can. 47. dicuntur *compatres spirituales*, quasi simul patres sint ad docendos susceptos. Nunc vulgus appellat *padrinos*, de quibus longissimam mentionem subtexit Conciliorum, & Patium. De 58.

illis Smaragdus ita loquitur in epist. de Sabbatho Pentecostes: *Paruuli quamuis nec dum loqui possunt, tamen pro illis & confitentur, & loquuntur, qui eos de lauacro fontis suscipiunt, nec immeritò dignum est, vt qui aliorum peccatis obnoxij sunt, aliorum etiam confessione per ministerium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.* Vide Iosephum Vicecomitem lib. 1. de Baptismo cap. 35. vbi affatim de munere susceptorum loquitur, & affatim de nominibus: integrum illud caput tibi reseruo, nulla re inde libata.

59. 3. LACTIS ET MELLIS CONCORDIAM PRÆGVSTAMVS.] Huius consuetudinis, quæ iam desiit, meminit & Hieronymus aduersus Luciferianos. Et quidem morem hunc antiquum Ecclesiæ satis indicat introitus Missæ feria 2. Paschæ. *Introduxit* (inquit) *vos Dominus in terram fluentem lac & mel.* Fiebat ista gustatio in infantiæ significationem: lac enim infirmitatem notat, vt ait Hilarius can. 25. in Matthæum. Ad quam signandam etiam Dahi mel potest, cùm hoc quoque infantibus detur. Nazianzenus orat. 1. ait, per *lac* significari, ἁπλούστερα καὶ στοιχειώδεστερα τῶν δογμάτων, *simpliciores & elementales doctrinas*, quæ significatio recèns baptizatis conuenit, vt pueris, qui (ait idem) πρὸς ἀδρειαν τὸν λόγον προφέρουσι: *non virilem sermonis cibum ferunt.* Inde Cassianus ad significandam disciplinam primò incipientem à lacte exemplum aduocat collat. 10. cap. 7. *Cuiuslibet* (inquit) *artis seu disciplinæ perfectio necesse est vt à quibusdam mollibus incipiens rudimentis, facilioribus primò ac teneris initiis imbuatur, vt quodam rationabili lacte nutrita paulatim, educatáque succrescat.* Et Theodoritus lib. 3. Hist. cap. 2. loquens de Iuliano, qui mox Apostata, πρὸς τῆς εὐσεβοῦς διδασκαλίας εἵλκε φιλῶ: *Suxit mammam piæ doctrinæ.* Mellis quoque significatio non dubium, quin illis conueniat, non solùm quia hoc dari solet infantibus, sed quia habet καθαρτικὸν, vt loquitur Dionysius Areopag. in epist. ad Titum, id est, *virtutem purgandi.* Et quidem à vitiis purgantur, qui renascuntur baptismo. Pachomius sequenti nocte à baptismo susceptо, visus est somnium vidisse, rorem scilicet è cœlo descendentem suam repleisse dexteram, *qui mox in mellis pinguedinem creuit.* Clemens Alexan. lib. 1. Pædag. cap. 6. *In qua* (Hierusalem) *lac & mel pluere scriptum est.* In vita Sanctæ Susannæ à Notariis

60. Romanæ Ecclesiæ conscripta: *Et lac & mel & fontem, participauitque cum omnibus mysterium Dei.* Aponius lib. 1. Cant. *Quem cibum Ecclesia in baptismatis suscipit sacramento, liquorem scilicet baptismatis candidissimum, suauémque succum corporis Christi, & pinguissimum butyrum.* Et Auctor ordinis Romani, cùm de Sabbatho Paschæ scribit: *Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui est Spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle.* Patres Concilij Carthaginiensis Tertij, quibus propositum erat Ecclesiæ ritus fulcire, sic asserunt cap. 24. *Primitiæ verò seu lac & mel, quod vno die sollemnissimo pro infantum mysterio solet offerri, quamuis in altari offeratur,* &c. Ioannes Chrysost. Homilia, Quòd Christus sit Deus: *Butyrum & mel comedit, mos enim est, vt his cibis peculiariter pascantur pueri, mox vt nati fuerint.* Inuenio & historiam, quæ rei Tertullianicæ seruit, eámque lib. 1. Sancti Ludgeri cap. 2. Huius mater Liafburga, cùm infantula iussa esset interfici, & ferretur à mancipio mergenda in fluuium, superueniens fortasse mulier illam eripuit, *ac parum fecit gustare mellis: nam semel gustantes aliquid infantes, apud paganos necari illicitum erat.* Hinc elice morem non contemnendum ad rem Tertullianí, scilicet ante omnes cibos dari solitum mel infantibus. Inde ergo idem Tertullianus lib. 1. aduers. Marcionem cap. 14. *Sed ille quidem vsque nunc nec aquam reprobauit creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos vnguit; nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat.* Hic idem mos astrui potest ex can. 57. Synodi Trullanæ, vbi statuitur, ὅτι οὐ χρὴ ἐν ταῖς θυσιαστηρίοις μέλι καὶ γάλα προσφέρεσθαι, *quòd non oportet altaribus mel & lac adferre.* Roges, vnde astruatur? quia credibile est Christianos hoc solitos facere in memoriam lactis & mellis dati in baptismo. Sed adduco verba Hieronymi promissa aduersus Luciferianos: *Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis seruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt, velut in lauacro per caput mergitare, deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.* Quæ verba scripta sunt cum stylo Tertulliani. Et de vita Agnetis scripsit Ambrosius serm. 90. *Lac & mel ex ore eius suscepi.* Si quis originem, intelligo ortam ex illo Exodi 3. *Educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle.* Vide Delrium in Adagiali 61. vnde nihil libaui, integrum tibi reseruans. Cùm addit, *concordiam prægustamus*, intellige lac & mel mistum. idem *societatem* dixit lactis & mellis, & Romanus ordo *coniunctum* nominat, quo intelligit coniunctionem lactis & mellis. Morem alium adducit Hieronymus huic vicinum, quo dabatur infantibus lac & vinum: sic enim ait in Isaiæ cap. 55. *Qui mos ac typus in Occidentis ecclesiis hodie vsque seruatur, vt renatis in Christo vinum lácque tribuatur.* Non est animus firmare hunc morem, cùm illud Tertullianus non attingat.

61. 3. LAVACRO QVOTIDIANO PER TOTAM HEBDOMADAM ABSTINEMVS.] Caussam consuetudinis huius (quæ iam desita) aperit fortasse Augustinus serm. 3. in die Dominica Palmar. vbi monet baptizatis abstinendum à voluptatibus non modico post baptismum tempore. Dubitabam, an hoc Tertulliani lauacrum capiendum sit, non de balneis, nam hæc non quotidiana; sed de lotione manuum & faciei, quæ fit quotidie, ita vt in primitiua Ecclesia baptizati ea hebdomada, qua regenerabantur, ab omni lauacro abstinerent. Et quis obsecro refellere poterit hanc coniecturam more iam diu desito, & cuius exigua mentio? Dubitabam etiam, an hic mos fulcrum habuerit à verbis Christi ad Petrum, *qui lotus est, non indiget,* &c.

62. 4. EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM, &c.] Scis, Lector, Eucharistiæ Sacramentum institutum à Christo sub cœnam. Hanc hîc vocat Tertullianus *tempus victus.* Scis deinde, mandatum à Christo omnibus, *accipite & comedite.* Ait ergo. Sacramentum Eucharistiæ institutum est sub cœnam, & cùm Christus non dixerit quando sumendum, tamen ex traditione sumimus ieiuni, & antelucanis cœtibus. Deinde, mandatum est à Christo omnibus vt acciperent, tamen à quibus ministris sumendum non explicuit, nos verò ex mera traditione, solùm sumimus de manu præsidentium, id est, presbyterorum. Notabis hîc obiter Eucharistiæ Sacramentum in primitiua Ecclesia ante æuum Tertulliani distribui solitum non solùm ab Episcopis & presbyteris, sed etiam à Diaconis; quod clarè docet Iustinus Martyr, qui ante æuum Tertulliani. Verba eius Apolog. 2. εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι δίδασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος: *Præsidens postquam gratiarum actionem perfecit, & populus vniuersus apprecatione læta eam comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt vnicuique præsentium, vt participent eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam.* Etenim Diaconi olim ita in magno honore erant, vt ipsi etiam præsumerent meliorem locum in Ecclesiis quàm Presbyteri. Ideo Diaconos reprehendit Trullense Concilium can. 7. & fortasse hæc superbia nata ex pari potestate cum presbyteris in distribuenda fidelibus Eucharistia. Porrò in explicatio- 63.

ne Iunij, si altiùs expendatur, aliquid latet non sanum, & satis est hoc monuisse. Libet hîc aliquid de præstantissimo Eucharistiæ sacramento dicere. Iulius Firmicus de errore profanæ religionis cap. 19. ita ait: *Alius est cibus, qui salutem largitur & vitam; alius est cibus, qui hominem summè Deo & commendat, & reddit; alius est cibus, qui languentes releuat, errantes reuocat, lapsos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia. Christi panem, Christi poculum quære, vt terrena fragilitate contemta, substantia hominis immortali pabulo saginetur.* Fulbertus Carnotens. Episcop. epist. 1. *Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem vitæ, interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta, inquam, cœlestis ferculi suauitatem, sed ne nauseas terreni germinis saporem.* Nicetas Dauid in vita Ignatij Archiepiscopi Constantinopolitani: ἐωρᾶτο γὰρ ὁ θεῖος ἄρτος ὅλος ἀλλοιωθεὶς, ὅλος ὥσπερ αὖ- B θρακὶ οὐρανίου χάριτος ἀποστίλβων τὸ οὐρανίου πυρός: *Videbatur enim panis diuinus penitus immutatus, totúsque velut cœlestis carbo gratiæ radios spargebat à cœlesti flamma.* Eusebius Gallicanus Episcop. homilia 5. de Pascha: *Verè vnica & perfecta hostia, fide æstimanda non specie; neque exterioris censenda visu, sed interioris affectu. Vnde meritò cœlestis confirmat auctoritas, accipite & edite, hoc est enim corpus meum; & sanctificatione repetita, accipite & bibite, hic est sanguis meus.* Prudent. præfatione Psychomachiæ.

Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est,
Parente inenarrabili atque vno satus,
Libum beatis offerens victoribus,
Paruam pudici cordis intrabit casam,
Monstrans honorem Trinitatis hospita.

4. TEMPORE VICTVS.] Par locutio in Sidon. epist. 3. lib. 5. *Tempore hostilitatis.*

64. 4. ANTELVCANIS COETIBVS.] De his loquitur Plinius in epistola ad Traianum, de quo iam in Apolog. cap. 2. vide etiam quæ dicta lib. 2. ad vxorem cap. 3. ad verba illa: *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes.* Porrò hi cœtus antelucani ex metu tyrannorum. Longissimus hîc, vt in aliis omnibus huius capitis, Rhenanus est. Legatur canon vigesimus nonus Concilij Constantinopolitani in Trullo. In Concilio 2. Aurelianensi cap. 19. nominantur etiam *cœtus Ecclesiæ.* Aldhel. de Virginit. cap. 24. *Sanctorum cœtus aggregatur.* Et de duodecim Apostolis Arator lib. 1. Hist. *Venerabilis orbi cœtus.* Non abit vox Sidonij epist. 6. lib. 7. vbi, *Ecclesiarum conuenticula.* Nec Aldhelmi lib. de Virg. cap. 30. *Veneranda Monasticę classis caterua.* Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 63. vocat συνήματα. Et lib. 4. cap. 12. καθολικὸν Χριστιανῶν. Qua voce sæpè aliàs vtitur ad Christianorum cœtus indicandos. Et Constantinus idem ad cœtus Ecclesiæ vocat σύλλογον. Ego Radeuicum afferam, qui de hac re: *Antelucanos basilicarum & sacerdotum suorum cœtus aut solus, aut minimo comitatu expetit.*

65. 4. PRÆSIDENTIVM.] Ita vocat Episcopos, & presbyteros, vt Sidon. epist. 10. lib. 6. Iustinus Apolog. 2. πρεσβῶτες. Ignatius Martyr epist. ad Philadelph. de presbyteris ἀρχιερεῦσιν, quasi dicas, *sacrorum præfectis.* Nazianz. orat. 1. Episcopis dat ἀρχὴ, *imperium.* Et Eusebius in vita Constantini cap. 60. ἐκκλησιῶν ἀρχοντι. Ibidem Nazianz. iisdem προστασίαν, *præfecturam.* Et adhuc ἐπισκοπὴν. Ioannes Chrysost. orat. 3. de incomprehensibili Dei Nat. ἱερεῖς προεστήκασιν, *præsunt sacerdotes.* Quod verbum est etiam in Theodorito lib. 1. Hist. cap. 15. nam ille προεστῶτα. Idem scriptor lib. 4. cap. 16. non solùm presbyteros, sed etiam Diaconos vocat ἡγουμένους: ait enim, τούτων ἡγουμένους, πρεσβυτέρους φημὶ καὶ διακόνους. Et lib. 5. cap. vlt. de re eadem dixit, προεδρείαν. vt Eusebius lib. 2. de vita Constantini cap. 2. προέδρους. In eodem Eusebio lib. 3. de eiusdem Constantini vita cap. 60. est verbum admodum proprium, & respondens Latino, quod enim nos *præsidere* de sacerdotibus, ille προεστάναι. Similia Latini Patres. Leo Pap. de illis in Decretis, *præferri*, & *præponi*. Et verbum *præferri* etiam in Decretis Cælestini Papæ. Eligius Homilia 8. Et etiam Hincmarus Remensis Archiepiscop. vterque illis dat verbum *præesse*, quæ vox datur etiam ijsdem ab Concil. Tolet. 9. cap. 4. & ab Concilio Aruernensi cap. 2. Hilarius epist. ad Constantium Augustum distinctim ait, *Episcopos*, & *præpositos*, id est, Episcopos & presbyteros. Est itaque *præsidentium*, idem quod *pastorum*, modò Episcopi, modò presbyteri sint.

4. OBLATIONES PRO DEFVNCTIS.] 66. Intelligit solemnia Missarum, & preces Ecclesiasticas: hîc enim non audiendus Iunius, qui non hæreticus solùm, sed inter principes hæreticorum. Satis explicaret Iunio Fulbertus Carnotensis Episc. quid sit oblationes pro defunctis offerre epist. 25. cùm dixit: *Vt sis confirmatus in ordine sacerdotali, & offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo.* Et ipse Tertullianus de Monogamia, vxoris officium erga maritum defunctum, ita: *Pro anima eius oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.* Et in Exhortatione ad Castitatem: *Etiam repete apud Deum, pro cuius spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis.* Sed pergo ad aliam probationem. Explicant mentem Tertulliani simillima hæc Cypriani epist. 66. *Episcopi censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare. Et ideo* C *Victor cùm contra formam nuper in concilio à sacerdotibus datam Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur.* Hæc verba euertunt explicationem Iunij, intelligentis per *oblationes*, anniuersarias quasdam fundationes & eleemosynas, quas erogari pauperibus pro defunctis sollemne esse solet. Euertunt, inquam: nam verissimè Cyprianus Tertulliano institit, ac perinde oblationes vtriusque eædem sunt. Cùm autem Cyprianus de sollemniis Missarum loquatur, liquet ita etiam capiendum Tertullianum. Idem epist. 37. *Et celebrentur hîc à nobis oblationes & sacrificia.* Omnino quod Zeno Veronens. ait serm. de Resurrectione, *sollemnia ipsa diuina, quibus à sacerdotibus Dei quiescentes commendari consuerunt.* Et quidem in Concil. Constant. in Trullo can. 28. mysterium dicitur *oblatio*. verba Concilij, εἰς ζωοποίησιν, καὶ ἁμαρτιῶν ἄφεσιν τῷ λαῷ τῆς προσφορᾶς μεταδιδόναι: *Distribuere* D *oblationem populo ad vinificationem & remissionem populorum.* Et Concil. Antisiodorense can. 8. *In consecratione sanguinis Christi offerre.* In Concil. Aurelianensi 2. cap. 14. dicitur: *Oblationem defunctorum qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.* Vbi sententia est, celebrari missam non posse pro eo, qui se interfecerit, pro aliis posse. Et Ruffinus in vitis Patrum cap. 163. lib. 3. Beatus Arsenius dicebat: *Nemo super me faciat charitatem, nisi in sola oblatione.* Et Nazianzen. orat. 10. in laudem Cæsarij: *Anniuersarios honores, & commemorationes offerentes.* Sed mitto rem, quam alij vbertim, præsertim Heraldus lib. 1. in Arnobium, & Gretserus cap. 3. aduersus Iunium, & Pamelius in hunc locum, & Stephanus Durantus lib. 2. de Ritib. Eccles. cap. 43. Notes hîc obi-

ter fieri solitas à fidelibus, præter Missarum sollemnia, *oblationes* quasdam in honorem sanctorum: qua voce capio quicquid donari consueuit. Possem firmare morem hunc multis, si res esset Tertulliani. Tu vide Auctorem Sancti Godehardi pag. 70. & pag. 76. vbi donaria ista dicuntur signato nomine *oblationes*. Et pag. 81. nummi, qui dantur in eleemosynam, dicuntur *oblationes*.

68. 4. PRO DEFVNCTIS.] Intelligit proculdubio defunctos hos esse in purgatorio, de quo locutus est lib. de Anima cap. 31. *Et ille te* (Angelus executionis) *in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* Cyprianus quoque epist. 52. ad Antonium: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire. Aliud missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem; aliud statim fidei virtutisque accipere mercedem. Aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione* B *purgasse.* Eadem docuit Lactant. lib. 7. instit. cap. 21. *Sed & iustos cùm iudicauerit Dominus, etiam igne examinabit; tum quorum peccata vel pondere, vel numero præualuerint, igne perstringētur atque amburentur; quos autem plena iustitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient.* Longum esset id ostendere ex patribus, est enim nemo qui non Purgatorium agnoscat.

69. 4. PRO NATALITIIS.] Pari inscitia, imò malitia Iunius nullo exemplo (nam extat nullum in tota antiquitate) torquet Tertullianum, intelligens per *natalitia* institutiones factas à viuentibus, vt pauperibus detur aliquod refrigerium in die natali ipsorum; nemo enim vnquam ita iussit. Insciens certè & malus est hic interpres: nam Tertullianus intelligit per *natalitia* dies, quibus sancti mundo mortui nascuntur cœlo. Hos dies sacros sollemnésque habebant Christiani, & in honorem aut martyrum aut confes- C sorum festiua Missarum sollemnia peragebant. Ergo, *pro natalitiis annua die facimus*, est, Missas celebramus in honorem sanctorum eo anni die, quo mortui mundo, nati sunt Deo. Etenim mortem Sanctorum natiuitatis nomine afficiunt viri sancti. Gregorius Nyssen. orat. de Mortuis, τὸ θανάτου τόκον dixit, *mortis partum*, quia mortui tunc pariuntur nascuntúrque Deo. Ignatius Martyr de se Epistola ad Romanos, τὸ διαλυθῆναι ἀπὸ κόσμου πρὸς Θεὸν, ἵνα εἰς αὐτὸν ἀναστήλω: *vt de mundo ad Deum profectus in ipso exoriar.* Arator lib. 1. Hist. Apostolicæ ita loquitur cum Magno Protomartyre,

--- fere prælia Martyr
Felices habitura neces: vbi gloria pœna,
Et cadere est ortus, inguliſque patentibus æuum D
Nascitur, æternæ complectens munera vitæ.

Imò & Gentiles ipsi. Seneca epist. 102. *Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est.* Et inf. *Pereunt semper velamenta nascentium.* Sed à verbis ad rem. Morem, quem attingit Tertullianus, firmat Cyprianus epist. 34. *Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus.* Et postea epist. 37. *Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate; vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Et multis deinde. Videatur hic quoque Heraldus & Gretserus locis laudatis, & Pamelius: iniustus ergo est censor Iunius, cùm ait: *Allucinatur Pamelius, qui natalitia pro natalibus accipit. Quæ interpretatio exemplo & auctoritate caret.* Sed Pamelium iam defendit Gretserus. Nam quomodo sine exemplo & auctoritate? Nonne sæpè ponitur adiectiuum subintellecto substantiuo? Itaque *natalitia* sunt festa natalitia, aut dies natalitij. Deinde vsitatissimum est in formulis Ecclesiasticis dicere natalitia Martyrum pro natalibus, aut apparet ex oratione secreta, quæ habetur in Missa de vigilia Natiuitatis, vbi natale Christi *natalitium* dicitur. Et in orationibus Breuiarij sæpè vox ista inculcatur.

4. FACIMVS.] Respondet Græcorum θύειν. nam 70.
illi θύειν τὰ δαπάνεια, σωτήρια, σῶρα, βόσια. interdum etiam βοΐδια δαπάνεια, &c. Vide Heraldum lib. 1. Aduersarior. cap. 5. & me in Ecloga ad illud,

Cùm faciam vitula, &c.

Et ista Clementis Romani lib. 5. constitut. Apostolic. cap. 18. *Idcirco igitur et vos, excitato Domino à mortuis, facite sacrificium vestrum, de quo vobis per nos constituit dicens, hoc facite in meam commemorationem.* Hîc noto verbum *agere* esse in vsu ad rem eandem, vt ex Sancto Martiale epist. ad Burdegalenses cap. 3. *Hoc enim iussit ipse Dominus noster nos agere in sui commemorationem.*

4. DIE DOMINICO IEIVNIVM NEFAS 71.
DVCIMVS.] Scilicet in memoriam & honorem resurgentis Christi. In Canonib. Apost. 64. Clericis sub depositionis pœna Dominico die ieiunare interdicitur. Et Can. 55. Concil. Constantinop. in Trullo dicitur, εἴτις κληρικὸς εὑρεθείη τὴ ἁγία κυριακῆ νηστεύων, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφορίζεσθω: *Si quis Clericus inueniatur die Sancto Dominico ieiunans, deponatur; si autem laicus, excommunicetur.* In Gangrensi Concilio ita statuitur: *Si quis tanquam hoc continentiæ conuenire iudicans, aut in eius diei contemtum, die Dominico ieiunauerit, anathema esto.* Quod decretum ex eius Concilij cap. 18. Gratianus transcripsit in Cano. *Si quis tanquam*, distinct. 10. Ambrosius lib. 10. epist. & 83. epistola ita scribit: *Dominica ieiunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei ieiunia iure damnamus.* Vide Cassianum cap. 18. lib. 2. Pachomius in Regula: *Ne lugeat in die festo Domini Saluatoris*, quod est, ne ieiunet in Dominico, explicatore Ciaconio. Debes multa huius Notæ, & sequentis, Brissonio, quæ inferenda duximus, vt necessaria Tertulliano illustrando.

4. NEFAS.] Propriè satis, & explica *non fas*. Etenim fas aut nefas semper respiciunt religionem seruatam aut contemtam. Vide vt explicui illud lib. 1. Georg.

Fas & iura sinunt.

2. VEL DE GENICVLIS ADORARE.] 72.
Idem suo æuo obseruatum scribit Hieronymus aduers. Luciferian. his verbis: *Die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere, multáque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vindicauit.* Lucas Patriarcha in Sancitis: οἱ ἀποστολικοὶ κανόνες κωλύουσι τὴν ἐν τῇ τυχόντι σαββάτῳ, ἢ κυριακῇ γονυκλιτοῦντα, ἢ νηστεύοντα: *Apostolicis canonibus prohibemur obuio quoquo Sabbatho, aut die Dominica, genuflectere, aut ieiunare.* Hilarius præfatione in Psalm. *Hæc Sabbata Sabbatorum ea ab Apostolis religione celebrata sunt, vt his quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque iciunio festiuitatem Spiritualis huius beatitudinis impediret.* Inter fragmenta Irenæi, ita legitur: τὸ οὖν τῇ κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, σύμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως, δι' ἧς τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν τε ἁμαρτημάτων, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτῶν θανατωμένου θανάτου ἠλευθερώθημεν: *Non flectere autem genu Dominico die, resurrectionis nostræ est significatio, qua Christi benignitate & à peccatis & à morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus.* Et Ambrosius epist. 119. ad Ianuarium, & Isidor. lib. 1. de Ecclesiastic. officiis. Ambrosius quoque, seu potiùs Maximus Episc. Taurinens. sermone inter Ambrosianos 61. scribit: *Dominicis diebus non ad exorandum Deum genibus succidisse Christianos, sed erectos & feriatos resurrectionem Domini celebrasse.* Rabanus Maurus lib. 2. de Instit. Clericor. cap. 42. ita ait: *Vnde etiam in Dominico die stantes oramus, quod est signum futuræ resurrectionis* In Concil.

quoque Nicæno ſtatutum, ἑστῶτας εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ: *ſtantes reddere Deo orationem.* Baſilius ad Amphilochium. Ἀναγκαίως οὖν τοὺς ἐν ταύτῃ πρεσβυχὰς ἑστῶτας ἀποπληροῦν τὸν ἑαυτῆς προφίμοις ἡ ἐκκλησία παιδεύει: *Neceſſariò itaque eccleſia erudit alumnos ſuos, vt ſtantes preces abſoluant.* Caſſianus lib. 2. cap. 18. *Hoc quoque noſſe debemus, à veſpera Sabbati, quæ luceſcit in diem Dominicum, vſque ad veſperam ſequentem apud Ægyptios, genua non curuari, ſed nec totis quidem quinquageſimæ diebus, nec cuſtodiri in eis ieiuniorum regulam.* Illud porrò, *quinquageſimæ diebus* eſt totum illud ſpatium quinquaginta dierum à Dominica reſurrectionis vſque ad aduentum Spiritus ſancti, vtique tempus Pẽtecoſtes. Vide Auctorem illum, qui apud Iuſtinum ad interrogata reſpondit. Videantur etiam quæ Pamelius in hunc locum. Mihi veriſſimile fit in primitiua Eccleſia, nunquam die Dominica, flexa ad orandum genua in publicis orationibus. Itaque in ipſo adhuc Miſſæ ſacro, ſtantes erant, id enim ſentiet, qui Patres legerit: ſed in priuata oratione vſos genuflexione, & intra domeſticos parietes, nulli dubium eſſe poteſt. De ſeueriſſima tamen monachorum Ægypti diſciplina ita ſcribit Caſſianus lib. 2. cap. 18. *A veſpera Sabbati, quæ luceſcit in diem Dominicum vſque in veſperam ſequentem, apud Aegyptios genua non curuari.* Quibus videtur indicari neque in priuata adhuc oratione, ſed in publica id certum. Epiphanius in compendiaria doctrina, de feſto Pentecoſtes: *Per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium eſt imperatum.*

74. 4. GENICVLIS.] Attingitur mos antiquus Eccleſiæ. Etenim vulgatus erat mos procumbendi in genua. Origenes in Numer. cap. 4. Homil. 5. *Genua flectimus orantes.* Hieronym. ad Epheſ. cap. 5. *Hæc autem ſpiritualiter exponentes, non ſtatim iuxta litteram orandi conſuetudinem tollimus, qua Deum genu poſito ſupplici-ter adoramus, & fixo in terram poplite magis quod ab eo poſcimus, impetramus.* Arnob. lib. 1. *Genu nixo procumbere.* Vide Roſueydum in Onomaſt. in vita Patrum, vbi explicat hanc locutionem, *mittere pœnitentiam*, id eſt, ponere in terra genua. Quia enim pœnitentia eſt maximè in terra genua flectere, Græci genuflexionem vocarunt metanœam, id eſt, pœnitentiam. Et adducit quæpiam ex Ducæo Noſtro digna ſcitu contra Eraſmum.

4. EADEM IMMVNITATE A DIE PASCHÆ IN PENTECOSTEN VSQVE GAVDEMVS.] Hæc obſeruatio receptiſſima ſemper in Eccleſia. Epiphan. lib. 3. in finem loquens de Pentecoſte, ὅλης τῶν πεντήκοντα ἡμερῶν, ἐν αἷς οὔτε γονυκλισίαι γίνονται, οὔτε νηστεία πεπρόστακται: *Per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium imperatum eſt.* Irenæus in fragmento: ἐν τῷ περὶ τῆς πάσχα λόγῳ, ἐν ᾧ μέμνηται καὶ περὶ τῆς πεντηκοστῆς, ἐν ᾗ οὐ κλίνομεν γόνυ: *In quo mentionem etiam Pentecoſtes facit, in quo genu non flectimus.* Et adducit rationem eandem, quam de die Dominico. Quare autem vtriuſque temporis Tertullianus meminerit, ſcias, quia olim in Eccleſia duo erant ſollemnia & ſtata tempora baptiſmi, Paſchæ ſcilicet & Pentecoſtes, extra quæ tempora olim non licebat baptizare, niſi adeſſet mortis & naufragij periculum, vel etiamſi perſecutio vrgebat. Ideo hoc toto ſpatio temporis continua agebatur lætitia.

75. 4. CALICIS AVT PANIS ETIAM NOSTRI, &c.] Bene monet Pamelius, vocem *noſtri* poni ad diſcrimen Euchariſtiæ. Itaque ſententia eſt: Anxiè patimur decuti in terram non ſolùm aliquid Euchariſtiæ, & Calicis Domini, quod certum eſt: ſed adhuc anxiè patimur decuti in terram panem illum quotidianum, quo viuimus; & aliquid poculi, quod haurimus. Hoc ita verum eſt, vt hodie etiam vulgò, ſi fruſtulum panis in terram decidat, oſculabundi attollamus. Cuius moris cauſſam mihi conſideranti duplex ſubit: Primò hæc ipſa, quam indicat Tertullianus; tractamus enim religiosè noſtrum panem, quia repreſentat exteriore forma Euchariſticum: altera, vt ſimus grati erga datorem, qui nos pane alit.

4. AD OMNEM PROGRESSVM, &c.] Vide Tyreum noſtrum parte 3. cap. 68. 76.

4. CALCEATVM.] Hanc rem ſatis fusè Balduinus lib. de Calceo cap. 22. qui reprehendit veterem morem Plinij lib. 28. cap. 4. *Inter amuleta, eſt in calceamentum dextri pedis, antequam induatur, expuere.* Adducítque illud Ioannis Chryſoſt. Homil. 25. ad Popul. *Quid verò diceret aliquis de circumligantibus aurea Alexandri magni numiſmata pedibus? Dic mihi, hæcne ſunt ſpes noſtræ, vt poſt crucem Domini, gentilis Regis in imagine ſpem ſalutis habeamus?* Et multa alia.

B 4. AD LVMINA.] Cùm accenditur lumen, Chriſtianos ſolitos ait ſigno Crucis frontem terere. 77. Tempus hoc mirè fuit in honore ſanctis omnibus, quod adducit Ducæus in Notis ad Baſilium. Socrates lib. 5. cap. 21. ἐν Ἑλλάδι δὲ, καὶ Ἱεροσολύμοις, καὶ Θεσσαλία ταῖς ἐν ταῖς λυχναψίαις εὐχὰς ποιοῦνται: *Preces dum accenduntur lucernæ, fiunt in Græcia, in Ieroſolymis, in Theſſalia.* Baſilius de Spiritu ſancto: ἔδοξε τοῖς πατράσιν ἡμῶν, μὴ σιωπῇ πᾶσι χάειν τὸ ἐπιφεγγοῦς φωτὸς λαβεῖν. ἀλλ' εὐθὺς φανέντος εὐχαριστεῖν: *Viſum eſt patribus noſtris, veſpertini luminis gratiam nequaquam ſilentio arripere, ſed mox vt apparuit, gratias agere.* In Apologetico Tertullianus cap. 39. *Poſt aquam manualem, & lumina, vt quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit.* Non puduit hoc teſtimonium adducere in gratiam Ducæi Noſtri. Et Hieronymum etiã ad Lætam de inſtitutione filiæ: *Aſſueſcat accenſa lucerna reddere ſacrificium veſpertinum.* Atque etiam Chryſoſtomum in Pſal. 118. *Ad ſolis occaſum, quod etiam lucernarium appellamus, orandum eſt, qui tunc ob Dei tranſitum Deo gratias agimus.* Quin eadem res apud Gentiles in vſu fuit. Varro lib. 5. de Ling. Latina: *Ad quam religionem Græci quoque, cùm lumen affertur, ſolent dicere, φῶς ἀγαθὸν, bonum lumen.*

4. QVACVNQVE NOS CONVERSATIO EXERCET.] Poſſet legi *quæcunque*, ſed nlhil muto, tum quia olim *quis, qua, quod* pro *quis, quæ, quod*, vnde permãſit, *aliquis, aliqua, aliquod*: tum quia poteſt eſſe in ſexto caſu, vt dicat, quacunque re, aut occaſione exercet nos conuerſatio humana. Sententiam autem refero ad ſuperiora, vt dicat, ad omnem progreſſum, &c. demum ad quamcunque occupationem exercitationémque. Voluit Iunius, euerſor aliàs pietatis, hoc loco illam oſtentare, ſed ſententia Tertulliani latiſſima eſt ad omnia: non ſolùm ad cauſſam fidei, vt ille D arctat; ſed ad omnem humanam conuerſationem, etiam ægritudinem, qua de re idoneus locus eſt in Simocatta lib. 5. cap. 10. Hiſt. nam cùm aliquando Scythas Orientales dira lues corripuiſſet, quoſdam Chriſtianorum ſuaſiſſe, vti in puerorum frontes Chriſti crucem imprimerent: τῶν δὲ βαρβάρων μεθαιμῶς πρὸς εἰσήγησιν παρασταθέντων, σωτηρίαν ἐκ τῆς συμβουλίας ἀντιλάβεσθαι: *Quæ monita quia nequaquam barbari ſpreuiſſent, ex eo ſoſpitatos eſſe.* 78.

4. FRONTEM CRVCIS SIGNACVLO TERIMVS.] In hac re Gretſerus Noſter copioſiſſimus erit, in qua nunc ego non illum conſulo, tibi integrum omittens, tantùm dabo aliqua, in quæ ipſe legendo incidi, an in illo ſint, ignoro. Ioannes Chryſoſt. Homilia 21. ad Pop. τὸν σταυρὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου διατύπωσον: *Crucem in fronte imprime.* Et monet hoc faciendum, cùm domo exeundum. Itaque Tertullianus ipſo initio poſuit *ad omnem progreſſum.* Ratio Chryſoſtomi: *Sic enim non tantùm homo occurrens, verùm neque ipſe diabolus te quicquam ladere poterit.* Cyrillus 79.

Hieroſol.catech. ſimili ratione Chryſoſtomi: ὡ τοί- A νυν ἐπαισχυνθῶμεν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ καὶ ἄλλος ἀποκρύπτῃ, σὺ φανερῶς ἐπὶ μετώπου σφραγίζου, ἵνα οἱ δαίμονες τὸ σημεῖον ἰδόντες τὸ βασιλικὸν, μακρὰν φύγωσι τρέμοντες: *Ne ergo Chriſti crucem erubeſcamus, ſed ſi alius illam occultet, tu palam fronti obſignato, vt dæmones regium ſignum intuentes, procul trementes fugiant.* Adiungam & reliqua Cyrilli, nam perſimillima Tertulliano: πόθεν δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον, ἐδίων καὶ πίνων, καθήμενος, κοιταζόμενος, ἐξανιστάμενος, λαλῶν, ὁπλατῶν: *Signo autem iſto vtere, edens, bibens, ſedens, cubans, ſurgens de lecto, loquens, ambulans.* Abſoluit tandem, ἁπλῶς ἐπὶ παντὶ πράγματι: *vt ſemel dicam, in omni negotio.* En illud Tertulliani, *quacumque nos conuerſatio exercet.* Procedo. Corippus lib.2. de Iuſtino Imperatore,

Egreditur cum luce ſua, frontémque ſerenam
Armauit, ſancti faciens ſignacula ligni.

Nota verbum *egreditur* ad progreſſum Tertulliani. Apud Hieronymum in vita Pauli magnus Antonius, *ſalutaris impreſſione ſigni armat frontem*, viſo ſcilicet Hippocentauro. Ita vocat *ſalutare ſignum*, vt Euſebius, qui ita ſæpè de Cruce, vt cùm loquens de Conſtantino Magno in eius vita lib.3. cap.2. τὸ σωτήριον τῷ σωτηρίῳ καταστεγμζόμενος σημείῳ. Ægilus in vita San-
80. cti Sturmionis: *Signo crucis fronti impreſſo.* Aldhelm. de Virg. cap.5. *Cœnobialis militiæ pugiles frontem vexillo crucis armatam audaciter æmulorum agminibus offerentes.* Paulinus lib.1. in vita Martini,

Signauitque crucis ſanctam munimine frontem.

Apud eundem lib.2. ruentem aduerſus ſe arborem Martinus excipit ſigno Crucis, & ſic liberatur,

---ſed iam propiore periclo
Erigit armatam ſigni munimine dextram,
Opponitque Crucem, qua protinus impetus omnis
Frangitur.

Nazianzenus Carmine 47. Crucem vocat φόρτον γλυκύ: *dulcem ſarcinam.* Auguſtinus de Tempore ſerm. 181. *Hoc ſigno Crucis conſecratur corpus Domini, ſanctificatur frons baptiſmatis, initiantur etiam preſbyteri, & cæteri gradus Eccleſiaſtici.* Omitto multa, & tantùm noto pios viros hoc ſigno facto obiiſſe. Apud Hieronymum moritura Paula, *digitum ad os tenens Crucis ſignum pingebat in labijs.* In vita Ioannis Chryſoſt. legitur, *ſumto Euchariſtiæ ſacramento, ſéque Crucis ſigno muniens, animam Deo reddidit.* Sancta Macrina, cuius vitam egregio ſtylo proſecutus eſt Nyſſenus, ἐπέθετο τὸ σφραγίδα τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τῷ στόματι, καὶ τῇ καρδίᾳ: B *appoſuit ſignum oculis, ori, cordi.* Notetur etiam locus Aldhelmi lib. de Virg. cap.17. vbi ait olim Chriſtianos dictos indiſcriminatim vel *Chriſticolas*, vel *Cruciſolas*, tanta adeò Crucis religio.

4. TERIMVS.] Verbum in vſu Patrum. Euſebius Gallicanus Epiſc. Hom. de initio Quadrageſ. *Reſerata Eccleſiæ limina aſſiduis terantur officiis.* Et millena. Et nota verbum, quaſi non tam ſignarentur, quàm tererentur frontes. Ideo alij *imprimere ſignum Crucis.* Cyrillus Hieroſ. catech.13. *Non pudeat vos Crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter Crucis ſignaculum digitis imprimatur.* Et poſtea exorditur longum catalogum, vbi imprimenda crux. Hieronymus quoque verbo *pingo* rem exprimit, ſic enim ad Euſtochium: *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat crucem.*

CAP. IV. ARGVMENTVM.

Probat idem exemplo naturalis legis & ſcriptæ, id eſt, Rebeccæ & Suſannæ.

TERTVLLIANVS.

81. 1. HARVM & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies; aut ab aliquo, qui proſpexerit, diſces. Interim non nullam eſſe credas, cui debeatur obſequium.

EXPLICATIO.

1. OMnia huius tractus clariſſima ſunt, tantùm verbum *prætendetur* explica, præmonſtrabitur, exhibebitur, allegabitur. *Conſuetudo confirmatrix*, quam anteà mores vtentium receperant. *Fides obſeruatrix*, non adultera, ſed pura & puta, veréque ſincera. Verba illa *non nullam* legenda κατὰ διαίρεσιν, hunc in modum, *non nullam*, non coniunctim *nonnullam*. Itaque non dicit, *nonnullam*, id eſt, aliquam. ſed *non credes interim eſſe nullam*, non credes eſſe inefficacem, & non obligantem. Sic ſuprà cap.1. & 2. *nec nullum delictum.*

82. 2. Adiicio vnum adhuc exemplum, quatenus & de veteribus docere conueniat. Apud Iudæos tam ſollemne eſt fœminis eorum velamen capitis, vt inde noſcantur. Quæro legem. Apoſtolum differo. Si Rebecca conſpecto procul ſponſo velamen inuaſit, priuatus pudor legem facere non potuit, aut ſuæ cauſſæ fecerit. Tegantur virgines ſolæ, & hoc nuptum venientes, nec antequam cognouerint ſponſos.

2. Superioris capitis exempla deſumta omnia ſunt ex traditionibus & conſuetudinibus nouæ legis, adiicit hîc vnum adhuc legis non Euangelicæ, fuit enim *ſolemne fœminis* Iudæorum *velamen capitis*, quæ tamen traditio nullibi ſcripta. *Quatenus*, quantum, & barbarè inquantum. *De veteribus*, optimè vtitur numero multitudinis, quia rem gerit duplici exemplo, & legis naturalis, & ſcriptæ. *Apud Iudæos*, &c. En mos. *Fœminis*, vox ſignatiſſima, nam ea includit ſexum. Itaque non ait, *mulieribus*, ne putes morem accipiendum de vnis nuptis: non ait *virginibus*, ne putes de illis ſolùm: ſed generaliter intelligit ſexum fœminarum. *Quæro legem*, id eſt, adhuc quæro, & deſidero, & requiro legem. q.d. nulla eſt, quæ hoc iubeat; nam tantùm traditio eſt. *Apoſtolum differo.* Iubet quippe Paulus 1. Corinth.11. velandas fœminas, ſed differt Apoſtoli au-

ctoritatem ad librum de Velandis Virg. & differt quidem, quia ad rem præsentem nihil conducit, nam cùm Apostolus scripsit, iam præcesserat traditio. *Velamen inuasit*, scriptum hoc Genes. 24. & *inuasit*, quia ibi de Rebecca, *tollens citò pallium suum operuit se*, itaque verbum *inuado* indicat celeritatem. *Priuatus pudor legem facere non potuit.* Non potest dici traditio ista fuisse, quòd se Rebecca operuerit, quia fecit priuato pudore. *Aut suæ causſæ fecerit.* Sed esto factum Rebeccæ vim legis habuerit, non tamen potuit obligare omnes fœminas, sed tantùm illas, quibus causſa eadem tegendi. Ergo, *tegantur virgines solæ*, non omnes fœminæ, quia Rebecca cùm se texit, virgo erat: nec virgines tegantur semper, sed tantùm *nuptum venientes*, quia Rebecca se texit tantùm cùm venit nuptum: addit maiorem restrictionem, subiiciens, *nec antequam cognouerint sponsos*, id est, nec adhuc tegantur toto itinere cùm veniunt nuptum, sed tantùm cùm sponsum conspectum oculis cognouerint; nam ita fecit Rebecca. Hęc est clarissima sententia, Iunium non intelligo, nec volo. Summa est, non posse traditionem, qua tegebantur omnes fœminæ, referri ad factum Rebeccæ: ac perinde nec dici posse illam constare ex alicuius scripturæ instrumento.

83. 3. Si & Susanna in iudicio reuelata argumentum velatæ præstat, possum dicere, & hîc velamen arbitrij fuit. Rea venerat, erubescens de infamia sua, meritò abscondens decorem, vel quia timens iam placere. Cæterùm in stadio mariti non putem velatam deambulasse, quæ placuit. Fuerit nunc velata semper. In ipsa quoque legem habitus requiro, vel in quacunque alia. Si legem nusquam reperio, sequitur vt traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoque Apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis.

3. Transit ad exemplum legis scriptæ, & probat nec ex facto Susannæ, quæ velata ad iudicium venit, Daniel. 13. posse elici traditionem hanc scriptam fuisse. *Reuelata*, iussa enim est ab iniquis iudicibus discooperiri, quæ erat cooperta. *Possum dicere*, &c. Sequuntur causſæ priuatæ, cur velata venerit. *Stadio*, id est, horto, pomario, viridario, paradiso. *Fuerit nunc velata semper*, esto in horto etiam velata fuerit, & semper aliàs, non in iudicio solùm. *Requiro*, id est, desidero adhuc legem, quia scilicet nulla est. *Nusquam*, nullibi scriptam. *Apostoli auctoritatem*, scilicet 1. Corinth. 11. *Ex interpretatione rationis*, quia ratio interpres est legis.

84. 4. His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine idonea teste probatæ tunc traditionis ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cùm deficit lex: nec differt scriptura, an ratione consistat, quando & legem ratio commendet. Porro si lex ratione constat, lex erit omne iam quod ratione constiterit à quocunque productum.

4. *Renuntiatum erit*, id est, contra & ex aduerso nuntiatum, vt explicat Iunius: tu simpliciter poteris explicare *intimatum* erit, quo verbo Tertullianus ipse alibi vtitur, & est verbum fori. *Idonea teste*, id est, consuetudo idonea est, vt pro teste habeatur traditionis, scilicet ex perseuerantia obseruationis. *Consuetudo autem*, &c. Nota verba, ne erres. Ipse enim se satis explicat, cùm propositionem suam arctat, tunc enim consuetudo pro lege est, tantùm scilicet, cùm lex deficit: id est, cùm lex non est, non aliàs. Nam si lex vigens sit & viuens, nec dum successu aliquo abrogata, nulla contra illam consuetudo. *Nec differt*, &c. id est, nec differt, consuetudo fulcrum habeat in scriptura, aut in ratione. *A quocunque productum*, &c. Non hoc verum, vt nec sequentia.

85. 5. An non putas omni fideli licere concipere & constituere, dum taxat quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat, dicente Domino, cur autem non & à vobis ipsis, quod iustum est, iudicatis? vt non de iudicio tantùm, sed de omni sententia rerum examinandarum. Dicit & Apostolus: Si quid ignoratis Deus vobis reuelabit, solitus & ipse consilium administrare, cùm præceptum Domini non habebat: & quædam edicere à semetipso, sed & ipse spiritum Dei habens deductorem omnis veritatis. Itaque consilium & edictum eius, diuini iam præcepti instar obtinuit, de rationis diuinæ patrocinio.

Ioan. 16.

5. *Omni fideli licere*, &c. Cautè hæc legenda. Non enim hoc licet omni fideli, iudicio ac sensu priuato & singulari. Ego sic explico, ne à vero abeat Tertullianus. Licet cuique *fideli constituere* priuato iudicio quod *conducat* tantùm *saluti* propriæ. Itaque constituat, legémque det suis oculis, ne illicita intueatur; toti sibi, id est, interiori & exteriori homini legem mortificationis præscribat, sed vt scilicet sibi competat auctoritas condendarum legum in Ecclesia, quod Tertullianus videtur indicare, falsum est. Neque auctoritas aut Lucæ aut Pauli, quam aduocat, hoc probat. Et quidem argumentum à rebus ciuilibus ad res diuinas, non valere, iam Heraldus digress. 2. cap. 3. vidit contra Tertullianum. Nam populus legem aut consuetudinem potest introducere in ciuilibus rebus, non in Ecclesiasticis. *Dicente Domino*, Lucæ 12. *Dicit & Apostolus*, Philip. 3. *Instar*, id est, similitudinem, formam, modum, habitum.

86. 6. Hanc nunc expostula, saluo traditionis respectu, quocunque traditore censetur: nec auctorem respicias, sed auctoritatem: & in primis consuetudinis ipsius, quæ

propterea

propterea colenda est, ne non sit rationis interpres: vt si hanc Deus dederit, tunc discas, curnam obseruanda sit tibi consuetudo.

6. *Hanc*, rationem. *Expostula*, quære, pete, indaga. *Saluo traditionis respectu*, dum rationem quæris & petis, salua & integra sit traditio. *Ne non sit*, id est, vt sit interpres aliquis qui te doceat rationem. q.d. Cole & retine consuetudinem, nam aliter non egebis interprete, qui te doceat rationem. Dixerat scilicet, aliquem fore, à quo ratio disceretur: sed hîc interpres aut magister rationis supponit retineri traditionem; hac euersa frustra quæres eius rationem.

NOTÆ.

87. 1. HARVM ET ALIARVM HVIVSMODI DISCIPLINARVM, &c.] Basilius de Spiritu sancto: *Nam si consuetudines & traditiones, tanquam non multum habentes momenti, conemur reiicere, quòd scripto proditæ non sunt; necesse erit multa damnare, multa reiicere, improbare multa, multa abolere, plura tollere, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur & continentur. Imò ipsam fidei prædicationem, totámque religionis Christianæ formam ad exiguas & tenues rerum angustias, & ad nudum nomen redigere & contrahere.*

.1 NVLLAM INVENIES.] Aliàs, *nullam leges.*

1. TRADITIO TIBI PRÆTENDETVR AVCTRIX.] Adhibet Feruardentius in c.2. l.3. Irenæi hanc traditionis definitionem: *Traditio, Apostolica est doctrina, seu ad fidem, seu ad ritus sacros, seu ad bonos mores pertinens, quæ non expressis scripturis veteris, aut noui testamenti; sed viua voce, aut exemplo praxique à primis Ecclesiæ pastoribus, id est, Apostolis, data, & à posteris adnos vsque in populo Dei seruata.* & Irenæus ipse hanc apponit: *Cùm autem ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos, aduersantur Traditioni, dicentes*, &c. Sed & verbum *prætendo* dignum est consideratione. Est enim *traditio prætendetur*, præmonstrabitur, vt in bello *prætenturæ* sunt antecedentia & præeuntia castra. q. dicas: In procinctu erit traditio. Ambrosius: *Et tanquam in procinctu positus præcludit prælium, & velut coram posito prætendit hostem.* Idem: *Talia debemus agere, quæ placeant Deo, & vt prætendat in nobis virtus Christi, & ita simus probati nostro Imperatori.* Idem rursum: *Fortis ergo est viri non dissimulare, cùm aliquid immineat, sed prætendere, & tanquam explorare de specula quadam mentis.*

88. 2. APVD IVDÆOS, &c.] Baronius hoc apponit exemplum lib.1. Ann. pag. 451. Cui adhibet duo alia, primùm Creüsæ apud Troiam, cui tanta fuit tegendi se cupido, vt dum fugeret (testis est Clemens in Pæd. 3.) tecta esset semper. Alterum Valerij Max.lib.6.c.3. Maritale enim supplicij Galli supercilium tantum fuit, vt vxorem dimitteret, *Quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat. & capitis*, inquit, non faciei, neque id dicit Tertull. & de Romanis quidē fœminis Horat.

Matronæ, præter faciem nil cernere possis.

2. QVÆRO LEGEM.] Vide vt explicui. Eodem planè sensu accepit Cassianus verbum *inquiro*, Collat.10.c.8. *Proximus cognitioni est, qui quid inquirere debet, prudenter agnoscit: nec à scientia longè est, qui cœpit intelligere quid ignoret.* Id est, qui agnoscit quid non habeat, & ideo vult quærere.

2. APOSTOLVM DIFFERO.] Hieronym. l. 2. in Iouinian. *Pauli sper de veteri testamento exempla distuleram.* Lactant.l.1.c.5. *Et quàm multa alia de Deo nostris similia locutus est, quæ nunc differo, quòd aliis locis opportuniora sunt.*

2. AVT CAVSSÆ SVÆ FECERIT.] Qui addidit, *Aut causse suæ si fecerit*, locum non intellexit.

89. 2. COGNOVERINT.] Vide vt explicui, neque enim hîc sermo est de coïtu, etiam si hæc acceptio vsitata sacris litteris, pro qua voce verbum *scire* vsurpat A Trebellius in Zenobia. Itaque *cognoscere & scire virum*, est, coïre cum viro: sed, vt dixi, non in hoc Tertulliani loco. & *cognoscere* aliàs est inter Venerea. Ouid.

Turpiter illa virum cognouit adultera virgo.

& Cæsar 6.Gallic. *Intra annum vicesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent.*

3. SIC ET SVSANNA.] Zeno Veronens. serm. de Daniele propheta: *Inde Susanna illustris Hebræa veræ decus pudicitiæ docuit fœminas suæ castitatis exemplo. Stabat Susanna cùm iudicio perditorum falsorum testium oppressa mendaciis, conscientiæ tamen bonis contenta secretis, non tam rea susceptura sententiam, quàm dicata Deo pro castitate fortiter moritura.*

3. STADIO.] Legi posset *stibadio*, nam ita vocantur in hortis sedilia herbacea, & ex floribus; sed nihil muto, nam omnia loca amœna & ex arboribus consita, dici queunt stadia. Sic l.ad Martyr.c.2. *Stadia opaca*, scilicet ab stadio athletarum, quod arboribus inūbratum. Quin *stadium* vox fuit admodum generalis. Certè Theodoritus locum, vbi eduntur gladiatores, vocat στάδιον l.5. Hist. c.26. Simocatta l. 1. Mauricij c.1. hunc locum ita describit. ὁ βασιλεὺς Τιβέριος ἐπὶ τῷ ὑπαίθρου τῶν βασιλείων αὐλῇ, ἵνα περιώσται τῇ πολυσταδίῳ τῶν ἀκτόρων οἰκίᾳ, περιαυλίῳ φρίφαντι ἐν πεισθέξῃ τῷ περιαυλίῳ: *Tiberius in atrium palatij, iuxta domum, in qua multi ex frondibus ad cœnandum dormiendúmve tori, seu lectisternia, vestibulum illustre, visendúmque proscenium.* In Maximo Taurinensi Episcopo est *paradisus*, sic enim ait Homilia 2. de accusato & iudicato Domino apud Pilatum: *Susanna enim in paradiso ab accusatoribus circūuenitur.*

4. CONSVETVDO AVTEM ETIAM IN CIVILIBVS PRO LEGE SVSCIPITVR.] Monuit iam Heraldus l.2. Digress. c. 3. esse hoc, idem cum Vlpiani illo, *Diuturnam consuetudinē pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solere.* & rationē adducit ex Iuliano 1. l. qui, *Nam quid interest suffragio populus volūtatem suam declaret, an rebus ipsis & factis?* Adiungo locum Greg. Nyssen i l. de Virgin. c. 9. non abhorrentem à verbis Vlpiani. Ἄμαχον γάρ ἐστιν ἐπὶ παντὸς ἡ σωφροσύνη, πολλὴν ἔχουσα δύναμιν πρὸς ἑαυτὴν ἑλκύσαι καὶ ἐπασπάσασθαι τὸν ψυχῶν, καί τινα καλὸν παρασχεῖν φαντασίαν: *In omnire difficilis est, quæ expugnetur, consuetudo: quoniam cùm multā ad attrahendū in se animū afficiendúmq; vim obtineat, tum in eo valet, vt aliquam honesti opinionē afferat.* 90.

4. A QVOQVVNQVE PRODVCTVM.] Notauitiam Heral. Digress. 2.c.3. contra Tertullianū, veram non esse hanc propositionem. Nam caussa cur leges valeant, non est quòd hæ sint consentaneæ rationi, tametsi hoc requiratur: sed quòd, ab his sint constitutæ, penes quos constituendarum legum potestas est. Non ergo vim obtinebunt à quoquunque productæ. 91.

5. REVELABIT.] Ita legendum in Apostolo, notante Pamelio, nam in Græco ἀποκαλύψει. In nonnullis codicibus Pauli scriptum *reuelauit*, malè.

6. CENSETVR.] Legi melius possit *censeatur.*

6. COLENDA EST.] Quæ tantum habet roboris, dicente de illa Seneca l.3. de Ira c. 8. *Quantum consuetudo possit, intelliges, si videris feras quocunque conuictu nostro mansuescere: nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est.*

CAP. V. ARGVMENTVM.

Adducit rationem, quæ patrocinatur Christianæ disciplinæ, quia scilicet corona in capite est contra naturam.

TERTVLLIANVS.

92. 1. SED cur maior exigitur ratio Christianarum obseruationum, cùm illas etiam natura defendat, quæ prima omnium disciplina est? Ideóque hæc prima præscribet coronam capiti non conuenire. Puto autem naturæ Deus, noster est, qui figurauit hominem: & fructibus rerum appetendis, iudicandis, consequendis certos in eo sensus ordinauit, per propria membrorum quodam modo organa. Auditum in auribus fodit, visum in oculis accendit, gustum in ore concluſit, odoratum in naribus ventilauit, contactum in manibus æstimauit. Per hæc exterioris hominis ministeria interiori homini ministrantia, fructus munerum diuinorum ad animam deducuntur à sensibus.

EXPLICATIO.

93. 1. ADHIBET iam rationem, quæ patrocinatur Christianæ obseruationi; dixit enim in superioribus, quæri posse rationem, dum tamen salua semper obseruatio; & addidit, hanc rationem aut ipse perspicies; aut ab alio, qui perspexerit, disces. Itaque ipse Tertullianus nos eam docet, vt qui perspexerit assecutúsque illam fuerit. Ergo ait, *Sed cur maior*, &c. En ratio. Sententia est. Cùm Christianæ obseruationes habeant pro se *naturam* ipsam, *quæ prima est omnium disciplina* (id est, à qua primam hausimus perbibimúsque disciplinam) quam tu maiorem rationem quæris? q. d. Nulla esse maior potest. *Ideóque*, &c. Perinde ac si dicat: confugiamus ergo prouocemúsque ad naturam, illa nobis *præscribet* (verbum est iuris) *coronam capiti non conuenire. Puto autem*, &c. q. d. Cùm prouoco ad naturam, prouoco verè ad Deum nostrum ô Christiani, *qui hominem figurauit*. Vel potest esse sententia. Qui est *Deus naturæ, noster est*, id est, pro nobis, non pro vobis in quæstione hac coronæ: nam constitutione & forma, qua omnia fecit, clarè nostras agit partes. Clara sunt reliqua. Summa est, ita constitutos à Deo sensus in homine, vt vnusquisque suo obiecto gaudeat, cuius obiecti fines transilire, sit contra naturalem hominis figuram & constitutionem à Deo factam. *Fructibus* explica fruitionibus. *Iudicandis*, vnusquisque sensuum de suo obiecto iudicat. *Quodam modo*, sic legendum per diæresim, non coniunctim, nam sensus est, quodam certo modo statáque ratione, qua ordinata sunt organa corporis. *Fodit*, nota mihi verba propriè admodum cuique sensuum attributa. Auditus *foditur*, quia cauatus in modum fodinæ: visus *accenditur*, nam oculi igneæ naturæ: gustus *concluditur* in ore, vt intra cancellos: odoratus *ventilatur*, quia sentitur vento perferente: contactus *æstimatur* in manibus, quia manus iudicant æstimántque de contactu, & discernunt, vt loquitur Sidonius, scilicet de sensu alio gustus: epist. 14. lib. 7. Sed cur signatè *manus* nominat, cùm tactus toto corpore diffusus? Sumit fortasse partem principem, in qua tactus regnat: vel animum adiicit ad res pretiosas (huc te potest ducere verbum *æstimo*) quarum tangendarum & expiscandarum auiditas tota in manibus. Itaque Afer iste vaferrimus potest notare vitium philargyriæ. *Per hæc exterioris*, &c. Propriè dat sensibus ministerium.

94. 2. Quis igitur fructus ex floribus? (substantia enim propria, certè præcipua coronarum, flores agri) aut odor, inquis, aut color, aut pariter vtrumque. Qui erunt sensus coloris, odoris? Visus opinor, & odoratus. Istos sensus quæ membra sortita sunt? Oculi, ni fallor, & nares. Vtere itaque floribus visu & odoratu, quorum sensuum fructus est: vtere per oculos & nares, quorum sensuum membra sunt.

2. Postquam singulis sensibus obiecta sua assignauit, ex diuina plasmati hominis constitutione, quærit cui sensui res florea obiecta, vt inde habeat, quod vult. *Fructus*, fruitio. *Substantia enim*, &c. q. d. Quæro tantùm de *floribus*, non de herbis; quia flores aut *propria*, aut saltem *præcipua* materia *coronarum*. *Aut odor, inquis*, &c. Respondebis mihi necessariò fruendos flores & æstimandos, aut ab *odore*, aut *colore*, aut pariter ab *vtroque*. Hoc cùm verum sit, liquet perinde odorem pertinere ad odoratum & nares, colorem ad visum & oculos. Inde concludit vsum florum percipiendum ab his sensibus & membris tantùm, ab illísque æstimandum.

95. 3. Substantia tibi à Deo tradita est, habitus à seculo: quanquam nec habitus extraordinarius ordinario vsui obstrepit. Hoc sint tibi flores & inserti & innexi, & in filo & in scirpo; quod liberi, quod soluti, spectaculi scilicet & spiraculi res.

3. Pergit vrgens rem eandem. *Subſtantia tibi*, &c. *Subſtantiam* florum tibi Deus tradidit; vt habeant ſe hoc vel illo modo, *ſeculi* inuentum eſt. Itaque vocat hîc *habitum*, illigationem, verbi gratia, innexionémque, qua flores implicantur ad formam coronæ. *Quamquam nec*, &c. Ait ſcilicet, *habitum extraordinarium*, quem *ſeculum inuenit*, coniungendi in formam coronamenti, flores, non eſſe contra vſum, cui deſtinati flores. Nam videlicet coniuncti in formam coronæ ſeruire poſſunt odoratui & viſui. Hoc explicans addit, *Hoc ſint tibi flores*, &c. Sententia eſt, *flores* ergo *& inſerti in filo*, *& innexi in ſcirpo* (en *habitus* ille *ſeculi extraordinarius*) *ſint tibi res ſpectaculi* (id eſt, oculorum) *res ſpiraculi* (id eſt, narium) omnino ſint tibi *hoc quod liberi, quod ſoluti*. q. d. Liberi & ſoluti flores tantùm ſeruirent oculis & naribus tuis, ſeruiant ergo iiſdem ſenſibus & cùm ſunt filo inſuti, & ſcirpo compacti, hoc eſt, cùm in ſcirpo facta foramina, & ibi veluti pacti & compacti flores. Sic fiet, vt *extraordinarius habitus* non *obſtrepat* pugnétque contra ordinarium vſum.

96. 4. Coronam ſi fortè faſcem exiſtimas florum per ſeriem comprehenſorum, vt plures ſemel portes, vt omnibus pariter vtaris, iam verò & in ſinum conde, ſi tanta munditia eſt; in lectulum ſparge, ſi tanta mollitia eſt; in poculum crede, ſi tanta innocentia eſt. Tot modis fruere, quot & ſentis.

4. Sententia clara eſt, ſed diſpoſitio verborum turbabit lectorem, ergo capiat ita. *Iam verò ſi fortè coronam exiſtimas* eſſe tantùm *faſcem florum per ſeriem comprehenſorum*, hoc tantùm fine, *vt plures ſemel portes* coniunctimque (ita hîc *ſemel* capias) *vt omnibus pariter vtaris*, *&* (id eſt, etiam) *conde in ſinum*, *ſi tanta eſt* illorum *munditia*; *ſparge in lectulum*, *ſi tanta eſt mollitia*; demum *crede in poculum*, *ſi tanta eſt innocentia*, id eſt, ſi non ſunt noxij & venenati. Abſoluit tandem per epiphonema, *Tot modis fruere, quot modis ſentis* tibi poſſe prodeſſe ad fruitionem tuam & guſtum.

97. 5. Cæterùm in capite quis ſapor floris? quis coronæ ſenſus, niſi vinculi tantùm? Quia neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam eſt, florem capite ſectari, quàm cibum aure, quàm ſonum nare. Omne autem quod contra naturam eſt, monſtri meretur nomen penes omnes, penes nos verò, etiam elogium ſacrilegij in Deum naturæ dominum & auctorem.

5. Concludit ex dictis flores capiti nullo modo aptandos, nam contra naturam. *Quis ſapor floris?* id eſt, quæ floris ſapida voluptas? quid tibi ſapit flos in capite? id eſt, ad quid, ad quam rem? *Quis coronæ ſenſus?* quid ſentis ex corona capiti tuo prouenire, niſi vinculum? *Quia neque color*, &c. Ratio veriſſima. *Florem capite ſectari.* conſequi, conſectari, percipere. Senſus enim commodiſſimè dicuntur conſectari ſua obiecta, non aliter ac canis prædam. Ergo ait, vt eſſet *contra naturam cibum aure ſectari*, ſic *florem capite*. *Penes omnes*, tam Chriſtianos quàm gentiles. *Penes nos*, Chriſtianos. *Elogium ſacrilegij*, macula & crimen ſacrilegij. eſt ſcilicet ſacrilegus qui aliquid contra Deum.

NOTÆ.

98. 1. EXIGITVR.] Explica ſenſu occultiore, non illo qui obuiam eſt. Eſt enim *exigere* non ſolùm petere aut quærere, ſed etiam examinare perfectiſſimè, & veluti ad perpendiculum. Vt cùm Cicero in Verrem dixit, *Columnas ad perpendiculum exigere*, id eſt, examinare. Propert. eleg. 9. lib. 3.

Exactis Calamis ſe mihi iactat equis,

Id eſt, perfectiſſimis & optimè cælatis manu Calamidis. Veriùs fortaſſe ad ius decurras, eſt enim *exigere* verbum iuris, ad diſſolutionem cogere. Cicero, *Nomina ſua exegiſſe*, *pecunias ſumſiſſe mutuas*, *prædia vendidiſſe dicitur*. Suetonius, *Votum exegit ab eo qui pro ſalute ſua gladiatoriam operam promiſerat*. Propriè eſt, ἐισπεράξατο. Ab hoc ergo ſignificato ducitur hîc verbum.

1. DEFENDAT.] Ita ſcripſi ſecutus manuſcriptum ex fide Wouerenij, vulgò legitur *defendit*.

99. 1. QVÆ PRIMA OMNIVM DISCIPLINA EST.] Adeò hoc verum, vt dicat Tullius 2. Leg. Tarquinium in ſtupro Lucretiæ contra ſempiternam legem naturæ feciſſe, etiamſi tunc Romæ nulla lata eſſet de ſtupris lex. Quia videlicet natura ante omnes leges *prima eſt* mortalium *diſciplina*. & tritum ſatis omnibus philoſophis inditam mortalibus à natura propenſionem ad virtutem, religionem, diſciplinam. Mihi, cùm hæc ſcriberem, ante oculos Themiſtius Euphrada orat. 12. alij paſſim obuij. Itaque veriſſimè *natura eſt prima omnium diſciplina*. Imò ait Clemens lib. 2. Pædagog. cap. 10. ἡ γὰρ αὖ πότε βιαζομένη φύσις εἰς μεταβολὴν: *Natura vis afferri nulla poteſt vt mutetur.*

1. NOSTER EST.] Duplicem poſui explicationem, & hæreo alteri, quia illo ſenſu Virgilius 2. Æneid.

Noſter eris.

Vide eum locum in Commentariis noſtris.

1. FIGVRAVIT.] Notat Pamel. ita reddidiſſe illud Geneſ. 1. ἐποίησεν. & 2. ἔπλασεν. Idem de Reſurrect. Carn. *finxit.* & 1. aduerſ. Marcion. *fecit.* & Cyprian. epiſt. 74. *plaſmauit.*

1. CERTOS IN EO SENSVS ORDINAVIT.] Locus eſt pulcherrimus Athanaſij Apolog. aduerſ. Gent. de hac ipſa re, quem reſcribere non piguit, ex Petri Nannij interpretatione: *Quis oculum à videndo retorquet? aut quis aurem, cuius officium naturale eſt audire, ab audiendo ſecludit? Quis manum natam ad id vt agat, retrahit à tactu? Quis item olfactum, & ipſum quoque genitum ad odorandum, auertit ab odoribus percipiendis? Quis ab iſtis, quæ ſunt naturalium functionum, deterret?* Hæc eſt Lector certa Tertulliani in ſenſibus ordinatio. 100.

I VISVM IN OCVLIS ACCEN-

DIT.] Proculdubio à Tertulliano Hilarius Pictauiensis in opere contra Constantium Augustum. vbi, *Quæro vnde ista his quos generas indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas?* Vult scilicet conuincere Constantium, qui ignarus humanæ generationis diuinam scrutaretur. Notabis verba singula, quæ singulis sensibus attribuit Tertullianus, & tibi sordebunt alij. Quid enim cum illis ista Sidonij epist. 14. lib. 7. *Vim videndi, audiendi efficaciam, odorandi subtilitatem, gustandi discretionem?* Tactui quid daret, non inuenit. Athanasius Apol. aduers. Gent. verbis communibus, ὁρᾶν, ἀκούειν, ἅπτεσθαι, γεύεσθαι, ὀδμᾶσθαι. Arrigit Iulianus sermonem, dum in Catena ἀκοὴ, id est, *auditus*, dicitur κριτικὴ *censor* & *iudex*. Sed & Faustus Episcop. Rhegiens. etiam si pulchrè, non accedit tamen, cùm ait 1. Epist. *Quicquid enim pulcrescit visu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid mollescit attactu, quicquid dulcescit gustu, quicquid blanditur auditu.* Vnde cùm postea idem Epist. 6. mutat *blanditur auditu*, in, *corrumpit auditu*, credibile est subesse errorem. Adeunti res clara. Cùm verò ait *gustum in ore conclusum*, quid si alludit ad id quod Græci γεῦμα dicunt, & *Latini gustum, gustationem, antecœnam*? Primus enim ille sapor videtur concludi. Sed hoc, vt libeat.

101. 1. MINISTERIA.] Sensus dici ministros animi, sollemne est & Græcis & Latinis. Ioannes Chrysostomus Homil. 11. ad Popul. Antiochenum, oculis dat διακονίαν, *ministerium*. Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus in Meditationibus ait de sensibus καὶ δουλίδας, esse *instar ancillas*. Iustinus Martyr in Dialogo Tryphon. ait animam deducendam à sensibus ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ νοητὰ, quia sensus ministrant animæ. Hilarius can. 4. in Matth. *Manuum ministeria* dixit. & Cassian. lib. 6. cap. 12. *Abuti oculorum ministerio.* Sanctus Maximus Episcop. Taurinens. Homil. 2. Eusebij: *Ministeria enim aurium & oculorum, fenestræ esse probantur animarum. Quando enim aperimus auditum mala & iniqua loquentibus, ac damnabiliter obtrectantibus, & quæ Deo sunt contraria suadentibus, mors intrat per fenestras nostras, horror mortiferæ noctis irrumpit, per quas Sol iustitiæ intrare debuerat.*

1. MINISTRANTIA.] Legunt aliqui *ministrantis*. Possunt.

102. 1. DEDVCVNTVR.] Præclarè hoc verbum sensibus conuenit. Nam Ambros. in psal. 118. oculos vocat *fenestras animi*. & in genere Hieronymus epist. ad Abigaum sensus omnes vocat *fenestras*. vt etiam lib. 2. in Iouinian. verba extremi loci: *Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad animum introitus est.* & quia *introitus*, ideo Noster *deducere*. Saluianus lib. 3. de Gubernat. non solùm vocat fenestras, sed etiam *cuniculos*, per quos intrant improbæ cupiditates. Fortunatus in vita Sancti Hilarij, dixit, *Oculorum ianuas*. Quo verbo vsus Græcè Nyss. serm. 5. in Orat. Dominica, in θυείδας, nuncupat sensus. vt etiam Clemens lib. 2. Pædagog. cap. 8. vocans illos θύρας ἀφεγγύητους, *Ianuas sine custode*. Ephrem Syrus *fores animæ* dixit serm. de Patientia. Ergo, quia sensus sunt animi *fenestræ, cuniculi, ianuæ, fores*, optimè de illis *deducere*.

2. SVBSTANTIA ENIM PROPRIA, &c.] Inclusi parenthesi, quia ita in editione prima Rhenani, & quia ita clarior locus.

2. AVT ODOR, INQVIS, AVT COLOR.] Ita quidam apud Plutar. 3. sympos. disputans de floribus coronariis ait, illos tantùm censeri æstimarique colore, & odore.

2. QVÆ MEMBRA SORTITA SVNT.] In editione prima Rhenani est, *æquè membra*.

2. VTERE PER OCVLOS ET NARES, &c. Permittit hîc omnem vsum florum, & infrà vsum etiam coronarum, dummodo non gestentur in capite, nam hoc idololatricum erat. Itaque ex Tertulliano apparet, istam tunc fuisse Ecclesiæ disciplinam, sicuti etiam ex Minutio: cuius hæc sunt: *Quis autem ille qui dubitat vernis nos indulgere floribus, cùm capiamus & rosam vêris, & lilium, & quicquid aliud in floribus blandi coloris & odoris est? His enim & sparsis vtimur mollibus ac solutis, & sertis colla amplectimur. Sanè quòd caput non coronamus, ignoscite.*

103. 3. ET INSERTI, ET INNEXI, &c.] Retuli tantùm ad duo genera coronarum, vt scilicet dicantur flores & *filo inserti*, & *scirpo innexi*. Huc me ducit (præter auctoritatem Pamelij) textus ipse Tertulliani, qui semper bimembris. Iunius refert ad quatuor coronas scilicet *feriles, nexiles, sutiles, pactiles*. Ipse viderit.

3. IN SCIRPO.] Carolus Paschal. lib. 2. de Coronis cap. 12. accipit in Tertullian. per *Scirpum*, philyram, nam sicut filo, ita philyra assuebatur nectebatúrque materia omnis coronaria. & quidem Tertullianus ipse lib. de Pallio loquens de Mercurio, vtriusque facit mentionem, tam fili, quàm philyræ, cùm scribit: *Denique pertentat quod facilitas materiæ suadebat, tractu prosequente filum eliquasse, & in vestis pristinæ modum, quam philyra tenui vinxerat, texuisse.* Non displicet. Sed simpliciter potest capi *Scirpus*, cui facta foramina, quibus innexi immissique flores, & veluti pacti.

104. 3. QVOD LIBERI, QVOD SOLVTI.] Hos scilicet opponit insertis, insilatis, &c. Sic & Apul. lib. 4. *Serti & soluti flores.* & Lucianus Luc. siue Asin. aur. τὰ δὲ λελυμένα (ῥόδα) τὰ δὲ πεπλεγμένα συμπεπλεγμένα: *Rosæ aliæ solutæ, aliæ coronis implexæ.* Idem Tertull. Apolog. opponit flores in coronam coactos liberis, solutis, vagis.

4. SERIEM.] Signatissima vox, vt scilicet non intelligas tantùm fasciculum florum, sed fasciculum florum in orbem, nam *series* hoc indicat. *Serta* enim dicta à serendo & conserendo, vnde & *series*. Itaque rectè Pamelius legit verba Plinij lib. 21. cap. 2. hunc in modum: *Cùm verò fierent è floribus serta, à serendo seriève appellabantur*, vbi perperam legitur *sericiæ*, aut *satiuæ*. Inde coronæ dictæ *feriles*. & *serillæ nauigia* apud Festum, *quæ lino & sparto condensantur, à conserendo & contexendo dicta*. Varro etiam lib. 5. de Ling. Lat. *serta* deriuat à serie. Quod argumentum efficax ad correctionem Plinianam, quam præmisi. & Isidor. lib. 1. cap. 40. ita scribit: *Series autem dicta per translationem à sertis florum inuicem comprehensorum.* Non itaque aptè Carolus Paschal. lib. 2. de Coron. cap. 13. adducens fascem Tertulliani, addit: *Si circularem addidisset, certè coronam expressisset.* Non eguit addere eam vocem, nam *fascis florum comprehensorum per seriem*, est verissima corona.

105. 4. VT PLVRES SEMEL PORTES.] Reponit ex manu scripto Wouerenius *simul*. Sed nihil muto.

4. IN SINVM CONDE.] Nota hunc locum. non enim tantùm corona veteribus ad vsum capitis, sed ad alios. Ecce illam permittit Tertullianus gestandam sinu, spargendam lecto, credendam poculis. Liquet hic varius vsus ex Prudentio in Psychom. etiam si reprehendat.

Proh pudor! armigeris amor est perferre lacertis
Lilia luteolis interlucentia sertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas.
His placet assuetas bello iam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier vlnas?

Sed adhuc video quidpiam aliud; alludit enim ad morem, quo veteres coronabant ipsum pectus. Athen. lib. 5. cap. 5. ἐστεφανῶντο ἐπὶ τὰ στήθη, ἐπὶ ἐμέσῳ τῶν στ, ἐπὶ

ἀνοίγει ἡ καρδία : *Coronabantur pectora, & vngebantur, quia ibi cor.*

4. IN LECTVLVM SPARGE.] Lectulos floribus, rosis, coronis conspergi solitos, præsertim amantium, certum est. Lampridius de Heliogabalo: *Strauit & triclinia de rosa, & lectos, & porticus.* & in canticis Cant. *Lectus noster floridus.* Adi expositores, qui multa congerunt.

106. 4. IN POCVLVM CREDE.] Vsitatissimus mos coronandi pocula. 1. Tertullianus ipse de Resurrection. Carnis: *Calix bene sibi conscius, & de diligentia ministri commendatus, de coronis quoque potatoris sui inorabitur, aut aspergine florum honorabitur.* Alexis apud Athenæum lib. 2. κισσοῦ κλάδοις ἔστψα, scilicet κρατῆρα. Lucret. lib. 3.

Hocetiam faciunt, vbi discubuêre, tenéntque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis.

Ora videlicet poculorum. Statius 3. sylu.

--- festáſque dapes, redimitáque vina.

Omitto versus Tibulli de hoc more tritos, item Virgilianos, de quibus iam plenè suis locis. Sed & vini conditi rosa (si hoc est aliquid ad Tertullian. mentio est apud Capitolinum in vita Gordianorum.

4. CREDE.] Ita lego, & hoc verè Tertullian. γνήσιον, neque est cur reponas *inde*, vt vult Carolus Paschal. lib. 2. de Coron. cap. 2.

4. INNOCENTIA.] Vocat innocentes flores, qui non sunt noxij & venenati. Hac locutione vsus Plinius lib. 18. cap. 32. *Omnia quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentiùs decrescente luna.* id est, minùs noxiè. & lib. 19. cap. 4. *Ex horto plebi macellum quanto innocentiore victu!* id est, victu minùs exposito venenis.

4. SENTIS.] Bulengerus legit, *seris*. Apage. in lib. de Triumpho cap. 15.

107. 5. CÆTERVM IN CAPITE QVIS SAPOR FLORIS?] Huic loco, & toti cursui Tertulliani in hoc capite conuenit apprimè locus Clementis Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 8. vbi ait coronatos amittere τὸ πρέπον τῆς εὐθηνίας, *Quod suaue est in floribus.* & reddit duplicem rationem. *Quia visu non fruuntur, qui habent coronam vinctam supra* A *oculos.* En prima. Altera, *Sed neque odoris suauitate, cùm flores superiores sint instrumentis respirandi. Cùm enim secundùm naturam odor sursùm emittatur & exhaletur, respiratio non fruitur delectatione supra caput, nam suauitas odoris abripitur.* Vtraque in Tertullian. est.

5. QVIS CORONÆ SENSVS.] Carol. Paschal. l. 1. de Coron. cap. 11. aduocans hunc locum, legit *vsus*, neque displicet, sed nihil muto. Cæterùm Seneca in Thyeste,

Quis me prohibet flore recenti,
Vincîre comam.

5. VINCVLI.] Ita de Coronis Ouid. 4. Fast.

Textáque composita iuncea vincla rosa.

5. QVIA NEQVE COLOR CERNITVR.] Clemens dicto loco, αὐτὸς πέρπει βλεπόμενον : *Flos delectat dum videtur.*

5. ODOR DVCITVR.] Minut. *Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire.*

B

5. SECTARI.] Gutherius lib. 3. de Iure Ma- 108.
nium cap. 23. verba Minutij hæc, *Miror quemadmodum tribuatis exanimi aut non sentienti facem, aut non sentienti coronam,* corrigit ex Tertulliano, pro sentienti *sectanti*. Non placet correctio hæc, potior multò ista Heraldi in Notis ad Minut. *Vt non sentienti facem, vt sentienti coronam.* Qui locum adeat, hanc lectionem præ aliis laudabit.

5. MONSTRI NOMEN.] Guliel. Forner. de Rerum & verbor. significato cap. 135. aduocans hunc locum legit *monstri notam*, neque displicet.

5. ELOGIVM SACRILEGII.] Cum aspectu ad elogia & titulos eorum, de quibus cap. 1. de Idolol. itaque notat Tertullian. crimen sacrilegij. Sæpe enim vox ista in malam partem. Concil. Hispalense secundum cap. 5. etiam cum aspectu ad reos: *Non consecrationis titulum, sed ignominiæ elogium.* Cęterùm à Tertullianica concipiendi forma non abit ista Saluiani lib. 8. *Christianus qui ad Ecclesiam non venit, negligentiæ reus est; qui autem sic venit, sacrilegij.*

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Ostendit magnam esse naturæ auctoritatem.

TERTVLLIANVS.

109. 1. QVÆRES igitur Dei legem, habens communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet prouocare? vt cùm in velamine, fœminę, Nec natura vos, inquit, docet? vt cùm ad Romanos, Natura, dicens, nationes facere ea quæ sunt legis, & legem naturalem suggerit, & naturam legalem. Sed & in priore Epistolæ, naturalem vsum conditionis in non naturalem masculos & fœminas inter se demutasse affirmans, ex retributione erroris in vicem pœnæ, vtique naturali vsui patrocinatur. Ipsum Deum secundùm naturam priùs nouimus, Deum appellantes Deorum, bonum præsumentes, & iudicem inuocantes.

1. Cor. 11. Rom. 2. Rom. 1.

EXPLICATIO.

1. AIT ociosè quæri aliud argumentum, vbi iam est locupletissimum naturę. *Quæres*, q. d. stultus es, qui legem scriptam quæris. *Naturalibus tabulis*, id est, legibus. opponit has scriptis. *Apostolus*, &c. Probat magnam esse auctoritatem naturæ auctoritate Apostoli, qui sæpe prouocat citátque naturam ipsam. *Vt cùm in velamine fœminæ.* Adducit ergo tria Pauli loca, quibus magni fecit argumentum sumtum à natura. Primus est 1. ad Corinth. 11. vbi suadens fœminis velamen capitis, ait, *Nonne hoc vos natura docet? Vt cùm ad Romanos.* Alter est 2. ad Romanos, vbi dicens, *nationes facere* ab *natura* ipsa *quæ*

ſunt legis, eo ipſo *ſuggerit*, id eſt, commendat *legem naturalem*, imò & quod maius eſt, *naturam legalem*, id eſt, legiſlatricem. *Sed & in priore Epiſtolæ*, tertius eſt ex priore capite eiuſdem epiſtolæ ad Romanos. Ait ergo: *Sed & affirmans* Paulus *maſculos & fœminas demutaſſe inter ſe naturalem vſum conditionis in non naturalem*, & hoc *ex retributione erroris in pœnæ vicem, vtique patrocinatur vſui naturali.* Illud *conditionis* explica creationis, creaturæ. Illud *ex retributione erroris in pœnæ vicem*, eſt quod Paulus, *mercedem erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Pergit. *Ipſum Deum*, &c. Demum adducit in patrocinium naturæ, ipſa duce mortales omnes Deum *priùs*, id eſt, ante omnem legem, noſcere, appellare ipſum *Deum Deorum*, præſumere Deum eſſe *bonum*, & inuocare vt *iudicem*. Hæc omnia probant magnam eſſe naturæ auctoritatem, cùm illam adducat Paulus, volens aliquid efficaciter probare. Vnde efficitur ſtandum eſſe in coronis argumento naturæ, quæ produxit flores viſui & odoratui, non capiti.

110. 2. Quæris, an conditioni eius fruendæ natura nobis debeat præire, ne illâ rapiamur, quâ Dei æmulus vniuerſam conditionem certis vſibus homini mancipatam cum ipſo homine corrupit? Vnde eam & Apoſtolus inuitam ait vanitati ſuccidiſſe, vanis plurimum vſibus, tum turpibus, & iniuſtis, & impiis, ſubuerſam.

Rom. 8.

2. *Quaris, an*, &c. q. d. Stultus es, ſi dubitas naturam debere eſſe ducem fruitioni rerum conditarum. Nam aliter rapiemur præcipitabimúrque illac, qua Diabolus vniuerſas res conditas, & *certis* tantùm ac determinatis *vſibus* mancipatas homini *corrupit* amplians ad alios vſus, & *corrupit* quidem *cum ipſo* miſero *homine. Vnde eam & Apoſtolus*, &c. Locus Pauli eſt 8. ad Romanos, vbi, *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens.* Ergo, vanitatem, cui Paulus ait ſubiectam eſſe omnem creaturam, explicat Tertullian. de *vſibus vanis, turpibus, iniuſtis, impiis*, quibus Diabolus ſubuertit rem omnem conditam à Deo. *In vitam*, nam res omnes aſſerunt ſe quantum poſſunt in vſus conſtitutos à Deo, ac ſe tuentur, ſed potentia tamen hoſtis ſubuertuntur. q. d. Certè flores ſi loqui poſſent, dicerent ſe creatos viſui & odoratui, ſed nolentes contrudi in caput. *Succidiſſe*, id eſt, ſuccubuiſſe.

111. 3. Sic itaque & circa voluptates ſpectaculorum infamata conditio eſt ab eis, qui natura quidem Dei omnia ſentiunt, ex quibus ſpectacula inſtruuntur, ſcientia autem deficiunt. Illud quoque intellige omnia à Diabolo eſſe mutata. Sed & huic materiæ propter ſuauiludios noſtros Græco quoque ſtylo ſatisfecimus.

3. Adducit ſimile quidpiam; vt enim flores ad vſus prauos detorti ſunt, ſic etiam omnis materia ſpectaculorum. *Infamata conditio eſt*, infamatæ ſunt res conditæ. *Scientia autem deficiunt.* Cùm ſentiant naturaliter eſſe Dei omnia, tamen ſcientes volentéſque deficiunt. quod certè enorme eſt. *Illud quoque intellige.* q. d. vt in coronis, ſic *illud quoque* ipſum *intellige* in ſpectaculis, *omnia* ſcilicet *mutata à Diabolo eſſe*, quia in illis quoque corrupit rerum omnium vſus. *Sed & huic materiæ*, &c. Scripſit ſcilicet Tertullianus Græco ſermone tractatum de ſpectaculis, qui non exſtat. Sunt *Suauiludij* qui ſpectaculorum voluptate delectantur. Vel potiùs ſunt, qui peregrina amant in ſtylo, & his ſatisfecit Tertullianus Græcè ſcribens.

NOTÆ.

112. 1. QVÆRES.] Puto legendum *quaris*, nam ita infrà in hoc capite. Vel vtrobique *quæres*. Sed inclino in primum, nam hoc γνήσιον Tertulliani.

1. HABENS COMMVNEM ISTAM IN PVBLICO MVNDI.] Spectat huc Cicero pro Milone: *Eſt enim non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* & Ambroſius alicubi: *Quæ non ſcribitur, ſed innaſcitur; non aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur.*

113. 1. TABVLIS.] Sidonius epiſt. 2. lib. 7. *Conſcribuntur tabulæ nuptiales.* Id eſt, leges, & pacta. Arator lib. 1. Hiſt. Apoſt.

Vt duo iuſſa colant tabulis conſcripta duabus.

1. PROVOCARE.] Vt hic, *Prouocare ad tabulas naturales*, ita Plin. lib. 33. *Acceſſit ars picturæ, didicit homo naturam prouocare.*

1. LEGEM NATVRALEM, NATVRAM LEGALEM.] Ab hoc luſu vocum non abit ille concilij Aruernenſ. cap. 16. *Antiſtes ipſe ſeueritate ſententiæ, vel ſeueritatis ſententia feriatur.*

1. IN PRIORE EPISTOLÆ.] Subaudi capite, ſcilicet reſpectu ſecundi, quod tantùm citauerat, nam de duobus tantùm dicitur prius & poſterius: non placent, qui legunt *in primore.*

1. IN NON NATVRALEM.] Veriſſimè, nam & Rabanus Maurus lib. de Pœnitentib. cap. 6. peccatum hoc vocat *irrationale.*

1. DEMVTASSE.] Verbum hoc frequentiſſimum eſt in vno Hilario, vt cùm ait ad Conſtantium Imperatorem, *Epiſcopatus tuis donas, bonos malis demutas.* & aliàs ſæpè, quoties vult explicare aliquid factum perperam, vt hoc loco Tertullianus. Cui voci opponit idem Hilarius *indemutabilitatem*, vt etiam Zeno Veronenſ. Nam cùm 2. ſerm. dicat de Deo, *non demutor*, ſerm. 1. ait, *Solus indemutabilis.* & iterum ſerm. de Spe, Fide, & Charitate: *Tu Deum in hominem demutare voluiſti.* Loquitur cum charitate. 114.

1. IVDICEM INVOCANTES.] Sedulius Hybernenſ. in Collectan. epiſt. ad Romanos cap. 10. ita ait: *Videtur mihi grande aliquid in ſcripturis diuinis ſub inuocationis nomine deſignari: non enim de qualibuſcunque viris, ſed ingentibus & præcipuis ſcribitur, quia Enos primus cœpit inuocare nomen Domini.* Vide ergo, quale ſit inuocare Deum iudicem!

2. NATVRA NOBIS DEBEAT PRÆIRE.] Et his verbis, & hoc capite ſatis indicat quàm arcta ſit lex naturæ. Aldhelmus de Virgin. cap. 8. naturæ leges vocat *indiuiduas*, vt quæ ſeparari ab homine nequeant. 115.

2. CERTIS VSIBVS HOMINI MANCIPATAM.] Reſcribunt *hominum*, perperam, & rectior multò vulgaris lectio, nam *vſibus* meliùs multò eſt in ſexto caſu, quia in eodem poſtea, *Vanis plurimùm vſibus*. Cùm præſertim cap. 2. de Spectac. dixerit, rerum *vniuerſitatem homini mancipatam*.

2. VANITATI.] Tertullian. aduerſum Hermogenem cap. 11. *Cùm reuelatio filiorum Dei redemerit conditionem à malo vtique vanitati ſubiectam, cùm reſtituta innocentia, & integritate conditionis, pecora conduxerint beſtiis, & paruuli de ſerpentibus luſerint.*

2. SVCCIDISSE.] Dixi alibi de hoc verbo. quære indicem. eſt *ſucciduus* qui facilis eſt ad lapſum. Ouid. *Poplite ſucciduo genua intremuere.* Plautus. *tenebræ oboriuntur, genua ſuccidunt.* Hoc Horat. dixit aliter, *Et corde, & genibus tremit.* & Calab. lib. 1. ἄτρομα γοὺνάσ' ἔθηκε: *Poſuit genua intrepida.*

2. VANIS PLVRIMVM VSIBVS.] Sunt vani vſus, qui non traditi à maioribus, neque à natura; ſed vſurpati licentia: de quibus ita loquitur Cyprian. de Habitu Virg. *Nec illa præterea, quæ dum negligentia in vſum veniunt, contra pudicos & ſobrios mores licentiam ſibi de vſurpatione fecerunt.*

3. CIRCA VOLVPTATES SPECTACVLORVM.] De peruerſo in Spectaculis rerum vſu egit latè cap. 2. eiuſdem operis. Cæterùm vox iſta *voluptas* hæſit in Spectaculis. Vopiſcus de Aureliano: *Datæ ſunt populo voluptates ludorum Scenicorum, ludorum Circenſium.* Idem in vita Firmi: *Vacate ludis, vacate Circenſibus: nos publicæ neceſſitates teneant, vos occupent voluptates.* Et adhuc nulla re addita, vt cùm idem in Probo dixit: *Dedit Romanis etiam voluptates, & quidem inſignes.*

3. SCIENTIA AVTEM DEFICIVNT.] 116. Alludit fortaſſe ad locum Iudæ in epiſt. canon. vbi: *Quæcunque naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

3. SVAVILVDIOS.] Reponunt *Suadiludios* nulla neceſſitate. Barræus inſcitè legit *ſuauios.*

3. GRÆCO QVOQVE STYLO.] Dubitat Rhenanus, an legendum *præcoquo ſtylo*, vt Tertullianus notet, inuenem ſe opus ſpectaculorum ſcripſiſſe. Sed nihil muto.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Damnantur coronamenta omnia ab origine idololatrica.

TERTVLLIANVS.

117. 1. PROINDE coronarij iſti agnoſcant interim naturæ auctoritatem communis parentis nomine, quâ homines & propriæ religionis pignora, quâ Deum naturæ proximo colentes: atque ita velut ex abundanti cæteras quoque rationes diſpiciant, quæ noſtro priuatim capiti coronamentis & quidem omnibus interdicunt.

EXPLICATIO.

1. CORONARII, Chriſtiani qui defendunt coronas. *Iſti* cum contemtu. *Interim* explica, iam nunc. *Communis parentis nomine*, Natura ſcilicet vt communis parens omnium auctoritatem habet legiſlatricem. *Quâ*, id eſt, iam. Sententia integra eſt: *Coronarij* Chriſtiani *agnoſcant* iam nunc *auctoritatem naturæ, colentes* eius ductu, iam homines, & Sanctos Martyres *pignora propriæ* Chriſtianæ *religionis*; iam de *proximo*, id eſt, propius adhuc, ipſiuſmet *naturæ Deum*. Hæc ſententia, quid inſinuet, tu videris. Fortaſſe indicat: Colant iſti & homines, & Sanctos, & Deum, ademtis coronis; non mortua idola & dæmonas, impoſitis. vel. Colant illos ſparſis floribus odoratis & ſpecioſis, vt factum omni æuo, hoc enim non contra naturam. Pergit. *Atque ita vel vt*, &c. Ait. Cùm habeant iam rationem naturalem, quæ potiſſima, videant alias, quæ prohibent coronamenta, & has quidem tantùm ad abundantiam; nam vbi eſt illa naturalis, neceſſariæ aliæ non eſſent, redundant ſcilicet.

118. 2. Nam & vrgemur à communione naturalis diſciplinæ conuerti ad propriam Chriſtianæ totam iam defendendam, per cæteras quoque ſpecies coronarum, quæ aliis vſibus proſpectæ videntur, vt ex aliis ſubſtantiis aſtructæ: ne quia non ex floribus conſtant, quorum vſum natura ſignauit (vt ipſa hæc laurea militaris) non credantur admittere ſectæ interdictionem, quia euaſerint naturæ præſcriptionem.

2. Vt intelligas hunc tractum, finge quempiam ita diſputantem contra Tertullianum. Tuo iſto argumento, ô Doctor, tantùm efficis flores non imponendos capiti, nam horum vſum ſignauit præbuitque natura viſui & odoratui: atqui ſunt multæ aliæ ſubſtantiæ ex quibus fiunt coronæ, vt puta ex lauro: iſtæ ergo aptari poterunt capiti, vt quæ euadunt præſcriptionem iſtam, nam neque viſui aut odoratui ſeruiunt. Hæc ſatis ad cognitionem ſententiæ: nam quæ alius obiiceret dicit ipſe. Nunc ſi quid difficile, enodabo. *A communione naturalis diſciplina*, eſt hoc, quod ſuprà dixit, *Auctoritatem naturæ communis parentis nomine.* q. d. Cùm dixerim non aptandos flores capiti, ſecutus naturalem diſciplinam *communis parentis*, vrgeor iam defendere non partem aliquam diſciplinæ Chriſtianæ reſpuentem vnos flores, ſed *totam* diſciplinam Chriſtianam reſpuentem cæteras omnes coronas. In arcto itaque ſum, & cogor totam defendere diſciplinam. *Aliis vſibus*, id eſt, non ſolùm viſui & odoratui. *Non credantur admittere*, &c. Pendet ſententia à particula *ne* ſuperiore. Dicit enim: *Nec non credantur*, id eſt, vt *credantur admittere interdictionem ſectæ* Chriſtianæ, putentúrque verè prohiberi, etiamſi *non conſtent ex floribus*, ſicut *lau-*

rea ipſa prohibetur. *Quia euaſerint naturæ præſcriptionem.* Perſona agens eſt, cæteræ ſpecies coronarum, quas natura præſcripto ſuo & diſciplina non alligauit huic vel illi tantùm ſenſui.

119. 3. Video igitur & curioſiùs & pleniùs agendum ab originibus vſque ad profectus & exceſſus rei. Litteræ ad hoc ſeculares neceſſariæ, de ſuis enim inſtrumentis ſecularia probari neceſſe eſt: quantulas attigi, credo ſufficient.

3. *Video igitur*, &c. q. d. Non igitur poſſum certamen ſubterfugere, tergiuerſari nequeo, debeo congredi. *Et exceſſus.* Particulam *&* explica per *etiam*, viuidiore ſenſu: vt dicat: Aperiam non ſolùm origines, & profectus, imò potiùs enormes *exceſſus. Quantulas attigi, credo ſufficient.* Id eſt, Tantulæ, quantas ego attigi, ſufficient. & *credo*, inquit, irriſoriè & vafrè.

120. 4. Si fuerit aliqua Pandora, quam primam fœminam memorat Heſiodus, hoc primum caput coronatum eſt à Charitibus, cùm ab omnibus muneraretur: vnde Pandora. Nobis verò Moyſes propheticus, non poëticus paſtor, principem fœminam Euam faciliùs pudenda foliis, quàm tempora floribus incinctam deſcribit. Nulla ergo Pandora. Sed & de mendacio erubeſcenda eſt coronæ origo.

4. Incipit ergo à prima origine coronarum, quæ habetur in fabulis, dicturus poſtea originem veram, quæ habetur in ſcriptoribus. Ad rem. *Si fuerit aliqua Pandora*, id eſt, eſto fuerit vera Pandora, & non fabuloſa. *Hoc primum caput*, pro, huius primum caput. *Charitibus*, Gratiis. *Muneraretur*, afficeretur donis. *Vnde Pandora:* dicta ſcilicet Pandora, quia affecta eſt omnium donis. Generalem tamen fabulam ad vnas tantùm Charites determinat Septimius. *Non poëticus paſtor*, vt fuit Heſiodus. *Faciliùs*, id eſt, potiùs, vt cap. 9. huius operis. *Nulla ergo Pandora.* Intellige ſcriptorem: Non dicit Pandoram fuiſſe *nullam*, id eſt, fabuloſam, quia cùm hoc ſtatim dicat, non repeteret bis. Eſt itaque ſenſus. Nihil ergo pro vobis ô Chriſtiani coronarij Pandora eſt, argumentum hoc infirmum eſt, vanum eſt, & verè nullum, nam propheta *Moyſes* præſtat Heſiodo poëtæ, & ita reſpondebit initio, vt dicat: Eſto *aliqua fuerit Pandora*, ſed certè ad argumentum nulla eſt. & interim ludit in voce, nam quæ accepit *omnia*, eſt *nulla*. acuta certè oppoſitio ab omni ad nullum. *Sed & de mendacio*, &c. q. d. Dixi vanum eſſe & infirmum argumentum, quod res poſtulabat, ſed adhuc potiùs addo, eſſe erubeſcendum ratione mendacij, quia origo tota fabuloſa. Pandora enim nuſquam, & nunquam.

121. 5. Iam nunc & de veritatibus ſuis; certè enim certos fuiſſe conſtat auctores rei, vel illuminatores. Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Iouem Diodorus poſt deuictos Titanas hoc munere à cæteris honoratum, dat & Priapo tænias idem, & Ariadnæ ſertum ex auro & Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, poſt & ſidus.

5. Attulit fabuloſam originem, iam nunc veram auctorum. q. d. Hactenus de fabula, *Iam nunc de veritatibus*, nam *certè conſtat* eſſe *auctores certos* huius *rei. Auctores, vel illuminatores.* Cùm explicationes plures cogitauerim, acquieſco in hac, vt *auctores* referam ad ſcriptores, Pherecydem, Diodorum, alios: *illuminatores*, ad pictores & ſtatuarios, poſtea enim adducit Iunonis ſignum coronatum. Nam artifex, qui ſimulacrum exhibet cum corona, nihil certè ſcribit, tantùm lucem præbet mori. & interim alludit ad χαράκτας, cuius artis vox propria eſt *illumino*. Pergit. *Pherecydes*, Poëta Syrus ſcatens αἰνίγμασι, vt ait Clemens 5. Stromat. *Diodorus.* Quo loci hoc Diodorus in incerto eſt. Perierunt certè multa veterum monumenta, è quibus iſta Tertullianus. *A cæteris honoratum.* Eſſe poteſt duplex ſenſus, prior, vt cæteri Iouem honorarint. vel. *à cæteris*, id eſt, præ cæteris, ante cæteros, vt ſuprà dixit, *ante omnes.* Procedit. *Tænias*, coronam textilem inſtar faſciæ & vittarum. *Ariadnæ*, huic (inquit) dat Diodorus coronam *ex auro & gemmis Indicis*, quæ corona *Vulcani* fuit *opus*, & *munus* Bacchi, quo Ariadnam affecit, & tandem verſa in *ſidus* eſt.

122. 6. Iunoni vitem Callimachus induxit. Ita & Argis ſignum eius palmite redimitum, ſubiecto pedibus eius corio leonino, inſultantem oſtentans nouercam de exſuuiis vtriuſque priuigni.

6. Notetur Tertulliani œconomia. Ante omnes Saturnum intulit vt principem Deorum, deinde Iouem Saturni filium, nunc Iunonem vxorem Iouis, infert deinde tres Iouis filios Herculem, Apollinem, Bacchum, complectens ita Deorum veluti ſtemma. Tandem extra ordinem erit Iſis, vt Ægyptiorum Dea, & veluti extranea. Et ſi quis maluerit, ea eſt Rhea alio nomine, & vxor Saturni, vt in Annalib. ſuis clarè docet Manaſſes. Tractus verò clarus eſt, nam tantùm ait, Iunonem veluti inſultantem priuignis Baccho & Herculi coronatam fuiſſe *palmite*, ſubiecta pedibus leonis pelle, quaſi à Baccho & Hercule exſuuias rapuerit. Verbum *induxit* explica impoſuit, ſed cum reſpectu ad coronam inumbrantem.

123. 7. Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleaſtrum, nunc apium; habes tragœdiam Cerberi, habes Pindarum, atque Callimachum: qui & Apollinem memorat interfecto Delphico dracone lauream induiſſe quâ ſupplicem: erant enim ſupplices coronarij apud veteres. Liberum, eundem apud Ægyptios Oſirim, Har-

pocration induſtria hederatum argumentatur, quòd hederæ natura ſit cerebrum ab heluco defenſare. Sed & aliàs Liberum principem coronæ planè laureæ, in qua ex Indis triumphauit, etiam vulgus agnoſcit, cùm dies in illum ſollemnes Magnam appellant coronam. Si & Leonis Ægyptij ſcripta euoluas, prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit, rem magis ventris.

7. En iam tres filij Iouis. Poſſis dicere Iouæum ſtemma deſcriptum à Septimio. *Hercules nunc populum*, &c. Senſus eſt: *Hercules præfert capite nunc populum*, de qua corona *habes tragœdiam Cerberi*, nam ibi hoc dicitur: *nunc oleaſtrum*, de qua planta *habes Pindarum: nunc apium*, de qua re *habes Callimachum. Qui & Apollinem memorat*, &c. Idem Callimachus memoriæ prodidit, Apollinem *interfecto* Pythone *induiſſe* ſibi *lauream, quâ*, id eſt, in quantum *ſupplicem*, nam *ſupplices erant* coronati. Itaque Apollo ad expiandam cædem *Draconis Delphici*, *lauream* ſibi impoſuit, vt ita eſſet purus, non aliter ac alij ſupplices, id eſt, obnoxij cædi ac ſanguini, ſolebant facere. *Liberum, eundem*, &c. Reſtat Bacchus, qui idem eſt cum *Ægyptio Oſiride*, hic coronatus eſt hedera, quod Harpocration ſcribit, vtens hoc argumento ad probandum hederam defendere *cerebrum ab heluco*, id eſt, à grauitate capitis ex vino, intelligit enim καρηκαρίαν. Illud *induſtria*, eſt, ex induſtria, ſtudioſè ad remedium contra helucum. *Sed & aliàs*, &c. Non ſolùm Bacchus hedera coronatur, ſed etiam laurea, *Qua ex Indis triumphauit*. Probat hoc, quia *vulgus dies ſollemnes*, in memoriam huius victoriæ vocat *Magnam Coronam*, qua nomenclatura lauream intelligit. *Si & Leonis Ægyptij*, &c. Reſeruauit ad extremum locum Iſidem, vt Deam peregrinam, quæ, teſte Leone ſcriptore Ægyptio, *ſpicas* prima reperit, & illis eſt coronata, quod mordens Tertullianus ait, *Rem magis ventris*, non capitis.

124. 8. Plura quærentibus omnia exhibebit præſtantiſſimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus. Nam eſt illius de Coronis liber, & origines, & cauſſas, & ſpecies, & ſollemnitates earum ita ediſſerens, vt nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum ceſpitem, aut palmitem non alicui capiti inuenias conſecratum.

8. *In hac quoque*, eſt, in reliquis *præſtantiſſimus*, & *in hac quoque materia*. Itaque, indicat plura alia ſcripſiſſe Claudium Saturninum, ſed omnia perierunt. *Non alicui capiti*, id eſt, *alicui* Deorum Gentilium *capiti*. Reliqua clara ſunt.

125. 9. Quo ſatis inſtruamur, quàm alienum iudicare debeamus coronati capitis inſtitutionem, ab eis prolatam, & in eorum deinceps honorem diſpenſatam, quos ſeculum Deos credidit.

9. En ſcopus huius capitis, deturpat enim vſum coronarum, ſumto argumento ab earum originibus, vt fecit in libro de Spectaculis. *Ab eis prolatam*, ſubaudi particulam *vt*. Eſt enim ſenſus. *Inſtitutio* coronarum debet eſſe *aliena*, vt *prolata*, id eſt, inuenta; & *diſpenſata*, id eſt, impenſa *in honorem* falſorum Deorum.

126. 10. Si enim mendacium diuinitatis diabolus operatur in hac etiam ſpecie à primordio mendax, ſine dubio & eos ipſe proſpexerat, in quibus id mendacium diuinitatis ageretur. Quale igitur habendum eſt apud homines veri Dei, quod à candidatis diaboli introductum, & ipſis à primordio dicatum eſt; quódque iam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, & idolis adhuc viuis? Non quaſi aliquid ſit idolum, ſed quoniam quæ idolis alij faciunt, ad dæmones pertinent. Porro ſi quæ alij idolis faciunt ad dæmones pertinent, quanto magis quod ipſa ſibi idola fecerunt cùm aduiuerent? Ipſi ſcilicet ſibi procurauerunt dæmones per eos in quibus eſurierant ante quàm procurauerant.

1. Cor. 10.

10. *Si enim*, &c. *Si operatur diabolus* mendacem falſamque diuinitatem, non in rebus aliis modò, ſed ſignatè etiam in *ſpecie* coronarum, *ſine dubio* iam multò ante cognitione *proſpexerat eos* (puta Iouem, Saturnum, &c.) *in quibus ageretur* falſa iſta diuinitas, ſcilicet *à primordio mendax*, id eſt, à primordio inhians falſæ iſti diuinitati. q. d. Qui *à primordio* inhiabat mendaci falſæque diuinitati, quid mirum iam tum eos, in quibus futura eſſet mentita iſta diuinitas, cognitione intueretur, coniectando ſcilicet Dæmon probabiliter, cùm aſſequi certò non poſſit, quod contingenter futurum eſt? Redeo, & nota mihi verbum *ageretur* ſumtum ab hiſtrionia, quaſi iſti diuiculi actores tantùm eſſent diuinitatis falſa quadam perſona. *Quale igitur*, &c. Concluſio clara. *Candidatis diaboli*, ita vocat Iouem, & Deos alios. *Introductum*, eſt hoc quod ſuprà, *inſtitutionem prolatam*. & verbum, *dicatum*, eſt, quod ſuprà, *diſpenſatam*. Pergit. *Non quaſi aliquid ſit idolum*, &c. Senſus eſt. Idolum nihil eſt, ſed video, ſacra quæ *alij* (id eſt, gentiles, & diuerſi à nobis, vtique alieni) idolis faciunt, *ad dæmonas* pertinere. Porro ſi hæc ſacra *ad dæmones pertinent*, quanto magis pertinebunt *ad dæmones* ſacra illa, quæ *ipſa idola* (puta Iuppiter, Saturnus) *fecerunt ſibi cùm aduiuerent*, id eſt, cùm viuerent inter ipſos homines? Quia nimirum clarè noſcebant ſe non eſſe Deos, & illa omnia ſacra mancipari dæmonibus. *Ipſa ſibi*, &c. Vereor vt ſenſus obuius verus ſit, hic videlicet: *Dæmones* ipſi *procurauerunt ſibi* diuinitatem per Iouem & Saturnum, *in quibus eſurierant* adorari, & hæc famelica eſuries in illis erat multò ante ipſam procurationem. Vereor (inquam) vt ſenſus iſte verus ſit: nam debuiſſet dicere, *antequam procurauiſſent*. Hinc in mentem aliam veni, vt dicat: *Procurauerant ſibi Dæmones* mentitam diuinitatem *per eos* deos,

in quibus adorari potiùs *esurierant*, *quàm procurauerant*. id est. non tam *procurauerant*, quàm *esurierant*. ita vt *ante* ponatur pro *potiùs*. q.d. *Procurauerant*, imò *esurierant*. non *procurauerant*. adeò scilicet impotenter diuinitatem affectabant. Eligat Lector quam volet explicationem. Expende illud, *ipsi scilicet sibi*. perinde ac si dicat: An putas dæmonas ignauos fuisse in procuranda sibi diuinitate? *procurauerunt* scilicet, &c.

NOTÆ.

127. 1. PROINDE CORONARII ISTI, &c.] In editione prima Rhenani ita scriptum: *Proinde dedecorari isti agnoscant interim naturæ auctoritatem communis patientiæ nomine.* Sed non placet.

1. INTERIM.] Hæc vocula in Tertulliano non accipienda est vulgari sensu, vt notet aliquid supponi non probatum: errabis enim sæpissime hoc putans: nam hîc nihil *interim* supponit, iam enim luculenter probauit auctoritatem naturæ. Sed *interim* est idem, quod *iam nunc*. Sic sequenti capite, *Tene interim hanc fidem*. & c. 9. clarissimè, vbi *interim audies*, est necessariò, iam nunc audies, neque esse ibi alius sensus potest. Sic c. 14. de Spectac. *Nunc interposito nosse*, id est, probata iam à me notitia.

1. QVA.] Hæc particula iterata est idem, quod *tum, tum*. Cicero lib. 9. ad Atticum: *Quâ itineris, quâ nauigationis*. Id est, iam, iam: vel tum, tum. Sic lib. 15. ad eundem: *Intelligo te diligentissimum esse quâ de Bruthociis, quâ de Bruto.*

128. 1. ET PROPRIÆ RELIGIONIS PIGNORA.] Rescribit Iunius *pignore*, & alienissimè explicat, fortasse quia noluit Sanctos agnoscere, neque illos coli sparsione florum. Sed videat consimilem periodum initio sequentis capitis: *Jam enim audio dici, & alia multa ab eis prolata, quos seculum Deos credidit, tamen in nostris hodie vsibus, & in pristinorum Sanctorum, & in Dei rebus, & in ipso Christo deprehendi.* Ergo, vt capite octauo ait, per ea quæ dij falsi inuenere peragi multa, quæ pertinent ad humanos vsus, ad cultum Sanctorum, & Dei: ita in hoc capite ait, sparsione florum non colenda idola, sed homines, Sanctos, Deum. B

2. ASTRVCTÆ.] Aliàs, *structæ*.

129. 2. LAVREA MILITARIS.] Cùm multis coronæ ex lauro seruirent, etiam militibus. Vnde hic *militaris laurea* ad distinctionem aliarum coronarum ex lauro. Liuius lib. 45. ore Seruilij: *Militum quidem propria est causa, qui & ipsi laureati, & quisque donis, quibus donati sunt insignes, triumphum nomine cient.* Martialis epig. 7. lib. 7.

Festa coronatus ludet conuicia miles,
Inter laurigeros cùm comes ibit equos.

3. QVANTVLAS ATTIGI.] Cum aspectu credo ad gustum, ita vt attigi, sit, libaui. Nam & in Theodorito lib. 4. Hist. cap. 27. video, παιδείας γευόμενος Ελληνικῆς: *Doctrinam gentilium degustans.* Ponit quippe Græcos pro gentilibus. C

130. 4. SI FVERIT ALIQVA PANDORA.] In ms. *Si fuit*. De Pandora in humanis satis multa.

4. HOC PRIMVM CAPVT.] Pro, huius caput. Potest dici locutio ista pertinere aliquo modo ad Helleniſmum, quem aperui lib. de Spectacul. cap. 15. ad illud, *Se similem nolens vtique detestatorem confitetur.*

4. POETICVS PASTOR.] Ita Hesiodum vocat ποιμένα Dio Chrysost. Orat. 1. & Ouid. 6. Fast. dat illi *Ascræas oues*. & alibi *pecudes*. Videndus Hesiodus ipse initio Theogoniæ.

4. PVDENDA FOLIIS.] Prosper de Promiss. *Operire verecundè statuit, quæ fuerant inuerecundè nudata.* Arator lib. 1. Hist. Apostolicæ,

Tunc hæc membra tegi, quæ possidet atra libido.

Simile planè argumentum Clementis Alex. ad reprehendendas superfluas vestes lib. 2. Pæd. c. 10. Αἰσχύνομαι δὲ, ὡς ἀληθῶς, ὁρῶν τοσοῦτον ἐκχεόμενον πλοῦτον, εἰς πλοῦ A αἰδοίων σκέπην. ὁ γὰρ τοι ἀρχαῖος ἄνθρωπος ὁ ἐν τῷ παραδείσῳ κλάδοις καὶ φύλλοις τοῦ σκέπην τῆς αἰσχύνης παρεμέτρει: *Pudet me, vt verè dicam, tantum opum effundi ad tegenda pudenda, cùm primus homo, qui erat in paradiso, ramis & foliis tegumentum pudoris dimetiretur.*

4. NVLLA ERGO PANDORA.] Eo sensu, quem adhibui, vocat Themistius Euphrada orat. 14. Sophistarum argumenta ἄπεδους λόγους, cum aspectu ad Homerum, id est, *Sermones nullos*. non quia sint sermones nulli, sed quia nullius efficaciæ & vigoris ad probationem. Eadem vsurpatio Athanas. Apol. aduers. Gentes, vbi bona vocat ὄντα. Mala autem οὐκ ὄντα, non quia mala non verè sint, sed dicuntur οὐκ ὄντα, id est, nulla esse, quia commentitia, & nullius veritatis fulcro nixa, vt ipse statim explicat. 131.

4. SED ET DE MENDACIO, &c.] Iunius ita legit totum hunc locum. *Sed vt de mendacio erubescenda est coronæ origo, ita nunc ea de veritatibus suis.* Bis, vt vides corrupit scriptorem, quia non illum intellexit. vt ego explicui ita clarus est sensus, vt nemini dubium esse queat. Mos pessimus commentatorum est, vt mutent, cùm non intelligunt. Certè ex manu scriptis aliisve codicibus mutari possunt lectiones: non aliter, nisi ex ratione euidentissima.

5. CERTOS FVISSE CONSTAT AVCTORES.] In vulgatis omnibus est *cæteros*, Latinius & Iunius rescribunt *cæcos*, sed manuscriptum ex fide Wouerenij habet *certos*. quæ lectio certissima, & ideo illam aliis prætuli. quadrat enim & cum cauſſali particula *enim*, & cum *veritatibus*, quæ præcesserunt.

5. ILLVMINATORES.] Explicationem, quam dedi, firmo ab Theodorito lib. 1. Hist. Eccles. cap. 1. vbi discriminans inter pictores & scriptores, pictoribus dat χρώματα, *colores*: & ab Themistio Euphrada orat. 3. qui agens de eodem discrimine, iisdem dat κομψεύεσθαι, quas voces vides non abire ab illuminatore. Præsertim cùm dicat idem Themistius orat. 16. fuisse olim ὄνειδος λόγοις συγγράφειν, ἀλλ' οὐκ ἀνομίζετο τοῖς πρώτοις Ελλησιν: *Ignominiosum libros scribere, ita vt hoc receptum non esset apud veteres Græcos.* & Athanas. Apologia aduersus Gentes, ait olim Gentilibus sculpturam fuisse loco litterarum & librorum, ad naturam Dei contemplandam. Verba eius. ὡς χράμματα εἶσιν ὑμῖν τοῦτα τῆς ὑπὲρ Θεὸν θωείας. Sed cùm non confodiam explicationem, quam semel dedi, addo aliam, ita vt particula *vel* corrigat, & minuat rem, & dicat, constat fuisse auctores, qui tamen non tam dicendi sunt auctores, quàm illuminatores, vt qui huic rei lucem aliquam præbuerint. Sic solemus. Lucrum dabis, vel lucellum. id est, vel saltem lucellum, quod est minus. 132.

5. TÆNIAS.] Locum hunc Tertulliani iam excussi ad lib. 5. Æn. vbi Poëta,

Puniceis ibant euincti tempora tæniis.

His addo, non esse dubium mihi quin Tertullianus per *tænias* intellexerit coronas roseas floreásque: nam cùm his coronaretur Priapus, quippe hortorum Deus, non est credibile Tertullianum recessisse ab hoc more. & quidem quòd fuerit ruricola, & patet, & ista Prudentij conuincunt. 1. in Symmach. vbi loquens de illo, 133.

Strenuus exculti dominus quondam fuit agri,
Hortorúmque opibus memorabilis. hic tamen idem
Scortator nimius, multáque libidine fuetus
Ruricolas vexare lupas, &c.

Roges, cur *tænias* dixerit, non *coronas* clarè? Quia Diodorus, à quo ille sumsit, & cuius hæc pars non exstat, *tænias* dixisse pro coronis credēdus est. Quæ vox non abit à Græcorum vsu. Nam Xenophon in Conu. ita ait: Καὶ τῷ νικήσαντι, τῶν μὲν ταινίας, ἀλλὰ φιλήματα ἀναδήματα παρὰ τῶν κριτῶν γίνεσθαι: *Et vt victori non tæniæ, sed loco coronarum oscula à iudicibus decernentur.* Vides vt quas primùm ταινίας, deinde vocet ἀναδήματα. Hesychius, ταινία, ἢ στέφανοι. Arnob. lib. 1. *Venerabar (ô cæcitas) nuper simulacra modò ex fornacibus promta, in incudibus deos & ex malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus tænias.* Prudent. 2. in Symmach.

--- bene cingant
Tempora tæniolis.

134. 5. ARIADNÆ SERTVM.] Clarissimus locus, & notandus digito, vt scias in Auctoribus *sertum* dici non solùm de roseis & floreis coronis, quod vulgus credit, nam ecce corona Ariadnæ, quæ ex auro & gemmis Indicis, *sertum* dicitur. Inde in Gloss. de omni corona, *sertat, id est, coronat*, στεφανοῖ. Cæterùm de Ariadne fingunt poëtæ, hanc à Theseo relictam, ductam à Bacchо fuisse, eiúsque coronam nouem stellis ornatam astris intulisse. Vide præter alios Iacobum Billium in orat. 5. Gregorij Theologi, & versus istos Prudentij 1. in Symmach.

Hoc circum saltante choro, temulentus adulter
Inuenit expositam secreti in littoris acta
Corporis egregij scortum: quod perfidus illic
Liquerat, incesto iuuenis satiatus amore.

5. EX AVRO ET INDICIS GEMMIS.] De hac coronarum materia variis iam locis Car. Paschal. De gemmis Indicis dixi ad lib. de Habit. Mulieb.

5. LIBERI MVNVS.] Nihil tritius in fabulis Poëtarum. Hîc satis sit audire Rufum Auien.

Aspice ceu rutilis vibrat lux Gnosia flammis,
Hæc quondam Bacchi monumentum fulget amoris,
Hæc Ariadnæi capitis testatur honorem.

5. POST ET SIDVS.] Alias, *postea sidus.* Legunt alij, *post Thesei*, nam Theseus quoque Ariadnem amauit, sed ante Bacchum. Pessimè scriptum in nonnullis *Thesidus.* Corona ista Ariadnæ dicta est à Prudentio lib. 1. in Symmach. *Ignis Ariadnæus.*

135. 6. IVNONI VITEM.] Cùm hæc propria fuerit Bacchi corona, non alia causa, cur Iunoni data, quàm odium nouercale, quo Iuno voluit triumphare de priuigno, & hæc est ratio Tertulliani. Sed fortasse extra hoc odium hæc planta Iunoni grata fuit, allucente aliquid Plinio lib. 14. cap. 1. vbi: *Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis stetit.*

6. CORIO LEONINO.] Hæc ad pedes Deorum (vt corium hoc ad pedes Iunonis, & dracones ad pedes Palladis) insignia, περιπερχάφεσθαι, & συμπερχάφεσθαι dicit Gregor. Nazianz. orat. contra Iulianum.

136. 7. HERCVLES NVNC POPVLVM, &c.] Coronatur Hercules *populo*, vt propria arbore; *oleastro*, vt auctor Olympicorum, & in illis victor; *apio*, vt institutor Nemeorum. Porro de *populo* planta Herculea iam ego in Æneidem, & res nota. De *oleastro*, quæ arbor præmium Olympiorum, iam etiam in Georgica Virgiliana, & eo coronatum Herculem satis docent verba Plinij lib. 16. cap. 44. *Olympia oleaster, ex quo primus Hercules coronatus est, & nunc custoditur religiosè.* Meminit Ολυμπιακοῦ κοτίνου Themist. orat. 1. Restat de apio. cur eo Victores in Nemeis coronarentur satis fusè Paschalius lib. 6. de Coronis cap. 26. Sed mihi ista placent. Cùm *apium* sit funesta herba, & qua coronati olim, qui mortuis sacra facerent, & Nemea instituta sint in gratiam defuncti Archemori, credibile est non solùm reliquos, qui in his ludis versabantur, sed ipsum Herculem institutorem ea coronatum. Sic irridet Lucianus de Gymnasiis, studium coronandi apio: *Itaque pomorum gratia atque apiorum, tanta antè laborioſe perferunt & periclitantur, dum indignis modis præfocantur mutuò, ac inhoneſtis verberibus cæduntur*, &c.

7. HABES TRAGOEDIAM CERBERI.] 137. Retuli tragœdiam ad *populum*, Pindarum ad *oleastrum*, Callimachum ad *apium*, secutus Pamelium. & res fit verisimilis ex Pindaro, qui exstat, & Olympicos ait coronatos oleastro, vt credibile sit, in tragœdia illa, quæ non exstat, factam mentionem *populi*, cùm præsertim constet tunc primùm Herculem coronatum populo ex Acherontico flumine, cùm extraxit Cerberum, vt ego iam in Æneidem; & in opere Callimachi, quod periit, apij.

7. APOLLINEM, &c.] Deum istum lauro coronatum vel ex fabula Daphnes nemo ignorat, sed ratio Tertulliani peculiaris est, quia scilicet Apollo eguit expiamine maculatus cæde interfecti draconis Delphici (Pythonem vocant) quam rationem sumsisse à Callimacho Iunius notat, apud quem Apollo interfecto eo dracone lauream coronam sumsit, καθαρσίων ἕνεκα, id est, expiationis gratia. Sed vbi hoc expiamen ab lauro Callimachus dixerit, cùm quæsierim, nondum reperi: neque verò Iunius alio, quàm nos, Callimacho vti potuit. Illud certè est verum, scribi à Plinio laurum adhiberi solitam purificationibus. & Carolus l. 8. de Coron. c. 14. notat Milesios aliquando à Brancho vate expiatos à fame ex lauri aspergine.

7. QVA SVPPLICEM.] Carolus lib. 8. cap. 11. 138. aduocans hunc locum, corrigit *quasi supplicem*, quod necessarium non est.

7. ERANT ENIM SVPPLICES CORONARII.] Supplices coronam habuisse, ita est certum, vt nihil certius. Sophocles in Oedip. Tyran.

Ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐστεμμένοι:
Supplicibus ramis coronati.

Sed Sophoclem ad velamenta supplicum, quæ in manu, quis traxerit, non certè Liuium, qui lib. 33. in re supplicum, *Cuncti magistratus circa omnia puluinaria victimis maioribus sacrificarent, populúsque coronatus esset.* Apud Appianum in Ibericis, supplices inducuntur στεφανοπάμονοι. De lectione moneo aliquos scribere *coronati.*

7. LIBERVM, EVNDEM APVD ÆGYPTIOS OSIRIM.] Scribunt hoc Diodorus lib. 1. Plutarch. de Isíde, & Osiride. Eusebius lib. 2. de Præparat. Notula ista interpretum est. Adiungo fortasse hanc esse causam, vt hederam, quam Græci Baccho consecrant, Ægyptij nominent χνόσιν, id est, *plantam Osiridis*, quod Plutarchus scribit laudato in loco. De Osiride, præter vulgares, legatur Synesius de Prouidentia.

7. HARPOCRATION.] Legatur dissertatio Critica Phil. Iacobi Mussaci de Harpocratione, nisi Lectorem auertat vt longissima.

7. HEDERÆ NATVRA SIT CEREBRVM AB HELVCO DEFENSARE.] 139. Bacchum coronari solitum hedera, putidum est persequi. De ipsa hedera mitigante ardorem ex ebrietate, quod hic attingit scriptor, locus est Athenæi lib. 15. vbi ait: *Eorum, qui nimiùm bibissent, caput vinciri solitum, hederacea præsertim corona.* & illud Arriani lib. 5. vbi ait, milites Alexandri coronatos hedera hymnum cantasse, admiratos eam esse in Nysæa vrbe, cùm præsertim eam non vidissent in tota India, ἔδ' ἵνα ἦρ οὐ τοῖς ἄμπελοι ἦσαν: *Ne ibi quidem, vbi vites sunt.* Facit aliquid illud Plinij l. 24. c. 10. vbi loquens de omnibus generibus hederarum, ait: *Omnia genera eius refrigerant.* & post pauca: *Capitis dolorem sedant, præcipuè cerebro, continentique cerebrum membranæ*, &c. De orthographia moneris, scribi à multis *edera*, quia ab *edendo.*

140. 7. HELVCO.] Significatur hac voce, & hoc præ- A
sertim loco languor quidam ac tepor capitis proue-
niens ex ebrietate. Apul. Apol. *Craſſus ipſe vbi gen-
tium eſt? An Alexandriam tædio domus remeauit? an
parietes ſuos detergit? an, quod verius eſt, ex crapula
heluco attentatur?* Ita legendus locus. Tu vide Feſtum,
alios. Scribunt & *elucum*.

7. LIBERVM PRINCIPEM CORONÆ PLANE LAVREÆ.] Addit rationem, quia in hac corona Bacchus *ex Indis triumphauit*. verè. Nam & Plinius lib. 7. de Baccho *triumphum inuenit*. De hoc triumpho ſatis multa Nonnus Dionyſiac.

7. MAGNAM CORONAM.] Ne putes ita dictam à formæ magnitudine, ſed à celebritate, quæ verè magna. Suſpicatur Lipſius in Comment. ad lib. 11. Annal. Taciti, dies iſtos ſollemnes Baccho non eſſe alios, quàm feſtum vindemiale, quod magna populi celebritate fiebat, quódque C. Cæſar primus Romæ celebrauit. De his Paulus Diaconus lib. 3. de geſtis Longobardorum cap. 6. *Procedente itaque Tiberio ad villam, vt iuxta ritum imperialem triginta dies ad Vindemiam iocundaretur, Sophia vocatum ad ſe Iuſtinianum voluit ad Imperium ſublimare*. Videatur & de his locus Lampridij in Heliogabalo, ab illis verbis, *Cùm ad vindemiam vocaſſet amicos nobiles*, &c. B

7. LEONIS ÆGYPTII.] Meminêre huius ſcriptoris Arnobius, Clemens Alexand. alij.

7. ISIS.] Nam hæc ſcilicet Ægyptiis eſt, quæ Græcis Ceres, ait Steph. & alij.

141. 7. CAPITE CIRCVMTVLIT.] Alias *capiti* pro *capite*. Nec improbo, nam olim quoque ſic, ad eum modum, quo hodie *veſperi* pro *veſpere*, & *ruri* pro *rure*, & Varro *ſegeti* pro *ſegete*. Vide me in Virgilium.

8. CLAVDIVS SATVRNINVS.] Huius opera nulla exſtant, ſed credo librum Tertulliani hunc de Corona Militis eſſe planè epitomen illius libri. C

9. IN EORVM HONOREM DISPENSATAM.] Nam Dij gentium coronati à Gentilibus ſemper inducebantur. Arator lib. 2. Hiſt. Apol. ait,

Exclamant, Diuúmque vocant, ac ſerta miniſtrant.

Sermo eſt gentilibus, qui Paulo Apoſtolo coronam afferebant, putantes illum eſſe Deum aliquem.

142. 9. QVOS SECVLVM DEOS CREDIDIT.] Conuerſatio ſeculi. Mitto olim dici *ſeculum*, quod Romani *auum*. Zoſimus 2. Hiſt. σύκουλα γὰρ τὰ αἰῶνα Ῥωμαῖοι καλοῦσι.

10. MENDACIVM DIVINITATIS.] Cyrillus Alex. ad Theodoſ. Imperat. non aliter de Idololatria loquitur, πρὸ τὸ Θεοῦ (inquit) δόξαν ἐν τῷ ψεύδει μεταλλάττοντες: *Commutantes mendaciter gloriam Dei.*

10. DIABOLVS OPERATVR.] Doctè, nam in Auctoribus bonæ notæ *opera* & *operor* ſumuntur in malam partem, omnino pro culpa. Catullus, D

O factum malè: ô malæ tenebræ:
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Cornelius Nepos, ſiue quis ille: *Hac victoria Lyſander elatus, cùm antea ſemper factioſus audáxque fuiſſet, ſic ſibi indulſit, vt eius opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonij peruenerint.* Quin Donat. ad illud Hecyræ,

Non mea opera, neque pol culpa euenit,

Ita diſtinguit, vt *opera*, ſit ſcienter lædere, *culpa*, neſcienter, vt primum illud ſit ſceleris, alterum ſtultitiæ. Ergo, *Diabolus operatur*, eſt, ſceleratè mentitur diuinitatis mendacium.

10. PROSPEXERAT.] Explicui proſpectum coniecturalem, nam cognitio futurorum contingentium propria eſt Dei. Notum illud Iſaiæ: *Annunciate nobis futura, & dicemus quòd Dij eſtis.* Origenes lib. 6. contra Celſum dixit, futurorum prædictionem eſſe χαρακτῆρα diuinitatis. Paria Ioannes Chryſoſtomus Homil. 18. in Ioannem. Hæc ſatis pro ampliſſima materia. 143.

10. ET IPSIS A PRIMORDIO DICATVM EST.] Reſcribunt, & *ipſi*, neque diſplicet. Idem ſcribit Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 8.

10. ET IDOLIS ADHVC VIVIS.] Ita legendum, non vt malè in nonnullis, *Et id idolis adhuc viuis*. Ferri tamen poſſet lectio iſta, *Et in idolis adhuc viuis*, quam repræſentat Faber lib. 1. Agon. cap. 5. Sed ferri (inquam) tantùm poteſt.

10. NON QVASI ALIQVID SIT IDOLVM.] Reſpectum ad loca Pauli, qui cùm 1. Corinth. cap. 8. præmiſiſſet, *Scimus quia nihil eſt idolum*, mox cap. 10. ita ſubiicit: *Quid ergo? dico quòd idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant.* 144.

10. SED QVONIAM QVÆ IDOLIS, &c.] Par ſententia Ambroſij enarrantis locum Pauli: *Simulacrum verè nihil eſt, quia imago videtur rei mortuæ, ſed ſub tegmine ſimulacrorum Diabolus colitur.* Theodoretus quoque, *Qui ſuperſtitionibus ſeruiunt, dæmonibus ſacrificia offerunt.*

10. QVÆ IDOLIS ALII FACIVNT.] Totus hic locus legi ita poſſet non invenuſta ſententia: *Sed quoniam quæ idolis aliis fiunt ad dæmones pertinent: porro ſi quæ aliis idolis fiunt ad dæmones pertinent, quanto magis*, &c. Petrus Faber lib. 1. Agon. cap. 5. citans hunc locum, ita legit: *Sed quoniam quæ idolis fiunt, ad dæmones pertinent: porrò ſi quæ alij idolis faciunt.* Barræus quoque legit *fiunt*, & ita quoque ſcriptum in prima editione Rhenani. Sed nihil muto. Verbum *faciunt* hoc loco, eſt ſacrorum. Vide me in illo Virgilij:

Cùm faciam vitula pro frugibus.

10. ADVIVERENT.] Ita legendum cenſet Roſvveydus in vita Malchi monachi, cùm Latinius malè legiſſet, *Cùm adhuc viuerent*, porro Hieronymus ita legit in Malcho, *Vt dum aduiueret mater.* 145.

10. ESVRIERANT.] Commodiſſima lectio, quam & codices omnes antiqui ſuadent, nec eſt cur mutetur. Itaque non placent, qui reſcribunt, *hæſurè erant*, aut *læſuri*. Eſuries enim optimè explicat rabiem illam famelicam, qua dæmones diuinitati ſuæ inhiabant, & interim animum adiicit ad deuoratores idolothytorum. Notentur hîc lectionum diſcrimina. Pet. Faber lib. 1. Agoniſt. cap. 5. ita legit, imò corrigit, *Per eos in quibus eſurierant, antequam procurarent.* Woueren. ita legit: *Per eos in quibus eſurierunt, antequam procurauerunt.* Si reponas has lectiones, poteris adhibere priorem, quam poſui explicationem: ſed ego, quia retineo antiquiſſimam lectionem *procurauerant*, & quam manuſcripti quoque ſuadent, inclinaui in poſteriorem explicationem. Sed quidem ſi ad libidinem, mutarem lectiones, vt alij faciunt, ita legerem: *Per eos, in quibus eſurierant, quos ante procurauerant*, ſententia euidentiſſima. Et quid mirum ex *antequam* faciam *quos ante*? An non maiora & librariorum peccata, & corrigentium audaciæ? Porro, Iunius, qui *per eos* explicat *inter eos*, deceptus eſt, neque video cur hîc præpoſitio *per* non notet inſtrumentum.

CAP. V.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Soluit nodum qui obstabat, vt ita melius satisfaciat quæstioni positæ.

TERTVLLIANVS.

146. TENE interim hanc fidem, dum in cursum quæstionis excutio. Iam enim audio dici, & alia multa ab eis prolata, quos seculum Deos credidit; tamen in nostris hodie vsibus, & in pristinorum sanctorum, & in Dei rebus, & in ipso Christo deprehendi, non aliàs scilicet hominem functo, quàm per communia ista instrumenta exhibitionis humanæ. Planè ita sit, nec antiquiùs adhuc in originem disceptabo.

EXPLICATIO.

147. 1. INterim, iam nunc. *Hanc fidem*, quæ prohibet coronas ex traditione. *Dum excursum quæstionis excutio*, intercurrentem quæstionem: propriè, quæstionem quæ in medio incurrit. vt hoc intelligas, nota: Coronæ è floribus prohibentur imponi capiti ab ipsa natura, nam hæc illas designauit visui & ordoratui tantùm. Hoc iam probauit. Obiici ergo posset contra Tertullianum, coronam (puta) lauream imponi posse capiti, quia à natura designata est defendendo capiti, & refrigerando contra ebrietatem. Sic de aliis. vult igitur, intercurrentem hanc quæstionem excutere, vt ita maneat liquidum, non floreas solùm, sed vniuersim reliquas coronas vetitas. Incœpit iã hoc probare in superiore septimo capite, ostendens origines omnium coronarum esse idololatricas, absoluit in sequentibus. Redeo ad cursum explicationis. *Iam enim audio dici*, &c. Obiicit sibi, quod obiici ab alio poterat. Dici enim posset: Quemadmodum multa alia inuenta sunt à Diis Gentium, Ioue, Saturno, &c. quibus tamen vtuntur homines, imò & quibus vsi sunt Sancti, & Christus ipse: cur non etiam gestari coronæ omnes possint, etiamsi inuentæ à Diis Gentium? Hæc est summa huius tractus: imò hæc est quæstio intercursans, cui vult satisfacere. *Prolata*, inuenta, edita, & (vt suprà ipse est locutus) introducta. *Deprehendi*, inueniri. *Hominem*, humanitatem, humanos actus. *Exhibitionis*, necessitatis. *Planè ita sit*. q. d. Fateor planè, multa in nobis inueniri inuenta ab illis, *quos seculum Deos credidit*. *Nec antiquiùs adhuc in originem disceptabo*, in hac quæstione de inuentionibus rerum non transiliam metas æui illorum, *quos seculum Deos credidit*. Inde statim incipiet ab inuentis Deorum.

148. 2. Primus Mercurius litteras enarrauerit: necessarias confitebor & commercij rebus, & nostris erga Deum studiis. Sed etsi neruos idem in sonum strinxit: non negabo & hoc ingenium cum Sanctis feciſſe, & Deo ministrasse, audiens Dauid. Primus medelas Æsculapius explorauerit: memini & Esaiam Ezechiæ languenti aliquid medicinale mandasse: scit & Paulus stomacho vinum modicum prodesse. Sed & Minerua prima molita sit nauem: video nauigantem Ionam & Apostolos, plus est quòd & Christus vestietur, habebit etiam penulam Paulus.

Isa. 38. *1. Tim. 5.* *Ionæ 1.* *Luc. 8.* *Act. 13. & deinceps.* *2. Tim. 4.*

149. 2. Adducit plura Deorum inuenta, quibus omnes vtimur. Omnia fermè perspicua sunt. *Enarrauerit*, in his omnibus non fatetur Deos Gentilicos fuisse inuentores, sed supponit; ideo vtitur his temporibus *enarrauerit*, *explorauerit*, *molita sit*, id est, esto *enarrauerit*, &c. Et solùm *strinxit* (id est, intendit chordas) dixit, non strinxerit, vt in aliis. Supplet certè vim temporis particula *etsi*, itaque, *etsi strinxit*, idem est quod, strinxerit. *Hoc ingenium*, id est, hoc ingeniosè inuentum. *Cum sanctis feciſſe*, id est, fuisse è re Sanctorum, consentiens fuisse cum Sanctis. Est enim phrasis Latij, *ille mecum facit*, id est, consentit. *Audiens Dauid*, Psalmos Dauidicos. *Explorauerit*, aptissimum ad rem Verbum. Medicina enim nata & alita ex ingeniosa hominum exploratione. *Plus est, quòd Christus vestietur*, de futuro, nam cum respectu ad æuum Mineruæ. q.d. Non iam miror nauigantem Ionam, & Apostolos, artificio inuento à *Minerua*, nam plus est, Christum, cùm veniat, induendum vestibus, quarum inuentum Mineruæ esse ferunt, inuenit enim illa lanificium & textrinam.

150. 3. Si & vniuscuiusque supellectilis, & singulorum vasculorum aliquem ex Diis seculi auctorem nominaris; agnoscam necesse est & recumbentem in lectulo Christum, & cùm peluem, discipulorum pedibus offert, & cùm aquam ex vrceo ingerit, & cùm linteo circumstringitur, propria Osiridis veste.

3. *Supellectilis*, propter lectulum, cuius deinde mentionem facit. *Vasculorum*, propter peluem & vreeum. *Agnoscam necesse est*, velim nolim fateri debeo vsum his Christum. *Recumbentem in lectulo Christum*, nam Christus in corona recubuit. Et *lectulum* ait, ad notandum parcissimum apparatum, quo Christus vsus est in extrema cœna. *Propria Osiridis veste*, quippe Osiris ipse, & sacerdotes eius linteati ab Gentilibus describuntur.

151. 4. Huiusmodi quæstioni sic vbique respondeo, admittens quidem vtensilium communionem, sed prouocans eam ad rationalium & irrationalium distinctionem,

quia passiuitas fallit obumbrans corruptelam conditionis, qua subiecta est vanitati. Dicimus enim ea demum & nostris, & superiorum vsibus, & Dei rebus, & ipsi Christo competisse, quæ meras vtilitates, & certa subsidia, & honesta solatia necessariis necessitatibus vitæ humanæ procurent: vt ab ipso Deo inspirata credãtur propiore prospectore, & instructore, & oblectatore, si fortè, hominis sui. Quæ verò hunc ordinem excesserint, ea non conuenire vsibus nostris, præsertim quæ propterea scilicet nec apud seculum, in Dei rebus, nec in conuersationibus Christi recognosci est.

152. 4. *Vbique*, in his aliisque inuentis, quæcunque mihi adduxeris. *Communionem*, nostram cum gentilibus. *Prouocans. Prouocare ad distinctionem rationalium et irrationalium*, est idem quod simpliciter distinguere de vsu consentaneo rationi aut dissentaneo. *Eam*, id est, *communionem vtensilium. Passiuitas fallit*, &c. id est, communis frequénsque rerum vsus *fallit* homines *obumbrans*, id est, non sinens internoscere, quemadmodum malè vtentes corrumpamus res conditas ad humanas necessitates. *Quâ subiecta est vanitati*, nimirũ conditio. Ea scilicet parte qua condita omnia subiecta sunt vano mortalium vsui. *Dicimus enim*, &c. En distinctio illa, ad quam prouocauit, qua distinctione respondet quæstioni intercurrenti. Sensus integer est. *Ea* inuenta competunt *vsibus*, Sanctorum, & Dei, quæ assumuntur ex mera vtilitate, certo subsidio, honestóque solatio, nam tum rationaliter assumuntur, creduntúrque *inspirata à Deo*: *quæ hunc* rationis *ordinem excesserint*, ea ad nostros vsus assumenda non sunt. Percurro, si quid difficile. *Superiorum*, id est, Sanctorum & Christianorum, qui in Christo dormierunt. *Procurent*, verbum proprium. *Propiore prospectore*, vide vt sibi consentiat, *prospector* respicit vtilitates, *instructor* subsidia, *oblectator* solatia. Puto autem sermonem Septimij ita generaliter de omnibus dici, vt priuatim respiciat vnum Christum. Quasi dicat. *Credantur inspirata à Deo prospectore, instructore, oblectatore hominis sui* Christi. Indicat enim Tertullianus omnia mortalium inuenta, vni in primis Christo filio fuisse à Deo patre præordinata & præstructa. Triplex ratio, cur ita accipiam. Prima, suprà de Christo, *hominem functo*, hîc ergo, *hominis sui*, erit, Christi sui. Altera, vox comparans *propior*, me ad Christũ ducit, Deus enim filij sui naturalis prospector fuit propior, quàm aliorum. Tertia, verba illa *oblectatore, si fortè, hominis sui*, capienda vnicè de Christo, qui vitam habuit alienam ab omni oblectamento, & ideo ait, *si fortè*, quasi dicat, nullum habuit Christus oblectamentum, sed si fortè habuit, illud prospectum à Patre est filio suo hisce inuentis. *Quæ verò hunc ordinem*, &c. Clara hæc. *In conuersationibus Christi*, in victu, habitu, vestitu Christi conuersantis inter homines. *Recognosci est*, helleniſmus, ἔστιν ἀναγνώσεσθαι, καταγνώσεσθαι.

NOTÆ.

153. 1. INCVRSVM.] In vulgatis legitur seperatim *in cursum*, puto iunctim legendum *incursum*.

1. NON ALIAS SCILICET.] Iunius legit, non alia scilicet, id est, non alia via, aut ratione. Sed nulla tamen ratio huius mutationis.

1. HOMINEM FVNCTO.] Explicui, functo humana omnia, & Helleniſmum agnosco, Athen. lib. 15. cap. 5. ἐν τούτῳ μοι δοκεῖ Διονύσῳ ὁ βίος αὐξῆναι τὸ σῶμα. vbi βίος non est aut *vita*, aut *victus* (quæ duæ vocis huius significationes) sed mortales omnes & viuentes, omnino humanum genus. Itaque reddendus Athenæus: *Propterea mihi videntur mortales hanc* (hederaceam coronam) *sacrasse Baccho*. Ergo, vt *vita* pro viuentibus, ita *homo* pro humanis.

1. EXHIBITIONIS.] Dixi alibi de hac voce.

1. PLANE ITA SIT.] Hæc verba contra Iunium, qui si non hîc, aliis certè in locis perturbat sententiam abiungens particulam *planè* à sequentibus, & coniungens antecedentibus.

1. NEC ANTIQVIVS ADHVC IN ORIGINEM DISCEPTABO.] Iunius ita: *Nec antiquiùs: adhuc in originem disceptabo*. putátque sententiam esse luculentissimam. Sed non suadet: sententia enim verissima est, nec antiquiùs quàm à Diis disceptabo in originem. Et ait *adhuc*, quia in superiore capite ab iisdem Diis cœperat.

154. 2. PRIMVS MERCVRIVS, &c.] De inuentoribus rerum, quam rem hîc attingit Tertullianus, nihil dicam, nam in promtu est Polydorus Virgilius, aliique; cùm præsertim sciam rem istam non quæri ab studiosis Tertulliani.

2. STRINXIT.] Adnotetur hæc vox ad musicam, quasi comprimatur constringatúrque fidicula. Sic *strangulare* de auaro dixit Statius in Surrentino Pollij.

Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Diuitias.

Sic Martialis de eodem,

--- arca flagellat opes.

2. NON NEGABO, &c.] In editione prima Rhenani aliter scripta hæc periodus, scilicet: *Non negabo & hoc ingenium, cùm Sanctis feciſſet, & Deo miniſtraſſet audiens Dauid*: Neque displicet; erit verò sententia: Non negabo & hoc canendo ingenium, cùm præsertim audiens, id est, obediens Dauid ingenio hoc & Sanctis feciſſet, & Deo miniſtraſſet. Sed præfero vulgarem lectionem. Adeatur Gregorius Nyssenus tractu 1. in Psal. cap. 3. vbi piè de Dauidicis cantilenis.

2. VINVM MODICVM PRODESSE.] Vt aspergam aliquid eruditionis huic notæ, Plutarchus dixit lib. 1. sympoſiac. οὐχ ἧττον τῶν μούσων τὸν Διόνυσον ἢ τῶν Νυμφῶν κορεννῦντες: *Non segniùs Bacchum Muſis quàm Nymphis permiſcentes*. Scilicet vino affusa lympha, & ea diluto, vires corporis roborantur. Sic accidit in colloquiis eruditionis sale conditis. Ita ait Apostolus, *vinum modicum prodeſt ſtomacho*.

2. HABEBIT ETIAM PENVLAM PAVLVS.] Dixi satis locis aliis de penula. Hîc affero quæ dixit Sedulius Hybernenſis in collectanea epistolæ prioris ad Timotheum cap. 4. *Penula est lacerna in modum cucullæ*. Item, *Penula Latinum est, id est, lacerna clarata*.

3. AGNOSCANT NECESSE EST ET RECVMBENTEM IN LECTVLO CHRISTVM.] 155. Tractat hunc locum Sirmondus Noster in epist. 11. lib. 1. Sidonij, aitque, ideo, quia Christus recubuit, Ioannem qui per ætatem fortasse vltimus erat, Christi proximum in eius sinu accubuisse. Etenim sic dispoſi-

ta erat res ista in stibadio, vt Christo primus locus daretur, deinde cæteri accumberent, & vltimo loco esset Ioannes, ac propterea in sinu Christi acquiesceret, ita videlicet erat cœna Christi; non, vt nunc volunt pictores, in medio Christus stipantibus Apostolis hinc inde latera; sed verè in dextro cornu, & circumstabant reliqui, & claudebat agmen illud sacrum Ioannes, qui propterea recubuit ad latus Christi. Ita musiuum opus Capuæ à Desiderio Cannensi Abbate, qui Victor II. fuit, dedicatum.

156. 3. LINTEO CONSTRINGITVR PROPRIA OSIRIDIS VESTE.] Quia Ægyptij non laneis, sed lineis vtebantur, præcipuè sacerdotes. Vopiscus in Aureliano, *lineas Aegyptias*, id est, tunicas. Iterum, *lineas Afras, & Aegyptias puras.* Herodotus lib. 2. de Aegyptijs, εἵματα δὲ λίνεα φορέουσι ἀεὶ νεόπλυτα: *Linea ferunt vestimenta semper recèns abluta.* Et inf. post pauca: ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἱ ἱρέες λινέην μούνην: *Sacerdotes ferunt tantùm vestem lineam.* Plinius lib. 19. cap. 1. loquens de lino Ægyptiorum: *Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimæ.* Apul. Apol. 1. *Mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modò indutui & amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris vsurpatur.* Dicit hoc extremum, quia sacra inuoluebantur, non lana, sed lino. Sic & Cassianus lib. 1. cap. 5. loquens de monachis Ægypti, dat illis *colobia linea.*

157. 4. VTENSILIVM.] Vox patrum. Cassianus lib. 4. cap. 20. *Vtensilia in quibus ministrauerant, ac vasa consignant.* Tertull. Apolog. *vtensilitas.*

4. PASSIVITAS.] Id est, frequentia temere A vsurpata, à voce *passim*, quæ vox sæpè notat id quod crebrò fit & temerè, vt cùm Tibull. lib. 4. dixit,

Pannonius gelidas passim discectus in Alpes.

Et Arnobius lib. 2. *An nunquid hæc fieri passim & inaniter creditis?* id est, temere, & absque vllo consilio? Et Eulogius Electus Archiepisc. Tolet. lib. 1. Memorialis Sanctorum: *Licèt formidolosis facultas collata sit declinandi rabiem persecutionis, non tamen passim hoc obseruandum est à perfectis.* Sed de Passiuitate dixi alibi, & firmaui. Malè in nonnullis *passiuilitas.*

4. OBVMBRANS.] Non dubium quin locutio 158.
sumatur ab arboribus, quod clarum, & firmant præterea verba Ambros. lib. 1. de Virg. *Ne ficus adhuc, id est, delicioſa deliciarum obumbret prurigo mundi.* Sed B
cur *fallit obumbrans*? Fortasse, quia vmbra arborum incerta, ideo dicitur *fallere*, inde Græci vmbras arborum dicunt, σκιὰς ἀφάτους. Et Virg. Eclog. *incertas vmbras.* Postquam hæc scripsi, incidi in Tusanum, qui notat *adumbrare* proprie esse leuiter informare, cùm adumbrare sit, linea quadam picturarum aliquid effingere & simulare. Græci σκιαγραφία. Cicero in Tuscul. *Est autem gloria, solida quædam res & expressa, non adumbrata.* Hoc est, non scalpta. Probat deinde aliis. Non autem abit *adumbro* ab *obumbro.*

4. QVÆ MERAS VTILITATES.] Aliis quâ, neque displicent.

4. SI FORTE.] Dixi ad librum de Pallio, aliis item locis.

4. CONVERSATIONIBVS.] Vox ascetica, de qua alibi.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

Neminem vnquam veteris & noui testamenti legi in scripturis vsum corona, nisi Christum cui imposita tantùm ad cruciatum.

TERTVLLIANVS.

159. 1. QVIS denique Patriarches, quis Prophetes, quis Leuites, aut sacerdos, aut ἄρχων; quis vel postea Apostolus, aut Euangelizator, aut Episcopus inuenitur coronatus? Puto nec ipsum Dei templum, nec arca testamenti, nec tabernacula Martij, nec altare, nec candelabrum: quibus vtique & in prima dedicationis sollemnitate, & in secunda restitutionis gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset.

3. Reg. 6. & 8. 1. Esdr. 7. 1. Cor. 10. 1. Cor. 3. Zach. 9. Philipp. 2. Rom. 9. Matth. 27. 1. Esd. 2. & 3.

EXPLICATIO.

1. PATRIARCHES. Retinet formas Græcorum, nam hi πατριάρχης, προφήτης, &c. est ἄρχων, princeps. Primæ quinque voces pertinent ad dignitates veteris testamenti. *Quis vel postea*, transit ad ministros noui. est *Euangelizator*, Euangelista. *Puto*, ironicè, vt Græci οἶμαι, scit certissimè. *Tabernaculum martyrij*, est, tabernaculum testimonij, *Quibus vtique*, &c. Si hic mos esset in veteri testamento, aliqua affulsisset mentio aut in prima aut secunda dedicatione templi. Nam quando *coronari* competebat, nisi tunc?

160. 2. Atquin si figuræ nostræ fuerunt (nos enim sumus & templa Dei, & altaria, & luminaria, & vasa) hoc quoque figuratè portendebant, homines Dei coronari non oportere. Imagini veritas respondere debebit. Sed forsitan oppones ipsum Christum coronatum. Ad hoc breuiter interim audies. Sic & tu coronare, & licitum est.

2. *Atquin*, pro atqui, quod visum sæpè. *Homines Dei*, expendatur hoc. Christiani dicuntur Dei homines cum oppositione ad Gentiles. *Imagini veritas respondere debebit.* Quia scilicet *imago* (definiente sic Hilario lib. aduersus Arrianos) *est rei ad rem coæquandæ imaginata & indiscreta similitudo.* Illud, *interim audies*, est, iam nunc audies, vt suprà explicatum. Et nota, verba ista *breuiter interim audies*, non respicere immediata illa, *sic & tu coronare*, sed ista, *tamen nec illam*, quæ iam explico.

161. 3. Tamen nec illam impietatis contumelioſæ coronam populus conscivit. Romanorum militum commentum fuit, ex vsu rei secularis, quem populus Dei nec publicæ vnquam lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ nomine admisit; faciliùs cum tympanis & tibiis & psalteriis reuertens de captiuitate Babyloniæ, quàm cum coronis; & post

Exod. 32.

cibum & potum exſurgens ad ludendum ſine coronis. Nam neque lætitiæ deſcriptio, neque luxuriæ denotatio, de coronæ decore aut dedecore tacuiſſet. Adeò & Eſaias, quando inquit, cum tympanis & tibiis & pſalteriis bibunt vinum: dicturus eſſet etiam, cum coronis, ſi vnquam hic vſus fuiſſet & in Dei rebus. Iſai. 5.

3. Reſpondet quæſtioni de corona Chriſti, illam non decretam à populo Iudaico, ſed à Romanis militibus excogitatam in contumeliam Chriſti & cruciatum. *Conſciuit*, communi ſciuit decreto. *Rei ſeculari*, vocat gentilitatem, ſecularem rem. *Nec publicæ vnquam lætitiæ*, &c. Id eſt, nec *nomine* ac titulo *publicæ* alicuius feſtiuitatis, nec priuatæ *luxuriæ*, quæ Iudaïco populo *ingenitæ* in poculis. *Faciliùs*, eſt potiùs. *Cum tympanis*, &c. Ecce *lætitiã publicam*, in qua non coronati. *Et poſt cibum & potum*, &c. Ecce priuatam *ingenitámque luxuriam*, in qua nec coronati. *Nam neque lætitiæ deſcriptio*, qualis in reuerſione à captiuitate. *Neque luxuriæ denotatio*, qualis poſt cibum & potum indecora & denotanda, verè eſt, ſaltatio. *De coronæ decore, aut dedecore.* Decus reſpicit publicam lætitiam, dedecus priuatam epularum luxuriem. Eſt enim ſenſus. Iudæos nunquam vſurpaſſe coronas neque in publicis ſollemnitatibus, quod fuiſſet honeſtum, nam ex recepto more: neque in priuatis gaudiis conuiuiorum, quod fuiſſet turpe, nam ex mera luxuria. *Adeo & Eſaïas.* Adducit locum Eſaiæ, vbi Propheta loquẽs de inſtrumentis ſociis conuiuiorum, non tacuiſſet coronas, ſi iſtæ in vſu conuiuantium. Nam ſi illæ fuiſſent in vſu *in rebus Dei*, credibile eſt Iudæos inde illas aſſumturos ad priuata gaudia.

NOTÆ.

162. 1. ΑΡΧΩΝ.] Dicebantur apud Iudæos ἄρχοντες, id eſt, *principes*, vel, vt ego puto, qui erant principes ſynagogæ, & dicti Archiſynagogi, quę vox in Marco, Luca, Actis Apoſtolicis: vel qui aliis eſſent ditiores, nam exemplo mihi ſunt Romani, apud quos hac ratione vox iſta illis in vſu: vel demum qui eſſent capita familiarum, vt putat nobilis interpres noſtræ ſocietatis in cap. 3. Ioannis. Ita Iairo Lucæ 8. ὁ ἀρχὼν τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχε. Et de Nicodemo Ioannis 3. ἄρχων τῶν Ἰουδαίων. A

1. MARTYRII.] Μαρτυρίου, id eſt, teſtimonij, qua voce vſi ſunt LXX. Reperitur vox iſta in Concil. Chalced. Act. 4. pro baſilica Martyrum. Dicitur enim ibi Concilium congregatum, ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας καὶ καλλινίκου μάρτυρος Εὐφημίας, *in Martyrio ſanctæ & pulchræ Martyris Euphemiæ.* Ergo, vt dicitur *tabernaculum martyrij*, id eſt, teſtimonij: ita Eccleſiæ martyrum dicuntur *martyria*, vt quæ teſtificentur agonem martyrum. Non abit vſus Aldhelmi lib. de virg. cap. 26. vbi loquens de Sancta Chriſtina, *purpureo perfuſa cruore pro Chriſto martyrizauit*, id eſt, teſtimonium reddidit ſuo martyrio.

1. IN SECVNDA RESTITVTIONIS GRATVLATIONE.] Habetur hoc lib. 1. Eſdræ cap. 7. Malè autem in nonnullis ſcribitur *preſtitutionis*, pro, reſtitutionis. B

2. FIGVRÆ NOSTRÆ FVERVNT.] Ita clamat Paulus. Et qui non? Pulchrè Aldhel. de Virg. cap. 11. res omnes veteris inſtrumenti vocat *latebroſa latibula*, vt in quibus latebant Euangelica luminaria.

3. CONSCIVIT.] Explicat Rhenanus, decreto communi ſciuit. Et verè. Nam aduocat Liuij loca duo: *Quod Senatus P.R. Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum priſcis Latinis fieret.* Alibi. *Itaque conſentio conſciſcoque.*

163. 3. COMMENTVM FECIT.] Carolus Paſchalius lib. 8. de Coron. cap. 4. imponit Tertulliano, nam citans locum hunc legit *inuentum*, reperit fortaſſe in aliquo codice, reprehenditque illum, vt immemorem. Ait enim, malè ſcribi coronam fuiſſe inuentum militum, cùm priùs dixiſſet fuiſſe inuentum Liberi. Lis iſta adimitur, ſi ſcribas, vt omnes ſcribunt, commentum. Sed eſto, in aliquo codice legatur *inuentum*, non debet reprehendi Tertullianus, quia tantùm ait, inuentam tunc coronam à militibus ad cruciandum Chriſtum. Neque loquitur de prima inuentione.

3. INGENITÆ LVXVRIÆ NOMINE.] Vide quo charactere Iudæos afficiat. Fuit enim gens iſta ventri ac gulæ nimiùm addicta, vt ex multis prophetarum locis colligi poteſt, reprehendentium immoderatam populi huius gaſtrimargiam. Et quidem de luxuria in epulis capiendum Tertullianum, certum eſt ex ſequentibus. 164.

3. CVM TYMPANIS, &c.] De hac celebritate videatur cap. 3. lib. 1. Eſdræ. Et cap. 12. lib. 2. Porro conuiuia Iudęorum peragi ſolita cum Muſica (quam rem hic attingit Tertullianus) præter loca Scripturæ, facilè colligas ex Themiſtij Euphradæ orat. 7. vbi inter magnificas epulas conſuetum cani ait, μέλος Ἀσσύριον, καὶ ἐκ Λιβάνου: *Carmen Aſſyrium atque ex Libano.* Et clarè ex Cyrillo Alexand. Hom. 2. de Feſtis Paſchalibus: Ἰουδαίοις μὲν ὅτι νόμῳ καὶ σκιᾷ καὶ τύπῳ στεφανουμένοις, τοῖς διὰ σαλπίγγων ἀπηχήμασι προκηρύττειν τὰς ἑαυτῶν ἑορτάς: *Iudæi quidem qui in lege & vmbra figuráque gloriantur, feſtos dies ſuos tubarum clangore prænuntiant.* Et Amos cap. 6. cùm ait: *Væ vobis qui dormitis* (vel, vt Hebræa vox ſonat, *accumbitis*, quia ſermo eſt de lectis cubitoriis) *in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem pſalterij.* Vbi loquitur de recubitu ad menſam, & cantus adhibebant ad delectationem conuiuij.

3. CIBVM ET POTVM.] De hac luxuria lege cap. 32. Exodi.

3. ADEO ET ESAIAS.] Lege hunc cap. 5. vbi reprehendit hoc vitium. Malè à Pamelio & Iunio (vt hic illum videatur aſſequi, non re inſpecta) citatur cap. 15.

3. DICTVRVS ETIAM CVM CORONIS.] Nimirum coronæ inuentum eſt Gentilium. Clemens Papa 4. Recognit. *Peruerſæ autem & erraticæ religiones introducuntur, quibus ſe plurima pars hominum per occaſionem feriarum & ſollemnitatum dederunt: Potus inſtaurantes & cõuiuia, tibiáſque & fiſtulas, & citharas, ac diuerſa genera muſicorum ſectantes, vt ſemetipſos per omnia temulentiæ ac luxuriæ propinantes. Hinc omnis error accepit originem ire in lucos & aras, hinc coronas & victimas repetere, & poſt ebrietatem quaſi lymphatis moribus agi.* 165.

CAP. X. ARGVMENTVM.

Corona Christianos non decet, nam ea idolorum est.

TERTVLLIANVS.

166. 1. ITA cùm iccirco proponis, Deorum secularium commenta etiam apud Deum deprehendi, vt inter hæc coronam quoque capitis communi vsui vindices; ipse tibi iam præscribis non habendum in communione vsus apud nos, quod non inueniatur in rebus Dei.

EXPLICATIO.

1. *Commenta*, videlicet quæ narrauit in cap. 8. adducens plura inuenta Deorum gentilium. *Præscribis*, statuis contra te ipsum, legem & præscriptionem. Vt vim argumenti intelligas, finge quempiam arguentem ita: Sicut vtor inuentis aliis Deorum in rebus Dei, ita possum vti coronis, etiamsi illas Dij inuenerint. Respondet. Contra te arguis, nam alia inuenta seruiunt deprehenduntúrque *in rebus Dei*, vt tu ais; coronæ nunquam.

167. 2. Quid enim tam indignum Deo, quàm quod dignum idolo? quid autem dignum idolo, quàm quod & mortuo? Nam & mortuorum est ita coronari, vel quoniam & ipsi idola statim fiunt & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda idololatria est.

2. *Indignum Deo*, &c. Sententia clarissima, quæ hactenus perobscura ex peruersissima lectione. *Quid autem tam dignum idolo.* Ait, quæ digna sunt mortuis, esse perinde digna idolis, nam idola omnia mortua sunt. *Nã & mortuorum est ita coronari.* Mos receptissimus apud Gentiles. *Vel quoniam*, &c. Perinde ac si dicat. vel hoc ipso coronantur mortui, quia transeunt in *idola*, transeunt verò *habitu & cultu*, quo consecrantur. *Habitu*, explica, modo, ratione, forma. *Secunda idololatria*, nam prima idololatria & principalis est cultus datus dæmonibus, altera quæ datur hominibus mortuis transeuntibus in iura idolorum.

168. 3. Igitur qui sensu careant, illorum erit proinde vti ea re, cuius sensu carerent æquè, si abuti vellent, si sensu non carerent. Nulla verò distantia est abutendi, cùm veritas cessat vtendi, cessante natura sentiendi, quáve quis abutatur, cùm non habeat qua vtatur.

3. Prima hæc periodus variè agitatur, mutatur, legitur, credo quia non intellecta. Sed explico illam. Dixerat idola mortua coronari, inde colligit, *igitur qui sensu careant, proinde* (id est, vt carentes sensu) *illorum*, non Christianorum, *erit vti ea re* (hoc est, corona) *cuius sensu*, scilicet colore & odore, *carerent æquè, si abuti vellent, si sensu non carerent*. Id est, si abuti vellent cùm viuerent, haberéntque suos sensus. Dixerat quippe in superioribus flores designatos à natura visui & odoratui: ait nunc: mortuorum, quibus nullus est sensus, est vti frustra coronis in capite æquè, id est, similiter vt vterentur cùm viuerent: in quo merus abusus, nam flores seruiunt naribus & oculis, non capiti. Itaque dementia, quam vides vsurpari in mortuis habentibus coronam in capite, nihil distat ab dementia in quam incurrerent si essent viui. Procedo. *Nulla verò distantia*, &c. Hæc quoque periodus malè vexatur, quia pariter non intellecta. Explicabo consequenter ad superiora, sed & intelligas, suppone priùs ita obiici ab aduersario: Malè à te dictum est Tertulliane abusum viuentium esse quoque malum vsum mortuorum: nam viui cùm habeant sensus videndi & odorandi, abutuntur floribus, si illos imponant capiti: non ita mortui: nam cùm careant his sensibus, nihil contra naturam admittunt habentes flores in capite, vt quos frustrà illorum aut oculis aut naribus obiicias. Respondet ergo: *Cùm veritas cessat vtendi*, id est, cùm in mortuis non est vsus florum, & quem natura præscribit, quæ dat illos oculis & naribus, nam hic verus vsus illorum, nihil hoc distat à viuentium abusu, etiam si esset in mortuis *natura sentiendi*, illáve natura, quæ requiritur, vt dici possit abusus, quia scilicet deest omnis vsus. Incipe, vt clariùs intelligas ab extremo membro, & retrocede inuersim hoc modo. Cùm mortuus *non habeat* naturam *qua vtatur, quáue abutatur*, quia cessat *natura sentiendi*, si *cessat* tamen *veritas vtendi*, tunc nihil distat ab abusu. q. d. Cùm cessat verus vsus vtendi floribus, vt verè cessat, cùm imponuntur capiti, etiamsi mortuus non possit dici abuti, quia caret omni sensu, tamen hoc nihil distat ab abusu. Nihil hac sententia & explicatione clarius & euidentius.

169. 4. Nobis autem abuti apud Apostolum non licet, facilius non vti docentem; nisi
1. Cor. 7. quòd nec abutuntur qui nihil sentiunt: sed vacat totũ, & est ipsum quoque opus mortuum, quãtum in idolis; viuũ planè quantũ in dæmoniis, ad quæ pertinet superstitio.

4. Ait Paulus 1. Corinth. 7. loquens cum viuis: *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Ait ergo Tertull. ita abhorret Paulus ab ipso nomine *abusus*, vt maluerit dicere, *non vsus*, ducens hoc esse *facilius* potiúsque ad docendum. Sed & si Paulus de mortuis loqueretur, non posset dicere *abusum*, quia cùm nihil sentiant non habent abusum, quia scilicet neque vsum: hinc est vt coronamenta ista mortuorum vacantissima sint, & *opus* verè *mortuum*; tantùm *viuum* in re dæmonum, ad quos *pertinet superstitio* ista, vt qui sentiant se coli.

170. 5. Idola nationum, inquit Dauid, argentum & aurum. Oculos habent, nec vi-
Psal. 113. dent: nares habent, nec odorantur: manus, nec contrectabunt. Per hæc enim flori-
bus frui est. Quòd si tales edicit futuros, qui idola fabricantur, tales iam sunt qui se-
cundùm idolorum ornatum quid vtuntur.

5. *Oculos habent*, omisit aures, quia istæ nihil ad flores. *Frui est* id est, frui datur. Est hellenismus. *Edicit*, expende verbum, veluti edicto quodam pronuntiat Dauid. *Quid vtuntur*, scilicet, vtuntur aliquid, id est, κτ aliquid, est enim hellenismus. Nam Græci præpositionem subaudiunt.

171. 6. Omnia munda mundis: ita & immunda omnia immundis, nihil autem im-
Tit. 1. mundius idolis. Cæterùm substantiæ mundæ, vt Dei res, & hac sua conditione com-
munes vsui: sed ipsius vsus administratio interest. Nam & ego mihi gallinaceum ma-
cto, non minùs quàm Æsculapio Socrates: &, si me odor alicuius loci offenderit,
Arabiæ aliquid incendo; sed non eodem ritu, neque eodem habitu, nec eodem appa-
ratu, quo agitur apud idola.

6. *Omnia munda mundis*, verba sunt argutantis contra Tertullianum. *Ita & immunda*, &c. His respondet. *Cæterùm substantiæ*, &c. Replicat rursus argutator, aitque: *substantias* omnes *mundas* esse, quia *res Dei*. & ex sua creatione debent esse *communes vsui*. *Sed ipsius*, &c. Respondet & huic obiectioni, multum interesse, id est, referre, qualis sit vsus istius administratio. *Arabiæ aliquid*, aliquid thuris, Arabici odoramenti. *Neque eodem habitu*, non eadem ratione, qua vos. Fortasse, non coronatus, vt vos. Ita vt *habitum* dicat propter coronam, nam Gentiles coronati obibant sacra.

172. 7. Si enim verbo nudo conditio polluitur, vt Apostolus docet (si quis autem di-
1. Cor. 10. xerit, hoc idolothytum est, non contigeris) multò magis cum habitu & ritu & appa-
ratu idolothytorum contaminatur. Ita & corona idolothytorum efficitur. Hoc enim
ritu & habitu & apparatu idolis immolatur auctoribus suis, quorum eo vel maxi-
mè proprius est vsus, ne in communionem possit admitti, quod in Dei rebus non
inuenitur.

7. Alludit ad locum Pauli 1. Corinth. 10. *Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare.* Vocat ergo Tertullianus *verbum nudum* simplicem illam admonitionem, qua me quisquam conuiuantium monet, *hoc est idolothytum*, ad quam vocem nudam & simplicem ita exhorrescere debet fidelis, vt statim non debeat tangere aut manducare. Ergo ait. *Si verbo* illo audito debes abstinere, *multo magis*, &c. Percurro. *Conditio*, id est, creatura, verè cibus ipse. Ait enim, audita solùm hac voce, *idolothytum est*, iam cibum censendum pollutum. *Si quis autem*, &c. Inclusi verba Apostoli parenthesi, ad maiorem claritatem. *Cum* puto esse præpositionem, vt dicat: Multo magis conditio contaminatur cum habitu. *Ita*, &c. Ad hunc modum *corona efficitur* vnum ex idolothytis Dixi alibi, & est verissimum, *idolothytum* non solùm sumi pro cibo immolato dæmoniis, etiamsi hoc sit propriè & κατ' ἐξοχὴν, sed pro quacunque re illis oblata. Ergo ait, ita corona est iam idolothytum. Et probat: quia *hoc ritu & habitu*, &c. *Auctoribus suis*, &c. idolis auctoribus coronarum. *Quorum eo vel maximè*, &c. Nouitius ita ordinet: *Quorum* idolorum *proprius est vsus, ne in communionem* Christianorum *possit admitti*, vel maximè *quòd in Dei rebus non inuenitur.*

173. 8. Propterea Apostolus inclamat: Fugite idololatriam. omnem vtique & to-
1. Cor 10. tam. Recogita syluam, & quantæ latitant spinæ! Nihil dandum idolo, sic nec sumen-
dum ab idolo. Si in idolio recumbere, alienum à fide, quid in idoli habitu videri? Quæ
2. Cor. 6. communio Christi & Beliæ? & ideo, fugite. Longum enim diuortium mandat ab
idololatria, in nullo proximè agendum.

8. Pergit adducens alia testimonia. *Inclamat*, expende verbum gestuosissimum, notantur enim vociferationes. *Fugite idololatriam.* Paulus 1. Corinth. 10. Fugite ab idolorum cultura, sed Tertullianus retinuit vocem Græcam. *Omnem vtique & totam.* Explicat intelligendum Paulum, de omni idololatria quantum ad numerum, & à tota, non à parte quapiam. Perinde. Fugite omnes culturas idolorum, & quamcunque omnium *totam. Recogita syluam*, cogita & sæpiùs cogita idololatriam esse *syluam. quantæ* ergo *latitant spinæ*, vt in sylua horrentissima. *Sic nec sumendum ab idolo*, quia idola coronabantur. *In idolio*, in mensa, aut loco, aut templo, conuiuio idolorum, & attingit locum Pauli 1. Corinth. 8. *In idoli habitu*, in corona idoli. *Mandat*, subaudi agere, nam postea *agendum.*

174. 9. Draco etiam terrenus de longinquo non minùs spiritu absorbet alites. Ioannes,
1. Ioann. 5. Filioli (inquit) custodite vos ab idolis, non iam ab idololatria, quasi ab officio, sed ab
idolis, id est, ab ipsa effigie eorũ. Indignũ enim, vt imago Dei viui, idoli & mortui fiat.

9. *Draco etiam terrenus*, Basilius. *Terrenus*, expende: si hoc terrenus, quid idololatria, spiritualis draco? *De longinquo*, à longinquo etiam. *Spiritu*, flatu. *Ioannes*, scilicet epist. 1. cap. 5. vbi, *custodite vos à simulacris*, sed Tertullianus retinuit Græcam vocem εἰδώλοις. *Non iam ab idololatria*, expendit sententiam Ioannis, qui non dixerit cauendum *ab idololatria*, id est, *ab officio* & actu idololatrico: *sed* adhuc *ab idolis*, id est, ab effigie illorum, quia Christianus coronatus effigies est coronati idoli. Quod postea explicat, cùm subiicit, *indignum enim*, &c.

175. 10. Vsque adhuc proprietatem istius habitus & ex originis censu, & ex superstitionis vsu idolis vendicamus: ex eo præterea quòd dum in rebus Dei nostri non refertur, magis magisque imago illorum deputatur, in quorum & antiquitatibus, & sollemnitatibus, & officiis conuenitur. Ipsæ denique fores, ipsæ hostiæ & aræ, ipsi ministri & sacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum sacerdotalium coronas apud Claudium.

Baruch.6.

10. Extrema hæc capitis pars continet anacephalæosin dictorum hactenus. *Proprietatem istius habitus*, &c. Explica. Iure quodam *vendicationis* dedimus idolis *habitum* coronæ vt proprium, idque ex origine quam habet corona, & ex vsu superstitioso illius. *Ex originis censu.* Fecit hoc cap.7. *Censum* explica æstimationem. *Et ex superstitionis vsu.* Fecit hoc cap.5. vbi probauit esse contra naturalem vsum. *Ex eo præterea*, &c. Fecit hoc cap.8. & 9. *Refertur*, inuenitur, numeratur. *Conuenitur*, vel inuenitur: vel verè conuenitur aditúrque corona, & versantur homines cum illa. *Ipsæ denique fores*, &c. Hæc omnia Notarum sunt.

176. 11. Sed & illam instruximus distinctionem differentiæ rationalium & irrationalium, eis occurrentem, qui communionem in omnibus de quorumdam exemplorum occasione defendunt. Ad hanc itaque partem causas iam ipsas coronarias inspici supereſt, vt dum ostendimus extraneas, imò & contrarias disciplinæ, nullam earum rationis patrocinio fultam probemus, quòd possit habitus eiusmodi quoque communioni vindicari: sicut & quidam quorum exempla nobis obiectantur.

11. *Instruximus*, fecit hoc cap. 8. *Occurrentem*, contradicentem, euertentem. Quippe distinctio illa euertit sententiam contrariorum. *De quorumdam exemplorum occasione*, nam cap.8. adduxit multa, quæ communia Christianis & Gentilibus. *Ad hanc itaque partem*, &c. Iacit fundamentum sequentibus capitibus, & sententia est: Cùm exemplo aliarum rerum, quæ communes sunt Gentilibus & Christianis, velint probare aduersarij coronas quoque debere esse communes, *supereſt inspici causas* coronarũ: nam si ostendantur istæ causæ *extraneæ* à nobis, imò *contrariæ*, nulla erit ratio quę defendat nos posse coronari. *Quòd*, est, quamobrem. Ait scilicet, ostendam ratione nullam esse causam propter quam *habitus* coronæ possit quoque admitti in communitatem, *sicut & quidam* alij aliarum rerum habitus admittuntur, *quorum* habituum *exempla nobis obiectantur.* Respicit scilicet ea, quæ dicta cap.8. vbi adducta multa, quæ communia Christianis & Gentilibus, aitque coronas inter illa non numerãdas. Adduco exemplum. Non si habitus vestium, quę inuentæ à Minerua, vsurpatur à Christianis, ideo debet vsurpari habitus coronæ, quæ inuenta à Libero.

NOTÆ.

177. 1. CORONAM QVOQVE CAPITIS COMMVNI VSVI VINDICES.] Hæc est omnium codicum lectio, neque displicet, sed legi etiam possit, *coronam quoque capiti communi vsu vindices.*

2. QVID ENIM TAM INDIGNVM DEO, QVAM QVOD DIGNVM IDOLO?] In vulgatis omnibus legitur peruersissimè, *Quid enim tam dignum Deo, quàm quod indignum idolo?* Quæ lectio nec præcedentibus quadrat, nec sequentibus, quam ego sequor suggerit Vvouerenius ex vetere codice, & ipse priùs correxeram, quàm in eo vidissem.

2. MORTVORVM EST ITA CORONARI.] Sollemne hoc apud veteres. Clemens lib.2. Pædag. cap.8. ἢ τῶν νεκρῶν καταστεφανοῦσιν, *coronant mortuos.* Euripid. Troadib.

---πέπλοισιν ὡς περιστείλῃς νεκρὸν
Στεφάνοις θ'.
---*peplis vt adornes cadauer,*
Coronisque.

Sophocles in Antigone,

Χοαῖσι πεισπόνδοισι τὸν νέκυν σέβει:
Libationibus ter libatis mortuum coronat.

Minutius: *Nec mortuos coronamus.* De hoc more pluribus in Æneidem.

2. IDOLA STATIM FIVNT ET HABITV ET CVLTV CONSECRATIONIS.] Dere hac est Minutij locus in Octauio: *Quando igitur hic Deus nascitur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur. Nondum Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur. Nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur. Tum postremò Deus est, cùm homo ille voluit & dedicauit.*

3. QVI SENSV CAREANT.] Posset legi claritatis gratia, *quum sensu careant.* & fortasse *quum* transiit in *qui* scribentium incuria.

178. 3. CVIVS SENSV CARERENT ÆQVE, &c.] Rescribit Iunius, *Cuius sensu carent, atque si abuti vellent.* Alij: *Cuius sensu carent, ac quasi abuti vellent.* & proferunt codices manuscriptos. Omitto alios, qui adhuc peiùs. Non nego constare horum sensum: sed cùm lectio vulgaris sit optima, cur mutatur? & esse optimam, liquet ex nostra explicatione. Modò *abuti*, significet malè vti, vt sæpe: modò operam perdere & consumere, de qua significatione vide Turnebum lib.1. cap.8.

3. QVAVE QVIS ABVTATVR.] Iunius pessimè, *qua vult quis abutatur.* Alij pari censura, *qua velut quis abutatur.* Frustra omnia; nam perfectissima est explicatio, quam posui.

3. CVM NON HABEAT QVA VTATVR.] Cur Iunius addat interrogationem, non satis video.

179. 4. QVANTVM AD DÆMONIA.] Tractat etiam hunc locum in libro de idololatria, vbi ait, idola

esse nihil, & honorem illis impensum redundare tantùm in dæmonas.

5. OCVLOS HABENT, &c.] Videatur Cyprianus lib. 3. Testimoniorum aduersus Iudæos num. 59. Lactant. lib. 2. *His* (Diis) *peplos & indumenta pretiosa, quibus vsus velaminis nullus est, his aurum & argentum consecrant, qui tam habent, qui accipiunt, quàm qui illa donarunt.* Sanctus Martialis (si eius est) in epist. ad Tholosanos cap. 6. *Hæc autem sunt opera hominũ, non videntia, neque audientia, quia nec flatum habent, quæ nec se, nec vos quicquam iuuare possunt; quin potius cultores suos in malitiam æternæ tribulationis submerserunt.*

5. CONTRECTABVNT.] Fortasse *contrectant.*

6. GALLINACEVM ÆSCVLAPIO.] Idem scribit lib. de Anim. cap. 1. & Apologetico cap. 46.

180. 7. VERBO NVDO.] Credo virum peritissimum in iure, allusisse ad formulas, quæ in iure sunt, vbi frequenter legas: *Nuda possessio, nuda proprietas, nuda ratio, nuda traditio.* Videlicet possessio, cui non proprietas admista: proprietas, à qua abest vsus fructus: ratio, vbi aliquod debitum in rationes refertur, cùm tamen nulla caussa præcesserit debiti: traditio, quæ non habet iustam & idoneam caussam transferendi dominij. Sic ergo *nudum verbum* erit, quo quis admonetur ab homine, in quo nulla auctoritas admonendi, quasi tale sit nudum omni auctoritate & fulcro.

181. 7. ITA ET CORONA IDOLOTHYTORVM EFFICITVR.] Heliodorus lib. 1. Hist. Æthiopicæ, de Chariclea, δάφνη τὴν κεφαλὴν ἔστεφε: *Lauro caput coronatum habebat.* & lib. 5. eandem infert Charicleam δάφνης τε φέρουσαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς στέφανον: *Coronam ex lauro capite gerentem.* & lib. 3. ὁ δ' ἀνθίνοις στεφάνοις διάπλεκον: *Pars coronis ex floribus confectis implicita.*

8. ET QVANTÆ.] Aliqui, *ecquantæ.*

8. QVÆ COMMVNIO CHRISTI ET BELIÆ?] Dilatat cognatis aliis Drogon Epis. Hostiensis: *Quid columbæ & coruo, quid candido & nigro, quid Iudæ & Ioanni, quid Christo & Beliæ?* Aliis Cassianus collat. 12. cap. 16. *Disparantur cœlum ab inferno, Christus à Belial.*

182. 9. DRACO ETIAM TERRENVS.] Longè aliter in editione prima Rhenani, scilicet: *Draco etiam terrenus de longinquo hominis spiritus absorbet. Altiùs Ioannes, filioli,* &c. Nec mihi displicet propter rationes, quas iam alij. Nam cùm illud de Basilisco sit fabulosum, non videtur Tertulliano inferendum in re seria. & iuxta hanc lectionem sententia capietur de dracone Apocalypseos, qui è terra ascendit, dicitúrque absorbere spiritus hominum, quia illos dementat. & mox optimè sequitur; *Altiùs Ioannes,* quia scilicet ait non solùm fugiendum ab *idololatria*: vt Paulus: sed adhuc ab ipsis *idolis.* Hæc de lectione Rhenani. Sed vulgatam defendes à verbis Isidori lib. 12. Etym. cap. 4. vbi: *Basiliscus Græcè, Latinè interpretatur Regulus, eo quòd Rex serpentium sit, adeò vt eum videntes fugiant, qui olfactu suo eos necat; nam & hominem, vel si aspiciat, interimit. Siquidem ad eius aspectum nulla auis volans illæsa transit; sed quamuis procul sit, eius ore combusta deuoratur.* Heliodorus lib. 3. Hist. Æthiop. ἐν ὄφεων δ' ὁ καλούμενος βασιλίσκος, ὅτι καὶ πνεύματι μόνῳ καὶ βλέμματι πᾶν ἀφανίζει καὶ λυμαίνεται τὸ ὑποπῖπτον, ἴσως ἀκήκοας: *Et quòd serpens, qui basiliscus dicitur, solo afflatu & aspectu obuia quæque exsiccet & interficiat, fortasse audisti.* Horus Apollo lib. 2. cap. 57. ἐκεῖνος γὰρ (βασιλίσκος) τοὺς πλησιάζοντας τῷ ἑαυτῆς φυσήματι φονεύει: *Hic enim* (basiliscus) *propius accedentes afflatu suo perimit.*

183. 10. IN REBVS DEI NOSTRI NON REFERTVR.] In prima editione Rhenani mendosissimè legitur, *in rebus Dei nostri infertur.*

10. ILLORVM DEPVTATVR.] Allusum fortasse ad cap. 6. Baruch, vbi ait loquens de idolis: *Coronas certè aureas habent super capita sua Dij illorum.*

10. OFFICIIS.] Vocat *officia* ministeria, quæ Gentilium sacris, aut ipsismet Gentilibus impenduntur. & hoc respectu nominabit infrà cap. 11. *Officiales coronas.* ita interpretes.

10. CONVENITVR.] Ita lib. 2. aduers. Marcion. *Cùm vtrunque conueneris in creatore,* hoc est, deprehenderis. & lib. 4. *Hæc conueniemus.* & iterum: *Quemcunque conueneris in via.* Rhenanus & Pamelius.

10. FORES.] Ouid. 4. Fast.

Et tegat ornatas longa corona fores.

Catullus,

Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat.

Quia ianuæ potentiorum coronabantur. Hoc sensu putant dici ab Synesio epist. 98. ἐγὼ μὴ δευτέρους πέμπεσθαι τῶν κολακεύειν τοὺς θύρας εἰδότων: *Nec posteriores ponere illos, qui sciunt adulari portas.*

10. HOSTIÆ.] Tangit morem istum Euripid. Iphig. in Aulide, vbi de ipsa Virgine, cùm ducitur vt victima ad sacrum,

Σὲ δ' ἐπὶ κάρᾳ στέψουσι καλλικόμαν
Πλόκαμον Ἀργεῖοι:

Te pulchricomam capútque tuum coronabunt Argiui. Sensum heus tu. Cesso, nam de hoc more iam plenè & copiosè in lib. 9. Æneid.

10. ARÆ.] Ouid. 3. Trist. 184.

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Prop. lib. 3.

Ipse coronatas vbi thure piaueris aras.

Stat. 3. Syluar.

---date serta per aras,
Festaque pallentes hilarent altaria lucos.

Huc respectum credo à Plauto, Mercatore, vbi Dorippa mulier,

---aliquid cedo,
Qui hanc vicini nostri aram augeam, Syra.

Cui respondet Syra ancilla,

Do sanè hanc virgam lauri.

De lectione moneo, malè in nomullis legi *areæ.*

10. MINISTRI.] In quacunque re sacra coronabantur ministri etiam. Macrob. 3. Satur. cap. 16. loquens de conuiuio sacro, ita ait: *Cùm interfum conuiuio sacro, animaduerto hunc piscem à coronatis ministris cum tibicine introferri.* Ministros Bacchi in Orgiis coronatos fuisse notius est ab vno Nonno, quàm scribi debeat. & Catul. de Berecynt. & Aty capita Mœnadum vocat *hederigera.* Eurip. Bacchis.

---κισσῷ τε στεφανωθεὶς
Διόνυσον θεραπεύει:
---hedera coronatus,
Liberum colit.

Notetur tamen obiter (id quod alibi, & nescio vbi dixerim) coronam licere, emollita iam temporis illius persecutione. Ita Prudent. hymno 4. περὶ στεφ. Cæsaraugustam ministram Christi coronatam ponit,

Cæsarauguſta ſtudioſa Chriſti
Verticem flauis oleis reuincta
Pacis honore.

10. SACERDOTES.] Stat. 3. Thebaid. 185.

Ergo manu vittas, damnatáque vertice serta
Diripit, abiectáque inhonorus fronde sacerdos
Inuiso de monte redit.

Ammianus lib. 29. *Militaria signa, & coronam sacerdotalem cum cæteris quæ interceperat, nihil cunctatus re-*

stituit. Plin. lib.16. cap.4. *Deorum honori sacrificantes* (coronam) *sumsêre, victimis simul coronatis.* Hieronymus in vita Hilarionis: *Sacerdos eorum* (Gentilium) *vt erat coronatus.* De corona sacerdotali intellige Lampridium scribentem in Alexandro Seuero, permissam matronis coronam illam, cum qua sacrificium facerent.

186. II. QVOD POSSET.] Legit Iunius, *quo posset*, id est, quo patrocinio. Quam lectionem ita probo, vt putem tamen γνήσιον Tertulliani fuisse *quòd.* Sed & Vvouerenius totam periodum ita supplet ex manuscripto. *Quo possit habitus huiusmodi, vsus quoque communioni vindicari, & si sunt quidam, quorum exempla nobis obiectantur.* & addit censuram suam, neminem posse ambigere de veritate huius lectionis. Ego verò ambigo, nam istud supplementum necessarium non est. Nam quid rogo deest in hac sententia? Probabo nihil esse: *quòd possit habitus quoque eiusmodi communioni vindicari.* Iam cùm illud, *sicut & quidam* mutant in *etsi sunt quidam*, quod obsecro lucrum?

CAP. XI. ARGVMENTVM.

Quærit an militia Christianis sit licita.

TERTVLLIANVS.

187. 1. ETENIM vt ipsam caussam coronæ militaris aggrediar, puto priùs conquirendum, an in totum Christianis militia conueniat. Quale est alioquin de accidentibus retractare, cùm à præcedentibus culpa sit?

EXPLICATIO.

1. IPSAM, δεικτικῶς, & ἐμφατικῶς. *Accidentibus*, quippe corona militaris, & talia eiusmodi militiæ conueniunt ὡς συμβεβηκότα. *Retractare*, disputare, mouere quæstionem, & docere.

188. 2. Credimúsne humanum sacramentum diuino superduci licere, & in alium dominum refpondere post Christum, & eierare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari, & post Deum diligi præcepit? Hos & Euangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoque honorabit?

Exod. 20. Leuit. 19.

2. Sciat Lector Tertullianum non sentire illicitam esse omnem militiam, hanc enim quæstionem iam agitauimus ad librum de idololatria, quamuis semper inclinet in partem, quæ dicit non esse licitam, quia scilicet vt plurimum ætuo illo illicita erat militia, nam tota admista idololatriæ: itaque malè nunc hæretici ex Tertulliano sibi blandiuntur. Ergo in hoc tractu & sequentibus intellige illum loqui de militia, & actibus militaribus, qui meram idololatriam spirant. Sed iam ad explicationem. *Humanum sacramentum*, militare. *Diuino* baptismali. *Superduci* superinduci. *& in alium dominum respondere post Christum*, est hic *respondere* in significatione propria. vt *reponere* proprie est iterum ponere, *reducere* iterum ducere. ita ergo *respondere* est iterum spondere, & noua se sponsione obligare, *in*, id est, erga *alium dominum*, id est, Imperatorem. *Post Christum*, id est, postquam Christum primùm spoponderis. & adhuc signatè *respondere*, quia scilicet ea sponsio fiebat respondendo, vt nunc in sacramento baptismi. *Et eierare patrem*, &c. Nam sacramentum militare ita erat rigidum, vt præ vnius Imperatoris salute militi abiuraretur salus omnium charissimorum, qui illum contingebant, salus videlicet patris, matris, &c. *Hos & Euangelium*, &c. Sensus clarus est, scilicet parentes anteponendos in amore reliquis omnibus vno excepto Christo, quod non facit, qui se addicit militari sacramento, nam principem Gentilem parentibus anteponit contra Euangelium; sensus (inquam) clarus est, sed huic sensui aptare verba, non ita clarum. Ego sic apto: *Sic quoque & Euangelium* (est persona agens) *honorabit hos* parentes *faciens* illos *pluris* reliquis omnibus, tantum non *pluris Christo solo?* q. d. Certè Euangelium non permittet ita inuerti ordinem dilectionis honorisque, cùm parentes iubeat anteponendos in amore, & vnum tantùm excipiat Christum. Adducam in Notis explicationem aliam.

189. 3. Licebit in gladio conuersari, Domino pronunciante, gladio periturum, qui gladio fuerit vsus? & prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conueniet? & vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum vltor iniuriarum?

Matth. 26. 1. Cor. 6. Matth. 5.

3. *In gladio conuersari*, versari in gladio & bello, ibique habere conuersationem institutionémque. *Gladio periturum*, Matth. 26. *Cui nec litigare conueniet?* Litem actionémque suscipere. Nec dubium quin loquatur de iniusta lite, vt scilicet de iniusto prælio, vt liquidum ex loco Pauli 1. Corinth. 6. ad quem alludit. Nam Apostolus postquam dixit, *Iam quidem omnino delictum est, quòd iudicia habetis inter vos*, subiicit, *sed vos iniuriam facitis & fraudatis.* Quæ sequuntur, *& vincula & carcerem*, &c. accipienda sunt de iniustis vinculis aut contra Christianos, vt fermè Imperatores persequebantur illos; aut contra alios, in quos iniustè bellum mouebatur.

190. 4. Iam & stationes aut alij magis faciet, quàm Christo? aut & Dominico die, quando nec Christo? Et excubabit pro templis, quibus renuntiabit? & cœnabit illic,

1. Cor. 8. vbi Apostolo non placet? Et quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit,
Ioann. 19. incumbens & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi? Vexillum quoque portabit æmulum Christi? & signum postulabit à principe, qui iam à Deo accepit?

4. *Stationes.* Scripsi iam in lib. de Orat. cap. vlt. *Stationem* apud auctores Ecclesiasticos habere duplex significatum, & vtrunque sumi à militia. Nam primò *statio* erat vigilia diurna, vt in lib. 2. ad Vxorem dico cap. 4. Deinde, quia stationes fiebant quoque diebus ieiunij, factum vt *statio* Ecclesiastica sumatur pro ieiunio Ecclesiastico, & hoc militari quoque exemplo: nam milites cùm erant in stationibus, abstinebant ab omni cibo. Inde illud, vigiliam diurnam (nam hæ sunt *Stationes*) *faciet* alij, *quàm Christo*? aut militares stationes *faciet die Dominico, quando nec Christo*? quia scilicet die Dominico non ieiunandum. *Et excubabit* obiens militares vigilias ad custodienda idola *pro templis* ante templa, *quibus renuntiauit* in baptismo? *Vbi Apostolo non placet*, scilicet in idolio. vide 1. Corinth. 8. *Et quos*, dæmonas. *Super luncho*, est, super hasta. *Aemulum Christi*, quia in vexillis Gentilium depicti Dij Gentiles. *Et signum postulabit*, videlicet militarem tesseram, *qui accepit* signaculum Crucis in baptismo?

191. 5. Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari à tuba Angeli exspectat? & cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circumspici possunt castrensium munium transgressioni interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est.

5. *Mortuus etiam*, &c. Fuit mos Castrensis cadauera efferri ad cantum tubicinis, quem hîc vocat *aneatorem*. *Inquietabitur.* Concipit rem tragicè, attribuit enim mortuo nihil sentienti, quod tribuendum funeri, comitantibúsque funus & exsequias. Est enim sensus. Tuum ô mortua funus *inquietabitur* humana tuba, qui exspectas Angelicam? *Et cremabitur*, &c. Nam Gentilium cadauera cremabantur, qui mos receptissimus in castris. *Cui cremare non licuit*, scilicet alios. Ait enim: Ipse *cremabitur*, qui non potest aliorum *cremare* cadauera? *Cui Christus merita ignis indulsit*? Cui Christus passione sua indulsit æterni ignis supplicium, quod merebatur? *Quanta alia*, &c. Perinde: Nulla sunt ferè Castrensia munia, quæ non pro transgressione Christianæ legis reputari debeant.

192. 6. Planè si quos militia præuentos fides posterior inuenit, alia conditio est, vt illorum quos Ioannes admittebat ad lauacrum; vt centurionum fidelissimorum, quem
Luc. 3. Matth. 8. Act. 10. Christus probat, & quem Petrus catechizat: dum tamen suscepta fide atque signata, aut deserendum statim sit, vt multis actum: aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur: aut nouissimè perpetiendum pro Deo, quod æquè fides pagana condixit. Neque enim delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem militia promittet.

6. *Planè si quos*, &c. Dixerat illos esse transgressores, qui à castris Christi transirent ad secularem militiam: ait nunc aliam esse rationem illorum, qui priùs milites fuerant, quàm suscepissent fidem. & ponit exemplum. Vt *alia est conditio illorum, quos Ioannes admittebat ad lauacrum*; *vt* etiam duorum *Centurionum fidelissimorum*, vnius *quem Christus probat*, & alterius *quem Petrus catechizat*; dum tamen, &c. Annecte ita: alia est conditio, dum tamen. *Signata* propter signaculum Crucis, quos recèns baptizati accipiunt in fronte. *Deserendum* sacramentum militare. *Cauillandum*, cauendum *ne quid aduersus Deum committatur*, illorum, quæ adhuc *nec ex militia* seculari *permittuntur*, vt sunt latrocinia, & adulteria, & multa alia, quæ passim peccant milites. *aut nouissimè*, aut tandem *perpetiendum* est, si fieri aliter non possit, *pro Deo*, *quod æquè* & similiter *fides pagana condixit*, subeunda (inquam) mors est pro Deo, quod similiter paganorum militum fides *condixit*, id est, constituit, spopondit, promisit faciendum pro terreno principe. Subeundum est illud, cui se etiam fides paganorum addixit, cui se obligauit. Est hîc *fides pagana*, fides ethnicorum. Non enim audio notam marginalem, quæ est in prima editione Rhenani. *Neque enim*, &c. Apage vt putes ex vi militiæ concedi impunitatem delictorum, immunitatem martyriorum.

193. 7. Nusquam Christianus aliud est. Vnum Euangelium, & idem IESVS negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem confessorem Dei: & saluam facturus
Matth. 10. animam pro nomine eius amissam, perditurus aut de contrario aduersus nomen eius lucri habitam. Apud hunc tam miles est, paganus fidelis; quàm paganus est, miles infidelis.

7. *Nusquam Christianus aliud est*, in militia, aut extra militiam esse idem debet. ratio, quia *vnum Euangelium*, &c. Quæ sequuntur, clara sunt. *De contrario*, contrà, è contrario. *Lucri habitam*, animam, quæ se precio magni lucri facit. *Apud hunc tam miles est*, &c. Hic locus elusus potiùs ab aliis, quàm explicatus est. efficiam illum clarissimum. *Paganus* triplicem habet significationem. Prima significat hominem rusticum & è pago, quæ nihil pertinet ad hunc locum. Deinde significat hominem non addictum militari sacramento, vtique ἀπρόκλειτον & ἀστράτευτον, & ita directè opponitur militi. Hæc significatio pertinet ad hunc. est ergo sensus: *Apud Deum fidelis paganus*, vtique ἀπρόκλειτος & non addictus, *tam miles est, quàm miles infidelis, est* apud eundem *paganus*, vtique non miles. Perinde. Nihil interest apud Deum sit aliquis addi-

ctus militiæ vel non addictus, sit miles vel non miles, nam fidelem pro addicto habet, etiamsi non sit addictus: infidelem contrà pro non addicto, etiamsi sit addictus. Respondet scilicet hæc sententia præcedentibus verbis, *negaturus omnem negatorem, confessurus omnem confessorem Dei.* Procedo. Tertiò *paganus* significat hominem ethnicum, vsu Ecclesiastico, & iuxta hanc significationem potest esse altera explicatio, vt dicat priore loco non militem, posteriore, ethnicum. Qui non est miles secularis, tam miles est apud Deum, si sit fidelis; quàm miles infidelis, est ethnicus apud eundem. Hanc credo significationem indicant Rhenanus; Pamelius, alij. Sed ego primæ meæ insisto, vt quæ maiore consecutione cohæreat cum præcedentibus. Quid quòd hæc altera explicatio parum habet acuminis? nam illud *quàm miles infidelis est paganus*, idem est, ac si dicat, quàm miles infidelis, est infidelis. Quod satis insulsum est.

194. 8. Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum & directò negandum, necessitate quis premitur tormentorum siue pœnarum, tamen nec illi necessitati disciplina conniuet: quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi martyrij, quàm euadendæ pasionis & implendi officij. Cæterùm subuertit totam substantiam sacramenti caussatio eiusmodi, vt etiam voluntariis delictis fibulam laxet. Nam & voluntas poterit, necessitas contendi, habens scilicet vnde cogatur.

8. *Non admittit status fidei*, &c. Verissima propositio, quam probat tum istis. *Nulla est necessitas*, &c. tum illis, *Nam & ad sacrificandum*, &c. Cùm ait *disciplina*, intelligitur Christiana, quæ seuera. *Implendi officij* secularis & humani. *Cæterùm subuertit*, subaudi particulam *ita*, vt dicat; Cæterùm ita subuertit, vt etiam, &c. est enim ellipsis huic auctori frequens. *Fibulam laxet*, id est, viam aperiat & concedat licentiam impunem, & ansam det delictis. *Nam & voluntas poterit, necessitas contendi.* Cùm nolint obire disciplinam, dicent se non posse. *Habens scilicet vnde cogatur*, habens tormenta.

195. 9. Vel ipse hæc præstruxerim ad cæteras officialium coronarum caussas, quibus familiarissima ista ducatio necessitatis: cùm iccirco aut officia fugienda sint, ne in delictis incidamus; aut & martyria toleranda sint, vt officia rumpamus. De prima specie quæstionis, etiam militiæ ipsius illicitæ plura non faciunt, vt secunda reddatur. Nisi omni ope expulero militiam, frustra iam de corona militari prouocarim. Puta denique licere militiam vsque ad caussam coronæ.

9. *Vel* explica, *etiam*, dicit enim se præstruxisse & præoccupauisse hæc quæ dicuntur de necessitate, non solùm ad exterminandam lauream coronam, sed etiam cæteras, nam & aliarum quoque futiles caussæ adducuntur. De cæteris autem coronis dicet in sequentibus. *Ducatio*, ductus necessitatis: necessitate enim tanquam duce magna innituntur. *Vt officia rumpamus*, scilicet prætermittendo illa, & non adimplendo: & quidem rumpamus hæc officia, velut quædam retia & vincula. *De prima specie quæstionis.* videlicet quæstionem hanc, *An militia sit licita*, diuidit in duas partes. Prima est, an militia in communi sit licita, & hanc agitauit hoc capite: altera, An laurea militaris, quæ est veluti pars militiæ, sit licita, & de hac deinceps dicturus. *Militiæ ipsius illicitæ*, hæc verba satis indicant verissima esse, quæ dixi initio capitis, Tertullianum tantùm damnare militiam illicitam, non omnem. *Plura non faciunt*, id est, plura ad quæstionem generalem non pertinent, dicta iam sunt à me, quæ dicenda in ea quæstione. Clariùs. De prima quæstione nulla iam est quæstio, quia non plura faciunt illam disceptabilem: & ideo dixit *etiam militiæ ipsius illicitæ*, id est, quantumuis militiam fingas illicitam, attigi omnia contra illam argumenta. *Vt secunda reddatur*, vt transeam ad secundam de corona tantùm, vt secunda reddatur disceptabilis. *Nisi omni ope*, &c. Nisi magnis argumentis (qualia adducta sunt in hoc capite) expulissem *militiam* in communi, *frustra* disceptauerim cum aduersariis *prouocauerimque* de corona, quæ pars illius militiæ. & ait *expulero* de tempore perfecto, vt indicet viuidam fuisse argumentorum vim, quibus vsus in hoc capite. *Puta denique*, &c. Explicant, puta ita in communi militiam licitam, vt tamen sit illicita ex accidente & accedente coronamento. Sed non placent: nam ex multis aliis capitibus est illicita, scilicet ex custodia Deorum Gentilium pro templis, ex cremation gentilica, aliisque, quæ intulit. Ergo ait: tandem permitto tibi putes fingásque militiam (quam ego multis illicitam esse probaui) tibi esse licitam, donec perueniam ad secundam caussam quæstionémque de corona militari, vbi videbis vel ex hac vna militiam Gentilicam tibi reddi illicitam. Hanc esse mentem Tertulliani manifestè efficiam sequenti capite.

NOTÆ.

196. 1. DE ACCIDENTIBVS.] Non displicent qui legunt de *accedentibus*, nam postea *præcedentibus*, sed nihil mutandum.

1. RETRACTARE.] Proferunt ex manuscripto *tractare*, nec mihi displicet, nam esset idem, quod docere. Vsu enim Patrum Doctores Ecclesiæ dicebantur *tractatores*. Augustinus de Doctrin. Christiana: *Diuinarum scripturarum tractator & doctor.* Petrus Chrysolog. serm. 91. *Vacat humanus sermo, silet prædicatio tractatoris.* Ansbertus lib. 2. Apocalyp. *Prædixi autem & prædico, non me de huius visionis qualitate propriam sententiam dare, de qua maiorum Ecclesiæ tractatorum video sententias variare.* id est, doctorum. Inde & quas vulgò homilias sanctorum dicimus, olim *tractatus* dicebantur. Glossæ veter. ὁμιλητὴς, *tractator.* Vincentius Lirinens. in Commonitorio cap. 40. apertè ait, *tractatores* esse eosdem, qui & *doctores*, cùm inquit: *Doctores, qui tractatores nunc ap-*

pellantur. quos hic idem (licet hoc addere) *Apostolus Paulus etiam prophetas interdum nuncupat, eo quòd per os prophetarum mysteria populis aperiantur.* Sed nihil tamen muto, tum quia *retractare* frequentissimum Tertulliano, tum quia hæc eadem tractantis significatio conueniat quoque retractanti.

2. CREDIMVS HVMANVM SACRAMENTVM, &c.] Eleganter transtulit verbum terrenum militare ad militiam regni cælestis. Leo serm. 3. de Natiuit. *Si cælestis militiæ sacramentum seruaueris.* Lactant. lib. 5. cap. 2. *Sacramenti, quod acceperat, proditor factus est.* Tertullianus ad Martyras cap. 3. *Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tum cùm in sacramenti verba respondimus.* Arnob. lib. 2. *Salutaris militiæ sacramenta deponere.*

2. ET IN ALIVM DOMINVM RESPONDERE POST CHRISTVM.] Baronius hæc accipit de iuramento, quod fiebat per *Maiestatem Imperatoris,* quod dabatur Christianis militibus post Christum. id est, secundo loco postquam maiestatem Christi iurauerant. Id autem dicit innixus auctoritati Vegetij lib. 2. cap. 5. *Iurant autem per Deum, & per Christum, & per Spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, quæ secundùm Deum generi humano diligenda est & colenda.* Vide Baronium tomo 2. Annal. pag. 658.

197. 2. EIERARE PATREM, AC MATREM, ET OMNEM PROXIMVM.] Rectè notat Lipsius ad lib. 14. Annalium Taciti expressam prope à Tertulliano formulam militaris sacramenti. Nam apud Sueton. cap. 15. Calig. ita legitur: *De sororibus auctor fuit, vt omnibus sacramentis adiiceretur: Neque me liberósque meos cariores habebo, quàm Caium, & sorores eius.* Arrianus lib. 1. cap. 14. τῷ Θεῷ ἕδει ἢ ἡμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, ὅτον οἱ στρατῶται τῷ Καίσαρι. ἀντὶ ἐκείνου μὲν τὸν μισθοφορέαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι πάντων περιτιμότατον τὸν τὸ Καίσαρος σωτηρίαν: *Oportet præstare nos Deo iuramentum, quale milites Cæsari. At illi mercede accepta iurant rebus omnibus se præposituros salutem Cæsaris.* Huc pertinet proculdubio obtestatio illa Lælij ad Cæsarem apud Lucan. lib. 1.

Pérque tuos iuro quocunque ex hoste triumphos,
Pectore si fratris gladium, iugulóque parentis
Condere me iubeas, plenaque in viscera partu
Coniugis, inuita peragam tamen omnia dextra.

Et lib. 7. vbi,

---non vos pietatis imago
Vlla, nec aduersa conspecti fronte parentes
Commoueant, vultus gladio turbare verendos.

Liuius lib. 10. *Opes Deorum etiam adhibuerant ritu quodam sacramenti vetusto, velut initiatis militibus.* Ait ergo Tertullianus: Non superducendum sacramentum militare sacramento baptismali, nam cùm lege Christi doceamur patrem ac matrem plusquam omnia amare, excepto Deo, videmur legem istam obliterare facto iuramento militari, quo iuratur principis infidelis vita & salus amanda ante salutem patris, & matris.

198. 2. QVOS LEX HONORARI.] Legatur Augustinus epist. 3. vbi mirè amplificat, quid contineatur his duobus præceptis de diligendo Deo, & proximo. Ait enim hîc inueniri omnem Physicam, Ethicam, Logicam, Politicam. Hæc ille latissimè, indicasse sit satis. Respicit autem Tertullianus, ad locum Exodi 20. vbi post præceptum de honorando Deo, & colendo sabbato, statim sequitur: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Videatur etiam Leuitic. cap. 19.

2. PLVRIS NON FACIENS.] Legunt *plure non faciens*, vt sit *plurefaciens*: nam olim *plurefacere*, vt *multifacere*. Sed nihil mutandum. Promisi alteram loci huius explicationem. nam erunt qui putent *Euangelium* esse in quarto casu. Isti ergo ita incedant. *Sic quoque honorabit hos* parentes *& Euangelium* Christi *faciens* principem Gentilem *pluris* reliquis omnibus, tantum *non pluris solo Christo?* Alludit verò ad locum Euangelij Matth. 10. vbi Christus: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ergo quòd Matth. clarè *plusquam me*, Tertullianus obscurè, *non pluris solo Christo.*

2. HONORABIT.] Vvouerenius profert manuscriptum, vbi *inhonorabit.* Non placet.

3. NEC SVARVM VLTOR INIVRIARVM.] De hac re latè idem Doctor lib. de Patientia. 199. Vide hîc Baronium tomo 1. Annal. pag. 171. vbi lis est, an Brutij sint artifices harum iniuriarum, eósque liberat à simili noxa. Opus est adire Baronium, vt intelligas.

4. STATIONES.] De duplici significatione huius vocis dixi alibi, & tu vide Pamelium in epist. 41. Cypriani. Sunt qui dicant *stationes* esse conuentus celebres die Dominica in aliqua Ecclesia, quos hîc refert Tertullianus, cùm dicat *stationes* non posse fieri die Dominica.

4. AVT DOMINICO DIE QVANDO NEC CHRISTO.] De ieiuniis vetitis die Dominico dixi iam suprà in hoc libro.

4. ET EXCVBABIT PRO TEMPLIS, QVIBVS RENVNCIAVIT.] Erant quippe excubiæ & custodiæ ad tutandos Deos. Arnob. lib. 6. *Cur eos* (Deos) *sub validissimis claubus, ingentibúsque sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque huiusmodi rebus custoditis, conseruatis atque habetis inclusos, ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus obrepat latro, adituis mille protegitis, atque excubitoribus mille?* Cyprianus ad Demetrianum: *Sic illos læsos vltio vestra defendit, quomodo & clausos, ne pereant, tutela vestra custodit. Pudeat te eos colere, quos ipse defendis: pudeat de his tutelam sperare, quos tu tueris.*

4. ET QVOS INTERDIV EXORCISMIS 200. FVGAVIT.] Similis fermè locus cap. 11. de Idololat. *Qua constantia exorcizauit* (thurarius) *alumnos suos* (dæmonas) *quibus domum suam cellariam præstat?* Cæterùm scholion Iunij inscitissimum est: nam exorcismos Tertulliani inuitè torquet ad preces & obsecrationes, quibus pij viri vertunt dæmonas in fugam. Aliud est preces facere ad Deum, ne in nos incursent dæmones: aliud illos fugare exorcismis, & exterminare ab energumenis, & hoc postremum ait Tertullianus. Sed Iunius suo solens more non vult potestatem hanc in Christianis agnoscere. Cùm ea sit obuia in Cypriani epistolis 2. 55. & 76. & in Minutio. & Augustinus in lib. de Symbolo, relatus in cap. *Sicut nostis,* de consecratione, dist. 3. dixit: *Paruuli exsufflantur & exorcizantur aqua, quæ in ea manere creditur ad eundem effectum efficaciam habens.* Paulinus epist. 5. ad Amandum: *Prorsus per omnia Cardamas nobis tam bellus apparuit, vt Clericum probabilem hominibus, & Exorcistam dæmoniis terribilem videremus.* Hic nota *exorcizare* traductum à mero gentilismo: est enim exorcismus ἐπῳδὴ, incantator, impostor, idem fere quod μάντις, φαρμακεὺς, aut γόης. Latini nominant ariolum, venenarium, præstigiatorem. Cæterùm loca, quæ in vtroque Centurione aspectat Tertullianus, clara sunt.

4. INCVMBENS ET REQVIESCENS.] Habitus militaris. Philostrat. 2. Icon. de militibus, στηρίζοντα ἐπὶ τῶν αἰχμῶν, *hastis innituntur.* Stat. 2. Thebaid. *Annisi iaculis.*

4. LVNCHO.] Reponunt *loncho* aut *lonche*, quia scilicet Græci dicunt λόγχην hastam. Certè Iunius, qui sæpe Græca iactat, debuisset scire, o, Græcum transire in, υ, Latinum sæpe. Nam κόθορνος, & ἔορτος, nobis sunt *cothurnus* & *Auernus*: & adhuc, ω, nam πῶλος, nobis est *pullus.* & conuersio illa prior frequens

ipsissimet

ipſiſſimet Græcis : nam illi & πλυσάμας, & πυλυδάμας. Ergo, Græcorum λόγχη, nobis eſt *lunche*. & *lonchitis* herba, eſſe poteſt *lunchitis*. Ridicula eſt lectio, quæ habet *ſuper lumbos*. Hîc coniectanter dici poteſt, militem illum, qui fodit latus Chriſti, cui Euangeliſta nomen non dat, dictum *Longinum*, ἀπὸ τῆς λόγχης, quaſi dicas, *miles lanceator*. Quamuis ſciam nomen hoc in vſu fuiſſe antiquis, nam philoſophi, qui dictus Longinus, meminit Vopiſcus in Aureliano.

4. SIGNVM POSTVLABIT.] De teſſera, quam hîc intelligit, vide quæ iam latè ad 7. Æneid. & rectè *poſtulabit*. Sic & Sueton. *ſignum petere*, & Græci σύνθημα αἰτεῖν.

5. TVBA.] Quippe milites (omitto alios) clati ad tubam. Valer. Flaccus lib. 3. Arg.

Indè ter armatos Minyis referentibus orbes
Concuſſi tremuere rogi, ter inhorruit æther,
Luctiſicum clangente tuba.

Virgilius 11. Æn. in crematione militum,

It cœlo clamórque virûm, clangórque tubarum.

Petronius Satyrico : *Quod ſi idem frigus genua manúſque tentauerit, licet ad tubicines mittas.* Inde à Quintiliano tubæ datur *clangor feralis*. & à Prop. eleg. vlt. lib. 4. tubæ dicuntur *mœſtæ*. & ab Ouid. in epiſt. Medeæ ad Iaſonem, *tuba funeſta*. Cur autem ad tubam mortui efferrentur, cauſſam aperit Artemid. lib. 1. cap. 58. ait enim, σύγκειται γὰρ ἐκ ὀστέου καὶ χαλκοῦ : *Compoſita eſt enim ex oſſe & ære*. Inde ergo aduocatur. Originem cur tubæ in diro hoc miniſterio, rimabar à Plutarcho in vita Gracchorum, vbi ait, poſtulatos rei capitalis ἀναπηδᾶν τῇ σάλπιγγι, *vocari tuba*. Ita tuba à foro ad funus. De hoc iam olim in Æneidem.

202. 5. ÆNEATORIS.] Ferales miniſtri qui ad tubam canebant dicti *tibicines*, ſed & dictos quoque *ſiticines*, & *ſiciniſtas*, & à Galeno πυλαύλας, notauit iam Brodæus lib. 4. Miſcell. cap. 30. quibus poſſet adiungere *æneatores* ab Tertulliano. Vox iſta eſt in Ammiano lib. 16. *Dato igitur ab æneatorum occentu ſollemniter ſigno ad pugnandum*. Sunt enim æneatores tibicines belli. Imò hoc dolet Tertullianus, Chriſtianum militem ſepeliendum ad ſonitum inſtrumenti militaris Gentilici. Ipſe autem miniſter *æneator* dicebatur ab inſtrumento aheneæ tubæ. Ouid.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

5. CREMABITVR EX DISCIPLINA CASTRENSI.] Hoc iam in Virgilium 11. Æn. Vide ibi. & nota proprietatem verbi. Nam & Plin. lib. 7. cap. 54. *Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti, terra condebantur.*

5. CASTRENSIVM MVNIVM.] Satis hoc propriè, *munera* enim & *munia* in re militum pro *officia*. Ammian. lib. 15. *Militiæ munera*. & lib. 16. *munia bellandi*. Vegetius lib. 2. de re militari cap. 7. loquens de re belli : *Munifices appellantur, quia munera facere coguntur*. Feſtus : *Beneficiarij dicebantur milites, qui vacabant muneris officio: è contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, ſed munus Reipublicæ faciebant*. Inde & beneficiarij iſti dicebantur *immunes*. Hæc enim vox propriè hæret in bello, & inde ad alia. & quidem à bello ſumſit locutionem Ambroſ. in cap. 2. Lucæ : *Nullus enim ab hoc immunis eſt cenſu, quia omnis ætas munifica Chriſto eſt*. id eſt, laborare omnis ætas debet Chriſto, inſtar militum, qui, quia nunquam vacabant, dicti *munifices*. Sic ſequenti cap. Tertullianus vocat coronas *munificas*, quæ dabantur munificibus. ſed & verbum *munio* in hac acceptione, nam de militibus aut *priuilegiatis* (ſic enim eos dicebant) ait Vegetius loco laudato : *Milites principales, qui priuilegiis muniuntur*. Inde poſtea Tertullianus propriè admodum dixit : *Non promittet militia martyriorum immunitatem*. Nam cùm milites priuilegiati dicerentur *immunes*, ait hoc priuilegium militiæ non tranſire ad rem Dei. Nuſquam enim & nunquam tale in Chriſtiano milite priuilegium.

6. CATECHIZAT.] Notetur locus Ioannis Chryſoſt. Hom. 21. ad Pop. διὰ τοῦτο ἡ κατήχησις λέγεται, ἵνα ἡ ἀπόντων ἡμῶν ὁ λόγος ἡμῶν ἐνηχῇ τοῖς διανοίαις. vbi definit *dici catecheſin quia abſente doctore ipſo ſermo inſonet adhuc mentibus inſtructi*. Quæ definitio propriè ſpectat traditiones, imò ab traditionibus acceptis voce tantùm dicti Catechumeni. itaque *catechizare* non tam erat fidei formulas ſcriptas explicare (tametſi & hoc fieret) quàm viua voce traditiones Eccleſiaſticas docere, quæ ita à fidelibus in futuros propagabantur. 203.

6. CAVILLANDVM.] περιεργαστέον. Eſt ſcilicet verbum iuris, & dictum de profeſſionis huius tricis, & moroſiſſimis præſtigiis. Videatur Scaliger in Feſtum. Notat verò Rhenanus ad oram ſui libri non aptè dici *cauillandum* pro cauendum. quia ſcilicet in cautione eſt virtus, in cauillatione vitium. Eſt enim (ait Feſtus) *cauillatio iocoſa calumniatio. cauillare* enim à cauendo eſt, παικοειστικῶς. ſed defendit, quia ita fortaſſe vulgus vſurpabat, à quo multa nonnunquam mutuatur Tertullianus. ſed potius eſt, vt dicas ad exaggerationem locutum Tertullianum. q.d. In hac re enitendum eſt magnopere, vel cauillis & effugiis & omnibus machinis.

6. FIDES PAGANA.] Non poſſum acquieſcere Baronio ita explicanti in Notis ad Martyrologium : *Eadem eſt lex Chriſtiani hominis militantis cum illa quæ fuerat illi præſcripta cùm adhuc paganus nondum inter milites eſſet adnumeratus*. Certè Baronius à vero abit. Imò ſententia eſt. Eadem eſt lex militi conuerſo ad fidem, quæ erat cùm eſſet ethnicus : nam ſicut ethnicus miles pro ſuo Imperatore habebat mortem ſubire, ita etiam debet pro Chriſto, receptus iam in Eccleſiam. Etenim hîc nec particula *æquè* fauet Baronio : nec poteſt vllo modo fides pagana accipi, vt ipſe vult, ſed verè pro fide ethnica, aliter frigida eſt ſententia.

6. CONDIXIT.] Licèt *condico* ſit interdum duorum, vel plurium; aliquando vnius eſt, vt *condicere cœnam, pecuniam, magiſtratum*. ita tamen eſt vnius, vt ſit (quod ego puto) ſaltem ad plures : & ſic hoc loco. Propriè de cœna dicitur. Sueton. in Claud. c. 21. *Velut ad ſubitam condictãque cœnulam inuitare ſe populum dixerat*. itaque *condicere cœnam* eſt cùm quis alteri denuntiat, ſe cum eo cœnaturum, vt conuiuæ ſit, non conuiuatoris. Sic Cicero 1. Epiſt. dixit, *cùm mihi condixiſſet, cœnauit apud me*. Ergo, ille *condicit*, qui prior & non vocatus, ſe cum altero promittit cœnare, quod eſt familiariſſimi.

7. NVSQVAM CHRISTIANVS ALIVD EST.] Helleniſmus, ὁ χριστιανὸς ἄλλο. Latinè diceres, *alius*.

7. NEGATVRVS, &c.] Ad quæ loca Euangelij alludat nemo ignorat. Cæterùm hæc corruptiſſima ſunt in codice quodam Baſilienſi, vbi peſſimè ſcriptum : *Negaturus omnem negatorem, & confeſſorem: & Dei ſaluam facturus animam*.

7. PAGANVS.] Significationes huius vocis, quas poſui, notæ ſunt omnibus. De ruſtico & ethnico, certum. Cùm opponitur militi, certum quoque. Gloſſæ, *Paganus*, ὁ ἐκτὸς νόμου στρατιωτῶν. & l. 4. 8. §. vlt. D. de milit. teſtam. pagani opponuntur his qui habent caſtrenſe peculium. Videantur Briſſ. & Schard. in lex. Baronius Rhenanum & Pamelium reprehendit in Notis ad Martyrol. 31. Ianuarij. In vtroque enim loco accipit rectiſſimè Baronius *paganum* pro non addicto militiæ. Ad eum modum Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2 διεῖλε πᾶσαν χώραν ἅπασιν εἰς τοὺς καλουμένους πάγους: *Diuiſit totam regionem in pagos, qui vocantur*. Cicero pro Domo ſua ad Pontif. *Nullum eſt in hac vrbe collegium, nulli pagani*. Demum *paganus* pro infideli accipitur à Conſtantino ad filium Porphyrogenitum, 204.

cap. 36. παγανοὶ δὲ καλοῦνται, διὰ τὸ μὴ καταδέξασθαι αὐτοὺς τῷ τότε καιρῷ βαπτισθῆναι : *Pagani autem vocantur quòd baptismum non accepissent eo tempore.*

205. 8. NON ILLI NECESSITATI DISCIPLINA CONNIVET.] Est hoc quod Arnob. dixit lib. 2. *Malunt salui coniuges matrimoniis, exheredari à parentibus liberi, quàm fidem rumpere Christianam, & salutaris militiæ sacramenta deponere.* & Eulogius electus Archiepiscop. Toletanus lib. 1. Memorialis Sanctorum : *Si propter veritatem mors cruenta eis occurrat, non curandum est de iactura membrorum, vbi sine dubio solatium vitæ perennis acquiritur animarum.*

206. 8. FIBVLAM LAXET.] Prouerbialis est forma, & sumitur, vel à fibula cinguli, qua vestis astringitur, si fluxior sit, aut remittitur, si fuerit astrictior. vel de infibulatione & illigatione membri illius, vbi regnat libido, quod ministri Cybeles facere consueuerunt. Lampridius in Heliogabalo : *Matris etiam Deûm sacra accepit, & adeò debacchatus est, vt typum eriperet, & alia sacra, quæ penitus habentur condita. Iactauit autem inter præcisos phanaticos, & genitalia sibi deuinxit, & omnia fecit, quæ Galli facere solent.* Huius rei ratio est apud Cornelium Celsum, & in eos dicitur, qui ruptis pudoris repagulis in libidinem præcipites feruntur, & dissoluti in omne licentiæ genus. vel demum sumitur ab histrionibus, qui ne rauescerent nimio vsu veneris, infibulabantur: quam rem attingit sæpe Martialis, scilicet lib. 5. epig. 42. & lib. 7. epig. 81. & lib. 14. epig. 215. & lib. 11. epig. 76. vbi, quod Tertullianus *fibulam laxare*, ille *fibulam remittere.* Clemens lib. 3. Strom. ἐυνουχοῦνται ἐξ ἀνάγκης οἱ θεατρικοὶ ἀσκηταὶ, οἵ τινες διὰ τὴν αὐθολκίαν τῆς ἐυδοξίας χαρτοῦσιν ἑαυτῶν : *Actores exscindunt sibi virum, qui ambitione illecti seipsos edomant.* Hinc liquida sententia Tertulliani, nam in libidinem aut Galli, aut histriones procliues, demebant sibi fibulam. Contraria forma est *fibulam imponere.* qua vsus Tertullianus lib. de Monogamia. & Lactantius lib. 1. cap. 16. *Lex Papia fibulam imposuit.* Itaque *fibulam laxare*, est, quisquis perrupta pudoris lege, nullum libidini indomitæ pudorem ponit: A contra, *fibulam imponere*, est, qui continenter vixit.

8. NAM ET VOLVNTAS POTERIT NECESSITAS CONTENDI.] Pulchrè admodum dixit Seneca epist. 116. *Nolle in caussa est: non posse prætenditur.* Cæterùm reponunt aliqui, *nam & voluptas*, &c. vt dicant, laxabunt fibulam voluptatibus, & prætendent se aliter non posse. 207.

9. AD CETERAS.] In vulgatis omnibus est, *& ceteras*, claro errore, mutaui, *ad ceteras.* Hoc enim postulat sententia, vt videre est in Nostra explicatione. Hæc priùs scripseram, quàm vidissem ad marginem primæ editionis Rhenani scriptum *ad ceteras.*

9. DVCATIO.] Rescribunt mali rescriptores, *quibus familiarissima ista aduocatio necessitatis*, vt respiciat phrasim forensem. Sed profectò calamus Tertulliani *ducatio* scripsit, vt suadent libri omnes. Nam vt lib. aduersus Iudæos cap. 12. dixit *ducator* pro duce, ita hîc *ducatio* pro ipso ductu. In vita sancti Frontonis legitur, *Nullus verò ducator cum animalibus abiit.* In quem locum notat Rosvveidus *ducatio* legi in hoc loco Tertulliani. Sed pendent ista ab his quæ dixi lib. de Pallio cap. 2. ad ea verba, *Chaldæum semen in Aegyptum educatur.* B

9. NE IN DELICTIS INCIDAMVS.] Audent corrigere, *ne in delicta*, quia hoc Latinius. Nec vident, patres non astringi hac regula, sæpissime enim verbis motuum negant quartum casum. quin & Latinissimi sæpe eam violant, vt dixi ad Æneidem. Quid quòd Tertullianus, vt Græcissimus, potuit ita loqui mero hellenismo? Sunt etiam qui pro *incidamus* rescribant *incedamus*, quod non displicet, sed non est necessarium. C 208.

9. PLVRA NON FACIVNT.] Mutant & ex coniectura, & ex manuscripto, *plura non faciam*, quod certè esset clarius: sed Tertullianus non amauit claritatem: itaque ille *faciunt* scripsit: nam statim, *vt secunda reddatur.* Nam si primum corrigunt, cur non alterum? debuisset enim consequenter, *Plura non faciam, vt secundam reddam.*

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Caussæ cur militaris corona polluta sit, & obnoxia idololatriæ.

TERTVLLIANVS.

209. 1. SED & de corona priùs dicam. Laurea ista Apollini vel Libero sacrata est, illi vt Deo telorum, huic vt Deo triumphorum. sic docet Claudius. Quanquam & myrto ait milites redimiri solere: Veneris enim myrtum matris Æneæ, non laurum, etiam amiculæ Martis per Iliam & Romulos Romani. Sed ego Venerem non credo ex hac parte cum Marte Romanam, qua pellicis dolor est. Quin & olea militiam coronari à Minerua, non solùm artium, sed armorum quoque Dea; & pacem cum Neptuno iniisse, ex hac arbore coronatam.

EXPLICATIO.

210. 1. SED *& de corona priùs dicam.* Dixerat in præcedente capite dicturum se de caussa laureæ coronæ, sed differt hanc caussam vsque ad illud huius capitis, *Ecce annua votorum nuncupatio*, &c. & ideo ait nunc. *Sed &*, ante hanc caussam, *dicam priùs de corona*, id est, de initio quod primùm habuit militaris corona. Initium hoc triplex. Primò in gratiam Apollinis vel Liberi, deinde Veneris, tertiò Mineruæ. Hæc summa, quæ eò spectat, vt sciat Lector, quod primum initium cur milites coronentur, ne quis damnet Tertullianum, qui iam cap. 7. dixerit auctores laureæ fuisse Apollinem & Liberum. Non enim hîc idem repetit. nam longè alia mens, ibi de inuentoribus laureæ; hîc cur corona detur militibus. Primò ergo loco militares Deos numerat Apollinem & Liberum, & obiter attingit varias materias mili-

taris coronæ: nam hic non principalis scopus. Percurrám iam. *Quanquam & myrto*, &c. Annecto prius: *quamquam &* (est etiam) idem *Claudius docet, milites redimiri solere myrto.* Ratio. *Myrtum enim, non laurum* ait fuisse *Veneris matris Aeneæ*, atque *etiam amiculæ Martis Romani per Iliam & Romulos.* Sensus est. Ait *Claudius* milites coronatos etiam myrto, quippe fuit arbor Veneris, non qualiscunque (multæ enim fuere) sed illius, quæ *mater Aeneæ*, quæ eadem *amicula Martis* fuit. Cùm ergo hic Mars emerit dici Romanus per concubitum Romanæ Iliæ, ex qua genuit Romulos (ita vocat Remum & Romulum) factum vt genitrix Romani Imperij Venus myrtum daret militibus in gratiam Martis præsidis bellorum iam Romani. *Sed ego Venerem*, &c. Refutat rationem Claudij. *Sed ego non credo Venerem cum Marte* tametsi iam Romano *Romanam* ipsam fuisse *ex hac parte, qua* Veneri *est dolor pellicis* Iliæ. (propter pellicatum Iliæ.) quasi dicat: Recogitet Claudius rationem aliam, nam nollet profectò Venus Romanis fauere dans illis myrtum in gratiam Martis, cùm hic se immerserit nefando concubitu cum Ilia pellice. nam hîc potiùs cruduissent iræ. *Quin & olea*, &c. Subaudi, quin & Claudius ait militiam, &c. Est & etiam. *Ex hac arbore coronatam.* Ratio præcedentis. vt pacem Minerua iniret cum Neptuno, coronauit se hac arbore.

211. 2. In his erit serti militaris superstitio vbique polluta, & polluens omnia, quæ iam polluatur & caussis. Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principiis, secunda in Capitolio. Accipe post loca, & verba. Hunc tibi Iuppiter bouem cornibus auro decoratis vouemus esse futurum. Cuius sententiæ vox est? vtique negationis. Etiamsi tacet illic Christianus ore, coronatus capite respondet.

212. 2. *In his.* Definit ex dictis triplicem hanc coronam militarem meram esse superstitionem, *pollutámque & polluentem omnia*, scilicet à Diis inuentoribus Apolline, Libero, Venere, Minerua. *Quæ iam polluatur & caussis.* Ostendi pollutam ab inuentoribus, ostendam deinde vt etiam polluatur atque idololatrica sit ex *caussis. Ecce annua*, &c. En prima caussa, incipitque agitare quæstionem de vna laurea, nihil loquens de myrto & olea. Est hoc, quod promisit in exitu superioris capitis, licitam esse militiam putatu quodam inani vsque ad caussam coronæ. Ait ergo: *Ecce* ô Christiane susceptio & *nuncupatio votorum*, quæ semel fit in anno, & duplex, *prima in principiis* (dicam in Notis) *secunda in Capitolio, quid videtur* tibi? Nonne satis tibi polluta videtur laurea militaris à locis? Nam scilicet cùm vota nuncupabantur & *in principiis* & *in Capitolio*, milites erant coronati & laureati. Pergit. *Accipe post loca* polluta, etiam *verba* nuncupationis, ex quibus similiter deprehendes pollutionem. Ponit verba. *Hunc tibi Iuppiter*, &c. id est: *Vouemus Iuppiter tibi bouem hunc cornibus auro decoratis* sacrum *esse futurum.* Ergo ô Christiane *vox ista cuius sententiæ est?* quid in ea latet? Vtique negantis hominis Deum. *Vox* ista *est sententiæ* partisque illius, quæ Deum negat. *Etiamsi*, &c. Neque excuses peccatum, si sacrificatore pronuntiante eam formam tu taceas, nam *coronatus respondes*, te admittere Iouem pro Deo.

213. 3. Eadem laurea in donatiui dispensatione denuntiatur. Planè non gratuita idololatria, aliquibus aureis venditans Christum, vt argenteis Iudas. Hoc erit, Non potestis Deo seruire & mammonæ; mammonæ manum tradere, & à Deo absistere. Hoc erit, reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo; nec hominem Deo reddere, & denarium Cæsari auferre.

214. 3. Pergit ad secundam caussam, cur vna *laurea* censeri debeat polluta, & tota idololatrica, quia scilicet *denuntiatur*, indicitur, decernitur gestanda à militibus *in dispensatione* ac distributione *Donatiui. Planè non gratuita*, &c. Non tu ô miles gratis idololatra es, nam cùm ad accipiendum donatiuum coronam tibi imponis, iam *aureis* nummis, qui tibi donantur à Principe, & tu accipis, Christum vendis, *vt Iudas argenteis. Hoc erit, Non potestis*, &c. Cùm Christus præferens Deum mammonæ, dixerit, non posse nos *seruire Deo & mammonæ*; tu non præferes, imò potiùs seruies mammonæ, quàm Christo: cùm enim manum porrigis ad donatiuum, tradis mammonæ manum, & hoc ipso desistis à Deo recedisque. *Hoc erit reddere*, &c. Cùm Christus dixerit, *Reddenda Cæsaris Cæsari, & Dei Deo*, hoc non adimplebis: nam *hoc* quod tu facis *erit, nec hominem Deo reddere*, quia te totum tradis idololatris; & *denarium Cæsari auferre*, quia accipis donatiuum.

215. 4. Triumphi laurea foliis struitur, adornatur lemniscis, inauratur lamnulis, vnguentis delibuitur à lacrymis coniugum & matrum, fortasse quorundam & Christianorum; & apud barbaros enim Christus est. Qui hanc portauerit in capite caussam, nonne & ipse pugnauit?

4. En iam tertia caussa, quæ polluit lauream militarem, nam scilicet gestatur à militibus in triumphis Imperatorum, qui certè triumphi profanati ritibus idololatricis. Hæc summa, sed obiter attingit ritus seruari solitos, cùm milites coronati comitabantur triumphatorem. Nam tum coronæ ornatiores erant solito, *adornabantur* enim *lemniscis*, aureis *lamnulis*, id est, laminulis, *inaurabantur, vnguentis lacrymosis delibuebantur.* & hîc excitat miserandum πάθος & plenum querimonia. quippe coniuges & matres captiuorum, complorabundæ ante victores milites deprecabantur pro maritis & liberis, qui ducebantur captiui, ac tum lacrymis rigabant coronas militum, qui victoriam assecuti: & istæ lacrymæ loco vnguenti. quin fortasse illæ matres & coniuges erant &, (id est, etiam) *Christianorum* quorundam. Dicit hoc quia Seuerus Imperator Parthos, Armenios, aliósque Barbaros domuit, inter quos iam Christi fides disseminata, ideò addit, etiam *apud Barbaros Christum* fuisse. *Qui hanc portauerit in capite caussam*, id est, coronam caussæ huius testem, hic certè *pugnauit* contra Christianos, & fratres suos, licèt taceat.

216. 5. Est & alia militia regiarum familiarum. Nam & Castrenses appellantur, munificæ & ipsæ sollemnium Cæsarianorum. Sed & tu proinde miles ac seruus alterius es: &, si duorum, Dei & Cæsaris, certè tunc non Cæsaris, cùm te Deo debes, etiam in communibus crede potiori.

5. Quarta causſa cur laurea militum sit polluta, quia scilicet gestatur à militibus regiæ, id est, imperatoriæ familiæ; indicat milites qui in custodia principis. *Nam & Castrenses*, ait istas familiæ regiæ laureas dictas Castrenses. *Munificæ & ipsæ*, &c. Sensus est. Et istæ ipsæ siue regiæ, siue Castrenses sunt *munificæ sollemnium Cæsarianorum*, id est, datæ Cæsarianis munificibus, id est, obeuntibus munia palatij, idque loco *sollemnium*, id est, honorarij, aut præmij, aut mercedis, quæ ipsis deberetur. Itaque non concordant duo ista *sollemnium Cæsarianorum*, sed ait, *sollemnium* quæ dantur Cæsarianis. *Sed tu proinde*, &c. Desinit in admonitionem plenam pietatis. *Miles ac seruus alterius es.* Non accipio vulgariter, vt dicat, es *miles* & es *seruus*. Sed, ita es *miles* vt etiam sis *seruus*. es *miles* quasi *seruus*. q.d. Cæsariani milites non ideo sunt serui: sed tu es *miles* veluti *seruus*. *In communibus*, cur Deum & Cæsarem vocet *communes dominos*, dixi lib. de Idololat. cap. 16. vbi sermo est de sollemnitatibus communibus.

NOTÆ.

217. 1. DEO TELORVM, DEO TRIVMPHORVM.] Quippe Apollo ἑκατηβόλος, & ἀργυρότοξος ab Homero, arcitenens ab Ouidio, ab omnibus pharetratus, pharetriger. Huius Apollinis templum sic describit Lucianus de Gymnasiis: ἐν τῷ ἄγαλμα ἴδοις ἂν αὐτῷ ὀρθὸν, τὸν ἐπὶ τῇ πύλῃ κεκλιμένον, τῇ ἀριστερᾷ μὲν τὸ τόξον ἔχοντα· ἡ δεξιὰ δὲ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἀνακεκλασμένη, ὥστε ὑπὲρ ὀλίγου μακροῦ ἀναπαύεσθαι τὸν Θεόν: *Cæterùm autem eius simulacrum, quod supra statuam eius situm est, sinistra quidem arcum gerens: dextra verò circa caput refracta, tanquam ex multa defatigatione Deum quiescentem indicat.* De Baccho Deo triumphorum dixi iam ad cap. 7. huius libri.

1. QVANQVAM ET MYRTO.] Ita volui, vt etiam iam alij, non vt in vulgatis *ex myrto*. Cæterùm tritum coronam myrteam seruisse militibus ouantibus, lauream triumphantibus. Plinius lib. 15. cap. 29. loquens de myrto: *Bellicis quoque se rebus inseruit, triumphisque de Sabinis Postumius Tubertus in Consulatu (qui primus omnium ouans ingressus vrbem est, quoniam rem leuiter sine cruore gesserat) myrto Veneris Victricis coronatus incessit.* & post pauca: *Hac postea Ouantium fuit corona.* Addit tamen idem, *curru quoque triumphantes myrtea corona vsos*, ponitque exemplum in Papyrio, cùm de Corsis triumphauit.

218. 1. MATRIS ÆNEÆ.] Explicui hîc rationem, quam Tertullianus attingit de myrto communicata militibus ad coronamentum. Inuenio & duas alias. Nam quæ solido est & forti robore, quid mirum coronet milites? Certè Virgilius 1. Georg. dat illi *robur solidum*. & 2. Georg. hastilia eius vocat *valida*. Neque absonum à militibus illud eiusdem Magni Vatis 3. Æn. loquentis de myrto,

---hîc confixum ferrea texit
Telorum seges, & iaculis increuit acutis.

Alteram rationem possum colligere ex his, quæ dixi 7. Æn. ad exitum, versu illo,

Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

Vbi probaui myrtum sacram fuisse Dianæ Venatrici Deæ: atqui venatio posita inter militaria exercitamenta Xenophonti, & aliis. Nihil ergo mirum, vt venatrix Dea myrtum suam militibus daret.

219. 1. NON LAVRVM.] Legit Iunius *ac laurum*, quod nemo doctus probet, nam ipse non probat. Probatio quippe sumpta ab lauro & laureto Cæsarum, ad genitricem Venerem nihil pertinet. & instituisse illum lectioni editionis primæ Rhenani, vbi scriptum, *ad aurum*, miror.

1. AMICVLÆ MARTIS.] Quis hanc siue historiam, siue fabulam non attigit? Inde Claud. de Magnete vtrique idem dat templum:

Manors sanguinea qui cuspide verberat vrbes,
Et Venus humanas quæ laxat in ocia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.

1. ROMVLOS.] Vocantur Remus & Romulus Romuli, ad eum modum quo Castor & Pollux Castores. Legunt aliqui *Romuleos*, non placent.

1. ROMANI.] Rescribit Iunius *Romanæ* propter sequentem particulam aduersantem. Nihil est necesse, nam aduersatiua *sed* respicit totam sententiam. & quidem, qui legit Romanæ, euertit rationem Claudij Saturnini. Nam myrtus non debuit contingere militibus à Venere, etiamsi illius esset hæc planta: hoc enim ἄτοπον: sed ab aliquo qui ex consecratione Apollinis, Liberi, Mineruæ, bellis præsideret, cui Venus plantam sibi sacram communicaret. Cui ergo meliùs potuit, quàm ipsi Deo bellorum? qui tum amasius, tum Romanus per Iliam cum qua concubuit, & per liberos quos ex ea genuit? Quid quòd fabrica periodi Tertullianicæ hanc postulat lectionem? nam vox seruata in finem respectat Iliam & Romulos, ac perinde necessariò Martem non Venerem: nam per Iliam Romana, sed per Æneam Romanæ magnitudinis auctorem primum.

1. PELLICIS DOLOR EST.] Hoc nomen à pelle ducitur & pellicula trita admodum, & vsu ipso euanida, quæ *guna* dicitur. Scholiastes Lycophronis σιδήρεα, τὸ ἐκ δέρματος ἔντειχον, ὅπερ καὶ γοῦναν καλοῦσιν. Citat insuper Meursius Cinckeardum in epistol. ad Lullum: *Orarium & coculam, & gunam breuem nostro more consutam.* Et Guibertum: *Gunam de pellibus lutrarum factam tuæ fraternitati misi.*

1. QVIN ET OLEA MILITIAM, &c.] 220. Hunc locum Carolus lib. 6. de Coron. cap. 16. ita inuertit: *Quin & olea militiam Minerua coronat, non solùm artium, sed armorum quoque Dea*; nactus fortasse codicem in quo ita scriptum, nisi de suo scribit. Monstrosas lectiones editionis primæ Rhenani non adfero. Olea coronari quoties occurrit, intellige ἱκετηρίαν Græcorum, iuxta Plutarchum in Theseo. κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐείῳ λευκῷ κατεστεμμένος: *Ramus sacræ oleæ redimitus lana alba.* Vt cùm Appianus in Hispanicis tantùm dicit ἱκετηρίας, & Euripides, ἱκέσιοι κλάδοι. & Sophoc. Oedipod. ἱκετηρίοις κλάδοις.

1. ET PACEM CVM NEPTVNO INISSE, EX HAC ARBORE CORONATAM.] Discant hinc professores humaniorum litterarum, cur olea sit pacis nota. nimirum, quia Minerua olea coronata pacem iniit cum Neptuno. Testimonia porrò, quibus oliua dicitur pacis nota, abundè nos in Virgilium, quæ omitto, quia neque hoc amant Lectores Tertullianici.

2. QVÆ IAM POLLVATVR ET CAVSSIS.] Ita legi volui, non *polluantur*. Sermo enim pressè de corona est.

221. 2. ECCE ANNVA VOTORVM NVNCVPATIO.] Attingit sollemnem ritum illius populi, à quo vota nuncupabantur, id est, suscipiebantur pro salute Principum. Plinius lib.10. epist.44. ad Traianum: *Sollemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus pariter Domine, & soluimus: precati Deos, vt velint ea semper solui, sempérque signari.* Ait *annua*, quia id fiebat annis singulis. Dio morem hunc attingens lib.44. ait, has preces publicè B suscipi κατ' ἔτος ἕκαστον, *annis singulis*. Silet Tertullianus tempus. Sed certè mense Ianuario. nam Sueton. in Tiberio cap. 44. *Sed vt* (Tiberius) *comperit, ineunte anno, pro eorum* (Neronis & Drusi) *quoque suscepta*, &c. Ita verò sollemnis ista votorum nuncupatio pro salute Principis, vt in gratiam nuncupantium tunc nummi (quod Pamelius notat) cuderentur, quasi ita princeps gratum se exhiberet. Nummus Seueri ex parte vna: *Imp.Cas. L. Sept. Sev.Per. Aug.* ex altera: *Vota publicè suscepta*. Nummus item Antonini ex parte vna: *Antoninus Pius Aug.* ex altera: *Vota suscepta decemnalia*.

2. QVID VIDETVR?] Quasi dicat. Nonne tibi videtur idololatrica? sed non explicat in quo positæ sordes idololatriæ. Hoc tamen facilè ex Dione colligo lib.54. vbi ait, hæc vota (εὐχὰς ipse nominat, id est, *preces*) nuncupari ὑπὸ τῶν ἀρχόντων, καὶ ὑπὸ τῶν ἱερέων, *à magistratibus, & sacerdotibus*. Quodcunque C autem sacrum susceptum à sacerdotibus ethnicis, clara est idololatria. Nam & hoc argumento dixit Tertullianus lib.de Idololatria cap.16.non posse Christianos interesse sacerdotiis Gentilium amicorum, cùm possent tamen interesse nuptiis & sponsalibus Gentilium amicorum; nam in his nullus flatus idololatriæ, sicut in sacerdotiis.

222. 2. PRIMA IN PRINCIPIIS.] *Principium* esse idem quod imperium, vt Græcis ἀρχὴ, iam alij astruxerunt, tu vide vnum Lipsium in lib. 1. Annal. Taciti. Sed in Tertulliano castrensem locum capiunt viri non indocti, Theodorum Canterum, aliósque intelligo. Etenim in principiis castrorum, vbi aquilæ, vexilla, signa asseruabantur, concipiebantur hæc vota. Vide hîc Iunium. & de *post principiis* Scaligerum in Coniectaneis. Vocem Tertulliani firmo à Vopisco, qui in vita Numeriani: *Aprum* (percussorem eius principis) *ante signa, & principia protraxêre*. & Ammiano lib.15. *Cum principiorum verticibus secretius collocutus*. & Valerio Max. lib.1. cap.6. *Mœsti & taciti milites ad principia conuenerunt, qui veteri instituto clamore alacri occurrere debebant*. Varro de Re Rustica: *Ego verò, vt aiunt, post principia in castris, id est, ab his potiùs incipiendum temporibus, quàm superioribus*. Florus lib.4. cap.2. de Pompeio: *Mane cum pullo amiculo, nefas, apud principia conspectus est*. Plutarchus vocat ἀρχεῖα in vita Galbæ. Ammianus lib.22. *Cùm Arbetionem semper, & ambiguum, & prætumidum his quæstionibus præfecisset, alij specie tenus cum Principiis legionum præsentibus*. vbi *Principia* vocat tribunos militum & legatorum. Et quamuis Donatus in Terentium scribat ambigi à multis, vbi sit hic locus, an in extremo, an in medio, videtur signari vltimus locus, cùm Romano more primùm essent hastati, & triarij A clauderent agmen. Itaque inter triarios erant Principia.

2. SECVNDA IN CAPITOLIO.] In vulgatis omnibus legitur *in Capitoliis*. Carolus lib. 4. de Coron.cap.16.rescribit *in Prætoriis*. Ego malui *in Capitolio*, secutus manuscriptum ex fide Vvouerenij. Certè vrbanas nuncupationes fieri solitas in Capitolio, notius est quàm debeat probari; sed audi Suetonium cap.46.Neronis: *Votorum nuncupatione, magna iam ordinum frequentia, vix reperta Capitolij claues*. Apud Valer.Max.lib.3.cap.7. coronatus lauro triumphali ita loquitur in concione: *Hac ego Quirites die Carthaginem magna sperantem* (alij, spirantem) *leges nostras accipere iussi, proinde æquum est vos mecum ire in Capitolium supplicatum*. Lamprid. Heliogab. *In Capitolium ad vota concipienda & perficienda sollemnia ire noluit*. Itaque quoties sermo est de supplicatione, & locus non nominatur, intelligitur esse Capitolium. & ita Valerium Max. de Capitolio capio lib.1. cap.8. cùm ait: *Itaque Fabricij edicto, supplicatio Marti est habita, & à laureatis militibus magna cum animorum lætitia oblati auxilij testimonium ei est redditum*. 223.

2. ACCIPE POST LOCA, ET VERBA.] Heraldus citans hunc in Notis ad Martialem, legit, *Accipe loca, & verba*. Malè.

2. HVNC TIBI IVPPITER BOVEM, &c.] Retinui vulgarem scripturam, quæ commoda. Sed non mihi displicet forma, quam ex manuscripto repræsentat Vvouerenius, scilicet: *Nunc tibi Iuppiter boue cornibus auro decoratis vouimus esse futurum*. Firmátque hanc formulam conceptionis ex fragmento veteris lapidis apud Fuluium Vrsinum, in quo lapide: *Quod si facsis tunc tibi in eadem verba nomine fratrum Arualium boue aurato vouimus esse futurum*. Heraldus in Notis ad Martial. citans hunc locum, legit *vouens*, malè.

2. CORNIBVS AVRO DECORATIS.] 224. Val.Flaccus lib. 1. Argonauticon,

---dabit auratis & cornibus igni
Colla pater, niueique greges altaria cingent.

Sed de hoc more iam pleno calamo lib.9. Æn. ad versum illum,

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.

Tantùm inde sumo *aurata* cornua esse, non solidis laminis aut torquibus decorata, sed perfusa solùm tenui quadam auri nebula, itavt essent veluti bracteata, quod vulgus dicit, non aurea, sed deaurata. Huc spectat vnicè verbum Homeri 3. Il. vbi χρυσὴν κέρασιν περιχεύας. Et Prudentius qui Hymno 10. περὶ στεφ.

Nec non & auro frons coruscat hostiæ,
Setasque fulgor bractealis inficit.

Etenim περιχεύεσθαι & *inficere* tantùm notant tenuem auri nebulam. Sic lib.de Idolol. Tertullianus *auratiorem hostiam*. D

2. FVTVRVM.] Viri docti, nec pauci, scribunt *facturum*. Hi sunt Lips. in lib.16. Annal. Taciti, Heraldus in Notis ad epig.4 lib.8. Martialis, Theodorus Canterus, vt in hunc locum scribit Iunius, cui & ipse accedit. Probant, quia in re simili hæc olim loquendi formula. Vetus poëta:

Mars tibi voueo facturum bidente Verre.

Hi verò explicant Tertullianum, vt dixerit *facturum* pro *facturos* consuetudine loquendi antiqua, quam claris testimoniis Agellius probat lib.1.cap.7. olim enim dicebatur, *promittimus nos facturum, dicturum, pugnaturum*. pro, *facturos*, &c. Ista mihi non displicent, imò probantur: retinui tamen veterem lectionem *futurum* propter formam illam, quam adduxi ab lapide Vrsini. Si quis tamen malit *facturum* non pugnabo.

225. 3. EADEM LAVREA, &c.] Intellige ex vera lauro virentique, & qualem ferunt laureta: non vt laurea ista esset ex auro formata. Hallucinatur enim vir doctus in lib. 8. de Coronis cap. 4. explicans lauream hanc fuisse auream, quia postea dixerit, *aliquibus aureis venditans Christum.* nam *aurei* isti referendi, non ad coronam auream, vt ille vult, sed ad aureos nummos, qui accipiebantur in donatiuo. Imò hinc ego colligo donatiuum solui consueuisse aureis nummis. Quod firmat auctoritas Lampridij, qui de Heliogabalo ad meretrices exoletosque procedente, ait: *Pronuntiauit his quasi militibus ternos aureos donatiuum.* & Theodoritus lib. 3. Hist. cap. 15. vbi loquens de donatiuo principis, ait: διανέμων χρυσίον, *distribuens aurum.* & addit, quod firmat consuetudinem, κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος: *iuxta veterem morem.* itaque ex veteri consuetudine aurum erat ad donatiuum militum. Scio aliquando, auro addi argentum. Nam Ammianus lib. 20. loquens de donatiuo Iuliani, *quinos omnibus aureos, argentique singula pondo promisit.* Imò scio aliquando etiam non aureos in Donatiuo etiam, sed pecuniam datam: nam Capitolinus in Pertinace: *Nundinationis pecuniam, quæ ingens fuit, militibus donatiuo dedit.* Etenim vox *pecunia* aliud sonat ab auro, vt liquidum ex verbis Lampridij in Alex. Seuero: *Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donauit.* Sed hoc obiter. Vide verò vt explicui, nec muto: possit tamen aliquis ita capere, vt loquatur Tertullianus cum innexu ad superiora hoc modo: In votorum nuncupatione Christianus etiamsi taceat, respondet coronatus. *Eadem* certè vox *denuntiatur*, pronuntiaturque ab eodem coronato *laurea in donatiui dispensatione.* Sed hæc explicatio acuminis habet aliquid, parum veritatis: proposui tamen, si cui placita.

226. 3. NON POTESTIS DEO SERVIRE ET MAMMONÆ.] Egi iam de hac re alibi. Nunc Nicetas Choniates lib. 2. Alexij cap. 4. qui addit censuram, & dicit, Θεῷ τε καὶ μαμωνᾷ κατὰ διάμετρον εἰσὶν ἀντικείμενα. Pugnare ex diametro censuræ loco capio: *Deo & mammonæ, qui pugnant ex diametro.*

3. HOC ERIT REDDERE.] Ita substitui ex manuscripto, pro eo, quod in vulgatis legitur: *hoc est.* vide Notas Vvouerenij.

4. TRIVMPHI LAVREA FOLIIS STRVITVR.] Milites laureatos fuisse in triumphis Imperatorum, certissimum est. Plinius lib. 15. de lauro: *triumphis propriè dicatur.* Tibullus lib. 2. eleg. 5.

Ipse gerens lauros lauro deuinctus agresti
Miles Io magna voce triumphe canet.

Ibidem initio Elegiæ,

Ipse triumphali deuinctus tempora lauro.

Legit verò Iunius, *foliis instruitur*, nulla necessitate. est enim *struitur* valde Tertullianicum. Quin hic scriptor, vt visum alibi, *strumentum* dicit.

4. ADORNATVR LEMNISCIS.] Hic locus corruptissimus est in vulgatis omnibus, in quibus nullo sensu legitur, *hinc aduerbis lemniscis.* Docti variè corrigunt, scilicet *aduersis lemniscis*, aut verbum aliquod substituunt, vt *ambitur, adnectitur lemniscis.* & vnus Carolus, *adaugent lemniscis.* Ego *adornatur* volui, tum quia hoc posse reponi pro *aduerbis* ait Pamelius; tum maximè, quia Vvouerenius ait se reperisse in lib. optimo scriptum ita, *triumphi laurea foliis struitur, adornatur lemniscis.* Cùm ergo constet viri huius auctoritate, ita scribi in codice optimo, cur suppleam ex coniectura verba alia? Si quis tamen lectionem, quam sequor, non admittat, moneo præferat reliquis coniecturam illam, quæ legit, *aduersis lemniscis*: & hîc videat Iunium. Salmasius in Notis ad Capitolinum ex vetusto codice sic legit: *Triumphi laurea foliis struitur. hinc aureis lemniscis inornatur, ac mustis vnguentis delibuitur, an lacrymis coniugum & matrum? fortasse quorundam & Christianorum.* Vt dicat, delibuitur corona triumphi mustis, id est, recentibus vnguentis, an potiùs matrum & coniugum delibui dicendum est? Hæc emendatio lucem dat huic loco: qui volet, accipiat.

4. LEMNISCIS.] Intelligit *lemniscatas* coronas. Plinius lib. 21. cap. 3. *Accesserunt* coronis *& lemnisci.* Capitolinus in Vero: *Coronas quinetiam datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.* Certè vbicunque Græci scriptores in re coronaria vsurpant ταινίας, interpretes boni reddunt *lemniscos.* Ita cùm Thucydides lib. 4. de Brasida liberatore Græciæ dicit ἐταινίουν, cùm Plutarchus in Pericle ταινίαις καὶ στεφάνοις, *taniis & coronis*, in his & aliis *lemniscos* possis intelligere, id est, fascias & vittas quasdam, quæ ita seruiebant illigandæ coronæ, vt etiam ornandæ: deriuatæ enim à coronis propendebant in humeros, vt nunc cernimus in infulis Episcoporum. Quid quòd Hesychius clarè ait λημνίσκους esse τὰς στενὰς ταινίας, *arctas tænias.* Casaubonus ex Viterbiensi codice sic legit in Festo: *Lemnisci sunt fasciolæ purpureæ, dependentes ex coronis. Solebant enim veteres coronas fasciis laneis ex purpura alligatas donare.* Dixi verò seruire tænias & ligandæ & ornandæ coronæ. De illigatione locus est in Pharmaceutria Theocriti, vbi ait coronam Herculis populeam fuisse πορφυρέῃσι πεπλεγμένην ἐλικτοῖς: *Porpureis lemniscis inuolutam.* Alter de ornatu lemniscis deorsum dependentibus in inferiorem partem clarè liquet ex testimonio Plutarchi in Sylla, vbi δάφνης στεφάνου τύπον ἔχων ὁ λοβὸς ὤφθη, ἐκ λημνίσκων δύο κατηρτημένων: *Visa est fibra præferre lauream coronam lemniscis geminis dependentibus.* Hæc satis ad rem Tertulliani. Vide etiam me lib. 5. Æneid. ad illud,

---euincti tempora taniis.

4. INAVRATVR LAMNVLIS.] Locus Plinij è lib. 34. cap. 8. non omittendus, vt necessarius, etiamsi ab aliis aduocatus. verba eius: *In Cypro coronarium (æs) & regulare est, vtrunque ductile. Coronarium tenuatur in laminas, taurorúmque felle tinctum, speciem auri in coronis histrionum præbet.* Vt verò Plinius illustrat Tertullianum, ita Tertullianus Plinium explicat.

4. VNGVENTIS.] Morem luxúmque, qua coronæ inungerentur, quem hîc attingit Tertullianus, habes apud Plutarchum lib. 7. Sympos., vbi Rex Persarum mittens Antalcidæ Lacedæmonio ῥόδων καὶ κρίνων μυρεψικῶν στέφανον εἰς μέσον βάψας: *Compositam è rosis & croco coronam, quam in vnguentum immerserat.* Certè vnguenti & coronarum multa mentio, & in vno Horatio plurima, scilicet lib. 2. od. 7. & lib. 3. od. 14. & 29. Fusim hæc Carolus lib. 2. de Coron. cap. 4. & ego adduco Simocattam cap. 5. Hist. lib. item 5. μύρεσι γὰρ αὐτὸν καταβρέσας, ἀναδήσας τε στεφάνοις τοῖς αἰθυίαν ἐπινίκιον πίνειν ἐκέλευεν: *Vnguentis namque perfusos, & floribus coronatos victoriam gratulantes iubebat bibere.* Vnguenta autem præcipua hæc sunt, *Aegyptium*, de quo videndus Mercurial. lib. 2. cap. 19. *Malabatrum* in Sidonio lib. 8. Epist. 3. *Cinnamum* in Apul. 2. lib. *Amaracinum*. de quo Seruius lib. 1. Æneid. *Amomum*, Statius 1. Syl. Iuuen. Sat. 4. Seneca in Thyeste, Martialis lib. 5. Silius lib. 11. Mitto *Costum, Myrrham, Nardum.*

4. DELIBVITVR.] Grammatici tantùm agnoscunt participium *delibutus*, sed mutent sententiam.

4. PVGNAVIT.] Vvouerenius ex manuscripto, *oppugnauit*, quæ lectio aliam requirit sententiam, scilicet hunc militem fuisse Christianæ fidei oppugnatorem, & negatorem, ad eum modum, quo suprà dixit, *vtique negationis.* Nam laurea in capite, satis indicat hunc negatorem esse fidei.

230. 5. REGIARVM FAMILIARVM.] Intelligit omnes viros, qui communi vocabulo dicti *Aulici*, quia in ministerio Aulæ & Palatij principum. Voce vnica Aulicos omnes comprehendit Vopiscus in Aureliano vocans *officium Palatinum*. Et Trebellius de Gallieno, *cùm iret ad hortos nominis sui omnia Palatina officia sequebantur*. Sed præter habuêre etiam varia nomina, quæ adnotare è re erit. In primis ab hoc ipso officio in palatio *Palatini* dicti, quæ vox est apud Lampridium in Alexandro: *Nec quemquam passus est esse in Palatinis, nisi necessarium hominem*. Et apud Capitolinum in Pertinace: *Cubicularij Palatini*. Inde *Palatinæ dignitates* apud Ammianum lib. 21. & apud Nicetam in Alexio minister Patriarchæ dictus est *Palatinus* signato nomine, quia scilicet vltro citroque commearet, & cum eo sermones communicaret. Deinde *Cortinarij*. Codinus de offic. Κουρτινάριοι δὲ οἱ κορτινάειοι εἰς τὸν τῶ βασιλέως σκηνόν. Indicat scilicet stationarios, qui in castris ante Imperatoris tentorium excubias agebant. Tertiò *Cæsariani*. Arrianus in Epicteto lib. 3. cap. 24. ἔτι σοι τύραννος ἔσται τις, ἢ δορυφόρος, ἢ Καισαριανός: *adhuc tibi tyrannus aliquis erit, aut satelles, aut Cæsariani*. Quartò *Prætoriani*, quam vocem nemo ignorat. Quintò *Castrenses*, de quibus posteà dicam. Sextò, *Comitatenses*, quia in comitatu principis. Lampridius in Alexandro: *Purgauit & palatium suum comitatúmque omnem, abiectis ex Aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus*. Et Capitolinus in Antonino Pio ait solitum dicere Antoninum: *Grauem esse prouincialibus comitatum principis*. Inde dignitas comitum, de qua fit mentio ab Epiphanio contra Ebionæos. Et ab Eusebio lib. 4. de vita Constantini cap. 1. vbi *comites* diuidit in tres ordines. Et dicti quidem *comites*, quia præerant comitatui, & comitatensibus. Septimò, *Speculatores*, quia in specula vitæ principalis, id est, vitæ principis: & de *speculatoribus* dixi iam cap. 1. huius operis. Octauò, *stipatores*, quòd stiparent principem, ita vocat Capitolinus in vita Albini. Nonò, *Protectores* vocat Spartianus in vita Getę, vt qui destinati tegendæ vitæ Principis. vt etiam Ammianus lib. 14. *Præfecti custodiarum protectoribus mandauerat fidis*. Inde *protectorum tribunus* apud eundem Ammianum lib. 18. Eusebius lib. 1. de vita Constant. cap. 11. vocat σωματοφύλακας καὶ φρουρούς. Decimò *cohortales*, aut cortales, de quibus iam in hunc locum Iunius. Vndecimò, *Ministeriani*, de quibus Bulengerus lib. 2. Romani Imperatoris cap. 40. quos politiore vocabulo *Aulicos ministros* vocat Capitolinus in vita Antonini Pij. Duodecimò, *Ostensionales*, de quibus Lampridius in Alex. Seuero, quasi qui ante os Principis. Tertiodecimò, *Contubernatus*, quæ vox est apud Capitolinum in vita Albini. Decimoquartò, *vernaculi* ab eodem in vita Macrini. Decimoquintò, *Domestici* ab Ammiano lib. 14. inde in palatio dictus *comes domesticorum*, qui his præfectus erat, vt idem scribit lib. 20. Sed & hos omnes *militares* & *commilitiam* vocat idem lib. 15.

231. 5. CASTRENSES.] Caue *castrenses coronas* hoc loco capias de illis quæ dabantur militibus, qui primi irrupissent in castra hostium. Nam quamuis hæc origo, sed tamen senescente imperio datum hoc decus his qui nihil tale gessissent, sed qui erant in comitatu principum, & in regia familia palatij, datæ vtique palatinis & aulicis, qui dicti *Castrenses*, & hæc est mens Tertulliani hoc loco, quam intellexit, non Pamelius, vt ex commentatione liquidum, sed Carolus lib. 7. de Coron. cap. 3. & Bulengerus lib. 2. de Imperatore Rom. cap. 40. Nam prætoriani dicti Castrenses. Vopiscus in vita Taciti: *Paruit præceptis & voluntati Castrensium ordo nobilissimus*. Ait scilicet, Senatum paruisse militibus Cæsarianis. Hi dicti οἰκεῖοι, *domestici* Socrati lib. 1. hist. cap. 9. τῶν δορυφόρων τὶς, οὓς οἰκείους καλεῖ ὁ βασιλεύς: *Quidam satellitum, quos Imperator vocat domesticos*. Sed de hoc dicebam iam Nota superiore. Inde *Castrensis sacri palatij* dicitur is, sub cuius dispositione erant pædagogia, & Dominici Ministeriales, appellabatúrque alio nomine *Spectabilis vir*. Tu vide Brissonium in Lex. Iuris, Meursium in Gloss. Græco barbaro, Bulengerum dicto loco, vbi etiam de *Castrensianis*.

232. 5. MVNIFICÆ ET IPSÆ.] Ideo *munificæ*, quia datæ munificibus, id est, obeuntibus munia. Erant autem *munifices*, qui nullo fulti aut muniti priuilegio in bello, sed semper in opere & labore. Inde Ammianus lib. 16. loquens de disciplina Iuliani in bello: *Phasianum & vuluam & fumen exigi vetuit & inferri, munificis militis vili & fortuito cibo contentus*. Sed de hoc dixi in Nota ad illud *Castrensium munium*.

5. SOLLEMNIVM.] Hæc vox fuit decrescentis imperij. Nam honorarium omne, preciúmue oblatum aliis collatúmque, dicitur *sollemne*, nequitque esse sensus alius, nisi quem explicui, quem debeo Meursio in Glossario Græco barbaro. Iustinianus Nouella 128. ait, non temerè communicandas pecunias deputatas operibus publicis, aut frumentis ciuitatum, aut aquæ ductibus, ἢ ἄλλοις σολεμνίοις, ἢ σολαρείοις: *aut alijs sollemnibus, aut salariis*. Et Suidas, σολέμνιος, ἢ παρὰ βασιλέως ἀναφαίρετος δωρεὰ διδομένη τοῖς ἐκκλησίαις: *Sollemne, dicitur donum stabile firmúmque, quod à Principe Ecclesiis datur*. Glossæ Basilic. σολέμνιον, σιτήσεις τὸ διδόμενον παιδευταῖς, ἰατροῖς, καὶ τοῖς ὁμοίοις: *Sollemne honorarium dari solitum præceptoribus, medicis, & similibus*. Plura in illo, qui cæteris testimoniis adiungit Tertulliani verba, in quibus sum. Neque impedit Græcis dari σολέμνιον, Latinis *sollemne*: nam illud ex forma Græca, istud ex Latina. Sic apud Aratorem lib. 2. Paulus Apostolus, cùm videret sibi parari victimas, clamat,

233. --- *sollemnia nobis*
Cur precor ista datis, fragili quos corpore constat,
Terrena sub lege premi?

Id est, cur datis honoraria ista, quæ non decent homines? Reperi & hanc vocem apud Ammianum lib. 17. eodem planè sensu. Cùm enim vellent nonnulli vexari prouincialium vectigalia, Iulianus Cæsar *rescripsit, gratandum esse si prouincialis hinc inde vastatus, saltem sollemnia præbeat, nedum incrementa*. Id est, consueta vectigalia, non de nouo aucta. Et hæc eadem sollemnia initio sequentis libri 19. nominat *tributa*. Clarissimè quoque idem lib. 20. *Ad Cæsarem aliqua portanere sollemnia*, id est, dona. Tu iam vide, vti frigeat sententia, si putes Cæsarianos dici *sollemnes*. Nam Iunius explicans *sollemnes Cæsarianos*; quia obligati ad obeunda sollemnia munia in Palatio, effugium quærit. Neque verò mirum vsurpari vocem hanc à Tertulliano sensu quem explicui, nam & *Castrenses* coronas vocat sensu quoque alieno ab illo, quem nos concipimus.

5. CREDO POTIORI.] Ad claritatem sententiæ possis verbum (credo) includere parenthesi.

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

Adduntur cauſſæ reliquæ, quæ coronas pollaunt infamántque.

TERTVLLIANVS.

234. 1. CORONAT & publicos ordines laureis publicæ cauſſæ. Magiſtratus verò inſuper aureis, vt Athenis, vt Romæ. Præferuntur etiam illis Hetruſcæ. Hoc vocabulum eſt coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Iouem inſignes, ad deducendas tenſas cum palmatis togis ſumunt. Sunt & prouinciales aureæ, imaginum iam, non virorum, capita maiora quærentes. Sed tui ordines, & tui magiſtratus, & ipſum curiæ nomen, Eccleſia eſt Chriſti. Illius es, conſcriptus in libris vitæ. Illic purpuræ tuæ, ſanguis Domini; & latus clauus in cruce ipſius. Illic ſecuris ad caudices arboris poſita, illic virga ex radice Ieſſe. Viderint & publici equi cum coronis ſuis. Dominus tuus vbi, ſecundùm ſcripturam, Ieruſalem ingredi voluit, nec aſinum habuit priuatum. Iſti in curribus, & iſti in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Ab ipſo incolatu Babylonis illius in Apocalypſi Ioannis ſubmouemur, ne dum à ſuggeſtu.

Philipp. 4. *Apocal.* 13. *Matth.* 27. *Matth.* 3. *Iſai.* 11. *Matth.* 21. *Pſal.* 19. *Apoc.* 18.

EXPLICATIO.

235. 1. HAbuiſti in ſuperiore capite cauſſas quatuor cur coronæ pollutæ debeant cenſeri, habebis reliquas in hoc. Hic tractus quàm longus eſt, quintam continet cauſſam, ad quam confert triplex genus coronarum, ſcilicet quas geſtabant publici ordines, quas magiſtratus, & quæ triumphatoribus mittebantur, & extremæ iſtæ dicebantur *prouinciales*. Percurro. *Coronant & publicos ordines*, &c. Ait propter *cauſſas publicas*, quales ſunt aut victoriæ, aut ſucceſſus alij felices, *coronari publicos ordines*, ſcilicet Equeſtrem & Senatorium. Non enim plebeium inducit, nam poſtea de illo ſeparatim. *Magiſtratus verò*, &c. vt Magiſtratus ſuperant ordines dignitate, ita materia coronamenti: nam illi *laureis* tantùm, iſti *aureis* coronantur, & *Athenis*, & *Romæ*. *Præferuntur etiam illis Hetruſcæ*, &c. *Hetruſcæ* coronæ feruntur ante eoſdem Magiſtratus. *Vocabulum eſt*, &c. Explicat quæ ſunt *Hetruſcæ*, & quis earum vſus. Erant illæ *inſignes gemmis, foliiſque* ex auro factis, quæ folia in ſimilitudinem foliorum, quæ viſuntur in quercu, ídque in gratiam Iouis, cui arbor hæc ſacra. vtebantur verò magiſtratus corona iſta cùm *tenſas deducebant* in templa ad obeunda ſacra, ac tunc etiam ſumebant togam palmatam. *Sunt & prouinciales aureæ*, &c. Mittebantur à prouinciis ſubditis Romano Imperio, triumphatoribus, coronæ aureæ, ita magnæ & ponderoſæ, vt aptandæ eſſent imponendæque capitibus maioribus quã hominum, ſcilicet imaginibus triumphantium. Litteram ita ordinet nouitius. *Quærentes capita maiora, iam* certè *imaginum, non virorum. Sed tui ordinis*, &c. Intellige Scriptorum, reſpicit quippe tria illa ſuperiora. Vides *ordinem, magiſtratum, curiam*; quippe in curia erant triumphatores. *Illic purpuræ tuæ*, &c. Recurrit iterum, audis enim *purpuram & latum clauum*, qui erat ordinis Senatorij; audies *ſecurim*, quæ erat magiſtratuum, & ſimul *virgam*; audis denique *publicos equos* triumphantium. Ergo ait: *Purpura* tua eſt *ſanguis* Chriſti, non purpura Senatorum; *clauus* tuus eſt, non latus Senatorum, ſed latiſſimus *Crucis. Illic ſecuris*, &c. Geſtant Magiſtratus ſecurim cædendæ plebi, virgam ſubmouendæ: quid tu eges iſtis, cùm habeas ô Chriſtiane *ſecurim* illam, quam Chriſtus dixit poſitam *ad radicem arboris*? quid illorum *virga*, cùm habeas IESVM, qui *virga eſt è radice Ieſſe? Viderint & publici equi*, &c. *Viderint*, id eſt, valeant abeántque equi triumphantium, cùm *Dominus tuus*, &c. Reliqua clara ſunt. *Ab ipſo incolatu Babylonis*, &c. Si priuamur ſubmouemúrque ab incolenda gentilica Babylone, quanto magis ab ornatu, qui deterior. Cùm enim minora vetantur, maiora perinde vetabuntur.

236. 2. Coronatur & vulgus nunc ex Principalium proprietatum exultatione, nunc ex Municipalium ſollemnitatum proprietate: & eſt omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus es mundi huius, ciuis ſupernæ Ieruſalem: Noſter, inquit, municipatus in cœlis. Habes tuos cenſus, tuos faſtos: nihil tibi cum gaudiis ſeculi, imò contrarium debes: Seculum enim gaudebit, vos verò lugebitis: & puto felices ait lugentes, non coronatos.

Philipp. 3. *Ioann.* 16. *Matth.* 5.

237. 2. Sequitur ſexta cauſſa, vnde coronæ polluantur. Poſt ordines, magiſtratus, triumphatores adhibet coronas vulgi, quod ſolebat duplici ex cauſſa coronari, vel propter *exultationem proprietatum Principalium*, id eſt, rerum propriarum Principum, puta dies natales eorum, victorias, & ſimilia: Deinde propter proprias municipiorum *ſollemnitates. Et eſt omnis*, &c. Ratio ſuperiorũ, quia ſcilicet *luxuriæ* nullam prætexerit occaſionem. *Sed tu peregrinus*, &c. Sequentia omnia ab hoc loco in libris vulgaribus laborant interpunctione, nam multa ſunt diuiſa puncto perfecto, cùm ſemel tantùm apponi debeat. Explico iam priora iſta, *ſed tu peregrinus*, &c. Spectant ſollemnitates municipiorum. Quid celebras coronatus municipiorum feſta, qui *peregrinus es mundi huius*, & *ciuis* cœleſtis *Ieruſalem*? nam, teſte Paulo, Municipatus noſter in cœlis eſt. *Habes tuos cenſus*, &c. Poſteriora reſpiciunt celebritates Principum. Quid celebras coronatus tuorum Principum gloriam, qui *habes cenſus* (id eſt, cenſiones, Hiſpanicè *matriculas*) *tuos* in Eccleſia Dei,

qui habes *tuos fastos*, id est, Calendaria & Ecclesiasticas tabulas in celebritatibus Christi? qui enim habēt has causſas lętandi, cur gaudeant cum *seculo*? nam teste Christo, *seculum gaudebit*, &c. Notet Lector rerum omnium consequutionem. Nam municipiis opponitur nostra ciuitas in cœlo, & noster peregrinatus in mundo, ac res firmatur loco scripturæ: deinde festis Principum opponuntur nostri census fastique in Ecclesia, & nostri luctus in hoc mundo, & res firmatur loco scripturæ.

238. 3. Coronant & nuptiæ sponsos, & ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam vsque deducant, à qua apud illos nuptiæ incipiunt. Habes legem à Patriarchis quidem, habes Apostolum in Domino nubere iubentem.

Gen.24.
1.Cor.7.

3. En iam causſa septima, in qua omnia clarissima. Illud de Patriarchis respicit cap 24. Genes. vbi noluit Abraham accipi vxorem filio suo de filiabus Chananæorum. Id ipsum præcipit Isaac filio suo Iacob Gen.28. ideo in plurali Patriarchas nominat. Est *nubere in Domino*, nubere cum Christiano. Illud *incipiunt nuptiæ*, est, incipiunt ab idololatria, nam coronamentum omne est idololatricum. Notabis Tertullianum explicare mētem Abrahæ & Apostoli, ideo prohibentium nuptias fidelium cum Gentilibus, ne scilicet gentiles perducant fideles ad idololatriam.

239. 4. Coronat & libertas secularis. Sed tu iam redemtus es à Christo, & quidem, magno. Seruum alienum quomodo seculum manumittet? Et si libertas videtur, sed & seruitus videbatur. Omnia imaginaria in seculo, & nihil veri. Nam & tunc liber homini eras redemtus à Christo: & nunc seruus es Christi, licèt manumissus ab homine. Si veram putes seculi libertatem, vt & corona consignes, rediisti in seruitutem hominis, quam putas libertatem: amisisti libertatem Christi, quam putas seruitutem.

4. Est hæc causſa octaua, cur corona debeat censeri esse polluta: quia scilicet serui, cùm ex ritu Gentilico manumittebantur, coronabantur. Reprehendit morem istum toto hoc tractu. *Coronat & libertas secularis* suos manumissos. *Sed tu iam redemtus es à Christo, & quidem, magno*, pretio sanguinis. *Seruum alienum*, &c. Non te Christianum potuit *seculum manumittere*, quia tu non iam seruus seculi, sed Christi, & nemo potest erga id quod suum non est. *Et si libertas videtur*, &c. Sumo hominem, qui seruus verè est, & libertatem consequitur. *Si libertas videtur*, quam assequitur, etiam *seruitus* in qua fuerat, *videbatur* tantùm *seruitus*, neque erat; quia *imaginaria omnia* & apparentia videntur in hoc mundo, neque est libertas, nec seruitus. *Nam & tunc*, &c. Nam videlicet, cùm re vera eras seruus, Christus te sanguine suo redemerat, ac perinde non seruus, sed *liber*: & nunc, cùm *manumissus* es, *seruus es Christi, licèt manumissus ab homine.* Quid ergo sequetur ex hac tua manumissione? *Si veram putes*, &c. Si vis consignare *corona* hac *libertatem* datam, proculdubio tu redis *in seruitutem* loco libertatis, & amittis *libertatem putans*, id est, deceptus circa substantiam seruitutis & libertatis.

240. 5. Nunquid & Agonisticæ causſæ disputabuntur, quas statim tituli sui damnant? & sacræ & funebres scilicet. Hoc enim superest, vt Olympius Iuppiter, & Nemeæus Hercules, & miſellus Archemorus, & Antinous infelix in Christiano coronentur, vt ipse spectaculum fiat, quod spectare non debeat.

5. Causſa nona desumta ab ludo Agonistico, qui exercebatur in stadio, & vbi victores coronabantur; qui ludi cùm essent in gratiam *Iouis, Herculis, Archemori, Antinoi*, erant perinde idololatrici, vnde fit, vt coronæ datæ victoribus meram spirarent idololatriam. *Quas statim tituli sui*, &c. Illico vt titulos audieris, damnabis has causſas, tam *sacras*, quàm *funebres*. *Sacras* dicit propter Iouem, & Herculem: *funebres* propter Archemorum, Antinoum. *Quod spectare non debeat.* Probauit scilicet toto opere de spectaculis non posse Christianum interesse illis.

241. 6. Vniuersas, vt arbitror, causſas enumerauimus, nec vlla nobiscum est: omnes alienæ, prophanæ, illicitæ, semel iam in sacramenti testatione eieratæ. Hæ enim erant pompæ diaboli & Angelorum eius, officia seculi, honores, sollemnitates, postularitates, falsa vota, humana seruitia, laudes vanæ, gloriæ turpes. Et in omnibus istis idololatria in solo quoque censu coronarum, quibus omnia ista redimita sunt.

6. Respicit hic tractus causſas omnes comprehensas superiore & isto capite. Ideo *vniuersas causſas enumerauimus*, & tamen *nec vlla nobiscum est*, id est, nulla est quæ faueat parti Christianorum, quia *omnes alienæ, prophanæ, illicitæ* Christianis, & *iam semel*, iam omnino & prorsus *eieratæ* detestatæque, & abominatæ *in testatione sacramenti* baptismi. Enumerat ergo superiores omnes causſas nouem, quæ omnes abiuratæ in baptismo. *Pompæ diaboli & Angelorum eius* respectant annuam votorum nuncupationem: *Officium seculi*, militare donatiuum, cui accipiēdo imponebatur corona ex seculi officio & obsequio: *honores*, ipsos triumphos: *sollemnitates*, honoraria illa sollemnia Cæsarianorum: *postularitates*, publicas ordinum, magistratuum, & prouincialium causſas, quia scilicet coronæ illæ postulabantur à prouinciis, & hoc satis ad consecutionem istam: *falsa vota* exultationem Principalium potestatum, & præclarè *falsa*, id est, ficta: nam vt ipse docet in Apologetico, gentiles suis principibus fictum præbebant obsequium, non verum vt Christiani: *humana seruitia*, nuptias, quia nuptiæ sunt velut assertiones in seruitutem alienam: *laudes vanæ*, manumissiones, quia libertas illa seculi vana & imaginaria: *gloriæ turpes*, Agonisticas coronas: de stadio enim propriè gloria, vt visum in lib. de Spectacul. & liquidum ex versibus istis Aratoris lib. 2. Apostolicæ historiæ.

--- nullumque coronat
In stadio securus honor, sua gloria forti
Causſa laboris erit.

Sed Tertullianus *turpes* vocat *glorias*, reſpiciens idololatriam. Abſoluit: *Et in omnibus iſtis*, &c. Has omnes cauſſas etiamſi nulla res alia, certè ſola corona faceret idololatricas. Hoc ſcilicet eſt, quod dixit ante hæc duo capita, *puta licere tibi militiam vſque ad cauſſam coronæ*, vt ibi explicui.

242. 7. Præfabitur quidem Claudius etiam cœlum ſideribus apud Homeri carmina coronatum, certè à Deo, certè homini: igitur & homo ipſe à Deo coronandus eſt. Cæterùm à ſeculo coronatur & lupanaria, & latrinæ, & piſtrina, & carcer, & ludus, & ipſa Amphitheatra, & ipſa ſpoliaria, ipſæque libitinæ. Quàm ſacerſanctus, quámque honeſtus ac mundus ſit habitus iſte, noli de vno poëtico cœlo, ſed de totius mundi commerciis æſtimare.

7. Poſt ſuperiores cauſſas ſoluit argumentum, quod eſſe in contrarium poterat. Videtur enim coronis patrocinari cœlum ipſum, cùm *ſideribus* ſit *coronatum*, quod liquidum ex Homeri verſibus, idque ait teſtificari Claudium Saturninum. *Præfabitur*, explica verbo ſimplici fabitur, vt multa alia in hoc Auctore: niſi fortaſſe Claudius Homericum hoc habuit vel in præfatione libri ſui, vel initio ipſo, & ideo Tertullianus propriè eſt locutus. *Certè à Deo*, &c. Prima ſolutio, ſi *cœlum* eſt *coronatum*, tamen *à Deo*, & in gratiam *hominis*, non idoli: igitur ſi Deus hominem coronet, laudo hanc coronam. *Cæterùm à ſeculo*, &c. Solutio altera. Si te *cœlum coronatum ſideribus* ad coronam hortatur, multa te alia dehortantur, quæ affatim pudenda, ſcilicet *lupanaria, latrinæ*, &c. quæ omnia *coronantur*, non à Deo, vt cœlum; ſed *à ſeculo*. De locis, quæ hîc numerat, in Notis. *Quàm ſacerſanctus*, &c. Concludit. Noli ergo æſtimare coronas de vno tantùm Poëtæ Homeri cœlo, ſed de totius mundi commerciis, ſcilicet de lupanaribus, de latrinis, &c. Sententia tota huius periodi eſſe poteſt ironica. Si æſtimas coronas ab vniuerſo mortalium commercio, non ab cœlo, quod Homerus deſcripſit, liquidò deprehendes habitum iſtum eſſe ſacroſanctum, honeſtum, mundum.

243. 8. At enim Chriſtianus nec ianuam ſuam laureis infamabit, ſi norit quantos Deos etiam oſtiis diabolus affinxerit, Ianum à ianua, Limentinum à limine, Forculum & Cardam à foribus & cardinibus, & apud Græcos Thyræum Apollinem, & Antelios dæmones.

8. Cùm oſtenderit coronas ſatis eſſe infames & obnoxias idololatriæ, tum ex cauſſis ſuperiùs adductis, tum ex lupanaribus locíſque aliis, quæ modò recenſebat, monet Chriſtianos ne patiantur infamari *ianuam ſuam* coronis laureis (vigebat quippe is mos tunc apud Chriſtianos deceptos his quæ videbant fieri à gentilibus, cùm ſciant non tã ianuã coronari, quàm dæmones qui præſident *ianuis*, & earum partibus, ſcilicet *limini, foribus, & cardinibus. Thyræum*. eſt Apollo Thyręus, qui θύρεως, id eſt, *ianuis* preſidet. Sunt *Antelij dæmones*, dij oſtiorum. Dixi iam de his lib. de idololat. cap. 15. Transfer huc.

NOTÆ.

244. 1. CORONANT ET PVBLICOS ORDINES.] Ita hoc ſæpè Romæ vſurpatum, vt dicat Xiphil. in Traiano, hunc fuiſſe habitum Senatus Romani, verba eius: Τραϊανῷ δὲ ὄναρ ἐπιφάνει πρὶν αὐτοκρᾶτωρ τοιόνδε, ἐδόκει αὐτὸς πρεσβύτης ἐν ἱματίῳ καὶ ἐδόπι πεπορφυρῳ, ἔτι δὲ καὶ στεφάνῳ ἑστολισμένον ἰδεῖν, οἷάπερ καὶ τὴν γερουσίαν φαίνουσι: *Traiano, priuſquam imperium adipiſceretur, viſum eſt in ſomnis cernere virum iam grandem natu, veſte purpurea, & corona ornatum, qualis pingitur ſenatus.* Addit Tertullianus, *publica cauſſa*, quod de victoriis explicui, ductus verbis Liuij iſtis lib. 10. *Eodem anno coronati primùm ob res bello bene geſtas ludos Romanos ſpectauerunt.* Huc traho Martialem lib. 8. epig. 65. vbi Roma tota coronata ducem excipit poſt victoriam. verſus ſunt:

Hìc lauro redimita comas & candida cultu
Roma ſalutauit voce manùque ducem.

Et Vopiſcum, qui de Aureliano ait, *coronas populo promiſiſſe, ſi victor rediret.* Nec ſolùm homines, verùm faſces, qua ſanè omnia intelliguntur laureata. Cicero 8. lib. ad Atticum: *Age iam has compedes, faſces, inquam, hos laureatos ex Italia ferre, quàm moleſtum?* Tacitus lib. 3. Annal. *Nero ob res à Quadrato & Corbulone proſperè geſtas, laurum faſcibus imperatorijs addi iuſſerat.* Et Mart. qui lib. 7.

Martia Laurigera cuſpide tela virent.

245. 1. AVREAS.] De coronis aureis multa mentio. Vt in Nicephoro Conſtantinopolitano in Breuiario Hiſt. vbi coronam ponit, πεντήντα μάλιστα χρυσοῦ λιτρῶν ἑξακοσίων: *æſtimatam fore ſeptuaginta libris auri.* Et in Apul. lib. 9. *Dignus ſolus coronam auream capitigeſtare.* Et Feſtum, quem ſequenti Nota adducam. De coronis Aureis ſacerdotum dixi ad librum de idololatria, & de aureis Prouincialibus dicam poſtea. Sed & coronas aureas, στεφάνους χρυσοῦς, dat Euſebius barbaris lib. 4. de vita Conſtant. cap. 7. Quin etiam coronam auream intelligit Rycquius de Capit. cap. 19. illam Plauti in Trinum.

Nam nunc ego ſi te ſurripuiſſe ſuſpicer
Ioui coronam de capite, è Capitolio,
Quod in culmine adſtat ſummo.

Nam hæc, inquit, ad ſimilitudinem eſt Hetruſcarum Tertulliani.

246. 1. PRÆFERVNTVR.] Poſſet aliquis putare ſententiam eſſe, Hetruſcæ anteponuntur aureis; quod falſum. Explicatio, quam dedi, vera eſt, & firmo ex lectione alia, nam pro *præferuntur*, legunt aliqui *ſuperferuntur*, id eſt, inſuper feruntur Hetruſcæ magiſtratibus. Deinde hoc firmat locutio Latina. Vopiſcus in Aureliano de hac ipſa re loquens: *Præferebantur coronæ omnium ciuitatum aureæ, titulis eminentibus proditæ.* Feſtus in voce *Triumphales*, ita ſcribit: *Triumphales coronæ ſunt, quæ Imperatori victori aureæ præferuntur.* Quod Tertullianus, Vopiſcus, Feſtus per verbum *præfero*, vnus Liuius dixit verbo *transfero*, nam lib. 34. ita ait: *Coronæ aureæ, dona ciuitatum, translatæ centum quatuordecim.*

247. 1. HETRVSCÆ.] Huic diuerſum munus dat Plinius lib. 33. cap. 1. verba eius: *Et cùm corona ex auro Hetruſca ſuſtineretur à tergo, annulus tamen in digito*

ferreus erat, aquè triumphantis, & serui fortasse coronam sustinentis. Ait scilicet coronam hanc sustineri à seruo illo, qui post triumphatorem. Dissidet ab eo Tertullianus, qui hoc genus coronæ præferri ait. Deinde est alterum dissidium, nam Plinius dat vni triumphatori, Tertullianus magistratibus in communi. Tertiò Plinius tantùm auream facit, Tertullianus gemmas addit, & aurea folia. His apparet, Claudium Saturninum, à quo ista Tertullianus, fuisse multò accuratiorem Plinio in hac aliisque coronis describendis. Neque enim assentior Turnebo in Aduersariis, Scaligero in Festum, qui torquent coronam Hetruscam Tertulliani ad triumphatorem, nam qui consideret verba Tertullianica, videbit clarè dari magistratibus in communi. Neque est cur id velint ducere ex loco Plinij, à quo tam multis Tertullianus dissidet. Cur verò istæ dicerentur Hetruscæ, nemo aperit. Dictæ fortasse ab illis, quæ imperatæ Hetruscis, quæ factæ ad earum similitudinem, sortitæ hoc nomen. Accipe ipsissimam Hetruscam ab Liuio lib. 4. vbi: *quam* (coronam) *Mamercus Aemilius Dictator, victis Hetruscis, libræ pondo ex publica pecunia populi iussu, in Capitolio Ioui donum posuit.* Nisi quis dicat, Hetruscam semper imperatam Hetruscis. Hæc eadem corona appellatur Iuuenali Sat. 10. *magna*, eo versu,

--- magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vlla.

In fine assentiendum Turnebo in lectione, qui *Hetrusca* legit, cùm priùs legeretur *& ruscæ*. Hoc probè ille.

248. 1. QVERCINIS.] Iuuenal. Sat. 6.

Aut Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare.

1. GEMMIS.] Hic ornatus sæpè additus coronis. Silius lib. 7. ore Romanarum matronarum in oratione ad Iunonem.

--- si pellere nostris
Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro
Pressa tibi vario fulgebit gemma coronâ.

1. TENSAS.] Suetonius in vita Iulij: *Ampliora enim humano fastigio decerni sibi passus, & sedem auream in curia, & pro tribunali Tensam, & ferculum Circensi pompæ, templa, aras, simulacra iuxta Deos.* Sunt *tensæ* currus, qui ducebantur, non iumentis, sed extentis funibus. Dixi iam de *Tensis*, lib. de Spectacul.

1. PALMATIS TOGIS.] Palmatæ togæ triumphatorum erant. Ipse in Apolog. *Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis.* Quem locum vide, & adde ista Isidori lib. 19. *Toga palmata dicebatur, quam merebantur hi, qui reportabant de hostibus palmas, quæ vocabatur & toga picta, eo quòd victorias cum palmis intextas haberet.* Martial. epig. 1. lib. 7.

Palmataque ducem, sed citò, redde togæ.

Dicebantur etiam *Tunicæ*, vt apparet ex verbis Festi Pompeii: *Tunica autem palmata, à latitudine clauorum dicebatur, quæ nunc à genere Picturæ appellantur.*

249. 1. PROVINCIALES AVREÆ.] Morem Romani populi, quem explicui, firmat Liuius lib. 38. vbi à Gallogræcis victis à Cn. Manlio, *missæ vndique legationes non gratulatum modò venerunt, sed coronas etiam aureas, pro suis quæque facultatibus attulerunt.* In triumpho Q. Flaminij idem Liuius lib. 34. *Coronæ aureæ, dona ciuitatum, translatæ centum quatuordecim.* Probus Imperator apud Vopiscum: *Coronas, quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates aureas, vestræ P. C. clementiæ dedicaui.* Ad has coronas, quas victæ prouinciæ & ciuitates mittebant triumphatoribus, pertinet *aurum coronarium.* Hinc patescunt illa Ciceronis in Pisonem: *Mitto aurum coronarium, quod te diutissimè torsit, cùm modò velles, modò nolles. Lex enim generi tui & decerni, & te accipere vetabat, nisi decreto triumpho.* Sed de hac re dicebam olim lib. 8. Æn. ad illud,

Dona recognoscit populorum.

A Vbi dona ista missa triumphanti Augusto, sunt coronæ istæ prouinciales, & quia dabantur vt *dona*, ideo dictæ *donaticæ* à Festo, vt explicat Scaliger. De his donis, id est, coronis, ita loquitur Saluianus lib. 6. *Insuper etiam ridiculos ipsi nos facimus. Aurum quod pendimus, munera vocamus. Dicimus donum esse, quod pretium est, & quidem pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ.*

1. IMAGINVM IAM, NON VIRORVM CAPITA MAIORA QVÆRENTES.] Attingit magnitudinem coronarum Prouincialium, quæ ita magnæ interdum æstimarentur pondo DCCCC. vel etiam M. sed dehac re iam diligenter Lipsius lib. 2. de Rom. Magnitud. cap. 9. Sunt verò istæ imagines, quas *triumphales* vocat Trebellius in Pisone. Et quam positam Claudio in rostris idem scribit. 250.

1. ILLIC PVRPVRÆ TVÆ SANGVIS DOMINI, ET LATVS CLAVVS, &c.] Explicui cum respectu ad ordinem Senatorium, cuius fuit purpura, vt vidisti ex verbis Xiphilini adductis: cuius etiam latus clauus: imò hoc discrimen inter Equestrem ordinem & Senatorium; nam illius fuit angustus clauus, huius latus. Rem testimoniis firmare dispudet, vt satis vulgarē, & præterea est in Virgilio.

1. ILLIC SECVRIS AD CAVDICES, &c.] De *securi* & *virga* magistratuum iam ego non vulgaria ad 6. Æn. Reponent aliqui in Tertul. ad *radices*. *Virgam* hanc *scipionem* vocat Vopiscus in Aureliano.

1. PVBLICI EQVI.] Explicui de equis triumphantium. Verissimè; hi enim coronati. Ouid. 4. Tristium:

Ergo omnis populus poterit spectare triumphos,
Cúmque ducum titulis oppida capta leget.
Vinclaque captiua Reges ceruice ferentes
Ante coronatos ire videbit equos.

C Et lib. 2. eiusdem operis dixerat,

Hic tibi si redeat superato victor ab hoste,
Inque coronatis fulgeat altus equis.

Martialis lib. 7. epigram. item 7.

Festa coronatus ludet conuicia miles,
Inter laurigeros cùm comes ibit equos.
Fas audire iocos, leuioráque carmina, Cæsar,
Sic tibi: si lusus ipse triumphus amet.

1. NE DVM A SVGGESTV.] Rescribit Iunius, *ne dum ad suggestum*, subaudi admoueamur. Nihil est necesse. Nam particula *ne dum* de re deteriore semper. Suetonius Tito cap. 1. *Sub patre principe, ne odio quidem, ne dum vituperatione publica caruit.* Id est, nō solùm incurrit in odium, quod graue est, sed etiam in publicam vituperationem, quod grauius multò. Sic D ergo ait Tertullianus: Submouemur ab incolatu, qui malus; ne dum submouebimur à suggestu, qui peior? Qui volet, possit fulcire sententiam Tertulliani adiuncta interrogatione, non quia necessaria, sed quia clarior fortasse sensus. Alludit verò ad locum Apocalypseos ca. 18. vbi vides suggestum & ornatum Babylonis meretricis. *Suggestu* autem significari ornatum alibi dixi, & firmaui. 251.

2. EX PRINCIPALIVM PROPRIETATVM EXVLTATIONE.] Carolus lib. 7. cap. 6. censet legendum *ex principalium victoriarum exultatione.* Neque displicet.

2. MVNICIPATVS IN COELIS.] In Græco est πολίτευμα, interpres vulgatus reddit *conuersatio*: sed noster vertit *municipatus*, quia & illi est sermo de sollemnitatibus municipiorum, & πολίτευμα propriè est municipatus, ac perinde proprietati hæsit. Quam Tertulliani versionem tanti fecit Hieronymus, vt vsurpauerit & in epist. ad Heliodorum: *Veniet veniet posteà dies, cùm victor reuertaris in patriam, quo Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas, tunc munici-* 252.

patum cum Paulo capias. Et in Epitaphio Nepotiani: *Cùm omnes qui in carne, non secundùm carnem viuimus, municipatum habeamus in cœlo.* Hæc etiam versio placuit magnopere Cassiano li. 6. cap. 6. Placuit Frontoni Ducæo ex Nostris, qui reprehendit Bezam, quòd vertit ineptè, *nostra verò ciuitas in cœlis est*, in Notis ad Basilium. Laudat hunc municipatum & Antonius Fernandius visione 2. hunc in modum: *Est allusio ad Romana municipia, id est, ciuitates, quæ suis quidem legibus viuebant, muneribus autem & priuilegiis vrbis Romæ vtebantur.* Aitque postea, bene Tertullianum illam aptare suo proposito. Laudat illam magnus vir Eusebius Gallicanus Episcop. in Sanctis Martyribus Ephipodio & Alexandro, vbi eam vsurpat: *vt quorum esse ciues gratulamur in terris, cum his municipatum habere mereamur in cœlis.* Cæterùm de lectione moneo, mihi non displicere, qui ita legunt: *Noster, inquit, municipatus in cœlis. In cœlis habes tuos census:* nam librarij decepti repetitionem omiserunt. Sed ego tamen nihil addens, sed retinens vulgarem lectionem, retuli ad fastos Ecclesiasticos. B

2. CENSVS.] De censionibus, id est, matriculis, capiebam, quo sensu Trebellius in Valeriano: *Diuides statum, Respublicas recensebis.*

253. 2. FASTOS.] *Fasti* erant libri continentes totius anni rationem & celebritates. Cum respectu ad hos loquitur Tertullianus. In Ecclesia quoque sunt fasti, ne tu municipiorum fastos & sollemnitates cura. Notandus sanè locus ad morem Ecclesiæ, quæ conferebat natalitia, id est, obitus martyrum, in fastos, quos fastos Ecclesiastico nomine vocamus *martyrologia.* Huius rei est locus elegans Cypriani epist. 83. *Cum voluntati & confessioni nostræ in carcere & vinculis accedit & moriendi terminus, consummata martyris gloria est. Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Vbi verbum *annotare* indicat fastorum Ecclesiasticorum notas. Videatur in hunc locum Cypriani, nota Pamelij. Et quæ in Præcapitulatione Martyrologij Romani refert Card. Baronius cap. 4. vbi multis probat Tertulliani fastos esse Ecclesiasticas tabulas. C

2. NIHIL TIBI CVM GAVDIIS, &c.] Illustrabis hanc sententiam his, quæ dixi lib. de Spectac. cap. 28. ad verba, *Nunc illi lætantur, nos conflictamur.*

254. 3. CORONANT ET NVPTIÆ SPONSOS.] Huc pertinet locus Cyrilli Hierosol. catechesi 3. vbi tractans locum Cant. *Introduxit me Rex*, &c. ita subiicit: ὡς νυμφίῳ περιέθηκέ μοι μίτραν, καὶ ὡς νύμφην κατεκόσμησέ με κόσμῳ: *Tanquam sponso circumposuit mihi mitram, et tanquam sponsam ornauit me ornatu.* Huc traho Sidonium dicentem: *Iam quidem virgo tradita est, iam coronâ sponsus, iam palmatâ consularis, iam cyclade pronuba, iam togâ Senator honoratur.* Hæc duo retuli ad Tertullianum: nam tametsi dicat, quòd coronæ sacræ sint alicui Deo profano, tamen cùm desiit periculum idololatriæ, hunc morem amplexi sunt Christiani. Claudianus de Nuptiis Honorij, D

Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas concordia necte coronas.

Idem exhortans Stiliconem ad nuptias ait: *Solitas galea Fulgere comas, Stilico molli Necte corona.*

4. CORONAT ET LIBERTAS SECVLARIS.] Thucydid. lib. 4. οἱ μὲν ἐστεφανώσαντο τε καὶ τὰ ἱερὰ περιῆλθον ὡς ἀπελευθερωθέντες: *Coronabantur quidem & circumibant templa, vt solent manumissi.* De hoc more satis multa in humanis auctoribus: quis enim est, qui non attingat? Respectat verò ad Paulum 1. Corinth. 7. *Pretio emti estis, nolite fieri serui hominum.*

4. ETSI LIBERTAS VIDETVR.] Aliàs, *videatur.*

4. NAM ET TVNC LIBER HOMINI ERAS, &c.] Est hoc quod dixit lib. de idololatria cap. 18. *Tu verò nullius seruus, in quantum solius Christi, qui te etiam captiuitate seculi liberauit.*

4. CORONA CONSIGNES.] Ita legendum, 255.
ad eum modum, quo Prosper de Promissis lib. 2. cap. 13. *Benedictione consignes.* In vulgatis *coronam*, quam lectionem etiam Iustinianus Noster tuetur in cap. 1. Epist. ad Romanos. Sed tamen *corona*, alij iam viderunt. Si quis autem velit tueri vulgarem lectionem, explicet, vt coronam consignes capiti, id est, imponas. Quid autem sit *consignatio* non est facile: vt cùm dixit Cicero pro Quinctio: *Testificantur isti Pub. Quinctium non stitisse, & sestitisse: tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignentur.* Videtur enim esse idem, quod *testificantur*: erant enim testificationes tabulæ quædam testificandi gratia factæ & obsignatæ. Vnde dicit Tertullianus, si veram putes seculi libertatem, *vt & corona consignes*, id est, vt imposita corona, illam libertatem testificeris, rediisti in seruitutem.

5. AGONISTICÆ CAVSSÆ.] De his toto opere de Spectac. vbi etiam distinctio illa *sacrorum & funerum* sæpè inculcata; eò Lectorem remittimus. Et notabis peritiam historiarum in hoc viro, qui in extrema causa posuit has coronas. Plinius certè lib. 16. cap. 4. *Noniissimè & in sacris certaminibus vsurpatæ.* Loquitur de coronis laureis.

5. ET FVNEBRIS.] Adduco tantùm Hieronymum in obitu Paulinæ: *Cæteri mariti super tumulos coniugum spargũt violas, rosas, lilia, floréque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur: Pammachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, his pigmentis atque odoribus fouet cineres quiescentes.*

5. MISELLVS ARCHEMORVS.] Fuit hic 256.
Lycurgi filius, qui infans periit serpentis morsu ex incuria nutricis Hysipyles, quæ illum in graminibus reliquit; ostensura Græcis siti laborantibus Langiam fontem. In huius itaque pueri memoriã institutus est Agonisticæ ludus annuus. Vocat *misellum*, nõ miserũ, quia infans periit. Ita Rhenanus, Pamelius, alij.

5. ANTINOVS INFELIX.] Fuit hic seruulus, & Hadriano Imperatori in deliciis, in cuius defuncti honorem institutus Agon, cùm priùs illũ in Deos retulisset. Eius meminit Iustinus Martyr Apolog. 2. & Athenagoras, atque etiam Spartianus in Hadriano. De illo Egesippus apud Hieronymum de scriptoribus Ecclesiastic. ita: *Tumulos mortuis, templáque fecerunt, sicut vsque hodie videmus, è quibus est & Antinous seruus Hadriani Cæsaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum ciuitatem, quam ex eius nomine condidit, & statuit prophetas in templo. Antinoum autem in deliciis habuisse Cæsar Hadrianus scribitur.* Tatianus: πῶς δὲ ὁ τοῦ Ἀντίνοος, μειρακίου ἐν τῇ Σελήνῃ ὡραῖον καθίζοντα; τίς ὁ ἀναβιβάσας αὐτόν; *Quomodo Antinous speciosus adolescens in Luna collocatus est? aut quis eum eò leuauit?* Prudent. lib. 1. in Symmach.

Quid loquar Antinoum cœlesti in sede locatum?
Illum delicias nunc diui Principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili?
Hadrianique Dei Ganymedem? &c.

Dixi de hoc in Apolog. vbi illum Tertullianus *cinædum* vocat, quem ad locum adduxi verba Athanasij.

6. ENVMERAVIMVS.] Ita corrigunt omnes, & bene, nam in vulgatis *enumeramus*, non aptè.

6. IN SACRAMENTI TESTATIONE EIERATÆ.] Reponit Latinius, *in sacramenti tinctione eieratæ*, & laudat Iunius, quia Tertullianus de Baptismo *tinctio & tinguere.* Sed non est necesse, nam ipse quoque Tertullianus *contestari* dixit de adeuntibus aquam baptismi, cap. 3. huius operis, & loquens de re eadem, de qua in hoc ipso loco. Qui legunt *in sacramenti tentatione*, pessimè legunt. 257.

6. POSTV-

6. POSTVLARITATES.] Ita legi omnino volui, vt in editione prima Rhenani, quam lectionem alij ante me & amplectuntur & laudant. Itaque perperam in vulgatis Pamelij libris, aliisque legitur, *Sollemnitates postulatrices*. Lectionem, quam sequor, conuincit reliqua consequutio, quæ aliter adimitur. Respicit enim scriptor ad reliquas superiores causas. Dubium tamen esse potest, quænam sint istæ *postularitates*. Ego retuli ad imperium triumphantium, qui coronas illas postulabant ad triumphum, vt tributum à prouinciis, id coactè & vexantes; ni darent. Inde laudatur Hadrianus ab Spartiano, quòd non in hac re seuerus: *Aurum* (inquit) *coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit*. Iunius hanc vocem & similes in Arnobio, Tullio, Festo, aliis, refert ad expiationem post violata sacra. Sic accipit *postulationes* apud Tullium de Aruspicum Responsis, & *postularia* fulmina apud Festum, & *postulatoria* apud Senecam 1. Nat. Quæst. Non pugno. Sciat etiam Lector, in optimo codice, quem profert Woueren. legi *popularitates*, quæ lectio non improbanda, vt quæ respiciat æquè Ordines, Magistratus, Triumphantes. Ego tamen retinui *postularitates*, quia vicinior vox ista spuriis *postulatricibus*.

258. 6. CENSV.] Refert hanc vocem Carolus lib. 4. de Coron. cap. 10. ad insanum sumtum & precium (potiùs luxum) qui absumi solitus in coronis, quæ offerebantur Diis, & ita explicat locum istum. Sed non placet. Nam hoc loco vox ista ad omnes in communi coronas, quas latè enarrauit, refertur. Itaque apage vt hîc loquatur de pretio & æstimatione pecuniaria. Sed loquitur ad eum modum, quo lib. de Spectacul. c. 7. *Idololatria splendida est censu criminis sui.* & Apolog. cap. 21. *Secta & nominis censum.* ibid. cap. 10. *Census totius diuinitatis ab Saturno.* Itaque tantùm ait Tertullianus, in his omnibus causis vel ab vnis tantùm coronis æstimandam censendámque idololatriam.

7. CÆLVM SIDERIBVS APVD HOMERI, &c.] Versum hunc nemo interpretum suppeditat, sed eccillum lib. 18. Iliad. in fabrica scuti Achillei,

Εν δ' τὰ τείρεα πάντα, τὰ τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται:
Sidera deinde omnia, quibus cœlum est coronatum.

Eundem versum spectat Plinius lib. 16. cap. 4. *Antiquitus quidem nulla* (corona) *nisi Deo dabatur, ob id Homerus cælo tantùm eas, & prælio vniuerso tribuit.* Constantinus Manasses in Annalib.

Τὸν οὐρανὸν ἐστέφανον τοῖς ἄστροις γενέσθαι,
Τότε τῷ κάλλει οὐρανὸς τ' ἄστρων δηλονότι,
Ὡς πόλος μαργαρίτρωτος, χρυσόπαστον ὡς φάος:
Vt cælum stellis, quasi corona quadam cingeretur,
Quapropter illud siderum pulchritudine fuit exornatum,
Instar pepli margaritis & auro instructi.

259. 7. LVPANARIA ET LATRINÆ, &c.] Totus cursus Tertulliani eò tendit, vt notet impuritatem coronarum, vt quæ destinatæ fuerint omnibus impuritatibus. Ex hac impuritate factum, vt non lupanaria solùm, sed quiuis locus, vbi flagitium hoc admissum, coronaretur. Quod liquidum ex historia Iuliæ, filiæ Augusti, quæ non contenta adulterio cum hominibus notis, versa in quæstuariam ignotis etiam corpus vulgabat, ac tum ad Marsyam ibat (erat hæc statua in quadam vrbis parte) vt scribit Seneca lib. 6. de Benef. locum verò istum impotenti luxuriæ destinatum, id est, Marsyam ipsum coronabat, vt scribit Plinius lib. 21. Quin ea fuit moris huius recepta turpitudo, vt etiam flagitij ipsius membra coronarentur, vt notare est bis aut ter in carmine libero Priaporum, & sub nominibus scæuis, quæ hinc exulant.

7. LVDVS.] Ambiguus locus. Potest enim accipi ludus litterarius, nam ipse lib. de Idolol. cap. 10. *Flore scholæ coronandæ.* Vel ludus gladiatorius; inclino ex consecutione rerum; sequuntur enim Amphitheatra & spoliaria. Erat quippe *ludus gladiatorius* propriè locus ille, vbi ars sæua discebatur, *Amphitheatrum* vbi exercebatur, *Spoliarium* vbi spoliabantur gladiatores. Isidorus: *Ludus gladiatorius inde dictus, quòd in eo iuuenes vsum armorum condiscant.* Et *ludus* quidem absolutè, ac nulla re addita, sumitur de gladiatorio. Vt cùm Lampridius de Commodo: *Ludum sæpe ingressus est.*

7. SPOLIARIA.] Erat *spoliarium*, vbi gladiatorum vestes, & ornamenta. Plinius Panegyr. *Nunc templum, nunc verè Deus, non spoliarium ciuium, cruentarúmque prædarum sæuum receptaculum.* Cassius Seuerus Controuers. vocat locum istum *specum*, & *humanarum calamitatum officinam.* quia scilicet hic locus receptor vulneratorum cæsorúmque. Plura his Lipsius lib. 1. Satur. cap. 18. qui etiam notat propriè *spoliarium*, & Græcè ἀποδυτήριον, dictum de cellulis balneorum, in quibus abluendi exsuebantur, & inde vocem traductam ad ludum gladiatorium. Videatur Lampridius in Commodo, vbi forma ista: *Hostis patriæ parricida gladiator in spoliario lanietur.* vbi & similes. 260.

7. LIBITINÆ.] Est feretrum mortuorum. Sidonius epist. 8. l. 12. *Cùm libitinam ipsam flentes omnes, externi quoque prensitarent, remorarentur, exosculārentur*, &c. Arnoldus in vita Sancti Godehardi: *Cadauer in libitina iacens.* Hinc bustuarij ipsi dicti *libitinarij.* Sed & portæ *libitinenses* meminit in Commodo Lampridius.

8. AT ENIM CHRISTIANVS, &c.] Censent aliqui hinc statuendum principium sequentis capitis, neque abnuo.

8. AFFINXERIT.] Alij *finxerit*. alij *fixerit*, aut *affixerit*. & probo, nam vt ostia dicuntur fixa cardinibus, ita Dij ibi affixi. Huic fixioni oppositum verbum *vello*. Nam Virgilius. 2. Æn.

Postésque à cardine vellit.

Et fuit quidem verbum illud in vsu Patrum. Auctor vitæ Sancti Godehardi: *Lecto affigitur.*

CAP. XIV. ARGVMENTVM.

Christianus nemo coronandus nisi spinea Christi corona.

TERTVLLIANVS.

261. 1. TANTO abest vt capiti suo manus inferat idololatriæ, imò iam dixerim Christo: si quidem viri caput Christus est, tam liberum quàm & Christus, ne velamento quidem obnoxium, ne dum obligamento. 1. Cor. 11.

EXPLICATIO.

1. TANTO *abeſt*, &c. Sententia annectenda eſt cum exitu ſuperioris capitis, hunc in modum. Chriſtianus non infamabit lauream ſuam, *tanto abeſt, vt*, &c. Quaſi dicat: Si ianua non coronanda, certè multo minùs caput. Illud *manus idololatriæ*, eſt, *tanto abeſt vt inferat manus* idololatricas *capiti ſuo*: & ſe corrigens addit, *Imò iam* non *capiti ſuo*, ſed *Chriſto dixerim*. Probat, *Siquidem viri caput Chriſtus eſt*, ac perinde *tam liberum quàm & Chriſtus*: Ideo *ne velamento quidem obnoxium, ne dum obligamento* coronæ, quod multo eſt deterius. Summa eſt. Caput non coronandum, quia *caput viri eſt Chriſtus*, & ideo *tam liberum* debet eſſe à corona caput cuiuſque, *quàm* ipſe eſt *Chriſtus*, quòd ſi cuiuſque caput, quia eſt *liberum*, non eſt, *obnoxium velamento*, multo minùs erit *obligamento* coronario.

262. 2. Porrò & quod obnoxium eſt velamento caput fœminæ, iam hoc ipſo occupatum non vacat etiam obligamento. Habet humilitatis ſuæ ſarcinam. Si nudo capite videri non debet propter Angelos, multo magis coronato: fortaſſe tunc illo coronato ſcandalizauerit.

2. Tranſit à viris ad fœminas, efficitque contrarium argumentum. De viris dixerat. Caput virorum cùm non ſit *obnoxium velamento*, non ſit perinde *obligamento* coronæ. De fœminis contrà ait, *Porro & quod*, &c. Id eſt, cùm earum caput ſit *obnoxium velamento* (nam debent ſe tegere) occupatum eſt iam, nec vacat nouo *obligamento* coronæ. *Habet humilitatis ſuæ ſarcinam*. Habet velamen, quod nota eſt *humilitatis* fœminarum. *Si nudo capite*, &c. Arripit ſententiam Apoſtoli 1. Corinth. 11. vbi dixit, (Velandas fœminas propter Angelos.) Addit ipſe, ſi velandæ ſunt ne ſcandalizent Angelos ſua pulcritudine; certè nec coronandæ, ne ſcandalizent eos actu idololatrico. Verbula illa *multo magis* procedunt ex phraſi huius Afri, tu diceres *multo minùs*, & probè. Ergo ita ſubaudi. Si non debent videri nudo capite, multo magis videri non debent coronato.

263 3. Quid enim eſt capite fœminæ, corona, quàm formæ lena, quàm ſumma laſciuiæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ? Propterea non or-
1. *Tim.* 2. nabitur operoſiùs mulier, ex Apoſtoli proſpectu, vt nec crinium artificio coronetur.

3. *Capite*, in capite: frequens ellipſis. *Quàm formæ lena*. Quia *corona* eſt conciliatrix formæ & pulcritudinis, quaſi quæ deſunt formæ conciliet corona, vt lena ſibi conciliaret vel corona, vel pigmentis. *Ex Apoſtoli proſpectu*, vt ſapienter proſpexit Apoſtolus, ex proſpicientia prouidentiáque Apoſtoli. *Vt nec crinium artificio coronetur*. Annecte ita. Apoſtolus ideo præcepit ne fœmina ornetur *operoſiùs*, videlicet, *vt* nullis coronis vtatur, *nec* adhuc *crinium artificio coronetur*. & hic fuit *proſpectus* ille prouidentiáque *Apoſtoli*. nam cùm vetuit ornamentum in genere, vetuit perinde priuatum hoc ornamentum capitis, ſcilicet coronam.

264. 4. Qui tamen & viri caput eſt, & fœminæ facies, vt Eccleſiæ, Chriſtus IESVS,
Matth. 27. quale, oro te, ſertum pro vtroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens.

4. *Qui tamen*, &c. Annecte ita. *Tamen Chriſtus* IESVS, *qui eſt & caput viri, & facies fœminæ, vt* ſcilicet & caput *Eccleſiæ*, & facies *Eccleſiæ* eſt, *quale*, &c. Ludit præclarè. vt enim, quia in viro præcipuè ſpectandum eſt caput, dicitur Chriſtus *caput viri*: ita, quia in fœmina ſpectanda eſt præcipuè facies, dicetur quoque Chriſtus *facies fœminæ*: idque ad ſimilitudinem qua dici quoque poteſt idem Chriſtus eſſe caput *Eccleſiæ*, & facies *Eccleſiæ*. Perinde ac ſi dicat: vt Chriſtus eſt caput faciéſque corporis Eccleſiæ, fit perinde, vt ſit caput virorum, & facies fœminarum, ex quibus componitur corpus Eccleſiæ. *In figuram delictorum*, Ait, ſpinas, quæ Chriſtum pupugere, eſſe *figuram* peccatorum: nam peccata veriùs quàm ſpinæ, Chriſti caput lacerarunt. *Quæ nobis protulit terra carnis*. Vt tellus plus iuſto humectata, ſpinas germinat, & horrorem incultum tribulorum; ita caro luxuria affluens, peccata. *Abſtulit autem*, &c. Quî abſtulit, ſi tantùm obtudit? Expende. Vt ſpinæ decuſpidatæ & obtuſæ nequeunt lædere: ſic & concupiſcentia carnis noſtræ, quæ ſemper progenerat peccata, virtute paſſionis Chriſti ita obtunditur in his viris, in quibus illa operatoria eſt, vt dici poſſit ablata & eradicata, quia non exuberans in peccata.

265. 5. Certè præter figuram contumelia in promtu eſt & turpitudo & dedecoratio,
Iſa. 52. & his implexa ſæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt & lancinauerunt; vt tu nunc laurea & myrto & olea, & illuſtriore quaque fronde; &, quod magis vſui eſt, ſpontaneis quoque roſis ex horto Midæ lectis, & vtriſque liliis, & omnibus violis coroneris: etiam gemmis, forſitan & auro; vt illam Chriſti coronam æmuleris, quæ
Pſal. 23. poſtea ei obuenit, quia & fauos poſt fella guſtauit, nec antè Rex gloriæ à cœleſtibus
Matth. 27. ſalutatus, quàm Rex Iudæorum proſcriptus in crucem, minoratus primo à Patre
Pſal. 8. modicum quid citra Angelos, & ita in gloria & honore coronatus.

5. *Certè præter figuram*, &c. Dixerat, ſpinas, quibus punctus Chriſtus, eſſe figuram peccatorum: addit iam fuiſſe tum cõtumelioſas, turpes, indecoras; tũ plenas ſæuitiæ eidem Chriſto. Inde ſequitur *fœdauerunt* cum reſpectu ad contumeliam, turpitudinem, dedecus: & *laniauerunt* cum reſpectu ad ſæuitiam. *Vt tu nunc laurea*, &c. Quaſi dicat. Ideóne Chriſtus cõtumelioſè & ſæuè affectus eſt, vt tu *coroneris laurea*, &c? Pergit. *Etiã gẽmis*, &c. Vt coronæ quas ex floribus numerauit reſpiciunt ſpineam Chriſti coronã, ita coronæ gẽmeę

& aureæ Christi gloriam. Quasi ironicè dicat: *Etiam ne gemmis*, fortasse *& auro* coronaberis, *vt* ita *æmuleris Christi* gloriam, qui *post fella*, id est, postquam sublatus in crucem est, *minoratúsque citra Angelos, fauos gustauit*, id est, *salutatus* est *Rex gloriæ*, *& coronatus* est *gloria & honore*? Ac si dicat. Falleris, non ita æmulaueris Christi gloriam. Itaque Tertullianus, *fella* ait esse crucem, & minorationem *citra Angelos*; *fauos* verò esse salutari *Regem gloriæ*, & coronari *gloria honoréque*. Hæc summa, aliqua Notas requirunt.

266. 6. Si ob hæc caput ei tuum debes, tale si potes ei rependere quale suum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, si spinis non potes, quia non floribus potes.

6. *Si ob hæc*, id est, ob coronam spineam, quam pro te gestauit. *Tale si potes*, &c. *Rependeei caput tuum* coronatum spinis, qualiter ille *suum pro tuo obtulit*. *Aut nec floribus*, &c. Si infirmitas ea in te est, vt pati non possis caput tuum spinis perfodi, tamen hoc Deo tuo obsequium præbe, vt *nec floribus coroneris*, *quia* hoc saltem *potes*. *Quia non floribus potes*. Notet Lector dialecticam Tertulliani. Aliud est, *Quia floribus non potes*, & hoc non hîc dicit, quia totum librum consumsit in improbandis coronis floreis: aliud, *Quia non floribus potes*, & hoc hîc dicit, videlicet, si non potes coronari spinis, saltem potes non floribus.

NOTÆ.

267. 1. MANVS INFERAT IDOLOLATRIÆ.] Non placent, qui legunt, *Manus inferat idololatria*. Turbatur enim sententia. Nam persona agens est *Christianus*, qui præcessit in superiore capite, qui non debet capiti inferre manus idololatriæ, id est, manus idololatricas.

1. VIRI CAPVT CHRISTVS EST.] Verba sunt Pauli 1. Corinth. 11. Sic consequenter cap. 12. dicit, nos esse Christi μέλη, *membra*. Quod verò sequitur de capite viri non obnoxio vlli velamento, habet quoque ibidem Paulus: *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est*.

2. QVOD OBNOXIVM EST VELAMENTO CAPVT FOEMINÆ.] Paulus ibidem: *Debet mulier potestatem habere supra caput, propter Angelos*. vbi per *potestatem* intelligit velamentum. Sed de hac re, & qui isti Angeli, in lib. de Veland. Virginibus. Hîc tantùm nota consimilem locutionem Tertulliani cum Apostolica. Vt enim Paulus velamen fœminæ vocat *potestatem*, ita Noster *sarcinam*, quæ scilicet imponitur supra caput, habétque veluti potestatem cogendi fœminam ad seruandam modestiam, deiiciendum caput, submittendos oculos. Porrò cum sarcina alludit locutio eiusdem de Veland. Virginibus: *Aliæ modicè linteolis, credo, ne caput premant, neque ad aures vsque demissis, cerebro tenus operiuntur. Miserear si tam infirmo auditu sunt, vt per tegmen audire non possint*. Vt verò Cornelius ait, *Iugum subiectionis* vocat Tertullianus, *Insigne subiectionis* Chrysostomus, *Memoriam subiectionis* Concilium Gangrense; hæc omnia velamen sunt.

268. 3. QVID ENIM EST CAPITE FOEMINÆ CORONA?] Nescio cur Pamelius secutus Latinium mutet lectionem, legátque *capiti*, cùm Tertullianus dixerit *capite*, pro, in capite. Sed esto, legatur *capiti*, vt ipse vult, certè etiam est in sexto casu, nam olim *capiti* pro capite. Ita Virgilius,

Capiti tremit ærea cassis.

Sic *vesperi*, *ruri*, *Carthagini*, pro, vespere, rure, Carthagine. Paëz etiam legit *capiti* Annotat. 6. in Cantic. Mosis tex. 3.

3. FORMÆ LENA.] Commodum habet sensum lectio ista, sed aliquis posset rescribere, *Forma lenæ*, vt dicat, coronatam fœminam, esse nihil aliud quàm formam similitudinémque meretricantis & lenocinantis fœminæ, illicientisque ad voluptatem. Vel *forma lena*, vt dicat, esse lenam specie ipsa & forma. Sed nihil mutandum, præsertim in bono sensu.

3. NON ORNABITVR OPEROSIVS MVLIER.] Nam, vt dicit Augustinus ad Psal. 50. & lib. Homiliar. 50. Homilia 21. *Mulier longè, libido prope*. Quid tum si prope, & ornata?

3. VT NEC CRINIVM ARTIFICIO ORNETVR.] Vide vt explicui, etenim particula *nec* summam habet emphasin; includit enim aut supponit integram orationem. Quasi dicat: Non solùm debet abstinere ab aliis coronis, sed nec debet vti artificio crinium formato in modum coronæ. De hoc crinium artificio loquor locis aliis, & de illo capio περιπλοκὰς πανυχιχὰς, quæ sunt apud Clementem lib. 3. Pædagog. cap. 11. nam plexus iste totus ad coronam. 269.

4. FOEMINÆ FACIES.] Nullibi, quod sciam, scribitur Christum esse *faciem fœminæ*. Sed Tertullianus secutus ductum Pauli, qui vocat Christum *caput viri* (quia scilicet *principale membrum nostrum caput est*, ait Gregor. Magnus Homil. in Euangel.) ita (inquam) ex ductu illo vocat Christum eundem Tertullianus *faciem fœminæ*, accipiens videlicet quod præcipuè spectatur in fœmina.

4. QVALE, ORO TE, SERTVM, &c.] Gulielmus Tyrius, Belli sacri cap. 9. libri 9. loquens de Rege Godefrido: *Promotus autem, humilitatis caussa, corona aurea, Regum more, in Sancta ciuitate noluit insigniri: ea contentus, & illi reuerentiam exhibens, quam humani generis Imperator in eodem loco vsque ad crucis patibulum pro nostra salute spineam deportauit*. Sanctus Maximus Episcop. Taurinens. Homilia 1. de festo Paschæ: *Inter spinas autem deputatus est, quando spineo serto innocentiæ & iustitiæ auctor illusus est*. Cælius Sedulius Presbyter de opere Paschali, lib. 5. cap. 11. *Spinea caput eius corona circumdedit, quoniam spinas omnium peccatorum, quæ humanum genus passim inuaserant, pia solus humilitate portauit*. 270.

5. LAVREA, ET MYRTO, ET OLEA.] Has scilicet tres materias suprà enumerauit, vt principes in coronis militaribus: primam ab Apolline, & Libero; alteram à Venere, in gratiam Martis militaris Dei; tertiam à Minerua, quæ præses bellorum.

5. SPONTANEIS QVOQVE ROSIS EX HORTO MIDÆ LECTIS.] Ante Rhenanum hic locus corruptissimus erat; legebatur enim *Centaureis*, aut *Centauriis rosis*. Re- 271.

ſcripſit verò ille, *Centenariis roſis*, ductus loco Plinij, lib. 21. cap. 4. vbi meminit roſæ coronariæ, quæ dicta *centifolia*. Potuiſſet & afferre locum Theophraſti, qui lib. 6. de plantis cap. 6. nominat ἑκατοντάφυλλα ῥόδα, *Roſas centifolias*. Hanc Rhenani reſtitutionem omnes venerati ſunt. E quibus vnus eſt præter Pamelium Hadrianus Iunius Cent. 4. Adag. 91. Ego tamen adhæſi Carolo reſtituenti *ſpontaneis roſis* lib. 3. de Coron. cap. 7. Pro qua lectione duplex ratio. Prima ſumitur ab Herodoto, cuius verba lib. 8. ſunt hæc. οἱ δὲ ἀμπεκόμψοι εἰς ἄλλην γῆν τῆς Μακεδονίης, οἰκησαν πέλας τῶν κήπων τῶν λεγομένων εἶναι Μίδεω τοῦ Γορδίεω· ἐν τοῖσι φύεται αὐτόματα ῥόδα ἓν ἕκαστον ἔχον ἑξήκοντα φύλλα, ὀδμὴν τε ὑπερφέροντα τῶν ἄλλων: id eſt: *Illi verò profecti in aliam terram Macedoniæ, habitarunt iuxta hortos qui dicuntur eſſe Midæ filij Gordy, in quibus naſcuntur ſpontaneæ roſæ, ſingulæ habentes ſexaginta folia, quæ odore excellunt inter alias.* Cui loco non dubium quin hæreat Tertullianus, ex Midæ mentione, & facile fuit ſcribam decipi, ac tranſire ex *ſpontaneis* in *centaureis*, in quibus par litterarum numerus. Ideo autem roſæ iſtæ in tanto honore, quòd nemine iaciente ſemen naſceretur ſponte. Ratio altera ſumitur à verbis ipſius Plinij, quæ hæc ſunt: *Cepio Tiberij Cæſaris principatu negauit centifoliam in coronas addi, præterquam extremos veluti ad ordines, neque odore, neque ſpecie probabilem.* Hæc pro ſe adducit Rhenanus, cùm minimè faueant. Nam primò non ſequitur eſſe in rerum natura roſas centenarias, quia ſint centifoliæ, hic enim nixus admodum eſt fragilis. Deinde, nam ſi centifolia ita coronis eſt addita, vt tamen extremo loco, parúmque commendabilis, quî iſta Tertulliano conueniunt ſcribenti, *Et quod magis vſui eſt*? quod eſt, potiſſimum ad vſum. Certè Tertullianus præfert has roſas Midæ, lauro, myrto, oleæ; Plinius verò centifoliam abiicit infra omnes roſas. Non ergo Tertullianus corrigendus ex verbis Plinij, cuius centifoliæ non ſunt odore vllo commendabiles; ſed ex verbis Herodoti, cuius ſpontaneæ roſæ, & cum foliis ſexaginta, præſtant aliis odore. Neque verò fauere poſſunt Rhenano verba Hieronymi iſta in epiſtol. ad Lætam: *Sit in gremio auiæ, quæ repetat in nepte quicquid præmiſit in filia; quæ longo vſu didicit nutrire, ſeruare, docere virgines. In cuius coronam centenarij quotidie numeri caſtitas texitur.* Hæc (inquam) non fauent Rhenano. Nam Hieronymus tantùm adiicit animum ad fructum caſtitatis, centuplicem, & maximum, quem habitura hæc virgo.

272. 5. VTRISQVE LILIIS.] Refert Carolus ad lilia alba & purpurea, Hiſpani dicunt *aſuſenas*: alba paſſim viſuntur, purpurea ſunt quæ arte inficiuntur *monſtrificis* (vt ait Plinius lib. 21. cap. 5.) *hominum ingeniis*: nam alba ita, antequam ſerantur, inficiuntur, vt omnino naſcantur purpurea. Vnde ait ibidem Plinius, *Mirum ita tingi aliquid, vt naſcatur infectum.* Rationem, qua hoc fiat, aperit ibi Plinius, atque etiam Auctor Geoponicæn lib. 11. cap. 21. Sed qui Carolum ſequuti ſumus in præcedente Nota, in hac deſerimus. Neque enim putamus Tertullianum de obuiis coronamentorum floribus intruſiſſe in hunc numerum lilia, id eſt, purpureas *aſuſenas*, quæ rariſſimæ, vt quas non producat natura, ſed tantùm ex ingenio monſtrifico proueniant. Ergo capiamus de flore, quem nominant ἶριδα, ex ſimilitudine arcus cœleſtis, & λείριον, id eſt, iridem, lirium. Itaque *lilium* vox Latina etiam *lirium* ſignificat, & de *lirio* loquens Plinius lib. 20. cap. 7. dicit, *Lilium vtriuſque generis*, ſcilicet & cæruleum & album, quibus verbis hærens Tertullianus dixit *vtriſque liliis*. Hæc autem duo liriorum genera paſſim in hortis viſuntur, licèt cæruleum ſit frequentius. Etenim ſi de *aſuſenis* loqueretur Tertullianus, cur diceret, *vtriſque liliis*, cùm Plinius colori, quem aduocat Carolus, tria genera ex æquo conſtituat, *Candidum*, *rubens*, *purpureum*? Nulla eſt certè ratio cur rubens excluderet. Eſt ergo æquum, vt ad lilia, id eſt, liria, quod duplex tantum eſt, Tertullianus confugiat. & quidem lirium vel Iridem, dici etiam lilium hinc efficio, nam optima lexica Græcorum λείριον explicant *lilium*. & verba Theophraſti lib. 6. αἰπῶν cap. 21. vbi ille, καθάπερ τὸ κρίνον καὶ λείριον, Dalecampius illa Plinij *vtraque lilia*, refert ad ſermonem Theophraſti de lirio, vt perinde liqueat lirium ſeu Iridem dici quoque lilium. ac perinde ad caput ſeptimum ſpectauit Tertullia. non ad quintum.

5. OMNIBVS VIOLIS.] Scilicet *purpureis, luteis, albis*. Hæc enim tria genera continet Plinius lib. 21. cap. 6. quem vide. 273.

5. ETIAM GEMMIS FORSITAN, ET AVRO.] In vulgatis omnibus diſtinctio corruptiſſima eſt, ac perinde locus, ex praua punctione. *Nam* poſt verba *coroneris*, adhibenda eſt valentior diſtinctio, vti ex noſtra interpretatione poterit liquere.

5. FAVOS POST FELLA GVSTAVIT.] Parœmiaca locutio, qua indicatur, peruenîri non poſſe ad res lætas niſi poſt triſtes; quod probat exemplo Chriſti. Illuſtrabis ſententiam his, quæ adduco in lib. 1. Æn. ad illud,

Per varios caſus,

& iterum infrà ad illud,

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Videantur etiam, quæ illuſtrando Tertulliano congeſſit Noſter Viegas in c. 1. Apocalyp. ſectione 20. num. 4. & quæ Hoyus in prouerbiales formas.

5. PROSCRIPTVS IN CRVCEM EST.] Legit Iunius, *In cruce*. Sed retineri poteſt lectio, vt ſit ſententia, ſublatus damnatus in crucem proſcriptus eſt. Hæc enim & ſimilia ex ingenio Tertulliani. Similis locutio in Capitolino, in vita Pertinacis: *His horis, quibus ille in Capitolium vota ſoluebat.* Id eſt, ſoluebat vota in Capitolium profectus. Vertat itaque ſtylum Iunius. Cùm ait *proſcriptus* ſpectat ad titulum Crucis, & Romanum morem. Nomina enim illorum, qui eſſent relegati & damnati, proſcribebantur, id eſt, ſcripta coram omnibus proponebantur in loco publico.

CAP. XV. ARGVMENTVM.

Corona ab vno tantùm Christo expectanda.

TERTVLLIANVS.

274. 1. SERVA Deo rem suam inattaminatam: ille etiam si volet, coronabit. Imò
Apocal. 2. & 3. & vult. Denique inuitat. Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ, esto
2. Tim. 4. & tu fidelis ad mortem. Decerta & tu bonum agonem, cuius coronam & Apostolus
Apocal. 6. repositam sibi meritò confidit. Accipit & Angelus victoriæ coronam procedens in
Apoc. 10. candido equo, vt vinceret. Et alius Iridis ambitu ornatur cœlesti. Porò sedent &
Apocal. 4. *Apoc. 14.* Presbyteri: eodémque auro & ipse filius supra nubem micat. Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione? Illas adspice, illas odorare.

EXPLICATIO.

275. 3. SERVA *Deo rem suam inattaminatam.* Nam caput hominis res est Dei, quia Christus caput hominis. *Inattaminatam*, incontaminatam. *Qui vicerit, inquit*, &c. Ex 2. Apocalyps. vbi: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Tertull. tantùm verba transposuit. *Apostolus*, scilicet 2. Timoth. 4. *Accepit & Angelus*, &c. Habetur hoc Apocalyps. 6. *Et alius Iridis ambitu*, Apocalyps. 10. *Porrò sedent & presbyteri coronati.* Apocalyp. 4. vbi sedent viginti quatuor seniores, in quorum capitibus aureæ coronæ. *Eodémque auro.* Apocalyps. 14. vbi similis filio hominis habet in capite suo coronam auream. Ait *eodem* cum respectu ad seniores, quibus aureæ coronæ. *Si tales imagines in visione*, &c. *Si tales imagines* in reuelatione & apocalypsi, *quales* erunt non iam imagines, sed *veritates*: non *in visione*, sed *in repræsentatione*? Id est, cùm erunt non visæ per imaginem, sed veræ & repræsentaneæ. *Illas adspice, illas odorare.* Concinna erit sententia, si ita distribuas. Adspice ergo nunc quod imaginarium est in visione, ac perinde odorare quod verum erit cùm sit præsentaneum. Clarius, adspice visionis imagines, sed cùm has videris, odorare repræsentationis veritates.

276. 2. Quid caput strophiolo, aut dracontario damnas diadémati destinatum? Nam
Apocal. 1. *Esa. 11.* & Reges nos Deo & patri suo fecit Christus IESVS. Quid tibi cum flore morituro? habet florem ex virga Iesse, super quem tota diuini spiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarcessibilem, sempiternum: quem & bonus miles eligendo, in cœlesti dignatione, ordinatione profecit.

2. *Quid caput*, &c. Adducit rationem duplicem cur contemnenda corona. Prima. Ne damnes corona caput tuum destinatum maiori fortunæ, scilicet *diadémati*, insigni regio. Quasi dicat: Quid *strophiolum*, vox diminuens; quid *dracontarium*, vox abominanda, cum altissima fortuna regij diadematis? & quia *dracontarium*, ideo *damnas*, cum aspectu ad draconem feram nocuam & plenam damni. Probat nos esse Reges, ex illo Apocalyps. 1. *Et fecit nos regnum & Sacerdotes Deo, & Patri suo.* Sed Tertullianus non dixit *regnum*, sed *reges*, secutus Græcum, vbi ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς: *Fecit nos Reges.* His multísque aliis inducor, virum hunc non solitum lectitare editionem Latinam, sed semper Græcam. De *strophiolo* & *dracontario* in Notis. Pergit. *Quid tibi cum flore morituro*, &c. Ratio altera desumitur ex floribus coronariis morituris & perituris, cum oppositione ad Christum *florem ex virga Iesse*, qui *incorruptus, immarcessibilis, sempiternus*, & *super quem tota gratia Spiritus* Sancti *requieuit.* Quasi dicat. Vide an hic flos gratiosior, in quem perflauit Spiritus Dei? Cæteri flores marcescunt, decidunt, moriuntur; flos hic perpetuò viget, æternam habet pulchritudinem, viuit & vegetus est. *Quem* florem *bonus* verè Christianus *miles*, cuius occasione susceptus in hoc opere sermo, *eligendo, in cœlesti dignatione, ordinatione profecit*, id est, hic miles eligens IESVM, qui verus flos, profecit, euectúsque est ad dignitatem cœlestem supra militarem ordinationem, quam habuerat. Est enim *proficere ordinatione*, proficere in ordine. Iunius enim sententiam non cepit. Dicit enim Tertull. idem quod suprà, *Conscriptus es in libris vitæ.* Hæc itaque est dignior loci huius ordinatio, & progressus, ac profectus.

277. 3. Erubescite Romani commilitones eius, non iam ab ipso iudicandi, sed ab aliquo Mithræ milite. Qui cùm initiatur in spelæo in castris verè tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam quasi mimum martyrij, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum, si fortè, transferre, dicens, Mithram esse coronam suam. Atque exinde nunquam coronatur, id quod in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento: statímque creditur Mithræ miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia Diaboli, idcirco quædam de diuinis affectantis, vt nos de suorum fide confundat & iudicet.

278. 3. *Erubescite*, &c. Conuertit sermonem ad *commilitones* Sancti Militis, ad eos scilicet, qui initio huius operis eludebant, infrendebant, mussitabant. Hos hîc ad ruborem vocat. *Non iam ab ipso iudicandi*, &c. Hoc est fermè illud Christi, *Surgent Ninivitæ in iudicio*, &c. Ergo ait: Non vos iam hic tantùm Miles, qui coronam respuit, iudicabit & condemnabit; sed aliquis miles gentilis, qui initiatus Mithræ deo, coronatúsque, iam deinde non vult coronari. Narrat statim sacra hæc gentilica. *Qui cùm initiatur in spelæo*, &c. Narratio Tertulliani clara est, sed nouitiis reddam clarissimam. Militi initiando sacris Mithræ offerebat Sacerdos dabátque in manus coronam cum gladio, ita vt gladius esset subtus coronam (ideo ait, *Interposito gladio*) coronámque hanc, quia vnà cum gladio, vocat *mimum martyrij*. Hoc facto, deinde Sacerdos coronam *accommodatam capiti*, iubebat vt miles *depelleret capite, manu* ipsa, quia contra religionem sacri huius erat tenere illam capite; transferrétque *in humerum*, hoc enim non contra religionem, tantùm ex permissu, & si vellet (ideo ait, *si fortè*) dicerétque ad repulsum coronæ, nolle eam accipere capite, quia *Mithra* Deus, ipsius esset *corona*. Finge militem dicere, Nolo tenere hanc coronam, quia Deus *Mithra* mea est *corona*. Ac si postea iuberetur coronari, quibuslibet minis, recusabat acriter. Hæc narratio conformis est tum auctoribus aliis, de quibus in Notis; tum verbis ipsius Tertulliani, hoc loco suggerentis aliqua ex his, tacentis aliqua, vt qui loqueretur de sacro satis noto id temporis, quo ipse vixit. Procedit. *Atque exinde*, &c. Post sacrum hoc peractum, acceptámque hanc initiationem, *nunquam* deinceps talis miles *coronabatur*, imò si cogeretur accipere coronam contra sacramentum, quo erat initiatus, *signum*, quo probabat se esse verum militem Mithræ, erat, statim illam non admittere capite, ac dicere, *Eam in Deo suo esse*, id est, Deum suum Mithram esse suam coronam. *Agnoscamus ingenia diaboli*, &c. Diabolus eo est ingenio, vt affectet diuina. Ratio. Vt Christianos *confundat*, *iudicet*, condemnet, qui in seruandis fidei rebus pigritantiores sunt gentilibus, qui credunt diabolo. Respicit quippe id, quod dixerat, *Ab aliquo Mithræ milite iudicandi.*

NOTÆ.

279. 1. INATTAMINATAM.] Est *tama* rubor A sanguinis. Vide Festum. Inde vua *taminia*, quæ habet rubentes acinos & miniatos. Hinc ortum habent verba *tamino, contamino, attamino*, quæ significant fœdare, & inquinare. Capitolinus in Gordian. *Fortunas attaminaret*. Ambrosius locum Colost. 2. ita legit: *Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt ad corruptelam ipso vsu.* Est & hoc verbum in Cassiano collat. 21. cap. 26.

1. VICTORIÆ CORONAM.] Loquitur de Angelo, sed spectat coronas victoriarum. Vt etiam Lactantius lib. 4. cap. 26. *Virtus perfecta & omnibus numeris absoluta coronam vincentibus, & mercedem expetendæ nobis immortalitatis impertit.*

1. IRIDIS AMBITV ORNATVR.] Quippe Iris instar coronæ. Statius 10. Thebaïd. de Iunone loquens,

Destinat Aonios leto præbere, suámque
Orbibus accingi solitis iubet Irin.

280. 1. PORRÒ SEDENT.] Rhenanus, Pamelius, & vulgo alij monstrosam lectionem retinent, scilicet, *Protosedent*, pro, primi sedent. Scio voces componi solitas ex mistione Græca & Latina, vt monoculus, penteremis, & similes, sed non ideo vincor. Scio & verbum *sedeo* duci à Græco ἕζω, vt iam compositio videatur merè Græca, sed nec ideo vincor. Itaque affirmo mutandam lectionem. Iunius mutat hunc in modum: *Et aliud Iridis ambitu ornatur cœlesti pro te. Sedent & presbyteri coronati*, &c. & *pro te*, explicat, ante te. Displicet. Ego ex coniectura reposui, *Porro sedent*. Id postquam coniectaueram, consului Wouerenium, qui monet legendum *porro sedent*. Lectio hæc verissima est. Itaque κυκλόθεν, quæ vox est in Ioanne, Tertullianus reddit, non *circum*, aut *in circuitu*, vt interpres vulgaris, sed *porrò*. Qua voce explicat Ioannem, vt sciamus, sedilia illa viginti quatuor Seniorum, quæ erant circum Dei thronum, non ita constituta, vt conglobarentur, opprimerentque Dei thronum; sed essent ab illo dissita porrò, atque interstita, vt notetur reuerentia. Et cur non κυκλόθεν hanc habeat vim? Ita enim & Cyclades sunt, non quæ conglobatæ in vnum circuitum, sed quæ interspersim interstitæ.

2. STROPHIOLO.] Genus vile coronarum. Plinius lib. 21. cap. 2. loquens de Coronis: *Tenuioribus vtebantur antiqui, strophia appellantes, vnde nata strophiola.*

2. DRACONTARIO.] Non puto capiendum 281. Tertullianum de corona confecta ex herba dracontaria, etiamsi id censeat Pamelius: nam verbum *damnas* ducit Lectorem, non ad herbam, sed ad draconem. Sunt ergo *dracontaria* (vel si mauis *draconaria* appellare, nam hanc vocem, etiamsi in re alia, vsurpat Vopiscus in Aureliano) aut coronæ, aut catenulæ, aut monilia confecta ex quauis materia aurea, argentea, gemmea, idque flexuosa forma, & in similitudinem draconum. Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. vlt. quem Iunius aduocat, & in quem ego incideram: Ἤδη δέ καὶ φανερώτατα τὸ πονηρὸν συμβολα ἐκ αἰσχύνονται φορεῖμθαι. ὡς γὰρ τὴν Εὔαν ὁ ὄφις ἠπάτησεν, οὕτω δὲ καὶ τὰς ἄλλας γυναῖκας ὁ κόσμος ὁ χρυσοῖς, ἑλέφασι φορεσχεώμθοις τὸ ὄφεως τῷ χρώματι, ἐξέμιμνεν εἰς ὕβρεις, σμυρναίνας τινὰς καὶ ὄφεις ἀποπλανῶμθας εἰς ὑπερέπειαν. λέγει γοῦν ὁ κωμικὸς Νικόστρατος, ἀλύσεις, καδιστῆρας, δακτυλίους, βουλάλια, ὄφεις, φρισκελίδας, ἑλλέβορον: *Iam verò non pudet eas* (fœminas) *apertissimè indui symbolis maligni dæmonis. Nam quemadmodum serpens Euam decepit, ita etiam mulieres reliquas mundus aureus: inescans enim illas habitu serpentino impellit furiosè in contumeliam, nempe murænulas quasdam aureas & serpentinas ad decorem effingens. Dicit itaque Comicus* Nicostratus, *catenas, monilia, armillas, annulos, serpentes, periscelidas, elleborum.* Hactenus Clemens. Lucianus etiam in Amoribus hoc genus monilia *dracones* nominat. Verba eius: τοὺ περὶ καρποῖς ἢ βραχίοσι δράκοντας: *Dracones circa carpos & brachia.* & in Elencho de his ipsis monilibus circumductis ad collum, φορμίσκια χρυσᾶ τῶν ἐγχέλεων παχύτερα: *Aurea collaria anguillis crassiora.* Comparat quippe cum anguillis, vt Clemens cum murænulis, & serpentibus. Hieronymus etiam ad Marcellam: *Cùm primùm hoc propositum arripuit, aurum colli sui, quod quidem Murænulam vulgus vocat (quod scilicet metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur) absque parentibus vendidit.* Lucianum, & Hieronymum Heraldus coniunxit lib. 1. Digression. cap. 23. Inde factum, vt is qui draconarij munere obibat in exercitu, gestaret torquem, vt proprium eius insigne, vt scribit Ammian. lib. 20. Eius verba: *Tunc hastatus oblatum sibi torquem, quo vt draconarius, vtebatur, capiti Iuliani imposuit.* Quasi videlicet nihil sit draco-

ni consimilius, quàm torques. Quæ dixi, ita vera puto, vt non dicam Pamelium fabulari, vt rigidè contra illum Heraldus; nam cùm Tertullianus *strophiola* præmiserit, quæ ex herbulis aut flosculis, non ita absonum, vt deinde *draconiam* herbam intulerit, & verbum *damnas* sequi potuit vel ad simplicem mentionem draconis. Quid quòd vox ista *draconarium*, maiorem habet affinitatem cum herba draconia, quàm cum serpente? In cuius gratiam adduco Philostratum, qui in vita Apollonij ita: *Peplo coccinato aureas insertantes litteras ante specum ponunt, somnum litteris incinentes: draconis oculos interritos licèt somnus vincit, & arcanæ sapientiæ multa in eum cantant, quibus agitur, & cerulce tenus è specu progrediens indormit stratis characteribus. Indi igitur irruentes iacenti draconi securim impingunt, sectóque capite preciosos eius lapillos in spolium asportant.* Græca, quæ ad rem, παρεπισόντες οὖν οἱ Ινδοὶ κειμένῳ πελέκεις ἐναφῆλουσι, καὶ τῷ κεφαλῷ ἀποτεμόντες λιθίζονται τοὺς ἐν αὐτῇ λίθους.

2. DIADEMATI.] De hoc regio insigni copiosè iam ad Virgilium.

283. 2. HABES FLOREM EX VIRGA IESSE.] Vide vt scripsi. Neque enim suprà scribendum est, *Nam & Reges*, atque hîc, *Habes florem*: sed ibi, *nam & Reges*, & hîc, *habet florem*. Nam distinctio valentissima non hîc necessaria. Cæterùm Christum dici *florem* commune est Patribus. Ambros. lib. 3. de Virgin. illum vocat *florem humilitatis & simplicitatis*. & Bernard. serm. 47. in Cant. loquens de Virgine: *Campus nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec manu hominis seminatus; venustatus tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat requieuisse spiritum Domini.* Insistunt omnes loco Isaiæ 11. Etenim profanis vsitatum est nomen *floris*. Heliodorus lib. 3. Histor. Æthiopicæ, καὶ πῶς τε παρειὰν ἤδη τὸ ἄνθος ἔφυγε: *Et ex genis iam flos fugerat.* & centena.

284. 3. MITHRÆ.] Notitiam huius Dei, & reliquorum, quæ hîc attingit Tertullianus, digeram per varias notas. Prima hac aperio quis hic Deus fuerit. In confesso est fuisse Deum Persarum. Inde apud Xenophontem lib. 7. παιδ. Artabazus per Deum hunc iurat. καὶ μὰ τὸν Μίθρην. Hesych. Μίθρης ὁ παρὰ τοῖς ἐν Πέρσαις Θεός: *Mithra Deus primus apud Persas.* Videatur Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 6. Sed est discrimen, an hic Deus Sol sit, an ignis, & credo in idem recidit. Hesych. Solem esse ait. Μίθρας, ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις: *Mithra Sol est apud Persas.* & Strabo lib. 15. de Persis. Τιμῶσι τὸν ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν: *Colunt Solem, quem Mithram vocant.* Curtius lib. 4. *Solem, Mithram, sacrúmque & æternum inuocant ignem.* Lectionem hanc Bernartius tuetur in Notis ad Statium: nam in Curtio sunt qui pro *Mithram* legant *Martem*. Sed redeo. Iulius Firmicus putat Mithram esse ignem, qui cultus à Persis magna religione, quod in idem, vt dixi, recidit. Verba Iulij cap. 5. de Errore profanæ religionis: *Persæ, & Magi omnes, qui Persicæ regionis incolunt fines, ignem præferunt omnibus elementis, hunc Mithram dicunt.* Scribit verò Hieronymus lib. 1. aduers. Iouinian. Deum hunc genitum ex æstu libidinis, ad eum modum quo Erichthonius. Hinc fortasse factum, vt vultu leonis feruentissimo animalium pingeretur, vt in Statium scribit Luctatius, tametsi aliò referat; quem vide explanantem Papinium. Ne abeat Apulei nota extremo libro assumentis hoc nomen pro summo Sacerdote, ipsúmque Mithram facit suum Sacerdotem, & præcipuum sacrorum ministrum.

285. 3. MILITE.] De hoc Mithræ milite mentio est etiam apud Hieronymum epistol. ad Lætam: *Nonne specum Mithræ, & omnia portentosa simulacra subuertit?* Quem locum Erasmus non intellexit: nam pro *Miles* substituit lectiones alias, dicens adulterinam esse vocem. Verè errat, & Hieronymus *Miles* scripsit, & rem attingit ipsissimam, quam Tertullianus.

286. 3. IN SPELÆO.] Indicat sacra Magica, quæ in specubus, & tenebris, & scrobibus, vt docui satis ad lib. 6. Æneid. Sed hîc de hoc tantùm Deo. Fuisse itaque hunc Deum Magum satis indicat Hieronym. lib. 2. aduers. Iouinian. & Dionys. Areopag. epistol. ad Polycarpum, vbi loquens de Persis, εἰσὶ Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσιν: *Nunc vsque Magi memoriam triplicis Mithræ perficiunt.* Cyrillus Hierosolym. Cateches. 6. id satis indicat, cùm dicat Magum Manem habuisse in Perside contrarios Sacerdotes Mithræ. Ergo quia Magus, eius sacra in spelæo, id est, specu. Hieronym. epistol. ad Lætam: *Nonne specum Mithræ, & omnia portentosa simulacra subuertit?* Cùm autem omnia magica sacrificia perficerentur in specubus, signatissimè sacra huius Dei, quia ipse natus in loco, cui nomen *spelæum*, quod indicat Iustinus Mart. dialogo cum Tryphone, vbi: *Cùm autem illi, qui Mithræ initia tradunt, è petra eum natum esse memorent,* ἐν σπηλαίῳ κεκλῶσι τὸν τόπον, *& spelæum nominent eum locum, vbi initiari ei credentes perhibent*, &c. & post multa iterum ait peragi huius Dei sacra in σπηλαίῳ. Iulius Firmicus de Errore profan. religionis: *Hunc Mithram dicunt, sacra verò eius in speluncis abditis tradunt, vt semper obscuro tenebrarum squallore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant.* Papin. 1. Thebaid.

--- Perfei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Scribit autem Porphyrius in Comment. antri Nymphar. ex Odyss. 13. Spelæum hoc Mithræ dicatum fuisse in Perside à Zoroastro Mago in montibus prope fontes.

287. 3. INTERPOSITO GLADIO.] Sum iam in initiatione militis Mithriaci, quam etiam tangit, de Præscript. Hæret. vbi loquens de Diabolo: *Et sub gladio redimit coronam.* Quæ dixi de minitante Sacerdote postquam initiauerat, de milite eligente mortem præ corona, fulcrum habent in verbis Lampridij, qui de Commodo: *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, cùm illic aliquid ad speciem timoris vel dici, vel fingi soleat.* Quibus verbis satis innuitur à milite eligi cædem præ corona, non quia occidendus esset, mortem eligens, quia minæ ille tantùm ad speciem; sed ea fuit Commodi improbitas, vt verè occiderit eligentem mortem, & ita polluerit sacra illa vero homicidio. Hinc obiter notabis, sacra hæc Magica à Perside trãsisse in Italiam. Tertullianus tantùm de gladio locutus est, vt cui non alia necessaria, sed sciendum initiatos Mithræ sacris tormenta alia passos, vt hinc eludi possint, quæ Lampridius de timore ad speciem tantùm scribit. Certè Nazianzenus orat. 3. nominat ἐν Μίθρου βασάνους, καὶ κολάσεις, *In Mithræ sacris cruciatus & vstiones*, quæ post initiationem esse intelliguntur. & iterum describens crudelissimos cruciatus Marci Arethusij, ait: *Raptabatur per plateas, protrudebatur per cloacas, crinibus & alia quauis corporis parte (admista nempe tormento contumelia) ab his trahebatur, qui in Mithræ sacris huiusmodi supplicijs iustè cruciantur.* Græca signata sunt, παρὰ τῶν ἀξίως ἐν Μίθρᾳ ταῦτα κολαζομένων. & orat. 39. Μίθρᾳ κόλασις ἐνδικος καὶ τῶν μυείσθαι τὰ τοιαῦτα ἀνεχομένων: *Mithræ iustum supplicium aduersus eos, qui huiusmodi sacris initiari sustinent.* De his conuitiis contumeliisque in sacris videndus etiam Suidas.

288. 3. MIMVM MARTYRII.] Vocans *mimum martyrij*, aspirauit, ni fallor, ad verba Iustini Marty-

ris Apolog. 2. qui de his ſacris, ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις παρέδωκαν γίνεσθαι μιμηπάντροι οἱ πονηροὶ δαίμονες: *Quod quidem etiam in myſteriis Mithræ fieri per mimicam docuerunt praui dæmones.* Eſt hoc, quod infrà Tertullianus, vbi ait: *Ingenium diaboli quædam de diuinis affectantis.* Eſt enim mimorum, id eſt, imitatorum affectatio. De lectione monearis ſcribi à Iunio, *mimus martyrij.* fallitur, nec intellexit. Nam vox *mimi* non reſpicit militem, ſed coronam cum gladio, & ideo ait fuiſſe *mimum martyrij*, aliter diceret martyris. Silui porro de reliquis ſacris Mithriacis, vt de tinctione, de oblatione panis, de imagine reſurrectionis. Quia iſta aliis in locis Tertullianus.

789. 3. MITHRAM ESSE CORONAM SVAM.] Vel hinc apparet affectatio & æmulatio diaboli. Nam ſicut Chriſtiani dicebant, ἡμῶν δὲ ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, καὶ τῆς συμπάσης ἐκκλησίας κεφαλὴ ὁ Χριστός, verba ſunt Clementis cùm reprehendit coronarios, lib. 2. Pæd. cap. 8. id eſt, *Nobis autem pater vniuerſorum, & totius Eccleſiæ Chriſtus eſt.* Vt hoc (inquam) dicebant de Chriſto Chriſtiani, ita miles gentilis de ſua Mithra. Indeſtatim Tertull. *Agnoſcamus ingenia diaboli.*

3. AGNOSCAMVS INGENIA DIABOLI, &c.] O quoties homines ad interitum deducit! &, niſi Deus aſtitiſſet, quoties triumphaſſet! verè dixit Euſebius Gallicanus Epiſc. Homil. de Epiphan. & fratrib. Macchabæis: *Quos, per cruentiſſimum perſecutorem humiliauerat Diabolus, exaltauit Deus; quos ille damnauit, iſte glorificauit; ille opprobriis adimpleuit, hic præconiis; ille affecit flammis, refrigeriis hic refecit; ille induxit in mortem, hic ad vitam de morte perduxit; ille interfecit gladiis, hic dignos fecit coronis.*

FINIS LIBRI DE CORONA MILITIS.

LIBER DE VELANDIS VIRGINIBVS,

SIVE LIBER XVI.

ARGVMENTVM.

QVVM *prætextu contrariæ consuetudinis, contra quam Apostolus præceperat, non modò nuptæ, & Virgines quæ ad nuptias virorum adspirant; sed & Virgines Dei, quæ Christo nupserant, præsertim in Ecclesiis caput non velarent: vt antea Græcè, nunc Latinè quoque, ostendit auctor Virgines velari oportere.*

CAP. I. ARGVMENTVM.

Consuetudo veritati nequit præscribere.

TERTVLLIANVS.

1. 1. PROPRIVM iam negotium passus meæ opinionis, Latinè quoque ostendam, Virgines nostras velari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerint. Hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur.

EXPLICATIO.

1. CAPVT clarissimum. *Proprium iam negotium*, &c. Scripserat Tertullianus Tractatum de Velandis Virginibus, Græco sermone: ac perinde ait, hoc negotium iam esse suum proprium, vt qui semel opinionem illam defendendam susceperit; & ideo *passus*, vt qui sibi hoc onus imposuerit. Ergò ait, *passus iam* semel *negotium* defendendæ *meæ opinionis*, stylo Græco, id ipsum *ostendam quoque Latino. Ex quo transitum ætatis fecerint*, id est, cùm excesserint è pueritia. Puellæ quippe nihil necesse est velentur. *Hoc exigere veritatem*, ostendam *hoc exigere veritatem. Præscribere*, verbum Iuris. Vide sententiam in Notis. *Non spatium*, &c. Hæc quippe tria solent contra veritatem *præscribere*, accedente præsertim *ignorantia aliqua vel simplicitate. Non patrocinia personarum.* Nemo quippe valet contra veritatem, patronum se exhibens consuetudinis aut litteratura, aut potentia, aut alio quouis modo. *Corroboratur*, inualescit instar robustæ arboris. *Vindicatur*, asseritur, defenditur.

2. 2. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Si semper Christus, & prior omnibus: æquè veritas sempiterna, & antiqua res. Viderint ergò quibus nouum est quod sibi vetus est. Hæreses non tam nouitas quàm veritas reuincit. Quodcúmque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Cæterùm suo vitio quis quid ignorat. Quod autem ignoratur, fuit tam requirendum, quàm recipiendum quod agnoscitur.

Ioh. 14.

2. Tuetur ſemper partes veritatis contra conſuetudinem. *Sed Dominus noſter*, &c. Magna veritatis defenſio contra conſuetudinem quantumuis corroboratam. *Cognominauit*, Quaſi cognomento quodam dictus fuerit Chriſtus *veritas*, aut *verus*. *Æquè veritas*, clara deductio ex præcedentibus. *Viderint ergò*, valeant, abeant ergò. Eſt enim vox iſta improbantis. *Quod ſibi vetus eſt*, id eſt, quod in ſe vetus eſt. *Hæreſes*, &c. Altera veritatis defenſio. *Cæterùm ſuo vitio quis quid ignorat*, nam omnis ignorantia vitioſa eſt. *Requirendum*, indagandum, inueſtigandum. Et eſt ratio ſuperioris ſententiæ. Ideo *ignoras vitio tuo*, quia debuiſti requirere quod ignorabas, ſicut debuiſti recipere quod agnóſcebas; hæc enim æqua ſunt: atqui tu nihil requiſiſti, vitioſè ergò ignoraſti.

3. 3. Regula quidem fidei vna omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium eius IESVM Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum à mortuis, receptum in cœlis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos, per carnis etiam reſurrectionem.

3. *Vna omnino*, incipit à ſymbolo Apoſtolorum, quam vocat *Regulam fidei*, & *vnam*; ac perinde omnes reliquas excludens. *Irreformabilis*, quia nulla alia credendi forma niſi hæc. *Per carnis etiam reſurrectionem*, quia reſurrectio carnis præcedet iudicium, ideo *per*, quia reſurrectio intermedia, & quaſi via ad iudicium. Ait *etiam* cum reſpectu ad Chriſtum, de quo dixerat *reſuſcitatum*, ad cuius exemplum etiam alij reſuſcitandi.

4. 4. Hac lege fidei manente, cætera iam diſciplinæ & conuerſationis admittunt nouitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente vſque in finem gratia Dei. Quale eſt enim vt Diabolo ſemper operante & adiiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut ceſſauerit, aut proficere deſtiterit, cùm propterea Paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina, ab illo Vicario Domini ſpiritu Sancto?

4. *Hac lege fidei*, &c. Dum fidei regula ſemper ſit firma, cætera corrigi in melius & nouari nihil vetat. *Conuerſationis*, doctrinæ quæ verſatur inter Chriſtianos. *Adiiciente*, ſubaudi multa. Quaſi dicat: multa adiicit quotidie Diabolus ingenio ſuo, quo iniquus & prauus eſt. *Opus Dei*, id eſt, gratia Dei, nam de ea loquitur. *Paracletum*. Futilis eſt hic Tertullianus, attribuens Montano, quæ ſcripta ſunt de vero ſpiritu Sancto. Scio defendi Tertullianum ab Iunio, qui hoc loco multam erroris labem agnoſcit: ſed nulla defenſio ad guſtum, vt infrà videbitur. *Omnia ſemel capere*, id eſt ſimul. *Diſciplina*. Poteſt eſſe primus caſus, vt dicat, *Diſciplina dirigeretur*, &c. Vel vltimus, vt dicat, *Humana mediocritas dirigeretur diſciplinâ*. *Vicario*, id eſt, gerente vices Domini, nam dixerat, *Non relinquam vos orphanos*.

5. 5. Adhuc, inquit, multa habeo loqui vobis, ſed non poteſtis ea baiulare: cùm venerit ille ſpiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, & ſuperuenientia renuntiabit vobis. Sed & ſuprà de hoc eius opere pronuntiauit. Quæ eſt ergò Paracleti adminiſtratio niſi hæc, quòd diſciplina dirigitur, quòd ſcripturæ reuelantur, quòd intellectus reformatur, quòd ad meliora proficitur?

5. *Adhuc multa habeo*, &c. Ex Ioann. 16. cap. *Baiulare*, ita reddit Græcum βαστάζειν. *Et ſuperuenientia renuntiabit vobis*, ita reddit Græca hæc, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. *Sed & ſuprà de hoc eius opere pronuntiauit*. Alludi ad verba præcedentia hæc, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos*, Pamelius iam aperuit. *Quæ eſt ergò Paracleti adminiſtratio niſi hæc*. Verba iſta indicant loqui de re, quam tum cernere ipſis oculis. Et hæc me ducunt ad eum ſenſum, vt putem Tertullianum hoc loci conniuere errori Montani. *Quòd diſciplina dirigitur*. Helleniſmus. Latinè diceres, qua diſciplina dirigitur, ſcilicet adminiſtratione. Sed hellenicè ait, *quòd*, ὅτι. *Reformatur*, forma alia & doctrina imbuitur, notione.

6. 7. Nihil ſine ætate eſt, & omnia tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes, Tempus inquit omni rei. Aſpice creaturam paulatim ad fructum promoueri. Granum eſt primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur: deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquamdiu & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis.

6. *Nihil ſine ætate eſt*, quia ſcilicet nihil ſemel & ſimul. *Denique*, explica, itaque : vt ſæpè viſum in hoc ſcriptore. *Aſpice creaturam*, &c. Probat rem exemplo perquam commodo grani mandati terræ, ex quo arbor & fructus poſt magna temporum interualla. *Frutex*, eſt frutex prima illa radicularum congeries, quæ primùm exiſtit ex corrupto grano. *Enititur*, quaſi partu quodam. *Inualeſcunt*, corroborantur : quod verbum ſuprà adhibuit, cum aſpectu vt credo ad hanc comparationem. *Et totum arboris nomen expanditur*, Hypallage, id eſt, ita deinde rami & frondes expanduntur, vt iam mereantur arboris nomen. *Germinis tumor*, ita vocatur gemma illa vnde erumpit flos, & fructus. *Soluitur*, præclarè & propriè ſatis. *Aperitur*, quia apparet fructus poſt apertum florem. *Is quoque* fructus. *Eruditur*, dixerat initio rudem eſſe fructum. Ergò *eruditur*, id eſt, deponit ruditatem, emergítque ab illa. *In manſuetudinem ſaporis*. Quia cùm rudis & informis, acerbitatem habebat.

7. 7. Sic & iuſtitia (nam idem Deus iuſtitiæ, & creaturæ) primò fuit in rudimentis, naturâ Deum metuens : dehinc per legem & Prophetas promouit in infantiam : dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem : nunc per Paracletum componitur in maturitatem. Hic erit ſolus à Chriſto magiſter & dicendus & verendus. Non enim ab ſe loquetur, ſed quæ mandantur à Chriſto. Hic ſolus anteceſſor, quia ſolus poſt Chriſtum. Hunc qui receperunt, veritatem conſuetudini ânteponunt : hunc qui audierunt vſque non olim prophetantem, Virgines contegunt.

7. *Sic & iuſtitia*, &c. Accommodat comparationem. *Naturâ Deum metuens*, eſt natura in ſexto caſu. *In infantiam*. Non diſcedit à comparatione arboris, nam de hac etiam, infantia, iuuentus, maturitas. Atque ideo ita adiungit locutiones ſumptas ab homine, vt ſemper cum aſpectu ad arbores. *Efferbuit*, propria iuuentutis nota, nam ignea & feruida. *Componitur*, id eſt, ſaporatur, ad ſaporem componitur, & conſtituitur. *Solus à Chriſto magiſter* ; poſt Chriſtum *verendus*, venerandus, colendus. *Hic ſolus anteceſſor*. Eſt *anteceſſor*, vel antecedens magiſtros alios honore & auctoritate, vt explicat Pamelius : vel doctor & πεζοδηγὸς, id eſt, *ductor* & *deductor*, vt explicat Iunius. Scilicet ſpiritus Sanctus antecedit cæteros doctores dignitate, *quia Solus poſt Chriſtum*. Id eſt, quia vnicè à Chriſto accepit doctrinam : *Non enim à ſemetipſo loquetur, ſed quæ mandantur à Chriſto*. quæ ſunt verba Septimij ſe explicantis. *Veritatem conſuetudini anteponunt*, redit ad ſcopum, quem ſibi propoſuit initio Capitis. *Vſque non olim prophetantem*, ſenſus eſt, *Hunc qui audierunt prophetantem non* tantùm *vſque olim*, nam nunc etiam prophetat, ſcilicet Montanus, ex errore Tertulliani. Montanus videlicet ſe eſſe ſpiritum Sanctum ſomniabat, & habuit qui crederent, intérque eos & virum hunc magnum, proh dolor.

NOTÆ.

8. 1. TRANSITVM ÆTATIS FECERINT.] Gregor. Nyſſen. Orat. de mortuis, Græcè ita dixit, μορφοῦται τὸ ἄνθρωπον ἐν τῷ μεγάλῳ. Vide me Eclog. 4. Virg. ad illud,

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas.

1. VERITATEM, CVI NEMO PRÆSCRIBERE POTEST.] Cyprian. epiſtol. 74. ad Pompeium : *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt*. Vide hîc Pamelium. Hæc tamen conſuetudo quæ contra veritatem, non tam φαύλη συνήθεια, ὅσον ἡ βλαβερωτάτη τῶν πραγμάτων διαφθορὰ dicenda eſt, ait magnus ille Hoſius, vt habetur in Concilio Sardicenſi per ipſa initia. Ait ſcilicet, non tam vocandam malam conſuetudinem, quàm perniciosiſſimam rerum corruptelam.

9. 1. PRÆSCRIBERE.] Hoc verbum in Iure, eſt excipere, ſeu exceptionem opponere & obiicere : vt *præſcribere accuſatori* erit, eum oppoſita exceptione ſummouere. Itaque *nemo poteſt veritati præſcribere*, erit : Nihil eſt in veritate opponendum exceptione, & cur eam ſummoueas. Ponit deinde exceptiones, quæ eſſe tres poſſunt, videlicet *Spatium temporis*, *patrocinium perſonarum*, *priuilegia regionum*. Ergò nullum tempus, quantumuis diuturnum, præſcribit veritati ; nulla patrocinia magnorum, aut doctorum, aut principum ; nullæ prærogatiuæ, & priuilegia regionum : ſupra omnia veritas eſt. Hoc potiùs placet, quàm recurrere ad ſignificata alia, quæ hoc verbum habet in Iure. Et quidem *præſcribere*, eo ſenſu quem aperui, Græcè eſt προγράφειν, & προγράφεσθαι. & cùm vulgò audis, *Præſcripſit* res, aut mos, aut conſuetudo, nihil eſt aliud, quàm, ita conſuetudo inualuit, vt nulla exceptio ſit contra illam, nihilque ſit vnde accuſari queat.

10. 2. CHRISTVS VERITATEM SE, &c.] Longum ſit enumerare quoties Chriſtus dicatur *veritas*, in Euangelio, & ab Sanctis. Cyrill. Alexandrin. in Homil. 10. de feſtis Paſchalib. ἀλήθεια δὲ νοεῖται Χριστός : *Veritas intelligitur Chriſtus*. Elias Cretenſis orat. 1. Gregorij Theologi : *Idcirco autem vnigenitus Dei filius Veritas dicitur, quia natura vnum eſt, non multa (verum enim vnum eſt, mendacium autem multiplex) atque vt purum Patris ſigillum, & character minimè falſus, & vt immutabilem bonorum habitum his, qui digni ſunt, donans.*

2. COGNOMINAVIT.] Videntur mihi dicta hæc cum reſpectu ad Principes ſui fermè æui, qui dicti *Veri* cognomine, vt *Ælius Verus*, cuius vitam ſcripſit Spartianus; & *Antoninus Verus*, cuius Capitolinus. Itaque ab illo Chriſti, *Ego ſum veritas*, facit Noſter veluti cognomen, vt ſit Chriſtus Verus. Vide ad exitum huius operis paria loca.

2. HÆRESES NON TAM NOVITAS, QVAM VERITAS REVINCIT.] Non negat coargui hæreſes à nouitate, nam ipſe aliàs hoc aſſerit; ſed tantùm ait, maioris eſſe ponderis aduerſus hæreſes veritatem, quàm nouitatem. Et ita defendi hîc poteſt Tertullianus.

11. 3. REGVLA FIDEI.] Statim vocat *legem*. Concilia ſæpè vocant *formam*, & *formulam* fidei. In his eſt Paulinus Epiſtola prima ad Afrum: *Veram te Apoſtolicæ diſciplinæ formulam præbeas*. *Regulam* hanc appellat *indicium fidei* Hieronymus Epiſtola ſexageſima prima ad Pammachium. Ambroſius ſermone trigeſimo octauo *Clauem* nominat: *Duodecim enim Apoſtolorum ſymbolo fides ſancta concepta eſt, qui velut periti artifices in vnum conuenientes clauem ſuo Concilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipſum ſymbolum dixerim, per quod reſerantur diaboli tenebræ, vt lux Chriſti adueniat; aperiuntur conſcientiæ clauſa peccata, vt iuſtitiæ fulgeant opera manifeſta.* Cyrillus Alexandrinus Epiſtola ad Anaſtaſium, *baſim*, cùm ait: *Baſis enim quædam, & fundamentum immotum & inconcuſſum per vniuerſum orbem iactum eſt, ſyncera irreprehenſibiliſque fidei confeſſio.* Sed *Regulam* cum Tertulliano Clemens Romanus epiſtola prima inquit enim: *Hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Et Lucifer Epiſcopus Calaritanus, libro ſecundo ad Conſtantium, *Formam traditam diſciplinæ, & regulam fidei per Apoſtolos.* Et Euſebius Epiſcopus Gallicanus de ſymbolo fidei: *Secundùm regulam doctiſſimorum.* Et Sedulius Hybernenſis in Collectaneis Epiſtolæ ad Romanos capite decimo & Vincentius Lirinenſis capite primo Commonitorij. Græci ſæpè κανόνα. In Theodorito libro primo Hiſtoriarum capite ſeptimo. Vidi pro his πίστεως διδασκαλίαν. & capite vndecimo γραφὴν. & capite decimo quarto, ὁμολογίαν. & extrema hac voce ſæpè aliàs vtitur. & libro ſecundo capite vigeſimo ſecundo ἔκθεσιν. & hanc quoque ſæpiſſimè vſurpat, pro qua interdum ſubſtituit πίστιν ἐκτιθέσθαι, vt videbis libro quarto capite ſecundo.

12. 3. IMMOBILIS.] Alij *inuiolabilis*. Circa ſententiam aduertantur iſta Vincentij Lirinenſ. capite decimo tertio Commonit. *Cùm ergò tales quidam circumeuntes prouincias, & ciuitates, atque errores venalitios circumferendo etiam ad Galatas deueniſſent: cùmque his auditis Galatæ, nauſea quadam veritatis affecti, Apoſtolicæ, Catholicæque doctrinæ manna reuomentes, hæreticæ nouitatis ſordibus oblectarentur, ita ſeſe Apoſtolicæ auctoritatis exſeruit auctoritas, vt ſumma cum ſeueritate decerneret: ſed licèt aut nos, inquit, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Vide eundem illis Capitulis, in quibus ſe acrem defenſorem veritatis oſtendit.

13. 3. NATVM EX VIRGINE MARIA.] Euſebius Gallicanus Epiſcopus de Natali Domini Homilia ſecunda: *Obſtupeſcit natura rerum, Virgo procreat ſobolem, nullum procreandæ ſobolis experta conſortem, & venienti in vitam homini per vnius confertur myſterium munus duorum. Creator ex creatura ſua naſcitur, & fructum ventris ſui mater innupta miratur, ac fœmina auctoris ſui auctor efficitur. Quid primum mirer, quidve poſtremum? Quòd ſine conceptu eſt collata fœcunditas? an quòd per partum magis eſt glorificata virginitas? Sed non mirum ſi ita peperit, ſi talis erat ille cui nupſerat. Ait enim Angelus ſtupenti Mariæ, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* & in Homilia de ſymbolo fidei: *Quando audis Deum ex homine natum eſſe, & maieſtatem ſub fragilitate latuiſſe, Virginem prole ditatam, nec tamen virginitatem fuiſſe ſolutam, non ſe obiiciat ſenſibus tuis nouitas operis, ſed virtus operantis. Nec dicas, illud poſſibile eſt, illud fieri non poteſt: quia qui te magna credere iuſſit, omnipotens eſt. Diuinis rebus admiratio adhibenda eſt, non credulitas abneganda. In omnipotentem te credere confirmas, ſed ſi de factis eius dubitas, imbecillitatem omnipotentis accuſas.*

14. 3. CRVCIFIXVM SVB PONTIO PILATO.] Euſebius Gallicanus Epiſcopus Homil. 2. de ſymbolo, poſtquam longo ambitu orationis dixit, vti milites vellent celebrari poſt egregia facta, ſic tandem abſoluit: *Ita & Dominus noſter IESVS Chriſtus non ſolùm diuinitatem, ſed etiam crucem in mortem ſuam pòſt futuris voluit ſæculis celebrari, vt à peccatis propter quæ moriebatur, non ſolùm nos Dei mandata reuocarent, ſed illata pro nobis ſupplicia, & vulnera deterrerent. Humiliauit itaque ſemetipſum, factus eſt obediens vſque ad mortem, vt ſublimior appareret & Angelis & hominibus inclinata ſublimitas. Quid agis inter hæc ſuperba mortalitas? Ecce Deum non minùs delectat humilitas, quàm maieſtas. In trutina ergò Crucis non aurum, vel argentum, non corpus aliquod Angelicum, ſed ſemetipſum paſſus eſt auctor ſalutis appendi, vt dum cariosa perditione nos redemit, ad charitatem nos ſuam vehementiùs excitaret; vt homini qui ab ſtatu ſuo degenerauerat, naturæ ſuæ dignitatem vel ipſa oſtenderet pretij magnitudo. Quid ergò te ô homo erubeſcendis cupiditatibus exhonoras? nobilem vult eſſe vitam tuam, qui tibi commiſit imaginem ſuam. Quàm pretioſus ſis, ſi factorem fortè non credis, interroga redemptorem.*

15. 3. RESVSCITATVM.] Tacet in hac forma *mortuum & ſepultum*, fortaſſe quia qui reſuſcitatus eo ipſo mortuus & ſepultus eſſe intelligitur. Sed quæ hîc tacet, locis aliis pleniùs exhibet.

3. SEDENTEM NVNC AD DEXTERAM PATRIS.] Euſebius Gallican. Epiſcop. Homilia altera de ſymbolo: *Sedere ad dexteram Patris*

*Patris dicitur, quia nihil ſiniſtrum in gloria beati-*A *tudinis inuenitur. Sedere itaque ad dexteram Patris dicitur, ne minor Patre credatur.* Et in Aſcenſione Domini: *Hodie ſtupenda nouitate ſuper cœleſtes thronos terrenum corpus imponitur, limus carnis humanæ, qui Deum portauerat in terra, in ſupernas ſedes Deo ſubuehente portatur, diuinis humana miſcentur, cœleſtibus terrena ſociantur, oſſa humiliata, & intra ſepulchri anguſtias paulo antè concluſa, ſyderibus inſeruntur, in gremium immortalitatis immortalis natura transfunditur; quo facto Angelorum regnum humanæ conditioni vno aſcendente reſeratur, & ſpes præcedente promittitur.*

16. 4. CONVERSATIONIS.] Hæc vox in ſanctis Patribus ſemper notat ſeueram diſciplinam, vt cum Hieronymo lib. 1. aduerſus Iouinianum: *Armamur eadem conuerſatione qua Chriſtus.* Auctor B vitæ ſancti Godehardi cap. 6. *Cœnobij fratres fortè aliquanto debita conuerſatione fouit indulgentius.* Id eſt, indulgentiùs quàm petebat monaſtica & ſeuera diſciplina. Theodoritus in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſæpiſſimè ſeueram hanc diſciplinam vocat ἄσκησιν. Sed de hac voce alibi.

17. 4. QVALE EST ENIM VT DIABOLO, &c.] Similis fermè locus eſt lib. de Idololat. cap. 2. vbi de ingenio diaboli ad omnem malitiam, & Dei ad omnem diſciplinam. Huc omnino pertinet, Arrianos olim contendiſſe vt delerentur à forma fidei verba illa, οὐσίαν καὶ τὸ ὁμοούσιον (vide Theodorit. lib. 2. Hiſtor. cap. 18. & 21.) quia voces iſtæ excogitatæ de nouo. Quibus ſimiliter Patres obiiciebant, machinas hæreticorum nouas labefactandas eſſe nouis machinis. Ideo itaque inuenta de nouo vox iſta ὁμοούσιον à Patribus Concilij Nicæni, etiamſi non eſſet in Scripturis ſacris, ad euertendos hæreticos. Nam quale eſt vt ceſſet Dei opus & ingenia fidelium, diabolo ſemper adiiciente & acuente ingenia malitiæ? Cæterùm Pontanus ſocietatis IESV addit in 15. Metam. verſ. 85. hunc in modum: *Diabolo ſemper operante, & adiiciente quotidie aliquid ad iniquitatis ingenia.* Nihil tamen mutandum. Illud *ingenia* accipit pro natura, & illud Tertulliani de Reſurrectione Cain, *ingenia pœnarum*, & explicat, *nouæ cruciatuum molitiones.* Et *ingenia cœnarum* apud Plinium.

18. 6. ASPICE CREATVRAM PAVLATIM AD FRVCTVM PROMOVERI.] Sollemne eſt vti comparatione fructuum ad rem virtutis amplificandam. Cicero lib. 3. Tuſculan. *Sunt ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret.*

6. ENITITVR.] Nonius, ſicut legit Lipſius, Antiquarum Lection. cap. 17. *Enixæ dicuntur fœminæ, nitendi, hoc eſt conandi & dolendi labore perfunctæ, à Nixis, quæ religionum genera parientibus præſunt.* Feſtus Pompeius: *Nixi Dij appellantur tria ſigna in Capitolio, ante cellam Mineruæ* D *genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus.* Non incongrua notitia fuit Nixorum Deorum, vbi verbum, *enitor.*

6. INVALESCVNT.] Ab hac tota deſcriptione non abit Ambroſius qui lib. 3. de virgin. viti dat *adoleſcentiam, exuberantiam, ætatem emeritam.* Plinij loca plurima affinia, vt cùm de vitibus dixit cap. 34. lib. 18. *alia robuſtis proſunt, alia infantibus.* Non ingratum fecero ſi adducam integrum locum Simocattæ lib. 1. cap. 5. οὐδὲν γὰρ ἀδικήσουσιν αὔημοι, εἰ καὶ βαυδαίως ὀπιφοιτήσωσι, δένδρεσιν εὐθηνοῦσι καὶ μετάρσιον, ὅσῳ ἂν ἡ κόμη πολλὴ, τερπνότητι τὸ πρέμνον, ἔμβιοί τε αἱ ῥίζαι, ἀμφιλαφὴς τε τὸ σκίασμα, ὅσῳ διαπνέουσιν ὦσαι, καὶ ὕδωρ ἢ τοῖς ὀχετοῖς κατάγον, ἢ τοῖς ὑετοῖς οὐρανόθεν πειλιναίζον τε καὶ παῖζον: *Nihil enim ventorum impetus incommodabit arbori robuſtæ, excelſæ, frondoſæ, cuius truncus validus, viuida radix, ampla inumbratio, quam anni tempeſtas, & vel riuo deductæ, vel de cœlo circumſtagnantis aquæ humor nutrit, ac pinguefacit.*

6. GERMINIS TVMOR.] Germen & gemma idem, vel ex illo Virgil. 7. Eclog. 19.

Turgent in palmite gemmæ.

Vbi *turgent*, propter tumorem. Vide ibi Notam noſtram. Atque etiam 2. Georg. ad illud,

Sed trudit gemmas.

Vbi ex Plinio & Philone. Tumor eſt omne quod concipitur. Inde Zeno Veronenſ. Serm. de Natiuitate, *Eliſabeth ſterilis fœcunditate tumet feliciter venter Mariæ maieſtate.*

6. DIRIGENS ERVDITVR.] Fortaſſe hoc loco reponendum *digerens* aptiore ſenſu, ſed Librarij ex verbo *dirigo* aliquoties repetito in hoc capite, ſcripſerunt *dirigens.* Quid verò ſi verbum hoc à rigeo, vt dicat *dirigens*, aut potiùs *derigens*? Et ſenſus erit, amittens fructus de rigore peruenit ad manſuetudinem. Etenim *dirigeo, diriges*; aut *derigeo, deriges*, eſt amittere rigorem.

6. ERVDITVR IN MANSVETVDINEM.] 20. Ita lib de carne Chriſti cap. 21. *Ex flore omnis fructus eruditur in fructum.* Theophraſt. 3. Cauſ. cap. 9. φυτιῶν παιδείαν: *plantarum eruditionem.* Ait *manſuetudinem*, vt etiam Plato in Timæo, poma vocat ἥμερα, *manſueta.* Et Ariſtot. lib. 1. Polit. ἡμέρους καρπούς: *fructus manſuetos.* Themiſtius Orat. 1. pro eodem ſumit, ἥμερα, χρηστὰ, ἔγκαρπα: *manſueta, optima, fructifera*, quibus opponit, ἄγρια, καὶ δυσχερῆ, *agreſtia & degenerantia.*

7. RVDIMENTIS.] Locum eundem tractat Syneſius in Pſal. 74. diſcriminans legem veterem ab Euangelica, ſed aliis metaphoris: καὶ κατ' τοὺς C ἀγαθοὺς ζωγράφους, πάλαι μὲν ἐσκιαγράφησεν, ἔπειτα μὲν τοι διακρίβωσε τὰ μέλη τῆς γνώσεως: *Et quod boni pictores faciunt, olim quidem adumbratè delineauit, poſtea verò ſingulas cognitionis partes & membra elaborauit.* Paulin. epiſt. 1. ad Afrum, *rudi, infanti, parnulo* opponit *perfectum.* Et *rudimenta* opponit *perfectorum operatori.*

7. INFANTIAM.] Petrus Chryſolog. ſerm. 21. 22. *Naſcentis Eccleſiæ infantiam.* Et Iulianus Apoſtata, ſed mente longè alia, legi Euangelicæ dabat ἀλογίαν *infantilitatem*, vt eſt apud Nazianzen. Orat. 3. Ioann. Caſſian. lib. 2. cap. 2. *Nouelli monaſterij in Chriſto rudis infantia.* Sed & ab hoc cumulo metaphorarum, vbi infantia, iuuentus, maturitas, non diſſidet locus Vopiſci in vita Cari Principis, vbi de Romano imperio, *adoleuit, creuit, conſenuit.* Et de eodem Ammianus lib. 14. *incunabula, adulta ætas, iuuentus, virilitas, ſenium.* Nec diſſidet locutio Regij Vatis, qui ſub typo Eccleſiæ: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea.* De Eccleſia enim accipit Auguſtinus, quo loci eidem dat *ſenectutem.* Idem in Pſal. 112. loquens de Eccleſia, *in ſenectute concepit.*

7. EVANGELIVM.] Optimè dixit Paulinus epiſt. 1. ad Afrum, loquens de Chriſto: *In lege velatur, in Euangelio reuelatur.* 22.

7. EFFERBVIT IN IVVENTVTEM.] Propriè *efferbuit*: nam ex charactere huius ætatis. Horat. 4. Carmin. *iuuenes feruidi.* Prudent. 2. contra Sym. *feruet nerueſa iuuenta.* Et in Agone Vincentij, *iuuentæ feruidæ*, ab ignis ſcilicet natura, vt dicebam iam ad illud 6. Æneid.

Iuuenum manus emicat ardens. Ab Ambrosio de obitu Valentiniani dicitur, *ætas florulentior.* Et *in iuuentutem* verè, quia quicquid magnum, hoc vocabulo exprimitur. Aristot. 8. Histor. animal. νεανικὸν διαφορὰν : *magnam differentiam*, ad verbum est, *iuuenilem differentiam.* Et Euripides dixit βροντὴν νεανικήν : *iuuenile tonitruum*, id est, magnum. Sanctus Nicephorus Constantinop. in Breuiario Historiæ de Telesio quodam, αὐθάδη τινὰ καὶ τὴν ἐκ νεότητος θράσους ἅμα ἐπιδεικνύμενον : *arrogantem hominem, ac iuuenili audacia ferocem.*

7. MATVRITATEM.] Quærit oppositionem, nam qui iuuentuti legis dedit *feruorem*, iam senectuti dat *maturitatem.* Inde consilia *calida* & *matura* dicuntur. Illa sunt quæ ita celeriter sunt excogitata, vt nondum mora aliqua sint excocta, vtique ζέουτα & πεπαμένα : hæc iam multa mora maturuêre, & excocta sunt. Vide Taubm. in Epid. Plauti Act. 1. Scen. vlt. & Act. 2. Scen. 2. Adduco pro hac re Paulinum epist. 14. ad Seuerum : *Totum in te spirare Martinum, florêre Clarum, maturari Euangelium prædicabant.*

7. ANTECESSOR.] Dicam sequenti capite.

7. VSQVE NON OLIM.] Vide vt explicui; non tamen displicent, qui mutant *vsque nunc olim*, vt dicat, non tantùm olim, sed etiam vsque nunc.

23.

CAP. II. ARGVMENTVM.

In Ecclesiis Græciæ viguit consuetudo velandi virgines.

TERTVLLIANVS.

24. 1. SED nolo interim hunc morem veritati deputare. Consuetudo sit tantisper, vt consuetudini etiam consuetudinem opponam.

EXPLICATIO.

1. *Sed nolo interim*, &c. Nolo nunc *morem*, quem defendo, *veritati* asscribere; nolo illum tueri veritate, differo hoc in posterum : tantùm nunc, quando se aduersarij defendunt consuetudine, opponam ego quoque consuetudinem contra illos. Particula *etiam* habet emphasim, nam cum aspectu ad veritatem. Quasi dicat : non tantùm *consuetudini* illorum veritatem postea *opponam*, sed nunc etiam *consuetudini consuetudinem* : duplex mihi contra illos armorum genus.

25. 2. Per Græciam & quasdam Barbarias eius, plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est & sub hoc cœlo institutum istud alicubi, ne qui Gentilitati Græcanicæ aut Barbaricæ consuetudinem illam asscribat. Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli, vel Apostolici viri, condiderunt, & puto ante quosdam. Habent igitur & illæ eandem consuetudinis auctoritatem, tempora & antecessores opponunt magis quàm posteræ istæ.

26. 2. *Per Græciam*, &c. En consuetudo, quam opponit pro sua opinione. Nam in Ecclesijs Græciæ, & in pluribus quæ fundatæ per Græciæ prouincias Barbaras, perpetuus est & sollemnis mos tegendi virgines. *Barbarias*, puta Illyricum, Galatiam, Achaiam, Pontum, Ephesum, Thessalonicam, Corinthum, & similes aut prouincias, aut vrbes. *Abscondunt*, contegunt, velant. *Est & sub hoc cœlo*, Europæo, & Africano. Vel. Non solùm sub Orientali illo Græcorum, sed sub isto Occidentali cœli. *Alicubi*, quia non ita generalis mos in Occidente, vt in Oriente. *Ne qui*, ne quis, ex vsu Tertulliani. *Sed eas ego Ecclesias*, &c. Quasi dicat : Nolo tueri opinionem quam defendo consuetudine Ecclesiarum Occidentalium, quæ *sub hoc cœlo* : sed proposui *eas Ecclesias* Græciæ & Barbarorum, vt *quas condiderint* vel *ipsi Apostoli*, puta Ioannes, Paulus, Andreas, aliique : *vel viri Apostolici*, puta Titus, Dionysius, Ignatius, Polycarpus, aliique. *Et puto ante quosdam*, ironicè, vt Græci, οἶμαι. q. d. Vide an antiquos tibi proferam Auctores eius moris, quem defendo? Certè *ante quosdam* alios aliarum Ecclesiarum fundatores. Et quidem mens Tertulliani præferre morem seruatum in Græcia. Sed ego libenter lectionem mutarem. Vide Notas. *Habent igitur & illæ*, &c. Concludit, anteponens in hoc ritu peculiari auctoritatem Ecclesiarum Græciæ auctoritati Ecclesiarum cœli Europæi & Occidentalis; & anteponit quidem, nam antiquiora in Oriente tempora Euangelij, & *antecessores*, id est, Doctores ipsi antiquiores. Quia scilicet Euangelium propagari primùm in Oriente & Græcia cœpit, deinde Romam adductum à Petro, qui post Antiochiam & loca alia peragrati Orientis, tandem Romam commigrauit. Itaque *posteræ istæ* Ecclesiæ sunt Occidentales, & sub Europæo cœlo, in quibus *alicubi* tantùm tegebantur virgines, non vulgò & communiter; & ideo contra illas aduocat consuetudinem Ecclesiarum totius Orientis.

27. 3. Quid obseruabimus, quid deligemus? Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, vtpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus ius pacis, & nomen fraternitatis.

Vna nobis & illis fides, vnus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lauacri sacramenta: semel dixerim, vna Ecclesia sumus. Ita nostrum est quodcunque nostrorum est: cæterùm diuidis corpus.

3. *Quid obseruabimus*, &c. Quem ergò ritum *obseruabimus*, quem *deligemus*? Orientísne, vbi virgines vniuersim teguntur: an Occidentis, vbi alicubi tantùm teguntur, & deteguntur frequentiùs? q. d. Orientis certè ritui hærebimus. Et probat latè, quia *non possumus respuere*, &c. probatio est clara. Illud *communicamus ius pacis & nomen fraternitatis*, est periphrasis communis sanctorum. *Lauacri sacramenta*, id est, baptismus. *Cæterùm diuidis corpus*, id est, alioquin diuidis separásque corpus Ecclesiasticum.

28. 4. Tam hîc, sicut in omnibus variè institutis & dubiis & incertis fieri solet, adhibenda fuit examinatio, quæ magis ex duabus tam diuersis consuetudinibus disciplinæ Dei conueniret: & vtique ea deligenda, quæ virgines includit soli Deo notas, quibus, præter quòd à Deo non ab hominibus captanda gloria est, etiam ipsum bonum suum erubescendum est.

4. *Tam hîc*, &c. Cùm reliqua omnia quæ dubia sunt, incerta & variè instituta examinentur; certè hîc quoque debuit examinari, vtra præstaret consuetudo: & deligenda proculdubio fuit illa, quæ Virgines tegit. Probat tectionem fore deligendam, quia virgines *soli Deo notæ* esse, non hominibus, debent: quia ab illo, non ab istis *captanda est gloria*: quia debent erubescere de bono suæ pulchritudinis, tantum abest, vt illam velint ostentare. Percurro. *Hic*, in hoc articulo, in hac quæstione. *Quæ*, hîc pro, vtra. Disciplinæ, id est, seueriori & obseruantiori instituto. *Includit*, tegit, velat. *Præter quòd*, Hellenismus, & etiam ellipsis: ille, nam Græcè, πλὴν ὅτι: ista, nam *præter quòd*, pro, præterquam quòd.

29. 5. Virginem magis laudando, quàm vituperando confundas: quia delicti durior frons est, ab ipso & in ipso delicto impudentiam docta. Nam illam consuetudinem, quæ virgines negat dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui tales, quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quæ videri volet. Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit; quàm sanctæ virginis, si à viro visa sit.

5. *Virginem magis*, &c. Egregia sententia, & ducta ab superioris tractus erubescentia, quam debet virgo habere. Annecte itaque sententiam hunc in modum. Ita certum est, *erubescendum* virgini de sua pulchritudine, vt si illam laudes, tunc *confundas*, non si vitupereres. Contrà, quæ non est virgo, gaudet si dicatur esse pulchra, *quia delicti frons durior est*, & ab *ipso delicto impudentiam* trahit, quia non confunditur cùm laudatur, imò gaudet, nam ita edocta est in schola meretricia. Pergit: *Nam illam consuetudinem*, &c. Consequenter hæc ad superiora, & quæ eorum rationem continent. Clara omnia sunt, sed dignissima quæ expendantur.

NOTÆ.

30. 1. DEPVTARE.] Verbum frequens, & credo iam alibi de illo: nunc audi Iulium Firmicum de errore profanæ Religionis cap. 1. *In errore sunt itaq; gentes, quæ cùm elementis tribuant principatum, adhuc deputant ignem quasi summum Deum.* Et cap. 5. *Hi itaque Iouem in duas diuidunt potestates, naturam eius ad vtriusque sexus transferentes, & viri & fœminæ simulacra ignis substantiam deputantes.*

1. VT CONSVETVDINI ETIAM CONSVETVDINEM OPPONAM.] Clemens Papa lib. 2. Recognit. *Introducta alia consuetudine vetus consuetudo mutatur.*

2. PER GRÆCIAM, &c.] Cùm argumentum eò spectet, vt standum sit consuetudini plurimorum, non paucorum; huc pertinet illud Cassiani lib. 1. vitæ monast. cap. 3. *Generali namque omnium constitutioni, paucorum non debet præponi nec præiudicare sententia.* Pergit aliis ad rem eandem. Vide etiam eundem cap. 9. eiusdem libri, vbi Orientis maxima mentio, & Ecclesiarũ quæ in Oriente, quæ fundatæ sunt ab Apostolicis viris, vbi defendit Cassianus consuetudinẽ aliã.

31. 2. BARBARIAS.] Ita loquitur lib. 1. aduersus Marcion. *Iam & bestijs illius Barbariæ importunior Marcion.* vbi sermo est de Ponto. Itaque prouinciæ A adiacentes Græciæ dictæ sunt *Barbariæ*, signato nomine. Inde explico locum Pauli ad Colos. 3. loquentis de Ecclesia Christi: *Vbi non est Gentilis, & Iudæus; circumcisio, & præputium; Barbarus & Scytha; seruus, & liber; sed omnia & in omnibus Christus.* Vbi ipsa oppositio satis indicat *Barbarum* non accipiendum de agrestibus & impolitis, cùm illos opponat Scythis. Huc pertinet, ab Gregorio Nazianzeno ita scribi ad suos, id est, Barbaros, vt ego explico, carm. 63.

Οὐδὲ γὰ ἀσχήμονα κεφαλὴν δεῖμας αἰδεῖ γυναῖκα
Φαίνειν.

Quæ sic vertit Fed. Morellus,

Fœmineum caput illicitum est nudare, virorum
In cœtu.

Et Beda in Martyrologio ad 7. Calend. Maij ita loquitur de sancto Marco: *At postquam constitutis & confirmatis Ecclesiis per Libyam, Marmaricam, Ammonicam, Pentapolim, Alexandriam, atque Ægyptum vniuersam, ad vltimum captus est à Paganis die sanctæ Paschæ missas faciens, fune in collo eius misso.* Vbi proculdubio omnes Barbarias memorat, sacris tamen addictissimas, & illis opponit Paganos.

2. ABSCONDVNT.] Ambros. 2. de Virgin. *sume habitum, qui abscondat fœminam.* Iterum:

Sume pileum qui tegat crines, abſcondat ora. Hieronym. lib. aduerſus Iouin. *abſconditam virginem.* Neque alio ſenſu Cyprianus de Habit.virg. *ceruicem monilibus abſcondere.*

32. 2. HOC COELO.] Puto ipſum intelligere Africam. Alardus enim Gazæus Hipponenſem Eccleſiam Africanam numerat inter eas, quæ Orienti adhærebant: ait enim, matrem Auguſtini Monicam iſſe ex Hippona Mediolanum aliquando, vbi non ieiunabatur die ſabbathi, & cùm ſciret ieiunium Romæ eſſe eodem die, interrogaſſe Auguſtinum filium, an ieiunandum eſſet die illo; Auguſtinum porrò Ambroſium conſuluiſſe de hac re, qui dixit: *Cùm Romam venio, ieiuno ſabbatho: cùm Mediolani ſum, non ieiuno: ſic & tu ad quamcunque Eccleſiam fortè veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Hoc Auguſtinus Matri Monicæ renuntiauit, & illa amplexa eſt. Hinc habeo, Hipponam Orientem reſpicere in amplectenda conſuetudine, vt *ſub hoc cœlo* intelligam Africanum, & quod poſtea addit *alicubi*, eſſe forſan Mediolanum, quæ Orienti toti adhærebat. Idem Ambroſ. lib. de Helia & ieiunio cap. 10. (quod poſtea reperi) obſeruat Mediolani: *Quadrageſimæ totis præter ſabbathum & Dominicum ieiunatur diebus.* Vt licèt eſſet in Occidente, adhæreret tamen Orientali Eccleſiæ; nam ita Orientales ieiunabant Quadrageſimam, vt non intruderent in illam Sabbathum nec Dominicum. Ad hæc efficax eſt argumentum, Mediolanum fuiſſe metropolin Illyrici, quæ pars Græciæ. Nam Ambroſius præfuit electioni Anemij Sirmienſis Epiſcopi in Illyrico. Paulinus in vita Ambroſij: *Cùm Ambroſius Sirmium ad creandum Epiſcopum Anemium perrexiſſet, ibique Iuſtinæ tunc temporis reginæ potentia, & multitudine coadunata, de Eccleſia pelleretur, vt non ab ipſo, ſed ab hæreticis Arianis Epiſcopus ordinaretur, eſſétque conſtitutus in tribunali, nihil curans eorum, quæ à muliere excitabantur,* &c. Itaque refragante regina, quæ potentiſſima, & Arianis, qui infiniti, tamen Epiſcopum creauit Anemium. Hinc habes obiter, quemadmodum illuſtres illud,

Cùm fueris Romæ, &c.

Quod natum videtur ab illo Ambroſij; cui, ſi placet, adnecte illud Hermæ in Paſtore lib. 3. cap. 1. *Aut legibus vtere meis, aut recede de ciuitate mea.*

33. 2. ALICVBI.] Quia non ita generalis mos, vt in Oriente. Multa eſt mentio in ſcriptoribus de moribus ſeruatis in Oriente, non in Occidente, & contrà. Lege de hac re Caſſian. Collat. 10. cap. 1. Et ſæpiſſimè in libris de vita Monaſtica, atque etiam Theodorit. lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 11.

34. 2. APOSTOLICI.] Hieronymus quoque epiſt. ad Paulinum diſtinguit Apoſtolos, & Apoſtolicos viros. Sed & *Apoſtolicus* nulla re addita ſumitur pro ſummo Pontifice. Vide Auctorem illum, qui ſcripſit vitam ſancti Godehardi, vbi ſæpè vocem hanc inculcat in canonizatione eius viri: & Ruricium Epiſcop. Lemouicenſ. 2. lib. 8. vbi vocat *Apoſtolicos viros*, quos miſericordiæ opera commendant. Theodorit. in Hiſtor. ſæpè ſumit hanc vocem pro re admodùm Chriſtiana, & quæ digna Apoſtolis: vt cùm lib. 1. cap. 25. ait de Conſtantino Magno: τὰς ἀποστολικὰς φροντίδας ἐν τῇ ψυχῇ περιέφερεν: *Verſabat animo curas Apoſtolicas.* Et lib. 2. cap. 30. τῆς Ἀποστολικῆς χάριτος τὰς ἀκτῖνας: *gratiæ Apoſtolicæ radios.*

2. ET PVTO ANTE QVOSDAM.] Inclino vt legam, *& puto antiquos*, idque ironicè. q.d. certè antiquiores ſunt. Nam eo ſenſu quo dicit *quoſdam*, debuiſſet potiùs dicere, *& puto ante hos*, quia ſuprà, *ſub hoc cœlo*: aut *& puto ante iſtos*, quia infrà, *poſteræ iſtæ.*

2. ANTECESSORES.] Ita vocat Apoſtolos, & Apoſtolicos viros. ita lib. 1. aduerſus Marcion. *Tunc primum cum Anteceſſoribus Apoſtolis conferebat.* Et vox ipſa generatim ſumi poteſt pro doctoribus. Et Ioannes Hieroſolymorum Epiſcop. Angelos vocat anteceſſores Heliæ, ſic enim ait cap. 9. *Ideo Helias (vt in ſpiritu perfectè Deo vineret) crucifixit carnem ſuam, cum vitiis & concupiſcentijs, mortificans membra peccati quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, libidinem, immunditiam, & concupiſcentiam malam, altiori quodam modo anteceſſoribus ſuis; quoniam vt per perpetuitatem caſtitatis & incorruptionem ſuæ carnis æquaretur Angelis, ad conuerſationis imitationem ſeipſum propter Deum virginitate perpetua primus hominum ſponte decorauit.* Vbi non dubium quin *Angeli* ſint Doctores. Et Euſebius Gallicanus Epiſcop. Homilia de Epiphania Domini: *Proximè Natalem Domini Saluatoris exiginus, quo nobis natus in tempore eſt omnium ſæculorum ac temporum anteceſſor & conditor.* Notat Ræuard. lib. 2. Coniectan. cap. 10. Anteceſſores & ſectatores ſe mutuò reſpicere, vt magiſtri & diſcipuli. Itaque, vt ille dicitur *magiſter* qui habet diſcipulos, ſic ille dicitur *anteceſſor* qui habet ſectatores. Sic Tertullian. lib. 4. aduerſus Marcion. Diuum Lucam vocat (Apoſtoli Pauli ſectatorem.) Et certè alium eſſe *anteceſſorem* à *magiſtro*, & alium *ſectatorem* à *diſcipulo*, apparet ex verbis iſtis Suetonij, de Marco Probo Grammatico ita ſcribentis: *Hic non tam diſcipulos, quàm ſectatores aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit, vt magiſtri perſonam ſuſtineret. Vnum vel alterum, vel cùm plurimos, tres aut quatuor pomeridianis horis admittere ſolebat, cubánſque inter longos ac vulgares ſermones legere quædam, idque perrarò.* Si verus eſt Ræuardi ille aſpectus mutuus inter anteceſſorem & ſectatorem, habes deſcriptum à Suetonio anteceſſorem. Sed ego non dubito quin Tertullianus vocem vſurpauerit generatim pro omni Doctore. Ioan. Caſſian. Collat. 14. c. 4. & locis aliis *ſectatores* accipit de illis quorum magiſtri non facie noti. Quo ſenſu Hieronymus, Ambroſ. & alij. Itaque qui audierunt Ariſtotelem, ſunt *diſcipuli*; qui nunc eius ſequuntur doctrinam, *ſectatores.* Id planiſſimum efficit locus eiuſdem Caſſiani Collat. 15. cap. 7. *Ipſe Auctor ſignorum omnium atque virtutum cùm ad doctrinæ ſuæ magiſterium diſcipulos aduocaret, quid ab eo veri atque rectiſſimi ſectatores peculiariter diſcere deberent, euidenter oſtendit.* Vbi vides, qui Chriſtum audierunt dici *diſcipulos*; qui in poſterum illum eſſent ſecuturi, *ſectatores. Anteceſſores* vtique directè opponuntur *ſectatoribus.* Hoc mihi diſcrimen verius, quàm illud Ræuardi. Quin idem Caſſianus lib. 2. de vita Monaſt. cap. 5. vocat *ſucceſſores.* Itaque *ſectatores* & *ſucceſſores* ijdem omnino ſunt. Et adhuc *antecedentes* & *ſequentes* opponuntur, vt colligo ex iſtis Optati Mileuitani lib. 2. *Erat ibi filius ſine patre, tyro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo.* Sic ſucceſſores accepit Ioannes Epiſcopus Hieroſolymorum in lib. de monacho cap. 10. *Denique Helias in monaſtica vita eremitica, quam primus hominum à propoſito inchoauerat, ſucceſſores poſt ſe in perpetuum relinquere diſpoſuit.* Quos videlicet nunquam Helias nouit. *Diſcipulos* verò vocat, quos nouit. Nam ſtatim ſequitur: *Qui vt pater primus Monachorum fieret, in ſuos diſcipulos elegit quoſdam viros, qui idcirco ad ipſum, in ſolitudine Torrentis Charit tunc latentem, confugiebant, ne per Regem Achab, & Reginam Iezabel, cogeretur ſicut & cæteri*

populares, adorare Baal. Hinc efficio, *discipulos* esse A eius quem agnouerunt ; *successores* esse incogniti. Porrò falli eos qui in locis Tertulliani legunt *antecensores*, iam Turneb. docuit lib. 8. Adu. c. 19. quamuis in Hesychio legatur ἀντικένσωρ, quia Hesychius non auctor locuples, neque idoneus.

37. 3. QVID OBSERVABIMVS, QVID DELIGEMVS?] Ita legendum proculdubio, & suadet tum sententia ipsa, tum libri primæ editionis Rhenani. Itaque miror in nonnullis Pamelij editionibus legi : *Quod obseruabimus, quod diligemus.*

3. IDEM CHRISTVS, EADEM SPES, EADEM LAVACRI SACRAMENTA.] Hæc verba quæ scripsi, integra desunt in Turriano cap. vlt. lib. 2. de Canonib. Apostol. transit enim illa, scribens, *Vnus Deus, semel dixerim*, quamobrem id faciat, non meum est dicere.

3. SEMEL DIXERIM.] Non dissimile illud, vt *semel omnia complectar*. Ad hunc modum Virgil. 11. Æneid.

--- qui ne quid tale timeret
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Et Ouid. 5. epist.

--- nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Quin eundem sermonem vsurpatum in Scriptura sacra, notant interpretes in illud 1. Reg. cap. 26. vbi Abisai : *Perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit.*

38. 3. CÆTERVM DIVIDIS CORPVS.] Anton. Marsilius Archiepiscop. Salernitanus coniungit hæc in hunc modum : *Cæterum diuidis corpus tam hîc sicut*, &c. Separaui, melius existimans pertinere ad optimam frugem Auctoris.

4. TAM HIC.] Vvoueren. ex ms. *Tamen hîc*, non improbo. Postea, *adhibenda fuit examinatio*, id est, *examinato* opus fuit, sic enim extulit Sisenna, quod omnes *examussim*.

4. SOLI DEO NOTAS.] Legatur Ambros. lib. 3. de Virg. vbi de clausura Virginum, quæ Deo soli esse debent notæ. Ex multis adiunxi hæc : *Quid tibi cum cæteris ? Soli Christo loquere, soli fabulare Christo. Si enim mulieres in Ecclesia tacent, quanto magis non decet patere Virginis ianuam ? Citò insidiator pudoris obrepit, citò verbum excidit, quod reuocare desideres.* Iterum : *Ea quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis voce querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu.* Inde querula illa sæpius ab scriptoribus Ecclesiasticis declamata contra hæreticos Arrianos, qui virgines denudabant. Vide in primis Theodoritum lib. 2. Histor. cap. 8. in litteris Synodicis Concilij.

4. BONVM SVVM ERVBESCENDVM EST.] 39. Toto hoc tractu, & deinde commendatur Virginalis verecundia. Ambros. lib. 2. de Virg. *Vbique in virgine comes singularum virtutum est pudor.* Et lib. 5. *Pudor ornat ætatem virginum.* Ab Cyprian. lib. de hab. virg. dicuntur virginum corpora *pudori ac pudicitiæ dicata.* Hieronym. prouerbialiter in epist. ad Eustoch. *virginalis verecundia.*

5. VIRGINEM MAGIS LAVDANDO, &c.] B Ambros. lib. 3. de Virg. ait, debere esse in virgine *abstinentiam gloriandi.* Et Hieronym. de Asella : *grauetur laudibus suis.*

5. NISI ALIQVI TALES.] Ita legendum censeo, vt etiam iam ante me alij. Non enim aptè in vulgaribus legitur *aliquæ.*

5. EIVSDEM LIBIDINIS EST VIDERI ET VIDERE.] Id propter & de hac re loquens 40. Hieronym. ad Eustoch. *nullus*, ait, *tutus aspectus.* Quasi dicat ; nec videre, nec videri tutum est. Et Ambros. lib. 1. offic. cap. 18. ait : *Nec videre viros fœmina, nec videri velit.* Hæc præcepta eò tendunt, vt intelligat Virgo quanti sit virginalis pudor. Ideo Virgo dicitur à Cypriano lib. de hab. Virg. *Candidata pudoris*, quasi hoc vnicum eius studium. & Manil. lib. 5.

Semper amare parum est, cupient & amare videri.

5. SVFFVNDI.] Hieronym. ad Saluinam : *Suffudit pudorem negantis.* Ambros. de obitu fratris Satyri : *Suffusus ora virginali verecundia.* Et lib. 1. de Virgin. *Quibus* virginibus *pudor sanctus verecunda suffusus ora, & bona castitas est decori.*

CAP. III. ARGVMENTVM.

Vtraque consuetudo tegendi aut detegendi permissa liberè & absque vllo discrimine in locis alijs extra Græciam.

TERTVLLIANVS.

41. 1. SED nec inter consuetudines dispicere voluerunt illi sanctissimi antecessores. Tamen tolerabilius apud nos advsque proximè vtrique consuetudini communicabatur. Arbitrio permissa res erat, vt quæque voluisset aut tegi, aut prostitui, sicut & nubere : quod & ipsum neque cogitur, neque prohibetur. Contenta erat veritas paciscì cum consuetudine, vt tacitè sub consuetudinis nomine frueretur se vel ex parte.

EXPLICATIO.

1. *Dispicere*, diiudicare, discernere, distinguere vtra consuetudo præferenda esset. Vtramque consuetudinem in medio reliquerunt. *Tamen tolerabilius*, &c. subaudi vt intelligas particulas *quàm nunc*, vt dicat, *tolerabilius* quàm nunc, cùm cœpit agnitio proficere, vt statim ait. q. d. iam non debet tolerari. *Prostitui*, detegi, procedere sine velamine, statui pro omnium oculis intecta & ἀνακάλυπτος. *Quod & ipsum*, nubere. *Contenta erat veritas*, &c. quasi dicat : quando quidem virgines tegerentur, nihil curabat veritas, vt sibi asscriberetur ea tectio, & ita *tacitè* fruebatur seipsa *sub nomine consuetudinis. Vel ex parte*, quia non vbique & locis omnibus mos ille : dixit enim suprà, alicubi virgines incedere intectas sub cælo Europæo, & Occidentalibus Ecclesiis.

42. 2. Sed quoniam cœperat agnitio proficere, vt per licentiam vtriusque moris indicium melioris partis emergeret, statim ille aduersarius bonorum, multoque institutorum, opus suum fecit. Ambiunt virgines hominum aduersus virgines Dei nuda planè fronte in temerariam audaciam excitatæ. Et virgines videntur quæ aliquid à viris petere possunt, nedum tale factum, vt scilicet æmulæ earum, tanto magis liberæ quanto Christi solius ancillæ, dedantur illis.

43. 2. *Cœperat agnitio proficere.* Latet hîc venenum Tertulliani; dicuntur enim ista cum aspectu ad Montanum, quem ille putauit esse Paracletum. Nam cùm sententia sit, à more priùs indiscriminatim vsurpato tegendi aut detegendi virgines, emersisse, conualuisseque ac vicisse tandem morem illum qui illas tegit, vt præstantiorem & meliorem: Tertullianus hanc victoriam attribuit agnitioni proficienti tunc, scilicet proficienti ex directione, reuelatione, reformatione Montani, queis *ad meliora proficitur*, vt dixit primo capite, & ideo suprà in hoc capite *ad vsque proximè*. Ergo integra & breuis sententia est. Vicit mos melior *proficiente agnitione* ex reformatione Montani, cùm *adusque proximè*, id est, nunc fermè ac nuperrimè vtraque consuetudo communicaretur, id est, communis esset pariter: *Statim ille aduersarius bonorum multoque institutorum, opus suum fecit.* En statim, vt emersit, vicitque mos melior tegendi, diabolus turbare omnia, miscere, agitare; hoc enim *opus* propriè *suum*: scilicet vt *aduersarius bonorum* hominum, *multoque* magis aduersarius bonorum
44. *institutorum.* Sed cur multò magis *aduersarius institutorum*, quàm hominum? Nam in hominem quemlibet pugnans dæmon, singularem sperat victoriam; in morem & institutum aliquod, generalem. Ego sic difficilem locum expedio, nisi placeat, sequere aut Pamelium, aut Iunium. Sed an mutari possit lectio, vide Notas. *Ambiunt virgines*, &c. Ecce opus diaboli, nam virgines quæ nolunt tegi, quæ quidem propriè sunt *virgines hominum* non *Dei*, *ambiunt*, moliuntur, conantur *aduersus virgines Dei*, volentes tegi; & ambiunt quidem *nuda* planè *fronte excitatæ in temerariam audaciam*: Vox *nuda fronte* satis habet emphaseos, nam cum aspectu ad rem duplicem, scilicet *nuda*, quia absque velamine, & quia illota & inuerecunda. Ait *virgines Dei*, & *virgines hominum* cum sapore ad Genesin, vbi mentio *filiorum Dei*, & *filiarum hominum. Et virgines videntur, quæ aliquid à viris petere possunt.* Explicat iam quæ sit illa ambitio, temeritas, audacia: ludit verò à significatione verbi *peto*, quod coniugum est, hi enim à se inuicem petunt non solum debitum, sed quælibet alia, ac perinde hoc verbum ad Virgines non pertinet. Ergò ironicè ait, *videntur sibi esse Virgines*, &c. q. d. Nihil virgines debent à viris petere, nedum tale factum, id est, multò minùs rem hanc. *A viris*, id est, virorum ope. Volunt scilicet sibi viros esse opitulatores, & fautores contra *virgines Dei*. Quid verò petant à viris? *vt earum æmulæ dedantur illis*, id est, vt *Virgines Dei* tanquam victæ concedant, transeántque in castra & consuetudinem ipsarum: hoc est, tegantur, vt ipsæ teguntur. Et quia arripit metaphoram à bello verbo illo *dedantur*, dolet virgines liberas ab omni obsequio hominum (& liberæ quidem sunt, quæ iam emptæ à Christo, & illius tantùm ancillæ) peti in deditionem. Est enim indignum vt liberæ sint deditiæ. *Dedantur illis*, explica, dedantur sibi. Sed hic scriptor nihil curat reciproca, vt ea multi medij æui scriptores.

45. 3. Scandalizamur, inquiunt, quia aliter aliæ incedunt: & malunt scandalizari, quàm prouocari. Scandalum, ni fallor, non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ soli Deo captans placere: agnoscant malum suum quæ de tali bono scandalizantur. Quid enim? Si & incontinentes dicant se à continentibus scandalizari, continentia reuocanda est? Et, ne multi nobis scandalizentur, monogamia recusanda est? Cur non magis hæ querantur scandalo sibi esse petulantiam, impudentiam ostentatiuæ virginitatis?

46. 3. *Scandalizamur, inquiunt*, &c. Ponit verba quibus vsæ malæ virgines ad viros contra bonos. Clara omnia. *Prouocari*, ad virtutem. *Scandalum ni fallor*, &c. Notetur definitio scandali. *Soli Deo captans placere*, cum aspectu ad pulchritudinem, volunt esse modestæ, verecundæ, quia nolunt ostentare pulchritudinem, nec propter illam captare gloriam hominum. *Monogamia.* Non video errorem, nam non dubium quin monogamia melior sit, præstétque polygamia. Itaque tantùm ait, defuncta vxore non debeò aliam ducere, hoc tantùm titulo *nè* alij *scandalizentur*, perfectiorque ero si permaneam in continentia viduitatis. Ergò nec Tertullianus locutus hîc est ex hæresi, vt putat Pamelius: nec defensio Iunij mihi placet. *Petulantiam, impudentiam.* Opponit hæc vitia modestiæ & verecundiæ bonarum Virginum. *Ostentatitiæ virginitatis.* Nam virgines quæ volunt detectæ incedere, ostentabundæ sunt boni maximi.

47. 4. Propter eiusmodi igitur capita nundinatitia trahãtur virgines sanctæ in Ecclesiã, erubescentes quòd cognoscantur in medio, pauentes quòd detegãtur accersitæ quasi ad stuprum. Non minus enim & hoc pati nolunt. Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est. Et tamen vim carnis pati minus est; quia de officio naturæ venit: sed cùm spiritus ipse violatur in virgine sublato velamine, didicit amittere quod tuebatur.

4. *Capita nundinatitia.* Ita vocat virgines detectas; nam quæ faciem volunt ostentare, videntur esse expositæ nundinis cupidorum iuuenum. *Accersitæ quasi ad stuprum*, verissimè : nam retectæ videntur velle facere copiam sui. *Non minus enim*, &c. Sensus est : Pati nolunt detectionem *non minus & hoc* stupro, id est, æqua in trutina ponunt detegi & stuprari. Itaque particula *hoc* esse potest in sexto casu, vt apparet ex sequenti ratione. Nam *omnis publicatio*, id est, detectio virginis bonæ, *est passio stupri*, id est, est stuprum pati. Ita enim arguitior sententia. Sed potest quoque esse in quarto casu, vt dicat, pati nolunt hoc, id est, detectionem, non minùs quàm stuprum. Itaque sententia eadem est. *Et tamen vim carnis*, &c. Corrigit sententiam hunc in modum : Dixi, pati stuprum & detegi, esse æquum malum : addo nunc, pati stuprum, minus esse malum, quia naturale est hoc carni : sed detegi, maius esse malum, quia *violatur spiritus*, quippe qui *sublato velamine* discit *amittere* quod erat pretiosum, & vt tale *tuebatur*. quasi dicat. quæ detegitur est in schola omnis incontinentiæ & libidinis, discitque omnem nequitiam. Vide an hoc maius malum.

48. 5. O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid priùs aliquis persecutor feciſſet, si hoc à virgine electum cognouiſſet? Denudasti puellam à capite, & tota iam virgo sibi non est: alia est facta. Exsurge igitur veritas, & quasi de patientia erumpe, nullam volo consuetudinem defendas, nam iam & illa sub qua te fruebaris, expugnatur. Te esse demonstra, quæ virgines tegis. Ipsa scripturas tuas interpretare, quas consuetudo non nouit: si enim nosset, nunquam esset.

49. 5. *O sacrilega manus*, &c. In ea sum opinione, vt putem aliquem fuisse tantæ audaciæ vt virgini alicui velamen detraxerit per vim : imò & à quo occasio sumta huius tractatus. Ita enim melius procedet amarulenta hæc increpatio : sic certè à successu quodam sumpta occasio scribendi libri de Corona Militis. Redeo. *Quid priùs aliquis*, &c. Etenim in vrbium vastationibus, & expugnationibus nihil prius inuasores cogitant quàm de virginibus denudandis, vt se libidine expleant. Retuli sermonem ad expugnationes vrbium propter verbum *expugnatur*, quod postea est: sed possis quoque referre ad Christianorum persecutores, qui virgines denudabant. *Et tota iam virgo sibi non est*, expende. Virgo enim tota tecta esse debet, non tantùm in claustro virgineo: ac perinde iam non virgo ea parte qua intecta est, & aperta. *Exsurge igitur veritas*, &c. Nota mihi *feruentis fulmen ingenij*, vt loquitur Sidonius epist. 8. lib. 5. Nulla fortassis apostrophe in omni scriptorum numero isthac aut grauior, aut truculentior. Hactenus dabam palmam illi Tullianæ, *Quid tuus ille Tubero*, &c. Iam illi Tertullianicam hanc præfero, vel ex materiæ grauitate, nam in verbis par dignitas. *Nam iam & illa sub qua te fruebaris*, &c. De qua scilicet locutus numero primo huius Capitis. *Te esse demonstra, quæ virgines tegis.* Ne te dissimula, nec late sub consuetudine. *Si enim nosset, nunquam esset.* Locus non facilis, nam loquitur de bona illa consuetudine, qua veritas seipsa *fruebatur*, quæque emersit, & vicit alteram : quî ergò de hac, *nunquam esset*? Expedio. Mos tegendi non tribueretur consuetudini, sed veritati. Dici non possent virgines tegi ex consuetudine, sed ex veritate. Quia scilicet cum iam est veritas, nec dici debet, nec quit dici consuetudo.

NOTÆ.

50. 1. VOLVERVNT.] Rescribunt, *voluerint.* Nihil interest.

1. VTRIQVE CONSVETVDINI COMMVNICABATVR.] Est hoc, quod postea : *per licentiam vtriusque moris.* Et nota verbum *communico* de rebus tantùm duabus, de quo dixi ad lib. de Spectacul.

1. PROSTITVI.] Satis indicat dici propriè *prostitutas*, quæ nuda, & intecta facie dabant se spectandas omnibus, vt ita inuitarent lenocinio vultus: & sic opponi possunt meretricibus quæ in abdito; de quibus locuti Seneca, & Plautus.

2. MVLTOQVE INSTITVTORVM.] Insolentia locutionis ducit me, vt putem legi posse *mucroque*; ita vt diabolum vocet mucronem iugulantem optima instituta. Certè qui consideret librariorum errores, non putabit hunc alienum esse ab illis. Sed etsi velis adhuc tueri lectionem Tertulliani, habeo quo possis. Potuit enim dicere *multo* pro *plus*, aut *magis*. Nam Ammianus lib. 20. *multis acceptis vulneribus, quàm illatis.* id est, pluribus.

51. 2. NVDA PLANE FRONTE.] Ruffinus in vitis Pat. cap. 217. lib. 3. narrat huiusmodi factum: *Cui* feminæ *frater dixit : Vade, cooperi caput tuum, & sequere me. Cui illa: Eamus, ait, velociter : oportet enim me deformare, & inter homines nudo capite ambulare, quàm in officinam peccati mei iterum ingredi.* Hinc apparet, *nuda fronte*, dictum ex more nudati capitis illius fœminæ, cui oboleuisset consuetudo peccati. & *nuda* (inquit) *fronte*, quasi ferrea & dura, ad eum modum, quo Arrianus lib. 1. Histor. Alex. dixit ἐγύμνωσε τὸ τεῖχος, *nudauit murum*, id est, apertum reliquit.

2. IN TEMERARIAM AVDACIAM EXCITATÆ.] Ita reposui ex M.S. Vvouer. vulgò legitur, *temerariæ audaciam excitatæ*, quæ lectio licèt aliquo modo per Hellenismum defendi queat, non tamen dubito quin præferenda sit lectio scripti Codicis.

2. TANTO MAGIS LIBERÆ, QVANTO CHRISTI SOLIVS ANCILLÆ.] Ignatius Martyr Epist. 12. ἐκεῖνοι ἐλεύθεροί, ὡς δοῦλοι Θεοῦ, loquitur de Apostolis, id est, *illi liberi vt serui Dei.* Seneca : *Deo parere libertas est.* & Ambros. in Exhortat. ad Virg. *Nulla maior est dignitas, quàm seruire Christo.* Et statim : *An non summa gloria est, quando tali pretio æstimati sumus, vt sanguine Domini redimeremur?* Quia videlicet empti sumus vt serui. Christi sanguine. Inde Zeno Veronens. serm. de duplici tentationum specie : *Seruus es Dei, & dispensatio tibi commissa est domesticæ facultatis.* Hinc ego expendo verba Hilarij aduersus Arrianos hæc : *Tenet inuicta fides nostra spectabilem conscientiæ suæ gloriam, & nihil subdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta, se-*

curè in Christo libertatis suæ professione persistit. Præclarè hæc Hilarius sermone arrepto à seruis, quorum est dolus, ambiguitas, trepidatio, quibus omnibus opponitur libertas Christi. Contra Gregor. Nyssen. seruitutem veram nominat de illis, qui in peccato. Nam in epist. ad Flauianum, ἁμαρτῶν λυτρωσάμενος, *peccatorum seruus.* Et serm. 5. in Orat. Domin. ἁμαρτίας δουλείαν: *seruitutem peccati.*

53. 3. OSTENTATITIÆ VIRGINITATIS.] Notat virginem ostentabundam, vt quæ non sibi viuat, sed populo & spectantibus, vt loquitur Seneca epist. 94. ad fin. Est enim *vitiorum*, non virtutis, ait ille, *monstrari & conspici.* Itaque ostentatitia virginitas tota est vitiosa.

4. PAVENTES.] Pauorem virginibus quoque attribuit Ambros. lib. 2. de Virg. vt proprium illarum. Et Ioan. Chrysost. Homil. 77. φοβουμένῳ, *trementem.* Et Horat. Od. 23. lib. 1. Carm. comparat enim virginem cum hinnulo, qui *& corde & genibus tremit.*

4. AD STVPRVM.] Posset hîc poni interrogationis nota, vt sententia sit clarior: sed potiùs placet, vt sit ironica, & adiuuetur tono vocis & pronuntiatione.

4. OMNIS PVBLICATIO, &c.] Ita etiam Cyprian. de Habit. Virg. vbi de virginibus quæ in publicum prodeunt, & cerni volunt, ait: *Pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt.* Iterum: *Dum liberiùs euagari virgines volunt, esse virgines desierunt, furtiuo dedecore corruptæ.* Et Ambros. lib. 3. de Virg. ait, in locis publicis *intutam esse verecundiam.* Rectè ergò Tertullian. *Publicatio est stupri passio.*

5. O SACRILEGÆ MANVS, QVÆ DICATVM DEO, &c.] Virgines istæ dicatum Deo habitum induerunt, & sacrilegium fuit maximum illum attigisse. Dionysius Exiguus in vita Pachomij ait, sacratum esse hunc habitum: *Eúmque suscipiens A habitu monachi consecrauit.* Et Hieronymus ad Marcellam: *Tunicam fusiorem induta se repente Domino consecrauit.*

5. QVID PRIVS ALIQVIS PERSECVTOR.] Ita legebatur ante Rhenanum, qui pro *prius* rescripsit *peius.* Rhenanum secutus est Pamelius. Sed non video, cur non commodissimè legi queat *prius*, vt dicat à persecutore primum omnium detrahi velamen à virgine, cùm vult eam expugnare: hic enim primus aditus & prima audacia persequentis. Certè cùm commodè possit Tertullianus explicari, mutandus non est. Et quidem rei huius exemplum habes in Historia Theodoriti lib. 4. cap. 20. vbi de persecutione Arrianorum loquens, ex Epistola Petri Episcopi Alexandrini, τὰ μὲν ἐδῆτα διέρρηκτον τῶν ἁγίων χειτῶν παρθένων· ὡς δ' ἡ φύσις ἔχει, γυμνὰς διὰ πάσων τὴν πόλιν ἐθριάμβευον, διαπαίζοντες μὴ ἀστελγείας, οὗ τρόπον ἐβούλοντο. Ecce Lector, opus persecutoris. id est, *Vestem sanctarum Christi Virginum dilacerarunt, eásque nudas, vti in* B *lucem editæ fuerant, per vrbem triumphi loco duxerunt, & pro libidine petulanter atque obscœnè illuserunt.* 54.

5. NAM IAM ET ILLA SVB QVA TE FRVEBARIS.] Hic locus corruptissimè vulgò legitur hunc in modum, *Nam iam & illa consuetudine, sub qua*, &c. Itaque non dubium quin vel legendum sit, *Nam iam & illa consuetudo, sub qua*, &c. Vel delenda sit vox illa *consuetudine*, ineptè, vt iam monuit Vvoueren. posita. 55.

5. EXPVGNATVR.] Non dubium quin hîc Pamelius dormitauerit, nam cùm in omnibus scriptum sit *expugnatur*, optima sententia, ipse rescribit *expungitur*, quia scilicet hoc verbum vsitatissimum sit Tertulliano. Nec vidit vsitatissimum esse, sed non eo sensu quo hîc ponitur.

5. QVÆ VIRGINES TEGIS.] Ita reposui ex M. S. non *tegit*, vt vulgò legitur.

CAP. IIII. ARGVMENTVM.

Probat, Apostolum sub mulieris nomine intellexisse virgines in re velaminis; confutátque argumentum quod esse contra hoc potest.

TERTVLLIANVS.

56. 1. QVATENVS autem & de scripturis aduersus veritatem argumentari consuetudo est, statim opponitur nobis; nullam mentionem virginum ab
1. Cor. 11. Apostolo factam, vbi de velamine præfinit, sed tantùm mulieres nominatas; cùm si voluisset & virgines tegi, de virginibus quoque cum mulieribus nominatim pro-
1. Cor. 7. nuntiasset: quomodo illic, inquit, vbi de nuptiis tractat, quid obseruandum sit etiam de virginibus declarat. Itaque non contineri eas lege velandi capitis, vt non nominatas in hac lege: imò ex hoc velari qua non iubentur, quæ nec nominantur.

EXPLICATIO.

57. 1. NVLLAM *mentionem virginum*, &c. Quia Apost. 1. Corinth. 11. tantùm dixit velandas mulieres, colligunt aduersarij, virgines non velandas; quia Apostolus si hoc voluisset, eas nominasset. *Quomodo illic*, &c. Confirmant suam sententiam, nam sicuti in re nuptiarum 1. Corinth. 7. tractans Apostolus quid sit obseruandum, nominatim de virginibus loquitur, sic debuisset hoc loco. Est *quomodo* hoc loco pro quemadmodum. *inquit*, subaudi aduersarius. *Itaque non contineri*, &c. Conclusio. *Imò ex hoc velari*, &c. Non contenti aduersarij conclusione vrgent adhuc, non solùm non contineri virgines lege velandi capitis, *imò ex hoc ipso*, quod Paulus scribit, *velari eas* lege, *qua non iubentur*, cùm scilicet nec nominentur. id est: Non solùm non continentur ea lege, imò quæ velantur, iniussæ velantur: tantùm enim abest, vt *iubeantur*, vt nec *nominentur*. Pamelius locum hunc non intellexit.

58. 2. Sed nos eandem argumentationem retorquemus. Qui enim sciebat in aliis vtriusque generis facere mentionem, virginis dico & mulieris, id est, non virginis, ex

causa distinctionis; in his in quibus non nominat virginem, non faciens distinctionem, ostendit conditionis communionem. Cæterùm potuit hîc quoque constituere differentiam inter virginem & mulierem, sicut alibi dicit; Diuisa est mulier & virgo: Igitur quas non diuisit, tacendo inalterauit.

1.Cor.7.

59. 2. *Sed nos*, &c. Priusquam confutet aduersarios, retorquet in ipsos eandem argumentationem. Dicitis, debuisse Apostolum nominatim loqui in hac re de virginibus, sicuti in aliis solet. Ergò qui sciebat in rebus aliis facere distinctionem inter virgines & mulieres, cùm necessaria distinctio; liquet perinde cùm non fecit distinctionem, intelligendas virgines sub communi vocabulo mulierum. *Cæterùm potuit*, &c. q.d. Quid vetuit hîc quoque distinguere, sicuti alibi solet, si necessaria fuisset distinctio? explica *cæterum*, porrò, alioquin, sed. *Igitur quas*, &c. Conclusio. Est *inalterauit* idem quod, non alterauit, id est, alteram in altera complexus est, videlicet virginem in muliere.

60. 3. Nec tamen quia illic diuisa est & mulier, & virgo, hîc quoque patrocinabitur illa diuisio, vt quidam volunt. Quanta enim alibi dicta, non valent, vbi dicta scilicet non sunt, nisi si eadem sit causa, quæ alibi, vt sufficiat semel dictum? Illa autem causa virginis & mulieris longè diuisa est ab hac specie. Diuisa est, inquit, mulier & virgo. Quare? quoniam innupta, id est, virgo, cogitat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu: nupta autem, id est, non virgo, cogitat quomodo placeat viro. Hæc erit interpretatio diuisionis illius nullum habens locum in isto Capitulo, in quo neque de nuptiis, neque de animo & cogitatu mulieris & virginis pronuntiatum, sed de capite velando. Cuius nullam volens esse discrepationem Spiritus sanctus, vno nomine mulieris etiam virginem intelligi voluit, quam propriè non nominando à muliere non separauit, & non separando, coniunxit ei à quo non separauit.

61. 3. *Nec tamen*, &c. Confutat iam sententiam aduersariorum, euertens confirmationem illorum hunc in modum: Diuisio facta inter mulierem & virginem ab Apost. cap. 7. in re nuptiarum non patrocinabitur vobis contendentibus eandem fieri debuisse cap. 11. in re velaminis. Ita scilicet aduersarij cõfirmabant suam sententiam. *Quanta enim alibi dicta*, &c. En iam euersio confirmationis. Sententia autem non est difficilis; tantùm enim dicit multa dicta vno in loco, non perinde valere ad alium locum, alium scilicet vbi non dicuntur, nisi si eadem sit causa: quod si contigerit, *sufficiet semel* fuisse dicta, quia scilicet tunc ex loco illo, vbi primùm dicta sunt, arripi poterunt ad locum alium. Frustra credo explicui: nam qui tenuerit sententiam Tertulliani, non egebit mea explicatione: qui autem non illam tenuerit, nec meam tenebit. *Illa autem causa virginis*, &c. Ab hoc loco ita sententia clara est, vt pudeat explicare. *In isto Capitulo*, id est, in re velaminis, quæ scribitur Capitulo 11. in quo neque de nuptiis, &c. *Propriè*, id est, signatè, notanter, exertè, nominatim.

62. 4. Nouum est nunc ergo principali vocabulo vti, & cætera nihilominus in eo vocabulo intelligi, vbi nulla est necessitas singillatim distinguendæ vniuersitatis? Naturaliter compendium sermonis & gratum, & necessarium est: quoniam sermo laciniosus, & onerosus & vanus est. Sic & generalibus vocabulis contenti sumus, comprehendentibus in se specialium intellectum.

4. *Nouum est nunc ergò*, &c. q.d. Imò tritum est. vocabulum *principale*, est generale, vniuersale, quod multa comprehendit, vt qui dicit *mundum*, dicit pecinde cœlum, Solem, astra, &c. *Naturaliter compendium*, &c. Sententia est clara. nota oppositiones. *Compendiosus sermo* opponitur *laciniosõ, gratus onerosõ, necessarius vano. Sic & generalibus vocabulis*, &c. Quia scilicet si homo sentit, & equus sentit, & leo sentit, & ita aliæ species; nonne breuiùs dicam, omne animal sentit?

63. 5. Ergo iam de vocabulo ipso. Naturale vocabulum est fœmina. Naturalis vocabuli generale mulier. Generalis etiam speciale, virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam ætatis nomina accedunt. Subiectum igitur generali speciale, quia generale prius est: & (vt subcessiuum antecessiuo, & portionale vniuersali) in ipso intelligitur cui subiicitur; & in ipso significatur, quia in ipso continetur. Sic nec manus, nec pes, nec vllum membrorum desiderat significari corpore nominato. Et si mundum dixeris, illic erit & cœlum, & quæ in eo, Sol, & sydera & astra, & terra & freta, & omnis census elementorum: omnia dixeris, cùm id dixeris quod ex omnibus constat. Sic & mulierem nominando, quicquid est mulieris, nominauit.

64. 5. *Ergo iam de vocabulo ipso*, &c. Post generalem excursum stringit iam sermonem. *Naturale vocabulum est fœmina.* Nam scilicet sexus sequior & imbecillior in omni animantium genere dicitur *fœmina*, vt *fœmina piscis* apud Ouidium. *Naturalis vocabuli*, &c. Sed in humano tantùm genere generale vocabulum

ſexus infirmioris eſt *mulier*. *Generalis etiam*, &c. Huic generali ſubduntur ſpecies, ſcilicet virgo, nupta, vidua. *Vel quot etiam*, &c. id eſt, vel quotquot etiam accedunt ætatis nomina, vt puella, adoleſcentula, anus, &c. hæc enim ſunt velut ſpecialia nomina ſub generali iſto *mulier*. *Subiectum igitur*, &c. Quæ ſequuntur, non ſatis intellecta fortaſſe hactenus. Ad maiorem claritatem, non neceſſitatem, incluſi verba quædam parentheſi. Ergò mens Tertulliani ſtricta eſt probare nomen ſpeciale intelligi in generali, cui vt priori ſubiicitur; & in quo ſignificatur, quia in ipſo continetur. Hoc vt probet, adducit conſequenter quæ continentur parentheſi, videlicet *ſubceſſiuum* nomen reſpectu *anteceſſiui*, & *portionale* reſpectu *vniuerſalis*. *Sic nec manus, nec pes*, &c. Ecce exemplum nominis *anteceßiui* & *ſubceßiui*. Corpus enim naturaliter antecedit membra. *Et ſi mundum dixeris*, &c. Ecce exemplum nominis *vniuerſalis* & *portionalis*. Mundus enim eſt rerum vniuerſitas; *cœlum, Sol*, Luna portiones vniuerſi. *Sic & mulierem*, &c. Ecce tandem exemplum nominis generici, imò ad hoc deſtinata alia exempla, quia vt pronuntiato anteceſſiuo & vniuerſali, non eſt opus nominare ſubceſſiuum & portionale, ſed iſta ſub illis intelliguntur: ita cùm Apoſtolus dixit, velandas mulieres, generali nomine, intellexit quicquid eſt mulieris, id eſt, velandas quoque virgines, quarum nomen ſpeciale eſt reſpectu generis. Contuli porrò corpus ad exemplum anteceſſionis; nequit enim eſſe aliter, cùm mundus exemplum ſit vniuerſitatis, quæ ratio non competit corpori. Et ineſſe quidem concinnitatem, quam explicui, perſuaſus omnino ſum.

NOTÆ.

65. 1. QVOMODO INQVIT.] Rhenanus & Pamelius explicant, *inquit* pro inquiunt, ex vſu Tertulliani; quod non video hic neceſſarium.

1. IMÒ EX HOC, VELARI QVA NON IVBENTVR.] Pamelius iudicio tantùm ſuo, nullo aut viſo Codice, aut manuſcripto aſtipulante, addidit negatiunculam *non*, ita legens: *Imò ex hoc non velari quà non iubentur*. Apertè errat: nam ita idem diceret Tertullianus quod ſuperiori membro, & eſſet mera tautologia, quæ cùm ſemper ſit vitioſa, & huic ſcriptori inſolens, maximè in hoc capite eſſet futilis, in quo reprehendit lacinioſum ſermonem. Et certè cùm dicat *imò*, aliquid nouum debet addere; quod non vidiſſe Pamelium miror. Si quid mutandum eſſet, potiùs lectioni Vvouerenij hærerem ita legenti ex M.S. *Imò ex hoc reuelari quà non iubentur*, vt ſententia ſit, non ſolùm non continentur ea lege, imò ex hoc ipſo debent reuelari & detegi, qua ſcilicet parte nihil iubentur, vt non nominatæ. Sed nulla opus mutatione, cùm ſententia ſit clariſſima; & ita non ſcribendum *quà*, ſed *qua*, vt dicat, velari virgines, non ſolùm non contineri lege velaminis, imò velari lege qua non iubentur; id eſt, imò iniuſſas velari, & contra verba Apoſtoli.

66. 2. QVI ENIM SCIEBAT IN ALIIS.] Pamelius nulla neceſſitate reſcripſit *aliàs*.

2. EX CAVSA DISTINCTIONIS, IN HIS IN QVIBVS, &c.] Vide vt interpunxi, in omnibus enim continuatim legitur, *ex cauſa diſtinctionis in his*, &c. nullo apto ſenſu.

2. DIVISA EST MVLIER ET VIRGO.] Longè aliter tranſtulit vulgaris interpres, in quo 1. Corinth. 7. ita legitur: *Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt*, &c. Sed Tertullianus hæſit omnino Græco textui, vbi, ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί· καὶ μεμέρισται· καὶ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος. His & ſimilibus, quæ ſæpè video in Tertulliano, perſuaſus ſum, illum ſolitum ſemper Græcum ſcripturæ Codicem lectitare, nunquam Latinum.

2. INALTERAVIT.] Verbum Philoſophicum, & pertinens ad qualitates rerum.

67. 3. VNO NOMINE MVLIERIS ETIAM VIRGINEM INTELLIGI VOLVIT.] Diſcriminant vulgo ita, vt mulier ſit propriè quæ nupſit, & quæ habet liberos: virgo quæ integra eſt, & verè incorrupta. Ex qua diſtinctione locutus eſt Hieronymus, enarrans illud Oſeæ, *Sponſabo te mihi*, his verbis: *Vide quid interſit inter Dei coniunctionem & hominum. Homo cùm vxorem accipit, de virgine mulierem facit. Deus etiam meretricibus copulatus mutat eas in virgines*. Arnob. lib. 5. *Cùm in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhuc virgo Proſerpina*. Vopiſcus in Proculo, ſub perſona ipſius Proculi: *Centum ex Sarmatia virgines cepi, mulieres intra dies quindecim reddidi*. Sed de hac re iam ego in Æneidem. Hoc tamen diſcrimen tantùm abeſt vt perpetuum ſit, vt potiùs ſub *mulieris* nomine virgo quoque intelligatur, vt hîc ait Tertullianus, & probabit infrà latè. Interim pro eius ſententia audi verba Auguſt. qui libro de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 28. & in Matth. cap. 19. ita ait: *Nam & aliis ſcripturarum locis hoc inuenitur: Non eas tantùm quæ virum paſſæ fuerant, ſed etiam fœminas intactas, & integras mulieres appellari*. Inde eſt vt nomen *virgo* detur frequenter his quæ pepererunt. Teſtimonia aliquot iam nos coniunximus Eclog. 6. Virgil. ad illud:

Ah virgo infelix quæ te dementia cepit?

3. PROPRIÈ NOMINANDO.] Nota mihi hanc vocem euertentem Grammaticorum diſtinctionem inter nomina propria, & appellatiua. Hîc enim *propriè nominare* dicit Tertullianus de nomine, quod ipſi vocant appellatiuum.

4. SERMO LACINIOSVS.] Opponit, vt vides, *compendio ſermonis*. Sic etiam lib. 4. aduerſus Marcion. *Compendiatum eſt nouum teſtamentum, & à legis lacinioſis oneribus expeditum*. Qui otiosè loquuntur, vanè, ac laciniosè, dicuntur à Magno Dionyſio in epiſt. λογομαχοῦντες, & loqui ἐπὶ καταφορᾷ τῶν ἀκουόντων, *ad ſubuerſionem audientium*. Et Hieronymus exuberantem ſermonem in epiſt. ad Ruſticum, comparat *luxuriantibus pampinis*. & quem hîc Tertullianus vocat *compendioſum*, ille dicit debere *ſenſuum quaſi vuarum expreſſionibus redundare*. Itaque *expreſſum* & *compendioſum* idem. Ioan. Chryſoſt. Homil. 1. ad Pop. opponit ἀποδείξει, id eſt, *oſtentabundo ſermoni* λιτὸν ῥῆσιν καὶ συνοπτόν, *tenuem dictionem & compendioſam*. Ioan. Caſſian. Collat. 9. in Proœmio, *ſuccincto ſermone perſtringere*, cui opponit *voluminis amplitudinem, diſputationem copioſam*. 68.

5. NATVRALE VOCABVLVM EST FOEMINA.] Ita hoc verum, vt olim cùm non diſtincta in vocibus genera per hanc vocem diſtinguerentur. Plautus in Aulularia, citante Heraldo lib. 1. Aduerſ. cap. 7. 69.

Nam audiui fœminam ego leonem ſemel parire.

Quæ vox deinde non neceſſaria poſtquam emerſit lea & leæna. Ita etiam olim *fœmina draco*, antequam in vſu eſſet *dracæna*. Et nunc adhuc de piſce, quia nõdum inuenta vox ſexus ſequioris, dices, *fœmina piſcis*.

5. ACCEDVNT.] Aliàs, *accidunt*, quod non est necesse.

70. 5. SVBIECTVM IGITVR,&c.] Hic locus hactenus corruptus erat. Vulgò enim ita legitur: *Subiectum igitur est generali speciale, quia generale prius est: & subiectiuum anteceſſiuo, & portionale vniuerſali: in ipſo intelligitur cui ſubiicitur*, &c. Debes correctionem Vvouerenio, qui ex M.S. pro *& ſubiectiuum* corrigit, *vt ſubeeſſiuum*. Sed ego tamen retinui voculam *&*, & incluſi quædam parentheſi, quo fit, vt ſequentia membra quæ priùs nullo innexu, ita clarè annectantur, vt nihil iam loco iſto clarius. Hæc de lectione; ad ſententiam quod pertinet, iam Tertullianum illuſtrauit Pet. Faber lib. 3. Semeſt. cap. 9. à Plutarch. qui 2. Sympoſ. quæſt. 3. ὁ γὰρ κόσμος πρωτόγονος πάντων, τελειότατος ὢν, καὶ λόγον ἔχει τοῦ πεπροωδηκότος τὸ ὁλόκληρον, καὶ τοῦ μέρους τὸ ὅλον: *Mundus enim primò omnium extitit, vtpote perfectiſſimus. Quippe rationi congruit perfectum imperfecto prius eſſe natura, vt mutilato integrum, & parte totum.* Ariſtot. quoque lib. 1. Polit. τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους: *Eſt enim neceſſarium vt totum prius ſit parte.*

5. SYDERA ET ASTRA.] Quamuis *ſydus* ſit ſæpe integra conſtellatio, hîc tamen pro ſingularibus ſtellis capio, quod in vſu quoque Latinis, ne videatur idem bis dicere: nam aſtra quoque ſunt conſtellationes.

5. CENSVS ELEMENTORVM.] Numerus & recenſio elementorum. Sed de hac voce alibi.

CAP. V. ARGVMENTVM.

Probat ex Scriptura Geneſeos, nomen hoc mulier, *generale eſſe Vocabulum ad ſexum fœmineum, ac perinde illo includi etiam Virginem.*

TERTVLLIANVS.

71. 1. SED quoniam ita mulieris nomen vſurpant, vt non putent competere illud niſi ei ſoli, quæ virum paſſa ſit; probari à nobis oportet, proprietatem eius vocabuli ad ſexum ipſum, non ad gradum ſexus pertinere; quo communiter etiam virgines cenſeantur.

EXPLICATIO.

1. SED *quoniam*, &c. Scriptores quippe ſæpiſſimè hoc nomen *mulier* dant vnis tantùm nuptis, dicúntque non eo contineri virgines. Ait ergo velle ſe contra hanc vulgi acceptionem probare, id nominis pertinere *ad ſexum* fœmineum in communi, non ad vnas tantùm nuptas. *Quo*, vocabulo. *Cenſeantur*, numerentur, intelligantur, includantur. Dicit ſcilicet ſub nomine hoc *mulier*, cenſendas quoque virgines.

72. 2. Cùm hoc genus ſecundi hominis à Deo factum eſt in adiutorium hominis, fœmina illa ſtatim mulier eſt cognominata, adhuc felix, adhuc digna paradiſo, adhuc virgo. Vocabitur, inquit, mulier. Habes itaque nomen, non dico iam virgini commune, ſed proprium, quod à principio virgo ſortita eſt.

Gen. 2.

2. *Cùm hoc genus*, &c. Ennon ſolùm probatio, ſed abundans probatio. Quia non ſolùm probat ſub muliere comprehendi etiam virginem, ſed adhuc id nominis propriè datum virgini, quia datum Euæ adhuc virgini. *Secundi hominis.* Ita vocat fœminam, nam ſecundo loco creata poſt Adam. Inde cùm poſtea ait, *in adiutorium hominis*, ſubaudi, *primi hominis. Adhuc felix*, quia ſine peccato, qua felicitate, nulla maior: & ideo, *adhuc digna paradiſo*, quia poſt peccatum iecta eſt inde.

73. 3. Sed ingeniosè quidam de futuro volunt dictum, *vocabitur mulier*, quaſi quæ hoc futura eſſet, cùm virginitatem reſignaſſet: quoniam & adiecit, *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & conglutinabitur mulieri ſuæ, & erunt duo in carnem vnam.*

3. Proponit ſolutionem aduerſantium, qui dicebant verba Geneſeos poſita non ad notandum præſentem ſtatum, quo Eua creata eſt virgo: nam tum nequibat dici mulier; ſed cum aſpectu ad id tempus, quo devirginanda eſſet, nubens Adamo viro. *Ingeniosè*, capitur ironicè. *Virginitatem reſignare*, eſt amittere virginitatem. *Quoniam & adiecit, Propterea*, &c. Confirmant aduerſarij ſuam ſententiam, quaſi dicant: Cùm additur; Propter mulierem *relinquet vir patrem & matrem*, clarè ad vxoratum alluditur. Ergò prima fœmina dicta eſt *mulier* cum aſpectu ad devirginationem, quia propter mulierem, id eſt, propter vxorem relinquendi parentes.

74. 4. Oſtendant igitur primò, vbi ſit ſubtilitas iſta, ſi de futuro mulier cognominata eſt, quod interea vocabulum acceperit. Non poteſt enim ſine vocabulo præſentis qualitatis ſuæ fuiſſe. Cæterùm quale eſt, vt quæ in futurum vocaretur nomine deſignato, in præſenti nihil cognominaretur? Omnibus animalibus Adam nomina impoſuit, & nemini ex futura conditione, ſed ex præſenti inſtitutione, cui condi-

tio quæcunque ſeruiret, hoc appellata, quod à primordio voluit. Quid ergò tunc vocabatur?

4. *Oſtendant igitur*, &c. Priuſquam aduerſarios impugnet, redigit primò illos ad ineptiam quandam. *Vbi ſit ſubtilitas iſta*, quaſi nulla hæc ſit, ideo hîc ponitur *ſubtilitas* ironicè. *Si de futuro*, &c. En ineptia. *Quod interea*, ſubaudi oſtendant; dicit enim, *oſtendant quod interea vocabulum acceperit. & interea*, id eſt, quamdiu fuit in ſtatu virginali. *Cæterùm quale eſt*, &c. q.d. Alioquin ineptum eſt, & plenum fatuitatis. *Omnibus animalibus*, &c. Certiſſima probatio. Nam ſi cætera animantia habuerunt nomen, non ex futuro, ſed ex præſenti miniſterio; mulier, ô tu qui ita pugnas, *quid tunc vocabatur?* q.d. Certè mulier vocabatur, & nihil aliud. *Et nemini ex futura conditione*, id eſt, ex accidenti aliquo vel qualitate quæ futura deinde eſſet. *Cui* inſtitutioni. *Conditio quæcunque*, id eſt, accidens quodcunque, aut qualitas ſuperueniens congrueret. Non enim placet Iunius, qui hîc *conditionem* accipit pro creatura. *Hoc*, nomine, *appellata*, animalia, *voluit*, Adam.

75. 5. Atquin quotieſcunque in Scriptura nominatur, mulier appellatur antequam nupta, & nunquam virgo cùm virgo. Hoc nomen tum vnum illi fuit, & quando ni-
Gen.2. hil prophetico modo dictum eſt. Nam cùm ſcriptura refert fuiſſe nudos duos, Adam & mulierem eius, nec hoc de futuro ſapit, quaſi mulierem dixerit eius in præſagio
Ibid. vxoris. Sed quoniam & innupta illius mulier, vt de ſubſtantia ipſius: Hoc, inquit, os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea vocabitur mulier.

76. 5. *Atquin quotieſcunque*, &c. En iam impugnatio ab textu ipſo Geneſeωs, vbi prima fœmina dicitur *mulier antequam nuberet, & nunquam virgo*, etiam *cùm* erat *virgo*. *Prophetico modo*, videlicet Prophetæ habent præſentia quæ ſunt futura. Atqui in Geneſi hoc loco nihil propheticum, ſed mera narratio. q.d. cùm prima fœmina tunc dicta eſt mulier, non certè ita dicta eſt ex futuro & *prophetico* nuptiarum ſucceſſu. *Nam cùm ſcriptura refert*, &c. Dixit primam fœminam dictam *mulierem*, adducit iam ex multis locis vnum, explicaturus illum. Dicitur in Geneſi ad exitum cap. ſecundi, *Adam fuiſſe nudus, vt etiam mulier eius*. Ait ergò Tertullianus, cùm dixit *& mulier eius*, ne putes dictum hoc cum aſpectu & vaticinio ad futurum vxoratum: ſed quoniam adhuc *innupta* & virgo verè erat *mulier eius*, id eſt, mulier *de ſubſtantia eius, de oſſe eius, de carne eius*. Ita explicat Tertullian. locum Geneſeωs, ac perinde loca cætera in quibus prima fœmina dicitur *mulier* ante vxoratum.

77. 6. Hinc ergò tacita conſcientia naturæ, ipſa diuinitas animæ in vſum ſermonis eduxit neſcientibus hominibus (ſicut & alia multa, quæ ex ſcriptura fieri & dici ſolere alibi poterimus oſtendere) vti mulieres, noſtras dicamus vxores, quanquam & impropriè quædam loquamur. Nam & Græci, qui magis vocabulo mulieris in vxore vtuntur, alia habent propria vocabula vxoris. Sed malo hunc vſum ad ſcripturæ teſtimonium deputare. Vbi enim duo in vnam carnem efficiuntur per matrimonij nexum, caro ex carne, & os ex oſſibus vocatur ſecundùm originem mulier eius ex cuius ſubſtantia incipit cenſeri facta vxor. Ita mulier non natura nomen eſt vxoris, ſed vxor conditione nomen eſt mulieris. Denique mulier & non vxor dici poteſt, non mulier autem vxor dici non poteſt, quia nec eſſe.

78. 6. *Hinc ergo tacita*, &c. Docuit hactenus nomen *mulieris* eſſe commune; declarat iam vnde factum vt vulgo dicatur de nupta & vxore: ſed quia nonnihil difficilis hic tractus, percurram illum. *Hinc*, id eſt, ab hiſtoria Adæ. *Tacitâ conſcientiâ naturæ*, eſt in vltimo caſu. Dicit verò naturam ipſam ſciuiſſe, nomen hoc *mulier*, non eſſe proprium nuptæ, ſed tacuiſſe, & diſſimulaſſe, neque contradixiſſe. *Ipſa diuinitas animæ*, id eſt, ipſa animæ auctoritas & dignitas fecit, vt vſus hominum vſurparet vocem hanc *mulier* pro nupta, quæ tamen locutio impropria eſt, & non naturalis: ſed factum hoc eſt imperio animi conſtituentis vocabula ad libidinem & placitum, & hoc arrepta occaſione ab ipſa hiſtoria Adæ. Vel explica propriè de anima conferente vxori nomen *mulieris*, quia diuinauit eam poſtea fore vxorem, quam in primordio rerum videbat tantùm eſſe mulierem. Et potuit quidem tutò tunc hoc anima, quia primo illo rerum initio rudes erant homines & ignorantes naturæ. *Sicut & alia multa*, &c. Aduoco exemplum, vt intelligas. Ex vſu tantùm ſcripturæ factum, vt *cognoſcere aliquam*, ſit coire; ſed verbum ex ſe non hoc habet. *Nam & Græci*, &c. Ait, hanc vocem *mulier* non dici propriè de nupta, neque ab Græcis, nam *habent alia propria vocabula* ad ſignandas nuptas; & tamen frequentiſſimè vocem γυναῖκα, quæ ſignificat in generali *mulierem*, conferunt ad nuptas. Ea eſt ratio præcedentis. q.d. Latini impropriè vtuntur hac voce, & quid mirum: nam & Græci quoque eadem improprietate laborant. *Sed malo hunc vſum*, &c. Addit nunc de nouo, vſum hunc, quo *nuptas* vocamus *mulieres*, potiùs referendum ad ſcripturam quàm ad imperioſæ animæ placitum & improprietatem: quod efficit etiam ex hiſtoria Adami. Nam cùm prima fœmina dicta eſſet *mulier* Adami, non quia nupta Adamo, ſed quia *de ſubſtantia* eius; tamen cùm poſtea conceſſiſſet in nuptias Adami, factum vt iam nupta retineret antiquum nomen. *Secundùm originem*, cùm producta eſt ex ſubſtantia Adami. *Ita mulier non natura*, &c. Eſt hoc quod ſuprà dixit, (tacente ac diſſimulante natura.) *Sed vxor conditione nomen eſt mulieris*, id eſt, conditione nuptiarum eſt ſub generali nomine mulieris. *Denique mulier, & non vxor dici poteſt*, veriſſimè, quia *mulier* eſt nomen generi-cum. Et ſicut poteſt eſſe animal & non homo, ita poteſt eſſe mulier & non vxor. *Non mulier autem*, &c. Hoc quoque veriſſimum, quia ſicut non poteſt dici, neque eſſe homo, niſi ſit animal: ita nec eſſe, nec dici *vxor* niſi ſit mulier.

7. Con-

80. 7. Constituto igitur nomine nouæ fœminæ, quod est mulier; & explicito quod priùs fuit, id est, nomine assignato, conuertit iam ad propheticam rationem, vt diceret, Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem. Adeò separatum est nomen à prophetia, quantum & ab ipsa persona, vt non vtique de ipsa Eua dixerit, sed in illa fœminas futuras quasi in matrice generis fœminini nominarit. Alioqui non Adam relicturus erat patrem & matrem, quos non habebat, propter Euam. Ergò non ad Euam pertinet, quia nec ad Adam, quod propheticè dictum est. De maritorum enim conditione prædictum, qui ob mulierem parentes suos erant relicturi, quod in Euam cadere non potuit, quia nec in Adam. Si ita res est, apparet non propter futurum mulierem cognominatam, ad quam futurum non pertinebat.

vbi suprà.

81. 7. *Constituto igitur*, &c. Cùm hactenus declarauerit nomen *mulieris* non datum primæ fœminæ ex prophetica ratione futuri matrimonij, euertit iam cõfirmationem aduersariorum. Isti dixerant duo, numero tertio huius capitis; primò illud *vocabitur mulier*, dictum de futuro, hoc iam confutauit. deinde confirmabant ex illo, *Propterea relinquet homo patrem & matrem*, &c. Hanc igitur confirmationem nunc euertit dicens, hoc ad Euam non pertinere: quia cùm hæc, tametsi prophetica, non dicta fuerint propter ipsum Adam, quippe qui non habuerit patrem & matrem, quos relinqueret propter vxorem; sed in persona Adæ dicta fuerint tantùm ratione habita posterorum; clarè colligitur, vxorem illam propter quam *relinquendi* essent *parentes*, non esse Euam: non ergò prophetia ad illam pertinet, ac perinde confirmatio aduersariorum nulla est. Percurro. *Conuertit*, id est, conuertit se, vel conuertit sermonem. *Propter hoc*, quippe in Græco διὰ τοῦτο, & interpres *quamobrem* reddidit. *Adeò separatum est nomen à prophetia*, id est, nomen hoc mulier nihil pertinet ad prophetiam. Nam cùm dicitur relinquendus pater atque etiam mater, propter mulierem, hoc non pertinet ad primam fœminam, sed ad posteras fœminas, quæ sub illa intelliguntur; & ideo prophetia non attingit nomen personámve primæ fœminæ. *In matrice*, in parente. *Alioqui*, &c. probatio euidentissima, & satis clara: cur illud de relinquendis parentibus propter mulierem non pertineat ad primam fœminam. *Si ita res est*, &c. Conclusio. q.d. *Si ita res est*, id est, si nulla est vestra confirmatio: nam illud de relinquendis parentibus non dicitur propter primam fœminam, *apparet* perinde neque hoc nomen *mulier* datum illi *propter futurum* matrimonium; hic enim primus scopus vestræ argutiolæ.

82. 8. Eò accedit, quòd ipse rationem eius nominis edidit. Cùm enim dixisset, *Vocabitur mulier*, addidit, *quoniam ex viro sumpta est*, & ipso adhuc virgine. Sed dicemus & de viri nomine suo loco. Nemo itaque nomen ad prophetiam interpretetur, quod ex alia significatione deductum est: præsertim cùm appareat, vbi de futuro nomen acceperit, illic scilicet vbi Eua cognominatur, personali iam vocabulo, quia naturale præcesserat. Si enim Eua mater viuentium est, ecce ex futuro cognominatur, ecce vxor & non virgo prænuntiatur, hoc erit vocabulum nupturæ. Ex nupta enim mater. Itaque hîc quoque ostenditur de futuro mulierem tunc nominatam, quæ postmodum acceptura erat futuræ conditionis suæ nomen. Responsum satis est ad hanc partem.

Gen. 3.

83. 8. *Eò accedit*, &c. Confirmat rem eandem, scilicet nomen *mulieris* non pertinere ad prophetiam. Quia si Adam dixit, *vocabitur mulier*, & reddidit rationem, *quia sumpta ex viro est*: non ergò quia iungenda est matrimonio. *Suo loco*, id est, capite octauo huius operis. *Præsertim cùm appareat*, &c. Aperit iam quod fuerit nomen propheticum futuri matrimonij datum primæ fœminæ, videlicet cùm dicta est *Eua*. Nam cùm *Eua* sit propriè *mater viuentium*, perinde sequitur vt futura sit vxor: nam aliter esse mater non poterit. *Conditionis suæ*, id est, matrimonij, vxoratus. *Responsum est satis*, &c. Quia clarissimè liquet ex dictis, nomen hoc *mulier* non pertinere ad rem vxoriam.

NOTÆ.

84. 1. AD SEXVM IPSVM, NON AD GRADVM SEXVS, &c.] Pro hac sententia attuli iam superiori capite Augustinum, hîc adiicio Ambrosium, qui lib. de Institut. Virg. cap. 5. explicans eundem locum quem Tertullianus, ait: *De mulieris nomine quid mouemur? ad sexum retulit. non enim corruptelæ, sed sexus vocabulum est. Vulgi vsus non præiudicat veritati.* Itaque distinctio illa, qua *mulier* dicitur de corrupta, & opponitur virgini, vulgi est, non veritatis. Ita te docent Tertullianus, Ambrosius, Augustinus.

85. 2. ADHVC FELIX, ADHVC DIGNA PARADISO, ADHVC VIRGO.] Ita probat suam sententiam Tertullianus, cui institit Ambrosius dicto loco: *Denique virginitas primum hoc nomen.* (id est, nomen mulieris) *accepit. Nam cùm sumpsisset Deus vnam de costis Adæ, & suppleuisset carnem in locum ipsius, ædificauit, inquit, eam in mulierem. Vtique adhuc virum non cognouerat, & iam mulier vocabatur.*

3. VIRGINITATEM RESIGNASSET.] Ambros. in Exhortat. ad virginitatem, tractans locum illum Cantic. *Hortus conclusus soror mea sponsa*, &c. ita ait: *Quòd meliores afferat fructus claustro pudoris septa virginitas, in qua intemerata permaneant castitatis signacula: Hunc hortum animæ vestræ, hunc*

fontem ſeruate puri liquoris, vt eum in vobis nemo per- A *turbet, nemo reſignet; quem genitalis in vobis origo ſignauit.* Itaque *ſigno* & *reſigno*, vt etiam *ſignaculum* & *reſignaculum* in re caſtitatis opponuntur. Et *reſignare* hîc eſt idem, quod in Virg.4. Æneid. *reſoluere.*

86. 3. CONGLVTINABITVR.] Hæſit Græco, vbi ἢ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ. Eſt enim κόλλη idem quod *gluten*, inde Hiſpani vocem *cola*. Eadem vox eſt in Actis cap.8. in hiſtoria Philippi Diaconi, & Eunuchi, ἢ κολλήθητι τῷ ἅρματι τούτῳ. Quem locum vulgaris reddit, *adiunge te ad currum iſtum.* Propriè *agglutinare iſti currui.* Athanaſius lib.de Virginit. ὁ κολλώμενος τῇ γυναικί: *agglutinatus vxori.*

3. IN CARNEM VNAM.] Prius erat *in carne vna*. Correxit Pamelius *in carnem vnam*, cui aſſentior; Tum quòd paulo pòſt Tertullianus, *duo in carnem vnam efficiuntur* : Tum quòd Geneſ.2. & Matth.19. & 1. Corinth. 6. & Epheſ. 5. Græcè legitur εἰς σάρκα μίαν. Et quidem is ſcriptor ſemper habebat ante oculos Græcum Codicem.

87. 4. DESIGNATO.] Præclarè vt de re futura. Sic *deſignati Conſules*, non in præſens, ſed in futurum. Caſſian. Collat.9. cap. 21. explicans illud, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*, &c. ita ait: *Formam ſui indicij deſignauit, vt quemadmodum nos ab illo iudicari cupimus, ita noſtros fratres, ſi quid in nos deliquerint, iudicemus.* Vide lib.ad Martyras cap.1.

4. OMNIBVS ANIMALIBVS ADAM NOMINA IMPOSVIT.] Frui ſi vis delectabili deſcriptione, adi Conſtantinum Manaſſem in Annalibus, vbi adducit varia animantium genera, & multiplices deſcriptiones, vt demum inferat, quibus Adam nomina impoſuit.

5. TACITA CONSCIENTIA NATVRÆ.] Quid ſi alluſit ad veterem ſententiam, quam Heraclito attribuit Themiſt. Euphrada orat.12. φύσις ὃ καθ' Ἡράκλειτον κρύπτεσθαι φιλεῖ: *Natura, iuxta Heraclitum, occultari amat.* C

5. FVISSE NVDOS ADAM ET MVLIEREM EIVS.] Verba vulgaris Interpretis hæc ſunt 2. cap. Geneſeos: *Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet, & vxor eius.* Sed Tertullianus conformis eſt in vertendo; nam cùm in Græco ſit γυνή, ſemper reddit *mulier*, non vt interpres, qui iam *mulier*, iam *vxor.*

88. 5. VT DE SVBSTANTIA IPSIVS.] Ita quoque locum Geneſ. explicat Ambroſ. lib. de Inſtitut. Virg.cap.5. eius verba: *Rationem quoque nominis huius ſcriptura non tacuit, dicens: Quia dixit Adam, Os de oſſibus meis, & caro de carne mea, hac vocabitur mulier, quoniam de viro ſumpta eius. Quia ſumpta eſt, inquit, de viro ſuo, non quia virum experta.* Itaque ſententia Tertulliani & Ambroſij eſt, cùm dicitur in D Geneſi *mulier eius*, particulam *eius* non referendam ad matrimonium, ſed *eius*, quia ſumpta de eius latere. Et vterque, vt vides, fundum habet in verbis Scripturæ.

6. CONSCIENTIA.] Id eſt, ſcientia; frequenter hoc. Ita in Concil. Arelat 1.cap.19. *Presbyteri ſine conſcientia Epiſcoporum nihil faciant.* Redundant exempla.

6. QVANQVAM ET IMPROPRIE' QVÆDAM LOQVAMVR.] Reponunt *quidem*, pro eo, quod in vulgatis eſt *quædam*, ſenſu apto. ideò ait *improprie*, quia nomen hoc *mulier*, quæ non nuptam ſignificat, ſumunt Latini pro nupta. Non enim hîc de aliis vocibus, ſed tantùm de hoc nomine *mulier* ſignatè loquitur, vt apparet ex ratione ſequenti Græcorum, qui vocem quoque γυνὴ impropriè accipiunt. Tertullian. de Mon. cap. 8. *Neque enim ſi penes Græcos communi vocabulo cenſentur mulieres & vxores pro conſuetudinis facilitate (cæterùm eſt proprium vocabulum vxorum) ideo Paulum ſic interpretabimur, quaſi demonſtret vxorem Apoſtolos habuiſſe.*

6. NAM ET GRÆCI, &c.] His ſcilicet non 89. ſolùm eſt γυνὴ vox impropria pro nupta, ſed multa alia propria nomina, videlicet γαμετὴ, σύγγαμος, ἄλοχος, ἄκοιτις, παράκοιτις, quæ voces propriè ſignant vxorem. Porrò ad maiorem claritatem & vim rationis cognoſcendam, poſui diſtinctionem poſt relatiuum *qui*: volo enim legas, *Nam & Græci qui, magn.*, &c. Eſt enim ſenſus: Nam etiam Græci qui alia habent propria vocabula *vxoris*, magis vtuntur vocabulo improprio *mulieris* ad notandam vxorem.

B 6. MATRIMONII NEXVM.] Gregorius Nyſ- 90. ſen. lib.de Virginit.cap.3. loquens de matrimonio, ἀφύκτοις πάγοις ἁλῶναι, *inexplicabilibus laqueis implicari.* Et poſtea vocat ἄρκυα, id eſt, *retia.* Virgil.4. Æneid. dixit, *Vinclum iugale.* Omnia eôdem tendût. Certè Caſſian. Collat.9.cap.5. cum aſpectu ad matrimonium dixit, *Mens ab omnium carnalium paſſionum nexibus abſoluta.* q. d. Soluta eſt iam à paſſionibus, cum quibus veluti matrimonio ſtrictiſſimè erat vincta. Et Collat. 14. cap.7. *Vxorio vinculo colligatum.* Aduocat Turrianus lib.5. de Canonib. Apoſtol. cap. 16. hæc verba, & explicat de nexu illo quem habent ad alterutrum in vnitate animæ propter mutuum conſenſum coniugalem: vnitatem verò corporum dicit fieri per mutuam commiſtionem.

7. PROPTER HOC.] Legebatur priùs *propter hanc*, ſed rectè Pamelius repoſuit *propter hoc*, tum quia ipſe Tertullianus ſuprà in hoc cap. *Propterea relinquet*, &c. & lib. de Anima, *propter hoc.* & phraſis Græca hoc poſtulat. Nam Geneſ. 2. ἕνεκεν τούτου. & Epheſ.5. ἀντὶ τούτου. Inde & vulgaris Geneſ.2. *Quamobrem relinquet homo*, &c. Non audio Iunium, qui *propter hanc* retinet, etiamſi alia ſignificatione.

7. SED IN ILLA FOEMINAS FVTVRAS QVASI IN MATRICE GENERIS FOEMININI NOMINARIT.] Ita lego, & ita volui excudi contra fidem omnium Codicum, in quibus non aptè legitur: *Sed in illas fœminas futuras quas in matrice*, &c. Et ſpero correctionem noſtram probandam à doctis, vt euidentiſſimam. Nam primum illud *in illas* alieniſſimum eſt ab hoc loco, in altero facilis fuit lapſus librariorum, qui à particula *quaſi* ademerunt vltimam vocalem ex colliſione ſubſequentis: quod genus erroris in hoc Auctore deprehenſum ab aliis. 91.

7. MATRICE.] Ita lib. 4. aduerſus Marcion. D *matricem religionis* dixit. Et Cyprian. epiſt. 45. vocat Romanam Eccleſiam *matricem.* Monuit Pamel.

8. VOCABITVR MVLIER, ADDIDIT, QVONIAM EX VIRO SVMPTA EST.] Interpoſui particulam *addidit* ex Codice ſcripto, quod monet Vvouerenius, quippe in vulgatis abeſt. Iunius interſerit verbum *ait.* 92.

8. QVIA NATVRALE PRÆCESSERAT.] Nihil muto, quia nullus Codex aut cuſus, aut ſcriptus aliter ſuggerit: ſed ego libentiſſimè ſcriberem, *Quia generale præceſſerat.* Hic enim loquitur de hoc nomine *mulier*, quod cap. 4. generale eſſe dixit: non de hoc nomine *fœmina*, quod ibidem docuit eſſe naturale. Nec mihi facilè perſuadeo ita Tertullianum fuiſſe ſui immemorem.

CAP. VI. ARGVMENTVM.

Maria dicitur mulier ex generali proprietate huius vocis.

TERTVLLIANVS.

93. 1. VIDEAMVS nunc si & Apostolus formam vocabuli istius secundùm Genesin obseruet, sexui deputans illud, sic mulierem virginem vocans
Gal. 4. Mariam, quemadmodum & Genesis Euam. Scribens enim ad Galatas, Misit (inquit) Deus filium suum factum ex muliere. Quam vtique virginem constat fuisse, licèt Hebion resistat. Agnosco & Angelum Gabrielem ad virginem missum, sed cùm benedicit illam, inter mulieres, non inter virgines deputat: Benedicta tu inter mulieres. Sciebat & Angelus mulierem etiam virginem dici.

EXPLICATIO.

1. PROBAT rem eandem ex nouo Testamento, adductis locis Pauli & Lucæ. Ex quibus liquidò constat vocem hanc *mulier* sumi non pro nupta & vxorata, vt vulgus accipit, cùm sanctissima Christi mater Maria dicatur *mulier*, quæ verissimè fuit virgo.

94. 2. Sed & ad hæc duo ingeniosè quidam respondisse sibi visus est, quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco & ab Angelo & ab Apostolo mulierem pronuntiatam: desponsata enim quodammodo nupta. Tamen inter quodammodo & verum satis interest duntaxat hoc loco, nam alibi ita sanè habendum est. Nunc verò non quasi iam nuptam mulierem Mariam pronuntiauerunt, sed quasi nihilominus fœminam, etiamsi non sponsam, quasi hoc à primordio dictam. Illud enim præiudicet necesse est, à quo forma descendit.

2. Vt loca Geneseos, ita pari ingeniolo euertebant aduersarij loca ista Pauli & Lucæ, affirmantes Mariam dictam *mulierem*, vt desponsatam cum Iosepho, atqui *desponsata* quodammodo dici quit nupta. *Tamen inter*, &c. Ait, *desponsatam* dici posse verè quodammodo nuptam in aliis fœminis, non in Maria, in qua vna multum est discriminis, nam verè fuit *desponsata*, sed nullatenus nupta. Loquitur Tertullianus vt plures Ecclesiæ patres apud P. Suar. 2. tom. in 3. p. d. 7. sect 1. vocantes *nuptam*, quæ matrimonium maritali coitu consummauit. Secus autem *sponsas*, non nuptas appellant, etiamsi cæteræ sollemnitates nuptiarum ratæ sint. Ergo si nullatenus nupta, nec quasi nupta; negatio quippe omnia destruit. *Nunc verò*, &c. Explicat ergò quo sensu Paulus & Lucas Mariam vocauerint *mulierem*: non scilicet quasi nuptam cum Iosepho; sed vocauerunt *mulierem*, quasi fœminam; & ita vocassent quidem mulierem, etiamsi nunquam esset desponsata, quasi hoc mulieris nomine dictam à primordio. Itaque istud *à primordio* referendum ad Euam. & ideo sequitur, *Illud enim præiudicet*, &c. Quia scilicet debet vox ista *mulier* velut præiudicio quodam anteuertere voces alias, vt quæ comitatur ab initio formam sequioris sexus: nam ita vocata est prima fœmina. & hoc præiudicium pro se habere debent reliquæ fœminæ.

95. 3. Cæterùm quod pertinet ad hoc capitulum, si hîc desponsatæ adæquatur, vt ideo mulier dicta sit Maria, non quâ fœmina, sed quâ marita, iam ergò Christus non ex virgine natus est, quia ex desponsata, quæ virgo esse desierit hoc nomine. Quòd si ex virgine natus est, licèt ex desponsata tamen integra, agnosce mulierem etiam virginem, etiam integram dici.

3. Arctat sermonem ad rem tantùm Mariæ, & probat in ea vocem hanc *mulier* non adæquari in significatione τῆ *desponsatæ*, aut τῆ *maritatæ*. Probat (inquam) nam si hoc esset, sequeretur Christum natum non ex virgine. Ergò cùm vocata est *mulier*, tantùm ita vocata est, quâ est fœmina: atqui fœmina esse potest virgo & integra: nihil igitur detrahit voci *virginis* vox ista *mulier*.

4. Hîc certè nihil propheticè dictum videri potest, vt futuram mulierem, id est,
Gal. 4. nuptam, Apostolus nominarit, dicendo, factum ex muliere. Non enim poterat posteriorem mulierem nominare, de qua Christus nasci non habebat, id est, virum passam: sed illa, quæ erat præsens, quæ erat virgo, & mulier vocabatur post vocabuli huius proprietatem, secundùm primordij formam, virgini, & ita vniuerso mulierum generi defensam.

96. 4. Dicuntur ista cum aspectu ad ea quæ dicta præcedente capite: non enim propheticè dictus est Christus *factus ex muliere* propter aliam fœminam diuersam à Maria, *sed illa* ipsa de qua est natus, & tunc

erat, & *virgo erat*, *illa* (inquam) ipsa Maria. *&*, id est, etiam, *vocabatur mulier*, etiamsi Euæ talis prophetia contigerit, prophetia (inquam) illa quæ habetur num. 7. præcedentis capitis. Illud *nasci non habebat*, est, *nasci* non debebat. Extrema illa, *Post vocabuli huius*, &c. ita explica; *quæ vocabatur mulier post proprietatem huius vocabuli defensam*, id est, assertam omni virgini, omni generi humanarum fœminarum, *secundùm primordij formam*, id est, cùm in ipso conditi mundi primordio forma ista vocis data est primæ fœminæ. Dicit scilicet, virginem iustissimè vocari *mulierem*, postquam *proprietas huius vocabuli* data est principi fœminæ Euæ initio orbis conditi: in Eua enim iam vox ista defensa, assertáque est, & vt suam possunt formam istam arripere vniuersæ fœminæ posteræ, modò sint virgines, modò non.

NOTÆ.

97. 1. FACTVM EX MVLIERE.] Duobus testimoniis adductis à Tertulliano, adiunge duo alia, scilicet, *Quid mihi tecum est mulier?* &, *Mulier, ecce filius tuus.* Pamel. Adiunge etiam hæc Vlpiani ff. de Ædilit. edict. *Quæ mulieribus legantur, etiam virginibus deberi certum est.*

1. HEBION.] De huius hæresi lib. de Præscript. aduers. hæres.

1. CVM BENEDICIT ILLAM, INTER, &c.] Potest etiam interpungi ita, *Cùm benedicit, illam inter*, &c. Cæterùm ad sententiam pertinet illud Numer. cap. 30. *Mulier si quidpiam vouerit.* Et sermo est de ætate puellari eius quæ est in domo patris. Deinde illud Luc. 10. *Mulier quædam Martha nomine.* Constat autem Martham virginem fuisse, & ita ab Ecclesia colitur.

98. 2. QVASI.] Ad discrimen inter particulam *quasi*, & rem omninò veram, pertinet locus Augustini in Psalm. 63. vbi loquens de peccato Pilati, & Iudæorum, ait: *Ille dixit in eum sententiam, & iussit eum crucifigi, & quasi ipse occidit: & vos ô Iudæi occidistis*, &c.

2. PRÆIVDICET.] Crebrum hoc verbum, & hoc sensu in Patribus. Ambros. de instit. Virg. cap. 5. *Quid autem præiudicat Mariæ, si cœlestis consilij mysterium Ioseph non intellexit, & putauit virginem non esse, quam prægnantem videret?* Redundant testimonia, & in vno Tertulliano pluria.

3. QVOD PERTINET.] Aliàs, *pertineat.*

99. 3. ADÆQVATÆ.] Eo sensu dicit *adæquare*, quo Ouid. *implere mensuram nominis.* Ait ergò: Vox ista *desponsata* non adæquat aut implet nomen istud *mulier.* Græci opponunt φερωνύμοις, & ψευδωνύμοις: illi sunt qui adæquant suum nomen, hi qui deficiunt ab eo.

3. QVA MARITA.] Aliàs legitur *maritata*, vt velis. Ego in *maritam* inclino, quia poëticum nomen; Ouidius enim in epist. Phædræ:

Et fas omne facit fratre marita soror.

Atqui Tertullianus solet poëticis delectari.

4. SED ILLA, QVÆ ERAT PRÆSENS.] Ineptè quidam correxit, *sed illam, quæ*, &c. vt esset sententia, *sed illam nominauit, quæ*, &c. Sed correctio ista procedit ex non intellecto Tertulliano, cuius sententia est satis clara in nostris explicationibus.

4. POST VOCABVLI HVIVS, &c.] Latinius corrigit, *per vocabuli*, &c. Sed otiosè, nam sententia, quam ego dedi, clarissima est.

4. DEFENSAM.] Ita de Spectacul. cap. 5. *Consulia Romulo defendunt*, id est, asserunt. Et aduers. Iud. cap. 1. *Priuilegium gratiæ sibi quis audeat defendere.* Et sæpè alias.

CAP. VII. ARGVMENTVM.

Rationes velaminis æquè competunt virginibus, ac mulieribus.

TERTVLLIANVS.

100. 1. CONVERTAMVS ad ipsas iam rationes recensendas, per quas Apostolus docet, velari fœminam oportere, an eædem etiam virginibus competant: vt ex hoc quoque vocabuli communio inter virgines & non virgines constet, dum eædem velaminis causæ in vtraque parte deprehenduntur.

EXPLICATIO.

1. CONVERTAMVS, id est, *conuertamus* nos: vel *conuertamus* sermonem, vt suprà cap. 5. *conuertit.* Reliqua clara sunt.

101. 2. Si caput mulieris vir est, vtique & virginis, de qua fit mulier illa quæ nupsit: nisi si virgo tertium genus est monstruosum aliquod sui capitis. Si mulieri turpe
1. *Cor.* 11. est radi, siue tonderi, vtique & virgini: proinde viderit sæculum æmulum Dei, si ita virgini cæsum capillum decori mentitur, quemadmodum & puero promissum. Ergò cui non conuenit radi siue tonderi, æquè conuenit operiri. Si gloria viri est mulier, quanto magis virgo, quæ & gloria sibi est? Si mulier ex viro, & propter virum, costa illa Adæ virgo primùm fuit.

102. 2. Adducit hoc tractu rationes tres æqualitatis inter mulieres, nuptas, & virgines, vt inde constet quod proponit initio capitis: sumúntque rationes istæ firmitatem ab Apost. 1. Corinth. 11. *Si caput mulieris*, &c. En prima ratio, facilis quidem si corticem intuearis; nam tantùm ait, virum esse *caput mulieris*, ac perinde erit *& virginis*. probat, quia nupta non aliunde fit quàm ex virgine. Sed si fundum velis penetrare, non est facilis: nam mens Tertulliani est, vtramque esse velandam. Cur ergo velanda est mulier, quia *caput* suum *vir est*? Ego sic concipio. Dicit Paulus, virum debere esse inuelatum. Rectè ergò sequitur vt dicat, *si* iam *caput*, id est, *vir*, inuelatum est, mulier velanda est necessariò, quia non est caput; cætera autem membra præter caput velanda sunt. Ergò si mulier, quia non est caput, velanda est, virgo quoque velatur: *nisi si virgo est tertium aliquod genus monstruosum sui capitis*, id est, dominans suo capiti. Et ait *tertium*, quia neque vir, vt clarum; neque mulier, vt tu ais; *tertium* ergò *genus*. *Si mulieri turpe est*, &c. En ratio altera æqualitatis inter mulierem & virginem.

103. Ait Apostolus, *turpe esse fœminæ tonderi*; subiicit Tertullianus, *turpe* quoque esse *virgini*. Inde colligit conclusionem hanc, *Ergò* virgini *cui non conuenit radi, siue tonderi, conuenit operiri*; & operiri quidem *æquè* vt non tonderi, aut *æquè* vt mulieri: vtrumque enim video dici posse: sed explico quæ interiiciuntur. *Proinde viderit*, &c. Et suppono prius, virgines aliquando fuisse tonsas, vt essent instar puerorum; pueros contra fuisse intonsos, vt essent instar virginum, & ita ex inuersa hac consuetudine inuitaretur lasciuia mortalium. Hos mores attribuit Tertullianus sæculo æmulanti Deum, id est, aduersanti: Deus enim vult sexum muliebrem intonsum, masculum tonsum. Ait ergò, *si turpe est mulieri & virgini tonderi, viderit* (vox est improbantis) *proinde sæculum æmulum Dei*, quàm praue existimet *virgini* esse *decori*, ac pulchritudini *capillum* tonsum, vt *puero promissum*. Hæc quippe existimatio, deceptio est, & merum mendacium: nam pulchritudo decusque pueri constat tonsione; virginis, intonsione. *Si gloria viri est mulier*, &c. En tertia ratio, quam velim intelligas: priora enim explicantur à posterioribus. Ait, *mulierem gloriam* esse *viri*, vt quæ omnem gloriam ab eo mendicat, ipsa quidem nullam habens in se. Probat; quia *mulier ex viro, & propter virum*; ac perinde nihil ipsa habet. Procedo: Ait, *virginem* multo *magis* esse *gloriam viri*, quia tametsi aliquam ab eo mendicet, sed simpliciter etiam ipsa in se habet gloriam non pendentem à viro. Probat, quia *costa Adæ*, id est, Eua, *primùm* quàm esset vxor Adam, *fuit virgo*, ac perinde non propter illum. Nam etiamsi nata ab illo, sed non propter illum, quia vt virgo non propter virum. Mihi persuasi hanc esse mentem Tertulliani. Itaque cùm ait, *si mulier ex viro*, &c. non est noua ratio æqualitatis inter mulierem, & virginem: sed tantùm præcedentis ratio, huius (inquam) *si gloria viri est mulier*, &c. id esse euidentissimum apparebit sequenti capite.

104. 3. Si mulier potestatem habere super caput debet, vel eo iustiùs virgo, ad quam pertinet quod in causa est. Si enim propter Angelos, scilicet quos legimus à Deo & cœlo excidisse ob concupiscentiam fœminarum: quis præsumere potest, tales Angelos, maculata iam corpora, & humanæ libidinis reliquias desiderasse, vt non ad virgines potiùs exarserint, quarum flos etiam humanam libidinem excusat? Nam & scriptura sic suggerit. Et factum est, inquit, cùm cœpissent homines plures fieri super terram, & filiæ natæ sunt eis. Conspicati autem filij Dei filias hominum quòd pulchræ essent, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerunt.

Ibid. *Gen. 2.* *1. Cor. 11.* *Gen. 6.*

105. 3. *Si mulier*, &c. Sequitur ratio quarta, in qua maior mora, & omnia clara, si tantùm audias quaspiam notulas. *Potestatem*, ita vocat Apostolus velamen. Vide rationem in interpretibus. *Ad quam pertinet quod in causa est.* Ait pertinere ad virginem potiùs quàm ad mulierem litis huius intentionem, id est, id quod in lite hac versatur: nam scilicet quæstio est, an velandæ sint virgines? *Si enim propter Angelos*, subaudi, habendum est velamen. *Propter concupiscentiam fœminarum*, hoc paradoxon non solùm Tertulliani, sed aliorum est, qui putarunt Angelos cupiditate fœminarum ardentes excidisse è cœlo. Sed de hoc iam alibi. *Maculata iam corpora*, ita vocat nuptas, vt iam passas carnis contumeliam: & statim pari emphasi *reliquias humanæ libidinis*. *Quarum flos*, &c. De hoc loco, vt hactenus non intellecto, rixæ magnæ inter Interpretes, Pamelium, Iunium, alios, cùm Tertullianus tantùm dicat, virgines ita esse cautas, vt excusent, id est, recusent, vitent, fugiant, renuant, caueant humanam omnem libidinem. Ac perinde sententia est: An desiderassent Angeli reliquias humanæ libidinis, & non potiùs virgines, quæ, vti flos recusat tactum omnem, si posset fugere, ita ipsæ recusant omnem *libidinem* etiam *humanam*, id est, etiam naturalem; quanto itaque magis abhorrerent vt succubæ essent Angelis? In has ergò (inquit Tertullianus) ita cautas Angeli potiùs exarsissent. *Nam & scriptura*, &c. Narrat factum ipsum.

106. 4. Hîc enim nomen mulierum Græcum vxores iapir, quia de nuptiis mentio est. Cùm ergo filias hominum dicit, manifestè virgines portendit, quæ adhuc apud parentes deputarentur: nam nuptæ maritorum nuncupantur, cùm potuerit dixisse vxores hominum æquè. Nec adulteros nominans Angelos, sed maritos, dum in nuptas sumunt filias hominum, quas natas suprà dixit; sic quoque virgines significauit: Suprà natas, at hîc Angelis nuptas; aliud eas nescio quàm natas, & dehinc nuptas.

107. 4. Post narratam historiam Geneseos, probat ex illa quod vult. *Hîc enim nomen mulierum*, &c. Reddit priùs rationem cur verterit, *acceperunt sibi vxores*, quia scilicet in Græco est γυναῖκας: quæ vox nimirum γυνὴ significat & in communi *mulierem*, & speciali *vxorem*. Ergo ait, γυναῖκας verti *vxores*, quia hic est

sermo de nuptiis. *Cùm ergò filias hominum*, &c. Iam ad rem. Sententia facilis non est. Ego sic explico. In historia Geneseos narrata superiore tractu, aduertis tres esse propositiones. Prima est, hominibus *filias* esse *natas*. Hæc ponitur & ad narrationem integræ historiæ, & seruiet etiam extremæ conclusioni. Altera est, filios Dei conspicatos esse *filias hominum quòd essent pulchræ*. Ex hac propositione colligit intelligi virgines: hunc in modum: Cùm scriptura dixit visas *filias hominum*, & *potuerit æquè* dicere visas *vxores*, *manifestè portendit virgines quæ deputarentur apud parentes*. Probat. nam *nuptæ maritorum sunt*, non parentum. Tertia est, *accepisse sibi vxores*. Ex hac colligit idem quod ex superiore, hunc in modum: *Nec nominans Angelos adulteros, sed maritos*, scilicet *dum sumunt filias hominum in nuptas*, id est, in vxores; *sic quoque quas suprà natas* dixit, manifestè esse *virgines significauit*. Ita mihi visum, fulcra dabo in Notis, ita tamen vt cum aliis non pugnem, si aliter velint explicare *suprà natas*, &c. Verissima conclusio. Dicit enim Tertullianus, cùm suprà in prima & secunda propositione lego *natas* & *filias*, & infrà, id est, in tertia propositione lego *vxores*, ego aliter non possum capere quàm cum filiabus illos Angelos nuptias contraxisse.

108. 5. Debet ergò adumbrari facies tam periculosa, quæ vsque ad cœlum scandala iaculata est, vt cum Deo assistens, cui rea est Angelorum exterminatorum, cæteris quoque Angelis erubescat: & malam illam aliquando libertatem capitis sui comprimat, iam nec hominum oculis offerendam. Sed etsi contaminatas iam fœminas Angeli illi appetissent, tanto magis propter Angelos virgines velari debuissent, quanto magis propter virgines Angeli deliquisse potuissent.

5. *Debet ergò*, &c. Colligit necessariam virginibus tectionem. *Cum Deo assistens*, Hellenismus ὡ θεῷ. *Cui*, id est, Deo. *Cæteris quoque Angelis*, id est, aut bonis Angelis, vt explicant Theodoretus & Chrysostomus; aut Sacerdotibus, vt Hieronymus; aut Episcopis, vt Ambrosius. Vide interpretes reliquos in locum Pauli 1. Corinth. 11. *Malam illam aliquando libertatem*, id est, cùm occasionem dederunt Angelorum ruinæ. *Nec hominum oculis offerendam*, quia si lapsi Angeli, quid faciet hominum fragilitas? *Sed etsi*, &c. Conficit hoc argumentum: Esto Angeli non appetiuissent virgines, sed nuptas, non inde excusantur virgines à velamine, nam istæ maiori ex se inuitamento sunt ad libidinem.

109. 6. Si autem & naturæ præiudicium adiicit Apostolus, quòd honor sit mulieris
1. Cor. 11. redundantia capillorum, quia coma pro operimento est: vtique hoc maximè virginis insigne est, quarum & ornatus ipsa propriè sic est, vt concumulata in verticem, ipsam capitis arcem ambitu crinium contegat.

6. Quinta & vltima ratio æqualitatis inter mulierem nuptam, & virginem, ex verbis Apostoli istis, *Nec ipsa natura docet vos, quòd mulier si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt?* Quo loci Paulus *præiudicium naturæ* aduocat. Ergò si nupta debet operiri vel argumento comæ, quam natura ipsa docet nutrire; certè & virgines: nam coma est *insigne* earum maximum; imò ita *propriè* coma illarum *est ornatus*, *vt* vulgo visatur *concumulata* conglobatáque *in verticem* contegere *ambitu crinium capitis arcem*, id est, verticem ipsum.

NOTÆ.

110. 1. CONVERTAMVS.] Alij, *conuertamur*, A sed lectio Tertulliani verè est *conuertamus*, vt suprà, *conuertit*.

2. SÆCVLVM ÆMVLVM DEI.] Vide vt explicui. neque verò assentiri possum Pamelio arctanti morem hunc ad Christianismum: tum quia sæculum in Tertulliano sæpissimè de Gentilibus, & cum oppositione ad res Dei: tum quia ista naturæ inuersio, qua virgines exhibebantur tonsæ, pueri intonsi, viguit etiam apud Gentiles. Porrò de lasciuia qua pueri intonsi habebantur in deliciis, iam ego in Æneidem primam Virgilij ad exitum, & res passim nota, ideo omitto. Vsus verò quo puellæ tonsæ exhibebantur, satis allucet ex Concilio Gangrensi cap. 17. vbi scribitur: *Si qua mulier propter diuinum cultum (vt æstimat) crines attondeat, quos ei Deus ad subiectionis materiam tribuit, tanquam præceptum dissoluens obedientiæ, anathema sit.* Non enim hoc reprehenderet Concilium, nisi in more recepto fuisset. De hoc masculorum & fœminarum inuerso ordine lege Xenophontem in Oeconomico, vbi hoc qui faciunt ἀνακτοποιοῦντας nominat. Eandem rem ita grauiter reprehendit Clemens lib. 3. Pædag. cap. 3. πάντα μετακεκίνηκεν ἡ τρυφὴ, κατήχμισε τὸν ἄνδρωπον. ἀζεσθίαντος πεπεργία πάντα ζητεῖ, πάντα ὀπλοχαρεῖ, βιάζεται πάντα, σωλήχει ἡ φύσιν, τὰ γυναικῶν οἱ ἄνδρες πεπόηκαν, ἡ γυναῖκες ἀνδρίζονται περὶ φύσιν: *Omnia immutauit luxus, hominem probro ac dedecore affecit: mollis & luxuriosa ac superflua curiositas quærit omnia, aggreditur omnia, naturam comprimit, homines patiuntur muliebria, & fœmina præter naturam viros agunt.* Sed de hac peruersitate illustrissimus est locus ad Petrum Episcopum Alexandrinum, cuius epistolam inseruit historiæ suæ Theodoritus lib. 4. cap. 20. vbi loquens de hæreticis Arrianis, exhibet παῖδα τὸν ἄῤῥενα φύσιν ἐκφηναμένον, καὶ τὸν γυναικείαν ποθήσαντα, στιβῇ τε τὸ μελαμμένον τῶν ὀφθαλμῶν διαχρισάμενον, καὶ φύκει τὰς ὄψεις ἐρυθριάσαντα: *Puerum masculum, qui sexum virilem negauerat, & muliebrem sibi affinxerat, quique oculos habebat stibio oblitos, & vultum rubentem fuco.* Expende, illum accceperunt *sibi* vxorem, sibi, inquam, nam dominante libidine coëundi. Vide Augustin. 15. de Ciuit. Dei cap. 23.

2. CÆSVM CAPILLVM.] Id est, tonsum. Sic de cultu fœmin. *Barbam acriùs cædere.* 111.

2. MENTITVR.] Legit Latinius *metitur*, non placet.

2. PROMISSVM.] Placuit hæc Latinij lectio, quam & alij iam sequuntur. In vulgatis est per-

missum. In pueris hoc certum est, sed & in sene ait Heliodorus lib. 2. Histor. Æthiop. *ἡ κόμη πρὸς τὸ ἱερώτερον κατῆτο : Comam sacro quodam ritu promissam habuit :* Contrà cæsus capillus ignominiosum fuit. Prochorus in vita sancti Ioannis cap. 10. ait, Domitiani iussu Ioannem immergendum feruenti oleo à Præside Romano, *flagris crudeliter cædi, crinémque capitis ad ignominiæ notam deponere.*

2. SI GLORIA VIRI EST MVLIER.] Ambrosius dixit, esse *portionem.*

112. 3. POTESTATEM.] In Græco ἐξουσίαν. *Velum* enim dicitur *potestas*, quasi vel ipso nomine indicetur mulier esse sub alterius potestate.

3. VEL EO IVSTIVS VIRGO.] Arripuit sententiam hanc Cyprianus de disciplin. & hab. Virg. vbi: *Timeat potiùs placere si virgo est, nec periculum sui appetat, quæ ad meliora & diuina se seruat.*

3. TALES ANGELOS.] Editio secunda Rhenani, *quales Angelos*, maiori Emphasi. Non placet B idem, qui in prima editione corigit aut *rivalis*, aut *rualis* à ruendo. De hoc paradoxo vide lib. de Hab. mulieb. cap. 2.

3. MACVLATA IAM CORPORA.] Illustrabis ab his quæ dixi lib. 1. ad vxorem cap. 4. vbi de actu carnali coniugum dicit *contumeliam.*

3. QVARVM FLOS.] In editione prima Rhenani est *quorum flos*, quam lectionem defendit Iunius, vt dicat Auctor, Angelorum flos, id est, conditio florentissima & præstantissima facit vt tolerabilior in hominibus libido esse videatur. Sed non placet, quia editiones omnes ante Rhenanum, & libri scripti manu suadent lectionem, quam ego sequor. Mitto Pamelium, Barræum, alioque, qui omnes legunt *quarum.*

113. 3. FLOS.] Elogium proprium Virginum. Cyprian. de disciplin. & hab. virg. *Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Et adhuc: *Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas.* Cassian. Collat. 10. cap. 9. *Suaue olentes flosculos castitatis.* Sed & Ambros. lib. 3. de Virginib. vbi comparat Ecclesiam agro diuersis fœcundo copiis, cùm *syluas* antiquitate sua spectandas det *viduitati*, ob grauitatem huius status; & *segetem coniugio* replenti horrea terrarum; vni *virginitati* dat *germina flore vernantia.* Contrà idem lib. de exhortat. ad Virg. ait de ea quæ amisit virginitatem, *cum vsu coniugij iuuencula defloratur.* Mitto Æschylum, qui αὖθος Πιερῶν, & αὖθος Ἀργείων. Et Tyrtæum, qui ἥβης ἀγλαὸν αὖθος: *Florem Persarum, florem Arginorum, pubertatis pulchrum florem:* Et mille alios, quos in hunc chorum possem inducere, qui *floris* nomine vtuntur, ad proferendum id quod florentissimum est in quaque re.

114. 3. HVMANAM LIBIDINEM EXCVSAT.] Iunius explicat, excusari libidinem hominum à facto Angelorum, sed κατάχρ, id est, quodammodo. Nam si rigidè capias, nulla est peccati excusatio. Idem sentit Barræus, imò addit, mitiùs leges agere cum eo qui pulcherrimæ vitium intulerit, quàm qui deformi. Nam & sic Troiani excusant Paridem apud Homerum, videlicet ob eximiam pulchritudinem Helenæ, & maluerunt perire, quàm reddere. Videatur Quintilian. lib. 8. cap. 4. Pamelius ad Lectionem hanc exhorrescit, nec putat aut Christiani, aut Iurisconsulti: non Christiani, quia corruptio virginis ita graue est flagitium, vt excusari non debeat: non Iurisconsulti, cùm non ignoraret Tertullianus, virginis defloration legibus ciuilibus interdictam: inde ergò Pamelius legit *excusat*, contra Codicum omnium fidem; & quid sit *excusat*, non explicat. Ego veterem lectionem retinui, & *excusat* explicui, fugit, vitat, respuit, renuit, nescit, horret. q. d. *excusat*, id est, facit ne exsistat libido: quę locutio Hispanica est, dicimus enim, *escusar gastos, pendencias, liuiandades.* Et *escusarse de hazer algo*, est fugere, & renuere: quo sensu locutus Paul. ad Heb. 12. *Excusauerunt se, ne eis fieret verbum.* Nam Græcè παρῃτήσαντο. Est enim παραιτέομαι, *auersor, vito, amolior, repudio, deprecor.* Sed nec hæc locutio incognita est Latinis. Quintilianus enim: *Excusares mare & ambiguos flatus.*

3. PLVRES FIERI.] Vulgaris vertit *multiplicari.* Sed Tertullian. ad verbum ex Græco, vbi πολλοὶ γίνεσθαι.

4. CVM ERGO FILIOS HOMINVM DICIT, &c.] Locus iste perplexus est admodum ex infinita interpunctionis varietate, in nullo enim Codice aut cuso, aut scripto ea est conformis. Huius rei tu ipse lustrator eris, ne ego, si omnes repræsentem, operam perdam. Non minor varietas in lectionibus. In vulgatis Pamelij est: *Non adulteros, innuptas, significans.* Reposui *nec adulteros* ex scripto Codice: *in nuptas* ex coniectura, ita vt vox sit duplex: demum *significauit* ex prima editione Rhenani. Vocula *æquè* variè annectitur iam superioribus, vt à Pamelio & ab Rhenano in prima & secunda editione; iam inferioribus, vtrà Iunio. In hac lite secutus sum Pamelium & Rhenanum; si enim inferioribus annectam, video tautologiam, nam *æquè*, & *sic quoque*, idem est. Iam verò extrema illa, *suprà natas, at hic nuptas*, &c. non minora habent dissidia in interpunctione, nam alij continuant cum superioribus, alij inde incipiunt periodum. In his omnibus & punctionibus & lectionibus liberam tibi viam relinquo, ego mihi non aliter satisfacio nisi vt punxi, vt legi, vt explicui. 115.

5. DEBET ERGO ADVMBRARI FACIES TAM PERICVLOSA.] In hanc sententiam ita loquitur Cyprian. lib. de disc. & hab. virg. *Cæterùm si tu sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspiranti fomenta succendas, vt & si ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excusari non potes quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas, & virgines Christi, quæ sic viuis vt possis adamari.* Satis indicat istis quod sit periculum in facie virginis detecta. Clemens Alexan. lib. 3. Pædag. cap. 2. κάλλος vocat μοιχικὸν, quia pulchritudo incitamentum est ad adulterium. Et cap. 5. τούτῳ καθάπερ δελέατι ἀγκιστρεύουσιν τοὺς ἀθλίους: *hac veluti esca irretiunt miseros.* Et adhuc iterum ait, conandum, φυλάττεσθαι ταῖς ὄψεσι τὰς ὀλισθηρὰς: *effugere aspectum lubricum*, id est, periculosum. Et cap. 11. eiusdem lib. ἡ οὔποτε αὐτὴ σφαλήσεται περὶ τὸν ἔμματον τὸν αἰδῶ καὶ τὸν ἀμπιχόνιον θεμένη, οὔτε ἄλλον εἰς ὄλισθον ἁμαρτίας ἐκκαλέσεται, τὸ πρόσωπον ἀποκαλυψαμένη: *Ipsa nunquam labetur si & verecundiam & vestem ante oculos posuerit, nec ad peccati lapsum prouocarit alium denudans vultum suum.* Inde Hieronym. in epist. ad Marcellam absolutè dixit, *velatarum virginum*, quasi velamen vnicè conueniat virginibus. Et ad Eustoch. sub persona virginis: *obducto velamine ora contexi*, quasi hæc vnica nota virginalis verecundiæ.

5. VT CVM DEO ASSISTENS.] Iunius 117.
rescribit *cùm*, non placet, quia oratio hiulca pendet: puto esse præpositionem, & Tertullianum defendo Hellenismo. Græci enim passim, σὺν Θεῷ, *cum Deo.* Spectat verò ad locum Pauli 1. Corinth. 11. qui mulieres vult velari cùm orant.

6. HONOR SIT MVLIERIS REDVNDANTIA CAPILLORVM.] Petron. Satyr.

Quod solum formæ decus est, cecidere capilli,
Vernantésque comas tristis adedit hyems.

Ambros. lib. 6. Hexam. *Tolle arboris comam, arbor ingrata est: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flaccessit.* Si id verum generaliter, specialiùs certè in fœminis.

118. 6. QVIA COMA PRO OPERIMENTO EST.] Neque contra hoc, neque contra ea quæ scripta sunt in hoc cap. ex Apostolo de incæduis capillis fœminarum, est mos Ecclesiasticus, quem attingit Hieronymus in epist. ad Sabinianum: *Moris est in Ægypti ac Syriæ monasteriis, vt tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea, contra Apostoli voluntatem, incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato.* Non (inquam) hic mos contra decretum Pauli, nam vt vides, etiamsi secentur capilli, velatur tamen caput. Inde & hodie apud nos in vsu est, vt moniales A cùm adeunt septa monasterij, tondeantur, quasi iam loco capillorum succedat velamen.

6. QVARVM ET ORNATVS IPSA PROPRIE, &c.] In vulgatis legitur, *quarum & ornatus ipse propriè*, quæ sententia non satis apta. In editione prima Rhenani est, *quare & ornatus ipse propriè.* Ego secutus sum Codicem scriptum manu, ex fide Vvoueren. quia ita video Lectionem esse concinniorem.

6. CONCVMVLATA IN VERTICEM.] Est hoc quod de Sardanapalo Maximus Tyrius, λόγῳ οὐδ'. πλὴν χαίτῃ διαπεπλεγμένον. Diodor. Siculus de Gallis veteribus lib. 5. ταῖς τρίχας ἀπὸ τῶν μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν καὶ τοὺς τένοντας ἀναπτύσσειν: *Capillitium à fronte in verticem, & in ceruices renocant.* Apul. lib. 1. *Capillus pone versùm coactus.* Iterum: *Crines conglobatos in summum verticem nodus adstrinxerat.* Plura his Marcil. ad Amphit. Martialis. De lectione moneo esse cui placeat legere vt *coma cumulata*, sed nihil muto. 119.

CAP. VIII. ARGVMENTVM.

Vir vocabulum generale sexus melioris, vt mulier sequioris.

TERTVLLIANVS.

120. 1. HORVM certè omnium contraria efficiunt, ne vir caput velet: scilicet quia non sit naturaliter consecutus ambitionem capillorum, quia radi siue tonderi non sit turpe illi, quia non propter illum Angeli exorbitarint, quia gloria & imago Dei sit, quia caput eius Christus.

EXPLICATIO.

1. RAtiones quinque cur vir non debeat caput velare, oppositæ totidem superioris capitis, quibus probauit velandas mulieres. *Quia non sit consecutus ambitionem capillorum*, hæc opponitur quintæ de *redundantia capillorum* in fœminis. *Quia radi*, &c. hęc secundæ, *Si mulieri turpe est radi*, &c. *Quia non propter illum Angeli*, &c. hæc quartæ, *Si enim propter Angelos*, &c. *Quia gloria & imago Dei sit*, hæc tertiæ, *si gloria viri est mulier*, &c. *Quia caput eius Christus*, hæc primæ, *si caput mulieris vir est*, &c. Rationes istæ vt plenè capiantur, legendi interpretes Apostoli 1. Corinth. 11. Hic porrò tractus clarè tibi indicat verba illa superioris capitis, *Si mulier ex viro & propter virum*, &c. accipienda vt ego accepi.

121. 2. Itaque cùm de viro & muliere Apostolus tractet, cur illam oporteat velari, illum verò non, apparet cur & virginis silentium fecerit: eadem ratione scilicet virginem in muliere intelligendam sinens, qua & puerum, vt in viro deputandum, non nominauit; totum ordinem vtriusque sexus propriis vocabulis complexus, mulieris & viri.

2. Apostolus *virginem* in velamine non nominauit, quia intellexit illam sub *muliere*: sicut nec in detectione *puerum*, quia intellexit illum sub *viro*. Nam propria vocabula vtriusque sexus sunt *vir* & *mulier*.

122. 3. Sic & Adam adhuc integer, vir in Genesi est cognominatus: Vocabitur, inquit, mulier, quia de viro sumpta est. Sic vir Adam, ante nuptiarum congressum, quemadmodum & Eua, mulier. De vtraque parte satis ad vniuersam speciem cuiusque sexus Apostolus pronuntiauit, & breuiter & plenè tam instructa definitione, Omnis, inquit, mulier. Quid est omnis? nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis? Siquidem omne totum est, & integrum, & nulla sui parte defectum. Pars autem mulieris & virgo est. Æquè & de viro non velando, Omnis, inquit. Ecce duo diuersa nomina Vir & Mulier, Omnis vterque. Duæ leges obnoxiæ inuicem, hinc velandi, inde nudandi.

3. Rem totam perspicuam facit ex verbis Geneseos, quibus conformat verba Apostoli. Clara omnia. Percurro quædam. *Adhuc integer*, id est, adhuc virgo. *Ad vniuersam speciem*, scilicet contentam hinc in viro, inde in fœmina. *Instructa definitione*, plena, & munita. *Omnis generis*, &c. *Genus* respicit varios status mulierum, vt viduam, nuptam, virginem; nam has suprà vocauit *species*, respectu mulieris: *Ordo*, Senatorium,

Equestrem Plebeium: *Conditio*, qualitates ingenuitatis & seruitutis: *Dignitas*, varios gradus claritudinis ex diuersis officiis in Repub. *Aetas*, varios gradus æui, vt puellam, adolescentulam, nubilem, &c. *Defectum*, deficiens. *Pars autem mulieris*, id est, species, vt dicerent Dialectici: Rhetores *partem* dicunt. *Duæ leges obnoxiæ inuicem*, sibi contrariæ. Hoc simplicius, & verius, quàm nescio quid de fœdere interpres quidam.

123. 4. Igitur si eo quòd dictum sit omnis vir, commune est nomen viri, etiam nondum viri masculi inuestis: commune autem cùm sit nomen secundùm naturam, communis est & lex non velandi eius, qui inter viros virgo est secundùm disciplinam: cur non præiudicatum sit proinde & mulierem virginem omnem muliere nominata contineri consortio nominis, vt contineatur & communione legis?

4. Efficit argumento *viri* communis vocabuli, vt eadem sit vis vocabulo huic *mulier*, vt etiam communi *inuestis*, id est, impuberis, imberbis. Et eundem statim vocat *virginem*, cùm ait, *qui inter viros virgo est*. Verba sic coniungo, *commune est nomen viri, etiam masculi inuestis nondum viri*. Illud *secundùm disciplinam* est secundùm Christianam legem, normam, doctrinam seuerè & constanter seruandam. *Præiudicatum sit*, scilicet quæ dicuntur de viro, deseruiunt mulieribus præiudicio quodam. *Consortio nominis*, &c. Efficit hoc argumentum. Cur non virgo contineatur *consortio nominis* mulieris, vt ita scilicet contineatur quoque eadem communi lege? quasi nimirum lex communis velandi sequi debeat nomen commune.

124. 5. Si virgo mulier non est, nec vir inuestis est. Si non operitur virgo, quia mulier non sit, operiatur inuestis, quia vir non sit. Eiusdem virginitatis æqua sit venia. Sicut virgines non coguntur velari, ita pueri non iubeantur reuelari.

5. Arguit à contrario. Nam si virgo non dici potest *mulier*, nec etiam imberbis poterit dici *vir*. Clara omnia sunt.

125. 6. Cur ex parte definitionem Apostoli agnoscimus absolutam circa omnem virum, nec detractamus quare non & puerum nominarit: ex parte autem præua-
1.Cor. 11. ricamur, æquè absoluta ea circa omnem mulierem? Si quis, inquit, contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Ostendit contentionem aliquam de ista specie fuisse, ad quam extinguendam toto compendio vsus est: neque virginem nominans, vt ostenderet dubitandum de velanda non esse, & omnem nominans mulierem, eum nominasse virginem. Sic & ipsi
1.Cor. 2. Corinthij intellexerunt. Hodie denique virgines suas Corinthij velant. Quid docuerint Apostoli, qui didicerunt, approbant.

126. 6. Arguit hîc quoque à contrario, sed ex definitione Apostoli. *Nec detractamus*, id est, nec tractamus, imò potiùs acquiescimus. Hæc scilicet includit hoc verbum. *Præuaricamur*, id est, deflectimus ab officio nostro, & omnia peruertimus. Verbum est iuris. *Absoluta ea*, est in vltimo casu. *Si quis contentiosus est*, &c. Verba sunt Apostoli 1. Corinth. 11. vbi ponit verba ista postquam definiuit detegendum virum, tegendam mulierem. *Ostendit contentionem aliquam*, &c. Explicat verba Apostoli. Satis (inquit) ostendit Apostolus, cùm hæc scripsit, litem de hac specie, id est, quæstione, tunc fuisse, quam vt exstingueret aboleretque, vsus est voce quàm potuit compendiosa, nam *omnis mulier* qui dicit, omnes status conditionésque mulieris dicit. *Neque virginem nominans*, &c. Vim huius rationis intelligo hanc esse: si Apostolus diceret speciatim, *velentur virgines*, eo ipso ostenderet agitatam tunc hãc quæstionem cum fauore aliquo inclinante ad detectionem virginum: hunc aliquando fauorem in sententiam illam vt neget fuisse, noluit virginem nominare. *Et omnem nominans*, &c. Quia scilicet nominata muliere, virgo qnoque nominatur. *Sic & ipsi Corinthij intellexerunt*. Magnum hoc argumentum contra pugnantes. *Quid docuerint Apostoli*, &c. q. d. nulli locupletiores testes.

NOTÆ.

127. 1. NE VIR CAPVT VELET.] Hanc partem A do verbis Paulini, epist. 4. ad Seuerum: *Et opportunè ad gratiam tempus & species libertatis tonsori in promptu est, quò nos & prolixiore capitis velamento leuet, vt gratiæ spiritalis beneficium etiam corporalis fama testetur. Fœminis tantùm comam Apostolica reliquit auctoritas: quia etsi ipsis vna nobiscum fides velamentum cordis amouet, tamen tegumentum capitis, & frontis vmbraculum verecundiæ decus postulat: & ideo perfectus fidei ac disciplinæ magister docet indecorum viro crinem, quia abscondi non potest caput viri Christus, quod est & illa supra montem ædificata ciuitas, in Ecclesia quæ corpus est Christi. Itaque viro dedecus, fœmina decus est.*

1. AMBITIONEM CAPILLORVM.] Vsos 128.
hac locutione Senecam & Plinium testificatur Iunius. Est hoc quod superiore capite *redundantia capillorum*. Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 3. ita rem hanc: ὁ δὲ Θεὸς πᾶσι μὲν γυναιξὶ λεῖαν εἶναι βούλεται τὴν κόμην μόνη, ὥσπερ ἵππον τῇ χαίτῃ χαιρούσαν: *Deus enim voluit fœminam esse glabram, sola tantùm coma, sicut equum iuba sponte naturæ exultantem.* Et cap. 11. eiusdem lib. vocat hanc ambitionem elegantem: πᾶσι ὑπερβολὴ τῆς κόμης: *hyperbolem comæ.*

2. PVERVM IN VIRO DEPVTANDVM.] 129.
Præter argumentum, quo id probat Tertullianus, esse quoque efficax potest, hanc vocem *vir* sumi pro membro genitali masculorum, vt notarunt Meursius

in Arnobium, & Taubmannus in Plautum.

3. SIC ET ADAM.] Ita in bonis Codicibus, & hoc γνήσιον Tertulliani, qui sæpè & pro etiam. Itaque qui, *sic etiam Adam*, non ita probè. Alij, *sic Adam etiam*.

3. INTEGER.] Vox hæc iam hæsit virginibus, ita contrà Cæcilius, *hymenem virginis deintegrare*.

3. VOCABITVR, INQVIT, MVLIER, QVIA DE VIRO SVMPTA EST.] Transtulit ita, quia semper lectitabat Græcum Codicem, atqui in hoc αὕτη κληθήσεται, γυνή. Est autem γυνὴ, *mulier*. Sed non dubium, quin aptiùs in vulgari interprete, *vocabitur virgo*, cum aspectu scilicet ad Hebræos, quibus *is* est, vir, & *issa*, mulier. Sic ab Latinis dicuntur *vir*, & *vira*, inde *viræ querquetulanæ*, de quibus nos in Virgilium. Pagnino placuit *viriſſam* reponere pro viragine. Symmachus (vt scribit Hieronymus lib. de tradit. Hebr. in Genes.) æmulans credo *virum* & *viram* aut *virginem* Latinorum, scripsit Græcè, ipsa vocabitur ἀνδρεὶς, quia scilicet sumpta sit, ἐκ τοῦ ἀνδρὸς.

130. 4. MASCVLI INVESTIS.] Olim in vsu *vestis* pro barba. Lucret. lib. 5.

--- impuberem molli pubescere veste.

Seneca Tragicus in Oet.

Nondum teneras vestite genas.

Claudian. Paneg. Olib.

Oràque ridenti lanugine vestiat ætas.

Inde ergo *inuestis* cui nondum barba, qua voce vsus A Palladius & alij. Huic opponitur *vesticeps* ab Apuleio. Verba eius: *Inuestem à nobis accepisti, vesticipem illico reddidisti*. Macrob. lib. 7. Saturnal. cap. 7. *Et pubes & genæ, & aliæ partes corporis vestiuntur*. Plura his ego in lib. 8. Æneid. Quamuis autem hæc vera sint, & dici propriè queant de barba, sed non dubium quin dicantur cum aspectu ad succrescentem lanuginem & pilos ea parte qua viri sumus.

6. DETRACTAMVS.] Hoc verbum in Tertulliano est non solùm tractare, sed perfectè & consummatè tractare. Inde lib. 2. ad Vxorem cap. 2. *Detractata & exerta sententia est*. Vide ibi.

6. EVM NOMINASSE.] Correxit Iunius *connominasse*, nec malè. Latinius verò ita: *Et omnẽ nominans mulierem cum ea nominasset virginem*. Accipe vtram velis vt necessariam, quia vulgaris lectio hæc, *Et omnem nominans mulierem, cùm nominasset virginem*, ferri vt possit, non video. Ego aptiùs Iunio & Latinio correxi *eum*, & *nominasse* pro *nominasset*. Aptiùs (inquam) quia *eum* & *cùm* viciniores sunt, & facilior fuit scribentis lapsus. Et vt pergam in coniectando, totum hoc ita scriberem: *Et omnem nominans mulierem, eum nominasse virginem, sicut ipsi Corinthij intellexerunt: hodie namque virgines suas Corinthij velant*. Sed hoc ad abundantiam tantùm. Nam illud *sic* & ferri optimè potest, vt etiam *denique* pro itaque, vsu frequentissimo Tertulliani. 131.

CAP. IX. ARGVMENTVM.

Reliqua Ecclesiastica disciplina virginibus competit, vt cæteris vniuersim fœminis.

TERTVLLIANVS.

132. 1. VIDEAMVS nunc, an sicut naturæ & causæ argumenta virgini quoque competere monstrauimus, ita etiam disciplinæ Ecclesiasticæ præscriptæ de muliere in virginem spectent.

EXPLICATIO.

1. PRimum de natura probauit capitibus quinto & sexto; alterum de causa, septimo & octauo. Nunc in isto vult probare cæteram Ecclesiasticam disciplinam communem quoque esse virginibus & mulieribus aliis, vt inde luculentiùs patescat communio vocabuli.

133. 2. Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere,
1. Cor. 4. nec offerrè, nec vllius virilis muneris, ne dum sacerdotalis officij sortem sibi vendicare. Quæramus an aliquid horum virgini liceat. Si virgini non licet, sed in omnibus eadem conditione subiicitur, & necessitas humilitatis cum muliere censetur; vnde illi vnum hoc licebit, quod omni fœminæ non licet?

2. En disciplina Ecclesiastica quæ seruanda mulieribus. *Loqui*, ita iubet Apostolus 1. Corinth. 14. *Sed nec docere*, hoc præcipit 1. Timoth. 2. *Nec tinguere*, scilicet in Ecclesia, vt præmisit; nam extra illam potest mulier baptizare exigente necessitate. *Nec offerre*, id est, nec missam celebrare. Sequor Rhenanum & Pamelium. *Nec vllius virilis muneris*: verbi gratia: Mulier non potest sacrificio missæ ministrare, quod potest puerulus. Ita de aliis officiis virorum in Ecclesia, vt sunt fumigatio circa altaria, &c. In Notis aliter de hoc loco. *Ne dum*, id est, multo minùs. *Sacerdotalis officij sortem*. Alludit ad vocem κλῆρος, quæ est *sors*. q. d. si non licent prima illa, *loqui, docere, tinguere*; multo minùs *offerre*, quod pertinet ad sortem sacerdotum. *Quæramus*, &c. Accipio ironicè. Non enim quærit, imò supponit, vt patet ex sequentibus. Ergo ait: scilicet quæramus an ista liceant virgini; ociosè quæremus. *Vnum hoc*, id est, reuelari. *Omni non*, id est, nulli.

134. 3. Quid prærogatiuæ meretur aduersus conditionem suam, si qua virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit? Idcirco velaminis venia fit illi vt in Ecclesiam insignis, & notabilis introeat, vt honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat? Potuit digniùs honorari aliqua prærogatiua virilis aut gradus, aut officij.

3. Adiungit deformitatem, quæ ſequitur, ſi virgini concedatur eſſe inuelatam. *Quid prærogatiuæ*, &c. Sententia eſt, prærogatiuam detectionis in aliqua virgine eſſe merè contra *conditionem* virginitatis. Nam quale eſt, vt quæ *carnem ſuam ſanctificauit* Deo, detecta eſſe velit, conſpicique ab hominibus? Dilatat hoc ſequenti periodo. *Idcirco*, &c. ſed ita vt reſpondeant membra membris hunc in modum: Quia *virgo* eſt, idcirco *velaminis venia ſit illi, vt in Eccleſiam notabilis & inſignis introeat?* Quia *carnem ſuam ſanctificare propoſuit, idcirco velaminis venia ſit illi, vt honorem ſanctitatis in libertate capitis oſtendat?* Illud *venia velaminis ſit*, eſt, ideóne poteſtas copiáque adimendi velaminis ſit virgini, vt, &c. *Potuit dignius*, &c. q. d. indigniſſima erit hæc prærogatiua, vt quæ contra pudorem virginum; *dignius* dari illis poterat alia *officij aut gradus virilis*, quæ non contra pudorem. Sed hæc ironicè capienda, non enim vult licere virgini tale quiddam virile.

135. 4. Planè ſcio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam. Cui ſi quid refrigerij debuerat Epiſcopus, aliter vtique ſaluo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monſtrum, in Eccleſia denotaretur. Virgo vidua hoc quidem portentuoſior, quòd nec quâ vidua caput texit, vtrumque ſe negans, & virginem quæ vidua deputetur, & viduam quæ virgo dicatur. Sed ea auctoritate illic ſedet intecta qua & virgo.

4. Occaſione præhabiti ſermonis, narrat priuilegium, quod ab Epiſcopo quodam datum eſt cuidam virgini contra diſciplinam Eccleſiaſticam. Et quia contra hanc, ideo appellat *monſtrum*. *Alicubi*, in Africa credo, ſed noluit nominare parcens Epiſcopo. *In viduatu*, legenda Acta Apoſtolica cap. 6. & 1. Timoth. cap. 5. Tametſi putem locum Actorum ad rem Tertulliani non pertinere. *Collocatam*, vt ſcilicet aleretur eleemoſynis viduarum. *Virgo vidua*, id eſt, virgo inter viduas. *Hoc quidem portentuoſior.* Cur *portentuoſior*? quia *nec quâ vidua caput texit.* q. d. portentum fuit, quia vt *vidua* quoque fuit detecta. *Vtrumque ſe negans*, &c. Dicebat ſcilicet, non ſum *virgo*, quia inter viduas: nec *vidua*, quia verè ſum *virgo*. Ergo vt non virgo, poſſum ſedere inter viduas: vt vidua poſſum eſſe intecta. Euertit hoc Tertullianus, ſubiiciens, *ſed ea auctoritate*, &c. q. d. Vtrumque contra auctoritatem eſt, & Chriſtianam diſciplinam. Poſt verba *qua & virgo* ſubaudi *illic ſedet*, vt dicat: *ea auctoritate* qua ſedet intecta, ſedet quoque illic virgo inter viduas. Id eſt, & ſedere intectam, & ſedere virginem inter viduas, nulla fit auctoritate.

136. 5. Ad quam ſedem præter annos ſexaginta non tantùm vniuiræ, id eſt, nuptæ,
1. *Tim.* 5. aliquando eliguntur, ſed & matres, & quidem educatrices filiorum: ſcilicet, vt experimentis omnium affectuum ſtructæ, facilè norint cæteras conſilio, & ſolatio iuuare, & vt nihilominus ea decucurrerint, per quæ fœmina probari poteſt. Adeò nihil virgini ad honorem de loco permiſſum eſt.

137. 5. Vt probet monſtrum illud fuiſſe, adhibet conditiones earum quæ collocandæ in ſtatu viduarum. Hæ quatuor, ſcilicet *anni ſexaginta, vniuiratus, maternitas, educatio filiorum.* Ratio harum conditionum, *ſcilicet vt experimentis*, &c. Inde concludit, *Adeo nihil virgini*, &c. Percurro. *Præter annos ſexaginta.* Eſt hoc quod Apoſtolus 1. Timoth. 5. *Non minùs ſexaginta annorum*: Ergo *præter*, id eſt, vltra hos annos. *Nuptæ aliquando*, ita explicat vniuiratum, nam quæ nupſit *aliquando* (Hiſpanè, *alguna vez*) & vni tantùm viro, ſemel tantùm nupſit. *Sed & matres & quidem educatrices filiorum*, quia Apoſtolus inter alias conditiones, hanc quoque, *ſi filios educauit.* Ergo integra ſententia eſt: *Non tantùm eliguntur vniuiræ, & vltra annos ſexaginta; ſed & matres, & educatrices.* Quia ſcilicet duæ primæ conditiones non pugnant contra virginitatem; non ætas, vt clarum: non nuptiæ: nam poteſt quæ nupſit, virgo eſſe ex pacto perpetuo cum ſponſo. Ideo in narrando ſeparat Tertullianus, cùm ait: *Sed & matres*, &c. Quia hæ poſtremæ conditiones pugnant neceſſariò contra virginitatem. *Et vt nihilominus.* Paulus quippe alias dedit conditiones. Ideo ergo *nihilominus*, quia ſaltem neceſſariæ iſtæ, quas numerauit. *Adeò nihil virgini*, &c. q. d. vt virgo ſedeat inter viduas, collocetúrque, nihil illi fauet, nam neque eſt mater, neque educauit. *Ad honorem de loco*, id eſt, nihil poteſt ſibi virgo blandiri *ad honorem de loco* viduarum, cùm ſibi locus ille non competat. Neque verò hoc dicit, quia locus viduarum hanc habeat veniam, verè enim tegi debent vt reliquæ mulieres: ſed virgo illa, ne tegeretur, vtebatur prætextu hoc, nimirum quòd eſſet inter viduas.

NOTÆ.

138. 1. SPECTENT.] Alij *ſpectant*, ſed potior hærens lectio.

2. NEC DOCERE.] Conſimilia hæc Auguſtini in Quæſtion. ex vet. Teſt. quæſt. 45. loquentis de fœmina: *Nec docere poteſt, nec teſtis eſſe, neque fidem dicere, nec indicare*, &c.

2. TINGVERE.] Alias *tingere*, ſed Tertullianicum eſt *tinguere*. ita lib. de Patient. cap. 3. *à ſeruo ſuo tinguitur.* Sic lib. 1. aduerſus Marc. *Vnguit* pro *vngit.* In ſcriptoribus etiam profanis ſunt *continguere, attinguere*, &c. quod obſeruarunt iam in hac re eruditi. Credo autem Iſidorum lib. 2. Eccleſiaſt. offic. cap. 18. corrigendum ab Tertulliano. Iſidori verba: A *In gradibus enim vel officiis Eccleſiaſticis fœminæ nullatenus præſcribuntur, nam neque permittitur eis loqui in Eccleſia, vel docere; ſed neque tangere vel offerre, neque vllius virilis muneris, aut ſacerdotalis officij ſibi ſortem vendicare.* Quis non videt legendum *tingere*, aut *tinguere*? Niſi quis putet (quod probabilius dici poteſt) Tertullianum contra corrigendum ab Iſidoro, vt dicat Septimius non licere fœminis res ſacras tangere. Nam cùm liceat fœminæ baptizare, etiamſi in neceſſitate, videtur pars iſta non coniungenda cum illis, quæ omnino negatæ ſunt fœminis.

2. SACERDOTALIS OFFICII.] Non audio 139.
Pamelium, qui refert ad interdictionem, qua veti-

tum mulieribus sacra vasa contingere, fumigare, &c. Nam cùm præcesserit nec *offerre*, quod multo maius, cur inferret deinde multo minora? Aptius est vt verba ista, *nec vllius virilis muneris sibi sortem vendicare*, aspiciant prima illa de loquela, de doctrina, de tinctione: Ista autem, *ne dum sacerdotalis*, &c. extremum illud de oblatione. Ego ad maiorem distinctionem legerem, *non vllius virilis muneris*, &c. Sed nihil tamen interest. Hoc nisi placeat, explica verbum *offerre* non de sacrificio missæ, sed de oblatione publicarum precum, quod munus fœminarum proculdubio non est, & ita consequentissima erit sententia, nec vllus nodus. Dicet enim, non licere fœminæ loqui in Ecclesia, docere Euangelium, tangere vasa sacra, offerre publicè preces; demum nullum virile officium administrare, ac multo minùs sacerdotale, quod exercetur in missa, in pœnitentia, aliisque. Multum enim inclino, vt legatur *tangere*, & vt *offerre* hoc loco non accipiatur de sacrificio missæ. Et quidem *offerre* dici de precibus certissimum, vel ex Ioanne Cassiano lib. 2. cap. 10. vbi *offerre preces*, & repetit sæpius in eodem capite. Et Cyprian. epist. 63. *Nam si Iesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & ipse primus sacrificium Deo Patri obtulit, & hoc fieri in sua commemoratione præcepit.* Et Ambros. in Psal. 38. *Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus, offerentem pro nobis sanguinem suum, sequamur vt possumus, sacerdotes, & offeramus pro populo sacrificium.* Sed inclino tantùm, nam video & legi posse *tinguere*, & *offerre* accipi posse de oblatione missæ, vtpriùs explicui.

140. 3. PRÆROGATIVÆ.] Quo sensu accipiatur vox ista in Auctoribus, allucet ex infinitis locis Tertulliani, tum ex isto Sidonij epist. 21. lib. 4. *Est quidem princeps in genere mõstrando partis paternę prærogatiua, sed tamen multum est quod debemus & matribus.* Est enim prærogatiua quod sibi quis præ alio homine vt debitum arrogat & defendit. Eadem vis verbi *prærogo*. Valer. Max. lib. 1. cap. 2. de Minoë: *In quoddam præaltum & vetustate religionis consecratum specus secedere solebat, & in eo moratus, tanquam à Ioue, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat.*

3. CARNEM SVAM SANCTIFICARE.] Ita de virginibus Patres infrà, *honorem sanctitatis*. Isidor. lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 18. loquens de virginibus, *honorem sanctificati corporis*. Athanas. lib. de Virginit. ita loquitur: οὐδὲ μὴ καθίσῃς φαγεῖν τὸν ἄρτον σου μετὰ γυναικῶν ἀμελυτέρων ἢ γελοιαστριῶν, ἄνευ ἀνάγκης. σὺ γὰρ ἁγία εἶ Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου· καὶ τὸ βρῶμά σου, καὶ τὸ πόμα σου ἡγιασμένον ἐστί: *Ne sedeas vt tuam offam comedas cum mulieribus incuriosis & ridiculis absque necessitate: tu enim sancta es Domino, & cibus tuus & potus sanctificatus est.* Vide Cassian. lib. 6. cap. 15.

141. 3. NOTABILIS ET INSIGNIS.] Voce ipsa vsus est Hieronymus in Epitaph. *Nec munditiis, nec sordibus notabilis erat.* Et in epist. ad Eustoch. bis aut ter, & sæpè aliàs. Et Seneca epist. 122. *Rem notabilem facere.* Sed missa voce, ad rem pertinent verba Hieronymi ad Eustochium, describentis notabiles virgines hunc in modum: *Hæ sunt quæ per publicum notabiliter incedunt, & furtiuis oculorum nutibus adolescentium greges post se trahunt, quæ semper audiunt per Prophetam, Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu. Purpura tantùm in veste tenuis* (id est, non in facie pudor, sed in veste) *& laxiùs, vt crines decidant, ligatum caput: soccus vilior: & per humeros hyacinthina lana forte volitans: succinctæ manicæ brachiis adhærentes, & solutis genibus fractus incessus. Hæc est apud illas tota virginitas.* Paria verba ista Cypriani lib. de disciplin. & hab. virg. *Caterùm si tute sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspiranda fomenta succendas; vt & ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas; excusari non potes quasi mente casta sis & pudica.* Non dubium quin vterque magnus Doctor institerit Tertulliani vestigiis. Itaque vox ista *notabilis* iam vsu Sanctorum Patrum traducta est ad significandam licentiam quandam vitæ contra disciplinam. Inde procedunt verba illa Cassiani lib. 1. Instit. monast. cap. 3. *Quapropter cilinam vestem circumspectam à cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipso non solùm nulla spiritus posset emolumenta conferre, sed etiam elationis concipere vanitatem; omnimodo refutarunt.* Moneo obiter Lectorem, verba Isidori lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 18. transcribentis Tertullianum, absoluenda in exitu capitis cum nota interrogationis, qua carent omnes Codices etiam correctissimi, nam aliter ineptus erit sensus, & pugnabit cum loco isto Tertulliani, vnde sumpta sunt illa Isidori: nisi velis ironicè capere, quod in idem recidit.

142. 3. VT HONOREM SANCTITATIS LIBERTATE CAPITIS OSTENDAT.] Hieronymus ad Furiam hoc idem reprehendens, ait: *Lingua personat castitatem, & totum corpus præfert impudicitiam.* Et post pauca: *Quid ergo necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendicibus suis continentia et parcitate fidem sui facere non potest?* Sed quæ libertas capitis? non solùm nudatio, vt certum; sed aliquid aliud appositicium in capite. Quid hoc sit, explicat Isidorus loco adducto his verbis: *Quia virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit, idcirco velaminis venia fit illi, vt in Ecclesiam notabilis vel insignis introeat, & honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostendat, atque mitram quasi coronam virginalis gloriæ in vertice præferat.* Cùm ergo verbis Tertulliani addiderit istud de mitra, videtur mihi voluisse explicare Africanum doctorem, vt libertatis ostensio sit mitra illa. Et fortasse (sed nondum assensi omnino) verba extrema desiderabantur in Tertulliano, & supplenda sunt ab Isidoro: atque vt est audacia, interpres fortasse alius Isidori verba adiunxisset textui Tertullianeo.

3. POTVIT DIGNIVS, &c.] Hæc periodus claudi posset non inficetè nota interrogationis, & esset quoque commoda sententia.

143. 4. IN VIDVATV.] Legendi interpretes Actor. cap. 6 per initia, vbi de viduis illis quæ ministrabant Apostolis. Sed potiùs interpretes Pauli 1. Timoth. 5. De viduis enim Pauli accipiendus Tertullianus. Vt verò intelligas quid sit *collocari in viduatu*, planè accipe de loco, inde hîc notantissimè *collocatam*. Erat enim olim in Ecclesia distinctus locus viduarum & virginum, neque misceri inuicem poterant. De viduis hîc legis Tertullianum; de virginibus planus est locus Ambrosij lib. ad virg. lapsam, cap. 6. vbi: *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant?* Ergo Episcopi, quem hîc reprehendit Tertullianus, ἀμυσία fuit, vt virginem à septo in Ecclesia huic statui dedicato, amoueret, transferrétque in locum viduarum. Est etiam hac de re locus Athanasij lib. de Virginit. vbi ita alloquitur Virginem: *Si ingrediaris in templum duodecima hora, maiorem & longiorem facies synaxin cum virginibus tecum concordibus; quòd si nullam habeas concordem, sola synaxin absolues Deo præsente & audiente.* Et suprà dixerat

dixerat: ἐαν̀ προσεύχῃ, ἢ ψάλλεις, ἢ ἀναγινώσκεις, κατ' ἰδίαν κέλευε: *Siue oras, siue psallis, siue legis, sola sede.* Et fortasse de separato hoc loco virginum accipiendi scriptores, qui Magnum Constantinum laudant, quòd is præcipuo quodam honore virgines coleret. Hi sunt Eusebius lib. 4. vitæ Constant. cap. 28. παιάγιον τῶν ἀεὶ παρθένων τὸ θεοῦ χορὸν μονονουχὶ καὶ στέφων διετέλει: *Sanctissimum perpetuarum virginum chorum constanter colebat tantumnon venerans.* Etenim qui chorum nominat, aliquid insinuat de cœtu separato in Ecclesia. Et Athanas. Apolog. ad Imperat. Constantium: παῖδας (παρθένους) καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὁ τῆς μακαρίας μνήμης ὁ εὐσεβέστατος σου πατὴρ Κωνσταντῖνος ὁ Αὔγουστος ἐτίμα: *Has* (virgines) *præ reliquis omnibus beatæ memoriæ religiosissimus pater tuus Constantinus Augustus honorabat.* Hæc ego latè scripseram cùm incidi in Stephanum Durantum lib. de ritib. Eccles. cap. 18. vbi quæ dixi certa esse firmat, adducto loco Ambrosij, quem primum posui. Acceptum hoc credo ab antiquis Vestalibus, quibus separatus locus, vt virginibus. Sueton. in Augusto cap. 44. *Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra Prætoris tribunal dedit.* Tacit. lib. 4. Annal. *Augusta sedes inter Vestalium consideret.* Erant etiam, vt hoc obiter dicam, secluſi viri à fœminis. Synesius in epistolis id latè probat. Et Clemens lib. 2. Constit. cap. 57. sic ait: *In medio sedes Episcopi, quam vtrimque presbyterorum sedes ambiant, & Diaconi stent succincta veste, quorum prouidentia laïci in altera parte sedeant, in altera fœminæ, in medio lector in loco sublimi legat, quæ scripsit Moyses, & alij Sancti Dei.* Et lib. 8. c. 11. οἱ δὲ διάκονοι ἱστάσθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας, καὶ οἱ ὑποδιάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν: *Diaconi stent ad virorum ianuas, hypodiaconi ad mulierum.* De etymo aliquid. *Viduare* ductum fortasse ex διδυῶ, præscripto digamma Æolico, id ego sentio, licèt Macrobius 1. Sat. c. 15. ducat à verbo *iduo*, ait enim: *Iduare, Etrusca lingua, diuidere est: vnde vidua quasi valde idua, id est, valde diuisa: aut vidua, id est, à viro diuisa.*

144.

A

B

5. SEDEM.] Id est ad quem gradum eligitur. Vtique quod lib. 1. ad Vxorem cap. 7. dixit, *adlegi in ordinationem. Sedes* enim ita accipitur. Religiosa fœmina apud Cassianum Collat. 18. cap. 14. *Veniens ad beatæ memoriæ Episcopum Athanasium, precabatur vt aliquam sibi alendam viduam daret, quæ Ecclesiasticis sumptibus pascebatur.*

5. ANNOS SEXAGINTA.] Fulcrum habet res ista in Apostolo ita scribente: *Vidua eligatur non minùs annorum sexaginta, quæ fuerit vnius viri vxor,* &c. Apostolum rigidè accipit Tertullianus hoc loco ex innato supercilio; sed leniùs explicuit Hieronymus in epist. ad Saluinam, his verbis: *Nec te moueat quòd sexagenaria eligatur in viduam, vt putes adolescentulas ab Apostolo reprobari. Et te crede eligi ab eo, qui discipulo dixerat: Nemo adolescentiam tuam contemnat: non continentiam, sed ætatem. Alioquin omnes quæ ante sexaginta annos viduatæ sunt, hac lege accipient maritos. sed quia rudem Christi instituebat Ecclesiam, & omni ordini prouidebat, præcipuèque pauperibus, quorum ei cura cum Barnaba fuerat demandata, illas vult Ecclesiæ opibus sustentari, quæ propriis manibus non queunt laborare, quæ verè viduæ sunt, quas & ætas probat, & vita.* Et in epist. ad Gerontiam illud eiusdem Apostoli, *Honora viduas, quæ verè viduæ sunt,* ita explicat: *quæ omni suorum auxilio destitutæ, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, atque conficit:* Id est, quæ verè sunt miseræ, & omni ope viduatæ. Istæ ergo quia vt plurimùm sexaginta annorum, alendæ Ecclesiæ sumptibus. Vnde in eod. cap. Apostolus: *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non grauetur Ecclesia: vt iis quæ vere viduæ sunt, sufficiat.* Sed & de beneficentia erga viduas videantur quæ dixi lib. 1. ad vxor. cap. 7.

145.

5. PERMISSVM EST.] Legit Iunius continenter quæ sequũtur, vt dicat, *permissum est; sic nec de aliquibus insignibus,* ita vt cap. 10. incipiat à voce *Cæterùm,* sed iudicio meo bona est diuisio Pamelij: non enim ideo iniusta est diuisio, quia initium sequentis capitis pendeat ab extremo huius.

CAP. X. ARGVMENTVM.

Nulla esse insignia debent fœminis ad ostentandam virginitatem, vt nulla sunt viris.

TERTVLLIANVS.

146. 1. SIc nec de aliquibus insignibus. Cęterùm satis inhumanum, si fœminę quidem per omnia viris subditæ, honorigeram notam virginitatis suæ præferant, qua suspiciantur, & circumspiciantur & magnificentur à fratribus; viri autem tot virgines, tot spadones voluntarij cæco bono suo incedant, nihil gestantes quod & ipsos faceret illustres. Debebunt etiam & ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum, aut stigmata Britonum: aut ex diuerso fiat, capite velati in Ecclesia lateant.

EXPLICATIO.

1. PEndet sententia à superiore capite. Vt *de loco* nihil est virginibus permissum *ad honorem, sic nec de insignibus,* quia scilicet nulla hæc esse debent. *Cæterùm,* id est alioquin esset contra iura humana, *si fœminæ,* &c. Clara hæc. *Cæco bono,* id est, latente, ignorato: cui voci statim opponit *illustres.* Et obiter notabis acumen in vocibus; potuisset enim dicere *cæco bono suo sint,* sed maluit *incedant,* an quia qui visu carent, perinde & gressu? *Nō defendere* est asserere, tueri, arrogare sibi. *Pennas Garamantum,* de his & sequentibus insignibus in Notis. *Aut ex diuerso fiat,* &c. scilicet, vt ita latendo cognoscantur.

147. 2. Certi sumus Spiritum sanctum magis masculis tale aliquid subscribere potuisse, si fœminis subscripsisset: cùm præter sexus auctoritatem, etiam ipsius continentiæ nomine masculos potiùs honorari oportuisset. Quorum quanto sexus auidior & calidior in fœminis, tanto continentia maioris ardoris laboratior, ideóque dignior omni ostentatione, si ostentatio virginitatis est dignitas.

2. Dicit honoris notam viris potiùs conuenire, quàm fœminis, ratione duplici: & quia nobilior sexus, & quia continentia illorum maioris difficultatis. *Subscribere*, fauere, ac tueri viri partes, adiungere se virorum parti. q. d. si subscripto suo spiritus Sanctus fauisset annuisset quo in aliquo insigni gestando fœminis, multo magis eodem subscripto & auctoritate fauisset viris. *Continentiæ nomine*, titulo continentiæ. *Maioris ardoris*. Est ratio sententiæ. q. d. quia continentia est maioris ardoris, ideo laboratior. Id est, quia vir maiorem continet comprimitque ardorem, ideo magis laborat.

148. 3. Non enim & continentia virginitati antistat siue viduorum, siue qui ex consensu contumeliam communem iam recusauerunt? Nam virginitas gratia constat, continentia verò virtute. Non concupiscendi, cui concupiscendo inolueris, grande certamen est. Cuius autem concupiscendi ignoraueris fructum, facilè non concupisces, aduersarium non habens concupiscentiam fructus. Quomodo ergo non magis viris aliquid tale Deus in honorem subscripsisset, vel quia familiariori scilicet imagini suæ; vel quia plus laboranti? Si autem nihil masculo, multo magis fœminæ.

149. 3. *Non enim & continentia*, &c. Ait virginitatem superari à continentia *siue viduorum*, siue coniugum, *qui ex consensu* à legitimo congressu abstinent. Propositionem difficilem statim explicat. Vocat *contumeliam* congressum legitimi thori ex ingenito rigore, & supercilio, quo hic vir amabat castitatem. *Nam & virginitas*, &c. *En* cur *continentia viduorum* & coniugum superet virginitatem, quia *virginitas* ex mera Dei *gratia*; *continentia* præter Dei gratiam (nam hæc semper intelligenda, vt sine qua illa esse non possit) habet virile quiddam, & forte, quo valide obsistit tentationibus, ex gratia etiam. *Non concupiscendi*, &c. Explicat iam quæ sit virtus, virilitásque & fortitudo continentiæ viduorum & coniugum. Nam granditer ille & validè certat qui non concupiscit, quod concupiscere ingenitum inolitúmque est ex consuetudine. Hoc loco *concupiscendum*, est concupiscentia ipsa passiuè & obiectiuè, clarè, quod concupiscitur. *Cuius autem concupiscendi*, &c. Hîc *fructum* explico voluptatem: dicit enim, illum, qui ignorat voluptatem rei venereæ, faciliùs abstinere ab ipsa re Venerea, vt qui careat aduersario, scilicet concupiscentia voluptatis. q. d. congressum Venereum sequitur voluptas vt fructus; qui nunquam expertus est voluptatem, faciliùs abstinebit à congressu. *Quomodo ergo*, &c. Conclusio. Illis, *vel quia familiariori scilicet imagini suæ*, explicat quod suprà dixit de auctoritate sexus virilis. Ideo enim vir maioris est auctoritatis, prærogatiuæ, dignitatis, quia familiarior est Deo, vt eius imago. *Si autem nihil*, &c. id est, si nullum insigne datur à Deo, masculo ad indicandam ostentandámque virginitatem, multo magis dari nullum debet fœminæ. Phrasis ista Tertulliani est, elegantiùs diceret, multo minùs fœminæ.

NOTÆ.

150. 1. HONORIGERAM NOTAM PRÆFERANT.] Polyb. lib. 9. vocat ἐδῶπας Ἕλλους. & Nicetas σολαῖς Ἕλλοις. Hæc enim nota honorigera nihil est aliud quàm eximi ab numero aliorum.

1. CIRCVMSPICIANTVR.] Hanc vocem iam Herald. expendit lib. 1. Digress. cap. 6. Nam Ammian. lib. 27. loquens de Episcopis Romanis: *Procedant vehiculis insidentes circumspectè vestiti.* Et Cassian. lib. 1. Instit. monast. cap. 3. *Vestem circumspectam à cunctis atque notabilem.* Indicant scilicet vestem περίζλεπτον καὶ περίοπτον.

1. SPADONES VOLVNTARII.] Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædagog. cap. 4. εὐνοῦχος ὁ μὲν δυνάμενος, ἀλλ' ὁ μὴ βουλόμενος, φιλήδειν: *Eunuchus verus est, non qui non potest, sed qui non vult dare operam voluptati.*

1. CÆCO BONO.] Ita vocat *bonum cæcum*, quia non videtur, vt Virg. *Saxa latentia*, Græci, ὕφαλοις πέτραις.

151. 1. PENNAS GARAMANTVM.] Credibile est (nam in locum clarum neque ego incidi, nec suppeditant Interpretes) Garamantas, vtpote feros, gestasse varias auium pennas ad ornatum corporis, ad eum modum, quo nunc cernuntur iconismi Indorum, qui auorum nostrorum æuo apparuerunt. Inde fortasse ab Lucano Garamantes dicti *volucres* à plumis quas sibi insuebant. & ab Luciano lib. de Dipsadib. dicuntur κοῦφον ἔθνος, *gens leuis*, quasi leuitas ista à pennis; nisi quis referat ad frugalitatem, nam addit ἐυσαλές: sunt enim parcissimi cibo: atqui leuiores sunt agiliorésque corpore, qui modico cibo vtuntur. Retuli porro sententiam ad varias auium plumas, possis ad vnas tantùm struthionis (*marinum passerem* vocant) nam hanc auem Garamantes venantur, vt auctor dicto loco Lucianus. Sunt qui rescribant in Tertulliano *Garamantum pinnas*, sententiámque referunt ad intortos criniũ plexus, ad formam scilicet pinnarum, quas aut milites, aut gladiatores Samnites gestabant in galeis. Nam Martialis,

Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Vicini autem Æthiopibus Garamantes.

152. 1. CROBYLOS BARBARORVM.] Est κρώβυλος Hesychio κόρυμβος τῆς ἐμπλοκῆς, ἢ ἔστιν ἀνέλιξις ἀπὸ μέσου τοῦ μετώπου ἐπὶ τὸν κορυφαῖον: *Nodus seu nexus capillorum à fronte media in verticem reductorum, seu reuinctorum.* Interpres Thucydidæ in lib. 1. non longè ab initio, κρώβυλος δ' ἔστιν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀποπλῆγον: *Crobylus est species intorti vtrinque crinis desinens in acutum.* Deinde speciem istam discriminat hunc in modum: ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρώβυλος, τῶν δὲ γυναικῶν κόρυμβος, τῶν δὲ παίδων σκορπίος: *In viris dicebatur crobylus, in fœminis corymbus, in pueris scorpias.* Explicui vocem, sed dicam de lectione. Verè mihi non placet vt scribatur *crobylus*. Scio hanc lectionem hæsisse olim in omnibus Codicibus ante Rhenanum. Sed vir iste mutauit in prima editione in *scrobulos* non feliciter; in altera verò editione in *strobulos*, felicissimè, nec tantùm ex coniectura, vt putant aliqui, sed ex Codice scripto manu. Quid sit *strobulus* in ambiguo est. Rhenanus ipse sic explicat. *Strobulus* 153. *Græcis pineam nucem significat, gestamen ex auro Barbarorum quorumdam.* Sed ego tamen hæreo Francisco Iunio ita explicanti. Est Græcis στρόβος

aquarum vortex: ex eo diminutiuè *ſtrobulus*. Hinc fortaſſe arbor ſtrobus in Carmanis, cuius meminit Plinius lib. 12. cap. 17. ita dicta eſt, quòd aſſurgat in conum verticatum. Inde ergo *ſtrobulus* inſigne capitis. Quin credibile eſt *ſtropum* aut *ſtroppum* deduci ab *ſtrobo*. Atqui Feſtus ita ſcribit: *Stropus eſt, vt Atteius Philologus exiſtimat, quod Grace* στοφίον *vocatur, & quod Sacerdotes pro inſigni habent in capite. Quidam coronam eſſe dicunt, aut quòd pro corona inſigne in caput imponatur, quale ſit ſtrophium. Itaque apud Faliſcos diem feſtum eſſe, qui vocatur ſtruppearia, quia coronati ambulent.* Lege reliqua Feſti. Reſtat aperiam ea, ſi nolim ſcribi *crobylos*, quod reſeruo ad ſequentem Notam de Athenienſium Cicadis.

1. CICADAS ATHENIENSIVM.] Geſtabant Athenienſes in capite cicadas (inde dicti τεττιγοφόροι, id eſt, *cicadiferi*) hoc argumento vt ſe indigenas eſſe indicarent, quales ſunt cicadæ, quæ non commigrant. Gregor. Nazianzen. in Carmine. 154.

Κεκροπίδαι τέττιγα πλέκων ὕπερ ὑΐα γαίης
Γηγενέες.
Cecropidæ indigenæ natam tellure cicadam
Innodant cirris.

Philoſtratus lib. 2. Heliadikῶν. ὁ δράκων ὁ τῆς Ἀθηνᾶς, ὁ ἐπὶ τῷ κίονι ἐν ἀκροπόλει οἰκῶν, δοκεῖ μοι τὴν Ἀθηναίων ἀσπασάμενος φιλίαν ἐπὶ τῷ χρυσῷ, ὃν ἐκεῖνοι τέττιγας ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἐποιοῦντο: *draco Mineruæ, qui etiamnum in arce ſtat, videtur populum Athenienſem ſalutare propter aurum, quod illi in cicadas capitum ornamenta conuertebant.* Virg. Ciri.

Aurea ſollemni comitum quem fibula ritu
Mopſopio, tereti nectebat dente cicadæ.

Hæc in aliis ſunt, ſed in quæ ego incideram nullo indice. Procedo. Explicui in ſuperiore Nota quid eſſet *crobylus*. Nunc ſcias ab Athenienſibus cicadas haſce in ipſis crobylis. Itaque crobylus erat ſitus proprius & ſedes cicadarum. Thucydides lib. 1. loquens de Athenienſibus, χιτῶνας τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσοῦν τέττιγον ἐν ἕρσει κρωβύλου ἀναδοῦσθαι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ πρίχων: *Ferre deſierunt lineas tunicas & aureas cicadas, quas capitis comam religantes, crobylis inſerebant.* Quem in locum vide Interpretem. Theophylactus Simocatta in Dialogo, quem Hiſtoriæ ſuæ præponit, τὸν δὲ κρώβυλον τοῦτον, (τέττιξ δ' ὁ ἄρα αὐτῷ χρυσοῦς ὄζῃ ἐφεζόμενος,) ὁ θεσπέσιος οὗτοσὶ κατηγλάϊσε: *Et hunc crobylum, cicada aurea inſidente, diuinus hic vir exornauit.* Idem in Epiſtola loquens de Gorgia Athenienſi, κρωβύλῳ καὶ τέττιγι ὁ Γοργίας στεμμάτεται: *Crobylo & cicada ſuperbit Gorgias.* Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 10. loquens de Athenienſibus, καὶ κρώβυλον, ὃ ἐμπλοκὴς ὄζην εἶδος, ἀναδοῦνται χρυσοῦν, ἐνέρσει τέττιγα κοσμοῦνται: *Crobylo, ſpecies eſt capilli innexi, aureo induebantur, adiunctis cicadis ornati.* Locum hunc fœdat interpres, qui εἶδος ἐμπλοκῆς explicat, *genus veſtimenti.* meliùs Heruetus, qui *genus cincinni.* Redeo. Lucianus in Nauigio: οἱ θεόγονοι ἡμῶν οἷς ἐδόκει καλὸν εἶναι κομᾶν τοὺς γέροντας ἀναδουμένους κρώβυλον ὑπὸ τέττιγι χρυσῷ ἀνειλημμένον: *Maioribus noſtris decorum videbatur ſenes coma luxuriare religantes crobylum aurea cicada exceptum.* Neceſſaria hæc teſtimonia ad firmandam lectionem Rhenani, & euertendam Pamelij. Mihi enim perſuadere non poſſum, crobylos, qui ſunt Athenienſium, datos Barbaris à Tertulliano, præſertim cùm ſtatim ſequatur mentio cicadarum, quæ in ipſis crobylis. Id ſi vidiſſet Adrianus Iunius lib. 2. Animaduerſion. c. 1. & lib. de coma cap. 1. atque etiam Iacob. Dutaitius lib. 2. Variar. cap. 15. non ita contumelioſi eſſent in Rhenanum, cuius lectio *ſtrobulos* veriſſima eſt. Hîc per *Barbaros* intellige populos minoris Aſiæ, in quam Græci colonias deduxerunt, vt locutus eſt etiam Tertullian. initio huius operis.

1. CIRROS GERMANORVM.] Intelligit intortos capillos, vinctóſque nodo ad verticem, vt locutus Martialis: 155.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Et cùm Hieronymus ad Euſtochium dixit, *Crines calamiſtri veſtigio rotantur*, nihil aliud voluit, quàm velle homines artificioſè reddere veros cirros Germanorum. Iſidor. lib. 19. cap. 23. *Nonnullæ gentes non ſolùm in veſtibus, ſed in corpore aliqua ſibi propria quaſi inſignia vindicant, & videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Hos cirros *criſpulos* vocat Seneca epiſt. 95. quibus opponit *rectam comam.* Ex qua oppoſitione ſatis noſcis qui ſint *cirri.* Martial. lib. 5. Epigram. 39. dixit, *Rheniques nodos.* De Sueuis Tacit. lib. de morib. German. *Inſigne gentis obliquare crinem, nodóque ſubſtringere.* Seneca lib. 3. de Ira c. 26. *Crinis ruffus, & in nodum coactus apud Germanos.* Ita legendum, non *coarctus.* Vide eundem epiſt. 124. Iuuenal. Sat. 13.

Carula quis ſtupuit Germani lumina, flauam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro.

Hæc teſtimonia ſatis indicabunt Lectori cirrorum formam. Denique varios Gentium habitus in capite oſtendit Hieronymus in vita Malchi, cùm ait: *Ecce ſubitò equorum camelorúmque ſeſſores Iſmaëlitæ irruerunt crinitis vittatiſque capitibus, ac ſeminudo corpore.* & Barthius in Claudiani Animaduerſionibus ad Quartum Conſulatum Honorij, vbi ait, *flauos* dici Sicambros à Martiali, & Sidonio; Britannos à Lucano; Batauos à Silio; Vandalos à Procopio; Germanos ab Herodiano, Martiali, Tertulliano.

1. STIGMATA BRITONVM.] Iſidorus adducto loco *Stigmata Britonum.* De Britannis (nam hi ſunt Britones) Herodian. lib. 3. τὰ δὲ σώματα σίζοντας γραφαῖς ποικίλων ζώων παντοδαπῶν εἰκόσι, ὅθεν δὴ ἀμφιέννυνται, ἵνα μὴ σκέπωσι τὰ σώματος τὰς γραφάς. *Notant corpora pictura varia, & omnifariam formis animalium: quocirca ne induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant.* Cæſar 5. de bello Gallico. *Omnes verò ſe Britanni glaſto inficiunt.* Eoſdem Oppianus αἰολογώτους, *pictos humeris.* Auſonius Moſell. 156.

Tota Caledoniis talis pictura Britannis.

Quin idem de Thracibus ſcribitur à Tullio 2. de Offic. *Tamen ad eam ex epulis in conuiuium veniens, Barbarum, & eum quidem (vt ſcriptum eſt) compunctum notis Threiciis, diſtricto gladio iubebat anteire. Compunctum* his *notis* dixit, non quòd ſeruum intelligeremus, ſed vt in communi Barbaria natum. De hac in communi Barbarorum nota vide quæ ſcripſi ad lib. 4. Æneid. vbi Agathyrſi dicuntur *picti.* & quæ in Georg. de Gelonis. Referunt Rhenanus & Pamelius hæc *ſtigmata* ad *inuſtiones*, vtique ἐγκαύματα: refellit illos Iunius, vocans *viros bonos*, ironicè, vt credo, ſed verè ille bonus ſenſu eodem. Nam tametſi ſtigmata ſint indiſcriminatim ſiue inuſta, ſiue picta: ſed in vnis Britannis accipi de inuſtis notis aptius eſt: nam Claudianus Panegyrico 2. Stilic.

Inde Caledonio velata Britannia monſtro
Ferro picta genas.

Atqui ferro qui pingit, igne pingit. Idem de Bello Getico:

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exſangues picto moriente figuras.

Inde de Gente Pictorum (ſic enim dicti à pictura corporis) Sidonius Paneg. Auiti,

Vulnere vel ſi quis plangit, cui fleſſe periſſe eſt,
Ac ferro peraraſſe genas, vultúque minaci
Rubra cicatricum veſtigia defodiſſe.

Dixiinitio *Britones* & *Britannos* accipi de gente eadem. De qua re vide Iordan. Hiſtor. l. 1. & Eliam Vinetum in Moſell. Auſonij, vbi rem hanc multis firmat. Vide etiam Abrahamum in Theſauro Geograph. vbi notat apud ſcriptores medij æui Britannos dici etiam Britones.

2. SEXVS AVCTORITATEM.] Ita expreſſit præſtantiam ſexus maſculi. Clemens Alexan. lib. 3. Pædagog. cap. 3. vocat κρείττονα φύσιν : *Naturam meliorem.*

157. 2. AVIDIOR, ET CALIDIOR.] Acris in viros cenſura : aliter ſentit Hippocrates lib. 1. de morbis mulierum non longè ab initio, Θερμότερον γὰρ τὸ αἷμα ἔχει ἡ γυνὴ, καὶ διὰ τόδε τε θερμοτέρη ἐστὶ τοῦ ἀνδρός : *Calidiorem enim ſanguinem habet mulier, ideóque viro calidior eſt.* Sed fortaſſe nihil princeps medicus contra Tertullian. Nam alius eſt calor ſanguinis, alius calor in libidinem. Certè pro Tertulliano Seneca epiſt. 95. vbi loquens ad incrementũ & veluti exaggerans libidinem fœminarum, ita ait : *Non mutata fœminarum natura, ſed vita eſt. Nam cùm virorum licentiam æquauerint, corporum quoque virilium vitia æquauerunt.* Et poſt pauca : *Libidine verò ne maribus quidem cedunt, pati natæ.* Ariſtot. lib. de Generat. cap. 20. nihil de hac re determinat, tantùm dat vtrique ſexui πλείονα ἡδονὴν, *Parem voluptatem.* Quæſtionem agitat Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. 7. & in eo ſiſtit, vt dicat mares eſſe calidiores fœminis. Sumpſit Macrobius quæſtionem, imò & verba à Plutarcho lib. 3. Sympoſ. quæſt. 4. Eſt & pro Tertulliano cenſura Clementis Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 3. vbi de hac ipſa re loquens ita definit : τὰ ἄῤῥενα τῶν θηλειῶν, καὶ τὰ ἔνορχα τῶν ἐκτομιῶν, καὶ τὰ τέλεια τῶν ἀτελῶν δασύτερά τε ὄντα καὶ θερμότερα : *Maſcula fœmineis, coleata excoctis, perfecta imperfectis & hirſutiora ſunt, & calidiora.*

3. NON ENIM.] Legi poſſet, *Nonne & continentia.* Sed nihil mutandum, nam vt iam Pamel. & Rhenan. *non* in Tertulliano pro *nonne.*

158. 3. CONTINENTIA VIRGINITATI ANTISTAT.] Non excellentia, ſed difficultate. & paria quidem cum Tertulliano dicere Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum iam Pamelius monuit. Et quidem difficultates quæ vincendæ, latè narrat Clemens lib. 2. Pædag. cap. 10. aitque cupiditatem in homine iam aſſueto, verè πυρπνεύειν. Eſt *antiſtare*, præcellere, vti Fulgentius explicat. Nam Criſpinus Heraclea, *Diuinis virtutibus antiſtans Alcides.*

159. 3. CONTVMELIAM.] Iunius explicans hunc locum de afflictionibus, & perſecutionibus, alieniſſimè explicat, vt iam contra illum Gretſerus cap. 2. & operam ludit; vt etiam contra illum Heral. lib. 1. Digreſſ. cap. 9. Verè loquitur Tertullian. de matrimonio ipſo, & debito coniugali, & hunc vſum vocat *contumeliam.* Neſcio autem an hoc inter errores eius aut nævos debeat deputari. Nam alij Patres ita fermè ſolent loqui, non quia matrimonium ſit contumelioſum, ſed vt ita amorem oſtendant, quo inflammantur erga continentiam; & pretium quo apud illos eſt hæc virtus. Dixi de hac re lib. 1. ad Vxorem cap. 4. hîc adiicio Ambroſium qui in Exhortat. ad Virg. etiam *contumeliam* vocat coniugium ipſum. Et lib. 3. de Virgin. rem hanc *vilitatis* nomine afficit. Ait enim : *In te* ſponſus tuus *ſincerum ſacramentum conferet virginitatis, quæ priùs eras obnoxia vilibus naturæ materialis elementis.* Id eſt quæ priùs matrimonio obnoxia. Eodem lib. *Iniuriæ* nomine : *Grauis enim partus labor eſt, grauis creandorum & erudiendorum liberorum moleſtia, quibus antè præſcripſit, ne quis huiuſmodi auerteretur iniuriis.* Et in Exhortat. ad Virg. vocat *contagium*, & *coniugij indignitates.* Videantur etiam interpretes ſacri in cap. 18. Leuitici. Athanaſ. lib. de Virginit. loquens de ſtatu nuptiali, διὰ τὸ ἀνδρὸς τὸ σῶμα μολύνεται : *à viro corpus fœminæ maculatur.*

3. VIRGINITAS GRATIA CONSTAT.] 160. Ambroſ. in Exhort. ad Virg. illud Matthæi, *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*, ita expendit : *Non capit hoc conditionis humanæ infirmitas, vt omnibus pateat; ſed illis facile eſt ad capiendum, quibus diuina refulſit gratia, vt caſtrare ſe poſſint*, &c. Itaque ſignatè Chriſtus *datum*, indicans donum, & Ambroſ. *gratiam.* Caſſian. Collat. 12. cap. 4. *Doceamur incorruptionem eius* (continentiæ) *diuinæ gratiæ largitate donari.* Videatur cap. 16. eiuſdem collat. & cap. 15. ait notantiſſimè, *Euidens eſt iam proximæ puritatis indicium, incipere eam de proprij laboris induſtria non ſperare.* Vide an mera ſit gratia. Vide eundem lib. 6. cap. 6. Athanaſ. etiam Apolog. ad Conſtantium Imperatorem, loquens de Chriſto, ἐχαρίσατο παρθενίαν, quo verbo oſtendit meram gratiam, & donum.

3. INOLEVERIS.] Neſcio an plenè intellexe- 161. ris. Verbum eſt inſitionis. Virg. 2. Georg.

--- vdóque docent inoleſcere libro.

Modeſtè itaque Tertullianus indicat quod pari modeſtia Euripides dixit in Troadib. vocans Priamum φυτευτόν. Vide me 3. Georg. vbi de *aruo genitali.* ita ab inſitione Caſſian. Collat. 10. cap. 4. *Error ſenſibus inolitus.* & Collat. 12. c. 8. *Inſitum renibus libidinoſæ voluptatis ardorem.*

3. CONCVPISCENDI FRVCTVM.] Explicui voluptatem : hæc enim veluti primus fructus venerei congreſſus. Homerus *donum* vocat δῶρ' Ἀφροδίτης, quod Seruius notauit. Vnde & Virgil. 4. Æneid. *Veneris præmia*, quem locum vide. Scio *fructum* Veneris dicià Clemente lib. 2. Pædag. c. 10. de liberis, ſed hoc non poſtulat ſententia Tertullianea.

3. IMAGINI SVÆ.] Videtur Tertullianus 162. ſentire virum tantùm eſſe imaginem Dei, non fœminam. Quæſtionem agitat noſter Pereira in cap. 1. Geneſ. verſ. 26. quæſt. 4. Vide illum. Exitus quæſtionis eſt, eſſe etiam fœminam imaginem Dei, etiamſi nonnulla eſſe videantur pugnantia teſtimonia Patrum. Certè Athanaſ. Apolog. aduerſus Gent. abſolutè dixit, τὸ ἀνθρώπινον γένος καθ' ἰδίαν εἰκόνα ἐποίησε : *Humanum genus ad ſuam ipſius imaginem fecit.* Porrò eſſe *imaginem Dei* veriùs conuenit Chriſto, quàm cuiquam. Chronic. Alexandrin. in initio, ὅτος πάλιν ἠξιώθη εἰκὼν Θεοῦ κληθῆναι. ἐπὶ δὲ τῶ δεκατῶ τῶ Χριστοῦ κυριώτερον ἐκλέλεκται. καθὼς καὶ Ἀπόστολος λέγει, ὃς ἔστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου : *Hic certè dignatione appellatus eſt imago Dei*, id eſt, Adamus, *quod in Chriſtum Dominum veriùs conuenit, quemadmodum Apoſtolus loquitur, qui eſt imago inuiſibilis Dei.* Hinc eſt, vt ſæpè Patres vtantur hac locutione, homines eſſe *ad imaginem Dei*, non eſſe *imaginem Dei.* Sed hæc locutio indifferens eſt.

CAP. II. ARGVMENTVM.

Velari debet Virgo ex quo se intelligere cœperit.

TERTVLLIANVS.

163. 1. SED quod suprà intermisimus, ex parte subsecutæ disputationis, ne co-
1. Cor. 11. hærentiam eius dispergeremus, nunc responso expungemus. Vbi enim gradum fiximus de Apostoli absoluta definitione, omnem mulierem etiam omnis ætatis intelligendam: responderi ex diuerso habebat, ergo à natiuitate, & à primo nomine ætatis, virginem operiri oportere.

EXPLICATIO.

1. SED *quod suprà*, &c. Respicit caput quartum huius operis, aut potiùs octauum, vbi dixit sub hoc nomine *mulier* contineri omnem ætatem. *Ex parte subsecutæ disputationis*, in gratiam disputationis non interrumpendæ. *Expungemus*, absoluemus, complebimus. *Gradum fiximus*, in acie stetimus, contendimúsque intelligendam omnem ætatem sub hac voce *mulier*, idque propter absolutam definitionem Apostoli. *Responderi ex diuerso habebat*, poterat ex contrario responderi nobis, malè nos argumentari, nam inde sequeretur absurdum, scilicet virginem, vt primùm prodit ex vtero, operiendam, quia tunc mulier est.

164. 2. Non ita est autem, sed ex quo se intelligere cœperit, & sensum naturæ suæ intrare, & de virginis exire, & pati nouum illud, quod alterius ætatis est. Nam & prin-
Gen. 2. Gen. 3. cipes generis Adam & Eua quamdiu intellectu carebant, nudi agebant: at vbi de arbore agnitionis gustauerunt, nihil primùm senserunt, quàm erubescendum. Itaque sui quique sexus intellectum tegmine notauerunt.

2. Respondet difficultati. *Sed ex quo se intelligere cœperit*, id est, ex quo cœperit intellectu agnoscere esse sibi erubescendum. *Et sensum naturæ suæ intrare*, penetrare sensus suos. *Et de virginis exire*, id est de sensu virginis. *Pati nouum illud*, menstruam purgationem. *Quod alterius est ætatis*, id est, non virginalis. *Nam & principes*, &c. Probat rem exemplo Adami, & Euæ. *Nihil primùm quàm*, pro nihil priùs quàm. *Erubescendum*. Ita existimo hîc dici *erubescendum*, vt superiori capite *concupiscendum*. Itaque non puto sententiam esse, *senserunt* sibi esse *erubescendum*: sed senserunt ipsum *erubescendum*, id est, partes verecundiæ, à quibus erubescentia tota. *Itaque sui*, &c. Id est, tegendo partes illas, indicauerunt quid quisque de suo sexu intellexisset. Quippe tam Adam quàm Eua intellexit ibi esse sedem concupiscentiæ, & rebellionis, inde statim erubescentia, ac perinde statim tegmen.

165. 3. Sed etsi propter Angelos velanda est, sine dubio ab ea ætate lex velaminis operabitur, à qua potuerunt filiæ hominum concupiscentiam sui adducere, & nuptias pati. Ex illo enim virgo, desinit, ex quo potest non esse. Et ideo penes Israel illicitum est ad virum tradere, nisi post contestatam sanguine maturitatem: ita ante hunc indicem acerba res est. Igitur si tamdiu Virgo, quamdiu acerba est, desinit virginem cùm matura cognoscitur, & vt non virgo iam legi applicatur, sicut & nuptiis.

3. Probauit rem ab Adamo & Eua, iam ab Angelis amatoribus fœminarum, de quo Tertulliani non solius paradoxo alibi. Clara est sententia, Notulis tantùm opus. *Concupiscentiam sui adducere*, est ducere ad *concupiscentiam sui*. *Nuptias pati*, vox signatissima, nec vnquam aliter loquitur. *Ex illo enim virgo desinit*, &c. Natura scilicet & ætate, vt postea explicabit. Non enim negat aliquam posse esse virginem grandi iam æuo. *Ad virum tradere*, quod Latini Auctores dicunt, *Ducere vxorem ad virum*. *Post contestatam sanguine maturitatem*, videlicet sanguis menstruus testificatur illam virginem esse iam nubilem, maturámque viro. *Indicem*, testem. *Acerba res est*, quia adhuc immatura. *Igitur si tamdiu*, &c. Conclusio clara. *Desinit virginem*, Græcanicum, pro, desinit esse virgo, παρθένον παύεται. *Legi applicatur*, scilicet legi velaminis. Et ideo huic legi, quia iam etiam nuptiis, si ætatem metiaris.

166. 4. Et desponsatæ quidem habent exemplum Rebeccæ, quæ dum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse, quem de longinquo perspexerat, non sustinuit dexteræ colluctationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem, sed confessa quod senserat, id est,

ſpiritu nuptam, negauit virginem velata ibidem. O mulierem iam de Chriſti diſcipli-
Matth. 5. na. Oſtendit enim etiam nuptias de aſpectu & animo fieri, quemadmodum ſtuprum: niſi quòd etiam Rebeccam quidam adhuc velant.

4. Exemplo Rebeccæ operientis ſe antequam ad virum accederet, probat deſponſatas omnes ſubditas eſſe velamini, etiamſi nondum paſſæ ſint virum. *Simul*, id eſt, ſimulac, aut, ſimulatque. *Dexteræ collu&tationem*, id eſt, innexionem: ſed maluit vti ſermone merè amatorio. Sequentia omnia clara, ſed extremum illud, *Niſi quòd etiam Rebeccam quidam adhuc velant*, mihi difficultatem ingerit. Explico, donec alius meliùs. Rebecca ſe operiens repræſentauit Chriſti diſciplinam, quia oſtendit nuptias animo tantùm poſſe contrahi, quemadmodum etiam poſtea de ſtupro Chriſtus docuit; quod admittitur ex ſolo impudico aſpectu. Et oſtendit quidem hoc typicè & figuratiuè, atqui proterui homines contumacéſque in opinione quæ adimit velamen, adhuc tegunt figuram hanc Rebeccæ, diſſimulántque illam, dicunt ſcilicet, nihil tale repræſentatum tectione illa Rebeccæ. Breuiter. Nolunt Rebeccam eſſe typum tectionis, nolunt illam aliquid præfiguraſſe *de Chriſti diſciplina*, volunt amentiſſimè ſtuprum non contrahi ex ſolo impudico aſpectu. Quia ſcilicet ſequuntur Rebeccam, id eſt litteram, quæ occidit; non ſpiritum viuificantem, qui in ea latet.

167. 5. De cæteris verò, id eſt, quæ deſponſatæ non ſunt, viderit parentum procraſtinatio ex anguſtiis vel ſcrupuloſitate deſcendens, viderit & ipſum continentiæ votum. Nihil pertinet ad ætatem ſua ſpatia currentem, ſuaque debita maturitati luentem. Alia in occulto mater, natura: & alius in latenti pater, tempus, filiam ſuam legibus ſuis maritarunt.

5. Sententia eſt, parentes qui detegunt ſuas virgines, quia nondum *ſunt deſponſatæ*, inani vtuntur prætextu. Hoc enim nihil pertinet ad rem, quia ætas iam poſcit nuptias, etiamſi ipſi filias non collocent: nam natura ipſa mater eſt illis, tempus eſt pater: itaque hi duo parentes immaritant virgines illas. Percurro. *Viderit*, eſt vox improbantis. q. d. admitti non debet hic prætextus. *Ex anguſtiis*, ex inopia quæ vetat virginem locari. *Scrupuloſitate*, ſolent ſcilicet parentes eſſe moroſiſſimi in locandis Virginibus, & certè nihil nuptiis eſt implicatius, vix enim ſeſe parentes expediunt. *Viderit & ipſum continentiæ votum*. q.d. inanis quoque eſt prætextus, ſi dicas, virginem non locari propter *votum continentiæ*. Summa eſt, etiam ſi non nubant, propter inopiam, propter parentum difficultates, propter *votum continentiæ*; tamen debent operiri, quia *natura* id poſcit, & *tempus* poſcit, qui potiores ſunt parentes, & iam locant *filiam ſuam*.

168. 6. Aſpice nuptam iam illam tuam virginem, & animam exſpectatione, & carnem transfiguratione, cui tu ſecundum paras maritum. Iam & vox obſolefacta eſt, & membra completa ſunt, & pudor vbique veſtitur, & menſes tributa defendunt: ac tu mulierem negas, quam muliebria pati dicis.

6. Dixerat virginem maritatam à natura & tempore, probat, quia iam nupſit & anima & carne: anima, appetendo expectandóque naturaliter virum; carne, ex ipſa transfiguratione, id eſt, mutatione ipſius corporis; nam poſtquam virgo patitur menſtruam purgationem veluti transformatur in aliam, & ideo addit *maritum*, quem dant parentes, eſſe *ſecundum*, quia iam ipſa nupſerat corrupta ab ætate. Probat eam transfigurationem, à voce, quæ non iam gracilis, ſed *obſolefacta*, id eſt, robuſta; à membris, quæ *completa*, (credo notari præcipuè vbera;) à lanugine, qua veſtitur pars illa, vbi regnat pudor; à ſanguine, quem menſes aſſerunt, defendúntque tanquam tributum ſibi debitum. Abſoluit, *Actu mulierem negas*. q. d. negare non potes eſſe mulierem, quæ patitur, ſuſtinétque tot notas muliebritatis.

169. 7. Si congreſſio viri mulierem facit, non tegantur, niſi poſt ipſam nuptiarum paſſionem: atquin etiam apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur. Si autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore & ſpiritu maſculo miſtæ ſunt per oſculum & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritus, per commune conſcientiæ pignus, quo totam condixerunt confuſionem: quanto magis tempus illas velabit, ſine quo ſponſari non poſſunt, & quo vrgente ſine ſponſalibus virgines deſinunt eſſe?

7. *Si congreſſio viri*, &c. Sententiam ita concipe. Sinon eſt mulier niſi poſt congreſſionem, compreſſionémque viri, non tegatur niſi poſt illam: *Atquin* (id eſt, ſed) etiam ipſi Ethnici, non tantùm Chriſtiani, contra te ſunt qui hæc ſentis, nam illi ſponſas ducunt ad viros velatas. q.d. Et verè eſt mulier ante congreſſionem, & tegi debet, nam & hoc ipſi faciunt Ethnici. *Si autem ad deſponſationem*, &c. Inde colligit concluſionem à deſponſatis ad non deſponſatas, hanc ſcilicet. Si omnes deſponſatæ velantur adhuc ante congreſſionem, *Quanto magis tempus illas velabit*, &c. Clara hæc ſunt, ſed quæ interiiciuntur non ita, quamobrem explico ab illis *quia & corpore*, &c. Ponit itaque rationem cur deſponſatæ velentur adhuc ante congreſſionem viri. Ea eſt talis. Quia iam *miſtæ* ſunt *maſculo*, & miſtæ quidem *corpore* ſcilicet *per dexteras*, innexio quippe manuum hoc fine fit vt notetur innexio & miſtio corporum. *Et ſpiritu*, ſcilicet *per oſculum*, per quæ duo *reſignarunt*, id eſt, peremerunt, abrogarunt, diſſoluerunt *pudorem primum ſpiritus* ſui, idque *per commune conſcientiæ pignus*, vocat ſcilicet *pignus*, *dexteras* & *oſculum*. Conſcij quippe ipſi ſunt hæc duo eſſe pignora reſignati ademptique pudoris, *quo* certè pignore *condixerunt*, id eſt, tanquam condicto promiſerunt, ſpoponderúntque *totam confuſionem*, id eſt perfectam corporum miſtionem, paſſurósque ſe

contumeliam (ſic vocauit ſuperiori capite) omnem carnis. Ad rem. Si ratio iſta efficit vt deſponſatæ ante congreſſionem velentur, etiam efficit vt non deſponſatæ, ſi iam tempus ſit deſponſationis.

170. 8. Tempus etiam Ethnici obſeruant; vt ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem à duodecim annis, maſculum verò à duobus amplius ad negotia mittunt; pubertatem in annis, non ſponſalibus aut nuptiis decernentes. Materfamiliæ vocatur licèt virgo, & paterfamiliæ licèt inueſtis. A nobis nec naturalia obſeruantur, quaſi alius ſit Deus naturæ, quàm noſter.

8. Dixit ſuperiore tractu, *Quanto magis tempus illas velabit*, &c. probat ergò in hoc tractu rem hanc, idque ab Ethnicorum moribus conſentientibus cum natura ipſa. *Nam fœminas ab annis duodecim*, maſculos ab annis quatuordecim *mittunt ad negotia*, id eſt, admittunt, & idoneos cenſent: ac perinde *non in ſponſalibus* ponunt conſtituúntque *pubertatem*, ſed *in annis*. Deinde fœmina etiamſi *virgo* ſit, neque dum nupſerit, dicitur *materfamilia*. Cur ergò ſi ita Ethnici decernunt, patronam habentes naturam, quæ hoc dictat; nos Chriſtiani naturalem hunc ductum omnium non obſeruabimus circa velamen virginum? Certè idem eſt *Deus naturæ* & *noſter*. Ergò multo potiore iure velandæ ſunt virgines, quæ exceſſerint in ætatem maturam, etiamſi non ſint deſponſatæ, quàm ipſæ adhuc deſponſatæ: nam deſponſatæ ſubditæ ſunt velamini, non quia merè deſponſatæ, ſed quia iam ſunt in ea ætate, quæ ex ſe poſcit deſponſationem: ac perinde res tota in ætatem referenda.

NOTÆ.

171. 1. GRADVM FIXIMVS.] Prouerbialis forma ſumpta à militia. Ita *gradum conferamus* lib. aduerſ. Iud. cap. 2. & *gradu pellere* cap. 2. Apolog. Siue ab Athletis in certamine congredientibus. Eſt verò apud Tertullianum, ſententiam ſemel conceptam acriter defendere, in eáque perſiſtere, aut premere (hoc Andreas Hoyus in Prouerbiales formulas) argumentum ſuum, vt loquitur Cicero. Sic lib. 4. aduerſ. Marcion. *Et poſſem hîc iam gradum figere.* Rurſus de fuga in perſecutione: *Itaque cùm duces fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit ad gradum in acie figendum ſuadere?* Quod exemplum confert Adrianus Iunius Cent. 3. Adag. 36. vt videatur à militia deſumpta locutio, vt cùm ait aduerſus Praxean, *Hîc mecum gradum fige.* Et Prudent. in Apotheoſi,

Fige gradum ſcriptura tuum.

172. 1. RESPONDERI HABEBAT.] Ita Apolog. 36. *habet exhiberi* & aduerſ. Iud. 14. *Tanquam ouis ad victimam duci habebat.* & cap. 5. *Exire habebat prædicatio Apoſtolorum.* Et ſæpè aliàs. Aliorum teſtimonia alibi adduxi.

2. DE VIRGINIBVS EXIRE.] Secutus ſum explicationem Rhenani & Pamelij. Iunius legit *de virgineis*, ita vt honeſtè notentur partes inhoneſtæ. Nam & Apul. eaſdem partes *virginalia* appellauit. Sed puto γνήσιον Tertulliani fuiſſe *de virginis*, nam hæc locutio plurimùm viguit, vt apparet ex repetito illo, *Eo in Apollinis, Mineruæ*, &c. ſubaudi templum, ædem. De qua forma vide Herald. in Arnob. Ait verò *exire de* ſenſu *virginis*, cùm ſcilicet patitur ἐπιμιλίους καθάρσεις, vt loquitur Clemens lib. 2. Pædag. c. 10. *Purgationes menſtruas.* Et hoc eſt *nouum illud alterius ætatis*, vt ait ſtatim.

173. 2. DE ARBORE AGNITIONIS.] Interpres vulgaris, *De ligno ſcientiæ.* Tertull. *agnitionis*, verbale ex Græco, vbi ἀπὸ δὲ τοῦ ξύλου τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρόν.

2. NIHIL PRIMVM SENSERVNT QVAM ERVBESCENDVM.] Quaſi ante peccatum non erubeſcerent, ideo ſuprà, *Nudi agebant.* Athanaſ. etiam Apolog. aduerſ. Gent. dat Adamo ante peccatum ἀνεπαίσχυντον παῤῥησίαν: *Licentiam inuerecundam.* Sed totam hanc Hiſtoriam proſequitur Conſtantinus Manaſſes ingenio florido in Annalibus:

Ἔφαγον ἄμφω τοῦ καρποῦ, μετέσχον τῆς ἐπόψεως,
Παρήκουσαν τῆς ἐντολῆς, ἔφαγον ὅτι τοῦ ξύλου,
Καὶ πυρὶ πόθου τὸ κακὸν αὐτοῖς ἐπικολουθεῖ.
Ηνοίγησαν τὰ βλέφαρα, κατεῖδον τὸν αἰσχύλον,
Ἐπέγνων τὸν γυμνότητα, ἣν τὸν αἰσχυσμὸν λιπόν.
Ambo de fructu comederunt, participésque facti ſunt,
Præceptum violarunt, vt comederunt ex ligno,
Sed mox ipſos malum comitatur,
Aperti ſunt eis oculi, viderunt turpitudinem,
Nuditatem dedecúſque ſuum agnouerunt.

Et multis poſtea, vt ſub latebras confugerint, & ſibi ſubligacula parauerint, &c. Et Paulin. epiſt. 8. ad Seuerum: *Nam & vidiſſe primos generis humani parentes, & non vidiſſe, ſcriptura declarat: Vidit enim mulier arborem, quòd bona ad manducandum, & grata erat oculis ad videndum. Vidit, inquit, ergò habebat oculos. Et quid deinde ſubtexit? Cùm manducaſſent, inquit, aperti ſunt oculi eorum. Ergò cæci fuerant.*

2. QVIQVE.] pro *quiſque*, vt alibi ſæpè notaui. Quin ipſe *aliqui* pro *aliquis*.

3. AB EA ÆTATE.] Ætas iſta, qua fœmina exit de ſenſu virginis, vocatur ab Ambroſ. lib. 3. de Virg. *Ætas florulentior.* Ab Stat. 2. Theb. *Tumida virginitas.* & 1. Achill. *anni tumentes*, aliàs *animi tumentes.* Ab Ouid. 14. Metam. *anni nubiles.* Virgil. 7. Æneid. *pleni anni.* Quo loci his ego pluria. 174.

3. NVPTIAS PATI.] Sæpè hoc verbum occurrit in Tertulliano de virgine iam matura & nubili. Petron. Satyr. *Annis ad patiendum geſtientibus.* Seneca de fœminis, epiſt. 95. *pati natæ.* Inde ergò *nuptiarum paſſio.* in Tertull. quia ſcilicet natæ fœminæ ad patiendum. Clemens lib. 3. Pedag. cap. 3. ita opponit, τὸ λέγειν αὐτῷ συγκεχωρῆται, ὡς ἐκείνῃ τὸ πάσχειν: *Illi agere*, id eſt, viro, *vt huic pati*, id eſt fœminæ, *conceſſum eſt.*

175. 3. PENES ISRAEL.] Quô loci hoc ſcriptum in ſacris Bibliis, quærit Pamelius, ſed monet Iunius id non haberi ex lege Dei, ſed tantùm ex conſuetudine Iudæorum fundata naturali iure, & cum aſpectu ad ea quæ dicuntur Deuteron. 22.

3. AD VIRVM TRADERE.] Attingit ſolemnem morem; pater enim filiam *tradebat manu* ſponſo ducendam, & is *accipere* dicebatur. Saluian. epiſt. 4. *A vobis ſum viro tradita, à vobis coniugi mancipata.* Quintilian. Declam. 306. *Vis ſcire quid ſint nuptiæ? aſpice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri comitante populo.* Heliodor. Græcus lib. 6. Hiſtor. Æthiop. eo loco quo commemorat Nauſiclem dediſſe filiam ſuam in matrimonium Cnemoni, ait, ἐνεχείρισε, *Tradidit in manus.* Maritus verò

accipiebat. Ambrosᵗ. epist. 65. *Iugalem sibi accepit.*

176. 3. ACERBA RES EST.] Metaphora sumitur ab arborum fructibus immaturis. Varro in Agathone: *Virgo de connubio abducatur ideo, quòd maiores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.* Ab iisdem fructibus *crudam* vocauit Horatius lib. 3. quod imitatur Claudianus Paneg. 3. Stilic. vbi, *cruda virginitas.* Sic & Græci ἄωρος. Huic opponit *maturitatem*, & ὡρείαν παρθένον, καὶ ὥριον. Plura his ego in 7. Æneid.

4. EXEMPLVM REBECCÆ.] Pari exemplo Ambrosᵗ. lib. 3. de Virgin. *An verò mediocre pudoris exemplum est, quòd Rebecca, cùm veniret ad nuptias, & sponsum vidisset, velamen accepit, nè priùs videretur, quàm iungeretur?* Fortasse alludit ad illud, quod Abimelech dixit Saræ, Genes. 20. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocunque perrexeris, memento te deprehensam.*

177. 4. DEXTERÆ COLLVCTATIONEM.] Quod alij *manus nectere*: nam hæc forma in nuptiis. Sidonius Epithalam. Polemij:

Amborum tum Diua comas viridantis oliuæ
Pace ligat, nectit dextras, & fœdera mandat.

Aut *manus iungere*, vt Egesippus lib. 1. cap. 42. *Quibus dictis iunxit memoratorum dexteras.* Quod (inquam) alij dicunt his aut aliis formis. Tertull. per *colluctationem* manuum, & visus mihi est velle illecebras maritales attingere, quales Horat. Od. 6. lib. 1. vbi

--- prælia virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium.

Ambrosᵗ. lib. ad Virg. Lap. cap. 4. etiamsi sensu alio: *Tu ab vno ineptissimo adolescente, & in media ciuitate quomodo vim potuisti perferre, nisi quia vltrò voluisti violari? quis tuas voces audiuit? quis obluctationes sensit?* Cassian. Collat. 10. cap. 9. in re carnali: *Adhuc me in colluctatione positum vitiorum, titillatio carnis repentè compungit.* Iterum Collat. 7. cap. 21. *Vbi enim agon dicitur, & certamen & pugna, seu colluctatio.* Euseb. Gallican. Episcop. Homil. de Stephano Protomartyre: *Beatus qui in ipsa colluctatione pugnantis, iam profert speciem resurgentis.* & Homil. de Sancta Blandina: *In meis colluctatio passionis, in tuis* (ô Bethlem) *sola fuit opportunitas & occasio felicitatis.* Nescio quid peculiarius insinuat, quàm si referas vniuersim ad luctam. Zeno Veronens. serm. de Spe, Fide, & Charitate: *Per hanc Iacob Deo colluctari prævaluit.* Leo Papa serm. 4. de Quadragesima: *Castitatis colluctationibus.*

4. SALVTATIONIS COMMVNICATIONEM.] Alij, *communionem.*

178. 4. O MVLIEREM IAM DE CHRISTI DISCIPLINA.] Geminus planè locus Hieronymi in epist. ad Demetriad. Tom. 9. quæ epistola si non illius, certè dignissima quæ esset. ibi itaque: *O virum ante Euangelica Euangelicum, & Apostolicum ante Apostolica præcepta, & discipulum Apostolorum.* Sermo est de beato Iobo. Nec dissidet locus Ambrosij de Iosepho Patriarcha ita loquentis: *Iure ergo mirandus qui hoc fecit ante Euangelium, vt læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret iniuriam, sed gratiam pro contumelia solueret, quod post Euangelium omnes didicimus, & seruare non possumus.*

179. 5. VIDERIT PARENTVM PROCRASTINATIO, &c.] Totum hunc locum ita legit Iunius: *De cæteris verò, id est, quæ desponsatæ non sunt, viderint: aut parentum procrastinatio ex angustiis vel scrupulositate descendens viderit. Et ipsum continentiæ votum nihil pertinet ad ætatem*, &c. Quæ lectio peruersissima est, & digna hac censura, vt quæ calamum Tertulliani peruertit; hic enim cùm sæpissimè particulam hanc *viderit* improbantem vsurpet, nunquam (quod possum meminisse) ad finem reseruat. Cur ergò in hoc loco? Et verò Iunius imponit editioni primæ Rhenani, non tamen ita in ea scriptum, sed in hunc modum: *De cæteris verò, id est, quæ desponsatæ non sunt, viderint aut parentum procrastinatio ex angustiis, vel scrupulositate descendens: viderit & ipsum continentiæ votum. Nihil pertinet ad ætatem*, &c. Nisi multæ sunt editiones primæ Rhenani. Vt verò scriptum in Pamelio, quam ego lectionem secutus sum, commodissimum habet sensum, vt constat ex nostris explicationibus.

5. EX ANGVSTIIS.] Aduocat Pamel. Iuuenalem, qui Sat. 3.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

5. ET SCRVPVLOSITATE.] Qui legerit 180.
Poëtas scriptores comœdiarum tam Græcos quàm Latinos, videbit nihil esse implicatius nuptiis; & præcipuum caput parentes ipsi: multa enim solent annorum spatia percurri in extricandis quæ necessaria.

5. CONTINENTIÆ VOTVM.] Notetur hic locus diligentissimè. Ecce enim scriptor antiquissimus meminit voti continentiæ, iam tum mitti soliti à fidelibus.

5. ÆTATEM SVA SPATIA CVRRENTEM.] Arnob. lib. 2. *Temporis decurrit ætatem.* Est scilicet *ætas* idem quod ætas, sed ætas κατὰ συγκοπὴν. Vide Herald. lib. 1. aduers. c. 1. & *currentem* dixit, quemadmodum Æschylus in Prometh. ὀχήματα, i. *currus*, pro naui. & Virg.

Trabe currimus æquor.

Sic Catullus de Nuptiis Pelei,

Ipsa leui fecit volitantem flamine currum.

Vbi loquitur de re maris.

5. ALIA IN OCCVLTO MATER NATVRA.] Ab his locutionibus non dissidet illa Athanasij lib. de Virginit. vbi reprehendens virginem rebus sæculi deditam, ait, ἀυτὴ ἡ φροντὶς αὐτῆς αὐτῆς ἐστὶ: *Cura ipsa illi est maritus.*

6. ANIMAM EXSPECTATIONE.] Latinius 181.
diuidit *ex spectatione*, nec mihi displicet, nam consentit cum toto hoc cap. Erit enim *spectatio* cognitio sui, & intuitus quo se anima agnoscit. Nam suprà, *Ex quo se intelligere cœperit, & sensum naturæ intrare.* Et postea, *sui quique sexus intellectum.* Itaque Iunius, qui lectionem Latinij improbat, non videtur illam intellexisse. Non ideo dico mutandam lectionem, sed vtramque esse optimam.

6. TRANSFIGVRATIONE.] Non dissidet vsurpatio huius vocis apud Cyprian. lib. de Hab. Virg. vbi *transfigurationem* vocat opus illud, quo virgines naturalem vultum coloribus mutant. Nec Senecæ epist. 94. *Nondum sapiens est, nisi in ea quæ didicit, animus eius transfiguratus est.*

6. VOX OBSOLEFACTA.] Plinius lib. 11. c. 182.
51. *Vox roboratur decimoquarto anno, eadem in senecta exilior.* Indicant tam Plinius quàm Tertullianus tempus ἀφωνοδιπαζόντων. Voci robustæ & obsolefactæ possis opponere φωνὴν τετριμμένην, *Gracilem, compressam.* Ita enim loquitur Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 3. Vide eundem lib. 2. Pædag. cap. 10. vbi loquitur de mutatione vocis auium certo quodam tempore.

6. PVDOR VBIQVE VESTITVR.] Legendum fortasse *vtique*, nam cur *vbique*, cùm pars vna tantùm pilis vestiatur? Clemens enim Alexandrinus in Pædagog. sæpè prædicat fœminam illa tantùm parte vestiri, cætera esse glabram & læuem.

7. VELATÆ AD VIRVM DVCVNTVR.] 183.
Ita hoc certum apud omnes gentes, vt inde dicantur nuptiæ, scilicet à velamento illo. Caper lib. de Orthographia: *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum, genàsque.* Nam verbum *nubo* olim fuit

operire, vt notauit Nonius. Inde *nubes*, vt quæ cœlum tegant. Et inde *Neptunus* quòd terram nubat aqua, vt scripsit Arnobius lib. 3. Cæterùm velamen, quo nuptæ tectæ ducebantur ad virum, propriè dicebatur *flammeum*. Martial. lib. 12.

Proluxêre faces, velarunt flammea vultus.

Martian. Capell. lib. 9.

Flammea virgineum quæ obnubere sueta pudorem.

Apul. lib. 4. de Aſ. *Puella nuptura deterget lacrymas ipso flammeo.* Huius rei ſylua in Briſſonio lib. de ritu nupt. Aliqua in Præmeſſis Schegkij epiſt. 9. & nos in Virgil.

184. 7. PER OSCVLVM ET DEXTERAS.] Verè per oſculum reſignatur pudor, id eſt, aperitur, vt explico: nam Plaut. in Curcul. Act. 1. Scen. 1.

Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem:
Qui volt cubare, pandit ſaltum ſuauiis.

Suauia, aut *ſauia* (nam ſic quoque in Plauto legitur) ſunt oſcula. Ait ergò his viam pandi ad voluptatem. Angelus Iuriſconſult. vocat oſcula *libidinis quædam antecœnia*. Et adiicit *dexteras*: quò alluſit Nazianzenus Epiſt. 57. ad Anyſium: *Animo & voluntate adſum, ſimúlque feſtum celebro, iuuenilésque dexteras inter ſe iungo, atque vtraſque do manui.* Quod excuſans ſe dicit, quia impeditus ægritudine non adeſſet nuptiis.

185. 7. RESIGNARVNT PVDOREM SPIRITVS.] Lucilius *ſignatam virginem* dixit, notans illæſam & inuiolatam. Idem quod Terentius *integram à viro*. Oppoſitum eſt *reſigno*, quaſi iam fractum ſigillum. Vocem aliam opponunt Apuleius, Plautus, Arnobius, vt notauit Scaliger, ſcilicet, *imminuere*. Itaque *imminuta* virgo, eſt, reſignata. Scripſi autem *ſpiritus*, ſecutus Codicem ſcriptum ex fide Woueren. nam ita mihi aptior viſa eſt ſententia, pro eo quod in vulgatis eſt *ſpiritu*. Video & defendi poſſe hanc lectionem.

186. 7. PIGNVS.] Cuiuſcunque rei oſtenſio & manifeſtatio, vt hîc *pignus* dicitur dextera & oſculum. Sic Tacit. lib. 19. *Sedem Iouis Max. auſpicato à Maioribus pignus imperij conditam, furore Principum exſcindi.* Cicero Philipp. 13. *Magnis & multis pignoribus Lepidum Reſpubl. obligatum tenet.*

7. CONDIXERVNT.] *Condicere* eſt propriè duorum aut plurium inuicem denuntiantium aliquid, quod συγκροτεῖν dicitur. Iuſtinus: *Ptolemæus, & Caſſander, & cæteri factionis eius duces, cùm carpi ſe ſingulos ab Antigono viderent, per Epiſtolas inuicem ſe confirmantes, locum tempúſque coeundi condicunt.* ac ſi dicas συντίθενται. Inde *condicta ſynodus* Ruricio Epiſcopo Epiſt. 34. lib. 2. & mille aliis.

187. 7. CONFVSIONEM.] Explicatio Iunij accipientis de promiſcua rerum conſociatione, falſiſſima eſt. Et cùm addit, eſſe impudens accipere de re pudenda, vult ipſe pudorem oſtentare. Verè Tertullianus *confuſionem* opponit *pudori*: hunc in ſponſalibus dicit reſignatum per oſculum & dexteras; illam conditam & promiſſam. Itaque miſtionem carnalem vtique σύμμιξιν, vocat *confuſionem*, quia digna confuſione, & ſuprà vocauit *contumeliam*, vt Ambroſius *conuitium* & *opprobrium*, & Hieronymus *abiectionem*, & *ſordes*, quorum teſtimonia iam adhibui lib. 1. ad Vxor. cap. 4. Iuuat Auguſtinus, qui illud Pauli ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum*, legit, *& gloria in pudendis ipſorum*. Vide interpretes Pauli. Vtuntur his vocibus Patres pro amore quo erant affecti erga pudicitiam, non quia damnarent matrimoniales nuptias. Videatur Gretſerus Animaduerſ. in Notas Iunianas cap. 12.

7. VRGENTE.] Pamelius ex manuſcripto legit *vrguente*, more Tertullianico, qui *vnguere* & *tinguere*.

B 8. IVRA SVA ÆTATIBVS REDDANT.] 188. Sollemnia verba fori. Paulus in L. *Jus pluribus* ff. de Iuſtit. & Iure. *Reddere ius Prætor quoque dicitur, etiam cùm iniquè decernit, relatione ſcilicet facta non ad id quod ita Prætor fecit, ſed ad illud quod Prætorem facere conuenit.* Ouid. 1. Faſt.

Nullus erat iuſtis reddere iura labor.

Manil. lib. 2.

Reddere iura foro, componere legibus orbem.

8. FOEMINAS A DVODECIM ANNIS, &c.] Legatur Ariſtot. lib. 8. de Republ. cap. 16. vbi de nuptiis loquens, longè alia determinat tempora in fœmina & maſculo. Vide & Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 7.

8. MATER FAMILIÆ.] Hoc teſtimonio 189. efficitur formam illam, quæ aliàs legitur *materfamilias*, eſſe potiùs in ſecundo caſu, quaſi μήτης familias, ex Græca imitatione, quàm κτῆς familias, in quarto.

C 8. QVASI ALIVS SIT DEVS NATVRÆ QVAM NOSTER..] *Naturam* pro vniuerſo hoc ſumi mundo certum eſt. Tullius lib. 1. de Natur. Deor. *Communis rerum natura vniuerſa, atque omnia continens.* Lucret. lib. 1.

Quos (verſus) *ego de rerum natura pangere conor.*

Imò *Deum* pro natura ipſa ſumebant Philoſophi. à qua loquendi forma non abhorret Ioan. Caſſianus Collat. 12. cap. 8. *Intemperantiam ſuam ad neceſſitatem carnis, imò ad eius referunt Creatorem, proprias culpas ad naturæ infamiam transferentes.* Vides mentionem Creatoris, & poſtea naturæ, vt rem eandem.

CAP. XII. ARGVMENTVM.

Virgo etiamſi non nupſerit, dici poteſt nupta: quod probat duplici teſtimonio, carnis & ſpiritus.

TERTVLLIANVS.

190. 1. AGNOSCE & mulierem, agnoſce & nuptam de teſtimoniis & corporis & ſpiritus, quæ patitur & in conſcientia & in carne. Hæ ſunt tabellæ priores naturalium ſponſalium & nuptiarum.

EXPLICATIO.

1. TOTA huius Capitis conſecutio cum ſuperiore, facilis eſt habenti oculos, tametſi illa interpretes hactenus latuerit, vt apparet ex eorum Commentationibus. Dixit in ſuperiore Capite de fœmina, *Quæ ſe intelligeret:* Nunc inſiſtens in rem eandem, adducit noua duo argumenta, quibus virgo iam ævo grandis, & patiens menſtrui, dici poſſit veriſſimè eſſe etiam *mulier* & *nupta*, tametſi non nupſerit. Argumenta hæc ſumuntur, primum à *teſtimonio corporis*, alterum à *teſtimonio ſpiritus*. Vocat primum teſtimo-

nium *corporis*, quia illud patitur, habétque fœmina in ipſa carne; alterum *ſpiritus*, quia patitur, habétque illud in ipſa conſcientia. Hæc duo teſtimonia dicit eſſe *priores tabellas* (Hiſpanè, *las capitulaciones*) & ſunt *priores*, quia illis virgo naturaliter deſponſatur & nubit priùs, quàm à parentibus nuptui tradatur.

191. 2. Impone velamen extrinſecus, habenti tegumen intrinſecus: tegantur etiam ſuperiora, cuius inferiora nuda non ſunt. Vis ſcire quæ ſit ætatis auctoritas? Propone vtramque, immaturè compreſſam in habitu mulieris, & quæ maturè progreſſa in virginitate duret cum ſuo habitu: facilius illa mulier negabitur, quàm iſta virgo credetur. Tanta eſt adeò fides ætatis, vt nec habitu obſtrui poſſit.

2. Adducit in hoc tractu primum teſtimonium carnis. Eſt hoc teſtimonium pubertas ipſa, qua virginalia veſtiuntur adnaſcentibus pilis. Propter hanc pubertatem, ait, virginem habere *tegumen intrinſecus*, & *inferiora* eius eſſe *non nuda*, quia veſtita pilis. Inde ergo æquum eſt, vt etiam virgo veletur *extrinſecus*, & *tegantur ſuperiora*. Explicat deinde quanta ſit *auctoritas* huius teſtimonij, quod ſumitur ab ipſo corpore, & carne. Finge (ait) virginem *compreſſam* ab aliquo ante maturitatem, ſeptennem verbi gratia, aut octennem puellam: Finge aliam, quæ iam ſit matura & nubilis, vigeſimum, verbi gratia, aut trigeſimum annum agentem, & quæ verè ſit virgo & incorrupta: tamen tanta eſt *ætatis* fides, vt prima illa difficillimè credatur eſſe corrupta; hæc altera difficillimè credatur eſſe virgo. Illud *in habitu mulieris*, nihil eſt aliud quàm, habita vt mulier. Nam quæ compreſſa ſemel eſt, etiamſi ſit immatura, iam habetur vt mulier. Ideo ſtatim opponit loquens de virginitate *cum ſuo habitu*, id eſt, cum habitudine virginali.

192. 3. Quid quòd etiam hæ noſtræ habitu mutationem ætatis confitentur, ſimulque ſe mulieres intellexerunt, de virginibus educantur, à capite quidem ipſo deponentes quod fuerunt. Vertunt capillum, & in acu laſciuiore comam ſibi inferunt, crinibus à fronte diuiſis apertam profeſſæ mulieritatem. Iam & conſilium formæ à ſpeculo petunt, & faciem moroſiorem lauacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinſecus iactant, calceum ſtipant multiformem, plus inſtrumenti ad balneas deferunt. Quid ſingula perſequar? Sollemnem manifeſtæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem. Sed virginari volunt ſola capitis nuditate, vno habitu negantes, quod toto ſuggeſtu profitentur.

193. 5. En iam alterum teſtimonium ſpiritus quod eſt in conſcientia: nam ipſæmet virgines cùm iam ſunt maturæ *confitentur* ipſo *habitu mutationem ætatis*, nam mutant habitum ad mutatam ætatem. Probat, nam ſimulátque *ſe intellexerunt* eſſe *mulieres*, menſtrua purgatione, ſtatim *educantur*, id eſt, educuntur, eximuntúrque de numero virginum, videlicet *deponentes à capite ipſo quod fuerunt*, id eſt, deponentes redimicula virginalia, & mitrulas, aut faſciolas, quas ſolent præferre puellulæ, relinquentes vtique ſtudia puerilia. Et loco horum ſuccedit verſio, id eſt, intinctio flaui capilli, vſus *acus*, ſpeculum, & reliqua quæ eleganter perſequitur. Complexus credo es Lector integrum caput. Do Notulas extremo huic tractui elucidando, reſeruans ad Notas quæ longiora. *Vertunt capillum*, ſcilicet mutant è nigro in croceum, aut flauum. *Et in acu laſciuiore*, &c. id eſt inferunt diſcriminántque ſibi comam, diuidentes eam acu laſciuiore ab ipſa ſtatim fronte in reliquum caput. Et optimè *inferunt*, pro, in diuerſa ferunt, & differunt in partem duplicem diſcriminando. Quæ ſit *acus laſciuior*, in Notis, vbi & alia loci huius explicatio. *Conſilium formæ à ſpeculo petunt*, optimo ſcilicet conſultore: *Mulieritatem*, id eſt, *profeſſæ* conditionem, non virginalem, ſed muliebrem. Expende mihi voculam, *apertam*, vt dicat, aperitur omnino mulieritas ad diuiſos, id eſt, apertos, crines. Adhuc. aperitur mulieritas ad frontem iam liberam, & apertam. Etenim frons, antequam coma diſcerniculo diſcriminetur, videtur impedita, & tecta crinibus. Quid ni hæc irrepſerint in animum magni ſcriptoris? Redeo. *Faciem moroſiorem*, id eſt, inelegantiorem, & quæ difficiliùs niteſcat, egeátque cura maiore moroſioréque. *Interpolant*, adornant, renouant. *Pallium extrinſecus iactant*. Nihil aliud eſt *iactant*, quàm modus iactitandi, circumferendi, verſandi pallij. Et fortaſſe dicit, *iactant* à ſe *pallium* interdum, vt ſine illo corpus gracile ſpectetur. & ſæpè videmus fœminas occaſiones haſce quærere. *Calceum ſtipant* ne ſcilicet laxus follicet; & hunc *multiformem*, vt in quo multæ elegantiarum formæ. *Plus inſtrumenti ad balneas deferunt*; totum penè mundum muliebrem. *Paraturæ*, id eſt habitus, quos ſibi parant, & comparant. Poteſt eſſe *paraturæ* rectus pluralis, & hoc magis obuium: poteſt eſſe etiam caſus gignendi prioris numeri, vt dicat, mulieres *circumferunt ſollemnem mulieritatem manifeſtæ ſuæ paraturæ*, id eſt ſollemnia habitus. *Virginari*, id eſt, παρθενεύειν. Ait, *ſola nuditate capitis* volunt apparere eſſe puellæ virgines, *negantes vno* tantùm *habitu* nudi capitis, *quod profitentur toto* reliquo *ſuggeſtu*, id eſt, habitu. Vt plenè capias in hoc loco verbum *virginari*, finge tu verbum *puellari*.

NOTÆ.

194. 1. TABELLÆ.] Sunt iſtæ, in quibus conuentiones ſponſalitiæ conſcribebantur, referebantúrque contractus, & pacta. Apuleius Apolog. 2. *Habes, Æmiliane, cauſam totam, cur tabulæ nuptiales inter me & Pudentillam, non in oppido ſint, ſed in villa ſuburbana conſignatæ.* Sidonius epiſt. 2. lib. 7. *Vxorem petit, impetrat, ducit, conſcribuntur tabulæ nuptiales: & ſi qua iſtic municipioli noſtri ſuburbanitas, matrimonialibus illic inſerta documentis, mimica largitate recitantur.* Quintil. l. 5. c. 11. *Nihil obſtat quominus matrimonium iuſtum ſit mente coeuntium, etiamſi tabulæ ſignatæ non fuerint.* Iſidor. l. 9. c. 8. *Ante vſum tabularum matrimonij cautiones quibus inuicem emittebant.* Iuuenal. Satyr. 16.

--- legitimis pactam iunctámque tabellis.

Ergo ait Tertullian. his tabellis priores istæ naturales.

2. NVDA.] Eadem metaphora qua suprà *innestis.*

195. 2. COMPRESSAM.] Signatum verbum ad notandam congressionem maris cum fœmina; signatum (inquam) nam & Gentiles inter reliquam Deorum farraginem, qui nubentibus præerant, constituerunt Deam *Premam*, vt etiam scribit Augustin. lib. 6. de Ciuit. cap. 9. à comprimenda fœmina; vt etiam Deum *Subigum*, à subigendo: hunc dicebant patrem, illam matrem.

2. OBSTRVI.] Verbum Iuris. Tritum illud de fenestris obstructis. Et Cicero pro Domo sua, dixit, *Luminibus obstruere*, pro officere. Nec mihi dubium quin huc aspirauerit Tertullianus. Itaque *habitus non potest obstruere ætati*, est, non potest officere.

3. QVID QVÒD ETIAM, &c.] Iunius totum hunc locum ita legit: *Quid? quòd & iam hæ nostræ etiam habitu mutationem ætatis confitentur, simúlque se mulieres intellexerunt de virginibus, educantur à capite*, &c. & *educantur* explicat aluntur, instituuntur. Non nego aliqua horum posse retineri, sed cùm lectio vulgaris commodissima sit, non est necessaria neque ista interpunctio, neque explicatio.

3. SIMVLQVE SE MVLIERES INTELLEXERVNT.] Locutio ista est in Petron. Sat. *Crede mihi frater, non intelligo me virum esse.*

196. 3. DE VIRGINIBVS EDVCANTVR.] Explicui eximuntur, educuntur. Verissimè. Antiquis enim *educo, educas* penultima producta, idem fuit quod *educo, educis*. Transfer huc quæ iam scripsi lib. de Pallio cap. 2. ad verba illa, *Chaldæum semen in Ægyptum educatur*. Vt ego explico, explicant quoque Rhenanus, & Pamelius. Valeat Iunius.

3. VERTVNT CAPILLVM.] Consule quæ scripsi lib. de Cultu fœminar. cap. 6. initio ad verba illa: *Video & quasdam capillum croco vertere*. Itaque qui hoc *vertunt capillum* explicat *intortant* me auctore malè explicat. Non nego forri posse explicationem, vt dicat, positu comarum & crinibus matronas fieri. Quod Festus dixit, *Senis crinibus nubentes ornantur. Vbi Seni crines* sunt, quas vulgò dicimus *trenzas*. & Martialis,

Portabat vxor rufa crinibus septem.

Et Ammianus lib. 14. cùm scripsit: *Et licet quocunque oculos flexeris, fœminas affatim multas spectare cirratas: quibus, si nupsissent, per ætatem ter iam nixus poterat suppetere liberorum.* vbi *cirratæ* sunt, quæ solutum capillum habent, & opponuntur his, quæ capillum illigarunt, nam sic reddunt *capillum vertere* in Tertulliano. Non, inquam, hoc nego, sed cùm videam locum illum de croco, quo vertunt capillum fœminæ, proculdubio inclino in hanc partem.

197. 3. ET ACV LASCIVIORE.] De *acu crinali*, aut *discriminali, discerniculum* etiam vocant, *calamum, calamistrum*, & Græci βελόνιον, κρῆσιν, καλαμίδα, σύριγγα, vt etiam Latini *fistulam*, varia est mentio. Videatur Isidorus, & Festus in voce *cnason*. Eius mentio in Iuuenale Sat. 2.

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos:

Cicero post reditum: *Frons calamistri notata vestigiis*. Lucil. lib. 30. Satyr.

Emplocamo digitis, discerniculúmque capillo.

Heliodor. l. 3. Histor. Æthiop. ἡ τὸ μετάπου τῶν βοστρύχων περιελίττουσα. *Et capillos à fronte discernens.* De lectione est quod moneam. In vulgatis est, *in acu*. Possunt isti, sic enim Marcilius firmat lectionem aliam de Pallio, *in fibulæ morsu*. Sic enim ibi dicitur (inquit ille) *in fibulæ morsu*, cùm satis esset *morsu fibulæ*; quemadmodum hic *in acu lasciuiore*, cùm satis esset *acu lasciuiore*, & sic ego retinui. Vide ageris locum illum de Pallio per initia capitis primi. In aliis est, *Aut acu lasciuiore comam sibi inferunt*. Rescribit Iunius *lasciuiorem*. Lectionem tamen quam ego sequor, non solùm suadent Codices correctissimi, sed etiam viri docti, qui sic admonent legendum. In primis Lipsius in l. 3. Annal. Taciti. & Herald. in Martialem. Mitto Rhenanum, Pamelium, Turnebum, Brissonium, Martinum Roam. l. 3. singular. Locor. cap. 15. & alios. Et quidem tuetur hanc lectionem ipse Martial. lib. 11.

Punctáque lasciua quæ terebrantur acu.

198. Nam sicut Martialis *acum lasciuam* dixit, sic potuit Tertullian. *Acu lasciuiore*. Sed quæ tandem *acus lasciuior*? id enim cùm ignoraret Iunius, mutauit lectionem. Duplex est acus, altera qua caput scalpitur, & dicitur discerniculum: altera, qua crines tinguntur, calamistrantur, rotantur. Discrimen hoc vide apud Scaligerũ in Festum voce *cnason*. Ergò prima illa acus, quæ dicitur *discerniculum*, & cui Tertullianus hoc loco dat hoc munus, tota est etiam ad lasciuiam, nam scalpendo capiti, quæ semper nota desidiæ, & nequitiæ. Itaque optimè nominauit *acum lasciuiorem*, quæ ad vsum discernendi capilli. Nam scilicet gestare hanc acũ summa erat lasciuiæ nota. Clemens Alexan. l. 3. Pædag. c. 11. loquẽs de vitiis fœminarũ: αἱ δὲ ταῖς κεφαλαῖς, ὡς μὴ δακτύλους ἔχουσι, ταῖς ὑπ' αὐτῶν φερομέναις σκαλίσκαις ῥυτίδοντα: *Aliæ quasi digitos non haberent, fibulis quas ferunt capita scalpentes, deliciantur*. Si legas tamen *lasciuiorẽ*, i. à qua lectione non abhorreo, & defendi potest ab editione prima Rhenani, tunc dupliciter expedit, vel vt *inferunt* habeat eandem significationem, quam dedi explicans, & dicat, discriminando comam faciunt illam lasciuiorem, quàm erat antea: vel vt *inferunt* notet comas appositicias, & aliunde ascitas atque illatas, & erit sensus: Apponunt sibi nouam comam lasciuiorem propria, & diuisis quoque crinibus à fronte apertam profitentur mulieritatem. Hanc explicationem iuuat plurimùm vocula *sibi*, quæ ad discriminationem notandam necessaria non est.

199. 3. CRINIBVS A FRONTE DIVISIS APERTAM PROFESSÆ MVLIERITATEM.] Attingit morem Antiquitatis, quod etiam Lipsius notauit in l. 3. Annal. Taciti. Videlicet matronæ ab innuptis discernebantur hac inter alias nota, vt diuerso essent positu comarum, & crinium habitu. Innuptæ scilicet cirrato erant capillo, matronæ diuiso. ita accipit Plautum in Milite:

Vtique eam ornatam adducas matronarum modo,
Capite comto, crines vittásque habeat.

Et in Mostellar.

Soli gerendum morem censeo, & capiundos crines.

Id est, nubendum. Inde credo morsus Martialis, lib. 3. Epigram. 72.

Bellus homo flexos qui digerit ordine crines:
Balsama qui semper, cinnama semper olet.

Notat hominem satis impudicum, vt non contentum soluto crine instar innuptarum, sed flexo digestóque in ordinem, vt solent quæ nubunt. Ab hoc ritu lucem accipit Claudian. de 6. Consulat. Honor.

Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore tori mater solertior ornat
Adueniente proco, vestésque & cingula comit
Sæpè manu, viridique angustat iaspide pectus,
Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

Vides vt inter alias notas nuptiarum instantium, tum etiam cura capilli comendi. Redeo. Dixi cirratum crinem innuptarum opponi comto & discriminato nuptarum: probat Lipsius ex Ammiano lib. 14. *Et licet quocunque oculos flexeris, fœminas affatim multas spectare cirratas, quibus, si nupsissent, per ætatem ter iam nixus poterat suppetere liberorum.* Vbi *cirratæ* clarè sunt innuptæ.

3. MVLIERITATEM.] Lipsius aduocans hunc locum in lib.3. Annal. Tacit. legit *mulierositatem*, alij *muliebritatem*. Sed Codices correctissimi Tertull. neutrum suadent.

200. 3. CONSILIVM FORMÆ A SPECVLO PETVNT.] Quid si sumsit locutionem à Martiali, qui lib.9. epigram.17.

Consilium formæ speculum, dulcésque capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo.

Lib. de Pallio cap.4. dixit, *speculum consulere*. Artemidor.lib.2.cap.7. κατοπτεύεσθαι, id est, *Stare ad speculum*. Et statim ὁρᾶν πῶς αὐτὸς εἰκόνα ὁμοίαν ἐν κατόπτρῳ: *Cernere in speculo similem sui formam*. Clemens Alexan. lib.3. Pædag. cap.3. πρὸς τὸ ἔσοπτρον διατιθέναι τὰς τρίχας: *Componere crines ad speculum*. Iustin.Mart. de vita Christiana: *Vsu venit quibusdam seipsas fallentibus, vt cùm apertè vultum pigmentis tingere non audeãt, arte id faciant: nam in vndam, aut oleum facie inclinata despicientes, de seipsis indicant, an aduersus castitatem belligerare possint*. Vt autem hic *consilium formæ* vocauit *speculum*, ita Martialis vocat *indicem*: est enim iudex formæ & faciei integer & incorruptus, versus est lib.9.

Quo felix facies indice (speculo) *tota fuit.*

3. FACIEM,&c.] De his lauacris, medicaminibus, interpolatione, dictum lib.de cultu fœminar.

201. 3. PALLIVM.] Datur gestamen hoc, vt vides, fœminis. Confirmat auctoritas Hieronymi in epist.ad Gaudent. vbi: *Solent quædam cùm futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina, nihil in collo, nihil in capite auri sinere: reuera bono consilio, ne habere discat in tenero quod postea ponere compellatur.*

3. CALCEVM STIPANT.] Vt pressus sit, & aptus pedi: nam hæc est elegantiæ pars. Inde Ouid.inter præcepta eius quæ velit amari,

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Sidonius epist.11. lib. 8. alloquens Thaliam,

Soccos ferre caue, nec (vt solebas)
Laxo pes natet altus in cothurno.

Hieronym. epist. ad Eustoch. reprehendens nimiam curam fœminarum in cultu: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes in laxa pelle non folleat*. Sic cõtrà calceus laxus argumentum est negligentioris cultus. Inde idem Hieronymus in eadem epist. loquens de monachis deprauatis vita: *Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ* (genus est calceamenti) *follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum*. Itaque vt viderentur negligentiores humani cultus, affectabant laxa calceamenta, vt hypocritæ. Ait ergò Tertullian.innuptas vt contemnentes cultum, nihil curare de calceo laxo, cui rei seruit extremum testimonium: contrà curam hanc subire easdem nupturas, quod probant prima. Credo autem, omnes qui pressi calcei atque stipati, nec follicantis meminêre, alluisisse ad veterem paræmiam quam habet Clemens lib.3. Pædag. cap.7. μέτρον ὁ ποὺς τὸ ὑποδήματος: *pes mensura calcei*. quia si turpe sit calceum esse ἄμετρον, & erit, si sit laxus.

202. 3. MVLTIFORMEM.] Retuli ad varias elegantias, & ματαιοτεχνίας, id est, *vana artificia* (sic enim indigetat Clemens lib. 2. Pædag. cap. 11.) quibus strui calcei solebant: nam hæc multiformem faciunt calceum, distinguúntque ab vniformi. Balduin. lib. de Calceo cap.19. refert Tertullianum ad calceũ, quem κεντητὸν vocat Epictetus, id est, *interpunctum*, punctis distinctum, & incisuris quibusdam artificiosum. Vtique ad calceum, quem appellant Sicyonium, Hesychius, Σικυώνια, γυναικεῖα ὑποδήματα: *Sicyonia, muliebria calceamenta*. Cicero 1. de Orat. *Si mihi calceos Sicyonios attulisses, non vterer, quamuis essent habiles, & apti ad pedes; quia non essent viriles*. Nicetas Choniates in vita Ioannis Comneni per initia vocat calceamentum purpureum, ἐρυθροῦ πεδίλου. & cap.5. πεδίλοις ἐρυθροῖς ὑποδεδυκώς. Idem in vita Isaaci cap.5.lib.1. vocat κοκκοβαφὲς πέδιλον, *admodum purpuratum calceũ*. Porrò *multiformi calceo* video opponi à Clemente lib. 2.Pædag.cap.11. λιτῷ ὑποδήσει, id est, *tenuem & simplicem calceaturam*. Notetur verò locus eiusdem Clementis ibidem, vbi loquens de fœminis, περὶ τὰς ὑποδήσεις εἰσὶν αἱ ἀλαζόνες πῶς πολλῷ βλακείᾳ κάνταῦθα ἐπιδεικνύμεναι: *Arrogantes fœminæ magnam quoque mollitiem ostendunt in calceamentis*.

203. 3. PLVS INSTRVMENTI AD BALNEAS DEFERVNT.] Ex magna doctrina hoc Tertullian. nam olim fœminæ præcipuam magnificentiæ partem ponebant in apparatu quo ibant ad lauacrum. Huius rei locus est elegantissimus Clementis Alexan.lib.3. Pædag.cap.5. εἰς τοσοῦτον γὰρ ἀκρασίας ἥκουσιν, ὡς δεινεῖν ἐν μεθύειν ἐπὶ λουτρῶν. τάχα ἀργυρώματα, μεθ' ὧν ἐμπομπεύουσιν, ἀπιέναι καλῶς ἐν τοῖς βαλανείοις φρονοῦσαι. τάχα μὲν που καὶ τὸν πλοῦτον δι' ἀλαζονείαν προφέρουσι: *Eò enim intemperantiæ deuenerunt vt cœnent, & sint ebriæ dum lauantur, & argenteam supellectilem, cum qua tanquam in pompa se venditant, arrogantes ad balnea proferant, atque adeo fortasse etiam diuitias propter immodicam superbiam*. Dolet ergo Tertullianus virgines id sibi assumere quod etiam in nuptis dignum est reprehensione: cùm præsertim virgines debeant carere non solùm pompa lauacri, sed ipso adhuc lauacro. Athanasius enim lib. de Virginit. loquens cum virgine, οὐ πορεύσῃ εἰς βαλανεῖον, *non ibis ad balneum*.

204. 3. PARATVRÆ.] Vox frequens in hoc scriptore. Vvarnefrid. in vita Caroli Magni: *Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum calceamenta forinsecus aureata*.

3. VIRGINARI.] Contrarium *devirginari*, quod verbum vsurpat Hieronymus Epist.ad Saluinam. Petron. *Cur non devirginatur Panichides nostra*. Gloss. *devirginari*, διαπαρθενεύειν. Vtique quod Laberius dixit apud Agell.lib.16. cap.7. *depudicauit*. & Cæcilius: *Nomen* (alij volunt, *Hymen*) *virginis deintegrauit*. Paulus 1. c. l.vlt. de off. præs. *Præses cùm cognoscat de seruo corrupto, vel ancilla devirginata*. Hieronym. epist.25. *in Aegypto primùm devirginata est*. Ad rem. Pars pudenda honesto vocabulo dicta est Apuleio *virginal*, idem omnino quod *seminal*, aut *interfœmineum* eidem Apuleio. Sed hoc credo discrimine, vt *seminal* de vniuersis fœminis, *virginal* de vnis virginibus. Hic obiter illud Meursij in Exercit. Crit. adnotabis, *Fortunam Virginalem* esse Venerem; sub cuius potestate erant virgines, ei sacra faciebant, icunculas dedicabant, & si quid malè accidisset, ie imputabant: *Fortunam* autem *Muliebrem* esse Iunonem, sub qua matronæ erant. Exemplis hæc firmat, mihi satis adnotasse hæc.

3. SVGGESTV.] Dixi alibi de hac voce.

CAP. XIII. ARGVMENTVM.

Non ſolùm foris apud Ethnicos velari debent virgines, ſed etiam in Eccleſia, & coram Chriſtianis.

TERTVLLIANVS.

205. 1. SI propter homines habitu abutuntur, impleant illum etiam in hoc, vt & apud Ethnicos caput velent. Certè in Eccleſia virginitatem ſuam abſcondant, quam extra Eccleſiam celant. Timent extraneos, reuereantur & fratres: aut conſtanter audeant & in vicis virgines videri, ſicut audent in Eccleſiis. Laudabo vigorem, ſi aliquid & apud Ethnicos virginitatis nundinarint. Eadem natura foris, quæ & intus; eadem inſtitutio apud homines & apud Dominum eâdem libertate conſtat. Quò ergo foris quidem bonum ſuum abſtrudunt, in Eccleſia verò prouulgant?

EXPLICATIO.

206. 1. AD cognitionem huius tractus & totius capitis, ſuppone, virgines contra quas hîc ſcribit Tertullianus, reuelari ſolitas coram Chriſtianis in Eccleſia, & tantùm velari extra Eccleſiam coram Ethnicis; fortaſſe putantes earum faciem Chriſtianis non eſſe ſcandalo, vt optimè inſtitutis; Ethnicis fore. Hanc ſuppoſitionem eſſe veram & hic tractus, & totum hoc caput clamant. Iam ergo ad explicationem. Dixerat in ſuperiore capite, virgines, vt ſe cognoſcebant eſſe mulieres, ſolitas eximi de virginum numero, aſſumptis ornamentis muliebribus, profitentes mulieritatem verſione capilli, diuiſione crinium, lauacro, &c. vna tantùm reſeruata nuditate capitis: ait ergo nunc. Si adhuc cùm ſint virgines, vtuntur propter homines *habitu* muliebri, qui merus eſt abuſus; nam ille habitus non eſt virginalis; *impleant illum* habitum muliebrem *etiam in hoc*, ſcilicet *velent caput*, *vt* etiam illud velant *apud Ethnicos*. Æquiſſimè hoc petit Tertullianus. Nam cur velint eſſe mulieres reliquo habitu, & non vno tantùm capite? Hoc certè eſt, deintegrare & dimidiare (ſic dicam) habitum muliebrem. Et potius eſt vt impleatur, integerque ſit, & conformis. Nam ſi nudo ſint capite, deeſt præcipuum complementum ſtatus muliebris, cùm Apoſtolus docuerit velandas eſſe mulieres. Pergit. *Certè in Eccleſia*, &c. Particula *certè* habet hîc emphaſin. Eſto, extra Eccleſiam aliquando ſint intectæ, tamen omnino, ſine dubio, atque euidenter tegendæ ſunt in Eccleſia, cùm *extra* illam celentur coram Ethnicis: æqualis enim debet eſſe apud illas reuerentia fratrum, timori extraneorum. q.d. Cur non celent in Eccleſia, & coram Chriſtianis pulchritudinem ſuam, vt theſaurum optimum; cùm eandem celent coram Ethnicis, vt peſſimum faſcinum? Procedit. *Aut conſtanter audeant*, &c. Non vult Tertullianus, vt intectæ ſint coram Ethnicis, ſed ex ſuppoſitione quòd velint eſſe intectæ in Eccleſia, dicit potius eſſe, vt etiam coram Ethnicis oſtentent virginitatem: erit quippe gloria Euangelij eſſe fœminas apud Chriſtianos perfectiſſimi adeò ſtatus obſeruatrices. Expendo quædam. *In vicis*, ſcilicet coram Ethnicis: *Sicut audent in Eccleſiis*, emphaticè. Nam quæ maior audacia? *Vigorem*, quod ſuprà dixit, *conſtanter*. *Nundinarint*, ſicut in nundinis merces exponuntur omnium oculis, ita iſtæ manifeſtent ſuam pulchritudinem. *Eadem natura foris*, id eſt, apud Ethnicos, *quæ & intus*, id eſt, apud Chriſtianos. *Eadem libertate*, vt ſunt liberæ apud Deum in retectione, ſint & apud homines. *Quò ergo*, quorſum ergo? ad quid?

207. 2. Expoſco rationem. Vtrumne vt fratribus ſuis placeant, an vt ipſi Deo? Si vt ipſi Deo; tam idoneus eſt ad conſpicienda quæque in occulto fiunt, quàm iuſtus
Matth. 6. eſt ad remuneranda quæ ſoli ſibi fiunt. Denique præcipit, nihil debuccinemus eorum quæ apud illum mercedem merebuntur, nec ea ab hominibus compenſemus. Quòd ſi vnius victoriati, vel quamcunque eleemoſynæ operationem ſiniſtra conſcia facere prohibemur, quantum tenebrarum circumfundere debemus, cùm tantam oblationem Deo offerimus ipſius corporis, & ipſius ſpiritus noſtri, cùm illam ipſam naturam conſecramus?

2. Hic tractus clarus eſt, addam tantùm explicatiunculas. *Idoneus*, verbum Iuris, & hic optimè poſitum. *Quæque*, id eſt, quæcunque. *Denique præcipit*, id eſt, itaque, vſu frequentiſſimo Tertulliani. *Debuccinemus*, alludit ad cap. 6. Matth. *Victoriati*, eſt nummulus, in quo ſignata, & percuſſa victoria. *Operationem*, loquitur propria ſtylo Patrum, qui de eleemoſyna dicunt *operationem*; quod iam ſtruxi & firmaui lib. de Idololat. cap. 23. *Tenebrarum*, intelligit velamen quod tenebras & obſcuritatem inducit formæ virginis. *Oblationem*. Nota verbum. Non enim aliter loquendum de virginitate, eſt enim diuiniſſima oblatio. Sed creſcit locutio, cùm addit, *naturam conſecramus*, nam virgines ſe verè Deo conſecrant.

208. 3. Ergo quod non poteſt videri propter Deum fieri, quia ſic fieri Deus non vult, ſequitur vt hominum gratia fiat: vtique primò illicitum, vt gloriæ libidi-

noſum : gloria enim illicitum eſt eis, quorum probatio in omni humiliatione conſtat. Et ſi à Deo confertur continentiæ virtus, quid gloriaris quaſi non acceperis ? Si verò non accepiſti, quid habes quod datum tibi non eſt ? Hoc ipſo autem conſtat à Deo datam tibi non eſſe, quòd illam non ſoli Deo præſtas. Videamus ergo quod humanum eſt, an firmum ſit & verum.

3. Cùm probauerit detectionem fieri non poſſe *propter Deum*, ſequitur vt fiat propter homines. Probat autem duplici ratione non debere hoc fieri propter homines. Primò, quia *illicitum* eſt; *vt gloriæ libidinoſum* : Deinde, quia cùm virginitas ſit donum Dei, & mera gratia, cur illam venditemus hominibus ? Percurro quædam. *Libidinoſum gloriæ*, eſt ex mera gloriæ libidine. *Gloria illicitum eſt*, Helleniſmus, δόξα ἄδικον, ἀδέμιτον. *A Deo confertur continentiæ virtus*, quippe, *vt ſciui, quoniam non poſſem eſſe continens, niſi Deus det*, dicitur 8. Sapientiæ. *Quid habes quod datum tibi non eſt ?* Id eſt, quid præſumis te habere ? *Videamus ergo*, &c. Iacit ſemen ad ſequentia duo capita, in quibus ratio quam refutat, tota eſt humana, & ideo neque firma : quod probat ſequenti capite; neque vera, quod probabit capite decimoquinto.

NOTÆ.

209. 1. IMPLEANT ILLVD, &c.] Ego puto interpunctione Iuniana locum iſtum peſſumdari. Et aduerbium *certè* ad ſequentia pertinet, non ad præcedentia. Itaque lectio Rhenani & Pamelij certiſſima eſt.

1. NVNDINARINT.] Ita ſuprà *nundinatitia capita*.

1. FORIS.] Ita de his, qui extra Eccleſiam ſunt, ideo & hic *extraneos* vocat. Sed hoc alibi probo, & firmo.

1. PROVVLGANT.] Alij *prómulgant*, alij *peruulgant* : ad rem nihil, & mutandum nihil.

2. FRATRIBVS.] Ita communi vocabulo dicebantur Chriſtiani, quod alibi firmo. Et ideo opponit illis Ethnicos.

2. QVÆQVE.] Admonet Vvoueren. legendum ex Codice ſcripto *quæ*, non *quæque*. Potes ſi velis ita legere : ſed non eſt neceſſarium, nam *quæque* pro quæcunque, ex vſu eſt ſcriptorum. Ita Caſſian. Collat. 10. in Procœmio : *Quanquam non dubitem ex hoc ipſo non minimam inſtructionem ſuper omnipotentis Dei, quæ in Geneſi legitur, imagine, quibuſque ſimplicioribus conferendam*, id eſt, quibuſcunque. Et Collat. 14. cap. 3. ait *quiſque* pro quicunque, vt legenti clarum. Et lib. 5. cap. 36. *cuique culturæ optari inſulam*, id eſt cuicunque.

210. 2. DEBVCCINEMVS.] Hieronym. ad Euſtochium : *Cùm manum genti porrexerint, buccinant.* Vterque aſpirat ad illud, *Noli tuba canere*. Et Hieronymus planè ad Tertullianum, vt viſum Rhenano & Pamelio.

2. MERCEDEM MEREBVNTVR.] Coniungit : nam *merces* à *mereor*. Et dixit *merebuntur* ex forenſi vſu. Citat Iunius verba hæc Papiniani : *Si tamen ob aditam hæreditatem actionibus aut ſeruitutibus confuſis amiſerit, auxilio reſtitutionis non merebitur*, l. cum qui §. 1. ff. de his quib. vt indig.

211. 2. VICTORIATI.] Numni huius, ſic dicti à ſigno Victoriæ impreſſo, meminere Varro lib. 8. & 9. de ling. Lat. Cicero pro Fonteio. Quintilian. lib. 6. cap. 4. Plin. lib. 20. cap. vlt. & lib. 33. cap. 3. ita ſcribit : *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus* A *eſt. Antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur. Eſt autem ſignatus Victoriâ, & inde nomen.* Vide & Scaligerum in Feſtum, voce *Patres*.

2. TENEBRARVM.] Illuſtro ab Zenone Veronenſi, qui ſermone de Iuda, loquens de Thamar, ait : *Ne cognoſcatur, faciem velamine obſcurat neceſſario.* Et ab Clemente Alexan. lib. 2. Pædag. cap. 10. ἐγκεκαλύφθαι δὲ χὴ πὼ κεφαλὼ, χὴ τὸ πρόσωπον ἐπισκιάζθαι πρόσταττακται. οὐ γὸ ὅσον εἶναι θέαμτρον ἀνθρώπων τὸ κάλλος τῦ σώματος : *Imperatum eſt illis vt caput tegant, & faciem obumbrent, quia non honeſtum eſt pulchritudinem corporis eſſe aucupium hominum.*

2. OBLATIONEM.] Ita loquuntur Doctores de virginibus. Hieronym. ad Lætam : *Offerre, necne, filiam, poteſtatis tuæ fuit; vt autem oblatam non negligas, ad periculum tuum pertinet.* Et in epiſt. ad Demetriad. virginem, ipſam vocat *hoſtiam*, vſurpátque verbum *conſecrationis*, vt hic Tertull. Iterum : *Plus interim recepiſti virgo, quàm obtuliſti.* 212.

B 2. CVM ILLAM IPSAM NATVRAM CONSECRAMVS.] Ita in vulgatis legitur, ſed præfero editionem primam Rhenani, vbi, *Cùm illi ipſam*, &c.

3. VTIQVE PRIMO ILLICITVM.] Legunt, *vtique. Primò illicitum.* Nihil intereſt.

3. A DEO CONFERTVR.] Ita ſuprà cap. 10. *Virginitas gratia conſtat* : quamuis ſibi loquatur cum diſcrimine ad continentiam.

3. QVID HABES QVOD DATVM TIBI NON EST ?] Vide vt explicui, nec eſſe aliter poteſt. Eadem planè acceptione vſurpat verbum hoc Caſſianus Collat. 10. cap. 2. vbi monachus qui offenderat in Deum, ita poſtea luget : *Heu me miſerum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam, non habeo, vel quem adorem aut interpellem iam neſcio.* Vbi *non habeo* eſt, non præſumo me habere, puto me non habere. 213.

3. HOC IPSO AVTEM CONSTAT.] Ita legendum eſt, & ita legit Rhenanus in prima editione. In vulgatis Pamelij legitur, *hoc ipſo aut conſtat*, nullo apto ſenſu.

CAP. XIV. ARGVMENTVM.

Curandum vt in Eccleſia veræ ſint virgines, non multæ; nam ratio hæc humana eſt, & parum firma.

TERTVLLIANVS.

214. 1. REFERVNT aliquando dictum à quodam, cùm primùm quæſtio iſta tentata eſt; & quomodò cæteras ſollicitabimus ad huiuſmodi opus? ſcilicet felices nos facient, ſi plures erunt, & non Dei gratia, vel merita cuiuſque? Virgines Eccleſiam, an Eccleſia virgines ornat Deo, ſiue commendat? Confeſſus eſt igitur gloriam eſſe in cauſa.

EXPLICATIO.

1. EN *humanum* illud quod dixit ſe agitatum in hoc capite. Nam ſcilicet dixit quidam (non vult nominare; diſcant hinc aliquid Concionatores plus iuſto liberi) oportere virgines eſſe intectas, vt ita aliæ fœminæ ſollicitarentur ad ſimilem gloriolam captandam. Reſpondet Doctor, *ſcilicet felices*, &c. Reſponſio eſt ironica, & ſatis clara. *Et non Dei gratia*, ſubaudi verbum *ſit*, quod eſt proximum. Vel ita concipe: *Felices nos facient, plures, & non* potiùs *Dei gratia?* &c.

215. 2. Porrò vbi gloria, illic ſollicitatio: vbi ſollicitatio, illic coactio: vbi coactio, illic neceſſitas: vbi neceſſitas, illic infirmitas. Meritò itaque dum caput non tegunt vt ſollicitentur gloriæ cauſa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina. Æmulatio enim illas, non religio producit: aliquando & ipſe deus venter earum, quia facilè virgines fraternitas ſuſcipit.

2. Dixit in fine ſuperioris capitis humanam gloriam quam captant virgines, ex intectione eſſe & infirmam & vanam. Agit itaque in hoc capite de infirmitate. Sed quæ hæc infirmitas? ruina vtique in ſtuprum. Vti gradatim Tertullianus rem efficiat, ita eſt clarum, vt tantùm egeat Lectore. *Ventres tegere coguntur*, vtuntur arte aliqua ne appareat fœtus. *Infirmitatis ruina*, ſtupri ruina. *Æmulatio enim illas*, &c. Adhibetur cauſa infelicis ruinæ. *Æmulatio* quippe, *non religio* facit vt illæ exiſtant. Itaque *producit*, eſt, procreat, gignit. niſi explices, *producit ad Eccleſiam*, quia poſtea *prolatæ in medium*. Pergit. *Aliquando & ipſe deus*, &c. Ratio altera ruinæ, quia ſcilicet tantùm ſunt virgines, vt ſibi eleemoſynas parent à fratribus fidelibus, qui proni ad opem ferendam ſtatui religioſiſſimo. Sed intellige ironiam naſutam & Africanam. Dixerat, *non religio producit* illas. Sed ſe corrigens ironicè ait: Quid dixi? etiam religio producit, ſcilicet *venter*, qui ſibi eſt *deus*, & religio.

216. 3. Nec tantùm autem ruunt, ſed & funem longum delictorum ſibi adtrahunt. Prolatæ enim in medium, & publicato bono ſuo elatæ, & à fratribus, omni honore & charitatis operatione cumulatæ, dum non latent; vbi quid admiſſum eſt, tantum dedecoris cogitant, quantum honoris habuerunt.

3. Dixit ruinam talium virginum, iam texit *longum funem delictorum*, qui ſequitur ruinam illam. Sed priuſquam illum attexat, ponit cauſam quam habet hic funis: quia ſcilicet cùm virgines habeant magnum honoris gradum, neceſſe eſt vt tali in ruina cogitent ad euadendum inde tot ac tanta dedecora, *quantum honoris* priùs *habuerunt*. *Prolatæ*, quod ſuprà, *productæ*. *Publicato*, cognito publicè. *Et charitatis operatione cumulatæ*, quia dixerat facile virgines ſuſcipi à fratribus. Eſt *operatio* eleemoſyna. *Dum non latent*. q.d. *omni honore* affectæ *à fratribus*, & *cumulatæ* eleemoſynis, quia *non latent*, id eſt, quia cognoſcuntur eſſe virgines dum ſunt abſque velamine, neque latent ſub illo. Aliter explicabo in Notis.

217. 4. Si intectum caput virginitati aſcribitur, ſi qua virgo exciderit de gratia virginitatis, ne prodatur, intecto permanet capite: & tunc iam alieno ambulat habitu, id eſt, quem ſibi vendicat virginitas: permanet nihilominus in habitu, vel tunc ſaltem alieno, ne ſcilicet mutatione prodatur.

4. En iam funis ille adtractus adductúſque in longum ex multis delictis, & deformitatibus. Has deformitates ad tres confero, primam continet hic tractus. Eſt enim deformiſſimum, vt virgo quæ in ſtuprum incidit, ſit detecto capite, ſi hæc ſit nota virginalis ſtatus: & erit quidem permanebitque detecto, *ne prodatur*. Cùm omnia ſint clara, te tantùm moneo, extremam hanc lineam à verbis illis *permanet nihilominus*, &c. iudicio meo merum eſſe gloſſema, vt multa in bonos Auctores irrepſerunt typographorum inſcitia. Tu te conſidera, & videbis nihil de nouo addi, & meram eſſe laciniam, & aſſutelam.

218. 5. Conſciæ muliebritatis, iam indubitatè audent nudo capite ad Deum adire. Sed
Matth. 10. æmulator Deus, & Dominus qui dixit, Nihil occultum quod non reuelabitur, pleraſ-

quæ etiam in conſpectum deducit. Non enim confitebuntur, niſi ipſorum infantium ſuorum vagitibus proditæ.

5. Eſt hæc altera deformitas & delictum (hic ſignatè *audaciam* nominat) nam non dubitant orare *nudo capite* in Eccleſia, *conſciæ* ipſæ corruptionis ſuæ. Cur hæc ſit maxima audacia, ſcis ipſe: nam Apoſtolus docet, mulieres, id eſt, corruptas, debere orare in Eccleſia velatas. Ne tamen crede, adiicit, te rem hanc impunè laturam, nam Deus tantum delictum manifeſtabit. *Aemulator*, id eſt, zelator. *Reuelabitur*, in Græco eſt ἀποκαλυφθήσεται, quod propriè eſt *reuelabitur*: interpres vulgaris maluit *reueletur*: ſed vt ſæpè monui, Tertullianus Græcum textum lectitabat. *In conſpectum deducit*, id eſt, manifeſtat. *Non enim confitebuntur*, &c. Arripit ſermonem à re forenſi & cauſis. Ipſæ non confitebuntur, ſed prodet illas teſtis omni maior exceptione, videlicet infantium vagitus.

219. 6. Quantum autem plures, non etiam de pluribus ſceleribus ſuſpectas habebis? Dicam, licèt nolim, difficilè mulier ſemel fit, quæ timet fieri: quæque iam facta, poteſt virginem mentiri ſub Deo, quanta item circa vterum ſuum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus quot iam infantes & perfici & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu à matribus. Facillimè ſemper concipiunt, & feliciſſimè pariunt huiuſmodi virgines, & quidem ſimillimos patribus. Hæc admittit flagitia coacta & inuita virginitas.

220. 6. Sequitur tertium delictum omnium deformiſſimum, præmittitque verba iſta. *Quantum autem*, &c. id eſt, *Quantum autem plures* habes, *non etiam*, &c. Vel tu ſubaudi verbum aliud, nam ſententia eſt, quo plures ſunt, pluria ſuſpicanda ſcelera. Sed quæ hæc pluria ſcelera? ipſe explicat cùm addit, *Dicam, licèt*, &c. Nollem aperire hæc vulnera, ſed aperiam etiamſi inuitus. Primò, *difficilè mulier ſemel fit, quæ timet fieri*. Attingit horrendiſſima monſtra libidinum: nam ſunt virgines, quæ admittunt omnem impudicitiam, & tantùm timent, cauéntque ne corrumpantur; atque hoc ne fiat, obluctantur conatu omni, & difficilè quidem niſi ipſæ velint, corrumpentur: nam fruſtrabuntur libidinem maſculi, & caducam facient extra vas. Pergit. *Quæque iam facta*, &c. id eſt, illa verò, quæ tametſi difficilem ſe præbuit, tandem victa eſt à maſculo & corrupta, quæ non audebit ad enecandum fœtum, ne detegatur eſſe mater? Et obiter ait illud *Virginem mentiri ſub Deo*. q. d. quæ ea eſt impudentia, vt poſſit mendaciter ſe virginem Deo oſtentare (nudo videlicet capite in Eccleſia) quid non faciet vt mentiatur fœtum ſui vteri? Clarè. Quæ Deo mentitur virginitatem, mentietur hominibus fœtum. Dabo in Notis explicationes alias. *Scit Deus*, &c. Probat audaciam illam circa vterum, & nihil maius potuit ad hoc exaggerandum, quàm vocare *debellatrices*, hoſtes ſuorum viſcerum: ſed Deus tamen, &c. *Facillimè ſemper concipiunt*, &c. Dixit infantes etiam pugnantibus matribus *perfici* à Deo, *& perduci* ad vitam *integros*. Confert rem hanc etiam in naturam ipſam. Eſt enim naturale furtiuos concubitus virginum eſſe non fruſtraneos, vtpote arreptos ex mera libidine & guſtu, non ex coniugali aſſuetudine & faſtidio. Etenim facile fœtus concipitur, & feliciter partus ſuccedit, etiamſi matres magnis machinis pugnent, acceptis variis potionibus & emiſſo ſanguine. Ex guſtu, quem dixi, ſequitur, vt liberi ſimiliores ſint *patribus* quàm matribus. Hæc omnia eò pertinent, vt deterreat virgines ab ſtupro. q. d. Deus vos prodit, nam perficit infantes, perducitque ad vitam; natura etiam ex facilitate & felicitate partus; demum ſimilitudo cum *patribus*, ne negetur ſtuprator. *Hæc admittit flagitia*, &c. q.d. Videtis an longum funem adduxerim delictorum veſtrorum.

221. 7. Ipſa concupiſcentia non latendi non eſt pudica: patitur aliquid quod virginis non ſit, ſtudium placendi vtique & viris. Quantum velis bona mente conetur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonſtrantium titillatur, dum nimiùm amatur, dum inter amplexus & oſcula aſſidua concaleſcit. Sic frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſoluitur, ſic diſcitur aliter iam placere deſiderare.

222. 7. Poſt grauia delicta enumerata, contra quæ oratio Tertulliani tumuit, leniore ſermone percurrit leuiora alia quæ ſequuntur ex detectione. *Concupiſcentia non latendi*, id eſt, velle videri: ſed viuidiùs Noſter, concupiſcere videri. *Quantum velis*, &c. reſiſtat quantum velis. *Publicatione*, detectione. *Incertis*, quia cùm non ſit nupta, non à viro ſuo, qui certus eſt, cernitur: vel refer ad verbum *percutitur*, vt dicat, *percutitur oculis* tanquam hoſtibus incertis, neſcit enim virgo à quo debeat cauere ſibi. *Titillatur*, inani gloria & faſtu: titillatio enim gloriæ illum ſubit qui monſtratur digitis: niſi referas, nec diſplicet, ad titillantem libidinem ex aliorum obtutibus. Eſt enim *titillatio* propriè libidinis. Vide Caſſian. Collat. 11. cap. 14. *Dum nimiùm amatur*, cùm ait *nimiùm*, indicat amorem maiorem iuſto, verè turpem, & totum ad concupiſcentiam carnis. *Dum inter amplexus & oſcula*, &c. Nam ſe Chriſtiani receptiſſimo more ſalutabant amplexu & oſculo. *Sic frons duratur*, ademto velamine: *ſic pudor teritur* ſpectantium oculis: *ſic ſoluitur* in Venerem. *Aliter iam placere*, ſcilicet ipſo ſtupro. Sed notabis tandem concinnitatem ſcriptoris: nam poſteriora hæc reſpondent prioribus. *Dum percutitur oculis, ſic frons duratur: dum digitis demonſtrantium titillatur, ſic pudor teritur: dum nimiùm amatur, ſic ſoluitur: dum inter amplexus, & oſcula aſſidua concaleſcit, ſic diſcitur aliter iam placere deſiderare*. Talem te volo ſcrutatorem Tertulliani.

NOTÆ.

223. 1. AQVODAM.] Proferunt ex mſ. *à quadam*, & poſtea *confeſſa*, ita vt verba ſint fœminæ cuiuſpiam.

2. VBI GLORIA, ILLIC SOLLICITATIO, &c.] Citat Andr. Hoyus in formis Prouerbialibus Tertulliani ſimilia Gregorij in Moralib. *Oritur ex ſuggeſtione cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus*, &c. *vſque ad certam damnationem.* Tu Tertullianum expende vt habeas locum elegantiſſimum contra gloriam vanam. Vides enim ex primo gradu gloriæ inanis, quæ non graue crimen, & frequentiſſimè veniale, peruenire tandem ad miſerum barathrum libidinis: ita ſcilicet fit delictorum concatenatio.

224. 2. QVIA FACILE VIRGINES FRATERNITAS SVSCIPIT.] Retuli ad eleemoſynam, qua fratres Chriſtiani libenter accipiebant virgines: eò enim me ducunt verba quæ præcedunt de ventre, vt dicat: Producit illas aliquando venter, id eſt, gula, B quia vident fratres ſuppeditare cibos virginibus. Nam ſcilicet locum Pauli 3. Philipp. *Quorum Deus venter eſt*, vulgus interpretum ad gulam confert. Etenim Chriſtiani olim procliues admodum fuerunt ad præbenda neceſſaria virginibus, quia hic ſtatus ſemper in veneratione. De Conſtantino Magno ait Theodoritus lib. 1. Hiſtor. cap. 11. ſuppeditaſſe virginibus ἐτήσια σιτηρέσια, *menſus frumentarios in annos ſingulos.* Sed cùm Pamelius & Rhenanus verba iſta, *Facilè virgines fraternitas ſuſcipit*, referant ad amplexus & oſcula, de quibus loquitur in exitu huius capitis; perinde liquet locum aliter interpretandum, vt dicat: Producit illas in Eccleſiam venter, id eſt, carnalis appetentia, nam delectantur oſculis & amplexibus fratrum. Hæc explicatio ſi vera eſt, vt tantis viris placita, habes ex ea Tertullianum explicare verba Pauli non de gula ventris, ſed de pudendis ventris. Et aliquid ad hanc C explicationem conducere verba Auguſtini videbis in Iuſtiniano noſtro, vbi tractat locum Pauli. *Fratres* autem dicti ſunt Chriſtiani & eorum Collegia. Dionyſ. Alexan. apud Euſebium lib. 6. cap. 34. ἐξέκλινον δὲ καὶ ἐπὶ τοὺς ἀδελφούς: *Deflexêre è via, & ad ſolitaria loca ſe fratres ſubduxêre.* Agit videlicet de perſecutione illa quæ efferbuit ſub Decio.

225. 3. RVVNT.] Signatum verbum ad libidinem. Vide me ad lib. 3. Georg. vbi,

In furias ignémque ruunt.

Vide & lib. de habit. mulieb.

3. FVNEM LONGVM DELICTORVM.] Similes formæ aliæ prouerbiales apud Tertullian. Nam lib. 4. aduerſus Marcion. cap. 4. *Funem contentionis ducere.* Vide etiam de Reſurrect. carn. cap. 34. & lib. de Pudicitia cap. 2. Aduocat Andr. Hoyus Gregorium D Magnum, qui in Moralibus nominat, *longam & horrendam peccatorum catenam.* Et Pindarum, qui χοινίων μακρῶν.

3. OPERATIONE.] Explicui eleemoſynam, ſic eſt. Prudentius enim Pſychomach. *operationem* opponit *anayitiæ*, cùm ait:

Cùm ſubitò medium fundens operatio campum
Proſilit auxilio ſociis, pugnámque capeſſit
Militiæ poſtrema gradu, &c.

3. DEVM NON LATENT, &c. Laborabat hic locus praua interpunctione, inde anſam præbuit mutandæ lectioni Latinio, qui ita legit, *dummodo lateat vbi quid admiſſum eſt.* Non ego hanc improbo, ſed dico non eſſe neceſſariam.

226. 4. ALIENO AMBVLAT HABITV.] Vide A me in Georg. ad illud,

--- alienis menſibus æſtas.

5. MVLIEBRITATIS.] Àliàs mulieritatis, & probo, nam ipſe ita ſuprà loquitur.

5. INFANTIVM SVORVM VAGITIBVS PRODITÆ.] Hieronym. ad Euſtochium: *Quas niſi tumor vteri, & infantium prodiderit vagitus, erecta cervice & ludentibus pedibus incedunt.*

6. DIFFICILE MVLIER SEMEL, &c.] Explicui hærens vulgatæ punctioni, ſed quid ſi aliter diſponenda periodus? ſic nimirum: *Dicam licèt nolim, difficilè mulier ſemel fit. Quæ timet fieri, quæque iam facta poteſt*, &c. ac tunc acutiſſima ſatis ſententia eſt. Dicit enim vt explico, *Difficilè virgo fit mulier ſemel*, id eſt, *de vna vez*. q. d. non ilicò cùm inuaditur ſinit ſe corrumpi, eludit ſæpè amatorem ſuum, illectat ſæpè illum, corruptionem præcedunt mille aliæ deformitates, vt ſunt oſcula, & tactus impudici, & multæ libidines. Inde poſtea plena periodus, *Quæ timet fieri*, &c. id eſt, illa verò quæ timet fieri, imò quæ iam eſt facta mulier, quid non audebit? Quia ſcilicet timorem illum corruptelæ ſequentur mille deformitates libidinum: atqui iam ſemel facta mulier, id eſt, occupata iam arce pudicitiæ, quid non molietur ne ſentiant illi quos veretur virgo? Vide an magnus hic funis delictorum. Vel explica ita: difficile eſt fateor virginem expugnare, & eam mulierem ſemel efficere. Ad illud enim quod ſemel fit, & momento temporis non facilè peruenitur: ſed eſto iam fiat, certè quæ hoc timuit, & quæ iam facta, poteſt, & audet, & veretur virginem mentiri ſub Deo, quanta item audebit circa vterum ſuum, ne etiam mater detegatur! Quid ſi adhuc alius ſenſus pendens à præcedente illo: *Quantum autem plures, non etiam de pluribus ſceleribus ſuſpectas habebis?* Et ita ſequetur, Dicã, licèt nolim, difficilè mulier ſemel fit ſuſpecta, quæ timet fieri ſuſpecta: quæque iam facta ſuſpecta, poteſt, &c. quanta audebit?

6. VIRGINEM MENTIRI.] Helleniſmus 227. eſt: ita alibi in hoc opere, *virginem negare, celare*, &c. Sed eſſe Helleniſmum certum eſt, & probabis à Clemente Alexan. lib. 3. Pædag. cap. 3. τὸν ἄνδρα ἀρνούμενος: *virum negans*, id eſt, virum ſe eſſe negans, & virilitatem ſuam. Ibid. ἄνδρα δεικνύει, *virum oſtendit.*

6. SVB DEO.] Hoc etiam aliter explico. Quid ſi dicit, quod nos Hiſpanè, *delas tejas abajo*, id eſt, non Deum mentitur, ſed alios ſub Deo.

6. SCIT DEVS QVOT IAM INFANTES, 228. &c.] De infanticidio dixi iam ad Apologeticum. Adde hîc Concilium tertium Toletanum cap. 17. vbi de more iſto vagante in Hiſpania ſub Recaredo Principe. Lege & Hincmarum Archiepiſcop. Rhemenſem de Diuortio Clotarij Regis, & Tetbergæ Reginæ, vbi de tanta fœmina, *vt celaretur flagitium, potum hauſit, & partum abortiuit.*

6. FACILLIME SEMPER CONCIPIVNT.] Eſt hoc Theocritium illud, εἰς πόλεμ. φιδίαι δὲ γυναῖ. Sed vnde hæc facilitas? Audi Clementem lib. 2. Pædag. cap. 10. διψῶσα τοίνυν ἡ ὑστέρα παιδοποιΐας, ἐφίεται τῶν σπερμάτων: *Sitiens matrix liberorum procreationem, ſemen ſuſcipit:* id ſi verum in omni fœmina, quanto magis in virgine inceptante hoc naturæ opus?

6. SIMILLIMOS PATRIBVS.] Hoc in ſtupro accidere ait Tertullianus, vt in adulterio. Iuuenalis Sat. 6.

Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans. Inde precatio illa Catulli, *sit suo similis patri*, vt scilicet absit suspicio adulterij, in quo proles semper est similis patri adultero.

229. 6. COACTA ET INVITA VIRGINITAS.] Adiicit omnino animum ad seruitutem, in qua omnia coacta & inuita. Quasi dicat: Virginitas libera esse debet, non serua. Locus planus Ioannis Cassiani Collat. 14. cap. 3. *Earum* (virtutum) *perfectione mens nostra formatur, vt illis non iam velut coacta, & quasi violenta imperio subdita famuletur, sed tanquam naturali bono delectetur, atque pascatur, & arduam illam atque angustam viam cum oblectatione conscendat.* Ait scilicet, virtutum œconomiam non administrandam seruili quadam imagine, sed libera.

7. IPSA CONCVPISCENTIA NON LATENDI NON EST PVDICA.] Grauiter Ambros. in Exhortat. ad Virg. *Decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris secretum est.* Illud, *non est pudica*, explica, non est virginalis, dicente eodem Ambrosio lib. 1. de Virginib. *Nomen virginis titulus est pudoris.* Quasi pudor & virgo res eadem.

230. 7. PERICLITETVR.] Ioan. Cassian. Collat. 12. cap. 2. *Multo enim maius est etiam tunc mentis lubricæ desiderium continere, cùm ei illecebrosi aspectus offertur occasio.*

7 PERCVTITVR OCVLIS.] Non dissimilia Ambros. lib. 1. de Virginib. *Nec pudor ille est, qui intemperantium oculorum quotidiano expositus conuicio flagitiosis aspectibus verberatur.* Iterum pulchrè, *humanis addictæ oculis.* Hieronymus etiam ad Lætam de instit. filiæ ait, non debere virginem foras exire, scilicet vt qui ciuitates circumeunt, *ne percutiant, & vulnerent, & auferant theristrum pudicitiæ.* Clemens Alexan. lib. 3. Pædag. cap. 11. λιχνευούσης γὰρ τῆς ὄψεως χλιαίνονται αἱ ὀρέξεις: *dum lasciuiunt oculi, coalescunt appetitiones.* Expende & verbum *percutitur*, nam etiamsi vitia omnia bellum gerant, sed præcipuè & κατ' ἐξοχὴν, de hoc vitio. Inde Cassianus notanter Collat. 12. cap. 6. *Bella concupiscentiæ suscitantur.* Et statim, *diris simis dæmonum prælis, & ignitis luxuriæ iaculis.* Et cap. 9. *Oblectatio libidinis vulneret mentis assensum.* Nec aliter loquuntur reliqui Patres.

7. DIGITIS DEMONSTRANTIVM.] Illustrabis ab interpretibus Horatij Od. 3. lib. 4. ad illud, 231.

Quòd monstror digito prætereuntium,

Vide etiam quæ ego ad initium lib. 12. Æneid. Clemens etiam lib. 3. Pædag. cap. 11. inter alias notas constituit δακτυλοδεικτούμενον.

7. INTER OSCVLA ASSIDVA CONCALESCIT.] Clemens de hoc osculo lib. 3. Pædag. cap. 11. ἔστι δὲ ἡ ἄλλο ἀναγνον φίλημα, πλῆρες ἰοῦ, ἀγιωσύνῃ ὑποκρινόμενον: *Est aliud osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans.* Et post pauca: φιλήματα δὲ πολλάκις εἰλικρινῆ ἰὸν ἀκολασίας: *Oscula sæpè immittunt virus impudicitiæ.* Atqui osculum non hac mente, religiosum sit necesse est. Origenes de eo: *Osculum verè fidele primò castum sit, deinde pacem in se simplicitatémque habeat in charitate nõ ficta.* Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 5. *Hoc osculum animos mutuò conciliat, & omnem malorum obliuionem illis ſpondet: signum igitur est reconciliationis animorum, vniuersæque iniuriarum memoriæ deletæ.* B

7. PVDOR TERITVR.] Hieronym. ad Eustoch. de iisdem etiam Virginibus: *Rubore frontis abstrito parasitos vincunt mimorum.* 232.

7. SIC SOLVITVR.] Loquitur fortasse cum aspectu ad aquam, quæ fluit facilè. Nam & Clemens lib. 3. Pædag. cap. 2. tractans locum Salomonis, ait de huiusmodi fœmina ἐπῤῥέουσαν, *instar aquæ diffluentem, & εἰς τρυφὴν ἐκχεομένην, effusam in voluptatem, vt aqua effunditur.* Et cap. 1. dixerat, ἐκχεῖται τὰ πάθη, ἐκκλύζονται αἱ ἡδοναὶ, vbi dat voluptuosis affectibus non solùm verbum *effundo*, sed vocem *cataclysmi.*

CAP. XV. ARGVMENTVM.

Vera virginitas cauet sibi.

TERTVLLIANVS.

233. 1. SED enim vera & tota & pura virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum, aduersus iacula scandalorum, aduersus suspiciones & susurros, & æmulationem, ipsum quoque liuorem.

EXPLICATIO.

1. *Vera* non fucata. *tota* non diminuta, *pura* non corrupta. *Nihil magis timet quàm semetipsam*, suam fragilitatem. *Etiam fœminarum* nuptarum *oculos pati non vult* virgo scilicet ipsa: & ita non vult cerni ab impudicis oculis, quia videlicet *alios oculos habet*, id est pudicos & velatos, & ideo non patitur occursum oculorum impudicorum. *Confugit* quasi ad receptum. *Aduersus ictus tentationum*, quia velata non percutietur oculis spectantium. *Liuorem*, id est, fascinum, cui malo subiectæ sunt speciosæ virgines. Itaque *velamen* non solùm conseruat animum, sed etiam corpus in flore pulchritudinis.

234. 2. Nam est aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur: ipsius est enim boni odium: interdum Deo deputamus, illius est enim superbiæ iudicium, extollentis humiles, & deprimentis elatos. Timebit itaque virgo sanctior vel in nomine fascini, hinc aduersarium, inde Deum: illius liuidum ingenium, huius censorium lumen: & gaudebit sibi soli & Deo nota.

2. *Est aliquid.* q. d. Ne putes esse fabulosa quæ de fascino apud Ethnicos. *Infeliciorem*, &c. Nota definitionem fascini. Est (ait) euentus quo nullus infelicior, creatus factúsque (quis putaret?) à *laude & gloria.* Sed ideo, quia laus ista enormior, id est, maior iusto, & vltra modum. Itaque ideo infelicior quia à laude, & ideo à laude quia hæc enormior. *Hoc nos*, cum oppositione ad Ethnicos. Hi enim semper diabolo attribuunt *fascinum*, Christiani & diabolo & Deo; illi vt inuidenti, huic vt punienti. Itaque diabolus efficit, Deus permittit. *Interpretamur*, adscribimus, deputamus, attribuimus. *Interdum Deo deputamus*, non quia Deus fascinet, sed quia puniat, extenuans pulchritudinem. *Virgo sanctior*, (quanto mas Santa.) *Censorium lumen*, erat quippe censoris mores corrigere. Et dixerat Deum deprimere elatos. & *lumen* ait cum aspectu ad oculum fascinantem. *Gaudebit sibi soli & Deo nota*, ne scilicet infestetur fascino, & amittat speciem pulchritudinémque oris; vel ab inuidente diabolo, vel à puniente Deo.

235. 3. Sed & si cui innotuerit, sapit si tentationibus gradum obtraxerit. Quis enim audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem non sentientem, faciem (vt dixerim) tristem? Quicunque malus cogitatus ipsa seueritate frangetur. Iam se etiam mulierem negat, quæ virginem celat.

3. *Sed etsi cui innotuerit*, id est, si aliquando (nam quis neget conuictum cõuersationémque humanam) contigerit cerni ab aliquo, & nosci. *Obtraxerit*, sic concipio, vt dicat, sapiens cautáque est, si cùm aliquando contigerit cerni, & nosci, clausa statim facie obiectóque velamine, verterit aliò obuerteritque oculos adolescentium impudicos. Quasi ita virgo eludat & deludat intuentes se, cùm noscitur ab illis. nam hoc quid est aliud, quàm *obtrahere gradum tentationibus. Premere*, verbum notantissimum: nam qui lasciuè intuetur virginem, oculos in ea defigit; & non tam aspicit, quàm opprimit. *Faciem non sentientem*, quia quæ habet velamen, videtur carere sensu oculorum. *Vt dixerim*, id est, vt me plenè explicuerim. *Tristem* explica seueram, & σκυθρωπόν. *Quicunque malus cogitatus*, &c. Sententia dignissima quæ hæreat. *Iam se etiam mulierem*, &c. q. d. Virgo quæ tegitur velamine, eo ipso videtur eximi de numero mulierum, vt iam nulli mortalium esse possit offendiculo, tanquam sublata iam è viuis. *Quæ virginem celat*, subaudi, se esse.

NOTÆ.

236. 1. VERA, ET TOTA, ET PVRA VIRGINITAS.] Laudes eximiæ virginitatis. In vita sanctæ Eugeniæ Virg. & Martyr. istæ eduntur: *Virginitas enim est prima virtutis indicium Deo proximum, similis angelis, parens vitæ, amica sanctitatis, via securitatis, domina gaudij, dux virtutis, fomentum & corona fidei, adminiculum & subsidium charitatis.* Et notandum est non de velamine illo quod sacrum est, esse sermonem, sed de virginibus & nuptis in communi. Quod admonet Iustinianus Noster in cap. 11. epist. 1. Corinth. ad quam rem adducit illud Ambrosij aduersum Symmachum, vbi ait: *Attollat mentis & corporis oculos, videat plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis: non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen vsui nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed vsus ieiuniorum, non priuilegia, non lucra. Omnia postremo talia, vt reuocari studia putes dum exercentur officia.* Hæc (inquam) quæ virginibus Vestalibus opponuntur, interiora non curantibus, facilè imponere potuerunt. Nullo enim modo ad sacrum virginitatis velum referri possunt, cùm dicta sint aduersus Symmachum, & contra pompam inanem, & vanam ostentationem virginum Vestalium. Plura Iustinianus. In fine monearis nonnihil esse discriminis in Lectione, cùm alij dicant: *Sed enim vera & pura & tota virginitas.* tum etiam *velamen* mutant in *velamentum.* De his Lectionibus videndus Pontanus Noster in lib. 3. Metamorph. Hæc tamen dissidiola, & similia quæ infert Pontanus nihil me mouent vt mutem lectionem hærentem tot sæculis.

237. 1. ETIAM FOEMINARVM OCVLOS PATI NON VVLT.] Hieronymus de Pacatulæ educatione ad Gaudentium: *Virgo es, quid te mulierum delectat societas?*

1. ALIOS IPSA OCVLOS HABET.] Sic contrà dixit Hieronym. ad Eustoch. *Sed aliter vident impudici oculi.*

1. CONFVGIT AD VELAMEN CAPITIS.] Videtur mihi Nazianzenus locutus cum respectu ad velamen, cùm ita loquitur ad Virginem, orat. 31. παντοχόθεν ὁ πονηρὸς περιεργάζεταί σε, πάντα σκοπεῖ, που βαίνῃ, που πρώσῃ, μήτι παρῳμωμόμον εὕρῃ καὶ πρὸς πληγὴν ἕτοιμον: *Undequaque prauus ille te perscrutatur atque explorat, vbi feriat, vbi vulneret, numquid nudum aliquid & apertum reperiat, plagaque obuium.* Quasi tunc locus sit plagæ, cùm velamen adimitur. Ideo ergò Tertullianus illud vocat & *galeam*, & *clypeum* contra hæc tela. Quamobrem Nazianzenus priùs dixerat, ἀπερίσπαστον ἑαυτὴν φύλαττε, *Inaccessibilem teipsam custodi*, scilicet cautionem in omnibus: nam virginitas cauta esse debet, & vel seipsam timere, vt ait Noster. & Gregor. Nyssen. lib. de Virginitate cap. 14. hanc virtutem proprio attributo vocat δεδικυῖαν, id est, *pertimescentem*, & *pauentem.* Inde & suprà Tertullian. cap. 3. *Pauentes quòd detegantur accersitæ quasi ad stuprum.* Si autem licet cum his viris Horatium iungere, legatur Ode 23. lib. 1. vbi de cautu virginum vel ad commota tantum folia, & sibilantem auram.

1. LIVOREM.] Nescio cur Pamelius explicet *odium*: nam hoc est fascinum determinare ad causam vnam, cùm tamen non ab odio solùm, sed ab amore procedat: imò ab hoc sæpè: nam intuitus etiam ab amore vltra modum fascinat, scribente sic Heliodoro lib. 3. Histor. Æthiop. εἰ δέ τινες καὶ τοὺς φιλτάτους, καὶ οἷς εὖνοι τυγχάνουσι καταβασκαίνουσιν, οὐ χρὴ θαυμάζειν: *Quòd si aliqui charissimos etiam, atque eos quibus benè volunt, fascinant, mirum non est.* Verum est tamen semper fascinum procedere ab inuidia, adhuc cùm charissimi charissimos fascinant. Inde sequitur in eodem, φύσει γὰρ φθονεροῖς ἔχοντες, οὐχ ὃ βούλονται δρῶσιν, ἀλλ' ὃ πεφύκασι: *Cum natura sint inuidi, faciunt non quod volunt, sed quod habent insitum à natura.* Itaque *liuorem* in Tertulliano explica propriè & adæquatè *inuidiam*: nam siue fascinum ab odio siue ab amore ortum habeat, semper ex inuidia. De vtroque fascino tam ab amore quàm ab odio procedente, lege Plutarchum lib. 5. Quæstion. Conuiual. cap. 7.

2. FASCINVM.] Vide integrum locum Helio-

dori, quem proculdubio Tertullianus habebat ante oculos, cùm hæc scripsit. Nam verba ista, *Est aliquid etiam apud Ethnicos metuendum,* sumta sunt ab illis *tu quoque credis εἶναί τινα βασκανίαν, esse aliquid fascinum.* Et cùm ibi dicat Heliodorus Charicleam virginem attraxisse sibi aliquem inuidum oculum, tantùm quòd se populo ostentauerit, hoc ipsum sumsit Tertullianus, monens virginem Christianam ne se ostentet, vel metu fascini. Verba signata sunt, ἐμπομπεύουσα δήμοις ὀφθαλμόν τινα βάσκανον ἐπεσπάσατο. Plin. lib. 7. *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus & Memphidorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes.* Vide quæ dedi ad Eclog. 3. Virg. versu illo,

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

240. 2. INFELICIOREM LAVDIS ET GLORIÆ ENORMIORIS EVENTVM.] Reuoca huc, vt illustres istum locum quæ scripsi in Eclog. 7. Virgilij, ad illud: *Aut si vltra placitum laudarit.* Et tantùm adiice verba Plinij epist. 14. lib. 1. *Diligo quidem adolescentem ardentissimè sicut meretur. Sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus.* Scilicet propter metum fascini. Inde olim in alicuius laude addebant *præfiscini* ad auertendum fascinum. Itaque quod Plinius *oneratio laudis*, Tertullianus dixit, *enormior laus*, & Virgil. *laudare vltra placitum.* Vide Plutarchum in Symposio longè & latè agentem de Eutelida, qui passus fascinum in fontis intuitu.

2. DIABOLO INTERPRETAMVR.] Delrius in Magicis disquisit. lib. 3. p. 1. quæst. 3. forte (ait) legendum *de diabolo.*

241. 2. DEPRIMENTIS ELATOS.] De hac re quot Patrum loca! Vnum tantùm arripui Nazianzenum, cuius hæc sunt per quam optima, orat. 1. Ἀλλὰ τοῦτο μόνον τῶν παντῶν ἀφευκτότατόν τι καὶ ἀμαχώτατον, θεὸς καταφεῦγειν καὶ ὑπὸ χεῖρα λαβεῖν θελήσας· φθάνει τοὺς ταχεῖς, σφάλλει τοὺς σωφρόνους, πτοεῖ τοὺς ἰσχυροὺς, συστέλλει τοὺς ὑψηλοὺς, ἡμερεῖ θράσος, πίζει φύσαμον: *Solus quippe ex omnibus rebus Deus est, qui nec fuga vitari, nec superari potest, cùm aliquem arripere, ac sub manum & potestatem redigere voluerit: celeres anteuertit, prudentes decipit, fortes subuertit, audaciam mitigat, potentiam premit.*

242. 2. CENSORIVM LVMEN.] Nec vnde melius intelligi queat munus Censorium, quàm ex verbis Decij Imperatoris ad Valerianum, apud Trebellium: *Totius orbis humani suscipe Censuram, quam tibi detulit Romana Respublica, quam solus mereris iudicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis qui manere in Curia debeant, tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges; tu censibus modum pones, tu vectigalia formabis, diuides statum, Respublicas recensebis: tibi legum scribendarum auctoritas dabitur, tibi de ordinibus militum iudicandum est, tu arma respicies: tu de nostro Palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentissimis iudicabis.*

2. SIBI SOLI ET DEO NOTA.] Nam 243. hæc est virtus velaminis. inde monet Athanasius lib. de Virginitate, loquens cum virgine. ἐὰν δὲ συναντᾷς ἀνθρώπῳ, τὸ πρόσωπον κατακεκαλυμμένον ἔχω, κάτω νεῦον, καὶ ἂν ἐπάρῃς ἀνθρώπῳ τὸ πρόσωπόν σου, εἰ μὴ μόνον τῷ Θεῷ σου: *Homini si occurras, faciem vela defixam humi, nec homini faciem attollas, nisi tantùm Deo tuo.*

3. GRADVM OBTRAXERIT.] Non displiceant qui legunt *obstruxerit.* nam & *obstruere gradum* ipse dixit in Apolog. *Obstruimus gradum perfidiæ conscientiæ nostræ,* id est, anteuertimus & præoccupamus B ne perfidia irrepat nostris mentibus.

3. PREMERE.] A Tertulliano fortasse Augusti- 244. nus lib. 14. de Ciuitat. cap. 20. *humano premente conspectu.* Vtrumque explicat Clemens lib. 3. Pædag. cap. 4. vbi loquens de fœminis πειζελέπουσι δεμύτερον, *acriùs intuentes.* Nã quid est hoc aliud, quàm *conspectu & oculis premere?* significat alio Virgil. 10. Æneid. sed qui non multum abest ab hoc:

Corde premit gemitum, lacrymásque effundit inanes.

3. FACIEM CLAVSAM, FACIEM NON SENTIENTEM.] Non clausa est illa quæ aperta est, & videtur. Lucian de Amicitia: ἐν τῷ δείπνῳ ποτὲ εἶδον τὴν Μαζαίαν, μεγάλην καὶ καλὴν παρθένον, ὥρᾳ, δὲ πονηρῶς εἶχε: *In conuiuio igitur cùm Mázæam vidisset, proceram atque decoram virginem, amore captus est, & grauiter discruciabatur.*

3. QVICVNQVE MALVS COGITATVS 245. IPSA SEVERITATE FRANGETVR.] Est hoc quod Ambrosius dixit lib. 2. de Virg. *Integritatem pudoris professa restinxit improborum faces.* ibidem virginibus *granitatem* attribuit, vt peculiarem earum virtutem, vt Tertullianus *seueritatem.* Et lib. 3. ait Ambrosius esse *virginitatem venerabilem, integritatem reuerendam, castitatem honorabilem.* Verissimè omnia. Nam vel profanus non audeat attingere virginem, quæ se talem exhibet: imò hæc franget *irreuerentis hominis oculos,* vt idem ait lib. de Exhortat. ad Virgin. Habet cum his affinitatem sententia Clementis lib. 2. Pædag. cap. 10. κατευγάζεται δὲ αὐτὴ ἡ νὺξ τῷ σώφρονι λογισμῷ: *Ab honesta & pudica cogitatione vel nox ipsa illustratur.*

CAP. XVI. ARGVMENTVM.

Epilogus totius operis, & exhortatio ad velamen.

TERTVLLIANVS.

246. 1. IN his consistit defensio nostræ opinionis, secundùm Scripturam, secundùm naturam, secundùm disciplinam. Scriptura legem condit, Natura contestatur, Disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opinionis prodest, vel qui diuersæ sententiæ color est? Dei est scriptura, Dei est natura, Dei est disciplina. Quicquid contrarium est istis, Dei non est. Si scriptura incerta est, natura manifesta est; & de eius testimonio scriptura incerta non potest esse. Si de natura dubitatur, disciplina quid magis Deo ratum sit, ostendit: nihil est illi charius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius gloria, & studio hominibus placendi. Illud itaque sit tibi

tibi & ſcriptura & natura, & diſciplina, quod ratum Deo inueneris, ſicut iuberis omnia examinare, & meliora quæque ſectari.

EXPLICATIO.

247. Hic tractus continet anacephalæoſin præcedentis operis. Memineris triplici argumento rem egiſſe Tertullianum. Probauit enim ex *ſcriptura* hoc nomine, *mulier*, contineri virginem. Deinde oſtendit ex *natura* ipſa, virginem dici poſſe *nuptam & mulierem* cùm patitur menſtruum. Tertiò ex *diſciplina* Eccleſiaſtica aperuit velatas debere eſſe virgines. Hoc præmiſſo intelliges totum hunc tractum, neque eſt opus alia explicatione. Tantùm verba illa, *Cui ex his conſuetudo opinionis prodeſt, vel qui diuerſæ ſententiæ color eſt?* aliquid habent difficultatis; ſed expedio; eſt enim ſententia: Conſuetudo non recepta vbique, ſed tantùm poſita in opinione (nam ſcilicet dubitari poteſt an ſit conſuetudo) hæc ſcilicet conſuetudo poteſtne prodeſſe aut obeſſe ſcripturæ, naturæ, diſciplinæ? q.d. non poteſt. Verbum *prodeſt* clarè ponit; pro verbo *obeſt* ponit illud, *Vel qui diuerſæ ſententiæ color eſt?* Illud de conſuetudine opinabili pendet ex his quæ diſputata initio huius operis. In Notis aliter explicabo.

248. 2. Supereſt etiam vt ad ipſas conuertamur, quo libentiùs iſta ſuſcipiant. Oro te ſiue mater, ſoror, ſiue filia virgo, ſecundùm annorum nomina dixerim, vela caput: ſi mater, propter filios: ſi ſoror, propter fratres: ſi filia, propter patres: omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Adimple habitum mulieris, vt ſtatum virginis ſerues: mentire aliquid ex his quæ intus ſunt, vt ſoli Deo exhibeas veritatem, quanquam non mentiris nuptam: nupſiſti enim Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam: incede ſecundùm ſponſi tui voluntatem. Chriſtus eſt qui & alienas ſponſas & maritatas velari iubet, vtique multo magis ſuas.

249. 2. *Siue mater*, ætate; virgo enim grandior matrem annis repræſentat. *Siue ſoror*, hoc ex Chriſtiana diſciplina & conuerſatione, qua illo æuo fœminæ dicebantur *ſorores*, & viri *fratres*. *Siue filia*: nam virgo paruula annis repræſentat filiam. Hæc omnia ſatis ipſe explicat, cùm addit, *ſecundùm annorum nomina dixerim*, id eſt, non ſanguinis. *Armaturam*, nota diligenter velamen dici *armaturam, vallum, murum*; & ſuprà vocauit *galeam, clypeum*. *Emittat oculos*, alludit ad oculos emiſſitios. *Adimple habitum mulieris*, vt reliquo habitu repræſentas mulierem nuptam, ita debes velamine; & ſic adimplebis totum habitum muliebrem. *Mentire aliquid*, &c. Finge te eſſe nuptam, etiamſi non nupſeris, vt ita veleris, quando hanc præfers excuſationem, tametſi *non mentiris; nam* Deo *nupſiſti*. *Tradidiſti carnem tuam*, alludit ad formam matrimonij; dicebantur enim virgines *tradi viro* cùm nubebant. *Maturitatem tuam*, nam ſcilicet matura eſt virgo, cùm egreſſa de virginalibus patitur menſtruum.

NOTÆ.

250. 1. CVI EX HIS CONSVETVDO OPINIONIS PRODEST.] Vel explica hunc in modum. Conſuetudo poſita in opinione cui ex rebus iſtis ſubſcribit, adſtipulatura? q. d. clarum eſt ſubſcribere & ſcripturæ & naturæ, & diſciplinæ. Et ſtatim vrget, *vel qui color eſt diuerſæ ſententiæ?* q. d. nullus. Hæc explicatio petit, vt poſt verbum *prodeſt* ſit nota interrogationis.

1. COLOR.] Vox è media Rhetorum ſchola, vt apparet in declamationibus Quintiliani; vt cùm ait Declamat. 285. *Coloratè adfert quidem iſte tale patrocinium, vt me neget exulem fuiſſe*. Inde tradu&ta eſt ad forum, & ſumitur pro prætextu, vt hoc loco. Vide Briſſon. de verbor. ſignificat. Inde notarunt iam alij. Plautus dixit, *nullius coloris virum*, de homine omnibus modis inepto.

251. 1. NIHIL ACCEPTIVS MODESTIA.] Ioann. Chryſoſt. orat. 1. de incomprehenſ. Dei nat. οὐδὲν γὰρ ἐπιεικείας καὶ πραότητος ἰσχυρότερον: *Nihil manſuetudine & modeſtia efficacius*. Vide Salmeronem Noſtrum 3. tom. tractatu 12.

1. NIHIL PEROSIVS GLORIA.] Profertur ſcriptus Codex, in quo eſt *operoſius*. Exemplaria etiam ante Rhenanum & Pamelium ita habebant, nec debuit mutari lectio: nam optimam habet ſententiam, vt dicat nihil eſſe operoſius, id eſt, grauius & moleſtius gloria inani & ſtudio placendi hominibus: nam hanc vocem in malam partem accipi nemo dubitat. Ioann. Caſſian. Collat. 15. cap. 1. *Operarij iniquitatis*.

1. IVBENS OMNIA EXAMINARE, &c.] Ex illo Pauli 1. Theſſal. 5. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*.

2. CONVERTAMVR.] Puto Tertullianum ſcripſiſſe *conuertamus*, nam hæc eius locutio. Vide ſuprà cap. 7. huius operis. 252.

2. ARMATVRAM PVDORIS.] Sic velamen fuiſſe notam pudoris, ſcribit Zeno Veronenſ. ſerm. de Iuda, loquens enim de Thamar: *Pudoris integritatem faciem velando monſtrabat*. Nec otiosè dixit Prudentius 2. contra Symmachum:

Sunt & virginibus pulcherrima præmia noſtris,
Et pudor & ſancto tectus velamine vultus.

2. VALLVM VERECVNDIÆ.] Ambroſ. lib. de Inſtit. Virg. cap. 1. *Virginitatis dos eſt verecundia*. Pleni ſacri ſcriptores.

2. MVRVM.] Ad hunc modum dixit Iuſtinus Martyr Dialog. Tryphon. viros ſapientes eſſe, ὥσπερ τεῖχος καὶ ἔρεισμα φιλοσοφίας: *Vt murum & columen philoſophiæ*.

2. EMITTAT OCVLOS.] Dixi ad librum de Pallio cap. 3. Hîc addo, verbum eſſe Circenſium, & metaphoram inde ſumptam. Sic Statius lib. 1. Sylu.

Vix dum emissa dies, & iam socialia præsto
Omina.

Mirè enim hîc hallucinatus est Bernartius, qui *emissam diem* vesperum intelligit, cùm proculdubio matutinum tempus signetur, vt bene contra illum notat Casperius. Sic Claudian. Paneg. Manlij,

---emisso quicquid sol imbuit ortu.

Nec illud Virgilij aliter intelligendum est,

Emisdmque hyemem sensit Neptunus.

Qui hoc est vitio, Græcè dicitur κλασμάτος, vt qui sit oculis versatilibus, vtique σύστασις τὰ ὄμματα. Pulchrè Clemens lib. 2. Pædag. cap. 6. hos oculos vocat ὀλισθηρούς, *lubricos*.

2. ADIMPLE HABITVM, &c.] Discessi in hac periodo ab interpunctione vulgari: nam sic mihi visa sententia aptior.

253. 2. NVPSISTI CHRISTO, &c.] Habitum monasticæ vitæ in primis laudat: vnde manifestò colligitur huius vitæ rationem ante hunc virum floruisse in Ecclesia. Cyprianus etiam integrum librum scripsit de habitu Virginum. inter alia hæc subdit: *Quarum* (virginum) *quo sublimior gloria est, maior & cura est; flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum: Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Vide Ambrosium epist. 81.

2. ILLI TRADIDISTI CARNEM TVAM.] Vult Baronius allusum ad apophoreta, quæ asportari solebant in sollemnibus conuiuiis, quorum meminit Augustin. epist. 179. *Velationis apophoretum gratissimè accepimus.* Mentio horum latissima extat in Martiali.

2. INCEDE SECVNDVM SPONSI TVI VOLVNTATEM.] Cyprian. de disciplin. Virg. *Nec ornari iam, aut placere cuiquam, nisi Domino suo studeant, à quo & mercedem virginitatis expectant.*

2. MARITATAS.] Alij *maritas*, & probo: nam ita etiam suprà.

2. VTIQVE MVLTO MAGIS SVAS.] Hieronym. ad Eustoch. *Zelotypus est* IESVS, *non vult ab aliis videri faciem tuam.*

CAP. XVII. ARGVMENTVM.

Absolvit librum, adhortans etiam nuptas, vt retineant velamen.

TERTVLLIANVS.

254. 1. SED & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidistis, ne sic à disciplina velaminis exoleſcatis, ne quidem in momento horæ; vt quia reiicere illam non potestis, alio modo destruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes.

EXPLICATIO.

1. ALTERIVS *pudicitiæ*, id est, secundæ. Prima etenim & princeps pudicitia est virginum, altera nuptarum. *Quæ in nuptias incidistis*, vt in malum, certè vt minùs bonum. *Exoleſcatis*, desuescatis. *Vt quia reiicere illam non potestis.* Nam de nuptis nulla est quæstio, cùm iusserit Apostolus illas velari. *Neque tectæ, neque nudæ incedentes.* Quasi dicat, semitectæ, & seminudæ.

255. 2. Mitris enim & lanis quædam non velant caput, sed conligant, à fronte quidem protectæ; qua propriè autem caput est, nudæ. Aliæ modicè linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures vsque demissis, cerebro tenus operiuntur. Misereor si tam infirmo auditu sunt, vt per tegmen audire non possint.

2. Explicat quæ sit semitectio & seminudatio præcedentis tractus. Quædam frontem tantùm tegunt, non cæterum caput: en semitectio. Aliæ caput: sed ita modicè, vt velum sistat tantùm in cerebro, nec aures pertingat: en seminudatio: quia scilicet ita tectum est caput, vt ceruices totæ sint nudæ. *Conligant.* Finge, vt intelligas, fasciam, qua caput ligabatur, sed sublimem tantùm à fronte, erectámque instar mitræ: inde est, vt frons tantùm tegeretur, non caput reliquum. *Credo ne caput premant*, ironicè, vt etiam postrema illa, *Misereor*, &c.

256. 3. Sciant quia totum caput mulier est. Limites & fines eius eò vsque porriguntur, vnde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velamini. Cor. 11. nis regio, vt ceruices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt, quas subiectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet, velamen iugum illarum est.

3. Primum hoc, *sciant quia totum caput mulier est*, pertinet ad illas quæ ligato mitra capite frontem tantùm tegebant. Ergò sciant istæ quia *totum caput*, non pars eius, *est mulier*, id est, pertinet ad mulierem, quia scilicet omnes partes capitis pertinent ad mulierem. Quæ sequuntur, *limites & fines eius*, &c. dicuntur propter illas, quę vtentes linteolis, ceruices non tegebant. Ait itaque *limites* capitis intelligi vsque ad initium vestium: clariùs, totum illud spatium, quod occupant soluti crines. *Potestas*, id est, velamen. *Iugum*, quia scilicet cum aspectu ad feras cicures; *illarum*, ceruicum.

257. 4. Iudicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere. Mauult fœmina videre quàm videri. Quas propterea infelicissimas ait Romana quædam Regina, quòd adamare magis quàm adamari

possint, cùm sint vel ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris, immunitate felices, quia faciliùs adamari quàm adamare fœminæ possint.

4. Loquitur cum aspectu ad illud Christi de Regina Sabæa,& Niniuitis: sic ergo ait, *Vos iudicabunt fœminæ* Arabum. *Liberato*, scilicet à tectione. *Quàm totam faciem*, id est, potiùs quàm totam faciem, est Helleniſmus. *Prostituere*, exponere omnium oculis. *Mauult fœmina*,&c. Non capio absolutè,sic enim falsum: sed de vnis tantùm fœminis Arabum. *Romana quædam Regina*, Messalina Claudij vxor. Vocabat hæc Arabum fœminas infelices, quia eo more non possent adamàri, tantùm adamare. *Cùm sint vel ex alterius*, &c. Refellit sententiam impudentem Messalinæ. Imò ait Tertullianus, ex hac ipsa infelicitate, ô Messalina, felices sunt Arabicæ illæ fœminæ: nam cùm frequentius sit ruere homines in amorem fœminarum, quàm contrà, fit vt illæ tectæ liberentur hoc malo; non enim ruent in amorem illarum, cùm eas non videant, quippe tectas.

258. 5. Et Ethnicæ quidem disciplinæ meracior, & (vt ita dixerim) barbarior modestia. Nobis Dominus etiam reuelationibus velaminis spatia metatus est. Nam cuidam sorori nostræ Angelus in somnis ceruices, quasi applauderet, verberans: Elegantes, inquit, ceruices, & meritò nudæ. Bonum est vsque ad lumbos à capite reueleris, ne & tibi ista ceruicum libertas non prosit. Et vtique quod vni dixeris, omnibus dixeris.

5. Firmat doctrinam reuelatione, quæ contigit. *Meracior*, id est, purior, metaphora sumitur à vino, cùm merum est, id est, purum. Sententia non est facilis. Vide Notas. *Metatus est*, constituit fines, metas, terminos velaminis. *Et meritò nudæ*, ironicè. *Bonum est*,&c. Hoc quoque ironicè. Age iam reuela quoque corpus *vsque ad lumbos*: nam hoc nisi facis, nihil tibi profutura nudatio carnium. *Et vtique*,&c. Reuelatio *vni* facta, omnibus perinde fit.

259. 6. Quantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter psalmos, vel in quacunque Dei mentione, retectæ perseuerant? Meritóne etiam in oratione ipsa facillimè fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, & tectas se opinantur? Tanti caput suum metiuntur. Aliæ quibus planè maior est palma omni fimbria & filo, non minùs capite suo abutuntur, vt bestia quædam magis quàm auis licèt pennata, breui capite, protracta ceruice, cætera altegradia. Hanc aiunt, cùm deliteſcendum habet, caput suum planè totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dum in capite secura est, nuda quâ maior est, capitur tota cum capite. Tales erunt & istæ, minùs quàm vtile est, tectæ.

260. 6. *In quacunque Dei mentione*, id est, in lectione sacra, & in prædicatione diuini verbi. *Retectæ*, detectæ. *Meritóne etiam*, &c. Reprehendit morem alium nuptarum. *Fimbriam*,&c. Tria numerat fœminarum tegumenta, *fimbriam*, *villum*, *filum*, quæ, vt apparet ex Tertulliano, nullo tædio constabant: sed facili negotio aptabantur capiti, & vix illud tegebant: nam tantùm *cerebro* superponebantur, nec demittebantur per reliquum caput & ceruices, vt quæ essent breuissima. His ergo velaminibus breuissimis vtentes fœminæ, cùm erant in Ecclesia, putabant verè se esse tectas, & ita eludebant potiùs quàm implebant præceptum Apostoli. Has itaque hoc loco exagitat, & cum aceto: nam subiicit iste verè Afer, *tanti caput suum metiuntur*. q. d. Pro breuitate capitum earum breue est tegumentum, id est, vt pene nullum est tegumentum, ita penè nullum earum caput; carent enim istæ fœminæ capite & cerebro. Nunc intelliges particulam *meritò* quæ præcessit. Meritò se putant *tectas* tantillo tegmine, quibus tantillum caput. *Aliæ quibus planè*,&c. Exagitat iam aliud genus fœminarum, quibus tegumentum dictum *palma*, in capite; maius quidem præcedentibus *fimbria*, *filo*, *villo*: nam tegebat non solùm cerebrum, sed totum caput; non tamen ceruices, aures, & confinia alia. Has comparat cum struthiocamelo (passerem marinum dicunt, vulgo *auestruz*) quem vocat *bestiam* potiùs, quàm *auem*, etiamsi habeat pennas. Describit hanc feram à *capite*, quod *breue*; à *cernice*, quæ *protracta*; à cruribus quæ alta, inde ipsa bestia *altegradia*, id est, altè gradiens: demum ab insciția, nam cùm quæritur, putat se tutam, si *caput* tantùm abscondat; sed cùm caput sit breue, & reliqua corporis grandia, nequit latere, & ita *tota capitur*. Istæ ergò fœminæ tales sunt insciția. *Et deliteſcendum habet*, est Helleniſmus, id est, cùm vult, aut cùm debet deliteſcere.

261. 7. Oportet ergo omni tempore & omni loco memores legis incedere, paratas & instructas ad omnem Dei mentionem: qui si fuerit in pectore, cognoscetur & in capite fœminarum. Hæc cum bona pace legentibus, veritatem consuetudini præponentibus, pax & gratia à Domino nostro IESV redundet; cum Septimio Tertulliano, cuius hoc opusculum est.

7. Epilogus & capitis & operis. *Ad omnem Dei mentionem*, ad omnia quæ peraguntur in Ecclesia. Dignissima sententia est illa, *Qui si fuerit in pectore, cognoscetur etiam in capite fœminarum*. Traduci enim potest ad omnem vitam spiritualem. *Veritatem consuetudini præponentibus*, respondet initio operis. *Cuius hoc opusculum est*. An times plagiarios ô Septimi? non debes, nam etiam sub alieno nomine tuum esse liquidò constaret. Nam hoc Opusculum quis nisi tu?

NOTÆ.

262. 1. IN NVPTIAS INCIDISTIS.] Explicui, vt in malum, aut certè minùs bonum. Gregor. Nyſſen. lib. de Virginit. cap. 3. πολύτροπός ἐστι ἡ ποικίλη τῶν ἐκ τοῦ γάμου κακῶν ἡ χορηγία: *Multiplex & varia eſt malorum copia, quæ à nuptiis exſiſtit.* Iterum grauiſſimè, Θεώρησον ἐπὶ τῆς παρούσης τοῦ βίου σκηνῆς τὰς ἐν αὐτῷ τραγῳδίας ὧν χορηγὸς γίνεται τοῖς ἀνθρώποις ὁ γάμος: *Intuere tragœdias, quæ in huius vitæ theatro, quarum omnino miniſtræ hominibus nuptiæ ſunt.* Et cap. 7. eiuſdem operis dicuntur nuptiæ ab eodem ἀρχὴ καὶ ῥίζα τῆς τῶν ματαίων σπουδῆς, *initium radixque ſtudiorum inanium.* Ceſſo ab vberi materia, vno Nyſſeno contentus.

1. EXOLESCATIS.] Legunt aliqui *exſoleſcatis*, ſed ſententia in idem recidit, etiamſi verbum aliud.

263. 2. MITRIS ET LANIS.] Mitra erat ornamentum capitis fœminei, quod redimiculis quibuſdam (hic *lanas* vocat) illigabatur. Itaque quod Tertullianus *mitris & lanis caput conligant*, Achilles Alexandrinus lib. 3. dixit, καὶ ἐπισκευάσαντες μίτραις τε καὶ ζώσμασιν ἐκδιδυμώλοις: *Adornantes* (puellam) *mitris & faſciis indutam.* Et quod Achilles dixit ζῶσμα, Herodotus (citante Stob. περὶ ὁσιότ.) vocat εἴλικα, id eſt, *volutionem*, aut *circumuolutionem.* Verba eius: εἵλικα μίτρης ἐξέπλευσε: *Ligauit volutionem mitræ.* Pollux etiam lib. 7. cap. 24. coniunxit μίτρας καὶ ἀναδήματα, id eſt, *ligamina*, vt etiam Propert. lib. 2. Eleg. 29.

Quæ cùm Sidoniæ nocturna ligamina mitræ.

Mitra ergò ita illigata breuiſſimum erat capitis ornamentum, vt verè dicat Tertullian. Illa non tam caput operiri, quàm illigari: ad eum modum quo cernuntur diademata Principum. Inde Catullus ſignatè vocat *ſubtilem*, loquens de Ariadna;

Non flauo retinens ſubtilem vertice mitram.

Et quia in orbem cingebat caput, dixit Moſchus de Helena, τὴν περιέρρεφε κυκλόσε μίτρα: *hanc mitra circumcoronabat.* Locum Plinij, & minutula alia ego hîc nolui. Exhortatur porrò vt incedant tectæ ſecus quàm fœminæ Romanæ faciebant, de quibus Plutarch. in Quæſtion. Roman. διὰ τί τοὺς γονεῖς ἐκκομίζουσιν, οἱ μὲν υἱοὶ συγκεκλημμένους, αἱ δὲ θυγατέρες γυμνοῖς κεφαλαῖς καὶ ταῖς κόμαις ἑλελυμέναις: *Cur parentes efferunt filij obuelatis capitibus, filiæ autem nudis capitibus, & paſſis crinibus.* Vide me copiosè de hac re in lib. 9. Æneid.

2. LINTEOLIS.] Nemo quærat quæ hæc ſint, cùm hodie videat fœminas noſtras vtentes modico hoc velamine.

264. 3. SCIANT, QVIA TOTVM CAPVT MVLIER EST.] Pro iſtis *mulier eſt*, reſcribit quidam *mulieris.* Mutat etiam ſequentia hunc in modum: *Mulieris, limites, & fines eius. Eò vſque porriguntur*, &c. Credo, quia ſententiam non intellexit, quæ, ſi conſulas explicationem noſtram, ita eſt clara, vt nullam videas neceſſariam eſſe mutationem. Ad mentem porrò Tertulliani nihil volentis reuelari in fœmina, pertinent verba Clementis lib. 2. Pædag. cap. 10. οὐδὲν γὰρ μέρος ὅπουοὖν ἀπογυμνοῦσθαι γυναικὸς εὐπρεπές: *Nullam partem fœminæ nudari decorum eſt.* & cap. 2. eiuſdem libri: κατ' οὐδένα γὰρ τρόπον ταῖς γυναιξὶν ὀπτεσπλέον παρογυμνούσας τι τοῦ σώματος καταφαίνεσθαι: *Nullo modo permittendum eſt mulieribus, vt nudam aliquam corporis partem reuelent.* Et reddit rationem, ne ambo prolabantur vir & fœmina; vir incitatus ad videndum, fœmina incitans.

3. LIMITES ET FINES EIVS.] Eſt hoc omnino quod de monachis ait Caſſian. lib. 1. vitæ monaſt. cap. 4. *Cucullis namque perparuis vſque ad ceruicis humerorumque demiſſis confinia.*

265. 3. IPSÆ ENIM SVNT QVAS SVBIECTAS ESSE OPORTET.] Notantiſſimè: nam ſicut ceruix elata nota eſt ſuperbiæ, & immodeſtiæ, ſcribente Arnobio lib. 1. *elatas ſupercilio ceruices*: & Hieronymo ad Euſtochium: *Quas niſi tumor vteri & infantium prodiderit vagitus, erecta ceruice, & ludentibus pedibus incedunt.* Græci dicunt ὑψαυχενίζεσθαι. Simocatta lib. 3. cap. 13. τὰς ὀφρῦς ἀναστῶν, ὑψαυχενίζόμενος τι: *Supercilium attollens, ceruicem erigens.* Vide eundem lib. 6. cap. 10. Ab Clem. Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 11. ὕπτιος τράχηλος adhibetur inter notas ſuperbiæ, id eſt, *ceruix ſupina.* Sic contrà ſubiectam ceruicem pro modeſtiæ & humilitatis nota conſtituit Tertullianus. Vtrumque, ſcilicet tam elatio quàm ſubiectio ceruicum, ſumitur à beſtiis, quæ domitæ, aut indomitæ. Inde poſtea ait, velamen eſſe *iugum.*

3. POTESTAS.] Duplicem rationem adducit Paulin. epiſt. 4. ad Seuerum, propter quam habeatur velamen: *Vult Apoſtolus in habitu eius oſtendi eſſe illi ſupra caput poteſtatem, qua regatur pariter, & defendatur.* Prima ratio Tertulliani eſt, alteram addit ipſe.

266. 4. ARABIÆ FOEMINÆ.] Perdurare hunc morem ſcribit Leo Africus lib. 1. Deſcriptionis Africæ, cap. de moribus Arabum. Ait enim facies mulieribus Arabicis etiam nunc panniculis eſſe coopertas, haberéque ad oculi locum foramen, quo ceu perſpicillo quodam vtuntur. Si occurrat ignotus, continuò faciem abſcondunt, ac mutæ prætereunt, non niſi parentibus ac cognatis aſpiciendæ. Caledonias mulieres ſi in alienos viros, & magiſtratus, inciderent, dimidium faciei tegere ſolitas, ſcribit Plutarch. Problem. 162. Et idem de Lacænis mulieribus in Apophteg. Laconic. ait, Virgines aperta facie, viris iunctas mulieres velatas prodire ſolitas; illæ vt ſic maritos inuenirent, iſtæ viros habentes vt aliis placere non curarent. Vide etiam Barræum in hunc locum. Nota conformitatem Tertulliani, vt enim librum præcedentem de Corona Militis, clauſit adducto more Gentilico de mithræ milite, à quo iudicandi Chriſtiani coronarij: ita hunc aduocato Arabum fœminarum, à quibus iudicandæ fœminæ inuelatæ. Cæterùm illud *liberato*, Iuretus vult legi *libero*, in Symmachùm; ſed nihil moror. Vide illum lib. 1. epiſt. 89.

267. 4. DIMIDIAM FRVI LVCEM.] Ita de Sabina Poppæa Tacitus lib. 13. Annal. *Rarus in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat.* Vbi *partem oris* puto dici de vno oculo.

4. MAVVLT FOEMINA VIDERE, QVAM VIDERI.] Retuli tantùm ad Arabicam. Nam ſi abſolutè capias, tum non verum, tum ſibi eſſet contrarius, quia in lib. de Spectac. cap. 25. loquens de viris & mulieribus æquo iudicio determinat, *Nemo in ſpectaculo ineundo prius cogitat niſi videri & videre.*

4. QVAS PROPTEREA INFELICISSIMAS, &c.] Hæſit hîc in luto Pamelius, putans hunc locum eſſe aut obſcuriſſimum, aut corruptiſſimum. & neutrum eſt. Vt verò amari ab alio vocat *infelicitatem*, ita Clem. Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 2. ait, fœminas, quæ ſe nimiùm expoliunt, ὀπαδοὺς τοὺς δεσπόζοντας ἑρᾶσθαι, *attrahere infelices amatores.*

268. 5. MERACIOR,&c.] Duas affero explicationes, & contrarias, aut laudat, aut vituperat fœminas Arabiæ: laudat, si coniungas cum præcedentibus; vituperat, si cum sequentibus. Prima ergo explicatio: detectas fœminas Christianas iudicabunt fœminæ Arabum, quarum modestia meracior, id est, purior constantiorque ac sincerior, etiamsi barbarior, quia non sinunt se amari. Altera. Disciplina hæc est meracior, id est, minùs sobria, habensque plusculum meri & lasciuiæ; nam intemperantia est sinere vnum oculum liberum ad videndum; quod tantùm abest vt sit è bona disciplina, vt sit etiam barbaricum: aliæ nobis metæ velaminis, & quidem è cœlesti reuelatione. Eligat Lector quam volet, vel ipse nouam offerat, audiam. Porrò Pamelius, qui parenthesin, *vt ita dixerim*, refert ad formam vocis, mihi non placet: ad sententiam refero. Proponam adhuc nouam lectionem & explicationem, non quia putem veram, sed quia alius poterit putare. Nam cùm iam ego ad viri cuiusdam docti aures illam insusurrauerim, inueni laudatorem & fautorem. Quid ergo si legendum non *meracior* à *mero*, sed *mœratior* à *mœro*, id est, *muro*, quæ vox in Virgilio aliisque est: inde *mœratus* pro *muratus*. Erit itaque mœratior modestia, quæ liberior, vbi scilicet res muris agitur, nam muri etiamsi strictiores sint, tamen spatium dicunt, & ambitum: non sic metæ, quibus nihil strictius. Ergo Barbaris spatiosior est modestia, liberiórque, vt quæ vnum oculum relinquat liberum: nobis strictior, vt quæ tantùm metis rem mensurat, metæ enim strictissimæ sunt. Ideo sequitur nobis *metatus est*, &c. Summa est, longum esse discrimen inter muros & metas, quia illi ambitum supponunt, istæ strictionem: & inde modestia Barbarorum latior, Christianorum strictior.

269. 5. BARBARIOR.] Chronicon Alexandrin. Βαρβαρισμὸς δὲ κέκληται ἀπὸ τοῦ τοὺς ἀνθρώπους μὴ ἔχειν τινὰ ἀρχηγὸν, ἢ μίαν συμφωνίαν, ἀλλ' ὅπως τις ἑαυτῷ ἐφοίκει, ἢ νόμος ἑαυτῷ κεῖτο· ἢ ἀπὸ τοῦ προτιμᾶσθαι τὸ ἴδιον βούλημα τοῦ ἑτέρου: *Dicta autem est barbaries, quòd nullo mortales certo duce vitæ, nullo consensu viuerent; sed quod sibi quisque præscribebat, quódque sua quemque voluntas hortabatur, id cuique pro lege fuit.*

5. METATVS EST.] Quid sit hoc verbum, & vt sumatur à militia, sciunt Alphabetarij. De vsu verò eius apud Patres, vide Pamelium in Notis ad epist. 22. Cypriani Martyris, vbi Decium vocat *metatorem Antichristi*.

270. 5. ANGELVS IN SOMNIS,&c.] Ita in lib. de Spectac. & de Idololat. & locis aliis reuelationes quasdam adducit ad firmanda quæ vult; & tametsi ad pietatem possis conferre, sed in hoc viro suspicio esse potest vt facilè reuelationibus animum daret, qui ita obstinatè reuelationibus Montani adhæsit. Quid quòd verberatio illa Angeli nescio quàm non è decoro. Nolim idcirco vt à me hoc loco vapulet Tertullianus, tantùm aperui meum suspectum. Vide similem reuelationem apud Hieronymum in epist. ad Lętam, de quo viro nulla suspicio. Audi Angelorum encomium in hoc loco. in vita Onuphrij Paphnutius: *Gloria mirabilem, splendore terribilem, pulchritudine laudabilem, magnitudine procerum, aspectu præclarum.* Dicit hoc de Angelo qui apparuit, sicuti in Tertulliano est.

271. 5. REVELERIS.] In vulgatis omnibus est *veleris*. Mihi tamen ita placuit iudicium eius qui *reueleris* scripsit, vt quamuis illi non soleam assentiri, in hoc assensérim. Est enim pulcherrima sententia si ironicè accipiatur. Video defendi posse vulgarem sensum, sed inferior multo est illo quem sequor.

5. QVOD VNI DIXERIS.] Profertur à viro docto lectio, *quod vnæ dixeris*. Defendit, quia olim in tertio casu *vno, vnæ, vno*. Et ego incidi in Ioan. Cassianum qui Collat. 9. cap. 5. *Cùmque mens tali fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta, & illi vno summóque bono tenacissimè adhæserit.* Sic in Euangelio, *& dico alio, veni, & venit.* Sed extremum hoc ex Græco, vbi ἄλλῳ. Hæc etiam si vera sint, sed vt mutetur lectio Tertulliani, non suadent.

6. MEREBVNTVR.] In malam partem. Cyprian. ad Demetrianum: *Vtique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, à quibus Deus colitur; sed delictis & meritis vestris irrogantur, à quibus Deus omnino nec quæritur, nec timetur.* Lactant. lib. 6. cap. 20. *Nam hominem, quamuis ob merita damnatum in conspectu suo iugulari pro voluptate computat.* 272.

6. MERITONE ETIAM IN ORATIONE IPSA.] Vvoueren. ex Codice scripto, *Meritóne etiam quæ in oratione ipsa*, & probo, ita enim facilior sententia.

6. FACILLIME.] Dicit credo idem quod Clemens lib. 3. Pædag. cap. 11. ἀναδεῖσθαι τῷ κόμῃ εὐτελῶς πεφυκὸς περὶ λιτῆς. Nam εὐτέλεια Clementis, & fibula λιτὴ, quid est aliud quàm *facilitas* Tertullianea?

6. FIMBRIAM, VILLVM, FILVM.] De his tribus tegumentis exigua mentio. *Fimbriam* putat Pamelius quod lib. de Pallio *caliendrum*. Ex nomine ipso possumus colligere esse tenuissimã fasciam instar κρασπέδου, ita vt tantùm seruiret compescendis crinibus ne diffluerent. Ait & *villum* esse, quod Nonio *capitium*, quod hodie fœminis in vsu crebro. *Fili* meminit Arnobius lib. 6. & cum infamia: nam docet esse prostitutarum. Verba eius: *Omni cura studióque certabant filum capitis prostituti Cythereia in simulacra traducere.* Putat Pamelius idem esse quod *reticulum*, quod nunc visitur in fœminis passim. Fortasse quod Nonnus lib. 26. Dionys. vocat κρήδεμνον. Locum adduco ad lib. 9. Æneid. Certè ex ipso nomine tenuissimum fuisse tegumentum apparet. Clemens Alexan. lib. 3. cap. 2. κεκρύφαλοι ὠφὴ καὶ κεκρυφάλων διαφοραὶ, καὶ ἀφιέρωσις πλοκῆς: *Vitta certè, & permultæ earum differentiæ, curiosæque plicaturæ.* Idem cap. seq. rem Tertulliani attingit omnino, vbi reprehendens viros qui muliebribus vtuntur, ita ait: διὰ τῶν θηλυδρειῶν ἐπιθυμίαν, ἱμάντας καὶ λώματα χρυσίου περιπλέξαντες πετάλοις: *Muliebri quidem libidine fimbrias & fila circumplectuntur foliis.* Vide quæ idem longissimè ex Aristophane lib. 2. cap. vlt. 273.

6. TANTI CAPVT SVVM METIVNTVR.] In prima editione Rhenani est *mentiuntur*, tuetúrque eam Iunius, vt dicat, capiti suo dant tale spatium, non maius, quod mendacium est. Non displicet, cùm hæc Tertullianus exagitet. quid si vidisset, non modò faciem, verum etiam pectus & vbera prostitui passim? 274.

6. PALMA.] Rhenanus scripsit *palla* in Notis ad primam editionem, & refert ad honestæ mulieris vestimentum. Non placet. Nam neque huic loco quadrat hæc honestas. Et deinde *palla* est indumentum non capitis, sed reliqui corporis. Tertiò editiones omnes ante Rhenanum constanter suadent legendum *palmam*. Sed quæ hæc *palma* in dubio est. Rhenanus in secunda editione in Nota marginali refert ad velum palmatum, cui scilicet palma esset intexta, vt etiam dicta palmata vestis. Id placitum etiam Pamelio, & ita ego explicui. Sed vehementer placent, qui referunt ad palmam manus, vt dicant, aliæ se palma tegunt in Ecclesia, & putant se satis tectas: nam scilicet manus ipsa maior est minutulis aliis tegumentis, *fimbria, villo, filo*.

6. BESTIA QVÆDAM.] Legatur Plinius lib. 10. cap. 1. Omitto locum, tum quia longum, tum quia iam aduocatum Pamelio.

6. ALTEGRADIA.] Alij *altigradia*.

7. QVI SI FVERIT IN PECTORE, COGNOSCETVR ET IN CAPITE.] Sic contrà ait Clemens lib. 3. Pædag. cap. 2. reprehendens ornatum fœminarum, αἱ ἐν προσώποις κομῶσαι, ἐν ἐν καρδίᾳ: *Istæ gloriosæ in facie sunt, non in corde.* Et suprà dixerat: αἱ δὲ πρὸ ὀπφανείας καλλωπιζόμεναι, καὶ τὰ βάθη χερσούμεναι, *quia scilicet quæ apparent sunt pulchra, quæ non cernuntur, horrida.*

275. 7. VERITATEM CONSVETVDINI PRÆPONENTIBVS.] In vulgatis omnibus est *vtilitatem*; Latinius *veritatem* correxit, quem sequor, neque aliud esse potest, si libri huius initium intuearis. Iuuat Cyprianus, qui contendens ad mentem Tertulliani, scripsit epist. 73. *Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior* A *sit veritate.* Quem in locum vide & Pamelium. Cui adiungo Liboſi Episcopi verba, quæ habentur in Concilio Carthaginiensi: *In Euangelio Dominus, Ego sum, inquit, veritas: non dixit, Ego sum consuetudo: itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.* Et Felix alius Episcopus: *Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quoniam consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Et adhuc Honoratus: *Magis veritatem quàm consuetudinem sequi debemus.* His vides directam oppositionem veritatis cum consuetudine. Porrò hi Episcopi verba Tertulliani arripuêre, quæ sunt in primo capite huius operis.

7. CVIVS HOC OPVSCVLVM EST.] De more quo scriptores alij etiam asserunt sua opera, iam nos diligenter ad finem lib. 4. Georg.

FINIS LIBRI DE VELANDIS VIRGINIBVS.

ADDENDA AD PALLIVM TERTVLLIANI.

PLACET percurrere librum de Pallio Claudij Salmasij, & quæ ab illo admittenda sunt, lubens admittam: si quæ non ita, præfata venia hinc excludenda sunt. Itaque non omnia tractabo, sed quæ de nouo occurrunt, in quibus ille lectionem mutat. hunc autem ordinem seruabo, vt ipsum loquentem faciam Salmasium: si quæ addenda erunt, addam ipse vel initio, vel in fine. Nec mirum hoc opus excreuerit suppeditante materiam Pallio ipso.

1. PRINCIPES SEMPER AFRICÆ VIRI.] Cùm Tertullianus toto hoc libello de variis totius orbis, vrbium, regnorum, aliarúmque rerum mutationibus tractare habeat, déque ipsorum etiam Carthaginiensium habitus & politiæ mutatione; nihil tamen eos quantum ad primatum attinet, mutasse, initio libelli huius statim contestatur.

2. HABITVS DENOTARE PACIS.] *Denotare*, apud hunc nostrum, nunquam pro nota adposita declarare & designare positum legitur, sed semper est, arguere, reprehendere, & censoria virgula notare. sic infrà: *Pallium tamen generaliter vestrum immemores etiam denotatis.* & alio loco: *Orbem igitur laudans mutantem, quid denotas hominem?* & locis alibi sexcentis. Hinc *denotatio* pro ignominia, siue infamiæ nota, apud Firmicũ, lib. 3. *Periuros faciet, perfidos, & crebris ob hoc denotationibus miseros, ganeones,* &c. ita & *denotare* heic accipiendum. Ita accepi, subieci tamen vt illustrarem Tertullian. tanti viri auctoritate. Gaudere se dicit Tertullianus tanta temporum prosperitate frui Carthaginienses, vt vacet illis habitus denotare, ac censores agere vestium. Vitiosa porro distinctio est in illis, *habitus denotare pacis.* Nec enim Carthaginiensibus hoc propositum, habitus pacis carpere. Nam quis maior habitus pacis quàm toga? Hãc illi non reprehendebant: immo contrà, togæ desertores carpebant. Et hunc ipsum Tertullianum irriserant, quòd togam pallio mutasset. Scribêndum igitur: *Gaudeo vos tam prosperos temporum, cùm ita vacat ac iuuat, habitus denotare. Pacis hæc, & annona & otia.* atque ita iam & olim hunc locum distinxerat Ciacconius. Itaque quamuis ego insipidam lectionem dixerim, inuitor tamen ferri posse hanc lectionem propter auctoritatem Ciacconij & Salmasij.

3. PACIS HÆC ANNONA ET OTIA.] Totus hic locus ita interpungendus est: *Pacis hæc & annona & otia ab imperio & à cœlo, bene est.* Paci debetis annonæ & otij abundantiam, qua nunc luxuriatis, cùm bene saturis & otiosis lubet, quid quisque rerum gerat, quomodo viuat ac vestiatur, curare, & vestiarij censuram sumere: nemo hoc facit nisi satur & otio abundans: vtrumque pacis opus est. Hæc interpunctio ita satisfacit, vt non omnino assentiam. addit: *ab imperio & à cœlo bene est.* imperium dat pacem, pax otium: At annonæ copia, hoc est, εὐετηρία, non tantùm è solo sed etiam à cœlo venit, cuius temperiem frugibus maximè necessariam esse nemo est qui nesciat. Rectè igitur vtrumque coniunxit; ab imperio & à cœlo vobis bene est. ab imperio, propter pacem; à cœlo, propter annonam.

4. TAMEN ET A VOBIS HABITVS, ALITER OLIM TVNICÆ FVERE.] Hæc lectio vtcumque sit, nec enim mea est, hunc sensum habet. Vos tunicas quidem olim, sed aliter quàm nunc, habuistis; sed alias & alio modo induendas.

5. ET QVIDEM IN FAMA.] Perperam corrigunt quidam, *infamatæ*: non infamatas illas tunicas fuisse vult dicere Tertullianus, sed famosas, & celebres, & hoc est in famâ. hanc lectionem ego quoque correxeram, sed non grauabor Salmasij auctoritatem referre: sic enim Arnobius *in nomine* dixit, lib. 6. *Sed vocabulum eius obscurat, correptum amoribus Veneris, propter quam Gnidus in nomine est.* Sic dicunt ἐν ὀνόματι. idem Arnobius, *in opinione*, pro eodem posuit: *Exemplarium fuisse perhibetur cunctarum quæ in opinione sunt Venerum. In opinione,* ἐν φήμῃ: nam *nomen, opinio, fama,* idem: vt *opinati, nominati, famosi.*

6. DE SVBTEMINIS STVDIO.] Commendat eas tunicas de subteminis studio: quòd studiosè nimirum diligentérque textæ essent. Per *subtemen* fortasse totam texturam intelligit: nihil aliud enim ars texturæ, quàm subteminis ad stamen connexio. Græci *texturam* definiunt, τὴν συνάφειαν τῆς στήμονος πρὸς τὴν κρόκην. Vitruuio connexu staminis ad subtemen tota telæ structura constat, lib. 10. cap. 1. De subtemine tamen eas potissimùm laudat, quòd eius præcipua spectatio in mollioribus ac delicatioribus tunicis. Pinguiores & rudiores vestes, plus staminis accipiebant quàm subteminis: vt contrà delicatiores, plus subteminis: molliùs siquidem & subtiliùs nebatur subtemen quàm stamen. hinc diuersæ στημονικὴ & κροκωτικά.

7. ET LVMINIS CONSILIO.] Licèt, quæ hîc Salmasius asserit, vera esse non possint, vt existimo: aliud est enim hoc *concilium*, quod ipse vult, à *consilio* Tertulliani, vt satis illum illustraui loco Senecæ, qui clarè *consilium* dicit: tamen apponam eius verba, & explicationem, si cui fortè arriserit, propter auctoritatem docti viri. De hoc *luminis consilio* sæpius in consilium itum est à viris doctis; nihil tamen adhuc luminis huic loco contulerunt, & ineptas plerique sententias protulerunt. omnino legendum, *luminis concilio.* sic infrà, *consultum rus* pro *concultum* mendosè scriptum fuerat. & *nominis consilium*, eodem mendo pro *concilium.* harum litterarum inuicem mutationes haud rarò in libris occurrunt. in vetustissimo pòëmate ita scriptum reperi,

---Saturnum nato sogente fugatum,

pro *cogente. Lumen* autem hoc loco non pro quolibet colore, sed de purpureo dicitur propriè. Hinc chlamydes veri luminis apud Trebellium Pollionem,

sunt purpureæ, quas & *holoiceras* dixêre. Plinius alicubi dixit vestem purpura illuminari. Statius:

Contentus arcto lumine purpuræ.

Lumen igitur heic pro purpura. *concilium*, pro conciliamento. sic *concilium gratiæ* apud Donatum, pro conciliatione: *in concilium gratiæ redire*. Non alium huiusce nostræ interpretationis adsertorem dabimus, quàm Tertullianum ipsum, qui luculentè hunc morem inoculandarum vestium ita describit in libro de pudicitia: *Sed enim plerosque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in vestibus purpura oculandis sæpissimè euenire est. quum putaueris rectè conciliauisse temperamenta colorum, & credideris comparationes eorum inter se vnasse, erudito mox vtroque corpore, & luminibus expressis, errorem omnem traducta diuersitas euomet.* intelligo hunc locum nihil facere, aut certè parum ad *concilium*, quod Salmasius intendit. Aliud est *concilio concilias*, aliud *concilium*. Concilium de coloribus adhuc quæro testimonium. etenim si inuenissem, irem libentissimè in eius sententiam. Obiter noto malè legi in meo Commentario, *errarunt, vt puto, qui rescripsere, & luminis consilio*, cùm esse debeat *concilio*. etenim *concilium* damno, *consilium* probo.

8. ET MENSVRÆ TEMPERAMENTO.] Postquam ab arte & materia tunicas illas commendauit, à forma quoque laudat, & mensuræ temperamento, *quòd neque trans crura prodigæ, nec intra genua inuerecundæ, nec manibus arctæ*, &c. Ita enim legendum, non prodigè, verecundè, parcè, arctè. & inepti sunt, qui has lectiones manuscriptis defendunt. id appositi, quòd ego quoque ita scripsi legendum.

9. NEC BRACHIIS PARCÆ.] Legendum autumat *paræ*, à quo parum, vt *rarus* à quo rarum; nimius, nimium; paullus, paulum, & similia. *parus* est contrarium τῷ *nimius*. vt apud Plautum, *subparum, subnimium*. Hanc vocem *parus* duobus aut tribus locis apud Ammianum Marcellinum auctoritate librorum restituit, quem & heic lubet restituere iisdem auctoribus libris. Ferri potest hæc lectio Salmasij. credamus igitur libro edenti *paræ*, quæ licèt vox noua sit, nihil mirum in hoc viro. vellem tamen apponi illos Marcellini locos.

10. NEC MANIBVS ARCTÆ.] Docet Marcilius, manicas vaciuas & pendentes fuisse Africanis ad ornatum potiùs quàm ad vsum, & de his intelligendum Africanum; quod libenter ego amplexus sum; non quòd nescirem manicas esse, quæ indutui seruiunt: & hoc magistro maximè glorior. Vide me in explicatione.

11. QVOD *neque trans crura prodigæ, nec intra genua inuerecunda, nec brachiis paræ, nec manibus arctæ, sed, nec cingulo sinus diuidere expeditum, beatæ quadratæ iustitiæ in viris stabant. Pallium extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus.* Ex his omnibus eligo illud, *nec cingulo sinus diuidere expeditum*. Quia ita Græci loquuntur passim, & præterea Tertullianus ipse: *Post demum sapientiam, haud dum licitum, præreptam potitur.* id est, cùm haud dum licitum esset. ita hocloco, *nec expeditum cingulo sinus diuidere*, Græca figura positum est, pro, cùm expeditum non sit. Illud de *quadrata iustitia*, vt verum sit, ambigo: nam temperatas ac moderatas vestes, quæ nec iusto longiores, nec breuiores, Latinè *iustas* dici scimus, Græcè συμμέτρους. sed *iustitia* pro *iusta*, id scilicet ambigo; *iusta statura*, Suetonio; *statura, quæ iustam excederet*: *latus ab humeris, & pectore. iusta forma* apud Lampridium pro eodem. sic *iustus orbis* annuli, Ouidio, qui nec nimiùm laxus est, nec strictus:

Tam bene conuenias quàm mecum conuenit illi,
Et digitum iusto commodus orbe teras.

Sed vt dicatur Suetonio *iustitia statura*, & sic de aliis, vehementer timeo. An de naso iusto dices iustitiam nasi? itaque non dubito lectionem eam non esse Tertulliani, quantumuis præferat titulum.

12. QVADRANGVLVS.] Quemadmodum esset pallium quadrangulum, non dubito tibi proponere viri docti censuram, & verbis iisdem fere, nisi addam aliqua. Vestes, quæ angulos non haberent, eas rotundas fuisse, atque ita dictas esse, non verisimile, sed verum est. *angulum* in veste vocant, partem extremam vestis, vbi aperta est, quæ in acumen desinit, tam in ima vestimenti ora quàm in summa. Vestes igitur quæ circa imas oras apertæ non erant, sed vndique concluse & commissæ, huiusmodi angulos nullos habent, & rotundæ propterea dictæ sunt, Græcis κυκλοτερεῖς. tales erant olim mulierum cyclades, quas nunc *Zupas* vocamus. sunt etiam planè plenéque rotundæ, & nullum habent angulum, quia vndiquaque clausæ per extremum ambitum. Rotundis contrariæ quadratæ. Eæ ab summo ad imum apertæ. vnde quatuor angulos habuisse necesse est. duos in ima ora, duos in summa: hinc quadrangulæ dicebantur. tale pallium Græcorum fuit, & pallia fere omnia muliebria. Festus: *ricinium, pallium muliebre quadratum.* Pallam quoque, quadrum pallium interpretantur Grammatici. Saga quoque militaria, quadrata, & saga Gallica, & Paludamenta Imperatorum. At toga Romanorum rotunda erat: ideo *pallium teres* eam vocat paulò post Tertullianus. Hæc nullum angulum in imo habebat, sed cohibili circum circa remeans ambitu, & clausa vndique, omnia corporis contegebat. Hanc quadratarum & rotundarum vestium differentiam mihi confirmauit Ammonius, cuius hæc verba sunt: χλαμὺς ἡ χλαῖνα διαφέρει, καθὸ διὰ πολλῶν ἀπέδειξε Δίδυμος ἐν ὑπομνήματι δευτέρῳ Ιλιάδος. ἡ μὲν χλαῖνα ἡρωϊκὸν φόρημα· χλαμὺς δὲ Μακεδονικὸν μὴ ἐξακόσια ἔτη τῶν Τρωϊκῶν ἀναμαδεῖται Σαπφώ· αὕτη δὲ μέμνηται τῆς χλαμύδος. διαφέρειν φησὶ καὶ τῷ σχήματι· ἡ μὲν γὰρ χλαῖνα φησὶ τετράγωνον ἱμάτιον, ἡ δὲ χλαμὺς εἰς τέλος περὶ τὰ κάτω συῤῥῆκται: *Chlamys & chlæna differunt, vt ostendit ex Didymo in altero volumine Iliados: nam chlæna quidem heroïcum est indumentum, chlamys Macedonicum: cuius meminit Sappho. differunt etiam figura: Chlæna enim indumentum est quadrangulum, chlamys autem circum clausum est & inductum circa extimam oram.* Vides, vestimentum, quod περὶ τὰ κάτω συῤῥῆκται, & *circa extimam oram totum circumclusum est*, opponi quadrangulo amictui. nihil certius est. quæ talia sunt, angulis planè carent. contrà, quæ aperta, γωνίας habent, & ea sunt quæ Græcè τετράγωνα vocantur. γωνίας, id est, *angulos vestium*, iidem Græci etiam πέρυγας appellabant, & πτερά. Hesychius: Θετταλικὰ πτερά· τοῦτο εἴρηται διὰ τὸ πέρυγας ἔχειν τὰς Θετταλικὰς χλαμύδας. πέρυγας δὲ καλοῦσι τὰ ἐκατέρωθεν γωνίαι, διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυγι. Huiusmodi πέρυγας, siue γωνίας, duas ab vtroque latere pallium habebat in parte inferiori, duas in superiori. inde quadrangulum vel τετράγωνον. sed πέρυγας propriè vocabant Græci angulos illos qui circa imum vestis, ab alarum similitudine. aperti siquidem & diuisi in medio vestimenti partes ab vtroque latere fluitantes auium alas planè referunt. Hesychius, πέρυγες, εὐθυωτῆρες, τὰ πηδάλια, ἢ μέρος χιτῶνος, τὰ περὶ τὰ κράσπεδα. Dicit videlicet, πέρυγας esse tunicæ partem circa infimas oras. idem alibi πέρυγια τὰ ἄκρα τῶν ἱματίων interpretatur. Pollux lib. 7. cap. 14. μίζη δ' ἐσθὴς πέρυγες μὲν ἡ πέρυγον τὸ ἥμισυ τοῦ χιτωνίσκου. vbi πέρυγον vocat dimidiam partem tuniculæ; quia vt aues singulæ binas habent alas, sic etiam huiusmodi tunicæ, quæ per medium apertæ sunt, duas ab vtroque latere partes habent, quæ auium alas imitantur, atque inde πέρυγια vocantur, quarum vtriusque acumen extremum γωνίαν facit; quæ & ipsa etiam

πέρυξ

πῶρυς vocatur. nam πωρεῖν & πῶρυς cuiusque rei summitatem & acumen apud Græcos significat. Multis prosequitur; mihi satis hæc esse duxi, vt intelligatur *quadrangulus* in vestibus, præsertim in tunica. Hæc si addas illis, quæ iam dixi in libro de Pallio, cognitum tibi planè erit hoc τετράγωνον. Eò enim destino hunc laborem; nam qui semel de Pallio scripsi, non videor satisfeciſſe rei, nisi amplam notitiam dederim.

13. AB VTROQVE LATERVM REGESTVS.] Pallium regestum dicitur τὸ ἑκατέρωθεν ἀναζωλωθὲν, & ἱμάτιον ἀναζεζωλῶσθαι Græcis dicitur, qui pallium sic ab vtraque parte regestum gerit. hinc ἀναζολὴ & ἀναζόλαιον vsurpatur pro pallio. Gloſſæ, ἀναζολὴ, *amiculum, amictus.* ἀναζόλαιον, *amiculum.* dicebatur & *anaboladium.* Hoc ἔμπλεα pallij vtrinque regesti, communis habitus elegantiorum Græcorum, & politicorum fuit. partem enim vtramque pallij retrorsum iaciebant, itavt tota quæ suberat tunica, pateret. pallium ipsum ceruicibus circumstrictum morosiúsque in rugas plicatum, & ordinatum, fibulæ morsu in humeris tenebatur. Græci philosophi, & præcipuè Cynici aliter τριβώνιον suum vestiebant. totos enim sese pallio obuoluebant. Partem siquidem pallij de sub dextro humero super sinistrum reiiciebant, & sic excluso dextro, obuelato sinistro humero erant. atque hæc pallij duplicatio est, quam primus instituisse fertur Diogenes.

14. CERVICIBVS CIRCVMSTRVCTVS.] Non assequor rationem, propter quam Tertullianus de duplici pallio agat, vno nobilium, altero plebeiorum. Hæc quæstio eruditiores petit, nec enim ego aliter de Tertulliano possum affirmare. Quamobrem hîc *circumstructum* Pallium nomino, ad eum modum quo infrà dicit, *nihil circumstringit*; atque adeo hoc in loco non scripserim *ceruicibus circumstrictus*, donec planiùs & pleniùs illum loqui de duplici Pallio sciam, nobiliorum & Cynicorum.

15. IN FIBVLÆ MORSV HVMERIS ACQVIESCEBAT.] Dabo hîc quæ vir doctus affert de hac particula *in*, vt habeas quod adiungas nostræ eruditioni, si qua est. *In fibulæ morsu* est, per fibulæ morsum. sic Græci ἐν ξίφει, pro διὰ ξίφους. sic idem de virginibus velandis: *& in acu lasciuiore comam sibi inserunt*, hoc est, per acum lasciuiorem. Atticè hoc dictum volunt. profectò si Atticismus hic est, Atticè loquuti sunt omnes etiam infimæ ætatis auctores, in quorum scriptis hæc loquutio frequens. Isidorus: *Calamistrũ, instrumentum in quo torquentur capilli.* Veteres Gloſſæ Philoxeni: *Atramentum* μέλαν ἐν ᾧ γράφουσι, *in quo scribimus.* sic apud Nonium Marcellum, *in notis punctis*, pro, compunctis notis: *Stigmatias*, inquit, *in notis punctos, veteres appellarunt.* sic apud Marcianum, *Percutere in gladio.* Dig. ad leg. Cornel. *Nam si gladium strinxerit, & in eo percusserit, indubitatè occidendi animo id eum admisisse.*

16. INSTAR EIVS HODIE IAM VESTRO ÆSCVLAPIO SACERDOTIVM EST.] Malè, *iam vestro*, pro etiam vestro heic accipiunt: *etiam vestro*, inquiunt, *non Græciæ tantùm, aut Romæ*: immò *iam vestro*, qui iam vester est, cùm priùs Pergamenorum fuerit, deinde & Romanorum. Nec illud item rectum est, quòd *sacerdotium*, pro *sacerdotum* positum arbitrantur. id quomodo procedat, non video. hoc viderint acutiores, & *sacerdotium* heic pro sacerdotum cœtu siue collegio: vt *presbyterium* pro presbyterorum. sic *famulitium*, & *seruitium.* instar eius pallij iam vester Æsculapius sacerdotes habet: ad hoc exemplum Æsculapij vestri sacerdotes amicti sunt. Hic sensus illorum verborum.

17. ET SICVBI ALIBI IN AFRICA TYROS.] Hæ loquendi formæ dubitationem apud hunc non faciunt, sed asserunt. *si quis*, pro aliquis. *sicubi*, pro vbi, *si fortè*, pro fortè De habitu muliebri: *Sed si quid de mari Britannico, aut Indico ambitio piscatur, concha genus est. si quid piscatur*, hoc est, quod piscatur. nam aliquid *piscari ex Indico mari ambitionem* satis certum est. nempe concham margaritiferam. sic in Apologetico: *Demetrius Phalereus, & rex Iuba, & Appion, & Tullus, & si quis istos aut probat aut reuincit Iudæus Iosephus Iudaïcarum antiquitatum vernaculus vindex.* (*si quis istos reuincit.*) nam *si quis* ille est Iosephus, & eum disertim nominat infrà: *imbres ruunt, & si qua missilia cum imbribus.* id est, & aliqua missilia cum imbribus. ita & *si quando* vsurpauit in libro de anima, pro, aliquando. ita in iure nostro, *si quo melior*, pro, *aliquo melior.* ita planè hoc loco *sicubi in Africa Tyros.* Illud verò *in*, cùm dicit *in Africa Tyros*, scribendum est *vt*, dicítque *sicubi alibi vt Africa Tyros*, sicuti dixi in hoc libro cap. 109. itaque coniungens quæ hîc dixi, & quæ ibi sunt, facilè capies sensum.

18. AT CVM SECVLARIVM SORTIVM DOMINA FORTVNA.] Quoniam *dominam fortunam* hinc iam reieci, & pro illa substitui *variauit vrna*, placitum adiungere, quod ille in hoc loco, fauens meæ opinioni. Itaque lege integrum locum sic: *At cùm secularium sortium variauit vrna*: igitur ille de hac lectione sic ait. Quæ lectio & elegantissima, & indubitatè vera est. idque iam vidêre docti, vt mirer tam absurdi palati fuisse nuperos Criticos, qui vulgariam illam præ ista probarunt. Non verisimile est ita loqui voluisse Tertullianum, quo secularium sortium dominam fortunam agnoscere, præcipuè cùm Deum heic nominet. Eleganter verò per *secularium sortium vrnam* rerum humanarum vicissitudinem intellexit. nam quemadmodum ex vrna, qui sortiuntur, aut primi, aut secundi, aut tertij, aut vltimi exeunt, felicésque aut minùs prosperas sortes ducunt; sic vrnæ inquam plures ac diuersæ sortes coniectæ sunt. Similis planè est rerum mundanarum vicissitudo. In ea vrna humanarum sortium, fata regum populorúmque, vrbium & regnorum vices, quasi versantur & voluuntur. Cuius populi vel regis vel ciuitatis prima sors & prospera hodie exierat, pòst paulò variante vrna, non secundo, nec tertio, sed vltimo loco exibit. *Sæculares sortes* sunt mundanæ. nam *sæculum* sæpe apud hunc nostrum pro mundo.

19. ET ROMANIS DEVS MALVIT.] Siue intelligas *factum*, vt Marcilius, siue demas vt vult Salmasius, eadem ratio est.

20. SALVTARET.] Liber Salmasij *salutasset* habet, quæ ratio idonea est scriptori, præsertim Africano. sic infrà *cœnasset* pro *cœnaret*: *Margarita namque vel ipso nomine preciosa dehausit, ne mendiciùs patre cœnasset.* Arnobius & ipse Afer passim ita loquitur, vt lib. 1. *Ipsa denique hiscere si animantia muta potuissent, immò si arbores, gleba, saxa sensu animata vitali, vocis sonitum quirent, & verborum articulos integrare. potuissent*, id est, possent. nihil frequentius occurrit apud Tertullianum Cyprianúmque hac loquutione.

21. ROMANA PRÆCOQVA.] Liber Salmasij *Romanum præcoqua*, quod accipit Ρωμαϊκὸν, *Romanum* vel *Romanitatem*, vt *crepidam aratus*, & apud Ausonium *mentem bonus, ingenio ingens.* sic apud Poëtam, *nuda genu, lacer ora.*

22. SATVRNINVS.] Siue hic docuerit sollemnes ritus deducendæ coloniæ, siue non, parum ad rem spectat.

23. PRÒ QVANTVM CIRCVMMEAVIT A PELASGIS AD LYDOS.] Hîc multus est Salmasius in explicanda voce πίσσινος, vel πίσσα, quæ ad rem nihil, sunt verò vtilia vt cognoscatur vox ea. Lege si placet.

24. ET PALLII IAM TERETIS REDVNDANTIAM.] Cùm hîc *togam* intelligat, laudo hominem, qui supra alios rem intellexit, mecum quoque, qui antequam illum viderem, rem arrigi, vt videre est in meo commentario lib. de Pallio. Quoniam autem is aliis verbis rem explicat, visum est, ipsum apponere, atque explicare eius mentem integram, datis eiusdem verbis. Nouissimus eius pallij sartor, dum illud reconcinnat, non fuit, id quod erat, teres esse, sed de rotundo quadratum fecit. *pallium* hoc *teres* de pallio Æsculapij accipit, quod morosiùs ordinari solitum scribit infrà noster cap. 15. atqui pallium illud quo Æsculapij sacerdotes amicti, non teres, sed quadrangulum fuit. pallium quippe Græcanicum πεταλοῦνον, & eiusdem formæ cum pallio veteri Carthaginiensium, quod & ipsum fuisse quadrangulum paulò antè dixit Tertullianus. quomodo igitur eadem res & quadrata simul & rotunda potest esse? ne quid te morer, *teres pallium* hoc loco toga est. vide quæ præcedunt, quæ sequuntur, & fateberis verum esse. Ab eo tempore, inquit, ô Carthaginienses, quo coloniæ Romanæ iure donati estis, & toga vobis oblata est, exinde pro tunicis breuioribus, ac non cinctis, quales antè indutui habebatis, longiores eóque cingendas cepistis, & pallium vestrum quadratum tereti pallio mutauistis, hoc est, toga Romana. Rotundum fuisse amictum togam Romanorum, monere vacuum est. Hinc *pallium teres* eam vocauit, hoc est, amictum rotundum. nam *pallium* Latini de omni amiculo, quod superiniicitur, & Græcis ἐπίβλημα dicitur, vsurparunt. Vetus scholiastes Persij: *Lacerna, pallium fimbriatum quo olim soli milites vtebantur.* idem de penula: *Penula pallium cum fimbriis longis.* & quod ad rem magis facit, *togam* quoque pallium forma rotunda esse exponit, ad illud Persij:

---*verba togæ sequeris.*

Toga (inquit) *est purum pallium forma rotunda, & fusiore atque inundante sinu.* Hæc Tertullianum, vt nihil melius, interpretantur. & conueniunt, quæ de fusiore atque inundante sinu togæ dixit, cum his Tertulliani verbis de toga: *Et pallij iam teretis redundantiam, tabulata congregatione fulciris. Toga* igitur, *pallium teres, & redundans.* Dionysius Halicarnasseus περιβόλαιον κυκλοτερὲς *togam* appellauit: vt toga nihil aliud erat quàm pallium rotundum, sic pallium Græcanicum aliud nihil quàm toga quadrata. Hinc *togam Græcanicam* Suetonius in Domitiano pro pallio Græco dixit: *Certamini præsedit crepidatus, purpuredq; amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream.* Ita enim optimus librorum Memmianus, quem vidi, legit, pro *Germanica*, quod editiones nunc occupat. frustra etiam laborant in quærenda illa Germanica purpura viri eruditissimi. *toga Græcanica purpurea*, est pallium purpureum Græcum. *Togam* de omni veste vsurpasse veteres superiori animaduersione ostendimus. Sed ad Suetonium ipsum plura.

25. ARIETEM.] Recensentur hîc quædam de ariete, machina militari. itaque versus Laberij hic fuit,

Reciprocicornis, lanicus, testitrahus.

Testitrahus aries Laberio, qui præ pondere rem illam, qua præter cæteras animantes instructus est, trahere potiùs videatur, quàm baiulare. Nam quæ ferre non possumus, trahimus. Aptissimè ad hoc epithetum arietis faciunt Lucilij versus apud Nonium, de ariete:

Ibat forte aries, inquit, iam quod genus quantis
Testibus! vix vno filo hosce hærere putares,
Pellicula extrema exaptum pendere onus ingens.

Ex his neminem latere potest, cur Laberius arietem *testitrahum* appellarit.

26. INGENIVM.] Sciendum hæc tria vocabula, *ingenium, artificium & argumentum* synonyma Tertulliano esse. Aduersus Gnosticos: *Sapienter itaque iugulauit, dum in vitam; & rationabiliter, dum in gloriam! ô parricidij ingenium! ô sceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit!* sic *argumentum*, & *ingenium*, idem. in legibus Burgundionum tit. LXXXVIII. *nec extraneo per quodlibet argumentum terram liceat comparare.* In Epistolis Romanorum Pontificum ad Carolum & Pipinum, Epist. XLV. *tanto studiosiùs eius resistendum est molimini, ne quemquam suis irretire valeat argumentis:* hoc est, artibus & strophis. Epist. eadem: *Et tantummodo per argumentum in præsentia de missis vestris, simulauit nobis iustitiam facere.* Epist. LX. *Dum omnia quæ B. Petro à vestra excellentia sunt oblata, per iniquum suum argumentum conantur abstollere.* alibi pro eodem dixit, *iniquum ingenium, & malum ingenium.* vt *ingenium* pro machina, sic etiam *argumentum.* vnde *argumenta rotarum* in veteri Passione, & *argumentis vehi.*

IN CAP. II.

27. NE POENICVM INTER ROMANOS.] Pœnicum pro Pœnis, Græcizat. sic ἑλλωτικὸν Thucydidi pro Græcis passim, & apud Ælianum, πᾶν ὅσον τὸ Μεγαρικὸν, pro Megarensibus. & similia.

28. FVNGITVR ET IPSE MVNDVS INTERIM ISTE.] Mutat lectionem, *fungitur & ipso mundus interim iste.* & ipso munere vertendi, fungitur iste mundus, quem incubamus.

29. AD FORMAM EIVS QVOD MVNDVS HIC EST.] Lege, *quod*, non *quòd.* ὅτῳ, non ὅτι, vt perperam exponunt. In veteri libro, *stic* hoc loco scriptum est pro hîc: *ad formam eius quod mundus stic est.* vbi *stic* pro *istic* sic *sto* pro *isto* apud Nonium. ὁκόν pro ὁκοῖον in veteri Glossario. Vnde *schiatici* pro *ischiatici*, & *schias* pro *ischias* apud Marcianum Capellam. Possem addere Salmasio *schariotem* pro *ischariotem*, & alias voces quas obseruaui, & tu habes cap. 48. huius libri.

30. PROINDE DIVERSA IN VNVM EX DEMVTATIONE DIVERSA SVNT.] Hîc lectionem mutat vel potiùs interpunctionem, & sic legit: *Sed ipse quem Plato æstimat, cuius imago hic sit, etiam ille habeat necesse est proinde mutare. Quippe si mundus, ex diuersis substantiis officiisque constabit, ad formam eius quod mundus hic est: neque enim mundus, si non vt mundus proinde. Diuersa in vnum ex demutatione diuersa sunt. Denique diuersitatis discordiam vices fœderant. ita mutando erit mundus omnis, qui ex diuersitatibus corporatus, & vicibus temperatus.* Dixerat Tertullianus solemne munus esse naturæ variare cuncta, & vertere. munere illo fungi hunc mundum quem insistimus. Sed & illum quem Plato sibi finxit, & cuius istum quem incolimus, imaginem esse dixit, illum inquam ipsum, necesse habere proinde mutare. quod sic probare intendit: si mundus est, ille Platonis idealis mundus, vtique debet ex diuersis substantiis constare, ad formam eius quod hic est mundus, id est, vt dici possit, & esse exemplar huius mundi: neque enim mundus, si non vt mundus, ex diuersis substantiis officiisque constabit. Diuersa autem in vnum ex demutatione sunt diuersa; hanc postremò diuersorum discordiam vicissitudo conciliat, ac temperat. sic omnis mundus, & ille idealis Platonis, & hic realis quem incumbimus, mutatione mundus erit, & semper mutabilis, ex diuersis substantiis compositus, vtpote & diuersitatis vicibus temperatus.

31. ITA MVTANDO ERIT MVNDVS OMNIS.] *Mundum* dicit *mutando* esse mundum, qui per mutationes mundus est: nisi enim mutaretur,

mundus non esset. Ex diuersis quippe substantiis compositus & compactus est. atqui diuersa in vnum congregari, & compingi, vt aliquid creent, non possunt, nisi mutentur. sic mundus *mutando mundus* est, quem multæ diuersæque substantiæ per demutationem in vnum corpus conglobatæ & concretæ creauerunt.

32. NOSTRA CERTE METATIO.] Hic mundus, quem incumbimus, in quo metamur. Sunt *metatores* qui locum castris præparant.

33. QVOD CLAVSIS VEL IN TOTVM HOMERICIS OCVLIS LIQVET.] Id est, vel in totum cæcis. aduersus Marcionem lib. 2. *Proinde atque si cæcis vel fluitantibus oculis, ideo alium solem præsumere velit, mitiorem & salubriorem, quia quem videat non videt.* perperam hodie ibi legitur, *cæcus aut fluitantibus oculis.* in Apologetico: *quid quòd plerique clausis oculis in odium eius impingunt?*

34. SOLSTITIONIBVS ANNVIS.] Legit *sol stationibus annuis*, sed non dubium, quin *solstitionibus* magis sit Tertulliani.

35. LVNA MODVLATIONIBVS MENSTRVIS.] Quos Græci χρηματισμοὺς τῆς Σελήνης vocant, huic nostro sunt, *modulationes Lunæ.* χρηματισμοὶ Lunæ, ἢ μηνοειδὴς, διχότομος, ἀμφίκυρτος, πανσέληνος. *modulare* idem est, quod χρηματίζειν vel ῥυθμίζειν: & *modulus* idem quod χρῶμα, vel τύπος. in lib. de orat. *Nos verò non attollimus tantùm manus, sed etiam expandimus, Dominicam passionem modulantes.* id est, χρηματίζοντες expansione manuum τὸν σωτῆρα Domini nostri. Glossæ, *ῥυθμίζω, modulo, formo.*

36. INTERDVM DEIICIT QVID, INTERDVM RESVSCITAT.] Hic nouam sequitur explicationem. Nihil aliud intellexit autor quàm ortum & occasum stellarum, quæ deiici & decidere dicuntur cùm occidunt; resuscitari cùm oriuntur. Quod semper facimus, Tertulliano etiam heic demus Tertullianum interpretem. in lib. de Resurrectione, vbi hoc idem argumentum tractat, ita loquitur: *Redacenduntur enim & stellarum globi, reducuntur & siderũ absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. Redornantur & specula Lunæ quæ menstruus numerus adtriuerat. Reuoluũtur hyemes & æstates, verna & autumna. quippe etiam terræ de cœlo disciplina est, arbores vestire post spolia, flores denuo colorare.* idem de iudicio Domini:

Sidera cuncta cadunt, iterúmque renata nitescunt,
Et dies in densa moritur cum lumine nocte.

Sidera renasci, ibi dixit, vt heic *resuscitari.* nam quasi resuscitari videntur, & resurgere, cùm denuo oriuntur. sic in Ecclesiaste, cap. 1. Sol dicitur nasci cùm oritur, his verbis: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique sic renascens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Hæc explicatio sustineri potest, in hoc præsertim scriptore, sed non dubium quin altera melior sit, & magis idonea, cùm *quid* ad actionem nos ducat.

37. NVNC SVB DIVO SPLENDIDVS.] Rectè quidam emendarunt *subdiuo splendidus* vnica dictione. Quod de *extra tectum* reprehendit Salmasius, nihil est quod te turbet, cùm ad rem nihil faciat *extra tectum*; nec enim scio quamobrem id dicat, nihil enim aliud Tertullianus dicit quàm quod vox ipsa *subdiuo* significat. Illud laudo quòd partem domus, quæ sub diuo est, quam Græci αἴθριον vocant, *subdiual* Tertullianus dixit, aduersus Iudæos: Ezechielis 9. cap. *Et claritas Dei Israël ascendit à Cherubim, quæ fuit super ea in subdiual domus.* Hinc *subdialis sentina* eidem Tertulliano, de anima: *Nobis inferi non nuda cauositas, nec subdialis aliqua mundi sentina creduntur, sed infossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.*

38. ET SI QVA MISSILIA CVM IMBRIBVS.] Iacula grandinis, vt Apuleius vocaret. *missile* Latini vocant, quidquid iaci potest. vnde & *missilia* quoque pro iaculis apud Vegetium. *Si qua* autem pro aliqua. sic in Pandectis, *non solùm deteriorem, sed etiam si quo meliorem.* hoc est, aliquo. Tertullianus in Apologetico: *si qua illic arborum poma conantur*, pro, quæ illic arbores poma conantur. item ibidem: *Si quod arcæ genus est, non de honoraria summa, quasi redemptio congregatur religionis*: nunquam aliter ille loquitur, nec aliter est intelligendus.

39. SVBSTILLVM ET DENVO SVDVM.] Inter serenum & pluuium, subst illum tempus est, cùm minutim nempe rorat, priusquam pluuia incipiat, aut postquam desiit. Substillum est propriè κατὰ σταγόνα ῥέον, vt Græci vocant. inde *substillum* ψαλγονείαν & δυσνείαν Glossæ interpretantur. Glossæ Seruij, *substillum*, ψαλγονεία. aliæ Glossæ: *subst illat*, ψαλγονείᾳ.

40. DE FLVSTRIS TEMPERATVM.] An *flustra* heic temperato mari opponũtur? nequaquam. Nam *flustra* malaciam maris significant. Festus: *Flustra dicuntur cùm in mari fluctus non mouentur, quam Graci μαλακίαν vocant.* at mare temperatum, quid aliud quàm sedatum, & quietum, fluctibúsque vacuum? Virgilius lib. 1. de Neptuno, qui tempestatem ab Æolo excitatam sedauit:

---leuat ipse tridenti,
Ac vastas aperit Syrtes, & temperat æquor.

Flustra igitur sunt, quæ mare temperatum reddunt. quod tum fit, cùm in mari fluctus non mouentur. Aliquid tamen interesse debet hoc quidem loco inter *probum* siue tranquillum, & *flustris temperatum.* Nam autor in perfidia & mutabilitate maris denotanda, tres illi diuersos mutationum modos adsignat, cùm *tranquillitate probum* est, & cùm *temperatum flustris*, & cùm *decumanis turbulentum.* sic in aëris inconstantia designanda tria tempora notauit, *pluuium, substillum*, & *sudum.* Manifestè igitur heic *flustris temperatum* mare à tranquillo distinguitur. Tranquillitas & tranquillum propriè est cùm placidum ventis stat. Glossæ: *Tranquilla*, ἡσυχάν. ἀρχαϊκῶς, γαλιήν. si *flustra* secũdùm Festum malaciam significant, quid differet tranquillum mare ab eo quod *flustris temperatum* residet? puto *flustris temperatum* Tertulliano dici, quale paulò ante tempestatem solet esse mare, quum agitatum tumescere incipit, & fluctuare; & post tempestatem, cùm nondum ex toto desiit, sed adhuc fluctus mouentur. Nam *flustra* sanè fluctus sunt, nec aliter vnquam hoc vocabulum vsurpat Aldelmus antiquarum vocum studiosus aucupator. centies apud illum *flustra*, pro flustris siue fluctibus posita occurrunt. De laudibus Virginis:

Heic quondam ostendit turgentem tempore Nilum,
Qui fœcunda rigat flustris Memphitica regna.

Et alibi, *---miteſcunt æquora flustris.*

Temperatum itaque *flustris* erit simpliciter πλωΐμον, nondum penitus tamen placidum & tranquillum. sic Horatio *animæ Threiciæ mare temperare* dicuntur, hoc est πλωΐμον facere.

41. DE DECVMANIS INQVIETAT.] Hoc est, decumanis inquietatur. sic infrà, *de paradiso exterminat*, pro exterminatur. &, *positis exuuiis nouus explicat*, pro, explicatur.

42. TERRAM SI RECENSEAS TEMPERATIM VESTIRI AMANTEM.] Lege, *temporatim.* Hoc est, pro temporibus anni. nam *temperatim* aliud est. Terra pro temporibus anni variè vestitur. cùm segetes in herba sunt, viridem vestem habet: cùm messem spectant, & flaueſcunt, flauam: cùm tota verò niuibus cooperta est, candidam. Hîc tres tantùm colores enumerantur. non enim Tertulliano propositum fuit quatuor anni partes enumerare, & suos singulis colores adiudicare: agit de vestitu terræ, qui pro

temporibus anni variat: ac de terrę quidem cultæ tantùm loquitur, cui ſegetes pro veſte ſunt. nam ἀμάσους eam tegunt, & totam operiunt. Arbores quippe haud ita propriè *terram veſtire* dici poſſunt. præterea eumdem pæne colorem vêre & æſtate & autumno præferunt: virides enim ſunt, & viriditatis tantùm ſpecie differunt. terra quoque in pratis, tam vêre quàm autumno ſimiliter colorata eſt. tres igitur hos ſolos habuit colores, quibus temporatim terræ tunicam variari diceret, viridem in ſegetibus lactentibus, flauum in maturis, candidum in niuibus, quæ & ipſæ terræ pro veſte ſunt: quam totam operiunt.

43. CETERI QVOQVE EIVS ORNATVS QVID NON ALIVD EX ALIO MVTAT?] Hanc lectionem vt optimam laudat Salmaſius, ſed proponit aliam ex libro veteri, nempe, *ceteri quoque eius ornatus ſi quid, non aliud ex alio mutant*? id eſt, quodcunq; eſt reliqui eius ornatus, nonne aliud ex alio mutant, & montes decurrendo, & fontes exareſcendo? nam & fontes & montes & flumina terrã ornant, & inter eius ornatus computãtur. *ſi quid ornatus eius*, pro quodcunq; in reliquo eius ornatu eſt. ſic paſſim loquitur in Apologetico: *Olet adhuc incẽdio terra, & ſi qua illic arborum, poma conantur oculis tenus, cæterum contacta cinereſcunt.* Ita enim illa verba interpungenda ſunt, *ſi qua illic arborum*, quæcunque illic arbores ſunt. ita ſuprà: *& ſi quid præterea conditio vel dignitas vel temporalitas veſtit*, pro, & quidquid præterea. ſed de hoc loquendi genere plura in ſuperioribus.

44. ET SCOPVLÆ MONTIVM DECVRRENDO.] Seruat Salmaſius vocem *ſcopula*. Cùm verò σκοπὸς ſit vox Græca, inde prouenire ſcopulam non dubito, atque adeo Græcam vocem eſſe. itaque omnino legendum eſt *ſcopulas*, & *ſcapulas* cùm habent codices, reiiciendi ſunt, & mutandæ in *ſcopulas*.

45. ET FONTIVM VENÆ EBVLLANDO.] Legit hîc *cauillando*, quæ lectio ſuſtineri poteſt, immò debet. Elegantiſſimè fontium venas *cauillari* dixit, quæ reſiſtunt, & quaſi ſubterfugiunt ac tergiuerſantur: quæ non ampliùs apparent, ſed latent & fallunt, in officio ſuo fluendi ebulliendique cauillantes. ſic *cauillari in officio*, pro ceſſare, & non rectè agere. in libro de Pudicitia: *Non ergo & Ionas idcirco Ethnicis Niniuitis non putabat pœnitentiam neceſſariam, cùm cauillaretur in prædicationis officio; an potiùs miſericordiam Dei prouidens etiam in extremitate profuſam, quaſi deſtructuram præconium verebatur? Cauillatur* qui non apertè agit, ſed fruſtratur ac decipit. Gloſſæ: *cauillatio* ἐλέγξις, ἀπάτη, παρεγχείρησις. Tertull. lib. de Anima: *At Menelaus ſtatim inſequitur amiſſam, ſtatim repetit ereptam, decennij prælio extorquet, non latens, non fallens, non cauillabundus.* ſic & fontes cauillantur, qui latent, & fallunt, ac fruſtrantur, terrámque ſuis aquis fraudant.

46. FLVMINVM VIÆ OBVMBRANDO.] Mutat hîc lectionem, quam placet ſubiungere. legendum ex veteri ſcriptura, *obhumando*. qui veteres libros aliquando verſarunt, non ignorant, ſæpe in illis, immò fere ſemper, *vmus*, *vmor*, & *vmidus* ſcriptum reperiri. ita & *obumando* hoc loco exaratum fuit, pro *obhumando*. *obhumare* ad verbum eſt περιχωῶ, & περιχωόω. quod de fluminibus Græci dicunt, quorum aluei limo opplentur, itavt curſum mutare inde cogantur. *obhumationes* ſunt περιχώσεις, vel περιχώσεις fluminum. obhumando fluminum viæ mutant, dum obhumantur, & oblimantur eorum aluei, quod fieri ſolet per illam quam Græci vocant περόνην. Sic Ægyptum olim totam fuiſſe aquis ſubmerſam, & obrutam tradunt. at Nili περιχώσεις illam ſubinde obhumando πρτιὰ reddiderunt. vnde & δῶρον πταμοῦ, & ἐπίκτητος vocata eſt. Latini hoc etiam vocant *alluuionem*. Gloſſæ nomicæ, ἀλλαξίων, περιχώσεις. mutantur igitur fluminum viæ obhumando, quorum aluei & curſus obhumantur, & in humum ſolidam vertuntur: quod χερσωθῆναι Græcis dicitur.

47. SED ENATANDO RVRSVS INFIMA MVTAVIT ORBIS ALIVS.] Totum ſic lege ac diſtingue: *Sed & enatando rurſus in forma: mutauit rurſus orbis, alius idem. mutat & nunc localiter habitus*, &c. Mutauit, inquit, & totus orbis aliquando, diluuij nempe temporibus, cùm vna fuit vniuerſi orbis facies, & omnia pontus occupat, itavt etiam ardua, hoc eſt, montes altiſſimi, fluitarent, aquiſque obſiti eſſent. Hæc prima & vniuerſalis mutatio orbis. *Sed enatando rurſus in forma*: id eſt, poſtquam natare & fluitare deſiit, in forma priore fuit, ac priſtinam faciem recepit. & ſic mutauit iterum orbis totus: nam orbis denuo cœpit eſſe, qui pontus erat, atque ita alius tum factus eſt, quàm fuerat in diluuio: idem verò qui fuerat ante diluuium. & hic ſenſus eſt horum verborum, *mutauit rurſus orbis, alius idem*: alius quàm tempore diluuij, idem qui fuerat ante diluuij tempora. ſic de Phœnice loquutus eſt in lib. de Reſurrectione: *Siquidem animalis eſt res, & vitæ obnoxia & morti. illum dico alitem Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemetipſum libenter funerans renouat, natali fine decedens atque ſuccedens: iterum Phœnix, vbi iam nemo: iterum ipſe qui non iam: alius idem.* quæ verba eo libentiùs adduximus, quia vitioſè etiam diſtincta habentur in editionibus. ea non ſimiliter laborantia, ſimili modo curauimus. ſic infrà de pauone: *Multicolor & diſcolor & verſicolor, qua nunquam ipſa ſemper alia, & ſi ſemper ipſa, quando alia.* & de Chamæleonte: *Mutare totus, nec alius, valet.*

48. SED ET ENATANDO RVRSVS IN FORMA.] Poſtquam enatauit vel enatare deſiit. *enatauit* qui non ampliùs natat: ſic *eluxit*, quæ luctum deſiit: *eluſit*, qui ludum finiit. natabat orbis cùm aquis totus erat ſubmerſus. Virgilius:

---omnia plenis
Rura natant foſſis.

Sic *ardua fluitare* ſuprà.

49. CVM INTER INSVLAS NVLLA IAM DELOS, ARENÆ SAMOS, ET SIBYLLA NON MENDAX.] Antiquam hanc lectionem ſeruat, reiecta Pamelij; ſed tamen longè aliter explicat, non enim ad futurum tempus dicit diffuendas inſulas Delum, & Samum; ſed illas ait iam dirutas, adducitque pro teſtimonio epigramma Antipatri Theſſalonicenſis, qui de Delo ita ait, Δῆλος ἐρημαίη: & alterum eiuſdem Antipatri, qui ſic:

Νῦν μὲν σὺ μὲν ζώεις, πάλαι δὲ ἔπι πίσκες ἐώλπις
Ὀφθαι Τῆνον Δῆλον ἐρημοτέρην;

Hic enim de inſula Teno ait: *Nunc quidem tu viuis, illa autem*, ſcilicet Ortygia, *non ampliùs. Quis verò ſperaniſſet videre Tenon Delon deſertiorem?* epigramma eſt Antipatri, vt dixi, non Alphei, vt vult Salmaſius, ſed μνημονικὸν ἀμάρτημα, parcendum viro docto. Affert etiam Pauſaniam, qui in Arcadicis, Δῆλον εἰς ἔδαφος καταβεβλημένην, dicit eſſe dirutam Delon vſque ad ſolum. Et Tertullianum ipſum, qui in Apologetico: *Legimus Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Coon inſulas multis cum millibus hominum peſſum abiiſſe.* Etenim Tertullianus dicit Sibyllam non eſſe mendacem, cùm dixit has inſulas deſertas iam eſſe habitatoribus.

50. ÆON IN ATLANTICO LIBYAM AVT ASIAM ADÆQVANS.] Locum legendum ſic arbitratur: *Mutat & nunc localiter habitus, cùm ſitus læditur: cùm inter inſulas nulla iam Delos, arena Samos, & Sibylla non mendax: cùm in Atlantico Libyam aut Aſiam adæquans quæritur: cùm Italiæ quondam latus, Hadria Tyrrhenóque quaſſantibus, medio tenus*

interceptum, reliquias Siciliam facit: cùm tota illa plaga diſcidij contentioſos æquorum coitus angustiis retorquens. Sanè illud *Æon* ex varia corruptione formatum ait, cùm priùs eſſet *eum*.

ANGVSTIIS RETORQVENS.] Legit anguſtis. vbi *anguſta* ſunt τὰ στένα: retorquet enim has προφὰς ὑδάτων ἢ ἠιόνας.

51. NOMEN VITII MARI INDVIT, NON EXPVENTIS NAVFRAGIA, SED DEVORANTIS.] Mutat pariter lectionem ſic, *nouum vitij mari imbuit*. Græca figura dixit *nouum vitij*, pro nouo vitio. Hoc verò nouum in mari vitium, vt naufragos abſorbeat & voret, quos in littus expuere & eiectare conſueuit: præter naturam maris hoc eſt, ideo nouum vitium appellauit. *nouum vitij* autem dixit, vt *endromidis ſolocem* infrà, pro *endromidem ſolocem*. Qua figura loquendi vſa eſt Græcia, & Latium pariter: nam in Arnobio legimus, *ſacerdotum inteſtibus*, pro ſacerdotibus inteſtibus. de quo nos alibi. *imbuit* autem heic legimus, non *induit*.

52. ET FRVSTRA AGER EST, ET VRBES RETRO.] Sic legit totum locum: *Adſpice ad Palæſtinam, qua Iordanes amnis finium arbiter: vaſtitas ingens, & orba regio, & fruſtra ager: at vrbes retro, & populi frequentes, & ſolus audiebat.* Singula ſingulis reddidit, & oppoſuit hoc modo. vbi vaſtitas ingens, vrbes retro fuere: vbi orba nunc regio, ibi olim populi frequentes: vbi nunc fruſtra ager, ſolus quondam audiebat, hoc eſt, colono parebat, votis coloni reſpondebat, μόνος ὑπήκουεν. Græci enim ὑπακούειν de agro fertili dicunt, & qui votis & labori agricolæ reſpondet.

ET PROPINQVITAS MARIS IVXTA CVM SOLO MORTEM BIBIT.] Legit hîc: *mortuum iuit*. hoc eſt, mortuum eſt. vſitata autem hęc loquutio optimis quibuſque ſcriptoribus, *mortuum ire*, pro mori: *redditum ire*, pro reddere. ita etiam loquitur noſter alibi: vt in libro de Patientia, *ſuggeſtum ire*, pro, ſuggerere: *atque vtinam erubeſcere iſtud remedium ferat, vti pudor non exhibendi quæ aliis ſuggeſtum imus, exhibendi fiat magiſterium.* Hæc non credo in animo habuiſſe Tertullianum.

53. DEHINC VT DEVS CENSOR ESSET, IMPIETAS IGNIVM MERVIT IMBRES.] Legit mutando illud *eſſet* in *eſt*, & explicat, ex quo Deus cenſor eſſe cœpit, igneo imbre impietatem eorum vindicauit. *vt cenſor eſt*, poſtquam cenſor fuit. Ouidius:

Vt ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter.

Neque hæc lectio mihi admodum probatur, ferri tamen poteſt.

VNICIS CASTRIS FRAVDATIS EXPIATA.] Accipit de exercitu Cambyſæ, qui in Africa arenarum molibus pene eſt obrutus; hîc enim nihil de prandio, vt vult Salmaſius, cui pene accedo.

54. BELLIS QVOQVE PLVRIMVM LICVIT, SED TRISTIA PIGET.] Hanc lectionem ita ille concipit: *Bellis quoque plurimùm licuiſſe, & piget triſtia, non minùs quàm regnorum vices, recenſere. Quoties & iſta mutauerunt iam inde à Nino Beli progenie, ſi tamen Ninus regnauit primus, vt autumat ſuperiorum profanitas?* Hæc lectio non dubium quin egregiè ſit concinnata, an verò ſit Tertulliani, addubito: vtcunque ſit, dicet, piget triſtia referre, bellis quoque plurimum licuiſſe.

55. IAM INDE A NINO BELI PROGENIE, SI TAMEN NINVS REGNAVIT PRIMVS.] Codex noſter: *ſi tamen Ninus regnare primus*. purus putus Græciſmus: εἰ Νῖνος βασιλεύειν πρῶτος. rectè autem feceris, ſi totum hunc ita legas ac diſtinguas, vt fecimus: *Quoties & iſta mutauerunt, iam inde à Nino Beli progenie, ſi tamen Ninus regnare primus, vt autumat ſuperiorum profanitas? fermè apud vos vltra ſtilus non ſolet. Ab Aſſyriis, ſi fortè, aui hiſtoriæ pateſcunt. Qui verò diuinas lectitamus, ab ipſius mundi natalibus compotes ſumus.* Græciſmus ille mihi parum probatur, probabunt fortè alij.

56. COELVM TEXIT.] Vetus Codex habet, *quod cœlum dixit*, fortè, *ixit* pro *icit*. Icta de cœlo templa, monumenta paſſim occurrunt. Hoc niſi verum eſt, vtique indubitatum, *deußit. deuxit* ſcriptum erat pro *deußit*, vt infrà *extruxit* pro *extruſit*. *Vlyxes, Vlyſſes*. inde factum, *dixit*. ſuprà: *& Tuſcia Vulſinios priſtinos deuſta*. ita igitur lege. Hoc monet, legendum videlicet ſic. vt cuique libitum ſit, poterit, mihi certè valde placet, *cœlum texit*, id eſt, cœlum texit fulminibus, & ignitis iaculis.

57. ALIAS VERSVRA COMPENSATO REDIT.] Ait eſſe in libro veteri, *verſura compenſati redit*. hoc eſt, verſura compenſationis. quæ ait de *verſura* poteris legere, vt illud ſcias. ad Tertullianum autem quod attinet, nihil te mutare cenſeo.

58. NAM ET PRIMITVS MAIORE AMBITV TERRA CASSA.] Ex ſuo codice *maiorem ambitum* legit. ſic alij auctores, *maiorem partem*, pro maiori ex parte. Cicero in Bruto: *maiorem partem oratio noſtra conſtat iambis.* Quintilianus lib 11. cap 3. *Iam tuſſire, & expuere crebrò, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos ſpargere, & maiorem partem ſpiritum per nares effundare, etiamſi non vtique voces ſunt vitia, quia tamen propter vocem accidunt, huic loco ſubiiciantur.* Ita enim legendum eſt ex veteri libro. *ambitum terræ* etiam in Scorpiaco dixit, quidquid ambitu ſuo terra continet: *qui verò non heic, id eſt, non intra hunc ambitum terræ, nec per hunc commeatum, nec apud homines huius naturæ communis confeſsionem putant conſtitutam.* Poteris legere vel maiorem ambitum, vel maiore ambitu.

59. ITAQVE OMNIA COGITANS SIBI DOMVM, &c.] Sic format hanc periodum, *Iam & primitus maiorem ambitum terra caſſa, & vacans hominum, & ſicubi aliqua gens occuparat, ſibimet ſoli erat. Itaque colere omnia (ſi demum intelligis alibi ſtipantem copiam, alibi deſerentem) runcare & ruſtare conſuluit, vt inde velut ex ſurculis & propaginibus, populi de populis, vrbes de vrbibus per vbique orbis pangerentur.* Hoc vult Tertullianus, in mundi primordio, cùm terræ ambitus maiorem partem vacaret, & cultoribus deficeretur, & omnia occupantis eſſent, ſi qua gens in vacuum veniſſet, & alicubi aliquid occupaſſet, hoc totum ſibi habebat. Itaque colere omnia quæ inuaſerat, gens illa tunc inſtituit, & quæ inculta erant circa ſe, runcare & ruſtare, hoc eſt, malis herbis & ſentibus liberare. Verba autem illa, *ſi demum intelligis, alibi ſtipantem copiam, alibi deſerentem*, parentheſi includenda ſunt. hoc, inquit, vt fieri potuiſſe, & factum quoque ſcias, intelligendum tibi eſt, alibi homines abundaſſe, alibi defeciſſe: nam ex locis in quibus conferta ac ſtipata erat hominum copia, ad ea loca quæ hominibus vacabant, quaſi ſurculi & propagines trãsferebantur, pangendis populis & vrbibus per totum orbem. Hæc mens auctoris, qui *runcare* & *ruſtare* rectè coniunxit. quorum alterum malas & noxias herbas exſtirpare ſignificat; alterum rubos & ſentes, hoc eſt ruſta, vellere. at *ruſpare*, quod heic legebatur, nullo modo conuenire poteſt. *Ruſtare*, pro *ruſpare* poſuimus: quod nemini mirum videbitur qui ſcierit quã ſæpe in veteribus libris hæ duæ litteræ inuicem mutentur. ſic in hoc eodem opere *pelino* ſcriptum fuit in omnibus exemplaribus pro *telino*. in veteribus Gloſſis *pipita* legitur pro *pituita*, ſiue *pituita*: & *ruplus* pro *rutlus*, & alia ſexcenta. *ruſtum* autem eſt genus rubi. vnde *ruſtariæ falces* apud Varronem de re ruſt. lib. 1.

cap.22. quibus id genus sentes exciduntur. inde verbum *rustare*, quod est, rusta euellere. *rustare* autem est, rusta purgare, eodem modo quo *retare*, retas in fluminibus tollere: & *pilare*, pro pilos vellere. Fortasse idem est quod *ruscare*. *Ruscus* enim herbæ genus, asperæ & spinosæ, cuius mentio apud Festum, & Columellam, & alios. vnde apud Ouidium:

Horridior rusco, vili proiectior alga.

Quod nescio an idem sit cum *rusto*. Festus diuersas facit, sed scio in multis vocabulis *c* pro *t*, & in vicem Latinos ponere. Glossæ Seruij: *ruscus* μυρρινάκανθος. aliæ Glossæ, *ruscum* χαμαιδάφνη, κυνόσπατον, εἶδος βοτάνης. *ruscus* βάτος. *ruscum*, μυρσίνη ἀγρία. ab ea voce *ruscare* etiam esset, ruscos tollere. quod & heic locum habere posset pro illo *ruspare*. sic *Sputorum vmbilicos*, pro *scutorum*, scriptum est in libro Tertulliani de Habitu Muliebri. & *ripa*, pro *rica* in hoc versu Germanici de Astræa:

---tristique genas abscondita ripa.

Vbi manifestò legendum *rica*. sic *Cupienus*, qui aliis est *Pupienus*, apud Aurel. Victorem. *ruscare* aut *rustare*, vtrumuis rectius est quàm *ruspare*, quod heic non potest ferri. Totum probo.

60. PER VBIQVE ORBIS PANGERENTVR.] Atticè dicunt παντοχοῦ γῆς: hoc sic exprimitur Latinè, *vbique gentium*, *vbique terrarum*. Tertullianus pro eodem, *vbique orbis*. at quemadmodum, *per vbique gentium* dici posset, per gentes vbique diffusas, quidni etiam dici queat, *per vbique orbis?* quod idem est ac si positum esset, vbique per orbem, ἀπαντοχοῦ τῆς οἰκουμένης.

SCYTHÆ EXVBERANT PERSAS.] Editio alia habet *in Persas*, quæ commoda est. Exuberant cùm inquit Scythæ Persas, est, exuberantiores faciunt. Vt enim flumina riuis crescunt, quos in se recipiunt; sic populi aliorum populorum examinibus acceptis numerosiores euadunt. *Exuberare* igitur heic positum ab auctore pro exuberantius reddere, non, exuberantius fieri. Ita sumitur apud Columellam his verbis: *quæ herbæ fauorum exuberant ceras*. id est, exuberantiores reddunt. Hi Persæ fortasse sunt Parthi, quos *vagos* appellat Tertullianus lib. de Anima: *Inuenimus autem apud commentarios etiam humanarum antiquitatum humanum genus exuberasse, dum aborigines, vel vagi, vel extorres, vel glorioſi quique occupant terras, vt Scythæ Parthicas, Temenidæ Peloponnesum, Athenienses Asiam, Phœnices Africam.*

61. ASIAM NOVIS VRBIBVS INSTRVVNT.] *Instruere vrbibus* insulas, prouincias, est quod Græci vno verbo dicunt κτίζειν: *condere* etiam Latini vnica voce id dixerunt. Hieronymus in Chronico Eusebij: *Bithynia à Phœnice condita*. id est, à Phœnice vrbibus instructa. item, *Achaia ab Achæo condita*. quod nimis mirum videri non debuit viro magno. nam & Velleius Paterculus tanto antiquior Hieronymo, sic verbum *condere* vsurpauit lib. 1. *Eadem tempestate, & Tyria Classis plurimum pollens mari in vltimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino, insulam circumfusam Oceano, perexiguo à continenti diuisam freto, Gades condidit*. id est, vrbibus inædificauit.

62. QVOT POPVLI PROPAGINATI.] Scribendum admonet: *quot populi repurgati? quot ordines illustrati? quot barbari excluſi?* sic populi repurgari solent, cùm & ordines illustrantur, & barbari excluduntur.

63. ET CACTO, ET RVBO.] Gratias ago viro docto, qui mihi cactum in Plinio indicauit lib. 21. cap. 16. *Cactos quoque in Sicilia tantùm nascitur, suæ propinquitatis & ipsa, cuius in terra serpunt caules à radice emissi, lato folio & spinoso. Caules vocant cactos: hi fastidiunt in cibis inneteratos quoque. Vnum caulem rectum habent, quem vocant pternica, eiusdem suauitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis, quam pappon vocant: quo detracto & cortice, teneritas similis cerebro palmæ est. Vocant ascaliam.*

64. CONSITVM ET AMOENVM.] Ille legit ex suo codice ita: *Reuera orbis cultissimum imperij rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, & cacto, & rubo subdolæ familiaritatis, & consultus, & amœnus super Alcinoi pometum.*

65. QVID DENOTAS HOMINEM.] *Denotare* est reprehendere, corripere, & notam censoriam inurere. nunquam aliter hac voce vtitur hic auctor. aduersus Marcionem lib. 5. *Noli ergo Apostolum nouum statim auctorem, aut confirmatorem eum denotare. notare* Censoris olim proprium. Heic *denotare*, pro eodem vsurpat. infrà: *Enimvero iamdudum censoriæ intentionis episcynio dispersos, quantum denotatus.* sic & in Apologetico, *denotare impudentes.*

IN CAP. III.

66. QVAMQVAM ET PAVO PLVMA VESTIS, ET QVIDEM DE CATACLITIS.] Quamquam reieci has vestes cataclitas, apponam tamen & cataclitas, & catacliſtas, verbis eiusdem, quamquam non dubitem Tertullianum scripsisse *catacliſtas*. Ergo ait, ita libri omnes scripti editique: *cataclitis*, inquam, non *catacliſtis*. quod videbimus tamen an & heic locum habere possit. vtrũque sanè explicabimus, cùm in vtroque exponendo mirè hactenus hallucinati sint viri eruditiones præstantes. & de *cataclitis* quidem primùm videamus: quæ lectio omnium librorum auctoritate confirmatur. Nullæ sunt heic *cataclitæ* vestes, sed cataclitorum aut de cataclitis. & non mediocriter errant homines docti, qui cataclitas vestes, accubitorias interpretantur. quæ interpretatio magnam fatetur Græci sermonis imperitiam. *cataclita*, κατάκλιτα, sunt accubita: tori nempe quibus ad mensam accũbitur: nam κατακλίνεσθαι est *ad mensam accumbere*. & κατάκλισις *accubitio*. inde κατάκλιτον *accubitum*, vel *ſtibadium*. sic αὐάκλιτοι δίφροι, vel αὐάκλιτα, sunt sedes vel cathedræ, quæ αὐακλισμὸν habent. Hesychius: θρόνος, αὐάκλιτοι δίφροι. *vestis* igitur *de cataclitis*, Tertulliano est vestis cataclitorum: quibus cataclita nimirum sternuntur, hoc est, accubita, vel tricliniares lecti. Latini vnica voce *accubitalia* dixere. vnde *accubitalia Cypria*, apud Trebellium Pollionem in Claudio. *Vestis de cataclitis*, pro vestis cataclitorum: & *vestis de altari*, apud Anastasium, vestis qua ornatur altare: sic *caput de aquila*, pro caput aquilæ, apud Agrimensores. Pauoni noster vestem de *cataclitis* tribuit, quia huiusmodi vestes tricliniares, aut accubitales, pictæ vt plurimum, & auro purpuráque insignes. Lucianus in conuiuio Lapitharum, ἱματίοις κατακλινόμενα, πορφυρίδας ὑποδεδυκότες. Cornelius Nepos apud Plinium lib. 9. cap. 39. de purpura Tyria dibapha: *Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther Aedilis curulis primus in pratexta vsus improbabatur: qua purpura quis non iam triclinaria facit? tricliniaria* sunt accubitalia, quibus accubita vel lecti tricliniares sternuntur. Hinc rectè ac meritò Tertullianus plumam Pauonis, quæ illi pro veste est, *vestem de cataclitis* esse dixit, hoc est, tricliniarem & accubitalem vestem; propter aurum scilicet, & purpuram, quibus pauo æquè ornatus ac pictus est, vt vestes quibus accubita vel cataclita insternuntur. Auro enim & purpura depingi solebat accubitoria. Apuleius libro 10. *Sed & stragula, veste, auro ac murice Tyrio depicta, probè consternunt*. nec minùs tricliniaris & accubitalis. Babylonicorum peristromatum præcipuè vsus in sternendis accubitis, quæ auro & purpura picta fuisse, & aliis coloribus intexta nemo nescit. Plinius: *Metel-*

lus Scipio tricliniaria Babylonica ſeſtertiûm octingentis millibus vaniſſe iam tunc poſuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni principi quadragies ſeſtertio nuper ſtetêre. & Tertullianus hoc loco, quo pauonem laudat: *immò omni conchylio preſſior, quà colla florent: & omni patagio inauratior, quà terga fulgent.* Hæc de cataclitis. *cataclitæ* autem quæ ſint, habes iam in Tertulliano noſtro, neque diſcrepat in his Salmaſius.

67. IMMO OMNI CONCHYLIO DEPRESSIOR.] Legit Salmaſius *preſſior*, & luculenter laudat, quem moneo legas: inde enim multa poteris excerpere: ego enim lectioni *depreſſior* acquieſco.

68. QVA COLLA FLORENT.] *Florere* heic propriè de purpura dictum: vt *fulgere* de auro. Catullus:

Quantum ſæpe magis fulgore expalluit auri.

Virgilius,

--- auri per ramos aura refulſit.

At *florere* propriè purpura dicitur. nam & πορφύρας ἄνθος Græci dicunt. Plinius: *Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus.*

69. OMNI PATAGIO INAVRATIOR.] *Patagium* eſt clauus, qui in materiam immittitur hinc pro clauo veſtis, nam Græci πλοῦς veſtium *clauos* vocant, vnde & ἔμπλος veſtis *clauata*. vnde hîc Tertullianus, *omni patagio inauratior.*

70. MVLTICOLOR, ET DISCOLOR, ET VERSICOLOR.] πολύχρους, & ἑτερόχρους, & ποικιλόχρους.

71. NOMINANDVS ET SERPENS LICET PONE PAVVM.] Hoc eſt, quamuis longè minoris quàm pauo dignationis ſit. ſic infrà: *Omnis liberalitas ſtudiorum, quatuor meis angulis tegitur. planè poſt Romanos equites.* Omnis illa liberalitas ſtudiorum, id eſt, omnes liberalium ſtudiorum cultores, qui pallio veſtiuntur, equitibus Romanis dignitate planè inferiores ſunt. in lib. de Anima: *Etſi poſt Deos & cum Diis dæmonia deputantur penes poëtas & philoſophos:* (*poſt Deos,*) inferiores Diis.

72. IN ANGVSTIAS STIPAT.] Eſt infercire ſe & infulcire in anguſtias. ſic de Martyribus, *Regulus in arcæ genus ſtipatus*: per vim infultus & intruſus. legi etiam poſſet *in anguſtia ſtipat*, nam *anguſtiam* vocat foramen arctum & cauum ſerpentis: ſic dixit aduerſus Marcionem lib. 1. *Nihil enim non maius eſt id quod capit eo quod capitur: & videndum nequa adhuc illi vacent ſubſiciua, in quibus & tertius aliquis ſtipare Deus cum populo ſuo poſſit.* id eſt, ſtipatum & confertum conſiſtere *ſtipare*. eſt implere & farcire & denſare. *ſtipare calceum multiformem* in libro de Virginibus velandis, pro implere. & in lib. de ieiunio, *ventrem eſcis ſtipatum*. & in libro de Anima, *oraculis id genus totus orbis ſtipatus eſt*. id eſt, refertus. *ſtipa* dicebatur, quæ vaſis in naui componendis interponebatur, vt firmiùs hærerent. Seruius: *Stipant, denſant, translatio eſt à nauibus in quibus ſtuppa interponitur vaſis, quam ſtipam dicunt.* Stuppa plerumque ad hanc rem vtebantur, ſed & aliis plerumque rebus, vt fœno & palea. Porrò de differentia *ſtuppæ* & *ſtipæ*, vide eundem latè diſſerentem.

73. SPECVM INGREDIENS ET CVTE EGREDIENS.] Putat rectiùs ſcribendum, *ſpecum ingrediens, & cutem egrediens.* Vt malis.

74. CVM SQVAMIS ET ANNI RECVSANTVR.] Sic legendum exiſtimat ex libro veteri. Etenim *recuſare* non eſt, ſi quid non habeas, reiicere tantùm & nolle accipere cùm offertur, ſed etiam id quod diu habueris, dimittere ac deponere, ac nolle ampliùs habere, quod priùs habuiſti. ita hac voce vſus Commodus in Epiſtola ad Peſcennium, quæ apud Spartianum in eius vita legitur: *Ducatum mox dabo, vbi per ſenectutem Aelius Corduenus remp. recuſauerit.* id eſt, reip. adminiſtrationem dimiſerit & depoſuerit. Tertullianus ipſe ſic ſæpe vtitur. De cultu fœminarum: *Iam non tantùm confictæ & elaboratæ libidinis ſuggeſtum recuſandum à vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis oblitterandum diſſimulatione, & incuria, (recuſandum)* reiiciendum, ac deponendum. Ibidem: *Cùm tamen cognito deo adempta placendi voluntate per luxuriæ vacationem, omnia illa vt otioſa & hoſtilia pudicitiæ recuſantur.* & in libro de Idololatria: *Nam ſi ita eſſet, vtique tantæ ſanctitatis & conſtantiæ viri, ſtatim habitus inquinatos recuſaſſent:* id eſt, abiecíſſent ac dimiſiſſent. ita hoc loco *annos recuſare*, eſt ſenectutem deponere & exuere. *anni* pro ſenectute. *annis pannisque obſitus*, apud Comicum. apud alium poëtam, *obſitus ævo.* pro eodem Ouidius:

---quòd vir tibi marcet ab annis.

75. ALIA BESTIOLA.] Quod vult ille, *capit & alis beſtiola*, itavt dicat *alis* pro alia, ex archaiſmo, vt Catullus vſus eſt,

---quod non fortior auſit alis:

Hoc inquam parum placet ad Tertullianum illuſtrandum.

76. AVDACIAM ET GRÆCIAM NOMINIS.] Non dubitat legere, *audaciam è Gracia nominis, (nominis è Græcia,)* nominis Græcanici.

76. QVIPPE NEC SVCCVS EST CORPORI, QVI MINVTIORIBVS MVLTO LICET. CHAMÆLEON PELLICVLA VIVIT.] Sic ille diſtinguit: *Quippe nec ſuccus eſt corpori, & quod minutioribus multo licet, Chamæleo, ſi pellicula viuit.* Elegantiſſimè & eruditiſſimè, negat ſuccum eſſe chamæleontis corpori, & chamæleontem viuere concedit, *ſi pellicula viuit. ſi pellicula*, inquit, *viuit*, viuit etiam chamæleon. atqui pelliculam viuere dici non poteſt, ideo nec chamæleon. *quod* tamen *multo minutioribus licet*, vt muſcis, muſcionibus, & aliis ſimilibus animalculis, quæ & ſuccum habent & viuunt. rectè igitur & eleganter exſuccum & exanguem chamæleonten, & qui pellicula totus eſt, negat viuere. ſic homines macilentos & exſuccos viuere, & viuos eſſe negabant veteres. Quippe vita non in pelle & oſſibus, ſed in ſucco & ſanguine. ſic Tertullianus ait de chamæleonte, nec pellicula, nec oſſibus viuere.

77. INDEFECTVS.] Sic *defecta traditio* eidem Tertulliano, quæ iam defecit. de anima: *Quid ſi defecta iam traditionis ſuperſtites aliquas aurulas hauſit?* huic contrarium eſt, *indefectus*: vt hoc loco *indefectus Chamæleon*, qui licèt ieiunus ſemper, nulla cibi fultura vires reficiat, tamen non deficit *indefectus*, ἀκμαῖος. ita vocabantur athletæ, qui vinci non poterant. nam *deficere* dicti, & λείπεσθαι cùm vincerentur.

78. FOLLICANS RVMINAT.] Hinc caligæ *follicantes* à Hieronymo dicuntur: hinc & Ouidius,

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Inde Iſidoro *follati* calcei. *follare* autem à folle, vt *follicare* à follice vel follico.

79. INVESTIS.] Hinc Arnobio lib. 5. *Quibus contentum beneficiis Agdeſtim conſecraſſe corpus in Peſſinunte: cerimoniis annuis & ſacerdotum inteſtibus honoraſſe.* id eſt, qui caret teſtibus, & caſtratus. De *veſtifice* nihil dico, pro barbato; eſt enim clarum.

80. CEDO IAM DE VESTRO, QVOD ÆGYPTII NARRANT, ET ALEXANDER DIGERIT.] Multus eſt Salmaſius in explicando *digeſto*: eſt enim in Tertulliano *digeſtum Lucæ*, euangelium Lucæ. Illud autem, *Alexander digerit*, ſic legendum eſt, *Alexander digerit & mater legit*, ſic enim aſtruxi iam in meis commentariis: quæ enim hîc Salmaſius, probabit fortaſſe alius.

81. QVA AD ILLVM EX LIBYA AMMON VASIT.] Legit Salmasius loco *vasit*, legit inquam ex veteri codice, *facit*, quod mutatum est ab iis qui illud *facit* non intelligebant, quo sensu heic positum esset *facit*, pro *fecit*, Tertullianico more, qui præsentia pro præteritis frequenter vsurpat. *facere* idem est quod proficisci, & vadere. idem & *facessere* dicebatur. nam *facio*, & *facesso*: vt *capio*, & *capesso*, *incipio* & *incipisso*, & similia. *Præcepta facessunt*, Virgilio. *facesse* autem est βάδιζε, πορεύου. quod dicimus cùm aliquem amolimur importunum, & abire iubemus. *facessere* igitur ad aliquem, & *facessere* ab aliquo, quod heic *facere*. *Ammon ad Osiridem facit*, πρὸς τὸν Ὀσιριν πορεύεται. Donatus in Phormione ad illud, *hæc hinc facessat*: *pro hinc se faciat, id est, abeat. vt huc se faciat, huc accedat. hæc hinc facessat, pro cedat, alias, faciat.* Apuleius lib. 5. Milesiarum: *Inuitata Psyche talium locorum oblectatione, propius accessit: & paulò fidentior intra limen sese facit.* & *facere sese*, & *facere* simpliciter pro eodem dicebant, vt & *facessere*. sic & *dirigere se aliquò*, & *dirigere* absolutè pro tendere aliquò. Vlpianus *directarios* interpretatur, *qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo*. sed & *dirigere* simpliciter. Vopiscus, *occisi sunt præterea multi qui dirigere nolebant*. hoc est, incedere, vel, in medium procedere. similiter & *dare se* pro ire: & *dare* apud Iurisconsultum, *mulæ quæ cessim dant*, quæ retro cedunt. ab ea loquutione porrò *facere se*, nata etiam illa loquutio, qua dicebant *facere nuntios ad aliquem*, pro, mittere vel dirigere: & *facere in possessionem*. vnde & *factus in possessionem*, qui missus est, apud Iurisconsultos nostros. sic *in exilium dare* & *facere*, est in exilium mittere. nam qui sese aliquò facit, ad eum locum semetipsum mittit ac dirigit, quò proficiscitur. eodem modo & *ducere se*, αὐτὸ τὸ ἄγειν ponebant. *Hinc te duc, hinc te fac*, pro eodem: & *huc te duc*, pro huc accede. Glossæ: *duc te*, ὕπαγε. hoc est, abi, facesse. quotidiana colloquia Græcolatina nondum edita, quæ penes me sunt: ὕπαγε οὖν, τί στήκεις, *duc te ergo, quid stas?* & paulò post: ὕπαγε, ζήτει τινὶ ἐδανείσω, *duc te, quære cui fœnerasti.* & alibi: ὕπαγε, αὐλαζόμενε, *duc te, recede.* & mox: ὕπαγε οὖν, τί ἕστηκας; τί σοι μέλει; *duc te igitur, quid stas? quid tibi pertinet?* Plautus in Bacchidibus:

Alium illa amat non illum, duc te ab ædibus.

Idem erat, & *dare se*, vt suprà diximus. vnde *dare se in fugam*. sic & *facere se*, & *ducere se*, & *dirigere se*, & *dare se aliquò*, pro ire, & tendere aliquò, eadem sunt. quod & *facere* absolutè dicebatur, vt & *dirigere*, Græcè ἄγειν. Hos omnes modos vtiles iudicaui.

82. DEGLVBASSE.] Tertullianus scripsit *deglubasse* pro deglubere, mutata coniugatione. Quoniam autem fauet meæ opinioni, placitum conscribere, quæ ille. *educare* notatum suprà est pro educere. *compessare* in Glossis, pro compescere. *alare*, pro alere. vnde *alatrix*, pro altrix, apud Ammianum Marcellinum in veteribus libris. & *alatiles*, pro altiles in optimis Glossis. *alatiles*, σπιστά. ita scriptum reperi in vetustissimo libro Puteanorum: & sanè ita earum Glossarum auctorem legisse ac collegisse, series litterarum indicio est. *alat*, *alapatur*, *alatiles*. sic & *sculpare*, pro sculpere. eædem Glossæ: *sculpator*, γλυπτής. *sculpa*, γλύφον. & *molare*, pro molere: vnde *molator*, ὁ ἀλέστης, in Glossis exponitur. & *pellare*, pro pellere. Glossæ: *pellator*, ἀποθετής. & *fidare*, pro fidere: vnde *fidamen* Tertulliano. & *consulare*, pro consulere. hinc *consulatio* sæpe in libris. Huic paginæ hæc inserenda duxi.

83. DVMQVE PERTENTAT, ET QVOD FACILITAS MATERIÆ SVADEBAT, TRACTV PROSEQVENTE FILVM ELIQVAT, IN RESTIS PRISTINI MODVM, QVEM PHILYRÆ TENVS IVNXERAT, EXISSE.] Indignè fecero, nisi apponam quot fermè ille verba in explicanda hac voce *tenus* & *iunxerat*. Floccus ille lanæ, quem fortè ex vellere arietis traxerat Mercurius, dum digitis deducitur, & torquetur, exiit in modum restis, qui ex philyra necti solitus: atque ex illa fortuita lanei tracti eliquatione per Mercurium facta, natum & inuentum ab Iside, torquere lanas, & in fila deducere ad eumdem modum quo priùs nectebantur & torquebantur restes ex philyra. exinde materia vestibus ex lana texendis. pro *philyre tenus*, quod constanter libri retinent, fecimus *philyræ tenus*. *Tenus* est quod Græci τένος, vel τένος: quidquid in longum ducitur & extenditur, ita vocant. Vnde & fascias & laqueos propriè sic appellarunt. τένος & τόνος idem est, vt γέμος, & γόμος, & similia. atque inde τενία, & τενίδιον parua fascia. *tenus philyræ* dicitur Tertulliano, philyra ipsa, hoc est tiliæ membrana, ex qua restes torquentur. *tunicas* vocat Plinius. *inter corticem & lignum tiliæ arboris, tenues tunicæ sunt, multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ vocantur.* Græcis φιλύρα, tilia est, & quælibet prætenuis membrana & tenia. *tenus* apud Plautum pro vinculo vel laqueo:

Nunc ab transenna turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulcre, ita intendi tenus.

Marcellus *laqueum* interpretatur, & dictum à tendicula dicit. purum & putum Græcum est, τὸ τένος, vel τέννος. Hinc tenues etiam virgulas & festucas *tenos* dixere, vt φιλύρεια Græci. & infrà idem ait. Hoc *tenus*, & hoc *tenum* dicebatur vel etiam hic *tenus*. Apuleius lib. 9. Milesiarum: *Arrepto denique flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis tenis lanosi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis ouium tessellatum.* Ita enim scribendum ex membranis Florentinis, non *teniis*. *tenos contortos lanosi velleris* vocat vincula ex lanoso vellere contorta. sic *tenus philyræ* hoc loco est laqueus siue vinculum, ex philyræ membrana, de qua restes iungi torquerique solitæ. *iunxerat* autem, pro vulgato *vinxerat*, ex iisdem libris reposuimus. nam & Græci συμβάλλειν ῥήτρας dicunt, quod est ad verbum, *restes iungere & committere*. vnde & ῥητροσυμβολεῖς, *restio* siue *restium iunctor*. Hesychius etiam συμβολεῖς dixit, cùm in eo nunc legatur συμβουλεῖς.

84. EXINDE MATERIA.] Ego in commentariis legebam, *exin de materia*, duplici dictione, ille autem *exinde* legit, vt dicat, ex eo tempore, materia texendis vestibus prodita, nec lanea tantùm, & de cuibus: sed mox etiam de aliis rebus, quæ postmodum ad exemplum lanæ repertæ sunt, quæque idoneam vestificinæ materiam, haud secus ac lana præbuerunt; vt linum, sericum, bombycinum, & alia eiusdem generis.

85. SELGICIS.] Cùm in Strabone lib. 12. legatur mentio pasturæ, quæ optima est in Selge, & hic Tertullianus confirmet, videtur posse sustineri quod dicit de lanis Selgicis.

86. NATVRA COLORANTE.] *Natiua* vocabant, quæ *natura colorante* tincta essent. Martialis:

Natiua semper habeat, & licèt laudet
Fuscos colores, galbinos habet mores.

Hinc *natiuus color*, pro fusco vel nigro. Nonius: *Pallus color est, quem nunc Spanum vel natiuum dicimus. Spanus*, à lanis Hispanis quæ nigræ erant. præter nigrum tamen, multi alij colores natiui. Nam & leucophæus, & fuluus, & rutilus, inter natiuos colores numerantur. & horum omnium colorum lanæ sunt, non ab arte, sed natura sic coloratæ. Plinius lib. 8. cap. 48. *Hispania nigri velleris præcipuas habet.*

87. ARBVSTA VESTIVNT.] De arboribus accepisse, quæ lanam ferunt, ait non displicere sibi. sed cur non etiam *arbusta* heic intelligere liceat, arbores illas, ex quibus sericum Seres colligunt? inter materiam

materiam veſtium, non eam omiſſurus fuit, quæ longè omnium nobiliſſima & pretioſiſſima. ſic idem de habitu muliebri, arbores à Seribus neri dixit: *Age nunc ſi ab initio rerum & Mileſij oues tonderent, & Seres arbores nerent, Tyrij tingerent, & Phryges inſuerent, & Babylonij intexerent.* Ammianus *ſericum* vocat arborum fœtum lib. 23. *Apud Seres ſublucidæ ſyluæ in quibus arborum fœtus aquarum aſperginibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt, nentéſque, ſubtemen conficiunt ſericum.* De vtriſque Tertullianum intellexiſſe non dubito, quum *arbuſta veſtire* dixit, quod habet è Plinio: *Arabiæ autem arbores ex quibus veſtes faciunt, cynas vocari, folio palmæ ſimili. ſic Indos ſuæ arbores veſtiunt.* De Seribus quæ ait, non huius ſunt loci, vide me ad 2. Georgicorum.

88. NAM ET DE MARI VELLERA.] Nam & marinum vellus dicebatur huiuſmodi lanugo, qua pinnæ comant. Græci πίννινον ἔριον, qui ſimpli B citer vocant hoc vellus marinum, quod ex pinna. Reliqua diſſimulo, vide ſi placet.

89. LAVTIORES CONCHÆ.] Putat Salmaſius ex editione ſua legendum *plautiores*, quæ lectio mihi arridet plurimùm. tales pinnæ & margaritiferæ omnes conchæ. *Plautiores* autem ex Græco venit, nam Æoles πλοῦτις dicunt, inde Latinum *plotus*, quod & *plautus*. vt *cotes*, & *cautes*. Feſtus enim, *plauti canes, quorum aures languidæ ſunt & flaccidæ, & latiùs videntur patere.* Iſidorus: *plautis auribus, gracili corpore*, de canibus. *Ploti* etiam eidem Feſto, homines qui planis ſunt pedibus πλατύποδες. *plotus* & *plautus* planè idem. vt dimidiatæ ſoleæ, quæ *ſemiplotia* dicebantur, non à *plotis* pedibus, aut quò planiùs pedes ponerentur, appellatæ; ſed à *plotiis* ſandaliis, quæ Græcè βλαῶπα.

90. PRORSVS HAVD LATET, &c.] Salmaſius ita concipit & ſcribit: *Prorſus haud latet, bombycem, (vermiculi genus eſt,) quæ per aërem liquando, araneorum horoſcopis idoniùs ſedes tendit, dehinc deuorat, mox vacuo reddere: proinde ſi necaueris nematam iam, ſtamen euolues.* Difficilè credo hanc lectionem eſſe Tertulliani, ſed quoniam multis plauſibile erit, quod Salmaſius vult, eam per partes explicabo, ipſum Salmaſium ſecutus.

91. LIQVANDO.] Id eſt, fila ducendo, quod araneæ proprium eſt & bombycis. ſic *filum eliquare* ſuprà. *liquare per aërem*, vt apparet, accepit pro euacuari, euaneſcere, & in aërem redigi. *liquare* enim hoc etiam ſignificat, liqueſcere nempe & tabeſcere. Per aërem fila deducere bombycem, ideo dixit Tertullianus, vt oſtenderet, omnia elementa, materiam veſtificinæ ſuppeditare.

92. ARANEORVM HOROSCOPIS IDONIVS SEDES TENDIT.] *Araneorum horoſcopa* eleganter vocat aranearum telas, quòd ſimiles ſint ſciotericis organis, quibus horæ oſtenduntur. Nam illa variis diſtincta lineis à centro in quo gnomon, ad circumferentias ductis, araneorum caſſes planè referunt. *horoſcopa vaſa* Vitruuio dicũtur, Diogeni Laërtio ὡροσκοπεῖα ὄργανα. *idoniùs*, eſt magis idoneè. ſic *idonior* apud eumdem de anima: *Videmus igitur aduerſus ſenſus corporales aliam protendi paraturam, vt multo idoniorem, vires ſcilicet animæ.* ſic *neceſſarior* alibi pro magis neceſſarius: & *egregior* apud Iurisconſultum, & *induſtrior*. *Sedes tendit*, pro vulgato *ſe diſtendit* ſcripſimus. nihil verius. ſequitur, *dehinc deuorat*. quid deuorat? ſedes nempe quas tetenderat. aptiſſimum araneæ, tum bombyci verbum *tendere*. ita apud Poëtam *aranea caſſes Tendere*. Eodem modo & ſedes ſuas tendit bombyx. Plinius: *araneorum more telas texunt.* Porro Clementem iam dedi in lib. de Pallio. Seruius: *& bombyces appellantur qui in aranearum morem tenuiſſima fila deducunt.* A

93. MOX VACVO REDDERE.] Id eſt, aëri reddere poſtquam deuorauit. *Vacuum* enim aërem dici nemo dubitat.

94. PROINDE SI NECAVERIS, NEMATAM IAM, STAMEN EVOLVES.] Voce Græca *nema* Latini tanquam ſua vſi ſunt. vnde *nema ſericum* apud noſtros Iurisconſultos. inde & verbum *nemare*, quo heic vtitur Tertullianus. ſic à ſagma, *ſagmare*. Gloſſæ: *ſagmat*, σάγματα ὄνου. *ſagma*, σάγμα, & *ſagmatus*, vt heic *nematus*. eædem Gloſſæ: *ſagmatus*, σαγματώδης. ita & *plaſmare*, & plaſmatus ἀπὸ τοῦ πλάσμα. *Stigmare* & *ſtigmatus*, à στίγμα. & *chriſmare* pro vngere à χρίσμα. & *ſphalmare* ἀπὸ τοῦ σφάλμα. vnde *ſphalmatores* apud Firmicum. *Anathemare*, & *anathematus* ab anathema, quod alij dicunt *anathematizare*. Gloſſæ veteres: *anathematus, abominatus*. ſic à Græco nomine βόμμα *bammare & bambare*, vnde *bambatæ ſcillæ* apud Columellam, & *bambatum*, intinctum, apud Apuleium. Eodem prorſus modo *nemare* verbum factum ἀπὸ τοῦ νῆμα. *nematam* bombycem vocat, nemate coopertam. Monet autem necandam eſſe bombycem, cùm iam nema ſuum reddidit. nam niſi tunc necetur, nidum ſuum textilem poſtea pertundit, & euolat ſumptis pennis iam factus papilio: hoc ſi expectetur, longè deterioris notæ bombycinum carpitur, & ad delicatiores texturas minùs idoneum. Aliquando ait legiſſe *nemata iam & ſtamina volues*, ſed non præfert priori coniecturæ. Porro quæ pertinet ad differentiam Bombycini & Serici, non huius eſt loci, vide eum latè diſſerentem de hac re.

95. PRIMVM TEGENDO HOMINI, DEHINC ET ORNANDO.] Neceſſitas tegendo corpori veſtes primùm inuenit: dehinc quæ non ſolùm tegerent, ſed etiam ornarent, honeſtas adiecit. Vitruuius lib. 5. cap. 1. *Attendamus enim primum inuentum de neceſſitate veſtitus, quemadmodum telarum organicis adminiſtrationibus connexus ſtaminis ad ſubtemen, non modò corpora tegendo tueatur, ſed etiam ornatus adiiciat honeſtatem.* Sed modum poſtea non tenuit luxus & ambitio. hinc non ſolùm ornando, verumetiam inflando homini ambitionem veſtes excogitaſſe dicit heic Tertullianus, cùm neceſſitas tegendo tantùm inueniſſet. ſic variæ indumentorum formæ promulgatæ. *inflatiorem veſtem* infrà vocauit, ambitioſam & pompabilem: non erat ſatis tumens animi Macedo, niſi illum etiam veſtis inflatior delectaſſet. πομπικὸν vocabant Athenienſes Heraclidem Ponticum, quòd huiuſmodi inflata & pompica veſte indutus eſſet. Græci φαντασιώδη ἱμάτια appellant, omnia inflatiora, vt cum Tertulliano loquar, veſtimenta. *oſtentionalem* diceret Lampridius, ad oſtenſionem ſcilicet paratam.

96. INHABITANTVR.] Certè cùm *inhabito* ſit domorum, difficilè credam non huc trahendum Tertullianum. Verum eſt veſtem dici *haberi*, quæ geſtatur. Ouidius,

---veſtis bona quærit haberi.

Sic *veſtem habendo deteri* dixit Varro: vnde & *habitus* pro veſte, vt apud Græcos ἕξις. vt *haberi*, ſic etiam *habitari* frequentatiua forma, quod idem eſt. Varro: *Vtrumque mulieres, & epicrocum quoque viri habitarunt.* nam *epicrocum*, genus veſtis. idem *habitare comas*, pro habere vſurpauit. id quo quis vtitur, *habere* & *habitare* dicitur. Sic etiam domus *habetur* & *habitatur*. Inde etiam *habitari* abſolutè dictum de domo, ſed & *habere* pro eodem. Plautus Aulularia: *Patri auo iam huius qui nunc heic habet.* Accius Philoctete: *Vbi habet, vrbe agróne?* id eſt, vbi habitat.

97. PALLIVM ETSI GRÆCVM MAGIS, LINGVA IAM PENES LATIVM EST.] Dicit Tertullianus, pallium Græcum eſſe,

quia Græci vtuntur pallio, ſed iam lingua & ſermone A eſſe Latinum: & *iam* inquit, quaſi dicat, fuit tempus, quo Græcum eſſet lingua. Nec ego ſcio cur non dici Græcum poſſit, cùm Græci τῷ παλλίῳ vtantur, vel ſi mauis Græcobarbarum appelletur, cùm infinitæ dictiones in Meurſio ſint, quæ dicuntur Græcobarbaræ, & non paucæ in Rigaltio, puræ & putæ Latinæ, quas illi Græcobarbaras vocant. Mitto à *palla* dici poſſe *pallium*: quæ ratio ſufficit, vt dici poſſit Græca vox, quia palla, Græca vox eſt.

98. QVI GRÆCOS VRBE PELLENDOS CENSEBAT.] Legit ex ſuo codice, *qui Græcos præter vrbem cenſebat. Præter vrbem*, id eſt, extra vrbem. Sic *præter terminos*, extra terminos. Nonius: *exterminatum, eſt præter terminos miſſum.* & *præter eſſe*, apud eumdem Tertullianum, pro, exeſſe, vt loquebantur antiqui, vel, non adeſſe. in Apologetico: *æquè ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum* B *originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cùm & ipſis rebus de quibus tranſiguntur, præterſumus.* Cato *præter vrbem* Græcos cenſebat, quos intra vrbem non admittebat, quos extra vrbem cenſeri volebat. *cenſeri in vrbe* dicitur, qui in vrbe moratur: vt contrà *cenſeri extra vrbem*, aut *præter vrbem*, qui extra vrbem manet. idem Tertullianus *Scythas ſub axe frigido cenſeri* dicit, qui ſub axe frigido ſedes habent. *Vrbe cenſeri* etiam dicebatur, qui ciuis erat vrbis.

99. IVRIDICINÆ SVÆ IN TEMPORE HVMERVM EXERTVS.] Reiicit Salmaſius ſententiam Marcilij, quem Marcilium ego defendi: neque qua ratione id faciat aſſequor. nam tametſi Iſid. lib. 19. cap. 24. dicat: *Cinctus Gabinus eſt cùm ita imponitur toga, vt togæ lacinia quæ poſt ſecus reiicitur, attrahatur ad pectus, itavt ex vtroque ex humeris picturæ* C *pendeant, vt ſacerdotes Gentilium faciebant, aut cingebantur prætores:* tametſi, inquam, Iſidorus hæc dicat, videndum eſt tamen vnde hæc Iſidorus, cùm graues ſint ſcriptores huius æui, qui illum, & Seruium lacerant, cùm illos necvnde hauiſiſſe conſtet, & quidem Gabino cinctu prætorem vti, ſi vteretur prætor, conſtaret vel ex Plinio, vel ex Liuio, vel ex Dionyſio: atqui nullus horum hoc aſſerit: ideo ego 7. Æneid. ab Iſidoro reieci verba illa, *aut cingebantur prætores.* Sed eſto hoc verum ſit in Iſidoro, quare de Gabino cinctu intelligitur Tertullianus, cùm exſertus humerus longè ſit ab hoc cinctu? id ego vellem diſcere, cinctum nempe Gabinum, & exſertum humerum, eamdem rem eſſe; nec enim is ſum, qui opinioni meæ tenaciter inſiſtam.

IN CAP. IIII.

100. QVID NVNC SI EST ROMANITAS OMNIS ALIA, VESTIS NEC TAMEN, ADMODVM GRÆCI ESTIS, AT NON ITA EST?] Ita conſtituit hanc periodum Salmaſius: *Quid nunc ſi & Romanitas omni ſalus, nec honeſtis tamen modis ad Graios eſtis?* Hanc lectionem non puto Tertulliani, tamen explicabo, vt ſi quis guſtum eius habet, diſcat: Si omnibus ſalutare eſt & expedit, quemadmodum dicitis, Romanitatem ſequi, & Romanos mores in omnibus imitari vobis placet? *ad Graios eſtis*, id eſt, ad Graios proximè acceditis, Graiis ſimiles eſtis. *eſſe ad aliquem*, etiam Latini dicunt, pro, ire ad aliquem. Varro apud Nonium: *tum ad me fuerunt, qui libellionem eſſe ſciebant.* ita veteres libri rectè, nec quicquam mutandum. apud Iſidorum in voce (diplois) *de qua vox illa ſenatus, Togis depoſitis Quirites ad ſaga fuerunt.* vulgo legitur, *ad ſaga conuerſi fuerunt.* ſed in veteribus libris ita ſcriptum eſt, vt poſuimus. at hoc loco: *ad Graios eſſe*, nihil aliud eſt quàm Graiis accedere, atque ad eorum mores tranſire.

101. AN ITA EST? VNDE GENTIVM.] Concinnat ita, *aut ni ita eſt, vnde gentium, in prouincia melius exercitis.* (*ne*) pro (*ni.*) ſic infrà *ſpeculum* pro *ſpiculum: oueculam* pro *ouiculam: vero* pro *viro.* Quid nunc, inquit, ſi Romanum morem ſequi, omnibus ſalutare eſt, Græcum ſequimini in rebus turpioribus? aut ni ita eſt vt ego dico, ſi non verum eſt vos Græcanicos mores æmulari, vnde gentium niſi ex Græcia ſtudia palæſtræ in vſum apud vos venêre, quos natura potiùs agro colendo quàm luctando creauit?

102. STVDIA PALÆSTRÆ MALÈ SENESCENTIA.] Explicat *malè ſeneſcere* hæc ſtudia, quia cùm ſeneſcere inciperent, Seuerus ea renouarit, & quaſi in iuuentutem reuocarit, conceſſa Carthaginienſibus Pythici agonis facultate. Tertullianus idem in Scorpiaco: *Agonas iſtos, contentioſa ſollemnia, & ſuperſtitioſa certamina, Græcarum & religionum & voluptatum, quanta gratia ſæculum celebret, etiam Africa liquuit: adhuc Carthaginem ſingulæ ciuitates gratulando inquietant, donatam Pythico agone poſt Stadij ſenectutem.* hinc clarum quo ſenſu *malè ſeneſcentia* dicat apud Carthaginienſes palæſtræ & ſtadij ſtudia, quæ vtpote cùm iam ſeneſcerent, renouata ſint, & coacta iterum iuueneſcere.

103. ET LVTEA VNCTIO, ET PVLVEREA VOLVTATIO.] *Lutea vnctio*, hîc eſt verè de luto vnctio, πηλοῦ χρίσις. poſtquam legitimo oleo vncti erant palæſtrici, horum alij luto ſeſe totos opplere ſolebant, alij puluere ſeſe aſpergebant. vtrumque modum hic complexus eſt Tertullianus. *luteam vnctionem*, πήλωσιν vocat: pulueream volutationem, τῷ κόνισιν. Lucianus, de Gymnaſiis, priùs meminit luti, deinde puluereæ volutationis, quorum vtrumque initio libri exhibet, ab illis verbis: ἢ οὐδὲ τὸ ἐλαίου ἕνεκα φείδονται μὴ μολύνεσθαι, ἀλλ' ἀφανίσαντες τὸ χρίσιμα, ἢ τῆς βορβόρου ἀναπλησθέντες ἐν ἱδρῶτι ἅμα πολλῷ, γέλωτα ἐμοὶ γοῦν παρέχουσιν, ὥσπερ οἱ ἐγχέλυες ἐκ τῶν χειρῶν διολισθαίνοντες. Hæc de lutea vnctione, ſequitur apud eumdem de puluerea volutatione conſequentibus verbis: ἔτεροι δ' ἐν τῷ αἰθρίῳ τῆς αὐλῆς τὸ αὐτὸ τοῦτο δρῶσιν· οὐκ ἐν πηλῷ οὗτοί γε, ἀλλὰ ψάμμου παντὸς βαθείαν ὑποβεβρυμένοι ἐν τῷ ὀρύγματι παρά πλοισι τε ἀλλήλοις, ἢ αὐτοὶ ἑκόντες πάντοθεν τῷ κόνιν δεκτικὴν οὖσαν, ὡς ἀφυκτότερον εἶναι ἐν τοῖς συμπλοκαῖς, οἶμαι, τῆς ψάμμου τὸν ὄλισθον ἀφαιρούσης, καὶ βεβαιοτέραν ἐν χερσὶ παρεχούσης τὴν ἀντίληψιν. Id eſt: *Sed ne olei quidem gratia agunt modeſtiùs, ne luti aſpergine inquinentur: verùm poſt vnctionem luto completi, largo ſudore perfluentes, copioſam ridendi materiam mihi exhibent, veluti anguillæ è manibus elabentes. Rurſus alij in aulæ area hoc ipſum ſub Ioue facere conſueuerunt. neque tamen illi ipſi in cœno, ſed profundam arenam ſubiicientes in foſſa conturbant ſe mutuò: ipſique vltro ſpargunt puluerem, gallorum in morem, quominus (vt mea fert ratio) in complexibus effugiant, arena omnem lubricitatem diſcludente, aduerſariique comprehenſionem firmiorem in arido ſubminiſtrante.* Poſt oleum igitur & ceroma, alij in luto, alij in puluere volutabantur: diuerſo vtrique fine & reſpectu. qui luto ſeſe inliniebant, id ea ratione faciebant, vt lubrica cute anſam non darent antagoniſtis, qua prendi poſſent aut teneri, vt λαβὼ nempe effugerent. illi è contra qui puluerem tactu ſe inſpargebant, hoc captabant, ne manus laberentur in adprehendendo antagoniſtarum corpore. firmiorem enim λαβὼ præbebat puluris conſperſio. Vtrique tamen, vt dixi, oleo priùs vel ceromate vngebantur. ab illa olei vngina, aut lutum ſibi adfricabant, aut puluerem membris inſpargebant, volutantes ſeſe in arena: quod vtrumque hoc loco coniunxit Tertullianus.

Hæc & alia hunc in modum persequitur Salmasius, cuius venia fuerim pro Marcilio, qui *luteam unctionem* intelligit de ipso ceromate, & videtur id effici verbo *unctionis*, *ungi* enim dicebantur Athletæ, quod non cadit in πάλωσιν. nec enim *ungi* dicetur, qui fœdatur.

104. VNDE APVD ALIQVOS NVMIDAS ETIAM EQVIS CÆSARIATOS.] Legit Salmasius, *Vnde apud aliquo Numidas, etiam equis cæsariatos, iuxta autem tonsor?* & *aliquo Numidas* explicat aliquatenus Numidas, propter vicinitatem scilicet Numidarum. immò & Numidiam partem esse Africæ minoris in qua Carthago sita erat, scribit Ptolomæus. Existimo legendum *aliquos Numidas*, & mihi placet admodum Marcilius, Iunius, Pamelius, Rhenanus. Cùm verò dicit *cæsariatos*, intelligit Salmasius non equis hanc cæsariem inesse, sed de crista equina, quam gestabant Numidæ, propterea quòd nec de equis dicatur cæsaries, nec ipsi Numidæ illam gestarent. Sed tamen *cæsariati equi* intelligendi videntur, nec rationem video cur *equi cæsariati* non dicantur, & cur Numidæ non dicantur illam gestare.

105. ILLIVS EST HÆC TOTA RES ASIÆ.] Relinquo hîc quædam, quæ tamen tu vide, vt discas inde de tonsura aliqua. verùm ille malè interpretes afficit, quòd *illius est hæc tota res Asiæ* malè explicent. inquit enim: malè interpretantur; illius Asiæ deliciis infamatæ hæc tota res: immò, illius pallij tota hæc res Asiatica est: pallij propria est hæc res Asiatica. *rem Asiaticam* vocat pilari & velli, quòd ex Asia mollitie & deliciis infami hic mos inuectus: quem morem Græci, id est, palliati, in gymnasiis vsurpabant. Miratur igitur Afer noster Carthaginienses suos non palliatos, sed togatos ista facere, quæ propria tantùm essent palliatorum. *Prodigium est*, inquit, *hæc sine pallio fieri. illius est, hæc tota res Asiæ.* Ad illud pallium pertinet tota hæc res Asiatica, quam vos tamen sine pallio, in toga vsurpatis.

106. QVID TIBI LIBYA ET EVROPA, CVM EXOTICIS MVNDITIIS.] Emendat ille, *xusticis munditiis*. clariùs, *xysticis*. *xystica munditia*, à xysto & palæstra sunt: nam Græci ξυστοὺς, δεσμοὺς vocant. Palæstritæ enim qui ministerium & operam præstabant vngendis & exercendis athletis, eosdem etiam vt apparet, depilabant. & hæ sunt *xystica munditia*, quas intelligit noster, quásque in suis Carthaginiensibus ideo hîc carpit, quia tum recèns donati Pythico agone ab Imperatore Seuero, illa omnia factitabant, quæ fieri solita ab athletis in Græcia, & similiter exercebantur. quare gymnastici & xystici apud Carthaginienses, etiam pilabantur & vellebantur vt Græci, quum tamen non essent vt illi palliati. ideo dicit: *quid tibi Libya & Europa cum xysticis munditiis, quas vestire non nosti?* nam & in Europa multis locis huiusmodi Græcanici agones celebrabantur.

107. DEPALLIARI.] Legit Salmasius *depilari*. vnde, inquit, apud vos, ô Carthaginienses, tam hirtos támque hirsutos, nates depilandi, barbámque vellendi mos? nimirum à Græcis palliatis, qui in gymnasiis suis ista faciunt. at prodigium est vos hæc sine pallio facere, quæ palliatorum propria sunt. quid tibi Libya, cum palæstricis palliatorum munditiis, quas vestire non nosti? cur eorum more pilos tibi vellis, cùm eorum more non vestiaris? *reuera enim quale est, Græcatim depilari magis quàm amiciri!* δῆον ὄντ', Ἑλληνικῶς ψιλᾶσθαι μᾶλλον ἢ ἀμπέχεσθαι; ita ille censet. nihilominus tamen placet *depalliari*; cuius rei explicationem inuenies in nostris commentariis.

108. HABITVM TRANSFERRE ITA DEMVM CVLTVS PROBRVM EST.] Legit ille, *habitum transferre ita demum culpæ prope est*, hoc est, ita demum culpæ proximum & affine est. Phædrus:

Lupus arguebat vulpem furti crimine,
Negabat illa sese culpæ proximam.

Culpæ prope est, Græca figura, vt ἐγγὺς τῆς μανίας ὄντι apud Pindarum.

109. SAT REFERT INTER HONOREM TEMPORIS ET RELIGIONEM DEI, CONSVETVDO FIDEM TEMPORI, NATVRA DEO.] Concipit periodum Salmasius hac ratione: *Sat refert inter honorem temporis & religionem. Det consuetudo fidem tempori, natura Deo.* Eleganter Tertullianus dicit, consuetudinem debere fidem dare & seruare tempori, hic enim temporis est honos. Naturam verò fidelem Deo esse debere, quæ religio est. videtur autem tempus exigere à consuetudine, vt nihil mutetur, nec moueatur in iis quæ consuetudinis sunt: vt pallium, exempli gratia, non sumatur, cùm toga gestari solet. At Deus à natura fidem hanc & hunc honorem exigit, vt ipsa non mutetur, nihilque eorum innouetur, quæ ab auctore naturæ Deo constituta sunt. constituit enim vt qui masculus natus est, rem fœminarum non tractet, nec induat. qui igitur viri cùm fuerint nati, in fœminas desciscunt, naturam concutiunt. natura tunc fidem quam Deo dedit, non seruat: nam fidelis ipsi non permanet, mutando in aliud quod ipse naturæ conditor nolit. Hic sensus mihi videtur plausibilis.

110. VNDE ET NOMINIS CONSILIVM.] Legit hic *concilium*, vt suprà etiam. dixi ibi quid sentirem de hac lectione.

111. QVANDOQVIDEM LABIIS VACVERIT AB VBERVM GVSTV.] Inde igitur, secundùm sententiam Tertulliani, traxit nomen Achillis, quòd infans ferarum medullis enutritus, labiorum officio non sit vsus in matris vberibus sugendis, & lacte gustando. nam in sugendo præcipuum labiorum ministerium est: & nemo sine labiis quicquam sugere potest. Achilles ergo cùm infans labiorum vsu vacauerit in sugenda mamma, inde dictus Achilles, quasi ἀχειλείς. Huius nomen à labris quoque deducit Velius Longus apud Cassiodorum, de orthographia: *Chilones verò, cum aspiratione scripti, ab improbioribus labris homines vocitantur, quod est à Græco vocabulo derivatum, περὶ τὰ χείλη. vnde Achillem quoque ferunt esse nominatum.* Si chilones dicti à magnis & improbis labris, Achilles dictus fuerit à paruis aut nullis, quasi ἄνευ χειλέων. non quòd sine labris fuerit, sed quòd labiorum ministerio non vsus fuerit infans: quæ est sententia Tertulliani. Hæc addantur nostræ notatiunculæ. Quòd autem alij legunt hunc locum ab vberum *suctu*, eos Salmasius reprehendit, & *gustu* legendum asserit. Sic *mellis gustum* dixit, aduersus Psychicos: *Tantam autem Deus præstitit auctoritatem edicto stationis illius, vt Ionatham filius Saülis, quamquam ignarus ieiunationis in ferum constitutæ, gustum mellis admiserat, & fortè mox de delicto sit traductus, & vix per precem populi, periculo exemptus.* &, *arbusculæ gustum.* lib. 5. aduersus Marcionem: *Non ideo interdixerat arbusculæ gustum ne Dei fierent, sed ne de transgressione morerentur.* Serenus Sammonicus:

Appositúque leues nepetæ, gustúque iuuabunt.

Idem:

Sed cochleas prius est vrtica aut furfure pasci:
Purior hinc gustus, noxa sine mouerit aluum.

Item:

Nec non mandragoræ gustu sopor additur altus.

Et alibi:

Sed cochlear trinum gustu tibi sufficit vno.

Alio loco *meri gustum* dixit. Placuit ista ociari, vt addatur gustus nostro gustui.

112. ILLE APVD RVPICEM ET SYLVICOLAM.] Ducit *rupicem* non à rupe, cùm *rupes* primam habeat longam, *rupex* autem breuem, dicente Lucillio,

Varonum ac rupicum squalosa incondita rostra:

Sed à Græco ῥύπαξ, quod est, *incultus* & *sordidus*, & hoc est, ῥύπος & ῥυπαξ. Hæc ratio valeret plurimùm apud me, nisi scirem in quantitate syllabica non multum ponderis inesse, vt patet ex *lucerna* & *luceo*; quarum vocum *lucerna* corripit, *luceo* producit. Itaque *rupex* à rupe credo deduci, tametsi non negem *rupem* prouenire à ῥύπαξ.

113. ET MONSTRORVM ERVDITOREM.] Corrigit *monstrum eruditorem*, vt referatur ad Chironem ipsum. Centaurus enim Chiron, ex homine & equo monstrum concretum, solus ille inter Centauros & monstra, non solùm eruditus ipse, sed etiam aliorum eruditor. Non mihi displicet hæc coniectura; sed cùm ipse sit Centaurus & eruditor, cur non posset esse Centaurorum eruditor?

114. PATIENS CERTE' IAM VSTRICVLAS.] *Vstriculas* accipit pro famularum seruitio: quę explicatio iam olim Casauboni fuit; sed nemo mihi persuadebit posse mulieres accipi, vt latè doceo in commentariis. Ipse tamen acquieuit in hystriculo, adducto loco Arnobij hoc ex lib. 5. *Vertit Baubo artes, & quam serio non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis. Partem illam corporis per quam secus fœmineum, & sobolem prodere, & nomen solet acquirere genericum, longiore ab incuria liberat, facit sumere habitum puriorem, & in speciem leuigari nondum duri atque stricti pusionis.* nondum *stricti pusionis*: id est, nondum pilis vestiti. *stricti*, pro *hystricti*: vt *Spanus* pro Hispanus: *spalis*, pro Hispalis: *strio*, pro histrione. Glossæ: *strio, mimarius, scenicus. storia*, pro historia. Tertullianus itaque hoc loco *hystriculum* dixit, quem Arnobius *stricum*. Hæc ratio communis est etiam aliorum: de qua ego in Aduersariis meis. Non dubito scribendum *vstriculas*, significato quod adduco in meis Commentariis.

115. CERTE' IAM VIRVM ALICVIVS CLANCVLO FVNCTVS.] Hæc lectio idonea est, & satis explicat Tertullianum. non dubito tamen proponere Salmasij lectionem, nam & ipsa fundum habet. Scribit: *Iam virum alicui clanculus functus. clanculus* est clancularius. Vnde aduerbia *clanculo*, & *clanculum. clanculus virum fungitur*, vt *porticum terit serus*, apud Martialem: &, *serus in cœlum redeas*, Horatio: &, *Vespertinus si aduenerit hospes.* & alia passim eiusmodi. *Virum alicui fungi*, hoc est, virum alicui se exhibere, alicui se virum approbare. sic *munus alicui fungi*, pro, in alicuius gratiam. idem Tertullianus in Apologetico: *Teste militia prouinciæ nostræ, quæ id ipsum munus proconsuli functa est.* Legebam heic olim: *iam virum alicui clanculæ functus.* clancula, pro clancularia, vt infrà de Omphale: *tantùm Lydiæ clancularię licuit.*

116. STOLAM FVNDERE.] Id est, stola fusiore vti. Omnibus vestibus mulieres & fusioribus & fluxioribus vtebantur quàm viri.

117. COMAM STRVERE.] Sequitur explicationem Vvouerenij, adducto Iuuenale: ipse etiam eamdem sum secutus: affert etiam alia quæ pertinent ad istud, qualia sunt, *suggestum* dici quidquid in altitudinem tollitur. Glossæ: *suggestus*, ὕψος. ita enim legendum. Lucianus, ἐπιδόσεων τειχῶν alicubi vocitat. *tutuli* dicebantur, huiusmodi capillorum struices. Varro: *Tutulati dicti hi qui in sacris, in capitibus habere solent, vt metam. id tutulus appellatur, ab eo quòd matres familias crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vti velatos, dicunt tutulos.* Tertullianus, de virginibus velandis: *Vtique hoc virgini maximè insigne est, quarum & ornatus ipse propriè sic est vt concumulata in verticem, ipsam capitis arcem ambitu crinium contegat.* conuolutiones autem istæ & concumulationes crinium muliebrium *spiræ* vocabantur. hinc *spirosus capillus* Apuleio, in spiram cumulatus & conuolutus. lib. 2. Milesiarum: *Quid cum frequenti subole spirosus cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat?* ita enim legendus ille locus ex veteribus libris. ex alienis & adscititiis capillis struebantur illæ spiræ. Hieronymus ad Marcellam: *quæ capillis alienis verticem struunt.* inde *structores capillaturæ* Tertulliano, de cultu fœminarum: *Frustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis.*

118. CVTEM FINGERE.] Est quod Græci dicunt καταπλάσσειν, faciem scilicet medicaminibus inducere, & interpolare fucis, & medicamina illa vocat Clemens Alexandrinus lib. 3. cap. 2. cataplasmata, & plasmata etiam: dicit enim primo καταπλάσσομαι, deinde πλάττεται. Plautus in Pœnulo:

Ex industria ambæ nunquam concessauimus
Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi.

Hinc figmentum, quo mulieres faciem fingunt. Apuleius: *Figmento cœnoso faciem deliti.* & *ficta facies* Tertulliano, de cultu fœminarum, ἡ καταπλασμένη. *Quātum autem à nostris disciplinis & professionibus aliena sunt, quàm indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare.* Eodem libro: *In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* hoc est quod hoc loco vocat, *cutem fingere.*

119. COLLVM DEMVLCERE.] Monilibus & torquibus, quasi affectum locum consolari & demulcere. sic infrà loquutus est: *Cùm latrinarum antistes fericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem monilibus consolatur.* Metaphora à locis affectis, qui emplastris quibusdam, & medicaminibus paregoricis mitigantur. Horatio dicitur *latus miserum*,

---lateris miseri capitisque dolore.

Et Plauto *misera bucca*, in Pœnulo, morbo aut vitio affecta:

---miseram prædicat buccam sibi:
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.

Item *causarium*, vt *causarius dens, causarius locus, causarius oculus*, apud Marcellum. & *causarij* quoque *homines* similiter, miseri & afflicti. Spartianus in Hadriano: *omnes causarios liberalitatibus subleuauit.* hinc miseros morbosósque locos consolari medicamenta dicuntur, ad leniendum ac leuandum dolorem apposita.

120. QVOD ILLI APVD SIGÆVM STATVA SERVAT.] Legit Salmasius *strongyla*, vt dicat, *quod illi apud Sigæum strongyla seruat.* Vocat autem *strongylam* statuam pectore tenus, quæ scuto rotundo continebatur. ἀσπιδίας Græci appellant, & ἀσπίδας & θυρεούς. Latini, *clypeos.* Plinius: *scutis qualibus ad Troiam pugnatum est, continebantur imagines; vnde & nomen habuere clypeorū, non, vt peruersa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo. Strongylam* vocauit Afer, à figura, cùm subintelligatur aut πόλις, aut πρόσωπον. Στρογγύλοι vocantur Paulo Silentiario, & apud Constantinum de Thematibus μισσόνεια, hoc est, *missoria*, vt pluribus exposuimus ad Historiæ Augustæ scriptores. Trebellius in Tetrico voce Græca *cyclum* etiam vocauit, vt ad eum notauimus. Etiamsi hoc Salmasij sit verum, tamen *statua* seruarem.

121. IPSVM, INQVIT, FERRVM VIRVM ATTRAHIT.] Ait, *inquit*, cum relatione ad Homerum dicentem.

122. SI POST INCENTIVVM QVOQVE A PVELLA PERSEVERASSET.] Hic quoque mutat lectionem ex suo codice, legítque *puellam perseuerasset*. Sic *perseuerare patientiam* in libro de Patientia: *Vsque adeo nunquam omnino peccasset, si diuino interdicto patientiam perseueraſſet*. Et *tormenta perseuerare*, ad Martyres. Et *facinus perseuerare* in Apologetico: *Sed & nunc in occulto perseueratur hoc sacrum facinus*. Retineo tamen veterem lectionem, vt dicat *puella*.

123. CVM VNGVENTIS OFFENDERETVR.] Visa mihi hæc quæ sequuntur, transcribenda, vt tanto magistro digna. ait enim positum *offenderetur* pro *offunderetur*. ita scribebant. Martialis.

----- Pierias offendit pica querelas.

ita enim in vetustissimis libris scriptum, pro *offundit*. Et apud Plautum in Casina: *quid si etiam offendam hymenæum?* Antiquissimæ membranæ sic legunt: pro quo corrigunt, *quid si occentem*. sed *offendam*, pro *offundam*. Ouidius: B

Tibiáque offudit socialia carmina nobis,
Carmina funesta flebiliora tuba.

Vetus Epigramma:

----- tibicen diffundit cantica dulcis.

Sic *suffindere* pro *suffundere*, apud Isidorum, de variis sulphuris generibus: *tertium liquor est, cuius vsus ad lanas suffindendas, quia candorem mollitiémque præstat*. ita enim optimi codices scriptum exhibent. *sufficiendas* malè sufficiunt. Apuleius 9. *Ergo nostra repentè turbata præsentia subitario ducta consilio, eumdem illum subiectum contegit viminea cauea, quæ fustium flexu in rectum aggregata cumulum lacinias circumdatas suffisa candido fumo sulphuris inalbabat*. ita vetusta quædam habent exemplaria: *suffisa*, inquam, non *suffusa*. quod tamen rectum est.

124. PVMICE SPECVLI EXCLVDEBATVR.] Salmasius, *vetus iam hydræ Centaurorúmque sanguis in sagittis pumice spiculi excludebatur, insultante luxuria, vt post monstra transfixa coronam forsitan suerent*. per *spiculum* intelligit crinalem acum, cuius vsus etiam fortasse ad suendas coronas: nam maiores acus, vt erant crinales, ad eam rem adhibebantur: eę acus cùm obtusiores erant, acuebantur pumice vel cote, non secus ac graphia. *spiculum* autem pro acu crinali vel discriminali. at apud Omphalem Herculis sagittæ pumice spiculi crinalis tergebantur, & acutiabantur, vt eidem seruirent officio, quo fungi aliquando solita erat acus discriminalis Omphales, suendis nempe coronis. Sed cùm post aliqua idem Salmasius dicat, *si quis speculum retinere malit, velle quod mauult, potest*; ego ex iis sum: retineo enim *speculum*, sententia optima, vt dicat, sagittas illas excludi & extergi pumice speculi, vt sic seruirent Omphalæ.

125. NISI DIV MOLLITAS, ET EVIGORATAS.] Placet Salmasium transcribere, quoniam D mihi in hac parte fauet: reieci enim *erigoratas* Iunij: inquit ergo Salmasius. Tertullianus, alijque eorum temporum scriptores, & *vigorem* passim pro rigore, & quidquid molli contrarium est, vsurpant. sic rigidum dogma Stoicorum, & ἀπάθειαν illam Στωϊκὸν, vigorem dixit in libro de Anima: *prout aut Platonis honor, aut Zenonis vigor, aut Aristotelis tenor, aut Epicuri stupor, aut Heracliti mœror*. sic & *vigor censoris* pro rigore vel rigida strictáque censura. Cyprianus: *increpans vigore censoris & iudicis*. idem de idolorum vanitate: *iam venturus è cœlo ad pœnam diaboli, & ad censuram generis humani, vltoris vigore, & iudicis potestate*. Hinc & *disciplinæ vigor* apud nostrum, & *disciplinam vigorare*, libro de Pudicitia: *talia & tanta sparsilia eorum quibus & Deo adulantur, & sibi lenocinantur, effœminantia magis quàm vigorantia disciplinam*. inde *euigoratas* hoc loco, dixit malaxatas & emollitas pelles, quæ τόνον suum & vigorem amiserunt.

126. ET EXODORATAS.] Scribendum opinor, nec opinor, sed etiam credo, *exeduratas. edurum* pro *duro. edura pyrus* Virgilio, nimiùm dura, valida. inde *exedurare*, mollire, & ex eduro molle facere. tribus autem verbis fere τῶν τοῦ τριῶν vsus est, vt ostenderet studium quòd impensè positum est in molliendis & malaxandis horridulis illis exuuiis leoninis, quò possent aptari teneræ ceruici Omphales. Diu, inquit, *mollitas, & euigoratas, & exeduratas* fuisse verisimile est, vt scapulas delicatæ mulieris sine noxa & incommodo tegere possent. Et demum Salmasius absoluit sic: *exodoratas igitur hoc loco ineptum est*. Non ita oportuit agere; ego enim non ineptitudinis nomine retineo *exodoratas*, & puto hanc esse veram lectionem, vt dicat, amisso vigore, & amisso pariter graui Leonis odore. Nescio quare ineptus sit, qui sequitur hanc dictionem. Sed parcamus homini hanc licentiam, qui nimis gloriatur, & peius insultat, dum sciat odiosam esse, & nemini docto probari: & hæc ratio longè abesse debet à viro sapiente.

127. TELINO.] Isidorus Iulium citat his verbis: *corpúsque suaui telino vnguimur*.

128. CREDO ET IVBAS PECTINEM PASSAS, NE CERVICEM ENERVEM INVRERET STIRIA LEONINA.] Sic legit ille, & distinguit: *credo & iubas pectinem passas. Ne ceruicem eneruem inureret sciria leonina, hiatus crinibus inarsus, genuini inter antias adumbrati*. itaque reponit *sciria* pro *stiria* ex veteri suo codice, & prima editione Rhenani. Non video autem cur non *stiria* optimè quadret in hunc locum. vide me. Quod autem ait *hiatus crinibus infarsus*, similiter potest eludi. & quæ subdit de *genuinis*. illud Apulei lib. 5. mihi placet: *Videt capitis aurei genialem cæsariem ambrosia temulentam, ceruices lacteas genásque purpureas, pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos*.

129. NE TOTA ORIS CONTVMELIA MVGIRET. SI POSSET, NEMEA CERTE.] Sic legit & distinguit: *Tota oris contumelia mugiret, si posset. Nemea certè, si quis loci genius, ingemebat: tunc enim se circumspexit leonem perdidisse*. Si posset, inquit, mugire os leonis, totum profectò mugiret propter illam contumeliam qua tunc afficiebatur, cùm muliebribus crinibus hiatus eius inferciretur, atque inter antias & circinnos genuini adumbrarentur. at certè Nemeæ genius ingemebat: tunc enim agnouit se leonem perdidisse, non cùm ab Hercule occisus est. *Tota oris contumelia*, totum os contumelia affectum. sic infrà: *omnis gladiatorum ignominia*, omnes ignominiosi & infames gladiatores.

130. HERCVLES ILLE IN THERISTRO OMPHALES.] Legit *serico*, quod ante illum Adrianus Iunius, & *sericum* explicat, sericam vestem. Hic noster paulò pòst: *anhelum pectus serico ventilante restinxit*. Et de Veneris Cloacinæ sacerdote: *cùm latrinarum antistes sericum ventilat*. & de cultu muliebri, *in coccino & serico*. Cyprianus, de disciplina & habitu virginum: *sericum & purpuram induta Christum induere non possunt*. Martialis:

Déque Palatinis domina quod serica prælis.

Sustineri potest hæc lectio, tamen *theristro* commodissimè legitur in Tertulliano. itaque nihil est, quod ambigas de mutanda lectione.

131. SED ET QVI ARTE TIRYNTHIVM ACCESSERAT.] Præfert ille huic lectioni *ante*, ductus argumento quod subiicit pòst. at verò si *arte* legas, optimus efficitur sensus: quare nihil est quod emendes.

132. POST OLYMPIA.] Legendum credit *Olympiæ*, quod non video, itaque optimè *Olympia*.

133. DE MASCVLO FLVXISSET.] *Fluere* de mollibus ac delicatis dictum; hinc *de masculo fluxisse* heic dicitur, qui de viro fœmina factus est, & masculum robur in fœmineum fluxum dissoluit, ac fregit. *fluxus* pro mollitie apud hunc auctorem. vt infrà, *Menandricus fluxus*. & in libro de Spectaculis: *Et est planè in artibus quoque scenicis Liberi & Veneris patrocinium, quæ priuata & propria sunt scenæ, de gestu & corporis fluxu. Nam mollitiam Libero & Veneri immolant, illæ per sexum, illi per fluxum dissoluti.* Mulieres *per sexum*, viri *per fluxum* molles & *dissoluti*. qui Tertulliano *fluxus*, Arnobio *liquor*, his verbis: *liquoris fœminei dissolutus laxitate*. sic Græcis ὑγρὸς & ὑγρότης.

134. INTER CVTEM CÆSVS ET VLTRA.] Vetus editio, cum scripto: *infra cutem cæsus & vltra*. quod idem est. atque ita potiùs scripsit auctor. distinguendum autem, vt posuimus: *intra cutem cæsus, & vltra, in fullones iam Nonianos coronandus*. Notum est quinam dicerentur *inter cutem*, vel *intra cutem flagitati*. Cleomachus igitur vt cinædus, & mollis, intra cutem cæsus: vt pugil & athleta, profundis & vltra cutem patentibus vulneribus concisus, quæ in pugillatu olim acceperat, cùm cæstibus contunderetur. at postquam muliebrem patientiam induit, intra cutem cædi cœpit, vt illi solent qui muliebria patiuntur. Festi abbreuiator: *intra cutem flagitatos dicebant antiqui, mares, qui stuprum aliquando passi essent*. Libanius de Cleomacho: τὰ γυναικεῖα ποτὲ ἐδόκει ἐν τοῖς ἀνδρείοις ἐδήματα. at pugiles vltra cutem cæsi propter cæstuum vulnera, quæ vltra cutem descendebant. *cæstuum cicatrices* in libro de Spectaculis: *sanè & artifex ille pugnorum impunitus ibit. tales enim cicatrices cæstuum, & callos pugnorum, et aurium fungos à Deo cum suo plasmate accepit*. Quare eleganter & satyricè Cleomachum olim pugilem, postea cinædum, intra cutem & vltra cæsum dixit Tertullianus.

135. VTIQVE SICVT VESTIGIA CÆSTVVM VIRIA OCCVPAVIT.] Falsissimam ducit hanc lectionem Salmasius. In primis *vestigia cæstuum* cicatrices intelligit, vt & nos. De spectaculis: *sanè & artifex ille pugnorum impunitus ibit. tales enim cicatrices cæstuum, & callos pugnorum & aurium fungos à Deo cum plasmate accepit*. Cicatrices cæstuum ibi omnino sunt, quæ heic *vestigia cæstuum*. quid enim aliud sunt cicatrices, quàm vestigia ictuum & vulnerum? *Flagellorum vestigia* apud Petronium vibices & notæ flagrorum. Ouidius.

Cerne cicatrices, veteris vestigia pugnæ.

At cùm hæc vestigia & cicatrices potiùs in capite sint, quàm in manibus aut brachiis, nam partem illam corporis cædere & tundere satagebant in pugillatu, quî dici possunt viriæ aut viriolæ aptari Cleomacho? inde putat Salmasius bene, scribendum *birrus*. & affert pro testimonio veterem librum, in quo scriptum est: *vtique sicut vestigia cæstuum virus occupauit*. Nec aliter habent editiones Rhenani. ita etiam in Vaticanis codicibus habetur, quos consuluit Pamelius. Et *virus* pro *birus*. at *birus* pro *berus*. sic *Bilus* pro *Belus*. sic *diatrita, colipia, dictiria*, quæ Græcis sunt, διάτριτα, κωλίπια, δικτήρια. βηρὸς Græcis dicitur, qui Latinè *birrus*. inde igitur manabit *birrus*. Erat autem lacerna cucullata. Martialis:

Si possem, totas cuperem mittisse lacernas,
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

totas lacernas vocat quæ cum pileis sunt, siue cucullis. hinc & *lacerna* ac *birrus* pro cucullo & capitio. abbreuiator Festi: *lacerna, quod minus capitio est. capitium* vocat, capitis tegmentum. Vetus quoque scholiastes Iuuenalis *cucullum*, birrum interpretatur, ad illum versum:

Tempora Santonico velas adoperta cucullo,

A birrum Gallicum exponit. idem alibi *venetum cucullum*, de birro accipit. inde diminutiuum *birretus*, infimæ Latinitatis scriptoribus, pro capitis velamento, & pileolo, vsurpatum. sic *palliolum* veteres, non tantùm, quo humeros tegerent, sed etiam quo capita velarent, appellarunt, & pallium. Fulgentius: *Numa verò Pompilius et ipse de pontificalibus scribens, titulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tutabant*. Cinædi porro & molles capita semper pileolis aut palliolis tecta gerebant. Trimalcio ille Petronianus: *adraso pallio incluserat caput*. Palliolum & focalia in oratore solam valetudinem excusare scribit Quintilianus. Nam qui ægrotabant, etiam capite tecto solebant esse. Suetonius in Claudio: *ob hanc eamdem valetudinem, & gladiatorio munere, quod simul cum fratre, memoriæ matris edebat, palliolatus nouo more præsedit*. Rutilius Lupus de figuris sententiarum in charactere risimo hominis ebrioli: *tunicatus sine pallio, soleatus pro lectulo, palliolo frigus à capite defendens*. Vbi perperam vir maximus, *pileolo* legi mallet, quàm *palliolo*.

B Ouidius lib. 1. artis amatoriæ:

Ægrum tu facito vt simules, nec turpe putaris,
Palliolum nitidis imposuisse comis.

ita enim vetustissimæ membranæ scriptum exhibent, cùm vulgatæ omnes editiones habeant,

Pileolum nitidis imposuisse comis.

palliola quoque mulierum, & præcipuè meretricum, quibus caput tegebant. Martialis:

Hanc volo, quæ simplex, quæ palliolata vagatur,
Hanc volo, vel puero quæ dedit ante meo.

Iuuenalis, ----- *Dorida nullo*
Cultam palliolo.

molles etiam & effœminati cum palliolis & mitris. Virgil. 4.

Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu
Mæonia mentum mitra crinémque madentem
Subnixus.

C ad locum Seruius: *mitra, hoc est, incuruo pileo: de quo pendebat etiam baccatum tegimen. Sanè quibus effœminatio crimini dabatur, mitra eis adscribebatur. multæ enim lectio mitras meretricum esse docet*. Mitra, pileus, cucullus, galerus, palliolum, capitis tegmina erant, vt reapse haud multum diuersa, sic nomine plerúmque ab auctoribus confundi solita. Cleomachus itaque cùm ἀγωγὼ cinædorum imitaretur cucullo aut mitra, (Tertullianus *birum* vocat) caput tectum habebat, effœminatorum & πόρνων more. Hoc est quod dicit Afer, *berum* in eo *vestigia cæstuum occupasse*. Nam circa aures & tempora, & in toto capite ac facie vestigia & cicatrices cæstuum inerant, quas postquam cinædus factus est, pileo siue birro tegebat. de birro siue cucullo non dubium; quin Cleomachus, κατὰ τὸν καναδικὸν ἀγωγὸν, caput eo tectum & velatum habuerit: sed sicut pileo caput, & vestigia cæstuum celauit, effœminatorum more. Accipio hæc omnia libentissimè.

D

136. ENDROMIDIS SOLOCEM.] Caue hîc arbitreris *solocem* substantiuè poni. adiectiuum est. sed *solocem endromidis* dixit Græca figura, cùm debuisset *solocem endromidem* dicere, si communiter loquutus. est. sic suprà *nouum vitij*, pro *nouum vitium*. in numero pluralitatis frequentior & vsitatior hæc loquutio. sic *pullæ lanarum* apud Plinium, sunt pullæ lanæ, & *canæ memoriarum* huic nostro Tertulliano in Apologetico, pro *canæ memoriæ*. sic *sacerdotum intestes* apud Arnobium, quod in superioribus notauimus. *solox endromis*. pinguis & crassa endromis, τὸ παχὺ ἔδημα. sic *solox lana*, ἔριον παχύ. Titinnius: *lana soloci ad purpuram data*. Et *solox pecus* Lucillio apud Festum. *soloxfilum* apud Symmachum: *quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam*. Ita enim emendandum ex vetustissimis Palatinis schedis.

137. NEC MAGNÆ CONSTANTIÆ SIT.] Ego viam aliam sequutus sum, qui *mandatum* aboleui, vel etiam mutaui in *mendacium*. Salmasius sequitur viam aliam, & sequitur codicem, in quo scriptum, *ne caniæ fortè constantiæ mandatum sit*, & ait, correctores ex *caniæ* fecisse *magnæ*: ipse verò facit *caninæ*, vt dicat, *Ne caninæ constantiæ mandatum sit, impuriorem Physcone, molliorem Sardanapalo Cæsarem designare.* per *caninam constantiam* intelligit Cynicam. sic *caninam æquanimitatem* in lib. de Patientia: *Grande testimonium eius est, cùm etiam vanas seculi disciplinas ad gloriam & laudem promouet: aut numquid potiùs iniuria, cùm diuina res in secularibus artibus volutatur? Sed viderint illi, quos mox patientiæ suæ cu seculo destructæ pœnitebit. Nobis exercendæ patientiæ autoritatem, non affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata, sed viuæ ac cœlestis disciplinę diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendès patientiæ exemplũ. caninam æquanimitatem* vocat Cynicorum. ita hoc loco *canina constantia* de Cynicis. notum est Cynicorum in reprehendendis & increpandis etiam principibus & regibus magna cum libertate & constantia studium. Hoc præceptum & mandatum à sua secta habebant, nemini parcere, & constanter ipsos etiam Cæsares & imperatores latrare. hoc *caninæ constantiæ mandatum*, hîc vocat Tertullianus: Cæsares nempe taxare, & liberè carpere.

138. ET QVIDEM SVB NERONE.] Marcilij explicationem pro luculenta dedi, & meam, non ausus refragari homini docto, Marcilio apposui; nunc autem vehementer exulto, cùm videam explicationem meam placuisse Salmasio, qui aliqua addit, aliqua demit, ac propterea illum differentem audire, est operæ precium. inquit itaque: vetus is quo sum vsus liber, habuit scriptum: *sub Neronem*. nec aliter editiones Rhenani duæ. vnica voce scribendum, statim inde auguratus sum, *Subneronem*. elegantissimo doctissimóque verbo *Subneronem* dixit, qui Neronem proximè accederet, ac Neroni similis esset: quasi paruum Neronem; eodem modo quo Cicero *Submarium* appellauit, eum qui crudelitate Marium referret. lib. 10, ad Atticum, epist. 1. *Nisi fortè iste Submarius ei potest persuadere, vt dum oratores eant, ac redeant, quiescat.* ita olim Turnebus eleganter restituit ex veteri scriptura, *Summarius*. Tertullianus *Subneronem* vocat Domitianum, qui Nero sui temporis dictus est. idem in Apologetico, Domitianum, *portionem Neronis* vocat, quasi pusillum Neronem: *tentauerat & Domitianus portio Neronis de crudelitate*. Ausonius de Domitiano:

---- quem caluum dixit sua Roma Neronem.

dicit igitur Afer noster, caninæ constantiæ mandatum esse, & soli Cynico qui mortem rideat & supplicia, libertatem hanc & constantiam conuenire, qua Cæsar aliquis *Physcone impurior*, & *Sardanapalo mollior* designetur, & Cæsar quidem *Subnero*, id est, æquè crudelis vt Nero, & *portio Neronis de crudelitate*. Domitianum vt dixi tangit. impurus quidem Physco, mollis Sardanapalus, sed minimè illi crudeles. at Domitianus præterquam quòd & Physcone impurior, & Sardanapalo mollior fuit, idem tamen æquè crudelis ac Nero extitit. quamobrem magnæ & caninæ constantiæ foret ei vitia sua exprobrare, eúmque liberè incessere, qui tam libenter occideret. Licet etiam paulò aliter interpretari, vt innuat auctor & Physcone ipso impuriorem, & Sardanapalo molliorem Cæsarem aliquem designari posse, & quidem *Subneronem*. id est non tam infamem quidem & probrosum, quàm Neronem, ipsis tamen illis probrosissimis regibus propudiosiorem: quasi dicat, Non *Nero* ipse nominandus est, vt Cæsar aliquis impurior Physcone, & mollior Sardanapalo designari queat, quem multis parasangis Sardanapalos omnes & Physcones præteriisse, & super gressum esse constat; sed *Subnero* sufficit, & *pusillus* aliquis *Nero*, Domitianus nempe, qui licèt impuritate & mollitie fuerit Nerone longè inferior, Sardanapalo tamen & Physcone his vitiis superior fuit. qualem igitur putamus ipsum fuisse Neronem, si talis extitit, qui diminutiuum tantùm erat Neronis? Hoc significat *Subnero*, quasi pusillus scilicet Nero, ὑπό τι Νέρων, sic enim Græci. Philistum historicum Cicero vocat, *pusillum Thucydidem*. Strabo Amasiam ob meretricum greges, μικρὰν Κόρινθον.

139. NEC TEPIDIOR VIS VANÆ GLORIÆ MVTANDIS INDVVIIS ETIAM VIRO SALVO.] Defendit lectionem hanc Salmasius, ego item. sed ita illam defendi, vt apponerem etiam & explicarem lectionem de *vero saluo*. Quoniam autem Salmasius it totus in meam explicationem de dissimulato *viro*, placitum illum dare. Prima editio: etiam *viro saluo*. quod verum est. quid illis in mentem Criticis fuit, qui primi notarunt? Mentem sanè Tertulliani non assequuti sunt. Superiores quas attigit, vestium mutationes etiam virum cum veste mutabant. Achilles in virginem mutando, virum dissimulauit. Poëta:

Veste vir in longa dissimulatus erat.

Cleomachus cùm in cinædum mutauit, virum non tantùm dissimulauit, sed perdidit. at Alexander quod iam narrare incipit, mutatis induuiis, in veste Medica virum nihilominus retinuit. hoc est quod dicit, per vanam gloriam induuias mutari, etiam *viro saluo*. liber tamen noster, etiam hîc *vero saluo* legit, corruptè. sic *oueculam* pro *ouicula* scribebat: *ne* pro *ni*: *speculum* pro *spiculum*. Hinc emendat locum Taciti de Messalina quæ nupserat: *Igitur domus Principis inhorruerat, maximéque quos penes potentia, & si res verterent, formido: noniam secretis colloquiis, sed apertè fremere, dum industria cubiculum principis occulit adulteros, dedecus quidem illatum, sed excidium procul abfuisse.* hæc postrema corruptissima sunt, & ex scriptis libris sic sunt emendanda. *Dum histrio cubiculum principis exultat, viro dedecus quidem illatum, sed excidium procul abfuisse, nec iuuenem nobilem dignitate formæ, iuuenta ac propinquo consulatu, maiorem ad spem accingi.* Explicat histrionem illum esse Mnesterum, qui inter adulteros Messalinæ. *exultare* proprium histrionis, ἐξορχεῖσθαι. inde eleganter *cubiculum principis exultare* dictus histrio, qui torum eius persultabat, & vxorem stuprabat. *exultare* idem quòd desultare vel persultare.

140. CALOR EST OMNIS AFFECTVS.] Ridet Salmasius quæ hîc de febricula adducuntur, dicítque non esse necessarium, sed *affectum* vocat animi pathos. *affectus* sunt, amor, cupiditas, ira, libido, ambitio, & similia. qui affectus sine calore nunquam sunt, & *affectionem* distinguit ab *affectatione* in lib. de Cultu fœminarum. *Ancillæ Dei viui, conseruæ & sorores meæ, quo iure deputor vobiscum, postremissimus omnium qui de meo iure conseruitij & fraternitatis audeo ad vos verba ista facere, non vtique affectationi, sed affectioni procurans in causa vestræ salutis.* ambitio, affectus est, hoc est, pathos, quæ tota in vanæ gloriæ affectione posita est. hic affectus, aliàs calidus, vt *omnis affectus calor est*: *cùm in affectationem flabellatur*, & ventilatur, *iam de incendio gloriæ ardor est*, hoc est τύφος, superbia nimirũ & animi inflatio. alluxit omnino ad nomen τύφος, quod ἀπὸ τῦ τύφεσθαι, ab incendio deriuatum est. nam τύφεσθαι est ἐκκαίεσθαι, ἐκφλέγεσθαι. Hinc τύφος, vanæ gloriæ ardor. Hesychius, τύφος, ἔπαρσις, ὑπεροψία, κενοδοξία. sequitur: *habes igitur ex isto fomite æstuantem magnum regem, sola gloria minorem.* ex isto fomite, ἐκ τούτου τύφω φλεγόμενον. nam τύφος propriè est, *fomes*. τύφεσθαι enim ἠσυχῇ καίεσθαι Græci exponunt. varios affectus suprà persequutus est, qui multum valuerant in mutatione habitus inducenda. affectus ma-

tris & formido Achillem habitum mutare coëgit; Herculem libido, & amor Omphales, Cleomachum amor cinædi. poſt quas habitus mutationes ex illis affectibus productas, iam ad alium tranſit affectum, cuius vim tepidiorem non eſſe dicit mutandis induuiis, quàm in illis ſuprà memoratis, immo etiam calidiorem, viro tamen ſaluo. Nam hic affectus, qui ambitio eſt, cùm in affectationem, quaſi flabello excitatur & ventilatur, non ſimplicem iam calorem eſſe, vt omnes ſunt affectus, ſed de incendio gloriæ ardorem exiſtere, hoc eſt, τύφον. Nihil impedit ad ſententiam hanc eruendam calorem iſtum dici de febricula: adiuuatur enim hoc ipſo vis argumenti, & neruoſior eſt ratio.

141. VICERAT MEDICAM GENTEM, ET VICTVS EST MEDICA VESTE.] Per *Medicam gentem* Perſas intelligit, ſeu verè Medos. Per *veſtem Medicam* intelligit *ſericam*, idem quod poſtea dicit: *pectus ſquamarum ſignaculis diſculptum, textu pellucido tegendo nudauit, & anhelum adhuc ab opere belli, vt mollius, ventilante ſerico extinxit.* itaque quod ibi veſtis Perſica, hîc eſt textus pellucidus, & ſericus.

142. IN CAPTIVA SARABARA DECESSIT.] In primis hîc eſt τὸ *ſarabara* neutrius generis. Auctor in lib. de Trinitate: *cuius etiam cura & prouidentia, Iſraëlitarum non ſinit, nec veſtes conſumi, nec viliſſima in pedibus calceamenta deteri, ſed nec ipſorum poſtremò adoleſcentium captiua ſarabara comburi.* deinde *deceſſit* explicat, ad eum modum, quo ego verbum *proceſſit*, ſic enim legebam. tamen *deceſſit* explicat ille non de morte, vt aliqui explicarunt, ſed de defraudatione, ad eum modum, quo in lib. de Anima dixit: *Omnis natura aut defraudatione, aut enormitate reſcinditur, proprietate naturæ conſeruatur. ita naturale erit ſtatu, quod non naturale effici poteſt deceſſu vel exceſſu.* Itaque ſiue legas *deceſſit*, quod videtur magis conſonum, ſiue *proceſſit*, vt ego cum Antonio Fernandio, idem eſt ſenſus, non quidem de morte, ſed de proceſſu, & veriùs dicam deceſſu, cùm Rex tantus deceſſerit in inferiorem vtique rem, & ſe minorem fecerit habitu illo.

143. PECTVS SQVAMARVM.] Hæc interpungenda ſic ſunt: *pectus ſquamarum ſignaculis diſculptum, textu pellucido tegendo, & anhelum adhuc ab opere belli, vt mollius, ventilante ſerico exſtinxit.*

144. VT MOLLIVS.] Vt apud Horatium:

Vt melius quidquid erit pati.

illud, *ventilante ſerico exſtinxit*, dicit anhelum pectus ab opere belli ſerico ventilante exſtinctum. quibus verbis ſignificat, Alexandrum, ardorem & æſtum pectoris ab opere belli conceptum, motu ſericeæ veſtis refrigeraſſe, & ventulo facto extinxiſſe. *ventilante ſerico*, id eſt ventulum faciente veſte ſerica.

145. NI ILLVM VESTIS INFLATIOR DELECTASSET.] Cenſet Salmaſius legendum *deiectaſſet*. reuera enim deiectauit magnum illum inflatior veſtis potiùs quàm extulit, aut maiorem fecit. acutè hoc ille, neſcio quàm verè. ego *delectaſſet* legerem communi lectione.

146. AVDIO ENIM ET IN PVRPVRA PHILOSOPHATVM.] Intelligit de Ariſtippo, quem tamen ego reieci cum Marcilio, quia is non tam philoſophus, quàm paraſitus fuit. in his enim non verſatur intelligendi Tertulliani notitia, cùm neminem nominet, & poſſim intelligere, quem commodè quiuerim.

147. SI PHILOSOPHVS IN PVRPVRA, CVR NON ET IN BAXA TYRIA?] Hæc verba ſic corrigit Salmaſius: *Si philoſophus in purpura, cur non & in baxa? Tyrium calciari niſi auro minimè Græcatur. dicet, atquin alius ſericatus, & crepidam aratus inceſſit? dignè quidem vt bacchantibus indumentis aliquid ſubtinniret, cymbalo inceſſit.* Quæ ſic explicat: *Si philoſophus in purpura, cur non & in baxa?* Nam *baxam* eſſe calceamentum deauratum clarum eſt, cùm in libro de Idololatria, dicat idem: *quot parietes ſigna deſiderant? quot templa & ædes Iouis ædificantur? domus verò & balnea & inſulæ quantæ? ſoccus & baxa quotidie deaurantur.* igitur ait, ſi philoſophus in purpura philoſophatur, cur non & in auro, calceatus illo? etenim *Tyrium calciari niſi auro minimè Græcatur*, hoc eſt, Tyriæ & purpureæ veſti haud alios calceos dari decet niſi aureos. Græcorum elegantiæ minimè conuenit, vt qui Tyrio induti ſunt, aliter niſi auro calcientur. & ſanè qui purpurati erant, calceos vt plurimum deauratos gerebant. Lucianus de Baccho, ὥσπερ τῷ κόμῃ ἀναδεδεμένον ἐν πορφυρίδι, ἢ χρυσῇ ἐμβάδι. vides & purpuram & calceos auratos ex inſtituto Græcorum ſimul iungi. Apuleius lib. II. *alius ſoccis obauratis, indutus ſerica veſte, mundóque pretioſo, attextis capite crinibus, inceſſu perfluo fœminam mentiebatur.* qui conſulatum capiebant ſub Imperatoribus, vt purpura ſiue Tyrio veſtiebantur, ita & auro calciabantur, vt apud Caſſiodorum legere eſt. ſic fere ſemper calcei aurati purpuream veſtem ſequebantur. *Tyrium* hîc, pro Tyria ſiue purpurea veſte, vt apud eumdem Tertullianum alibi: *in Tyrio & coccino*, pro, in Tyria & coccina veſte. atque ita apud Plinium, *Tyrium* ſumitur. Sic fermè ille, cuius ego tamen acutiem parum intelligo: neque video verba iſta, *Tyrium calciari niſi auro minimè Græcatur*, aliquam explicationem ſatis congruentem habere poſſe. relinquo aliis intelligenda; ipſe interim nihil immutabo in Tertulliano. Quod ait de *cymbalis*, mihi eſt plauſibile, qui explicans dixi: *Dignè quidem ſic inceſſit, vt tanquam Bacchi furore percitus indumentis ſuis Empedocles aliquid adſtreperet veluti cymbalo. Eſt enim κύμβαλον inſtrumentum, quo vſi perciti. Ergo ait, crepidis aratus inceſſit, vt illis ſonantibus ad ſtreperet, veluti aliquo cymbalo in orgiis Bacchi.* Hæc ego. Quibus ademi *cymbalum Bacchantibus*, & *calceamenta* poſui pro *cymbalis*. dignè igitur *cymbalis*, hoc eſt, æreis crepidis inceſſiſſe Empedoclem ſcribit Afer, vt aliquid ſubtinniret Bacchicis eius indumentis, ſericæ nempe, & purpureæ veſti, quam geſtabat.

148. IN ADYTA CLOACINARVM.] In cloacas, quarum præſides Cloacinæ. cùm enim Tertullianus ceteríque patres antiqui Cloacinam cloacarum præſtitem velint eſſe, ex eo ſequitur ſingulis quibuſque cloacis ſuas præfuiſſe Cloacinas. tot igitur Cloacinæ, quot cloacæ. at Venerem Cloacinam Plinius, non à Cloacis quibus præeſſet, ſed à *cluendo*, id eſt, purgando, denominatam aſſerit. atque inde quoque *cloacæ*, ſiue *cluacæ* dictæ. Hæc ratio eſt cur *Cloacinas* dixerit Afer, non Cloacinam. nam ſecundùm eius ſententiam ſingulæ cloacæ ſuas habuere Cloacinas. Sciendum eſt autem præter ſacrum illud Cloacinæ, quod in foro erat, ad lacum Curtium, fuiſſe etiam ædiculam Cloacinæ in quinta regione vrbis Eſquilinæ, vt apud Sextum Rufum legitur. templum Veneris Cloacinæ in quarta regione vrbis collocatur apud Onuphrium prope templum Pacis.

149. VT QVI SE CÆLITEM DELIRARAT, SORORES PRIVS SVAS, DEHINC HOMINIS DEAS SALVTARET.] Cenſet ſcribendum: *vt qui ſe cælitem delirarat, ſorores priùs ſuas dehinc homines Deus ſalutaret.* Alluſum ait ad verſum Empedoclis quem initio καθαρμῶν præfixit,

Χαίρετ'· ἐγὼ δὲ ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος οὐκέτι θνητός·

Saluete. ego enim vobis Deus immortalis, non iam mortalis.

In principio igitur Catharmorum ciues ſuos ſalutat, & ſimul pro Deo apud eos ſe venditat. hinc explican-

dus

dus hic locus. Diogenes, inquit, si tempore Empedo- A
clis vixisset, vt vixit ætate Platonis, non toros Empe-
doclis cœnulentis pedibus calcasset, vt Platonis fecit,
dum fastum eius hoc facto se calcare profitetur, sed
totum Empedoclem in Cloacinarum adyta, hoc est, in
cloacas, præcipitem dedisset. Nec sine ratione hoc fe-
cisset Diogenes. cùm enim Empedocles cælitem se es-
se delirauerit, par erat vt sorores priùs suas Cloacinas
deas, dehinc homines salutaret. in Cloacinarum vti-
que adyta iactatus à Diogene deas ac sorores suas
deus salutasset, dehinc homines, postquam ex illis
cloacis extractus fuisset. Hæc ille, vnde ancipitem red-
dit explicationē. nam *deas*, non ausim improbare. præ-
terea habet optimam sententiam, quam vide apud me.

150. ET ACIE FIGERE, ET DIGITO DESTINARE, ET NVTV TRADERE MERITO SIT.] Hæc tria similiter simul iunxit Apuleius libr. 3. oculos, manus & nutus: *Nec qui lauerim, qui terserim,* B
qui domum rursum reuerterim, præ rubore memini. sic omnium oculis, nutibus, ac denique manibus denotatus impos animi stupebam. Et lib. 2. *Ac dum directis digitis, & detortis nutibus præsentium denotor, dum risus ebullit, inter pedes circumstantium frigido sudore perfluens enado.* Huiusmodi derisiones, quæ oculorum & nutuum, & vultus aliqua conformatione, aut omnino digitorum manuúmque gestu fiebant, aut labiorum ductu, sine vllo verbo aut dicto, *sannæ* vocabantur. Græcè μῶκοι; vide Persium & eius interpretes. hinc vultus distortiones ad pueros ploratores terriculandos, *sannæ* Arnobio lib. 5. insigni loco, sed valde deprauato; nam ita vulgo editur: *Vsque adeone mortales sæculi illius ac temporis corde fuerant vacui, rationis sensúsque nullius, vt ab actionibus improbis tanquam paruuli pusiones personarum monstruosissimas toruitates, annis etiam constringerentur & manus?* Nihil inquinatius. ad quem locum C
tamen silent, quasi monstruosa aliqua toruitate con-
stricti, boni fidique interpretes: Scribo: *Vt ab actionibus improbis, tāquam paruuli pusiones personarum monstruosissima toruitate, sannis etiam constringerentur, & maniis. Manias* turpes deformésque personas esse, aut laruas, quas nutrices minitantur pueris, ex Festo sciunt docti. *sannæ* sunt ridiculæ aut etiam exhorrendæ vultus distortiones, quas *grimacias* vulgo dicimus, quibus pueruli terrentur. Hinc *sanniones* qui facie magisquàm facetiis ridiculi sunt. Sequitur, *digito destinare*, hoc est, digito designare, digito denotare. Paulus apud auctorem qui leges Mosaicas & Romanas inter se comparauit: *Certum dicit qui suo nomine demonstrat iniuriam, neque ita vt per disiunctionem hoc aut illud accidisse comprehendat, sed vt necesse habeat, aut vnam nomine suo rem destinare, aut plures ita complecti vt omnes eas accidisse cogatur probare.* perperam legitur, *nomini suo rem destinare.* Accepi autem *destinare digito*, pro vice infa- D
miæ, quod vir doctus hîc negat, quòd feci cōsultè: nam
cùm *acie figere*, & *nutu tradere*, pertineant ad turpitudi-
nem, cur non & *digito destinare*? Et ipse idem qui hoc
negat, re ipsa fatetur: ait enim: *Digito directo aliquem monstrare ac denotare*: oblitus fortasse, quod dixit cap. 1. Nota secunda, *habitus denotare pacis*: nisi fortè dicat ibi dixisse, *denotare apud hunc nostrum.*

151. MÆANDRICO FLVXV.] Autumat sic legēdum, quoniam *fluxus* apud nostrum semper pro mollicie sumitur. vnde suprà, *de viro fluere.* Et in lib. de Spectaculis: *Et est planè in artibus quoque scenicis Liberi & Cereris patrociniū, quæ priuata & propria sunt scenæ de gestu & corporis fluxu.* Quod iam suprà obseruauimus. & de muliebri: discutiendæ enim deliciæ, *quarum mollitia & fluxu fidei virtus effœminari potest.* Nec alio sensu fluxū hic posuisse existimandus est. vetus noster & antiquæ editiones *Menandrico fluxu*, legunt. quæ verissima est lectio. Menandri fluxum & delicias versibus his describit Phædrus, ad quos sine dubio alluśit Afer.

Quinetiam resides, & sequentes otium
Ne defuisse noceat, repetunt vltimi.
In quis Menander nobilis comœdiis,
Quas ipsum ignorans legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri;
Vnguento delibutus, vestitu affluens,
Veniebat gressu delicato & languido.
Hunc vbi Tyrannus vidit extremo agmine,
Quinam cinædus ille in conspectu meo
Audet venire? responderunt proximi,
Hic est Menander scriptor.

Menandrico igitur *fluxu vestem delicatam humi protrahere*, nihil aliud est quā Menandri comici more, vestitu delicato & fluente humum verrere, & Menandri delicias imitari in veste delicata & molli trahenda. respexit ad illum versiculum:

Vnguento delibutus, vestitu affluens.

Proprer auctoritatem Salmasij damus legēdum *fluxu*, B
etiamsi inclinemus vehemēter in *flexu*, & accipiamus de Mæandro fluuio, non de Menandro poëta.

152. AVDIAT PONE SE QVOD ET COMICVS.] Dicit legēdum, *audiat penes se & comicus*, quam coniecturam ex vestigiis veteris scripturæ eruimus, quæ habuit: *audiat pones se & comicus. pones* pro *penes*: vt *exodoratus*, pro exeduratus: *domum* pro *demum*, & similia. hoc enim genere mendæ sæpe in hoc libello describendo peccarunt librarij. Menander Comicus, vt ex versibus Phædri quos antè adduximus, patet, molles & fluentes gerebat vestes, & tamen idem in aliqua comœdia cinædum ac delicatum quemdam qui simili veste humum verrebat, hoc versu tetigerat:

Qualem demens iste chlamydem disperdit?
Οἵαν αὐόπτος ὅδε χλαμύδα διολύει;

Si quis igitur, inquit satyricè Tertullianus, delicatā & C
ad talos vsque fluētem vestem humi trahat, audiat pe-
nes se, & comicus, hoc est Menāder, versum illum quo
demens appellatur, qui talem vestem gerat: & sic dictū
in semet ipse accipiat, quod in alium dixit, ac suomet
ipsius gladio iuguletur. Nam & ipse chlamydem suam
sic disperdebat humi protrahendo. Dementem itaque
semet ipsum illo versu Menander appellauit. Confir-
mat hæc lectio, legendum esse, *Menandrico fluxu.* Hæc
lectio mihi est in dubio: itaque nihil mutauerim.

153. ENIMVERO IAM DVDVM CENSORIÆ INTENTIONIS EPISCYNIO DISPERSO QVANTVM DENOTATVI PASSIVITAS OFFERT?] Totum hūc locum ita distinguit: *Enimuero iamdudum censoriæ intentionis episcynio dispersō quātum denotatui, passiuitas offert libertos in equestribus, subuerbustos in liberalibus*, &c. Itaque *quantum denotatui*, est, quantum ad denotādum, quod erat olim censorum officium. sic infrà, *quātum nomini*, pro quantum ad nomen: *Hæc pro* D
pallio interim, quātum nomini; cùm ita sit: iam verò et de negotio prouocat. Et in Apologetico, *quantum denominationi.* sic enim ex libris scribendum: *Christianus verò quantū denominationi, de vnctione deducitur.* id est, quātum ad denominationē. ita hoc loco, *quantū denotatui. Denotare*, Tertulliano pro simplici *notare*, quod erat cēsorum propriū. Hoc nimirū mihi in dubio est maximè; itaque cōseruo lectionem veterē, & quæ pertinent ad alia argumēta de Apologetico, videnda latè suis locis: neque enim *denominationi* legerim. Neque enim, *passiuitas offert libertinos in equestribus*, interpunxerim.

154. HABES SPECTARE QVOD ET CÆCINA SEVERVS GRAVITER SENATVI IMPRESSIT, MATRONA SINE STOLA IN PVBLICO.] Damnat illud *in publico* dici de matrona publica, & legit, *matronas sine stola in publico*, inquítque, habes spectare, hoc est, spectabis matronas sine stola in publico; quod Cæcina Seuerus olim grauiter senatui impressit. tempore Tertulliani matronæ non ampliùs erāt stolatæ, & sine matronarū insigni passim in publicum egrediebantur.

quem habitum iam à tẽporibus Cæcinæ Seueri defuefecerãt. de quo ille apud Senatum olim queſtus eſt. Verumtamen non eſt dãnanda locutio, cùm ſimilia multa de hoc Afro proponantur. quid quòd illud *matronas* in dubio mihi eſt, an ponã, nullo præſertim adiuuante codice. denique vt malis ipſe. illud *Grauiter impreſsit Senatui*, eſt, grauiter inculcauit, impreſsè dixit apud Senatum. In exhortatione ad caſtitatem: *Altè impreſsè recogitandam eſſe dico Dei voluntatem, quid etiam in occulto velit.* Et in Apologetico: *Sed quo pleniùs & impreſsiùs, tam ipſum quàm diſpoſitiones eius, & voluntates adiremus.* ſic & *impreſsè dicere*, in lib. de carne Chriſti: *Adeo nihil animale ſine ſenſu, nihil ſenſuale ſine anima, & vt impreſsiùs dixerim, anima animæ ſenſus eſt.*

155. EXAVCTORASSET.] Tralatio à militibus, qui ſacramento ſoluti, depoſitis inſignibus, & cingulo militari, *exauctorari* dicebãtur. ſic matronas quæ quaſi ſacramentum pudori caſtitatíque dixêre, exauctorare ſemet ipſas dicit, cùm inſignia ſua deponunt, & illos habitus exuunt, in quibus pudori militabant litabántque: quod & ſequentia fere confirmant; *eieranêre cuſtodes pudicitiæ habitus.*

156. FRICTRICES.] Legit Salmaſius *fictrices*. de Reſurrectione carnis: *Et tamen calicem non dico venenarium in quem mors aliqua ructarit, ſed fictricis vel archigalli, vel gladiatoris aut carnificis ſpiritu infectum, quæro an minùs damnes quàm oſcula ipſorum?* Ita eô loci omnes libri ſcriptum exhibent, non *frictricis*. *fictrices* ſunt ſagæ, à ſimulacris cereis quæ fingebant, & aliis magicarum artium figmentis ſic appellatæ. Ouidius de ſaga:

----ſimulacráque cerea fingit.

itaque non vult *frictrices* dici, à frico, ſed *fictrices* à fingo. Ego tamen à frico deduco, neque in his eſt aliarum vocum interpretatio quod faciat. itaque dici poſſunt *ſimulatrices*, & id nomen non incidit in *frictrices*. Nihil autem nocebit ſcire quæ de *ſimulatricibus* inquit, & *ſagis*, quæ vide apud illum.

157. SVBLIMES.] Legit Salmaſius *ſublimis*, & interpretatur, limis oculis adſpicere. *ſublimis aſpicere*, vt *limis aſpectare* apud Terentium. ſublimis ὑπολοξοῖς. Aſpice, inquit, lupas & proſtibula, aſpice etiam fictrices ipſas & lenas, & ſi præſtat abducere & auertere oculos ab huiuſmodi probris & propudiis paſſiuarúmque libidinum victimis, dignare ſaltem eas aſpicere vel limis oculis, & quaſi per tranſennam, iam matronas eas videbis, hoc eſt matronarum habitu ornatas. Hanc lectionem & explicationem ſequutus ego ſum, adeò vt me expreſſerit Salmaſius.

158. CVM LATRINARVM ANTISTES SERICVM VENTILAT.] Per *latrinarum antiſtitem* intelligit mulierem, non virum. omnino Cloacinæ Veneris antiſtitem mulierem intellexit auctor, quam cõtemptim *latrinarum* vocauit *ſacerdotem*. nam latrinarum etiam præſes Cloacina, & in eius feſto latrinæ coronabantur, vt ex Tertulliano conſtat in libro de Corona militis. *antiſtitem* autem in ſexu ſequiori vſurpauit, vt & in libro de Pudicitia: *Eius templi æditua & antiſtes eſt pudicitia, qua nihil immundum & profanum inferri ſinat.* Hæc explicatio mihi admodum arridet, ſi viderem poſſe ſtare cum auctore, cuius hæc ſunt omnia: *Aſpice tamen vel ſublimes, iam matronas videbis, & cùm latrinarum antiſtes ſericum ventilat, & immundiorem loco cervicem monilibus conſolatur, & armillas quas ex virorum fortium donis, ipſæ quoque matronæ temerè vſurpaſſent, omnium pudendorum conſcias, manus inſerit, impuro cruri, purum aut mulleolum inducit calceum.* Vbi illa, *Et armillas quas ex virorum fortium donis, ipſæ quoque matronæ temerè vſurpaſſent.* Quæ verba videntur antiſtiti viro attribuenda. quaſi dicat: ipſæ quoque matronæ temerè vſurpaſſent armillas, quas viri fortes in donis capiunt. nihilominus tamen facilis eſt exitus huius difficultatis, ac propterea inclino vehementer in antiſtitem fœminam.

159. SERICVM VENTILAT.] Is dicitur, qui laxa fluxáque ſerica veſte ventum concipit, atque vndante ſerico incedit. qui motu ſericæ veſtis ventulum ſibi faciunt, *ventilare ſericum* etiam dici queant. ſuprà de Alexandro: *ſerico ventilante pectus anhelum extinxit.* ſericum vtique ventilabat. Iuuenalis de annulis:

Ventilat æſtiuum digitis ſudantibus aurum.

Ouidius:

----tunicíſque fluentibus auras
Excipit.

160. IMMVNDIOREM LOCO CERVICEM MONILIBVS CONSOLATVR.] Hoc eſt, immundiorem latrinis. *locum* abſolutè pro latrinis dixit. atque ita etiam hodie quoque loquimur. Græci quoque τόπον dicunt. quod ex Athenæo notatum eſt. *Conſolari* autem *cervicem monilibus* ideo dixit, quòd in eiuſmodi ornamentis & nugis maximum ſolatium ſibi conſtituant φιλόκοσμοι mulieres. *Collum demulcere* ſuprà eodem ſenſu habuimus. ſed & in libro de cultu fœminarum, egregius qui ad hunc locum facit locus eſt, quem idcirco adducit, vt corrigat, cùm viros doctos exercuerit: *Nam etſi quæ in gentilibus pudicitia credi poteſt, vſque adeo eam imperfectam & inconditam conſtat, vt licèt animo aliquatenus tenax ſui agat, in habitus tamen licentias ſe diſſoluat, propter vanitatem gentilium, ſolatium appetendo, cuius rei deuitat effectum.* Licèt, inquit, apud gentiles quædam reapſe caſtæ ſint, & effectum deuitent rei turpiſſimæ, ipſa tamen habitus licentia, dum ſolatium petunt ex rebus nugatoriis, vt ſunt ornamenta & monilia muliebria, & alia huiuſmodi, non perfectam, nec numeris omnibus abſolutam obtinere poſſunt pudicitiæ gloriam.

161. CVR ISTAS NON SPECTAS, VEL ILLOS ITEM HABITVS.] Hæc cum ſuperioribus iungenda ſunt: cùm latrinarum, inquit, antiſtes ſericum ventilat, & monilia collo circumdat, & mulleolos calceos pedibus inducit, cur iſtos habitus non ſpectas ac denotas? vel illos item habitus, qui nouitati ſuæ religionem prætendunt? legendum igitur: *cur iſtos non ſpectas, vel illos item habitus?*

162. VEL ILLOS ITEM HABITVS QVI NOVITATE VESTITVS SVI.] Legit ille, vt habet in ſuo libro, *qui nouitati ſuæ ſtitare religionem mentiuntur. Stitare*, vt à reſtito *reſtitare*. concedit ille, legi poſſe *ſtare*. hoc eſt qui nouitati ſuæ religionem obtendunt, qui pro ſua nouitate ſtare religionem mentiuntur, & auctorem Deum faciunt veſtis illius, quam induerunt, dum Deo talem veſtitum placere ſibi fingunt. non ſum anxius de hac lectione, & veterem probo, vt meliorem.

163. CVM OB CVLTVM OMNIA CANDIDATVM.] Græca figura, quæ Tertulliano frequens. *omnia candidatus*, πάντα λευκὸς. ſic *omnia ſanctus*, in libro de Pœnitentia: *Ad hoc enim venerat, vt à delicto purus, & omnia ſanctus pro peccatoribus obediret.* apud Trebellium: *Omnia felix, infeliciſsimus imperator.* in veteri inſcriptione; *viro clariſsimo, omnia ſingulari.* Virgilius:

Omnia Mercurio ſimilis, vocémque colorémque.

164. OB NOTAM VITTÆ.] Ouidius,

----- quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Idem alibi:

Ite procul vittæ tenues inſigne pudoris,

& interpres Iuuenalis ad *vittas* eiuſdem: *quæ poſſint Cereris eſſe ſacerdotes.* Itaque vittæ erant Dearum. Hæc exemplula addenda ſunt noſtris.

165. PRIVILEGIVM GALERI.] Galerum, de quo hîc sermo, putat Salmasius, esse solarum matronarum. ideóque hæc duo simul iunxit, *vittæ notam, & priuilegium galeri.* Galerus porro matronarum & Cereris sacerdotum, nihil aliud erat quàm crinium adtextorum compositio in modum galeri facta, quibus fœminæ & matronæ præcipuè caput velabant. Tertullianus de cultu fœminarum : *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in verticem retro suggestum.* Iuuenalis quoque *galerum* vocat huiusmodi crinium fictitiorum concumulationem:

Sed nigrum flauo caput abscondente galero
Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Vetus scholiastes : *Crine suppositio, rotundo muliebri capitis tegumento in modum galeæ facto, quo vtebantur meretrices flauo ; nigro nam crine matronæ vtebantur.* Ergo non solæ matronæ huiusmodi galeris crinium vtebantur, sed etiam meretrices. ad discerniculum verò matronæ nigros, meretrices flauos sumebant. Seruius ad versum illum Æneid. 5.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Matronis, inquit, *nunquam flaua coma dabatur, sed nigra.* Citat deinde versus illos Iuuenalis iam antè à nobis allatos. & tamen apud eumdem Seruium in eo loco adducuntur hæc verba Catonis de crinibus matronarum : *comas flauo cinere vngitabant, vt rutilæ essent.* Ex quibus constat matronas flauos etiam crines habuisse. crines capiti adtexti & adnexi, vetusta fuêre matronarum insignia, quibus postea vitta adiecta est. Valerius Maximus libr. 5. cap. 2. *Sanxit vti fœminis viri cederent, confessus plus reip. in stolæ quàm in armis fuisse: vetustisque crinium insignibus nouum vittæ discrimen adiecit.* Vides crinibus ac vitta matronas præcipuè insignitas fuisse. quæ duo hîc quoque memorantur in sacerdotibus Cereris, *vittæ* nempe *notæ, & priuilegium galeri.* nam *galerus* hic de crinibus, vel rotundo comarum suggestu. crines ἐμπλέκια sunt. de his crinibus matronarum capienda Plauti verba in Milite : *vni gerundum morem censeo, et capiendos crines.* Nam quæ nubebant, crines capiebant. hoc siquidem discrimine distinguebantur matronæ à meretricibus. Festus : *Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit* ; senas crinium spiras intelligit, quæ in orbem conuolutæ, & aliæ aliis superstructæ formam galeri efficiebant. Hactenus Salmasius, cuius ego coniecturam apprimè teneo, & existimo loqui tantùm Tertullianum de galero mulierum, atque adeo Cereris : si qui verò velint ad viantes transferre, poterunt nihilominus.

166. IN BELLONÆ MONTES FVGANTVR.] Legit ex codice, quem habet, in quo est *montis*, legit, inquam, *in Bellonæ mentis fugantur*, felici coniectura. *in Bellonæ*, Græca figura pro in Bellonæ templo. Sic Arnobius, *in Cereris Eleusinæ*, lib. 6. *quid? Celei virgines non in Cereris Eleusinæ humatæ habere perhibentur officia?* Græcum est, ἐν Δισυύσῳ, ἐν Δήμητρος. Sic Terentius, *ad Dianæ.* Sallustius apud Donatum: *ad Iouis mane veni. Mentis fugari*, Græca etiam locutio, id est, φρενὸς ἐξίστασθαι. sic *pudoris exterminari* dixit idem in libro de Spectaculis : *Quam mimus etiam per mulieres repræsentat, sexum pudoris exterminans, vt facilius domi quàm in scena erubescant.* De Bellonariis igitur hîc loquitur, qui nigris induti vestibus, atque atro vellere caput tecti in templo Bellonæ mentis excessum patiebantur, vnde & *fanatici* dicti, quòd in fanis, & circa fana mentis fugarentur. *Bellonæ sacratos* vocat idem Tertullianus in Apologetico. sed locus qui in omnibus editionibus hodie fœdè corruptus visitur, sic emaculandus est : *Hodie istic Bellonæ sacratos sanguis de femore prosciſſo in palmulam exceptus, & esui datus, signat.* ita ex veteribus libris corrigitur hic locus. *Comati* etiam propriè dicebantur isti Bellonarij. Valerius :

---- *Bellonæ vetus incitat ira comatos.*

Vbi perperam *Comanos* legunt, à Comanis Cappadociæ vrbe, in qua vetustissimum & celeberrimum Bellonæ templum fuit. *Capillatus Bellonæ*, legitur in veteri inscriptione. *comati* autem, vt capillati dicti, quòd capillum promitterent, vt omnes fanatici & harioli solebant. ἄκειρον κομῶν Bellonariis tribuit Lucianus.

167. CVM LATIORIS PVRPVRÆ AMBITIONE.] Saturni sacerdotes laticlauiam tunicam cum pallio coccineo gerebant. *latior purpura* est ὁ πλατύπορφυρος, tunica latis clauis purpureis distincta : quod genus tunicæ soli Senatores, & qui Senatoria dignitate erāt, gestabant, qui *laticlanij* inde dicebantur. hinc *latioris purpuræ ambitionem* dixit. Sic Cassiano, *birrorum planetarumque ambitio.*

168. CVM PALLIVM HOC IPSVM MOROSIVS ORDINATVM.] Hoc volunt esse pallium illud *teres ac redundans, & tabulata congregatione fultum*, Æsculapij, de quo suprà, cùm ibi *pallij* nomine *teretis*, ac *redundantis*, verè intelligatur toga, hîc autem pallium.

169. ET CREPIDÆ CRETATÆ, GRÆCATIM ÆSCVLAPIO ADVLANTVR.] Hanc lectionem defendo vt veram ; neque enim scio cur creta esse non possit in crepidis, & quare hærere in pelle creta non possit ? Hoc artificium est, vt hæreat, & diu hæreat, quales nos vidimus ocreas creta dealbatas : ita enim color ille inficitur, vt quamuis aliqua ex parte decidat, maiori ex parte perduret. in ocreis pellitis sæpe vidimus. & eadem ratio de crepidis esse potest.

170. QVANTO TVNC MAGIS ARGVAS ILLVD ! ET VRGES OCVLIS.] Sic scribit totum hunc locum : *Cùm ipsum hoc pallium morosiùs ordinatum & crepidæ Græcatum Æsculapio adulantur, quanto tunc magis arguas illud & vrgeas oculis, & si tam simplicis & inaffectatæ, tamen superstitionis reum?* Cùm, inquit, hoc ipsum pallium, quod tantopere in Christiano reprehendis, & oculis digitisque denotas, cùm hoc ipsum, inquam, pallium morosè ordinatum Æsculapij sacerdotes vestit, quanto tunc magis arguere illud debes & reum vrgere superstitionis, quæ quantumlibet simplex sit & inaffectata, tamen superstitio est ? at Christianorum sacerdotum pallium quod & simplicissimum est, & nulla tædiosa ordinatione constat vt illud Æsculapij, & vanissimis superstitionibus in totum renunciauit, tantum abest vt argui & vitio verti debeat sacerdotibus Christianis, vt etiam augustius censendum sit omnibus Deorum Dearúmque vestibus & exuuiis, & omnibus gentilium sacerdotum ornamentis & insignibus ἐξαπικώτερον ἐνδυμα. Diuersam ab hac explicationem Marcilius tenet & defendit, quam vide in meo Commentario.

171. SACER SVGGESTVS.] Codex Salmasij habet, *sacerdos suggestus* : quam lectionem ille defendit. est etiam Rhenani in prima & secunda editione. defendit autem more Græco : sic Ἑλλὼς φρατὴν, & Latini *Stertinium acumen, Sulpitia horrea, Lucinæ horæ.* Non dubito quin possit, sed lectio communis plausibilis esse debet, nec est cur mutetur. Quod attinet ad *suggestum*, qui Marcilio teste, de quauis textura dicitur, quod Salmasius vellicat, credo quæstionem esse nominis, non rei.

172. DEDVCIT OCVLOS, SVADEO REVERERE HABITVM.] Legit ille : *Deduc oculos : suadeo, reuerere habitum vnius interim erroris tui renuntiatorem.* vt malis.

IN CAP. V.

173. ET PRIVS ETIAM AD SIMPLICEM SPECTA TELAM EIVS.] Legit Salmasius: *prius etiam ad simplicem captatelam eius. captatela* à captatu: vt *corruptela* à corruptu: *peccatela*, quod eiusdem Tertulliani verbum est, à peccatu. sic *sutela*, *cautela*, & similia. *captatelam* pallij pro captatione dixit, cùm capitur scilicet, aut captatum pallium. nihilominus tamen adhærendum vulgatæ lectioni, quæ quemadmodum intelligenda, vide in meo Commentario.

174. ADEO NEC ARTIFICE NECESSE EST.] *Artificem* legit, ex codicibus scriptis, quia olim sic dicebant, *opus aliquã rem*, pro aliqua re. Sic apud Plautum: *vsus est hominem astutum & doctum.* idem in Truculento: *Quid isti supposítum puerum opus pessimæ?* Quod perperam mutant. hoc ignoratum impulit in errorem, Lucretij interpretes, vt in aliis sexcentis, ita hoc loco: *Nec crepitacula eis opus est.* sic enim habent omnes libri. correxere: *Nec crepitacillis opus est.* non opus erat tali correctione. eadem porro hîc loquutio est, *nec artificem necesse est*, quam mutare non fuit necesse. Hactenus ille. Lectio quam præferunt libri, *nec artifice necesse est*, idonea est satis, & me auctore defendenda.

175. ET INDE DEDVCAT IN TILIAS.] Quæri potest, quid sint *tiliæ*: seu potiùs *taliæ*: sic enim scriptum est in veteribus libris. *talias* vocat, rugas in longum deductas ac directas, à similitudine taliarum. *talia* est ramus arboris, ex vtraque parte æqualiter præcisus. Græci σχίσας, aut σχίζας appellant. Glossæ, *talia*, σχίζα. hinc *taliare*, scindere significat, σχίζειν. nam *taliæ* sunt scissiones lignorum. rugarum in veste partem eminentem & protuberantem, quæ & *stria* dicebatur, *taliam* dixit Tertullianus; quia Græci σχίσμα quoque appellarunt itaque *talias* vocat quod infrà *tabulas*. Hæc adduxi, vt *talias* Salmasij cognosceres: multísque aliis firmat, verumtamen legendum probè in Tertulliano *tilias*, & me auctore nihil mutabis. De *vmbone* multa disputat Salmasius, quæ vide apud illum: mihi enim non est otium, qui contentus sum explicatione mea.

176. NVLLIVS INDVMENTI EXPOSITIO QVAM TOGÆ GRATVLATVR.] Nullius indumenti depositio magis gratatur, aut grata est, quàm togæ. Dicit *expositio* quod est togam exponere seu deponere. sic *nomen virginitatis exponere* apud Arnobium, pro virginitatem deponere. & *exponere Episcopos*, in fragmentis Hilarij, est deponere. *exponere* apud Cyprianum, pro deponere, sæpe occurrit. sic infrà: *etiam cum toga exponitur, nulli cippo in crastinum mandatur.*

177. CALCEIS NIHIL DICIMVS: PROPRIVM TOGÆ TORMENTVM.] Nam calcei togæ proprij: apud Romanos enim toga sine calceis non sumebatur, nec calcei sine toga. in vrbe vt togæ vsus, ita calceorum. extra vrbem cùm in secessu agebant, sine toga & sine calceis erant. Plinius libr. 7. epist. 3. ad amicum quem de secessu rutis in vrbem reuocare nititur: *Quin ergo in vrbem redis, vbi dignitas, honor, amicitiæ tam superiores quàm minores? quousque regnabis? quousque vigilabis cùm voles? dormies quamdiu voles? quousque calcei nusquam? toga feriata? liber totos dies? tempus est te reuisere molestias nostras, vel ob hoc solum, ne voluptates istæ satietate langueſcant.* Hanc eruditionem sumsi de calceis.

178. IMMVNDISSIMAM PEDVM TVTELAM.] Non pedes immundos, sed *pedum tutelam*, hoc est, calceos, dicit Tertullianus. Nam quomodo pedes sordidi aut immundi possent esse in calceis? *immundissimam pedum tutelam* calceos dicit esse, quia puluere & luto plerumque sordidi. Martialis:

At mihi quem cogis medios obrumpere somnos,
Et matutinum ferre patíque lutum,
Quid petitur laxa cùm pes vagus exit aluta,
Et subitus crassa decidit imber aquâ?

Et alibi:

Quàm vetus à crassa calceus vdus aqua.

Querolus non Plautinus,

Sume laneos cothurnos, semper resluos calceos,
Quos pluuia soluat, puluis compleat, cœnum & sudor glutinet.
Sume calceos humili fluxos tegmine,
Quos terra reuocet, fraudet limus concolor.

179. SVTRINÆ VENERIÆ.] Scribendum ait ille, *sutrinæ Venetiæ. Venetias sutrinas* dictas intelligit in quibus Venetæ pelles suerentur, ex quibus calcei conficiebantur. in Venetia autem aut Veneta regione pelles olim optimè curari & confieri solitas crediderim, suendis calciamentis aptas. nam in Venetia, pecudum magna erat copia: ergo & pellium ex quibus calcei fiebant, ouium Altinarum & Euganearum frequens & celebris mentio apud Veteres: quæ loca sunt in Venetiarum tractu. fortasse etiam & calcei siue perones optimi in Veneta regione concinnabantur: vnde *Venetias sutrinas* dixerit Tertullianus. *Venetias* autem *sutrinas* dixit ἀρχαϊκῶς pro Venetas, vt *Gallia mulieres* apud Sallustium: vt *terra Italia*, & *terra Gallia* apud Liuium. Hæc ego transcripsi, vt ostenderem dissidia lectionum Tertullianarum, non vt sequerer. puto enim scribendum *sutrinas Venerias*. vide verò vt explicui.

180. PERONES EFFOEMINATOS.] *Perones* hîc sunt calcei vrbani: nec contemptim aut satyricè ita eos vocauit Tertullianus, quia in aliquâ re similes essent, sed valde propriè. nam calceum veteres qui ad mediam vsque tibiam ascendebat, *peronem* vocarunt. Perones sanè etiam gestabant rustici, sed ex crudo corio factos, καὶ ὠμοβυρσίνους. vnde *crudus pero* Virgilio, ὠμοδέρμονα περόνην. Calcei quoque Romanorum ita vocantur Catoni apud Festum: *qui curulem magistratum cepissent, mulleos calceos gerebant, alij vncinatos, ceteri perones. pero* est βαρὺ καὶ κοῖλον ὑπόδημα. qualis erat Romanus calceus, qui ad medium crus vsque perueniebat, totus ex corio, vt sunt quas hodie *bottinas* vocamus. hos calceos, & *Zanchas*, & *tubulos*, & *caligas*, & *perones* etiam nuncuparunt. at *campagi* aliud erant. non enim integra solidáque pelle crura operiebant, sed fasciis multis reticulatim implexis cingebant: de quibus alibi.

181. AT ENIM PALLIO NIHIL EXPEDITIVS, ETIAMSI DVPLEX QVOD CRATETIS.] Postquam incommoda & impedimenta togæ multis enarrauit, transit ad pallij simplicitatem, & commoditatem ostendendam. *Nihil*, inquit, *pallio expeditius, etiamsi duplex quod Cratetis.* Vt autem intelligamus duplex hoc Cratetis pallium, sciendum duplicem vestem aliquando dici, quæ duplicem vsum præstat, vt pallium quod amictui est, & quod instratui. & sic non intelligendus est Tertullianus. Alio significatu pallium duplex etiam dicitur, quando ex duobus simplicibus constat. vt hodie pallia quę gerimus lanea, quibus alterum pallium subest de alia materia siue lanea siue serica, duplicia planè sunt; nam ex duobus simplicibus palliis constant. & pallium laneum sericeo panno duplicari vulgo dicimus. Duplex vestimentum Græci quoque illud appellabant, quod ita amplum & fusum erat, vt duplicari in gerendo posset. διπλοΐδας, & διπλησίδας, & διπλᾶ

ἱμάτια huiusmodi vestimenta vocabant. pallium commune Græcorum, & fusius erat & redundantius, atque ad calceos vsque demittebatur, vt alicubi scribit Quintilianus. illud pallium primus duplicauit, siue duplicatum gessit Diogenes aut Crates. facilè enim duplicari poterat, & duplicatum geri propter amplitudinem suam. Taceo Diogenem, & rationem, qua ille pallium suum duplicaret, quam vide apud Salmasium: dicendum tantùm quomodo pallio sese inuoluerent Cynici, & quo pacto illud duplicarent. Græcanicum pallium commune vtrumque humerum operiebat, & vtrimque regestum retrorsum, in humeris fibula strictum continebatur: Cynicum verò pallium humero dextro subiectum, & in sinistrum coniectum, ante & retro duplicabatur. humerum siquidem læuum duplici textu tegebat, & dextrum nudabat, cùm commune in vtroque humero simplex sederet. quare Cynici qui duplici pallio vtebantur, alterum humerum exertum habebant, alterum duplicato pallij textu coopertum. atque hæc erat duplicatio pallij, quam Crateti quidam, alij Antistheni, nonnulli Diogeni adscripsere, quámque omnes exinde Cynici vsurpauerunt, qui pallio solo absque tunica inuoluebantur. Hæc addas nostris obseruationibus, reliqua vide apud Salmasium, qui rectè & doctè.

182. QVOD CRATETIS MORE NVSQVAM VESTIENDO COMPONITVR.] Sic corrigit: *at enim pallio nihil expeditius, etiamsi duplex, quod Cratetis. mora nusquam vestiendo cùm ponitur.* nulla enim opus arte aut artifice ad rugas reformandas, si quæ destructæ sint, vt in toga. nullas enim rugas aut plices de industria locatas, & structas habebat pallium, in quibus aut formandis, aut denuo struendis vel breuis temporis mora impenderetur, cùm induendum erat. *cùm ponitur*, est cùm induitur: nam *ponere vestem* dixit pro induere, Græcorum more, qui θεῖναι, & βάλλειν sic vsurpant. ita apud Thucydidem ἔνυπλα τὰ ὅπλα, hoc est, ὁπλιζόμενοι. Lectio vulgata mihi impensè fauet, non tamen idcirco hanc reiecerim.

183. ID EST VNO CIRCVMIECTV LICET, EQVIDEM NVSQVAM INHVMANO.] Sic scribit: *tota eius molitio est operire solutim: id est vno circumiectu licet, equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit.* Tota, inquit, pallij Cynici molitio est solutim operire: id vno circumiectu licet facere, & quidem nusquam inhumano, nec ineleganti, ita totum simul hominem & contegit. *ex vno circumiectu*, ἐκ μιᾶς περιολῆς: sic *ex summo studio, ex summa ope, ex vno ore*, apud Florum passim, & Apuleium, aliósque scriptores. proprium pallij, & præcipuè Cynicorum, circumiici. Latini quoque *circumiectum* appellarunt. Varro lib. 4. de L. L. *amictus est dictum amiectum, id est circumiectum: à quo etiam quod veste ita se inuoluunt, circumiectum appellant, & quod amictui habent. purpuram circum, vocant circumtextum.*

184. HVMERVM VELANS EXPONIT VEL INCLVDIT.] Melius legatur: *humerum vel exponit vel includit.* id est, & exponit & includit. nam humerus ille qui extra pallium ponitur, siue exponitur, non velatur pallio, sed ille duntaxat qui includitur. *vel* hoc loco non est disiunctiuum. sic apud Virgilium:

---- *magnus pietate, vel armis:*

id est, pietate, & armis. in vetusto poëmate:

Ruris hìc erunt puellæ, vel puellæ montium.

& alibi passim apud auctores. Pallium igitur Cynicorum alterum humerum excludebat, alterum includebat. nam dextro humero exerto erant, ac nudo. A Cyprianus, de bono patientiæ: *apparet non esse illic veram patientiam, vbi sit insolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac seminudi pectoris inuerecunda iactantia.* Accipio hoc libentissimè: nam Marcilius mihi tædium mouit. ego explicabam: velato humero. ille aptus est vt exponatur in publicum, si velit domo exire; vel domi se contineat. tamen hæc interpretatio Salmasij perquam commoda est.

185. HVMERVM ADHÆRET.] Dixit Tertullianus *humerum adhæret*, non *in humerum adhæret*. sic *laqueos inhærere* apud Apuleium, in laqueos hærere. & *adstituor tribunali*, pro, statuor ad tribunal. & *genua aduoluor* apud Curium Fortunatianum: & similia. illud verò: *Cetero quà humerum adhæret*, ille reddit, *ceteroquin*, vt *alioquin*; quam vocem multis locis apud Ciceronem corruptam restituit optimus olim Victorius. in epistolis familiaribus: *ergo ceteroquin æquo animo fero.* & lib. 12. epist. ad Atticum: *Ne viuam, mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, vbi ceteroqui sum libenter, sed* μακάρων νῆσοι *tanti sint, vt* B *sine te sim totos dies.* Et libro 14. *Loca ceteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine fugienda.*

186. NIHIL DE TABVLARVM FIDE LABORAT.] Alluſit ad fidem tabularum, quibus aliquod pactum scriptum continetur, quod seruandum est. Cicero pro Archia: *Quamdiu incolonus post damnationis calamitatem, omnem tabularum fidem resignasset.* Firmicus lib. 1. *Illud ad neces hominum Martis sidus armauit, illum mutare tabularum fidem, illum venena miscere.*

187. ETIAM CVM REPONITVR.] Melius quod in nostro est: *etiam cùm exponitur.* id est, exuitur, vel deponitur. sic suprà: *nullius profectò alterius indumenti expositio, quàm togæ gratulatur.* sic *onus exponere*, pro deponere, apud Cyprianum. C

188. NVLLI CIPPO IN CRASTINVM DEMANDATVR.] Abigit hinc Salmasius pressorium, quod Marcilio placitum, & intelligit lignum aliquod, quod instar annuli esset, quo rotunditas vmbonis stringeretur, ne exorbitaret sic *cippus* lignum erat, quo pedes reorum vincti in carcere tenebantur. lignum igitur ad formam annuli factum, quo vmbo togæ constringebatur, *cippum* hìc vocat Tertullianus. nescio an huic assentiam, & de pressorio intelligi velim; non enim malè per *cippum* intelligi pressorium quit: itaque *cippum* de pressorio intelligi. illud mihi placet, quod legit Salmasius, *nulli cruci in posterum demandatur.* itaque vocat Satyricè *crucem* forcipes illas, quibus adsignari solitum fuisse togæ vmbonem paulo antè scribit.

189. SI QVID INTERVLÆ SVPERET, VACAT ZONÆ TORMENTVM.] Legendum D est, *subter est. si quid*, inquit, *interulæ* subter est, *vacat zonæ tormentum*: interula quæ subter pallium philosophicum habetur, caret zonæ tormento, nec opus habet cinctu. Dicit autem, *si quid interulæ*, quoniam palliati tunicas etiam habebant, & sub tunicis interulas. Eadem quippe differentia Latinis *tunicæ*, & *interulæ*, quæ Græcis χιτῶνος & χιτωνίσκα. interula sub tunica habebatur, & ἀμέσως corpori insidebat, atque ἐπὶ γυμνῷ, vt vocant Græci. lineæ autem erant, & nostris camisiis respondebant. Græci recentiores ἐσωκάμισα appellant. vocarunt & ἐσωτέρια, hoc est ad verbum *interulas*. ἐσωφόρια quoque dicta. Anastasius in vita Ioannis Eleemosynarij: *Ille ergo putans quòd egenus esset, expolianit se esophorium suum, quòd illius melius erat, & dat ei. Hypocamisum* paulò pòst vocauit: *& dicebat semper quòd posset intentione dandi pauperibus, expoliare diuites, & ipsum*

etiam hypocamisum ab eis benevolè auferre. Interulam A quia suberat tunicæ, *subuculam* Latini dixêre. Persius:

---- subucula pexæ
Trita subest tunicæ.

Græci ὑποδύτην: Glossæ: *subucula*, ὑποδύτης. at *tunica* dicebatur ἐπενδύτης apud eosdem Græcos, ratione interulæ, non pallij. nam tunica pallio suberat, & supra interulam iniiciebatur. inde quòd supra interulam sumeretur, ἐπενδύτην Græci, *superariam* Latini eam vocitarunt. optimæ Glossæ: *superaria*, ἐπενδύτης. Multa Salmasius subdit huiusmodi: alicui fortè erunt necessaria, non mihi, cui satis sunt ista ad Tertullianum. Cùm inquit, *vacat Zonæ tormentum*; ideo inquit, quia interula pallio tota tegebatur, hîc enim pallij vtilitates enumerantur: quod aduertendum est in multis locis huius libelli. cùm enim strictiores essent atque breuiores interulæ, fiebat vt optimè pal- B lium eas tegeret.

190. SI QVID CALCEATVS INDVCITVR.] *Induci* propriè calcei dicuntur. suprà: *impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Cornificius libr. 1. de Rhetorica, ad Herennium: *Soleæ lignea in pedibus inducta.* Corrigendus Plinius lib. 33. cap. 11. *Nostráque ætate Poppæa coniux Neronis principis, delicatioribus iumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.* Legi debet, *inducere.* Apuleius libr. 2. *Et cum dicto iuuenem quempiam linteis amiculis intectum, pedésque palmeis baxeis indutum, & aduſque derasó capite producit in medium.* omnino scribendum: *pedésque palmeis baxeis inductum*, id est, palmeas baxas pedibus inductas habentem.

191. MVNDISSIMVM OPVS EST.] Soleæ quæ mero solo constabant, mundissimum opus erant, nihil quippe sordidi aut immundi in illis visebatur, quod oculos offenderet: nam præter habe- C nas quibus religabantur, nihil habebant, quod sordidari posset. at calcei ex pelle facti, & vsque ad medium crus ascendentes, luto semper aut puluere oppleti multam immunditiem ostendebant. ideo *immundissimam pedum tutelam*, calceos suprà dixit esse.

192. HÆC PRO PALLIO INTERIM QVANTVM NOMINE CONCITASTI.] Sic legit Salmasius: *Hæc pro pallio interim quantum nomini: cùm ita sit, iam & de negotio prouocat. Quantum nomini*, Tertullianica loquutio, pro, quantum ad nomen attinet. sic suprà, *quantum denotatui*, pro quantum ad denotatum. & in Apologetico, *quantum denominationi*, id est, quantum ad denominationem. cùm verò editio prima habeat pro *concitasti*, habeat inquam *comitasti*, explicandum mihi est quid sibi velit *comitasti. Comitare* vetus verbum, à comitio. *comitium, comitare*: vt *flagitium, flagitare*: D *fastigium, fastigare*: *hospitium, hospitare. comitare* autem vel *comitiare*, est conuitium in comitio fácere. conuitij autem loco exprobrauerant Tertulliano Carthaginienses mutationem vestis. Festus: *Incomitiare, significat tale conuitium facere, pro quo necesse sit incomitium, hoc est, in conuentum, venire.* Plautus Curculione:

Adolescens, ob remp. hoc inustum mihi
Quod insigne habeo, quæso ne me incomities.

Oculi vitium illi aliquis exprobrauerat: respondet ille:

Licet inforare, si incomitare non licet.

ita enim legendum propter versum. iocus est comicus in verbo *inforare*, quod & percidere significat, & in foro conuitium facere, potest significare, vt *incomitare*, in comitio. Isidori Glossæ: *inforare, placitare.* (Hæc pro pallio, inquit, dicta sint, quantum ad nomen attinet, quod publicè infamasti, & probro mihi duxisti: iam verò & de negotio prouocat.) Hæc transcripsi ex Salmasio, quo fruerêre tanti viri eruditione, quæ singularis est & non obuia in illo: non quòd pristinam opinionem & lectionem deseram, quæ habet: *hæc pro pallio interim, quantum nomine concitasti*, quæ vtique verissima est, & Pamelio atque Rhenano viris maximis, & in hac litteratura versatis dignissima.

193. NIHIL CVRIÆ DEBEO.] Habet liber optimus, *nihil curia debeo* in auferendi. quod ne quis librarij peccatum putet esse, libet istud loquendi genus pluribus confirmare eiusdem ævi scriptorum testimoniis ex nostro iure sumptis. Callistratus de iure fisci: *eò pertinere non vt delator pœna subduceretur, si mandatorem haberet.* vbi *pœna*, pro *pœna* positum. Vlpianus, de administratione: *quod de frumentaria ratione in alium vsum conuersum est, sua causa cum incremento debito restituatur*, pro, suæ causæ restituatur. Callistratus, de extraordinariis cognitionibus: *sed pœna metalli subiiciuntur.* subiicit Salmasius alia exempla Marciani, Tryphonini, & aliorum, quæ digna sunt lectu. sed quantum attinet ad Tertullianum, ille *curiæ* legit, nec est cur mutes.

194. CANCELLOS NON ADORO.] In libro veteri erat, *canales non adoro.* Erant canales in foro, vnde *canalicolæ, forenses homines pauperes dicti quòd circa canales fori consisterent.* vide Festum. Causidici & rabulæ sic dicebantur, & qui assidui in foro. Canalis in foro medio mentio apud Plautum: *in medio propter canalem sunt ostentatores meri.* quòd autem in illis canalibus aqua, vt fit, hærens interdum malè oleret, ideo *canales odorare* dixit. nam mephitim illam pati cogebantur, qui foro dabant assiduam operam, vt causidici, & rabulæ forenses. Fateor multo meliorem esse lectionem si *canales* legas, quàm *cancellos*, quos tamen Rhenanus expunxit ex codice, & posuit *cancellos.* ego vtramque lectionem obseruaui in meo Commentario, & *cancellos*, & *canales*, ex eodem Salmasio in historia Augusta.

195. NIHIL OFFICIO ADVIGILO.] Matutino salutationum officio: ante lucem enim vigilabant, vt orbem salutationum suarum obirent. Iuuenalis:

---- surgendum est mane priusquam
Turba salutatrix iam tota peregerit orbem.

196. IMO VNICVM NEGOTIVM MIHI EST.] Ita mutat Salmasius, & legit, *in me vnicum negotium mihi est.* id est, aliis negotiis me non immisceo, quàm quæ ad me spectant: in alios mihi negotium non est, sed in memetipsum tantummodo. sic suprà: *at nunc in semetipsas lenocinando, quo planiùs adeantur.* Ouidius:

Consilij satis est in me mihi.

197. NEC ALIVD NON CVRO, QVAM NE CVREM.] Ita verò Salmasius ex suo codice: *nisi aliud non curo, quàm ne curem*, & dicit esse Græcismum purum. Tertullianus ipse suprà: *nisi quòd & philosophi puto ipsi aliquid huiusmodi affectarunt.* Terentius in Adelphis:

Nisi credo huic rei me gnatum esse, ferendis miseriis. Et in Phormione:

Nisi Phædrias non cessauit orare pro te.

Et in Eunucho:

At nesciebam id dicere illam, nisi quia correxit
Miles, quod intellexi minus, nam me extrusit.

Non hæreo huic lectioni, nam ea quæ vulgo fertur satis est commoda, non quòd reiiciam.

198. SED IGNAVA INFAMIQVE.] Legit illehunc in modum : *sed ignaua infamabis.* & explicat, id est, infamabis quòd illa vita sit ignaua, quæ in secessu colitur, licèt mihi dederis meliorem esse: nam ex tua sententia patriæ ac reip. viuendum est. hoc verbo *infamare* sic vtitur auctor, in Apologetico : *Sed & quòd fratres nos vocamus, non aliàs, opinor, infamant, quàm quòd apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est.* Scribi tamen etiam hîc posset, *sed ignauam infamabis.* atque ita edendum curauimus. hactenus Salmasius, cuius lectioni minimè assentimus.

199. REIQVE PVBLICÆ VIVENDVM EST.] Salmasius ita : illud *publicæ*, non est in nostro libro, nec in editione principe, sed tantùm, *reique viuendum est. res*, pro republica absolutè. atque ita alij auctores loquuntur. hic ipse in Apologetico : *Vos igitur importuni rebus humanis, nos rei publicorum incommodorum illices semper.* ita enim ex libris eò loci legendum monemus alibi. *publica rei incommoda*, pro incommodis reipublicæ. Hæc lectio ferri potest.

200. SI PERGAM AD ACVTA TECVM.] Si pergam acutis & decretoriis armis tecum pugnare, non prolusoriis & hebetibus. sic *ad certum pugnare* Tertullianus aduersus Marcionem lib. 3. *His prolusorim quasi de primo adhuc & de longinquo : sed hinc iam ad certum, & comminus dimicaturus, video aliquas etiam nunc præducendas, ad quas erit dimicandum, lineas. ad acuta pugnare*, pro acutis. sic *ad plumbatas cædere* in veteri Passione, pro cædere plumbatis. ita apud Vegetium, *ad fundam lapides iacere, ad cornu infundere, ad harundinem perforare.* de quibus loquutionibus nos alibi. *acuta* tela, præpilatis & exercitoriis hic opponuntur.

201. NVLLIS VETERNIS PARCO.] Auaritiam aut superbiam intellexit Tertullianus, aut vtrumque, nam *veternos* dixit. intellexi ego cessationem & ignauiam : cuique libitum est intelligere quod volet.

202. NVLLI IMPETIGINI.] Similiter ille reprehendit qui per *impetiginem* intelligunt inaniter gloriantium loquacitatem, & libidinem ; & libidinosos hoc nomine perstringit. Vt malis ipse.

203. LIGNEAS MACVLAS.] Plinij verba de citrearum mensarum maculis, ita ex veteribus libris legenda sunt : *Mensis præcipua dos in venam crispis, vel in vortices paruos illud oblongo euenit discursu, ideòque tigrinum appellatur : hoc intorto, & ideo tales pantherinæ vocantur.* eleganter *in venam crispas* vocat, quæ venarum crispæ sunt : & *crispas in vortices*, quæ ad instar vorticum intortè crispantur. perperam hodie legitur : *in vena crispis, vel in vertice varius.* Sequitur apud eumdem Plinium, *sunt & vndatim crispæ maiore gratia, si pauonum oculos imitentur : magna verò post has gratia extra prædictas, crispis densa veluti grani congerie, quas ob id à similitudine apiatas vocant. Apiatæ* dicuntur non ab apibus vel apiculis, vt docti viri hariolantur, sed ab apio, quòd densa grani congerie crispæ apij semen & grana densè congesta referant.

204. ITEM QVA LANCES CENTENARII PONDERIS SYLLA MOLITVR.] Loquitur pallium, & dicit, adigere se cauterem ei ambitioni qua Cicero mensam citream tot millibus nummûm emit : & ei qua Asinius alterum tantum pro simili mensa dedit : item ei ambitioni, qua Sylla lancem centenarij ponderis molitus est. Vereor tamen, inquit, ne parua ista sit trutina, hoc est, ne paruum istud pondus sit, cùm Drusillanus & quidem seruus, promulsidem ædificauerit Syllana illa lance tanto ponderosiorem : nec enim centum aliquot librarum fuit, vt Sullæ lanx, sed quingentarum.

205. QVINGENARIAM PROMVLSIDEM.] Respuit Salmasius illos, qui hoc verbi gustum & antecœnium intelligunt, & ipse accipit vasa, quibus sustinendis promulsidarium dicatum. Petronius Arbiter : *Ceterùm in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras.* Sunt alij quibus visum est antecœnam sumere, & Macrobium libro 3. Saturnal. cap. 13. huc trahunt. hos ego sum secutus, viderint alij.

206. SERVOS MVRÆNIS INVADENDOS OBIECTABAT.] Non possum facere vt probem eruditissimi Ciacconij coniecturam, qui legebat, *mandendos.* nam rectum est *inuadendos*, hoc est, deuorandos, & deglutiendos. hoc significabat verbum *inuadere.* Petronius : *Vtinam me inimicus ignis hauriret, vtinam hybernum inuaderet mare.* id est, voraret, & absorberet. *inuadere ostrea*, Ausonio, degulare & haurire. Cyprianus, de lapsis : *Mortiferos idolorum cibos adhuc pœnè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt, quando occurrat scriptura diuina & dicat, Omnis mundus manducabit carnem*, &c. vbi *inuadunt*, est, comedunt, & manducant. Inde Eugraphius in Terentium, *inuasores*, comestores exponit. apud eumdem *inuadere* simpliciter pro comedere. ad illud Terentij, *in me cudetur faba : Ex prouerbio*, inquit : *nam dicunt quemdam auarum rusticum cùm fabam coxisset, & cum socio inuaderet, partem sibi depoposcisse, vt cum socio non inuaderet in eodem vasculo, & aquam adiecisse parti suæ, quæ corrupta alteram quoque corrupit.* Hæc libro de Pallio.

207. NOVA SCILICET SÆVITIA DELECTATVS, TENERÆ BESTIÆ, EXEDENTVLÆ, ET EXVNGVIS, ET EXCORNIS.] Salmasius sic legit hunc locum : *Immergo scalpellum acerbitati ei qua Vedius Pollio seruos murænis inuadendos obiectabat : noua scilicet sæuitia delectato terrenæ bestiæ, & edentulæ, & exunguis, & excornis, de piscibus placuit feras cogere.* idem *teneram bestiam* mutat in *terrenam*, & longissimus est : mihi placet *tenera bestia*, videsis illum.

208. IN ADVLTERINVM PROVEXIT SAPOREM.] Vetus liber cum editionibus primis : *in adulterium prouexit saporem.* quod non erat mutandum. *saporem in adulterium prouehere*, est, saporem adulterare, saporem adulterinum facere. aut certè *adulterium saporem* dixerit adiectiuè *ἀντὶ τοῦ adulterinum.* sic enim *adulterius* ab adulter, vt *magisterius*, vnde *magisteria potestas*, à magister : & *arbiterius*, ab arbiter : vnde & *arbiterium* dicebatur. sic & *caniam constantiam* suprà dixit, pro canina. ita enim omnes libri antiqui legunt : *ne caniæ constantiæ mandatum sit.* Ita & *adulterius sapor* hoc loco, pro *adulterinus.*

209. SEX SESTERTIIS.] Longissimè disputat Salmasius de his quæ videre apud illum satius est, quàm hîc dari partem aliquam. cùm autem addit *detulit*, significat emere. frequentiùs tamen pro vendere sumitur. Seneca epistola 42. *Videamus hoc quod concupiscimus quanti deferatur.* id est, quanti vendatur, quanti præbeatur. posset tamen etiam exponi, quanti ematur. Columella, in horto, *maniplos deferre* dixit, vænales in vrbem ad macellum portare :

> *Allia cum cepis, cereale papauer anetho*
> *Iungite, dumque virent nexos deferte maniplos,*
> *Et celebres fortis fortunæ dicite laudes*
> *Mercibus exactis.*

Rem domo in macellum defert venditor, è macello domum emptor. hinc *deferre* & pro vendere, & pro emere positum. mercem defert venditor, pretium

emptor, hoc est, παρέχει. sanè *deferre* quòd significet emere, nusquam alibi nisi hîc lectum est. & fortasse *deferre* posuit, pro, ferre, vel auferre. nam pretio rem fert vel aufert emptor à venditore.

210. EX AVIBVS EIVSDEM PRETIOSITATIS, VT CANORIS ET LOQVACIBVS QVIBVSQVE, SEXCENTVM MILLIVM PATINAM CONFISCAVIT.] Quoniam perplexus est hic locus circa Plinium & Tertullianum, venia lectoris arripiam quidquid Salmasius de illo refert. sic itaque ait: De hoc loco & Pliniano variis doctorum hominum sententiis hactenus certatum est, nec tamen quicquam adhuc certi constitutum. Budæi opinio est, quam plerique sequuntur, hanc Æsopi patinam centenariam fuisse, id est, centenis auibus structam, quarum singulæ senis millibus nummûm coëmptæ fuerint. sic totam patinam sexcentis sestertiis siue sexcentis millibus sestertiûm stetisse. sed huic sententiæ repugnat Plinij ipsius auctoritas, qui lib. 35. cap. 12. diserte scribit, centum millibus patinam Æsopi stetisse. Vetus noster liber, & prima editio Rhenani planè etiam hîc legunt, *centum millium patinam confiscauit*, non sexcentûm. Ita Tertullianum in Plinio legisse, nec aliter Plinium scripsisse, verba ipsius apertè testantur, quæ sic habent: *Nam nos cùm vnam Æsopi tragœdiarum histrionis, in Natura auium, diceremus sextertiis C. stetisse, non dubito indignatos legentes. at Hercules, Vitellius in principatu suo CC. sestertiis condidit patinam. cui faciendæ fornax in campis exædificata erat, quoniam eò peruenit luxuria vt etiam fictilia pluris constent, quàm murrhina.* quibus ex verbis multa discimus: primùm fictilem fuisse illam Æsopi patinam: deinde centum tantùm sestertiis constitisse: præterea pretium illud quo patina taxata est, pro manupretio datum esse figulo qui eam ex humo duxit, non pro auibus quas in ea posuit Æsopus. constat igitur legendum apud Plinium illo loco: *sestertiis centum stetisse*, non *sexcentûm*. atque hæc centum sextertia idem efficiunt, quod *centum millia*, quæ hîc apud Tertullianum habentur. Dicit Plinius indignaturos legentes, quòd in libro de Naturis auium scripserat de pretio Æsopeæ patinæ, quæ centum sestertiis stetisset. at Hercules, inquit, Vitellius in principatu suo ducentis sestertiis patinam condidit, & quidem etiam fictilem. quod tanquam maiore dignum indignatione proponit, propter insanam fictilium æstimationem, quæ pluris hoc modo constabat, quàm murrhina. nec enim in eo spectanda indignatio quòd Vitellius Apicium superarit, princeps priuatum, sed quòd cùm Æsopus patinam habuerit fictilem centum millibus emptam, immenso sanè pretio; eò tamen luxuria peruenisset, vt Vitellius in principatu suo potuerit fictile condere altero tanto æstimandum, adeò vt pretia murrhinorum non æquaret solùm, sed transcenderet. at si patina Æsopi sexcentis sestertiis stetisset, longè minorem inuidiam & indignationem Vitellij principis patina merebatur, quæ ducentis tantùm sestertiis condita erat. Plinius lib. 10. cap. 51. de hac eadem patina Æsopi: *Maximè tamen insignis est in hac memoria Clodij Æsopi patina centum sestertiis taxata*: sic enim legendum ex veteribus libris, & altero illo loco Plinij, quem paulò antè produximus, non *sexcentis sestertiis*. pretium igitur illius patinæ, quod pro ea exstruenda figulus accepit, centum sestertia fuere, siue sestertiorum nummum centum millia. quæ summa aureorum nostrorum facit bis mille & quingentos. in ea patina Æsopus conuiuis suis apposuit aues, aut cantu aut humanæ vocis imitatione famosas, quarum singulæ sex millibus coëmptæ fuerant. Plinius loco suprà citato: *Clodij Æsopi patina C. sestertiis taxata, in qua posuit aues cantu aliquo aut humano sermone vocales*, IIS. VI. *singulas coëmptas*. Ita legimus ex optimo & vetustissimo libro Clariss. Rigaltij, in quo scriptum est: *hijsvi singulas coëmptas. his* aut *hiis* fere semper apud Plinium pro sestertiorum nota positum occurrit in manu exaratis libris. ita porro in Plinio legisse Tertullianus hoc loco fatetur his verbis: *qua mulli vnius obsonium sex sestertiis detulit: qua Æsopus histrio ex auibus eiusdem pretiositatis.* Sex autem sestertia, vt notum est, sunt sex millia nummûm, hoc est, aurei nostri centum & quinquaginta. diuersum itaque patinæ ipsius manupretium fuit, diuersum auium pretium quæ in ea patina appositæ sunt. quòd enim centum sestertiis constitit illa patina, hoc aues non fecêre, quibus gulosum illud fictile condiit Æsopus; sed tanti à figulo empta est, qui illam condidit. Aues pretium suum seorsim habuêre, quarum singulæ cùm sex sestertiis coëmptæ fuerint, centum sestertiis iustis & rotundis, vt tota patina constaret, efficere non potuerunt, quin aut plus aut minus esset: nam sexdecim aues, sestertiis sex emptæ singulæ, nonaginta sex sestertia tantùm reddunt: si verò septemdecim ponas fuisse, duo & centum sestertia exsurgunt. His igitur duabus rebus maximè insignis fuit Æsopi patina, & quòd ex luto ficta tam carò stetit, & quòd aues tam carò emptæ in ea ad cœnam appositæ sunt. de numero auium nihil Plinius dicit, contentus dicere singulas sex millibus nummûm coëmptas fuisse. sed profectò magnus earum numerus oportet fuerit, vt tam grandem patinam implerent: nam & ingentem illam patinam fuisse necesse est, cuius facturæ tam immane pretium positum est apud figulum. Nunc in eam sententiam quam adstruximus, restat vt verba Tertulliani concinnemus. ita porro ea concipiunt & primæ editiones, & vetus noster: *Qua Æsopus histrio ex auibus eiusdem pretiositatis, vt canoris & loquacibus quibusque, centum millium patinam confiscauit.* Sed quo sensu dici potest, nisi absurdo, patina ex auibus confiscata? *confiscare* hoc loco est ἀποταμιεύειν, *recondere*, vel *reponere*. Glossæ: *confiscare*, ταμιεύειν, ἀποθησαυρίζειν. sic apud eumdem Tertullianum in libro de Anima; *in confiscato animam habere.* Suetonius in Augusto: *Quam summam repræsentari iussit: nam & confiscatam semper repositámque habuerat.* inde & *confiscator* ταμιοῦχος. sic *confiscare patinam* idem esset quod in cellario vel ταμείῳ repositam habere. sed hoc significatu nec ex auibus, nec cum auibus confiscata dici queat. è contrario patinam illam ex tamio in quo confiscata seruabatur, depromi & efferri ab Æsopo fuit necesse, vt in conuiuio suo auibus refertam apponeret ac repræsentaret. Fuere qui legerent, *conflauit*, pro *confiscauit*. Verùm illi primò auctoritate librorum reuincuntur, qui omnes, *confiscauit*, retinent. deinde iam diximus, patinam centum millium, ex auibus sex millium pretio quibusque emptis, conflari non posse, quin aliquid aut desit aut supersit. postremò non satis possim probare, vt patina ex auibus *conflari* dicatur, quæ auibus referta sit & cumulata. quod etsi concedere rectum esset, hoc tamen loco prorsus alienum est & absurdum. Porro vt sensum auctori nostro suum reddamus, ita verba eius legenda sunt: *Qua Æsopus histrio auibus eiusdem pretiositatis, vt canoris & loquacibus quibusque, centum millium patinam confiscauit.* id est, patinam centum millium, tanti enim constabat, confiscatam repositámque habuit in cellario suo Æsopus histrio, vt aues in ea conuiuis suis exhiberet, sex millibus singulas coëmptas. *confiscauit auibus*, ad aues confiscauit, vt auibus refertam in conuiuio repræsentaret, & apponeret, πρὸς τοὺς ὄρνιθας ἀποταμίευσεν. confiscauit eam scilicet, & repositam ad hoc habuit, vt quando vellet, promere posset

auibus pretiosis in conuiuio exhibendis. quod vtique & fecit. nam *aues in ea posuit*, inquit Plinius, *aut cantu aliquo, aut humano sermone vocales, sex sestertiis singulas coëmptas.* sic in illa sua patina Vitellius, quæ ducentis sestertiis constitit, scarorum iecinora, muræ narum lactes, phasianorum, & pauonum cerebella, & phœnicopterum linguas posuit. de qua vide Suetonium. de huiusmodi lautis patinis intellexit Satyricus, cùm dicit:

Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile.

Nam patinæ in quibus lautiores cibi apponebantur, fictiles erant. Plinius lib. 55. cap. 12. *Atque vt luxu quoque aliqua contingat auctoritas, figlinus tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa cœnarum lautitia. vna erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis, inclinatis iam scilicet moribus, vt tamen eos præferre Græciæ etiam philosophis possimus.* Idem Iuuenalis:

Debetur magnus patinæ subitúsque Prometheus:
Argillam atque rotam citiùs properate.

Patina est λοπάς. Glossæ: *patina*, λοπάς. Meleager apud Stratonem Sardianum ἐν τῇ παιδικῇ Μούσῃ:

Εἰ γάρ σοι τάδε τερπνὰ πόροι Θεὸς, ὦ μάκαρ οἷαν
Ἀρτύσεις παίδων Ῥωμαικὸν λοπάδα;
Si tibi Deus affluentiam dederit, qualem ô beate
Conflabis pueris Romanam patinam?

Vides *Romanam patinam* prouerbio Græco iactari de miscellana patina, variis & exquisitis lautitiis referta. Iuuenalis:

---condire gulosum
Fictile, sic veniunt ad miscellanea ludi.

Sic Græcus poëta, ἀρτύσει λοπάδα dixit, quod Latinus,

---condire gulosum
Fictile.

Talis fuit Vitelliana & Æsopea. edi autem hîc volueramus, *qua Æsopus histrio auibus eiusdem pretiositatis patinam confiscauit*, non *ex auibus*. sed operæ vulgatam lectionem retinuêre, quæ prorsus falsa est, & absurda. Parcendum mihi est, si totum hoc caput sumsi: video enim non posse aliter facere satis lectori. Cùm enim ego commentarios in Tertullianum ediderim, non debui non ea transcribere, quæ facere ad rem videbantur.

211. RVFOS.] Dici potest hunc esse Sempronium Rufum virum prætorium, qui primus ciconias cibi causa occidit: propter quod nouum gulæ inuentum, repulsam in consulatu passus est. de eo versus leguntur isti apud veterem Horatij scholiasten:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
(Ipse est duobus elegantior Planeis)
Suffragiorum puncta non tulit septem:
Ciconiarum populus vltus est mortem.

Ideo illum hoc loco Tertullianus, & Hortensiis, & Asiniis, & Aufidiis lurconibus, Æsopis, Apiciis aliisque gulæ proceribus accenset.

EX MVLTIS TOGATOS FVISSE QVALES APVD PALLIVM HAVD FACILE.] Interpungit ita: *Et memento illos interim, ex multis togatos fuisse, quales apud pallium! haud facilè has purulentias ciuitatis exsuppurabit, nisi sermo palliatus.* Memento, inquit, & vinolentos, quos memoraui, & impuros, & aleones & lurcones magnam partem togatos fuisse; quales apud pallium! id est, quales habendos, in quali existimatione ponendos apud pallium? quàm probrosos scilicet, quàm vituperandos, & omni reprehensione dignos, apud illos qui pallium gestant? has togatorum purulentias & carcinomata, haud facilè quis ad sanitatem perduxerit, nisi sermo palliatorum, qui medicinam moribus soli facere sciunt. Hactenus Salmasius, quem sequerer lubentissimè, nisi textus ita esset bene concinnatus, vt nulla egeat alia lectione. Itaque veterem scripturam retineo. *Suppurare* locus dicitur, qui in pus vertitur, & purulentus redditur. Lampridius: *Capite suppuratum reddidit crebris obtunsionibus.* Ferri hoc posset.

IN CAP. VI.

212. PRIMVS INFORMATOR LITTERARVM.] Qui primis litteris pueros imbuit & informat. Horatius:

---elementa velint qui discere prima.

Eum itaque intelligit qui primas & elementarias litteras docet, quem Latini *litteratorem*, Græci γραμματιστὴν vocarunt. Apuleius in Floridis: *Verumenimvero Musarum craterra, quanto crebrior, quantòque meracior, tanto proprior ad animi sanitatem. prima craterra litteratoris, ruditatem eximit: secunda grammatici, doctrina instruit: tertia rhetoris, eloquentia armat.* Litterator igitur is erat qui συλλαβίζειν, vt loquitur Lucianus, pueris monstrabat.

213. EDOMATOR VOCIS.] Legit ille ex suo libro, *primus enodator vocis.* Nihil obstat, etiamsi lectionem veterem retineas, vt audias Salmasium explicantem, & confirmantem, quæ pertinent ad enodationem. Per *primum* porro *vocis enodatorem* haud dubium est, quin intelligat eum qui pueris legendi & rectè pronuntiandi artem tradit. nam hic quo modo singula quæque verba, qua voce, quo motu oris essent pronuntianda, præcipiebat. Qui articulatè & expresse singulas voces enuntiare docet, is nodos vocis soluere rectè dicatur, præsertim in pueris id ætatis, adhuc balbutientibus, & infracta voce dimidiata verba vix exprimentibus. Quintilianus lib. 1. cap. 1. *Non alienum fuerit exigere ab iis ætatibus quo sit absolutius os, & expressior sermo, vt nomina quædam versúsque affectatæ difficultatis ex pluribus asperrimè coëuntibus inter se syllabis catenatos, & velut confragosos, quàm citatissimè voluant.*

213. MVSICAM PVLSAT.] De symphoniacis palliatis hîc intellexit Tertullianus. Sed quomodo qui voce canunt *musicam pulsare* dici queant? Symphoniaci in choro pulsu pedis vocem suam moderabantur: quod hodie musici nostri manu faciunt, & *percutere mensuram* se dicunt. præterea in veterum choris semper vnus fuit qui ceteris ἐνθύπιον daret pedis suppulsione, aut etiam manuum percussione, quod mesochori siue coryphæi officium erat. Eleganter igitur hic noster *musicam pulsare* dixit de eo qui musicam pulsu temperat ac moderatur. Hæc ille. Sed non dubium quin de citharistis possit locus intelligi qui palliati quoque fuêre; nec in hoc ambigere quisquam potest.

214. VOLATICAM SPECTAT.] De Pœnitentia: *Idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.* Et in lib. ad Vxorem: *Spirituali affectatione carnalem illam humabis, temporaria & volatica desideria formæ vel ætatis inimicantium bonorum compensans delenda.* Alibi etiam *pervolaticum* dixit à pervolando. inde & *mulieres volaticæ* Festo sunt striges. nam mulieres maleficæ & sagæ, in quas verti & volare credebantur. Ouidius de saga:

Hanc ego nocturnas suetam volitare per vmbras
Suspicor, & pluma corpus anile tegi.

Verba Festi: *Striges maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant.* Isidorus: *Striges, mulieres volaticæ.* Hæc adiici exempla velim nostræ volaticæ.

215. CERDONES.] Legit ille *accendones*, qui laniſtæ ſunt, deducit ille ad accendo. Virg.

Accendámque animos.

Et alibi:

---Martémque accendere cantu.

Ego verò probo *cerdones*.

Hæc habui, quæ ſuffurarer ab Salmaſio, viro ſanè docto. ita tamen vt multas eius lectiones non auſus ſim probare. Mihi ſæpe contigit præmeditanti eius lectiones, gaudere, quòd Scripturam Sacram ita integram habeamus & incorruptam, vt nemini ſit dubitandi locus: quod niſi eſſet, & Salmaſio vel alteri traderetur, quot commutarent, delerent, transferrent? cùm in vno Tertulliano ita ſint variæ circa litteram lectiones.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM ACCVRATISSIMVS.

Prima nota librum; ſecunda numerum ſignificat: T. textum.

A.

ABacti greges, & abactores, lib. viii, 272.
Abdico, lib. ii, 98.
Abitio, & abire pro mori, lib. iii, 54.
Ablutio manuum ante orationem ad exemplum Pilati, abſurdiſſima, lib. vi. 108. T. & 112.
Abolla duplex pallium, lib. i, 240.
Abrahamo adeo graue præceptum iniunctum fuit, vt nec placebat Deo illud perfici, lib. viii, 114. T.
Abſit execrantis verbum, lib. viii, 147.
Abſolens, lib. ii, 595.
Abſtinentiæ nomen quàm latè pateat, lib. ix, 46.
Abſtinentes vino & animalibus exulantes, lib. xii, 92. & 93.
Abundantia contumelioſa in ſemetipſa eſt, lib. xi, 94. T. & 96. ex abundanti, lib. ii, 555.
Abyſſus quid, lib. vi, 139.
Acerbi caſus, lib. ii, 668.
Acerra, lib. ii, 358.
Achilles ferarum medullis educatus, ſed vt virgo, lib. i, 113.
Achilles naturam inuertit, lib. i, 147. ferarum medullis educatus, ibid. rupicem habuit magiſtrum, lib. i, 148. ſcrupea ſchola eruditus, lib. i, 149.
Acie figere, lib. i, 193.
Acta liber erat, in quo ſcribebatur victorum cauſa, lib. xv, 25.
Accuſatio peccati proprij eiuſdem eſt excuſatio, lib. v, 139.
Aconitum, lib. i, 67.
Acus comatoriæ, ſeu diſcriminalis vſus, & varia nomina, lib. v, 158.
Acus laſciuior, aut crinalis, lib. xvi, 197. & 198.
Acutis pugnare, lib. i, 249.

Adamus.

Adamus præreptam potitur ſapientiam, lib. i, 72. T. Scientia boni fruebatur, ſcientiam mali acquiſiuit ex vetito cibo, ibid. 73. pellitus orbi vt metallo, & fodinis datur, ibid. 72. T. & 73. Princeps generis humani in ſe auſpicatus delicta, lib. v, 8. T. eius dos aut iuſtitia originalis aut vita, aut terra aut pelliceus amictus, lib. v, 16. pœnitentiam egit, lib. v, 175. nondum maritus peccauit, quo ſenſu? lib. viii, 90. T. & 105. per duplicem impatientiam peccauit, ibid. 91. T. ſi non peccaret, nec Deus homo fieret, lib. x, 61. Adam & Eua vbi de arbore agnitionis guſtauerunt, nihil primum ſenſerunt, quàm erubeſcendum, lib. xvi, 164. T. & 173. Adæ coſta virgo fuit, lib. xvi, 101. T. 143. & 144.
Addico verbum fori, lib. ii, 794. verbum venditorum, lib. v. 76. addictus eſt ſeruus, aut captiuus, lib ii, 450.
Adgreſſus pro aggreſſus, lib. ix, 41.
Aduro pro exorcizo, lib. ii, 836.
Admonitio & exhortatio legatum aut prælegatum eſt, lib. xiii, 2. T. & fideicommiſſum, ibid. 3. T.
Adolationes pro adulationes, lib. ii, 756.
Adoptatio, lib. ii, 363.
Adorare pro orare, lib. vi, 3. T. & 17.
Adorare quid, lib. x, 98 & 99.
Adſello quid ſit, lib. ii, 496.
Adſeſſores, lib. iv, 40.
Adſtruo, lib. ii, 116.
Adulatorum mores, lib. ii, 825.
Adulantes Imperatoribus clamabant, *De noſtris annis tibi Iuppiter augeat annos:* ſed alia mens præcordiis latebat, lib. ii, 853. T. Eorum natalitia feſto apparatu celebrantes, alium Principem inaugurabant mente, lib. ii, 857. T.
Adulteria in templis, lib. ii, 496.
Adulterium prohibere perfectum opus eſt, lib. ii, 1009.
Adulterium fornicatio ſimplex appellatur, lib. x, 21.
Aduentus Chriſti primus expunctus in humilitate; ſecundus in ſublimitate diuinitatis exertæ, lib. ii, 619. T.
Adumbrare ad ſtadium refertur, lib. ix, 418.
Aduocatio mercenaria, lib. ii, 31. T. & 32.
Aduocati qui, lib. iv, 39.
Aduocatio pro riſu, lib. viii, 205.
Aër conſtupratus vocibus ſceleſtis, lib. ix, 393. T.
Ædifex, artifex, lib. x, 203.
Ægros viſitare, lib. xiv, 89
Ægyptiis permiſſa ſuperſtitio, lib. ii, 715. T.
Ægyptiorum varij Dij, lib. ii, 722.
Ægrotus neſcit de ſanitate tacere, lib. viii, 5. T.
Æmula operatio, lib. ii, 75.
Æneator quis lib. xv, 202.
Æquabilis, lib. ii, 984.
Æquanimitas pro patientia, lib. viii, 51.
Æra corybantia, lib. ii, 746.
Ærarium Saturno ſacrum, lib. ii, 388.
Æſopus hiſtrio ſexcentis millibus patinam vnam è vocalibus, & canoris auibus confecit. Item eius filius margaritam aceto dilutam hauſit, lib. i, 229. T. & 230.

Æſculapius.

Æſculapius Carthaginis Deus, lib. i, 17. auaritiæ merito fulmine ictus, lib. ii, 467. T. traijcitur, ibid. 474. medicinarum demonſtrator, ibid. 704. Æſculapio gallinaceus proſecatur, lib. ii, 1013. T. Æſculapio Gallus, ibid. 1024. dormientes ſanat, lib. iii, 25. Æſculapij templum, li. x, 324. primus medelas exploratit, lib. xv, 148. T.

Æstiua suspendunt, abstinentque ab imbribus, lib.ii, 974.
Æstuat carcer, lib. ii, 1003.
Æthiopes ad viles vsus destinant aurum, lib. xi, 97. & 98.
Affectus calor est, lib. i, 120. T. item febricula, ibid. 121.
Affectatio, lib. ii, 935.
Affectatio quid? lib. vii, 82. 83. & 84.
Afflare, inflare, sufflare in dæmones, lib. ii, 711.
Afflare, imprimere, & allinere vitia, lib. viii. 105.
Afri liberos mactabant, lib. ii, 337.
Agape quid? lib. ii, 920. T. ad iuuandos pauperes, ibid. cœna Christianorum, ibid. 942. erogatur martyribus, lib. vii, 25. T. pro eleemosyna, ibid. 36.
Ager vectigalis, lib. ii, 451.
Agonothetes, lib. vii, 47. T. & 48. & 57. de eius habitu, ibid. potest vocari numerarius, ibid.
Agonis seu Xysti origo, lib. ix, 175.
Agonistica scena, id est histriones, libi x, 260.
Alaparum contumeliæ, lib. ix, 252. & 253.
Alba superûm sunt, lib. i, 209.
Albarius, lib. x, 118.
Albiniani, siue Albini, Nigri, Cassij, lib. iv, 13.
Alexander sola sua gloria minor, lib. i, 120. T. & 121. eius armatura, ibid. 120. T. sublimis, lib. ii, 411.
Alipilus, alipidarius, lib. i, 140.
Aliquando pro quandoque, lib. viii, 234.
Aliqui pro aliquis, lib. ii, 336. & 598.
Aliquis in laude ponitur, lib. ii, 431.
Aliqua Carthaginis conditrix, lib. ii, 1091. Aliquis homo, ibid.
Aliqui pro aliquis, lib. ix, 8.
Alloquor verbum est consolationis, lib. vii, 12.
Altaria temeraria, lib. ii, 754.
Altinæ, aut Altinates oues, lib. i, 99.
Amazones ante Vestales, lib. ii, 763.
Ambiguitas dæmonum, lib. ii, 675. 676.
Ambitioni datur impudentia, prostitutio auaritiæ, lib. v, 162.
Ambitum pro ambitus, lib. ii, 761.
Amen, lib. ix, 384.
Amentiæ fœdæ dæmonum, lib. ii, 670.
Amicos de Mammona fabricare, lib. viii, 131.
Amicos fabricare, ibid. 131. T. & 136.
Amissio solemnis vox mortuorum, lib. viii, 159.
Amor Christianorum mutuus reprehensus à Gentilibus, lib. ii, 915. T.
Amoris vis delicta non videt, lib. viii, 190.
Anacharsis regno Scythiæ philosophiam præuertit, lib. i, 217. T. & 232. & lib. ii, 25.
Anaxarchus tunditur pilo ptisanæ, lib. ii, 1078. T. & 1092.
Anaximander plures commentus est mundos, lib. i, 25.
Ancaria Dea, lib. ii. 727.
Andriantes, lib. ii, 1095.
Annibal cædes Romanorum modio metiebatur, lib. ii, 958. T.
Anfractus à flexu dicitur in spectaculis, lib. ix, 51.

Angelus.

Angelus ales est, lib. ii, 661. T.
Angelus non desiderat esse Archangelus, sicut nec digitus desiderat esse oculus, lib. 6. 28. Angelorum circumstantia s. corona, ibid. 39. Angelorum peccatum fuit impatientia, qua hominem ipsis prælatũ ægrè tulerunt, lib. viii, 75. T. & 76. eorum peccatum inuidia fuit summæ felicitatis hominum, lib. ix, 36. Angelos adamasse filias hominum, lib. xi, 30. & 31. & 32. corporeos esse qui senserint, qui spiritus, ibid. à Deo excidisse ob concupiscentiam fœminarum, lib. xvi, 104. T. filias hominum, id est virgines duxisse vxores. maritos non adulteros, ibid. 106. T.
Animantia pro veste formam mutant, lib. i, 68. T. aliorum animantium esu medicantur se, ibid. 88.
Animalia vsibus nostris data, lib. viii, 63.

Anima.

Anima noua, lib. ii, 291. Anima licet institutionibus prauis circumscripta, licet concupiscentiis euigorata, licet Diis ancillata, vnum Deum agnoscit; & quasi naturaliter est Christiana, lib. ii, 559. T. Capitolium non respicit, sed cælum, ibid. 570. Animarum transmutatio in aliena corpora, lib. ii, 1056. Animam corporalem qui senserint, ibid. 1058. Animam alij diuinam, & æternam, alij dissolubilem contendunt, lib. ii, 1036. T. Animarum reciprocatio in corpora ex sententia Pythagoræ, lib. ii, 1049. T. Anima facit hominem animal sensus & scientiæ capacissimum, lib. iii, 6. T. Anima non Christiana, ibid. 8. T. nullis scholis formata, nullis bibliothecis exercitata, ructans sapientiam, ibid. Anima simplex, rudis, impolita, idiotica, ibid. post mortem alium statum sortietur vel ad pœnam, vel ad refrigerium, lib. iii, 33. T. & 34. manet post vitæ exitum, ibid. 39. est discipula naturæ, ibid. 55. T. ex maiestate naturæ censetur auctoritas animę, ibid. Animam vocat Auctor in prędagijs vatem, in omnibus augurem, in euentibus prospicem, lib. iii, 55. T. Animę impetus doctrina est naturę, lib. iii, 57. T. Anima prior quàm littera, ibid. 62. Anima nobis omnia, ibid. 64. T. de cęlo cadit, ibid. Animæ Christianorum auctoratæ ad pugnas, lib. iv, 1. T. Animus habenas habet corporis: totum hominem circumfert, lib. vii, 44. Animæ multiplex morbi genus, lib. viii, 16. Anima quia ignis credebatur à Gentilibus, si in aquis mori contigisset, extingui putabatur, secus si in aëre, lib. viii, 170. Animus rector, petita allegoria à re nautica: ventus est spiritus: vita mare, &c. ibid. 244. & 245. Anima non est insita corpori, vt sit iniquitatum cogitatorium, lib. ix, 23. T. Anima imago Dei: corpus opus Dei, ibid. 34. insita corpori, ibid. 35. Animæ viles, lib. ix, 321. & 326. Animus firmus est, ex se crescit, lib. xiii, 46.
Antecæna, lib. i, 252.
Antecessores quinam sint? lib. xvi, 35. 36.
Antelij dij, lib. x, 258.
Antichristi aduentus, lib. ii, 830.
Antichristi tempus, lib. iv, 14.
Antiæ, lib. i, 161.
Antinous cinædus diuinitate donatus, lib. ii, 441. T.
Antinous Adriani, ibid. 462.
Antinous infelix, lib. xv, 257.
Antistites, lib. ii, 15.
Antisto, lib. ii, 803.
Anthropomorphitæ, ibid. 546.
Antonij vinolentia, lib. i, 261.
Antrum Iouis, lib. ii, 745.
Annotatio, & registratio idem, lib. ii, 450.
Annus pro annona, lib. ii, 962.
Annulus pronubus, lib. ii, 194.
Annulus dabatur sponsæ, lib. x, 268. Annulus ferreus, lib. xi. 74. Annulorum multitudo, & pretiositas, ibid. 133.
Anubis mœchus, lib. ii, 485.

Apaturia, lib.ii, 939.
Apex quid? lib.ii, 497. ex aperto, ibid. 584.
Apicij, lib.i, 260.
Apicius, lib.ii, 105.
Apion, lib.ii, 600.
Apio coronabantur, lib.xv, 136.
Apologia Tertulliani retorquet crimen in aduersarios, lib.ii, 106.T.
Apollinares ludi, lib.ix, 90.
Apollo Admeto Regi seruiuit, lib.ii, 467.T. pascit pecus, ibid. 474. Apollo Thyrreus præest foribus, lib. x, 257. Apollo telorum Deus, lib.xv, 209.T.217.
Apostatæ à Martyribus libellum reconciliationis accipiebant, lib.vii, 5.
Apotheosis, & consecratio, lib. ii, 850.
Apulia vel apluuia in theatro quid? lib.ix, 304.
Aqua spiritum extorquere, lib.ii, 342.
Aqua manualis, ibid. 947.
Aquarioli, ibid. 998.
Aquatilis sequela, lib.viii, 100.T.& 110.
Aquilicia Iouis, lib.ii, 975.
Ara pro triumpho vsurpatur, lib.i, 21.
Arabia thus fert, lib.ii, 813.
Aracdne telarum inuentrix, fortè aranearum, lib.i, 98.
Arbores ad fores templorum, lib.ii, 335.
Arca publica, vbi eleemosynæ, lib.ii, 913.T.
Archemorus misellus, lib.xv, 257.
Archigallus, lib.ii, 741.
Archiua, ibid. 598.
Areæ Christianorum sepultura, lib.vi, 22.
Aræ sunt mortuorum, lib.ii, 453.
Arenarius numerorum, lib.i, 267.
Arenarios, lib. ix. 325.
Argilla vnde fiunt numina, lib.ii, 420.
Ariadnæ sertum, lib.xv, 134.
Arietis bellici origo, lib.i, 7. T. quem alium laberium descripserit, ibid. 7.T.
Arioli vnde dicti, lib.ii, 703. & 999.
Aristarchus, lib.ii, 104.
Aristides iustus, lib. ii, 410.
Armarium quid? lib. xi, 53.
Arma auro, & gemmis insignita, lib.xi, 101. armis induta procedat, lib.xii, 109.T.
Arma de Apostolo, lib. xv, 31.
Armea, lib.i, 205.
Armillæ, lib.i, 205.
Arrius Antoninus, lib.iv, 53.
Ars idololatriæ caput, lib.x, 28.T.
Artifex erroris fit hanas, lib.iii, 30. Ex arte, lib.ii, 118.
Arundo Gentiles, lib.viii, 43.
Aruspex mortuorum, lib.ii, 459.
Ascensio Christi Domini, lib.xvi, 15.
Ascia fabricandis Diis, lib. ii, 423.
Asdrubalis vxor vnà cum filius se dat incendio, lib.vii, 76.
Asia lautissima, lib.i, 143.
Asiæ & Africæ terram Athlantico mare ereptam, lib. ii, 955.T.
Asinius magno pretio mensam è citro emit, lib.i, 225.T.
Asinius Celer mulli vnius obsonio innumeram pecuniæ vim abliguriuit, lib.i, 229.T.& 256.& 257.
Asininum caput Christianorum Deus putabatur: & vnde origo huius existimationis, lib.ii, 501. T.
Asinini Dei falsa opinio imputata Christianis, ib. 513. 514.
Assæ dictæ nutrices, & obstetrices quod assint, lib.ix, 75.
Assignare idem quod obsignare, seu absoluere, lib.vi, 125.& 126.
Assistentes vocat Hippocrates qui ægrum curant, lib. viii, 17.
Astartes Dea Assyriorum, quæ Venus, lib.ii, 724.
Astra quid valeant, lib.ii, 28.
Astrologiam damnat, lib.ii, 859. aruspicinam, auguratum, magiam, ibid.
Astrologi, lib.ii, 879.
Astrologia iudiciaria damnata, lib.x, 125.T. 126.T. & 127.T. ab Angelis desertoribus inuenta, ibid. 127.T.& 128.T. Debacchatur in Magicam, & Astrologicam artem, ibid. & infrà.
Astrologia curiositas vocatur, lib. x, 140. Astrologi pulsi Italia, ibid. 141. Astrologiæ societas cum Magia, ibid. 142.
Atellanus gesticulator, lib.ix, 247.
Athleta strictiori disciplina robur ædificat, lib.vii, 49. T. continetur à luxuria, à cibo lautiori, & potu iucundiore, ibid. arida eorum saginatio, ibid. 50.& 51. & 63.64.& 65.
Atomorum sententia ex Basilio, lib.iii, 12.
Atquin, lib.ii, 57.
Atquin pro atqui, lib.v, 98.
Atrocitas ludi gladiatorij, lib.ii, 909.
Attica meretrix, lib. ii, 1094.
Attonitum idem quid, lib.ix, 372.
Atys castratus, lib.ii, 493.
Auari auro incubant, lib.v, 131.
Audientes qui essent, lib.v, 87.& 88.
Auscultare pro obedire, lib.viii, 67.
Audiendi nocentes, lib.ii, 129.& 130.
Aufidius lurco primus corpora pecudum fartura vitiauit, lib.i, 229.T.230.& 256.
Augustus Imperij formator, lib.ii, 846. Ne Dominus quidem, 847.
Aula pro palatio, lib.iii, 69.
Aulæum in theatro, lib.ii, 1065.
Aulici qui in ministerio aulæ sunt, & Palatini, lib.xv, 230.
Aures forare, lib.i, 152.
Aures rigantur diuino eloquio, lib.v, 53.T.
Aures perforare prohibetur, lib.xii, 101.
Aurium fungos, lib.ix. 359.
Aurigarum colores, lib.ix, 138.T.

Aurum.

Aurum terra gloriosior, metalli refugum, lib.xi, 62.T 72. ferrum ad plures, & necessariores vsus quàm aurum, ibid. 64.T.& 66. ferrum & es consanguinei sunt auri & argenti, ibid. 66.T.& 76. aurum, & argentum materię principes, lib.xi. 62.T. in obscuris nascitur, ibid. 68. aurum, & argentum è terra, ibid. 62.T. ex aqua, ibid. 68. Supplicia quibus castigatur, cùm depuratur, lib.xi, 71. aurum materiam dabat trullis & vomitoriis, ibid. 75. auro vinciuntur rei in ergastulis, lib.xi, 94.T.& 97.& 98. ad viles vsus deputatur aurum apud Æthiopas, ibid. Parthi solum ad arma adhibebant aurum, ibid. 101.
Auctoramentum ventris in parasitis, lib.ii, 944.
Auctorati, lib.iv, 4.
Auctoratio quid? lib.vii, 87.
Auctorati in bonam partem, lib.xv, 44.
Auctores nomen dant sectatoribus, lib. ii, 85.T.
Auxilium diuinum vocat Auctor substantiam voluntatis diuinę, lib.vi, 44.

B.

BAbylonij texendi aureo filo peritissimi, lib. xi, 19.
Bacchus idem qui Sabus aut Sabazius, lib.ii, 216. Bacchus inuentor vitis, ibid. 398. Bacchus & Venus, lib. ix, 170. Bacchus triumphorum Deus, lib. xv, 209.T. Bacchanalia, lib. ii, 205.
Bacchanalia celebrantes nec mortuis parcunt Christianis, lib. ii, 884. Bacchanalia, ibid. 892.

Baiulare togam, lib.i, 236.
Baiulos, lecticarios, gerulos, sellarios, cathedralitios possis dicere, lib. xiii, 54.
Balneorum principium, lib.ii, 974. Balneorum cellæ tres, ibid. 991. Balneum intra fines Ecclesiæ quondam, lib. v, 160. Balnearum ambitio, lib. xvi, 203.
Balthei in spectaculis, lib.ix,50.
Bancus cur pro scamno vsurpetur, lib.vi,159.

Baptismus.

Baptismus compingit nos Deo, lib. v, 47. Baptismus non abolet peccata, nisi pœniteant adulti, lib.v,61. Symbolum mortis, ibid. 60. T. Baptismus fides pœnitentiæ, ibid. 61. Obsignatio est fidei, lib. v, 62. T. Metus baptismus est, ibid. Restingit gehennæ flammas; trino pastu fontis in adoptionem Trinitatis effundimur, lib.v,82. Thesaurus est Dei, & alia pulchra elogia, ibid. 85. & 86. Baptismo vt diuino sigillo obsignamur, ibid.89. Ignorantiæ ianua, ibid. 100. T. in Baptismo titulatur frons, ibid. 107. Baptismus etiam est martyrium, lib. viii,251. & 261. Baptismus signaculum, lib. ix, 52. T. & 56. regenerationis sacrarium, ibid.57. Signaculum, lib. ix, 366. Baptismatis celebrandi ritus, lib. xv, 51. T. Lactis & mellis concordia gustatur, ibid. 59. & 60. Baptismum præcedebat renuntiatio sub Antistitis manu, lib. xv, 55. Diaboli abrenuntiatio crebro versetur in ore Christiani hominis, quæ ter fiebat in Baptismo, ibid. 56. ter mergitantur apud Græcos, semel apud Latinos, ibid. 57. Baptizati susciptuntur sicut regeneratus, sicut ægrotus, lib.xv,58. Lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinebant recens baptizati, ibid. 6. Baptizati coronabantur, li.xv, 21. Baptisterium mater adoptionis dicitur, ibid. 55.
Barba rutila Domitij, lib.ii, 682.
Barbæ ornatus, & forma, lib. xii,75. T. & 76. & 78. & 79.
Barbaria Græciæ, lib.xvi,25. T. & 31.
Barbaries quid? lib.xvi, 269.
Basiliscus olfactu & visu necat, lib.xvi, 82.
Baxea, lib.i,188. & 189.
Beatitudo præda est, lib. ii, 1076. T.
Beatitudines in vna patientia continentur omnes, lib. viii, 204. &c.
Balenus Noricorum Deus, lib.ii,725.
Bellaria & cupediæ mortuorum, lib.iii,44.
Bellonæ sacerdotes furua induti veste in montes fugabantur, lib.i,127. T. & 129. Bellonæ sacra lib. i, 212. & 350.
Belus Iouis nomine significatur, lib.i,62. Belus dictus Saturnus, lib. ii, 383.
Bene, lib.ii,269. & 971.
Benedictio est, maledictio custoditæ disciplinæ, lib.x, 224. T.
Beneficium mortis, lib.iii, 41.
Beneficium qui commendat, exprobrat, lib.v,114.
Benignitatis, & bonitatis diuinæ benedictio summum est sacramentum, lib.iii,15. T. & 16.
Berosus, lib. ii, 599.
Bestiæ in Christianos, lib. ii, 820.
Bestiæ saginantur mortuis, lib.ii, 1004.
Bestiariorum schola, lib.ii, 869.
Bestiarij qui, ibid 341, & 993.
Biblia sacra instrumentum hominis, vt pictoris penicillus, lib.xv,54.
Biformia animalia Deorum, lib.ii,550.
Bigamia taxatur, lib.xiii, 90. Secundæ nuptiæ honestum adulterium cur dicantur, ibid. Bigamus non sinitur præsidere, ibid.91.
Bigæ institutæ sunt in honorem Lunæ, lib.ix, 137.
Blactit, non blattit, lib.i, 40.
Blasphemi alapa percutiendi, lib.xiii, 107.
Boia quid sit, lib.vii, 89.
Bombycis mirum ingenium, & opus, lib.i,76. T.
Bonum non est quod mali comparatio commendat, lib.xiii, 28. T. & 35.
Bonorum laus vt de illis improbi conquerantur, lib. ii,996. T.
Bos reprobus & mori optans qui, lib.ii, 799. T.
Botronatus ornamentum capitis, lib.xii, 167.
Botuli lib.ii, 356.
Botuli pleni sanguine Christianis oblati, lib.ii, 325. & 326.
Brachiis diffusus sanguis, lib.ii,546.
Brachmanæ, lib. ii, 990.
Bractea, lib.x, 116.
Brauium, lib. vii, 47. T.
Britannicum mare margaritorum ferax, lib.xi,88.
Britonum stigmata, lib.xvi, 156.
Bruma, lib.x,175.
Byssi marini lana non inferior serico, lib.i,103.
Byssus sanctitatis, lib.xii, 136.

C.

CAcabulus Saturni vas spurcitiarum, lib.ii,445.
Cactum quid? lib.i,67.
Cadauer lauatur, lib.ii,992.
Caduca aqua, semen, &c. lib.ix,142.
Cæcilius Capella, lib.iv,28.
Cæcitatis species duæ, lib.ii,328. T.
Cædo de legibus, lib. ii, 122.
Cælator, lib.x, 34. & 35.
Cælestis Dea, quæ & Iuno, lib.ii,726.
Cæli mutatio alternante rerum vicissitudine, lib.i, 27. Cæli & terræ filius Saturnus, lib. ii,389. Cælo lapsi qui dicerentur, ibid. 390. Cælum debellari, captiuum trahi, lib. ii, 796. T. Cælum & ara fidei opponuntur, lib.ii, 720. Cælum pro aëre frigido, lib.vii, 56. Cælum coronatum stellis, lib.xv, 258. Cælum municipium est nostrum, ibid.252.
Cæsares dicti Imperatores, lib.ii,719.
Cæsar magis obseruatus quàm ipse Iuppiter, lib. ii, 789. T. de Cæsaris nutu constant templa, de metallis simulacra Deorum, ibid. 392. Cæsares sæculo necessarij, quomodo Christiani esse non possunt, lib.ii,624 T.
Cæsionum cateruæ, lib.ii, 950.
Cæstuum vestigia, lib.i,168. Cęstuus, lib.ix,358.
Cæstus iniuria, lib.ix,269.
Cæsus inter cutem, lib.i,167.
Chaldæ qui? lib.x,149.
Chamæleon graphicè depingitur, lib.ii,70. T. & 90. omnes assumit colores præter candidum, ibid.91.
Charæ cognationis honoraria, lib.x,176.
Charitas summum fidei sacramentum Christiani nominis thesaurus, lib.viii,226. T. & 238. eruditur magisterio patientiæ, ibid.226. In quàm multis cum patientia conueniat, ibid. 227. T. 228. & 229. T. non inflatur, non proteruit, lib.viii, 240. Non sua requirit, sed offert sua, ibid. 241. Charitas sine patientia non durat, lib.viii,292.
Cain peccatum ex impatientia, lib.viii,107.
Caius Seius & Caia Seia, lib ii, 90.
Calendæ Ianuariæ quàm celebres, lib.x, 231.
Calendarium liber est pecuniæ fœnebris, lib.xi,132.
Caligata militia, lib. x, 311.
Caliga calceamenti genus, ibid.
Calliblepharum medicamentum est venustandis oculis, lib.xii 106.
Callositas quid? lib. iii, 60.
Calumnia in Christianos dissipata, lib.ii,963.
Calceus effeminatus qui totum tegit pedem, lib.i, 219, T. & 220. Calcei togatorum cur immundi,

ibid.220. Calceus velabat crurum partem, lib. i, 207. Calcei, vnci, vncipedes, vncinati, repandi, ibid. 237. Calceo, pro tego, lib. iii, 26. Calceus multiformis, lib. xvi, 202.
Calceamenta gemmata & aurea, lib. xi, 102. & 103. quin etiam soleæ iumentorum, ibid. 98. Calceamentum dextri pedis expuebatur, lib. xv, 76.
Calculones, lib. i, 267.
Caliendrum, lib. i, 201.
Camera theatri porticus, lib. ix, 303.
Campestre, lib. ii, 956.
Campus, lib. i, 243.
Candelabra & lucernæ, lib. ii, 300.
Candidatorum ærumnas pulchrè describit, lib. v, 155. T. & 161. Decrescunt, ibid. 162. Candidati olim baptizandi, lib. vi, 40. Candidati erant vel ambientes magistratus, vel milites scrutarij Principum protectores, lib. x, 298.
Canes euersores luminum, lenones tenebrarum, & libidinum, lib. ii, 217. T. & 241. 242. & 243.
Canina æquanimitas, lib. viii, 22.
Cantabra, lib. ii, 529.
Cantus probat quantum quis biberit, lib. ii, 920. T.
Cancellus, lib. i, 244.
Capillum frangere, lib. i, 142.
Capilli non odorantur, lib. ii, 987. T. Capilli ornantur, lib. xi, 61. Capillos irrufare feminarum cura, lib. xii, 50. T. 52. T. 54 & 55.
Capillamenti ornandi varij modi, lib. xii. 61. T. & 65. 66. & 67. Quid propriè sit capillamentum, ibid. 69. Capillum vertere, lib. xvi, 196.
Capillata arbor est, lib. xii, 69.
Capit neutraliter accipe, lib. xi, 26.
Capit pro debet, lib. ix, 43. Non capit, lib. ii, 566.
Capitolium, lib. ii, 747. Cœli ciuitas, ibid. 753. Vertex ciuitatis, ibid. 15. Deorum Curia, lib. ii, 208. Omnium Dæmonum templum, lib. ix. 191. T.
Capitulum diis offerebatur, lib. ii, 465.
Capra Amalthea nutrix Iouis, lib. ii, 734. & 746.
Capræ & mensæ diuinant, lib. ii, 698.
Capsarij in balneis qui, lib. x, 62.
Caput pro homine, lib. ii, 451.
Caput nudum in oratione, lib. ii, 806. Velato capite orabant Gentiles, ibid. Caput pro indiuiduo, lib. xij, 58.
Carcer æstuat, lib. ii, 1000. T.
Carcer est Christiano quod Prophetis eremus, lib. vii, 25. T. in carcere vacat à persecutione Martyr, ibid. Secessus est, ibid. 27. T. Carceris commoda, lib. vii, 25. T. Carcer gradus coronæ, ibid. 31. carceris tenebræ, lib. vii, 31. & 33. carcer palæstra, ibid. 49. T. carcer domus Diaboli, lib. vii, 3. T. carceris caligo, lib. viii, 260.
Cardea Cardinis Dea, lib. x, 254.
Cardo pro limite vsurpatur; hinc anni cardo, lib. xii, 44.
Caro subiiciatur spiritui, quia iste fortis, illa infirma, lib. vii, 63. T. caro in persecutionibus præliatur, lib. viii, 250. T. murus spiritus, & virtutum Schola, ibid. 258. Baculus, quo firmamur, ibid. 260. caro infirma, lib. xiii, 46. carnem regit patientia, lib. viii, 281. T. & 282. carnalia non res Veneris, sed opponitur spiritualibus, lib. v, 27.
Carthago, cuius commentum muralis aries, obstupuit ad eius visum, lib. i, 7. T. sugillat pallium quondam suum, ibid. 6. T. Carthago perpetuò fuit Princeps Africæ vrbs, ibid. 8. in Carthaginis reædificatione obscœnum omen, lib. i, 20. Carthago decimanda præ Martyrum multitudine, lib. iv, 50. T. Carthaginenses Græcos mores æmulabantur, lib. i, 111. T.
Cassij, Nigri, Albini, lib. ii, 875.
Cassius Seuerus, lib. ii, 385.

Castitas.

Castitas Christianorum, vt qui solis vxoribus nascantur masculi, lib. ii, 105. T. Saluis oculis fœmina videnda, animo ad libidinem cœco, ibid. Castitas fœminæ Christianæ, ibid. 1080. Castitatis labes atrocior omni pœna, ibid. Castitas athletarum, lib. vii, 49. & 63. & 64. & 65. Castitas ne resignetur, lib. xi, 1. T. Castitas æditua est, & antistes, ibid. Incondita castitas, ibid. 4. T. Castitas suppellex, lib. xii, 126. T. Castitas si adsit, vacua erit pulchritudo, ibid. 27. T. Castitas & diuortium quomodo mereantur baptismum, lib. xiii, 32. Castitas præceptum nullum, lib. xiii, 39. Castimoniæ status, quies est sexus, ibid. 68. T. Castitas etiam seruabatur à fœminis gentilibus, lib. xiii, 70. T. Castitas gentilium gehennæ sacerdos est, ibid. 71. T. Viduitatis honos, ibid. 72. Castitatis votum viguit in principio nascentis Ecclesiæ, lib. xiii, 73. Castitas ad instrumentum æternitatis demonstrata est à Domino salutis Deo ad testimonium fidei, ibid. 82. T. & 86. Castitas difficilior in viris, quàm in fœminis, lib. xvi, 147. T. & 157. Castitatis gymnasium secretum est, lib. xvi, 230.
Castores, lib. ii, 679.
Castra, lib. ii, 890. Castra lucis, & tenebrarum, lib. x, 314.
Catacecaumene tota cineritia regio, lib. i, 54.
Catacliſtum vestis sic dicta à pressura, & ab arcula qua includebatur, lib. i, 81.
Cataclysmus obolitor, lib. xi, 53.
Cataphractes, lib. i, 178. & 181.
Catarthicum dare, lib. i, 261.
Catechesis vnde dicta, lib. xv, 203.
Catechumeni serui Dei vocantur, lib. ix, 2. Catechumeni accedentes ad fidem, & signo crucis muniti. lib. x, 366. Catechumenus multis nobilitatus nominibus, lib. v, 87. cur audiens dicatur, ibid. 88. cur competens, ibid. 73. & 74.
Cathedra pestium, lib. ix, 40. T.
Cathedra in spectaculis quid, ibid. 51.
Catilina cruore pacta sanxit, lib. ii, 348.
Cato iam senex Græcas literas didicit, & pallio Græco fauit, lib. i, 78. T. Cato vxorem amicis communicauit, lib. ii, 916. T. Cato Vticensis censor dicitur, lib. ii, 937.
Catulus est catechumenus indagãs venationem fidei, lib. v, 67.
Cauponarij Dij, lib. ii. 452.
Cauea pro theatro & amphitheatro, lib. ix, 438.
Cedo, vox gladiatoria, cedendo vincimus, lib. viii, 209.
Cellula instar paradisi, lib. vii, 41.
Cella meretricis locus, lib. ix, 252.
Censeo de Diis, lib. ii, 429.
Censorium lumen, lib. xvi, 242.
Censorium munus, ibid.
Censuales, lib. ii, 600.
Censura diuina, lib. ii, 411. T. & 928.
Census Cæsarum testis est Natiuitatis Dominicæ, lib. i, 66, census, lib. ii, 244.
Census pro censione seu Catalogo, lib. ii, 627.
Centum æra, aut centussis, idem, lib. ii, 183.
Centurionis virga vitis erat, lib. x, 314.
Cerauniæ gemmæ ignei coloris, lib. xi, 21.
Cerea imago, lib. ii, 677.
Cereales ludi, lib. ix, 91.
Ceres farrea, lib. ii, 519.

Cereris vitta redimita, lib. iii, 23.
Cereri Africanæ dicata viduitas, lib. xiii, 78.
Ceriti sunt Cereri initiati, lib. i, 210.
Ceroma, lib. i, 134.
Cerussæ elaborandæ artificium, lib. xiii, 73.
Certamen honor & corona sequitur, lib. vii, 65.
Ceruices ponere, lib. ii, 425.
Ceruus veneno pastus ætatis arbiter suæ, lib. i, 69. T. & 88. Ceruus langueſcit ad sanitatem, si intra trihorium bibat, lib. i, 88. Ceruus scit sibi dictamno medendum, lib. v, 165. T. & 169.
Chlamydem disperdere, lib. i, 124. T.
Chrestianus, & Chrestus, lib. ii, 101. Vnde sumatur 102.

Christus.

Christi nomen quando cœperit, lib. ii, 148. & 149. Christus Dominus ononychites depictus, id est, auribus asininis, altero pede vngulatus, librum gestans, & togatus, lib. ii, 511. T. Christus arbiter disciplinæ, magister, illuminator, atque deductor generis humani. Eius pater non erubescit in filij nomine, ibid. 614. T. Christi miracula enarrantur, lib. ii, 621. T.
Christo commentata diuinitas, vt res propria, lib. ii, 626. T. Christum non erubescimus, lib. ii, 632. Christus reformator humanæ vitæ, ibid. 636. Illuminator, 637. Deductor, 638. Noua natiuitate generatus, 640. Prolatus ex Deo, 642. Carnificem præuenit, 651. Resurrexit, 652. Eius diuinitas, 641. Conceptio, 644. Natiuitas. 645. Nutritio, 646. Excellentia supra hominem, atque infra hominem humilitas, 647. Crucifixio, 649. & 650. Christi nomen fugat dæmonas, lib. ii, 711. Christus non à suauitate, sed ab vnctione, lib. ii, 85. T. in nomine sui Auctoris Christiana secta oditur, ibid. 85. T. Christus spiritus Dei, sermo Dei, ratio Dei, lib. vi, 1. T. & 8. Dei sanctitas, Dei castitas, & alia Christi Domini elogia, ibid. 8. Quo sensu Dei sermo, & Dei ratio dicatur. Et quod discrimen inter Sermonem, & Verbum in Christo, lib. vi, 9. & 10. Impleuit legem & Prophetias: plenitudo est temporum, ibid. 14. Christus voluntas dicitur, & potestas Patris, lib. vi, 46. T. infirmitatem nostram in sua carne ostendit, ibid. 51. Diuina sapientia vocatur, ibid. 62. T. Christi corpus in pane censetur, lib. vi, 62. T. etiam extra sacramentum panis est, ibid. 65. vita nostra, ibid. 65. Solus sine delicto, fuit comes eius mater, 72. T. & 76. Christus epistates, lib. vii, 47. T. Christi Domini patientia, lib. viii, 31. T. & 32. T. & 33. T. præclarissima patientiæ exempla exhibuit in passione, ibid. 34. T. Saginatur voluptate patientiæ; fœdis vestitur, fœdioribus coronatur, lib. viii, 35. T. & 36. T. Ex eius patientia diuinitas cognoscenda, ibid. 37. T. Nomine vincit, lib. viii, 41. Christus contumelioſus sibi ob inactuositatem vsque ad trigesimum ætatis annum, ibid. 40. eius Natiuitas, ibid. 39. baptizatur à seruo, 41. Congreditur cum diabolo, & solis verbis repellit, lib. viii, 41. Agnus factus est, pro, homo factus est, ibid. 47. Saginatur ad mortem voluptate patientiæ, 35. T. 48. & 49. Christus Dominus fabri filius & quæstuarij, lib. ix, 434. Vultu & aspectu inglorius, lib. x, 290. T. Christus Dominus speciatim appellatur, non ita Pater, ibid. 302. post fauos fella gustauit, lib. xv, 265. T. & 273. Non prius Rex gloriæ, quàm Rex Iudæorum dictus, ibid. Christus flos, ibid. 283. eius cognomen Veritas, lib. xvi, 2. T. & 10. Christus caput viri, lib. xv. 261. T. facies fœminæ, ibid. 264. T.

Christiani.

Christiani olim nudis pedibus, lib. i, 236. peregrini sunt in hoc mundo; genus, sedem, spem, &c. in cœlis habent, lib. ii, 3. T. Innumeros esse Christianos conquerebantur Gentiles, ibid. 7. In eos inuehuntur Gentiles, quia eos ignorãt, quos si nossent, non impeterent, lib. ii, 9. T. Christiani peregrini dicti, ibid. 19. Christiani vt accusarentur, lib. ii, 55. & 56. Christiani dicebantur infanticidæ, & iniusti, ibid. 217. T. Christiani propinqui Iudaicæ Religioni, lib. ii, 501. T. Christianus si denotetur gloriatur, si accusatur non defendit, damnatus gratias agit, lib. ii, 13. T. accusatio votum est, & pœna felicitas, ibid. Christianis non permittebatur se defendere, ibid. 31. Christianum nomen emendationis est, lib. ii, 81. T. Christiani idolorum templa nec interdiu norunt, ibid. 482. T. Christianorum in dæmonas dominatio, lib. ii, 693. T. Christiana religio aliquando nouella, ibid. 610. T. Quasi sub vmbraculo antiquæ legis protegitur, lib. ii, 610. T. Christiani expellunt dæmonas, lib. ii, 701. 702. 705. & 707. Christiani continentes, lib. ii, 367. Christianis curæ erat salus Imperatoria, lib. ii. 802. patiuntur tormenta, 816. Christiani orare soliti pro Imperatoribus, lib. ii, 798. T. 823. & 824. T. Christiani ob nomen puniebantur, ibid. 33. T. Dicebantur sacrilegi, incestuosi, infanticidæ, &c. ibid. T. Torquentur vt negent, cæterùm rei vt confiteantur delicta, ibid. 41. T. Christiani fiunt, non nascuntur, lib. ii, 580. Christiani fieri solent, non nasci, lib. iii. 13. Christiani orabant pro Regibus, lib. ii, 826. Publici hostes, 860. Christiani monebantur sibi consulere; ibid. 768. Dæmonas pellunt, 769. Christiani non habebantur Romani, sed hostes Romanorum, lib. ii, 853. T. Christiani à Romano vulgo lapidibus oppetiti, incendio semiusti, ibid. 884. & 885. Christiani totum orbem implent, non conspirant in Cæsares, magis illis occidi licet, quàm occidere, lib. ii, 886. T. Erroris humani, non generis humani hostes, lib. ii, 890. T. Christianorum cadauera effodiebant Gentiles, ibid. 893. Christiani non habebantur Romani, lib. ii, 881. T. viui comburebantur, ibid. 867. Christianos contra leges suas Romani tormentis diuexabant, lib. ii, 43. Christianus existimabatur omnium scelerum reus, legum, Imperatorum, & totius naturæ inimicus, ibid. 46. T. Christianos omnium calamitatum causas existimabant Gentiles, lib. ii. 954. T. Christiani corpus de conscientia religionis, de disciplinæ vnitate, de spei fœdere, ib. 911. T. Vita proponitur, ibid. Christiani orant pro Imperatore, lib. ii, 926. auersantur spectacula, 907. Christianos in vnum cogi, 926. Christiani alebant egenos, 931. Sepeliebantur, 932. Dicti fratres, 933. Cœnabant ἀγάπας, 942. Christiani non infructuosi, lib. ii, 986. T. Christiana disciplina philosophia Gentibus videtur, lib. ii, 1011. T. Christianus vxore contentus, ibid. 1029. Saluis oculis fœminam videt, 1030. Christiana disciplina in quo similis sit Gentilicæ, lib. ii. 1071. T. Christiani plures efficiuntur quo magis metuuntur, ibid. 1080. T. Christiani ad gladium, lib. ii, 1097. Christiani plures fiunt quo plures patiuntur, ibid. 1099. Obstinati dicuntur, 1000. Christianus quisque notus virtute, lib. iv. 20. Christianorum laudes, ibid. 35. T. Christiana secta quanto premitur, tanto crescit, lib. iv. 54. Christiani quia membra vnius Ecclesiæ, congaudent, condolent, lib. v. 151. Christiani petant panem, Gentes sine Christo delitias, lib. vi, 63. T. Christiani vita diaria, item quotidiana, ibidem, 70.

Chriſtiani militia Dei ſumus, lib.vi, 143. Chriſtiani expeditum morti genus, lib.ix, 6. T. Chriſtiani ſancti olim appellabantur, lib.xiv, 6. & 25. Chriſtianis nocturnæ conuocationes erant in more, ibid. 35. & 36. Chriſtiani magiæ inſimulabantur, lib.xiv, 47. Chriſtianorum antelucani cætus. lib.xv, 64.
Chryſippi adſentator, lib.iii, 29.
Cibus Chriſtianorum panis, quem tantùm in Oratione Dominica exoratum volumus. lib. vi, 68. poſt petitionem cibi venia delictorum poſcenda, ibid. 77.
Cicadæ Athenienſium, lib. xvi, 154.
Cicatrices & vulnera formoſos reddunt Martyres, lib. vii, 86.
Cicero quingentis millibus nummûm orbem Citri emit, lib.i, 225. T.
Cincinni, lib.xii, 66. & 67. Cincinnator, ibid. 72.
Cinere & ſacco volutati, lib.ii, 976.
Cinerarium, lib.iii, 49.
Cinerarij vel ciniflores ab officio calamiſtri, lib.xiv, 79.
Cinguli arbitrio res erat poſita aut bona, aut mala, lib.i, 22. Cingulum gemmis, auróque decoratur, lib.xi, 100.
Circi inſania, lib.ii, 907.
Circi ſpectaculum à Circe Solis filia, lib.ix, 117. T.
Circe Circo dedit nomen, lib.ix, 117. T. vel à circuitu ſic dicitur, ibid. 125.
Circus duplex, alter Maximus, alter Flaminius; ille dicatus Soli, & cur? ibid. 123. colores equorum in Circo, ibid. 145. 146. & 147. præcipua Circi ornamenta, lib.ix, 118. & 119. Circo furor præſidet, ibid. 229. frequentiſſimus populus ad Circum, ibid. 230. mappa & vrna, ibid. 232. & 234.
Circenſes ludi, lib. ix, 100. apparatus deſcribitur, ibid.
Circulatoria quæ? lib.x, 134.
Circulator idem quod vernaculus, ibid. 147.
Circumducere vnde ortum vt decipere ſignificet, lib.v, 84.
Circumſcribo, pro, fallo, lib.ii, 671.
Circumſpector in bello, lib.ii, 807.
Cirri Germanorum, lib.xvi, 154. & 155.
Cispello, repello, lib.viii, 154.
Citreæ menſæ, lib.i, 250.
Clades quæ ante Chriſtum acciderunt, lib.ii, 966.
Clam vocare, lib.ii, 539.
Clamant peccata impiorum; clamant Sanctorum merita, lib.vi, 60.
Clariſſimæ, Senatoriæ mulieres, lib.iv, 43.
Claudia Veſtalis, lib.ii, 681.
Claudius Herminius quòd ſæuit in Chriſtianos, vermibus ebullit, lib.iv, 23. T.
Clauſis oculis, formula prouerbialis, lib.i, 42.
Clauſula orbis quæ? lib.ii, 829.
Clauus caligaris caligis militaribus ſuffigitur, lib.i, 84.
Clementia Dei libidinem facit humanæ temeritati, lib.v, 95. T. & 103.
Cleomachus poſt Olympiacos cæſtus effœminatus, & inſignis pathicus, lib.i, 118. T. Cleomachus pugil, ibid. 166. de maſculo fluxit in feminam, ibid.
Cleopatra, lib.vii, 64. T.
Climaterica quid? lib.x, 154.
Cloacinarum adyta, lib.i, 191.
Clueo quid? lib.i, 100.
Clypeus pro Sole, lib.ii, 531.
Coccinum, & Tyrium quid? lib.v, 157. Coccinata pallio Saturni, lib.iii, 24.
Cœno nihil abiectius. Item de cœno in cœlum, lib. ix, 381.
Cœna centenaria, lib.ii, 170. T. Cœnulæ Chriſtianorum, ibid. 918. T. 919. & 920. Cœnæ Romanorum & Græcorum quàm ſumptuoſæ, lib.ii, 918. T. Cœna pura quæ? lib.v, 133.
Cogitatio mortis quàm ſit amara, lib.iii, 50.
Cogitatorium iniquitatum, lib.ix, 23. T. familia cogitationum, ibid. 35.
Cognitor, id eſt Iudex, lib.ii, 382.
Cognoſco, vox Iudicis, ibid. 52.
Cognoſcere & ſcire virum, eſt coïre, lib.xv, 89.
Coitio, lib.ii, 924. 953.
Coïtus viri & fœminæ contumelia appellatur, lib. xiii, 48.
Colaphi ſemper contumelioſi, lib.ix, 436.
Collecta, lib.ii, 942.
Colligere in compendium, lib.ii, 381.
Collocare cauſam, lib.ii, 21.
Colores equorum in Circo, lib.ix, 146. & 147. & 148. & quibus diis dicati, ibid. Colores appellantur medicamenta, lib.xi, 38. Colorum adulterium, ibid. 110.
Coluber de muliere, lib.ii, 1055. Coluber excantatus, & effumigatus, lib.vii, 4. T. & 57. in ima ſua deliteſcit, ibid. 15.
Comam ſtruere, lib.i, 152. Coma in Græcis fracta, lib.ii, 527. Coma ambitu crinium capitis arcem contegat, lib.xvi, 109. T. puellæ tondebantur, pueri comam alebant, ibid. 110. & 111. honor eſt mulieri redundantia capillorum, ibid. 117. & 139. tondere comam ſolent fœminæ religioſæ, ibid. 118. Viro indecora eſt coma, ibid. 127.
Comburebantur viui Chriſtiani, lib.ii, 867.
Comica res, vilis, lib.ix, 262.
Comitiali morbo medetur ſanguis, lib.ii, 316. T. & 317. & 351.
Compactò vel compectò, lib.ii, 23.
Compertò, ibid.
Compes pro ſeruitute, lib.viii, 54.
Competentes qui? cur electi appellabantur? in baptiſteriis morabantur, lib.v, 73. & 74.
Commeatus, lib.ii, 831. & 1027. Commeatus quid? lib.v, 75.
Commingere, pro inire aliam, lib.ii, 361.
Commiſceri, lib.ii, 361.
Committi, componi, & comparari gladiatores, lib. vii, 18.
Commodus obſeſſus in Laureto, lib.ii, 876. mortuus, 877.
Communicare quid? lib.ix, 255.
Commune idem quod immundum, lib.viii, 151.
Conchæ poma ſunt maris, lib.xi, 81. T.
Conciliare carè, eſt magno emere, lib.xiv, 66.
Concionator temerarius, & impudens ni reſpondeant opera dictis, lib.viii, 1. T. & alia multa, 15. Concionatores magiſtri dicuntur, lib. xi, 40. Concionator factis ſuadeat quæ docet, lib.xii, 9. Concionatores Eccleſiæ circunciſio ſunt; caſtigando & caſtrando ſæculo nati, lib.xii, 85. T.
Concordia armat, lib.vii, 16.
Concubinæ vſus licitus. Erant vxores non dotatæ, lib.xiii, 22.
Conditionalis opera, lib.x, 203.
Conferre diſciplinam, lib.ii, 61.
Confeſſio delictum releuat, lib.v, 139.
Confeſſarius ſciat ſe circundatum infirmitate, lib.v, 151. Qua debeat benignitate pœnitentes excipere, ibid. 152.
Confeſſores ſunt Martyres deſignati, lib. vii, 9. & 20.
Confitentes peccata, lib.ii. 712.
Conficere venenum lacte. lib.ix, 398.

Confusio & contumelia, conuitium, &c. res Venerea, lib. xvi, 187.
Congiario populum Imperator afficiebat, donatiuo milites, lib. ii, 872.
Congreges, qui vnà degunt; oppositum, segreges, lib. v, 162.
Coniectator, lib. x, 150.
Coniux vocatur coniunctus, lib. xiii, 17.
Conscientia pro scientia, lib. ii, 4.
Consecraneus, lib. ii, 518.
Consilia calida & matura, lib. xvi, 23.
Consilij ara cur defossa, lib. ix, 81.
Consisto, lib. ii, 115.
Conso, verbum antiquum, lib. ix, 75.
Conspiratio in bonam partem sumitur, lib. viii, 18.
Constantinus Magnus an sacro fonte ablutus ad exitum vitæ, lib. v, 72.
Consuetudo temporis est natura Dei, lib. i, 3. Consuetudo etiam in ciuilibus pro lege suscipitur, lib. xv, 90.
Consualia Neptuno sacra, lib. ix, 75.
Consus, qui & Neptunus, ibid. Deus consilij, ibid. 77. & 79. cur eius ara sub terra, ibid. 81.
Contamino, pro, tracto, lib. ii, 565. Contamino, ad forum pertinet hoc verbum, lib. x, 101.
Contenebrare incesta, lib. ii, 54.
Contestor, lib. iii, 68.
Contifex, qui cum feris pugnat, lib. ii, 993.
Continentia virgo, lib. ii, 328. T. & 367. Continentia antistat virginitati. Virginitas ex gratia, continentia ex virtute, lib. xvi, 148. T.
Contractus necessitas, fraus, & tricæ, lib. x, 353.
Contrariis & æmulis substantiis omnia constant, lib. ii, 1053. T.
Contumax appellatur excommunicatus, lib. v, 49.
Contumelia à contemptu dicta, lib. xiii, 13.
Conueniri pro accusari, lib. ii, 377.
Conuersatio pro vitæ instituto, lib. x, 323. Conuersatio seueram disciplinam notat, lib. xvi, 16.
Conuiuia Christianorum olim exhibita, & ritus illorum, lib. ii, 920. T. disciplina cœnatur, ibid. Conuiuia constrepunt, lib. x, 235.
Coos, lib. ii, 967.
Copia ponitur pro hominibus copiosis, lib. xi, 77.
Corona non apta est naribus, lib. ii, 987. T. Corona non capiti imponebatur, ibid. 993. Corono, lib. ii, 1093. Corona è floribus corruptibilis, lib. vii, 66. Coronæ aureæ Sacerdotum Prouincialium, lib. x, 297. Corona in manu otiosa, lib. xv, 1. T. de manu claruit, ibid. 5. T. Coronarum vsus emendi coronas, lib. xv, 22. & dandi baptizatis, ibid. 21. Corona purpurea in passione, candida in cœlo, lib. xv, 32. Corona è floribus constructa non est imponenda capiti, sed admouenda naribus, lib. xv, 92. T. & deinceps, & 102. Coronarum origo à Pandora lib. xv, 120. T. Pandora, aut Saturnus, aut Iupiter, aut Priapus, aut Ariadne primò coronati, ibid. 120. T. & 121. T. Hercules populo coronatus, nunc oleastro, nunc apio: Apollo lauro. Liber qui & Osiris, hederâ. Isis spicis coronata, ibid. 125. T. Ex omnibus floribus, frondibus, herbis coronæ construebantur, ibid. 124. T. Coronabantur fores, aræ, sacerdotes, & hostiæ, lib. xv, 175. T. & 183. & 184. & 185. Corona lemniscis ornata, lib. xv, 226. & 227. inaurata lamnulis, lib. xv, 228. vnguentis delibuitur, ibid. 229. Coronati ordines publici, lib. xv, 244. Senatores coronati, ibid. Coronæ Hetruscæ, ibid. 246. & 247. Prouinciales coronæ aureæ, lib. xv, 249. & 250. Corona Christi ex spinis carnis nostræ, lib. xv, 264. T. Corona fœminarum formæ lena, ibid. 268.
Cor nostrum ager est: quomodò colendus, lib. i, 67.
Cordis duri descriptio, lib. v, 76.
de Corio ludere, lib. i, 92.
Corinthij cum Archia muniunt Syracusas, lib. i, 39. T.
Cornelius Tacitus mendaciorum loquacissimus, lib. ii, 501.
Cornuti, 238.
Cornuti calcei, lib. i, 238.
Corpus temporum, lib. ii, 760. corpus in modum Christi crucifixi, lib. x, 204. corpus facere quid? lib. xi, 43. corpus dos animæ est, lib. iii, 31. T. & 32. corpus quomodo tractandum, lib. vii, 67. corpus carcer corporis, lib. ii, 566. vasculum, tabernaculum, ibid. corpus pro congregatione, lib. ii, 923.
Correptio diuina diuinæ prædestinationis signum, lib. viii, 213. correptio, id est, Christiana, lib. xv, 18.
Corruptelæ dæmonum, lib. ii, 670.
Corymbium capillamentum est, lib. xii, 69.
Cosroïs simulachrum diuinum, lib. ii, 791.
Cothurni mendacem faciunt Christum, lib. ix, 340. T.
Crapula animæ, lib. ii, 568.
Crassus copiosus, ibid. 413.
Cratetis duplex pallium, lib. i, 240.
Cremabantur malefici, lib. iv, 47.
Crepida, lib. i, 190. crepida olim ærata, ibid. 120. T. crepidæ cretatæ, lib. i, 213. crepidarum forma, ibid. 214.
Crepidulum, lib. i. 200.
Crinem, & barbam vouere, lib. ii, 721. crines affigere in more fuit, lib. xii, 67. crines in fronte diuidere, lib. xvi, 199. crinis cirratus, ibid.
Crobyles Barbarorum, lib. xvi, 152. & 153.
Crocum capiti suo mulier Christiana ingerit vt in aram, lib. xii, 50. T.
Crucibus suffixi, lib. ii, 335.
Cruci etiam affiguntur Dij Gentium, lib. ii, 415. T. crucis formam refert Pallas, refert Ceres. Pars est crucis omne robur erecta statione defixum, crux intestina trophæorum, Sypara vexillorum & Cantabrorum stolæ, lib. ii, 505. T. crucis venerandæ encomia, lib. ii, 517. crucis stipes crux est, ibid. 518. cruces intestina trophæorum, lib. ii, 522. cruciolæ vocati Christiani, ibid. cruces patitur Regulus, lib. ii, 1078. T. crux dolorem abscindit, lib. vi, 51. in cruce Christus cithara est, cui commodulamur expansi in oratione, ibid. 110. crux excelsa, lib. vii, 69. crux ab angelis diaboli liberat, lib. x, 64. Ab ipsa cruce diabolus suspensus est inuisibiliter, ibid 65. crucio & cruciatus à cruce, lib. x, 203. crucis signaculo frons teritur ad vestitum, calceatum, & omnia ferè negotia, lib. xv, 52. T. & 76. & 77. & 78. & 79. & 80. crux celebratur, lib. xvi, 14.
Crudelitas Tyranni gloria est Martyris, lib. iv, 50. T.
Cubile lectus seu thorus est, lib. vii, 52. de cubiculo ad aciem, ibid.
Cultus eximius de stupro fœminas condemnat, lib. i, 126. T.
Cultus Dei in animo potissimum, lib. vi, 3. cultus & ornatus in quo differant, lib. xi, 58. T. & 59.
Cùm maximè, pro quam maximè, lib. ii, 153. & lib. v, 66. & lib. ix, 9.
Cùm, pro quoniam, lib. v, 149.
Curia, lib. i, 243.
Curiositas, lib. ii, 165. curiositas superstitiosa, lib. ii, 752. curiositas æui medij vox, lib. iii, 10.
Currus triumphalis, lib. ii, 842. currus dicatus Iunoni, lib. ix, 143. currus, tensæ, harmamaxæ, plenta, lib. ix, 108. curruum auctores, ibid. 136. T. & 137.
Cursus, lib. ix, 272.
Curtij, lib. iii, 51.
Custodia pro vincto, lib. ii, 1002.

Cybele paſtorem ſuſpirat, lib.ii,478. T. Cybele Atys amica, lib.ii,489 Cybelem latuit M.Aurelij mors, lib.ii, 731. T.
Cyclopes & Sirenes, lib.ii, 248.
Cylindrus gemma eſt, lib.xi,101.
Cymatia, lib. x, 120.
Cymbalum inſtrumentum eſt quo vſi perciti, lib.i, 123.
Cynophanes & Sciapodes, lib.ii,294.

D.

DAMNATI ad metalla, lib.ii, 932.
Dæmonum gens ab Angelis procreata, lib. ii, 658. ipſorum malitia à primordio auſpicata, ibid. 659. T. eorum acerrimæ vires, damna quæ in homines, ibid. Dæmon ales, momento vbique eſt, lib.ii, 661. T. eius velocitas diuinitas creditur, ibid. quomodò ſciat futura, ibid. ambiguitates temperat in euentus, lib.ii,661. miracula quomodò patrare videantur, ibid. quomodo benefici, ibid. dæmonum magia, lib.ii, 683. T. dæmones teſtes Chriſti, lib.ii, 627. dæmon Socratis, ibid. 657. T. dæmones fingunt valetudines, lib. ii, 667. miniſtri publici, ibid. velociſſimi, 673. eorum corruptelæ, lib. ii, 670. amentiæ, ibid. libidines, 671. pabula, 672. æmulantur diuinitatem, 674. & 675. dæmonum teſtimonia Chriſtianos facere conſueuerunt, literarum noſtrarum fidem accendunt, ſpei noſtræ fiduciam ædificant, lib.ii,693. T. dæmonum ludus, ibid. 696. operationes & præſtigiæ, ibid. immiſſiones ſomniorum, 697. dæmones arreptitij, 700. dæmon ob noſtrum diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus, aduerſus nos præliatur, lib. ii, 765. T. dæmon licet ſubditus ſit Chriſtianis, aliquando vt ſeruus conſpirat in Dominum, lib.ii,766. T. dæmones ſæuiunt in nos ſicut ſerui ex ergaſtulis & metallis erumpentes, ibid. 767. dæmonas eſſe ex abominatione, & execratione adſtruit, lib.iii, 27. T. dæmones reſpuuntur, lib.iv,18. & traduntur, 19. dæmon cur malus? lib.v, 50. dæmon poſt hominis pœnitentiam ſæuit maximè, accenditur dum extinguitur, lib.v, 98. & 99. peruicaciſſimus, ibid.106. obſidet vt ſerpens, ibid.107. dæmon fera, vipera, baſiliſcus, & ſcorpio, tortuoſus draco, lib.vii, 16. dæmonis operatio lata atque diffuſa, locuples ſubſtantia criminis, lib.viii, 208. malus pro dæmone, ibid. dæmon inimicus æmulus gloriæ Dei, lib. viii, 265. dæmon adulterandis vſibus diuinæ conditionis ſtudet, lib.ix, 18. T. interpolator, ibid.19. T. Deo cognito dæmonem inſpicimus, ibid.25. T. dæmon cùm non potuerit dominari in rebus, voluit dominari in prauis vſibus, lib.ix, 26. dæmones cur deſertores angeli, lib.x, 46. cur dicantur infames ſpiritus, ibid.49. dæmones filij putantur angelorum & fœminarum, lib.x, 128. auctores aſtrologiæ, ibid.139. dæmon magiſtratus eſt ſæculi huius, lib.x, 288. T. dæmones ad filias hominum de cœlo ruerunt, lib. xi, 23. T. primi effoſſores metallorum dæmones, herbarum ingenia traduxerunt, incantationum vires prouulgauerunt, ibid. & 31. & 36. dæmoni renũtiatum in lauacro, lib.xi, 44. dæmon interpolator naturæ, ibid.104. T. & 112. vſus rerum peſſimus etſi res bona, ibid.106. T. & 114. & 116. dæmonum eſuries, lib.xv, 145. dæmonis ingenia, ibid. 278. T. & 289. dæmon quotidie adiicit ad ingenia iniquitatis, lib.xvi, 4. T. dæmon aduerſarius bonorum, multo magis inſtitutorum, lib.xvi, 42. T. & 43. mucro inſtitutorum, ibid.50.
De, pro ab, lib.ii, 875.
Debitores ſecabantur in partes, & ſingulæ dabantur creditoribus, ibid.110. T.
Debitum delicti figura eſt, lib.vi, 73. T. peccatum cur debitum appelletur, ibid.78.
Decachinnor, lib. ii, 1046.
Decima pars eſculentorum erat Herculis, lib.ii,465.
Decimatio, lib.iv, 53.
Decinereſco, lib.ii, 1069.
Decumanus fluctus qualis, & vnde ſic dictus, lib.i, 47.
Dedititij, lib.i, 197.
Deducere, id eſt, extrahere, lib.ii,496.
Defeco, feco, ſacco percolo vinum, lib.v,10.
Defuncti ſecuri vocantur, lib.iii, 40. defunctorum animas humano ſanguine propitiari, lib.ix, 193. defunctis expiandis oblationes fiebant, lib.xv, 66. & 67.
Delibo, lib. ii, 345.
Delicti durior frons, lib.xvi, 29. T.
Delos, lib.ii, 967.
Delphinos, lib.ix, 127.
Dementire, lib. ii, 699.
Democritus cur ſe excæcauerit, lib.ii, 1017. T.
Denatium, lib.ii, 704.
Denique, pro itaque, lib.i, 95. & lib.viii, 57. & 67. & lib.xvi, 6.
De noſtris annis tibi Iuppiter augeat annos, lib. ii, 873.
Denoto, lib.ii, 105. denoto, pro infamo, lib.iii,2.
Dentes puluiſculo elimantur, lib.v, 159.
Depalo, lib.ii, 386.
Depalliari, lib.i, 145.
Depoſtulo, lib.ii, 874.
Deprecio, lib.ii, 1009.
Deprimere Hiſpanicè *brunir*, lib.i, 82.
Deſertores Angeli, lib.ii, 880.
Deſiderium honor eſt rei deſideratæ, lib.v, 64. T.
Deſignator, lib.ix, 165.
Deſperati cur dicerentur Chriſtiani, lib.ii, 1009.
Deſpuitur, verberatur Chriſtus Dominus, lib.viii, 50.
Detergeo, id eſt, lambo, lib.ii, 353.
Deteſtor, lib.iii, 68.
Detexere & auget rem & minuit, lib.x, 36.
Detractor excetra eſt, lib.viii, 123.
Detrahere Imperatoribus Romani ſolebant, lib.ii, 853. T.
Deus peccatorum cenſor, lib.i, 31. T. Deus bonorum ſummus, lib.ii, 119. Deus manceps diuinitatis, ibid. 393. T. Deus & notus hominibus & ignotus, lib.ii, 556. T. Deus eſt inuiſibilis, ibid.562. incomprehenſibilis, 563. inæſtimabilis, 564. contaminatur, 565. Deus prouidentia ſua ſe manifeſtat, lib.ii, 569. Deus molitus eſt mundum verbo, ratione, & virtute, ibid.616. T. & fatum, & Iouis anima à Zenone vocatur, ibid. Deus vnus magnus ſtipatus exercitu deorum, lib.ii, 714. T. Deus, & Iupiter opponuntur, lib.ii, 720. Deus pro Dea, ibid. 744. Deum facere, ibid. 850. Deus innocentiæ magiſter, & nocentiæ exactor, lib.ii, 959. T. Deus non præcipitat diſcretionem. Cur bona & mala mixtim bonis & malis diſpenſet, quaſi abſque diſcretione, lib.ii, 979. T. Deus timendus; homo colendus, lib.ii, 1010. Dei ira, lib.iii, 16. T. Deum vnum eſſe, teſtimonio animæ illum aduocantis euincit, ibid. Dominus Deus omnium, lib.iii, 19. Deo nemo officioſior, ibid. 20. O Deus, ibid. Deus benefacit, lib. iii, 20. Deum Gentiles colunt, nihil illi irarum dantes, ibid. 22. Deus vbique eſt, lib.iii, 69. Deum fixè intueri debemus, lib. iv, 3. Deus patronus Chriſtianorum, ibid. 26. Deum alij corporalem, alij incorporalem effecerunt; alij ex atomis, alij ex numeris, alij ex igne; alij rerum curantem, alij otioſum; alij extra mundum torquentem molem hanc, lib.ii, 1036. T.

Deum in se pœnitentiam dedicasse quo sensu, lib. v, 8. T. & 9. & 17. Deus largitionibus fouet homines, lib. v, 10. Deo seruit quod homini proficit, ibid. 12. T. iustitiæ præsidet, lib. v, 14. abstrusa in cordis latebris perspicit, secus homo, ibid. 22. T. Dei notitia perfecta est ignoratio, lib. v, 26. diuini intellectus perspicacia, ibid. 28. cuius non est præuaricator, lib. v, 29. Deus in oratione cur Pater appelletur, lib. vi, 29. & 31. nomen Patris olim ignotum Christus manifestauit mundo, ibid. 32. Deo qui summè bonus est quomodo bonum optare possumus, lib. vi, 34. T. Deo sanctificatio nostra benedictionis vice est, ibid. & 35. & 38. Audacia est Deum Patrem appellare, ibid. 37. perpetuò regnat, ibid. 57. Dei bonitas, lib. viii, 26. Dei patientia à primo delicto auspicata, ibid. 92. T. Breuibus eloquiis Deus explicari non potest, ibid. 102. Deus dissimulatione delictorum nos decipere videtur, lib. viii, 202. Deus ridet cùm spectat patientiam Iob, lib. viii, 266. Deus patientiæ sequester, ibid. 280. T. Dei est quod Deum offendit, lib. ix, 22. T. Deus exactor innocentiæ, ibid. 24. T. Deus præses & magister veritatis, lib. xii, 3. T.

Dextera Dei pascit, lib. vii, 40.

Dexteræ colluctatio in sponsis, lib. xvi, 177.

Diabolus præses & artifex tentationis, lib. vi, 83. T. & 86. dæmon propriè non tentat, sed diabolus, ibid. diaboli inuidia, lib. viii, 104. dæmon mali promptuarium, ibid. circumscriptor, ibid. 105. diaboli ingenium de malitia, x, 18. T.

Diaconi olim præsumebant præstantiorem locum presbyteris, lib. xv, 62.

Dialectica argumenta malè curiosa, dialecticorum tendiculæ, lib. ix, 27.

Diana flagellata, lib. ii, 478. T. & 487.

Dictata propriè à magistro sunt, lib. vii, 14.

Dicta si desint facta, erubescunt, lib. viii, 1. T. & 15.

Dido rogo se dedit, lib. ii, 1078. T. Didonis historia, lib. vii, 76.

Dies festi qui? lib. x, 215. dies Dominicus dictus est dies lucis, & dies panis, ibid. 236. die Dominico ieiunium nefas ducimus, lib. xv, 71. item genu flectere, ibid. 72. & 73.

Digestis pro digestum Græca constructio, lib. ii, 1042.

Digiti Herculei sepulchrum, lib. i, 162. digito destinare, ibid. 193. digiti supputandi, lib. ii, 597. digitos interrogant medici, lib. x, 155.

Dij barbari, lib. ii, 349. captiui, 380. adoptiui, ibid. communes, 381. dij gentium eadem passi, vt fiant, quæ Christianorum martyres, lib. ii, 414. T. & 415. T. Deos homines fuisse Ægyptius sacerdos renuntiauit Alexandro Magno, lib. i, 94. Deorum tumultuaria caterua, lib. ii, 369. T. & 371. ex hominibus facti dij, ibid. 393. T. Deos suos negligebant Romani, lib. ii, 436. T. mane tractabant oppignerando, venditando, demutando, ibid. 437. T. vectigales habentur in hastario, ibid. dij inuentores rerum, lib. ii, 406. dij materiæ sorores vasculorum, lib. ii, 414. & 419. mutant fatum consecratione, ibid. 420. dij qui magis tributarij magis sancti, & contra, lib. ii, 439. T. maiestas deorum quæstuaria, ibid. dij domestici, familiares, priuati, fragiles, paterni, parui, lib. ii, 444. & publici, 447. dij tributarij & cauponarij, ibid. 451. & 452. diis integra offerenda, lib. ii, 464. deorum alij vulnerati, alij vincti, concertant vt gladiatores, &c. lib. ii, 466. T. & 467. T. contempti dij à Socrate, & aliis, ibid. 369. T. & 478. T. dij ridentur in theatris, lib. ii, 478. T. dij sceleratissimi, eorum nemo integer à crimine, ibid. 399. impij quique collegæ deorum, ibid. potentiores & excellentiores apud inferos, quàm apud superos, lib. ii, 401. T. deos aliquot Roma pulsos, mox accersitos, ibid. 176. dij etiam in caueis irridentur, lib. ii, 480. T. deorum dedecus in Comœdiis, ibid. 484. dij Patellarij & Minuti, lib. ii, 444. dij Gentium subditi Christianis, lib. ii, 687. T. & 689. T. Christum Deum fatentur, ibid. 693. T. cedunt fatis, ibid. 733. dij pares dæmonibus, lib. ii, 685. T. esse verè dæmonas, ibid. 689. T. dij gentium monstrosi, cornuti, à lumbis hirci, à cruribus serpentes, ibid. 511. T. dij Ægyptiorum varij, lib. ii, 722. Prouinciales, 723. Sterculius, Mutinus, Larentia dij Romanorum, 740. Peregrini, 741. dij Gentium nihil sentiunt, 757. furto expositi, & ideo custoditi, 794. dij innumeri, Prouinciis & municipiis proprij, lib. ii, 716. T. non dispensant imperia, ibid. 735. T. & 759. T. dij Gentium deuicti, & captiua eorum simulacra, lib. ii, 737. T. dij plumbo ferruminati, lib. ii, 795. dij quasi dæmones apud Philosophos, lib. ii, 1013. T. & 1014. deorum escæ, lib. ix, 199. dij magni, potentes, valentes, ibid. 129. dij Gentium semper coronati, lib. xv, 141.

Diligendi inimici, lib. iv, 5.

Diluuium propter incredulitatem & iniquitates hominum, lib. iv, 21. T.

Dinumero quid sit, lib. ii, 27.

Diocletiani temporibus vexati Christiani, lib. ii, 1082.

Diodorus, lib. ii, 384.

Diogenes è dolio latrat, lib. i, 120. T. Diogenes induit Leoninam, lib. ii, 476. Diogenes ludit in Herculem, ibid. 469. T. Diogenes calcat Platonis stratum, lib. ii, 1031.

Dionysius Tyrannus sæuit in Zenonem, lib. ii, 1078. T.

Diploma, lib. ii, 744.

Dirigere fastigium, lib. x, 303.

Dirigere est in iure actionem intendere, lib. viii, 231.

Disares Arabum dij, lib. ii, 725.

Discentes, pro discipulis, lib. ix, 438.

Discipulus cœli Christianus, lib. ii, 1019. discipuli stipem magistris soluebant Idibus mensium, lib. x, 170.

Disciplinam inculcare, lib. ii, 927. disciplina Christianorum stricta, ibid. 1005. T. disciplina custos spei, retinaculum fidei, lib. x, 336. disciplina pro ea quam seueram dicimus, accipitur, lib. xv, 20. & 48.

Discretio iudicij, lib. ii, 984.

Discus seu iaculatus, lib. ix, 273.

Dispicio, lib. ii, 15.

Dispungo, lib. ii, 1010. dispunctio, lib. ii, 579. dispungere, lib. ix, 261.

Dissimulatio supplicij deceptio est, lib. viii, 202.

Dissipari memoriam, id est, extendi generationem, lib. ii, 364.

Distendi, & disrumpi sanguine, lib. ii, 357.

Diuinatio furtum diuinitatis, lib. ii, 661. T.

Diuitiæ instar veneni, lib. v, 51.

Diuitiæ nostræ alienæ sunt, lib. viii, 128. T. animæ antepositæ, ibid. 132. T. diuitiæ fastidium creant, ibid. 134.

Diuites fastidiunt opes, vt stomachus plenus cibo, dapes, lib. viii, 143. diues difficile in domo Dei, difficile cœlebs, lib. xiv, 69. T.

Diuortij causa repudiatæ fœminæ alteri nubebant, lib. xiv, 7.

Doctor in bello, lib. ii, 807.

Domestici dij, lib. ii, 444. domestica gens Dei, lib. ii, 582.

Dominatio Christianorum in dæmonas, lib. ii, 710.

Dominicum pro ſacro Miſſæ vſurpatur, lib. xiv, 37.
Dominus cognomen Dei, non Imperatorum. Auguſtus Dominum dici ſe nolebat, lib.ii,844.T.
Domitianus vocatus Nero, lib.i,174. Domitianus Neronis portio, lib.ii,137.T.
Domus inſtar campi expetitur à fœminis, lib. xiv, 75.
Dona inimicorum non dona, lib.xi,42.
Donatiuo milites Imperator afficiebat, congiario populum, lib. ii, 872. donatiuum liberalitas appellatur, lib.xv, 15. & 32. donatiuum aureus fuit nummus, lib.xv,225.
Dos venalem facit maritum, lib.viii,305.
Draco hominis ſpiritum abſorbet, lib.xv,182.
Draconitis, ſiue Dracontia gemma eſt ex viuente dracone eruta, lib.xi, 92.
Dracontarium, vel Draconarium, lib. xv, 281. & 282.
Druſillanus, lib.i,252.
Ducatio, & ducator, pro ductu, & ductore, lib. xv, 208.
Duæ lauri, aut duræ lauri, aut diuæ lauri, lib.ii, 876.
Dulcibus ſaginari, lib.ix, 405.
Duplex pallium Cynicis, lib.i,240. duplex negatio negat Græco more, lib.ii,68.
Duritia, lib.xii,32.

E.

EBRIETAS libidinis ſeminarium, lib.xiii,113.
Eccleſiæ ritus de orando ante lucem, lib.ii,59. Eccleſiæ perſecutores iniuſti, impij, &c. lib.ii,137. T. & 141. T. Eccleſia cum odio ſui cœpit, lib.ii, 220. T. à Iudæis, & militibus domeſticis impetitur, ibid. Eccleſiæ perſecutores puniuntur atrociter, lib.iv, 23. T. ſecus qui Chriſtianorum diſſimulauerunt, ibid. 31. T. Eccleſia Domina appellatur, lib.vii, 10. & mater vberibus lactans, & nutriens, ibid. 11. Eccleſia diaboli, lib.ix,396. Eccleſia dicitur domus Dei, Sanctuarium, ſanctum, templum, tabernaculum Domini, Oratoria, loca ſancta, Baſilica, lib.x, 80. dicitur Martyrium, 81. appellatur confeſſio, ibid.82. lar & focus, ibid.83. ſacellum, aut ſacellarium, aut locus ſanctificationis, ibid.84. titulus, ibid. 85. regale palatium, ibid. 86. vocatur etiam Eccleſia Aula, lib.x,87. Abſida, ibid.88. Cœmeterium, ibid.89. Precatorium, ibid.90. Capella, ibid. 91. Seſſimonium, ibid. 92. Epiſcopium, ibid. 93. Tugurium, lib.x,84. Templum Auguſtum, ibid. Proſeucha, ibid.95. Analogium, ibid. Dominicum appellatur, ibid.95. Eccleſiæ dicuntur inſulæ, lib.x, 123. Eccleſia inſtar nauis, lib.x,355.T. &356.T. & 361. Eccleſiæ ætates, lib.xvi,7.T.
Editiones legatariæ, lib. ix, 97. Editiones, ibidem, 197.
Edomator vocis, lib.i,266.
Educatur pro educitur; & ducator, id eſt, ductor, lib. i,65.
Educatio ad virtutes generoſas conducit nimium, lib. vii,8.
Educo, as, pro educo, is, lib.xvi,196.
Egeni alebantur inter Chriſtianos, lib.ii,931.
Eiici peccatores ab Eccleſia, vnde ſumptum, lib.v, 16.
Elatrare cauſas, lib.i,245.
Eleemoſynam à non Chriſtiano non recepit Liberius Papa, lib.x, 216.
Eleemoſyna operatio dicitur, & b ptiſmo comparatur, lib.x,354. Eleemoſyna ſine tormento, lib. xiv,83. Eleemoſyna probatio fidei diuitum, lib. 135.
Elementorum cenſus, lib.xvi, 63.T. Elementa mundialia, lib.ix,139.
Elenchus genus margaritorum, lib.xi,87.
Eleuſinia & Samothracia, lib.ii,260.
Elyſij campi, lib. ii,1048.
Ellipſis, lib.ii,92.
Elogium, lib.ii,54. Elogium pro crimine, lib.ii,489. Elogia diſpungere, lib.ii,1002. Elogium in bonam partem, lib. iii. 52. Elogium includit concuſſionem, non confeſſionem, lib.iv,40. Elogium, lib.ix,253. Elogium crimen eſt rei, Hiſpanè *el pregon*, lib.x,10.
Eludo è gladiatorio penu petita vox, lib.viii, 210.
Emancipo, lib.ii,364.
Emendatio ſi nulla ſit, vacua eſt pœnitentia, lib.v, 15.
Emigro pro conuerto, lib.xv, 12.
Empedocles cælitem delirauit, lib.i,192. Empedocles Æthneis incendiis ſe donauit, lib.ii,1078.T. Empedocles, lib.ii,1090. in ignes Æthnei montis inſiluit, lib. vii,64.T.
Endromis, quid? lib.i,170.
Enitor à diis nixis etymologiam trahit, lib.xvi,18.
Enoch vaticinium & libri, lib.x,45. Enoch ſcriptura triplici ratione defenditur, ibid.48.T.50.T. & 53.
Enorme, lib.ii,596.
Enubilo, aliàs nubilo, lib.ii,879.
Epicurus exiſtimauit Deum liberum à negotiis, lib,i, 247.
Epiſcopi ſeniores erant ſine pretio dignitatem adepti, lib.ii,913.T.
Epiſtates, lib.vii, 47.T. &48. &59.
Epiſtola Alexandri ad Olympiam de primo lanificij auctore, lib.i, 94.
Epona Dea aſinorum, lib.ii,516.
Epulæ innocuæ, lib.ii,355. Epulum Iouis, ibidem, 455.
Equeſtria, lib.i,195.
Equitia, lib. ix, 66.T. &76.
Equi in Circenſi ludo, quibus ornati coloribus, lib. ix,146.
Equi triumphatorum coronati, lib.xv,250.
Eremus, lib.vii, 40.
Ergaſtula pro hominibus in ergaſtulis, lib.ii, 781.
Erichtonius, lib.ix, 141.&142.
Erogo, lib. ii,1002. Erogare quid? gladiatorum vox, lib.ix,195. Erogare pro abolere, lib.x, 62.
Eruo, verbum ciuile, lib.ii, 70.
Et, particula ἐξηγητικῶς, lib. ii, 64.
Eua impatiens tacendi, lib.viii,90.T. ex diabolo concepit, & peperit iram, ibid.94. Eua dicitur mulier non prophetico ſermone, lib.xvi,80. & 82.T. matrix generis fœminini. ibid. 70.T.
Euangelium commentum diuinitatis, lib.ii, 627. Euangelium vetuſtatem expungit, lib.vi, 2.T.
Euchariſtia an ſingulis diebus ſumenda, lib.vi, 67. in pane cenſetur, ibid.62. T. Euchariſtia olim dabatur in manus ſumentis, non inſerebatur in os: inde diſcrimen inter accipere, & ſumere, lib.vi, 153. 154. & 155. Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie inuadebant, lib.xiv, 28. Euchariſtiam domum portare, & propria manu ſumere ſolebant Chriſtiani, ibid. 49. Euchariſtia Dei cœna vocatur, lib.xiv, 59. Euchariſtia de præſidentium manu ſumitur, lib.xv, 62. aliquot elogia, ibid.63.
Euigoratus, lib.i,158. & lib. ii,567.
Euocare quid? lib. viii, 172.
Eunuchi vocantur etſi non ſint, ſed obtinent eorum

locum, lib. v, 92. Eunuchi cur corporum custodes, ibid.
Euripus in Circo, lib.ix, 131.
Exactor, lib.ii, 972.
Exauctoro, lib.i, 199.
Exaudire pro fertile esse, lib.i, 55.
Exancillata, lib.ii, 567.
Exceptio personarum non est apud Christianos, quia non ab homine, sed à Deo expensum captant, lib. ii, 882.T.
Exceptio victus, lib.ii, 630.
Excetra delictorum impatientia, lib. viii, 100. T.
Excludo, id est, abstergo, lib.i, 157.
Excommunicatio præiudicium futuri iudicij, lib. ii, 912.
Excusatio mali signum est, lib.ii, 11.T.
Exemplo, exemplas, lib.iv, 19.
Exercitus fortes petebant Christiani pro Imperatoribus, lib.ii, 809.
Exhibitio pro alimonia, lib.x, 72.
Exigere quid propriè, xv, 98.
Exitus pro exitio, lib.iv, 28.
Ex libello, lib.ii, 72.
Ex muliere coluber, lib.ii, 1049. T.
Exomologesis publica est pœnitentia, seu confessio, lib.v, 121. & 122. & 126. Quid sub exomologesi cõtineatur, ibid.122. & 127. & 128. In exomologesi publicabatur delictum, lib.v, 146. Exomologesis signatur patientia, lib.viii, 281.T.& 282.
Exorcismis fugamus dæmonas, lib.xv, 200.
Exoticum quid, lib.i, 144.
Expalliare quid, lib.i, 110.
Expansi in oratione, lib.ii, 816.
Ex periculo, lib.ii, 76.
Expingere ora signatum verbum, lib.xii, 116.
Exponere frigori, fami, canibus, lib.ii, 342.
Exponere filios, lib.ii, 362.
Expungo vnde sumptum, lib.ii, 71.
Expungi libidinem, lib.ii, 498.
Expungitur, lib.ii, 609,
Expunctio, vel dispunctio quid, lib.vii, 93.
Expungere perficere est apud Tertullianum, lib. vi, 16.
Expungere patientiam, lib.viii, 271.
Expungere propriè est perficere ex debiti vel nominis abolitione, lib.x, 8.
Exsecramento adiuramus Satanam, lib.ii, 665.
Exterior obseruatio idem est quod vacua, lib. vi, 122.
Externum quid, lib.i, 144.
Extinguo, lib.i, 185.
Extranei Gentiles, lib.ii, 262.
Extranei qui, lib.ii, 826.
Exuuiæ, lib.i, 175.

F.

FAcere hostias, lib.iv, 14.
Facio pro sacrifico, lib.ii, 790.
Factio nomen contumeliosum, lib.ii, 906.
Famæ pulchra descriptio, lib.ii, 226.T. famæ natura, ibidem, 264. mendax, 265. famæ cupido, lib.iii, 37.T.
Familia Martyrum & Vinctorum, lib.vii, 15.
Familiares Dij, lib.ii, 444.
Famosus pro nequam, lib.ii, 491. & pro bono, ibid.
Fas & nefas ad religionem spectant, lib.xv, 71.
Fascinatio, lib.xvi, 234.T. & 239. & 240.
Fastigium fuit Carthaginis Romanæ potentiæ subiici.
Fato imputantur res mortalium, lib.ii, 28.
Fœmina sine stola quasi publica, lib.i, 125.T. & 126. cui se exautoraret, pœna quasi de stupro, ibid.125. T. Fœmineæ dignitatis custos habitus, & lenocinij impedimentum, lib.i, 125.T. sui leæna, ibid. 125.T. cur eierauerint lectas, & sellas, ibid.126. Fœminæ Romanæ aurum non nouerant, nisi annulum, lib.ii, 172. T. iam nullum membrum leue præ auro, ibid. Vini abstinentia in fœminis osculo probabatur, ib. Fœminæ vino abstinent, lib.ii, 195. Fœmina amputet ea per quæ viros allicit, lib.v, 132. Fœmina domus pudicitiæ, lib.ix, 239. & 248. Fœmina Euam circumfert; trahit ignominiam primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ, lib.xi, 1.T. arboris reseratrix, & alia fœminarum elogia, ibid.3.T. & 4. Fœminæ viris subiiciuntur, ad quos earum conuersio, lib.xi, 11. fœminarum seruitus, ibid.12. diaboli ianua, ibid.3.& 12. Fœminæ incultæ & incompositæ, crudæ & rudes Angelos mouerunt, lib. xi, 25. T. Fœmina sine ornatu vt pomum immite, & crudum, ibid.26. Fœminæ sensus de humilitate & castitate, lib.xi, 58. T. Fœminæ Angelos iudicaturæ, lib. xi, 28. T. & 46. Fœminæ sanctæ & castæ Angeli Dei vocantur, lib.xii, 31. non ornetur gratia mariti, ibid.36 T. Fœminæ irrufantes croco capillos malè sibi auspicantur, lib.xii, 50.T. & 56. quasi sacrificant idolis, ibid. Fœminæ Christianè & pudicè ornatæ descriptio, lib.xii, 128.T. Fœminæ omnia ferè membra auro exornant, lib.xii, 132. Fœminæ ingenita voluntas placendi viris, & conuersim, lib. xii, 75.T. & 77. Fœmina loquax, lib. xiii, 109. 111. vinosa, ibid. 110. Fœminam in ordinationem adlegi quid, lib.xiii. 92.& 93. non poterat adlegi nisi vidua vniuira, ibid. Diaconissa, Presbytera, & Episcopa, ibid. Fœmina olim vira vocabatur, ibid.94. nonnulla fœminarum vitia, lib.xiii, 100. T. Fœmina diuite sordet Ecclesia, lib.xiv, 69.T. Fœminæ Iudæorum caput velant, lib.xv, 82. & 88. Fœminarum pulchritudo ad cœlos vsque scandala iaculata est, lib.xvi, 108.T. rea est Angelorum exterminatorum, ibid. Fœminarum coma arcem capitis ambitu crinium contegat, ibid.109.T. Fœminarum facies adumbranda, lib.xvi, 116. humilitatis necessitas cum fœmina censetur, ibid.133.T. Ecclesiastica munera non licent fœminæ, ibid. in fœmina periclitatur omnis ætas, ibid.248. Fœmina notabilis & insignis ornatu, lib.xvi, 141. Fœminæ Arabiæ totam faciem velant vno oculo liberato, lib.xvi, 257.& 266. Fœminæ conuertendæ in Angelos eodem sexu cum viris futuræ, Tertulliani error, lib.xi, 43.
Felicitas peruersa, lib.iii, 3.
Feralis cœna, lib.iii, 44.
Ferina obsonia, lib.ii, 3.
Ferro mori omnes volunt, lib.ii, 343.
Ferrum attrahit virum, lib.i, 113.
Festa Sanctorum ab æuo Constantini celebrari solita, lib.x, 238.
Festuca pro stipula, lib.ii, 938.
Fibula ornamentum est muliebre, præterea nobilitatis insigne, lib.i, 16. Fibula pro clauo caligari, lib.x, 315. Fibulam laxare, lib.xv, 206.
Fictio adulterium est, lib.ix, 342.T.
Fides Sanctis vocibus pascitur, lib.ii, 911.T. Fidem pascere, lib. ii, 927. Fides Iudaïci populi imperfecta, rudis gratia, lib.vi, 15. Fides, Spes, Charitas traduces capessendæ æternitatis, lib.viii, 105. Fides illuminata patientia est, lib.viii, 115. T. Fides quam Christi patientia induxit, lib. viii, 229. T. Fides, Spes, Charitas, quomodo in cœlo perseuerent, lib. viii, 242. Fides baptizat, ibid.261. Fidei firmitas patientia, lib.viii, 281.T.& 282. Fides velificata spiritu Dei nauigat, lib.x, 355.T. & 356. attonita fides, ibid.

ibid. 362. Fides imbecilla, & parca. Fides tantum habet, quantum credit, lib. xi, 7. Fidei rerum consultatio licita, lib. xv, 46. Fides pagana, lib. xv, 192. T. Fidei regula immobilis, lib. xvi, 11. & 12.
Fidei commissum quid, lib xiii, 8. & 9.
Fiducia bonorum temporalium in Deo collocanda, lib. vi, 70. & 71.
Fiduciati sub pignoribus, lib. x, 349.
Filius Dei nouum nomen Patris, lib. vi, 32. T.
Filij expositi extraneæ misericordiæ, lib. ii, 327. T.
Filij Iob vicarij, lib. viii, 279.
Filiorum mors votum patris, lib. xiii, 55. T. amarissima filiorum voluptas, ibid. 59. oneta sunt, ibid. 64.
Finis de vtroque termino, lib. ii, 591. Finis voluptatibus præscribendus earundē desiderium creat, l. v, 71.
Fiunt, non nascuntur Christiani, lib. ii, 580. & lib. iii, 13.
Flabellum, lib. i, 176.
Flagellatio, lib. vii, 65. T. & 78. & 79.
Flagito, lib. ii, 1021.
Flagitium vitium quod virgini infertur, lib. xii, 31.
Flamen Quirinalis princeps erat Sacerdotū, lib. ix, 81.
Flaminis Dialis vxor (qui & Rex sæculi, & Pontifex maximus dicitur) nequibat eo defuncto alteri nubere, lib. xiii, 94.
Flagra rumpunt parasiti, lib. ii, 189.
Fragiles dij, lib. ii, 444.
Flatu immundum expuunt Christiani, lib. xiv, 46.
Fratres Christianorum Gentiles etiam, etsi parum homines quia mali fratres, lib. ii, 916. T. Fratres dicti Christiani, lib. ii, 933.
Fraternitatem dirimit substantia familiaris, lib. ii, 916. T. Fraternitatem quæ dirimant, 936.
Florales ludi, lib. ix, 95. & 254.
Florere de luminibus, lib. ii, 404.
Flores in sinu, in poculis, in lectis, lib. xv, 105. & 106.
Flustra dicuntur fluctus stantes, seu malacia, lib. i, 47.
Fluxus vitam dissolutam innuit, lib. ix, 172.
Focariæ pro concubinis, lib. xiii, 22.
Focos & thoros in publicum educere, lib. i, 862. Focus, & foculus, lib. ii, 358.
Fœderis signum sanguis brachiis effusus, & ab altero degustatus, lib. ii, 316. comitiali morbo medetur, ibid. & 317.
Fœneratio comparatur agriculturæ, lib. viii, 121.
Fodinæ ferali labore exhibent metalla. Publica oratio in Ecclesia pro deputatis ad metalla, lib. xi, 69.
Follis pro corpore, lib. ii, 1093.
Foraminosa caro, lib. viii, 277.
Forculus Deus præest foribus, lib. x, 251.
Fortitudinis exempla, lib. ii, 1078. T.
Fœrum vbi lites, lib. i, 243.
Fossa, aut fossatus, lib. vii, 54.
Fremor in oratione Gentilium, lib. ii, 539.
Frictrices, lib. i, 202.
Frigidum verbum, lib. iii, 61.
Friuolum, lib. viii, 148. Friuolæ voluptates corporis cur dicantur, lib. xiii, 13.
Frondes arborum vestes, lib. i, 48.
Frondes quid, lib. ix, 14.
Frontem subducere, contrahere, consulcare, constringere, lib. v, 148.
Fructus eruditur in manſuetudinem, lib. xvi, 20. Fructus matrimonij, 203.
Fruges ante Cererem, Mineruam, Bacchum, &c. lib. ii, 396. T.
Frustratio bestiarum, lib. ii, 548.
Fruor cum quarto casu, lib. viii, 6.
Fucus, & ornamenta fœminarum ambitio est, lib. xi, 125. & 126. Fucus quo oblinitur fœmina, prostitutio est, lib. xi, 18. T. deformes & sordidas reddit fœminas, ibid. 60. Fucus adulterium est, lib. xi, 110. Fucus in fœminis ignis & fomes libidinis, lib. xii, 33. & 34. Fucus & nimius ornatus reprehensio Dei, ibid. 39. T. & 47. Fucum fœminarum castigat Author, lib. xii, 39. T. 41. T. Fœdæ vtuntur fuco, ibid. 44. infectio est, contagium est, ibid. 45. Fuco mutat corpus fœmina, quia sibi displicet, lib. xii, 48. Fucus mendacium est, ibid. 49. Fucus & lenocinia in vetulis notantur, lib. xii, 52. T. Fucus & lenocinium Christianam decens fœminam, lib. xii, 128. T. Fucus & lenocinium meretricis nota, lib. xii, 114. T.
Fugam in persecutione innuit Author illicitam esse, lib. xv, 11. T. & 12.
Fuimus, lib. ii, 580.
Fulgure exanimati eodem loco sepeliuntur, lib. ii, 1069.
Fullones Nouij qui, lib. i, 119.
Fulmina in manu Iouis, lib. ii, 405.
Funes in tormento Crucis, lib. ii, 818.
Fumariola vocat montes igniuomos, lib. v, 167.

G.

GALERVS, lib. i, 210.
Galaticus rubor, lib. i, 212.
Gallus Æsculapio, lib. ii, 1024.
Gallus & Archigallus, lib. ii, 686.
Gallicos vultus, lib. xiii, 52.
Garamantis gemma ignei coloris, lib. xi, 21.
Garamantum pennæ, lib. xvi, 151.
Gaudia amittere negotiatio est, lib. vii, 23. T.
Gehenna ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, lib. ii, 1038. T. Gehenna patientia est æterni ignis, lib. viii, 297. T. Gehennæ ignibus liquescentes improbi, lib. ix, 422. T. Gehennæ ignis natura, lib. ix, 432. purpureus amictus damnatorum, ibid. 433. Gehennæ ignis velut procella, ibid. 434.
Gelum, i. pro gelu, lib. vii, 56.
Genas purpurisso inficere, lib. xii, 45.
Geniculationes, lib. iv, 44.
Genius Cæsarum, lib. ii, 832. dæmon est, 834. Genius virorum, Iuno fœminarum, lib. ii, 833. Genius Cæsaris iurabatur, lib. iv, 13. Genius attributus cuilibet vrbi, & Nationi, lib. x, 340.
Gentiles latitant, lib. ii, 26. Gentiles malunt vxores impudicas, filios inobedientes, seruos infideles, quàm Christianos, lib. ii, 82. T. Gentiles Christianorum cadauera effodiebant, lib. ii, 893. Gentiles plaudebant diis suis, lib. ii, 492. Gentiles pulsant veritatis fores, lib. iii, 11. Gentilibus non scribendæ epistolæ, nec excipiendæ ab eis scriptæ, lib. x, 216.
Genus humanum restituetur, lib. ii, 1066.
Genuflectendi, præter diem Dominicum mos Ecclesiæ, lib. xv, 73. & 74.
Germanica sitis, lib. ii, 158. & lib. iv, 44.
Germanicos baiulos aut calones ad lecticas expetunt fœminæ, lib. xiii, 53.
Gladiatores ignominiosi, lib. i, 268.
Gladius de cruciatibus, lib. ii, 154. Gladiatorum paria, lib. ii, 472. Gladiator meridianus, lib. ii, 494. Gladius pro vi potestatis, lib. iv, 48. Gladiatorum castitas, & abstinentia, lib. vii, 63. & 64. & 65. Gladiatorum alij coacti, alij voluntarij; hi vel locati, vel auctorati, lib. vii, 85. Gladiatorium quid, ibid. Gladij opera maledicta à Christo, lib. viii, 34. Gladiatores testamento relicti vt parentarent manibus, lib. ix, 97. Gladiatorium munus dicitur officium, lib. ix, 185. pro mortuis, ibid. Gladiatorij muneris apparatus, ibid. 89. & 190. T. Gladiatores viliſſima mancipia, lib. ix, 193. inferiæ, 195. Gladiator publicæ voluptatis hostia, lib. ix, 282. T. Gladiatorum sæuitia, lib. ix, 284. Gladiatores dicuntur componi, committi, comparari, lib. ix, 301. Gladiatorum crudelitas, ibid. 314.

Gladiatores auctorati, ibid. 316. amantissimi, lib. ix, 325.
Gloria inanis ardor est, lib. i, 120. T. minorem reddidit Alexandrum magnum, ibid. 120. Gloriæ inanis & dignitatum ardore frigebant Christiani, lib. ii, 902. T. Gloria exaltationis ingenium est, lib. xii, 27. T. Gloriæ libidinosum, lib. xvi, 208. T. Gloria inanis ad libidinem tandem perducit, lib. xvi, 223. Gloriæ inanis fascinum, lib. xvi, 234. T. Gloria inani nihil operosius, ibid. 251.
Gomphi in ministerio Deorum, lib. ii, 427.
Gomorra, lib. ii, 969.
Gracchus reædificauit Carthaginem, lib. i, 20.
Gradum figere, lib. xvi, 171.
Gratias Deo agere, lib. ii, 1000.
Grato benefacere compendium est, in grato dispendium, lib. v, 13. T.
Gratia thesaurus Dei est, lib. v, 59. T. Gratiam restituere maius beneficium est, quàm primò dare, lib. v, 101.
Gratitudo est beneficium non recusare, ibid. 102.
Gratia legi superducta, lib. viii, 115. T.
Græcatim, lib. i, 214.
Græcatos aurum calcasse, lib. i, 120. T.
Græcanicus, lib. i, 189.
Græcari, lib. i, 190.
Græca vrbs Roma, lib. i, 132.
Gregorius Nazianzenus rationis alumnus, lib. viii, 300.
Gulæ deditus saginatur ad victimam vt taurus, lib. vi, 72. T. & 76. Gulæ dediti, ventris operarij, lib. viii, 305. Gula malorum catena, lib. xiii, 106. venter cibis suffarcinatus naui similis, ibid. 114. ventri propinqua libido, ibid. 115.
Gymnasia Philosophorum templa vocantur, & ipsi antistites, lib. ix, 236.

H.

Habeo pro debeo, lib. i, 41. Habet, id est pertinet, lib. ix, 44.
Hactenus pro iam non est, lib. i, 57. Hactenus pro non vltra, lib. v. 96.
Habitum transferre, lib. i, 146. Habitus orantis, lib. ii, 821. Habitus lupanaris, lib. ii, 867. Habitus communis Christianis, & non Christianis, lib. ii, 990. Habitus victoriæ, lib. ii, 1086.
Hammon ab arenis dictus, lib. i, 94.
Harmamaxæ quæ? lib. ix, 3.
Haruspex, lib. ix, 165.
Hastarium quid, lib. ii, 438. & 448.
Hasta Deorum sceptrum, lib. ii, 450.
Hecatombe, lib. ii, 763.
Hedera cerebrum à crapula tuemur, lib. xv, 123. T.
Helias vidit tertio, lib. viii, 300. Helias quadriga, lib. ix, 351.
Heluco medetur hedera, lib. xv, 123. T.
Hera rea est ancillarum intemperantiæ, lib. x, 258.
Heraclitus fimo bubulo obsitus interiit, lib. vii, 74.
Herbarum ingenia ab Angelis traducta, lib. xi, 35.
Herbida vestis & florida, lib. i, 101.
Herculis posteritas cum Temeno Peloponesum occupat, l. i, 65. Hercules cum Omphale exuuias mutat, & habitum sexus. Nonnulla eius facinora recensentur, lib. i, 115. Herculis historia vel fabula, lib. i, 154. Herculi decima debetur, lib. ii, 442. T. Herculis erat decima pars esculentorum, lib. ii, 465. Herculis voracitas, lib. ii, 487. Herculanæ decimæ, ibid. 939. Herculis ars purpuræ artificium, lib. xii, 100. Hercules populo, oleastro, & apio coronatur, lib. xv, 136.
Heri, lib. ii, 124.
Hermateles, lib. ix, 131.
Hermæ liber inscriptus Pastor, cuius auctoritatis, lib. vi, 128.
Hesternus, id est, heri ortus, lib. ii, 887.
Hiatus crinibus infarsi, lib. i, 161.
Hierapolis, lib. ii, 966.
Hieronymus Rex Ægyptius, lib. ii, 599.
Hippias & Gorgias, lib. i, 188.
Hippona Dea asinorum, lib. ii, 516.
Hirundo pullos oculat de chelydonia, lib. v. 165. & 169.
Histrio pro Tragicus, lib. ii, 488.
Histriones & Scenici infames, lib. ix, 328. & 329. & 340. communione priuantur, ibid. 334. Histriones, lib. ix, 260. Histriones muliebribus curantur, lib. ix, 357. Histrionum lenocinia præcipuè in glabrando & læuigando corpore, lib. ix, 351. quos Deos præcipuè imitentur, ibid. 351.
Hoc age, lib. ii, 822.
Homeri libris conformantur ad prudentiam Romani, lib. ii, 466.
Homerici milites qui, lib. viii, 170.
Homo datur orbi vt metallo, lib. i, 72. T. Hominis arbitratu diuinitas pensitatur, lib. ii, 131. T. Homo Deo propitius esse debet, ibid. Homo honoris gratia cœlum appellat patrem, terram matrem, lib. ii, 374. T. & 375. Homo cortex & pila, lib. ii, 566. Homini non interdicatur libertas religionis, & optio diuinitatis, lib. ii, 717. T. Homo ex mulo, lib. ii, 1049. T. Homo de morte vacationis, lib. ii, 1051. T. Homo superindutus substantia propria æternitatis, lib. ii, 1053. T. Homo malus scilicet, lib. iii, 21. Homo prior quàm philosophus, lib. iii, 57. T. Homini quod proficit Deo seruit, lib. v, 12. T. & 18. Homo vt arbor rigandus, lib. v, 37. Homo nummus Dei, lib. v, 77. & 78. Homo Angelorum candidatus, lib. vi, 35. T. & diaboli, ibid. 40. Homo cœlum & terra, quia spiritus & caro, ibid. 43. T. & 47. Hominis salus summa est voluntatis diuinæ, lib. vi, 44. Homo varium, & multiplex animal, lib. viii, 18. Homini tempora obsequuntur, & elementa famulantur, ibid. 25. Homo miles Dei, lib. vii, 51. Homo etiam fœmina dicitur, lib. viii, 105. Homo labores & procellas quas ingreditur in ipso sui exordio ploratu testatur. Item eiicitur in mundum vt naufragus, lib. viii, 146. omni patientiæ expositus homo est, ibid. Homo vter putris, vas fictile, lib. viii, 187. Homo sine filiis quàm impensius olim colebatur, ibid. 310. Homini mundus in mancipium datus vt illi seruiat, lib. ix, 17. Homo omnium flagitiorum auctor sumpta metaphora à re Scenica, ibid. 22. Homines altiles oderis, lib. ix, 265, T. & 275. Homo exterior qua ratione imago Dei, ibid. 270. Homo natus ad ferrum, lib. xii, 102. Homines post mortem in Angelos verti Tertulliani error, lib. xiii, 4. & 11. Hominis contubernio feras ipsas mansuescere, lib. xv. 91.
Homophagia, lib. i, 137.
Honesti natales, lib. ii, 188.
Honor sæculi negotium diaboli, lib. viii, 181. pro sacrificio, ibid. 185.
Honorare est gratias agere, lib. v, 97.
Honoraria summa, lib. ii, 930.
Hordeo alebantur athletæ, lib. vii, 50.
Hortensius primus pauum occidit, lib. i, 229. T. & 255.
Hostes Christiani, lib. ii, 17.
Hostiæ opimæ & maiores, lib. ii, 810.

Hostiæ probantur, ibid. 815.
Humaniores & sæculares litteræ, sine quibus diuina non possunt, lib. x, 161. T. Professores humaniorum litterarum affines idololatriæ, ibid. 162. T.
Humilis est patiens, lib. viii, 214.
Humilitatis magnitudo, lib. viii, 52. Humilitatis magistra patientia, lib. viii, 281. T. & 282. Humilitas Christiana nec in pauperem superbit, lib. ii, 1017. T.
Hyænæ sexus annalis est, lib. i, 69. T. & 87. vocem humanam imitatur, ibid. 87.
Hyberna suspendunt ab imbribus, lib. ii, 974.
Hydra Herculis, lib. i, 156.
Hypobrichium exorbens vastitas, lib. x, 364.
Hypocrita nil facit in secreto secretum, lib. vi, 19.
Hypsoma, lib. iv, 25.

I.

Iane, dictus Ianus, lib. ii, 385.
Ianus bifrons, lib. ii, 790.
Ianus Deus præest ianuis, lib. x, 255.
Ianuæ lucernis, & ramis adornantur, lib. x, 255.
Idiota qui vnum idioma agnoscit, lib. vii, 13.
Idololatria principale crimen generis humani: tota causa iudicij, & in quod in se expungit cætera crimina, lib. x, 1. T. Homicida sui idololatra, ibid. 2. T. Adulter est, ibid. 3. T. fur est, ibid. 4. T. alia plurima vitia idololatriæ congerit Author, lib. x, 6. T. Idololatriæ elogia, ibid. 8. Idololatria fornicatio, ibid. 11. Idololatria locuples substantia criminis, lib. x, 15. T. caput iniustitiæ, ibid. 19. T. Idololatriæ origo, lib. x, 26. T. & 27. ars caput idololatriæ, ibid. 28. T. Idoli & idololatriæ etymon, lib. x, 30. Idololatriæ origo, lib. x, 31. & 33. Idolorum fabricatio illicita, ibid. 67. Idolorum fabricator & colit idola, & seipsum idolis immolat, lib. x, 69. & 70. Mater est idolorum, ibid. 77. T. Idololatria ex rebus Dei constat, lib. xi, 106. T. Idololatria pestis est, lib. x, 206. T. & 213. Lætandum non est cum gentibus, ibid. 208. T. & 209. T. Idololatria mare est procellosum, lib. x, 356.
Idolothytum, quicquid ad idolum spectat, lib. v, 171. & accipitur pro quacũque re idolis oblata, lib. xv, 172.
Ieiunium orationem alit fœminæ ad instar, lib. v, 112. orationi adnectendum, ex qua alatum euadit ieiunium, ibid. 134. Ieiunij diebus abstinebant Christiani à pacis osculo, lib. vi, 139. Sit abstinentia à cibis, non ab osculo pacis, ibid. 141. Ieiunij diebus non esse abstinendum ab Eucharistia, ibid. 142. T. Ieiunium commendat orationem: anima est orationis, & id genus alia, lib. vi, 145. Ieiunium operatio nuncupatur, ibid. 147. Item officium. Ieiunij plura encomia, lib. vi, 147. Ieiunium cælandum est, ibid. 148. Die Dominica non permittebatur, ibid. 152. aut soluebatur hora nona aut post occasum solis, ibid. 156. & 157. & 158. Indicebatur ieiunium imminente belli calamitate, lib. vi, 161. Ieiunium vocatur magister, lib. viii, 15.
Igitur, pro itaque, lib. x, 143.
Ignis Deus apud Persas, lib. ii, 530. Ignis lentus appositus Christianis, lib. ii, 819. Ignis æternus, ibid. 1046. Ignis gehennæ diuinam subministrationem habet incorruptibilitatis, lib. ii, 1054. T. arcanus ignis non absumit quod exurit, dum erogat reparat, ibid. Qui humano igne comburitur saluus est, ibid. 1054. Ignis arbiter, æternus, sapiens, lib. ii, 1070. Ignis æternus dum erogat reparat, ibid. 1068. Ignis super mœnia Carthaginis, lib. iv, 21. T. Ignis inferorum eructat flammarum globos in quibusdam montibus, lib. v, 164. T. Comedit, deglutit, vorat, ibid. 168. Ignis vescitur, lib. xi, 117.
Ignoratio rei reuincit iniquitatis odium, lib. ii, 5. T. & 7. T. & 9.
Ignorantia ea quę scimus corrumpit, lib. ii, 78. T. Ignorantia vterus ex quo editi in lucem Christiani, lib. ii 916. T. Ignorantia humana sapiens argumentatrix; lib. ix, 16. T.
Illustris appellabatur primus ordo Senatorum, & Francorum Reges hoc titulo contenti, lib. xii, 105.
Imaginem Dei esse, Christo conuenit potissimum, lib. xvi, 162.
Imagines Christi proiectæ, lib. ii, 499. Imagines Dei sunt vir & fœmina, lib. xvi, 162. Imaginum agmen, lib. ix, 106.
Immolare Christianos, lib. ii, 1080. T.
Imbonitas, lib. vii, 53.
Immurmurare, lib. ii, 538.
Impatientia calor est, lib. viii, 5. T. Impatiens nunquam obedit, lib. viii, 60. T. Impatiens desinit Deo sapere, ibid. 76. T. Homo ab impatientia vsurpatur tanquam excitato fomite, ibid. Impatientia ex diabolo concipit & parit iram, & suis artibus erudit, lib. viii, 94. T. ex impatientia primum homicidium, ibid. incunabula impatientiæ, ibid. 95. Impatientia fidei aduersatur, lib. viii, 73. à diabolo nata, comperta, aut comparta, ibid. 73. Natales impatientiæ in ipso diabolo qui impatienter tulit homini subiici, ibid. 75. & 76. Impatientia cum malitia auspicatur, in sinu diaboli adoleuit, lib. viii, 77. Eua in primo delicto afflata est spiritu impatientia infecto, ibid. 79. T. Eua impatiens tacendi, ibid. 90. T. per duplicem impatientiam peccauit Adam, lib. viii, 91. T. Prima patientia in Deo à primo delicto auspicata, ibid. 92. T. Impatientiæ filiæ superbia, & inobedientia, ibid. 63. Impatientiam propagauit Eua in Adam tãquam traducem, lib. viii, 90. T. matrix in omne delictum, ibid. 96. T. & 108. fons ex quo peccatorum venæ, ibid. ex impatientia ira, odium, & auaritia, lib. viii, 97. T. item & impudicitia, ibid. 98. T. demum omne peccatum: malum impatientia est boni, ibid. 99. T. excetra, seu hydria delictorum, lib. viii, 100. T. Israel à Domino desciuit in deserto per impatiẽtiam, ibid. 100. T. Impatientiæ adscribendæ cædes prophetarum, & Christi Domini, ibid. 101. T. impatientia cõcutit spiritum, lib. viii, 129. T. Impatientia est reddere amaritudinis vicem, aliter cruciatur quis impatientia multa, lib. viii, 142. T. duplicatas plagas excitat qui repugnat, ibid. 149. patiens petræ ad instar, ibid. 153. impatientiæ stimulus vltionis libido, ibid. 174. in bonam partem aliquando accipitur, lib. viii, 191. impatientia impingit, facit naufragia, ibid. 193. impatientiæ Comites, ibid. 184. Impatiens veneno alitur, lib. viii, 218. Tenax iniuriæ, ibid. 219. T. Impatientiæ natus & genealogia, lib. viii, 230.
Imperatores Domini Deorum, lib. ii, 441. T. Imperatores à Deo secundi, post Deũ primi, lib. ii, 796. T. Ante omnes Deos, ibid. Imperator cœlum debellet, cœlum captiuum in triumpho suo trahat, ibid. Ideo magnus est quia cœlo minor est, ibid. Inde est Imperator vnde & homo, lib. ii, 796. & 797. Imperator magnus est, quia minor cœlo est, lib. ii, 803. In Imperatoribus iudicium Dei suspiciendum, lib. ii, 828. T. Non iurandum per Imperatorum genios, ibid. Irridet Imperatorem qui Deum vocat, imò negat Imperatorem, ibid. 837. in triumpho suggeritur à tergo, *Respice post te, hominem memento.* lib. ii, 838. T. Minor est si Deus dicitur, ibid. Imperatoris nomen grande, lib. ii, 841. Pater patrię, 844. Qui dij dicti, 849. Imperatorum natales dies quibus ceremoniis celebrentur, lib. ii, 851. T. Secunda maiestas Imperatori datur, ibid. 853. T. Imperatorum Scena, ibid. Pro Imperatorum salute qui alios consulit, aliquid contra illam cogitat, lib. ii, 859. T. Imperator solo Deo minor, lib. iv, 8. T. Imperator colendus, ibid. 15. Omnibus maior quia Deo minor. 16. Imperatores honorificè à Christianis nominãtur, l. xv, 16.

Impetus procellæ ſimilis ; ex quo offenſa, ruina, præcipitium, lib. viii, 195. & 196.
Importuni rebus humanis qui, lib. ii, 983.
Impoſuit, lib. ii, 1060.
Impudicitia theatri, lib. ii, 908.
Impuratus homo, lib. ii, 491.
In particula negans, vt inueſtem, inorem, infœderatum & alia, lib. i, 93.
Inattaminatum, id eſt contaminatum, lib. xv, 279.
Inaurium pretioſitas, lib. xi, 131.
Inæquata, lib. ix, 323.
Incantatores non intelligunt verba quæ ſerpentes intelligunt, lib. vii, 17.
Incarnationis modus recenſetur, videtur valde ſimilis fabellis, lib. ii, 619. T.
Incentiuum vnde dicatur, lib. i, 153.
Inceſtus obiectus Chriſtianis, lib. ii, 239.
Inceſti qui maximè, lib. ii, 327. & 328. T.
Inclamare animas defunctorum, lib. ii, 695.
Incredulitas velut nauigium, ſed ad illam firmiſſima velut ſcopuli argumenta impingunt, & diffringuntur, lib. iii, 4.
Incriſpare, lib. x, 121.
Incurſus dæmonum, lib. ii, 901.
Indefectus, id eſt non deficiens, lib. i, 91.
Induco, dolum & illectationem lenoniam, & inſidioſam innuit, lib. vi, 82. & 85.
Induuiæ, lib. i, 175.
Infanticidæ dicebantur Chriſtiani, lib. ii, 217. T.
Infanticidium obiectum Chriſtianis, lib. ii, 233.
Infans nullius inimicus, lib. ii, 274. T. omnium filius, ibid. ſub cultro ridet, ibid. 281. T. Infantes in Africa mactantur, lib. ii, 333.
Inferorum nomen non vſurpatur pro omni mortuorum loco, lib. x, 217.
Inhabito forte ab habitu nomen habet, lib. i, 107.
Ingenium pro artium marchinamentum, lib. i, 107.
Ingratis idem quod gratis, lib. ii, 116. & lib. ii, 782.
Ingratus reus eſt beneficij, lib. ii, 959. T.
Ingratis, pro gratis, lib. ii, 1065.
Ingratia, pro moleſtia, aut ingratitudine, lib. v, 3. & 13.
Ingratitudo cauſa eſt pœnitentiæ in largitore, lib. v, 4. & 13. Ingratus datorem reſpuit, lib. v, 43. T. Ingrato medicentur Sancti Patres, lib. v, 49.
Inimicorum dilectio redundantia benignitatis, lib. ii, 823. T. Inimicis vicem referre prohibemur, ne de facto pares ſimus, ibid. 884. T. Inimicos diligere propria Chriſtianorum bonitas, lib. iv, 2. T. Inimicis exorat veniam oratio Dominica, lib. vi, 36. T. & 42. Inimicis parcendum, ibid. 74. T. & 75. T. Parce inimico vt Deus tibi parcat, ibid. 79. & 80. & 81. Inimicis parce, quia maiora flagitia tibi parcit Deus, lib. vi, 89. Ante orationem cur ipſis ignoſcendum, ibid. 95. T. & 96. T. & 98. T. Inimicorum dilectione vniuerſa patientiæ diſciplina ſuccincta, lib. viii, 119. T. In præceptis Socratis eſt inimicorum dilectio, ibid. 124. Inimicis parcere vindicta eſt, lib. viii, 140. T. & 144. T. ſecundum naturam Chriſti efficimur, ibid. 152. Duplicat peccatum qui vindictam ſumit, ibid. 174. T. & 175. & 183. Inimicis parcere ſumma Chriſtianitatis, lib. viii, 185. Detrahit honorem Deo qui ſumit vindictam, ibid. 186. Inimicis qui ignoſcit quo ſenſu auferat honorem ſummi Dei, lib. viii, 192. Qui inimicum diligit, ſe diligit, ibid. 216.
Iniquitas, lib. ii, 377.
Iniquum odium, lib. ii, 21.
Iniuncti, id eſt non iuncti, lib. xiv, 17.
Iniuriæ beneficium, lib. i, 5. T. iniuriæ medela patientia eſt, lib. viii, 198. T.
Innocentes cibi, lib. ii, 355.
Innocentes flores, id eſt innoxij, lib. xv, 106.
Innocentia ſæculi iniquitates temperat, lib. ii, 961. T. Innocentiæ exactor Deus, lib. ix, 24. T.
Inoleſco ad inſitionem ſpectat, lib. viii, 256. Inoleſcere concupiſcendo, lib. xvi, 161.
Inſania Circi, lib. ii, 907.
Inſectator veritatis, lib. ii, 1026.
Inſignia Deorum, lib. x, 117.
Inſtantia vltionis deterior, lib. viii, 193.
Inſtita quid, lib. i, 14.
Inſtita, lib. i, 198.
Inſtrumentum, lib. iii, 10. Inſtrumentum pro ornamento, lib. x, 114.
Inſufflo aquam, lib. ii, 836.
Inſulas Hieropolim, Pelon, Rhodon, & Coon peſſum abiiſſe, lib. ii, 955. T. Inſulæ vrbanæ, lib. xi, 131.
In tantum in quantum, lib. iii, 69.
Intentio, lib. ii, 768.
Interdico pro interim dico, lib. x, 66. Interdictum quid ſignificet, ibid.
Intereſt homini, pro hominis, lib. ii, 840.
Interfecta lux, lib. ii, 1062.
Interim pro tamen, lib. ii, 596.
Interim pro iam nunc, lib. xv, 127.
Interpellatio quo ſenſu accipiatur, lib. iv, 29.
Interpello, vel ſuauitudine quadam ad voluptatem illicere, vel admonere ſignificat, lib. v, 70.
Interrogatio benigna, lib. iv, 38.
Intimare, lib. xi, 77.
Intolerabilis magnitudo bonorum, lib. viii, 3. T. & 15.
Intra, pro ſupra, lib. i, 12.
Inuenire inquiſitum, lib. ii, 577.
Inueſtis, pro impubere, lib. xvi, 130.
Inuidia impulit Iudæos in Chriſtum, lib. ii, 648. Inuidia cœlum tundere, lib. ii, 977. Inuidia doloris filia, lib. viii, 104.
Inuiſibilis, & inſenſibilis dæmon, lib. ii, 669.
Inutiles, lib. ii. 998.
Ioannis Baptiſtæ opus cum ſuo ſpiritu tranſiuit ad Chriſtum, lib. vi, 3. T. Ioannes Baptiſta loro cinctus vt miles, lib. x, 310. T.
Ioannes recubuit ſuper pectus Domini quia vltimo loco, lib. xv, 155.
Iob omnem patientiæ ſpeciem aduerſus diaboli vim expunxit. Fruſtra cæſus à Diabolo, lib. viii, 262. & 263. Iob tot doloribus à reſpectu Dei non fuit auocatus, lib. viii, 264. T. in illo feretrum ſeu trophæum erexit Deus, ibid. 265. T. vexillum erexit de gloriæ ſuæ inimico, ibid. ad Spectaculum Iob Deus ridet, Diabolus diſſecatur, lib. viii, 266. T. erumpentes beſtiolas in eoſdem ſpecus ludendo reuocabat, ibid. Operarius victoriæ Dei. Duplicata omnia poſſedit præter filios, ne ſine aliqua patientia viueret quo ſenſu? ibid. 268. Iacobi elogia, lib. viii, 270. & 271. Fimi ipſius adorandi gratia multi peregrini in Arabiam pergunt, ibid. 270. totum corpus erat vlcus, ibid. 263. Iobi vxor venenata infundebat iacula, lib. viii, 278. Filios vicarios genuit Iob, ibid. 279.

Iones Asiam instruunt nouis vrbibus, lib. i, 35. T.
Iordanis arbiter finium, lib. i, 31. T.
Ioseph faber & quæstuarius, lib. ix, 434.
Ioues trecentos esse dixit Varro, & sine capite truncos, lib. ii, 469. T. Iouis mortui testamentum, ibid. 478. T. Iouis cineres apud Cretam, lib. ii, 733. T. Iouis nomine Deus verus intelligitur, lib. iv, 45. Ioui immolabatur bos auratus cornua, lib. xv, 224.
Ira timetur, lib. iii, 22. Ira homicidio superponitur. Non est perfecta ira quæ non prosilit ad verba, lib. vi, 97. T. ira leuis est, de qua Paulus, Sol non occidat super iracundiam, &c. ibid. 104. mater odij, ibid. 105. Ira filia impatientiæ, lib. viii, 94. T. de ira, ibid. 107. Iræ gradus tres, lib. viii, 152. Ira non perseueret vsque ad occasum solis nè vertatur in odium, lib. viii, 232.
Irreligiositas, lib. ii, 718. & 755.
Irrufata barba, lib. ii, 682.
Irrumatio genus horrendæ libidinis, lib. ii, 322.
Isaias secatur, lib. viii, 269.
Isis in Deam admissa, lib. ii, 206. Isis eadem quæ Ceres, lib. iii, 25. & linteata, ibid.
Iubæ pectinem passæ, lib. i, 159.
Iudaicæ res longè superant veterana quæque monumenta Gentilium, lib. ii, 585. T. & 587. T. Probat antiquitatem Iudaicam, ibid. 589. T. Iudaicus, pro Christianus, lib. iv, 43.
Iudæi zelatores, lib. ii, 245. Iudæorum sublimitas olim; nunc extortes, palabundi sine homine, sine Deo, Rege &c. lib. ii, 612. T. Iudæi mulctati oculorum, & aurium fruge, lib. ii, 619. T. Iudæi inflati fiducia patrum, ibid. 633. dispersi vbique terrarum, 634. Iudæum examen, lib. ii, 957. T. Iudæi cur prostrati orent, nec attollant manus, lib. vi, 109. Iudæi familia Dei fuerunt, lib. viii, 27. Iudæi impij, & alia elogia, lib. ix, 48. Iudæis ingenita luxuria, lib. xv. 164.
Iudæ proditionem non denotauit Christus Dominus, lib. viii, 46.
Iudæ epistola suspecta quod in illa mentio fiat scripturæ Enoch, lib. xi, 56.
Iudex inaudita causa neminem condemnet, lib. ii, 3. T. Immusicum musicum denotare, taxat Anacharsis, ibid. 9. T. Iudex conscientia, lib. ii, 378. Iudex non idcirco iudicet vt ignoscat; secus pater, lib. viii, 190. Iudicis impatientia, ibid. 191.
Iudico, lib. ii, 126.
Iudicium prudens de manifestis occulta eruit, non manifesta de occultis, lib. ii, 78. T. Iudicij die vtriusque meriti dispunctio fiet, lib. ii, 571. T. Iudicij dies seu clausula sæculi retardatur Romani imperij commeatu, ibid. 827. T. Iudicij die expungenda bona & mala merita, lib. ii, 1053. T. Iudicum iniquitas probatio est innocentiæ rei, lib. ii, 1080. T. Iudicij die & materiam, & memoriam resumendam, lib. iii, 31. T. Iudicij diem petimus cùm dicimus, Adueniat regnum tuum, lib. vi, 54. Dies iudicij votum est Christianorum, ibid. 55. T. quale spectaculum in die iudicij, lib. vi, 61. Iudicium temerarium martyrium deputat humano consilio, lib. ix, 13. Iudicij dies in proximo est; in illo Christus superbus triumphans, lib. ix, 420. T. iudicij dies spectaculum, ibid. natiuitates sæculi vno igne haurientur, ibid. 421. T. Iudicij dies, dies Christianæ exultationis, & Angelorum, lib. ix, 430. dies timoris, & trepidationis, ibid. 431, Iudicij dies, dies Christianæ exultationis, lib. xii, 63. T.
Iuliæ legis, lib. ii, 123.
Iuliæ Augusti filiæ intemperantia, lib. xv, 259.
Iuno pluuiarum pollicitatrix, lib. ii, 688. Iuno eadem quæ cœlestis Dea, ibid. 726. Iuno prætulit Carthaginem Samo vbi nata, lib. ii, 733. T. Iunonem in aëre exorare, lib. iii, 25. Iunoni dicatus currus, lib. ix, 143. Iuno Achæa, lib. xiii, Iunoni vitem induxit Callimachus, lib. xv, 122. T. & 135. ornatus signi Iunonis, ibid. 122. T.
Iuppiter Belus fuit, lib. i, 62. Iuppiter flens, & monstri ope liberatus, lib. ii, 466. T. Iuppiter Sarpedonem flet, ibid. 473. Iuppitres trecenti, lib. ii, 477. Iuppiter squammatus, cornutus, plumatus, ibid. 614. T. Iuppiter squammatus, lib. ii, 639. Iuppiter Platonicus, ibid. 719. Iuppiter in Creta mortuus, lib. ii, 748. Iuppiter Elicius, Elicitor, Nubicogus, Grandistrepus, Pluuius, Fructifer, Descensor, Fulminator, Æther, lib. ii, 977.
Iurare per vitam suam, lib. v, 40.
Iurisconsulti Sacerdotes iustitiæ, lib. ix, 236.
Iustitia Gentilium sugillatio est, lib. ii, 399. T. Iustitia charissima Deo, lib. v, 19. Iustitiæ arduus murus, lib. x, 12.
Iuuenes muliebres munditias antecedunt, lib. xii, 77.
Iuuenis feruor, lib. xvi, 22. & 23.

L.

Labores si modici, contemptibiles; si magni, non diuturni, lib. ii, 1007. T. labores oratione Dominica deprecamur, si in voluntate Dei sint, lib. vi, 45. & 46. T. Labores qui patitur beatus est; cuius emendationi Dominus instat, lib. viii, 202. T. dissimulatione quasi nos decipit, ibid. Labores vndequaque, ibid. 203. T. Quibus corripimur, prædestinationis signum, ibid. 213. Labores quasi lusus ridendi, lib. viii, 278.
Lacænæ virginis amictus neque ad poplitem fluebat, lib. i, 12.
Lacerti Bellonæ resecantur, lib. ii, 686. Lacertos castrandi consuetudo in honorem Pissinuntiæ, lib. ii, 742.
Lacrymæ impatientes pro defunctis species desperationis est, lib. viii, 157. T. & 163. & 170. moderatè lugendum in propinquorum morte, ibid. 164. 165. & 170. Lacrymis misericordia Dei rependitur, lib. xi, 8.
Lacones flagella sub oculis tolerant, lib. ii, 1078. T. Lacones flagellati, ibid. 1095. Lacones filios flagellabant in honorem Dianæ, lib. vii, 78. & 39.
Lactare pro trahere, lib. v. 128. Lacunaria & nubes opponuntur, lib. ii, 720.
Lais meretrix, lib. ii, 460.
Læsura, lib. viii, 135.
Lamech primus fuit qui habuit vxores duas, lib. xiii, 20.
Lamiæ, lib. ii, 252.
Lana redimiculi genus, lib. xvi, 263.
Lana optima quæ in Bætica & nonnullis Italiæ vrbibus, lib. i, 76. T. Lanæ Mileti in magno pretio, lib. xi, 16.
Lanificij inuentor aut Mercurius, aut Minerua, lib. i, 74. T. Additur Noëma, ibid. 96.
Languor in ceruis restitutio est iuuentutis, lib. i, 88.
Lanista, lib. i, 197. Lanistæ Magistri & Præpositi vocantur, lib. vii, 13. sua præcepta scripto dabant, ibid. 14.
Lanistæ etymon, lib. x, 191.
Lapidibus & cædibus exigendus, lib. ii, 1057.

Lapilli pretiosi stuporem fœminarum ædificant, lib. xi, 79. T. de stupore lapillorum, ibid. 85. subdolè vt floreant substruuntur, ibid. 85. apud quos vilissimi, ibid. 96.
Lares nullo in pretio apud Romanos, lib. ii, 437. T.
Larentina eadem cum Flora, lib. ii, 459.
Lasciuiarum eruptiones, lib. ii, 951.
Lasciua pro festiua, lib. ii, 96.
Latiares ludi sacri Ioui Latiari Scenici fuere, lib. ix, 93. & 94. Latiaris Iuppiter, lib. ii, 340.
Latrare de dolio, lib. i, 190.
Latrare philosophorum est, lib. ii, 1022.
Latrocinor, furari admista cæde, lib. viii, 138.
Latrones Augustus fecit puniri, lib. ii, 63.
Latro fœlix crucem mutauit in triumphum, lib. vi, 50.
Lauantium prædo, lib. ii, 1003.
Laurea corona expiat, lib. xv, 137.
Laureata ianua, lib. xiv, 56.
Laureis postes obumbrare, lib. ii, 865.
Laurentia Romanorum Dea Lupa prostitutissima, lib. ii, 733. T.
Lecticæ aliæ à sellis, lib. i, 201.
Lectus discubitorius, lib. xv, 164.
Legum tutores, lib. ii, 106. T. lex quæ ab homine concepta errare potest, ibid. 108. T. legum sylua cæditur, ibid. 110. lex Papia, & desecandis debitoribus, erasæ, ibid. Lex nomen puniens, stulta, lib. ii, 103.
Lemniscis ornata Corona, lib. xv, 226. Lemniscus fascia est ornans comam, ibid. 227.
Leno latrinarum antistes, sericis & monilibus ornatus, & Cereri initiatus, lib. i, 127. T. & 128. notam habent vittæ, & galeri priuilegium, ibid. Leno, lib. i, 197. Leno est & philosophus & censor, lib. ii, 916. T. Leno coloratus, lib. ix, 348. & 349.
Lenociniorum plura genera, lib. v, 153. T. lenociniis negotiatur, lib. viii, 305. T. Lenocinia, fucus, vt purpurissum, cerussa, &c. adulterium, lib. ix, 356.
Lentulus mimographus, lib. i, 167. Lentulus Comicus, lib. ii, 485.
Leo simiarum cibo sibi medetur, lib i, 88 Leo homicidæ poscitur, lib. ix, 317. Leo delitiæ non honestæ, ibid. 27. ad Leonem sermo proprius, lib. ii, 966.
Lesbiazein, lib. ii, 354.
Lex antiqua suppletur per nouam, lib. vi, 13. Lex in Christo Domino ampliata, ibid. 103. Lex antiqua malum patiebatur fœnerari, lib. viii, 116. T. Lex naturalis, & natura legalis, lib. xv, 109. T. multa de lege naturali vsque ad 117.
Libare sudorem, lib x, 74.
Libacunculum, lib. ix, 399.
Liberi alibi creandi, lib. ii, 937.
Liberi Patris festum vindemiale magna corona celebratur, lib. xv, 140.
Liberalibus discumbebatur in publico, lib. ii, 993.
Liberalitas Dei non est seruitus, lib. v, 60. T.
Liberalia, lib. ix, 75.
Libertas est Deo parere, lib. xvi, 52.
Libertini, lib. i, 195.
Libido notos fecit homines, lib. i, 173. libido comes, lib. ii, 365. libidines dæmonum, lib. ii, 671. libidinis scintillæ luxuriæ æstus, lib. ix, 373.
Libitinæ feretrum mortuorum, lib. xv, 260.
Licet, sollemne verbum fori, lib. ii, 117.
Lignum fumigans, Iudæi, lib. viii, 43. Lignum pro equuleo, lib. viii, 259. vel compede lignea, ibid.
Lilia vtraque quæ, lib. xv, 272.
Limus scabrities dentium, lib. v, 159.
Limentinus Deus limini præest, lib. x, 255.
Linea alba, linea funambuli, lib. xv, 53.
Linguæ amaritudo, lib. viii, 151. erumpere proprium linguæ est, ibid. linguæ venenum, lib. viii, 118. T. & 123. linguæ exhauriuntur, lib. viii, 229. T.
Linteum apud Ægyptios, lib. iii, 25.
Lini viror mox nitet, lib. i, 101. Ægyptij Sacerdotes lino vtebantur in sacris, ibid. 102. linum pro filo siue linea, lib. xi, 129.
Lippus, lib. i, 241.
Liquare pro filarim distrahere litia, lib. i. 96.
Liquet, pro licet, lib. v, 80.
Lis an conueniat Christiano, lib. xv, 189. T.
Litaniæ in Ecclesia confectæ ad similitudinem precum quas Romani fundebant ad suos Cæsares, lib. ix, 317.
Litem manu agere, ibid. 312. & 313.
Litterarum thesauri, lib. ii, 573. T. Litteræ indices, custodésque rerum, ibid. 585. T. Litteræ Assyriæ, lib. ii, 592. Litteræ vicariæ vocis, lib. x, 354.
Litteratura instrumentum ad omnem vitam, lib. x, 161. T.
Liuere inuidere est, lib. viii, 298.
Loci genius, lib. i, 163.
Locus pro sepulchro, lib. iii, 49.
Loquacitas pro eloquentia, lib. viii, 71. & 102.
Lorum pro fascia, lib. x, 315.
Lotio Saturnalibus, lib. ii, 987. T. & 991.
Lotio pedum in more fuit Christianis, lib. xiv, 39.
Lucerna diem infringit, lib. ii, 851. T. Lucernis diem infringere, lib. ii, 866. Lucernariæ preces, ibid. 948. Lucernarum appensio ad ianuas mos Gentilium est, lib. x, 251. & 252.
Lucis traduces, lib. ii, 616. T. & 618.
Lucis flores, lib. viii, 24.
Lucis paupertas, lib. viii, 250. T.
Lucis fons, lib. ix, 300. Lucius Titius, lib. ii, 91.
Lucretia, lib. vii, 72.
Lucri cupiditas, lib. viii, 137.
Luctus ad mortuos spectat, non ad pœnitentes, lib. v, 132.
Lucullus inuentor cerasi, lib. ii, 598. T.
Lucunculum, lib. ix, 399.
Ludi gladiatorij atrocitas, lib. ii, 909.
Ludorum origo ex Ethnicorum instrumentis comprobanda, lib. ix, 59. T. Auctores qui super hac re, ibid. 60. Ludi à Lydis vocantur, lib. ix, 62. T. vel à Ludo, is, ibid. 63. T. Ludi causa idololatria, ibid. 63. & 64. Ludi Luperci, lib. ix, 63. T. item liberalia, ibid. 65. T. Ludi Consualia dicti, dein Equiria, lib. ix, 66. T. ex Hetruria ludiones acciti à Romanis, ibid. 71. Ludi Tarpei, & Capitolini, ibid. 82. Ludi Scenici qui, qui & Circenses, lib. ix, 87. & 88. & ab 89. vsque ad 97. apparatus ludorum Circensium, ibid. 99. T. & 100. Ludi vani, lib. ix, 271. Ludorum nomen Scenicos & Circenses amplectitur tantum, ibid. 175. Ludorum mater idololatria, lib. ix, 256. Ludus coronatur & scholæ, lib. xv, 259. Ludimagistri idololatria, lib. x, 156. T. & 157. suppetit puerulis vectigalia ad Deorum festa, ibid.
Ludia, lib. ix, 72.
Lydi, ludiones, ibid.
Lumen pro purpura capitur, lib. i, 11.
Lumen floret, lib. ii, 396. T.
Lumina obseruata ad preces, lib. ii, 948. Lumina lapillorum, lib. xi, 37. Lumen cùm accenditur frons cruce signatur, lib. xv, 77.
Luna menstruis modulationibus variat, lib. i, 27. T. Luna masculus, lib. ii, 486. Luna præest foribus, lib. x, 257.
Lunulæ è collo, lib. xii, 106.
Lunchus pro hasta, lib. xv, 201.
Lupanaria coronata, lib. x, 250. Lupanaria corona-

bantur, & ramis ornabantur, lib. ii, 852. Lupanar consistorium impudicitiæ, lib. xiv, 57.
Lupæ nundinæ libidinum, lib. i, 201.
Luperci, lib. ii, 763.
Lupercos ludos pro ludionibus, lib. ix, 63. erant iuuenes Luperci, qui festum agebant lupæ, ibid. 73.
Luscinia floret in plumis, lib. i, 83.
Lusorius, lib. ix, 258. & 259.
Lustricum dies in quo nomen imponitur, lib. x, 267.
Lutea vnctio, lib. i, 134.
Lux interfecta ad splendorem, lib. ii, 1051. T. Lux quotidie interfecta resplendet, ibid. 1061.
Luxuria insultante, lib. i, 158. Luxuria Philosophorum, lib. ii, 1017. T. Luxuriam refrenare agnatum verbum, lib. v, 92. Luxuria carnis appellatur congressio, quia nocturnis, & furtiuis bellis, lib. x, 16. Luxuria vapor, lib. xi, 41. Luxuriæ vaporata momenta, ibid. 27. T. Luxuriæ negotium, lib. xii, 112. Luxuriæ ardor, lib. xiii, 34.
Lycurgus, eo quod ipsius leges emendatæ essent à Lacedæmoniis, inedia de se iudicauit, lib. ii, 109. T. Lycurgus se interficit, lib. ii, 1031.

M.

Macedones incesti, lib. ii, 327. T.
Maculæ mensarum magno in pretio, lib. i, 251.
Mæandricus fluxus, aut flexus, lib. i, 194.
Magi ludunt, lib. ii, 666.
Magi tacito susurro numina precabantur, lib. vi, 126.
Magi, lib. ii, 999.
Magister in bello, lib. ii, 807.
Magistratus Christiani purpura reprehenditur, vt idololatriæ insignia, lib. x, 284. vsque ad 293. Magistratus volaticum gaudium, lib. v, 162.
Magnanimis, lib. viii, 239.
Maiestas scripturarum, lib. ii, 607.
Malum fœneratur, lib. viii, 116. T.
Malus pro dæmone, lib. viii, 208.
Maletractatio vnica dictio, lib. v, 171. Ad malum multi performantur, lib. ii, 11. T. Omne malum aut timore, aut pudore à natura perfusum, ibid. 11. T.
Manceps, lib. ii, 402.
Mancipo, lib. ii, 718.
Manethon, lib. ii, 598.
Mane dictum quia tunc manat dies ab Oriente, lib. ix, 300.
Manticularius, lib. ii, 1002.
Manubiæ, lib. ii, 756.
Manufacta, id est coniunctis precibus, lib. ii, 924. Deo grata, 925.
Manumissi coronabantur, lib. xv, 254.
Mantuum ablutio ad sacrificandum apud Gentiles, apud Iudæos, & etiam apud Christianos in more fuit, lib. vi, 111. & 112.
Manus expansæ in orando, lib. ii, 803. Manus confitetur, lingua negat, lib. x, 69. T.
Mannæ escatilis pluuia, lib. viii, 100. & 110.
Mappa in Circo, lib. ix, 234.
Marciani Imperatoris portentum, lib. ii, 835.
Marcus aliquando idem est ac quidam, lib. x, 326.
Marcus Tullius emit citream mensam, lib. i, 250.
Marcus Aurelius precibus Christianorum imbrem impetrauit in expeditione Germanica, lib. iv, 33. T.
Mare ebibit terra, lib. ii, 955. T. Mare mortuum vnde sic dictum, lib. i, 58. & 59. Maris infamis est fides, inconstantia sollemnis, lib. i, 28. T. & 46.
Margaritum dura & rotunda verruca, lib. xi, 81. T.
Margaritæ candor, lib. xi, 20. Margaritas quæ maria ferant, lib. xi, 88.
Margo pro loco superiori, lib. i, 226.
Maria Virgo & mater, quomodo non nupta, lib. ii, 615. T. & 616. Maria non est dicenda quæstuaria, lib. ix, 435. Maria Virgo Christum parit, lib. xvi, 13. mulier dicta, 93. T. vsque ad 98.
Maritus castitatis exactor, lib. xii, 36. T.
Mariti dote venales, lib. viii, 303. T. Lenociniis negotiantes, ibid. 305.
Marmorarius, lib. x, 122.
Mars tredecim mensibus vinctus, lib. ii, 466. T. & 472.
Martyres ad similia passi quàm dij gentium, lib. ii, 414. T. & eadem latè prosequitur aptando supplitiorum genera martyriis, ibid. 415. T. Martyres & dementes, & obstinati credebantur, lib. ii, 764. T. Martyr de triumphat dæmonas, lib. ii, 766. T. Martyrij auiditas, ibid. 895. Martyr alumnus confessionis suæ, lib. ii, 913. T. & 914. Martyrum tormenta ipsorum sunt arbitrium, ibid. 1072. T. Martyr Christiana magis ad Leonem, quàm ad lenonem damnari cupit, lib. ii, 1080. T. Martyri delicta donantur, ibid. Martyres designat, lib. vii, 1. T. & 8. & 9. Martyribus Ecclesia præbet alimẽta, ibid. 2. & 6. & singuli fideles, ibid. 12. Martyres quomodo pacem exorent, lib. vii, 4. T. Martyrum viuentium quanta olim auctoritas, ibid. 5. Martyr Confessor appellatur, ibid. 9. Martyres benedicti dicuntur, lib. vii, 7. Martyres gladiatores sunt, ibid. 13. Martyres vt agmina locustarum, vt grana pretiosissima frumentorum, lib. vii, 20. Cùm educebantur ad supplicia fideles ferebant cereos, & infantulos suos vestigiis Martyrum proiiciebant, ibid. Martyr lumen est, ibid. & 23. T. & 33. Martyribus carcer non est carcer, ibid. Martyr renuntiauit carceri, lib. vii, 23. T. extra sæculum, ibid. Martyres non in carcerem, sed in custodiarium trãslati, ibid. 21. T. Martyr est Athleta, lib. vii, 47. T. Martyres philosophiæ animo suo ducti, ibid. 72. Martyres in vltroneum funus ornantur, lib. vii, 86. Martyres erudiuntur ad obstinationem abdicatione voluptatum, lib. ix, 6. T. Martyr producitur velut ad triumphum in experimentum fœlicitatis, lib. viii, 251. T. Martyrum secunda intinctio, ibid. 251. Martyris stola & candida, & ruffata, lib. xv, 32.
S. Martini imago in baptisterio cur locata, lib. v, 91.
Massiapan, aut Mazapana vnde, lib. iii, 44.
Matrimonia replendo, & instruendo sæculo instituta sunt, lib. xiii, 14. T. Matrimonio expiatur concupiscentia, ibid. 57. T. matrimonia legibus locantur, & præmiis afficiuntur, lib xiii, 65. matrimonij sarcina, ibid. 66. matrimonium nexus est, lib. xvi, 90. cur contumelia vocetur, lib. xvi, 159.
Matronæ communi habitu cum prostibulis, lib. ii, 193. Matronæ in quo distinguantur à lupis, lib. i, 204.
Matronales dies, lib. x, 234.
Mattya edulium defunctorum, & mactea, lib. iii, 44.
Mauritaniæ dij Reguli, lib. ii, 727.
Medicus artifex sanitatis, lib. ii, 467. T. & 468.
Medica vestis Alexandrum vicit, lib. i, 177.
Medius fidius. explicatur hoc iuramenti genus, lib. x, 327.
Medi ante Romanos, lib. ii, 761.
Megalenses ludi, lib. ix, 89.
Megarenses obsonant quasi cras morituri, & ædificant quasi æternum victuri, lib. ii, 918. T. Megarenses luxu diffluentes, ibid. 937.
Memoria pro generatione, lib. ii, 327. T.
Memoria cana, lib. ii, 591.
Memoria pro sepulchro. lib ix, 96.
Mendacium, id est, idololatria, lib. ii, 500. Mendacium nullum ad proferentis dedecus, ibid. 693. T. mendacium adulterium est, lib. x, 3. mendacium diaboli negotium est, lib. xii, 39. T.
Mensæ diuinant, lib. ii, 698.

Mercatorum cupiditas quot ſubit pericula, lib. viii, 137.
Merces pro mactandis infantibus, lib. ii, 289. & 290.
Mercenaria aduocatio, lib. ii, 51.
Mercurius lanificij auctor, lib. i, 74. T. Mercurio immolati homines, lib. ii, 338. Mercurius examinat mortuos cauterio, lib. ii, 495. Mercurius etiam præerat palæſtris, lib. ix, 184. Mercurius primus litteras enarrauit, lib. xv, 148. T. neruos in ſonum ſtrinxit, ibid.
Meretrices nundinæ ſunt popularium libidinum, lib. i, 127. T. occiſæ, & iugulatæ caſtitatis reæ, ibid. 127. T. & 128. Meretrix Attica comeſtam linguam in faciem tyranni expuit, lib. ii, 1078. T. Meretricis elogia, lib. vii, 39. Meretricis occurſus cur fauſtus? lib. viii, 109. Meretrices hoſtiæ libidinis, lib. ix, 240. T. Meretricibus interdicitur cultus matronarum, lib. xii, 114. & 118. T. publicarum libidinum victimæ, ibid. 117. Meretricibus tantum permiſſus ornatus apud Lacedæmonas, lib. xii, 120. Meretrices obnubunt caput, ibid. 121.
Meri guttæ, lib. ii, 813.
Meſſalina Claudij Cæſaris vxor Arabiæ fœminas vocabat infelices, quod amare magis quàm amari poſſent, lib. xvi, 257.
Meſſia Dea, lib. ix, 128.
Metæ primæ, lib. ix, 81.
Metalla effodi, lib. ii, 428. Metalla ſuſpirant, ibid. 1004. Metalla nudantur Angelorum opera, lib. xi, 34.
Mica thuris, lib. ii, 812.
Midæ Regi ſuadet Silenus Meropas aliam immenſam continentem incolere, lib. i, 40. aures habebat aſininas, ibid. Midæ hortus ſpontaneis perennabat roſis, lib. xv, 271.
Mileti oues ad texendum veſtes, lib. i, 99.
Milites concuſſores, lib. ii, 246. Miles de carnifice, lib. ii, 65. Militis labores, lib. vii, 45. T. Milites deambulant in armis, & exercebantur ad pugnas etiam vacante hoſte, lib. vii, 53. Milites defuncti cremabantur, lib. xv, 202.
Militia cur vetita à Tertulliano, lib. x, 310. T. & 312. obnoxia idololatriæ Tertulliani æuo, ibid. 306. T. vſque ad 311. Militia Gentilium cur illicita, lib. xv, 188. 189. & 190. cierabat patrem, & matrem, & omnem proximum, ibid. & 197. Militia non eſt relinquenda à Chriſtiano, lib. xv, 192. T.
Milui, mures, aranеæ deorum, lib. ii, 433.
Mimice, lib. ii, 1027.
Minerua lanificij inuentrix, lib. i, 74. T. pro ſtamine capitur, ibid. 97. Mineruæ galeam calceare, lib. iii, 26. Mineruæ dicata prima magiſtrorum ſtipes, lib. x, 158. T. Minerua prima molita fuit nauim, lib. xv, 148. T. eadem lanificium commenta eſt, ibid. Minerua olea militiam coronat, lib. xv, 220.
Minerual erat ſtipes quam magiſtris diſcipuli ſoluebant, lib. x, 170.
Minutio capitis triplex, lib. ix, 329.
Minuti Dij, lib. ii, 444.
Minos, lib. ii, 709.
Miracula circulatoria, lib. ii, 696.
Miſericordia Dei improbis commeatum facit delinquendi, lib. v, 55. T. Miſericordiæ diuinæ profuſio, lib. v, 112. T.
Miſſilia grandines dicuntur, lib. i, 45.
Mithra Deus Sol eſt, aut ignis, lib. xv, 284. eius miles initiatur in ſpelæo tenebricoſo, ibid. 185. & 186. In inauguratione cruciatibus, & contumeliis afficiebatur, lib. xv, 287.
Mitra ornamentum capitis fœminei, lib. xvi, 263.
Modeſtia Ethnica meratior aut mœratior & barbarior, lib. xvi, 268.
Modiperator tranſacto conuiuio coronabatur, lib. x, 124.
Modulatio eſt compoſitio, compinctio, aptatio, lib. i, 44.
Mola ſalſa, lib. ii, 337.
Monachus & miles & pugil, lib. vii, 51.
Monaſtica vita in tempore Tertulliani, lib. xvi, 253.
Monela, lib. viii, 149.
Monitor, lib. ii, 807.
Monogamia Gentilibus in laude fuit, lib. xiii, 21.
Montes in diluuio aquarum molibus obruti, aduerſus Platonem aſſerit, lib. i, 29. T.
Moralis medicus, lib. i, 248.
Mori cum voluptate, lib. ix, 407.
Mortare pro morſare, mortificatio id eſt morſificatio, lib. ix, 41.
Mors aſylum, lib. ii, 884. T. Mors ad vitam, lib. ii, 1051. T. Mors vitæ diſpunctio, lib. iii, 31. T. non eſſe timendam, ibid. 35. T. Mors profectio eſt. Cur impatienter feras ſubductum, quem credis reuerſurum, lib. viii, 155. T. Qui impatienter mortuos ſuos luget, malè de ſpe ominatur, ibid. 157. T. & 163. Item Chriſtum lædit, ibid. Commemoratione mortuorum requieſcimus, ibid. 159. Non amittimus mortuos, ſed præmittimus, lib. viii, 161. Mors ſomnus appellatur, lib. viii, 159. & 160 Flent Gentes mortuos, quia ſpe reſurrectionis carent, ibid. 162. Moderatè dolendum in propinquorum morte, lib. viii, 164. Mors profectio, peregrinatio, migratio, ſomnus conſueto longior, lib. viii, 166. mortuus antecedit, deſiderandus, ibid. 167. & 168. patienter ferenda propinquorum mors, & ſtulta conqueſtio de illorum obitu, ibid. 168. ſubſequimur mortuos ſignatum verbum, ibid. 169. Gentilium eſt impatienter ferre mortem charorum, lib. viii, 170. & 171. Mortui euocantur vt milites veterani, ibid, 172. Cur de morientibus dicatur ſolui, & recipi, ibid. 173. Mors in votis eſt miſeris, lib. xiii, 62. Mortis beneficium, lib. iii, 41. Mortis deſiderium, deſiderium eſt regni, & ereptionis à ſeruitute, lib. vi, 59. Mortis contemptor ſeruus non eſt, lib. x, 279.
Mortificatio hoſtia placatoria, lib. viii, 246. effecta quinque, ibid. 247. in ſacco & cinere, ibid. 255. inoleſcit, quod ad inſitionem arborum ſpectat, ibid. 246. & 256.
Mortui eadem religione, iiſdem ceremoniis ac dij colebantur, lib. ii, 439. T. & 440. Mortuis ſacra fiunt ſedendo, lib. vi, 130. Mortui non amiſſi, ſed præmiſſi, lib. xiii, 61. Mortui coronabantur, lib. xv, 167. T. & 177.
Mouere labra, lib. ii, 539.
Moyſes antiquiſſimus, lib. ii, 587. T. & 589. T. & 592.
Mularum vſus, lib. xiv. 78.
Mulleus calceus, lib. i. 206.
Mulieris nomine virgo etiam ſignificatur, lib. xvi, 60. T. & 63. T. & 72. T. ſæpè quæ non virgo, ibid. 67. & 74.
Mulieritas, lib. xvi, 199.
Multare, lib. ix, 333.
Multifariam, & cætera id genus non ſunt aduerbia, lib. xiii, 21.
Multiplicatio index latentis boni, lib. ii, 9. T.
Mulus in hominem, lib. ii, 1055.
Mundo incumbimus, lib. i, 25. T. Fœderat diuerſitatis diſcordiam, ibid. 25. T. conſtans mundi varietas, ibid. 425. T. Mundus variat aquarum vi obrutus, lib. i, 29. Mundus habitum mutat, lib. i, 33. Mundi natales, ibid.
Mundus innatus & infectus ſecundum Pythagoram; natus & factus ſecundum Platonem, lib. ii, 396. T.

Mundus ornatus est Dei, ibid. 556. T. Mundus Christianorum Respublica est, lib. ii, 904. Mundum alij natum, innatum alij effingunt, lib. ii, 1036. T. Mundus ex contrariis constat, lib. ii, 1053. T. Mundus carcer est, lib. vii, 21. T. & 31. Mundus homini in mancipium datus, lib. ix, 17.
Munerarius, lib. ii, 1004.
Municipia, lib. ii, 898.
Munire quid, lib. ix, 41.
Munus, munerarius, munerator, munis, immunis, lib. ix, 192. munus ad rogum, ibid. 195.
Munus gladiatorium, lib. ii, 351.
Muræna dentata, lib. i, 254.
Murtia Dea amoris, (non marmoris, aut marcoris) in Circo colebatur, lib. ix, 132.
Musicus monitor, lib. i, 266.
Musica quædam oratio est, lib. vi, 115.
Mutatio & crebra variatio cœli, lib. i. 27. T.
Mutius Scævola, lib. ii, 1090. Mutij manum stillantem spectat Porsena, lib. vii, 73. Mutius dexteram in ara reliquit, lib. ii, 1078. T.
Muta impatientia, & ira, lib. viii, 151.
Muto & actiuum, & absolutum, lib. i, 51.
Mysteriis omnibus ex forma silentij fides debetur, lib. ii, 223. T. Mysterium, lib. ii, 940.
Myrthea corona ouantibus, lib. xv, 217. & 218.

N.

NABVCHODONOSOR Rex post efferationem reuocatur ad mentem per pœnitentiam, lib. v, 170. 171. & 172. ab humana forma exulauit, lib. viii, 248. T.
Næ, id est profecto, lib. ii, 744.
Natalitiis Deorum à sanguine & cæde abstinebant, lib. x, 177.
Natiuitas hominum inferiæ corpore humatur, lib. xiii, 87.
Naturæ argumentum, lib. ii, 287. Natura magistra animæ; naturæ magister Deus, lib. iii, 55. T. Natura est prima omnium disciplina, lib. xv. 92. T. Naturæ eiusdem Christiani & Gentiles, lib. ii, 293.
Nautea pro nausea, lib. ix, 41.
Necessitas reddit sexum, lib. i, 113.
Necessitas depretiat opus, lib. xiii, 27. T.
Necessarior, & necessarius huic Afro vsitatum nomen, lib. viii, 210.
Negare ex fide, id est, ex animo, lib. ii, 47. Negatio delicti delictum in re Christiana expungebat, ibid. 46. T.
Negotiatio est aliquid amittere, lib. vii, 34.
Negotiatores mercium, quæ seruiunt cultui idolorum, idololatriæ obnoxij, lib. x, 180. T. vsque ad 189.
Neptunus operas suas locat Laomedonti, lib. ii, 467. T. Neptunus equestris, lib. ix, 141. Neptunus Consus appellatus est, & cur, lib. ix, 75. Deus consilij & cur, ibid. 77. & 79.
Neptunales ludi, ibid. 92.
Nero Physconem, & Sardanapalum mollitie anteit, lib. i, 119.
Nero primus in Christianos ferociisse scribitur. Tali dedicatore (scilicet Pontifice immolante sanguinem Christianum) gloriatur Ecclesia, lib. ii, 135. T. & 136. Neronis crudelitas, lib. ii, 655. Neronis persecutio, ibid. 152. sub Nerone quis sit, lib. i, 174. Nero intemperans, lib. i, 259.
Nerui communes omnibus, lib. ii, 295.
Neruus instrumentum quod vinctis in capite, aut pedibus iniicitur, lib. vii, 28. & vberius, 43.
Nidores spurci verberant, lib. vii, 37.
Nili incrementum, lib. ii, 965.
Ninus Beli filius, primus Rex, lib. i, 33.
Nisi si, lib. ii, 100.
Nitidi vocantur amoribus occupati, lib. v, 160.
Nobilitas de emendatione vitiorum, lib. iv, 10. T.
Nomen, lib. i, 162. Nomen Christianum quædam ratio æmulæ operationis insequitur. Item nominis prælium, lib. ii, 48. T. nominis crimen, ibid. 50. T. nomen Christianum nomen est emendationis, ibid. 80. T. nominis odium, nominis reatus, ibid. 82. T. De tabella olim recitabatur nomen, & sententia criminis capitalis, lib. ii, 50. Nomen Christiani non est à suauitate, lib. ii, 85. T. sed ab inunctione, ibid. 82. T. Nomen pietatis gratius, quàm potestatis, lib. ii, 844. T. Nominis seruandi ambitio, lib. iii, 37. T. Nominalium celebritas, lib. x, 267. Nomina criminum, ibid. 20. Nomen pro debito, lib. iv, 46.
Non pro nonnè, lib. v, 87.
Non negare quid sit, lib. ii, 73.
Non pugnandum in Deum, lib. iv, 37.
Nosse seipsum, lib. ii, 1065.
Nota apposita vini amphoris, lib. xii, 22.
Nouacula vultus mutat, lib. ix, 351.
Nouellum quid sit, lib. ii, 628.
Nouemdial, lib. iii, 44.
Nouis discipulis ratio orandi noua, lib. vi, 11. Nouum vinum nouis vtribus condi debet, ibid. 12.
Nouitas aliquando venerationis causa, lib. ii, 374. T.
Nouitius quasi catechumenus, lib. v, 66.
Nubere proprium verbum expectans ad fœminas: ab Ecclesiasticis auctoribus ad viros extenditur, lib. xiii, 19. Nubere etiam viro competit, lib. xiii, 95. Nubere in Domino est Christiano nubere, lib. xiv, 7. & 11. T. Nuptiæ cum ethnico stuprum, ibid. 19. T. & 23.
Nubilum Religionis de lege Moseos, lib. ii, 629.
Nudipedalia, lib. ii, 975.
Nullus, pro nunquam, lib. ii, 162.
Nulla Pandora, sermones nulli, pro nullius efficaciæ, lib. xv, 131.
Numidæ cæsariatos alebant equos, & ipsi ad verticem tondebantur, lib. i, 3. T. Numidia, ibid. 137.
Nummus imagine signatus à Saturno, lib. ii, 372. T. Nummos signauit Saturnus, lib. ii, 388. Nummus ideo adulter, aut quia caret Regio signo, aut quia subæratus, lib. v, 77. & 78. Nummus asper qui, ibid. 78. qui probatus, ibid. 79.
Nupta quàm solicita, lib. xiii, 38. Nuptæ cum Ethnico satisfacere Christianæ disciplinæ nequeunt, lib. xiv, 26. T. & 28. T. Nuptæ fœminæ alterius pudicitiæ, lib. xvi, 254. T. in nuptias inciderũt, ibid. & 262.
Nuptiarum bonum mali comparatio commendat, lib. xiii, 28. T. & 35. Nuptiarum incentiua concupiscentia, & ambitio, lib. xiii, 41. T. & 42. T. & 47. Gloria & cupiditas subornant concupiscentiam fœminæ ad nuptias, ibid. 44. T. & 50. Nuptiæ seruitus vxoris. lib. xiii, 83. T. & 88. Nuptiæ Christianorum inuestes sine dotalibus, lib. xiv, 81. T. Alia Christiani matrimonij propria, ibid. & 83. Nuptiæ non celebrandæ cum Ethnicis, aut alienigenis, ibid. 85. Nuptias Ecclesia conciliat, ibid. 86. Nuptias confirmat oblatio, lib. xiv, 86. recens nuptis datur Eucharistia, ibid. Non celebrabantur nuptiæ clandestinæ, neque sine parentum consensu, lib. xiv, 87. Nuptiarum iugum, & vincula, ibid 88. Nuptiæ à nubẽdo, quod est operiendo, lib. xvi, 183. velamen flammeum dicebatur, ibid. Nuptiæ etiam de aspectu & animo fiunt, lib. xvi, 166.
Nutu tradere, lib. i, 194.

O.

OBDVCO quid, lib. ii, 1082.
Obduco idem quod vinco, lib. ii, 1077.

Obducor, id est conuincor, ibid. 1021.
Obedientia seu obsequium de patientia trahitur, lib. viii, 60. T.
Obeliſci enormitas, lib. ix, 130.
Oblati puniendi, lib. ii, 62.
Obſequij ratio in animorum ſimilitudine ſita eſt, lib. v, 31. T. & 38. Obſequium artificium eſt promerendi, lib. viii, 53. T. Obſequium coactum, ibid. 311.
Obſeruatio forma eſt traditionis, lib. xv, 45.
Obſeſſa ciuitas, lib. ii, 24.
Obſonia defunctorum, lib. iii, 43.
Obſtinati cur dicerentur Chriſtiani, lib. ii, 1100.
Obſtinatio in bonam partem, lib. ii, 782.
Obſtrepere, obſtrigillare, obdicere pro impedire, lib. ix, 10.
Obſtruo, lib. ii, 19. Obſtruere gradum, lib. ii, 768.
Occaſio properat, lib. xiii, 88.
Occentare, lib. xii, 31.
Occidentem verſus diabolo renuntiabant, lib. ii, 533.
Occiſa caſtitas, lib. i, 203.
Oculi emiſſitij, vel proiectiones oculorum, lib. i, 90. Oculi clauſi, lib. ii, 88. Oculorum ſolitaria concupiſcentia, ibid. 1005. T. Oculi vel viſu contaminantur, lib. v, 24. T. per oculos cupiditas init prima pugnæ præludia, lib. v, 30. Oculi intuentes loca libidinum impingunt, lib. vii, 25. T. & 39. Oculus libidinosè impingit, lib. x, 17. T. & 22. & 23. Oculos fœminæ picturatos, lib. xi, 39. Oculos fuligine collinunt fœminæ, lib. xii, 46. Oculi viri conſtuprant virginem, lib. xvi, 47. T.
Occurſus virginis infauſtus, meretricis fauſtus cur? lib. viii, 109.
Odium in Chriſtianos, lib. ii, 22. & 51. Odium cæcum eſt, lib. ii, 96. Odium erga Chriſtianos, ibid. 99. Odium filius iræ, lib. vi, 105. Odium vile, lib. vii, 4. T.
Oenotria dicta Italia, lib. ii, 389.
Oeteus non ſolùm Hercules, ſed alij qui cremati vi-ui, lib. ii, 494.
Officium erga amicos, lib. x, 264.
Offulæ, lib. ii, 301.
Olea in oleaſtrum inſeritur, lib. iii, 63. arbor pacis, lib. xv, 220.
Oleum curat, lib. iv, 42.
Omen infauſtum, lib. ii, 850.
Omphalis fabula, lib. i, 154. & 155. & 159. & 165.
Ononychites, lib. ii, 549.
Operor, verbum ſacrorum, lib. ii, 10. & 839.
Opera plures inueniunt diſcipulos quàm verba, lib. ii, 1080. T. Opera, opus & operarium ſignificat, lib. x, 9. Opera bona cur in publico facienda, lib. xii, 124. Opera & operor in malam partem ſumuntur, lib. xv, 14.
Optio cuſtos carceris, lib. ii, 1002.
Oratores humero extra togam erant inter orandum, lib. i, 109.
Orantes ad cælum Chriſtiani, nubes numerare dicebantur, lib. ii, 715. T. Oramus expanſis manibus, quia innocuæ; nudo capite, quia non erubeſcimus, lib. ii, 798. T. Orandum ſine monitore, & cur, ibid.
Oratio opima & maior victima, lib. ii, 799. T. Orantis Chriſtiani habitus paratus eſt ad omne ſupplicium, ibid. 801. Orationis laus, ibid. 804. Oratio quaſi manu facta. Ambimus orantes, vis orationis grata Deo, lib. ii, 911. T. Oratio pro Imperatoribus, pro ſalute ſæculi, &c. ibid. ab oratione relegari futuri iudicij præiudicium eſt, ibid. 911. T. Oratio ad Deum præguſtatur, lib. ii, 920. T. per noctem poſt conuiuium orandum, ibid. Oratio diſcumbentium, lib. ii, 945. abeuntium à conuiuio, 949. Oratio comite ieiunio, cinere, & ſacco, inuidia cœlum tundit, lib. ii, 961. T. & 962. Oratio quaſi legatio eſt ad ſupremũ Regem, lib. v, 134. & 137. & 138. Oratio ne fiat verborum agmine, lib. vi, 6. & 22. item Breuiarium totius Euangelij, ibid. 7. T. & 23. Orationem præſtruunt cæteræ virtutes, ibid. 18. Orandi formam Chriſtus ante Ioannem, & cæteros docuit, lib. vi, 12. Quomodo orandum, ſecretò vel in plateis ipſis, ibid. 19. Oratio ſecreta ad fidem refertur, ibid. 20. Oratio modeſta quæ, ibid. 20. Oratio religionis ſacrum & diuinum opus dicitur, ibid. 20. Oratio fidem ſecum affert, lib. vi, 25. Patrem, filium, & Eccleſiam aduocat, ibid. 26. & 27. & 30. In oratione Dominica, illis verbis, *Sanctificetur nomen tuum*, etiam pro inimicis Deum exoramus, lib. vi, 36. & 42. In oratione cur Deum Patrem appellemus, ibid. 26. T. & 29. & 31. Sanctificare Deum in oratione eſt benedicere, ſeu glorificare, lib. vi, 38. Quicquid à Deo petimus nobis concedendum, id in Deum auguramur, ibid. 52. Cur Tertullianus inuertens ordinem Orationis Dominicæ prius dixerit, *Fiat voluntas tua*, & mox *Adueniat Regnum tuum*, ibid. 56. Deus ſurdus eſt quando temporalia poſcimus, lib. vi, 59. Oratio qua veniam poſcimus, exomologeſis eſt, ibid. 73. T. & 76. Oratio Dominica Chriſti ore animata aſcendit cœlum, ibid. 91. T. calidior, & pinguis, ibid. 94. Ante orationem inimicis omnino ignoſcendum eſt, ibid. 95. T. & 96. T. & 100. Diem vnam ſine oratione tranſigere, temerarium, ibid. 98. T. Talis debet eſſe oratio qualis eſt ſpiritus eam excipiens, lib. vi, 99. T. Ante orationem non abluendę manus, ſed cor, ibid. 106. T. & 107. & 111. Oratio expanſis manibus Chriſto fixo cruci commodulatur, lib. vi, 110. Mos expandendi manus in oratione, ibid. 114. Oratio modulatio eſt, ibid. 115. Orantis exterior habitus, & ſonus vocis preſcribitur, lib. vi, 132. T. 134. & T. 137. T. Cur non ſit eleuanda vox in oratione, lib. vi, 135. & 136. & 137. & 138. Cur poſt orationem pacis oſculum fratribus infigendum, ibid. 139. & 146. Commendatur à ieiunio, animatur à ieiunio, &c. ibid. Oratio curatio eſt, lib. viii, 135. Orationis dos, lib. xiii, 42. T. Oratum per noctem exurgebant Chriſtiani, lib. xiv, 47. Oratione fiunt idola, lib. xv, 177.
Orbitatem aucupari, lib. viii, 305. T.
Orientem ſpectabant Chriſtiani orantes, & ex Gentilibus aliqui, lib. ii, 508. T. & 532.
Originalis gratia ſæculi dos eſt, lib. v, 8.
Ornamenta muliebria ad funeris pompam conſtituta ſunt, lib. xi, 5. T.
Ornatus in offenſam Dei ſtruitur, lib. xi, 43.
Ornatrix dicitur ancilla quæ curat capillitium dominę, ibid. 61.
Ornatus fœminarum ſuperbia diues, lib. xi, 122. T. & 129. & 130. & 132. & 133. & 135.
Ornatu decreſcimus, lib. xi, 128.
Ornamentorum pondera, lib. xiii, 52. Ornamenta onera ſunt, lib. xiv. 74.
Os ſignatum honore taciturnitatis, lib. viii, 285. T.
Oſcilli qui vſus. In feſtis Deorum oſcillatio ſollemnis, & quid innuat hæc ceremonia, lib. i, 24.
Oſculari fœminas, lib. ii, 199.
Oſculum pacis ſignaculum eſt orationis, lib. vi, 139. T. & 144. animos conſociat, &c. ibid. 144. Oſcula in more fuere Chriſtianorum, lib. xiv. 38. Oſculum miſtio & nuptiæ ſpiritus, lib. xvi, 169. T.
Oſſuarium, lib. iii, 49.
Oſtiorum dij, lib. x, 254.
Otium negotio diſcutiendum, lib. xiii, 109. & 110.
Oua Caſtorum, lib. ix, 126.
Oua, oualia, & ſuperoualia, lib. xi, 85.

P.

PACISCOR, lib. ii, 97.
Pædagogium aulicum, lib. ii, 462.

Pagani non milites, lib. i, 197. Paganus quis, lib. xv. 193. & 204.
Palatium, lib. ii, 899.
Palæstræ ſtudia, lib. i, 133. Palæſtra diaboli negotium, lib. ix, 266. T. Palæſtræ geſtus & amplexus, ibid. 277. & 278.
Pallas Attica, lib. ii, 519.
Pallij deſcriptio, lib. i, 3. T. olim quadratum, mox teres, ac rotundum, ibid. 6. Toga prolixa & teres pallium eſt, ibid. 23. Pallio toga poſita induebantur quibus aqua & ignis interdicitur, lib. i, 108. Pallij commoda, lib. i, 221. T. Pallium omnes liberales artes continet, ibid. 264. T. Pallium auguſta veſtis ſuper omnes peplos & titulos, lib. i, 130. T. Pallium philoſophicum, lib. i, 215. Pallium duplex Cynicis, l. i, 240. Pallium efficit morales medicos, lib. i, 248. Pallium & baculus antiquis philoſophis, ibid. Pallium quadrangulum, lib. i, 268. Pallio Saturni coccinata, lib. iii, 24.
Palma velaminis genus, lib. xvi, 274.
Palmata veſtis, lib. ii, 1087. & lib. x, 296.
Pandora à Charitibus muneratur, coronatur, lib. xv, 120.
Panis & caſei formæ, lib. iii, 43. Panis cenſus eſt Chriſti, lib. vi, 62. T. cibus eſt Chriſtianorum, ibid. 63. & 64. Panem, qui in terram decidit, oſculamur, lib. xv, 75.
Pantomimus, lib. ix, 249.
Papia lex ante ætatem matrimonium permittebat, lib. ii, 110. T.
Papiliones expediti & ſubſtricti, lib. vii, 53.
Parabolus idem qui beſtiarius, lib. ii, 993.
Paradiſus locus animarum vſque ad diem iudicij, error Tertulliani, lib. ii, 1047. & lib. v, 175.
Paraſceues dies præcipuo honore colebatur, lib. vi, 150.
Paratura nouitiola, lib. ii, 1044.
Parcæ amanuenſes Iouis, lib. ii, 28.
Parentum nomine cognati ſignificantur, lib. vii, 19. Parentum procraſtinatio in locanda filia, lib. xvi, 167. T.
Paris paſtor, lib. ii, 490. Paris Iudex, ibid. 478.
Parthi per omnia quæque ſua bullarum vice grana inferunt, lib. xii, 95. T.
Participia actiua pro paſſiuis, & contra, capi ſolent, lib. v, 115.
Parturiens fœmina patitur cruciatus peracerbos, præſertim capitis, oculorum vertigines, & tenebras, lib. xi, 11.
Parui dij, lib. ii, 444.
Paſchæ ſollemnibus obnoctabant Chriſtiani, lib. xiv. 36.
Paſſio quid ſit apud Tertul. lib. v, 150.
Paſſionis Dominicæ dies Paſchæ nomine inſignitur, lib. vi, 149. Paſſionis Chriſti Domini probra, lib. viii, 50. Paſſionis ianuæ ſunt lethi, lib. xi, 12.
Paſſim vnde trahat originem, lib. xiii, 25.
Paſſiuitus, id eſt paſſim, lib. i, 78. T. & 107.
Paſſiuitas, lib. i, 195. Paſſiuitas luxuriæ, lib. ii, 361.
Paſſiua licentia, id eſt paſſim permiſſa, lib. xiii, 16. & 24.
Paſtor bonus errabundam ouiculam reducit humeris, lib. v, 116. Paſtores in pace leones, in prælio cerui, lib. xv, ii, T.
Patagium aureus clauus pretioſis veſtibus immitti ſolitus, lib. i, 84.
Pater ſacrorum, lib. ii, 298. Pater durus tyronum, ibid. 807. Patres familiæ, lib. ii, 849. Patrem noſtrum eſſe Deum oratione profitemur, lib. vi, 25. Patris amor in filios, lib. viii, 190. Pater faber liberorum, lib. ix, 274. Pater dicitur parere, lib. xiii, 95.
Paterni dij, lib. ii, 444.
Patellarij dij, ibid.
Patibulum crucis dicitur tranſuerſa pars, lib. ii, 518.
Patinam conflare, lib. i, 258.
Patrimonium, & patrimoniales libri, lib. xi, 127.
Pati de cœlo, lib. ii, 702.
Pati dicuntur ſcorta, lib. ii, 936. Pati verbum impudicum, lib. ix, 249. Patiendi cupiditas, lib. ii, 1097.
Patientiæ aliquot rationes, lib. ii, 981. T. Patientiæ inſanæ exempla & præmia, lib. ii, 1078. T. Patientia diuina, lib. iv, 10. T. Patientia bona fidei valetudo, & dominicæ diſciplinæ ſanitas, lib. viii, 5. T. & 73. Cuſtos gratiæ, ibid. 107. radix & cuſtos virtutum, ibid. Patientia medicus eſt, lib. viii, 6. Patientia obedientia appellatur, ibid. 56. & 60. T. Patiens luctator eſt; vngendus per patientiam, lib. viii, 68. Patientiæ præſcriptio, ibid. 69. Patientia propoſita tanquam ſcopus Dei rebus, lib. viii, 7. T. & 8. Summæ virtutis appellatione patientia honoratur, ibid. Præceptis obedire non poſſumus abſque patientia, ibid. De patientia profertur ſapientiæ oſtentatio, lib. viii, 9. T. Patientia æquanimitas appellatur, ibid. 22. Patientia Dei, ibid. 28. De longinquo, ibid. 29. T. viſa oculis & apprehenſa manibus, ibid. 30. T. Patientia Chriſti Domini, ibid. 31. T. & 32. T. & 33. T. Patientia Domini in Malcho quomodo vulnerata, lib. viii, 34. & 47. miſericordiæ mater, ibid. & 48. Chriſtus ſaginatur voluptate patientiæ, ibid. 35. T. & 48. & 49. Fidem ſeruauit Chriſtus æquanimitati & patientiæ, ibid. 36. Diuinitas Chriſti ex patientia cognoſcenda, ibid. 37. & 51. Patientia Chriſti detractio eſt fidei, ibid. 38. T. Natura Dei eſt patientia, ibid. & 52. Chriſti vita patientia fuit, lib. viii, 49. Patientia fidem antecedit, & ſubſequitur, lib. viii, 112. illuminat fidem, ibid. 115. T. Patientia adiutrix ampliandæ, adimplendæque legi, ibid. Patientia ad doctrinam legis Moſaicæ quomodo ſola defuit, ibid. & 116. T. Patientia componitur fidei gratia, ibid. 117. T. acquirit nobis Patrem Deum, lib. viii, 118. T. inimicorum dilectione vniuerſa patientiæ diſciplina ſuccincta eſt, ibid. 119. T. fidei fundamentum munit, ibid. 120. Patientia in detrimentis exercitatio eſt largiendi, lib. viii, 131. Patientia ſuſtinentis cædentem fatigat, ibid. 140. T. & 149. Plus illum cædis ſuſtinendo, ibid. & 150. quia fructus lædentis in dolore læſi eſt, ibid. 144. T. & 154. vacat impatientia doloris ob reſurrectionem mortuorum, ibid. 155. T. Patientiam noſtram offeramus Domino, ibid. 178. Chriſtianitatis ſumma lædentibus patientiam rependere, ibid. 185. Patientiam mihi (ait Deus) & ego patientiam remunerabo, ibid. 190. Patientiæ incubare, ibid. 180. T. & 195. Iniuriæ medela patientia eſt, lib. viii, 198. T. Ob patientiæ occaſiones Deo gratulari debemus, quia dignatio, quia beneficium, quia dilectio, ibid. 201. Patientiæ officio vndequaque aſtricti, lib. viii, 202. Patientia prima quomodo humilitas ſit, & paupertas, ibid. 204. T. In patientia continentur virtutes quæ beatitudines appellantur, vt paupertas, luctus, manſuetudo, &c. ibid. 204. &c. in patientia gaudium, ibid. 211. Patientia philoſophorum videtur dicenda tolerantia, ibid. 215. niſi reuerſus quis ad patientiam ſacrum non offerat, ibid. 219. T. Non licet nobis vna die manere ſine patientia, ideo ait Paulus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, ibid. 220. T. Patientia patris prodigum filium recipit, veſtit, paſcit, lib. viii, 225. T. erudit charitatem, ibid. 226. T. In multis cum charitate conuenit, ibid. 227. & 228. Item cum Fide, Spe, & Charitate, ibid. 229. auxiliaris eſt virtutibus omnibus,

ibid.232. vidua est virtus quam nõ pãtientia firmat, ibid. Patientia gubernat omnem salutarem disciplinam, lib. viii, 221. T. Gubernaculum in vitæ nauigatione regit, ibid. 222. Ministra & comes pœnitẽtiæ, ibid. 221. T. quàm necessaria cõiugibus, ibid. & 222. & 223. Inquisitionis laborem suscipit, lib. viii, 224. T. erroneam ouem requirit, ibid. Patientia simplex & vniformis, lib. viii, 243. T. Patientia negotiatur in corpore, ibid. 245. T. & 286. Patientiæ effecta quinque, lib. viii, 247. Patientia immolatur, ibid. 248. T. Patientia procuratrix, ibid. 249. T. viduam tenet, adsignat virginem, ibid. patientia corporis, ibid. 250. aduersus omnẽ subuertendæ fidei, vel puniendæ paraturam, lib. viii, 251. T. Patientia mundi, lib. viii, 260. Patientiæ speciem aduersus omnẽ diaboli vim expungere, ibid. 262. T. Patientia Iobi illustratur egregiè, ibid. 264. & 265. &c. Patiens operarius gloriæ Dei, ibid. 267. Patientia lorica, & clypeus, l. viii, 267. Patientiam perpetrare, ibid. 274. Patientiæ sequester Deus, ibid. 280. & 289. Quantum patientiæ licet, ibid. 281. T. Deum habet debitorẽ, ibid. omnia placita eius tuetur, ibid. omnibus mandatis eius interuenit, ibid. fidem munit, pacẽ gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitẽtiam expectat, exomologesin adsignat, ibid. 281. T. & 282. Patientia animã seruat, carnem regit, martyria confirmat, tẽtationes inculcat, ibid. 281. T. & 282. fœminã exornat, in omni ætate formosa est, ibid. 283. T. & alia elogia, ibid. & 284. Patiẽtiæ os, & vultus graphicè describitur, ibid. 285. T. amictus patiẽtię, ibid. 286. Sedet in throno Dei, cuius alumna est, lib. viii, 286. T. Spiritus indiuidua comes, ibid. 288. T. instrumentum sustinẽdi, ibid. cæteras virtutes tuetur, ibid. 290. filia fidei, soror spei, affinis virtutum, ibid. 291. Patientia facit vt duret charitas, lib. viii, 292. à patientia pendet humilitatis opificiũ, ibid. 292. linguam frenat, ibid. martyria cõsummat, ibid. 293. Patientiæ effigies, lib. viii, 294. vt virgo patiẽtia describitur, ibid. 296. Non inquietatur, ibid. 297. Patiẽtia gentium, ibid. 303. T. & 304. T. Patiẽtia ęterni ignis, ibid. 307. T. Patientiam rependamus Deo quam pro nobis impendit, lib. viii, 307. Patientia propria Gentium, ibid. 308. Patientiam præstruit laborum petitio in Oratione Dominica, 45. T. & 46. T. & necessitatem vertit in voluntatem talis oratio, ibid. 50.

Paui descriptio pulchra, lib. i, 68. T. & 80. 82. & infra.

Paulus duxeritne vxorem, lib. xiii, 39.

Pauonis plumæ quasi hortus ostentans flores, lib. i, 83.

Pauperes ritus, lib. ii, 753. Pauperes alebantur à Christianis, lib. ii, 943. Pauper dicitur ab eo quod ei deest, lib. viii, 133. Pauperes diuitum fidem probant, lib. viii, 135. Cur pauperes sint in mundo, ibid. Cum paupertate luctatio, ibid. 138.

Paupertas, quæ & defectio rerum, tentatio est, lib. vii, 4. T. Paupertas lucis, lib. viii, 250. T.

Pausatio post mortem, lib. iii, 48.

Pax connectit omnia, lib. i, 9. Pax orationis signaculum, lib. vi, 139. T. & 144. à nullo sacrificio sine pace receditur, ibid. 140. T. absque pace integra non est oratio, ibid. 140. T. Pax martyrio præfertur, ibid. 148. Pax nostra bellum est dæmonis, lib. vii, 4. T. Pacem dare & recipere in ius communicationis, l. vii, 5. Pax, id est indulgentia, ibid. Pax belli pretium est, lib. vii, 18. Pacis gubernatrix patiẽtia, lib. viii, 281. T. & 282. Pacis sacerdotes Christiani, l. ix, 225. & 236.

Peccatores insignes non habebantur in numero Christianorum, lib. ii, 1019. T. Peccator drachma est, gemma est, margarita est digna digitis & collo Dei, lib. v, 11. Peccator contumeliam facit intellectui, ibid. 43. T. diabolum præponit Domino, lib. v, 44. T. exultat in Deum peccando, ibid. 50.

Peccata alia spiritualia, alia carnalia, & quæ, lib. v, 22. T. Peccatum resignat pœnitentiam, ibid. 41. Peccatum pœnitentia est pœnitentiæ, ibid. 44. T. & 51. etiam in tenebris perpetratum proditur, quia Deus lumen est, ibid. 59. T. Peccata omen sunt diuinæ misericordiæ, lib. v, 97. & 104. Ad pristina peccata rediens inculcat gratiam, ibid. 97. T. Peccatum graue pondus, ibid. 105. Peccata qui tegit pudoris causa perit, lib. v. 141. Peccatum debitum est, & cur, lib. vi, 78. Peccata militent ad vitam, lib. vii, 51. Peccata paruula de mediocritate contemnis, maximis de sua exuberantia cedis, lib. viii, 198. T. dissimulatione delictorum decipere nos videtur Deus, ibid. 202. T. Peccatum corporis parens, lib. viii, 230. Peccatùm summum idololatria, lib. ix, 21. T. Dei est quod Deum offendit, sed cùm offendit, Dei esse desiit, & cùm desiit offendit, ibid. 22. T. Peccata mortalia exitiosa, & deuoratoria salutis, lib. x, 5. T. aduersus Dominum sapiunt peccata. Cur species sint idololatriæ, ibid. 7. T. Peccatum exilij vorago, ibid. Peccatum originale ab Eua trahitur, lib. xi, 9.

Peierare salutem Principis, lib. ii, 791.

Pelagiæ pulchritudo & ornatus, lib. xii, 89.

Peloris piscis est fatuus, lib. xi, 89.

Pellicis nomen à pelle, lib. xv, 219.

Pelluciditas, lib. i, 182.

Pentecostes per septem continuas hebdomadas feriatum festum, lib. x, 237. & 238. Pentecosten præcedẽtes quinquaginta dies festiui habebãtur, l. xv, 74.

Penula prospectoribus ludorum, lib. ii, 192. Penulæ morosissimæ militares sunt vestes, lib. xv, 5. T. arcendo frigori, ibid. 25. rufi coloris, ibid. 29. Ad orandum penulas ponere Gentilium & Christianorum ritus quondam, lib. vi, 118. T. Alij in oratione assidebant, sed contra scripturam est, ibid. & ritus gentium post adorationem sigillarium assidere, ibid. 120. T. Orationem vires fatigare exprobratio Dei est, ibid. 121. T. Idola oraturi Gentiles vestes deponebant, quibus induebant simulachra, ibid. 124. Oratio sigillum est, lib. vi, 125. Arcano precari ore Magorum est, ibid. 126. sedendi in oratione mos fuit olim, ibid. 127. & 130. Penulas in oratione ponere Priscorum mos fuit, lib. vi, 118. T. Penula præter alios vsus quotidianis & vilibus deseruiebat ministeriis, lib. vi, 123. Perductores, lib. ii, 998.

Peregrinum quid, lib. i, 144. Peregrini dij, lib. ii, 741. Peregrinum vsurpatur pro molli, lib. x, 190. Peregrinus rogo immissus, lib. vii, 73.

Perfidia, lib. ii, 61.

Perisselides crurum ornamenta, lib. xii, 132.

Peritiæ nemo credit, lib. iii, 8. T.

Permissio suspectam reddit rem, lib. xiii, 29. T. & 30. T.

Pero, lib. i, 239.

Perorare, lib. ix, 365. Perorare multum orare, lib. x, 79.

Persæ oriundi ex Scythia, l. i, 35. T. Persæ cum matribus miscebantur, l. ii. 327. T. Persæ cũ matrib. & filiabus matrimoniũ contrahunt, ib. 360. Persę solẽ in linteo colunt, lib. ii, 508. T. Sabbatis otiantur, ibid. 510.

Persecutores Ecclesię puniuntur, lib. iv, 23. T.

Pertrahere & protrahere vitam dici potest, lib. vi, 58.

Pertinax mortuus, lib. ii, 877.

Pessinuntia Dea in cuius honorem castrabantur lacerti, ibid. 742. Phanatici vnde dicti, lib. ii, 703.

Phantasmata, lib. ii, 678.

Pharos quid, lib. v, 173. Pharus templum est, lib. x. 91.

Philosophi superbas vestes affectabant, l. i, 120. T. Philosophia prę regno, l. i, 217. T. philosophus de occursu vitia suffundit. Auditur Philosophus dum videtur, lib. i, 262. T. Philosophi in Principes latrabãt, lib. ii, 1013. Philosophorum solaria, vel salaria, ibid. 1023. Philosophi homines glorię, & eloquẽtię solius libidinosi, lib. ii, 1034. T. interpolarunt diuina, ibid. Philosophia adulterat Euãgeliũ, l. ii, 1037. Philosophi virtutẽ fucatã colũt, l. ii, 1033. captatores glorię, famę negotiatores, veritatis interpolatores, ibid. Rapiunt veritatem

veritatem, 1040. gloriæ & eloquentiæ ſolius libidinoſi, 1041. Philoſophi veritatis fores pulſant, lib. iii, 4. Philoſophi ſapientiæ animalia, lib. viii, 9. T. & 18. Philoſophorum ſententiæ libidines vocantur, ibid. Philoſophia vana, lib. viii, 19. Philoſophi ſacerdotes vocantur: eorum gymnaſia templa, lib. ix, 256.
Phœnices Africam incolunt, lib. i, 35, T.
Phryges inſuunt, inde Phrygiones, lib. xi, 18.
Phrygiones, lib. x, 35.
Phryne, lib. ii, 460.
Phylira inter corticem & lignum tenuis membrana, lib. i, 97.
Phyſcon, lib. i, 171.
Phytho qui deos patitur, lib. ii, 688.
Pictor, lib. x, 122.
Pilatus conuerſus ad Orientem manus lauit, lib. ii, 536. Pilatus pro ſua conſcientia Chriſtianus, ibid. 624.
Pileus pro libertate, lib. viii, 54. & 65.
Pipulo poſcere quid, lib. xii, 31.
Piſcium cerebris lapidoſitas quædam eſt, lib. xi, 81. T.
Piſo Conſul, lib. ii, 212.
Pittacium, lib. ii, 1096.
Plagula quid, lib. vi, 12.
Planitus, lib. i, 199.
Plaſte prior quàm ſtatuaria, lib. x, 33.
Plato non negauit Angelos, lib. ii, 657. T. Plato à Dionyſio venditatur, ibid. 1032.
Plauſus ſcenæ proprius, lib. ix, 382. & 383.
Plinius ſecundus quid de Chriſtianis ad Traianum ſcripſerit, lib. ii, 35. T.
Plinij auctoritas, lib. ii, 57.
Plumbum, glutinum, gomphi in miniſterio deorum, lib. ii, 426. Plumbo dij ferruminati, lib. ii, 795.
Plurifacere antiquum verbum, lib. xv, 198.
Pocula ſertis coronare priſcorum mos, lib. xv, 106.
Polygamia Iudæis licita, lib. xiii, 20.
Politia quid, lib. vii, 47. T. & 48.
Pollinctor, lib. ii, 457.
Pollucere Herculi quid ſit, lib. ii, 465.
Polluctum & pollucibiliter, lib. ii, 939.
Poma Sodomæ oculis tenus, lib. ii, 957. T. & 970. poma cùm in acorem ſeneſcunt, gratiæ ſuæ adulantur, lib. v, 53. T. & 54. & 72.
Pompa proprium Circi nomen, lib. ix, 106.
Pompatior, vel pompalior, ibid. 105.
Pompeius ſpeculator Iudaïcæ Religionis, lib. ii, 501. Pompeius ſolo theatro ſuo minor, lib. ix, 152. T.
Pontifex vnde dictus, lib. ii, 761.
Populi ex aliis populis quaſi ex ſurculis & propaginibus panguntur, lib. i, 35. T. Populorum examina aliò tranſuolant, ibid.
Portio, lib. ii, 156.
Poſtremiſſimus, lib. xii, 7.
Poſtulat pro puſtulat ex veterum more, lib. xi, 90.
Poſtularitas, lib. xv, 257.
Poteſtas dicitur magia ipſa, lib. ii, 697.
Pœnitentiæ deſcriptio apud Gentiles, lib. v, 1. pœnitentiæ gubernaculo qui caruerunt, ſubmerſi in diluuio, ibid. 3. pœnitentiam bonorum impenſius incubamus, malorum leuius, lib. v, 3. T. & 6. pœnitentia rectè factorum apud Gentiles, ibid. 3. T. & 6. pœnitentia eleemoſynæ erogatæ, lib. v, 6. non eſt otioſa, ſed laborioſa, ibid. pœnitentiam Deus ſeuit, ibid. 7. T. pœnitentia intinctio eſt, lib. v, 10. T. Item & obſignatio, & chirographum, & diploma, ibid. pœnitentia præpoſita purgandis, & verrendis mentibus, lib. v, 11. T. Quædam eius elogia, ibid. 18. Vita eſt, ibid. 31. T. inuadenda eſt vt à naufrago tabulæ fides, ibid. & 34. pretium eſt æternæ mercis, ergò ne ſit pœnitentiæ nummus ſcalptus, raſus, adulter, lib. v, 56. T. poſt pœnitentiam non imputantur peccata, ibid. 57. T. pœnitentiam aſſumere quid, lib. v, 68. eâm includere quaſi piſces in ſagenam, vel quaſi cibos in os, vel quaſi vxorem in cubile ſecretum, ibid. 69. pœnitentiam vt nummum probat Deus vt nummularius, lib. v, 79. pœnitentia ſpes vltima, ibid. 94. T. pœnitentia publica ſemel fiebat, ibid. 124. 125. & 126. 100. & 109. dicitur ſecunda & vltima, & cur, lib. v, 100. pœnitentia publica (quæ & exomologeſis) æterna ſupplicia fruſtratur & expungit, ibid. 123. pœnitentiam qui ſæpius agunt quomodo luxurientur in Chriſto, lib. v, 124. pœnitentiam agentes ſacco & cineri incubant, & alia corpori per quam dura aſſumunt, ibid. 129. & 130. & 131. Ad pœnitentiam hortatur pulchro à candidatis petito exemplo, ibid. 155. T. pœnitentes ficti, lib. v, 140. at verè pœnitentes illoti, ſordulenti, ibid. 156. pœnitentia extinguit gehennæ ignem, ibid. 164. T. Domino immolatur, ibid. 165. T. Quomodo perſeueret adhuc in cœlo Adami pœnitentia, ibid. 176. pœnitentia Babylonium Regem efferatum in regna reſtituit, lib. v, 165. T. & 170. & 171. pœnitentia vniuerſalis eſt medicina, ib. 172. pœnitentiæ comes & adminiſtra patientia, lib. viii, 221. T. pœnitentia non perit quia patientiam inuenit, ibid. 225. T. & 237. pœnitentiam expectat patientia vt mater, lib. viii, 282.
Praſinum terræ matri, lib. ix, 148.
Prandere Senatorium ad morem, lib. ii, 184.
Preces fundebant Chriſtiani verſus Orientem, & etiã Gentiles, lib. ii, 508. T. preces puræ, lib. iv, 17.
Præcentor Chori, lib. i, 266.
Præceptor, ibid. præceptorum diſciplina inculcationibus denſatur, lib. ii, 911. T. de præceptorum bono diſputare audacia eſt, lib. v, 32. T. & 39. præceptum via eſt in cœlum, lib. vi, 95. T.
Præcordia ſi translucida eſſent, ſtatim appareret aliud verbis exprimi, & aliud corde inſculptum, lib. ii, 853. T.
Prædicare ponitur pro prædicere, lib. xi, 54.
Prælatio alterius ſine alterius contumelia non eſt, lib. ii, 436. T.
Prælati apud Chriſtianos, ibid. 913. T.
Præparata patientia, lib. viii, 148.
Prærogatiua quid, lib. xvi, 140.
Preſbyter Epiſcopi nomine inſignitur, lib. xiii, 91.
Præſcribere quid ſit, lib. ii, 1044.
Præſcriptio quid, lib. viii, 69. præſcriptio quid ſignificet, lib. xvi, 9.
Præſides Prouinciæ, lib. ii, 342.
Præſumo, lib. ii, 708.
Præſumtores vocabantur Chriſtiani qui credebant reſurrectionem, lib. ii, 1073.
Præſumptuoſi dicebantur Chriſtiani quod crederent ſe reſurrecturos, lib. iii, 39.
Præſumptio inuerecundiæ portio, lib. v, 64. T.
Prætextum neutro genere, ibid. 47.
Prætexta duplex, & magiſtratuum & puerorum, lib. x, 295. prætexta induebantur idola, lib. x, 301.
Prætorium pro villa vrbana, & ruſtica, lib. iv, 27.
Prætoris munus in Circo, lib. ix, 232.
Prema Dea, lib. xvi, 194.
Pretio nulla res Dei conſtat, lib. ii, 913. T. pretia rebus inflammauit, lib. xi, 126.
Priapus hortorum deus tæniis coronatur, lib. xv, 133.
Principale in Reſcriptis, lib. ii, 121. Principalis, lib. iv, 54.
Principium pro Imperio: vel pro loco in Caſtris vbi erigebantur ſigna, lib. xv, 222.
Priſtinum idem quod antiquum, lib. ii, 973.

* * *

Priuata vita vnicæ voluptatis ſumma, lib. i, 223. omnem litteraturam edocet, ibid. 264. Priuati dij, lib.ii, 444.
Proceſſiones olim celebrari ſolitæ, lib.xiv, 33. & 34.
Proconſul in Africa, lib.vii, 32.
Proculus, lib.ii, 654. & lib.iv, 41.
Procliuum in ſpectaculis, lib.ix, 50.
Prodigus filius, lib.viii, 236.
Produco de argento, lib. ii, 191.
Producere athletarum proprium, lib.vii, 62.
Profanus non integer ad Deum, lib.ii, 1053. T. Profani arcentur ſacris, ibid. 263. Profani ignibus deſtinati, lib.ii, 579.
Proinde, eſt perinde, lib.vi, 35.
Prometheus verus, lib.ii, 577.
Promulſis, lib.i, 252.
Prophetæ ſpiritu inundati, lib.ii, 577. Prophetarum de fontibus potauerunt poëtæ & ſophiſtæ, li.ii, 1034. T.
Proſicia quæ, lib. ii, 464.
Proſpex, lib.iii, 61.
Proſtibula vnde dicta, lib.ix, 251.
Protelum lorum eſt quo iumenta plura illigantur: hinc protelo, lib.v, 36.
Prouidentia, lib.ii, 906.
Prouinciales dij, lib.ii, 723.
Prudentes Gentiles, inepti dicuntur Chriſtiani, lib.ii, 1073.
Pſalmi cantabantur, lib.ii, 948. Pſalmorum decantatio, lib.xiv, 90.
Ptolemæus Philadelphus æmulatus Piſiſtratum ex ſuggeſtu Demetrij vernaculas Iudæorum litteras Græcè exſcribi iuſſit, lib.ii, 573. T. & 575. T. Ptolemæi bibliotheca, lib.ii, 581.
Publici dij, lib.ii, 447.
Pudet quorum nõ eſt pudendum, & contrà, lib.v, 148.
Pudica oratio, lib. ii, 811.
Pudicitia venundatur, lib.viii, 109.
Pudor in ceſſione bonorum, lib.ii, 127. Pudor magiſterium eſt, lib.viii, 3. T. Pudor pro honore, lib.x, 282. Pudor fœminæ pulchritudo, lib.xii, 123. Pudor reſignatur, lib.xvi, 183.
Pueros in eloquium elicere, lib.ii, 696.
Pugna obſeritur, lib.i, 103.
Pulchritudo libidinis inuitatrix, lib.xii, 14. T. Pulchritudo periculoſiſſima, ib.23. T. pulchritudinis fructus libido, ibid.27. pulchritudo oculos & ſuſpiria adoleſcentium trahit, lib.xii, 33. pulchritudo elaborata libido, ibid.23. animæ aliqua veſtis vrbana, ib. 25. pulchritudinis mala, lib.xii, 27. T. pulchritudo aucupium hominum, lib.xvi, 211. oculis aſpicientium pulſatur, ibid.221. T. & 222.
Pulmonei pedes, lib.i, 91.
Pultare pro pulſare, lib.ix, 41.
Pultes pridianæ ſacræ ſunt epulæ, lib.ix, 199.
Pulueris volutatio, lib.i, 135.
Pumex ſpeculi, lib.i, 157.
Punica vrbs, lib.ii, 748.
Pupilli deſpectui ſunt, lib.xiii, 101. & expoſiti, ibid.
Purgatorio igne defunctorum animas torqueri, lib. xv, 68.
Purpura lumen appellatur ſæpè, lib.i, 11. purpura Principum indumentum, lib.x, 294. purpura ſimplex quæ, ibid. 299. purpura floret, ibid.304.
Purus calceus eſt albus, lib.i, 206. purus calceus, impurus calceus, ibid. 208.
Pythagoricæ fabulæ, lib.ii, 1056.
Pythia, lib. ii, 702.

Q.

QVA pro tum, lib.xv, 127.
Quadrageſimæ dies cur reſpondeant ſtationibus Iudæorum, lib.vi, 152. Quadrageſima olim ieiunabatur præter Sabbathum, & diem Dominicum, lib. xvi, 32.
Quadrantaria pretium pudicitiæ, lib.xii, 122.
Quadrigæ inſtitutæ ſunt in honorem Solis, lib.ix, 137.
Quæſiti qui, lib.ii, 389.
Quæſtio peruerſa, lib.iv, 38.
Quæſtuaria quæ quæſtu corpus alit, lib.xii, 122.
Quàm, pro priuſquam, lib.v, 75.
Quaſſare veſtem, lib.i, 187.
Quemadmodum, pro quomodo, lib.v, 48.
Quercum, hircum, canem deierabat Socrates, li.ii, 47.
Qui pro quis, lib.ii, 1055. & lib.v, 64. & lib.ix, 8. & lib.xiii, 36.
Quies defunctorum, lib.iii, 49.
Quindecim viri, lib.ii, 761.
Quinquatria, lib.x, 168. & 170.
Quintus Curius aleator, lib.i, 261.
Quirinus ita dictus vel à quiris, vel à curru, lib.ix, 144.
Quiſquis vitam ſuam contempſit tuæ Dominus eſt, lib.viii, 146.
Quod ſi, vel quod ſciam, lib.ii, 749.

R.

RADIVS virga eſt aſtrologica, lib.x, 155.
Rhadamantus, lib.ii, 709.
Ratio vox dæmonis, lib.ii, 75. rationis gubernaculum, lib.ii, 396. T. ratio theſaurus Dei, & res Dei, li.v, 2.
Rebecca velatur ad aſpectum ſponſi, lib.xvi, 166. T.
Reciprocare à verbo antiquo proco, lib. xv, 53.
Recludo apud prophanos referare ſignificat, apud Eccleſiaſticos includere, lib.x, 283.
Recuſatò, lib.ii, 23.
Reformare, id eſt, vnire, lib.ii, 579.
Reformatur natura, lib.ii, 1065.
Refrigerium de æterna ſalute, lib.ii, 1074.
Refrigerare eſt alimoniam dare, lib.iv, 45.
Regerere pallium quid, lib.i, 15.
Regis humanitas ſubſidium eſt fraudis, lib.v, 52.
Regum natalitiis feſta celebrantur, lib.xiv, 55. & 56.
Regulus cruces patitur toto corpore, lib.ii, 1078. T. regulus, ibid. 1092. reguli cruciatus, lib.vii, 76.
Regula veritatis, lib.ii, 1045.
Rhetor, lib.i, 267.
Rei maieſtatis, & ſacrilegij, lib.ii, 376.
Relegare ab Eccleſia, lib.ii, 929.
Religio frugi, lib.ii, 752. religionem cogere religionis non eſt, lib.iv, 6. T.
Remedior, lib.iv, 41.
Repandi calcei, lib.i, 237.
Repaſtinare quid, lib.xii, 90.
Repauſatio quid ſit, lib.ii, 1074. Repauſatio poſt mortem, lib.iii, 48.
Repræſentare idem quod præſentare, lib.vi, 58. repræſento, præſentem exhibeo, lib.viii, 45.
Repudium nullum apud Romanos olim; modo quaſi fructus matrimonij, lib.ii, 173. T. repudium ſcribere, lib.ii, 201.
Requies ſepulturæ, lib.ii, 894. requies defunctorum, lib.iii, 49.
Requietorium, ibid.
Reſcindere verbum forenſe, lib.v, 48.
Reſideo, de mortuis, lib.vi, 130.
Reſignare, lib. ii, 198.
Reſpondeo pro ſpondeo, lib.ii, 336. & lib.xv, 188.
Reſtituetur humanum genus, lib.ii, 1066.
Reſurrectio mortuorum adſtruitur, lib.ii, 1048. T. & 1050. T. & lib.iii, 31. T. & 33. Reſurrectio inſtar ſeminum, lib.ii, 1063. Reſurrectio mortuorum facit vt vacet dolor mortis, lib.viii, 153. T. Reſurrectio Chriſti Domini vas eſt, & ſponſor, lib.viii, 162. Reſurrectio mortuorum riſus Gentium, lib. ix, 430.

quære quæ sequunt' post vnũ folium.

Somnus causa fuit, vt Apostoli Christum Dominum in passione desererent, lib.vi, 84.
Sophista, lib.i, 267.
Spadonatus, lib. xii, 91.
Spargere, lib.viii,25.
Sparteoli qui, lib.ii, 941.
Spathalium brachiale ornamentum, lib.xii,131.
Spei fœdus, lib. ii, 911. T. spes secunda & vltima cur pœnitētia, lib.v,94. T. Spes veniæ minimè abiicienda, ibid. 110. Spes plantatur, lib.vi, 57. spes quam hominis patientia expectat, lib.viii, 229. T. spe sanguinis sui rusſatus, lib.xv,7. T.
Species Iurisconsultorum sermo, lib.ii,16.
Spectaculis renuntiandum, vt quæ sint de superstitione concepta, lib.ii,904. T. Spectacula aduersabātur Christiani, lib.ii,907. spectacula pro voluptate, lib. ix,9. spectacula cliuosa forma, ibid. 50. spectacula renuntiari in baptismo, genus idololatriæ, lib.ix,54. & 55. T. & 58. theatrales ludos spectabat vulgus stans, equites sedentes, ibid.49. Licitum adesse spectaculis ex Scripturis sanctis quidam conati sunt probare, lib. ix,45. spectaculis qui adsunt fiunt penetrabiles dæmoni, ibid. 385. T. excidunt à Deo, ibid. 386. vetita olim Christianis spectacula, ibid. 387. Maritata à dæmone obsidetur quod ad spectacula inscio marito ierit, ibid. 388. Blasphemiæ ludorum, lib.ix, 391. Æstuarium suffragiorum impiorum, lib.ix, 392. T. spectacula dicuntur voluptates, lib. x, 214. spectacula non adibant Christianæ fœminæ, lib.xii, 109. T. spectaculorum infamata conditio est, lib.xv,3. T.
Specularia pectoribus affixa, lib. ii, 870.
Speculo mentiri licet, lib.xi, 5. T. speculo veritas, & mendacium tribuitur, ibid.22. speculum de forma consulitur, lib.xvi, 200. Iudex formæ est, lib. xvi, 200.
Speculatoria caliga quæ, lib.xv,26. ideo morosissima, quia clauata, ibid. 27.
Sperare pro timere, lib.i,32.
Speusippus obscœnus, lib.ii, 1018.
Spiritus permeator vniuersitatis, lib. ii, 616. Spiritus sanctus pro Christo accipitur apud Tertullianum, lib.v, 11. spiritui adscribitur potestas & robur, lib. vi,16. Spiritus sanctus intrat cum vinctis in carcerem, lib.vii, 3. T. Spiritus sanctus Xystarchus, lib. vii, 47. T. spiritus vngit, ibid. Spiritus sancti comes & administra patientia, lib. viii, 288. Spiritus sanctus Vicarius est Domini, lib.xvi, 4. T. administrator, ibid.
Spoliarium quid, lib.xv, 260.
Sponsi coronabantur, ibid.254.
Sponsæ velatæ ducebantur, lib.xvi,169. T.
Sputamentis dedecoratus, lib.ix,437.
Stabulum pro hospitio, lib.ii,991.
Stabulis Hippona præest, in ipsisque residet, lib. ix, 134.
Stadia priuata quid, lib.vii,4.
Stadij quinque ludi, lib. ix, 264. Ludus indignus ore Christiano, ibid. & 265. & 266. quæ in stadio geruntur, pentathli nomine designantur, lib. ix.268. stadij multiplex significatio, lib.xv, 89.
Stare militare verbum, lib.ii,1021.
Statio, lib.ii,104. statio militare nomen pro diurna vigilia, & pro ieiunio vsurpatur, lib. vi, 151. & 152. discrimen inter stationem, & ieiunium, ibid. statio diurna vigilia tempore solemnis ieiunij, lib.xiv, 30. & 31. stationes dies ieiunij, & orationis, lib.xv, 190. & 199.
Statuæ hominum cum insigni, lib.ii,454. statuæ, ibid. 1095.
Stephano & Parthenio audacior, lib.ii,878.
Stephanus lapidatur, lib.viii, 270.
Sterculius, Mutinus, Larentia dij Romani, lib.ii, 740.
Stipa pro stipite, ibid.420.
Stipem vnusquisque confert quam vult, lib.ii, 930.
Stipes pretium meretricis. lib.ix,252.
Stiria leonina, lib.i,160.
Stitio solis quid, lib.i,27.
Stolam fundere, lib.i,151. stola indumentum fœmineum, lib.i, 198.
Strenæ, lib.x, 174.
Stridor, lib.ii,538.
Strobulus quid, lib.xvi,153.
Strophiolum vile genus corona, um, lib.xv,250.
Stropha quid, lib.ix,417.
Strophæ lyricorum, lib.ii,485.
Strumentum pro instrumento, vt Spaniam pro Hispania, Spalim pro Hispali, lib.xiii, 85.
Struthio camelus describitur, lib.xvi, 259. T.
Stupor Philosophorum patientia non virtus, li.viii,23.
Stuprum propriè virginis, aut viduæ violatio: interdum generale nomen, lib.xiv,23.
Suauiludius, vel suadiludius, lib.ix, 298. Suauiludij qui spectaculorum voluptate delectantur, lib.xv,3.
Subat Iuppiter Iunonem, lib.ii,473.
Subdiuo vnica dictio, lib.i,45.
Subducere, & deducere naues quid, lib.xii, 88.
Subigus Deus, lib.xvi,195.
Sublimior Deus, lib.ii, 718.
Subnixum, id est firmatum, lib.viii,56.
Suborno, lib.ii,769.
Subsellia, lib.i,245.
Substantiua duo annectuntur, lib.i,89.
Substillum quid, lib.i, 45.
Subtemen quid, & subtegmen, lib.i,11.
Subuerbusti qui, lib.i, 196.
Succido pro succumbo, lib.viii, 106.
Sudore omnia constant, lib.vii,45. T.
Sufflo aquam, lib.ii,836.
Suffocatum, lib.ii, 356.
Suffundo, lib.ii, 128.
Suggestus pro veste, lib.i,130. suggestus, lib.i,216.
Suggestus crucis quid sit, lib.ii,525.
Suggestus pro apparatu, & ornatu, lib.ix,105.
Suggestus comæ, lib.xii,24.
Sugillo, lib.ii,115.
Sumo, verbum dicatum luxuriæ, lib.v,69.
Sumtuosius esurire, lib.i,259.
Sumtuariæ leges quæ, lib.ii,167. T.
Supparum, lib.i,200. supparum quid, lib.xii,71.
Super, id est superior, lib.ii,803.
Superbia Diogenis superbiam Platonis proculcat, lib.ii,1017. T. Superbia Lycurgi apocartereſi ostenditur, & punitur, ibid.
Superbus non semper vsurpatur in malam partem, lib. ix, 429.
Supercilia remissa, li.viii,295. supercilia fuligine picturata, lib.xi, 39.
Superstitio quid, lib.vi,122.
Supplicia sunt numina, lib.ii,429.
Supplicia summa crematio, crux, decollatio, lib.vii,68.
Supplicia indulgentia est, lib.viii,212.
Supplices coronabantur, lib.xv,125. T. & 138.
Supremum de vtroque termino, lib. ii, 591.
Suratim, tibiatim, lib.i, 208.
Sus cancris medicatur se, lib.i,88.
Susanna abscondit decorem, placere timens, lib.xv, 83. T.
Suspicax quid sit, lib. ii, 651.
Sybillæ oracula quàm vera, quàm maximè fausta, lib.i,42.
Sydera defuncta viuescunt, lib.ii,1051. T.
Sylla felix, lib.ii,412.
Sylua legum, lib.ii,120.

Syluestris Roma, lib. ii, 760.
Syluicola exul vitæ, lib. ii, 986. T.
Symbolum Apostolorum clauis est, lib. xvi, 11.
Synthesis quid, lib. i, 170.
Sypara, aut suppara, lib. ii, 528.
Syrma, tragica vestis solutim, & laxim fluens, lib. i, 85.
Syria pro Iudæa, lib. ii, 649.

T.

TAbella, vbi rei scribuntur, lib. ii, 76.
Tabellæ nuptiales, lib. xvi, 194.
Tabernaculum martyrij, lib. xv, 159. T. & 162.
Tabula pro tilia, seu plicatura vsurpatur, lib. i, 6.
Tabulæ togæ quæ & tiliæ, lib. i, 235.
Tabularius idem qui calculator, lib. i, 267. Tabularij, lib. ii, 939.
Tabularia idolorum, lib. x, 167.
Tacitus loquacissimus, lib. ii, 515.
Tænias pro roseis coronis, lib. xv, 133.
Thales princeps physicorum, lib. ii, 1027.
Thallus, lib. ii, 384.
Tama rubor sanguinis, lib. xv, 279.
Tangitur animus quid, lib. viii, 302.
Tarentum à tenero siue molli dicitur. Oues Tarentinæ in magno pretio ad lanificium sunt, lib. i, 100.
Tartarus, pœnarum carcer, lib. ii, 399. T. & 407.
Taurea est scutica, aut flagellum ex taurino corio, lib. vii, 89.
Tauricæ fabulæ, lib. ii, 339.
Tectoria inducere, lib. x, 119. liare, ibid. 120.
Theatra destructa, lib. ii, 185. Theatri impudicitia, ibid. 908. Theatrum in quo scenica res, eandem habet originem ac circus, lib. ix, 149. T. in quantis conueniat cum Circo, ibid. 150. Veneris sacrarium est, ibid. 152. T. Censores renascentia theatra destruebant, prouidebant periculum in lasciuia, ibid. Pompeius minor suo theatro, lib. ix, 152. Arx omnium libidinum, ibid. Veneri dicatur theatrum, ibid. Dicata theatra libero, & Veneri, lib. ix, 154. T. Cur duplici huic numini dicatum, ibid. 156. T. & 157. à thure vel à sanguine ad Theatrum, ibid. 163. Cur dicatur arx libidinum, lib. ix, 168. Theatrum priuatum consistorium impudicitiæ, lib. ix, 238. T. & 246. Theatri obscœnitates quæ à mimis, ibid. 238. & 239. quæ à meretricibus, 240. & 242. Theatrum fomes ignis, lib. ix, 246. Fœminæ exhibebantur nudæ, ibid. 248. & 250. Theatrum rescindit signaculum fidei, lib. ix, 362. T. apostasia est fidei, ibid. 365. Theatrum scintillas libidinum conflabellat, lib. ix, 369. præsertim sacerdotibus prohibetur, ibid. 371. peccandi est occasio, ibid. 373. T. scandalum theatri, ibid. & 375. Theatri aër constupratus, lib. ix, 393. T. eius suauitas & dulcor temperatio & dissimulatio veneni est, ibid. 394. T.
Themistocles militaris, lib. ii, 411.
Theristrum, lib. i, 164.
Thesaurus Iudaici sacramenti, lib. ii, 593.
Tela exercitoria idem quod lusoria, lib. v, 168.
Telinum vnguentum, lib. i, 159.
Templa constant de Cæsaris nutu, lib. ii, 392. In templis adulteria componi, & lenocinia tractari, lib. ii, 482. T. Templa adorabantur, lib. ii, 500. Templum propriè Gentilium, ibid. 900. Templatim, ibid. 995. Templum quid, lib. x, 115. Templum quid olim, lib. ix, 125. Templum dictum à tuendo, ibid. 184.
Tempus reuelat omnia, lib. ii, 270. Tempora fidem asserunt, ibid. 585. T. Temporum sortes, lib. ii, 675. Tempus in collecto est, lib. xii, 91.
Tenebrica vestis, lib. i, 211. Tenebræ, pulla ac lugubris tristitiæ vestis est, ibid. 38. Tenebræ de legibus, lib. ii, 120.
Tensæ, lib. ix. 110.
Tentatio laqueus, & ideo in oratione Dominica euehi à tentatione postulamus, lib. vi, 88.
Teginum idem quod Taurea, lib. vii, 89.
Terra temporatim nouam, diuersamque vestit formam, lib. i, 28. T. Terra exaudit, id est colitur, lib. i, 31. T. & 55.
Terræmotus vrbes deuorat, lib. i, 51.
Terræ filij, lib. ii, 391.
Terræmotus, lib. ii, 965.
Terra grauis, lib. iii, 46. Leuis, 47. Terra ancilla est, lib. viii, 25.
Terracea, lib. xi, 88. & 85.
Tertullianus munera publica non ambit, sed in abdito viuere studet, lib. i, 223. T. concionari solitus, & mores carpere, ibid. 225. T. & 226. Tertullianus quotidie ob disciplinam occiditur, lib. ii, 799. T. Tertullianus præstantiam in delictis suis fatetur, & peccator omnium notarum, lib. v, 33.
Testudo fera sonora, lib. i, 89.
Testudo densitatur, lib. vii, 54. & 55. idem quod phalanx, ibid.
Teutates est Mercurius, lib. ii, 338.
Tiberius detulit ad Senatum Christum vt adoraretur cum prærogatiua suffragij, lib. ii, 133. T. Tiberij tempore Christianum nomen introiuit in sæculum, ibid. admittit Christum, ibid. Tiberij Proconsulatus, lib. ii, 334.
Tiberis excipit Christianos, lib. ii, 868. Tiberis excrescens, ibid. 964.
Tibiatim, suratim, lib. i, 208.
Tibia & tuba, lib. ix. 164.
Timæus, lib. ix, 71.
Timor peccantium, lib. ii, 29. Timor erumpit in odium, lib. ii, 766. T. & 767. Timor pro religione, ibid. 791. Timor Dei si absit, emendatio nulla, pœnitentia vana, lib. v, 7. T. Puerilis timor nisi Dei, ibid. 8. Timere Deum apud Tertullianum idem est ac gratum esse, & honorare Deum, lib. v, 42. Timorem vna contumacia subuertit, ibid. 41. T. ad peccatum inducit, lib. v, 52. Timor integer primus baptismus, ibid. 62. T. Instrumentum est pœnitentiæ, lib. v, 64. T. & 93. Timor hominis Dei honor, ibid. 97. T. & 106. Timor nascitur ex indigentia, lib. viii, 107. Timor fundamentum, basis, thesaurus, radix, fons, lib. xii, 20. Timor Dei frenum est, ibid. 21. Timoris candidatus, lib. xiv, 61. T. & 64.
Tinguo in vsu est pro tingo, lib. xi, 17.
Titulus reorum, lib. ii, 1003. Titulos incidere, ibid. 1096. Titulus, lib. viii, 216. Titulus causæ affixus reis, & etiam Christo Domino in cruce pendenti, lib. x, 2. & 9.
Toga qui populi primum vsi, lib. i, 22. Toga teres & & prolixum pallium est, ibid. 23. Toga exuebantur quibus aqua & ignis interdicebatur, lib. i, 108. Toto anno post assumptam togam, brachium eximere indecens habebatur, ibid. 109. à toga ad pallium, lib. i, 232. Togæ descriptio, lib. i, 217. T. & 218. Toga sarcina est, ibid. & 119. & 120. Togæ duplex circumiectio, pallij vna, lib. i, 234. Toga pura, lib. x, 266. Toga palmata, vel picta triumphatorum erat, lib. xv, 248. Togæ lædunt Rempub. lib. i, 249.
Tonsor iuxta cutem, lib. i, 138.
Tormentum pro pœna apud Tyrannos, alioqui quæstioni temperandum, lib. ii, 43. T.
Torpor humanum vitium, lib. ii, 24.
Torques aureus in præmium donatur, lib. x, 297.
Trabea, lib. x, 295.
Trachedipna, lib. i, 170.
Tractus quid, lib. i, 96.
Traditio de consuetudinis patrocinio vim habet, lib. xv, 50. T. Traditio auctrix, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix, ibid. 81. T. etiam absque lege

quod sequit' quare post vnus Solinus.

Retiariorum ſpongia, lib.ix, 329.
Retracto apud Authorem idem eſt quod ſimplex tracto, lib.vi, 69.
Retrò pro olim, lib.i, 55. retro, lib.ii, 93. & lib.ii, 582.
Retroſior, lib.ii, 595.
Rigulati qui, lib.ii, 351.
Riſiloquium quid, lib.v, 149.
Riſus minax, lib.viii, 297.
Robigo, & Rubigo Dea, & Robigalia, lib.ix, 82. & 83.
Rhodos, lib.ii, 967.
Romanitas alia, lib.i, 131.
Romani oriundi ex Phrygia, lib.i, 35. T. Romanis Deus maluit, lib.i, 18. Romani Imperij orbis cultiſſimum eſt rus, ibid. 66.
Roma & Conſtantinopolis bigæ vrbium, lib.i, 19. Romani à Græcis leges ſumpſerunt, lib.ii, 119. Romanorum luxus, ibid. 170. T. & 172. T. Violatores legum antiquarum, ibid. Romani deſciſcebant à maioribus, in ſermone, & in multis aliis, lib.ii, 178. T. Romanorum ſumptus ſuperbi, lib.i, 225. & 227. T. Gula, ibid. 229. T. Romani dominatores Gentium, lib.ii, 656. Romanum Imperium non auctum à diis, lib.ii, 729. T. & 735. T. Romani quia irreligioſi in Deos ideo magni: tot de diis, quot de hominibus triumphos reportarunt, ibid. 737. T. Romanorum ſuperſtitio, lib.ii, 739. Roma antiquior Romulo, lib.ii, 750. Roma ſylueſtris, ibid. 759. T. Romani quàm infidi in Imperatores, lib.ii, 855. T. quàm aſtuti, ibid. 857. T. Romani innumeros deos colebant, lib.x, 47. Roma ciuitas meretrix, præſidet ſuper aquas multas, lib.xii, 119.
Rudem, lib.ix, 318.
Rudi palo ſimulacra Deorum, lib.ii, 520.
Ruga eſt tantùm inchoata, tilia ſiue phyrila perfecta eſt ruga, lib.i, 233.
Ruminæ fabricandis diis, lib.ii, 424.
Rumpum & traducem, lib.viii, 90.
Rupex, lib.i, 197.
Rupicem habuit magiſtrum Achilles, lib.i, 148.
Ruſeus æſtati, lib.ix, 148.

S.

SABVS, aut Sabazius, Bacchus eſt, lib.ii, 216.
Sabbata obſeruabant Gentiles, lib.ii, 540.
Sabbatarius dies, ibid. 545.
Sabinarum Virginum rapina, lib.ix, 79.
Sacco & cinere volutati, lib.ii, 976.
Sacellum, ædicula, delubrum, lib.x, 115.
Sacerdotes Saturni crucibus votiuis affixi, lib.ii, 304. T. Sacerdotes Deorum in ipſis ſacris impudici, lib.ii, 482. T. Sacerdotum præcordia potius quàm victimæ examinandæ, lib.ii, 799. T. Sacerdotes idolorum circuibant cauponas emendicando; exigebant tributum pro ſolo, pro aditu templi, lib.ii, 439. T. Sacerdotum exoſculari pedes publici pœnitentes ſoliti, lib.v, 135. Sacerdos olim equitabat candidiſſimo colore ſtrato equo, lib.vi, 40. Sacerdotem Dialem, Quirinalem, Martialem præibant præciæ, lib.ix, 235. Sacerdotes iuſtitiæ Iuriſconſulti, ibid. 236. Sacerdotes pudicitiæ, lib.xii, 114. T.
Sacramentum, lib.ix, 367.
Sacrificium animo non inuito, lib.ii, 783. T.
Sacrifico pro oro, lib.iv, 17.
Sacrilegi Gentiles, lib.ii, 498.
Sacrilegia cum victoriis certarunt, lib.ii, 756.
Sæculum corpus temporum, lib.ii, 758. T. ſæculi fructus voluptas eſt, lib.vii, 23. T. ſæculum primum rude fuit, lib.xi, 33.
Sagax in bonam partem, lib.ii, 582.
Saginatio arida, lib.i, 136.
Sagina quid, lib.ix, 405.
Salaria philoſophorum, lib.ii, 1023.
Salij, lib.ii, 762.
Saliares menſæ, lib.ii, 938.
Salutem Cæſarum orabant Chriſtiani, lib.ii, 833. ſalus Cæſaris iurabatur, lib.iv, 13.
Saltus equorum, lib.ii, 366.
Sami Iuno, lib.ii, 749. vaſa, ibid. 754.
Samothracia & Eleuſinia, lib.ii, 260. Samothracia mater idolorum, ex qua magni dij, lib.ix, 129.
Sanctuarium, lib.x, 91.
Sanctus vir occurſu ſuffundit vitia. Auditur dum videtur, erſi taceat, lib.i, 262. T. ſancti viri prius peccatores, lib.v, 5. ſancti viri quàm demiſsè de ſe ſentiant, lib.v, 174. ſanctus vir iudicabit dæmonas, lib.v, 98. T.
Sanctitatem etiam dæmon affectat, lib.xiii, 84. T
Sandalium, lib.i, 236.
Sanguinem humanum qui vorarint, lib.ii, 316. T. ſanguis brachiis diffuſus, & ab altero deguſtatus fœderis ſignum, lib.ii, 316. T. Bellonarij ſuis ſignatis dant proprium ſanguinem palmulis exceptum, ibid. ſanguis ſepultus intra viſcera, ibid. 324. T. ſanguine pacta olim firmabantur, lib.ii, 346. ſanguis beſtiarum vetitus Chriſtianis in primitiua Eccleſia, lib.ii, 355. ſanguis Chriſti Domini inquinauit Iudæorum manus, lib.vi, 109. T.
Sapientes in malam partem vſurpati, lib.x, 151.
Sarabara, & Sarabella, lib.i, 180.
Sarcina toga eſt, lib.i, 236.
Sardanapalus, lib.i, 172.
Sarmentarij & Semaxij dicebantur Chriſtiani, ſed eſt habitus victoriæ & triumphi, lib.ii, 1076. T.
Sarmentorum ignis, lib.ii, 1085.
Sathanas malitiæ angelus, totius erroris artifex, ſæculi interpolator, per quem Adam à primordio circumuentus, lib.iii, 27. T. ſatanas lib.iii, 30.
Satisfacere, lib.iv, 39.
Satisfactio quibus verbis & factis facienda, lib.v, 119. & 120.
Saturni pallio coccinata, lib.iii, 24. Saturno immolabantur infantes, ibid. 304. T. Saturnus filios comedit, lib.ii, 336. à Saturno diuinitatis cenſus, lib.ii, 372. T. Saturnus homo fuit exceptus à Iano. Ab ipſo primum tabulæ & imagine ſignatus nummus. Vnde ærario præeſt, ibid. Saturnus quia ignotus parentibus, ideo filius cœli & terræ dictus, ibidem, 374. T. Saturnus Belus dictus, lib.ii, 383. Saturnius mons, lib.ii, 386. & Saturnia Italia, ibid. 387. Saturni dies, lib.ii, 545.
Saturnalium lotio, lib.ii, 991.
Saturnalia ſeruiculi celebrant, lib.x, 159. & 173.
Saturatio ſobria, lib.ii, 946.
Scalpellum, lib.i, 253.
Scandalum, lib.ix, 373.
Scamma locus foſſis circumſcriptus in quo athletæ depugnabant, lib.vii, 61.
Scauri impuritas, lib.i, 261.
Scenarum iucunditas, lib.ii, 484.
Scena Cæſarum, ibid. 853. T. Scena & theatro inſculpta corda, lib.ii, 871.
Scio quod verbum, lib.ii, 144.
Scipio maior iuſtus, lib.ii, 412.
Scobinæ fabricandis diis, ibid. 424.
Scopulæ pro montis vertice, lib.i, 49.
Scorta publica vt dij venerabantur, lib.ii, 441. T.
Scripturæ ſacræ antiquitas, lib.ii, 85. T. & infra. Eius maieſtas, ibid. 602. T. rerum exitus probat veritatem Scripturæ ſanctæ, ib. 603. T. & 605. T. Scriptura ſacra vt cibus munitur, lib.ix, 41.

Scrinium pro ſcriptura, lib.ii,586. Scrinium,ibid. 593.
Scrupea ſchola, lib.i,149.
Scrupuloſior pro religioſior, lib.ix, 38.
Sculptura olim fuit loco literarum & librorum, lib. xv, 132.
Scurræ qui olim, qui poſtea, lib.ii, 197.
Scytalo vt ſagittifer, vt pelliger, lib.i, 154.
Scythæ exuberant in Perſas, lib.i, 35.T. Scythæ ſuos deuorant, lib.ii, 349.
Secundus pro victo vſurpatur, lib.xiii, 36.
Securi vocantur defuncti, lib.iii,40.
Secta in bonam partem, lib.ii, 19.
Sedere poſt orationem apud Gentiles quaſi complementum orationis, lib. vi,121. Mos fuit etiam in oratione ſedendi, ibid.127. irreuerentia eſt coram ſuperiore ſedere, ibid. 137.
Segetia Dea, lib.ii, 519.
Selgicæ oues, lib.i, 99.
Sellæ, lib.i, 201. Sellis geſtatoriis matronæ geſtari ſolitæ, lib.xiv,77.
Semaxij dicebantur Chriſtiani, lib.ii, 1076.T. Semaxij qui, ibid. 1084.
Semen eſt ſanguis Chriſtianorum, lib.ii,1099. Semina argumentum reſurrectionis, lib.ii,1063.
Senatus debebat probare ſi quis Deus conſecraretur, lib.ii, 131.T. reſpuit Chriſtum, ibid.133.
Seneca conuiciatus eſt Deos, lib.ii, 418.T.
Senectus rerum omnium, lib.ii,124. Senectus exoptata votis, lib.xii,52. Senectus cùm plus occultari ſtuduerit, plus detegitur, ibid. Senectus ſubducta ad modeſtiæ portum, lib.xii, 81.T.
Seniores præſident apud Chriſtianos, lib.ii,913.T. Senior pro Epiſcopo & Preſbytero, lib.ii, 929.
Senones Capitolium occupauerunt, lib.ii, 958. T.
Se noſſe, lib.i, 241.
Senſus mentis ſatellites. Item reges, lib. ix, 256. Senſus quinque recenſentur vna cum functionibus, lib. xv, 92. miniſtri vocantur, ibid.101. ſenſus feneſtræ, ianuæ, cuniculi ſunt, lib.xv, 102.
Sepeliebantur Chriſtiani, lib.ii, 932.
Septimontium apud Romanos feſtum fuit, lib.x, 174.
Septuaginta interpretes ſeparati fuerunt, lib.ii, 583.
Sepultura requies eſt, lib.ii, 884.T. ſepulturæ vnguenta, ibid. 994.
Sepulcrum nomen ſeruat, lib. iii, 53. ſepulcrum memoria eſt, lib.ix, 36.
Sequeſter patientiæ Deus, lib. viii, 280.T. & 289.
Serapis in Deum admiſſus, lib.ii, 206. Serapis Romanus quis, lib.ii, 215.
Serapæum, lib.ii, 584.
Sermo mendicans, lib.iii, 57. T. Sermo compendiarius præſtat lacinioſum, lib.xvi, 68.
Serpens qua ratione pellem eraſus mutet, lib.i, 69.T. cur Æſculapij in manu, ibid. 86.
Serram per eandem lineam reciprocare, lib.xv, 49.T. & 53.
Serti etymon, lib.xv, 104. ſertum non modò roſea eſt corona, ſed etiam ex auro, aut gemmis, ibid.134.
Seruorum inſtar dæmones, lib.ii, 769. ſerui rebellant in Romanos, ibid.781. ſeruus qui portabatur cum triumphatore, lib.ii, 843. is carnifex, ibid. ſeruo libertate donato non imputantur furta & fugæ, lib. v,57.T. ſeruus probus, lib.viii,62. conuerſantur pro Domini ingenio, ibid.53.T.& 61. ſeruos vt tractas, tractaberis, lib.viii, 187. ſeruo obſequi domino ſuo ſub anathemate præcipitur, lib. viii, 311. ſeruis inſcriptæ erant facies aliquando toto epigrammate, lib.x,10. ſerui filij quandoque appellantur, lib.xii, 108. ſeruo quæ nubebat aliquando ſeruitutem contrahebat, lib.xiv,67.&73.
Seſſia Dea, vel Seia, vel Seria ſationi præeſt, lib.ix, 128.
Seuerus Antonini pater oleo ſancto à Proculo curatus, lib.iv, 33.T.
Si pro ſed, lib.ii, 709.
Si pro an, lib.vii,35.
Si ſi pro ſiue ſiue, lib.viii, 194.
Siccis ſaginabantur athletæ, lib.i, 137.
Sicilia à ſectione dicta eſt, lib. i, 53. Sicilia quaſſante vtroque mari ab Italia diſcinditur, lib.i, 29. T. & 30. Sicilia olim Lucania, lib.ii,955.T.
Sicyonia muliebria calceamenta, lib.xvi,202.
Si forte, lib.ii,521. & 984.
Sigillaria icunculæ ſunt deorum, lib.vi, 130.
Signati, lib.ii, 350.
Signa veneratur miles, lib.ii,523. & iurat, ibid. & præponit diis omnibus, 524.
Signaculum pro circunciſione, lib.ii, 631. & vulua, ib.
Signa intentare eſt bellum gerere, lib. iv, 2. ſignum Chriſti, lib.x, 313. ſignum pro militari teſſera, lib. xv, 190.
Silentium ſacrum, lib.ii, 259. ſilentium delictorum in pœnitentia quàm noxium, lib.v, 145.
Silicernium Iouis, lib. ii, 455. Silicernium mortuorum, lib.iii,45.
Simon Magus ſtatua & inſcriptione donatus, lib.ii, 441. T. Simon Magus, ſiue Semon Sangus, ib.461.
Simpulum, Simpuuium, Simpinium Iouis, lib.ii, 456.
Simpulones & Simplones, lib.ii, 456.
Simpulator, ibid.
Simpulatrices fœminæ, ibid.
Simul pro ſimulatque, lib.v,62.
Simulacra deorum à Græcis & Tuſcis apprimè exculta, lib.ii,753.T. ſimulacra diruere, lib.iv,12. ſimulacra effingere & Hebræis, & Romanis interdictum, lib.x,32. at veri Dei iure naturali minimè, ibid.44.
Singulatores, lib.ix, 140.
Sirenes & Cyclopes, lib.ii,248.
Sitim rigare, lib.ii,1034. T. ſitis Germanica, li. iv,44.
Sobrietas Romanorum, lib.ii, 167. T. & 172. T. ſobrietas Chriſtianorum pane tantùm debet eſſe contenta, lib vi,63. & 64.
Socordium, lib ii,704.
Socrates expectans ad arbitrium dæmonij, lib.i, 657. T. Socrates ſapientiſſimus, lib.ii, 410. Socrates vxorem tanquam armenti matricem communicauit, lib.ii,916. T. & 917. Socrates in deorum contumeliam quercum, & hircum deierabat, ibid.469. T. Athenienſes reſciſſa ſententia Socrati auream erigunt ſtatuam, ibid. Socrates Apollinis oraculo ſapientiſſimus, lib.ii, 1024. corruptor adoleſcentium, 1028.
Soccus quid, lib.x,124.
Sodales, & ſodalitium, lib.xiv,58.
Sodoma cum ſolo mortem bibit, lib.i, 31.T. eius conflagratio ruina, & poma fumo, & cinere euanida, ibid.56 & 57. Sodomæ incendium olet adhuc: oculis tenus poma, cæterum contacta cinereſcunt, lib. ii,957.T. Sodoma, ibid. 969.
Sol luget filium, lib.ii,478. T. Sol à Perſis vt Deus colitur, non à Chriſtianis, lib.ii,508.T. Sol Deus Perſarum, ibid.530. Sol & radius Solis, lib.ii, 643. Sol præter naturam deliquium paſſus in Cõuentu Vticenſi, lib.iv, 21.T. Solis ſtatua in ædis faſtigio emicat, lib.ix,116. T. & 124. Sol in cloacas radios differt, ibid. 299. fons lucis, ibid. 300. de Sole ad cœlum, lib.vii,45.T.& 46.
Solſtitium propriè vnum brumæ oppoſitum, lib.i,43.
Solaria philoſophorum, lib.ii,1023.
Solemnia, lib. ii, 861. ſolemne donum eſt ſtabile & firmum, lib.xv, 232.& 233.
Solitudo in timore eſt, lib.ii,900.
Solox quid, lib.i, 170.

quod sequitur quære ante Deus folia

vim habet,ibid.83.T.& 87.Traditiones ſeruandæ, lib.xv, 87.
Tradux,lib.ii,268.
Tragœdi cothurnis extulit,lib.ix, 355. Tragœdi vociferatio,ibid.370.
Traianus reſcripſit Chriſtianos non eſſe inquirendos, oblatos eſſe puniendos,lib.ii,35.T.in eiuſmodi reſcriptum inuehitur, ibid. 37.T. Traianus multos damnauit,lib.ii, 63.
Transfiguratur Chriſtus in ſolitudine,lib. vii,25.T.
Tranſmigrationes populorum formando imperio excogitauit Alexander Magnus, lib.i,64.
Tranſigere paciſci eſt,lib.vi,139.& 146.
Tribunal ſtadium eſt,lib.vii,49.T.
Tribus & curiæ ructant,lib.ii,938.
Tributum nota eſt captiuitatis, lib.ii,439. T.Tributa totius genituræ,lib.viii,25.
Triſtitia orationis curſum ſuffocat, lib.vi,105.
in Triumphis ſollemnis erat carnificis vox : Reſpice poſtte;hominem memento, lib.ii,838.T.
Triumphatores martyres, lib.ii,1088.
Trochilus,lib.ix,143.
Tropæum pro trophæum,lib.ii,522.
Trulla Mineruæ, lib.ii,446.
Tuccia ſiue Tuſcia,lib.ii,680.
Thus tangere, lib.ii,812.Thuris grana, ibid. Thure & aris ornabantur Imperatores,lib.ii, 840. Thus ſaginatio dæmonis, lib. x,189. Thure condiuntur cadauera,ibid. 190.
Tumuli extra portam & in viis, lib.iii,42.
Tunicæ deſcriptio, lib.i,2. T. in quam formam mox variauit,ibid.6.Tunica fluxa & demiſſa fuit: quæ ad talos arrogans habebatur, lib. i,12. Tunica ardens ſiue moleſta, lib.vii, 88.
Turres peruolare,lib.ii,699.
Tuſcia deuſta eſt Vulſinos,lib.i, 31.T.
Tutelina Dea,lib.ix,128.
Tutulus,lib.i,216.
Tyranni infremebant in Chriſtianos,lib.ii,430.
Tyrrhenus tranſit in Etruriam, qui mari dedit nomen,lib.ix, 61.T.& 71.
Tyrij tingunt; quorum nobilitas conchilio & purpura conſtat,lib. xi,17.

V.

VAgi,viles,improbi,lib.ii,93.
Valetudines fingunt dæmones,lib.ii,667. Valetudo in deteriorem partem capitur, lib.v,110.
Vanitas Xyſti,lib. ii,910.
Vanum, id eſt idolum,lib.x,326.
Vapulo ad alias pœnas extenditur, ſicut & verbero, lib.viii,150.
Vbi vbi pro vbique, lib.ii,988.
Vectigalis libertas,lib.ii,584.
Vectigalia pendunt Chriſtiani,lib.ii,989.T.
Veſtis quaſi domus eſt corporis, lib. i,79. Veſtium pompæ taxantur, lib.xii,81.T. Lenones ſunt, ibid. 83.T.veſtes ne laſciuioſæ,ibid.88. veſtis olim pro barba,lib.xvi, 130.
Vetus decretum,lib.ii,143.
Vexillum tollere, lib. ii,1089. vexillum haſta ex qua ſpolia appendi ſolita,lib.viii,265.
Via mandatorum verè regia, etſi anguſta,& arcta, lib. vi,102. viæ actus humani vocantur, lib. ix, 47. via in ſpectaculis,ibid.49.& 50.
Vibrare labia,lib.ii,538.
Vicatim epulari,lib.ii,863.
Vicibus diſpoſita res, gentes lætantur, nos conflictamur,lib.ix,406.
Victima ſine lacrymis,lib.ii,304.T.
Victimæ gentilium tabidoſæ, & ſcabioſæ, lib. ii,442. T.Victima auratior,lib.x,75.
Victoriarum nummulus,lib.xvi,206.& 211.
Viderint,id eſt,valeant,lib.iv.46. Viderit apud Tertullianum improbantis vox eſt,lib.v,13.
Viduæ validius à libidine oppugnantur, lib.xiii,3. Viduæ continentia laborioſior,lib.xiii,10. ſi ſecundò nubat contumelia afficit virum priorem, ibid.13. Viduitas ſubſignata,lib. xiii,44.T. Viduitatis ſacerdotia,ibid.70. T. Viduitas quies eſt ſexus, ibid. 68.T.Viduitatis auſteritas apud fœminas Africanas dicatas Cereri, lib.xiii,71.& 78. Viduitatis ſacerdotium,ibid. 84.T. Regem ſæculi Pontificem Maximum rurſus nubere nefas,ibid. Viduæ qui benefacit quàm ſimilis Deo,lib.xiii,96.T.Deus aſſertor viduarum,ibid. operoſior viduitas quàm virginitas,ibid.97.T.& 103.Vidua bonum inuenit morte mariti, ibid. 98.T.in illa virtus coronatur, ibid. viduæ expoſitæ dicuntur, vt infantes,ibid. 101. Vidualis continentia quo difficilior, eo facilior eſt lapſus venia, lib. xiv,3.T. Vidua virgo, lib.xvi, 135. Quot conditiones neceſſariæ vt in viduarum ſtatu reponerentur fœminæ, ibid. 136.T. Viduis diuerſis locus in Eccleſia à virginibus, lib.xvi, 143.& 144. viduæ etymon,ibid.144. Sexagenariæ adlegebantur in viduatum, ibid.145.
Vigellius Satur, qui primus in Chriſtianos gladium egit,lumina amiſit,lib.iv, 23.T.
Vilius eſurire, lib.i,259.
Vincimus,lib.ii,1083.
Vinctis tituli cauſæ affigebantur,lib.x,2. Vincti compedibus aureis,& argenteis,lib.xii,103.
Vindemia parricidarum, lib.ii,879.
Vindicta diuinæ ſectæ non fit igne humano,lib.ii,886. T.Vindicta oculum pro oculo iam non repetit, lib. viii,121.
Vini abſtinentia apud Romanas matronas inſignis, lib.ii,172.T. oſculo probabatur, ibid.& 173.Vino abſtinent fœminæ, lib.ii,195. Vino lutum cogere, ibid.864. Vini ſenectus quomodo defecatior, lib.v.168. Vinum incendium libidinis,lib.ix,170.
Virginitas Pharo cõparatur,lib.v,173.Virginis occurſus cur infauſtus,lib.viii,109.Virgo ſignata,lib.viii, 257.Virgines de familia ſunt angelica,lib. xiii, 40. Virginitatis, & viduitatis ſacerdotia, ibid. 70.T. Virgines dicuntur integræ,quia totæ,& ſolidæ,lib. xiii,102. Virginitas vt ſol & regina, lib. xiii,104. virgines conuiuio arcebantur, ibid. 103. Virginum velandarum conſuetudo in Græcia primum,lib.xvi, 25.T. virgini de pulchritudine ſua erubeſcendum, ibid. 28. Virginem magis laudando quàm vituperando confundes,ibid.29.T.Tales oculi volent virginem viſam, quales habet virgo quæ videri volet, ibid.virgines ne in publico,lib.xv,38.virginalis pudor,ibid. 39. In virgine abſtinentia gloriandi, lib. xvi,39.Virgo candidata pudoris, ibid. 40. Virgines hominũ,& virgines Dei,ib.Virgo quæ non tegitur, proſtituitur, lib.xvi. 41.T. Virgo nihil petit à viro, ibid.42.T. Conſtupratur ſi abſque velamine incedat,ibid.47.T. Virginitas ſignatur, reſignatur, lib. xvi,101.T.& 102.Virgo fuit coſta Adæ,ibid·Virginitatis flos excuſat libidinem, ibid. 104.T.& 114. Virginitas flos eſt,ibid.& 113. Virgo vidua,ibid. 135. Virginitatis comes & appendix continentia & parcitas,lib.xvi. 142. Virginibus diuerſus locus in Eccleſia à viduis,&c. ibid. Virgo deſinit eſſe ex quo poteſt non eſſe, ibid. 165.T. Virgo acerba eſt ante ſanguinem menſtruum,lib.xvi,165.T.& 176.Virgo ante nuptias nupta expectatione & transfiguratione,lib.xvi,168.T.Virginari,ibid.204.Virginis nundinatio,ib 206.T.Virginitatis oblatio,lib.xvi,207. T.& 212.Virgo non ſemel fit mulier, ibid. 226. Facillimè concipit, & fœtum parenti ſimilem, ibid. 228.Vera & tota virginitas confugit ad velamen vt ad galeam,lib.xvi, 233.& 236. Virginitatis elogia,

ibid.236. Virgines ſint cautæ, ibid.237. Frangant ſe ueritate obtutus aſpectantium, ibid. 245. Virginis facies clauſa, ibid. 244. Virgo grandæua mater appellatur, lib.xvi,249. arma virginitatis, ibid. 248.& 249.
Viria, ſeu viriola, armillæ, lib.i,169.
Viri ſancti quàm abiectè de ſe loquantur, lib.v,65. Virorum in barba ornatus, lib.xii,75. T.& 76. Viri calidiores fœminis ad libidinem, lib. xvi,147. T.& 157. Diſtincti in Eccleſia à fœminis, lib.xvi, 144.
Virtus duritia extruitur, mollitia deſtruitur, lib.vii,49. T. Virtutes appellantur magiſtri, lib. viii, 15.
Vis de dæmonibus, lib.ii, 69.
Vitam longam Principum petebant Chriſtiani in oratione, lib.ii,808. Vita inſtar aulæi oppanſa, ibid. 1053. T. Vita noſtra ſi ſancta ſit, ſanctificatio eſt Dei, & glorificatio, lib.vi,38.&40. Vita minoris æſtimatur à ſapiente, & ſtulto, quàm voluptas, lib. ix,16. T. Vita humana vt rota, vt iſthmus, lib.ix,29. Vitæ dux voluptas, ibid. 30.
Vitia demonſtrant quantum boni virtus habeat, lib. viii, 103. Vitia noſtra aliorum virtutibus nocent, lib.xii, 30.
Vitrum obſidianum. ex vitro margaritum effingebatur, adagialis forma: ſi tanti vitrum quanti verum margaritum, lib. vii, 80.
Vitta, lib.i,209. Vitta Cereris redimita, lib.iii,23.
Viuens potior mortuo, lib.ii,789. T.
Vlcera Iobi ſolaribus radiis ſplendidiora, lib.viii,270.
Vltimum de vtroque termino, lib.ii,591.
Vltionis libido impatientiæ ſtimulus, lib.viii,174. T. Vltio aut curat negotium gloriæ, aut malitiæ, ibid. Vindicta remunerans nequam duplicat quod ſemel factum eſt malum, ibid.174. T.& 175.& 183. Vltio penes errorem ſolatium videtur doloris, lib. viii,176. T.& 184. Honorem libat Deo, qui arbitrum defenſionis arrogat illi, ibid.177. T. qui ſe vindicat reus eſt Domino, ibid. vt ſerui patientiam offeramus noſtram Domino, qui vindictam ſumet, ibid.178.& 187. T. Quot bona in non ſeſe vlciſcendo, lib.viii,180. T. vltio ſuperiorem conſtituit, ibid. 182. Vltio inhumanum verbum, ibid. 185. Non vlciſci iniurias ſacrificium eſt Deo, ibid. Detrahit honorem Deo qui vindictam ſumit, lib. viii,186. vltio honorem ſummi Dei aufert, lib.viii, 192. vltionis inſtantia deterior cauſis, ibid.193. Omittenda vindicta ne aut leuius, aut vberius fiat, ibid.194. vltio ad equeſtrem diſciplinam aſpirat, ibid.195.
Vmbraculum religionis, lib.ii,629.
Vnctio ordinaria, lib.iv,42.
Vncus calceus, ſiue vncipes, ſiue vncinati, lib.i.237.
Vngula tormentum Chriſtianorum, lib.ii,422. vngulę Dijs oblatæ, ibid.465. vngulæ fodicantes latera, lib. ii,817.
Vocem expuere, lib.ii,1078. T.
Volatica quæ, lib.i, 268.
Volo, tyrannicum, lib.ii,118.
Volſella furax à mento, lib.i,141.
Volſinij & Pompei miſero inuoluuntur incendio, lib. ii,958. T.
Volſus ludius, lib.i,142.
Voluntas infelix ni præſtet quæ vult, lib.v, 23. voluntatis latebræ quaſi cuniculi, ibid.28. voluntatem diuinam ita impleri in terra ſicut in cælo, quid, lib.vi, 43.& 44.& 48.
Voluptas apud Epicureos animi æquitas, & ampla negotia, lib. ii,904. T.& 905. voluptas carnis negotium, lib.viii,181. voluptatis vis ignorantiam protelat in occaſionem, & conſcientiam in diſſimulationem, aut vtrumque, lib.ix,1 T. voluptatum abdicatio eruditio eſt ad obſtinationem martyrij, ibid.6. T. voluptas retinaculum vitæ, ibid. 7.& 12. voluptatum abdicatio eruditio ad mortem ex Philoſophorum præſcripto, lib.ix, 11. voluptas neceſſariis rebus cùr à natura admiſta, ibid. 12. voluptatibus fruamur quia opera Dei, vox Gentilium eſt, lib.ix, 14 T.& 15. T. ſapiens argumentatrix ignorantia humana cùm de gaudiis & voluptatibus res eſt, ibid. 16. T. Plures auocat à religione Chriſtiana periculum voluptatis amittendæ quàm vitæ, lib.ix, 16. T. voluptati vita cedit, hæc ſapientum & ſtultorum ſententia, ibid. 16. T. voluptatis gratia ſapiens & ſtultus, ibid. voluptas fera eſt, raptat vt equus indomitus, lib. ix, 28. gratia vitæ, ibid.30. voluptatis gula, ibid. 394. T. voluptas maior voluptatis faſtidium eſt, lib ix. 410. T. voluptatis ſæcularis cauſa eſt imbecillitas fidei, lib.xiv, 69. T.
Vota annua pro ſalute Imperatoris, lib.xv, 221.222.& 223.
Voueo, pro conſecro, lib.ii, 721.
Vrbs ſeptem arcibus, lib.ii,868. vrbs mortua quæ, lib. ii,888. T.
Vrſi eduntur in cœna, lib.ii,354.
Vſtriculæ quæ ſint, lib.i, 150.
Vſus rerum noxius etſi res Dei ſit, lib.ix,19.& 20, &c. T.& 27.& 32.
Vt quid ſignificet, lib.ii,262.
Vtica præcociter togata Scipionem excepit, lib.i,4. T.
Vua tamina eſt quæ habet rubentes acinos, lib. xv, 279.
Vulgus facit vt vulgus, lib.ii, 874. vulgi arma lapides & ignis ibid.891. vulgus cęcum, ibid.1075.
Vulnus feritur, lib.i,103.
Vulnerum ſpecus, vaſtitas, populoſa vlcera, lib. viii, 277.
Vxores amicis communicatæ, lib.ii,916. T.


X.

XErophagia, lib.i,137.
Xylina veſtis candore, & mollitie excellit, lib.i, 102.
Xyſtarchus, lib.vii,47. T.& 48.& 58.
Xyſti vanitas, lib.ii,910.

Z.

ZElotypia eunuchorum vitium, & cur, lib.v,92.
Zeno Eleates, lib.ii,1094.
Zonæ tormentum, lib.i,241.
Zona ignea ante paradiſum, lib.ii,1048.

FINIS.



LA CERDA
IN
Tertullianũ

A-2103
629